37
31 E
17

R. P. JACOBI ILLSUNG THEOLOGIA PRACTICA UNIVERSA

De Bono & Malo Morali.

ARBOR SCIENTIÆ BONI ET MALI,

SIVE

THEOLOGIA PRACTICA UNIVERSA

DE

BONO ET MALO MORALI.

IN VIRIDARIO ACADEMICO UNIVERSITATIS DILINGANÆ

Juxta Decreta SS. Pontificum ALEXANDRI VII. INNOCENTII XI. & ALEXANDRI VIII.

A PROHIBITARUM CXLI. PROPOSITIONUM,

Suis ubique locis ſingulatim relatarum, noxiis fruticibus putata & culta

A R. P.

JACOBO ILLSUNG

Societatis Jeſu SS. Theol. & SS. CC. Doctore, dictæ Univerſitatis Cancellario, Olim in Univerſitate Ingolſtadiana SS. Theologiæ Profeſſore Emerito.

VENETIIS, M. DCC.

Apud Paulum Balleonium.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

PRÆFATIO
AD BENEVOLUM
LECTOREM.

RAmum de Arbore Scientiæ Boni & Mali Sanctiore Columba ad nos deferente, quàm quæ olim pacatæ ramum olivæ ad Noe Arcam deportavit, Arborem plantavimus, in ſeptem majores ramos diſperſam, nos ſcientiis accommodatiore vocabulo illos appellamus tractatus, minoribus verò ramis, ac frondibus, eadem ratione Diſputationum, Quæſtionum, Articulorum, Paragraphorum nomina imponimus, quorum pendulos fructus in fronte prefixus Index deſignat. Cùm enim Scientia Boni & Mali, eum in finem ſit ordinata, ut doceat reprobare malum, & eligere bonum, ideo ſtatim initium facit à principiis directivis Conſcientiæ, tam intrinſecis, quæ etiam dictaminis Conſcientiæ appellationem habent, quàm extrinſecis, quæ Legum & Privilegiorum, ſive exemptionum à Legibus, notione comprehenduntur, quæ proinde omnia primo tractatu concluſimus.

Secundus tractatus ipſum malum reprobandum, ſeu peccatorum malignam naturam, gravitatem, ac multiplicitatem exhibet; quæ niſi clarè cognoveris, nec cautè evitabis.

Tertius tractatus Vitiis, Virtutum honeſtatem, ac pulchritudinem opponit, quibus homo rectè in DEUM tendit, & in eo quieſcit: unde etiam Theologicæ dicuntur.

Quartus tractatus eas Virtutes, quibus quilibet ad ſe ipſum, & ad alios quoſcumque rectè juſtéque ſe habet, & in quibus omnis Boni Cardo verſatur, ordine edocet; unde in quatuor Cardinales Virtutes diſtributus eſt.

Quintus tractatus, illam Virtutem, quæ quidem non immediatè intellectum Divina Veracitate, ac Voluntatem infinita Numinis Bonitate & Amabilitate impellit, ſed quæ honeſtatem modúmque multiplicem colendi DEUM conſiderat, in varias partes diviſum proponit. Et ſicut Juſtitia, quæ antè fuſiùs pertractabatur, jubet dare Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, ita hæc Virtus, quæ Religionis nomen ſibi vendicat, res DEI eidem dare præcipit.

Jam tota quidem Scientia Boni & Mali videri poſſet ad metam perveniſſe. Sed quia humanæ Voluntatis vel infirmitas, vel perverſitas, in reproban-

bando malo, ac bono eligendo, ſæpè deficit, ac proindè Summi Boni, ſuæque Salutis jacturam omninò pateretur, niſi amiſſum bonum recuperandi, aut ne id amitteretur, cavendi certa media ſuppeditarentur, ideò Scientia Boni & Mali adhuc duos tractatus præſcribit.

Sextus itaque tractatus ſeptem illa Myſteria explicat, quæ ſalutis & æternæ beatitudinis media à DEO contra Animæ ruinam, gratiosè conceſſa ſunt, quæque omne malum ab homine removent, bonúmque promovent.

Septimus denique tractatus pœnis etiam Eccleſiaſticis hominis voluntatem coercet, ne in reprobando malo, ac bono eligendo in contrariam partem deflectat. Hæc eſt ergo Scientiæ Boni & Mali, ſive Arboris noſtræ delineatio.

Nunc etiam fructus Arboris modicè prægustandos præbeo. Sunt illi medii Saporis inter dulcedinem nimiæ laxitatis, & inter acrimoniam nimii rigoris: Utérque enim exceſſus inſalubris eſt; contra priorem admonet Chriſtus Matth.7.v.13. (Quamquam eadem verba etiam in alio ſenſu prolata ſint) *Intrate per anguſtam portam: quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, &c.* De poſteriore reprehenduntur illi Magiſtri, quibus idem Chriſtus apud Matth.c.23. v.4. exprobrat: *Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, &c.* Nimia quippe Sententiarum laxitas Chriſtianam diſciplinam diſſolvit, & velut effrænatè currentem equum in ſcelerum præcipitium agit. Nimia verò reſtrictio Onus Chriſti leve, & Jugum ſuave, excutere cogit, & per erroneam conſcientiam fallente veſtigio in plano tramite multoties cadendi offendicula ponit.

Unde infenſiſſimo humani generis hoſti id ſolemne eſſe, Spiritualium rerum Magiſtri animadvertunt, ut quos teneræ atque anguſtæ Conſcientiæ homines novit, eos ſcrupulorum ac perplexitatum funibus magis ſemper adſtrictos, in deſperationem, atque inde in legum contemptum adigat: quos verò laxæ ac liberæ mentis eſſe intelligit, eiſdem fræna in omnium ſcelerum licentiam relaxet. Adeóque numquam ſinit Virtutem in medio, ac centro ſuo conſiſtere. Eodem fraudis artificio etiam adverſus univerſam Eccleſiam præſtigiator infernalis utitur, ut opiniones vel nimis laxas, vel nimis conſtrictas per eamdem diſſeminet; unde Summorum Pontificum Vigilantia in utriſque extirpandis, æquali ferè ſtudio ac labore fuit diſtenta, & quanta Cura ac Prudentia Alexander VII. & Innocentius XI. laxas Sententias evellere, tanta nimium arctatas Alexander VIII. eradicare, contenderunt, quod extremè oppoſitarum propoſitionum adductione confirmare haud eſſet difficile. Pro Exemplo ſit Propoſitio tertia, ab Innocentio XI. reprobata: *Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Huic è diametro adverſa, inter prohibitas ab Alexandro VIII. itidem tertia, his verbis refertur: *Non licet ſequi opinionem inter probabiles probabiliſſimam.* Simili prorſus modo propoſitio ſeptima apud Alexandrum, octava verò & nona apud Innocentium, rurſum decima ſexta, & decima ſeptima apud Alexandrum, & ſexageſima ac prima ſupra ſexageſimam apud Innocentium utriuſque Pontificis condemnatione ad mediocritatem ſunt compoſitæ.

Idcircò ſicut noſter P. Silveſter Maurus *lib. 7. de Fide, quæſt. 114. num. 21.* Sapienter inquit: *Multos eſſe factos hæreticos, dum voluerunt diſconvenire ab aliis hæreticis in eo, in quo non fuerunt hæretici; ſiquidem inciderunt in hæreſes contrarias, cùm fides Catholica ſit media inter contrarias hæreſes*: Ita planè in doctrina morali

rali

rali idem ſæpè aſſolet contingere: ut, qui volunt diſconvenire ab aliis Doctoribus in eo, in quo non fuerunt nimiùm laxi, in alium damnabilem errorem prolabantur, cùm doctrina vera Eccleſiæ tam in quæſtionibus morum, quàm fidei media ſit inter opiniones contrarias, à mediocritate, ac Eccleſiæ æquilibrio recedentes: à quo ſi planè invitus quocumque in loco deflexiſſem, paratiſſimum me fore polliceor, ut deſerta vel revocata propria opinione, alienam ac Romanæ Eccleſiæ magis conformem ſequar. Ideò enim tanto ſtudio ac diligentia doctrinam meam Summorum Pontificum decretis conformare allaboravi, illáque ubique propriis in locis allegavi, quos ſubjecti ſpeciales Indices deſignant.

SERIES

SERIES
Tractatuum & Diſputationum, hac Theologia Morali contentarum.

DISPUTATIO.

TRACTATUS I.

De Principiis Directivis, tam internis, quàm externis actuum Moralium.

I. De Dictamine Conſcientiæ, ut primo Principio directivo intrinſeco.
II. De Lege & Conſuetudine Legali, ut primo Principio extrinſeco directivo Actuum Moralium.
III. De Privilegio, ut altero Principio extrinſeco directivo Actuum Moralium.

TRACTATUS II.

De Actibus Moralibus in Communi, & in Specie de inhoneſtis, ſeu peccatis.

I. De Actibus Moralibus in genere.
II. De Actibus Moralibus inhoneſtis ſive de Peccatis.

TRACTATUS III.

Unica. De Tribus Virtutibus Theologicis FIDE, SPE & CHARITATE.

TRACTATUS IV.

De Actibus Moralibus Virtutum Cardinalium, præcipuè verò Juſtitiæ.

I. De Prudentia, Fortitudine & Temperantia.
II. De Juſtitia & Jure per illam unicuique tribuendo.
III. De Juſtitia & Jure læſo reſtituendo.

TRACTATUS V.

De Religione.

I. De Cultu Dei immediato, per Religionem Orationis, Juramenti & Voti.
II. De Religionis erga DEUM Cultu mediato in Sanctis & Perſonis Eccleſiaſticis ac Locis Sacris.
III. De Vitiis oppoſitis Religioni.

TRACTATUS VI.

De Sacramentis in Genere, & in Specie.

I. De Sacramentis in Genere.
II. De Sacramento Baptiſmi.
III. De Sacramento Confirmationis.
IV. De SS. Euchariſtiæ Sacramento.
V. De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacrificio.
VI. De Pœnitentiæ Sacramento.
VII. De Sacramento Extremæ Unctionis.
VIII. De Sacramento Ordinis.
IX. De Sacramento Matrimonii.

TRACTATUS VII.

Unica. De Cenſuris Eccleſiaſticis & Irregularitate.

INDEX

INDEX

Tractatuum, Diſputationum, & aliorum Titulorum hujus Theologiæ Practicæ Univerſæ de Bono & Malo Morali.

TRACTATUS I.

De principiis directivis tam internis, quàm externis Actuum Moralium.

DISPUTATIO I.

De Dictamine Conſcientiæ, ut primo principio directivo intrinſeco.

Articulus I.

Quid, & Quotuplex ſit dictamen Conſcientiæ. fol. 1.

Articulus II.

An ad omnem actum moralem neceſſariò præcedat dictamen conſcientiæ reflexum. 2.

Articulus III.

An conſcientiam errantem voluntas honeſtè poſſit, aut aliquando debeat ſequi. 5.

Articulus IV.

An liceat ſequi conſcientiam dubiam, & quando dubium per regulam juris: melior eſt conditio poſſidentis: deponi poſſit. 6.

Articulus V.

An liceat ſequi conſcientiam durante ſcrupulo obfuſcatam. 7.

Articulus VI.

An liceat ſequi conſcientiam, quoad honeſtatem objecti tantùm probabilem, relicta probabiliore. 8.

§. 1. Quidnam requiratur ad dictamen verè probabile. ibid.

§. 2. An intellectus poſſit potentia phyſica aſſentiri objecto minus probabili, præ oppoſito probabiliore. 10.

§. 3. Stabilitur prior noſtra Doctrina everſione fundamenti contrarii. 11.

§. 4. An intellectus etiam prudenter, & honeſtè poſſit aſſentiri objecto minus probabili, quàm oppoſito. 13.

§. 5. An intellectus objecto, quod voluntas eligit, debeat aſſentiri ut verè, vel ut probabiliter honeſto. 15.

§. 6. Reſolvitur quæſtio principalis, in principio hujus Articuli propoſita. An ſcilicet liceat ſequi conſcientiam, quoad honeſtatem objecti tantùm probabilem. 18.

§. 7. Statuitur principalis ratio prioris Doctrinæ, & eliditur adverſariorum reſponſio. 20.

§. 8. Subruitur falſum fundamentum adverſariorum. 22.

§. 9. Oſtenditur noſtram ſententiam de licentia ſequendi opinionem minus probabilem neque rectè referri, neque rectè impugnari ab adverſariis. 23.

§. 10. Ex reſolutione præcedentis quæſtionis deducuntur quædam Corollaria. 24.

§. 11. Solvuntur objectiones. 25.

§. 12. Solvitur præcipua objectio adverſariorum ex S. Thoma deſumpta. 26.

Articulus VII.

An liceat ſequi conſcientiam quoad valorem actionis, aut evitationem damni, ab inhoneſtate operationis diſtincti, ſolummodò probabilem, probabiliore, aut omninò certa relicta. 27.

§. 1. An Miniſter Sacramentorum poſſit ſequi ſententiam probabilem quoad illorum valorem, relicta probabiliore. ibid.

§. 2. An Medicus poſſit ſequi ſententiam probabilem relicta probabiliore. 28.

§. 3. An Judex poſſit ferre ſententiam probabilem, relicta probabiliore. ibid.

§. 4. An Advocatus poſſit aſſiſtere ſententiæ minùs probabili. 29.

DISPUTATIO II.

De Lege, & Conſuetudine Legali, ut primo principio extrinſeco directivo Actuum Moralium.

Articulus I.

De Natura, & Eſſentia Legis. 30.

Articulus II.

De obligatione Legis. 32.

§. 1. Circa qualia objecta, & maximè an circa actus merè internos poſſit obligatio Legis induci. ibid.

§. 2. A quibus poſſit obligatio Legis induci. ibid.

§. 3. In quos poſſit obligatio Legis induci. 33.

§. 4. Quanta ſit obligatio Legis humanæ. 36.

§. 5. Quomodo obligationi Legis ſatisfiat. ibid.

Articulus III.

De interpretatione Legis. 38.

Articulus IV.

De diſpenſatione Legis. 38.

§. 1. Quænam Leges per diſpenſationem relaxari poſſint. 39.

§. 2. A quo Leges per diſpenſationem relaxari poſſint. ibid.

§. 3. Quibus per diſpenſationem Leges relaxari poſſint. 40.

§. 4. Quæ cauſæ ad diſpenſationem requirantur. 41.

Articulus V.

De ceſſatione Legis. 42.

Articulus VI.

De Lege inducta per conſuetudinem. 43.

Articulus VII.

De Lege pœnali. 44.

Articulus VIII.

De Lege irritante. 46.

DISPUTATIO III.

De Privilegio, ut altero principio extrinſeco, directivo Actuum Moralium.

Articulus I.

De definitione privilegii. 47.

Articulus II.

De diviſione privilegii. ibid.

Articulus III.

De conditionibus ad privilegiorum valorem requiſitis. 49.

Articulus IV.

De uſu privilegii. 50.

Articulus V.

De interpretatione privilegii. 51.

Articulus VI.

De ceſſatione privilegii per defectum cauſæ finalis. 52.

Articulus VII.

De ceſſatione privilegii per mortem privilegiantis. 54.

Articulus VIII.

De ceſſatione privilegii per rennnciationem expreſſam, vel tacitam. 55.

Articulus IX.

De ceſſatione privilegii per revocationem. 56.

Articulus X.

De revocatione privilegiorum per Concilium Tridentinum. 58.

Articulus XI.

De revocatione privilegiorum vivæ vocis oraculo conceſſorum. 60.

Articulus XII.

De revocatione Indulgentiarum. 61.

TRACTATUS II.

De Actibus Moralibus in communi, & in ſpecie de inhoneſtis, ſeu peccatis.

DISPUTATIO I.

De Actibus Moralibus in Genere.

Articulus I.

Quid, & quotuplex ſit voluntarium. 63.

Articulus II.

De cauſis imminuentibus voluntarium, vel efficientibus involuntarium ſecundùm quid. 64.

§.1. An ira, vel concupiſcentia cauſet involuntarium ſecundùm quid. ibid.

§.2. An metus cauſet involuntarium ſecundùm quid. 65.

§.3. An ignorantia cauſet involuntarium ſecundùm quid, non excuſabile à culpa, & pœna. 66.

DISPUTATIO II.

De Actibus Moralibus inhoneſtis, ſive de peccatis.

Articulus I.

Definitio, & diviſio peccati. 67.

Articulus II.

Unde deſumatur Levitas Malitiæ in peccato veniali. 67.

Articulus III.

Unde deſumatur gravitas malitiæ in peccato mortali. 70.

Articulus IV.

Quænam peccata realiter, aut virtualiter diſtinguantur ſpecie. 72.

Articulus V.

Quænam peccata diſtinguantur numero. 75.

§.1. An idem actus poſſit moraliter continere malitias ſolo numero diverſas. ibid.

§.2. An & quando plures actus peccaminoſi realiter diſtincti poſſint moraliter continere ſolummodò unam malitiam integralem. 78.

TRACTATUS III.

Diſputatio unica. De tribus Virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate.

Articulus I.

De Fide. 81.

§.1. De eſſentia Fidei. ibid.

§.2. An & quomodo poſſit intellectus elicere aſſenſum Fidei firmiſſimum, propter motiva credibilitatis, metaphyſicè inevidentia. ibid.

§.3. Motivum aſſenſus firmiſſimi contra ab Innocentio XI. prohibitas propoſitiones magis declaratur. 83.

§.4. De neceſſitate Fidei. 87.

Articulus II.

De Spe. 90.

§.1. De Natura, & Eſſentia Spei. ibid.

§.2. De objecto materiali, & formali ſpei. ibid.

§.3. De vitiis oppoſitis ſpei. 93.

Articulus III.

De Charitate erga Deum. ibid.

Articulus IV.

De Charitate proximi propter Deum. 96.

Articulus V.

De Actibus oppoſitis Charitati proximi, odio, & invidia. 97.

Articulus VI.

De effectu ſive actibus externis charitatis erga proximum. 99.

§.1. De ſublevatione indigentiæ corporalis, & ſpecialiter eleemoſyna. ibid.

§.2. De ſublevatione indigentiæ ſpiritualis ſpecialiter de correctione fraterna. 101.

§.3. De ſcandalo oppoſito charitati proximi. 102.

TRACTATUS IV.

De Actibus Moralibus virtutum Cardinalium, præcipuè verò Iuſtitiæ.

DIS-

DISPUTATIO I.

De Prudentia, Fortitudine, & Temperantia.

Articulus I.

De Prudentia. 104.

Articulus II.

De Fortitudine. 105.
§. 1. Quid ſit Fortitudo. ibid.
§. 2. De Martyrio. 106.
§. 3. An ſine fortitudinis offenſa liceat aliquando ex metu gravis mali imminentis actionem præceptam omittere, vel prohibitam ponere. 108.

Articulus III.

De Temperantia. ibid.
§. 1. De Temperantia cibi, ſeu de abſtinentia, & jejunio. 110.
§. 2. De Temperantia potus, ſeu de ſobrietate. 112.
§. 3. De Temperantia voluptatis Venereæ, ſeu de Caſtitate. 113.
§. 4. De eadem Temperantia voluptatis venereæ quoad actus internos. 116.

DISPUTATIO II.

De Iuſtitia, & Iure per illam unicuique tribuendo.

QUÆSTIO I.

De Juſtitia in genere, ac in ſpecie. 117.

Articulus I.

Quid ſit juſtitia commutativa, & quomodo differat à diſtributiva. 118.

Articulus II.

Quid ſit juſtitia diſtributiva, & quomodo à commutativa differat, ampliùs declaratur. ibid.

Articulus III.

De obligationibus juſtitiæ commutativæ, & diſtributivę annexis circa diſtributionem bonorum communitatis. 120.
§. 1. De diſtributione bonorum communitatis civilis. ib.
§. 2. De diſtributione bonorum communitatis Eccleſiaſticæ. 122.

Articulus IV.

Quid ſit juſtitia legalis, & quomodo differat à cæteris juſtitiæ, ac aliarum virtutum ſpeciebus. 125.

Articulus V.

Quid ſit juſtitia vindicativa, & quomodo differat à juſtitia propriè dicta. 126.

Articulus VI.

De obligationibus juſtitiæ vindicativæ annexis in judiciis criminalibus. 127.
§. 1. De Judicis obligationibus. ibid.
§. 2. De Accuſatoris, & teſtium obligationibus. 129.
§. 3. De Rei, & Advocati obligationibus. 131.

QUÆSTIO II.

De Jure, & Dominio proprietatis. 134.

Articulus I.

De Jure proprietatis. ibid.
§. 1. Quid, & quotuplex ſit jus proprietatis. ibid.
§. 2. Quomodo jus proprietatis fundet æqualitatem, ac medium rei. 136.

Articulus II.

Quid ſit Dominium proprietatis perfectum. 137.

Articulus III.

Solvitur alia difficultas contra definitionem dominii perfecti, & demonſtratur implicare dominium duorum in ſolidum circa eandem rem. 138.

Articulus IV.

De dominio imperfecto uſusfructus. 139.

Articulus V.

De uſu juris nudo, & an poſſit conſiſtere cum licita conſumptione rerum. 140.

Articulus VI.

De aliis dominiis imperfectis, habitatione, ſervitute, & poſſeſſione. 141.

QUÆSTIO III.

De ſubjecto dominii. 143.

Articulus I.

Qualium rerum jus, ac dominium in homine ſubjectari poſſit. ibid.

Articulus II.

Qualium bonorum temporalium jus, ac dominium conveniat filiofamilias. 144.
§. 1. Quis ſit filiusfamilias, ac quomodo acquiratur in illum patria poteſtas per nativitatem, legitimationem, & adoptionem? ibid.
§. 2. Qui ſint effectus patriæ poteſtatis. 146.
§. 3. Quibus modis jus patriæ poteſtatis ſolvatur. 147.
§. 4. Reſolvitur quæſtio, quale dominium conveniat filiofamilias? 148.

Articulus III.

Quale dominium conveniat ſervo. 149.

Articulus IV.

Quale dominium conveniat uxori. 150.
§. 1. Quid, quotuplex, & cujus ſit dos. ibid.
§. 2. Qui teneantur dotem conſtituere. ibid.
§. 3. Aliquot circa dotem quæſita reſolvuntur. 152.
§. 4. Reſolvitur quæſtio in titulo capitis propoſita circa dominium uxoris. 153.

Articulus V.

Quale dominium conveniat Clericis ſæcularibus. 154.
§. 1. An Clerici ſint Domini redditiuum ſuperfluorum. ibid.
§. 2. An Clerici redditus beneficiorum ſuperfluos licitè ad finem profanum expendere valeant. 155.
§. 3. Aliqua in præcedenti concluſione circa obligationem beneficiatorum indicata ſeorſim declarantur. 157.

Articulus VI.

Quale dominium conveniat Religioſis. 158.
§. 1. An in communi, vel particulari habeant dominium. ibid.
§. 2. Quomodo Religioſi particulares carentes dominio rerum temporalium circa illas diſponere poſſint, ſalva Juſtitia, & Religioſa paupertate. 160.
§. 3. Quando graviter peccent Religioſi diſponendo de rebus temporalibus. 162.
§. 4. Quædam Corollaria ex dictis deducuntur. 164.

QUÆSTIO IV.

De variis modis acquirendi dominium proprietatis. 166.

Articulus I.

De modo acquirendi Dominium animalium per venationem, aucupium, & piſcationem. ibid.

Articulus II.

De modo acquirendi Dominium lignorum, & paſcuorum. ibid.

Articulus III.

De modo acquirendi bona derelicta, vel theſaurum inventum. 167.

Articulus IV.

De modo acquirendi bona vacantia, & incerta. 168.

Articulus V.

De aliis acquirendi Dominium modis. 169.

QUÆSTIO V.

De celeberrimo jus, ac dominium acquirendi modo per præſcriptionem. 170.

Articulus I.

Quid ſit præſcriptio, & circa quas res dari poſſit. ibid.

Articulus II.

Qualis titulus ad præſcriptionem ſit neceſſarius. 171.

Articulus III.

Qua ratione bona fides ſit neceſſaria ad præſcriptionem. 173.

Articulus IV.

Qualis, & quam continua poſſeſſio requiratur ad præſcriptionem. 175.

Articulus V.

Declaratur tempus continuandæ præſcriptionis. 177.

QUÆSTIO VI.

De modo acquirendi Jus, ac dominium per contractum. 179.

Articulus I.

De Definitione, & diviſione contractus. ibid.

Articulus II.

Quæ perſonæ contrahere poſſint, quæ non. 180.

Articulus III.

An metus obſtet valori contractus. 181.

Articulus IV.

An dolus, vel error obſtent valori contractus. 182.

Articulus V.

An, & qui contractus poſſint juramento firmari. 184.

Articulus VI.

De obligatione contractus. 185.

QUÆSTIO VII.

De modo acquirendi jus, ac dominium per contractum gratuitum. 187.

Articulus I.

De Promiſſione. ibid.

Articulus II.

De Donatione. 189.
§. 1. Quid, & quotuplex ſit donatio. ibid.
§. 2. A quo poſſit fieri donatio. 190.
§. 3. Quanti pretii donatio fieri poſſit. 191.

Articulus III.

De Commodato, Precario, Depoſito. ibid.

QUÆSTIO VIII.

De modo acquirendi jus, ac dominium per contractum oneroſum. 193.

Articulus I.

De emptione, & venditione. ibid.
§. 1. De actu emptionis, & venditionis. ibid.
§. 2. De pretio juſto. 194.
§. 3. De merce. 196.
§. 4. De reſcindenda venditione. 198.

Articulus II.

De retractu gentilitio. 201.

Articulus III.

De Mutuo, & Uſura. 202.
§. 1. De Mutuo. ibid.
§. 2. De Uſura. 203.

Articulus IV.

De Cenſibus. 205.

Articulus V.

De Cambio. 206.

Articulus VI.

De Societate. 207.

Articulus VII.

De Locatione, & Conductione. 208.

Articulus VIII.

De Emphyteuſi, & Feudo. 209.

QUÆSTIO IX.

De modo acquirendi jus, ac dominium per ſucceſſionem ex teſtamento, & ab inteſtato. 210.

Articulus I.

Quid ſit teſtamentum, & quomodo differat ab aliis ultimis voluntatibus. ibid.

Articulus II.

Quæ conditionum ſolemnitas, & quo modo requiratur ad reddendum teſtamentum, aut codicillum validum. 211.

Articulus III.

Quibus modis teſtamentum validum rurſus invalidum reddatur. 214.

Articulus IV.

Qui teſtamenta facere poſſint, vel non. 216.

Articulus V.

Quinam ex teſtamento, vel ab inteſtato ſuccedere poſſint, aut debeant. 217.

Articulus VI.

Quo ordine hæredes ab inteſtato ſuccedant defuncto. 220.

Arti-

Articulus VII.

De Exhæredatione. 222.

Articulus VIII.

De Aditione hæreditatis. 223.

Articulus IX.

De Tranſmiſſione, & Renunciatione hæreditatis. 224.

Articulus X.

De Executoribus Teſtamentorum. 225.

DISPUTATIO III.

De Iuſtitia, & Iure læſo reſtituendo.

QUÆSTIO I.

De Reſtitutione in Genere. 227.

Articulus I.

Quid ſit Reſtitutio, & quanta, ac unde oriatur ejus neceſſitas. ibid.

Articulus II.

An culpa ſolùm juridica ſufficiat extra contractum ad imponendam obligationem reſtitutionis. 228.

Articulus III.

An culpa venialis ſufficiat extra contractum ad imponendam obligationem reſtituendi. 229.

Articulus IV.

An culpa mortalis ſufficiat ad imponendam obligationem reſtituendi ſummam graviorem, quàm ab injuſto læſore æſtimatur damnum. 230.

Articulus V.

Qualis culpa requiratur, ut ſit obligatio reſtituendi ex vero contractu, vel quaſi contractu. 232.

Articulus VI.

An culpa, obligans titulo injuſtæ acceptionis ad reſtitutionem, committi poſſit per damnificationem volenti illatam. ibid.

Articulus VII.

Qualis detur obligatio titulo rei acceptæ abſque delicto reſtituendi rem quoad ejus ſubſtantiam. 233.

Articulus VIII.

Qualis ſit obligatio reſtituendi fructus rei alienæ, titulo rei acceptæ, vel injuſtæ acceptionis. 234.

QUÆSTIO II.

De Reſtitutione in ſpecie pro injuriis in bonis animi, & corporis. 236.

Articulus I.

Ad quid obligetur inferens injuriam in bonis animi. ibid.

Articulus II.

Ad quid obligetur inferens injuriam in bonis corporis. 237.

§. 1. An aliquando damnum corporis in vita, vel membris poſſit inferri licitè. ibid.
§. 2. Qualis oriatur obligatio reſtitutionis ex homicidio, vel mutilatione. 239.
§. 3. An in certis caſibus prædicta obligatio reſtitutionis ceſſet. 241.
§. 4. Quando, & qualis oriatur obligatio reſtitutionis ex ſtupro, & adulterio. 242.

QUÆSTIO III.

De reſtitutione pro injuriis famæ, & honoris. 244.

Articulus I.

De Famæ, & Honoris externa læſione per detractionem, & contumeliam. ibid.
§. 1. An & quando gravis injuria per famæ detractionem inferatur. ibid.
§. 2. Qualis detur obligatio reſtituendi famam. 245.
§. 3. Quale peccatum, & qualis obligatio per contumeliam contrahatur. 246.

Articulus II.

De Honoris interna læſione per judicium, aut ſuſpicionem temerariam, & de reſtitutione ejus. 247.

QUÆSTIO IV.

De reſtitutione pro injuriis in bonis fortunæ. 248.

Articulus I.

Quid, & Quotuplex ſit furtum, ac rapina. ibid.

Articulus II.

Quando furtum ſit peccatum mortale ratione materiæ gravis. 249.
§. 1. Refertur prima ſententia. 250.
§. 2. Refertur ſecunda ſententia, & noſtrum de utraque judicium. 252.
§. 3. Ex dictis pro praxi quædam Corollaria inferuntur. 254.

Articulus III.

Quantum ſit reſtituendum, quando res tempore furti, & tempore reſtitutionis eſt inæqualis valoris. 255.

Articulus IV.

An læſus ſibi ipſi occultam reſtitutionem facere poſſit. 257.

QUÆSTIO V.

De circumſtantiis reſtitutionis. 258.

Articulus I.

Quis ordo inter debitores tenendus in præſtanda reſtitutione. ibid.

Articulus II.

Quis ordo tenendus inter creditores in accipienda reſtitutione. 260.
§. 1. Ordo inter creditorem certum, & incertum. ibid.
§. 2. Ordo inter creditorem hypothecarium, & non hypothecarium. 261.
§. 3. Ordo inter creditores hypothecarios, vel omninò non, vel non utrinque privilegiatos. ibid.
§. 4. Ordo inter creditores utrinque privilegiatos. 262.
§. 5. Ordo inter creditores non hypothecarios, ſed tamen privilegiatos. 263.
§. 6. Ordo inter creditores, nec hypothecarios, nec privilegiatos. ibid.
§. 7. Obligatio debitoris, quando nullus ſtatutus eſt ordo. 264.

Articulus III.

Quo loco reſtitutio facienda ſit, & cujus expenſis res ad creditorem deferatur. 265.

Articulus IV.

Quo tempore Reſtitutio facienda ſit. 267.

QUÆSTIO VI.

De Cauſis excuſantibus à Reſtitutione, vel quoad tempus, vel in perpetuum. 268.

Articulus I.

An impotens reſtituere in uno bonorum genere teneatur in alio. ibid.

Articulus II.

De prima Cauſa excuſante, quæ eſt impotentia reſtituendi. ibid.

§. 1. An in extrema vitæ, & membrorum, vel etiam in quaſi extrema, (eorum ſcilicet bonorum, quæ ut explicat Lugo diſp. 16. n. 154. hominibus communiter à natura ſunt congenita, uti eſt libertas à gravi, & diuturno morbo, dura ſervitute, aut captivitate, ingenti infamia) debitor teneatur reſtituere creditori æqualem neceſſitatem patienti. ibid.

§. 2. An propter neceſſitatem gravem, ſed minorem extrema, vel quaſi extrema, v. g. propter neceſſitatem decidendi à ſtatu, vivendi miſerè, mendicandi, exercendi opificium, vel aliam artem, aut laborem, priori ſtatus conditioni indecentem, liceat debitori differre, vel perpetuò durante ea neceſſitate omninò omittere reſtitutionem. 269.

§. 3. An propter grave damnum in bonis temporalibus ejuſdem ordinis, quod præter reſtituendam quantitatem debiti ſubeundum foret, debitor licitè differat reſtitutionem ad tempus, vel in perpetuum durante eadem cauſa, v. g. An excuſetur debitor, ſi pro tranſmittendo debito longè plus impendere deberet, quàm eſſet valor ipſius debiti, vel ſi ad comparandas pecunias creditori ſolvendas rem ſuam leviſſimo pretio vendere cogeretur, quam poſt aliquod tempus longè cariori ſe venditurum ſperaret. 270.

§. 4. An debitor bona inferioris Ordinis reſtituere teneatur cum ſuo, vel ſuorum periculo, aut damno in bonis altioris Ordinis. 271.

§. 5. Utrùm licitè differatur reſtitutio, quando creditori probabiliter creditur nocitura, quia v. g. abuteretur re ſua ad peccandum. ibid.

§. 6. An ad impediendum injuſtum damnum tertii permiſſa ſit dilatio reſtituendi rem debitam, v. g. gladium volenti occidere, aut vulnerare ſuum inimicum. 272.

§. 7. An quando tranſacto juſtæ dilationis tempore reſtituitur debitum, ſimul etiam reſtitui debeat æſtimatio lucri ceſſantis, & damni emergentis illi moræ correſpondens. ibid.

Articulus III.

De ſecunda cauſa excuſante, nempè de ceſſione bonorum, 273.

Articulus IV.

De tertia cauſa excuſante, nempè de Ingreſſu Religionis. 274.

Articulus V.

An excommunicatio creditoris ſit cauſa excuſans à reſtitutione. 276.

QUÆSTIO VII.

De cauſis tollentibus obligationem reſtitutionis. ibid.

Articulus I.

De Tranſactione. ibid.

Articulus II.

De Novatione, & Delegatione. 277.

Articulus III.

De Compenſatione. ibid.

Articulus IV.

De Remiſſione facta à Creditore, vel à Prælato, vel à Summo Pontifice. 278.

Articulus V.

De aliis Cauſis tollentibus obligationem reſtitutionis. 279.

TRACTATUS V.

De Religione.

DISPUTATIO I.

De Cultu DEI immediato, per Religionem Orationis, Iuramenti, & Voti.

QUÆSTIO I.

De cultu Religionis DEO per Orationem à Perſonis Eccleſiaſticis, & Religioſis exhibendo. 281.

Articulus I.

Quæ Perſonæ obligentur ad Horas Canonicas perſolvendas. ibid.

Articulus II.

Quale Officium teneantur omnes prædicti recitare. 282.

Articulus III.

Quomodo ab obligatis recitandæ ſint Horæ Canonicæ? 285.

§. 1. Quid requiratur ad *ſtudioſè* celebrandum Officium Divinum. ibid.

§. 2. Quid requiratur ad devotè celebrandum Officium Divinum. 287.

§. 3. Qualis attentio requiratur ad devotè celebrandum Officium Divinum. Variæ de hoc ſententiæ in unam revocantur. 288.

§. 4. An cum attentione ad ſubſtantiam orationis requiſita poſſit ſtare frequens voluntaria diſtractio, examinatur & conciliatur mens Authorum. ibid.

§. 5. Noſtra de attentione ad ſubſtantiam Orationis requiſita ſtatuitur, & firmatur ſententia. 290.

§. 6. Solvuntur Objectiones. 291.

Articulus IV.

Quo loco, ſitu, & tempore Horæ Canonicæ ſint dicendæ? 292.

Articulus V.

Quanta ſit obligatio dicendi Horas Canonicas? ibid.

Articulus VI.

Quæ Cauſæ à dicendis Horis excuſent. 293.

Articulus VII.

Quæ Pœna temporalis omiſſione horarum incurratur? 295.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De Cultu Religionis, qui DEO exhibetur per Juramentum. 296.

Articulus I.

Definitio, & Diviſio Juramenti. ibid.

Articulus II.

De honeſtate, vel inhoneſtate Juramenti. 297.

Articulus III.

De Inhoneſtate Juramenti Ficti, ejuſque obligatione. 298.

Articulus IV.

De Obligatione Juramenti promiſſorii. 299.
§. 1. Circa quam materiam verſetur obligatio Juramenti promiſſorii. ibid.
§. 2. Quæ conditiones in Promiſſorio Juramento tacitè ſubintelligantur, obligationem impedientes? 301.

Articulus V.

Quot modis juramenti obligatio tolli poſſit? 302.

QUÆSTIO III.

De Cultu Religionis, qui DEO exhibetur per Votum. 303.

Articulus I.

Definitio Voti. ibid.
§. 1. An ad Rationem Voti requiratur voluntas ſe obligandi? ibid.
§. 2. An voluntas ſe obligandi debeat eſſe plenè deliberata. 304.
§. 3. An voluntas ſe obligandi debeat eſſe libera à metu? ibid.
§. 4. An voluntas ſe obligandi debeat eſſe libera ab errore? 305.
§. 5. An voluntas ſe obligandi, mediatè & radicaliter libera, ſufficiat ad votum. 306.
§. 6. An Votum ſoli DEO fiat? 307.
§. 7. Quomodo Voluntas ſe obligandi debeat eſſe de meliori bono? ibid.

Articulus II.

Diviſio Voti. 308.

Articulus III.

De Obligatione Voti. 309.
§. 1. Quanta ſit obligatio Voti. ibid.
§. 2. Qualis ſit Obligatio Voti abſoluti. 310.
§. 3. Qualis ſit Obligatio Voti conditionati, 311.
§. 4. Qualis ſit Obligatio Voti pœnalis. 313.

Articulus IV.

De Votorum Irritatione. 314.
§. 1. An, & à quibus vota irritari poſſint. ibid.
§. 2. Quænam Vota irritari poſſint. 316.

Articulus V.

De Diſpenſatione Voti. 318.

Articulus VI.

De Commutatione Voti. 320.

DISPUTATIO II.

De Religionis erga Deum Cultu Mediato in Sanctis, & Perſonis Eccleſiaſticis ac Locis Sacris.

QUÆSTIO I.

De Cultu DEI in Sanctis per celebrationem Feſtorum. 321.

Articulus I.

De obligatione audiendi Miſſam die Feſto. ibid.
§. 1. Quæ ſit materia hujus præcepti. ibid.
§. 2. Quanta ſit obligatio præcepti Mandantis auditionem miſſæ, & quomodo illi ſatisfiat? 322.
§. 3. Quæ cauſæ excuſent ab obligatione audiendi miſſam? 324.

Articulus II.

De actionibus prohibitis die feſto. 325.
§. 1. De Actione Servili. ibid.
§. 2. De Actione mercatus, & Placiti. 326.

QUÆSTIO II.

De Cultu Religionis Deo in Perſonis Eccleſiaſticis, per Collationem & Inſtitutionem beneficiorum exhibendo. 327.

Articulus I.

Definitio Eccleſiaſtici Beneficii. ibid.

Articulus II.

Diviſio Eccleſiaſtici Beneficii. 328.

Articulus III.

A quo, & quo Jure Beneficium Eccleſiaſticum conferri poſſit. 329.
§. 1. De Poteſtate conferendi Beneficium competente ſupremo Pontifici Jure Præventionis & Jure Concurſus. ibid.
§. 2. De Poteſtate Summi Pont. Jure Reſervationis. ib.
§. 3. De Poteſtate Summi Pontificis Jure Devolutionis. 330.
§. 4. De Poteſtate aliorum Pontifice Supremo Inferiorum. ibid.

Articulus IV.

Cui Beneficium Eccleſiaſticum poſſit conferri. 331.

Articulus V.

Quomodo Beneficium Eccleſiaſticum conferri poſſit. 332.

Articulus VI.

Sub quo Onere & obligatione Beneficia Eccleſiaſtica conferantur. 334.

Articulus VII.

Cum quo commodo ſeu fructu Beneficia Eccleſiaſtica conferantur. 335.

Articulus VIII.

Quibus modis Beneficia amittantur & vacent. 336.

QUÆSTIO III.

De Cultu Religionis erga Deum præſtando Decimas & Oblationes Perſonis Eccleſiaſticis. 337.

Articulus I.

Deſcriptio & Diviſio Decimarum. ibid.

Articulus II.

Quo Jure & ex qua obligatione Decimæ debeantur. 338.

Articulus III.

Qui teneantur decimas dare. 341.

Articulus IV.

Quibus debeant decimæ dari & qualis modus in iis tenendus. 342.

Articulus V.

An præter Decimas etiam debeantur primitiæ & oblationes. 343.

QUÆSTIO IV.

De Cultu mediato Religionis, qui Deo exhibetur per Reverentiam loci Sacri ex immunitate Aſyli Eccleſiaſtici. 344.

Articulus I.

Quid ſit immunitas Aſyli Eccleſiaſtici: & quibus Locis debeatur. ibid.

Articulus II.

Qui homines frui poſſint Privilegio immunitatis Eccleſiaſticæ localis? 345.

Arti-

Articulus III.

In ordine ad quas cauſas tum Civiles, tum Criminales Immunitas Eccleſiaſtica Localis ſit conceſſa, & quæ ab hoc privilegio excipiantur? 346.

Articulus IV.

Quomodo cum confugientibus ad locum Sacrum ſit procedendum, tam in caſibus privilegiatis, quàm non privilegiatis. 347.

QUÆSTIO V.

De cultu Religionis mediato, qui Deo exhibetur per Reverentiam Perſonæ ſacræ ex Immunitate Eccleſiaſtica. ibid.

Articulus I.

De Immunitate Eccleſiaſtica Perſonali per privilegium Canonis. ibid.

Articulus II.

De Immunitate Eccleſiaſtica Perſonali per Privilegium Fori. 348.

§. 1. Quo Jure ejuſmodi exemptio, Eccleſiaſtica libertas, ſeu Immunitas dicta, introducta ſit? ibid.

§. 2. Quinam privilegio Fori gaudeant. 349.

§. 3. Quomodo Clerici privilegio Fori gaudeant. ibid.

§. 4. An, & qui Clerici à Gabellis, & Tributis ſolvendis & à Legibus Civilibus exempti ſint? ibid.

§. 5. Utrum Eccleſiaſtica Immunitas per contrariam conſuetudinem tolli, aut imminui poſſit? 350.

DISPUTATIO III.

De Vitiis oppoſitis Religioni,

Articulus I.

De Vitiis Religioni oppoſitis per Exceſſum ſuperſtitioſum, Falſi, aut Vani Cultus, Divinationis, Idololatriæ, Magiæ &c. ibid.

Articulus II.

De Vitiis Religioni oppoſitis per defectum ſcilicet Tentatione Dei, Blaſphemia, Sacrilegio. 352.

§. 1. De Tentatione Dei. ibid.

§. 2. De Blaſphemia. 353.

§. 3. De Sacrilegio. 355.

§. 4. De Simonia. 356.

§. 5. De Pœnis Simoniæ. 358.

TRACTATUS VI.

De Sacramentis in Genere, & in Specie.

DISPUTATIO I.

De Sacramentis in Genere.

Articulus I.

Quid ſecundùm Conceptum Metaphyſicum ſit Sacramentum Novæ Legis. 357.

Articulus II.

Quid Sacramentum Novæ Legis ſit ſecundùm conceptum ſuum Phyſicum. 358.

§. 1. De Materia & Forma Sacramenti. ibid.

§. 2. De Immutabilitate Materiæ & Formæ. ibid.

Articulus III.

Quid ſit Sacramentum, ſpectatum ut totum morale. 364.

§. 1. An & qualis intentio Miniſtri ad Sacramentum requiratur. ibid.

§. 2. An, & qualis Intentio in ſuſcipiente ad valorem Sacramenti requiratur. 365.

§. 3. An, & qualis perſona Miniſtri, & ſuſcipientis ad Sacramentum requiratur. 366.

Articulus IV.

De Efficacia Sacramentorum Novæ Legis ad cauſandam gratiam ſanctificantem. 367.

§. 1. An Sacramenta Novæ Legis cauſent gratiam ex opere operato. ibid.

§. 2. An eadem Sacramenta in diverſis ſuſcipientibus cauſent gratiam æqualem, & diverſa Sacramenta inæqualem, atque etiam diſſimilem. 368.

Articulus V.

An aliqua diſpoſitio in Adminiſtrante Sacramenta ad cauſandam Gratiam requiratur. 369.

§. 1. An in Miniſtro requiratur ſtatus Gratiæ. ibid.

§. 2. An ſtatus Gratiæ requiratur in Adminiſtratione Baptiſmi in ſolemnis. 370.

§. 3. An ſtatus gratiæ requiratur ad impertiendam Euchariſtiam. 371.

§. 4. An ſtatus Gratiæ requiratur ad alias functiones ſacri Ordinis. ibid.

Articulus VI.

An, & qualis diſpoſitio in ſuſcipiente Sacramenta requiratur ad accipiendam gratiam. 372.

Articulus VII.

De Efficacia Sacramentorum ad cauſandum characterem ſpiritualem. 374.

DISPUTATIO II.

De Sacramento Baptiſmi.

Articulus I.

De Definitione & Inſtitutione Baptiſmi. 375.

Articulus II.

De Neceſſitate Baptiſmi. ibid.

Articulus III.

De Materia Baptiſmi. 377.

Articulus IV.

De Forma Baptiſmi. 378.

Articulus V.

De Miniſtro Baptiſmi. 379.

Articulus VI.

De Cæremoniis in Baptiſmo adhibendis. 380.

Articulus VII.

De ſpeciali effectu Baptiſmi. 382.

DISPUTATIO III.

De Sacramento Confirmationis.

Articulus I.

De Materia Sacramenti Confirmationis. 382.

Articulus II.

De Forma Confirmationis. 384.

Articulus III.

De Miniſtro, Patrino, & ſuſcipiente Confirmationem, ejuſque neceſſitate. 385.

DISPUTATIO IV.

De SS. Euchariſtiæ Sacramento.

Articulus I.

De eſſentia & Integritate hujus Sacramenti. 387.

§. 1. De Conceptu Eſſentiali Euchariſtiæ. ibid.

§. 2. De Conceptu integrali Euchariſtiæ, & virtutis illius ad cauſandam gratiam nutrimentalem animæ. 388.

Arti-

Articulus II.

De Materia proxima, & remota SS. Euchariſtiæ. 391.

§. 1. De Pane, ut eſt Materia remota Euchariſtiæ. 392.

§. 2. De Vino, ut eſt Materia remota Euchariſtiæ. 393.

Articulus III.

De Forma Euchariſtiæ. 395.

§. 1. In quibus Verbis conſiſtat Eſſentia Conſecrationis. ibid.

§. 2. Quid per Demonſtrativa *Hoc*, *Hic*, in utraque forma Conſecrationis deſignetur. 396.

§. 3. Quid requiratur ad Verificationem Signorum Demonſtrativorum *Hoc*, *Hic*. ibid.

§. 4. An in Conſecratione Calicis omnia verba ſint eſſentialia. 397.

§. 5. Quis ſit ſenſus verborum, conſecrationi Calicis annexorum. 398.

§. 6. Quomodo Forma conſecrationis ſit proferenda. 399.

§. 7. An Verba Conſecrationis proferantur recitativè vel enunciativè. ibid.

Articulus IV.

De effectu formæ prædictæ, ſeu de Converſione panis & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti. 400.

§. 1. De Converſionis termino *à quo*. ibid.

§. 2. De Converſionis termino *ad quem*. ibid.

§. 3. De Accidentibus tanquam medio communi utrique termino Converſionis. 402.

Articulus V.

De ſuſcipiente SS. Euchariſtiam. ibid.

§. 1. Quinam ſint capaces Euchariſtiæ. ibid.

§. 2. Quoties Fideles ſint capaces, ſumendi more Laico Euchariſtiam. 404.

§. 3. Quænam in ſuſcipiente Euchariſtiam requiratur diſpoſitio ex parte Animæ. 405.

§. 4. Quænam in ſuſcipiente Euchariſtiam requiratur diſpoſitio ex parte corporis, & maximè de obligatione jejunii naturalis. 406.

§. 5. De Cauſis excuſantibus ab obligatione jejunii naturalis. 408.

Articulus VI.

De obligatione ſumendi SS. Euchariſtiam. 409.

§. 1. De obligatione in Articulo mortis. ibid.

§. 2. De obligatione ſumendi Euchariſtiam tempore Paſchali. 410.

§. 3. Præceptum communionis Paſchalis aliquot quæſtionum reſolutione declaratur. 411.

DISPUTATIO V.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacrificio.

Articulus I.

Quis ſit Miniſter Sacrificii Euchariſtiæ. 413.

Articulus II.

Quid ſit Sacrificium Euchariſtiæ, eſſentialiter & integraliter ſumptum. 414.

§. 1. Quid ſit Sacrificium in genere, & quid in ſpecie Sacrificium Euchariſticum. ibid.

§. 2. In quali Actione conſiſtat adæquata Eſſentia Sacrificii Euchariſtici. 415.

Articulus III.

Ubi ſit offerendum Sacrificium. 416.

Articulus IV.

Quibus auxiliis, ſeu potiùs inſtrumentis, id eſt, quo aræ, vaſorum & veſtium apparatu opus ſit ad Sacrificium Miſſæ celebrandum. ibid.

Articulus V.

Cur, ſeu in ordine ad quem effectum, aut finem Sacrificium offerri poſſit. 418.

§. 1. De fructu, vel effectu intrinſeco Sacrificii Miſſæ. ibid.

§. 2. De fructu extrinſeco, id eſt ſtipendio, cur, ſeu propter quod Sacrificium Miſſæ pro alio offertur. 419.

Articulus VI.

Quomodo, ſeu quibus cæremoniis Sacrificium ſit offerendum. 421.

§. 1. De Cæremoniis in Miſſæ Sacrificio obſervandis. ibid.

§. 2. De defectibus in Cæremoniarum omiſſione ſupplendis. ibid.

§. 3. Qualis Miſſa, & qualiter ſine interruptione facienda ſit. 423.

Articulus VII.

Quando Sacrificium Miſſæ celebrari poſſit. ibid.

DISPUTATIO VI.

De Pœnitentiæ Sacramento.

QUÆSTIO I.

De Inſtitutione, Eſſentia, & Neceſſitate hujus Sacramenti. 425.

Articulus I.

An detur Sacramentum Pœnitentiæ. ibid.

Articulus II.

Ex quibus partibus conſtituatur Eſſentia & Valor Sacramenti Pœnitentiæ. 426.

§. 1. Quinam actus Pœnitentis, & Miniſtri ſpectent ad eſſentiam hujus Sacramenti. ibid.

§. 2. Solvuntur objectiones contra aſſignatas Partes Pœnitentiæ. 427.

§. 3. An & qualia peccata ſpectent ad complendam eſſentiam Sacramenti Pœnitentiæ. 428.

Articulus III.

Quæ ſit neceſſitas, ſeu obligatio Sacramenti Pœnitentiæ ſuſcipiendi. 429.

§. 1. De obligatione Sacramenti Pœnitentiæ, quoad Subſtantiam. ibid.

§. 2. De obligatione Sacramenti Pœnitentiæ, quoad Circumſtantiam temporis. 430.

QUÆSTIO II.

De Forma Sacramenti Pœnitentiæ. 432.

Articulus I.

In quibus Verbis conſiſtat eſſentia formæ. ibid.

Articulus II.

Quis ſit ſenſus verborum, quando Pœnitens abſolvitur à peccatis, ſive nunquam, ſive jam antecedenter remiſſis. 434.

§. 1. An peccata, jam remiſſa, iterum valeant remitti. ibid.

§. 2. An in ſecunda Remiſſione eorundem peccatorum Forma Abſolutionis verè & eodem modo verificetur ſicut in prima. 435.

QUÆSTIO III.

De Dolore & Propoſito, tanquam Materia Partiali Pœnitentiæ. 437.

Articulus I.

Utrum Dolor de peccato ex ſolo metu Pœnæ, & deſiderio Beatitudinis ſit honeſtus. ibid.

Articulus II.

Utrum Dolor abſque motivo perfectæ Charitatis ſit ſufficiens ad valorem Sacramenti. 439.

Articulus III.

Qualis dolor ſufficiat ad valorem Sacramenti. 440.

Arti-

Articulus IV.

An ſufficiat Dolor non procedens ex Intentione Sacramenti, vel non præcedens Confeſſionem. 442.

Articulus V.

An idem Dolor ſufficiat ad plures Sacramentales abſolutiones. 443.

Articulus VI.

An aliquis dolor ſufficiat ad valorem Sacramenti, qui non ſufficiat ad Fructum. 444.

§. 1. Status quæſtionis, & Autorum Sententiæ referuntur. ibid.

§. 2. Afferuntur Fundamenta Sententiæ Negantis. 445.

§. 3. Afferuntur, & admittuntur Fundamenta ſententiæ affirmantis. 446.

QUÆSTIO IV.

De Confeſſione, tanquam materia particulari Pœnitentiæ. 447.

Articulus I.

De Conditionibus ritè inſtituendæ Confeſſionis. ibid.

Articulus II.

De integritate materiali Confeſſionis. 449.

§. 1. An ad integritatem Confeſſionis pertineat effectus actus externi peccaminoſi. ibid.

§. 2. An ad integritatem Confeſſionis pertineant Circumſtantiæ ſolùm aggravantes peccatum. 451.

Articulus III.

Pro integritate materiali explicantur aliquæ Circumſtantiæ, de quibus quæritur, an pertineant ad integritatem Confeſſionis. 455.

§. 1. Circumſtantia Quis. ibid.

§. 2. Circumſtantia Quid. 457.

§. 3. Circumſtantia Ubi. 459.

§. 4. De Reliquis Circumſtantiis. 461.

Articulus IV.

An ad integritatem materialem pertineant peccata dubia. 462.

Articulus V.

An peccatum mortale expreſſum ut dubium, quod antecedenter vel conſequenter eſt certò cognitum ſpectet ad integritatem materialem alterius Confeſſionis. 464.

Articulus VI.

An integritati materiali Confeſſionis Generalis præjudicet, quòd aliqua peccata inferantur per Confeſſionem adhuc nunquam expiata, idque non ſignificetur. 465.

Articulus VII.

Quanta à pœnitente & Confeſſario adhibenda ſit diligentia ad procurandam integritatem materialem Confeſſionis. 466.

§. 1. Statuitur Fundamentum reſolvendæ quæſtionis. ibid.

§. 2. Ex poſito Fundamento deducitur, qualis ſit obligatio Pœnitentis pro Integritate Materiali Confeſſionis. ibid.

§. 3. Ex poſito Fundamento deducitur obligatio Confeſſarii ad procurandam integritatem materialem Confeſſionis. 467.

§. 4. Quid Confeſſario agendum cùm ſcienter reticente Peccatum. 468.

Articulus VIII.

De Integritate formali Confeſſionis. 469.

§. 1. De Integritate formali ſine materiali extra periculum mortis. ibid.

§. 2. De Integritate formali Confeſſionis in articulo mortis. 473.

Articulus IX.

Quando Confeſſio eorundem peccatorum mortalium ſit ex neceſſitate præcepti Divini repetenda, vel non repetenda. 476.

§. 1. An propter non impletam pœnitentiam prioris Confeſſionis, vel propter alicujus peccati inſufficientem perceptionem Confeſſio ſit repetenda. ibid.

§. 2. An propter Ignorantiam Confeſſarii Confeſſio ſit repetenda. 478.

§. 3. An propter oblivionem Confeſſarii Confeſſio ſit repetenda. 479.

QUÆSTIO V.

De Satisfactione tanquam materia partiali pœnitentiæ. 480.

Articulus I.

De Obligatione injungendi, acceptandi, & exequendi Satisfactionem. ibid.

§. 1. De obligatione Confeſſarii ad injungendam Satisfactionem. ibid.

§. 2. De obligatione Pœnitentis ad acceptandam & exequendam ſatisfactionem. 481.

Articulus II.

De Commutatione Satisfactionis. ibid.

Articulus III.

De effectu Satisfactionis. 483.

QUÆSTIO VI.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ, & de Conditionibus in Miniſtro requiſitis ad valorem Miniſterii. 485.

Articulus I.

De Approbatione Miniſtri. 486.

§. 1. De Neceſſitate Approbationis. ibid.

§. 2. Referuntur diverſæ ſententiæ, à quo approbatio Confeſſarii præſtanda ſit. ibid.

§. 3. Statuitur noſtra Sententia. 487.

Articulus II.

De Juriſdictione ad idoneum Miniſtrum neceſſaria. 489.

§. 1. De Juriſdictione in peccata Venialia & mortalia remiſſa. ibid.

§. 2. De Juriſdictione univerſali pro Articulo Mortis. Refertur hic ſententia illam affirmans. ibid.

§. 3. Refertur ſententia limitans Juriſdictionem univerſalem. 490.

§. 4. Eligitur & ampliùs confirmatur prima ſententia ſine limitatione prædicta. 492.

§. 5. An & quando moribundus licitè poſſit petere abſolutionem à quolibet Sacerdote præſente proprio Sacerdote. 493.

§. 6. De Juriſdictione extra articulum Mortis. 494.

Articulus III.

De Miniſtro idoneo ad abſolvendum à reſervatis. 495.

§. 1. Qualia peccata, & à quibus de facto reſerventur. ibid.

§. 2. Quomodo peccata reſervata dimittantur. 496.

§. 3. A quo peccata reſervata per Ordinarium vel Delegatam poteſtatem dimitti poſſint. 497.

§. 4. Aliæ circa peccata reſervata quæſtiones reſolvuntur. 499.

Articulus IV.

De Obligatione Miniſtri ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè adminiſtrandum. 502.

Articulus V.

De obligatione Sigilli Confeſſionis Sacramentalis. 503.

§. 1. Qualis & quanta ſit obligatio Sigilli Confeſſionis Sacramentalis. ibid.

§. 2. Quomodo ſalvandum ſigillum coram ipſo Pœnitente. 506.

§. 3. Quomodo extra Confeſſionem ſit illicitus uſus ſigilli Confeſſionis etiam in bonum ſpirituale ipſius Pœnitentis. 508.

§. 4. An

§. 4. An obligatio ſigilli ſolum Confeſſarium, & ad ſola peccata celanda obſtringat. 509.

DISPUTATIO VII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

Articulus I.

De Materia Extremæ Unctionis. 510.

Articulus II.

De Forma Extremæ Unctionis. 511.

Articulus III.

De Effectu, Miniſtro, ſuſcipiente, ac neceſſitate ſuſcipiendi Extremam Unctionem. 512.

DISPUTATIO VIII.

De Sacramento Ordinis.

Articulus I.

Quid, & quotuplex ſit Ordo. 514.

Articulus II.

Quæ ſit materia & forma prædictorum Ordinum. 515.

Articulus III.

De Miniſtro, & ſuſcipientibus Ordinem. 518.

DISPUTATIO IX.

De Sacramento Matrimonii.

QUÆSTIO I.

De Sponſalibus præcedentibus Matrimonium. 520.

Articulus I.

Quid ſint Sponſalia, & quales Conditiones ad eorum valorem requirantur. ibid.
§. 1. Quomodo Sponſalia ſint Promiſſio Voluntaria, ac libera non ſolùm à neceſſitate, ſed etiam à gravi metu injuſto. ibid.
§. 2. Quomodo Sponſalia ſint Promiſſio mutua, manifeſtata, & acceptata de futuro Matrimonio. 521.
§. 3. Quinam & quanam in ætate Sponſalia contrahere poſſint. 522.

Articulus II.

Quomodo obligent Sponſalia. ibid.

Articulus III.

Quomodo Sponſalia diſſolvantur. 524.

QUÆSTIO II.

De Contractu & Sacramento Matrimonii. 526.

Articulus I.

De Natura & Eſſentia Matrimonii. ibid.
§. 1. Quid & quotuplex ſit Matrimonium. ibid.
§. 2. Quando Matrimonium ſit Sacramentum. 527.

Articulus II.

Quæ ſit materia & forma Matrimonii. ibid.

Articulus III.

Qualis conſenſus ad Matrimonium requiratur. 528.
§. 1. Quomodo Conſenſus debeat eſſe mutuus & manifeſtus. ibid.
§. 2. Quomodo conſenſus debeat eſſe abſolutus, vel tranſiviſſe in abſolutum. 529.
§. 3. Quomodo conſenſus debeat eſſe liber ab Errore, & Metu. 530.

QUÆSTIO III.

De impedimentis reddentibus Matrimonium vel illicitum, vel invalidum. ibid.

Articulus I.

De impedimentis impedientibus Matrimonium quoad ejus licentiam. ibid.

Articulus II.

De Impedimentis dirimentibus Matrimonium quoad ejus Valorem. 532.
§. 1. De Impedimento Erroris, & Conditionis ſervilis & Voti. ibid.
§. 2. De Impedimento Cognationis. 533.
§. 3. De Impedimento Criminis. 534.
§. 4. De Impedimento cultus diſparis. 536.
§. 5. De Impedimento Coactionis. Et utrum ſub iſto contineatur coactio per pœnam Judicialem, per amiſſionem aut duplicatam reſtitutionem Arrhæ, vel per pœnam Conventionalem. ibid.
§. 6. De Impedimento duplicis Vinculi, ſcilicet Ordinis Sacri, & Matrimonii. 539.
§. 7. De Impedimento publicæ Honeſtatis. 540.
§. 8. De Impedimento Ætatis & Affinitatis. ibid.
§. 9. De Impedimento Clandeſtinitatis. 541.
§. 10. An dictum Impedimentum Clandeſtinitatis obſtet revalidationi Matrimonii, in præſentia Parochi irritè contracti. 542.
§. 11. De Impedimento Impotentiæ, & raptus. ibid.

QUÆSTIO IV.

De obligationibus & Juribus Matrimonii. 544.

Articulus I.

De Obligationibus & Juribus Matrimonii circa ejus Uſum. ibid.
§. 1. De debito ac licito uſu Matrimonii. ibid.
§. 2. De Circumſtantiis in Uſu Matrimonii obſervandis. 544.
§. 3. De Uſu Matrimonii non licito. 546.
§. 4. De Uſu Matrimonii non debito. 547.

Articulus II.

De Obligationibus & Juribus Matrimonii circa cohabitationem. 548.
§. 1. De Actionibus inter Conjuges debitis. ibid.
§. 2. De Divortio, ſive ſeparatione à Toro, & Cohabitatione. ibid.

QUÆSTIO V.

De Proprietatibus Matrimonii. 549.

Articulus I.

De Monogamia, ſive Unitate Matrimonii. ibid.

Articulus II.

De Indiſſolubilitate Matrimonii. 551.

TRACTATUS VII.

DISPUTATIO I.

De Cenſuris Eccleſiaſticis.

QUÆSTIO I.

De Cenſuris in Genere. 554.

Articulus I.

Quid ſit Cenſura, & quid ad illius eſſentiam requiratur. ib.
§. 1. Quæ ſit Definitio Cenſuræ, & à quo inferri poſſit. ibid.
§. 2. Quibus infligi poſſit Cenſura, & quorum Bonorum privationem inducat. 555.
§. 3. De Cauſa Morali & Finali Cenſuræ. ibid.

Articulus II.

Quotuplex ſit Cenſura. 556.

Arti-

Articulus III.

De Suſpenſione & Ablatione Cenſuræ, & quis eam, ac quo modo conferre poſſit. 557.

QUÆSTIO II.

De Cenſuris in Specie. 559.

Articulus I.

De Excommunicatione. ibid.
§. 1. Quid & quotuplex ſit Excommunicatio. ibid.
§. 2. Quibus Bonis privet Excommunicatio Minor: quo modo incurratur: & à quo remitti poſſit. ibid.
§. 3. Quibus Bonis privet Excommunicatio Major. 560.
§. 4. Quale ſit peccatum Communicatio excommunicati cum fidelibus, & fidelium cum Excommunicato non tolerato in actionibus prohibitis. 561.
§. 5. Quibus in caſibus licita ſit Communicatio cum Excommunicato vitando, & viciſſim. 563.
§. 6. Ob quæ delicta Excommunicatio major à Jure ſtatuta ſit. ibid.

Articulus II.

De Suſpenſione. 564.
§. 1. Quid ſit Suſpenſio. ibid.
§. 2. Quotuplex ſit Suſpenſio. 565.
§. 3. Quo peccato ſuſpenſio incurratur, & à quo remittatur. 566.

Articulus III.

De Interdicto. ibid.
§. 1. Quid & quotuplex ſit interdictum & quarum rerum Uſu privet. ibid.
§. 2. Quid Interdictum ferre, vel auferre poſſit, & ob quæ delicta. 568.

Articulus IV.

De Irregularitate. ibid.
§. 1. Quid ſit Irregularitas. ibid.
§. 2. Quotuplex ſit Irregularitas & quomodo relaxetur. 569.
§. 3. Quibus ex cauſis oriatur irregularitas. 570.

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per fede di reviſione, & approvatione del P. Fr. Raimondo Aſperti Inquiſitore nel Libro intitolato: *Theologia de Bono & Malo Morali R. P. Jacobi Illſung Soc. Jeſu*, non eſſervi cos'alcuna contro la ſanta Fede Cattolica, e parimenti per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Principi, e buoni coſtumi, concedemo licenza, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite copie alle publiche Librarie di Venetia, e di Padova.

Dat. 6. Decembre 1699.

{ Alviſe da Moſto Proc. Rifor.

{ Ferigo Marcello Proc. Rifor.

{

Agoſtino Gadaldini Segr.

TRA-

TRACTATUS I.

DE PRINCIPIIS DIRECTIVIS, TAM INTERNIS, QVAM EXTERNIS ACTUUM MORALIUM.

DISPUTATIO I.

De Dictamine Conſcientiæ, ut primo Principio Directivo intrinſeco.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex ſit dictamen Conſcientiæ.

SUMMARIUM.

1 *Definitio Conſcientiæ.*
2 *Diviſio Dictaminis Conſcientiæ in practicum, & Speculativum.*
3 *Quid ſit Dictamen practicè practicum, & quo modo hoc ſemper ſit certum, ac evidens.*
4 *Quomodo cum illo ſtare poſſit actus indeliberatus.*

1 Conſcientia, vel pro ipſa potentia intellectiva, vel pro ipſo actu elicito accipitur: unde idem actus dictamen conſcientiæ, ſive potentiæ intellectivæ, & Conſcientia appellatur, vel etiam Synderesis, quæ aliàs denotat habitum naturalem primorum principiorum practicorum, id eſt, generaliſſimorum, & evidentium. Definiri autem ſolet Conſcientia, quòd ſit *Actus intellectus, judicans aliquid eſſe licitum, aut illicitum*; honeſtum, aut inhoneſtum; ſequendum, aut fugiendum.

2 Dividitur in primis in dictamen ſpeculativum, & practicum, quorum poſteriùs iterum ſubdividitur in practicum remotè, & proximè, ſeu, ut loquuntur, practicè practicum. Speculativum eſt, quo in genere judicatur, aliquid eſſe faciendum, vel eſſe honeſtum. v. g. Die feſto audiendam eſſe Miſſam. Practicum eſt, quo in particulari idem judicatur, v. g. hoc die feſto, in his circumſtantiis, eſſe audiendam. Remotè practicum eſt judicium directum de honeſtate, vel inhoneſtate objecti in particulari ſecundùm ſe ſpectata, & ſecundùm ſua motiva formalia, intrinſeca, & extrinſeca, conſiſtentia in auctoritate Doctorum Virorum, ſive in cognitione aliena, quæ dicitur motivum extrinſecum, quia non ipſum objectum habet connexionem cum cognitione viri docti, ſed cognitio habet connexionem cum objecto tali modo repræſentato, moventem ad ſimilem aſſenſum. Quod judicium, ſicut & dictamen ſpeculativum ſubdividi poteſt, ac ſolet in Erroneum ac Verum; in dubium, probabile, & certum; in prudens, ac imprudens, aut ſcrupuloſum: de quibus in ſequentibus plura dicemus.

3 Dictamen proximè, ſeu practicè practicum eſt judicium reflexum, de honeſtate vel inhoneſtate objecti in particulari, ut cognita ab intellectu non alieno, ſed à proprio; dicimur enim nos reflectere non ſuper alienas cognitiones, ſed ſuper proprias: alienas verò dicimur directè cognoſcere, ut paulò antè dixi de dictamine remoto, fundato in auctoritate. Atque hoc ultimum judicium immediatè, & neceſſariò, omnem moralem actum voluntatis præcedens, ſemper eſt certum, & evidens: quia eſt actus virtutis intellectualis, nempè prudentiæ, quatenus virtus cognoſcitiva eſt; & quia actus voluntatis redditur honeſtus, aut inhoneſtus, ab objecto non ſecundùm ſe, ſed prout apparente intellectui honeſtum, aut inhoneſtum, ideòque neceſſe eſt, ut voluntas per judicium reflexum ante electionem edoceatur, quomodo objectum intellectui apparuerit, & ut actus voluntatis ſubſequens, vel ſit honeſtus, ſi conformetur dictamini rationis, vel inhoneſtus, ſi diſformetur. Tota hæc doctrina, & ſeries, ſive ordo Judiciorum præcedentium actum moralem voluntatis, ſive ſint realiter diſtincta, ſive indiſtincta, prædicto Exemplo de auditione Miſſæ declaratur. Ponamus aliquem die feſto deliberare, utrum ſit audienda Miſſa, vel aſſiſtendum infirmo, neglecta Miſſa: huic judicium ſpeculativum, ſeu generale dicit: honeſtum eſt, die feſto audire Miſſam; judicium practicum remotum addit, etiam hoc die feſto, quo proximus meus non graviter infirmatur, meaque opera per mediam horam carere poteſt, honeſtum eſt audire Miſſam. Denique judicium practicè practicum hoc diſcurſu determinat voluntatem ad eligendam auditionem Miſſæ. Quando omnibus conſideratis meo intellectui apparet, eſſe honeſtum audire Miſſam, honeſtè eligo ejus auditionem: ſed iſtud mihi honeſtum apparet, ergo honeſtè eligo Miſſæ auditionom. Undè etiamſi intellectus erraſſet in dictamine remoto, putans, proximum non graviter infirmari, cùm tamen graviter infirmetur, & alterius præſentia indigeat, adeòque viſa neceſſitate proximi alter obligatus fuiſſet ex charitate ei aſſiſtere, neglecta Miſſa; proximum tamen dictamen eſt certum, & evidens, ac electio, ſuppoſito errore judicii directi, ſeu remoti, eſt honeſta, quia conformatur dictamini rationis; cùm enim voluntas ſit potentia cæca, & non poſſit velle honeſtatem incognitam, ideò ipſa facit, quantum poteſt, adeòque honeſtè operatur, ſi eligat illam honeſtatem, quæ ab intellectu ipſi proponitur, ſive ille erret, ſive non: proïndè dictamen proximum in allato exemplo, quoad aſſumptam Majorem eſt veriſſimum, & Minor evidenti experientia conſtat; quia etiamſi intellectus non experiatur, auditionem Miſſæ eſſe in talibus circumſtantiis honeſtam, evidenter tamen experitur, quòd apparuerit ſibi, & viſa fuerit honeſta, quod in minore affirmatur.

Neque tamen ex evidentia dictaminis proximi ſequi- 4
tur tolli omnem indeliberationem actus, excuſantem ſæpè à gravitate peccati: quia duplici adhuc modo poteſt actus eſſe indeliberatus: primò ſi intellectui tantùm

repræſentetur inhoneſtas objecti, non autem gradus inhoneſtatis, utrum ſit gravis, vel levis inhoneſtas, & tunc dictamen proximum reflexum, etiam tantùm repræſentat inhoneſtatem ſecundùm ſe, evidenter tamen; proindè actus voluntatis ſubſequens, ac conſentiens ſolùm in inhoneſtatem ſecundùm ſe, excuſatur à malitia, quam haberet alius actus, dependens à repræſentatione etiam ipſius gravitatis malitiæ. Secundò poteſt actus eſſe etiam indeliberatus, quando quidem gradus inhoneſtatis repræſentatur ſaltem ſub dubio, ſed non inveſtigatur magis ejus certitudo, vel non deponitur dubium, vel non inquiruntur motiva abſterrentia ab inhoneſtate; in tali autem caſu indeliberatio non excuſat, poſito quòd gravis obligatio inveſtigandi certitudinem, vel deponendi dubium, cognoſcatur.

ARTICULUS II.

An ad omnem actum moralem neceſſariò præcedat dictamen conſcientiæ reflexum.

S V M M A R I V M:

5 *Status quæſtionis proponitur, & Ratio dubitandi.*
6 *Ad deponendum dubium, vel formidine formalem ſemper eſt neceſſarium dictamen reflexum.*
7 *Etiam ad deponendam formidinem radicalem.*
8 *Reſpondetur ad Rationem dubitandi.*
9 *Solvitur objectio contra veritatem dictaminis reflexi.*
10 *Solvitur alia objectio, & explicatur ignorantia invincibilis.*
11 *Explicatur Capitulum* Juvenis, de Sponſalibus.
12 *Solvitur objectio, & oſtenditur dictamen reflexum non eſſe inutile.*
13 *Solvitur objectio, & oſtenditur dictamen reflexum non eſſe ſuperfluum, ſed neceſſarium.*

5 STatus quæſtionis eſt, an quemadmodum, quando cognoſco aliquid eſſe utile, v. g. ad recuperandam ſanitatem, vel eſſe neceſſarium ad finem intentum, vel eſſe jucundum, voluntas ſtatim poteſt illud velle, ſine intermedio judicio reflexo, quo cognoſcatur, fuiſſe præcognitam hujuſmodi bonitatem objectivam, ita ſine medio judicio reflexo voluntas etiam ſtatim poſſit velle quamcunque operationem, ſive externam, ſive internam, modò evidenter vel probabiliter, cum vel ſine formidine formali fuerit cognita illius honeſtas, per actum directum, etiamſi nullum intermediet judicium reflexum ſuper cognitionem honeſtatis, quo ſuppoſito, voluntas non ſolùm dicat: quia talis operatio eſt honeſta, ſed quia judicavi eſſe honeſtam, vel eſſe probabile, quòd ſit honeſta, & quia quotieſcunque ita judico, hoc ipſo operatio ponitur honeſtè, ideò ponam hanc actionem. Ad iſtam itaque quæſtionem.

6 Dico primò cum communi, & certa ſententia Doctorum apud Terillum *q. 13. num. 1.* quotieſcunque judicium directum, & immediatum repræſentat honeſtatem operationis cum aliqua formidine formali, ne forſan non ſit honeſta, neceſſarium eſſe ad actum moralem honeſtum, ut operans per aliquod judicium reflexum priùs certificetur, quòd ſaltem non peccet formaliter, ſequendo judicium directum, formaliter formidoloſum de honeſtate objectiva operationis ponendæ, ut adeòque dubium ſpeculativum de objecto prout eſt in ſe, priùs practicè deponatur per cognitionem certam, & evidentem, quòd objectum, ut tali modo, ſeu ut probabiliter honeſtum apparens, honeſtè eligatur. Ratio concluſionis eſt, quia, niſi homo determinatè, & reflexè iſtud judicet, actus voluntatis habet talem modum tendendi: quia talis operatio eſt probabiliter honeſta, non obſtante, quòd à pa[illegible] rei forſan ſit inhoneſta, tamen illam [illegible] n ſciam, quòd honeſtè operer, [illegible] tem probabiliter honeſtam: [illegible] ve non, tamen ponam op[illegible] ter honeſtam, quamvis illam [illegible] probabiliter eſſet honeſta. [illegible] bens talem modum tendendi [illegible] operationem probabiliter ho[illegible] quòd [illegible] maliter honeſtè ope[illegible]

peccaminoſus, ergo ad actum moralem voluntatis, ut ſit formaliter honeſtus, requiritur judicium reflexum de honeſtate operationis, prout cum formidine formali apparentis, quòd ſit honeſta.

Dico ſecundò cum citato Terillo, & pluribus aliis Doctoribus, etiam quando judicium directum, ac immediatum repræſentat honeſtatem operationis ſolùm cum formidine radicali, ſine formali, adhuc ex vi modi operandi humani, ac prudentis, neceſſariò interv[illegible] (etſi forſan id in nobis non experiamur) judicium aliquod reflexum, quo ex ſuppoſitione judicii directi, indubitanter aſſerentis, talem operationem eſſe honeſtam, intellectus quaſi ſubſumit: atqui quoties operatio apparet honeſta, prout hìc & nunc apparet, illa ponitur honeſtè: quod proindè judicium reflexum dicitur dictamen prudentiæ, & ultima ac proxima regula actus moralis. 7

Probatur primò. Ad omnem actum humanum moralem honeſtum, & proindè prudentem natura rationalis neceſſariò exigit aliquod dictamen prudentiæ, idque debet eſſe evidens, ac infallibile, hoc ipſo, quòd iſtud ſit proprius actus prudentiæ, tanquam virtutis intellectualis, qua talis; ſed judicium directum, ſi tantùm non conjungitur cum formidine formali, &, ſi radicaliter eſt formidoloſum, non eſt dictamen prudentiæ evidens, ac infallibile, ergo &c.

Probatur ſecundò. Naturæ rationali, ut ſit benè conſtituta, debet eſſe proviſum de regula proxima morum univerſali, & infallibili, ut quando ab evidentia objecti non rapitur ad aſſenſum honeſtatis, poſſit ſe evidenter ſecuram reddere de honeſtate operationis circa illud objectum. Atqui hujuſmodi regula non poteſt eſſe alia, quàm iſtud judicium reflexum: *Quandocunque aliqua operatio, omnibus ſufficienter conſideratis, prudenter judicatur honeſta, voluntas licitè, & honeſtè ſe ad illam determinat; ſed hæc operatio talis à me judicatur: ergo &c.* Ergo judicium reflexum in poſito caſu eſt neceſſarium: Quòd autem etiam ſit evidens, patebit ex dicendis de licita electione opinionis probabilis.

Probatur tertiò. Specialiter pro ſtatu elevationis ad beatitudinem ſupernaturalem, in quo ad omnem ſupernaturalem operationem requiritur dictamen ſupernaturale prudentiæ: ſed iſtud ſemper eſt evidens, evidentia ſaltem objecti reflexi, ſi non directi: ergo &c.

Ad rationem dubitandi, nego paritatem inter actum voluntatis, tendentem in bonum utile, vel neceſſarium, vel delectabile, & inter actum tendentem in bonum honeſtum: quia bonitas, utilis, neceſſaria, vel delectabilis non conſtituitur per cognitionem directam, illius repræſentativam: bonitas autem honeſta, inevidenter vel non infallibiliter cognita, ſi non ſolùm ſpectetur, ut reddens actum materialiter, ſed formaliter honeſtum, completur in ratione menſuræ, & regulæ objectivæ à cognitione directa, ita ut ſine hac objectum ſit tantùm materialiter honeſtum, vel inhoneſtum: undè ad actum voluntatis formaliter honeſtum, vel inhoneſtum præſupponitur cognitio reflexa in ipſam menſuram, ac regulam objectivam; etiamſi enim objectum directum in ſe eſſet honeſtum, ſi tamen non appareret honeſtum, ſaltem probabiliter, & ſi non reflexè cognoſceretur, quòd probabilitas honeſtatis apparens ſufficiat, illius electio ſeu operatio voluntatis non eſſet formaliter honeſta; & viciſſim etiamſi objectum in ſe non eſſet honeſtum, ſi tamen poſt adhibitam ſufficientem inveſtigationem veritatis appareret honeſtum, illius operatio ſeu electio voluntatis eſſet formaliter honeſta, & ſolùm materialiter inhoneſta. 8

Obiicitur tamen ulteriùs: Non hoc ipſo, quòd aliquid prudenter judicetur tale, illud eſt tale, ergo aſſignatum judicium reflexum, quòd omnis operatio prudenter exiſtimata ut licita, ſit licita nec verum, nec evidens eſt: cùm ſæpè inhoneſtum exiſtimetur honeſtum, vel ſaltem non exiſtimetur, eſſe inhoneſtum. Reſp. Diſtinguo antec. Niſi prudens judicium directum compleat veritatem objectivam, ut ſit in poſito caſu, dum operatio, non prout eſt in ſe, ſed prout ſubſtat prudenti credulitati, ſeu [illegible] ſuſcipit rationem regulæ objectivæ, reddens [illegible] m actum voluntatis, concedo antec. Si [illegible] eat veritatem objectivam, nego. Ad [illegible] òd inhoneſtum ſæpè exiſtimetur honeſtum, vel 9

vel non inhoneſtum, Reſpondetur, illud ipſum, quod materialiter, & ſecluſo errore eſt inhoneſtum, ac difforme regulæ Divinæ, fieri per acceſſionem novæ circumſtantiæ, nempè erroris, formaliter honeſtum, & à cognitione reflexa infallibiliter, ac evidenter proponi hanc honeſtatem.

10 Obiicitur tertiò, & oſtenditur, prædictum dictamen reflexum non tantùm non eſſe evidenter verum, ſed evidenter falſum; & ponitur Caſus, quo aliquis probabiliter ea probabilitate, quam nos deinceps requiremus, nempè nixa ratione abſolutè, & comparativè magna, & gravi, judicat; aliquam operationem eſſe honeſtam, ac licitam, vel judicat, eſſe probabiliter honeſtam: quo ſimul etiam judicat, illam operationem eſſe probabiliùs inhoneſtam, ac illicitam, repugnantem Legi naturali, cùm etiam Legis naturalis obligatio poſſit eſſe incerta; ſicut de facto incertum eſt, an talis, vel talis actio ſit uſuraria, ſimoniaca; an ſententia judicialis lata contra judicialiter convictum ſit injuſta, ſi Judex habeat privatam ſcientiam ejus innocentiæ. In hoc caſu, in quo etiam ſupponitur, primum judicium quoad affirmatam honeſtatem eſſe falſum, poſteriùs autem eſſe à parte rei verum, & operationem in ſe eſſe intrinſecè inhoneſtam, dictamen reflexum ſuper primum judicium minùs probabile, & à parte rei falſum, quoad honeſtatem probabiliter affirmatam, eliditur, & falſificatur per iſtud oppoſitum judicium. Hoc ſyllogiſmo comprehenſum: Qui deliberatè facit rem objectivè, & intrinſecè malam, ille peccat, niſi ipſum excuſet ignorantia invincibilis. Sed ego hìc & nunc facio rem objectivè, & intrinſecè malam: & aliundè me non excuſat ignorantia invincibilis: ergo pecco.

Reſpondetur primò retorquendo argumentum, ſic poſito caſu, quo ipſum judicium probabiliùs affirmet honeſtatem, & falſificetur, quod etiam frequenter fieri poteſt. In tali caſu operans etiam non habet ignorantiam omninò invincibilem: quia, ut in ſequentibus dicemus, judicium illud probabiliùs eſt liberè imperatum à voluntate, quoad affirmatam honeſtatem, & ſimul datur judicium probabile de inhoneſtate, cui judicio deliberatè, & liberè contravenitur per operationem intrinſecè, & objectivè inhoneſtam, poſitam cum actuali formidine, ne judicium de inhoneſtate evidenter probabile, ſit verum.

Reſpondetur ſecundò directè, diſtinguendo Majorem, quoad ſuas particulas: *Niſi ipſum excuſet ignorantia invincibilis*. Duplici enim modo poteſt accipi ignorantia. Primò pro carentia omnis cognitionis veræ, affirmantis veritatem, aut ſaltem probabilitatem objecti. Si e. g. in caſu objectionis, & retorſionis ſola honeſtas apparuiſſet ut vera; vel ut probabilis, vel ut probabilior; inhoneſtas autem, quam revera habet talis operatio, nec ut vera, nec ut probabilis, aut probabilior fuiſſet affirmata. Talis omnimoda ignorantia, vel potiùs erronea cognitio, ſi fuiſſet invincibilis, & inculpabilis, excuſaſſet utique à peccato ponentem operationem intrinſecè inhoneſtam: ſed illa non eſt determinatè neceſſaria; quia etiam in caſu retorſionis non datur talis ignorantia, & tamen excuſatur à peccato is, qui judicavit operationem eſſe probabiliùs honeſtam, ſed oppoſitum eſſe etiam probabile: & propterea poſui caſum retorſionis, ut appareret, prædictam ignorantiam non eſſe determinatè neceſſariam. Alio ergo modo ſumitur ignorantia pro carentia cognitionis neceſſariæ, ac debitæ in ordine ad certam obligationem inducendam; e. g. Qui bona fide cœpit poſſidere rem alienam, cenſetur adhuc habere ignorantiam rei alienæ, & manere bonæ fidei Poſſeſſor, etiamſi propter novas occurrentes rationes judicet rem probabiliter, vel etiam probabiliùs eſſe alienam, modò adhuc probabile judicet propter rationem magni momenti, non enervatam à novis rationibus, non eſſe alienam, ſed ſuam: Talis itaque, ut poſtea videbimus, ex communiore, & probabiliore Doctorum ſententia dicitur per ignorantiam invincibilem excuſari à peccato detentionis rei alienę: & ſimiliter ab injuſtitia excuſatur Judex, ſi pro eo ferat ſententiam, quando rationes probabiliores non videntur enervare prudens judicium, quòd res non ſit aliena, ſed poſſeſſoris. Tunc enim & Judex habet ignorantiam ſive carentiam ſcientiæ judicialis: quia, ut poſſeſſor debeat cedere, vel depelli à poſſeſſione, bona fide inchoata, requiritur cognitio, quòd rationes probabiliores enervent prudens judicium, quòd res ſit poſſeſſoris: adeòque requiritur cognitio moraliter certa in poſſeſſore, vel judice, prudenter incompoſſibilis cum oppoſito judicio; qua quia Poſſeſſor, & Judex invincibiliter caret, ideò datur ignorantia moraliter excuſans, tam Poſſeſſorem, quàm Judicem. Atque ita etiam in cauſis criminalibus dicitur Judex habere ignorantiam, & excuſari à peccato conniventiæ, quando habet carentiam ſcientiæ judicialis, defectu rationum facientium plenam probationem, quamvis eæ ſufficiant, non tantùm ad probabiliter, ſed etiam probabiliùs judicandum, accuſationem de crimine capitali eſſe veram. Pari modo ſi peccator habet rationes comparativè, & verè probabiles, quòd tali actione non peccaverit mortaliter, etiamſi ipſi etiam probabile, vel probabiliùs videatur, quòd peccaverit mortaliter, (quod geminum judicium ſolet vocari dubium poſitivum) Doctores valdè communiter dicunt, ut ſuo loco videbimus, talem peccatorem per ignorantiam invincibilem excuſari in Confeſſione à peccato ſacrilegæ reticentiæ: quia habet carentiam cognitionis requiſitæ ad obligationem, nimirum excludentis judicium probabile, quòd non peccaverit mortaliter. Sic ergo nos deinceps probabimus, tamdiu manere hominem in poſſeſſione libertatis ab obligatione, quamdiu habet carentiam cognitionis neceſſariæ ad hunc finem, ut ſcilicet poſſit enervare, & excludere judicium probabile ac prudens, quòd talis operatio probabiliter non ſit inhoneſta, ſive quod probabiliter nec Lege poſitiva, nec naturali ſit prohibita. Nunc ergo in forma diſtinguo in Majore, & Minore objecti ſyllogiſmi hæc verba: *Niſi ipſum excuſet ignorantia invincibilis*; id eſt, ſi neutra ignorantia excuſet: Concedo utramque propoſitionem; Si tantùm non excuſet prima, excuſet verò ſecunda propter impoſſibilitatem habendi ſcientiam neceſſariam, nempè excludentem omne judicium prudens de probabilitate honeſtatis objectivæ: Nego utramque propoſitionem. Et ſic debent ipſi Adverſarii reſpondere in caſu retorſionis. Ceterùm in Minore etiam non ſimpliciter affirmantur hæc verba: *Sed ego hìc & nunc facio rem objectivè, & intrinſecè malam*: Sed debent etiam addi, vel ſaltem mente affirmari hæc: probabile tamen mihi eſt, me non facere rem objectivè, & intrinſecè malam, & rationes contrarias eſſe fallibiles, & ab illis me actu falli. Itaque hoc judicium pariebat carentiam cognitionis certæ, ſive ignorantiam certitudinis, neceſſariæ ad excludendum omne judicium prudens de probabilitate honeſtatis.

Neque dicas: Etiamſi non excludatur hoc judicium, 11
tamen in caſu objectionis ſupponitur minùs probabile, & dubium: *In his autem, quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus*. Ut dicitur *in cap. Iuvenis, de Sponſalibus*. Reſpondetur pari modo allegari *in cap. ad audientiam, cap. ſignificaſti de Homicidio. cap. illud Dominus, de Clerico excommunicato*, ſimilem regulam prudentiæ: *In dubiis via tutior eſt eligenda*. Et tamen in caſu retorſionis, & quotieſcunque tutior ſententia eſt minùs probabilis, in quæſtione de licentia operationis, negant Adverſarii, regulam prædictam eſſe de præcepto, & non tantùm de conſilio. Idem ergo ſibi reſponſum capiant.

Reſp. ſecundò: quòd *in cit. cap. Iuvenis*, non ſit quæſtio ſolùm de licentia operationis: ſed potiùs de valore Sacramenti: in adminiſtratione autem Sacramentorum pro eorum valore, & reverentia meritò dicitur in citatis Capitulis, & quod certiùs, & quod tutius eſt tenendum, & eligendum eſſe.

Obiicitur quartò, & oſtenditur dictamen noſtrum re- 12
flexum eſſe inutile. In primis enim per illud non ſatis deponitur dubium, cùm operans ſecundùm opinionem minùs probabilem contra probabiliorem, quæ operatio magis apparet prohibita, quàm licita, re ipſa dicat: *Sive res iſta, vel operatio ſit prohibita, ſive non; volo illam exequi, & nihil curo, an ſit re ipſa contra legem: eo quod multi Authores mihi dicant, licitum eſſe cum tali dubio operari*. Secundò per judicium reflexum æquè manet incertum, ac dubium, an operatio à parte rei ſit honeſta ac licita: ergo dubium non deponitur quoad honeſtatem, vel inhoneſtatem realem, prout res à parte rei ſe habet, & dum apparet, & judicatur, vel probabiliùs judicari poteſt eſſe inhoneſta ac vitanda. Sive ergo me reflectens dicam:

Ego judico hanc operationem eſſe in ſe prohibitam, & tamen volo illam facere: Sive dicam: *Ego dubito, an non ſit prohibita, & tamen volo illam facere*: utroque modo ago contra conſcientiam, vel cum conſcientia adhuc dubia. Tertiò etiamſi operans ſe reflectat ſuper quædam principia, reflexè ſuadentia, licere ſequi ſententiam minùs probabilem, quando oppoſita de inhoneſtate operationis eſt probabilior; tamen hæc ipſa principia vel falſa ſunt, vel incerta. Ergo dictamen reflexum eſt inutile ad auferendum dubium, & ad certificandum intellectum, & ad infallibiliter dirigendam voluntatem, ut honeſtè eligat, ac operetur.

Reſpondetur negando ſuppoſitum, quòd in ulla harum trium probationum rectè aſſignetur objectum dictaminis reflexi, quod etiam aliàs faciunt Adverſarii, ut aliter dictamen, tam directum, quàm reflexum efforment; & prout efformant, ſententiam noſtram, planè aliter conceptam, quàm ut à nobis aſſeritur, impugnent. Et quidem in prima probatione potiùs refertur forma dictaminis directi, quàm reflexi, & ita inconvenienter, ut etiamſi quis vellet ſequi ſententiam probabiliorem, non rectè ſic diceret: *Sive res iſta ſit prohibita, ſive non, volo illam exequi: & nihil curo, an ſit re ipſa contra legem: eo quod ſaltem plures Doctores dicant, & rationes mihi appareant probabiliores, licitum eſſe illam exequi: quod ſi tamen hoc mihi probabilius judicium ſit falſum, & res in ſe ac intrinſecè ſit illicita ac inhoneſta, tamen volo illam exequi.* Quæ voluntas tandem ſub conditione conſentit in rem illicitam, ut talem cognitam, ac ut probabilem, imò ut aliis probabiliorem conceſſam, & eſt affectus conditionatus ad peccatum, pro quo evitando declarabo in ſequenti objectione neceſſitatem dictaminis alterius reflexi.

Nunc verò meliùs expono formam primi ac directi dictaminis, & quidem poſſunt relinqui hæ particulæ: *Sive res iſta ſit prohibita, ſive non* (reliquæ verò debent omnes omitti: quia hæc verba, *Volo exequi Nihil curo*, ſignificant actum voluntatis, non intellectus, & quidem prævertentem ipſum dictamen ritè efformatum, adeoq; ſunt impertinenter additæ) *Neutrum* (inquit intellectus per dictamen iſtud directum) *eſt certum; evidens tamen, & certum eſt, rationes utriuſque partis eſſe probabiles, & licèt rationes pro inhoneſtate apparent mihi probabiliores, ſunt tamen & apparent mihi rationes pro honeſtate non tantum abſolutè, ſed etiam comparativè probabiles.* Per hoc dictamen nondum quidem deponitur dubium de honeſtate vel inhoneſtate, certificatur tamen intellectus formaliter de utriuſq; probabilitate comparativa, quando intellectus reflexè cognoſcit, ſe certò & evidenter, & formaliter certificatum eſſe de probabilitate honeſtatis objectivæ, quæ idem ſignificat, ac objectum poſſe prudenter affirmari, & prudenter eligi ut honeſtum, hoc ipſo non ampliùs manet incertus ac dubius, utrum res vel electio rei ſibi hìc & nunc ſit licita formaliter, & ſit formaliter honeſta: quòd autem adhuc maneat æque incertum, an operatio vel res à parte rei & materialiter ſit honeſta ac licita, nihil impedit, quò minùs deponatur dubium, & homo certus reddatur, quòd formaliter honeſtè ac licitè operetur; cùm certitudo honeſtatis materialis, ſive realis, haberi non poſſit, & neque per cognitionem, probabilioribus rationibus ſubnixam, habeatur, & hæc ipſa adhuc indigeat reflexa cognitione, ut homo certus ſit, quòd ſine materialis honeſtatis certa cognitione, & cum formidine actus directi honeſtè operetur, contra aliorum, probabiliter negantium honeſtatem realem, magis tutam opinionem.

Hinc etiam patet reſponſio ad tertiam probationem, nempè opus non eſſe, ut dictamen reflexum in aliud objectum feratur, quàm in cognitionem directam formaliter certificantem non de ipſa honeſtate materiali, (ut in ſua efformatione noſtri dictaminis directi malè contra nos ſupponunt Adverſarii, quaſi dicamus, quia graviſſimi Doctores aſſerunt, hoc licitum eſſe, eſt certò licitum) ſed de evidenti probabilitate honeſtatis materialis, de qua hoc ipſo, quòd intellectus videat, & cognoſcat, ſe eſſe formaliter certum, non poteſt ampliùs dubitare, ſe formaliter honeſtè operari, quia eſſe comparativè probabile, quòd ſit honeſtum, idem eſt, ac prudenter eligibile: quidquid autem eſt prudenter eligibile, eſt honeſtè eligibile, ut eſt ex terminis evidens, & propterea non eſt neceſſe, ut dictamen reflectatur in principia, quibus contra Adverſarios probatur licentia ſequendi ſententiam minùs probabilem, in concurſu probabilioris: quorum tamen certitudinem deinde comprobabimus. Imò cognitio horum principiorum non eſt cognitio reflexa, ſed directa: ſolùm ergo neceſſè eſt, ut reflexè cognoſcatur cognitio directa, immediatè repræſentans probabilitatem honeſtatis materialis, & conſtituens cum objecto repræſentato honeſtatem formalem, quæ eſt objectum cognitionis in illam reflexæ, ita ut hæc reflexa non ampliùs conſtituat honeſtatem formalem, ſed ſupponat completam per cognitionem directam ipſius probabilitatis objectivæ: quæ habetur ſine recurſu ad cognitionem reflexam, & proinde ſine circulo vitioſo.

Obiiciunt Adverſarii quintò, & conantur oſtendere, dictamen reflexum eſſe ſuperfluum. Si non requiritur, ut operans ſit certus de honeſtate operationis, tunc ſufficit dictamen, quo judicat, probabiliùs operationem ſuam eſſe honeſtam, & ſuperfluum eſt dictamen certificans de honeſtate. Sed verum eſt antecedens. Ergo & conſequens. Minorem, quòd verum ſit antecedens, multis rationibus probant Adverſarii: ſed ex unica diſtinctione antecedentis patebit, dictamen reflexum non eſſe ſuperfluum. Itaque diſtinguo antecedens. Si non requiritur, ut operans ſit certus de materiali honeſtate operationis, ſive de honeſtate, prout datur & exiſtit à parte rei, tunc ſufficit dictamen, quo judicat probabiliùs operationem eſſe honeſtam, & ſuperfluum eſt dictamen certificans de honeſtate materiali, concedo antecedens: Superfluum eſt dictamen certificans de honeſtate formali: Nego antecedens. Rationes Adverſariorum optimè probant, non requiri, ut operans ſit certus de materiali, ſive reali honeſtate operationis, & ad hanc certitudinem nec requiri, nec ſufficere, nec ſervire ullum dictamen reflexum. Sed hoc nemo negat, niſi qui tuetur propoſitionem tertiam damnatam ab Alexandro VIII. quæ ſic habet: *Non licet ſequi Opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*. Ideo in præcedenti objectione hoc ipſum, quod per ſe evidens eſt, non tantùm non negavimus, ſed dedimus pro reſponſione ad ſecundam probationem. Dicimus tamen hoc ipſo, quòd opinio probabiliùs affirmans honeſtatem operationis, contra oppoſitam etiam probabiliter negantem, neque ſit moraliter certa; etiam propoſitionem probabiliorem, affirmativam honeſtatis, eſſe conjunctam cum actuali formidine, ne vera ſit oppoſita propoſitio probabiliter negans honeſtatem, ideo neceſſariam eſſe cognitionem reflexam, quæ de formali honeſtate certificet, & pro objecto habeat ipſam cognitionem directam probabiliorem, & ſimul hanc evidentem veritatem, (quam neceſſe eſt cognoſci ad deponendam formidinem, ne non tantùm materialiter, ſed etiam formaliter peccet per affectum conditionatum) quòd nempè *qui probabilius judicat operationem ſuam eſſe objectivè, & etiam materialiter honeſtam, ille non peccet formaliter* (licèt peccaret materialiter, ſi ſua probabilior cognitio eſſet à parte rei falſa) ſicut nos ipſi dicemus, quòd *qui tantum probabiliter & prudenter judicat in occurſu oppoſitarum rationum magis probabilius* (quod fieri poſſe etiam demonſtrabimus) *Operationem ſuam eſſe objectivè & materialiter honeſtam; vel judicat, hoc eſſe comparativè probabile, ille non peccet formaliter*: & hujus evidentiam poſtea etiam illis Adverſariis declarabimus, atque applicabimus, qui ajunt ſe illam nondum habere.

Unde quando operans juxta dictamen directum, probabiliter, vel etiam probabiliùs judicat operationem ſuam eſſe materialiter & objectivè honeſtam, & ob defectum certitudinis moralis, ac propter probabilitatem oppoſitam adhuc formidat, ne operatio ſua non ſit materialiter vel objectivè honeſta: non debet tamen ita in animo ſuo ſtatuere: *Etiamſi operatio mea fortaſſis non ſit materialiter honeſta, nihil curo. Volo tamen illam exequi.* Sed debet per dictamen reflexum hac ratione ſe certum reddere, quòd non peccet formaliter; & ita mente cogitare: Etiamſi operatio mea fortaſſis non ſit materialiter honeſta, evidens tamen mihi eſt, quòd in animo meo judicem, illam eſſe, conſideratis

etiam

etiam oppoſitis rationibus, probabiliter, vel probabiliùs, honeſtam objectivè, & prudenter eligibilem: quicunque autem evidenter judicat, operationem aliquam eſſe prudenter eligibilem, ille non peccat formaliter, quamvis forſan propter invincibilem ignorantiam certitudinis neceſſariæ ad obligationem formalem peccet materialiter: qualem ignorantiam etiam Legis naturalis dari poſſe, ſupponit Alexander VIII. in prohibitione hujus propoſitionis ſecundæ inter 31. Anno 1690. die 29. Dec. proſcriptas: *Tametſi detur ignorantia invincibilis Juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali.*

ARTICULUS III.

An Conſcientiam errantem voluntas honeſtè poſſit, aut aliquando debeat ſequi.

SUMMARIUM.

14 *Error invincibilis poteſt obligare, & deobligare.*
15 *Error vincibilis non excuſat ab obligatione præcepti ante indagatam veritatem.*
16 *Conſcientia perplexa inter duo mala collectivè apparentia inevitabilia non peccat, niſi eligendo majus malum.*
17 *Solvitur objectio contra primam Concluſionem.*
18 *Solvitur alia objectio.*
19 *Solvitur iterum objectio.*
20 *Solvitur objectio contra ſecundam Concluſionem.*
21 *Solvitur objectio contra tertiam Concluſionem.*

14 QUia omnis error in ignorantia fundatur, ignorantia autem alia vincibilis, alia invincibilis eſt, ideò ſub hac diſtinctione etiam reſponderi debet. Dico itaque primò. Quandocunque error eſt invincibilis (ſive culpam ſupponat, ſive non) ſi aliquid faciendum, aut omittendum præcipiat, voluntas ſequi debet; ſi verò ſuadeat, ſequi poteſt æquè, ac ſi conſcientia certa dirigeretur. Concluſio hæc certa eſt apud Catholicos, & ſine temeritate innegabilis. Ratio patet ex dictis; quia voluntas, tanquam potentia cæca in operando, dependet à directione intellectus: ergo in quantum huic conformatur, operatur honeſtè, & in quantum directioni præcipienti difformatur, operatur inhoneſtè, & quidem eo genere inhoneſtatis, quod opponitur illi virtuti, ex qua aliquid agendum, aut omittendum, error invincibilis judicabat.

15 Dico ſecundò. Quandocunque error eſt vincibilis (qualis eſt, cùm occurrente dubio proponitur intellectui obligatio meliùs inquirendi veritatem) non licet actionem quoad rationem honeſtatis, & inhoneſtatis, inſufficienter, & nondum determinatè cognitam eligere, antequam meliùs inquiſita veritate error, vel deponatur, vel invincibilis reddatur. Ratio eſt manifeſta; quia qui occurrente dubio, & advertentia obligationis prædictæ, determinatam actionem eligit, eam ita vult, ut etiamſi ſit inhoneſta, ſcienter tamen nolit adhibere media ſufficientia, & neceſſaria, ac ex obligatione debita ad ejus inhoneſtatem evitandam, hoc ipſo, quòd nolit cognitionem, ab illa inhoneſtate abſterrentem, ſibi comparare; ſed talis electio fieri non poteſt, ſine virtuali ſaltem affectu ad inhoneſtatem, ergo non licet illam electionem facere; unde ex tali errore non licet v. g. mentiri, etiamſi putes te ad ſalvandum proximum obligatum eſſe mentiri, ſed teneris inquirere, an verè obligatus ſis, ac mentiri liceat pro ſalute proximi, & intelliges, quòd nunquam liceat.

16 Dico tertiò. Si poſſibile eſt judicium ex errore ita perplexum, ut utrumque membrum contradictionis invincibiliter putetur inhoneſtum, ſive v. g. mentiaris, ſive omiſſione mendacii ſalutem proximi negligas; ſive audias ſacrum die feſto, deſerens infirmum; ſive aſſiſtas infirmo negligens ſacrum; licet eligere, quodcunque libuerit, ſi utrumque æqualiter inhoneſtum putetur; ſi verò inæqualiter, id quod minùs inhoneſtum exiſtimatur, eligendum eſt. Ratio primæ partis eſt, quia ad merendum, vel demerendum, requiritur talis libertas, propter cujus uſum quis meritò ſit laudabilis, aut vituperabilis: ſed quando inter duo collectivè inevitabilia nullus datur exceſſus bonitatis aut malitiæ, non datur ejuſmodi libertas, Ergo &c. Ratio ſecundæ partis eſt, quia in poſteriori caſu datur libertas, propter cujus uſum eligendo minus malum præ majori, aliquis agit prudenter, ac laudabiliter, vel è contrario vituperabiliter eligendo majus malum, ergo &c. Confirmatur. In prædictis circumſtantiis ponitur aliquis eſſe liber ad exceſſum inhoneſtatis eligendum, vel fugiendum, ergo ratione illius exceſſus liberè electi, utpotè mali, & inhoneſti, peccatur ſecundùm eum gradum inhoneſtatis, ac malitiæ, in quo verſatur ipſe exceſſus.

Obiici poteſt primò contra primam concluſionem. 17
Ex illa enim ſequitur, hominem aliquando obligari ad actum intrinſecè, & indiſpenſabiliter malum, v. g. ad mentiendum, ad reddendum debitum conjugale uxori ſolùm putatæ per errorem &c. conſequens eſt falſum: primò, quia quod eſt indiſpenſabiliter malum, neque à Deo poteſt reddi licitum. Secundò, quia tale malum non poteſt à Deo judicari honeſtum, ac licitum, cui tamen tanquam primæ regulæ omnis operatio libera conformari debet. Tertiò, quia quod eſt eſſentialiter malum, eſt incapax denominationis contrariæ, imò contradictoriæ, quæ ex denominatione honeſti, liciti, vel præmiabilis infertur. Quartò, quia non poteſt à Deo intendi, nec dari in ordine ad illud opus auxilium ſpeciale, vel ſupernaturale pro executione obligationis, ſæpè difficulter explebilis, neceſſarium. Quintò, quia ex terminis abſurdum eſt, aliquem obligari ad peccandum. Reſp. diſt. ſequelam Majoris, ſequitur hominem aliquando obligari ad actum intrinſecè malum malitia materiali, & non ſufficienter applicata intellectui, ac proximè reddita odibili, concedo Maj. malum malitia formali applicata, ac proximè odibili reddita, nego Maj. Ad primam rationem oppoſitam reſpondetur. Non poteſt à DEO reddi licitum in ordine ad dictamen remotum verificandum, vel ſecluſo errore, concedo: manente, & ſuppoſito errore dictaminis remoti, nego. Ad ſecundam reſpondetur, illam iterum diſtinguendo: Intrinſecè malum non poteſt à DEO judicari honeſtum, ſi ſpectetur ſecundùm ſe, concedo: ſi ſpectetur ut ſubſtans cognitioni erroneæ ipſius operantis, nego. Ad tertiam concedo, id, quod eſt eſſentialiter malum, eſſe incapax denominationis contrariæ, aut contradictoriæ, ut illam tanquam ſubjectum intrinſecè recipiat, non autem ut ab actu formaliter honeſto tanquam terminus extrinſecè denominetur. Ad quartam, concedo, eſſentialiter malum non poſſe à DEO intendi, ut ponendum per actum formaliter inhoneſtum; poſſe tamen intendi, & præcipi, ut ponendum per actum formaliter honeſtum in ordine ad quem poteſt etiam dari auxilium ſpeciale, ac ſupernaturale. Ad quintam aſſero; eſſe ex terminis abſurdum, aliquem obligari ad peccandum formaliter, non autem ad peccandum materialiter, ſeu quod ſi abſque errore cognoſceretur, eſſet materia formalis peccati. Ex his itaque reſponſionibus patet, quòd invincibilis ignorantia Legis naturæ excuſet à peccato contra illam legem operantem, unde etiam S. Auguſtinus *lib. 3. de Libero Arbitrio c. 19.* ait: *Non tibi deputatur ad culpam, quòd invitus ignoras: ſed quòd negligis quærere, quod ignoras.*

Obiicitur 2. quando inferior aliquid præcipit contra 18
legem ſuperioris, non licet ſuperiori ſubordinato obedire, ſed ſupremo. Atqui dictamen erroneum obligans ad actum intrinſecè malum, eſt lex inferioris, nimirum hominis, contraria Legi ſuperioris, nempe DEI, ergo &c. Reſp. diſt. Maj. Non licet obedire ſuperiori ſubordinato, quando judicatur ejus legem eſſe contrariam Legi ſuperioris legiſlatoris, concedo Maj. Quando per errorem judicatur eſſe conformem, nego Maj. in noſtro autem caſu dictamen erroneum judicatur eſſe conforme Legi Divinæ.

Obiicitur 3. Chriſtus Lucæ 12. dicit: *Ille autem ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non præparavit, & non fecit ſecundùm voluntatem ejus, vapulabit multis, qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Ergo Ignorantia non excuſat Legis tranſgreſſionem ab omni culpa, ſed ſolùm diminuit. Reſp. Chriſtum 19

loqui de ignorantia culpabili, & digna plagis; de qua etiam alia Scripturæ loca, & Patrum teſtimonia intelligenda ſunt.

20 Obiicitur 4. contra ſecundam concluſionem. Si operatio poſita ex ignorantia vincibili ipſius inhoneſtatis objectivè eſſet peccaminoſa, vel eſſet peccaminoſa in genere inhoneſtatis ignoratæ, vel in alio genere: non primum, quia operatio non poteſt contrahere inhoneſtatem ſpecificam, cujus honeſtas oppoſita non cognoſcitur, & nec ut regula propoſita contemnitur: Non ſecundum, quia non poteſt aliud genus inhoneſtatis aſſignari. Reſp. cum diſtinctione. Vel enim obligatio vincendi ignorantiam provenit ex dubio, ſive ex advertentia ad certam ſpeciem inhoneſtatis, certiùs inveſtigandi, ut in concluſione ſuppoſuimus, utrum v. g. inhoneſtum ſit inhoneſtate injuſtitiæ, aut intemperantiæ, retinere talem rem, vel ſumere tantum cibi, ſalvo jejunio; vel provenit ex aliquo alio præcepto v. g. addiſcendi, & inveſtigandi ea, quæ ſpectant ad officium hominis Chriſtiani; ſi primum, malitia peccati eſt in genere inhoneſtatis, de qua dubitatur: ſi ſecundum: malitia peccati eſt in genere inhoneſtatis oppoſitæ illi præcepto v. g. Religionis obligantis ad diſcendum neceſſaria pro cultu divino, & vita Chriſtiana degenda: Et ſimul eſt formalis imprudentia, quia formaliter opponitur prudentiæ debitæ, quæ eſt rerum appetendarum, & vitandarum, ſive ſugiendarum cognitio.

21 Obiicitur 5. contra tertiam concluſionem: ſi in caſu perplexitatis licet inter duo objecta oppoſita æqualiter peccaminoſa, ac collectivè inevitabilia, quodcunque eligere, tunc debet dictamen proximum dictare, quòd liceat eligere peccatum; atqui hoc non licet, & dictamen id affirmans hoc ipſo eſt falſum, ergo &c. Reſp. diſtinguo ſequelam Maj. Dictamen proximum debet dictare, quòd liceat eligere peccatum, id eſt, actionem, quæ in aliis circumſtantiis, ſuppoſita libertate evitandi æquale malum, eſt peccaminoſa formaliter, hic & nunc autem eſt tantùm peccaminoſa materialiter, concedo ſequelam Maj. Debet dictare, quòd liceat eligere peccatum formale, nego ſequelam Maj. hoc enim judicium deſtrueret ſe ipſum, ac proindè eſt impoſſibile, ut quis judicet, licere ſibi, quod judicat non licere, ſed eſſe peccatum formale.

ARTICULUS IV.

An liceat ſequi Conſcientiam dubiam, & quando dubium per regulam Juris: *melior eſt conditio poſſidentis*, deponi poſſit.

SUMMARIUM.

22 *Quid ſit dubium: Et quid dubium facti, quid dubium juris.*

23 *Cum dubio de licentia non licet operari contra legem, niſi prius deponatur.*

24 *In dubio iuris ſuperveniente poſſeſſori bonæ fidei, melior eſt conditio poſſidentis.*

25 *Etiam circa aliarum virtutum obligationem dubium deponi poteſt per poſſeſſionem libertatis.*

26 *Regula cognoſcendi, an libertas, vel an Lex ſit in poſſeſſione.*

27 *Explicantur SS. Canones, aſſerentes, in dubio partem tutiorem tenendam.*

22 SUpponendum eſt, dubium eſſe ſuſpenſionem judicii propter defectum rationum in alterutram partem præponderantium, adeòque impropriè conſcientiam dici: dividi autem in dubium juris, quod eſt de Lege, de dominio, vel de valore alicujus actionis, v. g. an talis lex lata ſit, an ſit legitimus dominus hujus rei, an Baptiſmus in aqua roſacia collatus, vel an tale teſtamentum valeat: & in dubium facti, cùm ſcilicet dubitatur, utrum hoc vel illud contigerit: deinde dubium juris ulteriùs ſubdividitur in ſpeculativum, quod non eſt circa actionem ponendam, & in practicum, quod verſatur circa actionem ponendam: utrum v. g. detur licentia, aut obligatio eam ponendi. Hoc ſuppoſito

23 Dico primò. Quando eſt dubium de licentia utriuſque membri oppoſitionis, utrum ſcilicet actio, vel omiſſio actionis ſit licita, neutram partem priùs licet eligere, quàm inveſtigetur ratio, per quam intellectus ad judicium de licentia alterutriùs partis determinetur, adeòque ad dubium deponendum inducatur: quando verò tantùm dubium eſt de licentia unius membri oppoſitionis, alterius verò licentia certò, aut probabiliter conſtat, tunc iſtud tanquam tutius eligendum eſt, vel iterum propter rationem probabilem dubium priùs deponendum. Ratio primæ partis eſt eadem cum ea, quam præcedenti articulo pro ſecunda concluſione adduxi, quæ etiam pro poſteriori membro disjunctionis alterius partis militat: Primum autem probatur ex regula juris, quòd in dubio tutior pars ſit eligenda, quæ regula, durante dubio, habet rationem præcepti, ut ex dictis loco citato patet.

24 Dico ſecundò. Dubium juris in materia juſtitiæ poſſeſſori bonę fidei ſuperveniens, utrum ſcilicet res ipſius ſit, vel alterius, ab illo deponi poteſt titulo legitimæ poſſeſſionis, ſi, facta ſufficienti inquiſitione, per nullam rationem præponderantem (vt pleriq; apud Palao *de conſcientia d ſp. 3. pu. 2. num. 4.* fatentur) imò etiam moraliter certò convincentem, ut idem Author cum aliis à ſe relatis docet, oſtendi poſſit, rem eſſe alterius, quocum proindè illam nō tenetur dividere, aut pro indiviſibili medietatem pretii perſolvere, ut aliqui volunt, multò minùs totam reſtituere, ut Adrianus cenſuit, malè uſus prædicta regula: quòd in dubio tutior pars ſit eligenda, quæ habetur in *cap. Iuvenis, de Sponſalibus: & c. ad audientiam, de Homicidio.*

Probatur concluſio primò ex alia juris regula, quæ eſt 128. *ff. de diverſis regulis iuris antiqui*, ubi dicitur: *In pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet*: Ergo ſaltem ſi pro alterius jure nulla invenitur ratio præponderans, poſſeſſor bonæ fidei rem ſibi retinere poteſt, & tanquam ſuam tractare; adeòque etiam, ſi ſpes non ſit, Dominum aliquando comparit urum, alienare.

Probatur ſecundò. Forum internum, nempè propriæ conſcientiæ, ſemper externo conformari debet, quando externum falſæ ſuppoſitioni non innititur, ut communiter dicunt Authores cum Baldo *Authentica Ingreſſi n. 49. de SS. Eccleſiis*. Sed in foro externo poſſeſſor bonæ fidei ſine plena, & evidenti probatione in contrarium, removeri non debet. *l. 1. in fine C. de Conditionibus inſertis. Et quando partium iura ſunt obſcura, reo potius favendum eſt, quàm actori.* juxta *Regulam 11. iuris in 6.* ergo poſſeſſor bonę fidei etiam in foro conſcientię removeri non debet: ſed eidem potiùs favendum eſt, ita ut poſſeſſio bona fide, omni probationi in contrarium, moraliter non evidenti, prævaleat ad ſubſequens dubium, cum quo quidem poſſeſſio inchoari non potuiſſet, deponendum, ut relatis Sanchez, Vaſq. Salas docet Baldellus *tom. 1. lib. 4. diſp. 9. num. 5.* & alii ſatis communiter; quamvis aliqui apud cit. Authorem putent: Si res videtur probabiliùs eſſe alterius, illi ſecundùm proportionem probabilitatis majoris aliquid eſſe tribuendum. Ratio ulterior à priori, cur natura, & Leges ita faveant poſſeſſori, eleganter traditur à Pallavicino *diſp. 9. q. 4. ar. 3. n. 4.* quia expedit Reipublicæ, ut res permaneant eodem modo, quo ſunt, ad vitandam omnem turbationem tranquillitatis, ex mutationibus oriri ſolitam.

25 Dico tertiò. Non tantùm in materia Juſtitię, ſed etiam cujuſcunque alterius virtutis conſcientia dubia in eam partem licitè determinatur, ad dirigendum voluntatis actum, pro qua titulus poſſeſſionis prætenditur, ita ut ſi obligatio Legis, quamcunque virtutem reſpicientis, ſit in poſſeſſione, eidem ſit parendum; ſi autem libertas voluntatis, ſeu immunitas à ſubjectione poſſeſſionem obtineat, licitè obligationi quis ſe ſubducat, nec teneatur ſequi partem, aut probabiliorem, aut in æquali probabilitate tutiorem: quia nemo eſt ſpoliandus jure libertatis actualiter poſſeſſæ, quamdiu non cogit ratio moraliter certa; cùm obligationem incertam ſubire contra libertatis actualem poſſeſſionem, ſpectata communi hominum conſtitutione, nimis eſſet difficile, & frequentibus tranſgreſſionibus obnoxium, & ratio naturalis dictet, minùs eſſe cuipiam reſtringendum jus naturale, & magis firmum propriæ libertatis, per incertitudinem cujuſcunque Legis, quàm jus acquiſitum in bona fortunæ per incertitudinem Legis Juſtitiæ. Undè non ideò tantùm melior eſt conditio poſſidentis in materia juris, ut vult

Merco-

Mercorus *part.2. Praxis Limitatæ. art.29.* quia poſſeſſio facit præſumptionem juris (quamvis & hæc ratio applicari poſſet contra aliarum virtutum dubias obligationes, dicendo, uſum libertatis propriæ parere præſumptionem, eum non fuiſſe reſtrictum Lege contraria, ſufficienter promulgata) ſed ideo, quia poſſeſſio bonæ fidei certa præferenda eſt juri incerto, & ſic etiam poſſeſſio, & jus certum libertatis eſt præferendum obligationi incertæ, cujus major probabilitas tam parùm debet enervare jus certum libertatis, quàm parùm major probabilitas juris alieni poteſt ſecundùm confeſſionem Adverſarii enervare præſumptionem juris in poſſeſſore reſidentis.

26 Regula autem cognoſcendi, pro quo ſtet poſſeſſio, rectè hæc ſtatuitur cum Suarez *de Cenſuris diſp. 40. ſect. 5. num.15.* Henriq. *lib.8. de Euch.c.48.num.3.* Sanch. *lib. 1. in Decal.cap.10.num.32.* quos ſequitur Baldellus *tom.1.lib.4. diſp.9.num.1.* & pluresalii. Si dubium ſit, an lex fuerit lata, nec ne, vel an ſe ad talem caſum extendat, per verba Legis non ſufficienter expreſſum v. g. an lex abſtinendi ab opere ſervili die feſto ſe extendat ad opus artis pictoriæ, vel an lex ſit aliquando promulgata, & recepta; vel ſi conſtitutus in circumſtantiis Lege non comprehenſis, adeòque exemptus pro tunc à Lege, incipis deinde dubitare, an rediverint circumſtantiæ Lege comprehenſæ v. g. an ſonuerit 12. noctis, diei Veneris inchoativam, quo tempore incipit obligatio abſtinendi à carnibus; vel an compleveris annum 21. poſt quem datur obligatio ſtatuti Jejunii Eccleſiaſtici, &, ſi adhibita ſufficienti diligentia non potuiſti te à dubio liberare, tunc in poſſeſſione tuæ libertatis permanes; quia dubitas, an aliquando cœperis obligari pro nunc, quod tibi ſufficienter debet probari. Si verò certus es legem eſſe latam, ſed dubitas, an de facto ſis in caſu exemptionis v. g. an creditor remiſerit tibi debitum mutuò acceptum, an ſi gaudens diſpenſatione, aut impedimento ab obſervatione ejuſmodi obligationis excuſante; vel ſi dubitas, an ſatisfeceris Legi v. g. recitaveris horas Canonicas &c. in his, inquam, caſibus lex eſt in poſſeſſione, quia teneris ſufficienter probare tuam exemptionem, vel ſatisfactionem contra legem certam.

Hinc etiam quando certum eſt poſitam eſſe actionem, ex qua per ſe loquendo oritur obligatio v. g. quando certum eſt, contractum eſſe initum, vel eſſe emiſſum votum, non tantùm in foro externo, ſed etiam interno (niſi conſtet contrarium) præſumitur, cætera omnia fuiſſe poſita, quæ ad valorem actionis de jure ordinario præſupponuntur, v. g. ætas legitima, animi deliberatio, intentio, & agnitio obligationis: cùm enim horum defectus deberet eſſe excuſatio ab obligatione actionis certò poſitæ; ideò in dubio iſte non præſumitur: ſed actio poſita manet in poſſeſſione hujus, quòd ſit rectè, & cum omnibus prærequiſitis poſita, ut ex communi ſententia teſtatur Laymann *lib.1. tract.1. cap.5. num. 32.* Thomas Sanchez *lib.1. de Sponſal.d.9.num.13.* & velut certum aſſerit Palao *tract.1. diſp.3. de Conſcientia probabili pun.10. num.4.* Rectè tamen advertit citatus Laymann. *num.31. ad finem*, cùm in moralibus certitudo ſæpè haberi non poſſit, nec conſcientias nimium gravare oporteat, ſufficere ad liberationem ab obligatione, modò probabiliùs ſit, eidem eſſe ſatisfactum, v. g. votum, vel horas Canonicas te perſolviſſe. Cæterùm fateor, difficile, & nimis prolixum fore, ſi datam regulam inductione caſuum in quavis materia dubiorum confirmare vellemus, quia ſæpè ea, quæ in applicatione regulæ velut certa à quibuſdam ſupponuntur, ab aliis in dubium revocantur, & quæ dubia putantur, vel ex rationibus, vel ex præſumptionibus aſſeruntur certa; itaque ſufficit nobis, regulam indicaſſe, ejus tamen uſu prudenti judicio, & in pluribus materiis (quas Tamburinus *lib. 1. cap. 3. §.7.* ordine alphabetico enumerat) ſubinde quorundam ſupponendorum præviæ probationi relinquimus.

27 Contra ipſam verò concluſionem aliquorum gravium Doctorum, negantium extra materiam juſtitiæ meliorem eſſe conditionem poſſidentis, ex jure Canonico objecti textus ſolvendi ſunt. Primus affertur *ex cap. ad audientiam, & ex cap. ſignificaſti, de Homicidio*, ubi Sacerdos in dubio, an occiderit hominem, dicitur habendus pro irregulari, eò quòd in dubiis tutior pars ſit eligenda, & quòd in hac electione nullum, in altera verò magnum periculum timeatur. *Reſp.* Pontificem locis citatis, hoc decernere tantùm in Reverentiam SS. Euchariſtiæ, propter periculum irreverentiæ materialis evitandum, juxta regulam prudentiæ, ſub conſilium, non autem ſub præceptum cadentem; cùm neque Adverſarii ejus obligationem agnoſcant, quando id, quod eligitur, eſt minùs tutum, ſed probabiliùs licitum, eò quòd ejus oppoſitum ſit quidem certò honeſtum, probabiliùs tamen non præceptum. Secundus textus habetur *in cap. illud Dominus, de Clerico excommunicato*, ubi damnatur Epiſcopus, cum dubio de ſua excommunicatione ex rationabili cauſa depoſito adminiſtrans Sacramenta, quia debuiſſet tutiorem partem eligere. *Reſp.* primò ſicut antè. *Reſp.* ſecundò, damnari, quia non adhibuit ſufficientem diligentiam in indaganda veritate, quo poſito, regula prædicta eligendi tutiorem partem, eſt de præcepto. Tertius textus producitur *ex cap. Juvenis, de Sponſalibus*, ubi Juveni poſſeſſio certa Matrimonii nil prodeſt contra dubium impedimentum dirimens, ortum ex ſponſalibus per copulam attentatam cum conſobrina uxoris nondum duodenni: *Reſp.* negando habuiſſe Juvenem certam poſſeſſionem Matrimonii, quia ex mala fide contraxit cum ſuſpicione impedimenti dirimentis: quo modo etiam reſponderi poteſt ad *cap. Inquiſitioni, de Sententia excommunicationis*, ut colligitur ex Gloſſa, Verſu *probabili, & diſcreta.*

ARTICULUS V.

An liceat ſequi conſcientiam durante ſcrupulo obſuſcatam.

SUMMARIUM.

28 *Quid ſit ſcrupulus.*
29 *An liceat agere contra ſcrupulum.*
30 *Varia genera ſcrupulorum, & contra illos remedia.*

SCrupulus, ſeu conſcientia ſcrupuloſa eſt intellectualis formido peccati ex levibus, ſeu inanibus rationibus orta, quæ ſæpè ob antecedentem vehementiam phantaſiæ, apprehenſionis, ac imaginationis, peccatum modo aſſertivo proponentis, tanta eſt, ut judicium prudens intellectus, dictans non eſſe peccatum, quod metuitur eſſe peccatum, ſuffocare, & obnubilare videatur. 28

Quæritur itaque, an durante ſcrupulo, & eodem non reflexè depoſito per actum intellectus, quo quis judicet, metum peccati eſſe inanem ſcrupulum, liceat ſequi dictamen conſcientiæ ſcrupulo obtenebratum, ac obvelatum, & facere id, quod dictamen dicit, eſſe honeſtum, aut licitum, etiamſi ſcrupulus magnoperè timeat, ne ſit inhoneſtum, ac illicitum. *Reſp.* ex communi ferè omnium ſenſu, non ſolùm licere, ſed laudabile eſſe; imò ait Palao *diſp.4. pu.1. num.2.* & Nicolaus Baldellus *lib.4. diſp. 21. num.9.* ſecuti Sayrum, Valentiam, Salas, & utrumque Sanchez, quandoque eſſe obligatorium, quando nimirum ex continua ſcrupulorum auſcultatione grave damnum ſalutis corporis oriretur, vel ſi proprio officio, & functionibus ſe quis inutilem redderet, aut à confeſſione, communione, aliiſque actionibus, ex præcepto debitis retraheretur. Ratio reſponſionis eſt, quia hoc ipſo, quòd ſcrupulus non tollat dictamen prudentiæ, quo quis non quidem ſenſibiliter, & imperturbatè, ſed tamen evidenter videt, ſibi objectum certò, aut probabiliter honeſtum apparuiſſe, quemadmodum artifex evidenter videt ſuas regulas, quando juxta illas operatur, & ſicut in communi ſententia Philoſophorum, aſſerentium, concluſionem reflecti in objectum præmiſſarum, concluſio ſcientifica evidenter videt objectum præmiſſarum, licèt hoc in nobis reflexè non experiamur, imò dubitemus, & multi omninò id negent, hoc ipſo, inquam, ſequens tale dictamen, agit honeſtè ac licitè, & quia hoc eſt medium valdè utile ad deponendos ſcrupulos, imò ſæpè unicè neceſſarium, ideò etiam agit valdè laudabiliter, ac juxta obligationem, quam quis habet ad ſe non reddendum inutilem muneri, & functionibus ſuis, atque aliis legum obligationibus. 29

30 Ut hujuſmodi ſcrupuloſis hominibus contra moleſtiſſimum ſimul & virtutis ſtudio ſæpe infeſtiſſimum animi morbum ſalubrem medicinam, ex communi ſenſu Doctorum, præſcribam, triplicem ejus ſpeciem adverto; aliqui enim inani peccati formidine laborant circa actus ſuos præteritos, putantes, ſe in illis peccaſſe, cùm non peccaverint. Alii circa futuros, timentes, ne ſi illos ponerent, peccarent. Alii denique circa obligationem ex peccatis ortam, formidine aguntur exiſtimantes confeſſionem ex defectu integritatis, aut doloris invalidam fuiſſe, & ſe obligatos eſſe, aliam peragere. Itaque ſcrupuloſi primi ordinis certò ſibi debent perſuadere id, quod docent Thomas Sanchez, Azor, Palao & alii communiter, peccata mortalia ita eſſe manifeſta timoratis, ut primo aſpectu certiſſimè cognoſci poſſint, ſine ulteriori inveſtigatione, à qua proinde omnino abſtinendum, utpote ad nihil utili, niſi ut majori perplexitati animus involvatur. Scrupuloſi ſecundi ordinis omiſſa majori inveſtigatione ſibi perſuadeant, quòd quæ primo aſpectu non cognoſcunt certò, ac ſine formidine, eſſe illicita, ſibi licita ſint, etiamſi in ſe illicita eſſent. Ita Palao & alii ab ipſo relati ex communi doctrina, cujus hanc rationem reddit, quia, inquit, ſcrupuloſus capax non eſt examinandi rationes, cùm leves & frivolæ, ut graviſſimæ ipſi offerantur, & quantò intenſiùs & accuratiùs examinationi incumbit, tantò magis denſiſſimis tenebris obvolvetur, ut experientia docet. Tertii ordinis ſcrupuloſi agnoſcant ſe ad nullius peccati confeſſionem teneri, quod non cũ juramento affirmare poſſent fuiſſe à ſe commiſſum, fuiſſe mortale, non fuiſſe expreſſum in confeſſione, vel confeſſionem fuiſſe invalidam. Adeoque ſi tantùm aliquid iſtorum certò & evidenter non ſciant, ut de eo jurare poſſent, à peccati ſui confeſſione per totam ſuam vitam excuſatos eſſe, neque de eo ampliùs cogitare debere, certò credant. Ratio hujus eſt, quia ſicut ab aliis præceptis grave damnum aut incommodum alioquin obligatos liberat, ſic ſcrupuloſi, etiamſi præceptum confeſſionis non impleviſſent, propter gravia incommoda ac damna, ex inevidenti obligatione ſecutura, ab eadem eximuntur, tanquam illius incapaces. Plura in particulari utiliſſima remedia videri poſſunt apud Hermannum Buſenbaum *lib. 1. tract. 1. cap. 3.*

ARTICULUS VI.

An liceat ſequi conſcientiam, quoad honeſtatem objecti tantùm probabilem, recta probabiliore.

SUMMARIUM.

31 *Ad probabilitatem opinionis requiritur ratio poſitiva magni momenti, non enervata.*

32 *Quando rationes pro aliqua opinione cenſeantur enervata.*

33 *Nequit eſſe probabilis opinio, quando oppoſita eſt moraliter certa.*

34 *Teſtimonium P. Ioannis Cardenas.*

35 *Teſtimonium P. Antonii Tarilli.*

36 *Teſtimonium P. Martini de Eſparza.*

37 *Quid ſit ratio magni momenti.*

38 *Quales requirantur conditiones, ut unus Author poſſit opinionem aliquam reddere probabilem, ſalva prohibitione Propoſitionis 27. damnatæ ab Alexandro VII.*

39 *Reſpondetur ad textus, ex SS. Patribus in contrarium adductos.*

§. I.

Quidnam requiratur ad dictamen verè probabile.

31 Dico primò. Ad probabilitatem intrinſecam, quæ ſcilicet habetur ex motivis annexis ipſi objecto, & non præciſè ab Authoritate, non ſufficit negatio fundamenti contrarii. Quia non poſſum aſſentiri alicui objecto v. g. ſydera eſſe paria numera, ſi non habeam motivum aſſentiendi, etiamſi nec habeam motivum diſſentiendi: quamvis enim in objectis practicis tam diu judicem, me non obligari, quàm diu non probatur obligatio, tamen hoc non facio ſine fundamento poſitivo, quia nitor iſto certo argumento, quòd nempe quiſq; ſit in poſſeſſione ſuę libertatis, quãdiu non probatur obligatio. Requiritur ergo fundamentum poſitivum magni momenti, non tantùm ſecundùm ſe, quale ſæpe etiam hæretici habent pro ſuo errore; ſed quòd ſit tale, etiam comparativè ad argumenta in contrarium, ut ab his ſcilicet non enervetur, ſicut enervantur fundamenta hæreticorum, comparatione eorum, quæ à Catholicis opponuntur. Hinc propter argumenta in contrarium excogitata, & enervantia, ſæpe ſententia antè probabilis, facta eſt improbabilis.

Tunc autem argumenta contraria enervant probabilitatem & fundamentum alicujus ſententiæ, quando illa vel nituntur certa authoritate Divina, aut Pontificia (quę reducitur ad Divinam) aut humana SS. Patrum, præcipuorumve Theologorum communi ſenſu, vel certitudine evidentiæ, Phyſicæ aut Metaphyſicæ, vel certitudine morali. Per certitudinem verò moralem, ſive evidentiam moralem, intelligitur ratio, una, vel plures, non quidem dicta Authoritate, vel evidentia infallibiles, attamen ſolidæ & efficaces, ut illis benè cognitis, ac ponderatis, intellectus prudenter non valeat diſſentire, vel falſum ſubeſſe metuere: quæ præterea conjunctæ eſſe debent cum tam clara & ſolida ſolutione omniũ oppoſitarum rationum, ſi quæ occurrant, ut iis intellectus prudenter non valeat ampliùs conſentire. Quòd ſi ergo ſententia aliqua habeat talem certitudinem, ut prudenter intellectus non poſſit eam inficias ire, etiamſi tantùm habeat certitudinem moralem, hoc ipſo enervat contrarię ſententiæ probabilitatem, etiamſi aliquot Doctores illam antea tenuerint, ob rationes ſolùm præciſivè probabiles, ſcilicet abſtrahendo à contrariis argumentis & reſponſionibus ad illas rationes: Hę enim rationes tantùm pariunt probabilitatem abſolutam, adhuc inſufficientem, non autem comparativam, quæ requiritur & ſufficit. 32

Unde quia Adverſarii Probabiliſtarum, ſcilicet Doctorum, aſſentium, *licere ſequi ſententiam comparativè probabilem, relicta probabiliore & necdum certa*, plerumque omittunt tertiam illam certitudinem, nempè *moralem*, in explicanda ſententia *comparativè probabili* per ejuſdem à rationibus contrarii expreſſam excluſionem (qua alioquin certitudine ex parte probabilioris ſententiæ poſita, Probabiliſtæ unanimiter fatentur, enervari probabilitatem minorem, ut non ampliùs liceat illam ſequi) ideo illorum argumenta complura nituntur falſa ſuppoſitione, veluti prædicta aſſertio etiam de ſententia probabili per oppoſitam moralem certitudinem enervata intelligenda eſſet. 33

Referam proinde pro certitudine illa morali ad oppoſitam probabilitatem enervandam ſufficiente, trium Authorum, qui hanc controverſiam accuratiſſimè diſcuſſerunt, clariſſima teſtimonia P. Joannes Cardenas *in Criſi Theologica to. 1. tr. 1. diſp. 1. cap. 2. n. 17.* ſic ſcribit: *Si oppoſitæ partis argumenta ſunt certa, primæ ſententiæ fundamentum non poteſt eſſe prudens, neque grave: contra evidentiam enim vel certitudinem nulla eſt prudentia, nulla ratio gravis æſtimanda eſt. Si verò oppoſitæ partis argumenta gravia etiam ſunt, ſed non certa, non tollunt, quo minùs prima argumenta, quibus opponuntur, etiam gravia ſint.* Et ſtatim numero ſequenti addit: *Nota, quamlibet certitudinem excludi, phyſicam, metaphyſicam, & moralem: & quamlibet ex his certitudinem ſufficere concluſioni, ut à ratione opinionis probabilis extrahatur.* Idem Author *diſp. 15. num. 371.* ait: *Ubi adeſt pro una parte contradictionis evidentia moralis, pro oppoſita non poteſt ſtare probabilitas; quia propoſitio evidenter falſa evidentia morali non poteſt eſſe probabilis.* Idem *diſp. 9. num. 125.* etiam ſic fuerat locutus: *Sæpe contingit aliqua argumenta ſi certa, & ſaltem moraliter evidentia, quæ Doctori privato non proponuntur, ut talia, ſed ut merè probabilia: & dum ita proponuntur, concluſio remanet in ſtatu probabili. Contingit etiam Doctorem alium privatum, dum ad eadem argumenta accedit, reperire in illis urgentiorem vim, eorumque efficaciam profundiùs conſideratam in omnimodam certitudinem deſinere. Si ergo Doctor privatus ob profundiorem conſiderationem rationum poteſt opinionem prius probabilem in improbabilem convertere,* (dum oppoſita propoſitio deſinit eſſe probabilis, quando ejus contradictoria

ria per profundiorem conſiderationem rationum deſinit in certitudinem moralem) *quantò magis id poterit præſtare Rom. Pont. &c.*

35 P. Antonius Terillus *in Tract. de Conſcientia Probabili quæſt. 2. num. 36.* hæc habet: *Vt Opinio aliqua ſit probabilis, & nitatur motivo verè magno: non ſufficit, quòd motivum illud ſit abſolutè magnum, niſi magnum ſit etiam comparativè ad motiva faventia parti oppoſitæ &c. Itaque ut Opinio ſit intrinſecè probabilis, debet niti motivo, abſolutè & relativè magno: tali ſcilicet, quod aptum ſit movere hominem prudentem.* Id autem, ut tale ſit, has conditiones habere debet, ab eodem Authore *q. 3. num. 7.* enumeratas, cùm ait: In primis ratio aliqua ex ſe robuſta requiritur, tanquam ſubjectum capax hujus denominationis, *Motivum probabile*. Deinde multa alia requiruntur, per quæ talis denominatio compleatur. In primis requiritur, ne ſit contra evidentiam ſenſuum, aut aliam quamcunque demonſtrationem; Secundò ne ex illo, quod ratio illa probat, ſtatim appareat aliquod abſurdum manifeſtè ſequi. Tertiò requiritur, ne ex parte contraria appareant rationes adeò ſuperantes illud motivum, ut intellectus non poſſet, niſi imprudenter, illud amplecti, oppoſitaſque rationes rejicere. Quartò requiritur, ne ratio illa aut motivum, ſit contra ſenſum, & ſententiam communem omnium, qui rationem illam examinarunt, illamque ut inſufficientem ad probabilitatem unanimiter rejecerunt. Quintò ne Eccleſia aliquid in contrarium definierit. Demum in ſcientiis requiritur etiam, ut rationes oppoſitæ, ſi quæ ſint, commodam habeant ſolutionem: nam ſi aliquid illorum obſtet, ratio illa non erit probabilis: ſi verò omnia adfuerint, tunc ratio illa (idem dicendum proportionaliter de authoritate viri gravis, periti, & pii) erit probabilis, modò, omnibus inſpectis, apta ſit movere ad aſſenſum prudentem; ſeu modò rationabilis apparentia veritatis evadat tanta, tamque efficaciter ſtimulet ad aſſenſum, ut ſtimulus tantæ magnitudinis plerumque conjungatur cum veritate. Ita Ant. Terillus.

36 P. Martinus de Eſparza *in appendice ad Quæſtionem de uſu licito opinioni. probabilis art. 112.* ait: *Ad probabilitatem opinionis requiſitum in Proœmio à nobis fuit, ut nitatur opinio fundamento & abſolutè & comparativè magno, id eſt, fundamento, quod non ſolùm ſeorſim, & ſecundùm ſe ſit difficilè ſolubile, & validè pertrahat ad aſſenſum; ſed quod comparatum etiam cum fundamento oppoſitæ partis retineat adhuc vim magnam pertrahendi ad aſſenſum.* Hic tamen Author, quatenus hoc in loco & in ſequenti articulo aſſerit, comparativam probabilitatem unius partis tolli per rationes oppoſitas homogeneas æquales, vel heterogeneas evidenter, & indubitantes probabiliores alterius partis; poſteà à nobis repelletur, quia videtur confundere has duas propoſitiones: *Oppoſita pars eſt moraliter certa, ſive moraliter certò vera, ſive moraliter evidens:* Et, *Oppoſita pars eſt moraliter certò, indubitanter, evidenter probabilior.* Aliud enim eſt moralis certitudo, & moralis evidentia veritatis objectivæ, & aliud moralis certitudo & evidentia majoris probabilitatis: de priori libenter fatemur, tolli per eam probabilitatem comparativam, non item de poſteriori, quam cit. Author *art. 152.* videtur non diſtinguere.

37 Dico ſecundò. Licèt in ſpecie clariùs ſit, quidnam ſit motivum magni momenti, fundans ſufficientem probabilitatem, quàm ut in genere certa regula poſſit declarari: rectè tamen aſſerunt Eſparza *in Tomo Theol. quæſt. 23. de Actib. human.* Terillus *quæſt. 2. num. 10. & ſequentibus.* P. Haunoldus *num. 246.* tunc eſſe tale, quando majori vi pollet ad movendum, quàm motiva, quibus deprehenditur plerumque conjungi falſitas, ſeu quando plerumque non fallit, aut æquale eſt plerumque non fallenti, neque hic & nunc ab aliis motivis, contrarium ſuadentibus, enervatur; quamvis fortè opponantur illi alia motiva, etiam plerumque non fallentia: poſſunt enim circa idem objectum dari motiva contraria, & tamen probabilia, ſi v. g. duo homines æqualiter fide digni oppoſitum dicant circa idem objectum.

Neque obſtat probabilitati ſententiæ, ſi tibi occurrat argumentum in contrarium (modò non ſit metaphyſicè, phyſicè, aut moraliter evidens, aliàs certò ſcires, reliquos errare) quod ipſe ſolvere nequeas: quia prudenter potes, ac debes cogitare, poſſe illud ſolvi ab aliis Doctoribus, etiamſi tu id non poſſis.

Ratio concluſionis eſt, quia ad hoc, ut motivum dicatur eſſe magni momenti, ac probabilitatis, ſufficit, quòd fundet aſſenſum prudentem, & non ex animi levitate ortum; ſed quandocunque aliquod motivum à contrariis non enervatum inſuper eſt tale, ut plerumque non fallat, aut quando æquè fortiter allicit ad aſſenſum, quàm aliud plerumque non fallens, hoc ipſo fundat aſſenſum prudentem, non ex animi levitate ortum: ergò? Major & Minor eſt per ſe evidens, & ulteriùs demonſtratur. Quia ſi intellectus non poteſt ſemper habere motivum evidens, & nunquam fallens, ſufficit illi ad aſſenſum prudentem motivum plerumque non fallens, aut tali æquè fortiter trahendo intellectum æquipollens: etiamſi in contrarium detur aliud fortius trahens, ſed non phyſicè aut moraliter rapiens, prout deinceps fuſiùs declarabitur. Nunc claro Angelicis Doctoris teſtimonio confirmatur, qui *in 3. diſt. 34. quæſt. 1. art. 2.* ita loquitur: *In cognitione autem practica, quæ dirigit in operibus moralibus, invenitur duplex via, ſicut & in contemplationis cognitione, nempe inventio, & judicium: In inventione autem modus humanus eſt, quòd procedatur inquirendo, & ex his conjecturando, quæ ſolent accidere, quia ex talibus & circa talia eſt moralis conſideratio, &c. In via autem altera, modus humanus eſt, quod ex his, quæ frequenter ſolent accidere, homo de inventis per conſilium judicet probabiliter, quod fit per cognitionem, & ſynderesin, & ulterius ordinem hujus judicii imponat inferioribus, quod fit per prudentiam, quæ præceptiva eſt.* Ita Sanctus Doctor.

Dico tertiò. Authoritas unius Doctoris poteſt aliquando ſententiam oretenus, aut typis traditam practicè facere probabilem, contra communem oppoſitam. Nam univerſaliter affirmans eſt falſiſſima, & Authores, qui pro ea allegantur, malè allegantur, vel malè intelliguntur, ut eruditè & fusè eorum verba ac ſenſum explicando demonſtrat P. Joannes Cardenas *in Criſi Theologica p. 1. tr. 1. diſp. 11. c. 3. per decem Articulos.* Et multiplici conſtat experientia, viros doctos & probos aliquando halucinatos eſſe, & in ſuo ſenſu nimiùm abundaſſe; qui proinde ſummis Pontificibus occaſionem dederunt, eorum etiam ſententias declarandi improbabiles. Quòd autem aliquando unus Author omni exceptione major, cui ſcilicet nulla deeſt conditio ex poſtea requirendis, ut ex hujus defectu meritò contra ipſum excipiatur, ſufficiat, probatur ex definitione ſententiæ ſive opinionis probabilis. Poteſt enim hujuſmodi Doctori contra ſententiam aliquam communem, nondum moraliter certam occurrere ratio magni momenti, non prævisa ab aliis Doctoribus, nec ab iiſdem ſoluta, nec per oppoſitas rationes enervata: Atqui talis Doctoris ſententiæ hoc ipſo convenit definitio opinionis probabilis. Ergo vera eſt concluſio.

Confirmatur ab experientia multiplici. Quia conſtat, plurimas ſententias deſtitutas omni patrocinio, inductas eſſe in ſcholas, & dein communiter receptas ob rationes ab uno Authore de novo excogitatas, ergo Authoritas unius viri poteſt eſſe ſufficiens, ut aliquis prudenter, adeòque licitè, ſententia illius in praxi ſequatur, ſupponendo, ob rationem ab ipſo excogitatam, neque ab aliis enervatam, eſſe ſatis redditam probabilem: Atque ita docent & intelligendi ſunt plerique Doctiſſimi Viri, Joannes Sanchez, Panormitanus, Navarrus apud Palaudi *p. 2. punct. 1. n. 3. & 4.* M. Serra *1. 2. q. 19. a. 6.* & ex ejuſdem ſacro Ordine Dominicanorum, M. Joannes Nider *in Conſolatorio timoratæ Conſcientiæ, edito Romæ Anno 1604. p. 3. cap. 11. §. Tertiò patet, in fine.* Viguer. *in Inſtit. cap. 16. de Lege in communi, column. 3.* Achatius de Velaſco *Reſolutionum Moralium Tom. 2. Verbo:* Opinio. *Reſolut. 316. n. 3.* Præter hos citat & ſequitur Verricelli *in quæſtionibus Moralium tom. 1. tract. 2. ſingulari q. 5.* Doctores omnino xxiv. Quibus addi poſſunt plurimi alii apud Cardenas *l. c. & c. 6. n. 134.* relati ex variis atque ex noſtra etiam religioſa familia, atque cum debita explicatione approbati. Requiritur itaque ad veritatem concluſionis, ut Author alicujus ſententiæ in primis habeat judicium ſanum, id eſt, doctrina circa quæſtionis objectum egregiè inſtructum, veritatis potiùs, quàm novitatis, aut ſingularitatis amans, paſſione animi aut præoccupa-

cupa-

Digitized by Google

cupatione mentis liberum: Deinde non nitatur motivo levi, vel ab aliis perſpecto, & ritè ſoluto: ſit prætereà bonæ vitæ, juſtam ſuſpicionem laxitatis in ſentiendo removentis; ac denique ex inſtituto & perpenſis utrinque rationibus, non merè incidenter, & obiter ſententiam ſuam tradiderit. Quòd ſi hæc in materia communiter diſputata verſetur, opus eſt, ut habeat motivum valdè convincens, aliàs prudentis non eſſet, in materia practica, communi & unanimi ſenſui ſe opponere. Quia ergo tam multæ & graves conditiones requiruntur, ut unius Viri docti authoritas ſententiam ſingularem reddat probabilem, ideò his ſtantibus, jure prohibita eſt ab Alexand. VII. iſta 27. Propoſ. *Si Liber ſit alicujus junioris moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet, rejectam eſſe à Sede Apoſtolica, tanquam improbabilem.*

39 Contra hanc concluſionem communi teſtimonio & debitis limitationibus confirmatam obiicit Joannes Baptiſta Gonet *in Diſſertatione Theologica ad Tractatum de Moralitate Actuum humanorum a. 6.* Authoritatem Ariſtotelis, S. Thomæ, & S. Auguſtini, quorum verba tanquam clarè nobis adverſantia refert. Ariſtoteles enim 1. *Topicorum cap.* 1. inquit: *Probabilia ſunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut ſapientioribus & his maximè notis:* ergo juxta Philoſophum probabile non eſt, quod uni tantùm videtur S. Thomas *Quodlibeto* 3. *a.* 10. ait: *In his, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur erroneam opinionem alicujus Magiſtri.* S. Auguſtinus Homil. 11. ita loquitur: *Ecce dat tibi ſecuritatem procurator,* (intellige quemcunque Doctorem privatum. modò Adverſario ſuum S. Thomam excipias, vel alium, qui in Eccleſia ita clarus ſit, ut multorum rationibus præponderet) *quid tibi prodeſt, ſi Paterfamilias non acceptet? procurator ſum, ſervus ſum; vis, tibi dicam, vive quomodo vis, Dominus non te perdet? ſecuritatem tibi procurator dedit; nihil valet ſecuritas procuratoris, Domini ſecuritas valet, etiamſi nolim; mea nihil valet, ſi ille noluerit.*

Reſp. 1. à Terillo *q.* 2. *num.* 23. Ariſtotelem ultimum membrum disjunctionis *aut ſapientibus* ideò poſuiſſe in plurali, quia etiam probabilia in plurali definivit, quemadmodum ſi quis homines in plurali definiret, rectè diceret, quòd ſint animalia rationalia. Reſp. ſecundò, Ariſtotelem non voluiſſe eſſentialem definitionem dare probabilitatis, ut ipſe Adverſarius fateri debet, caſu quo ab authoritate ſolius S. Thomæ, vel alterius in Eccleſia clari viri, probabilitas habetur: ſed tantum voluiſſe eam deſcribere per id, quod communiter accidit: quia quod probabile eſt, communiter pluribus tale eſſe videtur. S. Thomas & S. Auguſtinus locuti ſunt de tali ſententia Magiſtri, aut procuratoris, in qua prædictæ conditiones & limitationes non reperiuntur.

§. II.

An intellectus poſſit potentia Phyſica aſſentiri objecto minus probabili, præ oppoſito probabiliore.

S V M M A R I V M.

40 *Poteſt Intellectus ſaltem imprudenter aſſentiri opinioni, apparenti, ut minùs probabili, comparatione opinionis oppoſitæ, nondum moraliter certæ.*

41 *Refutatur reſponſio Adverſariorum ad noſtram probationem.*

40 DIco. In concurſu contrariorum motivorum poteſt quis ſaltem imprudenter & ſimpliciter præbere aſſenſum directum veritati apparenti, ut probabili, etiamſi ejus oppoſitum appareat, ut probabilius. Ita contra Candidum, Philalethum Madritanum, ficti nominis Authorem (quem Joannes Baptiſta Gonet *Diſſertatione Theologica de Opinionum Probabilitate num.* 16. aſſerit, eſſe noſtrum P. Andream Blancum) Cardinalem Pallavicinum *in* 1. 2. *diſp.* 8. *quæſt.* 6. *a.* 4. *n.* 9. P. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap* 5. *num.* 5. Antonium Merendam, quem citat & ſequitur Antonius Cotonius *lib.* 1. *Controverſiarum Celebrium, controverſia* 5. *num.* 11. Martinum Eſparza *in Append. a.* 112. & 113. conſentiunt cæteri Doctores communiter.

Probatur primò Authoritate S. Thomæ 1. 2. *q.* 17. *a.* 6. *in c.* ubi diſtinguens inter objecta naturaliter evidentia, ut ſunt prima principia, & inter objecta non convincentia ſeu inevidentia, de poſterioribus univerſaliter (etiamſi non appareant magis probabilia, vel etiamſi dentur rationes contrariæ magis probabile, non tamen convincentes) ita loquitur: *Sunt autem quædam apprehenſa, quæ non adeò convincunt intellectum, quin poſſit aſſentire vel diſſentire, vel ſaltem aſſenſum vel diſſenſum ſuſpendere propter aliquam cauſam,* (ubi particula *ſaltem,* non correctionem aſſertæ potentiæ aſſentiendi, vel diſſentiendi, ſed ſolam limitationem mediæ alicujus tendentiæ in objectum denotat, quatenus per illam neque directè approbatur, neque directè improbatur objectum, ſed per ſuſpenſionem utriuſque actus, quaſi media via tranſitur) *ſed in talibus aſſenſus ipſe vel diſſenſus in poteſtate noſtra eſt, & ſub imperium cadit.* Angelico Doctori addi poteſt teſtimonium S Patriarchæ noſtri *in Epiſt. aurea de Obedientia:* potentiam intellectivam ita deſcribentis: *Quæ vis animi, tametſi non ea, qua voluntas pollet, libertate prædita eſt, atque ipſa natura fertur ejus aſſenſus in id, quod ſibi veri ſpeciem præbet, tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognita veritatis evidentia vim illi non infert, poteſt voluntatis pondere in hanc potiùs, quàm illam partem inclinari.*

Probatur ſecundò à P. Terillo *q.* 9. *aſſert.* 1. *num.* 4. Ex ipſa Sacra Scriptura, *Actorum* 17. in fine: Ubi poſtquam S. Paulus ſua concione Areopagitis mortuorum reſurrectionem reddidiſſet probabiliorem, imò firmiſſima fide credibilem, tamen dicitur: *Cùm audiſſent reſurrectionem mortuorum quidam irridebant, quidam verò dixerunt, audiemus te de hoc iterum, quidam verò adhærentes crediderunt.* Ecce quomodo ex fide ultimorum clarè conſtat, in præſentia motivorum majorum, imò ſummè probabilium, potuiſſe nihilominus primos cum riſu, repudiata veritate credibiliore, non ſolùm ſuſpendere ſuum judicium, ut ſecundi faciebant, ſed etiam adhærere ſuo errori, longè minus probabili, nec prudenter ampliùs credibili.

Probatur tertiò. De facto plurimi dantur infideles, qui non tantùm peccant, differendo actum veræ fidei, vel non inveſtigando majora motiva credibilitatis, cùm ea ſibi jam ſufficienter habeant perſpecta, ita ut comparatione illorum videant, ſuum errorem non eſſe prudenter, & honeſtè credibilem, ſed peccant ex pertinacia voluntatis imperantis intellectui aſſenſum, ſæpè etiam firmiſſimum, ſuorum errorum, longè minùs probabilium: aliàs non eſſent hæretici formales, ac ſententiæ excommunicationis propter contumaciam ſubjecti: ſed tantùm eſſent infideles negativè, ſeu non credente: ergo ſimpliciter poteſt quis aſſenſum præbere objecto minùs probabili, ac diſſenſum magis probabili. Unde quando in Evangelio S. Joannis *c.* 12. *v.* 37. dicitur de incredulis Judæis: *Et cum tanta ſigna feciſſet.* (Chriſtus) *coram eis, non credebant in eum.* Non ex defectu motivorum credibilitatis, ſed ex defectu determinationis à voluntate faciendæ, difficultas credendi provenit: ſic enim, inquit S. Auguſtinus, quare non potuerunt credere? quia nolebant. Simili modo ex judicio temerario fieri poſſet argumentum, iterum ab actu ad potentiam: nempe multi temerè, id eſt, tunc, quando probabilior apparet innocentia, judicant de improbitate aliorum, ergo poteſt quis aſſentiri objecto, quando apparet minùs probabile, quàm oppoſitum.

Probatur quartò. Ex fide rectè credentium. Iſti quippè laudantur, & à Deo præmiantur, non præcisè, quia potuiſſent non credere ſuſpendendo actum fidei, adeòque quia habuerunt libertatem ad credendum, & non credendum: ſed etiam, quia potuiſſent oppoſitum credere (id quod multi propter vehementiam tentationis in ſe clarè experti ſunt, & ſcrupuloſi ſæpè timent ad factum eſſe) adeòque multò magis laudantur, quia potuerunt tranſgredi, & non ſunt tranſgreſſi obligationem credendi. Sed iſti, quando crediderunt, & potuiſſent non credere, habuerunt longè probabiliora motiva credendi: imò ſe talia habere, erat evidens: ergo in concurſu probabiliorum motivorum poteſt quis aſſentiri objecto minùs probabili.

Probatur quintò. Ratione à priore. In concurſu motivorum ſolummodò probabilium aut inevidentium intellectus dependet ab imperio voluntatis: ſed voluntas

hoc

hoc ipſo, quòd poſſit inter duo bona eligere minus bonum, Ita ut hæc electio etiam ab incomparabiliter majori bono non reddatur impoſſibilis, ſed tantùm difficilior hoc ipſo, inquam, poteſt imperare aſſenſum minus probabilem, relicto probabiliore, imò moraliter certò & ſolùm imprudenter contemptibili: ergo intellectus poteſt ponere aſſenſum minus probabilem, quòd à potiori confirmabitur ſequenti concluſione.

41 Neque dicas inter objecta eligibilia, & affirmabilia eſſe diſparitatem; quia etiamſi eligibilia aliquando ſint oppoſita, tamen ſingula ſunt bona, & proinde in ſingulis voluntas reperit ſuam rationem formalem, nempe bonitatem: At objecta affirmabilia, quando ſunt contradictoriè oppoſita, non poſſunt ſingula eſſe vera, ſed evidenter cognoſcitur alterutrum debere eſse falſum: ergo intellectus non in utroque reperit ſuam rationem formalem, nempe veritatem: ergo tantùm poteſt illi aſſentiri, in quo reperit veritatem: hanc autem ſolùm reperit in eo, in quo rationes prævalent.

Reſp. Etiamſi objecta contradictoriè oppoſita non poſſint eſse & cognoſci ſimul vera, poſsunt tamen ſimul apparere ſub disjunctione vera, hoc ipſo quòd in concurſu contrariarum rationum, ex neutra parte enervatarum, ſimul appareant probabilia, adeòque in utroque ex contradictoriis detur apparentia veritatis vel major, vel minor, vel æqualis. Unde intellectus in utrovis ex contradictoriis verè & comparativè probabilibus reperit ſuam rationem formalem, nempe veritatem apparentem; neque enim neceſse eſt, ut ea etiam detur à parte rei, ſicut non eſt neceſse, vt bonitas, quæ eſt ratio formalis voluntatis, eſsentialiter intenta, detur à parte rei, ſed ſufficit bonitas apparens. Hinc etiamſi ex duobus contradictoriis inæqualiter probabilibus ſæpè à parte rei id ſit falſum, quod apparet ut probabilius, & intellectus illi aſsentiatur, tamen is, etiam ſecundùm Adverſarios, reperit ſuam rationem formalem. Itaque non ideò intellectus non poteſt utrique contradictoriorum ſimul aſsentiri, ſimultate actus, quia non in utroque ſimul reperit ſuam rationem formalem, (nam hanc omninò ſimul reperit, quia in utroque ſimul datur veritas apparens, cùm aliud ſit, ſimul apparere vera, & aliud, apparere, ſimul eſse vera) ſed ideò, eò quòd evidenter repugnet, & cognoſcatur ab intellectu, contradictoria, quæ ſimul apparent eſse vera disjunctivè, etiam eſse vera collectivè: idcircò intellectus habet tantùm ſimultatem potentiæ ad utriuſvis contradictorii aſsenſum diviſim, & ſub diſtinctione. Falſum eſt itaque ultimum illatum, quòd intellectus tantùm reperiat ſuam rationem formalem in eo, in quo rationes prævalent.

Hoc ipſum ſæpè etiam poteſt contingere in objectis eligibilibus quoad eorum bonitatem, ut voluntas ſuam rationem formalem non aliter reperiat, quàm intellectus ſuam. Ponamus enim, voluntas unicè intendat viam rectam, quæ Viatorem ducat ad ſibi deſtinatum locum, illique ad bivium delato, utraque via ſub disjunctione probabiliter videatur recta & bona, quam tamen evidenter cognoſcit, non poſſe utramque eſſe veram viam, & habere bonitatem intentam. Nunquid tamen poteſt voluntas eligere illam viam, quæ non apparet probabilior, ſed tantùm æquè probabilis, vel etiam minùs probabilis? & ſi accedat aliqua ratio prudens, nihil quidem conſerens ad probabilitatem majorem viæ rectæ, ſed ad alium finem deſerviens, nunquid poteſt, ſalva intentione tenendi viam rectam, etiam prudenter eligere viam minùs probabilem, quia v.g. pulchrior, vel quia poteſt pro illa retinere ſocios itineris &c.

Quòd autem in tali caſu etiam intellectus ſubjaceat imperio voluntatis, ſicut potentia locomotiva, ut intellectus ex imperio voluntatis etiam determinari poſſit ad aſſenſum viæ, æqualiter, vel etiam minùs probabilis, patet tum ab experientia, tum ex rationibus prædictis, tum ex hac à priori. Quia quando ipſum objectum defectu evidentiæ, ac certitudinis manifeſtæ, intellectum determinare non poteſt, debet voluntas ſupplere poſſe defectum rationum, & imbecillitatem objecti: hoc enim melius eſt intellectui, quàm ſi omninò manere debeat indeterminatus. Et quia ſæpè objectum minùs probabile, eſt verùm, ac oppoſitum magis probabile, eſt falſum, intellectus eſſet minùs benè à natura conſtitutus, ſi neque beneficio voluntatis poſſet unquam præſtare aſſenſum objecto, quamvis à parte rei vero, & apparenti, ut vero, propter rationes magni momenti, potentes de ſe movere virum prudentem ad aſſenſum, ſed, ut aiunt Adverſarii, impeditum per rationes oppoſitas à parte rei falſas, & ſimul apparentes intellectui, ut fallibiles. Suppoſita autem tali determinabilitate intellectus, ut phyſicè poſſibili, poteſt voluntas non rarò etiam prudenter uti hac ſua poteſtate, ac dominio, non deſpotico, ſed neceſſariò intellectui, quotieſcunque non determinatur ab evidentia rationum: modò voluntas procedat ex aliis rationibus, non quidem augentibus probabilitatem aſſenſus, ſed reddentibus illum prudenter appetibilem, ac præferibilem diſſenſui, qualis ratio utique eſſe poteſt evitatio peccati formalis, quando ad evidentiam reflexam dictaminis proximi talis aſſenſus, verè, & comparativè probabilis, adeòque prudens, deſervit: Item præceptum Superioris, ſupponentis ſententiam, quæ ſubdito videtur minùs probabilis: vel ratio charitatis, ob quam proximus judicatur innocens, qui probabiliùs apparet eſſe nocens. Cujuſmodi rationes aſſentiendi parti contradictionis minùs, ſed verè & reſpectivè probabili, plurimæ aliæ afferri poſſent tam in objectis practicis, quàm ſpeculativis. Sed videamus, quid Adverſarii contra noſtram concluſionem opponant.

§. III.

Stabilitur prior noſtra Doctrina everſione Fundamenti contrarii.

SVMMARIVM.

42 *Reſpondetur ad præcipuum fundamentum, priori noſtræ Doctrinæ oppoſitum.*

43 *Reſpondetur ad ſimilem objectionem P. Martini de Eſparza.*

44 *Retorquetur objectio in ſuum Authorem.*

45 *Ex argumento Adverſarii probatur noſtra concluſio.*

Contra priorem Doctrinam ſic argumentantur Adverſarii. Id quod apparet, ut probabilius, apparet propinquiùs verò, ergò ejus oppoſitum, quod apparet remotiùs à vero, non poteſt judicari verum. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: apparet propinquiùs vero, ita ut videatur plus veritatis continere, ſeu veriùs eſse, nego antec. veritas enim non ſuſcipit magis ac minùs: ut tantùm videatur continere minùs periculum errandi, concedo antec. Poteſt autem intellectus ex imperio voluntatis determinari ad ſubeundum majus periculum erroris; quia in objecto minus probabili relucet ſaltem tenuiter apparens veritas, in qua velut in fine per electionem talis periculi, tanquam medii à voluntate factam, quieſcat. 42

Urgebis. Si id quod apparet probabilius, videtur intellectui continere minus periculum errandi, tunc impoſſibile eſt, ut ipſum judicetur eſse falſum, & ejus oppoſitum apparens minus probabile, judicetur eſse verum: utique enim intellectus non poteſt judicare, quòd falſum ſit ſecuriùs ab errore, quàm id, quòd judicatur eſſe verum: quia id, quòd falſum judicatur, jam judicatur continere errorem, non autem ſecuritatem ab errore.

Pro Reſponſione advertendum eſt, duplicem dari certitudinem ſeu ſecuritatem ab errore, unam abſolutè & in ſe ſpectatam, alteram in ordine ad nos; prior conſiſtit in objecti neceſſitate, ut ſit, & ita ſe habeat: altera conſiſtit in virtute alliciendi intellectum ad aſſenſum; & regulariter loquendo, quò datur major virtus alliciendi, eò frequentiùs contingit objectum taliter ſe habere, ad qualem aſſenſum intellectus allicitur.

Jam ergo ad replicam Reſpondetur, diſtinguendo antec. Si id, quod apparet probabilius, videtur intellectui continere minus periculum errandi &c. nempè ſi abſolutè & in ſe videtur continere minus periculum errandi, eò quòd appareat neceſsariò exiſtere, ita ſe

habere,

habere, idque cognoſcatur evidenter, tunc impoſſibile eſt, ut ipſum judicetur falſum, concedo antec. Si tantùm in ordine ad noſtrum intellectum, ſive in ordine ad nos, videtur minus periculum, ſeu eſſe ſecuriùs ab errore, aut certiùs, eò quòd habeat majorem vim alliciendi, & firmandi intellectum, non tamen per phyſicam evidentiam rapiendi, nego antec. nam tale objectum poteſt adhuc judicari falſum, etiam dum intellectus experitur ſe vehementer ab illo allici, vel etiam dum judicat, motivum eſſe tam vero ſimile, ut ejuſmodi motiva in aliis objectis ſæpiùs ad aſſenſum verum, quàm falſum alliciant. Itaque dum intellectus aſſentitur objecto minùs probabili, relicto oppoſito probabiliore, non poteſt concomitanter habere hoc judicium: id quod apparet mihi probabile, eſt verum, & oppoſitum ejus eſt falſum, quamvis aſſentiendo illi minus errorem, ſeu minus falſum dicerem; ſed debet dicere ſic: quamvis aſſentiendo illi, credibilius ſeu probabilius eſſet, me non errare, ſeu falſum dicere: hoc verò dicere non repugnat: quia de objecto materiali ſolummodò dicitur, ipſum non ita ſe habere, prout vi motivorum probabiliorum apparet ſe habere: non autem de motivis dicitur, ipſa allicere ad aſſenſum verum, ſed allicere potiùs ad aſſenſum falſum, quàm verum, & adeò reddere aſſenſum falſum probabiliorem, quòd non ſit falſus, quamvis hìc & nunc judicetur falſus.

43 Hinc patet, quid ad argumentum P. Martini de Eſparza *in Appendi.e ad Quæſtionem de licito uſu Opinionis probabilis art.* 113. reſpondendum ſit, qui pro verbis *propinquius vero* utitur verbis *ſimilius vero*: & ſic argumentatur. Impoſſibile eſt, ut quod alicui videtur falſum, videatur nihilominus ſimilius vero, quàm quod putatur eſſe verum. Sicut impoſſibile eſt, ut quis judicet eſſe ſimilius albo, quod judicat eſſe nigrum. Reſpondetur enim in eodem ſenſu veram & falſam eſſe priorem propoſitionem de Eſparza, in quo diximus veram & falſam eſſe hanc: impoſſibile eſt, ut id, quod videtur falſum, videatur nihilominus proquinquius vero. Nam vel utraque propoſitio per majorem propinquitatem, vel majorem ſimilitudinem, intelligit majorem acceſſum ad veritatem, ac majorem participationem ipſius veritatis, ita ut talis exceſſus affirmetur à judicio, & adjudicetur ei, quod æſtimatur probabilius, tunc fateor utramque propoſitionem eſſe veram; ſed nego ſuppoſitum, quòd per *propinquius vero* & *ſimilius vero*, ſic intellectum, rectè explicetur ſignificatum vocis *probabilius*. Vel utraque propoſitio per majorem propinquitatem & majorem ſimilitudinem tantùm intelligit majorem apparentiam, & allicientiam ad aſſenſum, prout debet intelligi, tunc nego, eſſe impoſſibile, ut quod alicui videtur falſum, videatur nihilominus eſſe *propinquius & ſimilius* vero, ſeu ſuaderi motivis, habentibus majorem apparentiam, ac allicientiam, ſive vim movendi ad aſſenſum.

Ad inſtantiam, ſeu paritatem alterius aſſumptæ propoſitionis. Reſpondeo hanc ipſam ſub explicata duplici acceptione vocis *ſimilius*, veram, & falſam eſſe. Si enim τὸ *ſimilius albo* accipiatur pro exceſſu in ipſa participatione albedinis, tunc propoſitio prædicta eſt vera; Si autem accipiatur pro exceſſu in apparentia, tunc nego paritatem, ſuppoſito, quòd judicium, aſſerens objectum eſſe nigrum, nitatur evidentia oculorum: in tali caſu enim non poteſt intellectus judicare, idem objectum eſſe ſimilius albo; Sicut quando ex duobus contradictoriis alterutrum eſt ſaltem moraliter certum ac evidens, alterum nequit ampliùs judicari probabile. Quòd ſi tamen dictum judicium non niteretur evidentia oculorum, ſed ſolùm probabili ratione, per diſcurſum, vel per authoritatem extrinſecam, ſi v.g. detur ratio abſolutè & comparativè magni momenti, quòd homines in plaga torrida degentes ſint nigri, & ſimul detur ratio majoris momenti, ſed adhuc incerta ac dubia, quòd ſint albi, tunc nego eſſe impoſſibile, ut quis judicet, eſſe vero ſimilius, ſeu dari majorem apparentiam, & allicientiam motivi, quòd homines illi ſint albi, & tamen judicet, non eſſe albos, ſed nigros. Itaque albedo & nigredo inter ſe quidem opponuntur, & conſequenter etiam incompoſſibilia ſunt judicia, aſſerentia, idem objectum, evidenter cognitum, eſſe album, & eſſe nigrum: Sicut etiam verum & falſum opponuntur, & adeò incompoſſibilia ſunt judicia, aſſerentia, idem objectum eſſe verum, & eſſe falſum: non tamen inter ſe opponuntur comparativè vera probabilitas nigredinis, & major probabilitas albedinis. Item comparativè vera probabilitas exiſtentiæ objecti, & major probabilitas negationis exiſtentiæ. Aliud quippe eſt, objecta inter ſe opponi, & non poſſe ſimul eſſe, nec ſimul affirmari: & aliud, probabilitates opponi: hæ enim non opponuntur, etiamſi ſint de objectis contrariè, vel contradictoriè oppoſitis: Objecta verò ita inter ſe opponuntur, ut nec poſſint ſimul eſſe, nec ſimul affirmari vera, poſſint tamen ſimul eſſe, & affirmari probabilia, & unum eſſe, ac affirmari verum, oppoſitum autem eſſe & affirmari probabile, vel etiam probabilius. Unde Philoſophus 8. *Phyſ. c.* 4. paulò poſt principium inquit: *Nihil prohibet alicui videri, quæ non ſunt magis, quàm vera*: Licèt etiam (quod pro explicatione Philoſophi contra Eſparza addo) non tantùm ſint, ſed etiam judicentur vera. Quando ergo intellectus judicat, aſſerit, oppoſitum eſſe probabilius eo, quod judicat verum, iſta aſſertio, dicens, *oppoſitum eſt probabilius*, non eſt duplex affirmatio, nempè veritatis & probabilitatis majoris, ut ſenſus ſit: Judico oppoſitum eſſe verum, & quòd ſit verum, judico eſſe probabilius: ſic enim utique non poſſet præſtari aſſenſus alteri parti oppoſitæ, minus probabili; ſed eſt tantùm affirmatio ſimplex ſolius probabilitatis majoris, cum qua conſiſtere poteſt affirmatio veritatis reſpectu objecti minus probabilis, nixa tamen, ſi prudens ſit (de qua in ſequenti concluſione dicemus) fundamento magni momenti, nondum enervato à fundamento majori quidem, ſed cognito evidenter, ut adhuc fallibili, ob probabilitatem oppoſitam etiam evidenter cognitam. Proinde licèt intellectus aſſentiendo uni parti, motivum illius approbet, *ut verax*, & oppoſitum motivum reprobet, *ut fallax*, ideòque nequeat utramque partem ex oppoſitis affirmare veram; non tamen proptereà (ut falsò ſupponit Eſparza *art.* 129.) motivum verax elidit, vel enervat probabilitatem oppoſiti motivi: quia etiam motivum verax cognoſcitur, ut fallibile; cum aliud ſit, eſſe verax vel judicari verax, & aliud, eſſe vel judicari infallibiliter verax. E contrariò illud motivum; quod intellectus hìc, & nunc judicat eſſe fallax, & actu fallere, non proptereà judicatur improbabile, ſeu quòd nequeat prudenter judicari verax: & ideò poteſt cum aſſenſu veritatis, præſtito uni parti, conjungi aſſenſus probabilitatis, etiam majoris, præſtitus oppoſitæ parti.

Simili ferè modo debet reſpondere ipſe Eſparza, contendens contra noſtros Adverſarios, & nobiſcum aſſerens, quòd quando altera pars contradictionis non eſt 44
evidenter probabilior, attamen probabiliter apparet probabilior, intellectus poſſit aſſentiri objecto, cujus oppoſitum ſaltem probabiliter apparet probabilius. In tali ergo caſu intellectus ſic poteſt judicare: Iſtud objectum eſt verum, quamvis oppoſitum probabiliter appareat eſſe probabilius. Conſequenter etiam hæc propoſitio, qualis ſupra eſt nobis objecta, in ſuum Authorem retorqueri hac ratione poterit. Iſtud propter rationem evidentem quidem, ſed magni momenti, judico eſſe nigrum, quamvis propter rationes probabiliter excedentes judicem eſſe veroſimilius album. Fatetur enim ipſe *art.* 112. & ait: *Liberum eſſe in utramlibet partem opinari, atque adeò convenire nobis libertatem ſpecificationis ſeu contrarietatis, quoad actus opinativos, quandocunque motiva utrinque apparentia ad opinandum ſunt heterogenea, ſeu diverſæ rationis, & ſe habent tanquam excedens, & exceſſum, ita ut neutra ex parte exceſſus ſimpliciter ſit evidens*. In tali, inquam, caſu, dum utraque pars ex diverſo motivo apparet probabilior, poterit intellectus uni parti propter ſuum motivum probabiliter probabilius aſſentiri, ut veræ, & alteram propter ſuum motivum probabiliter probabilius, etiam adhuc comparativè tale, probabiliter judicare probabiliorem. Non enim repugnat, unum ex contradictoriis, probabiliter ſe mutuò, & ex diverſo motivo, excedentibus in probabilitate, & taliter cognitis, affirmare verum, & utrumque eo modo eſſe probabilius, quo revera eſt, & repræſentatur probabilius, etiam in ſenſu compoſito: cùm ipſe Eſparza *loc. cit.* expreſsè dicat: *Ita ſe habet putare ad putare*,

ſicut

ſitus eſſe ad eſſe, ſub eadem comparatione; & compoſſibilia atque incompoſſibilia in natura, ſunt pariter ſecundùm formalem ſuum conceptum compoſſibilia atque incompoſſibilia in mente, quoad partem judicativam. Ex quibus verbis contra eorum Authorem, ſimul & retorſionem probo, & ſententiam meam ab ipſo impugnatam. Nam poteſt partis minus probabilis, & à parte rei veræ, oppoſita pars non tantùm probabiliter & inevidenter, ſed etiam evidenter ac manifeſtè eſſe probabilior, ergo etiam in concurſu motivorum evidenter ac manifeſtè probabiliorum, ſed non evidenter verorum, poteſt propter diverſum & oppoſitum motivum magni momenti pars minùs probabilis affirmari, ut vera, quemadmodum à parte rei poteſt eſſe & ſæpè eſt vera. Solummodò ergo ab Authore rectè probatur, quòd affirmatum, ut verum, non poſſit ſimul affirmari falſum, & affirmatum, ut nigrum, non poſſit ſimul affirmari album; benè tamen poſſit affirmari, ut probabiliter falſum, & ut probabiliter album, ſi una affirmatio veritatis & nigredinis non nitatur ratione, ſaltem moraliter evidenti, & certificante de veritate, & nigredine; altera autem affirmatio nitatur ratione evidenter probabili etiam comparativè, adeòque continente evidentiam probabilitatis, quantumvis minoris.

45 Imò in ordine ad poſſibilitatem Phyſicam aſſenſus, ſaltem imprudenter præſtabilis parti minus probabili, etiamſi oppoſita appareat manifeſtè & evidenter probabilior, non eſſe neceſſariam rationem comparativè, & evidenter probabilem, oſtendo, & aſſumo argumentum ipſius P. de Eſparza *in Appendice art.119.* ubi ex infidelitate, & poſitivo aſſenſu Judæorum, præſtito rationibus oppoſitis fidei in Chriſtum, (utique neque comparativè probabilibus) probat libertatem contrarietatis ad aſſenſum & diſſenſum in concurſu oppoſitarum rationum, ſolùm inevidenter in probabilitate alteras excedentium: & in hunc finem adducit teſtimonium S. Auguſtini *Epiſt.49. quæſt.2.* paulò ante finem, dicentis: *Multi in Chriſti corporali præſentia fuerunt, qui in eum nec ſuſcitatis ab eo mortuis credere voluerunt, quales nunc etiam multos videmus, cùm tanta manifeſtatione de illo compleantur præconia Prophetarum, nolle adhuc credere, & malle humana aſtutia reſiſtere, quàm tam claræ, atque perſpicuæ, tamque ſublimi, & ſublimiter diffamatæ Divinæ credere Authoritati.* Quibus verbis pro declaratione mox ſubjungit Eſparza: *Humana aſtutia reſiſtere, nihil eſt aliud, quàm contradicendo fidei, ſufficienter utique propoſitæ, cum facultate proxima illi aſſentiendi, humanis potiùs rationibus adhærere, ac aſſentiri.* Subſumo ego. Atqui iſtæ rationes humanæ non tantùm inevidenter, ſed evidenter ac manifeſtè fuerunt minùs probabiles, Imò comparativè, & in ſenſu compoſito cum mortuis à Chriſto in conſpectu Judæorum ſuſcitatis, & cum tanta manifeſtatione completorum de Chriſto præconiorum in libris Prophetarum, quibus Judæi gloriabantur, ne quidem fuerunt probabiles, prout in omni infidelitate poſitiva ac formali hæreticorum contingit, quibus motiva fidei evidenter apparent probabiliora; & tamen Judæi, ſicut noſtri temporis hæretici, potuerunt præſtare aſſenſum oppoſitum; ergo fatetur Eſparza eſſe poſſibilem aſſenſum, etiam quando oppoſita motiva evidenter & manifeſtè cognoſcuntur, & proinde neceſſariò judicantur, eſſe probabiliora.

Id ipſum ſequitur, & evincit Author, *art.121. & 122.* allegato teſtimonio S. Auguſtini *l.2. de Sermone Domini in monte ſuper illa Verba Chriſti Domini, Mat.7. Nolite judicare &c.* ita loquentis: *Hoc loco nihil aliud nobis præcipi exiſtimo, niſi ut ea facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* Subſumo. Atqui dubium eſt, quoties non habentur Indicia certa, etiamſi habeantur evidenter probabiliora. Ergo in tali caſu præcipitur, & proinde poſſumus, ea facta in meliorem partem interpretari, adeòque judicare meliora, etiamſi contra ea habeantur judicia evidenter probabiliora, modò non certa. Niſi (ut intelligenda eſt aſſertio S. Aug.) velimus Judicium noſtrum omninò ſuſpendere. Addit Eſparza etiam teſtimonium S. Thomæ 2. 2. *q.60. a.3. ad 3.* ubi ait S. D. *In rerum Iudicio debet aliquis niti ad hoc, ut interpretetur unumquodque, ſecundùm quod eſt; in judicio autem perſonarum, ut interpretetur in melius.* Et in reſponſione ad 2. ſic dixerat: *Ad hoc potiùs attendere debemus in tali judicio, quòd hominem judicemus bonum, niſi manifeſta ratio in contrarium appareat.* Quibus ita ſubſcribit Eſparza: *Sola ergo manifeſta ratio* (qualis nondum eſt ſolummodò manifeſtè probabilior, præſertim in concurſu oppoſitæ rationis gravis) *pro una parte ita alligat intellectum, ut non poſſit, nec debeat voluntas niti, illum inflectere ad partem oppoſitam.*

§. IV.

An Intellectus etiam prudenter, & honeſtè poſſit aſſentiri objecto minùs probabili, quàm oppoſito.

S V M M A R I V M.

46 *Aſſenſus opinionis minùs probabilis, quàm oppoſitæ, poteſt eſſe prudens: & oſtenditur, unde dicatur prudens.*
47 *Probatur aſſertio.*
48 *Solvuntur objectiones.*
49 *Nova probatio aſſertionis.*
50 *Solvitur duplex objectio.*

Dico cum communi ſententia: Etiam honeſtè ac prudenter poteſt à voluntate eligi, ac intellectui imperari aſſenſus ſententiæ minùs probabilis relicta probabiliore. Quod fusè probat Terillus *quæſt.10.* Pro hujus concluſionis probatione, & eliſione præcipuorum telorum, ab Adverſariis in eam emiſſorum, ſingulariter notandum eſt, quod aſſenſus denominetur prudens à prudenti imperio voluntatis, prudenter illum eligentis, ac imperantis intellectui: hinc aſſenſus evidens, qui non dependet à determinatione voluntatis, ſed ab evidentia objecti, non accipit denominationem à prudentia, ſed à ſcientia, vel à ſapientia, & dicitur actus Scientificus, aut Philoſophicus; & qui hujuſmodi actus eliciunt, dicuntur Scientifici, aut Philoſophi: quia horum cognitiones præcipuæ, à quibus fit denominatio, ſunt cognitiones certæ & evidentes per cauſas &c. E contra Juriſtæ appellantur Juriſprudentes, & habitus illorum Juriſprudentia, quia præcipui eorum actus verſantes circa quæſtiones facti, & Juris, dependent ab imperio voluntatis, ex quo procedunt ſecundùm magis probabilia, & ſecundùm ea ferunt ſententiam inter partes litigantes in cauſis inevidentibus. 46

Itaque aſſenſus prudens ille eſt, quem voluntas prudenter eligit; illum autem cenſetur prudenter eligere, qui eſt proportionatus fini prudenter intento. Hujuſmodi finis alius eſt Bonum intellectus, alius eſt Bonum voluntatis. Bonum intellectus eſt verum, non ſolùm exiſtens, quia hujus certitudo & evidentia ſæpè haberi non poteſt, ſed etiam apparens, ut ſuprà dictum eſt. Verum exiſtens non accipit magis & minùs, ſed conſiſtit in indiviſibili. Verum apparens autem accipit magis, & minùs, quia poteſt magis, & minùs apparere, prout rationes ſunt magis vel minùs probabiles. Hoc bonum intellectus, nempè verum apparens, prout ad finem proprium intellectus non ſolùm ſimpliciter, & phyſicè, ſed etiam moraliter, & prudenter eſt appetibile, clauditur inter duos terminos, ſive duo extrema, ne ſcilicet ipſa apparentia vel ſit nimis levis (qualis eſſet illa, quæ deſtitueretur ratione gravi, ſive ratione magni momenti, vel quæ ſaltem enervaretur à rationibus & reſponſionibus oppoſitis: ex hac enim apparentia non poſſet oriri aſſenſus prudens in ordine ad Bonum intellectuale, appetibile à viro prudente, non leviter, nec temerè, nec irrationabiliter judicante) vel (quod eſt alterum extremum) ne apparentia per ſuam evidentiam omninò rapiat intellectum, ut non ampliùs ſubſit imperio voluntatis: talis enim apparentia eſſet quidem Bonum intellectus, ſed neceſſarium, & independens à prudentia electiva aſſenſus.

Spectando igitur præcisè bonum intellectus, & abſtrahendo ab omni alio bono, dicimus à voluntate prudenter eligi, & imperari aſſenſum, quo obtinetur non leve, nec irrationabile, ſed magnum & æſtimabile bonum intellectus, quo nempè amplectitur, & approbat majorem, vel minorem apparentiam, fortiter adjicientem

tem

tem ad ſui aſsenſum. Sicut voluntas ſibi ipſi prudenter imperat amorem vel majoris, vel minoris boni proprii, quando bonum minus non eſt comparatione alterius valdè leve, & contemptibile. Quia tamen homo naturaliter ſcire deſiderat,& à natura ſua magis inclinatur ad media aptiora, ac proinde ad magis probabilia, hinc ſolemus talia media plerumque inquirere, & illis præbere aſsenſum, tanquam magis tutis, ne intellectus in errorem inducatur: ſicut etiam ex naturali inclinatione voluntatis magis impellimur ad eligenda majora bona vel ipſius voluntatis, vel aliarum potentiarum, quæ vel ſunt pulchriora viſu,vel ſuaviora auditu,guſtatu,olfactu, aut tactu: in quibus tamen omnibus voluntas adhuc prudenter eligeret minora bona harum potentiarum; imò propter rationes extrinſecas, non augentes hujuſmodi bonitatem,ſæpè prudentiùs eligeret minora bona e.g. propter meritum mortificationis. Suppoſito tamen quòd voluntas hujuſmodi potentiis imperet aliquem actum, & non omninò velit abſtinere ab omni actu talium potentiarum, neceſse eſt,ut quilibet actus feratur in propriam rationem formalem, & ſic actus potentiæ intellectivæ debet ferri in verum,ſaltem apparens: ſi enim objectum neque appareret, ut verum, neque ut falſum, etiam circa illud neque poſset elici aſsenſus, neque diſsenſus; unde nec affirmare, nec negare poſsumus, quòd ſtellæ in Cœlo ſint numero pares, vel impares. Ut verò hujuſmodi aſsenſus, vel diſsenſus ſit etiam prudens in genere intellectivo, non ſufficit qualiſcunque apparentia veritatis aut falſitatis, ſed requiritur apparentia nixa motivo, ſive ratione magni momenti, à rationibus contrariis non enervata, quæ virum prudentem poſſit inducere ad aſſenſum vel diſsenſum rationabilem.

Dixi: *Vt ſit prudens in genere intellectivo*: nam in genere moris, e.g. propter perfectionem obedientiæ etiam poteſt prudenter quis ſibi imperare aſsenſum ejus, quod ſuperior judicat, etiamſi is non magna polleat ſcientia, & ratio illius videatur levis,ipſius ſubditi verò ratio contraria ſit multò veriſimilior: à tali aſsenſu obedientia executionis vocatur cæca; & licèt ipſe apud prudentes hujus Mundi vocetur ſtultitia, eſt tamen prudens apud DEUM, propter omnimodam proprii Judicii ſubjectionem, ac immolationem. Et ideò etiam antea dixi: quòd voluntas prudenter eligat illum aſsenſum, qui eſt proportionatus fini prudenter intento: hujuſmodi autem finem alium eſſe bonum intellectus, alium eſſe bonum voluntatis. Ex quo Principio, & ex præmiſſo notando

47 Probo concluſionem primò, quòd in genere intellectivo prudenter quis aſſentiatur ſententiæ, fundatæ in ratione magni momenti, non enervata per rationem contrariam, ſed adhuc comparativè & reſpectivè probabili. Ille enim aſſenſus eſt prudens in genere Intellectivo, ſive prudenter eligibilis in bonum ipſius intellectus, qui ejus fini eſt proportionatus; ille autem eſt proportionatus, qui amplectitur veritatem, ad quam intellectus à natura ſua eſt ordinatus, graviter æſtimabilem, & rationabiliter abſque omni levitate, ac temeritate affirmabilem: ſed aſſenſus, fundatus in ratione magni momenti, non enervata à ratione contraria, verùm poſt omnem adhibitam diligentiam, deliberationem, conſultationem, & inveſtigationem certitudinis ſaltem moralis, & ad oppoſitas rationes enervandas ſufficientis (in quem finem à provida natura præſcripta ſunt illa media, & inveſtigatio illorum) retinente adhuc vim graviter movendi, ac alliciendi intellectum, ipſumque objectum reddendi viro prudenti apparenter verum, eſt proportionatus fini intellectus, graviter æſtimabili, abſque animi levitate, aut temeritate, rationabiliter ac fortiter intendibili, ac affirmabili. Ergo &c.

Eadem prudens eligibilitas aſſenſus in bonum ipſius intellectus confirmatur à parvitate cum electione prudenti minoris boni præ majore, ſuprà explicata, inter potentiam volitivam ac intellectivam, & inter rationes formales, ſeu fines illarum eſſentiales, cùm veritas apparens, quæ ſola ſubeſt prudenti determinationi voluntatis, etiam ſuſcipiat magis & minùs, nec conſiſtat in indiviſibili, ſicut nec bonitas, intra terminos prudentis appetibilitatis.

48 Adde pro non levi confirmatione, quòd non poſſit oſtendi vitium imprudentiæ, quod dicto aſſenſui ab aliquibus objicitur. Dicunt quidem, talem aſſenſum repugnare Legi prudentiæ naturalis, providentis tot diverſa media pro invenienda majori probabilitate, quæ proinde ſi contemnatur, & poſtponatur minori probabilitati, media illa ſunt fruſtranea, & inutilia, ac ſuperflua. Repugnare etiam dictamini prudentiæ, caventis, ne quod magis videtur falſum; quàm verum, judicetur verum. Præterea repugnare omnium virtutum legibus, quæ ſicut præcipiunt ſui obſervantiam, etiam præcipiunt, ut evitetur error,ac ignorantia, retrahens ab earum obſervantia. Denique repugnare etiam naturali inclinationi totius naturæ humanæ, qua cùm homo naturaliter ſcire deſideret, naturaliter adhibet illa media, quibus magis obtinetur cognitio veritatis objectivæ, & refugit illa, quibus plerumque in errorem abducitur, & falſum pro vero offertur: ſed rationes magis probabiles ſunt media prioris generis, minùs probabiles ſunt media poſterioris generis. Ergo &c.

Sed reſpondetur ad primum; media, à prudentia naturali proviſa, non tantùm eſſe proviſa pro majori probabilitate invenienda, ſed principaliter eſſe proviſa pro invenienda certitudine, in hujus defectum verò eſſe proviſa pro omni prudenti aſſenſu, ſive magis, ſive minùs probabili: Imò ſæpè, quando jam habentur media pro majori probabilitate unius partis, inveſtigantur media, quæ reddant oppoſitam partem probabilem etiam comparativè, & quæ valeant virum prudentem allicere ad aſsenſum, quæ etiam à prudentia naturæ ſunt proviſa. Hinc qui dubitat, an emiſerit votum nec ne, an alteri homini aliquid debeat, an hac vel illa Lege teneatur, quando hæc omnia minùs faventia libertati ipſi videntur probabiliora, is eadem media, quibus invenit rationes magis probabiles, etiam naturæ providentia, & naturali inclinatione, adhibet ad inveniendas rationes magni momenti, & comparativè cum oppoſitis rationibus adhuc probabiles. Ergo neutra media ſunt fruſtranea; & neuter aſsenſus eſt contra inclinationem naturæ. Vel ſi dicant Adverſarii, media pro majori probabilitate fuiſse fruſtra & imprudenter proviſa à natura, ſi aſsenſus minùs probabilis poſſit poni prudenter, fateri debebunt, media pro aſsenſu minùs probabili oppoſito fuiſse fruſtra & imprudenter proviſa à natura, ſi finis, nempè aſsenſus minùs probabilis non poteſt prudenter obtineri, vel ſi eſt à natura, providente ipſa media, prohibitus. Quæ reſponſio eſt ad homines, ſeu ad modum argumentandi Adverſariorum. Cæterùm media non ſunt fruſtranea, ſive poſſit prudenter poni aſsenſus minùs probabilis, ſive non poſſit: modò enim poſſit poni aſsenſus magis probabilis, media ad illum non ſunt fruſtranea.

Ad ſecundum reſpondetur, negando ſuppoſitum, quòd eſse verè & comparativè probabile, ſed minùs tamen probabile, quàm ejus oppoſitum, ſit idem, ac videri magis falſum, ſi Tò *videri* ſumatur pro *udicari*,& non præciſè pro *apparere*. Duo enim contradictoria non poſsunt ſimul judicari falſa, bene tamen poſsunt ſimul *apparere* vera, & ſimul *apparere* falſa. Si autem ſumatur pro apparere, reſpondeo, dictamen prudentiæ, tunc tantùm cavere, ne quod magis apparet falſum, judicetur verum, quando non ſimul apparet verum, tanta apparentia, quæ ſit evidenter magni momenti,& inexpugnata à rationibus contrariis: aliàs natura debuit homini reliquiſse libertatem, ut poſſit eligi alteruter aſsenſus, quando magna ſpes eſt, minùs probabilem aſsenſum eſſe verum, & magis probabilem eſse falſum: præſertim quando minùs probabilis aſsenſus ex una parte eſt ſufficiens ad movendum virum prudentem,& ex altera parte propter multiplex aliud bonum eſt magis appetibilis.

Idem reſpondetur ad tertium, quo etiam non probatur imprudentia aſſenſus, ſed ad ſummum imprudentia executionis: ſicut non probatur imprudentia judicii etiam probabilioris, aſſerentis aquam impuram eſſe materiam validam Baptiſmi: eò quòd à religione prohibeatur ejus uſus extra neceſſitatem. Ad quartum nego Minorem. Nam etiam rationes minùs probabiles, hoc ipſo, quòd ſint verè & comparativè probabiles ſunt tales, ut plerumque non fallant, aliàs non conveniret ipſis definitio probabilitatis. Cæterùm ex inclinatione ad aſsenſum magis probabilem ad ſummum probatur, illum, cæteris paribus, eſse prudentiùs eligibilem, ſicut majus bonum voluntatis, cæteris paribus, & aliarum

etiam

etiam potentiarum eſt prudentiùs eligibile. Sicut etiam hoc dictamen prudentiæ, à Summis Pontificibus ſæpiùs in ſuis Canonibus uſurpatum, quòd in dubiis tutior pars ſit eligenda, etiam fundatur in naturali inclinatione ad procuranda ſibi bona, & evitanda mala, nec tamen concedunt Adverſarii, quòd quando pars minùs tuta, & magis favens libertati contra legem, eſt magis probabilis, illa imprudenter eligatur: quæ retorſio etiam valet contra tertium fundamentum Adverſariorum.

49 Probo nunc concluſionem meam ſecundò, quòd non tantùm in genere intellectivo, ſed etiam in genere Moris extra objecta fidei, de quibus dicam ſuo loco, prudenter poſſit eligi aſſenſus nixus ratione comparativè probabili, ſed infirmiore, quàm ſit ratio oppoſita. Talis enim aſſenſus, abſtrahendo ab ejus executione, non eſt contra ullam legem in genere Moris, & ſi eſſet e. g. ſi niteretur principio à Summis Pontificibus prohibito, hoc ipſo non eſſet probabilis, & ratio ipſius jam eſſet enervata. Atqui aſſenſus, qui non eſt contra ullam legem morum, eſt prudens, & honeſtus, in genere Moris, ſaltem negativè: & ſi imperetur à voluntate ex motivo virtutis e. g. obedientiæ, vel charitatis circa innocentiam proximi, contra rationes probabiliores oppoſitas, eſt prudens, & honeſtus poſitivè. Ergo poteſt eligi.

Dixi tamen: *Abſtrahendo ab ejus executione*: Nam non hoc ipſo, quòd aſſenſus ſit prudens in genere Intellectivo, eſt etiam prudens in genere Moris illius executio, quando datur ſpecialis obligatio in executione eligendi partem tutiorem, vel probabiliorem, ut de Miniſtro Sacramentorum, Medico, & Judice in ſequentibus dicemus. Nam e. g. Judex teneretur ferre ſententiam pro parte allegante probabiliores rationes, etiamſi privatim prudenter judicaret, illas eſſe falſas, & oppoſitas minùs apparentes probabiles eſſe veras. Imò etiamſi privatim certam haberet notitiam de illarum veritate: quia ipſe obligatur judicare exteriùs, id eſt, exercere judicium ſecundùm allegata & probata, & ſecundùm ea ſententiam pronunciare: nec tamen per hoc mentitur: quia pronunciatio ſententiæ non eſt manifeſtatio privati Judicii de veritate cauſæ, ſed de majori probabilitate, ad quam denuntiandam ſuſceptione officii ſe obligavit, adeò ut etiam in cauſis criminalibus reum apparentia rationum juridicè convictum poſſit damnare, etiamſi privatim certò ſciat innocentem, ut ex communiore ſententia Doctorum oſtendemus, acturi de Juſtitia Vindicativa. Malè ergo Adverſarii exempla Medici, & Judicis noſtræ concluſioni opponunt: quia quoad judicium internum facilè concedimus, etiam illos poſſe prudenter aſſentiri rationi, verè & comparativè ipſis probabili: quoad ejus executionem verò id negabimus; ſicut ſuprà dixi de Miniſtro Baptiſmi, probabiliùs judicante, aquam impuram eſſe materiam validam.

50 Obiicitur ab Adverſariis primò. Inter objecta inæqualiter probabilia id, quod minùs eſt probabile, ſæpius eſt falſum, quàm verum; ſicut è contrario id, quod magis eſt probabile, ſæpius eſt verum, quàm falſum: ſed id, quod ſæpius eſt falſum, quàm verum, non eſt probabile: ergo minùs probabile comparatione oppoſiti magis probabilis, ne quidem eſt, vel manet probabile, ac dignum aſſenſu prudenti.

Reſp. Diſt. Maj. Idem determinatum objectum materiale vel formale, quod hic & nunc apparet minus probabile, eſt ſæpius falſum quàm verum, nego Majorem: non idem objectum determinatum, ſed ſolummodò diverſa & plura objecta minus probabilia ſunt ſæpius falſa, ita tamen, ut de neutro, quamdiu eſt probabile, determinatè ſciatur, eſſe falſum, concedo Majorem: & ſic diſtinguo Minorem. Id quod tanquam objectum materiale & formale determinatè ſumptum, ſæpiùs eſt falſum, & cognoſcitur eſſe falſum, non eſt probabile, concedo Minorem, quod tantùm conjungitur cum aliis objectis materialibus, aut formalibus, minus probabilibus, quorum plura ſunt falſa, id non eſt probabile, nego Minorem. Aliud enim eſt, majorem partem motivorum minus probabilium, verſantium circa objecta materialia diverſa, præſentibus motivis contrariis probabilioribus, ſæpius fallere: Et aliud: Hoc motivum minùs probabile, eſſe, & cognoſci eſſe unum ex illis, quæ fallunt. Unde ſolùm ſequitur, hanc propoſitionem non eſſe probabilem: Motiva minùs probabilia plura non fallunt, præſentibus contrariis probabilioribus. Non autem ſequitur, hanc non eſſe probabilem. Hoc motivum, minùs probabile, quàm alterum magis probabile, ſæpius non fallit, quàm fallat: hæc enim propoſitio vera eſt; licèt aliud contrarium motivum circa alia objecta materialia, diverſa ab objectis materialibus prioris motivi, adhuc ſæpius non fallat: Licèt v. g. Petrus adhuc ſæpius verum dicat, quàm Paulus, quando de diverſis objectis loquuntur. Per hoc enim non ſequitur, quando deinde Petrus & Paulus de eodem objecto contraria affirmant; quando e. g. unus dicit: hoc objectum eſt honeſtum, alter verò dicit, non eſt honeſtum, quòd aſſertio Pauli non ſit probabilis; quandoquidem adhuc verum manet, quod ſæpius verum judicaverit, & dixerit circa objecta materialia, quorum ipſe & Petrus ſupponuntur habere magnam peritiam, quamvis Petrus ponatur habere majorem.

Obiicitur ſecundò. Motivum fundans aſſenſum prudentem in præſentia motivorum contrariorum debet etiam comparatione illorum ſæpè non fallere, quàm fallere: ſed in præſentia motivorum magis probabilium contrariorum, motivum minùs probabile non poteſt ſæpius non fallere; quia ſuperatur à motivis magis probabilibus, longè frequentiùs non fallentibus, adeòque ipſum minùs probabile ſæpius fallit: ergo motivum minùs probabile non poteſt prudentem aſſenſum fundare in præſentia motivorum contrariorum magis probabilium.

Reſp. Diſt. Maj. Debet in præſentia illorum ſæpius non fallere, id eſt, debet ſæpius non fallere, quam motiva magis probabilia, nego Maj. Debet ſæpius non fallere, quàm fallere, non obſtante quod hic & nunc conjungatur cum motivis magis probabilibus contrariis, concedo Maj. & ſic diſtincta Minore, nego ſuppoſitum annexæ rationis; quòd quia motivum minùs probabile ſuperatur ab aliis probabilitate, ipſum circa ſua objecta ſæpius fallat: ſolummodò enim ſequitur, quòd alia magis probabilia motiva adhuc ſæpius non fallant circa alia diſtincta objecta, ipſis correſpondentia.

§. V.

An Intellectus objecto, quod Voluntas eligit, debeat aſſentiri ut verè, vel ut probabiliter honeſto.

SUMMARIUM.

51 *Poteſt conſiſtere aſſenſus honeſtatis Formalis, cum diſſenſu de honeſtate materiali.*
52 *Solvitur Objectio.*
53 *Actus Voluntatis ſequens ex prædicto aſſenſu eſt honeſtus.*
54 *Solvitur Objectio.*

Dico: ut quis honeſtè operetur, ſequendo opinionem probabilem, neceſſe eſt, ut per dictamen proximum, quod eſt proxima regula determinans intellectum, & dirigens operationem, non tantùm probabiliter, aut probabilius, ſed certò & indubitanter judicet, operationem illam in his circumſtantiis, omnibus conſideratis, ſibi eſſe verè licitam, & eſſe conformem Divinæ ac primæ Regulæ. Aſſero tamen contra Palao *tr. 1. diſp. 2 pun. 2 n. 4.* Ludovicum Schildere *tr 2. n. 25* Eſparza *In appendice art. 141.* cum Doctoribus ſequenti concluſione pro hac etiam pugnantibus, hoc judicium poſſe ſtare cum alio judicio ſpeculativo, remoto, non proximè & ultimatè directivo, quo idem intellectus judicat, operationem illam, abſtrahendo ab his circumſtantiis, & ſecluſis illis, quæ hic & nunc faciunt, & cognoſcuntur facere operationem licitam, eſſe ſecundùm ſe illicitam; modò ſimul evidenter cognoſcatur hoc judicium ſpeculativum eſſe probabiliter, vel probabilius falſum. Prima pars hic à me tanquam certa & communiter recepta ſupponitur, & in ſequentibus demonſtrabitur, iamque etiam demonſtrata eſt ſuprà *Art. 2.* 51

Secunda pars probatur. Poſſibile eſt hoc judicium. Evidens mihi eſt, hanc operationem propter has rationes, etiam cum omnibus rationibus oppoſitis collatas, eſſe probabiliter licitam, vel etiam eſſe probabilius licitam:

tam: nihilominus judico, has rationes, utpotè incertas à parte rei fallere, & oppoſitas, quamvis & ipſæ ſint incertæ, ac obnoxiæ falſitati, non fallere. Quia tamen utrumque, quòd operatio ſcilicet in ſe ſit licita, & quòd ſit illicita, eſt certò prababile, probabilitate vera ac comparativa, & quia mea opinio ſive aſſenſus, quòd operatio ſecundùm ſe ſit illicita, non reddit magis illicitam in ſe, quàm ſi judicaſſem eſſe licitam;, & quia manet integra ejus probabilitas, manente autem ejus probabilitate, ſive prudente eligibilitate, à me evidenter & certò cognita, licitè illam eligo, ideò judico me prudenter illam eligere in his circumſtantiis, & his omnibus conſideratis. Atqui hoc judicium, ſive ſit unus, ſive plures actus, eſt virtualiter, vel etiam realiter illud duplex judicium, & formaliter affirmat id, quod affirmatur à prædicto duplici judicio in concluſione poſito: ergo utrumque judicium poteſt ſimul conſiſtere.

52 Obiicies. Intellectus non poteſt ſimul habere duo judicia oppoſita, quorum unum affirmet, & alterum neget honeſtatem, vel licentiam ejuſdem operationis. Ergo quando dictamen remotum judicat operationem eſſe à parte rei inhoneſtam ac illicitam, ſolùmque dari in intellectu rationes ſuadentes honeſtatem, ac licentiam illius, non poteſt intellectus ſimul habere dictamen proximum, evidens, quo judicet operationem eſſe honeſtam ac licitam.

Reſp. Neg. ſuppoſitum antecedentis: quòd intellectus in caſu aſſertæ concluſionis habeat judicia oppoſita, quæ eandem operationem, ſub eadem conſideratione ſpectatam affirment, & negent eſſe honeſtam vel licitam. Si enim intellectus ſolummodò neget eſſe honeſtam ſecundùm ſe, & præciſivè ſpectatam, & ſimul affirmet eſſe honeſtam, prout ſubſtat judicio aſſerenti probabilitatem honeſtatis, hoc ipſo eadem operatio non ſub eadem conſideratione affirmatur, & negatur, eſſe honeſta ac licita. Sicut omnes fateri debent, quòd, quando per ignorantiam invincibilem & inculpabilem, operatio, à parte rei inhoneſta, fit formaliter honeſta, eadem operatio ſit ſub diverſa conſideratione honeſta, & inhoneſta, ſit conformis Divinæ ac primæ Regulæ, & ſit difformis, & ſimul affirmari ac negari poſſit honeſta. Sicut enim ignorantia invincibilis operationem in ſtatu reali inhoneſtam per cognitionem erroneam reddit in ſtatu intentionali honeſtam, ſic cognitio directa, quòd operatio ſit probabiliter honeſta, & quòd judicium eandem ſecundùm ſe ſpectatam affirmans inhoneſtam, ſit probabiliter falſum, aut fallax, tribuit eidem operationi ſtatum intentionalem, in quo ſit honeſta, ſecundùm quem ſtatum per dictamen proximum reflexè cognoſcitur, & verè affirmatur honeſta.

Alio adhuc exemplo concluſionem, & datam reſponſionem demonſtro. Sicut non ſunt oppoſita hæc duo judicia, vel idem judicium virtualiter duplex: Judico quòd hac die jejunii ſine cauſa excuſante, nempè ſine ægritudine, vel ſine diſpenſatione ſuperioris non ſit mihi licitum comedere carnes: quia tamen evidens mihi eſt, me habere ægritudinem, & Medicus mihi teſtatur, hanc meam ægritudinem eſſe ſufficientem cauſam, ob quam liceat mihi comedere carnes, vel quia mihi conſtat, quòd ſuperior mecum diſpenſaverit, ideò judico, quòd mihi liceat comedere carnes. Ita abeſt omnis oppoſitio in hoc Judicio. Judico, quòd ſine horum motivorum probabilitate à me evidenter cognita, ratione ſolius realis veritatis dictorum motivorum, non liceret ponere hanc operationem: quia tamen evidenter cognoſco illorum probabilitatem adhuc cum oppoſitis rationibus conſiſtentem, & quia innumeri docti & probi viri mihi atteſtantur, ipſæque rationes eorum convincunt, ſufficere horum motivorum probabilitatem independenter ab eorum reali veritate, & independenter ab affirmatione veritatis, ob ſolam probabilitatem affirmatam, & ipſius veritatis realis incertitudinem, certitudiniſque ignorantiam invincibilem, ac inculpabilem: ideò judico licere mihi hanc operationem ponere.

53 Dico ſecundò. Suppoſita veritate præcedentis concluſionis, ſive ſuppoſito judicio remoto negante honeſtatem materialiter ſumptam, & judicio proximo ſimul affirmante honeſtatem operationis formaliter acceptam, hoc ipſo operatio ſubſequens eſt honeſta. Probatur primò Authoritate Antiquiorum Thomiſtarum Bart. Medinæ 1.2.*q.*19.*a.*6. pluriumque aliorum; ita ut Vaſq. 1. 2. *diſp.*62. *cap.*4. *num.*14. jam ſuo tempore, & multò antè, ſententiam communem dixerit, eamque & ipſe approbaverit: eandem ſecutus eſt Azor. *lib.*2. *Moral. cap.*17. *q.*7. Sanchez *lib.* 1. *Moral. cap.*9. *num.* 15. qui *num.*42. non fuit immemor ſuorum dictorum, ut ipſi immeritò obiicit Palao proximè citandus: ubi licèt dicat Medicum non poſſe contra propriam opinionem medicinam ut utilem ex aliorum Medicorum mente præſcribere, niſi ſuam ſimul opinionem corrigat, per hoc non negat priorem ſuam doctrinam, ſed magis confirmatur, quòd cum propria opinione negante poſſit conſiſtere ſententia approbans alienam, ut probabilem, & ut corrigens propriam opinionem, tanquam prudenter negabilem, ut veram.

Adde, quòd in priori loco Sanchez loquatur de judicio verſante circa licentiam operationis, in poſteriori autem de judicio circa ſalubritatem medicinæ, quæ judicia longè ſunt diverſa, & potuit Medicus ſpecialiter ſe obligare Reipub. ad non præſcribendam ullam medicinam, quam non ipſe judicat ſalutarem. Relatos Authores ſecuti ſunt etiam Tannerus *tom.*2. *diſputat.*2. *dub.*3. *num.*33. Fran. Bardi *diſceptat.* 4. *capit.* 16. citans Zachariam Paſqualigum *de Opinionis Electione deciſ.* 21. Nicolaus Baldel. *tom.*1. *lib.*4. *diſputat.*12. *num.*5. & 6. Anton. Terillus *de Conſcien. Probabili quæſt.* 30. *aſſert.* 2. Idem, ſi integrè legatur, docet etiam Valent. *tom.* 3. *diſput.* 5. *quæſt.*7. *punct.*4. *circa fin.* qui licèt antè videri poterat contrarium dixiſſe, ſe explicat his verbis: *Ex quo intelligitur, quo pacto accipiendum ſit dictum illud: Vnicuique licitum eſt ſe opinioni probabili conformare: videlicet ſi dictamen opinionis ipſe habeat, reputando illam veram, vel certè non falſam, ſed probabiliter ſaltem veram.* Quibus ultimis verbis requirit, ut per judicium probabilitatis ſimul ſtans proprium judicium corrigatur: ut deinde dicemus. Et ideò ſumit pro eodem: non reputare falſam: & reputare probabiliter ſaltem veram: quod idem facit, ſaltem æquivalenter, & qui evidenter, & certò affirmat, probabile eſſe, quòd hæc opinio ſit vera. Adeòque juxta citatum Authorem, & juxta noſtram communemque ſententiam tantùm requiritur, ut opinio negans honeſtatem non ponatur ſola, cum remotione affirmationis honeſtatis ſive ut veræ, ſive ut probabilis, quod idem eſt, ac probabiliter veræ.

Probatur ſecundò. Quando operatio eſt conformis dictamini proximè & immediatè directivo, & quando ipſum dictamen eſt conforme primæ ac divinæ regulæ, operatio à tali dictamine dependens eſt honeſta, ac licita. Sed hæc omnia ita ſe habent: Nam prima Regula; evidentia luminis naturæ nobis certa, ſive ab Authore naturæ rationalis dictata, dicit: Quicunque certò & evidenter judicat, aliquam operationem eſſe honeſtè ac licitè eligibilem, ille eandem honeſtè ac licitè eligit: ſubſumit intellectus per proximum ſuum dictamen. Atqui ego, non obſtante, quòd judicem hanc operationem eſſe in ſe, prout ſubſtat intellectui divino, probabiliter, aut probabilius inhoneſtam, & Legi contrariam, ipſaſque rationes ſuadentes, eſſe honeſtam, judicem in ſe eſſe probabiliter, aut probabilius falſas, judico tamen indubitanter, certò, & evidenter, iſtud prædictum meum judicium eſſe probabiliter falſum, & tam objectum, quàm ipſas rationes eſſe certò probabiles, adeòque (quod eſt explicatio vocis *probabiles*) eſſe honeſtè, licitè, & prudenter eligibiles, prout ſubſtant cuicunque intellectui humano, & meo, facilè fallibili à contrariis rationibus, etiam apparentibus, ut probabilioribus. Huic autem judicio, quod eſt dictamen proximum, eſt conformis operatio ſubſequens: ergo hæc eſt conformis dictamini proximo, & hoc eſt conforme primæ regulæ.

Probatur tertiò. Judicium remotū, quo veritatem honeſtatis ac licentiæ, & rationum probabilium, vel magis probabilium probabiliter, & cum formidine erroris aſſirmarem, eſt tantùm probabile ac fallibile, & pari ratione etiā illud judicium, quo eandem veritatem negarem. At Judicium affirmans ipſam probabilitatem honeſtatis, & rationum verè ac comparativè probabilium eſt certò & evidenter verum; (ſuppono enim illam probabilita-

bilitatem, ſive majorem, ſive minorem ſic cognoſci) Ergo dictamen proximum in hoc Iudicium debet reflecti, & in iſto, tanquam in principio infallibili debet fundari: alterum autem Iudicium, ſive ſit affirmativum, ſive negativum eſt impertinens, & nec juvat, nec nocet.

Probatur quartò. Honeſtas ac licentia operationis, quæ debet applicari & proponi intellectui, ut honeſtè ac licitè illam ponat, æquè, imò certiùs applicatur ac proponitur intellectui, ſi evidenter & certò aſſentiatur, & affirmet probabilitatem honeſtatis ac rationum ſuaſivarum, quàm ſi probabiliter, & cum formidine erroris affirmet veritatem honeſtatis: hoc enim judicium eſt incertum ac fallibile, & ſine proximo dictamine reflexo non poſſet ſufficere, etiamſi niteretur rationibus probabilioribus, ſed incertis: Ergo hoc judicium neque eſt neceſſarium, hoc ipſo, quòd ejus munus æquè ac meliùs præſtetur à Judicio affirmante evidenter probabilitatem.

Probatur quintò. Si Judicium remotum negans licentiam & honeſtatem operationis, negat illam tantùm cum formidine, & pro ſtatu reali, qnem ipſum non certò cognoſcit, ſed judicat à ſolo DEO certò cognoſci, & ſi illud ipſum judicium fatetur honeſtatem & licentiam operationis eſſe prudenter affirmabilem, ac eligibilem pro ſtatu intentionali, hoc ipſo, qnòd fateatur, honeſtatem & rationes illius eſſe verè ac comparativè probabiles, tunc ipſum non obſtat honeſtati operationis, ut tali probabilitate affirmata cognitæ, & in ſtatu intentionali ſpectatæ: & licèt phyſicè exiſtat, tamen moraliter deponitur, & corrigitur per affirmationem probabilitatis, & prudentis eligibilitatis, ſicut qnando quis actu dubitat de licentia, & ſimul in eodem inſtanti per aliud judicium ſe reſolvit, ac ipſum dubium moraliter deponit. Ergo ſicut dubium depoſitum non ampliùs obſtat, ſic nec illud judicium. Confirmatur hæc ratio clariſſimo Exemplo, quo utraque concluſio hujus Paragraphi demonſtratur. Si quis haberet rationes in utramq; partem verè probabiles, quòd prædium hactenus à ſe ſemper bona fide poſſeſſum ſit alienum, & quòd conſequenter illud debeat legitimo domino cedere: & ſimul etiam, quòd non ſit alienum, ſed priores rationes, quòd ſit alienum, judicet probabiliores, & veras; poſteriores autem judicet eſſe verè adhuc & comparativè probabiles, ſed à parte rei falſas. In tali caſu poteſt formare, & licitè exequi hoc judicium. Ego judico quidem, quòd hoc prædium ſit alienum in rei veritate, & quòd legitimo domino ſecundùm ejus Jus reale eſſet credendum: ſed quia habeo rationes, mihi etiam evidenter probabiles, quòd non ſit alienum, & quia hoc ipſo ſecundùm Leges melior eſt conditio poſſidentis: & ſecundùm has ipſe Judex mihi deberet adjudicare prædium, ſi idem judicium haberet, quod ego nunc habeo, ideo licitè & honeſtè judico eſſe meum, prout ſubſtat tali, quamvìs minori probabilitati rationum, & Legibus, faventibus poſſeſſori, quamdiu ejus rationes non enervantur à parte contraria. Ecce compoſſibilitatem judiciorum, Jus prædii diverſo reſpectu affirmantium & negantium, & quomodo judicium, negans Jus poſſeſſori, non obſtet alteri judicio & executioni illius. Idem dicemus paragrapho ſequenti circa licentiam operationum, & exemptionem ab aliis legibus, quamdiu libertas à Lege eſt in poſſeſſione.

Probatur ſextò. Non omnes, requirentes ad honeſtam operationem moti va apparentia magis probabilia, negant, intellectum poſſe his diſſentire, & minùs probabilibus aſſentiri; quod ſuprà oſtenſum eſt à nemine poſſe meritò negari. Ponamus ergo aliquem judicare, quòd hoc die feſto probabilius ſit, ſe non teneri audire Miſſam, propter rationes ſuadentes obligationem aſſiſtendi infirmo, ſimul tamen judicare has rationes eſſe falſas, atque oppoſitas minùs quidem probabiles, quòd teneatur audire, eſſe veras. In tali ergo caſu vel non licebit ſequi ſententiam magis probabilem, ut aſſiſtat infirmo, cui judicat eſſe probabilius, ſe teneri aſſiſtere; vel poterit tamen aſiſtere, etiamſi judicet rationes probabiliùs excuſantes eſſe falſas.

Rationes, quas Adverſarii in contrarium afferunt, tantùm probant, requiri aliquod judicium affirmans honeſtatem & licentiam operationis, quod hactenus ſemper requiſivimus, & quod ferè ſolum, ſine excluſione alterius judicii requirunt illi Authores, quos pro ſe explicare contendunt. Unde niſi probetur, quòd hoc judicinm non poſſit ſtare cnm dictamine remoto, negantem honeſtatem, parùm videtur probari.

Obiicit tamen P. Martius Eſparza *in Appendice art.* 54
140. Nemo poteſt dirigi in eliciendo actu voluntatis per cognitionem, & opinionem, quæ actualiter non præexiſtit in intellectu ejus, eſtque planè Chimericum, ut conformare quis liberè poſſit electionem ſuam cognitioni, ſeu opinioni, quæ non datur in eligente, nec prælucet eidem electioni ex parte actus primi, utque exerceat immediatam aliqnam cauſalitatem, ſeu directivam, ſeu formalem, ſeu efficientem in actum voluntatis ea cognitio, ac opinio, quæ volenti ipſi non ineſt, & cujus potiùs contraria ineſt, dum elicit talem actum. Ergo ut quis licitè eligat opinionem minùs probabilem, & ab eadem dirigatur ad volendum, & agendum, vel omittendnm aliquid, debet priùs illam opinionem in ſuo intellectu elicere, eique aſſentiri, ut veræ, quòd ſcilicet obiectum in ſe à parte rei ſit honeſtum, nec ſufficit (ut *art.* 143. Author urget) quòd ab alio gravi Doctore fuerit cognitum & iudicatum honeſtum, quia actus voluntatis non ſpecificatur ex obiecto, prout repręſentato, ſeu applicato, ac propoſito per alienam, ſed per propriam ipſius volentis cognitionem, eamque directam, & non reflexam. Actus enim volentis operari fertur ad operationem ipſam, eamque vult ſecundùm ſe, & non præcisè ut denominatam per cognitionem aliquam; atque ut velit operationem, neceſſe eſt, ut dirigatur cognitione, eandem repræſentante, ſeu applicante, ac proponente, utque ea cognitio inſit ipſi volenti, eique proponat operationem ſecundùm ſe, & non præcisè ut denominatam per aliquam alia cognitionem. Hæc omnia ſunt verba ipſius Authoris, quæ placuit integrè referre, quia Author exiſtimat, vim ſui argumenti clarè per illa exprimi.

Reſpondeo itaque nunc ad ſingula. Primum antecedens diſtinguo. Nemo poteſt dirigi in eliciendo actu voluntatis per cognitionem, quæ actualiter non præexiſtit in intellectu eius, ſcilicet niſi eo modo in intellectu eius præexiſtat, quo modo ab illa dirigitur, concedo antecedens: niſi adhuc alio modo præexiſtat, nego antecedens. Quando enim quis operatur non iuxta propriam opinionem, ſed juxta alienam, quam iudicat eſſe falſam, attamen probabilem, abſolutè & comparativè, vel etiam probabiliorem; tunc illa opinione non dirigitur formaliter, ſed tantùm obiectivè, & tali modo præexiſtit in intellectu operantis, quia ab ipſo cognoſcitur, & judicatur comparativè etiam probabilis, ac prudenter eligibilis: cognitio verò, qua operans formaliter dirigitur, non eſt illa cognitio aliena, tenens ſe ex parte obiecti, & complens obiecti eligibilitatem, ac probabilitatem honeſtatis obiectivæ (ſi hæc fundetur in ipſa Authoritate) ſed eſt illa propria cognitio, in proprio intellectu præexiſtens, quæ formaliter repræſentat cognitionem alienam, & quæ hoc dicit: *Etiamſi judicem talem actionem, vel omiſſionem, eſſe in ſe inhoneſtam & contrariam opinionem eſſe planè falſam, quia tamen poteſt eſſe, ut meum judicium ſit falſum, & contraria opinio ſit vera, hoc ipſo, quod ſit comparativè probabilis, & proinde prudenter eligibilis, ideo non obſtante proprio meo judicio prudenter eligo & operor juxta contrariam opinionem, quam evidenter cognoſco, & judico comparativè probabilem, ac prudenter eligibilem.* Et ſic poteſt P. Eſparza negari ſuppoſitum ſui antecedens, quòd cognitio formaliter dirigens non ſit formaliter in intellectu, & objectivè dirigens non præexiſtat objectivè: ſicùt ipſe fateri debet modum operandi & dirigendi voluntatem ita contingere, quando quis priùs obiectum, ſecundùm ſe ſpectatum, judicavit eſſe inhoneſtum, & deinde propter ſolam Authoritatem ſui Magiſtri, vel Confeſſarii, vel ſuperioris, vel alterius Doctoris, omni exceptione majoris, propria opinione mutata, judicat eſſe honeſtum, illudque vult & eligit, tanquam honeſtum.

Quo in caſu debet Author omnia reliqua ſolvere, quæ nobis oppoſuit in ſuo argumento. Quia tunc obiectum, quod in ſe ſpectatum judicabatur inhoneſtū, ut *cognitum ab alio*, & propter ipſam Authoritatem extrinſecam indicatur honeſtum; ſicut juxta nos ſaltem judicatur comparativè probabile, ac prudenter eligibile, & cōſequenter

etiam judicatur honeſtum; & ſic idem objectum, ut ſuprà dixi, diverſo reſpectu, judicatur inhoneſtum, ſecluſa ſcilicet Authoritate extrinſeca, ſive probabilitate opinionis alienæ, & ſimul judicatur honeſtum, ob probabilitatem honeſtatis, & eligibilitatis, ab opinione aliena ipſi accreſcentem· ſicut enim hæc ſufficit, ut objectum in ſe à parte rei inhoneſtum, propter hujus ignorantiam, & inevidentiam fiat in actu primo proximo honeſtum, & verè affirmetur honeſtum, etiamſi in actu primo remoto, & ſeorſim ſecundùm ſe ſit, & maneat inhoneſtum, ſic etiam ſufficit, ut ſecundùm ſe adhuc quidem judicetur inhoneſtum, attamen ut cognitum cognitione aliena, pariente probabilitatem honeſtatis, judicetur probabiliter honeſtum, ac prudenter eligile, adeòque honeſtum ſub hac denominatione *cognitum et judicatum honeſtum* à tanto Doctore, qui omnibus conſideratis ſufficiat ad prudentem aſſenſum, quo objectum ab operante judicatur ut verè honeſtum, juxta Eſparzam, vel prudenter & honeſtè eligibile, juxta noſtram concluſionem; unde ſimili ferè modo ſe habet cognitio aliena comparativè probabilis, quo ſe habet diſpenſatio in Lege, qua poſita intellectus ſimul poteſt judicare, objectum contrarium Legi ſecluſa ſeu præciſa diſpenſatione eſſe inhoneſtum, accedente autem diſpenſatione, eſſe honeſtum.

Nunc itaque forma reſpondeo ad poſteriorem partem objectionis, & nego, quòd actus voluntatis non ſpecificetur ex objecto, prout repræſentato, ſeu applicato ac propoſito per alienam cognitionem: quando enim operans in ſententia Adverſarii à priori ſua opinione propter alterius cognitionem, & authoritatem deſiſtit, & huic cognitioni aſſentitur, actus voluntatis fit honeſtus, & conſequenter ſpecificatur ex objecto per alienam cognitionem aliter repræſentato, & applicato, ſed non per hanc ſolam; omninò enim eſt adhuc neceſſaria propria ipſius volentis cognitio, eaque directa in ipſum objectum, non præcisè quidem ſecundùm ſe ſpectatum, ut fateri debet Adverſarius in caſu præſentis retorſionis, ſed ut cognitum per alienam cognitionem, quam operans juxta ipſum debet judicare ut veram, ſecundùm me autem, ut comparativè probabilem, ob cujus neceſſitatem omnia reliqua, quæ Eſparza dicit, vera ſunt, excepto eo, ut ipſe excipere debet, quòd cognitio judicans objectum eſſe honeſtum, vel eſſe comparativè probabile, quòd ſit honeſtum, non feratur in objectum, *ut cognitum*, vel *ut denominatum* à cognitione aliena, qua objectum ſaltem *quoad nos* in abſentia motivi enervantis illam cognitionem, nixam ratione magni momenti, redditur affirmabile, ut honeſtum, vel ut probabiliter honeſtum, ac eligibile, tamquam à termino ſpecificante, & complente honeſtatem ac eligibilitatem objecti, ſive illud in ſe ſit, & judicetur honeſtum, ſive non. Immò quia nullum objectum (ſaltem quod non eſt evidenter honeſtum) eſt honeſtè eligibile à voluntate, niſi per cognitionem reflexam intellectus certificetur de illius honeſtate, priùs directè cognita, prout in principio hujus tractatus oſtendimus, ideò ſemper neceſſe eſt, ut cognitio proximè dirigens voluntatem feratur in objectum, *ut cognitum* & *denominatum* à cognitione directa veritatis, aut comparativæ probabilitatis objectivæ.

Urgebis. Quando quis judicat aliquam operationem, prout eſt in ſe, eſſe inhoneſtam, tunc judicat, Doctores aſſerentes oppoſitum falli, & rationes oppoſitas fallere. Sed tale judicium non poteſt dirigere ad operationem honeſtam. Probatur aſſumptio. Objectum, quod judicatur in ſe inhoneſtum, non poteſt judicari fieri honeſtum per judicium aliorum, ſi hoc ipſum judicatur falſum, neque per rationes illorum, ſi hæc judicantur fallentes. Ergo ſi objectum neque eſt, vel non judicatur in ſe honeſtum, & ſi neque fit per Authoritatem extrinſecam, ſive per iudicium aliorum, apparens, ut falſum, neque per rationes, apparentes, ut fallentes, honeſtum aut licitum, nullo modo poteſt iudicari honeſtum aut licitum, & hoc ipſo operatio eligens illud obiectum non poteſt eſſe honeſta. Reſp. Diſtinguo primam Maiorem. Judicat, Doctores aſſerentes oppoſitum falli, & rationes oppoſitas fallere, ita ut hoc unicè, & indubitanter iudicet, nego Maiorem: ut ſimul iudicet Doctores probabiliter non falli, & rationes illorum probabiliter non fallere, ſed evidenter probabilè eſſe, illos & illas nec falli, nec fallere, ſed re potiùs falli, & ſuas rationes fallere, quantumvis appareant ſibi veræ, vel probabiliores; concedo Maiorem: & ſic diſtincta Minore concedo, & negò conſequentiam. Ex qua diſtinctione patet etiam ſolutio probationis.

§. VI.

Reſolvitur Quæſtio Principalis, in principio hujus Articuli propoſita. An ſcilicet liceat ſequi conſcientiam, quoad honeſtatem objecti tantùm probabilem.

S U M M A R I U M.

55 *Non eſt generaliter vera hæc propoſitio. Licet ſententiam ſimpliciter, et abſolutè probabilem præferre probabiliori, neganti licentiam.*
56 *Exponitur, quo ſenſu ſit vera prædicta Propoſitio.*
57 *Stabilitur dicta expoſitio, et aſſertio authoritate Doctorum.*
58 *Probatur eadem ſententia quinque rationibus.*

Dico primò. Hæc propoſitio: *Licet ſententiam ſimpliciter, et abſolutè probabilem præferre in praxi ſententiæ probabiliori, neganti licentiam actionis, à minùs probabili aſſertæ*: Generaliter, & prout iacet, ſine legitimam expoſitione, & reſtrictione accepta, eſt certò falſa, & improbabilis, ac meritò negatur ab omnibus Doctoribus, pro ſequenti concluſione allegandis. Demonſtratur primò. Sæpe poteſt contingere, ut ſententia aliqua ſpectando ſolam authoritatem unius, vel plurium gravium Doctorum, immò ſpectando quoque quaſdam rationes, ſecundùm ſe probabiles, & magni momenti, ſit, & videatur ſimpliciter, & abſolutè probabilis, eius tamen probabilitas abſoluta per comparationem ad authoritatem, & rationes oppoſitas, & per reſponſiones ad allatas rationes penitus enervetur, & vi movendi ad prudentem aſſenſum aſſertæ licentiæ ad taliter operandum omninò exuatur. Atqui talem ſententiam, abſtrahendo ab illa comparatione ſimpliciter, & abſolutè probabilem, comparativè tamen improbabilem ac enervatam non licet ſequi. Ergo non univerſaliter, & illimitatè verum eſt, quod aſſeritur in prædicta propoſitione. Major certa eſt tum ex prohibitione Pontificia multarum propoſionum, quæ priùs à gravibus Doctoribus tradebantur propter rationes, quæ abſolutè, & abſtractivè ſpectatæ poterant tantos viros movere ad prudentem aſſenſum: tum propter multiplicem experientiam, qua plures ſententiæ, olim probabiles abſolutè, & ſimpliciter, propter de novo excogitatas rationes, & reſponſiones ad illarum fundamenta, redditæ ſunt improbabiles, & oppoſitæ ſententiæ factæ ſunt ſaltem moraliter certæ. Immò reſpectu ejuſdem intellectus poteſt contingere, ut magis perpenſis rationibus & reſponſionibus oppoſitæ ſententiæ, negantis licentiam actionis, vel omiſſionis, prior affirmans, & abſolutè ſpectata probabilis, deinde appareat improbabilis, & ſaltem morali evidentia agnoſcatur falſa. Minor ab omnibus conceditur: & eſt per ſe evidens, ſi enim non poſſum prudenter judicare, ſententiam affirmativam obligationis ſub peccato eſſe falſam, ſed ſi ſaltem moraliter evidens eſt, illam eſſe veram, ab eaquæ enervari probabilitatem contradictoriæ ſententiæ, affirmantis licentiam, vel negantis obligationem, hoc ipſo operando contra conſcientiam, & contra dictamen prudentiæ, & contra obligationem certò cognitam, pecco. Ideò inter propoſitiones jure ab Innocentio XI. prohibitas tertia eſt hæc: *Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi, aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Hoc ipſo enim, quòd probabilitas abſoluta, quantumvis nixa rationibus ſecundùm ſe magni momenti, per ſententiam oppoſitam enervata, non mereatur prudentem aſſenſum, neque eam ſequendo prudenter agimus; etiamſi nomen probabilitatis abſolutæ propter authoritatem, vel rationem magni momenti ſibi vindicaverit. 55

Demonſtratur ſecundò. Quia ſæpe aliqua ſententia eſt tantùm probabilis, non probabilitate honeſtatis objectivæ, ſive licentiæ ad taliter operandum; ſed probabilitate quadam ſpeculativa, quoad quæſtionem Facti, vel

Juris,

Juris, vel valoris, vel cujuſcunque bonitatis, aut utilitatis alterius, quàm moralis. Atqui certum eſt, ut inferiùs oſtendemus, quòd hæc probabilitas non ſufficiat, ut juxta eam quis licitè operetur. V. G. ut per materiam aut formam tantùm probabiliter, & non certò validam, quis extra caſum neceſſitatis licitè adminiſtret Sacramenta, vel Judex ſententiam ferat pro parte, habente tantùm probabile Jus, contra alteram, habentem probabilius Jus. Ergo generaliter, & ſine legitima expoſitione, ac reſtrictione non eſt vera hæc propoſitio: *Licet ſententiam ſimpliciter, & abſolutè probabilem præferre in praxi ſententiæ probabiliori.*

56 Dico ſecundò. Hæc propoſitio: *Licet ſequi ſententiam propriam vel alienam* (ut ſuprà oſtendi) *quoad aſſertam honeſtatem, aut licentiam actionis, vel omiſſionis, abſolutè & comparativè ad rationes oppoſitas probabilem, ac reflexa evidentia cognitam, ut probabilem, & inenervatam, etiamſi oppoſitæ rationes ſint, & appareant probabiliores, magiſque allicientes ad aſſenſum*; videtur certa, & prudenter innegabilis. Antequam autem demonſtretur, referam priùs aliorum Doctorum de ea judicium.

57 Noſter P. Antonius Terillus *in Tract. de Conſcientia Probabili q.* 22. *à n.* 9. uſque ad *n.* 182. per paginas 61. pro illa de hoc Sæculo, in quo Leodii anno 1668. doctiſſimum ſuum tractatum typis vulgavit, impreſſos Authores numerat omninò centum & quinquaginta: ulteriùs autem retrogrediendo uſque ad annum milleſimum treceneſimum & ultrà adducit Patronos planè innumeros: & cùm uſum illius ſemper in Eccleſia viguiſſe certiſſimis exemplis à *num.* 183. comprobaſſet, deinde à *num.* 210. oſtendit, eandem ſententiam inſpecta authoritate non ſolùm multò probabiliorem eſſe oppoſita; ſed ſimpliciter loquendo eſſe humano modo moraliter certam.

Negari tamen videtur non poſſe, in tanto cumulo Doctorum primam laudem deberi præclariſſimis & doctiſſimis viris ex ſacra familia S. Dominici, qui à tempore Eximii M. Bartholomæi Mediæ, in Salmanticenſi Academia Primarii Anteceſſoris, quē Antonius Senenſis in Bibliotheca appellat Theologum eximium, & conſummatiſſimum, teſtaturq; morum probitate & religionis præſtantia non minori, quàm doctrina præditum fuiſſe, uſque ad Alexandrum VII. egregiis voluminibus ſententiam iſtam plurimùm illuſtrare nunquam deſtiterunt. Poſtquam enim laudatus M. Bartholomæus Medina *in* 1. 2. *q.* 19. *a.* 6. *circa finem*, eam ſolidis argumentis ſtabilivit, illum *ab anno* 1577. uſq; ad *annum* 1658. in quo R. P. Julius Mercorus ex eadem S. Dominici Familia eandem acriter impugnare cœpit, conſtanter ſecuti ſunt inſignes Magiſtri ex dicto ſanctiſſimo & illuſtriſſimo ordine, ex quibus aliquorum ſpectanda virtus & doctrina ſuper Eccleſiæ candelabrum poſita, & Epiſcopalibus mitris exornata eſt. Honoris gratia inter alios nominari merentur M. Dominicus Bannez 1. 2. *q.* 10. *a.* 1. *dub.* 8. *concl.* 4 in editione Duacenſi. M. Didacus Alvarez Epiſc. Travenſis 1. 2. *diſp.* 80. Vincentius Candidus S. Palat. Magiſter *tom.* 1. *Diſquiſitionum Moral. diſquiſit.* 5. *a.* 20. M. Petrus de Tapia Archiep. Hiſpalenſis *in Catena morali lib.* 1. *q.* 8. *a.* 12. Barthol. de Ledeſma Epiſcopus Guaxaguenſis *in tract. de Pœnit: Difficult.* 14. *concl.* 5. editionis Salmant. M. Marcus Serra. 1. 2. *q* 19. *a.* 6. *dub.* 4. qui etiam conatur explicare Cajetanum & Sylveſtrum contrariam ſententiam non docuiſſe. M. Gregorius Martinez *to.* 3. *pag.* 727. M. Thomas Vilar. *in Summa Controverſiarum in* 1. 2. *D. Thomæ tract. poſteriori de Conſcientia* 4. *p.* §. 6. M. Joannes de la Cruz *in Direct. de Conſcient. probabili dub.* 19. M. Acatius de Velaſco Epiſc. Oriolenſis. *to.* 2. *Reſol. Moral Verb. Opinio Reſol.* 316. *n.* 7. M. Joannes Martinez de Prado *to.* 1. *cap.* 1. *de Conſcientia quæſt.* 3. §. 3. *n.* 17. citatus à priori Authore. M. Joannes à S. Thoma Primarius Complutenſis & Philippo IV. Hiſp. Regi à Confeſſionibus *in* 1. 2. *q.* 18. *diſp.* 12. *a.* 2. M. Caſalus *in Candore Lilii reflex:* 4. §. 5. *n.* 30. & 31. M. Barnabas Gallego *in tract. de Conſcient. edito Matriti anno* 1648. *de conſc. prob. dub.* 1. Ubi ait, quòd hæc ſententia ſit communior inter Thomiſtas, & præter nonnullos jam citatos referuntur ab illo Petrus de Ledeſma *in Sum. to.* 2. *tr.* 8. *c.* 22. *diffic.* 2. *circa undecimam Concluſ.* Ludovicus Lopez 1. *p. Inſtruct. ca.* 120. Petrus Lorca 1. 2. *tr.* 1. *diſp.* 39. *membro* 2. Ludovicus Monteſinos *t.* 2. *diſp.* 29. *q.* 5. §. 3. Petrus Corneio. *to.* 1. *tract.* 8. *diſp.* 3. *dub.* 6. *Inſung Theol. Moral.* Petrus de Aragon. 2. 2. *q.* 63. *a.* 4. *dub. penult.* Michael Salon *Controv.* 2. *Conel.* 4. (ex Auguſtiniana Familia, cujus volumen de Juſtitia & Jure inſcriptum Antonius Poſſevinus aſſerit, à Theologis, qui ſapiunt, magnopere commendari.) Joannes Malderus, Epiſc. Antuerp. 1. 2. *q.* 19. *a.* 5. *diſp.* 68.

Poſt hos relatos dicit cit. M. Gallego: *Hanc ſententiam communiorem inter Thomiſtas ſequuntur alii plus Authores.* Adeoque non primam laudem merentur, quam etiam libenter cedunt, dum pro ſe priores ultrò allegant.) Hi ſunt (omitto brevitatis ſtudio adſcribere locum ubique allegatum) Suar. Valentia, Vaſq. Azor, Thomas Sanchez, Joannes Sanchez, Bonacina, Salas, Nicolaus Baldellus, Petrus de Navarra, Laymann, Sayro, Granado, Filliucius, Baſſius, Navarrus, Becanus, Leſſius, Henriquez Reginaldus, Ludovicus de la Cruz, Baſilius Ponce, Villalobos, Ludovicus de Torres, Joannes de Lugo, Santarellus, Diana, Nicolaus Garzia, Barboſa, Portel, Machado, Tannerus, Caſtropalao, Franciſcus de Lugo, & alii. Hos omnes ait citatus Author eſſe Sectatores ſententiæ communior inter Thomiſtas. Et quamvis Doctiſſimus M. Vincentius Contenſon (de Societate noſtra perhonorificè loquens, & optimè meritus) in Curſu Theologico *t.* 3. *aſſert.* 6. *cap.* 2. *in Vindiciis Thomiſtarum* ſummopere ſtudeat probare, ſententiam iſtam non eſſe doctrinam ſuæ ſacræ Familiæ, nullum tamen, potuit poſt M. Bartholomæum Medinam uſque ad M. Julium Mercorum, adeoque *ab anno* 1577. uſque *ad annum* 1658. allegare è ſuis, qui contraria typis ediderit.

Imò in Hiſpania poſt Mercorum adhuc ipſius S. Fam. Magiſtri uſque ad hæc noſtra tempora tenuerunt dictam ſententiam, quam M. Ferre *to.* 2. *in* 1. 2. excuſo Salmanticæ anno 1680. latè defendit.

Nec video, cur M. Contenſon multùm laboret de amolienda hac doctrina à ſuæ Familiæ Magiſtris; nam nemo adſcribit illam ipſis, ut nimium laxatam, vel malè intellectam, vel perperam applicatam: (Non enim ullus Religioſus Ordo, ſed inimicus homo hoc fecit, qui ſeminavit Zizania in medio tritici:) quatenus autem eſt vera, & recta regula morum, etiam non tribuitur ipſis ut Authoribus; quia cùm in lumine naturæ fundetur, & hoc fidelibus in Eccleſia DEI ſemper luxerit, non habet aliud initium, vel authorem. Cenſeo tamen, quòd negari vel invideri non debet laus relatis à me Authoribus dictæ Fam. quòd majorem illi ſplendorem ac lucem primi omnium affuderint.

Ego certè non curo, abſtergere aliquam labem à Societatis noſtræ Doctoribus (quod quidem non minori ſingularis amicitiæ affectu pro *noſtris* æquè quàm pro *ſuis* egregiè præſtitit idem laudatiſſimus Author *l. c. pag.* 797.) quantumvis aliqui non ſincerè de illis ſentientes, vel loquentes, laxitatis nimiæ illos propterea accuſent, quòd veſtigiis doctiſſimorum Magiſtrorum conſtanter inſiſtant. Nam qui illam regulam morum, ut inflexam ac incurvatam in ſiniſtram partem, ſcil. in nimiam laxitatem, ore vel calamo tradat, nemo è noſtris eſt, nec permittitur eſſe; ob expreſſam conſtitutionem S. P. noſtri Ignatii 4. *p. cap.* 5. §. 4. & Congregationis Generalis quintæ anno 1593. *Decreto* 41. & Congreg. Gen. XI. anno 1661. *Decret.* 22. & Congreg. Gen. XII. anno 1682. *Decret.* 28. Qui verò in dextram partem plus inflexam teneat, etiamſi hoc ſpeciali Decreto Congregationis ultimæ Gen. (quod eſt ordine *decimum octavum*) permiſſū eſſet, & multò ante Mercorum tenuerit noſter P. Paulus Comitulus *in Reſponſis Moralibus editis anno* 1609. *lib.* 5. *quæſt.* 15. & poſt illum P. Andreas Biancus ſub nomine Candidi Philalethi in *tract. de Opinionum praxi* anno 1642. poſt citatos, tamen credo, quòd impreſſus nullus ſit: Nam ſive in dextram ſive in ſiniſtram partem regula inflectatur, hoc ipſo non ampliùs eſt recta, & vera. Ideo contra Proſperum Fagnanum & Antonium Merendam, magnos ICtos, Guil. Wendrochium, Joannem Sinichium (nimis excedentē) & contra Julium Mercorum, Vincentium Baronum, Jo. Bapt. Gonet, Vincentium Contenſon, magnos Theologos (prudenter quidē ut arbitror exiſtimantes, ad hoc, ut virgula aliqua, aut regula, in unā partē inflexa, ad æqualitatē redeat, nō ſatis eſſe, in mediū illam reducere, ſed in oppoſitā partem, ſi fieri poſſet, ut non frangeretur, plùs inflectendam eſſe) præcipuè non tantùm ex noſtræ

Societatis, ſed ex diverſarum Religionum, & Inſtitutorum Doctoribus pro recto uſu opinionis probabilis præclarè ſcripſerunt, ut malè obliquata regula morum tàm à dextra, quàm ſiniſtra parte, in æquitatem, ac rectitudinem reflecteretur, atque in eadem ſolidis rationibus firmaretur, ac ſtabiliretur. Quorum proinde ductu & exemplo

58 Probatur concluſio mea ſecunda, tanta authoritate confirmata, multiplici ratione. Prima deſumitur ex Angelico Doctore 1.2.*q.94. ar.4.* ubi ait: Dicendum eſt, quòd lex naturæ, quantùm ad prima principia communia, eſt eadem apud omnes, & ſecundùm rectitudinem, & ſecundùm notitiam, ſed quantum ad quædam propria, quæ ſunt quaſi concluſiones primorum principiorum communium, eſt eadem apud omnes etiam ut in pluribus & ſecundùm rectitudinem, & ſecundùm notitiam: ſed ut in paucioribus poteſt deficere, & quantum ad rectitudinem propter aliqua particularia impedimenta, & etiam quantum ad notitiam, & hoc propter hoc, quòd habent aliqui depravatam rationem ex paſſione, ſeu ex mala conſuetudine, ſeu ex mala habituatione naturæ: ſicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum, cùm tamen ſit expreſsè contra legem naturæ. Subſumo. Atqui lex ſequendi in practicis ſententiam probabiliorem, neque ut principium commune, neque ut concluſio principiorum communium eſt eadem apud omnes ut in pluribus ſecundùm notitiam, ut patet ex longè majori multitudine eam negantium, neque hujus defectus poteſt aliqua ex dictis cauſa aſſignari, quia hæc ſecundùm S. Doctorem tantùm habet locum in paucioribus, & non niſi injurioſiſſimè de tam innumeris doctiſſimis & virtuoſiſſimis viris diceretur, quòd habeant depravatam rationem ex paſſione, ſeu ex mala conſuetudine, ſeu ex mala habitudine naturæ, ergo nulla datur lex naturæ, ſequendi in practicis ſententiam probabiliorem. Poſitiva autem ſcripta, vel ex conſuetudine, multò minùs poteſt allegari.

Secunda ratio iterum colligitur ex S. Thoma & ſic eſſormatur. Illa eſt lex pernicioſa, adeòque non introducta à natura, quæ non eſt ſufficienter manifeſtata. Refertur enim, inquit S. Thomas 1.2.*q.95. ar 3. in c. circa finem*. manifeſtatio ad cavendum nocumentum, quod ex ipſa Lege poſſet provenire. Atqui juxta paulò antè citatum textum lex ſequendi ſententiam probabiliorem non eſt ſufficienter manifeſtata manifeſtatione tali, qualem Sanctus Doctor ad legem naturalem requirit, ergo eſt pernicioſa, maximè propter nimis frequentem difficultatem inveniendi, & perplexitatem diſcernendi illam, ac propter arduitatem communiter à pleriſque inſuperabilem, ſe ſubmittendi Legi ſolùm apparenter probabiliori, & adhuc incertæ propter rationes inſufficientes ad enervandas oppoſitas, & ad evertendum judicium rationabile ac prudens de licentia omittendi actionem hic & nunc ſæpè valdè præjudicioſam, damnoſam, & arduam, ad quæ nocumenta S. Thomam citato loco reſpexiſſe, eſt indubitatum.

Tertia Ratio. Poſſeſſio juris vel immunitatis ab obligatione in quacumque materia præponderat majori probabilitati, & cedit ſoli certitudini, ut ſupra confirmavimus, & fundatur in propoſitione ſolis terminis ritè apprehenſis per ſe evidente, quòd ſcilicet quandocunque, etiam in concurſu rationum contrariarum, quiſ poteſt propter rationes adhuc probabiles prudenter judicare ſe eſſe liberum, & immunem ab obligatione, hoc ipſo obligatio incerta non poſſit tollere libertatem certam; ergo quandocunque aliqua obligatio ſolummodo apparet ut probabilior, ita ut immunitas ab illa appareat probabilis & prudenter credibilis, homo maneat in ſua poſſeſſione libertatis.

Quarta Ratio. Si eſſet obligatio ſequendi ſemper probabiliorem opinionem, aut tutiorem, tunc finis hujus obligationis juxta Adverſarios eſſet, ut vitarentur frequentes materiales tranſgreſſiones legum: ſed ſi propter hunc finem daretur obligatio ſequendi ſententiam probabiliorem, tunc etiam daretur obligatio ſequendi ſemper ſententiam tutiorem, & conſequenter etiam minùs probabilem, quandocunque eſſet tutior: quod neque ipſi Adverſarii concedunt. Præterea præſtat evitari formales tranſgreſſiones legum, quæ ex incertis & propterea moraliter ac communiter inobſervabilibus obligationibus orirentur, quàm ſolummodò materiales, ergo non datur obligatio ſequendi opinionem probabiliorem aut tutiorem: ſive: ergo non dantur obligationes incertæ, quamtumvis magis probabiles, formaliter tollentes libertatem ſeu immunitatem oppoſitam.

Quinta Ratio. Cuilibet juxta Adverſarios licitum eſt ſequi ſententiam, quam prudenter judicat eſſe probabiliorem, etiamſi oppoſita ad evitandum peccatum materiale, quandoque eſſet magis tuta; hinc fatentur, citra culpam poſſe aliquem practicare ſententiam S. Thomæ, & S. Antonini, aliorumque communiter negantium, lapſos in peccatum mortale teneri ſtatim ſub præcepto ad confeſſionem habita copia confeſſarii, quamvis obligatio authoritate S. Bonaventuræ, Hugonis de S. Victore, Henrici Gandavenſis, eam aſſerentium, ſit extrinſecè probabilis, & ad excludendum peccatum materiale ſit magis tuta. Atqui quòd liceat in particulari ſequi ſententiam minus, attamen verè probabilem, eſt ſententia longè probabilior, propter tot & tantorum Doctorum authoritatem, piorum fidelium & confeſsariorum continuam ac univerſalem praxim, & propter rationes jam allatas, planè evidentes; ergo dependenter ab hoc judicio, ſeu ſententia reflexa, licitum eſt, in quacunque materia particulari ſequi ſententiam verè, quantumvis minus, probabilem.

§. VII.

Statuitur principalis ratio prioris Doctrinæ, & eliditur Adverſariorum reſponſio.

S U M M A R I U M.

59 *Prioris doctrinæ ratio principalis ſtatuitur.*
60 *Eliditur reſponſio Adverſariorum.*
61 *Ex dicta reſponſione deducuntur plures falſæ ſequelæ.*

SExta ratio, præcipuè oſtendens evidentiam noſtræ ſententiæ comprehenditur hoc Syllogiſmo, planè demonſtrativo. Evidens eſt, quòd, qui evidenter videt, & judicat, aliquam ſententiam non obſtantibus rationibus contrariis, apparentibus ut probabilioribus, attamen adhuc fallibilibus, & incertis, eſse prudenter ac practicè eligibilem, is eligendo talem ſententiam non peccet; verùm licitè ac honeſtè operetur. Sed qui evidenter videt, & judicat, aliquam ſententiam propriam, vel alienam, eſse quoad aſsertam honeſtatem, aut licentiam actionis vel omiſſionis abſolutè & comparativè ad rationes oppoſitas probabilem, ac inenervatam ab illis oppoſitis rationibus, apparentibus ut probabilioribus, attamen fallibilibus, & incertis, is evidenter videt, & judicat illam ſententiam eſse prudenter & practicè eligibilem, hoc ipſo quòd ſit, & maneat probabilis quoad aſsertam licentiam ac honeſtatem electionis practicæ (quia *probabile* idem eſt ac *prudenter affirmabile ut verum, et eligibile*) Ergo evidens eſt, quòd talis non peccet, verùm licitè ac honeſtè operetur. 59

Ad hunc Syllogiſmum aliud reſponderi non poteſt, niſi ut negetur ſuppoſitum, quòd ulla ſententia ſive propter authoritatem, ſive propter rationem, ſive propter utrumque abſolutè probabilis ſit, & maneat probabilis *comparativè* ad rationes probabiliores cognitas, ut tales. Verumtamen contrarium hujus reſponſionis & veritas ſuppoſiti noſtri probatur omnium Doctorum experientia, qui ore, & ſcripto frequentiſſimè fatentur, tam in ſententiis practicis, quàm ſpeculativis, ſe quidem judicare, ſuam ſententiam propter rationes & reſponſiones à ſe allatas, eſse probabiliorem; videri ſibi tamen & conſentire ſe, etiam oppoſitam eſſe probabilem. Certè neminem facilè eſset reperire, qui aliorum oppoſitas ſententias omnes judicaret eſse ſibi, ſive ſuo intellectui improbabiles, ac falſas comparatione ſuarum rationum magis probabilium, ſed etiam fallibilium. 60

Contra talem, ſi quis eſt, ſic argumentor. Quando ſententia aliqua eſt tantùm probabilior, & nec authoritate Divina, nec certitudine *Metaphyſica*, vel *Phyſica*, vel *Morali* infallibilis, tunc poteſt eſse falſa, & ſi adſit ratio contraria magni momenti, neque ſufficien-

cienter ſoluta ab Adverſariis, neque ad oppoſitas rationes ſat ſolidis, & commodis reſponſionibus deſtituta, quæ proinde prudentem virum movere poſſit ad aſſenſum, tunc etiam probabiliter eſt ſalſa, vel prudenter aſſeritur eſſe falſa & ejus contradictoria eſſe vera; vel ſaltem proprius intellectus credere poteſt, ſe prudenter judicaturum, ſi idipſum judicaret, quod multi ſeipſo doctiores judicarunt. Ergo non hoc ipſo, quòd oppoſita ſententia ſit probabilior, altera ſententia abſolutè probabilis, comparativè eſt & judicatur improbabilis ſuo intellectui.

Et hæc ratio valet etiam, quando alterutra ſententia eſt notoriè, ſive evidenter, probabilior. Quia ſi tantùm major probabilitas eſt evidens, & ſi exceſſus notorius probabilitatis nondum pertingit ad Infimum genus certitudinis, nempe neque ad certitudinem moralem, & ſi illum eò non pertingere etiam eſt evidens, (prout contingit, quando oppoſita ſententia etiam evidenter nititur ratione magni momenti, & quando intellectus à rationibus probabilioribus experitur ſe neque cogi, neque ita convinci, ut non valeat ampliùs prudenter reſiſtere) tunc etiam ſententia notabiliter probabilior, manet adhuc ſallibilis; & prudenter negabilis, ratioque oppoſita, hoc ipſo, quod ſit etiamnum evidenter magni momenti, & non exigui, ut Adverſarii ſupponunt, manet prudenter aſſirmabilis. Falſum enim eſt, quod Adverſariis permittit Eſparza *in Appendice articul.* 112. inquiens *Quando fundamentum unius partis contradictionis evidenter, & manifeſtè, atque omninò indubitanter eſt majus, quam fundamentum oppoſitæ partis, eo ipſo fundamentum iſtud minus evadit parvum ſub ea comparatione, nec retinet ampliùs vim magnam pertrahendi intellectum ad aſſenſum*. Quam aſſertionem, licèt Author hic tantùm dicat ſe permittere Adverſariis, non autem defendendam ſuſcipere; tamen ſequenti Articulo probat argumento, à me *in* §.3. ſoluto Immeritò quippe ſupponitur, quòd quia fundamentum abſolutè magnum minuitur quoad vim movendi in actu ſecundo à fundamento oppoſito evidenter majore, quemadmodum etiam iſtud viciſſim hebetatur ab oppoſito minore, illud ſtatim ex magno fiat parvum: cùm hujus magnitudo non conſiſtat in indiviſibili, nec tollatur, niſi per certitudinem oppoſitam ſaltem moralem.

Confirmatur. Quando intellectui proponuntur in utramque partem contradictionis rationes magni momomenti, ſive potentes virum prudentem movere ad aſſenſum, incertæ tamen, & apparentes, ut ſallibiles; quamvis aliquæ notabiliter fortiùs trahant, & alliciant ad aſſenſum, quàm contrariæ: tunc intellectus evidenter experitur, ſe quidem inæqualiter, ita tamen adhuc indifferenter allici, ut etiam rationibus minùs allicientibus prudenter aſſentiretur, quia evidenter videt, eas eſſe abſolutè probabiles, & per oppoſitas rationes evidenter adhuc ſallibiles, nondum eſſe enervatas, poſſeque etiam hic, & nunc, (uti frequenter contingere comperimus, & ſatetur Ariſtot. 8. *Phyſ. cap.* 4.) rationes minùs probabiles non ſallere, & multò magis probabiles ſallere. Ergo etiam minùs probabilis ſententia in concurſu notabiliter probabilioris ſententiæ, adhuc incerta, & ſallibilis, manet comparativè probabilis.

Confirmatur ulterius ex pluribus ſalſis ſequelis. Sequitur enim primò, ſubditum illicitè obedire Superiori in re, quam ipſe Superior nixus motivo magni momenti judicavit licitam, & quam ſubditus propter motiva evidenter apparentia probabiliora ſed ſallibilia judicat eſſe illicitam. Quia non licet ponere ullam actionem, quam quis non poteſt prudenter judicare eſſe licitam.

Si autem ſubditus, cui contrariæ rationes evidenter, & notoriè apparent probabiliores, non poteſt judicium ſuum conformare judicio Superioris, nixo rationibus improbabilioribus, nobis in Societate impoſſibile erit ſervare *Regulam* 31. *Summarii*, ubi præcipitur: *Conentur interius reſignationem, & veram abnegationem propriæ voluntatis ac judicii habere, voluntatem ac judicium ſuum; cum eo, quod Superior vult, & ſentit, in omnibus, ubi peccatum non cerneretur*, (quo vocabulo ſola evidentia, non autem probabilior opinio peccati contra oppoſitam opinionem probabilem ſuperioris excipitur,) *omninò conformantes, propoſita ſibi voluntate ac judicio Superioris pro regula ſuæ voluntatis ac judicii &c.* Similia præcipiuntur *in Reg.* 35. *Ad eum ſcopum vires omnes ac intentionem convertamus, ut ſancta obedientia tum in executione, tum in voluntate, tum in intellectu, ſit in nobis ſemper omni ex parte perfecta &c. Omnia juſta eſſe nobis perſuadendo &c.* Similia habet S. Pater noſter in ſua aurea Epiſtola de Obedientia.

Sed dicunt Adverſarii, judicium Superioris rationibus de ſe minùs probabilibus tantum pondus addere, quo oppoſitæ rationes reddantur minùs probabiles. In primis accepto reſponſionem, & infero. Ergo ſubditus non poteſt ampliùs diſſentire, ac priori ſuæ opinioni adhærere, quod eſt contra omnem experientiam tum Superiorum, experientium ſuorum ſubditorum judicia valde frequenter reſractaria; tum ſubditorum, id ipſum in ſeſe experientium. Idemque fieri poſſe ſupponit S. Pater N. *in cit. Reg.* 35. & ne id fiat, addit ſequentia verba: *Omnem ſententiam ac judicium noſtrum contrarium cæca quadam obedientia abnegando*.

Deinde quæro: An ſi ſubditus eſt doctus, Superior indoctus, nihilominus authoritas Superioris ſtatim ita enervet rationes ſubditi antea longè probabiliores, ut omnem vim ac probabilitatem comparativam amittant: & an character Superioris id ſtatim operetur, quando Superior, non doctior factus, & cujus authoritas antea contemnebatur, ad clavum promovetur: & quando idem poſt elapſum tempus regiminis iterum in ordinem redigitur, an etiam opinio, nixa authoritate Superioris, in priorem ſuum ſtatum redigatur, & rurſum fiat minùs probabilis? An e. g. ſi ſubditus priùs judicavit probabilius, non licere ſequi ſententiam minùs tutam, & ſimul minùs probabilem, & ſi deinde nanciſcatur Superiorem, judicantem id licere, & dirigentem ſubditos juxta ſententiam id affirmantem, idem ſubditus poſſit propter authoritatem Superioris ſtatim judicare ſuam ſententiam eſſe ſalſam: & rurſum, Superiore mutato, eſſe veram? Ulteriùs quæro, an authoritas Superioris habeat tantùm vim movendi intellectum ſubditi, an etiam intellectum non ſubditi? Si enim ex parte objecti ſuperaddit novam rationem intellectui, & non tantùm novam rationem voluntati, ad captivandum intellectum in obſequium perfectæ obedientiæ, illumque ſubiiciendi judicio, & intellectui Superioris, tunc etiam æqualiter poterit movere intellectum non ſubditi: quod tamen eſt contra experientiam; ex qua planè colligitur, rationem juriſdictionis in Superiore tantùm ſuppeditare ſubditis novum motivum impellens voluntatem, quæ ſi non habeat dominium in intellectum, ut poſſit illi imperare aſſenſum ejus, quod illi minùs apparet probabile, non video, quomodo ſubditus poſſit conformare ſuum judicium priùs contrarium judicio Superioris, & quomodo nos in noſtra Societate poſſimus ſervare relatas regulas.

Sequitur ſecundò, Poſſeſſorem bonę fidei, quamvis magna ratione nixæ, teneri ante ſententiam judicis rem reſtituere alteri domino, quando manifeſtè probabiliores, attamen ſallibiles & incertæ rationes illi occurrunt, ſuadentes rem eſſe alteriùs domini: quia nulli licet retinere rem cognitam alienam, qui nequit prudenter aut probabiliter judicare rem non eſſe alienam.

Sequitur tertiò, quòd pœnitens poſt confeſſionem omnium peccatorum dans magna indicia ſufficientis diſpoſitionis ad abſolutionem non poſſet judicari ſufficienter diſpoſitus, ſi ea non vincerent notabiliter rationem dubitandi contrariam, adeòque ſine abſolutione dimittendus eſſet; quia non liceret abſolvere eum, qui non probabiliter judicaretur diſpoſitus, quod certè redderet Sacramentum odioſum, & multos abſterreret.

Sequitur quartò, quòd quando pro gravi delicto proximi dantur motiva evidenter probabiliora, ſed ſallibilia, & pro innocentia evidenter datur motivum magni momenti, minùs tamen probabile, In tali caſu non poſſit quis prudenter judicare, proximum eſſe innocentem. Unde talis dicendus erit perdidiſſe jus bonæ de ſe opinionis propter ſolam majorem probabilitatem ſallibilem commiſſi gravis delicti, nihil ejus innocentiam juvante ratione magni, ſed minoris tamen momenti.

Sequitur quintò. Quòd qui haberet rationes probabiles ac magni momenti pro propria innocentia, pro-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

babiliores verò pro violata innocentia per peccatum mortale, is non poſſet dubitare dubio poſitivo de illo peccato, hoc ipſo, quòd non poſſet prudenter judicare illud à ſe non eſſe commiſſum; quod judicium propter adjunctam formidinem commiſſi peccati, & propter poſitas rationes diſſentiendi dicitur dubium poſitivum; adeòque teneretur illud confiteri, ſicut omne aliud peccatum negativè dubium, pro cujus immunitate nullam haberet rationem magni momenti.

Sequitur ſextò. Quòd juxta noſtram regulam 29. *Summarii* non poſſet quis *in animo ſuo omnes tanquam ſibi ſuperiores ducere*, modò apparerent rationes magis probabiles, alterum non eſſe ſuperiorem in eo, in quo ſibi ipſum deberet præferre. Et ſic etiam regula 42. non poſſet ex intentione a iteri obediendi, ſuumque judicium humiliter ſubmittendi, ac animi concordiam ſervandi, executioni dari in iis objectis, quæ nobis probabiliora apparent, etiamſi ibi præcipiatur: *Idem ſapiamus omnes &c. Animi & judiciorum de rebus agendis diverſitas, quantum fieri poteſt, evitari debet*: Nam juxta Adverſarios nunquam fieri poteſt, quando proprium judicium videtur probabilius.

Sequitur ſeptimò. Intellectum aliquando cogi ad aſfirmanda duo contradictoria. Sit enim aliquis, qui habeat hoc judicium univerſale: (uti decet habere) quoties decem homines, quorum ſinguli ſunt evidenter doctiores me, in ſua opinione à mea diſſentiunt, evidenter & notoriè probabilius eſt, me potiùs falli, quàm illos. Ponamus deinde huic alicujus operationis in particulari rationes à decem viris diſcuſſas proponi, illique videri, & apparere eas rationes probabiliores, quæ decem viris doctioribus apparuerunt minùs probabiles. In tali caſu, quia probabilitas contraria juxta hos Authores, contra quos ago, eſt tantum reſpectiva ad alienum intellectum, & quod proprio cujuſque judicio apparet minùs probabile, quàm oppoſitum, eidem proprio judicio ne quidem eſt probabile, ipſumque tantum poteſt judicare eſſe probabile reſpectu aliorum, non reſpectu ſui: ideò ipſum proprium judicium circa operationem prædictam particularem debet judicare, alios decem doctiores viros circa hanc operationem potiùs falli: quod judicium eſt contradictorium priori univerſali. Unde ſi privatum judicium dicat, operationem ſibi apparere probabiliùs licitam, licebit illam ponere ſine omni alio judicio reflexo, quidquid decem doctiores dicant in contrarium: viciſſim non licebit, proprio judicio negante, aliis licèt unanimiter affirmantibus.

Sequitur octavò. Omnem opinionem alicui intellectui probabiliorem, eſſe eidem moraliter certam, aut non poſſe dari ſufficiens diſcrimen inter moraliter certam. Nam moraliter certa illa cenſetur, ut *num.* 34. *et* 35. oſtendimus, cui expenſis rationibus in utramque partem militantibus intellectus non poteſt, vel non prudenter poteſt diſſentire: ergo ſi pro una parte contradictionis dantur, & cognoſcuntur dari (prout ſecundùm Adverſarios neceſſarium eſt ad licitè operandum contra oppoſitam minùs probabilem, ſed tutiorem) probabiliores rationes, quàm pro altera, & ſi utriſque ſufficienter expenſis non poteſt intellectus liberè, & prudenter diſſentire rationibus probabilioribus, ac improbabilioribus aſſentiri, hoc ipſo rationes probabiliores ſemper fundant opinionem moraliter certam, ſaltem ipſi intellectui operantis: quod tamen eſt contra ipſos Adverſarios, & contra ſtatum quæſtionis. Nam ſolùm quæritur, an liceat ex duabus opinionibus verè probabilibus ſequi minùs probabilem, quando tutior eſt quidem probabilior, ſed necdum certa, aliàs oppoſita minùs tuta neque eſſet probabilis.

Sequitur nonò ex immediatè dictis. Si non licet umquam ſequi opinionem minùs probabilem, & minus tutam, ſed ſi neceſſe eſt ſequi vel tutiorem, vel probabiliorem, & ſi probabilior ſemper eſt eidem intellectui, cui apparet probabilior, moraliter certa, itaut non poſſit contrariæ opinioni prudenter, immò ſecundùm aliquos neque imprudenter, aut phyſicè præſtare aſſenſum ac probabiliori diſſenſum, ſequitur, inquam, veram eſſe aliquo modo, vel ſaltem in ſententia Adverſariorum defendi poſſe hanc propoſitionem ex Cornelio Janſenio à Joanne Sinichio cum aliis virulentis dogmatibus hauſtam, & ab Alexandro VIII. damnatam: *Non licet ſequi opinionem inter probabiles probabiliſſimam*. Qua patroni ejuſdem aliud videntur aſſerere noluiſſe quàm opinionem, quam ſequi licet, vel debere eſſe tutiorem vel certam: Subſumo: Atqui ſi opinio, quam ſequi licet, ſecundùm Adverſarios debet eſſe probabilior, & ſi hoc ipſo quod ſit probabilior, eſt moraliter certa, ac dicto modo innegabilis, contradictoria verò illius prudenter aut etiam phyſicè inaffirmabilis, tunc etiam ſecundùm Adverſarios opinio, quam ſequi licet, debet eſſe vel tutior, vel moraliter certa operanti, & nunquam licet ſequi probabiliſſimam, ut talem, ſive manentem in gradu probabilitatis: imò neque datur probabiliſſima, quin ſibi habeat annexum gradum certitudinis, reddentis ſaltem ipſum operantem moraliter certum de honeſtate materiali ſuæ operationis, de qua honeſtate materiali loquitur propoſitio damnata.

Unde neque videtur ſatisfieri fini, ac intentioni dicti Pontificis. Ille enim ideò videtur damnaſſe relatam propoſitionem, quia cenſuit, ſequi ſemper opinionem tutiorem, ac ſtrictiorem eſſe nimis difficile, ac inobſervabile; habere autem ſemper certitudinem etiam moralem, de honeſtate materiali operationis, eſſe impoſſibile; & ſic ſi eadem ſemper requiratur ad operandum honeſtè, & ad ſervandum omnia præcepta, proſpexit ſapientiſſimus Pontifex, hæreticos ex tertia prædicta, & ex hac ſecunda propoſitione: *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa, non excuſat à peccato formali*: illaturos, & confirmaturos antiquum ſuum errorem, quòd non poſſint ſervari omnia præcepta. Contra hunc itaque errorem declaravit, ut quis operetur honeſtè, & ſervet omnia præcepta, non eſſe neceſſarium, ut opinio, quam quis tenetur ſequi, ſemper vel ſit tutior, vel certa.

§. VIII.

Subruitur falſum Fundamentum Adverſariorum.

SUMMARIUM.

62 *Non rectè probatur ab Adverſariis, quòd minùs probabile non poſſit judicari probabile.*

63 *Argumentum à judicio, & authoritate aliorum, non eſt argumentum à particulari ad univerſale, & ſaltem non eſt vitioſum.*

Sed videamus rationem, ob quam quidam negant Minorem noſtræ demonſtrationis *num.* 56. allatæ, quorum diſcurſum hoc Syllogiſmo comprehendere poſſumus. Ut id, quod alicui videtur falſum, vel minùs probabile, ſive niti ratione minoris momenti (non debent dicere *exigui momenti*: nam quando tantùm cenſetur minùs probabile, non propterea cenſetur exigui momenti) videatur tamen probabile, cauſa motiva hujus eſſe debet, quia illud aliis aliquando viſum fuit verum, & magis probabile: ſed hic modus ratiocinandi eſt à particulari ad univerſale, ab aliquibus hominibus ad omnes, adeòque etiam ad illos, quibus illorum aliquorum judicium minùs probabile, immò etiam falſum videtur: Ergo hic modus argumentandi non eſt bonus, ſed fallax, atque Sophiſticus. 62

In hoc Syllogiſmo omnes propoſitiones meritò negantur. In primis Major. Quia non omnis minor probabilitas fundatur in authoritate extrinſeca aliorum: ſed poſſunt eidem intellectui pro utraque parte contradictionis occurrere rationes magni momenti, quas experitur fortiter allicere ad ſui aſſenſum, ita tamen ut pro una parte occurrant fortiores. Propterea poſſunt eædem rationes, quas alii cenſuerunt veras, & probabiliores, ab eodem intellectu perpendi ſimul cum oppoſitis, & cenſeri non quidem veræ, & probabiliores, prout ab aliis cenſebantur; attamen magni momenti, tum propter propriam experientiam virtutis allectivæ, tum propter authoritatem, & æſtimationem aliorum, plerumque rectè ſentientium, quorum judicium cùm hoc ipſo ſit probabile, poteſt apud conſcios illius ipſis rationibus probabilitatis pondus addere, ut propterea videantur

tur non exigui momenti: quòd ſi tamen nec rationes, nec authoritas ſufficiant apud omnes, non ſequitur tamen, quòd apud nullos poſſint ſufficere, itaque ſaltem apud eos ſufficiunt, quibus rationes ipſæ, vel ipſum judicium aliorum, vel ambo ſimul, videntur magni momenti, etiam in occurſu oppoſitarum rationum probabiliorum.

63 Deinde etiam Minor negatur, quòd allegare judicium aliorum, ad idem judicium ut verum vel probabile aliis perſuadendum, ſit argumentari à particulari ad univerſale: aliàs idem vitium committerent Adverſarii, quando pro ſua ſententia citant Authores, ut eam reddant probabilem non tantùm ſuo intellectui, ita ſententium, ſed etiam aliorum intellectui, non ita ſententium. Tunc enim tantùm vitioſa eſt argumentatio à particulari ad univerſale, quando perſonæ particulares nullam addunt rationem idem dicendi de aliis: ut ſi dicas, aliqui homines ſunt docti: Ergo omnes homines ſunt docti. At ſi dicas: *Aliqui homines viderunt Petrum exiſtentem in foro, qui omnes illum benè noverunt: Ergo omnes homines habent ſufficiens motivum judicandi, Petrum extitiſſe in foro*: hoc non eſt argumentari à particulari ad univerſale.

Itaque ex eo, quòd ſciam aliquos homines doctos, & probos, qui nec ſolent in cognoſcendo, & loquendo, fallere, vel falli, ita de re aliqua judicaſſe, habeo ego, & quilibet alius homo, idem ſciens, prudens motivum judicandi; illorum judicium, vel eſſe verum, vel ſaltem prudenter credibile, ac probabile: quòd ſi ab his plures alii diſſentiant (neque enim ad opinionem probabilem requiritur omnium ſapientum, & prudentum virorum conſenſus, qui neque ad magis probabilem allegari poteſt, aut hoc ipſo erit moraliter certa) poſſum utrorumque judicium judicare probabile, ſed illorum plurium eſſe probabilius: aliàs non poſſem judicare Adverſariorum ſententiam eſſe etiam mihi probabilem, & illi fruſtra allegarent ſuos Authores, numero longè pauciores, & authoritate ſaltem non ſuperiores, & ſi pluralitate ſe vinci negarent, non poſſem ipſis prudenter credere; quia longè plures dicunt, ipſorum Authores eſſe longè pauciores, & reliquos, quos ex antiquis, & novis Doctoribus pro ſe adducunt, immeritò adduci. Licèt autem evidens ſit, inter duas propoſitiones contrarias alteram eſſe falſam, & illius Patronos, ſive ſint majores, ſive minores, ſive æquales numero, vel authoritate, dicere falſum; ipſorum opinio tamen poteſt eſſe probabilis, & hoc ipſo etiam conformis rectę rationi: rectitudo rationis enim non deſumitur à veritate, ſed à prudenti credibilitate objectiva, ſive à motivo comparativè magni momenti, aliàs etiam magis probabilis opinio ſæpè non eſſet illi conformis.

§. IX.

Oſtenditur, noſtram ſententiam de licentia ſequendi opinionem minus probabilem neque rectè referri, neque rectè impugnari ab Adverſariis.

S V M M A R I V M.

64 *Judicium prudens, ſive probabile non rectè explicatur per præponderantiam rationum. Et per hanc ab Adverſariis tollitur, & malè refertur ſtatus quæſtionis.*

65 *Immeritò noſtræ ſententiæ obiicitur nimia laxitas, et malè confunditur cum Propoſitione, ab Innocentio* X I. *damnata. Et duplex per hoc infertur damnum.*

64 EX dictis patet reſponſionem Adverſariorum ad noſtræ ſententiæ demonſtrationem fundari in hoc nūquam ſatis probato, vel probando ſuppoſito, quòd qui judicat aliquam ſententiam eſſe evidenter, & notoriè probabiliorem, non poſſit judicare, ejus contradictoriam eſse verè, & à parte rei probabilem, vel etiam omninò veram. Hoc ipſum autem ſuppoſitum fundatur in alia ſimili ſuppoſitione: Quòd nempe ſententia probabilis, vel non ſit idem ac judicium prudens, vel judicium prudens, adeòque ſententia probabilis, non rectè definiatur, niſi tali modo definiatur, dicendo, *Judicium prudens eſſe illud, quod omnibus maturè conſideratis procedit ex notabili præponderantiæ momento tum rationis, et authoritatis apud intellectum judicantis*. Verùm utrumque ab Adverſariis immeritò ſupponi, clarè à nobis per aliquot paragraphos oſtenſum eſt. Et ſi poſterius ſuppoſitum eſset verum, nempe ſi dicta explicatio judicii probabilis, ſive prudentis (quod idem ac ſynonymum dicimus) eſset convertibiliter vera, ut non tantùm omne judicium, cui convenit data definitio, eſset probabile, ac prudens, ſed etiam omni judicio, quod eſt probabile, ac prudens, deberet convenire relata definitio (prout omnis definitio debet converti cum ſuo definito) tolleretur hoc ipſo ſtatus quæſtionis, & nullum daretur ampliùs judicium merè probabile, vel minùs probabile, ſed hoc ipſo, quòd procederet ex notabili præponderantia rationum, & authoritatis (quorum utrumque ſi collectivè requiratur, timeo ne hoc poſterius ſaltem membrum nimirum præponderantia authoritatis, allatæ definitioni, & Adverſariorum ſententiæ, atque innumeris opinionibus probabilibus deſit) ſemper eſset judicium probabiliſſimum, & oppoſitum, neque eſset ſecundùm Adverſarios probabile, vel iſtud eſset reſpectu ejus, qui illi prudenter aſsentiretur, probabiliſſimum: & ſic neutrum judicium eſset parti diſsentienti probabile, aſsentienti autem eſset probabiliſſimum. Neque poſset aſsentiens uni ex oppoſitis, alterum oppoſitum judicium dicere probabile, ſed ſolummodo, quòd illud non ſibi, ſed alteri ſit probabile, vel potiùs, ut oſtendi, probabiliſſimum; ſicut quod ego falſum judico, etiam poſsum dicere eſse verum reſpectu ejuſdem intellectus, non poteſt circa ambas contrarias opiniones apparere notabilis, & evidens præponderantia rationum, & authoritatis. Hoc ipſo autem quòd reſpectu ejuſdem intellectus, adeòque etiam ejuſdem voluntatis nequeat apparere utraque ſententia oppoſita probabilis, ſive prudenter eligibilis, neceſse eſt tolli omninò hunc legitimum ſtatum quæſtionis; an inter duas ſententias contradictorias de licentia operationis liceat affirmativam ſequi, quando illa minùs, ſed tamen evidenter apparet probabilis, etiam comparatione rationum oppoſitarum notabiliter præponderantium.

Quid igitur mirandum, ſi noſtra ſententia ſupponens hunc ſtatum quæſtionis, ab Adverſariis penitus ſublatum, non rectè referatur, & ſecundùm eum neque rectè impugnetur? Duplici autem modo contingit, ſententiam affirmativam in poſito ſtatū quæſtionis non rectè ab Adverſariis referri. Primò quia illam ſumunt, & referunt in ſenſu ſuprà per primam concluſionem num. 55. rejecto *de probabilitate abſoluta*, nimis genericè & latè accepta. Secundò quia ſemper omittunt *probabilitatem comparativam* cum rationibus oppoſitis, quamvis præponderantibus etiam notabiliter, quam Adverſarii non agnoſcunt, ideò eam non referunt, neque ſecundùm eam impugnant noſtram & communem ſententiam.

Ex iniqua autem relatione noſtræ ſententiæ ſequitur primò, quòd immeritò ipſi obiiciant nimiam laxitatem. 65
Nam ſi *abſoluta probabilitas* ſumatur prout opponitur comparativæ probabilitati, tunc aliud non importat, quàm ad ſummum rationem magni momenti, abſolutè & ſeorſim ſpectatam ſine repoſita ad eam ſolida reſponſione, ac ſolutione, & ſine rationibus contrariis, non ſufficienter ſolubilibus, ac ſolutis. Hæc autem probabilitas abſoluta ſola, non autem comparativa meretur cenſuram nimiæ laxitatis, & eſt prohibita in tertia propoſitione, ab Innocentio X I. damnata: quæ ſic ſe habet: *Generatim dum probabilitate, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus*. Unde ſequitur ſecundò hanc propoſitionem immeritò nobis attribui, noſtramque ſententiam cum illa, & cum falſo principio illius confundi.

Utraque enim falſa ſequela oritur ex omiſſione *comparativæ probabilitatis*; niſi verò hæc addatur, præbetur occaſio ſuſpicandi, quaſi priorem abſolutam probabilitatem in ſenſu judicato acciperemus, & eam ſufficere diceremus: quamvis ſi *abſoluta probabilitas* explicaretur in ſenſu magis rigoroſo, ut particula *abſoluta* idem ſignificaret, ac *omnibus conſideratis* ſcil. omnibus rationibus & reſponſionibus, ita ut adhuc maneat utraque opinio

verè probabilis ac inenervata, in tali acceptione etiam comparativa probabilitas quidem includeretur, ſed alia duo gravia incommoda ſequerentur. Primum, quòd vera ſententia, æquivocè, ſine particulis *comparativæ probabilitatis* relata facilè in ſiniſtro ſenſu ſuis Patronis tribueretur, non ſine imminatione illorum honoris. Secundum, quòd imperitioribus, & laxitatis amatoribus daretur occaſio, in ſiniſtra & laxa acceptione intelligendi & ſequendi communem & aliàs veram ſententiam: unde qui eam tali modo relatam tribueret tot ſapientiſſimis, & virtute ac religione clariſſimis viris, meritò ſibi ob tantam auctoritatem malè allegatam & conteſtatam, imputare deberet, à ſe objectum abuſum, ac nimiæ laxitatis frequentiam, inde conſequentem.

Si autem noſtra ſententia referatur, & defendatur prout à nobis in concluſione ſecunda *nu.* 56. ſtatuta ac deinde probata eſt, ceſſant omnes prædictæ ſequelæ. Vel ſi tamen aliquis ſanam doctrinam in ſiniſtrum ſenſum detorqueret, contingeret illi, quod ſanctæ doctrinæ S. Pauli, quam, ut inquit S. Petrus *epiſt. 2. cap. 3. v. 16. Indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem.*

Hi quippe lupo illi ſimiles ſe redderent, cui, ut in ſapienti Apologo refertur, cùm citra pœnam mortis plus permiſſum non eſſet rapere, quàm quod duos ternarios prudenti æſtimatione pretii non excederet, obviantem ſibi vaccam cum vitulo rapuit, & devoravit: ita ſecum diſcurrens: Licet mihi, citra culpam mortalem rapere rem alienam, quam prudenter judico, ultra duos ternarios non eſſe æſtimabilem: ſed ego vaccam iſtam cum ſuo vitulo prudenter judico, non eſſe ultra duos ternarios æſtimabilem. Ergo &c. In hoc diſcurſu Major propoſitio utique non eſſet nimis laxa, ſed Minor. An itaque propter nimiam laxitatem Minoris reſtringenda etiam eſt Major? An quando Minor eſt falſa, & neganda, etiam falſa & neganda eſt Major? Quid ſi Major fuiſſet iſta? Licet mihi citra culpam mortalem rapere rem alienam, quam probabiliùs judico, non eſſe ultra duos ternarios æſtimabilem. Et Minor iſta? Sed ego probabiliùs judico, vaccam cum vitulo non eſſe ultra duos ternarios æſtimabilem. Nunquid iterum Major cum Minore eſſet neganda, vel reſtringenda ad judicium, ſive dictamen omnino certum & evidens? Ego ex hoc Apologo concludo, non eſſe mutandam noſtram ſententiam, ſi qui illam depravant ad ſuam ipſorum perditionem.

§. X.

Ex Reſolutione præcedentis Quæſtionis deducuntur quædam Corollaria.

S V M M A R I V M.

66 *Quo ſenſu ex duabus probabilibus ſententiis una dicatur tutior altera.*

67 *Inter duas opiniones quoad licentiam operationis æque probabiles licet ſequi utramvis.*

68 *Quando non eſt ſpes perveniendi ad certitudinem, licet ſequi opinionem certò probabilem ſine ulteriori examine.*

69 *In aliquo bono ſenſu verum eſt, opinionem licentiæ ſpeculativè probabilem eſſe etiam practicè probabilem.*

70 *Opinio certò et comparativè probabilis ſervit ad propriam et alienam conſcientiam regendam.*

71 *Pœnitenti aliàs diſpoſito non licet negare abſolutionem, ſi nolit deſiſtere ab opinione minus, ſed certò probabili.*

72 *Subditus tenetur obedire Superiori, quando actio præcepta eſt probabiliter licita.*

66 EX demonſtrata ſententia affirmativa infertur primò: Quo ſenſu ex duabus probabilibus ſententiis una dicatur tutior altera. Cùm enim juxta dictamen proximum, quod ſolùm debet eſſe certum & evidens, æqualiter liceat ſequi ſententiam minùs probabilem, ſicut magis probabilem, ita imperitè diceretur una ſententia eſſe tutior altera ad evitandum peccatum formale, quia interventu dictaminis proximi quælibet evidenter liberat à peccato formali; itaque tantùm ad effugiendum peccatum materiale, vel aliud incommodum conſequens, una ſententia eſt tutior altera, quam tamen ſecuritatem, ſtante probabilitate licentię alterius ſententiæ, nemo tenetur ſibi procurare, ut ex Adverſariorum confeſſione in allato exemplo §. 6. *ad finem* dictum eſt.

Infertur ſecundò. Si licet ſequi ex duabus ſententlis 67
minùs probabilem, pari vel majori ratione licere, ſequi æquè probabilem, prout ſæpe præſertim ab indoctis non poteſt ſatis diſcerni, quænam ex duabus ſit probabilior.

Infertur tertiò. Si minor vel æqualis probabilitas li- 68
centiæ ſit certa, neque eſſe obligationem inveſtigandi majorem probabilitatem, quando non eſt ſpes perveniendi ad ipſam certitudinem licentiæ, quia ſolam probabilitatem majorem, etiam certò cognitam, nemo tenetur ſequi.

Infertur quartò. Quo ſenſu cum Joanne Sanchez, Za- 69
charia Paſqualigo, Franc. de Lugo apud Franciſcum Bardi *diſceptat. 4. de Conſcientia probabili c. 4. num.* 2. dici cum veritate poſſit, ſententiam ſpeculativè probabilem eſſe hoc ipſo practicè probabilem: ſi enim ſpeculativa probabilitas intelligatur de probabilitate licentiæ, & ſit de objecto non tantùm quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad circumſtantias ſpectato, ita ut judicium ſpeculativum dicat: hæc actio omnibus conſideratis probabiliter eſt licita: tunc omnis ſententia ſpeculativè probabilis, eſt hoc ipſo practicè probabilis: Et ſic ſpeculativa probabilitas non opponitur practicæ probabilitati, tanquam membro dividenti probabilitatem licentiæ adæquatè à ſe diſtincto, quia eædem rationes, quæ fundant, & objectivè terminant probabilitatem judicii reſpectu intellectus ſpeculantis, fundant etiam & objectivè terminant honeſtatem operationis ſeu praxis reſpectu voluntatis, vel potentiæ executivæ, adeò ut judicium directum ſpeculativè probabile, ſufficiat ad judicium reflexum practicè practicum, quod ſit certum ac evidens. Quando ergo communis ſententia, apud citatum Bardi *numer.* 1. & hic ipſe Author *num.* 3. dicit, non omne quod eſt ſpeculativè probabile, eſſe etiam practicè probabile, probabilitas ſpeculativa non accipitur de probabilitate licentiæ, ſed ſolùm de probabilitate valoris, e. g. quòd talis materia vel forma in adminiſtratione Sacramentorum probabiliter validè adhibeatur, vel de probabilitate juris, e. g. quòd res ab alio bona fide poſſeſſa probabiliter ſit mea, vel ſumitur de probabilitate licentiæ abſtractæ à certis circumſtantiis, reddentibus operationem illicitam, quæ de ſe eſſet licita.

Infertur quintò, ſicut juxta ſententiam minùs proba- 70
bilem de licentia actionis poteſt quiſque ſuas operationes in quacunque materia virtutis, etiam juſtitiæ dirigere, ſic cùm conſiliarium, aut Magiſtrum, aut cõfeſſarium agis, poſſe etiam alienas, ſive obligationem Legis ex propria aut alterius Doctoris probabili opinione negando, ſive aſſerendo, modò ſi eam aſſeras, alter jus ſuum ſequendi negativam magis favorabilem, fraudulenter non eripias, ejus probabilitatem ſive intrinſecam ex malitia negando, quando periculum eſt, ne mala fide ſecundùm eam operando, propter ignorantiam formaliter peccet, vel aliud damnum ſubeat.

Infertur ſextò, confeſſarium, ſive delegatus ſit, ſive, 71
ut aliqui requirunt, ordinarius, & ex officio ad miniſtranda Sacramenta deputatus, inchoato judicio, per quod acquirit pœnitens jus ad accipiendam abſolutionem, teneri vel ſub veniali peccato, ut vult Sayrus, Vaſquez, Salas, vel ſub mortali, ſaltem quando lethale peccatum in confeſſione propoſitum eſt, impertire abſolutionem ſequenti ſententiam probabilem propter ſufficientem authoritatem docentis, licèt propter principia intrinſeca minùs probabilem aut falſam, proprio judicio, non omnino evidenti, vel moraliter certo, æſtimet. Ratio eſt, quia pœnitens in tali caſu eſt ſufficienter diſpoſitus, & habet Jus ad abſolutionem, cui proinde reiterata confeſſio peccati gravis, & ex natura ſua ingens onus; injuſtè injungeretur.

Infertur ſeptimò contra Palao *diſput. 2. p. 6. nu.* 5. juxta 72
communem Doctorum ſenſum, quos inter nominatim ſunt Thom. Sanchez, Suar. Sylv. Tabiena, Corduba, Sayrus, Valentia, Salas, relati & approbati à P. Joanne Cardenas *p. 1. tr. 1. diſp. 16. num.* 5. *&* 26. rectè obligari ſubditum ad obediendum Superiori; quandocunque proba-

probabile eſt, id quod præcipitur, eſſe licitum, etiamſi ſimul probabile, immò probabilius ſit, eſſe illicitum. Ratio eſt: quia ſubditus ſecundùm datam doctrinam poteſt obedire Superiori, eligendo ſententiam illius minùs probabilem, ut expreſsè teſtatur S. Auguſtinus relatus in capitulo *Quid culpatur* 23. q. 1. ubi ait: *Vir juſtus, ſi fortè ſub Rege, homine etiam ſacrilego militet, rectè poteſt, illo jubente, bellare, ſi, quod jubetur, vel non eſſe contra præceptum DEI, certum eſt, vel utrum ſit, certum non eſt.* Ergo objectum ratione incertæ ſuæ inhoneſtatis non extrahitur ex dominio Superioris, quò minùs præcipi poſſit, & Superior manens in poſſeſſione ſuę poteſtatis ſubditum poſſit obligare ad ſibi obediendum. Certè, niſi talem poteſtatem Superiores haberent, frequentiſſimè eluderentur illorum mandata, nec obtineretur finis per juriſdictionem intentus, qui eſt dirigere ſubditum, præſertim, quando incertum eſt, quid ſit faciendum, & directione atque determinatione voluntatis indiget.

Hinc etſi verum ſit, quòd ſubditus non teneatur obedire Superiori, quando probabile eſt, eum non teneri, eò quòd tunc maneat ſui juris titulo poſſeſſionis, quando ſcilicet probabile eſt, Superiorem carere juriſdictione in talem ſubditum, vel legem non eſse latam, aut uſu receptam: negatur tamen, quando objectum imperatum eſt probabiliter illicitum, hoc ipſo eſſe ex principiis intrinſecis probabile, ſubditum non teneri obedire, & Superiorem non habere juriſdictionem certam: ſtante enim probabilitate inhoneſtatis objectivæ, ſive objecti præcepti, Superior & imperium illius certò exiſtens, ac tale objectum reſpiciens, manet in poſſeſſione poteſtatis obligandi ſubditum, licèt quando objectum certò eſt inhoneſtum, nec ſubditus teneatur obedire, nec Superior habeat juriſdictionem ad illud objectum imperandum. Quia ſi ſaltem probabile eſt, objectum eſſe honeſtum, tunc ſicut licitè poteſt executioni dari propter judicium reflexum certum, ita poteſt licitè ſuaderi, & imperari, & ſubditus tenetur obedire, poſitis cæteris requiſitis. Proindè miles, ut paulò antè ex S. Auguſt. relatum eſt, ſubditus Regi non tantùm poteſt, ſed etiam tenetur bellare, quando probabile eſt (prout ſupponere debet, niſi certa ratio obſtet in contrarium) cauſam belli eſſe juſtam, qua probabilitate ſuppoſita etiam probabile eſt, militem non ſubditum Regi poſſe pro illo bellare, quia, ut inquit Palao, ſecutus Suarez & Vaſquez, cuilibet licitum eſt, alterum juvare in re, quæ præſumitur juſta.

§. XI.

Solvuntur objectiones.

S V M M A R I V M.

73 *Ut habetur in Titulo.*

73 OBiicitur primò. Si bona eſt ejuſmodi illatio: Hoc eſt probabiliter honeſtum, ergo id faciens non peccat, etiam bona erit iſta: hoc eſt probabiliter inhoneſtum, ergo id faciens peccat. Atqui non poteſt utraque illatio eſſe bona, ſed debet ex parte antecedentis attendi ad id, quod eſt probabilius. ℟. Nego Maj: quòd ſecunda illatio ſit ſimiliter bona, ſi ſermo inſtituatur de peccato formali: quia ne aliquis formaliter peccet, ſufficit, ſi verè ſit probabile, ipſum non peccare, ut ſic enim ipſe maneat in poſſeſſione ſuæ libertatis à Lege: ut autem formaliter peccet, non ſufficit, quòd objectum in ſe ſit probabiliter inhoneſtum, ſed inſuper requiritur, ne ſubſtet ulli judicio probabili circa oppoſitam honeſtatem, ut ex argumentis pro reſolutione quæſtionis patet.

Objicitur 2. Non poteſt operatio eſſe formaliter honeſta, ſi materialiter ſit inhoneſta: ſicut non poteſt cognitio formaliter eſſe vera, ſi materialiter ſeu objectivè ſit falſa, ergo illa potiùs opinio ſequenda eſt, quæ materialem honeſtatem reddit probabiliorem. Reſp. argumentum nimium probare: nempe quòd operatio conformata ſententiæ probabiliori affirmanti licentiam actionis, ſed minùs tutæ, non ſit honeſta, ſuppoſito, quòd ſententia probabilior ſit à parte rei falſa. Negatur itaque antec. & paritas cum cognitione vera: hujus enim menſura eſt ipſum objectum, prout eſt à parte rei; honeſtâtis autem menſura eſt objectum, prout ab intellectu proponitur voluntati per dictamen reflexum. Cæterùm omnis operatio formaliter honeſta aliquo legitimo ſenſu eſt etiam materialiter, ſeu objectivè honeſta, quatenus conformatur huic veritati ac honeſtati objectivæ: Omne objectum ſubſtans judicio directo verè probabili de ejus licentia, poſt ſufficientem indagationem veritatis eſt ſaltem per accidens, & extrinſecè in his circumſtantiis honeſtum.

Obiiciuntur Tertiò à P. Gonet *n.* 55. duæ hiſtoriæ, quarum prima quidam Philippus Cancellarius Pariſienſis Guilelmo Epiſcopo Pariſienſi poſt mortem apparuiſſe dicitur, teſtatus, ſe damnatum eſſe, primò quòd fructus annuos timidè reſervaverit, putans in pauperes diſtribuendos: ſecundò quòd contra ſententiam plurimorum de pluralitate beneficiorum illicita propriam defenderit ac practicaverit, & propterea periculo mortalis culpæ ſe commiſerit. Tertiò quòd carnis vitio laboraverit. Secunda hiſtoria refertur ex B. Petro Damiano *opuſc.* 34. *cap* 5. quòd nimirum B. Severinus Epiſcopus poſt mortem ſuam cuidam clerico Colonienſi ſpectabilem ſe præbens, purgatorii flammis ſe cruciari ſit teſtatus, quia propter multitudinem negotiorum totum officium Canonicum matutino tempore recitare conſueverat, quas utique ſuſtinere non debuiſſet, ſi ſententiam minùs probabilem hoc concedentem ſequi licuiſſet.

Reſp. quod attinet priorem hiſtoriam, primas duas cauſas damnationis peccatum mortale induxiſſe, quia dubium non fuit depoſitum per judicium verè probabile, ſed ex nimio avaritiæ affectu prædictum Philippum, nec ad veritatem certiùs inveſtigandam, nec, ſi obligatio quæpiam cognoſceretur ad illam exequendam, animo paratum fuiſſe. Ad ſecundam hiſtoriam reſpondetur, nulla ſententia probabili concedi conſtantem præoccupationem temporis, pro horis Canonicis deputati, ſi ſecundùm illud, quemadmodum B. Severinus, negotia ſua diſponere quis poſſet.

Obiicit quartò citatus Author argumẽtum negativum. Quòd SS. Patres utique noſtram ſententiam aliquando tradidiſſent, ſi veram exiſtimaſſent. Reſp. 1. quòd etiam eam tradiderint, ut ex pluribus SS. Patribus oſtendit noſter Terillus *quæſt.* 27. Reſp. 2. multò minùs oppoſitam ſententiam ex SS. Patribus convinci, quam tamen, ſi noſtra ſententia juxta cenſuram P. Gonet *num.* 57. eſſet tantum virus, ut omnem penè Theologiam moralem infecerit, non ſolùm tradere, ſed omnimodo propugnare debuiſſent, cùm utique illorum tempore à quibuſdam approbata fuerit: aut ſaltem, ſi SS. Patres judicaſſent cum iſtis (ſequuntur verba S. Auguſtini, quæ à S. Doctore in hæreticos aut perverſos homines prolata dictus P. Gonet in fine §. 6. *num.* 59. noſtris Doctoribus accommodat) *non tam diſputationibus, quàm orationibus agendum, ne cum tantis ingeniis vel pereant, vel alios perdant præſumptione damnabili*, id ipſum ſignificaſſent, & cavere alios juſſiſſent à talibus Doctoribus. Directè autem. Reſp. etſi SS. Patres ſuperſediſſent traditione noſtræ Doctrinæ, officii & intentionis illorum non fuiſſet, tradere omnes aſſertiones Theologicas favorabiles, & lumine naturæ evidenter notas, qualis eſt, quòd non peccet, ſed prudenter agat is, qui reflexè judicat, ſuam actionem, etiam in præſentia oppoſitarum rationum prudenter à ſe judicari, vel poſſe judicari, eſſe honeſtam aut licitam.

Obiicit quintò citatus Author *num.* 60. Si Caſuiſtas recentiores audiamus, qui omnia purè probabilia tuta exiſtimat, eumque qui probabiliter incedit, tutò incedere profitentur, prorſus immutandæ ſunt Chriſtianæ preces, nec jam cum Davide ſic orandum eſt, *veritatem tuam doce me: deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua*: ſed iſtis potiùs ad probabilitatis doctrinam compoſitis precibus utendum, *probabilitatem tuam doce me: deduc me domine in via tua, & ingrediar in probabilitate tua.* Reſp primò retorquendo argumentum in Adverſarios, qui concedunt, ſententiam non evidenter ſed ſolummodo magis probabiliter veram ſufficere pro regula proxima, deducente in via mandatorum Dei, etiam quando oppoſita eſt probabilis, & tutior.

Reſp. 2.

Reſp. 2. non eſſe mutandas preces Eccleſiæ: ſi enim his petit regulam infallibilem, non propterea petit dictamen remotum infallibile, ſed tale, quod ſufficiat ad regulam proximè infallibilem, ac evidenter veram. Cæterùm non tam petit cognitionem infallibilem, quàm taliter allicientem ad actiones honeſtas, qualiter Deus per ſcientiam ſuam infallibiliter novit homini congruere, ut vocantem non reſpuat, adeòque petit potiùs auxilium efficax, quàm infallibilem cognitionem. Illud etiam advertendum eſt, malè ab Adverſariis communiter ſupponi, & ex noſtra doctrina ſubſumi, quaſcunque laxas ſententias approbari à nobis, ut verè probabiles, & hoc ipſo licitas: aliud enim eſt, hanc vel illam ſententiam in particulari eſſe verè probabilem, & aliud, licere eam ſequi, ſi aliunde probetur, vel evidenter cognoſcatur eſſe verè probabilem. Unde immeritò ab Adverſariis traducitur noſtra doctrina, ex ea ſubſumendo licentiam abſurdarum quarumdam ſententiarum, quas priùs debuiſſent oſtendere, eſse verè probabiles, ſtantibus rationibus, & reſponſionibus oppoſitis, & ſic jam oſtenderent non eſse abſurdas & laxas.

§. XII.

Solvitur præcipua objectio Adverſariorum ex S. Thoma deſumpta.

S V M M A R I V M.

74 *Ut habetur in titulo.*

74 TEſtimonium S. Thomæ, cui Adverſarii potiſſimùm innituntur, propriis S. Doctoris verbis *Quodlibeto 8. a. 13.* fideliter refero: Sic ergo inquit S. Doctor: *Ex conſcientia autem obligatur aliquis ad peccatum, ſive habeat certam fidem, de contrario ejus quod agit, ſive etiam habeat opinionem, cum aliqua dubitatione. Illud autem, quod agitur contra Legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quod non eſt ſecundum conſcientiam. Et ſimiliter, quòd eſt contra conſcientiam, eſt malum, quàmvis non ſit contra Legem, quod autem nec contra conſcientiam, nec contra legem eſt, non poteſt eſſe peccatum. Dicendum eſt ergo, quod quando duæ opiniones ſunt contrariæ de eodem, oportet eſſe alteram veram, & alteram falſam: aut ergo ille qui facit contra opinionem Magiſtrorum, utpote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem: & ſic cùm faciat contra legem Dei, non excuſatur à peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam, ſic enim contra legem Dei facit. Aut illa opinio non eſt vera, ſed magis contraria, quam iſte ſequitur, ita ut verè liceat habere plures præbendas, & tunc diſtinguendum eſt: quia aut talis habet conſcientiam de contrario, & ſic iterum peccat contra conſcientiam faciens, quamvis non contra legem: aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem, ſed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & ſic, ſi manente aliqua dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit, & ſic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem.* ita S. Doctor.

Verùm niſi allatus textus magis declaretur per articulum 15. ibi ſequentem, evidenter etiam definitur à S. Thoma, nunquam poſse hominem dumtaxat materialiter peccare, & bonam fidem, ſeu ignorantiam Legis nunquam excuſare à formali peccato. Sicut ergo in eodem textu prior pars aſsertionis eſt explicanda per hæc verba S. Doctoris *art. 15. Error autem conſcientiæ, quandoque habet vim abſolvendi, ſive excuſandi, quando ſcilicet procedit ex ignorantia ejus, quod quis ſcire non poteſt, vel ſcire non tenetur, & in tali caſu, quamvis factum de ſe ſit mortale, tamen intendens peccare venialiter, peccat venialiter &c. Quandoque autem error conſcientiæ non habet vim abſolvendi, vel excuſandi; quando ſcilicet ipſe error peccatum eſt, & cùm procedit ex ignorantia ejus, quod quis ſcire tenetur, & poteſt.* Hactenus S. Doctor; Sic, inquam, etiam poſterior pars, quæ priori innitur, eſt eodem modo intelligenda: quando ſcilicet dubitatio inducitur ex contrarietate opinionum, & quando quis poteſt, ac tenetur majori inveſtigatione certitudinis dubitationem priùs deponere, hoc omittendo peccat, quia ſcilicet *ipſa dubitatio peccatum eſt*, & quia magis amat beneficium, quàm propriam ſalutem procurandam vel deſertione beneficii, vel depoſitione dubii: & idcirco dixit S. Doctor: *Manente tali dubitatione*. Talis enim homo ita in animo ſuo eſt conſtitutus, ut dicat, etiamſi ſolùm habeam opinionem dubiam pro retinendis duabus præbendis, & licèt poſsem, ac tenerer majorem certitudinem inveſtigare, tamen retinebo ambas præbendas: & ſic ſpontaneum periculum agendi contra prohibitionem duarum præbendarum ſubitur ex peccato certo.

Hinc inquit S. Thomas 1. 2. *quæſt. 76. a. 2. in c. Propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum; non autem imputatur homini ad negligentiam, ſi neſciat ea, quæ ſcire non poteſt. Unde horum ignorantia invincibilis dicitur: quia ſtudio ſuperari non poteſt, & propter hoc talis ignorantia, cùm non ſit voluntaria, eo quòd non eſt in poteſtate noſtra eam repellere, non eſt peccatum:* proinde ſi homo adhibuit omnem diligentiam debitam, tunc licèt maneret ipſi aliqua dubitatio ſpeculativa (qualis etiam manet, quando licentia retinendi duo beneficia videtur quidem eſse probabilior, ſed non certa opinio) tunc dubitationem practicam facilè poteſt deponere, modò judicet ſuam ſententiam eſse verè probabilem, & ſe hic & nunc nec poſse, nec teneri majorem certitudinem procurare, prout iterum S. Thomas 1. 2. *quæſt. 19. a. 6. in c.* inquit: *Si autem ſit error, qui cauſat involuntarium, proveniens ex ignorantia alicujus circumſtantiæ, abſque omni negligentia, tunc talis error rationis vel conſcientiæ excuſat, ut voluntas concordans rationi erranti non ſit mala:* quia ut quis operetur modo humano prudenter, & conſequenter honeſtè, juxta S. Doctorem ſufficit, ſi dictamen remotum de licentia actionis ſit probabile ex conjecturis, neque ullam ipſe exprimit neceſſitatem, ut ſit etiam magis probabile: ita enim loquitur in 3. *diſt. 34. quæſt. 1. a. 2. in cap. ante medium: In cognitione autem practica, quæ dirigit in operibus moralibus, invenitur duplex via, ſicut & in contemplationis cognitione, ſcilicet inventio & judicium, in inventione autem modus humanus eſt, quod proceditur inquirendo, & conjecturando ex his, quæ ſolent accidere: quia ex talibus, & circa talia, eſt moralis conſideratio &c. In via autem altera modus humanus eſt, quod ex his, quæ frequenter ſolent accidere, homo de inventis per conſilium judicet probabiliter.*

Huic declarationi ab Adverſariis objecti textus conſonat clariſſimis verbis celeberrimus Thomiſta Ioannes à S. Thoma, qui ſic loquitur 1. 2. *quæſt. 18. diſput. 12. a. 3. Quod attinet ad conſcientiam ſeu judicium probabile, eſt unica regula certa, licere ſequi conſcientiam, & ſententiam probabilem, dummodo de ejus probabilitate certò conſtet practicè, & prudentialiter, non ſolùm ſpeculativè, qua probabilitate practica & prudentiali ſtante, quamvis ſpeculativè habeat quis dubitationes, & difficultates, immò licèt oppoſitum appareat probabilius, & tutius, licitè poteſt talem conſcientiam ſequi.* Additque citatus Author: *hanc regulam cenſeo generalem, & univerſaliter veràm pro omnibus actionibus moralibus.*

Urgetur adhuc authoritas S. Thomæ ex *Quodlibeto 9. a. 15.* Ubi ad eandem quæſtionem, an liceat habere duo Beneficia Eccleſiaſtica, ait: *Periculosè determinari, quia ambigua eſt, dum Theologis, & Juriſtæ Juriſtis invenzuntur contraria ſentire.* Atqui ſi utramque ſententiam liceret ſequi propter utriuſque probabilitatem, non eſset periculo locus. Reſp. S. Doctorem non loqui de periculoſa determinatione dictaminis practici, ſive proximi: nam etiam ſi vera eſt, ſententia Adverſariorum ita inſtantium, hoc periculum jam eſt ſublatum per obligationem ſequendi ſententiam probabiliorem, ſi prohibitio videtur probabilior. Solùm ergo periculum eſt, quoad determinandam majorem probabilitatem ipſius quæſtionis, ne ſcilicet in ipſius reſolutione committatur error vincibilis contra legem: Unde ut pateat ab Angelico Doctore in ſolam vincibilitatem erroris, vel dubitationis, obligationem ad peccatum reſundi, hoc loco iterum inquit; *Dicenaum, quoa omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſsè veritas habeatur, periculosè determinatur: quia error, quo non creditur eſſe peccatum mortale, quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat à toto, licèt fortè à tanto, (quia nimirum eſſet vincibilis) error autem, quo creditur eſſe mortale, quod non*

eſt

eſt mortale ; ex conſcientia ligat ad peccatum mortale : præcipuè autem periculoſum eſt, ubi veritas ambigua eſt, quod in hac quæſtione accidit, ubi proinde datur obligatio examinandi veritatem, ne per hujus negligentiam quis ſe, vel alios periculo exponat agendi contra legem, ob quod ipſa negligentia examinis eſſet peccaminoſa.

ARTICULUS VII.

An liceat ſequi conſcientiam, quoad valorem actionis, aut evitationem damni ab inhoneſtate operationis diſtincti, ſolummodò probabilem, probabiliore, aut omninò certa relicta.

S U M M A R I U M.

75 *Diſcrimen probabilitatis in titulo expreſſæ à probabilitate licentiæ.*

76 *Refertur reſponſio ad quæſtionem propoſitam ſententiæ negativæ et affirmativæ.*

77 *Utraque ſententia limitatur, et conciliatur.*

78 *Satisfit rationibus in contrarium allatis.*

75 DIligenter eſt diſtinguenda probabilitas in hoc titulo expreſsa, quam probabilitatem valoris, aut facti appellare poſsumus, à probabilitate licentiæ, priori articulo declarata: non hoc ipſo enim, quòd ſit probabile valere operationem verbi gratia collationem Baptiſmi in cereviſia eſse validam, etiam eſt probabile, eam licere, extra caſum extremæ neceſſitatis: neque hoc ipſo, quòd una pars litigantium habet jus probabile, aut medicina ſit probabiliter utilis ad pellendum morbum, etiam probabile eſt, licere pro illa ſententiam ferre, aut medicinam præſcribere, neglecta altera parte, habente probabilius jus, aut omiſsa medicina efficaciore, ac certiore.

§. I.

An Miniſter Sacramentorum poſſit ſequi ſententiam probabilem quoad illorum valorem, relicta probabiliore.

ITaque quæritur primò, an in adminiſtratione Sacramentorum liceat ſequi opinionem probabilem, quòd nihil omittatur ad valorem Sacramenti requiſitum, relicta tutiore aut certa ſententia.

76 Negativam tenet extra caſum neceſſitatis Suarez *to.3. in 3.p. diſp.16. ſect.2.* Barth. Ledeſma, Petrus Soto, Henriquez, Valentia, Salas, apud Palao *tract.1. diſp.2. pu*.5. eo quòd reverentia Sacramenti videatur exigere, ne ſi ea tantùm ponantur, quæ ſolùm probabiliter ſufficiunt ad valorem Sacramenti, ipſum Sacramentum periculo invaliditatis aut nullitatis exponatur, ob quam cauſam in adminiſtratione Sacramentorum communiter prohibetur uſus materiæ aut formæ dubiæ: deinde quia ſi ſententia apparenter probabilis in ſe falſa eſſet, ex ejus ſuppoſitione proximo grave damnum oriretur, ideò juſtitia & charitas poſtulat, illum tali periculo non exponere. Unde S. Auguſtinus *l.1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap.3.* dixit, graviter peccare, qui in rebus, ad ſalutem animæ pertinentibus, certa incertis non præponit.

Nihilominus affirmativam latè defendit Vaſquez 1.2. *quæſt.19. art.6. diſput 63. cap.2. et 3* Barthol. Medina 1.2. *q.19. a.6. §. Cæterum magna eſt controverſia.* Thomas Sanchez *lib.3. de Matrimonio diſputat.20. numer.4. et lib.1. in Decalogum cap.9. num.33. et alii à Palao relati cit. diſput.2. p.5. num.5.* quos ipſe cum neceſſaria limitatione, in noſtra reſponſione mox exprimenda, ſequitur. Verùm utriuſque ſententiæ Doctores facilè conciliari poſſunt: quia neutri abſolutè & univerſaliter loquuntur, niſi in materiis & formis Sacramentorum, ex Chriſti Inſtitutione & Eccleſiæ conſuetudine determinatis. Ad utrorumque mentem

77 Itaque dicendum eſt, tunc licere etiam extra caſum neceſſitatis ſequi opinionem probabilem quoad valorem Sacramenti, quando periculum invaliditatis tantùm oritur ex conditione, per Eccleſiæ ratificationem ſupplebili, vel quando obligatio procurandi majorem certitudinem eſſet plurimis ſcrupulis, vel gravi difficultati in ſuſcipiendo aut conferendo Sacramento obnoxia: Ratio primæ partis contra ſuperiorem negativam reſponſionem eſt: quia plurimis inſtantiis poteſt demonſtrari, quòd quando conditio aliqua eſt ſupplebilis ab Eccleſiæ ratihabitione, licitè adminiſtrentur Sacramenta; etiamſi non omninò certum ſit, an de jure ordinario etiam validè adminiſtrentur. Sic licitè adminiſtratur Sacramentum pœnitentiæ à Sacerdote, habente juriſdictionem ſolùm probabilem, v.g. probabiliter judicante, peccatum pœnitentis non eſſe reſervatum, vel ſe habere juriſdictionem, etiamſi ab alio, quàm ab Ordinario loci, ubi fit confeſſio, fuerit approbatus: immò etiamſi pœnitentem in articulo mortis conſtitutum non approbatus abſolvat, præſente proprio Parocho, vel alio approbato Sacerdote: uti expreſſa P. Franciſci Suarez *tom.4. in 3. par. diſput.26. ſect.6. numer.6. et 7.* atque plurimorum Doctorum authoritate, ac ſolidis rationibus demonſtrabo in Sacramento Pœnitentiæ, acturus de juriſdictione Sacerdotum in moribundum. Item conjuges licitè ſibi mutuò adminiſtrant Sacramentum, & matrimonium contrahunt, præſente proprio parocho nondum Sacerdote, vel extra propriam parochiam aſſiſtente:

Quorum omnium hæc ratio a priori reddi poteſt: quia etſi non omninò certum ſit, quòd in prædictis, & ſimilibus caſibus ex jure ordinario, & per ſe loquendo, validè adminiſtrentur Sacramenta, juxta communiſſimam tamen Doctorum ſententiam Eccleſia per ratihabitionem actus, & per diſpenſationem conditionis, ſi qua forſan in probabili ſuppoſitione omiſſa eſſet, certiſſimè ſupplet ejus defectum, ne tot actus ordinati ad conficienda Sacramenta irriti reddantur, ut adeòque periculum invaliditatis, & inde ſecuturi damni ex ſpeciali privilegio tollatur, neque locum ampliùs habeant argumenta pro prima ſententia allata.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia omnes fateri debent, licere Sacramentum pœnitentiæ conferre ei, quem confeſſarius tantùm probabiliter ſcit rectè diſpoſitum eſſe ad illud ſuſcipiendum, & pœnitentem etiam non teneri, alium dolorem ponere, quàm attritionem, etiamſi non omninò certum ſit eum ſufficere, & tutiùs foret, elicere contritionem, ſaltem (quam requirit Palavicinus, & alii nonnulli Doctores) imperfectam, ex motivo charitatis partialiter procedentem. Atqui hujus licentiæ non poteſt dari melior ratio, quàm quòd ſi major certitudo requireretur, eſſet ejus obligatio ſcrupulis, & magnæ difficultati, tam in conferendo, quàm ſuſcipiendo Sacramento obnoxia: ergo dicta ratio ſufficit, ut liceat adminiſtrare Sacramentum cum probabili ſpe de illius valore, etiamſi poſſet adminiſtrari modo tutiore & certiore.

78 Neque obſtant rationes in contrarium allatæ, quia illæ rectè tantùm adducuntur, quando adminiſtratio Sacramenti ex opinione probabili per accidens non honeſtatur à periculo gravium ſcrupulorum, & difficultatum, quibus reverentia Sacramenti, & bonum ſuſcipientis potiùs impediretur, eò quòd ſic adminiſtratio & ſuſceptio redderetur oneroſa, & faſtidioſa. Sic etiam, quia multis eſſet difficillimum, vel omninò carere matrimonio, vel carere cum perſona ſingulariter amata, ideò licet illud contrahere, etiamſi diſpenſatio, vel abſentia impedimenti dirimentis, non ſemper ſit moraliter certa, ſed ſolùm probabilior, quàm ejus oppoſitum. Ex aſſignata itaque concluſionis noſtræ ratione patet, quare in aliis Sacramentis, quàm pœnitentiæ, & matrimonii, communis uſus Eccleſiæ, & periculum irreverentiæ, fundent obligationem religionis, periculum damni verò, ſuſcipienti ex invalida adminiſtratione eventuri, fundet inſuper obligationem charitatis, vel etiam juſtitiæ, extra caſum neceſſitatis non aliter adminiſtrandi Sacramentum, quàm adhibendo materiam & formam certam, & cæteras conditiones, ad certam ſpem validæ adminiſtrationis requiſitas. Neque noſtræ doctrinæ obſtat etiam prohibitio, qua ab Innocentio XI. die 2. Martii Anno 1679. hæc propoſitio prout jacet, interdicta eſt: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi*

ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc probabili ſententia tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis. Hanc enim propoſitionem, prout jacet, etiam nos improbamus: ideò dedimus ejus declarationem, & limitationem ampliorem.

§. II.

An Medicus poſſit ſequi ſententiam probabilem relicta probabiliore.

S V M M A R I V M.

79 *Reſponſio Negativa.*

79 QUæritur 2. An liceat Medico applicare medicinam probabilem, relicta certa aut probabiliore. Reſp. teſte Thoma Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 9. nu.* 38 & Franciſco Bardi *diſcept. 4. c. 30. n. 1.* ex omnium conſenſu, non licere, ſed obligatum eſſe, adhibere medicinam certam, ſi ægro ſumptus neceſſarios faciente poſſit adhibere certam, & in hujus defectu probabiliorem, quæ ſcilicet, ſi non ſuo, ſaltem aliorum judicio probabiliùs eſt profutura, ut iterum ferè omnes tradunt, & denique hac etiam deficiente obligatum eſſe applicare probabilem; nunquam verò ita inexploratam, quæ an profutura an obfutura ſit, nec quidem probabiliter ſciatur, etiamſi infirmus deſperatæ ſit valetudinis. Quo in caſu tamen contra aliquos à citato Franciſco Bardi *num. 3.* relatos, rectiùs cum eodem Authore & cum Scildere *tra. 2. c. 8. nu.* 108. allegante Thomam, Sanchez, Laymann, Portellum, Bonacinam, Boſſium, conceditur, ſufficere probabilitatem ſalubritatis; conjunctam etiam cum æquali probabilitate inſalubritatis. Imò non immeritò videtur citato Authori, ſequentem Thomam, Sanchez, eſſe Medicum tunc obligatum ad talem medicinam præſcribendam, eò quòd ex hac ſaltem aliqua ſpes vitæ, aliàs deſperatæ, affulgeat.

Ratio totius reſponſionis eſt, quia Medicus, ſi non ex charitate, ſaltem ex juſtitia, ratione pacti, quod ſusceptione officii ſubit, obligatus eſt, ſanitatem procurare modo meliori, quo poteſt: periculo autem mortis accelerandæ exponere neminem debet, niſi in neceſſitate ſimul probabilis ſpes ſit prolongandæ vitæ: ſed niſi Medicus dicto modo procedat, non procurat ſanitatem modo meliori, quo poteſt, vel exponit periculo mortis, ſine probabili ſpe prolongandæ vitæ, ergo &c.

§. III.

An Iudex poſſit ferre ſententiam probabilem, relicta probabiliore.

S V M M A R I V M.

80 *Quid ſit quæſtio facti, quid quæſtio Iuris.*

81 *Iudex tenetur ferre ſententiam pro ea parte, quam certum eſt habere rationes probabiliores.*

82 *Si rationes utrinque ſint certo æquales, et Leges utrique parti æqualiter favent, non licet judici parti alterutri magis favere.*

83 *Si Leges alterutri parti magis favent, ſecundùm illas ſententia ferenda eſt.*

84 *Quando utriuſque partis rationes ſe invicem probabiliter vincunt, et neutrarum victoria eſt certa, aut à legibus determinata, licet judici alterutram majorem probabilitatem eligere, ac ſecundùm illam ſententiam ferre.*

80 QUæritur tertiò. An Judex inter partes litigantes poſſit ferre ſententiam juxta opinionem probabilem, relicta probabiliore, aut æquè probabili. Ante reſponſionem advertendum eſt, in eadem lite duplicem eſſe quæſtionem, unam facti, alteram juris: facti eſt, quando quæritur de actione, vel exiſtentia rei, in qua fundatur jus. V. g. petis tibi adjudicari dominium alicujus rei titulo emptionis, donationis, hæreditatis, legationis, &c. & tunc quæſtio facti inſtitui poteſt, an emptio, donatio, inſtitutio hæredis, legatio verè extiterit, vel an proximus conſanguineus ſis defuncti. Quæſtio juris eſt, qua quæritur, an etiam ſuppoſito tali titulo majus jus habeas, quàm alius, Legeſque magis tibi faveant.

81 Nunc ad propoſitam quæſtionem Reſp. primò, Si certum ſit, quænam pars efficaciores probationes habeat, tàm juris, quàm facti (debet autem Judex ad probationes allegatas tantùm attendere, & non ad eas, quæ allegari potuiſſent, quas neque ſuggerere debet, ne non tàm judicis, quàm advocati officium agat) fatentur Doctores communiter, judicem obligatum eſſe pro illa parte ſententiam ferre: rationes à Terillo *q. 24. à num. 9.* tam ſolidæ afferuntur, ut mirer in quæſtione de probabilitate juris apud Lugo, *diſp. 37. de juſtitia ſect.* 10. *numer.* 114. contrarium (quod teſte Franciſco Bardi *num.* 11. intrinſecè eſt improbabile) docere auſos eſſe Medinam, Aragonium, Salonium, Petrum de Ledeſma, Salas, Lorcara, Delrium, Joan: Sanchez, & alios, relatos à Diana, *p. 2. tract. de Opinione Probabili reſol.* 3.

Probatur autem communis aſſertio primò, authoritate Innocentii XI. qui in decreto citato prohibet oppoſitam doctrinam in ſecunda propoſitione ab eo damnata, qua quis dicit: *Probabiliter exiſtimo, judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.*

Probatur ſecundò. Quia propterea tanto ſtudio inquiruntur, & deliguntur prudentiores, & æquiores judices, non ut declarent, quænam ſententia ſit probabilis, quod facilè ab imperitioribus etiam cognoſci poſſet, neque ut affectui ſuo indulgere queant, favendo habenti Jus probabile, cui libuerit, ſed ut prudenter diſcernant, & fideliter pronuntient, quænam pars litigantium habeat probabilius Jus.

Tertiò quia nullus hominum eſt, qui velit cauſam ſuam committere alterius judicio, licitum permittendo illi, ut ſententiam ferat pro parte oppoſita, minùs probabile Jus habente: ergo homines, prout conſtituunt integram communitatem, non cenſendi ſunt tranſtuliſſe hanc poteſtatem in judices à ſe conſtitutos.

Quartò. Quia hæc licentia eſſet pernicioſiſſima Reipub. utpote quæ viam aperiret oppreſſioni pauperum, acceptioni perſonarum &c. Unde meritò ab omnibus ſupponi debet, judicem ex pacto & conventione per acceptationem, & collationem officii inita, obligatum eſſe declarare fideliter, quænam litigantium pars probabilius Jus habeat, ſeu, cujus rationes alterius rationibus præponderent, quod juſtitiæ appicta bilance indicatur.

82 Reſp. Secundò iterum cum longè probabiliori ſententia (ita ut Terillus *q. 24. aſſertione 6.* oppoſitam Eminent. Card. de Lugo loco citato, & plurium aliorum ab ipſo relatorum ſententiam intrinſecè exiſtimet improbabilem propter allatas rationes, ab Adverſariis, ut ipſe inquit, non ſatis agnitas, & perpenſas) ſi ex parte facti conſtet probationes æquales eſſe, & Jus utrique parti æqualiter favere, debet Iudex non pro libitu, & ſpeciali favore rem litigioſam parti, cui voluerit adjudicare; cùm enim non ſit dominus rei, non poteſt aliquod Ius in alterutram partem transferre, & cùm videat utramque partem habere æqualem probabilitatem tam facti, quàm juris, non poteſt ſalva veritate, & juſtitia, & firmitate pacti, ex officio ſuſcepti, declarare, quænam habeat probabilitatem majorem: itaque vel res dividenda erit in æquales partes, ſi eſt utiliter diviſibilis, vel retinens totam rem debet alteri ſecundùm æſtimationem dimidii compenſationem facere.

83 Reſp. Tertiò juxta fundamenta, & Authores primæ reſponſionis, ſi probationes facti quidem æquales eſſent, Ius tamen uni parti magis faveret, quàm alteri, priori res tota adjudicanda eſſet: ſic in cauſis non exceptis Ius potiùs favet poſſidenti, quàm non poſſidenti, juxta capitulum *Ex literis, de Probationibus*, & reo magis, quàm actori, ſecundùm *Regulam* 11. *juris in 6.* In civilibus autem reus dicitur, qui poſſeſſor eſt, non qui actor. Dixi: *In cauſis exceptis.* Nam quando lis eſt contra matrimonium, dotem, libertatem, pupillum, peregrinum, viduam, aliamve cauſam piam, pro ea cauſa, cæteris paribus, judicandum eſt, ut col-

ut colligitur *ex Capitulo finali de Sententia & re Iudicata*.

Reſp. denique quartò. Si partes litigantes non quidem videantur habere rationes æquales, & æquè probabiles, attamen non omninò certum ſit, quænam pars habeat probabiliores, ac probationes facti aut juris, neque hoc per aliquod paulò ante dictum Privilegium alterutri magis faveat, ſed ſi ambæ partes ſe mutuò probabiliter vincant, aut in utroque, aut in alterutro (prout inter rationes pugnantes ſæpè contingit, ut modò hæ, modò illæ videantur probabiliores, tam reſpectu ejuſdem quàm diverſi intellectus, & difficilis reddatur electio, propter rationum non abſolutam, ſed reſpectivam inæqualitatem ad varias circumſtantias, & diſſonantias vel interpretationes legum) alii iterum dicunt rem æqualiter dividendam, aut per compenſationem componendam eſſe, uti docent Bannez, Suarez, Coninck, Laymann, relati & acceptati à Thoma Delbene *tractat. 2. de Conſcientia Opinante, dub. 2. n. 20.*

Alii tamen apud eundem Authorem, & apud Ferd. Palao *tract. 1. diſp 2. part. 10.* communiùs, & veriùs ſentiunt, poſſe Iudicem, cui voluerit, rem totam adjudicare: quia cuicunque parti adjudicaverit, ea verè habet prudentes rationes, quæ ſuadeant rem probabiliùs ipſius eſſe: ergo poteſt Iudex illis prudenter aſſenſum præbere, & ſecundùm eas ſententiam ferre; quia ad aliud non obligatur, quàm ut dicat ſententiam, quam verè & prudenter judicat probabiliorem. Imò etiamſi ratione officii poteſtatem habeat ſententiam dicendi ſecundùm illam opinionem, quæ ipſi probabilior videtur, poteſt tamen non ſecundùm ſuam, ſed ſecundùm opinionem alterius Doctoris, vel Iudicis, ſive iſte ſuperior ſit ut aliqui volunt, ſive inferior aut æqualis, ut alii probabiliùs etiam admittunt, ſententiam dicere, modò (ut ego limitandum cenſeo) is, cujus opinionem ſequitur, indoctior vel imprudentior eſſe non credatur, ut contra Valentiam, Bannez, Villalobum, affirmant Medina, Salas, Sayrus, Aragonius, Salonius, Ledeſma, Ioannes Sanchez, Palao, Delbene.

Ratio eſt, quia Iudici committitur res judicanda, prout ſecundùm rationes, ſive intrinſecas, ſive extrinſecas, probabilior apparet, ergo ſive Iudex ſuam, ſive alterius, quoad doctrinam, & prudentiam æquè magnæ authoritatis, opinionem ſequatur, & ſecundùm eam deinde ſententiam dicat, eo modo judicat, prout ipſi officium commiſſum eſt: & in hoc caſu, quando utraque pars pro ſe videtur probabiliores rationes adducere, vel quando variæ ſunt Doctorum opiniones, quando v. g. unus Doctor putat, hanc Legis interpretationem eſſe probabiliorem, & alius æquè doctus, contrariam eſſe probabiliorem, locum habet illud, quod dicitur in Gloſſa *Capituli Venerabilem, de Elect. et Electi Poteſtate*. Verbo *favere*: Quòd in dubio poſſit Iudex favere, cui vult, & in *Regula*: *In judiciis 12. de Regulis Iuris in 6.* in fine Gloſſæ: *Utile eſt in arbitrariis Iudicem gratioſum habere*; hujuſmodi cauſas Iaſon *L. poſt dotem n. 105. ff. Soluto Matrimonio*, vocat *cauſas pro amico*.

Neque tamen hinc ſequitur, licere Iudici, pro favore ſententiæ aliquod pretium exigere, vel recipere: Quia hoc ipſo, quòd ſententia lata nitatur jure agnito ut probabiliore, pars litigans habet jus ad illam ſententiam, & conſequenter non tenetur pro ea pretium ſolvere, nec Iudex poteſt illud exigere, vel recipere. Favor autem Iudicis interveniens non eſt pretio vendibilis, ſicut non eſt vendibilis favor dantis mutuum pro integra ſorte recipienda, vel commiſſam ſibi eleemoſynam huic pauperi potiùs, quàm alii diſtribuentis. Unde & in hoc, & multò magis in illo caſu, quo neutra pars litigans habet probabilius jus, juſtè ab Alex. VII. prohibita eſt Propoſ. 26. *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.*

§. IV.

An Advocatus poſſit aſſiſtere ſententiæ minùs probabili.

S U M M A R I U M.

85 *Licet Advocato, parti minùs probabili aſſiſtere.*
86 *Non licet aſſiſtere parti certò falſæ.*

Quæritur 4. An Advocatus poſſit ſalvo jure naturæ, & Canonico, cauſæ ſibi probabili relicta probabiliore aſſiſtere. Reſp. cum communiſſima ſententia poſſe, quia Advocatus non petit, ut Iudex aliquid contra juſtitiam, aut contra Leges decernat; ſed tantùm elucidando partis ſuſceptæ jus conatur Iudicem in ſententiam, & favorem illius inflectere, cùm oppoſitæ partis jus non ſit evidens, & quod ipſi Advocato quidem probabilius videtur, poſſit Iudici minùs probabile videri, auditis alterius partis probationibus, ab Advocato adductis. Imò ſecluſo ſcandalo, & periculo aut prohibitione poſitiva, poſſet Advocatus ſimul utriuſque partis cauſæ patrocinium aſſumere: quia utique licet, utriuſque probationes pro juribus afferre, & eas dijudicandas Iudici permittere. 85

Dixi: *ſecluſo periculo*: quia frequenter, & meritò timeri poſſet, ne uni parti potiùs, quàm alteri Advocatus faveret.

Quòd ſi tamen cauſa unius partis ab initio, vel in progreſſu manifeſtè appareret injuſta, certum eſt, illicitum eſſe, ejuſdem patrocinium ſuſcipere, aut continuare. Vel enim videret Advocatus, à ſe inductum iri Iudicem ad illam approbandam, tunc ipſe eſſet cauſa injuſta damni partis læſæ, utpote habentis Ius obligandi alterum, ne cooperetur ad ablationem rei ſuæ, certò cognitæ, ut ſuæ: ac proinde teneretur ad reſtitutionem illius. Vel prævideret cauſam ſuſceptam à Iudice, ut iniquam, agnoſcendam, & tunc eſſet injuſta cauſa inutilium expenſarum in litem deſperatam, ac injuſtam. Immò etiamſi cauſa unius partis non ſit manifeſtè injuſta, vel deſperata, ſi tamen exigua ſit illius ſpes, non licet Advocato, parti litiganti ſpem juſto majorem facere, ut rectè advertit Layman. *lib. 1. tract. 1. cap. 5. num. 18.* aſſerens cum Leſſio *l. 2. cap. 31.* & communi ſententia, Advocatum ad compenſationem damni obligari, ſi falſa promiſſione, aut ſpe inani victoriæ clientem ſuum detineat. 86

DISPU-

DISPUTATIO II.

De Lege & Conſuetudine Legali, ut primo Principio extrinſeco directivo Actuum Moralium.

ARTICULUS I.

De Natura & Eſſentia Legis.

SUMMARIUM.

1 *Lex definitur. Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata, differt à Præcepto ex fine boni communis.*

2 *Lex debet fieri formulis præceptivis, & quænam illæ ſint.*

3 *Lex ante promulgationem factam communitati, non obligat.*

4 *An & quomodo requiratur acceptatio Legis tam Eccleſiaſticæ, quàm Civilis. Et an peccet Populus ſine juſta cauſa non acceptans legem: de quo refertur propoſitio 28. ab Alexandro VII. prohibita.*

5 *Cur aliquæ Leges requirant acceptationem, ut obligent.*

6 *Diviſio Legis in Divinam, Naturalem, Humanam, & hujus ſubdiviſio in Civilem, Canonicam, & in Jus Gentium.*

7 *Diviſio Legis in Affirmativam, & Negativam.*

8 *In Odioſam, Favorabilem, et Mixtam.*

1 CUm cujuſvis rei eſſentia per definitionem, & diviſionem illius optimè cognoſcatur, ideò dico legem rectè à S. Thoma 1. 2. *quæſt.* 90. *a.*4. communiter recepto definiri, quòd ſit Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata: unde tres potiſſimùm conditiones ad legem propriè dictam requiruntur. Prima eſt, ut ſit rationabilis; aliàs eſſet iniqua, & hoc ipſo invalida. Itaque lex, etſi probabiliùs non ſit actus intellectus, per ſe loquendo tamen ſupponit actum intellectus, quo legislator judicat obligationem Legis eſſe convenientem Reipublicæ, ſeu communitati; ſufficit autem hoc judicium eſſe probabile, quod in dubio, utrum tale ſit, ſupponi debet: cùm enim legislator ſit in poſſeſſione poteſtatis ferendi legem, niſi ea propter aliquem defectum eſſentialem à prædicta poteſtate extrahatur, ideò neceſſe eſt, illum ratione moraliter certa, non tantùm probabili detegi; ne vis obligandi per legem infirma, & cum magno reipublicæ damno plerumque contemptibilis reddatur; quia vix aliqua lex ſtatui poſſet, contra quam non aliquæ rationes apparenter ſaltem probabiles ab aliquibus excogitarentur. Quòd verò lex, ut rationabilis ac juſta ſit, ad bonum commune, & non tantùm ad privatam quorundam utilitatem referri debeat, indicatur in *cap. Erit autem lex diſt.* 4. unde in rigore differt lex à præcepto, quòd bonum privatum reſpicit, & morte præcipientis exſpirat. Quamvis autem etiam aliquæ Leges videantur reſpicere bonum ſolummodò particulare quorundam hominum ex communitate, v. g. pupillorum, minorennium, militum &c. cujuſmodi videntur eſſe Leges vectigalium, quæ in Principum utilitatem conduntur, item Privilegia, quæ in *cap. Privil. diſt.* 3. lex privata dicuntur, nihilominus iſtæ omnes ultimatè, & principaliter tendunt in utilitatem communitatis, cui expedit, eas fuiſſe ſtatutas.

2 Secunda conditio eſt, ut lex ſanciatur ab eo, cui commiſſa eſt cura, ſeu juriſdictio in communitatem; unde differt à conſilio, & petitione, quæ etiam à non Superiore fieri poſſunt: indicatur autem per has particulas in definitione, quod lex debeat eſſe talis ordinatio, quæ fiat à Superiore, ut Superior eſt, ſeu ut habens juriſdictionem ac poteſtatem obligandi, proinde legem ferens debet intendere, & habere voluntatem obligandi ſubditos, eamque voluntatem exprimere verbis non ſub dubio, ſed manifeſtè ſignificantibus, aliàs in favorem libertatis pro conſilio, & exhortatione dumtaxat ſignificanda, non autem pro lege accipientur; quia in dubio ſemper benignior interpretatio facienda eſt, ut dicitur in *l. Interpretatione*, & *l. Si præſes ff. de Pœnis*, *et Regula*, *In pœnis*, *de Regulis Juris in* 6. Manifeſtè autem ſignificare cenſentur illa verba, quæ neceſſitatem important, aut voluntatem Superioris exequendi, aut pœnam latam, vel ferendam ſubeundi, cujuſmodi ſunt verba *præcipio*, *impero*, *jubeo*, *mando*, quod poſtremum verbum Azor *To.* 1. *Inſtit. Moral. lib.* 5. *cap.* 6. *quæſt.* 5. immeritò, & contra communem in mitiori ſignificatione, quàm priora intelligi poſſe dicit. Verbum *debeo* à quibuſdam pro debito honeſtatis, à pleriſque tamen etiam pro debito obedientiæ, & neceſſitatis ſumitur. Dubiæ ſignificationis, & tam ad conſilium, quàm imperium denotandum indifferentia verba ſunt, *volumus*, *decernimus*, *ordinamus*, *ſtatuimus*, *ſancimus*, *innovamus etc.* quæ tamen ad imperium ſignificandum determinantur additis hujuſmodi vocibus: *in virtute obedientiæ*, *ſub pœna præſtiti juramenti*; *in virtute Spiritus S. in nomine JESU Chriſti*, *ſub interminatione maledictionis æternæ*, *vel gehennæ*, *vel indignationis Apoſtolorum*, *ſub excommunicatione etc.* Immò ſine talibus particulis ſecundùm conſuetudinem religionum Superiorum verba aliàs expreſſum mandatum ſignificantia benigniùs accipiuntur, ut pro noſtra Societate declaratum eſt *Conſtitutionum par.* 6. *cap.* 5. Similiter dubiæ ſignificationis ſunt verba, modo imperativo tantùm prolata, & nullum aliàs imperium continentia, v. g. *caveant*, *abſtineant*, *faciant etc.* quæ tamen ex materiæ gravitate, & neceſſitate, præſertim in Decretis Conciliorum, & Pontificum plerumque colliguntur, ex intentione obligandi prolata eſſe.

Tertia Conditio eſt promulgatio Legis factà communitati: ſicut enim Leges feruntur non in unius hominis, ſed in communitatis utilitatem, ita ipſa primò, & per ſe obligatur ad earundem obſervationem, ſinguli autem in tantum obligantur, in quantum ſunt membra communitatis obligatæ. Unde ſi alicui in particulari conſtet legem eſſe latam, antequam publicè promulgetur, non tenetur Lege (immò teſte Palao neque contra juſtitiam peccat utens promulgandæ Legis notitia in damnum alterius v. g. vendendo annonam tunc temporis uſitato pretio per legem taxatoriam abrogando, quia ante abrogationem eſt adhuc juſtum) nam lex ex defectu neceſſariæ conditionis nondum habet vim obligandi, quam primùm acquirit per publicam proclamationem, vel affixionem in loco publico &c. Ut autem meliùs intelligatur, qualis promulgatio ad complendam obligationem Legis requiratur, advertendum eſt, aliam legem Eccleſiaſticam, ſeu Canonicam (ſic dictam, quod Canones Eccleſiæ maximè conformentur primæ regulæ rectè vivendi) aliam civilem, quæ vel à ſæculari Principe ſupremo, vel ab inferiore aut magiſtratu ſubordinato ſtatuitur, eaque, vel ad plura parva Regna aut Provincias eidem domino ſubjectas extenditur, vel ad unam tantùm: ſi itaque lex ſit civilis, ad plures Provincias ſe extendens, communis eſt ſententia, quòd niſi Legislator manifeſtè velit, legem ſtatim, ac in uno loco promulgata fuerit, à ſubditis ibidem obſervari, ea in qualibet Provincia publicè debeat promulgari, neque ante elapſos duos menſes à publicatione facta obliget. Ita expreſsè habetur in *Authentica*, *Ut factæ novæ Conſtitutiones*. *Coll.* 5. Neque obſtat, quòd iſtud ita univerſaliter quoad omnes Leges pluribus Provinciis communes ſolùm in titulo, non autem in ipſo Canone dicatur, qui tantùm ad Leges Teſtamentarias titulum reſtringit: quia cùm titulus perfectum ſenſum ad modum Legis habeat, ſecundùm benigniorem interpretationem, quæ in legibus ſervanda eſt, per modum unius cum ipſo Canone accipi poſſit, juxta communem Doctorum ſenſum Canon ſubnexus non ſecundùm ſe tantùm, neque ut reſtringens titulum, ſed ut aſſignans Leges Teſtamentarias ſolùm pro exemplo, accipi

cipi debet. Si verò lex pro una Provincia ſolummodò feratur, vel ſi non Civilis, ſed Canonica ſit, ſecundùm communem doctrinam ſufficit, modò illa in præcipua Civitate Provinciæ, & iſta in urbe Romana publicetur, neque duo menſes pro illius obligatione exſpectandi ſunt ſed ſolùm illud tempus, quo præſentes publicationi, & nondum quidem ſtatim obligati, legem in tota urbe divulgare potuerunt, quæ deinde jam tamquam populus quidam, & civitas ſpecialis ſtatim incipit obligari, & ſic ſucceſſivè diffunditur obligatio Legis etiam ad aliàs civitatis viciniores, ſemper tamen, ut contra Salas *Diſput.12. de Leg. ſect.9. num.34.* & Bonac. *to.2. diſp.1. quæſt. 1. par.4. num.18.* advertit Palao *tr.3. diſp.1. pu.11. num. 7.* cum Suar. *lib.3. cap.17. à num.7.* tanto tempore obligationi inchoandæ dato, quo Legis publicatio ad totam illam viciniorem communitatem pervenire potuit; unde quando uni, vel alteri tantùm quocumque modo innotuit, nondum ad obedientiam illum obſtringit, ut ex dictis patet. Ratio autem communis aſſertionis eſt, quia jure naturali non requiritur amplior publicatio, neque major obligationis differendæ mora, quàm quæ ſufficit, ut voluntas legiſlatoris integra alicui communitati innoteſcere potuerit: jus autem poſitivum in cit. Auth. expreſ. nihil diſponit de legibus particularibus unius Provinciæ, conſequenter relinquit omnia in eo, quod ſecundùm jus naturale unicè neceſſarium eſt. De legibus Canonicis autem prædictum jus Civile diſponere nec quidquam poteſt; etiamſi enim juxta *cap. 1. de novi operis nunciatione* jus Canonicum adjuvetur Jure Civili, & ſecundùm *cap. Si in adjutorium diſt.* 10. quando Ius Canon. nil ſtatuit, aſſumatur ad decidendas cauſas, quod in civili rectè ſtatutum eſt; in modo tamen ferendi, & promulgandi Leges Ius canonicum non debet imitari civile. Atque iſte eſt ſenſus definitionis explicantis tres conditiones Legis.

4 Addunt aliqui adhuc aliam conditionem, vel ſaltem immediatè allatis includunt, nimirum ut lex efficaciter promulgata ſit, & abſolutam ac completam vim obligandi habeat, neceſſariam adhuc eſſe acceptationem, & conſenſum populi, legem ſubeuntis; quam conditionem non tantùm in Legibus civilibus ex communi ſententia requirunt multi à Suar. relati, ſed etiam in legibus Canonicis contra communem, & ferè certam ſententiam exigunt Navar. *Man. Cap.23. num.41.* & Valent. *tom.2. diſput.7. quæſt.5. pu.5. quæſtiunc.4.* Verùm probabiliùs eſt, acceptationem Legis, loquendo de poteſtate eam condendi ſecundùm ſe ſpectata, ſi Legiſlator eadem omninò ut velit, neque in Eccleſiaſticis, neque in civilibus neceſſariam eſſe, licèt de facto in legibus valdè gravibus, vel contra conſuetudinem aliquam inductis tam Eccleſiaſticus quàm civilis Legiſlator non ſupponatur velle obligare populum, cujus major pars de Legis relaxatione per meliorem Legiſlatoris informationem, aut ſupplicationem aut appellationem agendum cenſuerit, vel legem connivente Legiſlatore aliquoties impunè violaverit, ante eo etiam inſcio per non uſum illam abrogaverit. Ratio primæ partis eſt; quia Legiſlator Canonicus, nempe Pontifex, & per hunc Epiſcopi ſubordinati, aliique inferiores Prælati poteſtatem ſuam non à populo, ſed immediatè à DEO acceperunt, ergo eorum poteſtas à populi conſenſu eſt independens. Legiſlatores autem civiles etiamſi poteſtatem ſuam à populo acceperint, juxta *§. ſed et quod. Inſtit. de Jur e naturali, gentium et civili*; videntur tamen ſine tali limitatione, & dependentia à populi ratificatione accepiſſe; quia populus propterea uni capiti ſe regendum permiſit, quòd ipſi hoc convenientiùs videretur, quàm ſi ſe ipſum per plurium conſenſum regeret, qui difficulter ſæpè, & non ſine magna perturbatione ac quandoque nimis ſerò obtineretur. Neque ex hac abſolutæ poteſtatis tranſlatione irrationabilium ac injuſtarum Legum periculo ſe expoſuit; quia ſi lex lata majori parti irrationabilis videretur, hoc ipſo jam ſufficiens haberetur certitudo exemptionis à Lege, quam dumtaxat populo negamus, ſi contra legem aliàs juſtam, ſed ſibi ingratam reclamaret, cujus proinde conſenſum ad complendam legem credimus cum Suar. *Lib.4. c.16. n.2.* Vaſq. *1. 2. diſp.150. cap.5. num.36.* Bonac. *diſp.1. qu.1. pu.4. num. 29.* Salas *diſp.13. ſect.1.* Palao *diſp.1. pu.13. num.1.* per ſe loquendo, neceſſarium non eſſe, quamvis juvet ad eam confirmandam, & ſtabiliendam, quod ſolùm indicatur per illud dictum Gratiani §. *Leges cap.3. diſt.3. Leges conſtituuntur cum promulgantur, firmantur, cùm moribus utentium approbantur*, quocum conſentit lex, *De quibus, ff. de Legibus* ubi dicitur: *Cum ipſæ Leges nulla alia ex cauſa jus teneant, quàm quòd judicio populi receptæ ſunt etc.* Sine hoc enim non tenerent ius, ſed per deſuetudinem abrogarentur, ut infra his verbis ſubiungitur: *illud receptum eſt, quòd Leges non ſolùm ſuffragio Legiſlatoris, ſed etiam tacito conſenſu hominum per deſuetudinem abrogentur.* Confirmatur dicta Aſſertionis noſtræ pars ex Decreto Alexandri VII. reprobantis propoſ. 28. *Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam*. Huius autem propoſitionis reprobandæ ratio utique alia non eſt, quàm quòd lex etiam non acceptata obliget, quando nulla eſt ſufficiens ratio illam non acceptandi. Licèt enim poteſtas ferendi legem dependeret aliquo modo ab acceptatione populi, tamen non eſt præſumendum illam eſſe Legiſlatori cum hac reſtrictione conceſſam, ut nequeat ferre legem obligantem, ſi ſubjectus Populus ſive juſtè ſive injuſtè illam repellat: Hæc enim reſtrictio directè repugnaret intentioni poteſtatis gubernativæ, in unum ſupremum caput tranſlatæ, & à DEO in eundem finem approbatæ, ac ratificatæ.

Ratio ſecundæ partis eſt, quòd ſcilicet de facto in legibus valde difficilis obſervationis, vel receptæ conſuetudini adverſis, populi acceptatio requiratur; quia ab experientia conſtat, multas Leges tam Eccleſiaſticas, quàm civiles ex eo, quòd vel ab univerſo populo, vel à quibuſdam Provinciis particularibus non acceptatæ fuerint, earum conditores etiam non perrexerint illarum executionem urgere, ac obligationem invitis imponere. 5
Ratio ulterior eſt; quia ſi Legiſlatores in prædictis legibus tantùm conditionatè intendant obligare, ſi ſcilicet ſubditi non nimiùm gravatos ſe putent, adeòque Legem acceptent, eorum authoritas minùs contemnitur, & gubernatio ſuavior redditur, quod utrumque tam Canonicarum, quàm civilium legum conditores meritò ſupponunt velle obtinere.

Dividitur lex primò, & communiſſimè in Divinam, 6
naturalem, & humanam; hæc deinde in Civilem, Canonicam, & Ius gentium; Lex Divina eſt illa, quæ immediatè à DEO humano generi, ut politicum corpus conſtituenti, lata eſt. Naturalis eſt talis Divina lex, quæ naturali intellectus lumine agnoſcitur, & homini promulgatur. Humana eſt, quæ immediatè ab homine ſtatuitur, prout à DEO habente poteſtatem gubernandi homines: quæ ſi immediatè ſtatuatur à Principe, vel Magiſtratu ſæculari, dicitur Civilis; ſi à Superiore Eccleſiaſtico, dicitur Canonica; ſi denique non ab uno ſupremo Domino, ſed à diverſis gentibus ac regnis uſu ac conſuetudine propter communes neceſſitates, conſtituatur, jus gentium appellatur, ut conſtat ex §. *Ius gentium, Inſtit. de Iure naturali, Gentium et Civili*, tali autem jure gentium ſtatuta ſunt, bella, commercia, ſervitutes, Legatorum admiſſiones, fœdera &c. quæ referuntur in *cap. Ius Gentium diſt.1.* Ius enim naturale non neceſſitabat ad iſta inſtituenda, alia quippe via gubernari poſſent homines, & de injuriis ſibi ſatisfacere &c. Unde etiamſi jus gentium in naturali fundetur, & de illo participet, tamen in hoc convenit Civili, & inter utrumque medium tenet, quòd ab hominibus per uſum, & conſuetudinem introductum ſit.

Dividitur ſecundò lex in affirmativam; qua aliquid 7
agendum præcipitur, & negativam, qua aliquid prohibetur agendum, inter quas hoc etiam diſcrimen obſervatur, quòd illa certis tantùm temporibus, iſta ſemper executioni mandanda ſit: non enim ſemper actus fidei, ſpei, charitatis, qui præcipiuntur, ponendi ſunt, ſemper tamen infidelitas, deſperatio, odium DEI, quæ prohibentur, omittenda ſunt.

Dividitur tertiò in odioſam, favorabilem & mixtam: 8
ſic dictas, non quòd odioſa bonum Lege obſtrictorum excludat, neque quòd favorabilis nulli onus aut moleſtiam importet, utrumque enim eſſet contra naturam Legis: ſed quòd odioſa, ut ex communi doctrina eam explicat Sanchez *de Matrim. lib.1. diſp.1. num.4.* verſetur circa objectum primariò intentum in pœnam, vel odium alterius; favorabilis verò verſetur circa objectum primariò

mariò intentum in alicujus favorem, mixta denique per unam objecti partem alicujus favorem, per alteram odium cujuſdam æquè primariò intendat: quòd ſi in quibuſdam legibus intentio legiſlatoris ſatis colligi non poſſit, favorabiles cenſendæ ſunt, quia de legiſlatore potiùs beneficium, quàm odium præſumendum eſt.

ARTICULUS II.

De Obligatione Legis.

QUinque potiſſimùm circa obligationem Legis conſiderari poſſunt, Primò qualem reſpiciat materiam, ſeu objectum; Secundò qualem cauſam efficientem, ſeu legislatorem: Tertiò quales ſubditos, ſeu finem cui: Quartò quantam inducat neceſſitatem ei parendi: Quintò quomodo eidem obligationi ſatisfieri poſſit; quæ omnia diſtinctis Paragraphis declarabimus.

§. I.

Circa qualia objecta, & maximè an circa actus merè internos poſſit obligatio Legis induci.

SUMMARIUM.

9 *Actio inhoneſta nequit eſſe objectum Legis.*
10 *Actio merè interna nec Canonica, nec Civili Lege directè & immediatè poteſt præcipi, bene tamen ratione actus externi præcepti.*
11 *Probatur prima pars aſſertionis.*
12 *Probatur etiam ſecunda.*

9 DIco primò, omnia objecta Legis debere eſſe honeſta ſaltem negativè (id eſt, non inhoneſta) & propter finem, ad quem referuntur, poſitivè honeſtabilia honeſtate, vel naturali, ſi ſint objecta legum civilium, reſpicientium felicitatem naturalem Reipublicæ: vel ſupernaturali, ſi ſint objecta legum Canonicarum: vel utraque, ſi ſint objecta ab utroque ſtatu Civili, & Eccleſiaſtico receptarum. Ratio eſt manifeſta; quia omnis poteſtas à DEO eſt, & ad prædictos fines ordinata, ut earum obſervatione ſubditi boni, id eſt, fini ſuo conformes fiant: ergo non poteſt dari poteſtas ferendi legem obligantem ad aliquid inhoneſtum, vel non conducens ad finem proprium cuique Legi.

10 Dico ſecundò, etiamſi dubium non ſit, quòd Lege divina, vel naturali poſſit præcipi actus merè internus, Lege humana tamen non tantùm Civili, ſed neque Canonica propriè dicta, & ad juriſdictionem fori externi pertinente poſſe ullum actum merè internum per ſe, & directè, & niſi ad exiſtentiam phyſicam, aut moralem æſtimabilitatem actus externi neceſſarius ſit, imperari, poſſe tamen, ſi dicto modo neceſſarius ſit. Prima pars à S. Thoma 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 9. atque ab aliis DD. communiter recepta contra quoſdam ſecutos gloſſam in *cap. Cogitationis de Pœnitentia diſt.* 1. Probatur primò ex fine Legis humanæ, qui eſt bona conſtitutio externa, ac ſenſibilis, communitatis quà talis: ſicut enim homines à ſe invicem reguntur gubernatione externa, ac ſenſibili, ita etiam finis debet eſſe proportionatus tali regimini: ſed actus merè interni ad eſſe phyſicum aut morale actuum externorum nullo modo neceſſarii, non ordinantur ad bonam conſtitutionem externam communitatis quà talis, utpote cui propter ſuam inſenſibilitatem, & incognoſcibilitatem per ſe ipſos nec obeſſe, nec prodeſſe poſſunt; ergo non poſſunt eſſe objectum Legis, non tantùm Civilis, ſed neque Canonicæ propriè dictæ, & ad juriſdictionem fori externi pertinentis, quæ juriſdictio bonam conſtitutionem externam communitatis, id eſt, veram quidem & realem, non fictam, attamen ſenſibilem ſolummodò procurat, ut ipſa nimirum, vel ad felicitatem naturalem ac civilem, vel ad ſupernaturalem ac civilem, vel ad ſupernaturalem exteriùs bene ſe habeat. Nam juriſdictio fori interni, & Sacramentalis, in qua ad ſpontaneam ſui accuſationem de actibus merè internis, Divino præcepto homines inducuntur, eorundem privatum, & exteriùs imperceptibile bonum, æternam ſcilicet beatitudinem immediatè intendit, & ex hac utique non negatur, poſſe particularia præcepta, & deinde judicium ferri circa actus merè internos.

11 Probatur eadem pars ſecundò. Poteſtas legislativa conjuncta eſſe debet cum poteſtate punitiva, ut dixit Ariſt. 10. *Ethic. cap. ult.* & ex eo patet, quòd voluntas obligandi per legem humanam velit neceſſitatem imponere, vel ad executionem ponendam, vel ad pœnam temporalem ſubeundam per ſententiam judicis, ſi ei placuerit, aut neceſſarium viderit: ſed poteſtas punitiva non poteſt verſari circa actus merè internos, utpote non tantùm per accidens, ſed ex natura ſua occultos, adeòque impunibiles: ergo neque poteſtas legiſlativa poteſt verſari circa actus merè internos.

12 Probatur nunc etiam ſecunda pars: & quidem de actibus internis, ad exiſtentiam externorum phyſicè neceſſariis, conceditur ab omnibus: quia nemo negat, legem obligantem ad opus externum obligare etiam ad actum voluntatis determinantem ad poſitionem operis externi, & reddentis ſenſibilem actum voluntatis liberum, per legem dirigendum ac determinandum.

De reliquis ergo actibus internis, ſine quibus externi quidem exiſtere poſſent, ſed æſtimabilitatem ac bonitatem intentam non haberent, probatur in primis inductione plurium actuum internorum, Lege Civili, vel Canonica præceptorum; nam in contractibus externis præcipitur intentio contrahendi, in ſuſceptione, vel adminiſtratione Sacramentorum præcepta ab Eccleſia præter ceremonias externas imperantur etiam actus interni, ad valorem Sacramentorum requiſiti, & per præceptum orationis vocalis exigitur etiam interna mentis elevatio ab iis, qui negant ſine ea orationem vocalem ad cultum divinum ſervire.

Probatur ſecundò, quia ſi actus interni refundunt ſuam bonitatem in actus externos, ratione cujus iſti ſunt utiles communitati, hoc ipſo ſerviunt ad bonum externum, & ſenſibile communitatis, à Lege humana intentum, & per omiſſionem aut poſitionem actus externi redditur ſaltem ex præſumptione cognoſcibilis, adeòque per judicis ſententiam præmiabilis, aut punibilis poſitio, aut omiſſio actus interni: ergo ſimul cum externo poteſt imperari actus internus, ſi ad illum ſit neceſſarius.

§. II.

A quibus poſſit obligatio Legis induci.

SUMMARIUM.

13 *Nemo poteſt ferre legem communitati, niſi qui in illam ſupremam habet juriſdictionem, vel cui is ſuam poteſtatem commiſerit.*
14 *Summus Pontifex inconſulto, imò etiam renitente Concilio Generali poteſt ſtatuere Leges univerſales pro tota Eccleſia. Et Epiſcopus ſpeciales pro ſua Diœceſi inconſulto Capitulo.*
15 *Leges perpetuæ à Concilio Generali, vel particulari latæ indigent approbatione Superioris exiſtentis, aut futuri poſt Sedem vacantem.*
16 *Qualis Prælatis Regularibus poteſtas ferendi legem competat, dependet ex peculiari ratione ſui Inſtituti à Pontifice approbata.*

DIco primò. Omnis, & ſolus, cui competit juriſdictio ſuprema, ſive ſit Princeps, ſive Magiſtratus, ſive Communitas, nullum ſuperiorem quoad temporalem juriſdictionem agnoſcens, jure ordinario poteſt obligationem Legis inducere; cui verò competit tantùm ſubordinata juriſdictio, eam poteſtatem habet, quam ac quantam ſuperior commiſerit; qui autem nullam habet juriſdictionem, ſed ſolum dominium, is neque legem ferre, ſed tantùm particularia præcepta ſtatuere poteſt, niſi ex privilegio, uſu, vel conſuetudine ab habente ſupremam juriſdictionem ipſi permittatur, uti permittitur quibuſdam communitatibus, quæ municipales appellantur. 13

Ratio concluſionis eſt: quia in tantum competit alicui poteſtas inducendi obligationem Legis, in quantum competit illi poteſtas gubernandi communitatem in hujus

hujus bonum; ſed poteſtas gubernandi in tantum competit alicui, in quantum competit illi juriſdictio, ergo &c.

14 Dico ſecundò, ex poteſtate immediatè à Chriſto S. Petro, & ejus Succeſſoribus conceſſa, poſſe Summum Pontificem ſine Concilio Generali, & eo etiam repugnante Leges Canonicas univerſales pro tota Eccleſia ferre: Epiſcopos verò, ex poteſtate ſivè immediatè à Chriſto, ſive, quod longè probabiliùs, & communiùs aſſeritur, à Pontifice accepta, poſſe particulares Leges pro ſuo Epiſcopatu etiam inconſulto Capitulo condere, ut patet ex variis textibus Juris Can. & ex ratione: quia poteſtas ferendi legem eſt neceſſaria ad gubernationem univerſalis, vel particularium Eccleſiarum; hæc autem à communitatis conſenſu eſt independens, quia neque à communitate collata eſt, neque à Chriſto Summo Pontifici, neque ab hoc Epiſcopis cum reſtrictione ad conſenſum & ratificationem communitatis tradita, niſi quòd in feſtis ſtatuendis requiratur conſenſus Cleri, aut etiam populi, juxta *cap. ult. de Feriis*, & in bonis Eccleſiæ alienandis, requiratur conſenſus Capituli, ut habetur *in c. Quando. De his, quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu Capituli*, ac deniquè in rebus gravioribus, quæ ex ſe ad univerſalem Eccleſiam pertinent, v.g. in veritatum fidei definitione, canonizatione Sanctorum, conceſſione Indulgentiarum, relaxatione legum univerſalium pro tota Eccleſia latarum, & quarundam reſervatarum diſpenſatione ad Summum Pontificem ſit recurrendum, ut ſtatutum eſt in *cap. Majores de Baptiſmo & cap. 1. de Tranſlatione Epiſcopi*.

15 De poteſtate Conciliorum ſeu Congregationum tum univerſalium, tum particularium, quando abſque aſſiſtentia ſui Superioris, de illius tamen conſenſu, vel Sede vacante celebrantur, major eſt controverſia, cui non vacat immorari: communior & probabilior ſententia eſt, Leges Conciliorum univerſalium pro tota Eccleſia tunc primùm incipere obligare, quando à Summo Pontifice tunc temporis exiſtente vel de novo electo approbantur (unde hæc approbatio ſemper etiam peti ſolet) quia Chriſtus illi ſoli gubernationem ſuæ Eccleſiæ commiſit. Concilio verò Generali, vel Cardinalium Congregationi, Sede vacante, ex natura rei, ſeu ex neceſſitate boni ſtatus totius Eccleſiæ ea ſolùm poteſtas concedi debuit, quæ pro novo Pontifice eligendo, & pro aliis occurrentibus neceſſitatibus uſque ad ejus electionem erat neceſſaria.

Idem de legibus Conciliorum particularium, ut eorum particulares ſubditos obligent, cum proportione dicendum eſt; nempe quòd neceſſe ſit, ut ab eorum Superiore, cujus conſenſu ſunt habita, approbentur, ſi verò Sede vacante ſint inſtituta, alii dicunt indigere noviter electi capitis approbatione, alii negant, moti ea ratione, quòd ex conceſſione Pontificis Capitulum Sede vacante ſuccedat in adminiſtratione temporalium, & ſpiritualium rerum totius Diœceſis, ut colligitur ex *c. Cum olim, de Majoritate, & obedientia*.

Ceterùm in Trid. *ſeſſ. 24. cap. 16.* præcipitur, ut poſt mortem Epiſcopi intra octiduum eligatur Vicarius, vel exiſtens de novo confirmetur, qui in cæteros habeat juriſdictionem.

16 De poteſtate Religioſorum certum eſt, eam non tantùm eſſe dominativam propter ſpontaneam ſubditorum traditionem ſui, & obedientiæ promiſſionem, ſed etiam eſſe juriſdictivam ad condendas Leges: in quibus tamen reſideat, an in Capitulo congregato, an in aliquo particulari Superiore, ex diverſis eorum à Pontifice conceſſorum Privilegiis & Statutis colligendum eſt. Abbatiſſis verò, & aliis Monialium Præfectis ea ſolùm poteſtas conceditur, quæ ad rectam & politicam domus gubernationem neceſſaria eſt.

§. III.

In quos poſſit obligatio Legis induci.

SUMMARIUM.

17 *An & quomodo Legiſlator ſua Lege teneatur.*
18 *Rationis incapaces etiam Legis ſubeundæ incapaces ſunt. Quando & quomodo pueri legibus humanis ſubjaceant.*
19 *Qui incapacem Legis naturalis, vel à Lege poſitiva non exemptum ad actionem materialiter inhoneſtam inducit, peccat.*
20 *An peregrini legibus ſpecialibus locorum obligentur. Refertur ſententia negans.*
21 *Reſpondetur ad argumenta ſententiæ affirmantis.*
22 *An abſentes teneantur proprii domicilii legibus: triplex ſtatus quæſtionis proponitur.*
23 *Non tenentur, quamdiu verſantur in loco, immuni ab obligatione Legis.*
24 *Revertentes ſtatim iterum tenentur, in quantum obſervatio Legis adhuc præſtari poteſt.*
25 *Abituri tenentur legibus negativis, non affirmativis, ſi intra tempus executioni deſtinatum perventuri ſunt ad locum immunem à Lege.*
26 *Declaratur prior doctrina Exemplis.*
27 *Pœna violatæ Legis incurritur etiam ab abſente, quando crimen in loco domicilii conſummatur.*
28 *An & quomodo Clerici, & Religioſi legibus Civilibus obligentur.*

DE valde diverſis hominum generibus poteſt quæ- 17
ſtio inſtitui. Itaque quæritur I. An ipſe Legiſlator ſuarum legum obligationi ſubjaceat. Reſp. cum S. Thom. *1.2.q.96.a.5.ad 3.* communiter recepto, ipſum ſubjacere obligationi directivæ, id eſt, obliganti ad culpam, quando Leges ſunt univerſales, præcipientes materiam communem ſubditis, & Legiſlatori, non verò obligationi coactivæ, id eſt, obliganti ad pœnam ab ipſo tranſgreſſoribus ſtatutam: quod tamen ita intelligendum eſt, non quòd lex propria legiſlatorem formaliter obliget, ſed quaſi materialiter, quatenus determinat materiam executioni mandandam ex obligatione naturali; quia nimirum æquitas naturalis, & legitimus uſus virtutis poteſtativæ poſtulat, ut Legiſlator ſe accommodet, & conformet moribus ſuorum ſubditorum in materia omnibus communi. Unde contra Suarez *lib. 3. c. 35. nu. 8.* colligitur cum Palao *diſp. 1. pun. 24. §. 1. nu. 5.* & aliis, Legiſlatorem non peccare contra illam virtutem, contra quam peccant ejus ſubditi, v.g. contra Religionem, quando tranſgrediuntur præceptum audiendi Miſſam, vel contra Temperantiam, quando violant legem jejunii; ſed contra aliam, reſpicientem non prædictos fines, ſed ſolummodò honeſtatem conformitatis cum modo vivendi ſubditorum, cui fini, quia non videtur graviter opponi tranſgreſſio Legis, quæ reſpectu finis per obligationem ſubditorum intenti eſt gravis materia; ideò Legiſlator neque graviter peccat, quando ſecluſo ſcandalo, aut injuſtitia, aut alio gravi incommodo, abſque juſta cauſa, cum ipſo quodammodo diſpenſante, tranſgreditur ſuam legem: cujus proinde nec pœnam incurrit, cùm eam non formaliter, ſed tantùm materialiter tranſgrediatur; & præterea nemo erga ſeipſum juriſdictionem aut poteſtatem coactivam exercere poſſit. Dixi: *aut injuſtitia*: Nam quando Legiſlator merces ſuas majori pretio venderet, quàm quod per legem taxativam à ſe ſtatutum eſt, utique peccaret graviter contra juſtitiam, quia hæc obligat, ut merces vendantur pretio communi: hinc quia juſtitia etiam exigit, ut contrahentes eiſdem conditionibus utantur, Legiſlator tenetur etiam ſervare Leges contractuum ab ipſo ſtatutas, & ſi earum non obſervatio irritat contractum ex parte ſubditi, irritabit etiam ex parte Legiſlatoris, quia iſte iniquè obligaret ſibi ſubditum, ſi eidem non viciſſim obligaretur: vel ergo Legiſlator obſervare debet ſuas Leges ad valorem contractuum requiſitas, vel tam ex parte ſubditi ſecum contrahentis, quàm ſua diſpenſare debet, quod utique facere poteſt; ſicut de facto cenſeretur diſpenſare in ſolemnitatibus teſtamenti, quando eas ipſe non obſervaret, ut adeoque ſine conſuetis ſolemnitatibus valeret teſtamentum ab ipſo editum, quamvis non viciſſim valeret ab alio editum in Legiſlatoris gratiam, niſi antecedenter, cùm illud fieret, diſpenſaſſet. Adverte etiam uxorem Legiſlatoris, hujus beneficio à Lege exemptam cenſeri, ut dicitur *in l. Princeps ff. de Legibus*, & DD. communiter concedunt.

Quæritur II. quomodo ii, qui ob rationis impo- 18

tentiam, aut ignorantiam invincibilem intrinſecè videntur indiſpoſiti, ut legibus regantur, earum obligationi ſubſint. Reſp. certum eſſe, durante tali impedimento, nec ebrios, nec amentes, nec ignorantes invincibiliter, ſive naturali, ſive poſitiva Lege obligari poſſe, quia obligationis agnoſcendæ ſunt incapaces, remoto verò tali impedimento, ſi adulti ſint, obligari, tam naturali, quàm poſitiva Lege; ſi nondum adulti, nec ſeptimum annum compleverint, obligari quidem Lege naturali, quia ad hanc ſolus uſus rationis requiritur, Lege poſitiva tamen ſecundùm probabiliorem & communem ſententiam non teneri, quia in hac ferenda attenditur ad ea, quæ communiter contingunt, ut dicitur *l. Nam ad ea ff. de Legibus*, communiter autem perfectus uſus rationis non contingit, nec præſumitur adeſſe ante ſeptennium completum: eo tamen completo, ex communiſſima, & vera doctrina omninò aſſerendum eſt, pueros (eadem eſt ratio de puellis) Legis poſitivæ, nullum certum tempus determinantis (prout lex jejunii determinat annum vigeſimum primum completum) ſubjacere obligationi ad culpam incurrendam, etiamſi ante pubertatem probabiliter, juxta *cap. 1. de Delictis puerorum*, non ſubjaceant quoad pœnam Eccleſiaſticam, niſi quæ ex gravi percuſſione Clerici incurritur. Ratio eſt, quia neque ex jure naturali, neque ex poſitivo conſtat; majores ſeptennio Lege poſitiva exemptos eſſe: ergo ſi ob defectum uſus rationis ad culpam ſufficientis non eximuntur (qui tamen defectus poſt ſeptimum annum non ampliùs præſumitur, ſed probandus eſt) ſubjacent Legi poſitivæ quoad culpam, ſaltem talem materiam præcipienti, quæ non ſpecialem judicii maturitatem ac diſcretionem exigit, uti multis videtur exigere ſuſceptio Sacramenti Pœnitentiæ, & adhuc majorem ſuſceptio S. Euchariſtiæ: atque de illa ſpeciali diſcretione putant intelligendum eſſe *cap. Omnis utriuſque ſexus de Pœnitentiis & Remiſſionibus*, præcipiens omnibus fidelibus Confeſſionem & Communionem annuam, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, niſi ob aliam juſtam cauſam judicio confeſſarii differendi eſſent.

19 Ceterùm advertendum eſt, licèt juxta primam partem reſponſionis aliquo Legis agnoſcendæ impedimento laborantes ab ejus obſervatione deobligentur quoad propriam culpam, nihilominus qui illos induceret ad actionem aliàs Lege prohibitam, peccatum juxta materiæ gravitatem commiſſurum, ſi actio illa aut Lege naturali, adeòque neceſſariò prohibita, & intrinſecè inhoneſta ſit, ut ſi quis amentem induceret ad blaſphemandum, fornicandum &c. aut ſi ponatur ab eo, qui non per ſe à Lege exemptus eſt (uti exempti ſunt Infideles non baptizati reſpectu legum Eccleſiaſticarum, pueri minores ſeptennio, & amentes, vel aliàs per privilegium aut juſtam cauſam excepti) ſed qui tantùm per accidens propter ignorantiam, ebrietatem, aut ſomnum temporali impedimento præpeditur à culpa per transgreſſionem contrahenda; unde qui tali comeſtionis carnium die prohibito cauſa eſſet, graviter peccaret, non verò qui alicui propter infidelitatem, ætatem, amentiam, infirmitatem &c. à Lege exempto.

20 Quæritur III. an ii, qui ad locum aliquem acceſſerunt, ſtatim legibus ejusdem ſpecialibus teneantur: Dixi *ſpecialibus*; nam legibus Juris communis non eſt dubium, quin teneantur, etiamſi in loco proprii domicilii propter privilegium locale, vel conſuetudinem præſcriptam non obligent. Reſp. Si acceſſerint animo ibi ſtabiliter, vel majore anni parte manendi, veluti milites, Studioſi, mercatores, &c. ut adeòque domicilium, vel quaſi domicilium nanciſcantur, omnium conſenſu certum eſſe, illos legibus teneri, quia verè ſunt ſubditi in ordine ad gubernationem communitatis, ſuſcipienda Sacramenta (excepto Ordine) & cauſas fori judicialis. Si autem non acceſſerint animo majori anni parte manendi, ſed tanquam peregrini tranſeuntes divertant, certum iterum eſt, eos teneri legibus contractuum, quos ibidem ineunt, & omnibus illis legibus, quæ in bonum illius loci, in quo divertitur, ſpecialiter ſunt editæ, ne à peregrinis aliquod incommodum ſuſtineat, cujuſmodi ſunt Leges prohibentes, ne merces oppido efferantur, ne peregrini ultra aliquot dies in tali loco commorentur &c. In reliquis verò legibus multi negant, multi affirmant obligationem eas ſervandi. Priorum fundamentum præcipuum eſt, quia ut aliquis legibus localibus teneatur, debet eſſe ſubditus Legislatoris poteſtati punitivæ, ſed huic nemo ſubditur, niſi ratione originis, domicilii, vel criminis contra jus naturale, aut commune, quorum neutrum habet locum in peregrino transgrediente Leges locales: ergo peregrinus non tenetur legibus localibus, ſeu propriis loci, in quo tranſeunter commoratur. Hinc *in cap. à nobis, de Sententia excommunicationis*, interrogatus Pontifex, an peregrini comprehenderentur in excommunicatione lata ab Epiſcopo pro futuris delictis, reſpondit ſolos ſubditos comprehendi.

21 Poſteriorum iſtud fundamentum eſt; quia paci, tranquillitati, & rectæ gubernationi eſt convenientiſſimum, ſi advenæ, quamdiu in loco verſantur, & per ſuam præſentiam communitati veluti pars integralis accedunt, iiſdem legibus ac moribus, quibus ceteri, utantur; unde *cap. Quæ contra diſtinct. 8.* dicitur: *quæ contra mores hominum ſunt flagitia, pro morum diverſitate ſunt vitanda, ut pactum inter ſe, gentis, aut civitatis conſuetudine, vel Lege firmatum, nulla civis aut peregrini libidine violetur; turpis eſt enim omnis pars univerſo ſuo non conveniens.* Confirmatur. Ideò peregrini ratione criminis in loco contra legem naturalem, vel communem ac univerſalem admiſſi ſubiiciuntur judici illius loci, quia ad rectam Reipublicæ gubernationem conducit, ut ubi quis delictum commiſit, ibi puniatur, & malum exemplum punitione reparetur; ſed ad eandem gubernationem etiam conducit, ut malum exemplum ex violatione legum localium, per obligationem ad culpam, & pœnam etiam in peregrinis, & advenis impediatur, atque ut hi, quamdiu in loco ſubſiſtunt, foro judiciali ſubiiciantur, ſicut ſubiiciuntur in ordine ad punitionem eorum criminum, quæ in illo loco contra legem naturalem, vel ſpecialem communitatis ad avertenda damna ex eorum adventu in ipſos latam commiſerunt. Prætereà videtur difficulter dari diſparitas, quare peregrini ſuo diſceſſu à proprio domicilio legum ſuarum obligatione exempti, ſi hæc etiam in peregrino loco vigeat, huic mox ſubjaceant, & cur non etiam ſubſint aliarum legum obligationi. Reſpondebunt tamen priores DD. & in primis ad præcipuum argumentum dicent, falsò ſupponi, quòd peregrini, minori anni parte, nec quaſi domicilium nacti, communitati illius loci veluti pars integralis acceſſerint, ut proinde in illius commodum debeant iiſdem legibus gravari; cùm id, quod ex *cap. Quæ contra*, allatum eſt, juxta gloſſam tantùm de peregrinis majori anni parte in loco perſeverantia quaſi domicilium adeptis intelligendum ſit; & ceteri peregrini ratione criminis in legem naturalem foro judiciali illius loci non propter ejus utilitatem ſubiiciantur, ſed ne impunitate criminum Leges naturales extra domicilium violandi licentia creſcat; quamvis autem poteſtas animadvertendi in violatorem Legis pro loci indemnitate etiam in tranſeuntes jure gentium in loci utilitatem conceſſa ſit; cum aliàs contra inferenda damna ſe tueri non poſſet, non tamen inde ſequitur, conceſſam quoque eſſe in transgredientes alias Leges, ex quarum transgreſſione communitas, nec damnum nec malum exemplum, hoc ipſo quòd peregrini ab illarum obligatione exempti ſint, ſupponitur ſuſtinere. Diſparitas verò, cur obligatio Legum proprii domicilii in loco peregrinationis receptarum redeat, & tamen aliarum non de novo adveniat, facilè redditur; cùm enim favores ſint ampliandi, ideò peregrini aliorum locorum privilegiis, & legum exemptionibus, quando eædem latæ non ſunt, quidem relevantur, non tamen oneribus in utilitatem aliarum communitatum impoſitis, gravantur. Alii negabunt etiam ſuppoſitum, quòd obligatio Legis proprii domicilii, ſi ſit privata, & merè localis, redeat, quando ea etiam eſt recepta in alio loco, & illius reſpectu ſimiliter eſt localis; Cùm enim peregrinus non eximatur ab obligatione Legis proprii domicilii, quia gaudet privilegio, vel exemptione alterius loci, ſed quia directè, & immediatè liberatur ab obligatione Legis, eò quòd extra proprium territorium Jus dicenti non pateatur impunè, & quia alterius Juriſdictioni non ſubeſt,

ideò

ideo peregrinus neutrius loci obligatione tenetur.

22 Quæritur IV. An obligatio legum ſpecialium proprii domicilii ſive actionem aliquam imperantium aut prohibentium, ſive pœnam delicto ſtatuentium ſe extendat ad ſubditos territorio juriſdictionis non præſentes.

Adverte, quoad primam partem de actione aliqua ponenda, aut omittenda, triplici modo poſſe propoſitam quæſtionem intelligi: primò an obligatio legum ſpecialium ſe extendat ad non præſentes antequam eadem die, qua lex executioni mandanda eſt, à proprio domicilio diſcedant, v. g. an lex ſolùm Diœceſana Miſſam audiendi, à carnibus vel jentaculo abſtinendi ante diſceſſum obliget eadem die ad aliam Diœceſim profecturum, in qua non eſt dies jejunii aut feſtus alicujus Sancti. Secundò. An obligatio legum ſpecialium ſe extendat ad redeuntes in proprium domicilium pro ea die, pro qua alibi exiſtentes non obligabantur, v. g. an teneantur ſervare jejunium revertentes ex loco, in quo nulla erat lex jejunii. Tertiò. An obligatio legum ſpecialium proprii domicilii ſe extendat ad non præſentes pro eo tempore, pro quo in alio territorio immuni à Lege, vel in loco ejuſdem territorii à Lege tamen exempto exiſtunt.

23 Ut ab ultimo incipiamus Reſp. cum communi & certa ſententia negativè: ita enim eſt deciſum in *cap. Ut animarum de Conſtitutionibus in 6.* Ubi dicitur, quòd extra territorium jus dicenti (idem eſt de loco exempto intra proprium territorium, qui propterea exemptus dicitur) non pareatur impunè. Ex quo communiter DD. contra Salas & Palao inferunt, non tantùm de facto obligationem legum ſpecialium ad abſentes ſe non extendere, ſed neque à legiſlatore poſſe extendi, etiamſi poſſit extendi obligatio præcepti generalis; cujus quia citati AA. ſibi unicè petunt aſſignari diſparitatem, hæc aſſignanda eſt, quòd juriſdictio, quæ exercetur per legem, debeat poſſe eſſe contentioſa, ut ſcilicet cum juris ſolemnitate contra tranſgreſſorem procedi poſſit; nemo autem hoc poteſt extra proprium territorium ſine alieni dominii præjudicio.

Data reſponſio etiam vera eſt, licèt quis ex intentione declinandi obligationem proprii territorii in aliud ſe conferat, ſaltem in iis caſibus, quibus non expreſsè id prohibetur, uti Card. de Lugo *In Reſponſ. moral. lib. 1. dub. 36.* teſtatur prohibitum eſſe ſub irritatione actus in Brevi Authentico Urbani VIII. anno 1627. edito, ne contracturi matrimonium è proprio domicilio, ubi Trident. eſt receptum, ſe conferant in aliud, ubi non eſt receptum, eo ſolùm animo, ut in præſentia Parochi contrahere non teneantur: quod Breve vel ignoravit, vel receptum non eſſe exiſtimavit illi diſſentiens Palao *diſput. 1. pu. 24. §. 5. num. 4.* citans Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 13. num. 6.* & Sanch. *lib. 3. de Mat. diſp. 18. num. 2*[illegible]. ipſo Brevi antiquiores, quorum prior etiam non de matrimonio, ſed de celebratione feſti propriæ Diœceſis loquitur: qui dictam tamen reſponſionis dilatationem rectè probat ex hac ratione, quòd Leges locales tantùm obligent, ut obſerventur in loco, non autem, ut non deſeratur locus: ergo iſte licitè poteſt deſeri, & deinde Leges illius non obſervari, non tantùm ob alios fines honeſtos, ut etiam Adverſarii concedunt, ſed propter hunc ipſum, ut quis ſit exemptus a Lege, quia in hoc nulla committitur fraus, ſicut neque in cujuſcunque alterius privilegii procuratione; ut adeòque non obſtet *cap. Sedes, cap. Ex tenore. de Reſcriptis, ubi fraus & dolus nemini patrocinari debet.*

24 Ad ſecundum reſpondeo affirmativè in quantum Leges ſpeciales obſervari poſſunt: hinc revertens ad proprium domicilium, in quo eſt dies jejunii, tenetur abſtinere à carnibus, quia hanc legem, utpote diſtinctam à Lege utendi unica tantùm refectione, & ſolùm ex cibis eſurialibus conſtante, adhuc ſervare poteſt; quippe pro omnibus diei partibus diviſibiliter prohibentem comedere carnes: è contra non tenetur jeiunare, ſi alibi jeiunium jam fregit: imò ut Palao contra Sanchez, Leſſ. & forſan contra communiorem ſatis probabiliter docet, ſi etiam non fregit; quia hoc ipſo, quòd quis aliqua diei parte extiterit in loco immuni à Lege, & lex jeiunii pro omnibus diei partibus indiviſibiliter prohibeat omnem actionem violativam jeiunii, ideo licet adhuc obſervabile eſſet jejunium, tamen lex non potuit obligare revertentem, eò quòd non potuerit illi pro omnibus diei partibus prohibere actionem violativam jeiunii.

25 Ad primum Reſpondeo, ſi lex pro omnibus diei partibus diviſibiliter aliquod prohibeat, illam tamdiu obligare, donec ad locum immunem à Lege perveniatur, ſi autem aliquid agendum præcipiat, neminem teneri occaſionem exequendi legem expectare, vel ablata uti, ſi intra tempus executioni obligationis deſtinatum ſe prævideat ad locum deobligationis venturum.

26 Hinc colligitur I. quòd diſceſſurus è loco jeiunii in locum immunem ab obligatione jejunii teneatur abſtinere à carnibus, non autem, ut inconſequenter ad præcedentem doctrinam Palao docuit, à jentaculo; quia ſicut lex jejunii indiviſibiliter reſpiciens omnia inſtantia, non poteſt conſiſtere reſpectu illius, qui initio diei immunis eſt à jejunio, ſic neque reſpectu illius conſiſtere poteſt, qui in fine diei immunis erit propter adventum ad locum exemptum à Lege. Adde quòd ſimplex comeſtio ante diſceſſum non ſit contra ſubſtantiam jejunii, quia una refectio cum eo conſiſtere poteſt, quocunque tempore fiat. Colligitur II. ſi quis die feſto iter facturus prævideat, ſe matutino tempore, quo aliàs Miſſæ dici ſolent, perventurum ad locum, ubi non eſt dies feſtus, eum nec teneri in loco, unde digreditur, occaſionem audiendi Miſſam expectare, nec oblata uti; licèt quoad poſteriorem partem diſſentiat Suar. *lib. 2. de Feſtis cap. 15. circa finem num. 9. & 10.* & Palao, qui poſterior tamen ſupponit, quòd in eo loco poſt diſceſſum nulla alia Miſſa legenda ſit, adeòque quòd obligatio audiendi Miſſam propter defectum ſubſequentis occaſionis fuerit determinata ad tempus præcedens diſceſſum è loco.

Ratio aſſertionis noſtræ eſt; quia obligatio audiendi Miſſam nulli determinatæ parti temporis matutini eſt affixa, ſed ad quamlibet obligat ſub conditione, ſi nec antè nec poſt obligationi ſatisfiat, vel ab ea quis eximatur; unde ut obligatio ad tempus præcedens determinetur, neceſſe eſt, ut intra tempus, Miſſis dicendis deſtinatum, neque occaſio ſatisfaciendi, neque exemptio prævideatur futura.

27 Ad alteram partem quæſtionis de Lege alicui delicto, pœnam ſpecialem ſtatuente, Reſp. Si delictum eſt conſummatum intra proprium territorium, etiamſi delinquens eo tempore in illo phyſicè non extiterit, eum obligari ad pœnam, ſicut obligabatur ad non committendum delictum, quia per hoc fit moraliter præſens illi loco, in quo delictum commiſit; quod proinde Legiſlator debet poſſe impedire, ne in ſuo territorio committatur; hinc ſi exiſtens in alieno territorio jaciens ſagittam occideret hominem exiſtentem in ſuo territorio, hoc ipſo incurreret pœnam ſeu cenſuram, homicidii in proprio territorio ſtatutam; & ſi Canonicus moraretur extra ſuam Diœceſin, quando in eadem ſub pœna Eccleſiaſtica jubetur reſidere, iſtius ſe reum faceret, quia omittens præſentiam in loco, ibi cenſetur eam omittere, ubi eam deberet ponere. Dixi tamen: ſi delictum eſt conſummatum intra proprium territorium: quia ſi tantùm eſſet inchoatum, cùm lex pœnam ſtatuit crimini conſummato, ea non incurritur per conſummationem factam extra territorium proprium, quia lex ultra illud ſe non extendit.

28 Quæritur V. An obligatio legum civilium etiam comprehendat Clericos, & Religioſos. Reſp. Earum, quæ non obſunt ipſorum immunitatibus, & privilegiis, atque vivendi modo, obligationem comprehendere etiam Clericos, ac Religioſos, quoad vim directivam: Utrum autem teneantur ex poteſtate ſive Juriſdictione immediata Legiſlatoris Civilis, vel ſolùm ex immediata Juriſdictione Summorum Pontificum, recipientium illas Leges, & approbantium, atque earum obligationem ſuis Clericis & Regularibus imponentium, diſcordant inter ſe Authores. Priorem ſententiam tenent Sotus, Medina, Salas apud Laym. Molin. *to. 1. de Juſt. tr. 2.* apud Tanner., quos ſequitur Palao *tr. 3. diſp. 1. pun. 24. §. 6. nu. 6.* Poſteriorem defendunt Valentia, Azor, Vaſq. Suar. Rodriq. Bellar. quos refert & ſequitur Tannerus *tom. 2. diſp. 5. qu. 6. dub. 2. nu. 28.* Layman. *lib. 1. tra. 4. c. 13. num. 6.* Quæ etiam

mihi probabilior videtur. Primò Quia Leo X. in Conc. Lateran. *ſeſſ.9. in Bulla*, quæ incipit *Supernæ diſpoſitionis*, *ait*: *Cum à Iure tam Divino, quàm humano Laicis nulla poteſtas in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit*. Et Innocentius III. *in cap. Eccleſia. de Conſtitut.* inquit: *Nos attendentes, quod Laicis ſuper Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis nulla ſit attributa facultas, quos obſequendi manet neceſſitas, non Authoritas imperandi à quibus ſiquid motu proprio ſtatutum fuerit, quod Eccleſiarum etiam reſpiciat commodum, & favorem, nullius firmitatis exiſtit, niſi ab Eccleſia fuerit approbatum*. Secundò. Quia ſi Clerici, & Regulares obligentur dictis legibus Civilibus per approbationem, & ratificationem Superioris Eccleſiaſtici obtinetur idem finis, nempe executio Legis, & debita conformitas partium totius corporis politici, nempe ipſius communitatis ex Laicis, & Clericis congregatæ: & ſimul ſalvatur perfectiùs immunitas Eccleſiaſtica. Tertiò. Quia vis directiva legum rectiùs fundatur in Juriſdictione conjuncta cum vi punitiva ac coercitiva, ſed hæc poſterior vis in perſonas Eccleſiaſticas, ut mox dicemus, non eſt conjuncta cum Juriſdictione Civili, eſt autem conjuncta cum Juriſdictione Eccleſiaſtica. Ergo etiam vis directiva legum Civilium rectiùs fundatur in Juriſdictione Eccleſiaſtica extendente prædictam obligationem legum Civilium in perſonas Eccleſiaſticas, & Regulares, prout eam extendit conſuetudo, & varia capitula Juris Canonici preſertim *cap. Quoniam cap. De capitulis diſt.* 10. ubi Leo IV. Lothario Auguſto in hæc verba reſcripſit: *De Capitulis, vel præceptis Imperialibus veſtris irrefragabiliter cuſtodiendis, & conſervandis; quantum valuimus, & valemus, Chriſto propitio, & nunc, & in ævum nos conſervaturos, modis omnibus profitemur*. Id ipſum ſupponunt varia Juris capitula, ut *cap.* 1. *de Novi operis nuntiatione*, *& cap. Innotuit de Arbitris*, & alia, quorum reſponſa ſæpè fundantur circa cauſas Eccleſiaſticorum, & Regularium in Legibus Civilibus.

29 Quoad vim coercitivam, ſeu punitivam autem Reſpodeo *ex cap. At ſi Clerici cap. Cleric. cap. Qualiter de Iudiciis cap. Seculares de Foro competenti in 6. & aliis*, certum eſſe, quòd tàm Clerici, quàm Religioſi exempti ſint à juriſdictione civili, etiamſi enim per ſe loquendo poteſtas legiſlativa debeat eſſe conjuncta cum poteſtate punitiva, ex privilegio tamen à Chriſto, vel ejus Vicario, & Clericis, & Religioſis conceſſo, poteſtas punitiva in judicem Eccleſiaſticum transferri potuit, ita ut coram hoc propter transgreſſionem legum etiam civilium (etſi his immediatè ſubeſſent) conveniri debeant: & ſic de facto translatam eſſe conſtat *ex cap. Clerici c. Qualiter de Iudiciis*.

§. IV.

Quanta ſit obligatio Legis humanæ.

S U M M A R I U M.

30 *Leges humanæ obligant in conſcientia, quando non ſunt pœnales.*
31 *Rejicitur ſententia negans ullam legem pœnalem obligare in conſcientia.*
32 *Rejicitur etiam ſententia affirmans omnem legem pœnalem obligare in conſcientia.*
33 *Noſtra ſententia diſtinguit inter leges pœnales.*

30 CErtum eſt, lege humana, tam civili quàm Canonica poſſe imponi obligationem ad culpam Theologicam, id eſt, Divini Numinis offenſivam, & ab illo puniendam, ſi ita Legiſlator voluerit: quia hæc poteſtas ad rectè gubernandam communitatem, & ad cives verè, & non tantùm apparenter bonos, ſcilicet non præcisè pœnam effugere volentes, omninò neceſſaria eſt: unde à Deo conceſſam eſſe, colligitur ex illis Scripturæ locis, quibus divina poteſtate hominum Rectores præditos eſſe conſtat; inter quos clariſſimus habetur ad *Rom.* 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas, niſi à DEO, quæ autem ſunt, à DEO ordinatæ ſunt: Itaque qui reſiſtit poteſtati, DEI ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*. Dixi tamen: *ſi ita Legiſlator voluerit*: quia enim tum Civilibus, tum Eccleſiaſticis legibus ſæpè aliæ temporales pœnæ apponuntur; hinc videntur legum conditores non ſemper velle obligare ad culpam Theologicam, ſaltem gravem, & à DEO æterna pœna vindicandam; itaque quæritur, an & quomodò velint obligare ad culpam Theologicam, quæ conſcientiam gravare poſſit.

Prima ſententia eſt, nullam legem tam Civilem, 31
quam Canonicam, quantumvis verbis preceptivis expreſſam, cui appoſita eſt pœna merè temporalis, ſeu in hac vita ſolvenda, ferri cum intentione obligandi ad culpam Theologicam, niſi Legiſlator intentionem ſuam manifeſtè declaraverit. Ita Navar. *in Summa cap.23. à num.* 55. adducens pro ſe Cajet. Immolam, & Felinum, quibus plures ſuperaddit Covarruvias, *tom.1. Relect. par.* 2. §.5. *num.*2. probabilem reputat Valentia, 1. 2. *diſp.* 7. *qu.* 5. *punct.*6. §.3. *à verſu: alterum ſignum*. Azor. *to.*1. *lib.*5. *cap.* 6. *quæſt.*4. Bonac. *to.*2. *diſp.*1. *q.*1. *punct.*7. *num.*3. & Palao, *d.* 1. *punct.*15. *num.*8. qui quia oppoſitam ſolùm dicit probabiliorem, convincitur eadem ratione relatam ſententiam agnoſcere probabilem, qua hoc judicium de Bonac. ipſe priùs collegit; ſpecialiter autem de legibus vectigalium ac tributorum id aſſerit Antonius Cotonius, Ordinis S. Franciſci *in ſuis Controverſiis celebribus lib.* 5. *con.*12. & apud Dianam, *p.*1. *tr.* 10. *R.* 19. Angelus, Beja Duardus, quibus vehementer favet Em. Card. de Lugo *to.*2. *de Juſt. d.*36. *ſect.*4. *num.*43. idque plerumque eſſe verum, aſſerit P. Cardenas *p.*1. *tract.*1. *diſp.*16. *n.*68. citans Navar. Saa. Malderum, probabile etiam fatetur Leſſius.

Secunda ſententia longè communior, & priori omni- 32
nò oppoſita, aſſerit omnem legem tam civilem, quàm Canonicam inducere obligationem in conſcientia ad culpam, materiæ gravitati proportionatam, eique pœnam temporalem ſolummodò adiici ad ejus obligationem confirmandam, niſi aliud fuerit expreſſum, ita multi, quos refert Sanchez *lib.*6. *cap.*4. *num.*59.

Tertia ſententia præcedentes limitans, eiſque præfe- 77
renda aſſerit, ſi lex utatur verbis præceptivis, obligare ad culpam Theologicam, ſi autem indifferentibus, obligare tantùm ad culpam civilem, & pœnam temporalem ſubeundam, niſi uſu & conſuetudine, vel alio modo declaratus ſit animus Legiſlatoris, intendentis ad culpam Theologicam in poſteriori, vel civilem in priori caſu obligare. Ita Bonac. *tom.*2. *d.*1. *quæſt.*1. *punct.*7. §.4. *num.*3. Azor, *tom.*1. *lib.*5. *cap.*6. *quæſt.*5. Suarez, *lib.*5. *cap.* 3. *num.*6. Sanch. *loc. cit. num.*60. Palao *diſp.*1. *punct.*15. *à num.* 8. Hæc ſententia iſta potiſſimùm ratione perſuaderi poteſt. Verba præceptiva ex natura ſua ſignificant obligationem in conſcientia, eamque non perdunt per appoſitionem pœnæ temporalis; verba indifferentia autem etiamſi per appoſitionem pœnæ determinentur ad rationem præcepti ſignificandi, ſi tamen pœna non ſit ſpiritualis, concernens ipſam animam, quales pœnæ ſpirituales ſunt etiam cenſuræ Eccleſiaſticæ, non videtur determinare ad obligationem quaſi ſpiritualem in conſcientia, ſed tantùm ad merè politicam ac civilem; certè quia Legiſlator mentem ſuam non ſufficienter declarat, meritò ſecundùm ſavorabilem interpretationem præſumitur contentus eſſe poſteriori obligatione; ergo quando Legiſlator utitur verbis præceptivis, obligant in conſcientia, ſicut ſi nulla pœna temporalis fuiſſet appoſita; quando autem utitur verbis indifferentibus cum intentione pœnæ temporalis, obligant tantùm ad culpam, & pœnam civilem, niſi aliunde mens Legiſlatoris innoteſcat, v.g. ex communi uſu, & conſuetudine, legem, & modum, quo recepta eſt, interpretante.

§. V.

Quomodo obligationi Legis ſatisfiat.

S U M M A R I U M.

34 *Pro ſatisfactione Legis non requiritur alia intentio, quàm præſtandi actionem preceptam.*
35 *Eadem ſolutione ~~non pluribus~~ obligationibus Iuſtitiæ, ſed eadem actione pluribus obligationibus virtutum ſatisfieri poteſt.*
36 *Per actionem ſolùm extrinſecè inhoneſtam poteſt ſatisfieri Legi.*

37 *Exe-*

37 *Executioni Legis naturalis non tam facilè licèt impedimentum opponere, quàm executioni Legis poſitivæ.*

38 *Potiſſimum licentia prædicta ex mente Legislatoris colligenda.*

34 QUæritur I. An præcepto affirmativo ſatisfiat, ſi præcisè ponatur actio præcepta, ſicut præcepto negativo ſatisfit, ſi tantùm ponatur omiſſio actionis prohibitæ. Reſp. Secundùm communem doctrinam non quidem requiri intentionem expreſſam ſatisfaciendi præcepto, imò etiam intentionem poſitivè contrariam, ſcilicet non ſatisfaciendi præcepto, probabiliùs non obſtare ſatisfactioni, requiri tamen intentionem liberam ponendi illam actionem, quæ præcepta eſt. Ratio eſt; quia impletio præcepti eſt executio rei, quæ præcepta eſt; ſed ſola actio per præceptum expreſſa, & humano modo, adeòque liberè, & non in ebrietate, vel ſomno, vel neceſſitate libertatem omnino tollente poſita, v.g. auditio Miſſæ, recitatio horarum animo colendi Deum, ſuſceptio Sacramentorum cum ea intentione, quæ ad valorem Sacramenti neceſſariò requiritur, eſt actio præcepta, non autem ipſa intentio ſatisfaciendi præcepto, ergo illa ſola requiritur, ergo ſi hæc ponatur, etiamſi quis per errorem putet, & velit eam ponendo non ſatisfacere præcepto, vel ſi ignoret præceptum, eidem ſatisfecit, nec tenetur aliam actionem cum alia intentione ponere, quamvis primam poſuerit cum propoſito aliam ponendi ad ſatisfaciendum præcepto, vel affectum peccaminoſum Lege Divina prohibitum habuerit, ſcilicet per actionem poſitam neque ſatisfaciendi præcepto, neque ponendi aliam ad eidem ſatisfaciendum. Unde ut ſatisfiat præcepto, non requiritur actus obedientiæ formalis, quæ nitatur motivo obedientiæ, ſed ſufficit materialis, quia aliud eſt præcepto formaliter ſatisfacere, & aliud, per obedientiam formalem ſatisfacere.

35 Quæritur II. An & quomodo quis eadem actione pluribus obligationibus ſatisfacere poſſit. Reſp. eadem ſolutione pluribus obligationibus juſtitiæ ſatisfieri nunquam poſſe, aliarum verò virtutum obligationibus, vel ſi una tantùm ſit obligatio juſtitiæ, tunc eadem actione ſatisfieri, quando non aliunde conſtat, quempiam ſibi ipſi, vel alium ad hoc poteſtate pollentem, diverſæ actionis ponendæ obligationem impoſuiſſe. Ratio primæ partis eſt: quia implicat eandem rem pluribus titulis juſtitiæ deberi, cùm nemo niſi de ſuo poſſit alteri ſe per translationem juris obligare, & rem, quæ jam antè eſt alterius, nec titulo donationis, nec ullo alio ipſius facere poſſit. Ratio ſecundæ partis eſt; quia inductione conſtat, ad eandem actionem poſſe aliquem ſibi vel alium ipſi ex diverſis virtutibus obligationem imponere, ergo ea poſita, cùm non præſumi debeat obligatio ad diverſam actionem, quando ea non aliunde probatur, omnium virtutum obligationi ſatisfit. Antecedens facilè oſtenditur exemplis: nam poteſt quis ex juſtitia, voto, & charitate erga indigentem obligari ad reſtitutionem rei ablatæ; ad audiendam Miſſam die feſto ex præcepto Eccleſiæ, & ex injunctione pœnitentiæ &c. quamvis ex eo, quod ordinariè fit communiter præſumi debeat diverſa actio ab ea, quæ aliunde eſt debita, à confeſſario ſuiſſe impoſita, niſi ex circumſtantiis colligi poſſit, eandem fuiſſe imperatam.

36 Quæritur III. An per actionem ex fine vel circumſtantia aliqua vitiatam obligationi Legis ſatisfieri poſſit, v.g. per auditionem Miſſæ, die feſto ex motivo vanæ gloriæ, vel cum multis diſtractionibus præſtitam.

Ratio dubitandi eſt; quia actus imperatus à Lege, adeòque explens ejus obligationem debet eſſe honeſtus; ſed actus ob pravum finem, vel circumſtantiam vitiatus non eſt honeſtus, ergo nec imperatus, ergo nec implens legem. Unde ob defectum debitæ circumſtantiæ quoad modum, quo debet fieri actio præcepta in *cap. Qui ex timore de Regulis Iuris* dicitur: qui ex timore facit præceptum, aliter, quàm debeat, facit, & ideo jam non facit. Et ob defectum finis debiti in *l. non dubium C. de Legibus, & l. Contra legem ff. eodem titulo* dicitur: in legem delinquit, qui Legis verba amplectens contra Legis nititur voluntatem, & intentionem. Nihilominus cum communiſſima & certa ſententia Reſpond. ſi finis vel circumſtantia tantùm extrinſecè vitiat actionem præceptam, & ſi ipſa quoad ſubſtantiam ſuam ponatur, obligationi Legis ſatisfieri, quia tunc ſolus actus voluntatis, determinans ad executionem actionis præceptę intrinſecè vitiatur; actio verò retinet ſuam honeſtatem objectivam, quę ſola eſt objectum Legis, cui proinde non obſtat, etiamſi extrinſecè ab actu voluntatis, determinante illum, denominetur inhoneſta, v.g. auditio Miſſę extrinſecè inhoneſtetur ab actu intendente vanam gloriam, vel admittente diſtractiones voluntarias; cum auditione Miſſę tamen, & pręſentia morali non incompoſſibiles. Ad rationem dubitandi diſtinguo Majorem: actus imperatus à Lege debet eſſe honeſtus tam intrinſecè, quàm extrinſecè, nego Major. debet eſſe intrinſecè honeſtus, honeſtate ſaltem objectiva propter comparabilitatem ad finem honeſtum, qui tamen non pręcipitur, ſed ſolus actus, con. Ma. & ſic diſtincta Min. nego utramque conſequentiam. Ad primum textum Reſpondeo, illo non negari, quòd per actionem ex ſolo metu ſine fine ſupernaturali factam, ſatisfiat præcepto quoad executionem, ſed tantùm negari, quòd ſatisfiat quoad meritum apud Deum. Ad ſecundum textum Reſpondeo, per illum ſolummodo dici, in legem delinquere, qui finem immediatum Legis, id eſt, actionem per legem intentam juxta perceptum verborum ſenſum non exequitur.

Quęritur IV. An obligationi Legis ſaltem negativè ſatisfiat, id eſt, eam non violet, qui non adhibitis mediis ad Legis obſervationem neceſſariis, vel non remotis impedimentis ſponte ſe impotentem reddit ad obſervationem Legis. Ratio dubitandi eſt, quia qui pręcipit etiam ea, quę ſunt neceſſaria ad finem, aliàs iſtum valdè inefficaciter intenderet atqui procuratio mediorum & remotio impedimentorum eſt neceſſaria ad finem, qui eſt obſervatio Legis, ergo qui pręcipit hanc, pręcipit etiam procurationem mediorum, & remotionem impedimentorum: unde negligens tale pręceptum, non ab obligatione Legis exemptus, ſed ab ejus executione culpabiliter impeditus cenſendus erit. Ob hoc argumentum conſentiunt DD. in legibus naturalibus, utpote verſantibus circa materiam neceſſariam, id eſt, neceſſariò pręceptam, niſi quis ex juſta cauſa ab illius executione excuſetur, & à Lege pro certis circumſtantiis eximatur, includi etiam obligationem procurandi media, & removendi impedimenta obſervandę Legis; in legibus poſitivis verò attendendam eſſe mentem Legislatoris, & temporis, pro quo obligant propinquitatem; quando enim ob illius diſtantiam obligatio Legis nondum eſt moraliter pręſens, communis eſt ſententia, licere, impedimentum obſervationi Legis opponere, v.g. non peccaturum, qui etiam ſine juſta cauſa duobus diebus ante aliquot feſtum iter vel negotium quodcunque ſuſciperet; ex quo ab auditione Miſſę die feſto ſe pręvideret impediendum, peccaturum verò, qui immediatè pręcedente nocte ſe inebriaret, pręſcius, ab auditione Miſſę ſe certò impeditum iri. 37

Dixi, etiam mentem legislatoris attendendam eſſe, juxta hanc enim aliquę Leges ſtrictiùs, aliquę remiſſiùs obligant, & finem magis vel minùs efficaciter intendunt; unde aliquę difficiliùs, alię faciliùs ſinunt ſibi impedimenta opponi, vel non removeri, ac proinde circa illas certa regula aſſignari non poſſit, ſed tantùm exempla pro declaratione adduci, v.g. Lex jejunii permittit quemcunque laborem honeſtum etiam non neceſſarium ſibi opponi, quia etiam qui divites ſunt, nec labore pro lucro faciendo indigerent, licitè laborant non jejunantes; ſic etiam aliud pium opus v.g. longa pedeſtris peregrinatio cum jactura jejunii licitè aſſumitur; è contra autem à pręcepto audiendi Miſſam vel dicendi horas, nec labor, nec aliud pium opus non neceſſarium cenſetur excuſare: imò eadem lex circa impedimenta facilè removibilia non ęqualiter obligat: nam lex audiendi Miſſam non obligat juxta communem doctrinam ad procurandam abſolutionem ab excommunicatione, vel liberationem à carcere, etiamſi facilè poſſet obtineri, & tamen obligat ad removenda alia impedimenta, negotiorum, peregrinationum, & aliarum functionum non neceſſariarum; itaque in his mens Legislatoris vel ex communi uſu, aut ſenſu hominum, vel ex circumſtantiis, vel ex impedimenti majori, vel minori utilitate colligi debet. 38

ARTICULUS III.

De Interpretatione Legis.

SUMMARIUM.

39 *Duplex eſt interpretatio Legis. Authentica & Doctrinalis.*
40 *Quænam Declarationes Cardinalium Concilii Tridentini ſint Authenticæ.*
41 *In Legibus Directivis, & non Irritantibus locum habet EpiKeia.*
42 *Regulæ in Legis interpretatione ſervandæ.*

39 DUplex eſt interpretatio Legis, una dicitur Authentica, quæ ſicut ipſa lex vim obligandi habet: unde definiri poteſt, quòd ſit declaratio Legis promulgata ab eo, qui curam ordinariam, vel ab hoc ſibi delegatam communitatis habet. Altera dicitur doctrinalis, quæ eſt declaratio Legis nullam vim obligandi habens, qualis eſt omnis illa, cui vel promulgatio, vel promanatio à poteſtate ferendi legem deficit: nam hæc à quocunque rerum intelligente juxta regulas interpretandi legem facta ſolummodo vim habet Legis obligationem debito modo applicandi intellectui, vel ad præſtandum id, quod viderit à Lege exigi, vel ad omittendum, quod viderit non exigi. Hac duplici Legis interpretatione ſuppoſita.

40 Quæritur I. Cùm interpretatio Authentica debeat vel ab ipſo Authore, vel ab ejus Superiore, vel à ſucceſſore illius, immediatè, aut mediatè per commiſſionem ac delegationem alteri factam proficiſci, utrum declarationes Cardinalium circa Decreta Concilii Trident. ſint omnes interpretationes Authenticæ, eò quòd in Bulla 7. Sixti V. edita anno 1588. illorum Congregationi, quæ etiam Tridentina appellatur, videatur ſufficiens facta poteſtas his Pontificis verbis: *Cardinalibus vero præfectis interpretationi & executioni Concilii Trident. ſi quando in his, quæ de morum reformatione, diſciplina, ac moderatione, & Eccleſiaſticis judiciis, & aliis, quæ humana ſtatuta ſunt, dubietas aut difficultas emerſerit, interpretandi facultatem, nobis tamen conſultis, impertimur.* Reſpondetur, non omnes eſſe Authenticas, ſed illas tantùm, de quibus in primis Pontifex, ut in Bulla dicitur, conſultus eſt, quæ teſte Salas *diſp.21. ſect.12.* paucæ ſunt, quas inſuper neceſſe eſt, fidelibus ſufficienter fuiſſe publicatas, ad quarum publicationem Bonac. *diſp 1. q.1. pun.8 n.4. verſu: ſecunda pars.* Suar. *lib.6 c.1. nu.3.* Salas *diſp.12. ſect. 1. nu. 8. & diſp. 21. ſect. 12. corol. 5.* & plures alii DD. apud Palao *d.5. pu.3. §. 3. num. 2.* (qui eorum ſententiam judicat probabilem, quamvis oppoſitam judicet probabiliorem, & tutiorem) aſſerunt non ſufficere, ſi tantùm fiat per Breve Pontificis, vel per Epiſtolam Cardinalis cujuſdam Sigillo munitam, aut per monitorium, vel tranſumptum Authenticum, eò quòd interpretatio habens vim Legis debeat eodem modo promulgari, quo quælibet alia lex.

41 Quæritur II. An per interpretationem doctrinalem Legis humanæ, quando ex uſu vel conſuetudine de contraria mente Legiſlatoris non conſtat, quis rectè judicet legem in illis circumſtantiis non obligare, in quibus ſine magna difficultate & damno bonorum etiam temporalium, obtentorum, vel acquirendorum, obſervari non poſſe, probabile videtur.

Reſpondetur cum communi ſententia, de qua fusè agit Suar. *lib.6. c.7. a num.9.* rectè talem judicare, & legem, ſi directiva tantùm ſit, & non irritans actum, ad Authoris mentem interpretari (etiamſi in ipſa expreſsè prohibeatur omnis interpretatio, quia per hujuſmodi prohibitionem tantùm intelligitur omnis interpretatio frivola, vel quæ ex inſtituto editis gloſſis ac ſcholiis typis mandatur,) ut etiam agnovit *Ariſtoteles 5. Eth. c.10.* ubi ait: *cum lex quidem univerſaliter loquitur, in his autem præter univerſale quidpiam accidit, tum rectè ſe habet, ut ea parte, quæ Legiſlator omiſit, atque peccavit, abſolutè locutus, emendetur defectus: quod & ipſe Legiſlator, ſi adeſſet, hoc modo dixiſſet.* Quibus verbis optima etiam reſponſionis ratio judicatur: quia enim Leges debent eſſe univerſales pro tota communitate, & particulares circumſtantiæ reddentes aliquibus legem difficulter obſervabilem, prævideri aut exprimi non poſſunt, ideò per epikejam ſeu emendationem Legis juxta æquum & juſtum, ſubditis licitum eſſe debet, mentem Legiſlatoris occurrente circumſtantia probabiliter excuſante (non tamen dubiè, quia tunc Lege manente in poſſeſſione Legiſlator conſulendus eſſet) benignè interpretari, præſertim in legibus poſitivis, verſantibus circa objecta contingenter tantùm præcepta.

Hinc fit, ut propter infirmitatem à jejunio, & propter damnum grave honoris, vitæ, aut rei familiaris à præcepto audiendi Miſſam fideles excuſentur, etiamſi damnum, ut obſervat Suar. ſit lucri ceſſantis, v.g. ſi occaſio magni lucri faciendi interea effugeret, quia lucrum ceſſans juſtum & grave, damno moraliter æquiparatur, ut conſtat ex *Lege unica. C. de Sententiis, quæ pro eo, quod intereſt, proferuntur, in fine.* Dixi tamen: ſi Lex directiva tantùm ſit, & non irritans actum; nam ut rectè advertit Laym. *lib.1. tr.4. c.19. nu.2.* ad vitandas fraudes ſæpe intereſt Reipublicæ, ut poſthabito particulari commodo per accidens aliquando interveniente, Leges irritantes aliquem actum, niſi certa forma obſervetur, id adhuc efficiant, etiamſi inculpabiliter non fuerint obſervatæ. Unde ex Chapeaville pro exemplo aſſignat contractum matrimonii, quem irritum fore aſſerit, ſi ſine Parocho ac teſtibus celebraretur, quando illi peſtis tempore haberi non potuiſſent.

42 Quæritur III. Quænam regulæ in Legis interpretatione ſervandæ ſint, ut mens Legiſlatoris, & vis obligandi deprehendantur. Reſpondetur potiſſimùm ſervandas eſſe ſequentes. 1. Verba Legis, niſi mens Legiſlatoris aliunde ſit manifeſta, in propria ſignificatione accipienda ſunt, quando poſſunt ſine abſurdo, vel injuſtitia, vel Legis enervatione. Ratio hujus regulæ eſt, quia lex debet eſſe clara, ad quem finem neceſſe eſt, Legiſlatorem uti verbis in propria ſignificatione: propria autem ſignificatio duplex eſt, naturalis, & civilis; naturalis eſt ea, quæ verbis vel ex primæva inſtitutione, vel ex communi uſu eſt indita; & quia ſignificatio, quæ magis eſt uſitata, reputatur magis propria, ideo quando lex in hac juxta ſubjectam materiam, quæ ex proœmio, vel titulo Legis maximè agnoſcitur, accipi poteſt, in ea tantùm debet accipi, ſi lex non ſit favorabilis, ſed vel præceptiva, vel correctiva, vel pœnalis. Significatio civilis eſt illa, quam verba habent, quaſi per tranſlationem, & fictionem juris: ſic mors ſumitur etiam in jure pro Religioſa profeſſione, vel exilio, & filius ſumitur etiam pro nepote, vel pro adoptato in hæredem, & legitimus pro legitimato; in hac autem ſignificatione, niſi de mente Legiſlatoris Authenticè conſtet, verba nunquam accipi debent, niſi quando lex favorabilis eſt, tunc enim, cùm favores ſint ampliandi, in utraque ſignificatione, tàm civili, quàm naturali uſurpatur, juxta ſequentem regulam. II Regula. Lex non favorabilis ſtrictè, favorabilis verò latè interpretanda eſt, *juxta regulam 15. juris: Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.* III. Regula. Lex nova ſecundùm interpretationem antiquæ explicanda eſt, etiamſi antiqua foret abrogata, ut habetur ex *L. non eſt novum L. Sed & poſteriores ff. de Legibus.* IV. Regula. Nulla lex derogat priori, niſi ſit eidem omnino contraria, ut conciliari non poſſit: quia correctio Legis vitanda eſt, quoad fieri poteſt, ut dicitur in *cit. l. Sed & poſteriores, & cap. cùm expedias. de Electione in 6.*

ARTICULUS IV.

De Diſpenſatione Legis.

DIſpenſatio eſt relaxatio Legis circa eum, quem aliàs ipſa obligaret propter invariationem reliquarum circumſtantiarum cauſantium obligationem: de hac itaque relaxatione eadem ferè, quæ de ipſa obligatione Legis quæri poſſunt: Primò circa quam materiam, id eſt, circa quas Leges, Secundò à quo, Tertiò quibus, Quartò ob quas cau as concedi poſſit. Proponam ſingulas quæſtiones ſeorſim.

§. I.

Quænam Leges per diſpenſationem relaxari poſſint.

SUMMARIUM.

43 *Obligatio Legis Naturalis non poteſt tolli per Diſpenſationem directam, & propriè dictam: benè tamen per conditionum, & circumſtantiarum mutationem.*

44 *In Legibus Divinis circa ſubſtantiam Sacramentorum, & Sacrificii nullus homo poteſt diſpenſare.*

45 *In Legibus Divinis, non ſtatuentibus aliquid ſpectans ad ſubſtantiam Eccleſiæ, & humanis poteſt diſpenſari.*

43 HÆc quæſtio pro diverſitate legum diverſa reſponſione reſolvi debet. Propterea reſpondeo primò, legem naturalem nec à DEO, nec ab homine per diſpenſationem directam, & propriè dictam relaxari poſſe, earum tamen obligationem, quæ à conditione contingente, & vel in DEI, vel hominis poteſtate ſita dependent, conditionis variatione poſſe tolli, quod non eſt directè, & propriè diſpenſare, ut ex difinitione diſpenſationis patet, ſed objectum & materiam, circa quam deberet verſari executio Legis, quodammodò deſtruere.

Ratio primæ partis eſt, quia obligatio Legis naturalis eſt neceſſaria, & objectum poſitis illis circumſtantiis, quæ à voluntate DEI, legem naturalem ferentis, reſpiciuntur, eſſentialiter exigit Lege univerſali determinari: ergo obligatio talis Legis neque à DEO, & conſequenter neque ab homine, per diſpenſationem relaxari poteſt; hinc DEUS nequit reddere licitum mendacium, utpote eſſentialiter inhoneſtum, & indiſpenſabiliter exigens prohiberi. Ratio ſecundæ partis ſumitur ab inductione, qua conſtat, multas Leges naturales verſari circa objecta, ſolùm prout certis ſubſtant circumſtantiis, à poteſtate dominativa DEI, vel hominis variabilibus: v. g. Lex juſtitiæ verſatur circa indemnitatem honorum, vitæ, corporis, famæ aut fortunæ alterius, quamdiu hæc omnia manent in ea circumſtantia, quòd eorum dominium non transferatur in alium, quo tamen in illum translato, ceſſat lex juſtitiæ verſari circa illa bona, & obligare illum, comparatione cujus facta eſt prædictæ circumſtantiæ mutatio: ſic DEUS olim licitam reddidit Abrahæ voluntatem occidendi proprium filium, & Iſraelitis ſpoliationem Ægyptiorum, non quòd diſpenſaverit in Lege juſtitiæ, ſed ejus obligationem variatione alicujus circumſtantiæ illam cauſantis penitus ſuſtulerit, nempe jus vitæ, & divitiarum Ægyptiacarum in ordine ad intentationem mortis, & ſpoliationem Ægypti transferendo in Abrahamum, & in Iſraelitas: ſic etiam jus, quod per contractum matrimonii uxor acquirit ad reddendum marito illicitum contractum cum alia uxore, vel ad priorem nunquam diſſolvendum, DEUS tamquam ſupremus Dominus omnium jurium humanorum olim remiſit, & licitam reddidit polygamiam, ac matrimonii diſſolutionem per libellum repudii. Item ſi verum eſt, quòd præter primum gradum conſanguinitatis in linea recta etiam alii gradus conſanguinitatis, vel affinitatis matrimonium naturaliter irritum reddant propter ſanguinis reverentiam, poteſt tamen DEUS iſtud jus reverentiale remittere, & validum, ac licitum reddere matrimonium in tali gradu conſanguinitatis, vel affinitatis. conjunctis; & quia utile fuit, ut jus ſuum in certis caſibus etiam hominibus communicaret, hinc Pontifex per diſpenſationem hujuſmodi indirectam, & impropriè dictam poteſt circa ea objecta, circa quæ bonæ gubernationi conveniebat, ut haberet vicariam poteſtatem dominativam, reſtrictam tamen ſolummodò ad caſus neceſſarios, obligationem Legis naturalis tollere in votis, juramentis, in gradibus conſanguinitatis extra primum in matrimonio, nondum conſummato, quia tamen neceſſe non erat, nec utile, ut univerſalis poteſtas dominativa Pontifici concederetur, hinc etiam non poteſt diſpenſare in impedimento ligaminis, impotentiæ, erroris, conſanguinitatis in primo gradu, in matrimonio conſummato diſſolvendo &c.

Reſpondeo ſecundò, nullam legem poſitivam divinam circa res ad ſubſtantiam Eccleſiæ pertinentes, ut ſunt Sacramenta, & ſacrificium Miſſæ, ullius hominis poteſtate relaxari poſſe, ut conſtat ex communi ſima, & veriſſima omnium ferè DD. ſententia, fundata tum in variis Juris Can. textibus *in cap. Sunt quidam cap. Contra Statuta Patrum cap. Omne quod* 25. *quæſt.* 1. tum in experientia, qua habetur, Pontifices nunquam ſibi vendicaſſe hujuſmodi poteſtatem, ſed tantùm declaraſſe ea, quæ Chriſtus circa Sacramenta, & ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacrificium conſtituit: tum denique in ratione, quæ ſuadet, nullius hominis privati bono quidquam circa myſteria fidei, & media ſalutis, per quæ unitas Eccleſiæ cognoſcitur, quoad ſubſtantiam immutandum eſſe. Unde nequit Pontifex etiam pro caſu neceſſitatis diſpenſare in materia, forma, & miniſtro Sacramentorum; nam quòd pro miniſtro extraordinario confirmationis in neceſſitate aſſumi poſſit ſimplex Sacerdos, ex inſtitutione Chriſti provenit; item nequit mutare ea, quæ ad eſſentiam, & integritatem ſacrificii ſpectant; neque matrimonium conſummatum diſſolvere poteſt, cujus indiſſolubilitatem ad perpetuam Chriſti cum Eccleſia conjunctionem denotandam immutabiliter conſtitutam eſſe, colligitur ex illis Chriſti verbis, quibus præcepit, ut *quod DEUS conjunxit, homo non ſeparet*: propterea quando alibi S. Petro dixit: Quidquid ſolveris ſuper terram, erit ſolutum, & in cœlis, intelligendum eſt de iis vinculis, & obligationibus, quarum ſolutio non eſt unitatis Eccleſiæ, & inſtitutionis Chriſti diſſolutio; ſicut quando dicitur, Superiorem Religionis relaxare poſſe omnia vota ſuorum Religioſorum, ſemper excipiuntur vota ſubſtantialia Religionis.

Reſpondeo tertiò, legem divinam circa res ad ſubſtantiam Eccleſiæ non pertinentes, v. g. ex contractu, voto, vel juramento ortam, per diſpenſationem ſaltem impropriam: & omnem legem merè humanam, per propriam diſpenſationem remitti poſſe. Ratio primæ partis eſt, quia propter difficultates ſubinde emergentes ſaluti animarum conveniebat remitti obligationem Legis etiam Divinæ; ergo illi ſaltem, cui principaliter commiſſa eſt gubernatio animarum, convenienter etiam commiſſa eſt poteſtas remittendi hujuſmodi obligationem, & eandem delegandi aliis adjuvantibus gubernationem. Ratio ſecundæ partis eſt, quia Leges merè humanæ verſantur circa objecta, quæ poterant præcipi, vel non præcipi: ergo ſicut per præceptum poteſt imponi obligatio, ſic per diſpenſationem eadem poteſt iterum remitti. 45

§. II.

A quo Leges per diſpenſationem relaxari poſſint.

SUMMARIUM.

46 *Poteſtatem diſpenſandi habet Legislator, & illius Superior, & Succeſſor, & illi, quibus prædicti eam commiſerint: aliàs inferior non habet poteſtatem diſpenſandi in Lege Superioris.*

47 *Referuntur caſus, in quibus Epiſcopis commiſſa eſt poteſtas diſpenſandi in legibus Pontificiis directivis.*

REſpondeo certum eſſe, poſſe tum à Legislatore, quia ejuſdem eſt ligare, & ſolvere, ut dicitur *in cap. Inferior diſtinct.* 21. *& in cap. Cum Inferior. de Majoritate, & obedientia*, tum ab illius ſucceſſore, quia reputatur eadem perſona cum Legislatore, & in eandem poteſtatem ſuccedit; tum à Superiore Legislatoris, quia hujus juriſdictio eſt Superiori ſubordinata. 46

Verùm inferiorem in Lege Superioris, etiamſi ab hoc non expreſsè prohibeatur, jure ordinario diſpenſare non poſſe, contra S. Antonium Sotum, & Covar. communior, & verior ſentētia docet, exceptis caſib. paulò poſt refe-

referendis ; quia juxta *cit. cap. Cùm inferior*, & *juxta Clementina V. Romani de Electione & electi poteſtate*, ubi aſſertio hæc expreſsè eſt deciſa, inferior non poteſt mutare jura Superioris; atqui ſi diſpenſaret, mutaret illius jura, ergo &c. Hinc non eſt verum univerſaliter illud axioma: *quidquid poteſt Papa in Eccleſia, id poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi*, cuius veritas quidem in pluribus aliis, maximè autem hic deficit, quia ſcilicet non poteſt diſpenſare in ſua Diœceſi, circa Leges à Pontifice latas, ſicut ipſe poteſt in tota Eccleſia: nam legitimus axiomatis ſenſus tantùm eſt, quòd in iis, quæ non ſunt jùris communis, & majoris momenti, idem poſſit Epiſcopus in ſua Diœceſi, quod Papa in tota Eccleſia. Neque tamen propterea fruſtra in aliquibus legibus Pontifex expreſsè ſibi reſervat poteſtatem diſpenſandi, quia hoc facit, partim ut inferior eò minùs præſumat in illis legibus diſpenſare, partim ut voluntatis ſuæ efficaciam magis declaret, partim ut hujuſmodi Leges poteſtate generali, quam forſan aliquibus conceſſit, ſpeciali reſervatione iterum extrahat.

47 Caſus autem, quos antè dixi me relaturum, in quibus etiam inferiori Epiſcopo, vel Epiſcopali iuriſdictione gaudenti poteſtas diſpenſandi ordinaria, id eſt, perpetua ac muneri annexa à Pontifice conceditur, communiter enumerantur ſequentes. I. Si lex feratur verbis expreſsè, & indubitanter, vel ſaltem probabiliter concedentibus poteſtatem diſpenſandi inferioribus Prælatis, ſcilicet Epiſcopis electis ac confirmatis (nondum ſint conſecrati, hæc enim eſt poteſtas juriſdictionis, non ordinis) ut ſi in Lege imperſonaliter tantùm dicatur, eam diſpenſari poſſe, quæ verba ne inutiliter, & ſine effectu addantur, non in Legislatorem, cui ſine tali conceſſione per ſe competit poteſtas, ſed in inferiorem referenda ſunt. II. Si lex verſetur circa materiam levem, quia in levibus nimis moleſtum eſſet, ſemper ad Superiorem recurrere. III. Si lex verſetur circa caſus frequenter occurrentes, quia etiam in his locum habet ratio immediatè dicta; unde Epiſcopi diſpenſare poſſunt in votis, & juramentis Pontifici non reſervatis, & in præceptis Eccleſiæ; immò in Lege jejunii, & celebrationis feſtorum, propter frequentem neceſſitatem, & impotentiam adeundi Epiſcopum, etiam Parochis conceditur privilegium diſpenſandi. IV. Secundum aliquos, quando lex non fuit lata pro tota Eccleſia, ſed pro una tantùm Provincia, vel Diœceſi; tunc enim ſicut lex non eſt univerſalis, ſic nec ad univerſalem, & ſupremum Legislatorem pro diſpenſatione putant recurrendum eſſe. V. Quando urget moræ impatiens neceſſitas, nec ſupremus Legislator facilè conveniri poteſt, quam tamen, etiamſi urgentiſſima ſit, ex communi DD. ſenſu negat Laym. *lib. 1. tract. 4. cap. 32. num. 4.* ſufficere in legibus dirimentibus matrimonium, quando ipſum nondum eſt contractum, ſed primùm contrahendum; affirmat verò Palao *diſput. 4. de Sponſal. punct. ult. num. 9.* allegans Thom. Sanch. Vaſq. Salas, Gaſparem Hurd: Poncium, & *& cap. 2. de Deſponſatione impuberum*, ubi Epiſcopo conceditur poteſtas ex urgentiſſima cauſa diſpenſandi in defectu ætatis requiſitæ ad valorem matrimonii. Immò Joan. de Cardenas in Criſi Theol. *p. 1. diſput. 57. cap. 3. art. 1. in quinta calumnia impacta Thomæ Sanch.* teſtatur, Omnes DD. qui per plus quàm octoginta annos poſt Thom. Sanchez ſcripſerunt, hanc opinionem ſummo conſenſu amplexos eſſe, eamque noviſſimè approbaſſe ſeveriſſimæ doctrinæ Doctorem Petrum de Tapia Archiep. Hiſpalenſem ex Dominic. Famil. cui præter citatos adjungit nominatim quàm plurimos in cit. Criſi Theol. *p. 3. diſp. 79. cap. 1. num. 4.* VI. Quando conſuetudo poteſtatem diſpenſandi in aliquibus legibus præſcripſit; hæc enim hoc ipſo concedit juriſdictionem juxta *cap. Cùm contingat de Foro competenti*. VII. Quando dubium eſt, an caſus egeat diſpenſatione; ſed in hoc videtur potiùs Legis declarationi, quàm diſpenſationi locus eſſe.

§. III.

Quibus per Diſpenſationem Leges relaxari poſſint.

SUMMARIUM.

48 *An Inferior, quando ex commiſſione habet poteſtatem ordinariam diſpenſandi in Lege Superioris cum aliis, poſſit etiam ſecum ipſo.*
49 *Reſolvitur quæſtio.*
50 *Quis diſpenſare poſſit cum vagis, & peregrinis.*
51 *Quinam diſpenſare poſſint cum Religioſis exemptis à Iuriſdictione Epiſcopali.*

Sicut ſuprà quæſtio inſtituta eſt, quinam legibus obligentur, ſic modò inſtituitur, quinam ab iiſdem per 48
diſpenſationem deobligari poſſint; quia autem Legislatorem diximus, ſuis legibus aliter non teneri, quàm quatenus lex naturalis eum obligat, ad ſe conformandum ſuis ſubditis, quando ratione materiæ præceptæ, & abſque juſto impedimento fieri poteſt; hinc occurrente tali impedimento propter quod ſubditi diſpenſationem à Legislatore petere deberent, ipſe abſque diſpenſationis beneficio jam exemptus eſt. Quæri tamen poteſt, an inferior Legislatore poſſit ab ipſo obtenta poteſtate diſpenſandi cum aliis ſubditis, etiam uti ad diſpenſandum ſecum ipſo, non tantùm indirectè, quatenus diſpenſando cum tota aliqua communitate v. g. in Lege jejunii, etiam ipſe tanquam pars ejuſdem communitatis à Lege liberatur, neque tantùm mediatè, quatenus ipſe juxta *cap. fin. de Pœnitentiis, & remiſſionibus*, conceſſum eſt, eligere ſibi aliquem, qui in ipſum habeat eandem poteſtatem abſolvendi à peccatis, & diſpenſandi in legibus, quam is obtinet in omnes ſuos ſubditos, utpote reſpectu quorum non debet eſſe deterioris conditionis, ut ille ſolus procul petere debeat diſpenſationem, & abſolutionem, quam alii ſubditi in propinquo habent: ſed an directè & immediatè poſſit uti poteſtate ſibi commiſſa, diſpenſando ſecum ipſo in iis legibus, & pœnis incurſis, vel incurrendis, in quibus poteſt diſpenſare cum aliis ſibi ſubditis.

Reſpondetur ex communi ſententia, in legibus, voto, juramento, & pœnis non indigentibus tolli per abſolutionem, neque per ſententiam latam, ſed de jure 49
incurſis, poſſe inferiorem ex commiſſa ſibi poteſtate ſecum ipſo immediatè, & directè diſpenſare; quia licèt juriſdictionem coactivam, vel contentioſam, vel judicialem ferendo ſententiam condemnationis, vel abſolutionis, erga ſeipſum nemo exercere poſſit, & ideò ut à peccatis, & excommunicationibus abſolutionis, alium eligere debeat, juriſdictionem tamen voluntariam, ſeu gratuitam, quæ præciſè fit per applicationem alicujus gratiæ nomine ipſius DEI in diſpenſatione voti, aut juramenti, vel nomine alterius Superioris in diſpenſatione à legibus, vel pœnis ipſo facto incurſis, non repugnat, ut quis erga ſeipſum exerceat; quia ſufficit, ut inter dantem principalem, à quo beneficium diſpenſationis promanat, & inter accipientem detur diſtinctio: unde communiter conceditur, non obſtante defectu diſtinctionis, poſſe beneficiatum pauperum redditus omiſſæ recitationi Breviarii reſpondentes ſibi ipſi eleemoſynæ nomine applicare; cùm accipiens à conferente principali, nempe ab Eccleſia iam diſtinguatur. Neque jure poſitivo à tali juriſdictionis exercitio ſubordinatus Superior prohibetur, quia *cap. Per noſtras, de Jurepatronatus, & cap. fin. de Inſtitutionibus* ſolummodò prohibent ad fraudes, & ambitiones evitandas, ne quis ſeipſum in Eccleſiaſticas prælationes, & beneficia ingerere ſtudeat: hoc ipſo verò, quòd diſpenſatio facta abſque juſta cauſa nihil valeat, ut poſthæc dicemus, poteſtas diſpenſandi ſecum ipſo, non magis legum, & pœnarum ſtatutarum firmitati præjudicat, quàm poteſtas diſpenſandi cum alio; nec minùs, quàm hæc, videtur eſſe neceſſaria; adeòque meritò conceſſa præſumitur.

Quæritur II. An Superior habens poteſtatem diſpenſandi cum ſuis ſubditis poſſit etiam diſpenſare cum vagis, 50
& peregrinis. Reſpondetur de vagis nullum eſſe dubium; etiamſi enim ſatis probabiliter localibus legibus non ſubiici dicantur, tam ne in legibus communibus diſpenſationis

nis beneficio priventur, ſicut ne priventur uſu Sacramentorum, ideò in his à Superioribus locorum diſpenſationem, communicationem Sacramentorum, & alios uſus juriſdictionis velut reliqui ſubditi percipere poſſunt.

De peregrinis verò, alibi ſtabile domicilium habentibus, majus eſt dubium: abſolutè pro caſu neceſſitatis poteſtatem diſpenſandi concedit Baſilius Leon. alii requirunt, ut hujuſmodi peregrini diùturniore commoratione quaſi domicilium obtinuerint; alii omninò negant, peregrinis diſpenſationem impertiri poſſe, eò quòd congregatio Cardinalium, teſte Garzia de Beneficiis, declaraverit, peregrinos ſolùm à peccatis, & cenſuris abſolvi, non autem diſpenſatione à legibus liberari poſſe. Palao *Diſput.6.punct.7.§.2.à num.5.* putat, diſtinguendum eſſe inter legem directivam humanam, & inter legem Religionis ex voto, vel juramento ortam, vel impeditivam alicujus actionis in abſentia à proprio domicilio: quoad prioris generis Leges ſentit cum Baſilio; nempe quòd ſicut priùs docuerat, peregrinos ſubiici legibus locorum, in quibus, vel ad breve tempus morantur, ita etiam frui poſſint ſubiectione ſua ad impetrandam diſpenſationem à legibus, eò quòd ejuſdem poteſtatis ſit imponere, & tollere obligationem Legis: quoad poſterioris generis Leges verò exiſtimat ex conſuetudine declarata à Congregatione Cardinalium majorem, & ſtabilem ſubjectionem requiri. Verùm quia nos in obligatione legum imponenda communi ſententiæ adhæſimus, aſſerenti, ad hoc, ut aliquis ſubdatur juriſdictioni Superiorum, requiri, & ſufficere domicilium, ita etiam hic dicimus, idem requiri, & ſufficere ad legum deobligationem per diſpenſationem conferendam; adeòque niſi quis majori anni parte decreverit in loco ſubſiſtere, diſpenſatione à legibus illius loci non indigere, à communibus verò ob defectum juriſdictionis in ipſum non poſſe per omnimodam diſpenſationem liberari, quamvis in caſu neceſſitatis propter rationabiliter præſumptum conſenſum proprii Superioris videatur poſſe obtinere ſuſpenſionem legum, ſicut ad earum executionem poteſtate punitiva cogi poteſt. Atque de his, qui neque quaſi domicilium habent, intelligenda eſt declaratio Cardinalium.

51 Quæritur III. Quinam poſſint diſpenſare cum Religioſis exemptis ab Epiſcopi juriſdictione. Reſpondetur eorum Prælatos tum immediatos, qui toti domui præſunt, tum mediatos, quia hi omnes juriſdictione quaſi Epiſcopali, quæ ad diſpenſationem requiritur, in ſuos ſubditos potiuntur; hinc quando aliquis Superioris cujuſdam juriſdictione eximitur, v. g. ſi in Epiſcopum eligatur, nequit ab ipſo ampliùs diſpenſationem acquirere.

§. IV.

Quæ cauſæ ad diſpenſationem requirantur.

S V M M A R I V M.

52 *Legislator in propria Lege validè diſpenſat, etiam ſine juſta cauſa, ſine ea tamen peccat venialiter.*

53 *Inferior Legislatore, alioquin habens poteſtatem, nec validè, nec licitè ea utitur ſine juſta cauſa, ſaltem apparente.*

54 *Quando cauſa, ſufficiens exiſtimata, agnoſcitur fuiſſe inſufficiens, non invalidatur diſpenſatio.*

55 *Quomodo falſificata cauſa diſpenſatio invalidetur.*

56 *Subſiſtit diſpenſatio, quando ſine dolo cauſa falſa fuit addita veræ & ſufficienti.*

57 *Si cauſa vera ſufficit quoad partem petitæ diſpenſationis quoad illam valet diſpenſatio.*

58 *Si autem cauſa falſa per dolum eſt addita veræ, irrita, vel ſaltem irritanda eſt diſpenſatio etiam quoad partem veram. Error quoad ſubſtantiam in materia, vel perſona invalidat diſpenſationem.*

52 Dicendum I. Legislatorem in propria Lege validè poſſe diſpenſare nulla cauſa juſta tam ex parte ſua, quàm ex parte ſubditi, aut communitatis interveniente, peccare tamen, ſed ſecluſo ſcandalo, vel alio gravi damno probabiliùs tantùm venialiter, ſic diſpenſantem. Prima pars eſt certa apud AA. quia obligatio Legis nititur voluntate Legislatoris; ergo Legislatore per actum diſpenſationis nolente obligare ſubditum, ceſſat obligatio Legis. Secunda pars quoad rationem peccati iterum communis eſt inter DD. ſecutos S. Thom. 1. 2. q. 97. a. 4. quia legitimus uſus poteſtatis legislativæ exigit, ut in pari cauſa onera, & obligationes æqualiter diſtribuantur, & ne quaſi per perſonarum acceptionem, ac inæqualis favoris exhibitionem ſubditis ſubjectio onerosa, & querelis obnoxia gubernatio reddatur: unde nec ſecum ipſo Legislatorem in propria Lege abſque juſta cauſa diſpenſare poſſe, ſuprà jam diximus. Quoad levitatem culpæ verò traditur à Thoma Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 18. num. 7.* Salas, *Diſp. 20. ſect. 5. num. 55.* Valent. 1. 2. *diſp. 7. quæſt. 5. punct. 9. ad finem* Palao, *diſp. 6. punct. 8. §. 1. num. 5.* & aliis ab his relatis ob eandem rationem, qua ſuprà inducti ſumus ad culpam tantùm venialem imponendam Legislatori, in propria Lege ſe non conformanti ſuis ſubditis, cujus cùm etiam ſit, procurare conformitatem ſubditorum inter ſe, & ſine juſta cauſa eos non eximere à communibus obligationibus, ideò peccat quidem illos eximendo, ut oſtendimus, ſed ob levitatem ſcandali, aut damni, inde emergentis ſolummodò venialiter, ſicut etiam ſubditi ſine juſta cauſa petentes diſpenſationem, eique cooperantes; quamvis illa obtenta ne venialiter quidem ipſam ſibi uſurpantes videantur peccare; cùm diſpenſatio illicitè, ſed tamen validè conceſſa, ſit ſufficiens cauſa non exequendi legem, & procurare conformitatem cum aliis non ſit ipſius ſubditi, ſed Superioris, ut contra Sanch. *lib. 8. de Matrim. diſput. 18. à num. 11.* & plurimos ab ipſo cit. culpam tamen venialem ſolummodò agnoſcente, docent communiter Canoniſtæ, Suar. *lib. 6. c. 19. n. 14.* Salas *diſp. 20. ſect. 5. n. 60.* & alii multi, quos referunt.

Dicendum II. Diſpenſatio in Lege Divina, & naturali (reſpectu cujus ſaltem impropriè dicta dari poteſt) ac humana Legislatoris altioris non tantùm illicitè, ſed 53
etiam invalidè conceditur ſine cauſa, vel ex parte diſpenſantis, vel ſubditi, vel communitatis verè, aut ut aliqui volunt, ſaltem apparenter juſta interveniente. Ratio communis hujus ſententiæ eſt, quia quando inferior diſpenſat in Lege Superioris, prout fit, quando Pontifex diſpenſat in Lege Divina, vel naturali, vel Epiſcopus in Lege Pontificia, aut Nationali, aut Provinciali, ſcilicet à Concilio plurium Epiſcoporum unius Nationis, aut Provinciæ lata, tunc ſolummodò diſpenſat ex poteſtate, ab altiore ſibi commiſſa, ſcilicet à Deo, Pontifice vel Concilio, quatenus eam committi pro bona gubernatione ſubditorum neceſſarium erat; ſed non erat neceſſarium committi, poteſtatem diſpenſandi ſine cauſa, verè vel ſaltem apparenter juſta, & bona fide pro tali habita, ergo neque ſupponendum eſt fuiſſe commiſſam.

Dixi: *ſaltem apparenter juſta*; quia teſte Thom. Sanch. *lib. 8. de Matrim. diſput. 17. num. 8.* Azor, *lib. 7. cap. 29. quæſt. 6.* Buſenbaum, *lib. 1. tract. 2. cap. 4. dub. 5.* contra Palao, *Diſput. 6. punct. 8. §. 2. num. 5.* ſi inferior Prælatus bona fide putet, cauſam diſpenſationis eſſe juſtam, ac ſufficientem, valet diſpenſatio, non tantùm ſi probabiliter deinde injuſta putetur, quo in caſu etiam alii fatentur, adhuc pro Prælato in favorem actus ſupponendum eſſe, ſed etiam quando certò deprehenditur, cauſam fuiſſe inſufficientem, cujus ſententiæ fundamentum, nimirum ſcrupulorum evitationem invalidum quidem exiſtimo, eò quòd ad hanc ſufficiat, modò diſpenſatio valeat, quamdiu non certò conſtat de nullitate valoris; puto tamen, adhuc meritò præſumi pro commiſſione poteſtatis; quia hæc ad tuendam authoritatem inferiorum Prælatorum, evitanda peccata ſaltem materialia, & damna ex invalida diſpenſatione, præſertim legum irritantium actus, & contractus matrimoniales, emergentia conducit; & aliàs cavendum eſt, ne actiones, & operationes humanæ inutiles, ac otioſæ reddantur. 54

Dicendum III. Invalidam eſſe diſpenſationem, ſi vel expreſſione falſi, vel ſuppreſſione veri, quod in petitione diſpenſationis de jure, vel juſta ſtylum, aut conſuetudinem communem indicandum erat, falſificetur cauſa adæquata exigens diſpenſationem; niſi ſimul exprimatur alia juſta cauſa ſufficiens, vel ad totum, vel ad partem 55

tem

tem illius, cujus petitur diſpenſatio, obtinendam, pro qua parte adhuc valeret diſpenſatio, etiamſi ſalſificaretur alterius partis cauſa, modò hæc nonJex dolo, ſed ex ignorantia, !icèt craſſa, & culpabili fuerit prætenſa. Ratio eſt, quòd ſcilicet ſalſificatione cauſæ adæquatæ invalidetur diſpenſatio, etiamſi in reſcripto, quo illa conceditur, non exprimantur iſta uſitata verba: *ſi preces veritate nitantur*: quia ſic expreſsè ſtatutum eſt *in cap. Ex parte de Reſcriptis*: ubi hæc habentur: *In hujuſmodi literis intelligenda eſt hæc conditio, etiamſi non apponatur, ſi preces veritate nitantur*: unde ſolummodò ad tollendam omnem ambiguitatem eadem apponenda præcipiuntur in *lege finali Cod. de Diverſis reſcriptis*: atque hæc veritas cauſæ, in precibus, ſeu petitione diſpenſationis prætenſæ, adeò neceſſaria eſt, ut ſi etiam inculpabiliter non fuerit expreſſa veritas, vel fuerlt expreſſa ſalſitas, dlſpenſatio non valeat, juxta *cap. Super litteris §. ſi verò de Reſcriptis*, & juxta Gloſſ. *in cap. Si motu proprio de Præbendis in 6.* quod ratione naturali confirmatur; quia nemo ſupponendus eſt ſine cauſa velle diſpenſare, & ſuam vel Legislatoris voluntatem immutare, aut quæſitum ſibi jus remittere: ergo voluntas diſpenſandi includit prædictam conditionem, ita ut hac ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter non poſita illa nunquam tranſeat in abſolutam: quamvis ea poſita, ut rectè advertit Palao *Diſp.6.punct.16.§.5.nu.* 4. cum aliis AA. proximè referendis, tranſeat in abſolutam, etiamſi ejus poſitio falſis argumentis fuerit probata.

56 Dixi I. *Niſi ſimul exprimatur alia juſta cauſa ſufficiens, vel ad totum objectum petitæ diſpenſationis obtinendum.* Nam licèt diſpenſationem concedens moveatur à duplici cauſa, ſi tamen altera deficiente probabiliter creditur fuiſſe diſpenſationem conceſſurus propter unius cauſæ verificationem, illa voluntas, reſpiciens cauſam veram & ſalſam, cenſetur æquivalere alteri, reſpicienti ſolam cauſam veram; & ideò valet adhuc diſpenſatio, ut docet Sanch. *lib.8. de Matr. diſp.21.n.32.* Suar. *lib.6. de Voto c.27.n.11.* & teſte Palao, *loc.cit.n.2.* communior ſententia, qui tamen immeritò videtur requirere, ut cauſa ſalſificata non fuerit cauſa per ſe movens, ſed tantùm per accidens.

57 Dixi II. *Vel ad partem*; Nam ſi petis diſpenſationem à duplici Lege, vel à duplici impedimento, v.g. à voto caſtitatis, & ab impedimento affinitatis, dirimentis matrimonium, & ſi pro uno allegas cauſam ſufficientem, ac veram, pro altero autem ſalſam, valet diſpenſatio, ſaltem quoad partem cauſæ veræ, juxta communem ſententiam: quia, ne totus actus pereat, debet illa diſpenſatio ſaltem operari tantum, quantum poteſt.

58 Dixi III. *Modò non ex dolo, &c.* Nam in hujus pœnam ac deteſtationem, etiam quoad partem cauſæ veræ, diſpenſationis beneficio quis privaretur, juxta *cap. Super literis, & cap. Sedes de Reſcriptis*: quæ tamen capitula, cùm pœnalia ſint, teſte Palao, rigorosè interpretanda ſunt, juxta ſubjectam materiam: ſcilicet, cùm pœnam decernant, eam non incurri ante ſententiam judicis. Quod dictum eſt de errore, vel deceptione cauſæ urgentis ad diſpenſationem, id extendendum etiam eſt ad errorem ſubſtantialis materiæ, circa quam fit diſpenſatio, aut perſonæ, cui fit, ſaltem ſi hæc ita determinatè attenditur, ut alteri, quàm in animo diſpenſantis deſignatæ non concederetur diſpenſatio. Ratio eſt manifeſta; quia circa illam materiam ac perſonam conceditur diſpenſatio, quam reſpicit voluntas diſpenſatoris; ergo ſi per errorem intellectus voluntas reſpicit ſubſtantialiter aliam materiam, aut perſonam, quàm tuam, nihil tibi prodeſt diſpenſatio. Dixi tamen, *ſi materia ſit ſubſtantialiter alia*: ſi enim ſit tantùm accidentaliter alia, aut ſi includatur in illa v.g. ſi concedatur tibi diſpenſatio voti, dandi ad pias cauſas 100. Florenos; cùm tantùm voveris 50. valet diſpenſatio. Addidi etiam: *ſaltem ſi perſona in animo diſpenſantis deſignata determinatè attenditur*: nam aliàs concedit Thomas Sanch. *lib.8. de Matr. diſput.21.nu.38.* adhuc valituram diſpenſationem, etiamſi per errorem procuratoris pro alio fuiſſet petita, quàm qui reverà eadem indiget: quod quidem probabiliter negat Palao; *diſp.6.punct.16.§.2.n.18.* quia ſuppoſito tali errore perſona indigens diſpenſatione planè non reſpicitur à voluntate diſpenſantis: aliud eſſet, ſi dlſpenſans per errorem aliam perſonam ſibi imaginaretur, quàm eam, pro qua petita eſt diſpenſatio, tunc enim illius conceſſionem non ſuæ erroneæ imaginationi, ſed petitioni cenſendus eſſet affigere.

ARTICULUS V.

De Ceſſatione Legis.

SUMMARIUM,

59 *Lex ceſſat quoad totum vel quoad partem, taliter ceſſante fine.; Et tollitur etiam per expreſſam aut tacitam voluntatem Legislatoris.*

60 *Ad ceſſationem Legis ceſſante fine principaliter intento, non requiritur promulgatio, vel communis notitia.*

61 *Si finis Legis univerſaliter ceſſet tantùm quoad aliquod tempus, vel tantum quoad partem Legis, ſuſpenditur etiam, vel dimidiatur obligatio Legis, ſi verſetur circa materiam diviſibilem.*

62 *Non ſolùm canonica, ſed etiam civilis lex nequit abrogari à Superiore ſubordinato Legislatori.*

63 *Lex ſine juſta cauſa validè, ſed non licitè revocatur: abrogatur etiam per contrariam legem, quando huic nihil deeſt ad valorem.*

59 DUplici modo lex poteſt ceſſare, ſive quoad totum, ſive quoad partem: primò deſitione finis, propter quem lata eſt: ſecundò per voluntatem tacitam, vel expreſſam Legislatoris: tacita voluntas intervenit, quando per non uſum, ſeu deſuetudinem, contra legem præſcribitur; expreſſa autem voluntas interponitur in totali deſtructione Legis, quæ abrogatio; vel in partiali, quæ derogatio appellatur. De primo atque ultimo] modo, quo lex ceſſat obligare, aliqua declaraturus.

60 Dico primò, quando executio Legis totaliter, & univerſaliter pro tota communitate eſt reddita inutilis ad finem principalem à Legislatore intentum, etiamſi adhuc utilis foret ad alios fines principaliter non intentos, ceſſare juxta communem, & certam ſententiam totam legem, & quidem (ut contra Suar. rectè obſervat Palao) independenter ab omni promulgatione: etiamſi enim hæc ſit neceſſaria ad conſtitutionem Legis, non tamen eſt neceſſaria ad ejus deſtructionem: quia etiam in aliis rebus, unico eſſentiali requiſito deficiente jam deſtruitur totum: unde licèt quis non poſſit Lege obligari, antequam communitas obligetur, poteſt tamen deobligari, antequam communitas deobligetur propter ſuam ignorantiam: ſi nimirum ipſi priùs quàm communitati, innoteſcat ceſſatio Legis. Ratio Concluſionis eſt: quia deficiente voluntate Legislatoris deficit lex; ſed deficiente fine per legem, tanquam medium, principaliter intento, deficit voluntas, cùm nemo cenſeatur moraliter aut phyſicè continuare electionem medii, quando ipſum non poteſt ampliùs conſequi finem ſuum: ergo deficiente fine, principaliter per legem intento, deficit lex. Quòd ſi neges Minorem, eò quòd voluntas ſæpè adhuc poſſit ferri in alias utilitates Legis, plus non probas, quàm quòd poſſit dari nova voluntas obligandi propter alium finem principalem priùs non intentum; quod quia eſſet ferre novam legem circa eandem materiam, ideò deberent etiam cætera requiſita ad legem de novo poni, & in primis promulgatio hujus novæ voluntatis.

61 Ex hac Concluſione, & ejus probatione, Infertur, ſi executio Legis tantùm pro aliquo tempore ſit reddita inutilis ad finem principalem, pro eo etiam ceſſare, ſeu potiùs ſuſpendi obligationem Legis: & ſi partialis executio Legis ſit facta inutilis, ceſſare partialem obligationem Legis, quando altera eſt ſeparabilis, ſi autem non eſt ſeparabilis, ait Palao, *diſput.5. punct.2.§.1. nu.* 7. regulariter loquendo, etiam alteram partem utilem Legis deſinere. E contra non rectè à quibuſdam contra communiorem infertur, quando lex tantùm in particulari reſpectu aliquorum hominum eſt reddita inutilis, reſpectu illorum ceſſare legem, quia finis intentus à legislatore non eſt, ut ſinguli Lege obſtricti ſeorſim participent uti-

utilitatem Legis, ſed ut communitas illam participet; ad hunc finem autem neceſſarium eſt, ut ſinguli Lege obſtringantur, etiam quando ſeorſim non videntur participare utilitatem Legis, ne per plurium exemptionem irrequiſito Legislatore invehatur abuſus, & multiplex violatio legum, & ſic neque communitas earum utilitatem participet.

Dico II. certum eſſe, legem à ſuo Authore, Succeſſore, vel Superiore ejuſdem abrogari poſſe: ab inferiore tamen licèt communis ſententia concedat, legem civilem, non verò Canonicam poſſe abrogari, nihilominus teſte Suar. *lib.6. cap.26. à num.6.* & Palao *diſput.5. punct.2. §.2. num.5.* probabilius eſt, per ſe loquendo, de neutra eſſe concedendum: etiamſi enim Legislator civilis juriſdictionem ſuam à communitate immediatè acceperit, tamen ſicut ſuprà diximus, eam ſibi non reſervaſſe poteſtatem repudiandi legem, ſic nec videtur ſibi reſervaſſe poteſtatem, per ſe, vel per Superiorem immediatum abrogandi; neque etiam ſimiliter neceſſe fuit eandem poteſtatem committi inferioribus à Superiore, ſicut poteſtas diſpenſandi commiſſa eſt, quia hæc ſola jam ſufficit pro caſibus neceſſitatis, pro omnimoda autem, & ſtabili abrogatione Legis facilè ad ipſum Legislatorem recurri poteſt, ſi ita expedierit. Et ſic de legibus Canonicis expreſsè ſtatutum eſt in *cap. Quod ſuper his, de Majoritate, & obedientia cap. Inſtitutionis 25. quæſt. 2. & in Clementinis Ne Romani de Electione.*

63 Dico III. propter cauſam boni communis legem validè, & licitè abrogari, ſine illa autem per ſolam revocationem abrogari validè, quia jus Legis dependet à voluntate Legislatoris, non verò licitè, quia omnis irrationabilis legum mutatio Reipublicæ damnoſa, & ſcandaloſa eſt; quòd ſi autem abrogatio Legis non fiat per ſolam revocationem, ſed per contrariæ Legis conſtitutionem, tunc certum eſt, neque validè abrogari ſine cauſa boni communis: quia lex in tantùm abrogatur per legem contrariam, in quantùm hæc obligat ad oppoſitum illius, ſed hoc ipſo quòd poſterior lex defectu boni communis ſit irrationabilis ac invalida; non obligat ad oppoſitum prioris Legis, ergo prior lex non abrogatur per poſteriorem contrariam. Unde etiam ſequitur, ad hunc modum abrogandi legem requiri eandem quoque publicationem, quæ ad Leges impoſitionem eſt neceſſaria, quamvis neceſſe non ſit Legis abrogatæ mentionem expreſſam fieri, ſi ipſa in Corpore Juris contineatur, eò quòd tunc juxta *cap. 1. de Conſtitutionibus in 6.* Legislator non ſupponatur illam ignoraſſe, ſed ex illius ſcientia conſtituiſſe aliam contrariam legem, adeòque priorem voluiſſe abrogare; ſi tamen in Corpore Juris expreſſa non eſſet, neceſſariò prioris Legis mentio facienda foret, quòd illa non obſtante Legislator velit poſteriorem obſervari; quia aliàs hanc ex ignorantia illius ſupponeretur tuliſſe, juxta *cit. cap.* ac proinde noluiſſe priorem abrogare.

ARTICULUS VI.

De Lege inducta per Conſuetudiinem.

SUMMARIUM.

64 *Conſuetudo legalis eſt* jus moribus conſtitutum. *Poteſt etiam per illam abrogari lex: ut tamen habeat vim obligandi, & abrogandi, debet cedere in bonum communitatis.*

65 *Referunt aliorum ſententiæ de tempore, ad præſcriptionem conſuetudinis obligantis, vel abrogantis priorem legem requiſito.*

69 *Statuitur requiri, & ſufficere decennium.*

67 *Ad conſuetudinem requiritur etiam actuum frequentia, nulla reclamatione interrupta, & ad inducendam obligationem, aut abrogationem contrariæ Legis intenta.*

68 *Debet etiam per ſeipſam ſatis fuiſſe manifeſtata, & à Superiore certo modo ratificata.*

69 *Ad Conſuetudinem ſpectat etiam Stylus curiæ.*

70 *Conſuetudo, habens vim Legis, valet, vel novam obligationem inducere, vel inducta Authenticè interpretari, vel abrogare, vel irritare actum.*

71 *Poteſt conſuetudo etiam habere vim Legis merè pœnalis. Antequam conditiones ad rationem Legis requiſitæ poſitæ omnes fuerint, etiàm nondum habet vim Legis, neque Authenticè interpretandi legem. Ut autem habeat vim irritandi actum, vel abrogandi legem, debet lex non fuiſſe lata modo derogativo.*

64 CONſuetudo ſumpta pro jure, & non præciſè pro facto, ſeu pro frequenti uſu, rectè definitur in *cap. Conſuetudo diſtin. 1. & l. De quibus ff. de Legibus: Jus moribus conſtitutum.* Particula *jus* generis loco, ſcilic. pro Lege poſita, denotat eaſdem conditiones, quæ ſupra ad quamvis legem propriè dictam requiſitæ ſunt, ſuo modo etiam conſuetudini competere debere: ac primò debere eſſe rationabilem, ſcil. ordinatam ad finem, communitati utilem, & honeſtum, ſive conſuetudo ſit præter, ſive contra legem inducta; nam licèt conſuetudo adverſans Legi ante factam præſcriptionem fuerit inhoneſta, utpote contraria Legi aliquando receptæ, & adhuc obliganti, & fuerit etiam impeditiva boni communis, per legem ſpecialiter intenti; poſt elapſum verò tempus, ad legitimam præſcriptionem requiſitum, fit objectivè honeſta, ſi non repugnet Legi naturali (contra quam proinde nunquam præſcribi poteſt juxta *cap. ultim. de Conſuetudine*, ſicut neque contra Divinam) & objectum illius ſit utile communitati in ordine ad finem prævalentem, vel compenſantem illud bonum, quod per legem oppoſitam erat intentum: meliùs enim eſt communitati, carere hoc bono, quàm ultra longum tempus prolongari voluntatem Legislatoris, reddentem pleraſque actiones ſubditorum circa aliquod objectum inhoneſtas, quas ex frequenti Legis transgreſſione meritò ſupponuntur continuaturi, niſi eadem iterum renovetur & urgeatur.

65 Secundò debere ſufficienter fuiſſe promulgatam, quod contingit per legitimam præſcriptionem, ad quam duæ potiſſimùm conditiones requiruntur, tempus, & actuum frequentia: circa tempus magnoperè variant DD. Aliqui non improbabiliter nullum certum tempus requirunt, ſed arbitrio prudentum ex actionum qualitate, & frequentia determinandum relinquunt; eò quòd Lege naturali nullum ſit definitum, lex autem poſitiva ſolùm pro præſcriptione juris, ſeu dominii, non verò Legis aliquod certum conſtituerit: alii tempus immemoriale, cujus initium neſcitur, exigunt; eò quòd iſtud tantùm videatur inveteratam conſuetudinem, in *l. De quibus* requiſitam efficere, ut ex *l. Hoc Jure §. Ductus aquæ ff. de Aqua quotidiana* arguitur: alii decem annorum ſpatium cum multis, quas varii apponunt, limitationibus, alii ſine limitationibus idem univerſaliter ſtatuunt; quorum poſtremorum opinio videtur omnium expeditiſſima; partim quia non relinquit quæſtionem indeciſam, ſicut prima, nec tempus nimis longum requirit, ſicut ſecunda, gratis ſupponens, conſuetudinem inveteratam debere eſſe immemorialem, nec inneceſſariis limitationibus reſponſionem ſuam perplexam reddit, ſicut tertia ſententia, cujus patroni aliqui requirunt 20. annos pro abroganda Lege civili, per contrariam conſuetudioem introductam, quando Princeps erat abſens, quod putant indicari per disjunctionem, cùm in *l. penult. Cod. de Præſcriptione longi temporis* dicitur: *Super longi temporis præſcriptione, quæ ex decem vel viginti annis introducitur, perſpicuo jure ſancimus &c.* Alii his in Lege civili non conſentientes, ſaltem in Lege Eccleſiaſtica præter, vel certè contra priorem conſtitutionem ſtatuenda 40. annos decernunt, quod tempus ad præſcriptionem juris contra Eccleſiam determinatur *in cap. De quarta cap. Ad aures de Præſcriptionibus.*

66 Verùm ſine his limitationibus pro conſuetudine intra decennium ſive præter, ſive contra legem civilem, aut Canonicam univerſaliter præſcribenda ſic arguitur. Ad præſcriptionem legalem nullum aliud tempus in jure exigitur, quàm longum, ut partim ex *cap. ult. de Conſuetudine*, partim ex aliis locis conſtat (nec licet argumen-

mentari à paritate cum præſcriptione juris; quia ſicut ad hanc bona fides, non autem ad illam, ſic nec æquale tempus requiritur) ſed decennium eſt longum tempus, ut patet *ex cit. leg. penultim. Cod. de Præſcript. long. temp.* ergo decennium exigitur: cujus prætereà hæc convenientia aſſignari poteſt; quia ſi non ſufficiat tempus minus, Leges pro communi utilitate conſtitutæ non tam facilè, & noxia varietate aboleantur; ſi autem non requiratur tempus majus, prævaricationes legum, & plerorumque ſubditorum gravamina non nimiùm protrahuntur.

67 Altera ad legitimam præſcriptionem conſuetudinis conditio eſt actuum externorum (nam circa merè internos diximus non dari legem humanam) frequentia, nulla contraria conſuetudine, vel Superioris reclamatione interrupta, & in ordine ad introducendam obligationem, vel deobligationem intenta; hinc per actus propter metum aut vim frequentatos nulla poteſt induci conſuetudo, quia per illos, utpote repugnantes, nemo cenſetur ſibi velle imponere obligationem, uti neque per actus frequentatos animo exequendi legem, quam quis per errorem putavit fuiſſe ſtatutam, quàmque hoc ipſo non intendit de novo ſtatui. Ratio autem, cur actuum frequentia ad conſuetudinem, habentem vim Legis, ſit neceſſaria, fundatur tum in textibus juris, tum quia ab hac utilitas objecti, vel conſenſus inducentium conſuetudinem colligi debet. Cur verò oporteat non eſſe interruptam, deducitur ex eo, quòd actio dicto modo revocata vim obligandi perdat, ſicut quando lex retractatur. Cur denique, ut DD. ferè omnes conſentiunt, debeat ex intentione inducendi obligationem, vel deobligationem procedere, cauſa eſt, quia nulla ponitur, vel tollitur obligatio, niſi à volente: ob cujus intentionis defectum multæ in Eccleſia dantur piæ conſuetudines, vim Legis non habentes. Quandocumque autem dubitatur de intentione inducendi legem, tunc vel in favorem libertatis ſupponendum eſt, ex intentione gratuitæ devotionis, vel liberalitatis, vel gratitudinis, vel alia ſimili actiones quaſdam fuiſſe iteratas, vel colligi debet ex communi hominum ſenſu, vel ex objecti gravitate, difficultate, neceſſitate, aut ſpeciali utilitate; quia nimirum tam frequens, conſtans, ardua, ac utilis ejuſdem actionis executio impoſterum non facilè obtineretur, niſi obligatio aliquando imponeretur, ex quo indicio de facto colligitur; conſuetudinem quotidiè dicendi horas Can. etiam reſpectu Clericorum Majorum, carentium beneficio, vim Legis obtinuiſſe.

68 Tertiò denique particula generica *Jus* juxta univerſalem Legis definitionem ſignificat, conſuetudinem legalem debere eſſe promulgatam à legitimo Superiore, quatenus ſcil. ſeipſam quidem manifeſtam reddit; ſed prætereà indiget Superioris ratificatione, non quidem determinatè ab Ipſo, vel Succeſſore expreſſa, ut putabat Vaſq. 1. 2. *diſp.* 177. *cap.* 2. *numer.* 20. ſed generaliter jam manifeſtata tam in jure Can. *in cap. ultim. de Conſuetudine*, quàm Civili, in *l. De quibus ff. de Legibus & l. ultim. Cod. Quæ ſit longa conſuetudo*; quarum proinde conſtitutionum authoritate, & ratificatione fit, ut conſuetudo, quæ aliàs juxta *cap. Conſuetudinis diſt.* 1. legem vincere non poteſt, id poſſit, eandem ſibi contrariam abrogando, vel novam ſtatuendo, quando à majori parte perſonarum habilium ad ſubeundam Legem in eadem communitate fuerit introducta.

69 Reliquæ duæ particulæ allatæ definitionis: *moribus conſtitutum*: continent differentiam conſuetudinis legalis: à Lege per expreſſam Legiſlatoris voluntatem ſtatuta, ac promulgata: ſoli enim conſuetudini proprium eſt, ut ex moribus hominum, juncta Superioris tacita ratihabitione vim obligandi ſortiatur: unde etiam ſtylus curiæ ſeu fori ſpecies conſuetudinis eſt; quia ex frequenti uſu ejuſdem proceſſus judicialis oritur tandem obligatio, illum procedendi modum deinceps in judiciis retinendi.

70 Poſt prædictas particulas addita ſunt *in cit. cap. Conſuetudo diſt.* 1. etiam hæc verba: *quod pro lege ſuſcipitur, cùm deficit lex*: ſed iſta non tam ad eſſentialem definitionem conſuetudinis, quàm ad ejus effectum deſignandum referuntur, & ſenſus illorum eſt, quòd conſuetudo eandem vim habeat, quam habet lex, ſive ad obligationem inducendam, ſive ad inductam authenticè interpretandam, ſive ad abrogandam, ſive denique ad actionem aliquam irritandam, cùm lex idem præſtans deficit: nam quando non deficit lex, id eſt, quando conſuetudo non eſt præter, vel contra legem à ſe abrogatam, ſed juxta legem ſtatutam, illam præcisè exequens, tunc non pro Lege habetur, nec ex illa obligatio aliqua inducitur, ſed inducta confirmatur, ne per deſuetudinem, vel non uſum, tam facilè iterum aboleatur.

Circa enumeratos autem quatuor effectus conſuetudinis aliqua adhuc advertenda ſunt. Circa primum adverte, cùm conſuetudo ſit propriè dicta lex, ex ejus violatione ſimiliter, vel ſolum reatum pœnæ, vel etiam culpæ oriri poſſe, pro diverſitate intentionis inducentium conſuetudinem. Circa ſecundum adverte, cùm conſuetudo juxta *cap. Cum dilectus de Conſuetudine* ſit optima legum interpres, ideò magnam quidem habere authoritatem ad legem interpretandam, niſi claræ juris diſpoſitioni repugnet (tunc enim non conſuetudo, ſed corruptela eſſet) ut tamen Authentica ſit, eaſdem requiri conditiones, quæ ad obligationem Legis neceſſariæ ſunt; unde ante factam legitimam præſcriptionem decennii ſpatio ſolùm conjecturalis, ſeu doctrinalis dici debet. Circa tertium, & quartum adverte, ſicut poſterior lex poteſt abrogare priorem, ſive quoad ſolā culpā Theologicam, ſive quoad ſolam pœnā determinatā, ſi hæc non ſupponat culpā Theologicam, quemadmodum cenſuræ Eccleſiaſticæ ſupponunt, ſive quoad utrumque; & ſicut poteſt valorem futurarum actionum irritare, ſic ejuſdem efficaciæ eſſe conſuetudinem legitimè præſcriptam; quia tamen ad legitimam ejus præſcriptionem neceſſarius eſt tacitus ſaltem conſenſus ſuperioris, qui cenſetur adeſſe, quando ille ex univerſali conceſſione præſcribendi contra legem, in utroque jure expreſſa, quaſi per revocationem particularem, nullam in ſpecie conſuetudinis præſcriptionem extrahit; ideò ſi lex aliqua ita feratur, ut improbet non tantùm omnem antecedentem, ſed etiam omnem conſequentem conſuetudinem (ad quam contra Palao *tract.* 3. *diſput.* 3. *punct.* 4. §. 2. *num.* 9. & alios ab ipſo relatos cenſeo cum Suar. *lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 2. & Gl. *in Clementinis cap. Statutum de Electione Verbo Conſuetudine* verba Legis, generaliter improbantia, extendenda non eſſe; cùm interpretatio non in ſavorem Legis, ſed in favorem libertatis fieri debeat) nulla contra eam valet conſuetudinis præſcriptio, niſi circumſtantiæ ex parte objecti Lege ſtatuti ita notabiliter varientur, ut conſuetudo ſubſequens meritò cenſeatur mentem Legiſlatoris in favorem, ſeu ratificationem interpretari poſſe, ſcil. eum non quidem omninò deobligare ab obſervatione Legis, donec tempus præſcriptionis impleatur; eò quòd lex per mutationem circumſtantiarum nondum ſit inutilis reddita, conſentire tamen, ne propter circumſtantias à ſe non prævisas, & reddentes utilem præſcriptionem, ejus valor ulteriùs impediatur. 71

ARTICULUS VII.

De Lege Pœnali:

SUMMARIUM.

72 *Lex pœnam ſtatuens non obligat ad eam ſubeundam ante ſententiam, vel ſaltem ante declarationem Judicis, exceptis & enumeratis certis caſibus.*

73 *Quos effectus habeat Lex, ſtatuens pœnam* ipſo facto *incurrendam.*

74 *Lex ipſo facto irritans actum, non ſicut Lex pœnalis ſententiam aut declarationem Judicis exigit.*

75 *Reus pœnas juſtè ſtatutas, perferre omnes, ſed non omnes ſibi inferre, cogi poteſt.*

76 *Legiſlator ita tenetur infligere pœnam, Lege à ſe ſtatutam, ſicut tenetur ad aliarum ſuarum legum executionem. Magis autem obligatur ſubordinatus Judex ex Juſtitia vindicativa.*

77 *Non tenetur Judex ſubordinatus ex Juſtitia commutativa, ad exigendas mulctas pecuniarias.*

Lex

LEx pœnalis illa eſt, quæ delictis ſubditorum pœnam temporalem irrogat; de hac itaque quæritur, quomodo delinquens ad pœnam exſolvendam, & judex ad imponendam obligetur. Prior pars quæſtionis in eo verſatur, ut in primis decernatur, an lex pœnam ſtatuens obliget, vel etiam obligare poſſit ad eandem ſubeundam nulla præcedente judicis ſententia, illam indicente, vel ſaltem commiſſum crimen declarante. Deinde an poſtquam obligatio ad pœnam completa eſt, delinquens illam ſolùm teneatur perſerre, vel an etiam ſibi inſerre. Secunda pars quæſtionis inquirit, an & ex qua virtute judex ad pœnam Legis executioni mandandam obſtringatur.

2 Dicendum I. poſſe quidem, ſed de facto non dari legem pœnalem propriè dictam Civilem, aut Canonicam, quæ nulla præmiſſa judicis ſententia, vel pœnam, vel crimen denunciante obliget, exceptis legibus ſtatuentibus cenſuram Eccleſiaſticam, vel irregularitatem, vel reſervationem abſolutionis à cenſura aut peccato, vel impedimentum criminis dirimens matrimonium, vel privationem petendi debitùm conjugale poſt ſcienter commiſſum inceſtum cum perſona conſanguinea conjugis intra ſecundum gradum; vel privationem fructuum ſtatutam à Pio V. in Beneficiatos, non recitantes horas Canonicas. Prima pars, quæ eſt de poſſibilitate Legis, etiam tantùm civilis, aſſeritur ferè ab omnibus; quia delicta externa, licèt per accidens occulta, ſubſunt juriſdictioni fori externi, hoc ipſo quòd po ſint ab illo prohiberi: ergo poteſt etiam præcipi pœna, propter illa abſque ulteriori denunciatione ſubeunda, ſaltem ſi moderata ſit, nec ob ſuam moralem inobſervabilitatem præbeat noxiam occaſionem plurimarum transgreſſionum: ob quam cauſam teſte Suar. *Lib.5. cap. 5. numer.* 12. & 16. Salas *Diſput.14. ſect. 2. num.* 32. & 37. Palao *tract.3. diſput.2. punct.1. num.5.* nequit abſque judicis ſententia imponi pœna, vitam, honorem, vel famam graviter lædens. Secunda pars iterum eſt communiſſima, cùm teſtante Sanchez *tom.1. de Matrim. lib.3. diſp. 53. num.2.* omnes Theologi, ac Juris utriuſque Profeſſores recipiant tritum hoc axioma, quòd ante judicis ſententiam non debeatur pœna. Ratio eſt, quia Leges pœnam ſtatuentes ſtrictæ debent eſſe interpretationis, quantum fieri poteſt; ſed reliquæ Leges, præter ex communi uſu ac praxi à nobis exceptas, etiamſi ſtatuant pœnam adjectis his verbis; *ipſo facto: ante declarationem &c.* facilè explicari poſſunt, quòd vi illorum verborum tantùm non requirant ulteriorem condemnationem, vel declarationem pœnæ, requiſita tamen adhuc declaratione criminis, tanquam neceſſaria conditione ad abſolutam obligationem, eo modo imponendam, quo tollitur occaſio plurimarum transgreſſionum, & ſpes impunè contemnendi pœnam, ergo debent ſic explicari.

73 Neque propterea prædicta verba *ipſo facto &c.* nullius ſunt efficaciæ; primò quia actiones factæ in præjudicium perſolvendæ pœnæ, fructuumque ex ea perceptiones à tempore commiſſi criminis omnes veniunt irritandæ. Secundò quia etiamſi reus ante criminis declarationem moriatur, ea tamen ſubſecuta, obligationes reales ad hæredes tranſeunt; cùm non Indigeant ſententia ferenda, quæ in mortuum ferri non poteſt, ſed tantùm declarationis conditione, quæ etiam poſt mortem, ad eas reddendas abſolutas, & completas, evenire poteſt. Tertiò quia judicium declaratorium criminis difficiliùs ſubterſugitur, quàm condemnatorium ad pœnam: quòd unicè videtur ſupponere Pius IV. in ſua conſtitutione adverſus committentes Simoniam, ubi inquit: *Ne quis vana fiducia fretus non intendendi contra ſe judicii, in crimine* (Simoniæ confidentialis) *perſeveret, omnibus beneficiis, & officiis præſentium Authoritate privamus, & in juris ſubſidium excommunicationis ſententia innodamus*. Unde hæc duplex pœna juxta ſubjectam materiam intelligenda eſt, ſcilic. de privatione beneficiorum, & officiorum poſt declarationem criminis, de cenſura autem etiam ante declarationem: quo modo explicari quoque debet Trident. *ſeſs. 14. de reform.* eadem Lege homicidio voluntario conſtituens irregularitatem, & privationem beneficii ac officii.

74 Monui in concluſione, de pœna propriè dicta nobis ſermonem eſſe; nam irritatio actus ſtatuta non præcisè in deteſtationem criminis, ſed ob defectum debitæ formæ, in contractibus civilibus, teſtamentis, vel matrimonio ſervandæ ad evitandas fraudes propriè non eſt pœna; ſicut etiam privatio boni nondum obtenti, ſed ſub conditione evitati criminis primùm obtinendi, propriè rationem pœnæ non habet, ſed tantùm eſt negatio præmii, vel favoris pendentis ab impletione conditionis; unde ante ſententiam judicis inducitur hujuſmodi irritatio actus, vel negatio favoris acquirendi; quia non ſunt poſita omnia, ad favorem actus, vel conſecutionem alicujus boni neceſſariò requiſita.

75 Dicendum II. Quando pœna per declarationem judicis impoſita eſt valde gravis, qualis eſt pœna mortis, mutilationis, vulnerationis, longæ commorationis in duro carcere, vel triremibus, non teneris eam tibi inſerre, ſed tantùm perſerre, ſi effugere nequeas, ſecus, ſi pœna ſit levior, vel inferioris ordinis, ut eſt moderatus carcer, exilium mite, mulcta pecuniaria, ſi, ut communis praxis requirit, petatur ab eo, cui ſolvenda eſt. Probatur; quia prior obligatio eſſet nimis inhumana, ergo non datur; poſterior eſt juſta, ergo ei parendum eſt.

76 Dicendum III. Si judex ſit ipſe Legislator, vel eadem poteſtate gaudeat, eum in tantum obligari, pœnam ex Lege latam, vel ferendam executioni mandare, in quantum ſuprà diximus, illum propriis legibus teneri: ſi autem ſit inferior, teneri ſaltem ex juſtitia vindicativa ratione officii per declarationem criminis pœnam latæ ſententiæ, vel per condemnationem pœnam ſententiæ ferendæ determinatè infligere, ut docet S. Thom. 2. 2. *quæſt.77. artic.4.* niſi ob variationem circumſtantiarum rationabiliter judicet, Superiorem in augmentum, vel decrementum pœnæ conſentire. Ratio prioris partis patet ex dictis. Ratio poſterioris deſumitur ex æqualitate juſtitiæ vindicativæ, quæ obligat judicem, juxta Regulam ſibi ex intentione dictæ virtutis à Lege præfixam, pœnam delictis commenſurare.

77 Dixi: *Saltem ex Iuſtitia vindicativa*. Nam utrum ad mulctas pecuniarias exigendas etiam ex juſtitia commutativa, debita Domino principali judex inferior teneatur, non conveniunt AA. Affirmat Rebellus, *Par. 1. lib.2. quæſt.16. nu. 1.* inter alios immeritò citans S. Thomam, Medina, *quæſt.12. de reſtit. §. ult. & antepenultim.* Molina, *tom.3. de juſt. diſput.739. num.3.* Negant Tan. 2. 2. *diſp.4. quæſt.6. dub.2. num.83.* Leſſ. *lib 2. cap 13. dub.* 10. Diana *par.3. tract.5. Reſol.54. & tract.6. R.35.* referens Navar. Thomam Sanchez Vaſq. & alios, quos Tamb. *lib.8. tract.4. cap.2. §.1. num.1.* cujus rationem tamen non rectè ex præcedenti noſtra doctrina deſumit, quòd nim. pœna non debeatur ante ſententiam judicis, adeòque nullum læſum fuerit jus à judice, non exigente pœnam pecuniariam. Nam ut rectè advertit Mol. dominus principalis habuit jus, illa pœna ſe locupletandi, conſequenter inferior videtur obligari ex officio ſuo, ad procurandum bonum ſui domini, ſicut obligatur reſtituere lucrum ceſſans, qui ad illud non impediendum tenebatur. Fundamentalior itaque ratio redditur à Lugo, *to. 2. de juſt. diſputat.37. ſect.8. num.97.* Salas *diſput.15. ſect.7. num.105.* Leſſ. *loc. citat. num.73.* qui eam his verbis expreſſit. Leges pœnales, & commiſſoriæ non ſunt factæ, ut Reſpub. ex pœnis locupletetur, ſed ut Leges ſerventur, & ſubditi officium præſtent: unde neque procurator fiſcalis non accuſans, neque judex non condemnans in tali caſu tenetur ad pœnæ illius compenſationem.

ARTICULUS VIII.

De Lege irritante.

SUMMARIUM.

78 *Leges aliquas actiones decernunt irritas, aliquas irritandas.*
79 *Quænam Leges explicitè, & quænam implicitè irritantes cenſeantur.*
80 *Quænam Leges ante ſententiam Iudicis actionem irritam reddant, & an in utroque foro.*
81 *Eadem quæſtio magis declaratur.*
82 *Lex irritans actus, ignoranter factos, nondum habet vim ante ſufficientem promulgationem.*
83 *Non omnis lex prohibens actum, eſt etiam irritans.*
84 *Nec omnis lex irritans eſt prohibens.*

78 CUm pro bono communi neceſſarium fuerit, concedi gubernatori juriſdictionem in voluntates ſubditorum, non tantùm ad certas actiones illis reddendas illicitas, ſed etiam invalidas, ideò multæ Leges ſtatutæ, & praxi receptæ ſunt, quæ vel explicitè, vel implicitè, requiſita, vel non requiſita ſentētia judicis, quaſdā actiones ſubditorum irritas ac nullius valoris efficiant poſt factam ſui ſufficientem promulgationem: quamvis non hoc ipſo, quòd lex actionem aliquam prohibeat, eam etiam irritam reddat, nec quòd irritam reddat, per ſe & immediatè eam prohibeat. Verùm in hac aſſertione aliqua magis dubia majori indigent declaratione.

79 Dubitatur enim primò: quænam Leges expli citè, & quænam implicitè irritantes cenſeantur. Reſp. explicitè irritantes expreſſis verbis mentem Legiſlatoris manifeſtare, quibus dicit, actiones nullius valoris, firmitatis, momenti, habendas eſſe: implicitè irritantes verò ſtatuere actionibus quibuſdam certam formam, ad ſubſtantiam earum pertinentem, quę conditionum jure neceſſariarum diſpoſitio dici poteſt. Unde duplex diſtinguenda eſt forma, ſcil. ſubſtantialis & accidentalis: accidentalis eſt, quę ſua omiſſione non irritat actum: ſic triplex denuntiatio, prĕmittenda contractui matrimoniali, eſt forma merè accidentalis: è contra forma ſubſtantialis omiſſa annullat actum; hinc matrimonium contractum ſine prĕſentia Parochi, & duorum teſtium, in loco, ubi Trid. eſt receptum, eſt omninò invalidum. Tunc autem forma dicitur eſſe ſubſtantialis, ſeu ad ſubſtantiam actus requiri, quando vel lex ipſa eam appellat formam actus, vel ipſum ſine ea Irritum decernit, vel ad agendum poteſtatem priùs non habitam confert ſub conditione, ex jure communi non merè accidentaliter requiſita; aliàs cenſeretur etiam in collatione poteſtatis tantùm accidentaliter requiri, & quaſi ratificari, aut in mentem reduci.

80 Dubitatur ſecundò: quę Leges ante ſententiam judicis actionem aliquam irritam reddant, & utrum id tantùm in foro externo, vel etiam in conſcientia efficiant. Reſp. Attendendum eſſe, an irritatio actionis immediatè intendatur merè in pęnam, & deteſtationem delicti, vel an ob aliū finem, nempè in favorem totius communitatis, vel hominis privati decernatur; ſi primum, adeòque ſi lex inducens irritationem ſit merè pęnalis, tunc niſi actus aliquando validus ampliùs irritari, ſeu reſcindi nequeat, quemadmodum contractus matrimonialis, vel niſi actus poſitus ſit ex poteſtate ubi defectum alicujus conditionis nondum cōpleta (quo modo completa non eſſet poteſtas abſolvēdi à cenſuris antequam tollatur metus injuſtè incuſſus, vel à peccatis, antequam tollatur eorum reſervatio) tunc, inquam, requiritur ſaltem ſententia declaratoria delicti, ut conſtat ex dictis de Lege pęnali. Si ſecundum, aliqui docent, quando actus transferens in alterum jus, vel favorē, in ſe nullam injuſtitiam, vel fraudem continet, ob cujus periculum à Lege irritatur, eſſe quidem in foro externo abſque judicis ſententia invalidum, in foro conſcientię tamen manere validum, donec pro poteſtate judici ad evitandas lites & turbationes reipub. conceſſa etiam in ordine ad illud invalidetur: unde ajunt, hæredem, cui de voluntate teſtatoris conſtat, licitè accipere, & retinere hęreditatem, donec teſtamenti debita ſolemnitate carentis, invaliditate declarata hæredibus ab inteſtato ſuccedentibus applicetur.

Alii diſtinguunt inter actus factos ex publica poteſtate, 81
quos ajunt ob reſiſtentiam Legis irritantis, & hoc ipſo poteſtatem reſtringentis, ipſo jure irritos eſſe; & inter actus factos ex poteſtate proprii ſui dominii ſeu juris, cujuſmodi ſunt venditio propriorum bonorum, hæreditatis legatio &c in quibus actibus priori ſententiæ ſubſcribunt, eò quòd lex irritans actus, ex legitima poteſtate procedentes ob falſam ſuppoſitionem fraudis nullam habeat vim obligandi in conſcientia ad renuntiandum juri, vel favori acquiſito. Sed hęc ratio potiùs nititur falſa ſuppoſitione: quia lex irritat actum non propter fraudem aut injuſtitiam in illo contentam, eumque naturali jure annullantem, ſed propter periculum fraudis ac injuſtitiæ, quod lex intendit impedire, reddendo invalidos illos actus, in quos ob neglectam præſcriptam formam occulta fraus irrepere potuiſſet, ut ſic omnis etiam illius committendæ occaſio ac illicium tollatur.

Rectiùs ergo cum Suar. *lib.5.c.24. à n.*3. Salas, *diſp.16. ſect.9. circa finem*. Palao *diſp.2. punct.*10.*n.*5. & aliis non adhita priori diſtinctione dicitur, legem pro utroque foro obſtare valori actus, ſi eum ipſo facto irritum decernat; prout tamen multi probabiliter negant decerni actus teſtamentorum, deſtituti debita ſolemnitate, quibus inquiunt ſolùm tolli vim probandi teſtatoris voluntatem in judicio externo; ut proinde ea deficiente poſſit judex hæreditatem appropriare ei parti, quæ firmiores rationes pro ſe adduxerit.

Dubitatur tertiò, an quando actus etiam ignoranter 82
præſtiti à lege irritantur, ea ſtatim vigorem habeat, quàm primùm à Legiſlatore publicata eſt, non expectato tempore, quo ad notitiam totius communitatis pervenire potuiſſet. Affirmant aliqui de Lege Canonica, eò quòd hęc nō dependeat ab acceptatione ſubditorum, & lex irritans extendatur etiam ad actus ignorantia procedentes. Rectiùs tamen tam de civili, quàm Canonica id negatur, niſi Legiſlator ob ſpecialem utilitatem ita expreſsè decreverit; quia regulariter non expedit ſubditos communi ignorantia laborantes legibus conſtringere; adeòque ea tantùm promulgatio Legis cenſenda eſt ſufficiens ad illius vigorem, quę eſt neceſſaria, ut lex feratur modo communitati magis conveniente, quo ſcil. ad notitiam illius pervenire potuerit.

Dubitatur quartò, an omnis lex prohibens actum ſit 83
etiam irritans, & viciſſim omnis irritans ſit prohibens. Reſp. Etſi primum membrum videatur affirmativè deciſum *in l. Non dubiam C. de leg bus, & in c. Imperiali 25. qu. 2.* atque *in Regula 64. de Regulis Iuris in 6.* tamen oppoſitum ex communi Theologorum conſenſu, & pluribus inſtantiis colligitur: ſic enim matrimonia clandeſtina jam olim fuerunt prohibita, nec tamen irrita, ut conſtat *ex Trid. eſſ. 24. c.1. de Reform.* & matrimonium cum ſimplici voto caſtitatis contractum eſt illicitum, non invalidum. Itaque cùm actuum prohibitorum irritatio intendatur in eorum pęnam, citati textus illam ſtatuentes ſicut aliæ Leges pęnales explicandi ſunt, ut ſcil. Leges prohibentes pro irritantibus habendas eſſe velint, veluti ſi Legiſlator expreſſis verbis ita ſtatuiſſet, requirens tamen adhuc ſententiam judicis juxta morem ferendi Leges pęnales, & extendens ſuam voluntatem ad ſolos actus reſcindibiles, quia ad hos aliter extendere nō potuiſſet, niſi ipſo facto, & irrequiſita ſententia judicis voluiſſet irritos, quo modo tamen nec irritaſſe, nec irritare conveniens fuiſſe à poſteriori ex continua praxi cognoſcitur.

Ad ſecundum membrum etiam reſpondetur negativè; 84
etiamſi enim ſuppoſita Lege Irritante ſæpè alia lex deinde eundem actum prohibeat, v.g. juſtitia vetet inire contractum diffórmem legibus, ſtatuentibus formam contrahendi, tamen ipſa lex irritans non ſemper formaliter prohibet actum, nec ſemper conjungitur cum alia Lege prohibente; ſic contractus matrimonii non conſummati ex injuſto metu extortus, vel erectio teſtamenti ſine debitis ſolemnitatibus ad eludendas importunas preces ac vexationes irritatur, nec tamen prohibetur, quod maximè verum eſt in actibus, in proprium favorem irritatis, v.g. ſi filia invalidè renūciet hæreditati paternę, ſola dote cōtēta.

DI-

DISPUTATIO III.

De Privilegio, ut altero Principio extrinſeco, directivo Actuum Moralium.

ARTICULUS I.

De Definitione Privilegii.

SUMMARIUM.

1 *Privilegium definitur*: Lex privata concedens beneficium. *Per ſe loquendo nemo tenetur uti privilegio, bene tamen per accidens.*
2 *Diſtinguitur privilegium à Lege propriè dicta, & ab ejus diſpenſatione.*
3 *Aliud diſcrimen privilegii à diſpenſatione.*
4 *Privilegium aliud eſt reale, aliud perſonale.*

1 Quamvis privilegium ex jure Canonico *cap. Abbatem de Verborum Significatione* communiter definiatur: *Lex privata concedens beneficium*: tamen propriè dicta lex non eſt. Dicitur ergo lex per impropriam vocis uſurpationem: partim quia eſt occaſio, ut lex naturalis juſtitiæ alios homines obliget, ne privilegiatum injuſtè impediant ab uſu ſui privilegii, partim quia imitatur legem, quod & ipſum ſupponat poteſtatem Juriſdictionis externæ, & tantùm à Superiore quà tali, univerſaliter vel quoad certas actiones ſubjectis conferri poſſit, liberando illos, vel ab obligatione Legis, vel oneris ſubeundi; quamvis eiſdem nullam neceſſitatem obediendi imponat, cùm nemo teneatur uti ſuo privilegio, ex vi alicujus obligationis legalis formaliter à conceſſione privilegii provenientis: obligatio enim utendi privilegio Fori, & Canonis, Clericis impoſita, audiendi Miſſam die feſto, tempore interdicti univerſalis, à quo quis per privilegium exemptus eſt, non reddendi debitum conjugale poſt editum ſimplex votum caſtitatis, ſi petenti oppoſitione adulterii ab ipſo commiſſi, privilegium exemptionis à debito oſtendere poſſis, tantùm occaſionaliter oritur ex conceſſione privilegii, quia eo ſuppoſito lex Juſtitiæ, vel Religionis, ex qua ſtatui clericali obſtrictus es, vel qua Miſſam audire, aut caſtitatem ſervare teneris, remoto legitimo impedimento, ad uſum privilegii obligat.

2 Unde jam patet, quomodo privilegium à propriè dicta Lege diſtinguatur: quod diſcrimen per particulas: *concedens beneficium* indicatur: quia enim beneficium eſt gratia, *& quod in gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum juxta 61. regulam juris in 6.* Hinc privilegium non poteſt cum diſpendio libertatis ullam obligationem, quemadmodum lex, formaliter inducere: ut habetur expreſsè in capit. *Si de terra de Privilegiis.* Per eaſdem paulò antè relatas particulas inſinuatur etiā diſcrimen privilegii à Legis diſpenſatione, à qua differt tamquam quid latiùs patens; cùm non omne privilegium ſit diſpenſatio, eò quòd prætereà aliud beneficium, quo v. g. aliquod onus definit eſſe materia alicujus Legis poſitivæ, aut naturalis, à Superiore per privilegium concedi poſſit, quale eſt remiſſio tributi, aut decimarum communi jure ſolvendarum, debiti conjugalis adultero non ampliùs ex juſtitia reddendi, ſubjectionis erga Judicem ſæcularem, à qua clerici per privilegium exempti ſunt.

3 Aliud adhuc diſcrimen privilegii à diſpenſatione in vocabulo *lex* generis loco poſito continetur: quia privilegium in hoc etiam imitatur legem quòd aliquo modo debeat eſſe perpetuum, ac ſtabile, conferens jus ad plures actiones, conſtanter exercendas, vel contra legem, vel contra oneris alicujus gravamen: diſpenſatio autem poſſit ad unicum actum, vel unicam pœnæ legalis evitationem reſtringi.

4 Diſcrimine tamen iſto non obſtante, rectè adhuc dividitur privilegium in *Perpetuum*, quod ſemper eſt reale, & in *Temporaneum*, quod reale vel perſonale eſſe poteſt. Perpetuum, niſi revocetur, in omne tempus indefinitè ad poſteros, & Succeſſores ſe extendit, temporaneum ad tempus à concedente definitum, vel tantum ad dies vitæ ipſius privilegiantis, vel privilegiati reſtringitur. Reale privilegium eſt, quod non eſt affixum uni particulari Perſonæ, ſed loco, officio, dignitati ſpeciali, particulari Communitati, ſub alia univerſali contentæ, ſtatui, familiæ &c. quæ cùm ſola perpetuitatem habeant, ideò ſolum privilegium reale perpetuitatis capax eſt. Perſonale dicitur, quod uni, vel pluribus perſonis, ex tota communitate ſeorſim ſpectatis, tribuitur. Neque tamen definitio privilegii quoad particulas *Lex privata* hinc ſoli applicari meretur, quia etiam privilegium reale, etiamſi concedatur in favorem totius alicujus communitatis adhuc dicendum eſt lex privata, quatenus communitas particularis privilegiata reſpectu univerſalis communitatis, includentis alios non privilegiatos, cenſetur eſſe aliquid privatum, & particulare.

ARTICULUS II.

De Diviſione Privilegii.

SUMMARIUM.

5 *Privilegium variè dividitur.*
6 *Quid ſit Privilegium* Gratuitum, Remuneratorium, Abſolutum, Conditionatum.
7 *Quid ſit Privilegium* Odioſum, Favorabile.
8 *Quid requiratur ad fidem Privilegii ſcripti, & quid ad Privilegium præſcriptum.*
9 *Quid ſit Privilegium* commune & ſingulare.
10 *Quid ſit Privilegium* ad inſtantiam partis. *Quid* ex motu proprio.
11 *Quæ ſit vis Privilegii* ex motu proprio.
12 *Quid ſit Privilegium* ad inſtar.
13 *Quid ſit Privilegium* per communicationem, *& quando differat à Privilegio* ad inſtar.
14 *Quid ſit extenſio Privilegii.*
15 *Quomodo intelligenda ſit communicatio omnium Privilegiorum.*
16 *Quomodo dicta communicatio Privilegiorum in quibuſdam familiis religioſis reſtringatur.*
17 *Quid ſit Privilegium* per ratificationem, vel confirmationem.
18 *Privilegium per Concilium generale revocatum non comprehenditur in confirmatione generali Privilegiorum; ut patet etiam ex propoſitione 36. Ab Alexandro VII. prohibita.*
19 *Quid efficiat expreſſio Privilegii confirmandi.*

5 Præter indicatas, & cum ipſa definitione explicatas Privilegii diviſiones aliæ adhuc communiter recenſentur.

Dividitur enim Privilegium ulteriùs in *gratuitum*, *& remuneratorium*. In *abſolutum*, & *conditionatum*. In *odioſum*, & *favorabile*. In *ſcriptum* & *non ſcriptum*. In *commune* & *ſingulare*. In *conceſſum ad inſtantiam*, & *ex motu proprio. Et ad inſtar; Et per communicationem; Et per ratificationem prioris Privilegii.* Quæ ſingula breviter declaro.

6 *Gratuitum* eſt, quod vel independenter à præcedentibus meritis, vel non in iſtorum remunerationem, ac præmium tribuitur, alioquin *remuneratorium* appellatur. *Abſolutum*, quod & *purum* dicitur, eſt id, quod ab omni conditione, conventione aut pacto, eſt independens. *Conditionatum* autem, quod etiam *conventionale* appellant, eſt Privilegium conceſſum ſub certa conditione, conventione, pacto e. g. Quando Pontifex alicui religioſæ familiæ confert Privilegium, ſi & quamdiu miſſura eſt aliquos ex ſuis ad converſionem infidelium.

Quæ

Quæ conditio, quia conſtanter impleri poteſt, & quia ipſa communitas Religioſa perpetuitatem quandam eſt habitura, ac Privilegio perpetuò frui poterit, ideò etiam Privilegium perpetuum dicendum eſt. Neque tamen per hoc deficit à ratione privilegii, quòd non gratis, & liberaliter, ſed ſub conditione oneroſa concedatur. Quia nomine *beneficii* in definitione Privilegii, non tantùm ſignificatur gratia, aut favor gratuitus, ſed etiam exemptio, aut immunitas oneroſa à jure communi, qua alii carent.

7 *Odioſum* ita in unius favorem, & commodum confertur, ut principaliter in alterius incommodum, ac damnum cedat, quale eſſet immunitas à decimis ſolvendis, utique præcipuè recipienti decimas damnoſum. *Favorabile* autem præter Juris communis reſtrictionem, vel limitationem, ſive ab eo exemptionem, nemini principaliter incommodum, aut damnum affert, ut ſi quis eximatur à Lege jejunii ab interdicto communi, &c.

8 *Scriptum* (quo etiam impreſſum intelligitur) ut fidem in foro externo habeat, & authenticum ſit, debet Sigillo Principis, illud concedentis, eſſe obſignatum, niſi fuerit juri communi inſertum, vel debet eſſe ex originali ſuo manu Notarii tranſcriptum, & perſonæ in dignitate conſtitutæ, Sigillo munitum, citata parte, in cujus præjudicium cedit. Immò poſt Clementem V. Pontifices in conceſſione privilegiorum per conſuetam clauſulam communiter decernunt, ut transſcriptis ſive tranſumptis, etiam impreſſis, integra fides habeatur, modò ſint manu Notarii publici ſubſcripta, & Sigillo perſonæ in dignitate conſtitutæ, firmata: quorum etiam alterutrum ſufficere Julius II. voluit: neque id à poſterioribus Pontificibus, utrumque non ex neceſſitate, ſed ex ſervata antiqua formula requirentibus, eſſe revocatum, teſtatur Palao *tract.3.diſp.4.punct.2.§ 5.* ſecutus Rodriquezium.

Non ſcriptum privilegium eſt, quod oretenus, ſive vocis oraculo, vel conſuetudine legitimè præſcripta acquiritur ex tacito Principis conſenſu, in *l. De quibus ff. de Legibus, & capitulo ultimo de Conſuetudine* comprehenſo, per quam decennii ſpatio ita firmatur privilegium, ut licèt ipſi nihil de ratione propriè dicti privilegii deſit, tamen per revocationem aliorum privilegiorum ipſum non revocetur, ſicut per revocationem aliarum legum non revocatur lex per conſuetudinem introducta: quia in odioſis, qualis eſt revocatio, non continetur nomine Legis, vel privilegii, id quod per conſuetudinem eſt introductum.

9 *Privilegium Commune eſt*, quod non tantùm mediatè, ſicut omne privilegium, & lex, ſed etiam immediatè reſpicit, ac intendit bonum communitatis, cui directè confertur, & quo perſonæ privatæ catenus frui ac gaudere poſſunt, quatenus ſunt pars communitatis, immediatè percipientis illud bonum, quod per privilegium intenditur. Unde etiam perſonæ privatæ eidem renuntiare non poſſunt. Tale eſt privilegium fori, & Canonis, Clericali ſtatui, ſive toti Clero conceſſum; ne ullus ex eo ad tribunal ſæculare trahatur, propter honorem, & reverentiam cleri obſervandam & ne ob eandem tuendam percuſſionis injuria impunè afficiatur. At *privilegium ſingulare* immediatè datur perſonæ uni, vel pluribus, in ſuum particulare bonum: unde etiam eidem renunciare poteſt, ut conſtat ex *capit. Ad Apoſtolicam de Regularibus*, & *l. Si quis in conſcribendo Cod. de Pactis*: quia non decet beneficium invitò concedi, & quivis poteſt cedere jure ſuo, quicumque habet propriæ voluntatis plenum dominium.

Excipe tamen ab hac poteſtate renuntiandi illud privilegium, in quo bonum privilegiati eſt inſeparabiliter connexum cum bono, aut jure alterius. Sic privilegium uxoris, conceſſum ex Senatus Conſulto Vellejano, ut abſque conſenſu mariti fidejuſſio non obliget, eſt connexum cum bono, & jure mariti, atque ideò uxor nequit eidem renuntiare.

10 Privilegium *ad Inſtantiam Partis*, nempe ipſius privilegiati, vel ejus vicem, aut patronum agentis, illud dicitur, quod non conceditur ex alio motivo adæquatè movente, quàm propter inſtantiam, & petitionem partis: quod verò ex alio motivo adæquatè movente conceditur, ita ut concedens hanc intentionem, alioquin merè internam, & incognoſcibilem expreſsè declaret, E.G. per hæc verba, Pontificibus communiter uſitata: *Ex motu proprio*; appellatur privilegium *ex motu proprio*: etiamſi illud motivum adæquatum non ſit etiam motivum totale, id eſt unicè movens, modò ſit tale, ut etiamſi collator privilegii non ſimul moveretur ab inſtantia & petitione privilegiati, tamen idem privilegium conſerret ex vi alterius ſui motivi adæquatè ſufficientis, & moventis: adeòque non repugnat privilegio ex motu proprio, ſi inſtantia privilegiati ſit vel *conditio ſine qua non*, vel etiam motivum partiale.

Hinc in conceſſione privilegii ex motu proprio ple- 11
rumque ſolet etiam exprimi præcedens inſtantia partis, qua expreſſione tamen aliud non indicatur, quàm quòd privilegium ex proprio motu concedatur, ſicut petitum eſt, non quia petitum eſt, vel ſi etiam concedatur, quia petitum eſt, illud tamen adhuc concederetur, vel conceſſum fuiſſet ex vi alterius motivi, adæquatè determinantis, ac impellentis ad hujuſmodi conceſſionem.

Cæterùm plurimùm intereſt, privilegium concedi non ad inſtantiam, ſed motu proprio; quia iſtud poſterius ſupponit majorem liberalitatem concedentis, & ideo latiùs etiam eſt interpretandum: & quia ſupponitur carere vitio ſubreptionis, quo aliàs privilegium redderetur irritum ac nullum, ſicut redditur, quando privilegium confertur abſque intentione abſoluta ab errore, & à falſa ſuppoſitione motivi impellentis ad conferendum: Quippè intentio conferentis privilegium implicitè includit hanc conditionem: *Si verba petentis privilegium veritate nitantur*: vel ſi ratio motiva ad conferendum privilegium verè ſubſiſtat. Hinc deficiente conditione, quæ per errorem ſupponebatur, hoc ipſo deficeret intentio, etiamſi in conceſſione privilegii adderentur verba: *Ex motu proprio*: quia hæc non reddunt intentionem abſolutam ab errore. Unde quando in ipſa conceſſione privilegii exprimitur aliqua ratio falſa, qua deficiente non fuiſſet datum privilegium, irrita eſt conceſſio, ex defectu intentionis, non tranſeuntis in abſolutam.

Privilegium ad inſtar illud dicitur, quo eadem prorſus 12
gratia, favor, beneficium, & Jus conceditur, quod per aliud privilegium alteri concedebatur, ſive ille alter ipſum acceptaverit, ſive non. Ad inſtar enim idem eſt, ac ad ſimilitudinem, & formam alterius, quam nimirum alterum privilegium habet, quando privilegium *ad inſtar* conceditur: qua tamen poſtea mutata, ſive aucta, ſive imminuta, ſive renuntiata, ſive revocata, non hoc ipſo idem contingit privilegio *ad inſtar* conceſſo: quia iſtud non dependet pro reliquo tempore à ſuo Prototypo, utpotè ſolummodò declarante mentem, quid nimirum, & quantum, collator privilegii *ad inſtar*, dum iſtud confert, concedat.

Privilegium per communicationem, quatenus eſt diver- 13
ſum à mera extenſione immediata, vel mediata ejuſdem privilegii in plures perſonas, illud vocatur, quo ejuſdem privilegii participatio, quod uni jam conceſſum, vel deinceps concedendum eſt, conceditur etiam alteri. Quod licèt Palao *tr. 3. diſp. 4. pu. 2. §. 9.* & ex illo Haunoldus *tom. 1. de Juſtitia tractatu 1. proœmiali num. 176.* exiſtiment ipſa re non differre à privilegio *ad inſtar*, videtur tamen per hoc realiter differre, quia privilegium *ad inſtar* conceditur immediatè, directè, & principaliter, ita ut privilegium alteri priùs conceſſum tantùm ſit forma, & menſura privilegii *ad inſtar*: privilegium autem *per communicationem* non ita conceditur immediatè, directè, ac principaliter, ſed tantùm permittitur illius participatio, ita ut revocato privilegio participando, hoc ipſo cenſeatur revocatum privilegium *per communicationem*, quod non contingit privilegio *ad inſtar*.

Dixi autem, communicationem eſſe diverſam à per- 14
ſonali extenſione privilegii, quatenus ſcilicet privilegium communitati conceſſum reſtringitur, vel extenditur quoad perſonas, prout imminuuntur, vel augentur perſonæ ejuſdem communitatis, vel quæ ſecundariò ac minùs principaliter ad illam communitatem pertinent: uti ad communitatem virorum Religioſorum pertinent etiam Moniales ejuſdem Ordinis, & Novitii ad Profeſſos, per quos quaſi mediatè privilegia etiam ad Moniales, & ad Novitios extendun-

duntur : unde extenſio non eſt nova ſpecies privilegii , ſicut eſt , quod *per communicationem* confertur.

15 Iſtud etiam circa privilegium *per communicationem* advertendum eſt , quòd quando religioſæ familiæ hujuſmodi privilegium conceſſum eſt, quo omnium aliorum ordinum privilegia ipſi communicantur, hæc ipſa privilegiorum communicatio , ſive participatio intelligenda ſit de privilegiis, illius religioſæ familiæ proprio inſtituto non adverſantibus, neque per ſpecialem clauſulam exceptis, qua reſtringente priùs alteri Ordini velut ſoli concedebantur. Hæc enim exceptio limitat communicationem aliàs univerſaliter conceſſam, vel etiam deinceps concedendam, niſi in ipſa conceſſione ſequente prædictæ exceptioni expreſsè derogetur.

16 Hinc quia privilegium habendi propria Bona, teſtandi, &c. perſonis Ordinis Militaris conceſſum , adverſatur Ordinibus , ſtrictiorem paupertatem profitentibus, hoc ipſo illud ſub univerſali communicatione omnium privilegiorum non comprehenditur: & quia modo gubernandi aliorum Religioſorum Ordinum non convenit tam ſtricta dependentia à ſupremo ſuo capite , vi cujus ex ſpeciali conceſſione Gregorii Decimitertii in bulla. *Ad futurum* edita anno 1575. nulli in Societate noſtra uti permiſſum eſt ullo privilegio, Societati proprio, vel communicato, ſine conſenſu Patris Generalis , idcirco hoc privilegium ſpecialiter cedens in bonum totius noſtri Ordinis, & modi gubernandi, aliis Religionibus non eſt commune, quamvis genearli communicatione noſtrorum privilegiorum gaudeant . Sub hac generali communicatione privilegiorum noſtrorum aliis Ordinibus conceſſa, non videtur etiam contineri privilegium Indulgentiarum noſtrarum menſtruarum : quia hoc non eſt privilegium Ordinis noſtri, ſed eſt privilegium affixum certis templis, in quibus noſtri rem divinam peragunt: & nec noſtris templis omnibus commune eſt, quando in eodem loco plura domicilia, & templa habemus ; neque eſt perpetuum, ſed tantùm conceditur certis templis, ad tempus definitum, quo elapſo, de novo petendum eſt. Viciſſim ob eandem cauſam etiam noſtra Societas ex vi generalis communicationis privilegiorum aliorum Ordinum non poteſt in ſuis templis participare indulgentias, templis Ordinis Sancti Franciſci in feſto Portiunculæ unicè affixas: Sunt quippè prædicta privilegia utriuſque generis indulgentiarum non tam conceſſa Religioſis Ordinibus, quàm omnibus Chriſti Fidelibus, & pro his Religioſorum templis ſunt annexæ, ad eadem honoranda, ac frequentanda, id ipſum procurantibus Religioſis Ordinibus.

17 Privilegium *per Ratificationem* , vel *Confirmationem* prioris privilegii, eſt ejuſdem privilegii verè ac validè conceſſi nova approbatio, ſive nova in idem conſenſio , quæ ſi fiat per formam communem , nihil aliud operatur, quàm quòd promittatur ſpecialis protectio, & aſſiſtentia ad tuendum uſum conceſſi privilegii . Si autem non fiat in forma communi, ſed ſi addantur verba, quæ formaliter, vel æquivalenter ſignificant, Principem de qualitate , & circumſtantiis privilegii habere certam ſcientiam, hujuſmodi confirmatio privilegii eſt nova, ſive iterata conceſſio ejuſdem privilegii , ita ut ſi privilegium in principio validè conceſſum per non uſum, vel per renuntiationem, vel per revocationem, vel per alias circumſtantias ſupervenientes interiiſſet, ipſum iterum reconvaleſceret, & omnis Juris amiſſi defectus ſupplerentur, modò privilegium non ſit priùs à Concilio aliquo Generali revocatum. Niſi enim huic revocationi Pontifex expreſſis verbis, illius mentionem facientibus, deroget, & privilegium de novo concedat , non præſumitur velle Legi , à Concilio ſtabilitæ derogare per confirmationem privilegiorum generaliter factam: quod enim multorum conſenſu ſtabilitum eſt, majori authoritate eſt firmatum, ac proinde majori, ac ſpeciali ratione indiget. Ita ex Suarez, *lib.8. de Legibus c.19.n.5.* Rodriquez, *to.1. Reg. quaſt. q.8. a.10.* in medio, & aliis teſtatur Palao hic *punct.2.§.16. n.4.*

18 Unde ex generali confirmatione omnium antè conceſſorum privilegiorum ſemper eſt excipiendum , quodlibet privilegium à Concilio Generali revocatum.

Propter hanc neceſſariam exceptionem inter propoſitiones ab Alexandro VII. prohibitas trigeſima ſexta eſt hęc. *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti ſuis privilegiis , quæ ſunt expreſsè revocata per Tridentinum* . Etiamſi enim Paulus Quintus per ſpecialem bullam editam anno 1606 die quarta Septembris ex motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Authoritatis Apoſtolicæ plenitudine ſupplens omnes, & quoſcumque Juris aut Facti defectus, Societati noſtræ. & per conſequens omnibus illis Religioſis Ordinibus , qui noſtra privilegia participant, confirmaverit omnia privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias; & indulta, ipſi Societati principaliter, vel per communicationem conceſſa à Pauli Anteceſſoribus, adhuc tamen excipiuntur privilegia à Tridentino revocata, ſive fuerint ſcripta , ſive non ſcripta, ſed tantùm vivæ vocis oraculo conceſſa, quæ nonnulli per errorem putant eſſe reddita bullata, & ſcripta per prædictam bullatam confirmationem generalem omnium privilegiorum , eò quòd non ſit facta modo communi , ſed ſint expreſsè additæ omnes illæ clauſulæ, ſeu formulæ , quæ etiam ſeorſim ſumptæ ſignificant confirmationem modo ſpeciali , quando nimirum in bulla ita ſcripſit Pontifex: *Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione, Apoſtolica authoritate, approbamus , & confirmamus, &c. Ac omnes , & quaſcumque, tam juris , quàm facti defectus , ſi qui fortè quomodolibet intervenerint , in iiſdem ſupplemus* : quæ poſtrema verba tantùm majoris claritatis gratia ſunt addita, eò quòd ſignificent expreſsè illum effectum, quem confirmatio ex certa ſcientia operatur , nempè ſuppletionem omnium defectuum ſupervenientium primæ, ac validæ conceſſioni , modò ipſe accipiens privilegium confirmatorium ſit capax illius recipiendi. Nam capacitatem, & habilitatem ſupponit, & non ſupplet: ideò Pontifices in collatione privilegiorum ſolent priùs removere inhabilitatem, ſi qua per Eccleſiaſticas cenſuras, fuiſſet contracta, dum ſaltem in ordine ad hunc effectum incapacitatis recipientem privilegium priùs abſolvunt ab omnibus cenſuris.

Dixi ſupra, confirmationem in forma ſpeciali debere, vel formaliter, vel æquivalenter , continere prædictas verborum formulas, tunc autem continet *æquivalenter*, quando illarum loco in confirmatione nova inſeritur, & repetitur tenor ipſius privilegii confirmandi : ut colligit Palao, *punct.2.§.10. num.5.* ex capitulo *Venerabiles de Confirmatione utili , vel inutili*: Hæc enim repetitio, vel ſupponit certam ſcientiam de valore confirmandi privilegii, vel efficit illud ; ne inutilis ac fruſtranea ſit, quemadmodum verba expreſsè affirmantia prædictam ſcientiam, veritatem valoris vel ſignificant, vel efficiunt. 19

ARTICULUS III.

De Conditionibus ad Privilegiorum valorem requiſitis.

SUMMARIUM.

20 *Eadem eſt poteſtas concedendi privilegium , & ferendi legem.*

21 *Ad privilegium propriè dictum ordinariè requiritur acceptatio.*

22 *Sufficit acceptatio implicita: & per alium.*

23 *Ad privilegium aliquando, ſed non ordinariè eſt neceſſaria ſcriptura , eaque potiùs ad probationem privilegii deſervit.*

24 *Quando requiritur acceptatio, tunc etiam requiritur manifeſtatio privilegii, publica vel privata.*

25 *Ordinariè requiritur ad Privilegium rationabilis cauſa.*

PRima conditio eſt poteſtas legitima conferendi privilegium circa materiam ſibi ſubiectam : hanc autem per ſe, & principaliter habet omnis, & ſolus, qui poteſt ferre legem, ut docent communiter Doctores. Ratio eſt, quia privilegium, vel tribuit exemptionem à Lege aut onere communi, quo communitas gravatur, vel tribuit favorem, quo quis præ aliis in eadem communitate gaudet, & alii obligantur ad non impediendum privilegii uſum circa materiam, de qua privilegium dans po- 20

teſt diſponere, quæ proinde eſt illi ſubjecta, ac in poteſtate ejus conſtituta: unde etiam privilegium definitur, quòd ſit lex privata conferens beneficium, & licèt ſit impropriè dicta lex, quia in aliis quibuſdam conditionibus deficit à propria ratione Legis, vocatur tamen lex, eò quòd ſupponat poteſtatem legiſlativam deobligandi à jure communi, vel obligandi ſubjectam communitatem ad non impediendum privilegii uſum; hinc non eſt univerſaliter neceſſarium, ut etiam ipſe accipiens privilegium ſit ſubditus: iſte enim non obligatur ad accipiendum vel uſurpandum privilegium

21 Secunda conditio, ordinariè ſaltem ex intentione privilegiantis requiſita, eſt Acceptatio privilegii explicita, vel implicita, per ſe, vel per alium, maximè quando ipſum privilegium non eſt mera aliqua immunitas à Lege, vel ab obligatione, ceſſante per ſolam voluntatem non ampliùs obligandi. Cùm enim obtinens privilegium acquirat aliquod jus, jus autem præcipuè poſitivum, quo quis alterum ſibi obligat, & non præcisè immunitatem ab obligatione obtinet, non acquiritur, niſi per acceptationem, ut patet ex donatione, cujus collatio privilegii eſt quaſi quædam ſpecies, hinc ad valorem privilegii in tali caſu eſt neceſſaria acceptatio illius, ſicut per ejus efficacem renuntiationem tollitur privilegium.

22 Dixi autem, ſufficere acceptationem implicitam, & per alium, ut patet ex privilegio Fori ſæcularis, cujus implicita, & valida acceptatio eſt ipſa receptio Status Clericalis, etiamſi aliquis explicitè illi privilegio renuntiaret; hæc enim renuntiatio eſſet inefficax. Patet etiam ex privilegiis pupillorum, quæ acceptantur per tutores, & curatores; imò per ipſam rempublicam, antequam tutor vel curator conſtituatur. Implicita, ſive potiùs virtualis, aut conditionata acceptatio etiam eſt ipſa petitio privilegii, quæ mox per illius conceſſionem tranſit in abſolutam; hinc ſi quis petita, ac conceſſa diſpenſatione impedimenti dirimentis matrimonium, illud interea (illicitè quidem) contraxiſſet, dum nuntius privilegii eſſet in via, ex præſumptione impetratæ diſpenſationis, validum eſſet matrimonium.

23 Tertia conditio aliquando eſt ſcriptura: ſed hæc plerumque non eſt neceſſaria, niſi ad probandum privilegium in foro externo in defectu teſtium. Probatur prima pars exemplis. Primò. Privilegium beneficii Eccleſiaſtici, non ab Ordinario Diœceſano, ſed à Sede Apoſtolica collati, vel confirmati, vel uniti, non valet ſine ſcriptura, ut patet ex conſtitutione Pauli III. quæ incipit: *Cum nobis*, & Julii II. quæ incipit: *Romani Pontificis*. Secundò. Facultas non reſidendi in loco beneficii, curam animarum habentis, ut valida ſit ultra cauſam exigit conſenſum Ordinarii in ſcriptis, juxta Trident. *Seſſ.* 23. *cap.* 1. *de Reformat.* Tertiò. Facultas ingrediendi monaſterium monialium non valet, niſi ſcripto conceſſa ab Epiſcopo, vel Superiore. Ita rurſus Tridentinum *Seſſ.* 25. *cap.* 5. *de Regular.* Præter hæc exempla poſſent alia quæpiam aſſignari: ſed non vacat his immorari.

Probatur itaque ſecunda pars, quòd per ſe loquendo non ſit neceſſaria ſcriptura, ut communiter Doctores fatentur. Privilegium enim ſuam vim habet à voluntate Principis, & à modo, quo ipſe privilegium vult concedere, ac manifeſtare: ergo ſi velit illud ſine ſcriptura concedere, & manifeſtare, validum eſt privilegium.

Quarta Conditio eſt publica, vel privata manifeſta-
24 tio privilegii; ſaltem neceſſaria tunc, quando ipſius privilegii acceptatio requiritur. Ratio eſt, quia privilegium, vel conceditur per formam Legis præcipientis, & tunc, ut habeat vim obligandi ſubditos, debet illis manifeſtari: vel conceditur per formam cujuſdam privati indulti, quod indigeat acceptatione, & tunc debet ſaltem privatim ipſi privilegiato, vel ejus vicem agenti manifeſtari, aliàs non poteſt illud acceptari: quia tamen poteſt conferri privilegium, quo abſolutè diſpenſatur in Lege præcipiente, vel irritante, & quia ad hanc diſpenſationem ſufficit, quòd Diſpenſans, vel Legiſlator abſolutè nolit ampliùs obligare ſubditum ſua Lege, ſicut ad remiſſionem debiti ſufficit, quòd Creditor abſolutè nolit ampliùs obligare ſuum debitorem; ſive acceptetur remiſſio Legis, vel debiti, ſive non acceptetur ideo dixi, manifeſtationem privilegii eſſe neceſſariam, quando ipſa acceptatio eſt neceſſaria. Ne verò ex erronea conſcientia, ſive ex ignorantia quis peccet, non ſervando legem, vel non ſolvendo debitum: ideo tali quidem eſt neceſſaria manifeſtatio, verùm non ad valorem, ſed ad licitum uſum remiſſæ obligationis.

Quinta Conditio, ſaltem ordinariè neceſſaria, eſt 25
rationabilis cauſa, ob quam conceditur privilegium: licèt enim Legiſlator, vel Princeps ſæpè validè poſſet concedere privilegium ſine tali rationabili cauſa, plerumque tamen cenſendus eſt concedere ſub conditione rationabilis cauſæ, veræ vel probabilis, abſque dolo, & fraude accipientis privilegium. Unde ſuprà de privilegio ad inſtantiam, & ex motu proprio, monuimus, neutrum valere, ſi de ſurreptione, aut falſitate motivi certò conſtet. Ratio eſt: quia privilegium vel conceditur per formam Legis communis, vel per formam privati indulti, eximentis ab obligatione Legis, vel oneris, aut conferentis ſpeciale beneficium, cum vel ſine præjudicio tertii, aut altioris Superioris. In omnibus hiſce caſibus ordinariè requiritur rationabilis cauſa: ſine hac enim neque valet lex communis, neque exemptio à Lege aut obligatione, per altiorem Superiorem ſtabilita, ut de Diſpenſatione Epiſcopali in Lege univerſalis Eccleſiæ; & de Diſpenſatione Pontificia in Lege naturali, vel Divina diximus.

Neque valet collatio beneficii, aut gratiæ cedens in præjudicium tertii, aut altioris Superioris: quia talis collatio vel per ſe eſſet invalida, ut ſi Pontifex concederet privilegium Indulgentiarum ex theſauro meritorum Chriſti & Sanctorum, vel ad minimum eſſet illicita ſine rationabili cauſa: non eſt autem præſumendum, Superiorem abſolutè conferre velle privilegium modo illicito. Ob eandem rationem, quia etiam diſpenſatio in propria Lege ſine rationabili cauſa eſt illicita, ſicut & collatio beneficii (licèt nemini noxii, quale eſſet poteſtas eligendi ſibi in confeſſarium qualemcunque ſacerdotem) facta à Superiore, qua tali, & abutente ſua juriſdictione ad inæqualem acceptationem perſonarum, utrumque privilegium ſupponendum eſt vel eſſe invalidum, vel conceſſum ex rationabili cauſa, hoc piſo, quòd non conſtet de hujus defectu.

ARTICULUS IV.

De Vſu Privilegii.

SUMMARIUM.

26 *Privilegio perſonali licet uti etiam extra territorium concedentis, modo non adverſetur ſpeciali Legi illius loci, in quo tunc verſaris.*

27 *Privilegio potes uti, non tantùm adversùs gaudentem ſimili privilegio, ſed etiam contrario, ſi hoc non ſpecialiter deroget tuo privilegio.*

28 *Privilegium unius non derogat priori alterius, niſi contineat clauſulam derogatoriam.*

JAm ſupra in definitione dictum eſt, nemini ex con- 26
ceſſione privilegii imponi immediatè & directè obligationem, illo utendi, ut communiter fatentur Doctores propter *c. Si de terra, de Privilegiis, & propter Regulam juris ſexageſimam primam in ſexto.*

Dubitatur verò, quomodo ſaltem poſſit eo uti, ſi velit. Primò. Utrùm poſſit uti extra territorium concedentis privilegium. Secundò. An poſſit uti adversùs eum, qui ſimile, vel oppoſitum habet privilegium. Reſpondeo ad primum. Quando neque ex verbis, neque ex fine intento, neque ex ſubjecta materia colligitur, privilegium ab ipſo concedente ad determinatum locum eſſe reſtrictum, potes uti privilegio perſonali etiam extra territorium concedentis, modò illius uſus non adverſetur tali Legi ſpeciali illius loci, in quo tantiſper verſaris, ex cujus tranſgreſſione illi loco,

vel

vel communitati oriretur aliquod damnum. Deducitur hæc reſponſio, teſte Palao, *punct.6.num.6.* ex dictis de obligatione Legis verſantium extra proprium domicilium, ac territorium. Unde ſic probatur. Uſus privilegii perſonalis, conceſſus indefinitè quoad locum extra territorium concedentis, neque reſtringitur ex defectu juriſdictionis, ſicut tamen reſtringitur obligatio Legis localis; quia lex, non autem privilegium, dependet à juriſdictione, quæ poſſit exerceri judicialiter ſeu cum ſolemnitatibus ad formam judicii requiſitis, neque reſtringitur à Lege communi diverſis territoriis, uti ſupremo Legislatori ſubjectis: quia hoc ipſo, quòd privilegium non ſit locale, quale eſt, quando lex communis in aliquo ſpeciali loco, vel communitate non eſt recepta, vel abrogata, vel remiſſa; ſed ſit perſonale, quo ipſa perſona ex conſenſu ſupremi Legislatoris à Superiore ſubordinato eximitur, privilegiatus non impeditur à Lege communi: Lege autem ſpeciali ipſius loci, in quo quis verſatur tranſeunter, ſecundùm ſuperiùs dicta non tenetur, niſi ex ejus tranſgreſſione oriretur illi loco ſeu communitati aliquod damnum; ergo poteſt privilegiatus etiam hic uti ſuo privilegio.

27 Ad Secundum Reſpondeo iterum ex communi ſenſu Doctorum. Privilegiatus non tantùm poteſt uti ſuo privilegio adversùs alterum, ſimili privilegio, ſed etiam generaliter oppoſito privilegio gaudentem, niſi per hoc poſterius ſpecialiter, & expreſsè ſit illi derogatum. E. G. qui habet privilegium exemptionis à ſolvendis decimis, non tantùm poteſt alteri non ſolvere Decimas, qui ſimiliter eſt privilegiatus à ſolvendis Decimis, ſed etiam, qui eſt privilegiatus univerſaliter, exigere Decimas ob omnibus degentibus in ſuo territorio, modò in hujus privilegio non expreſsè contineatur clauſula derogans privilegio non ſolvendi decimas.

Ratio eſt, quia ſimile privilegium non derogat alteri ſimili, ut per ſe manifeſtum eſt: nec generale privilegium derogat ſpeciali, ſicut univerſalis lex non derogat ſpeciali exemptioni, ut colligitur ex regula 34. *de Reg. juris in 6.* ubi potiùs habetur contrarium, dum dicitur: *Generi per ſpeciem derogatur*. Quia ſicut lex univerſalis eſt virtualiter conditionata, obligans omnes ſubditos niſi quiſpiam ſit ſpecialiter exemptus, ita privilegium univerſale eſt virtualiter conditionatum, e.g. generaliter tribuens Jus exigendi decimas ab omnibus incolis loci, niſi quiſpiam ſit ſpecialiter exemptus, ac privilegiatus, & ſic privilegium univerſale eſt tantùm apparenter oppoſitum privilegio exemptionis ſpecialis: per clauſulam autem expreſsè derogatoriam privilegii ſpecialis, redderetur illud generale formaliter, & verè oppoſitum, & tunc adversùs iſtud utique nihil valeret privilegium exemptionis.

28 Similis clauſula derogatoria requireretur etiam adversùs privilegium antiquius, etiamſi poſterius eſſet ſpecialiter, & verè oppoſitum priori: ut ſi Princeps conceſſiſſet alicui privilegium prohibendi alterum à certa actione, e.g. ne iſte altiùs ſuam domum attollat, & ſibi privilegiato liberam auram, vel lumen altiore ædificio obſtruat; deinde verò, ſi huic concederet privilegium ædificandi altiùs, iſtud poſterius non eſſet revocatorium prioris privilegii, niſi illi insereretur Clauſula prioris expreſsè derogatoria: quia Princeps, niſi expreſsè de hac voluntate conſtet, non cenſetur velle, alteri auferre jus ſuum acquiſitum, ut teſtantur Suarez *libr.8. cap.23. numer.5. & 6.* Rodriqu. *tom.1. Quaſt. Regul. quaſt.9. art.11.* Palao *punct.8. numer.* 2. P. Haunold. *cont.3. num.187.*

ARTICULUS V.

De Interpretatione Privilegii.

SUMMARIUM.

29 *In privilegii conceſſione mens concedentis potiùs, quàm verba ſpectari debent.*
30 *Prima Regula interpretandi Privilegium.*
31 *Secunda Regula.*
32 *Tertia Regula.*
33 *Quarta Regula.*
34 *Quinta Regula.*
35 *Sexta Regula.*
36 *Sub expreſſione certarum perſonarum privilegiatarum implicitè, & virtualiter poſſunt contineri aliæ non expreſſæ.*
37 *Similiter ſub expreſſione certorum caſuum, circa quos datur privilegium, poſſunt contineri alii, non expreſſi.*

INterpretatio privilegiorum neceſſaria tantùm eſt, 29
quando vel verba Principis ſunt obſcura, vel non ſatis expreſſiva intentionis, & voluntatis illius; unde ſi de hac aliunde ex manifeſtis conjecturis conſtet, hæc potiùs, quàm verba reſpici debent: ideò *cap. In his de Verborum ſignificatione* expreſsè dicitur: *Non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubjectum, & non intentio verbis, ſed verba debent intentioni ſervire*. Ut autem Interpretatio rectè inſtituatur, hæ regulæ obſervandæ ſunt.

Prima Regula. Quando verba ſunt obſcura, & incer- 30
ta, eorum vis ſignificandi colligenda eſt ex petitione privilegii juxta *cap. Inter Dilectos §. Cæterum de Fide instrumentorum*. Vel ex materia ſubjecta, & ex toto contextu privilegii in ſcriptis conceſſi.

Secunda Regula. Verba in proprio ſenſu, quem ex 31
uſu, & ſtylo concedentis habent, ſunt accipienda, niſi in hoc conceſſio redderetur ferè inutilis, ac fruſtranea ad novum aliquod beneficium concedendum; pro quo ſemper accipienda ſunt, niſi manifeſtè conſtet, ſolùm confirmari beneficium antiquum. Ita habetur in *capit. Abbate de Verborum ſignificatione, circa finem*.

Tertia Regula. Privilegium nec juri communi, nec pri- 32
vato officiens, quod proinde merè eſt favorabile, latè eſt explicandum juxta *l. Beneficium ff. de Conſtitutionibus*, & Regulam Juris 15. *Odia reſtringi, favores convenit ampliari.*

Quarta Regula. Privilegium derogans Juri commu- 33
ni (quod quia à Principe ſupponitur, non ignorari, ipſi privilegio non eſt neceſſe inſeri expreſſam clauſulam derogationis, niſi in ipſo Jure ſit expreſſa clauſula derogans privilegio) ordinariè eſt ſtrictè interpretandum: quia continet diſpenſationem; diſpenſationes autem in Lege aliquo modo obſunt bono communi; quod privato, quantum fieri poteſt, eſt anteferendum, ut ex Panormitano, Suarez, Sanchez, Sylveſtro, Bonacina, Salas, & aliis ab his relatis, tradit Palao *punct.* 10. *num.*2.

Dixi, *Ordinariè*. Nam ſi privilegium cedit in bonum religionis, vel piæ cauſæ, eſt latè explicandum. Ratio hujus exceptionis eſt: quia derogatio juris communis in favorem cauſæ piæ, ab hac iterum compenſatur, ut indicat *leg. Sunt perſonæ Digeſt. de Religioſis, & ſumptibus funerum*: ubi habetur: *Propter publicam utilitatem ſtrictam intentionem inſuper habemus, quæ non numquam in ambiguis religionum quæſtionibus omitti ſolet, nam ſummam eſſe rationem, quæ pro religione facit*.

Excipitur etiam à prædicta regula privilegium conceſſum ex motu proprio, & ex certa ſcientia: hoc enim, ut arguitur ex *capit. Si motu proprio de Præbendis in 6.* latè quantumvis contra Jus commune interpretandum eſt; quia provenit ex ſpeciali liberalitate Principis, quam decet latè explicari, *cap. Olim de Verborum ſignificatione*.

Præterea excipiuntur privilegia Juri communi inſerta, vel in perpetuum conceſſa Religioſis Familiis; quæ propter ſuam perpetuitatem Juri communi inſertis æquivalent, & quaſi in idem tranſeunt: quibus inſuper patrocinatur prima exceptio; nempè favor Religionis. Specialis autem hujus exceptionis ratio eſt: quia quod ſit unum cum Jure communi, non ampliùs cenſetur eidem opponi: uti etiam interpretatio, quæ eſt conformis ſtylo, & ſignificationi verborum, recepta Jure communi, à nimia laxitate, & latitudine verborum abſolvitur. Hinc quia in *cap. final. de Conſanguinitate*, gradus conſanguinitatis deſumitur ab eo, qui à communi ſtipite eſt remotior, privilegium diſpenſationis in tertio gradu rectè explicatur etiam pro

illis ſponſis, quorum alteruter tantùm diſtat duobus gradibus à communi ſtipite: niſi huic explicationi obſtat conſuetudo ſpecialis contraria, ut excipitur in *cap. Quod dilectio*, *proximè citato titul.*

34 Quinta Regula. Si privilegium adverſatur Juri privato alterius, vel ſtatuto, vel conſuetudini ſpeciali, non contra, ſed præter Jus commune ſe habenti, regulariter, & quantum ſalva conceſſione fieri poteſt, eſt ſtrictè explicandum, ut de ſtatuto, & conſuetudine ſpeciali indicatur in citato *cap. Quod dilectio*, item in *cap. Paſtoralis, de Privilegiis*, & colligitur ex regula præcedenti, quia Jus municipale, ſive locale, in proprio territorio habet ſe inſtar Juris communis. Ratio autem univerſalis hujus Regulæ eſt: quia privilegium, quatenus derogat Juri oppoſito eſt odioſum: odioſa autem conceſſio, niſi de ejus intentione conſtet, non eſt præſumenda de clementia Principis.

35 Sexta Regula communiſſimè recepta eſt: Privilegium nunquam eſt extendendum ad alias perſonas, vel ad alios caſus, quàm quæ perſonæ, vel qui caſus per verba concedentis privilegium formaliter, vel virtualiter ſignificantur, etiamſi ratio concedendi æqualiter, vel etiam magis pugnaret pro aliis perſonis, & caſibus: Hinc eſt tritum illud: *Privilegium tantum valet, quantum verba ſonant*. Ratio eſt, quia privilegium totam vim ſuam habet ab intentione concedentis, ideo nec ultrà progreditur: intentio autem innoteſcit per verba illam ſignificantia, & non per rationem, à qua privilegians movetur, vel à qua ſe moveri quandoque in conceſſione privilegii teſtatur: hæc enim ad ſummum probat, aliam perſonam fore æquè, vel magis dignam eodem privilegio, vel alium caſum æquè rationabiliter conceſſum iri, ſi intentio privilegiantis ad aliam perſonam, vel caſum extenderetur: imò fortaſſis etiam extendendum fuiſſet, ſi hujuſmodi extenſio fuiſſet petita, vel alio modo menti occurriſſet, uti de facto conferentes privilegia ob paritatem rationis, eadem ſæpè ad diverſas perſonas, vel ad ſimiles caſus extendunt, & ab eadem ratione ſe moveri aſſerunt.

Neque tamen propter hujuſmodi intentionem, ac extenſionem, conditionatè ponendam, licet alicui, propria authoritate actualem extenſionem, aut in illam conſenſum præſumere: quia hujuſmodi licentia eſſet pernicioſiſſima omni Reipublicæ propter nimium abuſum, & continuam multiplicemque legum, ac variarum obligationum transgreſſionem, ſæpè ex imaginaria tantùm rationis paritate, & falsa ſuppoſitione oriuntur. Imò quia ipſa extenſio privilegiorum in multas perſonas, & caſus, ſtante eadem ratione, eſſet noxia communitati, cui expedit privilegia pauca, & paucis concedi, privata illorum extenſio, ac præſumptio, non debet eſſe licita.

36 Ut autem hæc Regula meliùs intelligatur, ſciendum eſt, aliqua verba formaliter, & ex primaria inſtitutione ſignificantia certas perſonas, virtualiter etiam, & implicitè alias perſonas ex recepta, & conſueta illorum uſurpatione, vel Juris diſpoſitione ſignificare, & ſimiliter certos caſus, per verba expreſſos, implicitè continere, vel trahere ſecum etiam alios caſus, qui hoc ipſo implicitè etiam ſignificantur cum caſibus, per verba expreſſis.

Exempla verborum virtualiter ſignificantium alias perſonas, ſunt: *Filius*, *Religioſus*, *Frater*, quæ voces etiam, in Iure, non tam ad ſexum maſculinum, quàm ad Religioſæ vitæ profeſſionem, vel ad proximam ſanguinis ex eodem parente conjunctionem denotandam uſurpantur. Ideò privilegia conceſſa viris Religioſis virtualiter ſignificant, & comprehendunt etiam Fœminas Religioſas, quando ſexus maſculinus per alias voces non determinantur, & quando fœminæ illorum privilegiorum ſunt capaces. Similiter ſub privilegiis, quæ filiis vel fratribus conceduntur, intelliguntur etiam filiæ & ſorores. Quia *in l. Juſta. l. Filii l. Cognoſcere ff. de Verborum ſignificatione* per Filios etiam denotantur Filiæ Imò in *l. Juſta* ſub Filiis etiam deſignantur Nepotes: ſed quia hoc rariùs contingit, mens conferentis privilegium ex aliis adhuc indiciis colligenda eſt, teſte Palao, & aliis, quos citat; quamvis Haunoldus *num.* 205. etiam abſolutè dicat, ſub nomine Filiorum in privilegiis venire quoque Nepotes, & ſub nomine mariti etiam uxorem, in iis privilegiis, quorum uxor eſt capax: quam doctrinam de illis privilegiis intelligendam cenſeo, quæ fundantur in mutua connexione ſive relatione vinculi conjugalis: unde ipſe Haunoldus ait, quòd privilegia maritis conceſſa cenſeantur conceſſa uxoribus, ſi materia privilegii id exigat. Sic privilegium faciendi divortii, quoad thorum, conceſſum marito in *cap. Significaſti de Divortiis* propter adulterium uxoris, competit etiam uxori, quando maritus uxori innocenti fidem frangit. In aliis autem privilegiis fit communicatio, vel extenſio, ſpeciali Juris diſpoſitione: ſic privilegium nobilitatis conceſſum marito extenditur etiam ad uxorem, & liberos, *l. Fœmina, ff. de Senatoribus, & l. 1. C. de Dignitatibus*.

Exempla Caſuum, implicitè, & virtualiter expreſſorum in conceſſione privilegii ſunt ea, quæ cum beneficio explicitè conceſſo ſunt connexa, vel ut media, ad convenientem privilegii uſum, vel ut ſpecies cum ſuo genere, vel ut pars cum toto, vel ut acceſſorium cum principali per conſuetudinem aut Juris diſpoſitionem: ſic quando tempore interdicti conceditur alicui Sacerdoti privilegium faciendi Sacrum in loco interdicto, vel viro nobili illud audiendi, eodem privilegio comprehenduntur miniſter Sacri, & famuli Nobilem comitantes: quia non decet, ut ſacrum fiat ſine Miniſtro, vel ut Nobilis deſtituatur debito comitatu. Propter prædictam connexionem, fundatam in conſuetudine, vel Juris diſpoſitione, per privilegium veſcendi lacticiniis in Quadrageſima implicitè, & virtualiter ſignificantur etiam ova: in privilegio Epiſcoporum faciendi teſtamentum, ſignificantur etiam codicilli, & donatio mortis cauſa: in privilegio diſpenſandi vota, ſignificatur etiam poteſtas commutandi, & tollendi etiam Juramenrum, quo frequenter ſunt confirmata. In Privilegio, quo quis redditur filius legitimus in ordine ad actiones, & jura ſpiritualia, ſignificatur etiam legitimatio ad temporalia *juxta capitul. Venerabile: Qui filii ſint legitimi*. 37

ARTICULUS VI.

De Ceſſatione privilegii per defectum cauſæ finalis.

SUMMARIUM.

38 *Privilegium pro tempore definito, vel ſub certæ conditionis perſeverantia conceſſum, ceſſat cum tempore, & cum conditione.*

39 *Fine principali privilegii ante ejus completam exiſtentiam deficiente, deficit privilegium.*

40 *Unde quando finis vel non eſt obtinibilis, quando privilegium conceditur, vel quando conceſſionis demandata executio ponitur, non valet privilegium.*

41 *Quando poſt completam collationem privilegii ceſſat finis, non proinde ceſſat privilegium.*

42 *Unde differt privilegium à Lege propriè dicta, quod hæc ceſſet ceſſante fine principali adæquato.*

43 *Declaratur præcedens doctrina exemplis.*

44 *Privilegium conceſſum ad uſum ſucceſſivum, propter finem ſucceſſivum, ceſſat ceſſante fine.*

VAriis modis poteſt privilegium conceſſum ceſſare ac amitti; quia enim ejus exiſtentia, & perſeverantia potiſſimùm dependet à voluntate concedentis privilegium, & quia is poteſt illud tantùm ad certum ac determinatum tempus concedere, vel tantùm ſub conditione, ad privilegii exiſtentiam, aut etiam ad ejus perſeverantiam requiſita, hinc certum eſt, privilegium ſeipſo ceſſare elapſo tempore præfinito, vel deficiente conditione, ad illius exiſtentiam aut perſeverantiam requiſita. Alios modos amittendi privilegium, qui majori indigent declaratione, in ſequentibus articulis exponemus. Primus ſit, quem in titulo præfiximus. 38

Dico primò. Si conceſſio privilegii tantùm poſita eſt inchoativè, & quoad valorem ſuum nondum eſt completa, ac abſoluta, privilegium ceſſat, ſive potiùs impeditur illius completa exiſtentia ac valor, quando tempore conceſſionis non verificatur finis principaliter & adæquatè à 39

tè à concedente intentus. Deducitur hæc concluſio partim ex dictis de diſpenſatione, & de ceſſatione Legis: partim quia vis, & valor privilegii dependet ab intentione, & voluntate Privilegiantis: ergo fruſtrata intentione illius, & deficiente fine, deficit voluntas concedendi privilegium: ſicut nemo vult medium, quando finis per illud non eſt obtinibilis. Confirmatur concluſio etiam ex ſuprà dictis, & ex paritate donationis, qua v.g. pauperi donatur Eleemoſyna, ut ejus miſeria ſublevetur: qui ſi tantùm ſimulaſſet ſe eſſe pauperem, donatio non eſſet valida. Aliud eſt, ſi tantùm cauſa moralis impulſiva falſificaretur; ſi nempè pauperi fuiſſet data eleemoſyna, quia falsò putabatur eſſe probus: cauſæ enim morali non ita eſt affixa voluntas, ſicut cauſæ finali.

40 Unde colligitur, privilegium ceſſare, vel impediri valorem illius, ſi cauſa finalis tempore conceſſionis, & ſimul adhuc illo tempore, quo ipſum à commiſſario, ſive à delegato Principis conferendum ac expediendum eſt, non eſt obtinibilis, ut aliis relatis docent Palao *punct.* 15. *nu.* 2. & Haunoldus *Cont.* 5. §. 1. *numer.* 211. Nam quòd tempore conceſſionis, quo v. g. Pontifex concedit aliquod privilegium, vel beneficium, debeat eſſe obtinibilis finis, ratio eſt, quia Pontifex movetur ad concedendum privilegium ex ſuppoſitione actualis obtinibilitatis, ſive ab actuali obtinibilitate finis; ergo ſi ſuppoſitum eſt falſum, non valet ejus conceſſio.

Confirmatur hæc ratio *ex capitul. Si eo tempore de Reſcriptis in 6.* ubi quia is, cui Pontifex conceſſit beneficium curatum, tempore conceſſionis nondum habuit legitimam ætatem, requiſitam ad tale beneficium, & ad adminiſtrandam curam Animarum, qui erat finis intentus à Pontifice, ipſe Pontifex negat ſuam conceſſionem fuiſſe, vel eſſe validam, licèt ipſe promovendus interea acquiſiverit legitimam ætatem.

Quòd ſi dicas, in poſito caſu non propter defectum finis ſoliùs, ſed potiùs propter defectum actualis habilitatis, & capacitatis, accipiendi beneficium, conceſſionem fuiſſe invalidam, urget tamen adhuc argumentum: quia non magis eſt neceſſaria ad validam conceſſionem privilegii, aut beneficii, actualis capacitas ſubjecti, quàm actualis obtinibilitas finis, principaliter, & adæquatè moventis: ergo ſicut ſine actuali capacitate ſubjecti, non eſt valida, neque eſt valida ſine actuali obtinibilitate finis, etiamſi ſucceſſu temporis utrumque ponatur.

Alterum membrum deducti corollarii, quòd cauſa finalis debeat adhuc verificari, quando commiſſarius, ſive delegatus confert, & exequitur privilegium, quando e. g. Epiſcopus ex mandato, & delegatione Pontificis, jubentis diſpenſare, actualiter diſpenſat in Lege dirimente matrimonium, hac ratione colligitur. Quia Epiſcopus, vel qualiſcumque alius delegatus non tantùm denunciat privilegium diſpenſationis, ſed ipſemet jubetur diſpenſare, ut ſuppono ex litteris, quibus ipſi committitur negotium diſpenſationis. Pontifex enim Romæ concedens privilegium diſpenſationis non conceſſit illud completè, & non contulit idem immediatè, ſed ſolùm voluit, illud conferri immediatè ab Epiſcopo, adeòque conceſſio Pontificis potiùs eſt privilegium, conferens poteſtatem diſpenſandi in Lege dirimente Matrimonium, quàm ipſam diſpenſationem completam, & abſolutam: atqui, ut in concluſione oſtenſum eſt, cauſa finalis debet verificari, quando completa, & abſoluta diſpenſatio ponitur: ergo verum eſt etiam ſecundum membrum deducti corollarii.

Hinc ſi cui ex fornicatione inceſtuoſa cum conſanguinea fuiſſet concepta proles, quæ per ſubſequens matrimonium non legitimaretur, niſi parentes ante ejus nativitatem eſſent per diſpenſationem in impedimento conſanguinitatis habiles redditi ad contrahendum matrimonium, impetrata diſpenſatio nulla, ac irrita eſſet, ſi proles fuiſſet priùs nata, vel mortua, quàm Pontifex conſenſiſſet indiſpenſationem, vel quàm Ordinarius ſive delegatus eam fuiſſet executus: quia finis, ſcilicet legitimatio prolis, per præproperam nativitatem, vel mortem prolis, fuiſſet inobtinibilis, vel utroque, vel ſaltem poſteriori tempore, quo diſpenſatio erat exequenda. Atque ita invalidam declaravit Pontifex *in capitul. Quia circa de Conſanguinitate, & affinitate*: ubi ferè idem caſus refertur. Poſtquam tamen matrimonium parentes inceſtuoſi invalidè contraxerant, ad evitandum grave ſcandalum ex ſeparatione oriturum, conceſſit ibidem Pontifex, ut Epiſcopus loci ob hunc ipſum finem novam diſpenſationem conferret his verbis delegatam: *Diſſimulare poteris* (non relinquendo matrimonium invalidum, ſed per tacitam diſpenſationem reddendo validum) *ut remaneant in copula ſit contracta, cum ex ſeparatione, ſicut aſſeris, grave videas ſcandalum imminere.*

Dico ſecundò. Poſtquam conceſſio privilegii completa, & abſoluta eſt per cauſam finalem, actu & adæquatè verificatam, & non primùm ſucceſſivè verificandam, Privilegium non ceſſat, nec amittit valorem ſuum, etiamſi primùm deinde ceſſet cauſa finalis: quia hæc tantùm ad primam exiſtentiam, non autem ad perſeverantiam Privilegii requiritur. Quod iterum ex intentione, & voluntate concedentis Privilegium clarè evincitur. Ille enim Privilegium conceſſit abſolutè propter cauſam finalem actu verificatam, & non affixit ejus valorem conditioni futuræ, ſi nimirum exiſtentia cauſæ finalis perſeveret in tempus futurum: ergo privilegium in dicto caſu non ceſſat, ceſſante cauſa finali. Confirmatur ex *Regula* 73. *Juris in ſexto*, ubi dicitur. *Factum legitimè retractari non debet, licèt caſus poſteà eveniat, à quo non potuit inchoari.* Ergo, Infero, poſtquam conceſſio privilegii legitimè, & abſolutè facta eſt, nullaque conditio de futuro expreſsè requiſita, non debet illa retractari, & pro nulla haberi, licèt poſteà eveniat ceſſatio cauſæ finalis, à qua, ſi ea in principio, tempore conceſſionis, defeciſſet, conceſſio non potuiſſet inchoari. 41

Ulteriùs confirmatur ex paritate donationis: Privilegium enim abſolutum habet ſe, ſicut donatio abſoluta: ergo ſicut ſi tempore donationis factæ propter ſublevandam actualem inopiam altèrius accipiens eleemoſynam verè erat pauper, donatio non ceſſat, etiamſi paulò poſt ipſe donatarius obtineat pinguem hæreditatem; Ita neque privilegium ceſſat, etiamſi poſt ejus completam, & abſolutam conceſſionem, ceſſet cauſa finalis.

In hoc itaque non eſt paritas inter legem, & privilegium. Lex enim ceſſat ceſſante fine, quia non ampliùs eſt utilis accipientibus legem: at privilegium, ceſſante cauſa finali, à qua Princeps movebatur, manet utile accipienti privilegium: & quamvis etiam lex ſæpè maneat utilis ad alium finem, à Legiſlatore non intentum, quia tamen ipſa eſt oneroſa, & nec aliter lata, nec aliter à ſubditis acceptata, nec ad illam ullum jus in ſubditos translatum fuit, ideò adhuc non eſt paritas Legis cum privilegio, quod accipienti ſemper eſt favorabile, & ab illo acceptatur, non quatenus præciſè ſervit ad finem à privilegiante intentum, cui fini neque à privilegiante affigitur pro ſequenti tempore, ſed iſte tantùm movetur ab eo, ut actu verificato, & propter ejus verificatione transfert verum, & abſolutum jus ad privilegium in ipſum privilegiatum, quod proinde non poteſt illi ampliùs auferri, etiamſi ceſſet cauſa, propter quam conceſſio privilegii integrè, & abſolutè facta eſt. 42

Nunc igitur declaratur concluſio exemplis. Si proles illegitima ex parentibus conſanguineis primùm poſt obtentam à Romano Pontifice, & ab Epiſcopo loci executioni datam diſpenſationem naſcatur, attamen antequam parentes matrimonium contrahant, moriatur, non propterea ceſſat privilegium diſpenſans in Lege, ſtatuente impedimentum dirimens matrimonium, etiamſi ceſſaverit obtinibilitas, & ſpes per matrimonium parentum legitimandi prolem: nam ipſa legitimatio, ut obtinibilis tempore abſolutè conceſſi privilegii erat cauſa finalis, quæ tunc verè dabatur, licèt poſteà per mortem prolis ante matrimonium initum ceſſaverit. 43

Sic etiam, ſi quis propter actuale periculum incontinentiæ impetravit diſpenſationem in voto caſtitatis perpetuæ: vel ſi propter inopiam obtinuit privilegium habendi duo Beneficia Eccleſiaſtica, neutrum privilegium ceſſat, etiamſi poſt prioris abſolutam collationem ceſſaret periculum incontinentiæ, & poſt collationem poſterioris ceſſaret inopia. Immò non placet

mihi modus loquendi illorum Doctorum, qui dicunt, etiamſi non omninò ceſſet privilegium, quando uſuſ privilegii poſteà aliunde redditus eſt inhoneſtus, tamen illud tantisper ſuſpendi. Nam privilegium etiam tunc habet ſuum effectum, ac proinde non ſuſpenditur, ut oſtendo in allatis exemplis. Si enim prædicti conſanguinei parentes poſt impetratam diſpenſationem ad contrahendum matrimonium mortua prole voviſſent cælibatum, & ſi maritus poſt impetratam diſpenſationem voti caſtitatis deinde commiſſo inceſtu cum ſorore, vel nepte uxoris, reddidiſſet ſibi illicitam petitionem debiti conjugalis, & ſi poſt obtentam diſpenſationem habendi duo beneficia aliquis voviſſet, vel juraſſet, alterum dimittere, nemini illorum eſſet licitum uti diſpenſatione; quòd ſi tamen diſpenſatione contra novam ſuam obligationem uterentur, contrahendo matrimonium, petendo debitum conjugale, retinendo utrumque beneficium, peccarent quidem, ſed non eo genere peccati, quod committerent, ſi diſpenſationem non impetraſſent; ergo hæc præſtat adhuc ſuum effectum, & non ſuſpenditur.

44 Dico tertiò. Si privilegium ſit conceſſum ad uſum, ſive ad actionem aliquam diviſibilem, & ſucceſſivam, propter cauſam finalem, ſimiliter diviſibilem ac ſucceſſivam, tunc ceſſante cauſa ceſſat ipſum privilegium: e. g. ſi propter vires ex morbo fractas reparandas concedatur privilegium comedendi carnes in Quadrageſima, vel non recitandi quotidie Officium canonicum, ad quod ratione Beneficii Eccleſiaſtici, vel ſacri Ordinis teneris, poſtquam vires integrè, ac certò ſunt reparatæ, ceſſat privilegium, propter ſucceſſivam reparationem fractarum virium conceſſum, hoc ipſo, quòd iſte finis ceſſet. Ratio eſt, quia quando privilegium tantùm conceditur determinatè ad aliquod tempus, & ſub certa conditione ſucceſſiva, reddente cauſam finalem, & uſum privilegii tantùm conditionatè, ſucceſſivè ac diviſibiliter intentum, tunc elapſo tempore, ac conditione ipſaque cauſa finali deficiente, ceſſat privilegium: ſed hoc fit in poſita concluſione, & in aſſignato exemplo: concedens enim privilegium quaſi dicit: Ergo tamdiu concedo tibi privilegium comedendi carnes, & omittendi officium canonicum, quamdiu vires reparandæ ſunt: ſive concedo tibi dictum privilegium pro quolibet die, ſi pro eo durat neceſſitas ſucceſſiva reparandi vires, & ſi proinde reparatio virium à me intenta fieri poſſit, ac adhuc neceſſaria ſit.

Simili modo explicatur *in cap. Abbate de Verborum ſignificatione, in fine*, privilegium ſucceſſivum ſub cauſa finali ſucceſſiva, ut nempè conſtanter inſiſtatur juri conditionato monaſterii Sancti Bertini, ex quo monaſterium Sancti Sylvani ſemper debuit ſibi Abbatem eligere: ibi ait Pontifex: *Tamdiu monaſterium ipſum hac honoris debeat prærogativa gaudere, donec ibidem viguerit obſervantia Regulars*: Et de hac concluſione, non de priori, intelligenda ſunt Verba *in l. Vranius 71. §. ſed cum duo ff. de Fidejuſſoribus. Quemadmodum incipere non poſſunt, ita nec remaneant. Et leg. 1. ff. de Condictione ſine cauſa. Et l. Nihil intereſt ff. de Nautico fœnore. Paria ſunt à principio non habuiſſe cauſam, vel illam eſſe, deſiiſſe.*

ARTICULUS VII.

De Ceſſatione Privilegii per mortem Privilegiantis.

SVMMARIVM.

45 *Privilegium actualiter jam collatum non ceſſat per mortem Privilegiantis.*

46 *Privilegium per delegatum conferendum non expirat morte delegantis, quando ipſa poteſtas delegata eſt privilegium.*

47 *Quando poteſtas delegata conferendi privilegium ſit ipſa privilegium.*

48 *Quando privilegium, vel gratia determinatæ perſonæ determinatæ, in ejus ſolius bonum facienda, demandata eſt, Jus jam quæſitum ad illam gratiam non extinguitur morte delegantis.*

HÆc ceſſatio privilegii ſolummodò locum habere poteſt, quando privilegium, vel gratia non conceditur immediatè, ſed mediante aliò, ad actualem conceſſionem privilegii alicui faciendam delegato, qui proinde non tantùm denunciat, ſed ex poteſtate delegata immediatè confert privilegium. Nam quando privilegium ſive gratia jam eſt facta, & non primùm facienda, certum eſt *ex cap. Si ſuper gratia de Officio delegati in 6.* ipſum privilegium, ſive gratiam ob mortem concedentis neutiquam ceſſare. 45

Itaque quæſtio tantummodò eſt. An quando à delegato gratia necdum eſt facta, ſed primùm eſt facienda, poſtquam ipſe principalis ſive delegans eſt mortuus, ipſa gratia facienda ceſſet, ſive potiùs ejus factio impediatur, ut à delegato nequeat ampliùs concedi, & executioni dari. Ad quam quæſtionem paucis reſpondeo juxta communem ſenſum Doctorum.

Dico itaque primò, tunc non ceſſare, vel impediri gratiam faciendam, quando ipſa poteſtas delegata eſt aliquod privilegium, & gratia reſpectu ipſius delegati. Ratio eſt, quia ſi hæc poteſtas eſt gratia facta ante mortem delegantis, tunc ſicut aliæ gratiæ factæ non ceſſant per mortem concedentis, & facientis, ita nec hæc gratia facta, nempè poteſtas delegata ceſſat: hac autem non ceſſante, hoc ipſo non ceſſat, nec impeditur gratia facienda per iſtam poteſtatem. 46

Cæterùm, ut colligitur *ex capit. Si cui de Præbendis in 6.* tunc poteſtas delegata eſt gratia, ſive privilegium reſpectu delegati, quando non eſt reſtricta ad executionem determinatæ gratiæ, v. g. ad collationem determinati Beneficii Eccleſiaſtici, vel quando ſaltem non eſt reſtricta ad perſonam ab ipſo delegante determinatam, vel quando ipſa gratia facienda aut poteſtas delegata eſt etiam intenta in bonum, & favorem delegati, & non tantùm in illius, cui gratia eſt facienda: quando enim hujus bonum, ac emolumentum cum poteſtate delegata eſt connexum, vel quando ipſa poteſtas cum dicta amplitudine ad diverſa Beneficia, vel ad diverſas perſonas eſt conceſſa, meritò hæc dicitur habere rationem gratiæ factæ. Si autem nihil horum verificatur, ſed ſi beneficium, & gratia exequenda à delegato in ipſius favorem non eſt intenta, & ſi hæc tam quoad ſe ipſam, quàm quoad perſonam eſt determinata, ita tamen, ut ejus executio non neceſſariò præſtetur illi perſonæ determinatæ, ſed delegato liberum ſit, illam præſtare, vel non præſtare, tunc talis gratia ejuſque exequendæ poteſtas reſpectu delegati non eſt gratia, reſpectu alterius autem, in cujus favorem eſt intenta, & executioni delegati, ejuſque libero arbitrio commiſſa, nondum eſt facta, ſed primùm facienda per ipſum delegatum: ergò cùm neutrius reſpectu ſit gratia facta, hoc ipſo ceſſante, ſive impeditur, ut patet ex citato *capit. Si cui de Præbendis in 6.* in quo omnia, quæ modo dicta ſunt, habentur ſatis clarè expreſſa his verbis: *Si cui nulla perſonarum facta expreſſione ſit gratioſè conceſſa facultas, ut authoritate Apoſtolica poſſit aliquibus perſonis idoneis in certa Eccleſia providere, vel Beneficia, quorum collatio eſt ad Sedem Apoſtolicam devoluta, conferre, contradictores eadem authoritate per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo, hujuſmodi conceſſio (quam, cùm ſpecialem gratiam contineat, decet eſſe manſuram) non expirat, etiam re integra per obitum concedentis, ſecus, ſi ſuper proviſione certa perſona facienda ſit data poteſtas eidem non ob ſuam, ſed ejus, cui provideri mandatur, gratiam vel favorem: illa quidem expirat omnino, ſi concedens re integra moriatur.* 47

Dico ſecundò. Etiamſi poteſtas gratiæ faciendæ non ſit privilegium, vel gratia reſpectu delegati, eò quòd in illius bonum non ſit intenta, & tam quoad rem exequendam, quàm quoad perſonam ſit determinata, ſi tamen etiam delegato non liberum ſit, ſed neceſſarium ex præcepto gratiam demandatam exequi, adhuc talis gratia, & conſequenter etiam poteſtas illam exequendi non expirat per mortem concedentis. Ita Sanchez *lib. 8. diſputat. 28. num. 87.* Nicolaus Garcias *part. 6. de Beneficiis cap. 2. §. 3. à num. 304.* Palao *punct. 16. §. 2. num. 3.* contra Suarez *lib. 8. de leg. capit. 31. num. 13.* Haunold. *Controverſ. 5. num. 232.* qui tamen noſtram concluſionem fatetur eſſe opinionem tutam. 48

Pro-

Probatur primùm ratione : deinde claro textu Juris. Si per mandatum, quo delegatus jubetur exequi privilegii gratiam, alteri determinatè conceſſam, (ſive ipſum reſcriptum concedens ſit ad delegatum, ſive ad privilegiatum immediatè directum, in quo Adverſarii immeritò faciunt diſcrimen) alter acquiſivit jus actuale adverſus delegatum ad exequendum, & conferendum ſibi privilegium, gratiam, ac beneficium, tunc hoc ipſum jus actuale, jam eſt gratia facta, & quia gratia facta ſecundùm ipſos adverſarios non ceſſat, nec impeditur morte delegantis, hoc ipſo manet etiam poteſtas delegati, & obligatio, atque ipſum mandatum exequendi privilegium, etiamſi aliàs ſecluſo tali jure mandatum ceſſet morte mandantis, quando ipſum nondum eſt executioni datum, & ſi res adhuc eſt integra, ſive nondum inchoata executioni dari : ergo ſive ipſum privilegium, aut beneficium vocetur gratia facta propter actualiter collatum, & factum jus ad illud, ſive vocetur gratia facienda, quia nondum eſt executioni datum, nequaquam tamen expirat morte concedentis, quamvis quoad executionem res adhuc ſit integra. Id ipſum nunc probatur claro textu *capit. Si ſuper gratia de Officio delegati in 6.* qui ita habet : *ſi ſuper gratia cuiquam ab Apoſtolica Sede facta executores fuerint deputati, equum eſſe cenſemus, ut ſicut ipſa gratia (licèt nondum ſit in ejus executione proceſſum) morte non perimatur concedentis, ſic nec etiam re integra perimatur executoribus data poteſtas, quam veluti gratiæ prædictæ acceſſoriam, naturam ſequi congruit principalis. Ne gratiam eandem, vel reddi quandoque omnino inutilem, vel ipſius effectum in tempus longius cum diſpendio, cui facta extitit, differri contingat.* Quibus verbis videtur clarè definiri noſtra aſſertio, & gratia, ad quam datur executoribus mandatum, ipſique privilegiato jus actuale, propter hoc bis vocatur gratia facta, & non merè facienda ; ſicuti ſecundùm Adverſarios dicitur gratia facta, quæ facienda eſt ab delegato ex poteſtate in ejus etiam bonum intenta, & per quam ipſe habet jus actuale faciendi gratiam.

ARTICULUS VIII.

De Ceſſatione privilegii per Renuntiationem expreſſam, & tacitam.

S U M M A R I U M.

49 *Tria ſunt Genera privilegiorum, quibus renunciari non poteſt.*

50 *Renunciatio privilegii debet privilegianti manifeſtari.*

51 *Gravatus alieno privilegio poteſt contra illud præſcribere, quando privilegiatus illo non utitur.*

52 *Quando autem nemo alieno privilegio gravatur, nemo poteſt contra non utentem præſcribere.*

53 *Poteſt etiam privilegium amitti per abuſum.*

Quæritur hic, quæ privilegia, & quo modo per Renuntiationem privilegiati ceſſare, & amitti poſſint.

49 Dico primò, triplicis generis privilegia eſſe, quibus perſona privilegiata renuntiare non poteſt.

Primum eſt eorum, quæ in diſpenſatione abſoluta alicujus Legis, vel obligationis conſiſtunt. Poſtquam enim obligatio abſolutè, & perfectè ſublata eſt, ea neque per revocationem à privilegiante, neque per renuntiationem à privilegiato reduci poteſt; quamvis poſſit per ſimilem actum, ex quo prior obligatio orta fuerat, alia nova obligatio induci. Hinc poſtquam aliquis abſolutè liberatus eſt ab obligatione voti, ſemper manet liber à voto ; poteſt tamen de novo ejuſdem rei votum emittere, novamque obligationem contrahere.

Secundum genus privilegiorum à perſona privata irrenuntiabilium ſunt illa, quæ immediatè communitati, vel pluribus indiviſim conceſſa ſunt : quia privatus non poteſt derogare juri communi : neque per expreſſam, neque per tacitam renuntiationem juxta *capit. Si diligenti de Foro competenti & leg. Ius publicum ff. de Pactis.*

Tertium genus conſtituunt illa privilegia, per quæ non tantùm perſonæ privilegiatæ, ſed etiam alteri jus aliquod quæſitum, & firmatum eſt. Quia renuntiationem injurioſam alteri, Princeps, vel conferens privilegium, non acceptat, niſi etiam alter, cujus intereſt, conſentiat. Sunt tamen aliqua privilegia, quæ, licet cedant in bonum tertii, tamen non conferunt tertio jus firmum propter legum ſpecialem diſpoſitionem, & talibus renuntiari poteſt à privilegiato, ſaltem ſi renuntiatio juramento firmetur : ea autem referre, non eſt hujus loci.

Dico ſecundò. Licèt in privilegiis renuntiabilibus collator privilegii poſſet ſemper velle, ut illud non diutiùs valeret, ac perſeveraret, quàm quandiu eidem in animo privilegiati non renunciatur, de facto tamen, & regulariter non ceſſat privilegium, quando interna renunciatio non etiam privilegianti manifeſtatur. 50

Probatur. Et quidem de poſſibilitate prioris partis non dubitandum eſt ; quia concedens privilegium poteſt illud reſtringere ad tempus, & ad certas conditiones, prout ipſe vult, niſi aliunde oſtendatur repugnantia : quòd autem de facto, & regulariter non ſoleat illud reſtringere ad tempus, & conditionem prædictam, quouſque ſcilicet non ponitur actus renuntiationis internus, nondum manifeſtatus, colligitur inde ; quia ſicut non ſolet conferri privilegium, ut priùs valeat, & incipiat exiſtere, quàm illud exteriùs acceptatur, ita non cenſetur conferri, ut priùs ceſſet, & deſinat exiſtere, quàm illi exteriùs renuntiatur, & manifeſtatur renuntiatio : unde voluntas privilegiantis tamdiu perſeverat, quàmdiù renuntiatio non acceptatur, & quamdiu voluntas concedens privilegium non retractatur propter renuntiationem ; quam proinde neceſſe eſt cognoſci, ac manifeſtari. Atque ita non tantùm privilegiorum ; ſed omnium aliorum jurium renuntiatio communiter non eſt efficax, quamdiu non eſt manifeſtata, & acceptata : ſed poteſt ille actus internus renuntiationis interea ante ſuam manifeſtationem retractari, & privilegium, vel jus renuntiatum ſervari, ſicut etiam poteſt primò acquiri per acceptationem manifeſtatam, etiamſi priùs fuerit animo repudiatum, & oblatio privilegii, vel juris fuerit non acceptata. Unde *in capitul. Licèt de Procuratoribus in 6.* expreſsè dicitur : *Licèt is, qui procurator conſtituitur ab abſente, dixerit, præſentatum ſibi ſuſcipere nolle mandatum, hoc tamen nequaquam obſtante, quamdiu conſtituens in eadem perſiſterit voluntate, ipſum acceptare poteris, quandocumque placebit.* Ecce quomodo is, qui priùs noluit acceptare oblatum officium procuratoris, ſive mandatum habentis, poſſit deinde, quando illi placet adhuc acceptare officium, antequam delegans revocet voluntatem illud delegandi. Ratio quaſi à priori neceſſariæ manifeſtationis actuum, quibus privilegium, vel acceptatur, vel renuntiatur, hæc videtur eſſe; quia expedit bono communi, & commercio generis humani, ad evitandas multas confuſiones, & ad ſtabiliendas actiones, ſupponentes aliquod privilegium, vel jus, ut de hoc hominibus ſufficienter conſtet : iſtud autem maximè obtinetur per manifeſtationem acceptationis, vel renuntiationis, ſi ea ſit neceſſaria ad obtinendum, vel conſervandum privilegium, aut jus : ergo rectè dicitur, ſaltem regulariter, & ordinariè, eſſe neceſſaria.

Dico tertiò. Non tantùm per expreſſam, & acceptatam renuntiationem, ſed etiam per tacitam amittitur privilegium, quando per non uſum, vel per actum contrarium uſui, alius, qui tali privilegio gravatur, contra illud tempore, & modo legitimo, in jure pro diverſitate objectorum, & perſonarum conſtituto, præſcribit. 51

Probatur *ex leg. 1. ff. de Nundinis*. Ubi is, cui in ſuo privato prædio Princeps conceſſit inſtituere nundinas, ſive conventum mercatorum convocare, ex quibus aliàs Princeps in ſua civitate emolumentum percepiſſet, hoc ipſum privilegium, ob intermiſſum uſum per decennium, declaratur amiſiſſe, nempè jure præſcriptionis, quo Princeps iterum ſeſe liberavit ab onere carendi propriis emolumentis nundinarum, & earum ſibi competente prærogativa. Idem probatur *ex capit. 6. & 15. de Privilegiis* : ubi privilegium non ſolvendi

decimas, per actum contrarium uſui, nempe per ſolutionem decimarum decernitur amiſſum, iterum jure præſcriptionis partium illarum, quæ hoc privilegio gravabantur ob ſubductas ſibi decimas. Rationem enim amiſſi privilegii in priori capitulo Pontifex reddit his verbis: *Licet enim privilegium, Romanæ Eccleſiæ beneficio, Fratribus Ciſtercienſis Ordinis indultum fuerit, quod de laboribus ſuis nullas decimas perſolvere debeant; de privilegio tamen indulto tanto tempore vobis detrahere voluiſtis: cum liberum ſit unicuique ſuo juri renuntiare.* In poſteriori capitulo contra privilegium Templariorum ſimilibus utitur verbis: *Cum enim tanto tempore contra indulta privilegia decimas ſolverint, eis renuntiaſſe tacitè præſumuntur.*

Illud verò circa hujuſmodi tacitam renuntiationem obſervo, eam non eſſe meram renuntiationem, per hanc enim, ut ſuprà dixi, non poſſunt amitti privilegia negativa, quæ tollunt, & removent obligationem aliquam, ſive actum ex obligatione ponendum, qualia ſunt privilegia eximentia à Lege, à ſolvendis decimis &c. ſed inſuper continere vim, obligationem novam inducendi, ſicut ſi quis poſt impetratam diſpenſationem in voto caſtitatis de novo voveat caſtitatem.

52 Dico 4. Quòd illa privilegia, quæ nemini ſunt damnoſa, vel oneroſa, hoc ipſo à nemine præſcriptionis jure abrogentur, & conſequenter per non uſum, vel per actum contrarium, nunquam amittantur, niſi ſpecialiter conceſſa ſint ſub conditione uſus: quia non uſus, cùm ob diverſos fines contingere poſſit, non eſt ſufficiens ſignum tacitæ renuntiationis, neque aliquis eſt, qui eam acceptet. Unde ex hac, & præcedenti concluſione patet, qua ratione verum ſit illud commune aſſertum, privilegia per non uſum, & per contrarium uſum amitti.

Per abuſum verò amitti poſſunt privilegia in pœnam delicti, poſt ſententiam Judicis, vel ob non impletam conditionem, ſub qua privilegium conceſſum eſt, e. g. Si cui beneficiato ſit indultum privilegium abſentiæ à beneficio, ut interea vacet ſtudiis: ille verò hac omiſſa conditione, & neglecto hoc fine abſit quidem, ſed ſtudiis non vacet.

ARTICULUS IX.

De Ceſſatione Privilegii per Revocationem.

SUMMARIUM.

53 *Privilegia alia pariunt Jus in privilegiato adversùs privilegiantem, alia nullum Jus pariunt. Alia ſunt merè gratuita, alia remuneratoria.*

54 *Privilegium pariens Jus, ſine juſta cauſa nec validè, nec licitè revocari poteſt, ex juſta cauſa poteſt validè, & licitè, modo compenſetur titulus oneroſus.*

55 *Neque privilegium remuneratorium ſine juſta cauſa revocabile eſt, niſi cum hac poteſtate reſervata collatum fuerit, vel longè ſit ſuprà merita.*

56 *Privilegium merè gratuitum ſine juſta cauſa validè quidem, ſed non licitè eſt revocabile.*

57 *Revocatio privilegii alia eſt explicita, alia implicita. Explicita ſubdividitur in generalem, & ſpecialem, cum vel ſine præſcripta certa formula, vel etiam clauſula derogatoria derogatoriarum, in conceſſione privilegii appoſitarum.*

58 *Nulla clauſula privilegio appoſita eſt irrevocabilis.*

59 *Nec tamen fruſtra apponitur.*

60 *Revocatio implicita privilegii triplex eſt.*

61 *Quænam privilegia debeant explicitè revocari.*

62 *Quæ privilegia, & quo modo implicitè revocentur.*

63 *Privilegium revocatur etiam per reſcriptum privatum illi contrarium, non autem Lex, niſi illius etiam mentio fiat.*

64 *Revocatio privilegii debet innoteſcere privilegiato, neceſſe tamen non eſt, illam etiam acceptari.*

Diſtinguendum eſt inter privilegia, quæ verum aliquod jus in privilegiatum transferunt, & quæ nullum jus transferunt adversùs privilegiantem, quo teneatur, in voluntate, concedente privilegium, perſiſtere. 53

Deinde an illud jus, ſi quod translatum eſt, ex mero favore, vel gratitudine, vel ex pacto oneroſo ſit derivatum. Circa privilegia, quæ nullum jus transferunt, iterum diſtinguendum eſt, an ſint merè gratuita, vel an remuneratoria; in præmium, vel in gratiarum actionem, collata. Loquendo itaque de privilegiis, non in mera remiſſione obligationum quarundam conſiſtentibus, vel quæ totum effectum ſuum nondum aſſecuta ſunt, quæ proindè adhuc ſunt revocabilia.

Dico 1. Si privilegium tranſtulit verum jus adverſus privilegiantem, privilegium, & jus translatum ſine juſta cauſa nec validè, nec licitè eſt revocabile: ex juſta cauſa autem, qualis eſt, damnum emergens ac improviſum ipſi privilegianti, vel ſucceſſori illius, aut toti reipublicæ eventurum, revocari validè ac licitè poteſt, modò pro onere, ſi quod privilegiatus ſubiit, ipſi fiat juſta compenſatio. Ita communiter Doctores. Ratio prioris partis, & oneris compenſandi, deſumitur ex natura Juris, ſine gravi cauſa irrevocabilis, quando alia intentio non exprimitur. Hinc quià privilegia Bullæ Cruciatæ ex titulo oneroſo ſunt conceſſa, nempè ob penſionem certæ ſummæ ad militiam contra infideles, ea non revocantur tempore Jubilæi, quando aliæ indulgentiæ, & privilegia Pontificum revocantur. Ratio poſterioris partis deſumitur ex natura Privilegii, quod etiamſi non ſit merè gratuitum, favorem tamen, & gratiam aliquo modo importat, & intuitu hujus conditionem implicitam, ut privilegiatus illo conſtanter fruatur, niſi à privilegiante, vel à Succeſſore ipſius fuerit ex juſta cauſa revocatum: quòd ſi privilegiatus etiam ſit ſubditus privilegiantis, tamquam membrum reipublicæ ab eo gubernandæ, tunc ſicut alia jura, ita & privilegia ſubſunt dominio alto ſupremi Gubernatoris, qui hoc ipſo habet jus, privilegium reipublicæ graviter damnoſum revocandi. 54

Dico 2. Privilegia remuneratoria, quæ ſcilicet dantur propter merita, ſi non tantùm in genere memorata, ſed ſpeciatim expreſſa fuerint (ut ex variis juris textibus colligit Palao *punct.* 21. §. 2. *num.* 6.) etiamſi non ſint ex prævia obligatione juſtitiæ, ſed ex liberalitate, & gratitudine conceſſa, ſine juſta cauſa tamen non ſunt revocabilia validè, niſi remuneratio eſſet exceſſiva, aut niſi cum expreſſa reſervatione poteſtatis revocandi fuiſſent collata. Ratio eſt: quia ſicut promiſſio conditionata conferendi privilegium, ſi certa merita, vel obſequia ſint ponenda de futuro, iis poſitis parit aliquod jus ſine gravi cauſa irrevocabile, ſic ſi privilegium actu conferatur propter merita, & obſequia, de præterito poſita, hæc ipſa collatio habet ſe tamquam donatio actualis, quæ parit ſimile jus ſine juſta cauſa irrevocabile. 55

Dico 3. Privilegia merè gratuita, ſine animo transferendi ullum jus induita, prout potiſſimùm ſolent à Superioribus indulgeri ſubditis, ſine juſta cauſa validè quidem, non ſine peccato veniali, ſunt revocabilia, niſi hæc ipſa revocabilitas fuerit expreſsè ſibi à Privilegiante reſervata. Ratio eſt: Quia licèt conferens privilegium non intendat transferre jus in privilegiatum, hoc ipſo tamen, quòd conferat privilegium indefinitè, ſignificat, quòd velit illud concedere ſtabiliter, adeòque ex obligatione veracitatis ſub veniali peccato tenetur, illud ſine juſta cauſa, habente ſe per modum conditionis ad revocabilitatem licitam, nunquam revocare. 56

Dico 4. Sicut Renuntiatio alia eſt explicita, alia implicita, ſive tacita; ita enim Revocatio ſimili modo dividitur: & explicita quidem poteſt fieri, vel per verba generaliter tantùm derogatoria, quando Clauſula Revocationi generalis adhibetur, e. g. *Non obſtantibus quibuſcunque privilegiis* vel per verba ſpecialiter derogatoria, quando ipſum privilegium revocandum ſpeciatim exprimitur; quod iterum poteſt fieri, vel per formam communem, vel per formam ſpecialem. Quia enim frequenter, præſertim ſum. Pontificibus conceduntur 57

ceduntur privilegia cum certis clauſulis derogatoriis ipſi Revocationi futuræ, niſi in hac ſingularis quæpiam ac determinata forma adhibeatur, ideò ut revocatio ſubſequens valeat, & efficax ſit, debet vel præſcripta forma in revocatione privilegii uſurpari, vel talis Clauſula ipſi ſubſtitui, quæ clauſulas derogatorias revocationis, ipſamque formam præſcriptam revocet.

E. g. Congregationi Caſſinenſi Ordin. S. Benedicti, ut refert A. R. D. Virginius Alviſet ex eodem ſacro Ordine, in erudito ſuo opere de Privilegiis Ordinum Regularium. *Sect.4. dub.7. à num.16.* omnia privilegia ab Eugenio IV. in Bulla, quæ incipit: *Licèt ex debito*: & in alia, quæ incipit: *Regularem vitam*: & rurſum in alia incipiente: *Ex injuncto*: firmata ſunt tali clauſula, qua derogatur omni revocationi futuræ, niſi illa fiat *ex certa ſcientia*, *tenor privilegii*, *cui derogatur*, *de verbo ad verbum inſeratur*, *cauſæ revocationis juſtæ omnes referantur*, *Congregatio illa Religioſa aliquoties nominetur præſcriptis Nominibus*, *& omnia illi unita Monaſteria*, *omneſque Perſonæ*, *in illis degentes*, *nominatim exprimantur*; quæ omnia niſi obſerventur in revocatione, qualeſcunque clauſulas derogatorias generales vel ſpeciales, alioquin contineat, revocatio illa nulla ac irrita decernitur. Similiter etiam pro aliorum Religioſorum privilegiis revocandis ſingulares formæ præſcriptæ ſunt, uti videre eſt apud laudatum Authorem, ſine quibus omnis revocatio, à variis Summis Pontificibus proveniens, irrita ac nulla declaratur, qualeſcunque etiam clauſulæ derogatoriæ derogatoriarum in illa ponantur.

58 Verùm quia nullus Pontifex poteſt ſuis Succeſſoribus poteſtatem revocandi privilegia prædictorum Regularium omninò adimere, neque etiam neceſſitatem imponere, cognoſcendi omnium privilegiorum præſcriptas formulas, & illas irrevocabiliter ſervandi, ideo ſi in ipſa revocatione privilegii etiam revocetur formula, ab anteceſſore præſcripta, hoc ipſo valida, & efficax eſt revocatio privilegii. Si e. g. inſerantur hujuſmodi verba: *Non obſtantibus privilegiis contrariis ſub quacunque formula conceptis*. Unde ipſe Eugenius in cit. Bulla: *Ex injuncto*: poſt præſcriptam illam ſpecialiſſimam formam Revocationis, à Nicolao V. Pio II. Leone X. diverſis Bullis confirmatam, denique tamen ſubjungit: *Niſi formæ prædictæ ſpecialiter fuerit derogatum*.

59 Hinc verò minimè ſequitur, clauſulas derogatorias Revocationi futuræ, formulaſque pro illa præſcriptas, inutiles, & otioſas eſſe: ſerviunt enim, ut conceſſa privilegia, tum ab ipſo Pontifice, tum ab ejus Succeſſoribus non tam facilè, & non niſi ex graviſſima cauſa cum ſuis clauſulis, & formulis, deinceps ſpeciatim revocentur, & ut quodam promiſſæ ſtabilitatis jure firmentur, etiam Succeſſores obligante, qui cum ipſo officio Anteceſſoris obligationes dicto modo ſuſcipiunt: prætereà ut revocationes generales ſine ſpecialibus clauſulis derogatoriis ipſarum derogatoriarum, ac formularum præſcriptarum, nihil contra illas efficiant, etiamſi ab adhibitis Conciliis Generalibus proficiſcantur, prout Eugenius IV. in dicta Bulla *Ex injuncto*. 5. Kalendas Julii. Anno 1436. quorumcunque Conciliorum revocationibus, quantumcunque ſpecificis, & expreſſis derogavit, niſi forma præſcripta obſervetur, vel hæc ipſa revocetur. Denique ut revocatio implicita, ſive tacita, nihil ejuſmodi privilegiis, dicta firmitate munitis efficiat: niſi aliunde conſtet de Pontificis voluntate, quòd etiam ipſam formulam præſcriptam revocatam velit: nam hæc ſemper attendenda, & præferenda eſt privilegio, ſub quacunque forma conceſſo, ut patet *ex cap. In his de Verborum ſignificatione*.

60 Fit autem Revocatio implicita tribus modis, nempè per legem contrariam: per mandatum, ſive reſcriptum contrarium, & per privilegium contrarium, alteri conceſſum.

Dico 5. Circa prædictos modos, tum explicitè, tum implicitè revocandi privilegia, hac ratione procedendum eſt. Explicitè revocanda ſunt illa privilegia, quæ indigent clauſula ſpeciali derogatoria, vel ipſorum privilegiorum, vel formularum præſcriptarum, quando, ut paulò antè dixi, non aliundè conſtat de voluntate revocantis. Hujuſmodi privilegia ſunt triplicis generis. Primò illa, quibus vel in privilegiatum transfertur verum jus, quod cùm ſine gravi ac juſta cauſa non ſit revocabile, per ſeipſum ſupponitur implicitæ revocationi derogare, nec privilegians per hanc ſatis declarat ſuam voluntatem, niſi per clauſulam expreſſam illius juris mentionem faciat, & illud non obſtare ſignificet. Secundò illa, quæ Privilegia à Concilio quopiam Generali conceſſa ſunt: cujus niſi rurſum expreſſa mentio fiat, vel in genere, vel in ſpecie. E. g. *Non obſtante Concilio Generali quocunque*, vel: *non obſtante hoc determinato &c.* non ſupponitur Pontifex illi velle derogare, ut colligitur *ex cap. Ex parte de Capellis Monachorum*. Tertiò illa, quæ aliàs, niſi expreſsè revocentur, ſupponuntur per actum contrarium ex ignorantia illorum revocari, qualia ſunt, quæ in Jus Commune non ſunt relata, ut dicitur *in cap. 1. de Conſtitutionibus in 6. & in capit. Cum ordinem de Reſcriptis*. Quòd ſi tamen aliundè conſtaret, privilegiantem non proceſſiſſe ex ignorantia, vel inadvertentia ad præcedens privilegium, ſi v. g. privilegium ſubſequens contineret particulas *motu proprio*, *vel ex certa ſcientia*, tunc utique non opus eſſet alia expreſſiori revocatione.

61 Imò ſi privilegium ſubſequens ſit ſpeciale, & antecedens ſit generale, probabiliùs docet Palao *pun.21.§.4. num.14.* cum Baſilio Legionenſi, Suarez, Bonacina, ab ipſo relatis, illud generale, quamvis ſupponatur ignoratum, à ſpeciali limitari, ſeu revocari, in quantum ſpeciali eſt contrarium propter *Regulam 34. Iuris in 6. Generi per ſpeciem derogatur*. Idem clarè habetur *in capit. Dudum. §. Nos igitur. Et in capit. Quamvis tibi de Præbendis in 6.*

Quartò denique ea omnia privilegia explicitè revocari debent, quæ cum clauſula derogatoria conceſſa ſunt, cui proinde alia expreſsè derogatoria ipſius clauſulæ opponenda eſt.

62 Implicitè, ſive tacitè revocantur cætera privilegia, quando revocans ſupponitur, illorum notitiam habere, dum vel legem, vel reſcriptum edit contrarium, vel dum alteri privilegium contrarium indulget. Supponitur autem, eorum notitiam habere, ſi Corpori Juris inſerta ſunt *juxta cap. 1. de Conſtitutionibus in 6.* unde ſicut lex in Corpus Juris relata per aliam poſteriorem legem, vel ex toto, vel ex parte contrariam, ex toto, vel ex parte revocatur, ſine alia expreſſa abrogatione, ita etiam privilegia in Jus commune tranſeuntia tacitè revocantur per poſterius privilegium, ſive iſtud inſeratur Juri, ſive non, & ſive ſit commune, aut generale, ſive ſpeciale, & ſive concedatur per aliquam legem, ſive per reſcriptum privatum.

63 In hoc puncto differt privilegium à Lege; hæc enim per ſolum reſcriptum privatum ſine expreſſa illius mentione non abrogatur *juxta l. Reſcripta. C. de Precibus Imperatori offerendis*. Et *cap. Reſcripta. 25. Quæſt. 2.* Ratio autem hujus differentiæ, & diſparitatis eſt, quia cùm reſcripta per ſe loquendo ſoleant concordare cum legibus communibus, hinc non ſupponuntur facta cum advertentia ad legem, quando diſcordant, & non faciunt mentionem Legis contrariæ. Verùm privilegia conceſſa per reſcripta particularia ſæpe adverſantur prioribus privilegiis, etiam Juri communi inſertis, ideo non ſupponuntur conceſſa per ignorantiam, vel per inadvertentiam ad privilegia incorporata Juri communi.

64 Cæterùm ſive explicitè, ſive implicitè revocentur privilegia, communis eſt ſententia, illa non amitti, antequam eorum revocatio innoteſcat privilegiatis, vel publicè e. g. per legem contrariam, vel privatim per epiſtolam, nuntium, &c. quamvis probabiliter non ſit neceſſarium, hujuſmodi nuntium, vel epiſtolam, ad hunc finem mitti ab ipſo revocante, niſi forſan in caſu, quo revocatur privilegium juriſdictionis ordinariæ, vel delegatæ: vel niſi hoc in ipſa conceſſione privilegii pro valore revocationis ſit expreſsè requiſitum, & hæc ipſa requiſitio non fuerit rurſum revocata: quia generabiliter nihil eſt Jure poſitivo conſtitutum, Jure autem naturali ſufficit, quocunque modo innoteſcat revocatio.

Hujuſmodi verò notitia aſſeritur neceſſaria, ne multi actus, antequam innoteſceret revocatio privilegii, per illius uſum inutiliter, & invalidè ponantur, ac irritentur: quod incommodum, ut à concedente privilegium cavea-

caveatur, cenſetur illud contuliſſe ſub conditione, ut illud duret, & actus illius valeant, ac liceant, quamdiu non poſita, & manifeſtata fuerit revocatio: quamvis neceſſe non ſit, ut ipſa à privilegiato acceptetur (niſi ſub forma ad valorem revocationis requirendo ejus acceptationem expreſsè fuerit conceſſum, & huic conditioni ſimiliter cum revocatione privilegii non ſit ſpecialiter derogatum) nam aliàs multi non acceptarent revocationem, quod utique cederet in præjudicium poteſtatis revocandi privilegia, quæ invitis non ſolent obtrudi, attamen auferri. Unde etiamſi Concilium Trident. non ſit ubique receptum, valet tamen etiam ubique revocatio privilegiorum in illo expreſſorum, ac revocatorum, quando non eſt intenta, & ordinata ad executionem novæ Legis oppoſitæ, in eo loco non receptæ, ſed directè tantùm tollit uſum privilegii, aut facultatis extraordinariæ.

Et licèt Clemens VII. anno 1534. in Bulla edita 2. Januarii, quæ incipit *Clementina diſponente*: Ordini militari S. Joannis Hyeroſolimitani privilegia ita ſtabiliverit, ut revocari non poſſint, niſi per trinas literas Apoſtolicas, tribus diſtinctis vicibus miſſas, intimetur revocatio Magiſtro Generali, & Conventui, atque ab ipſis acceptetur, poteſt tamen à Pontifice cum revocatione cujuſcunque Privilegii utraque conditio revocari, ut neceſse non ſit, hanc revocationem ternis litteris intimari, & acceptari.

ARTICULUS X.

De Revocatione Privilegiorum per Concilium Tridentinum.

SUMMARIUM.

65 *Poſt prohibitionem Propoſitionis 36. Alexand. VII. nequit ſuſtineri hæc propoſitio*: Nullum privilegium Regularium eſt ſufficenter revocatum.

66 *Reſpondetur ad rationes Authoris, proprieri propoſitione allatas.*

67 *Diſtinguendum inter Decreta Concilii Tridentini, quæ cum clauſula derogatoria revocant Regularium privilegia.*

68 *Referuntur privilegia, cum clauſula derogatoria Regularibus ſublata à Tridentino, præterea, quæ revocantur* ſeſs. 25. per cap. 22. de Regularibus.

65 EX dictis colligitur A. R. D. Virginium Alviſet Ordinis Sancti Benedicti in ſuo opere de Privilegiis edito anno 1679. *Murenulæ ſacræ Veſtis*, inſcripto, *Sect. 4. dub. 7.* fruſtra laboraſſe in ſtabilienda probabilitate hujus Propoſitionis: *Nullum privilegium Regularium eſt ſufficienter revocatum ad hoc, ut illo abſtinere teneantur.* Nam præterquam quòd ab Alexandro VII. anno 1666. die 18. Martii prohibita ſit hæc propoſitio inter alias 36. *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti ſuis Privilegiis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum*; facilè etiam proſtuenda hac prohibitione ſolvuntur citati Authoris fundamenta. Licèt enim ex variis Summorum Pontificum Bullis contendat, pluribus Religioſis Ordinibus omnia privilegia ſua conceſſa eſſe cum translatione veri ac proprii Juris, & quidem ex pacto oneroſo, conſtanter ab illis impleto, & cum ſpecialiſſima formula, ſine qua nulla valeat revocatio, imò qua etiam poſita mox revalidentur ipſa privilegia, & præterea aliquorum Pontificum Bullas alleget, in quibus omnem illorum Privilegiorum revocationem ſuis ſucceſſoribus illicitam, ac irritam declarent: licèt denique inductione probet; nec Pontifices nec Concilium Tridentinum, nec ullum aliud Concilium Generale pro revocandis privilegiis quorundam Ordinum Regularium præſcriptas formulas unquam adhibuiſſe: hæc omnia tamen fundamenta, non plus confirmant, quàm quòd ſine gravi ac juſta cauſa, nec validè, nec licitè, priorum Pontificum ſucceſſores, & Concilia Generalia, commemorata Privilegia, & inſertas formulas derogatorias revocare queant; hujuſmodi autem cauſam Concilio Tridentino non defuiſſe, in ordine ad univerſalem tam Regularium, quàm Sæcularium, neceſſariam reformationem, & ad evitanda damna, univerſali Eccleſiæ ex quibuſdam privilegiis contra rectam gubernationem eventura, patet tum ex hoc ipſo fine indicato, tum ex propriis locis Concilii Tridentini, ubi diverſa privilegia revocantur, tum ex Bulla mox citanda, tum ex prohibitione, utique juſta relatæ propoſitionis 36. Ideò ad quædam privilegia, in Concilio Tridentino expreſſa, & ad formulas præſcriptas, quantum neceſſe erat, revocandas, ſatis fuit, Pium IV. in Bulla edita & publicata Romæ anno 1565. 13. Kalend. Martii Pontificatus ſui Anno ſexto, ex motu proprio, & ex certa ſcientia atque ex plenitudine ſuæ poteſtatis, approbaſſe Decreta Concilii Trident. derogatoria multorum privilegiorum à ſanctiſſimis Anteceſſoribus, vel ab ipſo Pio IV. collatorum, etiam cum translatione veri Juris, vel etiam ex titulo oneroſo, & expreſſis verbis, quantum ad propoſitum finem neceſſarium erat, derogaſſe omnibus Juribus, Conſtitutionibus, Privilegiis, Formulis derogatoriis, & obſtantiis quibuſcunque.

Nec rectè opponit citatus Author primò: quòd Concilium Trident. non ſit ubique promulgatum, vel receptum. 66 Reſp. enim, etiamſi quoad illa loca non ſit nobis controverſia, tamen etiam de illis dici poſſe, non requiri ad valorem revocationis, ut ubique habeat vim Legis ſolemniter promulgatæ, modò per publicationem Romæ more conſueto factam conſtet de voluntate Concilii, & Pontificis, quando non legem novam ſtatuit, ſed Privilegii uſum ſecundùm ſe directè & immediatè prohibet: talis enim Revocatio, etiam non acceptata valet, ut ſupra dictum eſt.

Secundò: Quòd Tridentinum non utatur, niſi clauſulis generalibus. Reſp. Clauſulas neceſsarias ſufficientiſſimè ſuppleri in citata Bulla, confirmante, & complente privilegiorum, formularum derogatoriarum derogatorias: imò omnes ſpecialiter præſcriptas revocationum formulas ſimul abrogari hac ſpeciali Clauſula, quæ *Seſſ. 25. cap. 22. de Regularibus.* continetur his verbis: *Non obſtantibus eorum omnium, & ſingulorum privilegiis, ſub quibuſcunque formulis verborum conceptis.*

Tertiò. Quòd Tridentinum ordinariè tantùm deroget privilegiis Regularium exemptorum, quorum nomine multi Religioſorum Ordines non comprehenduntur.

Reſp. in citata bulla clarè exprimi etiam omnes alios præter exemptos: imò in ordine ad non exemptos executionem ſuorum decretorum, etiam derogatoriorum, Concilium loco citato committit Epiſcopis circa ſuos regulares ſubjectos.

Quartò. Quòd Tridentinum non revocet contractus, ſed ſolùm Privilegia: quæ autem habent Regulares, hæc in contractum tranſierunt. Reſp. ita in contractus tranſiiſſe, ſi tamen tranſierunt, ut ſimul ſint, & communiter vocentur privilegia: non enim de horum ratione eſt, ut ſint gratiæ & favores merè gratuiti, & liberales.

Quintò. Quòd Tridentinum non revocet Jus ſcriptum, aut privilegia inſerta Juri, qualia ſunt, vel quibus æquivalent privilegia Regularium. Reſp. in citata bulla expreſsè revocari omnes litteras Apoſtolicas, & quaſcunque alias, in quantum revocationibus, & decretis Tridentini adverſantur.

Sextò. Quòd Eugenius expreſsè caverit pro privilegiis Caſſinenſibus, nunquam ab ullo futuro Concilio revocandis, niſi ſervata formula præſcripta. Reſp. Eugenium in bulla *Ex injuncto* expreſsè etiam inſeruiſſe hæc verba: *Niſi formæ prædictæ ſpecialiter fuerit derogatum*: quod ſatis præſtitum eſt in Bulla Pii IV.

Septimò. Quòd Pius IV. poſt confirmationem Concilii Trid. eodem anno confirmaverit omnia Privilegia Ordinis S. Joannis Hyeroſolymitani, & Ordinis SS. Trinitatis: & quòd Pius V. anno 1571. die ſeptimo Julii privilegia noſtræ Societatis, & Urbanus VIII anno 1627. die 21. Januarii privilegia Congregationis S. Mauri univerſaliter ſine ulla exceptione privilegiorum à Trident. revocatorum renovaverit, & inſtauraverit, ut adeòque permiſsa revocatione revixerint etiam à Trident. revocata. Reſp. non ſufficere, ut patet ex dictis de confirmatione privilegiorum, quòd privilegia re-

vocata à Trid. non fuerint expreſsè excepta; quia privilegia revocata à Concilio quopiam Generali in confirmatione privilegiorum ſemper tacitè excipiuntur; unde quando Pontifices etiam hæc volunt confirmare, addunt expreſsè illa quoque à ſe confirmari: quando verò expreſsè excipiunt (ut nonnunquam faciunt), privilegia revocata à Trident. per hoc volunt indicare, privilegia ab illis Conciliis revocata non ampliùs tacitè excipi.

Octavò. Quòd Pius V. anno 1566. die 23. Maii (in noſtro compendio privilegiorum, quod Author allegat, notatur dies 13. Martii) expreſſè reſtituerit Minoribus (& conſequenter etiam aliis Religioſis communicantibus) omnia Privilegia revocata à Trid. Reſp. illam reſtitutionem intelligendam eſſe tantùm de privilegiis, Minoribus directè & immediatè conceſſis, non quæ per communicationem cum privilegiis aliorum Religioſorum Ordinum aliquando participabant: unde illa à Trid. revocata, non fuerunt reſtituta. Idem reſpondendum eſt ad ſimilem reſtitutionem privilegiorum Gregorii XIII. quam Author allegat ex noſtro P. Gaſpare Hurt. factam noſtræ Societati, & ex Marchantio, Ordinibus mendicantium. Verùm, quia hujus in noſtro compendio privilegiorum, & in ipſo Bullario nulla fit mentio, ſuſpicor illam conceſſionem eſse ſurreptitiam, cùm Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit: *In tanta* anno 1573 Kalend. Martii etiam prædictam reſtitutionem Pii V. Minoribus conceſſam revocaverit, de qua Bulla Author, & alii quidam immeritò dubitant, an unquam fuerit promulgata vel intimata, habetur enim expreſsè in Bullario, & ibidem dicitur publicata ad valvas conſuetas. Conceſſit quidem Gregorius XIII. uſum Altaris portatilis, non obſtante decreto Tridentini. Verùm hoc eſt non niſi unius privilegii reſtitutio facta per Bullam, quæ incipit: *Uſum Altaris* anno 1579. die 1. Octobris huic Gregorius aliud privilegium addidit anno 1582. die 21. Sept. ad Ordines extra præſcripta tempora, ac interſtitia, recipiendos. Sed præter hæc duo multa alia privilegia manent à Trident. revocata.

Nonò. Quòd ſæpius nominatus Pius V. anno 1570. die 18. Januarii, P. P. Dominicanis innovaverit omnia privilegia, *non obſtantibus quibusvis conſtitutionibus Apoſtolicis, ſeu Provincialibus, ſeu Generalibus*. Reſp. particulam *Generalibus*, non eſse poſitam pro conſtitutionibus Conciliorum Generalium, ſed pro conſtitutionibus à ſummo Pontifice factis non pro ſolis particularibus Provinciis, ſed pro tota Eccleſia. Aliud enim eſt conſtitutio Generalis, & aliud conſtitutio facta à Concilio Generali, quæ poſset etiam eſse Provincialis.

Decimò. Quòd, quia Trid. vel Bullæ quæpiam Revocatoriæ Privilegiorum in certis locis non ſunt receptæ, & quia hoc ipſo Regularibus illic exiſtentibus manent Privilegia ſua irrevocata, iiſdem per communicationem privilegiorum etiam frui & gaudere poſſint Religioſi degentes in locis, ubi Trid. vel Bulla Revocatoria eſt recepta. Reſp. Etiamſi loqueremur de Revocatione præceptiva ſive ſtatuente legem contrariam, adeòque acceptationem requirente, tamen Religioſos in loco, ubi Trid. cum Bulla revocatoria privilegiorum contrariorum, ac præſcriptarum formularum eſt receptum (idem dicendum de quacunque alia Bulla revocatoria) non poſse per Beneficium communicationis privilegiis alibi non revocatis frui, quia per hujuſmodi clauſulam: *non obſtantibus quibuscunque Juribus ac Privilegiis contrariis ſub quacunque forma conceptis*, derogatur ex hac parte etiam privilegio conceſsæ communicationis: immò etiam ex eadem parte privilegio Regum Galliæ, & Hiſpaniæ, quod Author allegat, ut vi illius nulla Bulla ſortiatur effectum, niſi ſit ipſis præſentata & acceptata.

67 Ut autem magis pateat, quænam Privilegia Regularium per Trid. ſint revocata, Emmanuel Rodriquez *t. 1. Quæſtionum Regularium q. 8. a. 6.* (quem ſequitur Franc. Pellizarius *to. 2. tr. 8. c. 1. Sect. 4. num. 82.* referens etiam Suar. Portellum & Mirandam) ſapienter diſtinguit inter decreta Concilii Trid. adverſantia Privilegiis Regularium cum clauſula derogatoria, & ſine clauſula derogatoria (ſaltem generali, quæ etiamſi non deroget ſimul formulis præſcriptis, ſufficit tamen una cùm Bulla Pii IV. in qua etiam formulis præſcriptis derogatur, & completur, ac confirmatur Vis derogatoria, quam habent decreta Concilii Trid.) poſteriora decreta deſtituta clauſula derogatoria, ait nihil officere Privilegiis Regularium, hoc ipſo, quòd illis decretis contrariis non ſit annexa clauſula *non obſtantiæ*, & ita teſtatur judicatum eſſe à viris doctiſſimis Juriſperitis, & Theologis, Eccleſiaſticis, & Regularibus Univerſitatis Salmanticenſis, quo judicio nixi plures Epiſcopi ordinaverunt Religioſos privilegiatos extra tempora præſcripta à Trid. *Seſſ. 3. cap. 8. de Reformatione*. Unde obſervat etiam cit. Auct. quòd, quando Greg. XIII. & Sixtus V. confirmant Privilegia Regularium; quatenus decretis Concilii Trid. non adverſantur (adeòque quando omnia reliqua privilegia, quantumvis à præcedentibus aliis Conciliis Generalibus abrogata reſtituunt) ſolùm excipiant illa decreta Trid. quibus adjecta eſt clauſula derogans privilegiis, & quando Pius IV. in ſua Bulla revocat Privilegia Regularium *ſub quibuscunque formulis concepta*, decretis Trid. contraria, tantùm revocet privilegia decretis clauſula revocatoria affectis contraria; quia Bulla Pii IV. eſt tantùm confirmatoria Conſtitutionum Trid. Confirmatio autem non ſe extendit ſupra id, quod confirmatur, illique ſolummodò majus robur addit, ſupplendo etiam formulas, alioquin pro valore Revocationis præſcriptas. Licèt autem in Trid. *Seſſ. 25. c. 22. de Regularibus* expreſsè legantur hæc verba: *Hæc omnia & ſingula, in Superioribus Decretis contenta, obſervari, Sacroſancta Synodus præcipit*, & deinde univerſalem clauſulam derogatoriam privilegiorum contrariorum, & formularum præſcriptarum, immediatè ſubjungat: *Non obſtantibus privilegiis ſub quibuscunque formis verborum conceptis*, non tamen per hæc verba *in ſuperioribus decretis* intendit Trid. ſupplere Clauſulas derogatorias, in decretis ſuperiorum Seſſionum omiſsas, ſed ſolùm omiſsas in decretis ultimæ Seſſionis, ubi cùm multa adversùs Privilegia Regularium ſtatuiſset, tandem concludit: *Hæc omnia, & ſingula in ſuperioribus decretis contenta* (non dicit *in ſuperioribus Seſſionibus contenta*) *obſervari ſancta Synodus præcipit*.

Decreta autem in præcedentibus Seſſionibus expreſsè 68
derogantia privilegiis Regularium citatus Rodriquez *n. 7.* collegit ſequentia.

Primum ex *ſeſſ. 5. cap. 2. de Reformation.* Ut Epiſcopus non obſtante quacunque exemptione, aut privilegio, contra Regularem etiam Concionatorem, errores vel ſcandala ſeminantem, poteſtate Apoſtolica, à ſupremo Pontifice ſibi delegata, procedat. Secundum. Ne Regulares extra clauſtra degentes ab Epiſcopis in ſuis diœceſibus prædicare ſinantur, ut habetur *in fine cit. cap.* Tertium. *ex ſeſſ. 14. cap. 11.* Ne Regulares extra obedientiam ſuorum Prælatorum degere ſinantur. Quartum *ex ſeſſ. 22. in decreto de Obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ*. Ne Epiſcopi, ſive Sæcularibus, ſive Regularibus permittant, quæ debitum Cultum ac Ritum in celebrandis Miſſis impediunt, cujuſmodi ſunt nimis avaræ exactiones ſtipendiorum ac eleemoſynarum; facultas, ut Miſſæ celebrentur à Vagis, Ignotis, notoriè criminoſis Sacerdotibus, vel extra templa ac oratoria ſacra, ad id munus deſtinata, extra conſuetas horas, laſciva Muſica, Ritus ſuperſtitioſi, & à præſcriptis alieni. Quintum *ex ſeſſ. 23. cap. 10.* Ne Abbates extra ſuam diœceſim, & ne aliis, quàm ſuis Regularibus Tonſuram, vel minores ordines conferant. Sextum *ex ſeſſ. eadem cap. 12.* Ne ulli etiam Regularium ante inchoatum 22 annum ætatis Subdiaconatus, vel ante 23. Diaconatus, vel ante 25. Presbyteratus, vel ſine præmiſſo examine, ſi opus fuerit, conferatur. Septimum *ex eadem ſeſſ. c. 13.* Nemini etiam Regularium duo Sacri Ordines eadem die præbeantur, imò nec Diaconatus, ſine conſenſu ab Epiſcopo priùs impetrato, ante integrum annum à ſuſcepto Subdiaconatu elapſum. Octavum *ex eadem ſeſſ. c. 15.* Nemo etiam Regularis confeſſiones Sæcularium audiat, niſi ab Epiſcopo, præmiſſo, ſi opus videbitur, examine, approbatur. Nonum *ex ſeſſ. 25. cap. 11. de Reformatione*. Bona Eccleſiæ nec liceat, nec valeat elocare pro recepta ſolutione anticipata, ne ſucceſſoribus præjudicetur, ſi eorum anteceſſores illam præripuerint. Decimum *ex eadem ſeſſ. de Reform. c. 13.* Ut penſio:

Quarta

Quarta funeralis dicta, per 40. annos Eccleſiæ Cathedrali, vel Parochiali, ſoluta, eidem reſtituatur, ſi ex quocunque Privilegio ad Regulares eſt translata. Reliqua privilegia Regularibus revocata enumerantur *in ſeſſ. cit. Decreto de Regularibus, & Monialibus* per 22. capita.

ARTICULUS XI.

De Revocatione Privilegiorum vivæ vocis oraculo conceſſorum.

SUMMARIUM.

69 *Refertur ſententia aſſerens, omnia oracula vivæ vocis prius fuiſſe bullata, quàm revocata.*

70 *Reiicitur hac ſententia. Et oſtenditur omnia privilegia vivæ vocis uſque ad Vrbanum VIII. ab eodem fuiſſe revocata.*

69 Quia privilegia vivæ vocis oraculo ante Greg. XIII. & ab eodem Regularibus conceſſa, idem Gregorius (poſtquam varia privilegia ab Anteceſſore ſuo Pio V. Regularibus indulta priùs anno 1573. Kal. Martii revocaverat) deinde anno 1575. Ordini Minorum per Bullam *Ex benigna* expreſsè, & nominatim poteſtatis ſuæ plenitudine confirmavit, ac innovavit: & quia prædicta ac reliqua privilegia uſque ad Paulum V. Oraculo vivæ vocis collata, idem Pontifex ſacro Ordini Divi Dominici anno 1605. die 23. Maii ſpeciali Bulla, & Apoſtolica Authoritate approbavit, illiſque perpetuæ ac inviolabilis firmitatis robur adjecit, quatenus Concilii Trid. Decretis, nec non Regularis Ordinis S. Dominici inſtitutis non adverſantur, ac revocata non ſunt, neque ſub aliquibus revocationibus comprehenſa: ideo Author, à quo in præcedenti articulo diſſenſi, *ſect.4.dub.7.num.68.* allegatis pro ſe quinque Authoribus, nempe Peyrino, Vitale, Hieronymo, Garcia, Samuelio, Auſonio (quibus plures addi poſſent ex Diana *part.11. tract.6. Reſol.* 45.) ad tuendam ſuam propoſitionem, quòd nullum Privilegium Regularium pro foro conſcientiæ ſit ſufficienter revocatum, deducit & docet, quòd omnia oracula vivæ vocis per hujuſmodi Bullas confirmata, ac innovata, tranſierint in Privilegia bullata, nomenque & naturam ſuam mutaverint, & quòd proinde Bulla Gregorii XV. quæ incipit *Romanus Pontifex* edita 2. Julii anno 1622. revocans omnia oracula vivæ vocis, nullius Cardinalis manu ſubſcripta, & Bulla Urbani VIII. quæ incipit *Alias felicis recordationis* data Romæ 20. Decemb. anno 1631. omnia prorſus oracula, etiam manu cujuſvis Cardinalis ſubſcripta, revocans, atque annullans, ſint irritæ ac fruſtraneæ, eò quòd nullum tunc temporis ampliùs extiterit vivæ vocis oraculum; ſitque utraque Bulla de ſubjecto non ſupponente, & neutra ſervet formam præſcriptam, ac neceſſariam ad abroganda Privilegia Regularium, atque fini utriuſque, ne oracula ſint ſubreptitia, per confirmationes citatas, *ex proprio motu, certa ſcientia, ac plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ* conditas, jam fuerit antecedenter proviſum, & cautum.

70 Verùm qui tempore præfatorum Pontificum relatam doctrinam etiam tantùm, ut probabilem aſſerere auſus fuiſſet, is certò certiùs hiſce propriis utriuſque Bullæ verbis repulſus eſſet: *Decernentes præſentes litteras etiam ex eo quod quicunque in præmiſſis intereſſe habentes, vel habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, aut obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, redargui, in jus, vel controverſiam vocari, aut ad viam, & terminos Juris reduci, ſive adverſus illas quodcunque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, nullatenus poſſe; ſed illas ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere.*

Non obſtantibus præinſertis litteris hujuſmodi, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit, etiam regula noſtra de non tollendo jure quæſito, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis &c. ſub quibuſcunque verborum formis, & tenoribus, ac quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, ac innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad id ſervanda foret, illorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Quia itaque ab horum verborum tenore per ſubſequentes Pontifices nihil detractum eſt, & ob Regularium erga Summos Pontifices obſervantiam, ac obedientiam, nihil contra illa præſcriptum, ex iiſdem verbis affirmo, contrariam doctrinam penitùs videri improbabilem. Permittatur enim illi, oracula vivæ vocis à Greg. XIII. & à Paulo V. per ſpeciales Bullas ex motu proprio, & ex Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine eſſe reddita *generaliter bullata*, & aliud nomen ac naturam acquiſiviſſe. Attamen iſtorum Pontificum Bullæ per illa verba poſteriorum Pontificum: *Non obſtantibus privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis, ſub quibuſcunque verborum formis, & tenoribus, ac quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis*: ſunt quoad confirmationem oraculorum prorſus revocatæ, & annullatæ, & proinde oracula ipſa revocatione Bullarum ad priſtinum nomen, ac naturam ſuam redierunt, & ſua ipſorum revocatione valorem omnem amiſerunt.

Reſp 2. ad prædictum præcipuum fundamentum in oppoſitum: diſtinguendo hanc propoſitionem: *Oracula ſunt bullata*: nimirum duntaxat *generaliter*, concedo antec. ſunt bullata *ſpecialiter*, ita ut ſingulorum tenores exprimantur, nego antec. & ſimul alterum fundamentum, quod intentioni Urbani VIII. per confirmationem generalem, ſive merè genericam, vel etiam aliquo modo ſpecificam (qua non ſolùm privilegia in communi, ſed nominatim etiam privilegia *oraculis* conceſſa confirmantur, ut in Bulla revocatoria per particulas *vel in ſpecie* indicatur) ſatis ſit proviſum & cautum. Ipſe enim Pontifex intentionem ſuam expreſſit his verbis: *Cum experientia, rerum Magiſtra, compertum ſit, conceſſiones & gratias vivæ vocis oraculo, etiam S. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipſorum manu firmatas, ſæpe ab his, in quorum favorem emanarunt, minùs Canonica interpretatione extendi, & perperam in diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimentum executioni demandari.*

Huic autem intentioni non ſatisfit per genericam, aut dicto modo ſpecificam confirmationem oraculorum, qua an, & quantum conceſſum fuerit, non exprimitur, ſed ſolùm ſi aliquid conceſſum eſt, ſive per ſcripturam, ſive etiam nominatim per vivæ vocis oracula, id in genere, & in confuſo ratum habetur. Ideò ergo Urbanus privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa, & ab ipſo concedente, qui optimus interpres eſt ſuorum verborum, vel ab alio Pontifice per Bullam non declarata, ac quoad tenorem ſuum expreſſa, tanquam non *bullata ſpecialiter*, ſub nomine oraculorum vivæ vocis, ipſis adhuc formaliter, vel ſaltem virtualiter competente, revocavit, & quidem per formam efficaciſſimam, ac ſufficientiſſimam, ipſique formæ præſcriptæ, ac derogatoriis derogatoriarum derogantem.

Reſp. tertiò. Per eadem verba, quæ ipſe Auctor diſſentiens *num.72.* ſibi obiicit, & quibus ſolutionem minimè ſufficientem ſubjungit: nempe Urbanum *revocare privilegia originariè conceſſa per oraculum in quamcunque naturam tranſierint.* Ad hæc mox ſibi quidem reſpondet: *Ridiculum eſſe; quia in iſtis materiis adhæremus verbis, & terminis: nec quærimus de intentione diſponentis. Et præcipuè quando ipſe eſt Legiſlator, & qui potuit clariùs loqui.* Verùm non video, quid in data reſponſione ſit ridiculum, potiùs videtur ridiculum, movere litem de nomine, quo oracula fuerint à Pontifice exprimenda, & ita adhærere verbis, & terminis, quibus Urbanus uſus eſt, quaſi ampliùs ſub illis non poſſent ſignificari privilegia, quæ ſaltem originaliter, & ampliativè merentur dici oracula vivæ vocis. Præterea potiùs verum eſt, quòd non debeamus adhærere verbis, & terminis, quando conſtat de intentione diſponentis, & quòd, niſi conſtet de hac, quærere debeamus. Certum eſt autem, intentionem Urbani fuiſſe revocare privilegia, originaliter

ſeu à principio vivæ vocis oraculis conceſſa, quæ ipſe etiamnum vocat oracula, quamvis ſint generaliter Bullata, & non omnino fortaſſis retineant eandem naturam, ſicut etiamſi aqua in naturam vini tranſierit, S. Joannes *c. 2. v. 9.* tamen inquit: *Vt autem guſtavit Archtriclinus aquam vinum factam*. Et ipſe modus loquendi eſt valdè uſitatus, quo aliquid cum reſpectu ad tempus præcedens eodem nomine appellatur etiam poſt mutationem, ſcilicet ampliativè, nec videtur Pontifex clariùs potuiſſe loqui, quàm quòd expreſsè dicat, ea, quæ oraculis vivæ vocis fuerunt conceſſa, non obſtantibus deinde ſubſecutis literis Apoſtolicis, & confirmationibus privilegiorum generalibus quibuſcunque, omnia à ſe revocari, & annullari. Unde longè magis cenſeo ridiculum, quòd, cùm conſtet de voluntate Pontificis, revocandi illos favores, qui oraculis conceſſi ſunt, & de poteſtate revocandi, & de actuali revocatione, & de ſeveriſſimo mandato, ut ſub pœna excommunicationis, & privationis officiorum, dignitatum, vocis activæ, & paſſivæ, Superiores intra tres menſes à die publicationis revocationem apud ſuos ſubditos promulgent, tamen dicere quis non vereatur, duos Summos Pontifices edidiſſe Bullas integras revocationum fruſtraneas, irritas, falſum ex errore, & ignorantia terminorum ſupponentes, & voluiſſe tollere vivæ vocis oracula, quæ nec ſunt, nec dici poſſunt oracula, ſed privilegia Bullata. Qui verò hoc re ipſa aſſeruit, is aliàs præcedenti folio docuerat nec unicum verbum in Bullis Pontificum debere admitti, quaſi eſſet ſuperfluum: unde ut ex Bulla Pii V. edita Anno 1570. die 18. Januar. eliceret, RR. PP. Dominicanis innovata eſſe privilegia, à Trident. revocata, allegat hæc verba Bullæ: *Non obſtantibus regulis Cancellariæ editis, vel edendis, nec non quibuſvis conſtitutionibus Apoſtolicis, ſeu Provincialibus, ſeu Generalibus*. Quibus, inquit, videtur derogatum Tridentino. Aliàs ſuperflua eſſet illa particula: *Generalibus*: quod Jura abhorrent. Quam quidem ſequelam ego priori *art.* negavi. Ut autem videat Author, quòd Jura potiùs abhorreant integras Bullas, vel Leges, vel Pontificum reſcripta fruſtranea dici, & quòd proinde non adhærendum ſit verbis, ſed intentioni diſponentis, Cæleſtinus III. *cap. In his. de Verborum ſignificatione.*, ſic loquitur: *Conſiderantes nihilominus, quod non debet aliquis conſiderare verba, ſed voluntatem: cum non intentio verbis, ſed verba intentioni debeant deſervire*. Cùm ergo certi ſimus de intentione Urbani VIII. volentis abrogare omnia vivæ vocis oracula, quibuſcunque verbis ea exprimantur, & ſive ſint formaliter, ſive virtualiter, ſive originaliter oracula, manent ea revocata, quamdiu non ab alio Pontifice innovantur: ut in Criſi Theologica de propoſitionibus ab Innocentio XI. damnatis etiam teſtatur P. Cardenas *diſſert. 2. num. 316.* referens Emin. Cardinalem de Lugo, Quintanadvenas, Baldellum, Eſcobar, Roccaful. quos etiam refert, & ſequitur Diana *p. 11. tr. 6. R. 45.* aitque, etiam Adverſarios fateri, hanc eſſe ſententiam communem: Contrariam verò Cardenas meritò aſſerit practicè improbabilem. Et cùm compendia privilegiorum, quibus Regulares utuntur, antiquiora ſint revocatione Urbani, multaque vivæ vocis oracula contineant, diſcretè in uſu privilegiorum procedendum eſt.

ARTICULUS XII.

De Revocatione Indulgentiarum.

SUMMARIUM.

71 *Quænam Indulgentiæ ſint ſolis Regularibus revocatæ à Paulo V.*

72 *Quænam Indulgentiæ ab eodem Pontifice ſint revocatis ſubſtitutæ.*

73 *An Indulgentiæ Sodalitatum Aggregatarum Congregationi Rom. B. V. Annunciatæ ſint revocatæ ab Innocentio XI.*

74 *An Indulgentiæ pro vivis, ſint etiam pro mortuis revocatæ.*

De triplici Indulgentiarum genere quæſtio poteſt 71
inſtitui; Aliæ enim ſunt à Summis Pontificibus conceſſæ ſolis Regularibus; Aliæ ſunt quidem conceſſæ etiam ſæcularibus, ſed intuitu Regularium propter eorum functiones ſacras, templa &c. Aliæ denique omnibus Chriſti fidelibus abſolutè, & independenter à Regularibus ſunt impertitæ.

Quæritur itaque primò. Quænam Indulgentiæ ſint ſolis Regularibus revocatæ; & quam vim habeat earum revocatio. Reſp. Omnes Indulgentias, Regularibus ſolis, & directè conceſſas ante Paulum V. ab eodem in Bulla: *Romanus Pontifex* die 23. Maii Anno 1606. revocatas eſſe cum clauſula derogatoria omnium derogatoriarum, & privilegiorum ſub quacunque formula conceſſorum. Et licet Hieronymus Rodriquez in *Compendio Quæſtionum Regularium Reſol. 77. num. 45.* exiſtimet, illas ab ipſo Paulo V. eodem anno poſteà fuiſſe reſtitutas FF. Minoribus per novam confirmationem, ac innovationem totius Bullæ, ipſis à Clemente VIII. collatę, in qua expreſsè continebantur Indulgentiæ; tamen hæc ſententia ſuſtineri non poteſt ob expreſſam prohibitionem Alexandri VII. propoſitione 37. *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ, à Paulo V. ſunt revalidatæ*: & Innocentii XI. in Bulla: *Delatæ ſæpius fuere*, edita anno 1678. die 7. Martii, & publicata duodecimo die ejuſdem Menſis.

Neque eſt credibile, Paulum V. (cujus Bulla allegata, uti & Clementis VIII. in Magno Bullario impreſſo Lugduni anno 1655. etiam non reperitur) tam citò mentem ſuam in re tam gravi mutaſſe, cùm in alia confirmatione, ac innovatione privilegiorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum à prædicto Paulo V. edita anno prædicto, die vigeſima prima Auguſti expreſsè excipiantur Indulgentiæ his verbis: *Exceptis tamen indultis, & conceſſionibus Indulgentiarum, ac peccatorum remiſſionibus, & relaxationibus*.

Unde Regulares nullas ampliùs habent Indulgentias 72
ſibi ſolis proprias, directè conceſſas, niſi quas Paulus V. in citata Bulla revocatoria ablatis ſubſtituit: nempè primò. Indulgentias plenarias die primo ſuſcepti à Superiore habitus Religioſi, ſive primo ingreſſus in Religionem. Qui dies cùm in Societate JESU non ſit idem, & in hac habitus Religioſus de manu Superioris non ſuſcipiatur, pro die ingreſſus ille computandus eſt, teſtibus Tho. Sanch. *l. 5. Moralium c. 5. nu. 8.* & Fran. Pellizzario *tom. 1. tract. 7. c. 5. nu. 183.* quo poſt finitam primam probationem quis inter Novitios ad communem cum illis habitationem admittitur. Requirit verò Pontifex, ut etiam Sacramenta Pœnitentiæ, & SS Euchariſtiæ accipiantur: quorum primum, uti & in quibuſcunque aliis Indulgentiis, *loc. cit.* notat Pelliz. ex Suar. *diſp. 52 de Pœnitentia ſect. 2.* non aliter à SS. Pontificibus ſolere requiri, niſi quatenus eſt neceſſaria pœnitentia Sacramentalis ratione peccati mortalis, nondum in confeſſione expoſiti, in ordine ad ſumendam Euchariſtiam.

Secundò. Eædem Indulgentiæ, & eodem modo conceduntur die Profeſſionis Votorum Religioſorum poſt finitam probationem; nomine autem profeſſionis, ut iterum obſervat Pelliz. intelligitur etiam emiſſio votorum ſimplicium, qualia in Societate edi ſolent. Quibus ſi deinde accedat ultima nuncupatio votorum, ait, rurſum obtineri eaſdem indulgentias; ſicut ſi quis in alia Religione ſtrictiore novam profeſſionem faceret.

Tertiò. Similes indulgentias obtinet quilibet intra Religioſa ſua Clauſtra vivens, qui in principali feſto ſui Ordinis peracta confeſſione, & Communione etiam preces fundit pro concordia Principum Chriſtianorum, hæreſum extirpatione, exaltatione Eccleſiæ, & pro ſalute Romani Pontificis. Videntur autem intra Religioſa Clauſtra quoque degere moraliter, qui à ſuis Superioribus ex obedientia propter functiones ſui Ordinis, vel propter curam animarum, vel alios ejuſmodi fines utiles extra illa ad tempus, etiam longum, emittuntur, ad nutum revocabiles. Sicut juxta *cap. Conſuetudinem de Clericis non reſidentibus in 6.* inter reſidentes in loco beneficii cenſentur, quos infirmitas, aut rationabilis corporis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſat. Et juxta Trid. *ſeſſ. 22. cap. 3. de Reformat.* pro præſenti habetur, qui ab Eccleſia ſua Cathedrali, vel Collegiata, abeſt propter commiſſam ſibi curam animarum.

Quartò. Indulgentias plenarias conſequitur quilibet Reli-

Religioſus in mortis articulo, qui confeſſus, & ſacra Communione refectus, vel ſi id facere nequiverit, ſaltem contritus Nomen JESV ore, vel ſi non potuerit, corde devotè invocat.

Quintò. Quoties per 10. dies inſtituuntur ſpiritualia exercitia, peracta ſimul confeſſione ab ultima generali, & S. Communione, obtinentur Indulgentiæ plenariæ.

Sextò. Eadem conceduntur offerenti primum Miſſę Sacrificium, & eidem aſſiſtentibus, ſi Confeſſionis, & S. Communionis Sacramenta perceperint, vel Sacrum eadem die fecerint.

Septimò Qui peracta Confeſſione, & SS. Communione ex obedientia ad terras infidelium, vel hæreticorum mittuntur, die diſceſſus, & in illas adventus, plenarias Indulgentias acquirunt.

Octavò. In viſitatione generali à Superiore inſtituta plenariæ indulgentiæ conceduntur ſuſcipientibus Sacramenta pœnitentiæ, & Communionis, & comprecationi quadraginta horarum duas impendentibus pro intentionibus ſuprà dictis., & pro felici ſucceſſu viſitationis.

Nonò. Indulgentias ſtationum, intra & extra Urbem, eadem die conceſſas (ſi ſtationes libro Miſſarum ſint inſertæ, quam reſtrictionem fecit Innocentius XI. anno 1678. in Bulla revocatoria plurium Indulgentiarum) obtinent Religioſi intra Clauſtra degentes, viſitando ſuam Eccleſiam, & orando pro intentionibus tertio loco prædictis. Extra clauſtra verò de Superiorum licentia verſantibus, & ante quodcunque Altare 5. Pater & Ave recitantibus indulgentiæ 5. annorum, & totidem quadragenarum conferuntur.

Decimò. Per menſem quotidie media hora meditantibus, & ultima Dominica Sacramenta Pœnitentiæ, & S. Synaxis obeuntibus ſexaginta annorum, & totidem quadragenarum indulgentia datur.

Undecimò. Contrito corde de culpis, & defectibus in Capitulis ſeſe accuſantibus, trium annorum, & totidem quadragenarum indulgentiæ conferuntur.

73 Quæritur ſecundò. An indulgentiæ ad inſtantiam Societatis, primariæ Congregationi Romanæ à Gregorio XIII. anno 1584. & à Sixto V. anno 1586. conceſſæ, cum Privilegio Adm. R. P. Generali indulto, eaſdem Indulgentias per Aggregationem communicandi aliis, ubivis terrarum erectis, & unitis Congregationibus, nunc per decretum editum, & promulgatum Romæ die 7. Martii anno 1678. juſſu Innocentii XI. revocatæ ſint, quando inter alias plurimas revocatas etiam tandem legere eſt: *Et habitas per Aggregationem, vel aliam communicationem ab Archifraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate etiam IESV, Capitulo, vel cœtu quocunque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus, aliiſque Perſonis, vel Perſona, etiamſi earum, vel ejus mentio ſpecialis, & individua facienda eſſet, niſi fuerint deinde Romani Pontificis auctoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius eſſe roboris, & momenti declarat.*

Reſp. Non eſſe revocatas, prout à noſtro R. P. Procuratore Aſſiſtentię Germaniæ ipſe accepi SS. Pontificem interrogatum reſpondiſſe, ſibi non veniſſe in mentem, iſtas Indulgentias revocare. Ratio autem reſponſionis meæ ulterior eſt: quia decretum Innocentii XI. nullam continet Clauſulam derogatoriam derogatoriarum, Gregorius XIII. autem, cujus conceſſionem repetitis iiſdem verbis confirmat Sixtus V. (quibus proinde veluti per motum proprium, ac certam ſcientiam, omnis ſurreptionis ſuſpicio removetur, ob cujus ſurreptionis præſumptionem unicè editum eſt decretum Innocentii XI. ut in illo ipſo decreto præmittitur,) contulit Indulgentias, & Privilegium Præpoſiti Generalis, cum clauſula derogatoria derogatoriarum his expreſſis verbis: *Præſentes litteras ſub quibuſcunque ſimilium, vel diſſimilium Indulgentiarum, & aliarum gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus &c. minimè comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, totiès in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas & plenariè reintegratas, ac de novo conceſſas eſſe, & cenſeri: nec non omnibus, quos illæ concernunt, ſuffragari debere, irritum quoque & inane eſſe, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis ætate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus &c.* Idem dicendum eſt de pluribus aliis Archifraternitatibus, quæ cum ſimilibus clauſulis ſummorum Pontificum munificentias præclaras indulgentias obtinuerunt.

Quæritur tertiò. An Indulgentiæ pro Regularibus vel Sæcularibus vivis revocatæ, etiam cenſeantur revocatæ pro mortuis, quibus per modum ſuffragii erant applicabiles. Reſp. probabilem eſſe ſententiam Franciſci Pellizzarii, quòd non ſint revocatæ, idque declaraverit Paulus V. vivæ vocis oraculo Congregationi S. Mariæ Fulienſis 13. Febr. 1609. quę declaratio, cùm non ſit nova conceſſio alicujus privilegii, non continetur inter oracula revocata. Eandem ſententiam tenent Lezana, verbo: *Indulgentia num.* 10. & apud ipſum Alphonſus Leo, Peyrinus, Navarrus, quibus etiam ſubſcribit P. Gobat *tom.* 2. *tra.* 4. *num.* 673. confirmans id à paritate rationis; quòd etiam tempore Jubilæi, quæ tolluntur indulgentiæ plenarię pro vivis, non tollantur Indulgentię pro morientibus, & pro mortuis conceſſę, prout Urbanus VIII. Illuſtriſs. Domino Coccino Vice-Gerenti Pœnitentiarię declaravit. Conſentanea quoque eſt iſta ſententia ſummorum Pontificum pietati, ac clementię, & fidelium defunctorum indigentię in eo ſtatu, in quo ipſis nulla ampliùs media ſuppetunt pręſtandę ſatisfactionis pro peccatis. Unde quia pro vivis indulgentię ob aliam ſpecialem rationem revocatę ſunt, e. g. ne Indulgentiarum multitudine, & frequentia liberiùs peccent, aut alia opera ſatisfactionis negligant, relicta tamen illis eſt poteſtas, ut indulgentias, quas ſibi immediatè obtinere, & ſic ad defunctos transferre non poſſunt, illas pro his immediatè, & ipſorum nomine lucrentur: quem ſenſum videntur continere verba Pontificum, concedentium indulgentias applicabiles defunctis per modum ſuffragii. 74

TRA-

TRACTATUS II.
DE ACTIBUS MORALIBUS IN COMMUNI, ET IN SPECIE DE INHONESTIS, SEU PECCATIS.

DISPUTATIO I.

De Actibus Moralibus in Genere.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex ſit voluntarium.

SUMMARIUM.

1 *Formaliter voluntarium definitur ex Ariſtotele.*
2 *Definitur etiam ex S. Thoma.*
3 *Quid ſit perfectè voluntarium. Et involuntarium* ſecundùm quid. *Et, Non voluntarium.*
4 *Voluntarium latiùs patet, quàm liberum.*
5 *Formaliter voluntario correſpondet voluntarium objectivum.*
6 *Voluntarium objectivum dividitur in voluntarium actualiter, ſive formaliter: & in voluntarium interpretativè.*
7 *Quando voluntarium interpretativè ſufficiat ad honeſtandum actum, & quando non.*
8 *Voluntarium aliud eſt directè, aliud indirectè.*
9 *Voluntarium aliud eſt phyſicè, aliud moraliter.*
10 *Refertur ſententia negans, effectum cauſæ voluntariæ eſſe moraliter voluntarium, qui quando actu ponitur, à voluntate eſt inimpedibilis.*
11 *Vera ſententia diſtinguit, ſi nempe voluntas, ponens cauſam, ante exiſtentiam effectus eſt retractata, negat effectum eſſe moraliter voluntarium, ſi non eſt retractata, affirmat.*

POſtquam egimus de principiis directivis actuum moralium, ſequitur, ut de ipſa eorundem natura agamus: quia autem ſoli actus voluntatis formaliter morales ſunt, id eſt, moralitatem ſeu honeſtatem, ac inhoneſtatem morum intrinſecè participantes, quatenus in objectum honeſtum, vel inhoneſtum voluntariè feruntur, ideò declarandum nunc eſt, quid ſit voluntariè ferri in objectum, ſeu quid ſit eſſe actum formaliter voluntarium, & quomodo ab hoc objectum illius denominativè reddatur voluntarium.

1 Sicut in Philoſophia actio alia dicitur naturalis, alia violenta; & naturalis quidem illa eſt, quæ fit cum intrinſeca inclinatione ejus, quod per actionem movetur; violenta verò, quæ fit contra inclinationem à principio extrinſeco: ſic etiam in Theologia duplex conſideratur actio, voluntaria, & involuntaria, vel ſaltem non voluntaria. Prior, nempe voluntaria, rectè ab Ariſtotele 3. *Ethic. c.* 1. his verbis, per communem omnium Doctorum, excepto Arriaga, interpretationem in ſenſum bonum redactis definitur, *cujus principium eſt in ipſo agente, cognoſcente ſingula, in quibus eſt actus*; quæ definitio tamen ut non ſoli perfectiſſimè voluntario accommodetur, quoad particulam *ſingula* intelligenda eſt non abſolutè de omnibus, quæ in conſiderationem venire poſſent, ſed reſpectivè de illis, comparatione quorum actus dicitur voluntarius, reſpectu incognitorum enim non dicitur voluntarius.

2 Unde breviùs, & clariùs voluntarium definitur à S. Thoma 1.2.q.6.a.2. *Eſſe id, cujus principium eſt intra cum aliqua cognitione finis*: ſenſus utriuſque definitionis eſt, quòd actio, vel actus formaliter voluntarius ſit aliquis motus immanens, ſeu inhæſens ſuo principio, nempe voluntati, à qua ex prævia cognitione finis, in quem tendit, & circumſtantiarum, ac mediorum ad finem conducentium, vel abducentium procedit: quia enim nihil poteſt eſſe volitum, niſi præcognitum, & quia omnis actus voluntatis debet tendere in aliquem finem, quem vel ut bonum proſequitur, & amat, vel ut malum fugit, ac odit, ipſe verò actus debet recipi in potentia volitiva, ſive in voluntate, eamque movere, ac immutare, prout quælibet forma ſuum ſubjectum immutat, ideò actus voluntarius, nempe à voluntate elicitus, dicitur motus ſive mutatio immanens, ſive inhærens, & receptus in principio productivo, ac procedens ex cognitione finis, quem amat propter ſuam bonitatem, vel odit propter ſuam malitiam, & in ordine ad illam bonitatem conſequendam, vel malitiam ſugiendam tendit etiam in circumſtantias, & media.

Unde omni actui voluntatis convenit definitio volun- 3
tarii, & dicitur ſimpliciter voluntarius; quando tamen fertur in objectum, non cum omnimoda inclinatione, ſed cum averſione, & odio illius, dicitur quidem adhuc ſimpliciter, ſive à potiori voluntarius, quia convenit ipſi definitio voluntarii, ſed ſecundùm quid, ſive partialiter dicitur involuntarius; velut homo Æthiops eſt ſimpliciter niger, ſed ſecundùm quid, ſcilicet ſecundùm dentes eſt albus. Hinc ſi definitioni voluntarii addantur particulæ, *qui partim tendit in objectum contra inclinationem*: hoc ipſo habetur definitio actus involuntarii ſecundùm quid: reſpectu illius autem objecti, in quod actus voluntatis per præcedentem cognitionem non dirigitur, in quod adeoque nullo modo tendit, dicitur nec voluntarius, nec involuntarius, ſed non voluntarius: quia nec eſt juxta, nec contra inclinationem, nec convenit actui reſpectu illius objecti definitio voluntarii, quia non tendit in illud ex præcedente cognitione.

Notandum præterea voluntarium latiùs patere, quàm 4
liberum, quia omnis actus liber eſt voluntarius, non tamen viciſſim omnis actus voluntarius eſt liber: nam Beati in Cœlo voluntariè amant Deum, non autem liberè.

Cæterùm ratio voluntarii, quæ convenit actui volun- 5
tatis formaliter, & intrinſecè, objecto convenit denominativè, & extrinſecè, ſcilicet dependenter ab actu, à quo denominationem accipit, & dicitur voluntarium objectivum, ſivè objectivè voluntarium. Ideò voluntarium dividitur immediatè in voluntarium formaliter (ſumendo hìc *formaliter* prout idem ſignificat ac intentionaliter) quod eſt ipſe actus; & in voluntarium objectivè, quod eſt ipſum objectum.

Voluntarium objectivum ſubdividitur primò in vo- 6
luntarium actualiter, ſive formaliter, quando hæc vox *formaliter* non in priori ſenſu, ſed in iſto poſteriori, *pro actualiter* accipitur: & in voluntarium interpretativè. Voluntarium *actualiter*, ſivè *formaliter* in poſteriori acceptione hujus vocis, eſt illud objectum, quod fit dependenter à volitione non merè præſumpta, ſed actu exiſtente, & manifeſtata alteri, qui illud objectum ſive operationem ponit. *Interpretativè* voluntarium eſt, quod fit ex præſumptione volitionis alterius, actu exiſtentis, vel exituræ, ſi alter interrogaretur; hinc duplex eſt interpretatio, abſoluta, & conditionata; abſoluta eſt, quando ex quibuſdam circumſtantiis rationabiliter interpretor, alium habere volun-

voluntatem, vel conſenſum, ut hoc à me fiat. Conditionata eſt, quando non quidem interpretor, alterum de facto habere voluntatem, ut ego hoc faciam, ſed tamen facilè in meam actionem conſenſurum, ſi ipſum interrogarem.

7 Rectè tamen advertunt Doctores, quòd hæc interpretatio non denominet meam actionem alteri abſolutè, & ſimpliciter voluntariam, ſed tantùm conditionatè, nempè quòd eſſet voluntaria, ſi interrogarem, non autem, quòd ſit; licèt verò hoc voluntarium interpretativum, conditionatum, quandoque ſufficiat ad actum aliquem honeſtandum v. g. quando Superior conveniri non non poteſt, & tamen urget aliqua cauſa ponendi actum: nunquam tamen ſufficit, quando prudenter judicare debeo, Superiorem fore invitum, vel quoad circumſtantiam, vel quoad ſubſtantiam, niſi expreſsè obtineam licentiam ad aliquid agendum, conſequenter ad hoc voluntarium præter conſenſum ſub conditione futurum inſuper requiritur negatio voluntatis, tali modo reſiſtentis, qualem voluntatem reſiſtentem non tantùm quoad circumſtantiam (quæ actionem meam inhoneſtam quidem, ſed non invalidam, aut furtivam faceret) ſed etiam quoad ſubſtant iam cenſentur habere Religionum Superiores, in quibus diſciplina viget, adeòque uſurpationem rerum in Monaſterio abſque expreſſa licentia reddere ſubditis iuhoneſtam inhoneſtate furti: teſte Sanchez *lib.7. in Decalogum cap.19. num.* 15. Lugo *diſp.*3. *de Iuſtitia* ſ.7. 124.

8 Subdividitur ſecundò voluntarium in directum, & indirectum: directè voluntarium eſt, quod poſitivè propter ſe, vel propter aliud amatur. Indirectè voluntarium eſt, teſte S. Thoma *quæſt.* 77. *art.*7. quod quidem non amatur poſitivè, ſed tamen voluntas in illud fertur permiſſivè, in quantum prævidit, & potuit impedire, nec impedivit, quo ſenſu S. Doctor *quæſt.6. art.*3. dicit, voluntarium directè eſſe non poſſe ſine actu, indirectè voluntarium poſſe.

9 Subdividitur tertiò voluntarium in phyſicè voluntarium, & in voluntarium moraliter ſeu imputativè. Phyſicè voluntarium dicitur, quod vel poſitivè cauſatur à volitione, vel impediri potuiſſet, etiamſi voluntas non tenebatur impedire, teſtibus Valentia, Salas, Lugo, Arriaga, & aliis: & hoc modo etiam peccata noſtra DEO poſſunt dici voluntaria, quatenus potuiſſet non dare actum primum proximum ad peccandum, vel dare auxilia efficacia ad non peccandum.

Voluntarium moraliter eſt, quod quis non ponere, aut impedire poterat, ac tenebatur, & tamen poſuit, vel non impedivit, & hac ratione etiam effectus, quos aliquis ex actione, vel omiſſione actionis judicat ſecuturos, moraliter voluntarii eſſe poſſunt. Quando autem quis aliquàm actionem non ponere aut impedire teneatur, ne illa vel effectus immediatè, vel mediatè ſecutus, moraliter ſeu imputativè voluntarius dicatur, non eſt hujus loci examinare.

10 Controverſia tamen eſt, an hujuſmodi effectus non tantùm phyſicè, ſed moraliter etiam voluntarii ſint, ſi cùm ponuntur, impediri à voluntate non ampliùs poſſent. Et quidem certum eſt, illos nullam ſuperaddere diſtinctam malitiam moralem ſuæ cauſæ, cùm nullum ſuperaddant novum exercitium libertatis, ſed tantùm quæſtio eſt, an libera volitio ponens cauſam per denominationem extrinſecam refundat ſuam malitiam moralem in effectum, poſteà primùm ſecutum, ſicut refundit in effectum ſibi coexiſtentem: ita ut illum verè denominet peccaminoſum, & tamquam peccatum externum in Confeſſione exprimi debeat. Negat Vaſquez 1.2. *diſputat.* 94. *capit.* 3. & 4. *numer.*16. Cujus ſententiam ſequitur Layman. *lib.*1. *tractat.* 2. *capit.*3. *numer.*5. Reputant probabilem Sanchez *libr.* 1. *in Decalogum cap.* 16. *num.* 46. circa finem, & Palao *tractat.*2 *diſput.*1. *par.* 3. referens pro illa Covarruviam, Sayrum, Azor, & oppoſitam ſolùm dicens probabiliorem. Fundamentum illius eſt, quia nemo cenſetur actu peccare, qui non actu poteſt impedire peccatum: in tantum enim actus externus dicitur peccatum, in quantum potuit, debuit impediri; ſed qui poſuit cauſam effectus poſteà neceſſariò ſecuturi, non poteſt tunc impedire id, quod deberet participare rationem peccati: ergo tunc quando nimirum ponitur effectus, non actu peccat.

Hæc ſententia, teſte Thoma Sanchez, Salas, Villalobos, Azor, Vega, & teſte Palao certa quidem eſt, ſi ante poſitionem effectus voluntas interea retractet ſuum actum liberum; ſi verò non retractet, communior, & probabilior ſententia videtur oppoſita. Prima pars probatur ex eo, quod omnis volitio poſita retractatione ceſſet moraliter perſeverare, conſequenter tunc effectus ſubſequens nequeat dici voluntarius. Unde ſi quis alteri demandaſſet ſuo nomine contrahere cum aliqua matrimonium, & dein altero in itinere commorante ſuum mandatum retractaſſet, hoc ipſo contractus ſubſequens diceretur involuntarius, adeòque invalidus.

Confirmatur. Si effectus ortus ex peccaminoſa appoſitione cauſæ contraheret, non obſtante retractatione, malitiam moralem in confeſſione explicandam, ſequitur, quòd ſi ille effectus poſt præmiſſam confeſſionem, & recuperationem gratiæ inimpedibiliter oriretur, ex cauſa ante confeſſionem poſita e. g. ex propinatione lenti veneni; is, vel jam fuiſſet dimiſſus, ante quàm exiſteret, quod eſt contra rationem peccati (quamvis pœna temporalis e. g. excommunicatio dependens ab effectu futuro, poſſit quoad obligationem illam incurrendi per præcedentem ſententiam abſolutionis impediri, ne incurratur) vel homo juſtificatus per confeſſionem denuò fieret peccator abſque novo exercitio libertatis, ſine quo tamen gratia perdi non poteſt, nec ſtare denominatio peccatoris cum gratia.

Secunda pars probatur ex reſponſione ad contrarium fundamentum, diſtinguendo illius Maj. nemo cenſetur actu peccare, qui non poteſt actu impedire peccatum, niſi libera determinatio ad peccatum facta per poſitionem cauſæ, neceſſariò connexæ cum effectu, adhuc moraliter perſeveret, concedo Maj. ſi moraliter perſeveret, nego Maj. hoc ipſo autem, quòd effectus ponatur dependenter à libera volitione cauſæ, eaque non ſit retractata, cenſetur moraliter perſeverare, & effectus moraliter eſſe voluntarius, adeòque peccaminoſus; ſicut cenſetur moraliter perſeverare intentio recipiendi Sacramentum, quando ea non retractatur.

ARTICULUS II.

De Cauſis imminuentibus voluntarium, vel efficientibus Involuntarium ſecundùm quid.

§. I.

An ira, vel Concupiſcentia imminuat voluntarium vel cauſet involuntarium ſecundùm quid.

SUMMARIUM.

12 *Ira & concupiſcentia non minuit, ſed potius auget rationem Voluntarii ex parte voluntatis.*

13 *Reſpondetur ad rationes contrarias.*

RAtio dubitandi eſt, tum quia hujuſmodi paſſio præ- 12
dominans, etiamſi non ſupponatur omninò tollere uſum rationis, & in amentiam redigere (quo in caſu, teſte Thoma proximè citando, utique deficeret ratio voluntarii propriè dicti, ſicut in brutis) tamen impedit uſum rationis ad cognoſcendum ſingula, in quibus eſt actus; tum quia principalior appetitus hominis, nempè rationalis, ſæpè cum aliquo reniſu, & reſiſtentia tandem amplectitur objectum, victus à paſſione prædominante appetitus ſenſitivi. Reſp. cum S. Thoma 1. 2. *qu.* 7. *artic.* 7. ex communi aliorum Doctorum conſenſu, quòd licèt concupiſcentia, vel alia hujuſmodi paſſio incitans voluntatem, minuat libertatem, & indifferentiam voluntatis (niſi ea voluntas à clariore cognitione honeſtatis, reducatur ad æquilibrium, & indifferentiam majorem) abſque præjudicio tamen virtutis merendi, quæ non minuitur per diminutionem libertatis,

ſed

ſed potiùs augetur propter difficultatem majorem in ſuperanda paſſionis vehementia, nihilominus nec concupiſcentia, nec ira, nec alia paſſio, voluntatem in objectum delectabiliter inclinans, voluntarium ex parte voluntatis, ſeu inclinationis diminuat, ſed potiùs augeat. Ratio eſt, quia paſſio prædominans magis promovet inclinationem voluntatis, & vincit reniſum, ergo non diminuit voluntarium ex parte voluntatis.

13 Rationes verò dubitandi ſolùm evincunt in actu voluntatis latere quidem aliquem defectum voluntarii, ab excæcatione intellectus provenientem, ob quem minuitur libertas actus, ut ſi peccaminoſus fuit, faciliùs veniam delicti, aut obligationis per votum, aut per juramentum ex tali actu contractæ relaxationem mereatur: attamen defectus iſte non ſe tenet ex parte voluntatis ſeu inclinationis, reniſus verò, qui in actu voluntatis reſidet, & à paſſione prædominante vincitur, non ab hac, ſed ab objecto abſterrente provenit: unde ipſe actus voluntatis, ſicut quilibet alius actus liber, ſuperativus alicujus moleſtiæ, non cauſatus à concupiſcentia, aliquo modo involuntarius *ſecundùm quid* dici poteſt, non tamen propriè, & in eo rigore, quo deinde actum ex metu ortum involuntarium *ſecundùm quid* dicemus: quia qui operatur ex concupiſcentia, ita fertur in objectum, ut non obſtantibus malis, quæ objectum ſecum tradit, & quæ diſplicent, malit illud acquirere, eoque frui, quàm permanere in priſtino ſtatu, in quo illo bono, & illis malis caruit, adeòque talis apprehendit ſuam operationem, ut ſibi exoptabilem, & aliquo modo de illa gaudet, ut patet exemplo parentum, mittentium filium ſuum ad bellum, ſpe, & oblata occaſione promotionis gaudentium, etſi ex altera parte triſtentur de illius abitu, & periculo. Contrarium fit in illo qui operatur ex metu; ille enim triſtatur potiùs de operatione, & mallet in priſtino ſtatu permanere, quàm operari ad cavendum majus malum, ergo propter hoc notabile diſcrimen rectè dicitur, à concupiſcentia non cauſari involuntarium ſecundùm quid, cauſari tamen à metu.

§. II.

An metus cauſet involuntarium ſecundùm quid.

SUMMARIUM.

14 *Metus gravis, cadentis in conſtantem virum, tres Conditiones.*

15 *Actio ex metu poſita præcisè ad evitandam pœnam, eſt ſecundùm quid Involuntaria.*

16 *Si metus tollat malitiam actionis, hæc neque ſecundùm quid eſt Involuntaria.*

17 *Quando Actio ex metu magis diſplicet, quàm ejus ponendæ neceſſitas placet, eſt Involuntaria ſecundùm quid.*

14 QUæſtio non eſt de metu levi, ſed de gravi, ad quem tres conditiones requiruntur. Prima eſt, ut malum, quod timeretur, grave ſit: pro tali autem habentur, mors, mutilatio, gravis verberatio, ſervitus diuturna, incarceratio, amiſſio nobilitatis, dignitatis, aut magnæ partis bonorum temporalium &c. ad quæ independenter ab objecto per metum eligendo, dabatur jus retinendi, vel obtinendi; item ingens infamia, excommunicatio, quæ quando eſt injuſta, licèt non obliget in conſcientia, obligat tamen, ut quis exteriùs pro excommunicato ſe gerat, donec conſtet de innocentia juxta *capit. A nobis 28. de Sententia Excommunicationis*: adeòque adhuc grave malum eſt. Præterea timor reverentialis, ſumptus non pro ſolo pudore, aut verecundia, Superiori aliquid denegandi, ſed prout trahit ſecum vultus aſperitatem, rigidam tractationem, exprobrationem continuam, vel alia hujuſmodi ſigna ſtabilis averſionis animi, qualis communiter ſolet etiam oriri ex Superiorum aut parentum importunis, & conſtantibus precibus repudiatis. Hæc itaque, & alia ſimilia prudentum judicio, vel judicis ſententia gravia mala ſi ipſi operanti, aut domeſticis illius, vel conſanguinitate intra 4. gradum, aut affinitate, aut arctiſſima amicitia junctis, ex omiſſione actionis probabiliter imminerent, cenſetur conſtituere gravem metum, qui poſſit etiam virum conſtantem, & fortem implere ad actionem evitativam illorum, iſque diceretur metus juſtus, ſeu juſtè incuſſus, ſi hujuſmodi malum juſtè inferreretur: ſi autem injuſtè, metus diceretur injuſtus: quamvis in jure ſæpè vocetur juſtus; id eſt, gravis, ac juſtè movens. Quia verò contingere poteſt, ut propter naturalem timiditatem, qua fœminæ ac pueri laborant, etiam leve malum graviter apprehendatur, ideò metus illius comparativè gravis eſſe poteſt, & eodem modo cauſans involuntarium ſecundùm quid, ſicut metus gravis mali, ſed in foro externo, ſaltem inter viros non haberetur pro eo, qui poſſit cadere in conſtantem virum, & irritare contractum; proinde tantùm metui injuſto, & gravi ex parte objecti concederetur irritatio contractus, non propter rationem involuntarii, ſed propter deteſtationem injuriæ ad extorquendum contractum illatæ.

Secunda conditio eſt, ut ſi metus ab homine minitante grave malum proveniat, is poſſit, & probabiliter credatur velle illud inferre, prout meritò ſupponitur velle, ſi id ipſe de ſe enuntiet, niſi jam ſæpè ſciatur eſſe minitatus, & non exſecutus illud malum. Tertia conditione requiritur, ut patiens metum gravis mali non poſſit alio modo illud facilè evitare; aliàs, ut per ſe patet, nec gravem violentiam, nec gravem metum ſuſtinere cenſeretur. His conditionibus pro declaratione gravis metus ſuppoſitis

15 Dico primò. Qui operatur ex metu pœnæ præcisè ad evitationem pœnæ, ita ut nullum aliud bonum ultra priſtinum ſtatum intendat, neque illud, quod per legem à Principe intentum eſt, neque aliquod aliud, illius operatio eſt ſecundùm quid involuntaria: ſi autem intendat ejuſmodi bonum, non eſt rigoroſè involuntaria operatio, etiamſi voluntas non expreſsè dicat, quòd etiam ſecluſa pœna vellet adhuc operari, modò non formaliter, vel virtualiter dicat, ſecluſa pœna non ſic operarer.

Ratio eſt, quia in poſito caſu poſterioris partis non diſplicet operatio, ut damnoſa, ſeu ut merè electiva minoris mali pro majore, ſed placet, ut poſitivè bona, & inductiva alicujus fœlicitatis intentæ: in caſu autem prioris partis diſplicet ut damnoſa, ſeu ut merè electiva ſecundùm practicam æſtimationem minoris mali præ majore.

16 Dico ſecundò. Quando actio ita fit ex metu, ut hoc ipſo deſinat habere illam malitiam, & eſſe materia diſplicentiæ, quam haberet, & prout eſſet, ſi non ſubſtaret metui, non eſt involuntaria ſecundùm quid. V. g. æger jubetur metu mortis comedere carnes die Veneris, talis comeſtio non habet malitiam peccati; hinc non eſt involuntaria ſecundùm quid, quantum eſt ex parte hujus malitiæ: quamvis poſſet eſſe dicto modo involuntaria, ſi comeſtio eſſet connexa cum alio malo, quod non tolleretur per metum.

17 Dico tertiò. Quotieſcumque actio aliqua ponitur tantùm ad evitandum aliud malum, ita ut operans mallet actionem tamquam ſibi damnoſam, & neceſſitatem illius ponendæ non dari, tunc illa actio eſt quidem voluntaria ſimpliciter, involuntaria tamen ſecundùm quid. Ita Authores communiter cum S. Thoma 1. 2. *qu.* 6. *art.* 6. Ratio primæ partis eſt, (qua etiam præcedens concluſio confirmatur) quia *ſimpliciter* hic ſumitur pro eo, quod plus habet de uno contrario, quàm de altero: ſicut homo dicitur ſimpliciter bonus, etiamſi levem virtutis defectum habeat; atqui hoc ipſo, quòd voluntas propter malum evitandum actionem velit potiùs poni, quàm non poni, plus habet de voluntario, quàm involuntario: ergo eſt ſimpliciter voluntaria.

Ratio ſecundæ partis eſt: quia talis actio eligitur, ut præcisè evitativa majoris mali. E. g. projectio mercium è navi, facta metu naufragii, cùm mercator potiùs vellet non eſſe in circumſtantiis, neceſſitantibus ad projectionem mercium, & hanc actionem non poni:

§. III.

An ignorantia cauſet involuntarium ſecundùm quid, non excuſabile à culpa, & pœna.

S U M M A R I U M.

18 *Diviſio ignorantiæ in antecedentem, concomitantem, & conſequentem.*

19 *Ignorantia antecedens cauſat effectum involuntarium ſecundùm quid, quando is eſt ingratus propter malitiam diſtinctam à ſcientia oppoſita.*

20 *Ignorantia concomitans non cauſat effectum involuntarium, ſed Non voluntarium.*

21 *Ignorantia affectata cauſat effectum ſimpliciter voluntarium.*

22 *Ignorantia conſequens non affectata, ſed negligens cauſat moraliter, & imputativè voluntarium quoad culpam.*

23 *Non vero quoad pœnam temporalem, Lege ſtatutam, niſi ſit craſſa.*

24 *Etiam ignorantia ſolius pœnæ ab ea excuſat. Hinc non incurritur cenſura Eccleſiaſtica.*

25 *Reſervatio peccati abſoluta incurritur etiam ab ignorante reſervationem, dependens verò à cenſura non incurritur ab ignorante cenſuram.*

18 SUpponendum, quòd ignorantia dividatur in *Antecedentem*, *Concomitantem*, & *Conſequentem*. Ignorantia antecedens ideò dicitur talis, quia ipſa non pendet à volitione peccaminoſa, eligere hanc ignorantiam: adeòque eſt inculpabilis, & ita cauſat operationem voluntatis ſubſequentem, ut neque hæc, neque alia volitio ejuſdem objecti e. g. comeſtionis carnium die Veneris poſita fuiſſe, ſi ignorantia prohibitionis abſuiſſet.

Concomitans illa vocatur, quæ etiam non pendet à volitione peccaminoſa, ſed tamen non ita neceſſariò præſupponitur ad volitionem, & operationem ſubſequentem, quin adhuc fuiſſet poſita eadem operatio, v. g. eadem comeſtio carnis dependenter ab alia volitione, etiam ſi ignorantia prohibitionis non fuiſſet, ſed oppoſita ſcientia.

Denique conſequens ignorantia dicitur illa, quæ ſequitur ex imperio peccaminoſo, vel directè intendente ignorantiam v. g. ut quis eò liberius peccet, & tunc appellatur ignorantia *affectata*; vel non curante ſcientiam oppoſitam, cum tamen deberet curare ex obligatione, & tunc vocatur ignorantia *negligens*: quæ ſi procedat ex omiſſione ferè omnis diligentiæ, *craſſa* ſeu *ſupina* nominatur, alias ſimpliciter pro majoris, vel minoris diligentiæ omiſſione graviter, aut leviter negligens dicitur. Hæc ignorantiæ differentia ſuppoſita.

19 Dico primò. Ignorantia antecedens ſimpliciter quidem cauſat non voluntarium, id eſt, actum, cujus aliqua circumſtantia non eſt volita, eò quòd non ſit præcognita, involuntarium verò tunc, quando ſcientia oppoſita ignorantiæ non conſtituit malitiam objectivam actus propter quam vitandam ipſe omitteretur, ſi illa ſcientia adeſſet. Declaratur exemplis Occiſio v. g. parentis ignoranter facta eſt involuntaria filio amanti parentem, quia malum occiſionis, quod abſterreret filium, eſt adæquatè diſtinctum à ſcientia. E contrariò comeſtio carnium die Veneris facta ab eo, qui horret comeſtionem tantùm ut formaliter peccaminoſam, non autem quatenus eſt materialis trangreſſio Legis impeditiva meriti, ſed qui potiùs gaudet, quòd ſine formali peccato comederit carnes, per inculpabilem ignorantiam (quod gaudium in hac materia eſt licitum) talis, inquam, comeſtio eſt quidem non voluntaria, non tamen eſt involuntaria, quia non eſt contra inclinationem habitualem, & præſumptam, ſeu interpretativam, eò quòd malum, à quo iſte homo abhorret, & quod eſt contra inclinationem, ſit comeſtio carnis. ut formaliter peccaminoſa, hæc autem malitia, ſeu formale peccatum aliquo modo conſtituitur per ſcientiam oppoſitam ignorantiæ.

20 Dico ſecundò. Ignorantia concomitans, ex qua v. g. in venatione poſui occiſionem inimici, putans eſſe feram, neque cauſat voluntarium, quia actio in ratione hujus actionis v. g. homicidii non cognoſcitur, conſequenter non eſt voluntaria; neque involuntarium; quia actio non eſt contra, ſed potiùs juxta inclinationem habitualem, ex qua occidiſſem meum inimicum, etiamſi cognoviſſem, non eſſe feram, ſed eſſe inimicum meum. Itaque ſolummodò cauſat Non voluntarium, quia removet cognitionem, qua poſita homicidium foret voluntarium.

21 Dico tertiò. Ignorantia affectata cauſat ſimpliciter voluntarium, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam illi annexam temporalem, ut conſentiunt Doctores. Ratio eſt, quia ignorantia e. g. Legis ideò eligitur, ut ſequatur actio, quam ſuſpicaris Lege forſan eſſe prohibitam: ergo illa actio, & ipſa transgreſſio Legis, confusè ſaltem, & ſub dubio, aut ſuſpicione cognitæ (quod ſufficit ad voluntarium moraliter ſeu imputativè) eſt juxta inclinationem, adeòque voluntaria.

Confirmatus. Ignorantia affectata, ſumpta in ſenſu explicato, in quo non poteſt non eſſe temeraria, æquiparatur ſcientiæ, ut colligunt Doctores *ex capitul. Quæſitum de Pœnit. & Remiſſ.* ubi mors filii in lecto oppreſſi ſcienter procurata, vel ignoranter à ſtudioſè negligentibus illata, eadem pœna afficitur. Hinc quando in Jure ſtatuitur pœna ſcienter, vel temerè, vel conſultò transgredientibus legem, ad eam incurrendam ſufficit) & ad minimum tamen per prædictas particulas requiritur ignorantia affectata v. g. ad reſtrictionem juris petendi debitum conjugale *in c. de Eo, qui cognovit conſanguineam* ubi dicitur: *Si quis cum filia ſua ſcienter fornicatus fuerit, neque à matre debitum petere, neque filiam unquam habere poteſt uxorem.*

22 Dico quartò. Ignorantia conſequens non affectata, ſed negligens cauſat ſimpliciter voluntarium phyſicè, & moraliter, ſeu imputativè quoad culpam. Ratio eſt, quia licèt effectus peccaminoſus non ſit volitus directè, ſicut fit in ignorantia affectata, ſed potius ipſe, & ignorantia Legis ſe habuerit tamquam motivum abſterrens, adeòque ſit in voluntarius ſecundùm quid, latè loquendo, pro ut ſumitur involuntarium in quovis actu libero, eſt tamen potiùs indirectè volitus, ſcilicet in ſua cauſa, quatenus directè volita eſt carentia laborioſæ inquiſitionis, ex qua ignorantia Legis, ac proinde ejus violatio ſecutura timebatur, & tamen per contemptum non curabatur; unde meritò imputatur ad culpam proportionatam gravitati obligationis, & negligentiæ procurandi ſcientiam debitam; ita ut actus externus ex tali vincibili ignorantia poſitus, ſecundùm eandem proportionem in ſua ſpecie extrinſecè denominetur peccaminoſus, & in confeſſione explicandus, niſi volitio eligens carentiam laborioſæ inquiſitionis, adeòque liberè apponens cauſam effectui, contra prohibitionem Legis ſecuto, priùs fuerit retractata.

23 Propter admixtam tamen involuntarietatem, ſecundùm quid diminutivam malitiæ, non imputatur ad pœnam temporalem Jure ſtatutam, niſi ignorantia fuerit ſupina, ſeu craſſa; unde non quævis ignorantia conſequens, ac moraliter peccaminoſa, transgreſſorem Legis ſubiicit pœnæ à Jure annexæ; ſed ea ſolummodò, quæ omnis, aut ferè omnis diligentiæ neglectum præſupponit, ut colligitur *cap. 2. de Conſtitut. in 6.* Ubi Pontifex excuſat ignorantes à pœnis latis per ſtatuta Ordinariorum (quod multò magis ad pœnas Pontificias extendi debet, quas homines faciliùs, & minori ſua culpa ſupponuntur ignorare) niſi earum ignorantia craſſa fuerit ac ſupina. Hujus ulterior ratio eſt, quia pœnæ à Jure ſtatuuntur propter enormem Legis contemptum & contumaciam, quæ non cenſetur adeſſe, quando aliqualis ſaltem diligentia eſt adhibita pro comparanda notitia Legis.

24 Hinc à fortiori infertur primò cum Palao *tractat. 2. diſput. 1. part. 17.* citante plurimos alios, quòd quando quis ex ignorantia mortaliter non peccaminoſa Legis, immò etiam ſolius pœnæ, tranſgreditur Legem (etiamſi quis ſciat actionem ſuam eſſe graviter prohibitam, ſive per eandem Legem, quæ pœnam ſtatuit, ſive per aliam, ſcilicet divinam aut naturalem, adeòq; mortaliter pec-

peccet) nihilominus non incurrat pœnam Lege ſtatutam, ſive ea ſit cenſura Eccleſiaſtica, ſive aliqua alia pœna temporalis (nam æternam nemo mortaliter peccans ignorat, ſaltem ſub ea ratione, qua ſcit, delicto ſuo deberi pœnam proportionatam, ac ordinariam.) Probatur hęc illatio. Pœnæ temporales per Leges ſtatuuntur in hunc finem, ut homines ab earum legum transgreſſione magis abſterreantur: hinc *in cap. 1. de Sentent. excomm. in 6.* Omnis cenſura dicitur medicinalis, ut ſcilicet ejuſdem metu homines à delictis præſerventur: atqui quando pœnæ temporales, & extraordinariæ omninò ignorantur, & quando earum ignorantia, neque in fraudem, neque in enormem Legis contempum refertur, cùm nec affectata, nec craſſa ſit, non ſerviunt proximè ad hunc finem, neque delictum ipſius ignorantiæ voluntarię tantum eſt, ut ad illud pręcavendum, & puniendum, eædem pœnę non minùs debeant infligi, quàm ſi cognitæ eſſent, ergo pœnę temporales non ſtatuuntur in laborantes ignorantia moraliter non peccaminoſa legum, vel ſolarum etiam pœnarum, etiamſi actus ſint moraliter peccaminoſi, & contra obligationem Legis cognitæ.

Infertur Secundò. Quando peccatum immediatè quidem, ſed non independenter à cenſura eſt reſervatum, 25
hoc ipſo non incurri reſervationem ab ignaro cenſuræ: quia, ſecundùm modò dicta, cenſura non incurritur; quando verò peccatum eſt ſine cenſura reſervatum, incurri reſervationem, non obſtante ejus ignorantia, quia reſervatio non eſt pœna, à qua ignorantia excuſet.

DISPUTATIO II.

De Actibus Moralibus inhoneſtis, ſive de Peccatis.

ARTICULUS I.

Definitio, & Diviſio Peccati.

SUMMARIUM.

1 *Definitio Peccati Actualis ſumpti pro actu interno & externo.*
2 *Definitio Peccati pro ſolo actu interno accepti.*
3 *Diviſio Peccati.*

1 Peccatum actuale, de hoc enim nobis ſermo eſt, teſte S. Auguſtino ab omnibus recepto *lib. 22. contra Fauſtum cap. 27.* definitur: *Dictum, vel concupitum* (ſumendo hanc vocem non pro re, ſed pro concupiſcentia actuali) *contra legem Dei.* Quæ definitio bona eſt, non obſtante, quòd ſi per membra disjunctiva, & potiùs diviſio, quàm explicatio prędicati communis eſſe videatur, quia eſt accommodata non rigori Logico, ſed faciliori intelligentię vulgi, utentis formula confeſſionis, qua dicimus nos peccaſſe, Cogitatione, (ſeu potiùs volitione interna) Verbo, & Opere. Comprehenditur etiam, implicitè peccatum omiſſionis: eo ipſo enim quòd quis non ponat actum pręceptum, dicitur facere contra pręceptum. Neque derogat bonitati definitionis, quòd aliquę Leges ſint tantùm humanę: quia hę ultimatè reſolvuntur in legem Divinam, cùm ipſe Chriſtus Lucę 10. dixerit: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Et S. Paulus ad Rom. 13. *Non eſt poteſtas, niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt, itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Unde etiam à S. Ambroſio *lib. de Paradiſo capit. 8.* peccatum rectè definitur: *Divina Legis prævaricatio, & Cœleſtium inobedientia mandatorum.*

2 Quòd ſi autem ſupponatur communis, & vera ſententia, quòd malitia formalis cujuſcumque peccati conſiſtat in aliquo actu libero voluntatis, optima peccati perſonalis interni definitio eſt, cùm dicitur: *Actus elicitus contra dictamen practicum conſcientiæ, ſeu, elicitus cum advertentia ad diſplicentiam ſupremi Legiſlatoris.* Atque ab hoc interno peccato etiam externum denominationem peccati, & malitię accipit. Ratio definitionis eſt; quia ſine hac advertentia violatio Legis non eſt voluntaria, conſequenter neque peccaminoſa: hac autem poſita, actus jam eſt eſſentialiter contemptivus Dei, tamquam ſupremi Legiſlatoris, ut per ſe patet, & ex remorſu conſcientię comperitur.

3 Dividitur peccatum in Internum, & Externum. Internum eſt ipſe actus voluntatis peccaminoſus: externum eſt quæcumque alia actio, vel omiſſio actionis contra legem Divinam ab actu libero dependens.

Dividitur Secundò peccatum in genere in Actuale, & Habituale: Actuale eſt peccatum de præſenti exiſtens; Habituale eſt peccatum præteritum, nec per condignam ſatisfactionem, nec per gratuitam condonationem deletum. Denique, aliis levioris momenti Diviſionibus omiſſis, peccatum Perſonale (ſic dictum, quia à propria perſona committitur, & per hoc ab Originali diſtinguitur) dividitur in Veniale, & Mortale; inter quæ hæc potiſſimùm eſt differentia, quòd omne, & ſolum peccatum mortale ſit voluntaria averſio, ſeu deordinatio à Deo; ut ultimo fine: ſeu ſit voluntaria electio boni creati præ amicitia, aut voluntate Divina graviter obligante, cum qua cognoſcitur repugnare. Hæc autem diviſio pluribus nunc declaranda eſt, oſtendendo, unde deſumatur levitas malitiæ peccati venialis, unde gravitas malitię peccati mortalis.

ARTICULUS II.

Unde deſumatur Levitas Malitiæ in Peccato Veniali.

SUMMARIUM.

4 *Ad peccati malitiam tria concurrunt.*
5 *Peccatum ob imperfectionem libertatis fit Veniale.*
6 *Unde colligatur imperfectio libertatis.*
7 *Quando nihil incidit de gravitate peccati, hoc ipſo non peccatur graviter.*
8 *Confirmatur præcedens aſſertio.*
9 *Quænam peccata non poſſint fieri venialia ob parvitatem materiæ, univerſali Regula oſtenditur.*
10 *Declaratur prædicta Regula exemplis peccatorum directè in DEI contemptum commiſſorum.*
11 *In voluptate Venerea non datur parvitas materiæ.*
12 *Neque in jejunio naturali ante Sacram Communionem violato.*
13 *Unde colligatur gravitas materia.*
14 *Quænam peccata non poſſint fieri gravia ratione materiæ. Sive quænam ex genere ſuo ſint venialia.*
15 *Solvuntur duæ Objectiones.*
16 *Materia levis non poteſt terminare obligationem præcepti gravis.*
17 *Materia alioquin capax præcepti gravis poteſt terminare obligationem levem.*
18 *Vovens poteſt rem gravem promittere DEO per voluntatem ſe leviter obligandi.*
19 *Obiiciuntur quatuor Argumenta contra prædicta.*
20 *Reſpondetur ad primum.*
21 *Reſpondetur ad ſecundum.*
22 *Reſpondetur ad tertium.*
23 *Reſpondetur ad quartum.*

4 CUm omne peccatum ſit transgreſſio Legis, aut præcepti, in quavis autem transgreſſione tria ad ejus malitiam concurrentia ſpectari poſſint, primò Liberum arbitrium, cui imponitur obligatio. Secundò Materia, ſive objectum, circa quod imponitur. Tertiò intentio Legislatoris, à quo imponitur obligatio: ideò ex his quæſtionis reſolutio deſumi debet.

5 Dico primò, peccatum fieri Veniale in primis ob imperfectionem libertatis. Probatur. Quandocumque voluntas habet libertatem imperfectam, vel ſemiplenam, adhuc poteſt operari, adeòque mereri laudem, vel vituperium, agere honeſtè, vel inhoneſtè; ſed propter cognitionis obſcuritatem, vel confusè repræſentantis obligationem Legis, circumſtantias, ac motiva, tàm allicientia, quàm abſterrentia, ipſamque inhoneſtatem actus, ſine differentia gravitatis, vel ſaltem ſine affirmatione ſeu aſſenſu gravitatis, & ſine gravi obligatione majoris notitiæ procurandæ propoſitam, plurimùm diminuitur vis allectiva ad obſervationem Legis, & retractiva à violatione ejuſdem, ut proinde longè debilior reddatur voluntas ad eligendam potiùs obſervationem, quàm violationem, & conſequenter longè minùs ſit culpabilis, minorq; contemptus in ſupremum Legislatorem derivetur. Ergo voluntas ita conſtituta, eligendo quidem violationem Legis peccat, ſed propter diminutionem potentiæ eligendi oppoſitum, & propter levitatem contemptus, Legislatorem derivati, tantùm venialiter. Ut conſentiunt omnes Theologi cum S. Thoma *quæſt.*88. *artic.* 2. *& 6. in Corp.* ita ut nec Joannes Sanchez, *diſputat.*18. contrarium inſinuans, auſus ſit contrarium docere.

6 Quotieſcumque ergo dubitans de gravitate, vel levitate ſui peccati habet prudens indicium cognitionis dicto modo diminuentis libertatem, ſeu vim electivam voluntatis, hoc ipſo prudenter credere poteſt, peccatum ſuum, quod aliàs ex genere ſuo ratione oppoſitionis cum tali præcepto eſſet mortale, defectu cognitionis ſufficientis fuiſſe tantùm veniale. Hujuſmodi autem indicium conjici aut præſumi poteſt, vel ex defectu ætatis, vel perfectæ evigilantiæ è ſomno, vel ſobrietatis, vel ex vehementi animi perturbatione, vel ex habituali horrore gravis peccati, propter quem in abſentia cognitionis certæ de gravitate peccati prudenter ſupponitur, ipſum non fuiſſe cum plena advertentia commiſſum.

7 Ex his verò contra Palao *tract.* 1. *diſput.* 1. *punct.* 3. *num.* 6. ubi pro ſe refert utrumque Sanchez, & Bonacinam, infero cum Tannero *diſput.*4 *quæſt.*5. *dub.*5. *num.*110 Navar. Greg. de Valentia, Lud. Lopez, Salas, Ant. Perez, Eman. Rodriquez *apud cit.* Palao, quòd quando voluntati ita obſcurè proponitur actionis alicujus malitia, ut intellectus nihil cogitet, an gravis, vel levis ſit, ſive diſcernat, cui virtuti aut Legi opponatur, ſive non, eam actionem eſſe tantùm venialiter peccaminoſam. Ratio eſt, quia in tali caſu voluntas neque ſub disjunctione in ipſam malitiæ gravitatem, neque in periculum committendi actionem graviter prohibitam, formaliter conſentit, hoc ipſo, quòd de gravitate nihil illi incidat. Ergo etiamſi malitia objectiva in ſe æquè facilè potuerit eſſe gravis, quàm levis, voluntas tamen tantùm materialiter ſe expoſuit graviter peccandi periculo, illam eligendo.

8 Confirmatur. Ideò actus ſemideliberatè poſitus contra præceptum, ſub mortali obligans, eſt ſolummodò peccatum veniale; quia voluntas ob imperfectionem cognitionis tantùm imperfectè retrahitur à poſitione ſui actus: ſed quando illi nullo modo proponitur gravitas malitiæ, etiam tantùm imperfectè, immò longè imperfectiùs retrahitur, quia occultatur ipſi potiſſimùm motivum retrahens, nempè quòd actio ſit graviter prohibita. Ergo &c.

9 Dico ſecundò, peccatum fieri etiam tantùm veniale ob materiæ parvitatem. Quæ concluſio apud omnes Catholicos Doctores eſt certa: tria tamen circa illam oſtendenda ſunt: in primis in quibus legibus detur parvitas materiæ: deinde unde hæc debeat colligi; ac demum quare ea inducat tantùm obligationem levem. Pro primo membrum hæc aſſignari poteſt Regula, dicendo, illam tantùm obligationem in quavis materia eſſe gravem, cujus transgreſſio, vel immediatè ac directè DEO imperfectionem, aut defectum perfectionis ipſo actu attribuit (ut advertit Suar. *lib.* 3. *de Leg. cap.* 28. *numer.*23. Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 4. *numer.* 1.) vel ex qua generi humano maximum peccandi illicium, adeòque damnum inferretur, niſi illius violatio in quavis materia eſſet gravis (uti contingeret in materia luxuriæ, quam proinde partem Regulæ addendam cenſuit Haunoldus hìc *numer.* 412.) vel denique cujus obligationis transgreſſio in quacumque materia æqualiter præjudicat fini, à Lege ſub gravi culpa intento.

Ex hac Regula, liberante nos à neceſſitate, cum Palao *tractat.* 2. *diſput.* 2. *punct.* 7. *num.* 2. unicè confugiendi ad communem ſenſum Fidelium colligitur, quare in peccato infidelitatis, deſperationis, odii DEI, formalis contempus Divini, perjurii aſſertorii, blaſphemiæ, Simoniæ naturalis, luxuriæ, violati jejunii naturalis ante ſumptionem S. Euchariſtiæ, non detur parvitas materiæ: detur autem in juramento promiſſorio, vel comminatorio, in voto, ſacrilegio, non obſtante ſpeciali irreverentia DEI, citra tamen imputationem alicujus imperfectionis poſitivæ, aut carentiæ alicujus perfectionis. Nam per prioris generis peccata contra DEUM in actu exercito, vel tribuitur DEO defectus illarum perfectionum, quæ ſunt motivum formale virtutum Theologicarum, infidelitati, deſperationi, & odio DEI oppoſitarum: vel tribuitur Deo aliqua contemptibilitas, aut fallacitas teſtimonii, aut vituperabilitas, aut commutabilitas Divinæ dignitatis ac excellentiæ, à DEO tamquam ultimo fine in rem ſacram, ad quem hęc ordinatur, transfuſæ, qua ſuperat omnis rei temporalis æſtimabilitatem, & redditur incommutabilis per ullum contractum, intendentem æqualitatem inter datum, & acceptum. 10

Per poſterioris generis peccata autem nec tribuitur DEO aliqua imperfectio, nec denegatur aliqua perfectio: ſed tantùm à perfectione divina homo non impellitur ad exequendum ſuum juramentum, votum, vel ad debitum cultum ac reverentiam rei ſacræ præſtandam.

De peccato luxuriæ rationem jam indicavi, qua velut fundamento, inquit Amicus *diſput.*23. *ſect.* 7. *numer.* 285. niti debet ſententia, quæ aſſerit, non dari minimum in delectatione Venerea, ſed quamcumque minimam delectationem, deliberatè quæſitam, in æſtimatione Theologica, & in genere moris eſſe magnum, ac mortale peccatum: cujus oppoſitam doctrinam P. Claudius Aquaviva noſtræ Societatis quintus Præpoſitus Generalis 24. April. 1612. ſub Præcepto obedientiæ, & gravi cenſura, aliiſque pœnis prohibuit, ne quiſquam è Societate publicè aut privatim, non modò ut veram, & probabilem, ſed ne ut tolerabilem traderet, aut aliis conſuleret, vel ſibi quoquo modo placere ſignificaret. Ratio periculi, inquit ulteriùs citatus P. Amicus, eſt maxima proclivitas, quam appetitus ſenſitivus habet erga has delectationes, & natura ipſa Venereæ delectationis, ſummam cum ſenſu affinitatem, ac ſympathiam habentis, ut nemo ſine ſummo periculo fidere poſſit, certam in his delectationibus metam ſe ſervaturum, ne à minima illectus ſenſim in majorem prolabatur. 11

De violatione Jejunii naturalis, in quavis materia æqualiter oppoſita fini Legis, graviter prohibentis quamcumque comeſtionem, & potationem, ratio aſſignatæ noſtræ Regulæ patet ex declaratione ipſius finis, quem Concilium Matiſconenſe II. *can.*6. his verbis expreſſit: *Ne cæleſti & ſpirituali cibo terreſtris proponeretur.* Quæ ratio licèt non poſitivam dedecentiam præpoſitæ comeſtionis arguat; aliàs hujuſmodi comeſtio numquam fuiſſet licita: deſignat tamen poſitivam decentiam, præmittendi jejunii naturalis, graviter imperabilem, & ſub qualibet materia æqualiter violabilem: quia ſive multum ſive parum cibi aut potionis ſumatur, jam cœleſti, & ſpirituali cibo terreſtris præponitur. 12

Ad ſecundum membrum, unde nimirum debeat colligi, quænam ſit materia gravis, vel levis, alio cum Palao *tract.* 2. *diſp.* 2. *punct* 7. *num.* 4. ſequente Gabriel. Vaſq. Thomam Sanchez, Franc. Suar. quibus addo Paulum Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 14. *n.* 3. & ex hoc Medinam, Valentiam, Salas, colligendum id eſſe ex ſpeciali fine à Legiſ- 13

Legislatore immediatè intento: non enim debet ſolummodò attendi, utrum in eſſe phyſico, & ſecundùm ſe ſpectata materia Legis parva aut magna ſit, ſed utrum tranſgreſſio Legis, vel negatio prohibitionis gravis in tali materia graviter, vel leviter præjudicet fini proprio Legis, ſub gravi obligatione intento. Sic quia abſtinentia à pomo ſuit Adamo præcepta tamquam ſignum conteſtativum ſuæ erga DEUM ſubjectionis, qui finis erat graviſſimus, ideò res in ſe levis propter gravem ſuam cum hoc fine oppoſitionem in æſtimatione morali fuit materia gravis. Unde fieri poteſt, ut eadem materia reſpectu unius Legis ſit gravis, reſpectu alterius verò ſit levis, uti eſſent pomum reſpectu Jejunii Eccleſiaſtici, quod tamen in caſu prædicto vidimus fuiſſe materiam gravem inobedientiæ erga DEUM.

14 Ex hac comparatione ad finem Legis pro Regula gravitatis, vel levitatis à nobis aſſignata, ulteriùs colligitur, circa quæ præcepta neque poſſit dari gravitas materiæ: quænam proinde peccata ex genere ſuo, id eſt, ratione objecti per ſe ſint venialia: nempè ea omnia, & ſola, quæ in quocumque phyſico augmento materiæ nequeunt graviter præjudicare fini ſpeciali per legem intento, vel non ſub gravi obligatione per executionem Legis debito. Sic mendacium circa quodcumque objectum, ſecluſo alio ſpeciali damno, vel circumſtantia ſpeciem mutante, eſt ex genere ſuo peccatum veniale, quia non graviter præjudicat fini, per præceptum veracitatis intento, nempè conſervationi commercii humani. Idem dicendum de verbis otioſis, quantumcumque multiplicatis, & aliis ejuſmodi objectis peccatorum ex genere ſuo venialium. Vel dici poteſt, ipſum finem, nempè poſitivam ordinationem omnium actionum, & verborum noſtrorum ad ultimam fęlicitatem, vel ad augmentum illius non eſſe ſub gravi obligatione debitum.

15 Obiicitur primò. Saltem frequentia mentiendi graviter præjudicat fini veracitatis: ergo vel per frequentiam, & coaleſcentiam mendaciorum graviter peccatur, vel non eſt aſſignata univerſalis Regula cognoſcendi peccata ex genere ſuo venialia. Reſp. primò. Nego ſuppoſitum conſequentis, quòd mendacia frequentata coaleſcant; quia ad evitandam mendacitatem, ſive frequentiam mendaciorum, non erat opus, eorum collectionem, qua talem, ſpecialiter, & graviter prohiberi, cùm ſi quæ ſint annexa damna, ea per alias virtutes ſufficienter prohibeantur; ipſum verò damnum immediatum ac directum non ſit tantum, quin ab eo homines ſufficienter arceantur turpitudine mendacitatis, per ſe reddentis hominem vilem, & exoſum, quin longè magis eſſet damnoſa gravis prohibitio. Unde etiam Reſp. ſecundò, negando, quòd finis per legem veracitatis intentus, nempè ſinceritas verborum, pro commercio humano neceſſaria, ſit ſub gravi obligatione debitus. Et quia ad gravitatem materiæ utrumque requiritur collectivè, ut ſcilicet graviter præjudicet fini, & iſte ſub gravi obligatione ſit intentus, ideò neque in frequentia mentiendi continetur gravitas materiæ.

Obiicitur ſecundò. Multa citra grave præjudicium finis intenti prohibentur ſub gravi peccato v. g. injuſta ablatio unius aurei facta Regi, vel homini prædiviti, roſpectu cujus non graviter præjudicat fini per legem juſtitiæ intento, nempè evitationi damni alieni; eò quòd Dominus exiguum patiatur damnum. Ergo ad materiam obligationis gravis non requiritur, ut graviter pręjudicet fini, per legem ſub gravi obligatione intento. Reſp. Diſtinguo antecedens. Multa citra grave præjudicium finis intenti prohibentur, ita ut illud grave præjudicium neque inferatur ab ipſo objecto, ſecundùm ſe ſpectato neque ut ſpectato ſecundùm ſuam vim allectivam ad ulterius grave præjudicium, ſi ipſum objectum non eſſet materia gravis obligationis, nego antecedens, ut ſaltem uno modo inferatur, & non alio, trans. antec. & nego conſequentiam.

16 Tertium membrum, quare levitas materiæ, cùm datur, inducat obligationem levem, & juxta veram omnium ſententiam, teſte Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 14.* ac omninò certam, teſte Palao *tract. 2. diſput. 2. punct. 8. n. 2.* nec poſſit inducere obligationem gravem, etiamſi Legislator vellet, probatur hac ratione. Finis obligationis gravis debet eſſe grave bonum, quale etiam ſupponendum eſt intendi quibuſdam Regulis Religioſorum, ſub gravi culpa res ſubinde quoad apparentiam leves pręcipientium, ut quando *in Clement. cap. Exivi. de Verborum ſignificatione, & cap. Exiit. tit. eod. in 6.* dicitur, verba præceptiva in Regula S. Franciſci indicare obligationem ſub mortali. Sicut enim obligatio Legis aut Præcepti eſſet iniqua, ſi non eſſet medium ad procurandum aliquod bonum, ſic gravis obligatio eſſet iniqua, ſi non eſſet medium ad grave bonum procurandum: ſed finis materiæ levis non poteſt eſſe grave Bonum, aliàs illa, quando terminaret violationem Legis, ſublativam talis boni, non eſſet materia levis, ut ſupra de pomo ob gravem finem Protoparentibus vetito diximus, ergo materiæ levis non poteſt eſſe gravis obligatio.

Dico tertiò. Peccatum fieri veniale per intentionem manifeſtam legislatoris, nolentis in re gravi graviter obligare. Ita Suar. Valentia, Alphonſus à Caſtro, uterque Sanchez, Navar. Salas, Bonacina, Laymann, quos ſequitur Palao *l. cit. n. 4.* & probabile affirmat Leſſ. *lib. 2. cap. 41. dub. 9. num. 74* Diſſentiunt tamen apud eundem Palao Vaſq. Bellar. Salmeron, Aragonius, Victoria, Salon, Reginaldus, Becanus. Probatur. Obligatio Legis dependet à voluntate Legislatoris, nec ſe extendit ultra illius mentem: in tantum autem ratificatur à DEO ejus voluntas obligandi, in quantum vult obligare. Sed voluntas, & mens Legislatoris eſt, ut ſuppono, imponere obligationem levem: ergo levis tantùm obligatio imponitur. Unde etiamſi materia in ſe eſſet gravis in genere illius virtutis, cujus honeſtatem Legiſlator intendit, ſi tamen ipſe nollet imponere obligationem gravem, hoc ipſo in æſtimatione morali eſſet levis. Licèt autem talis voluntas forſan eſſet imprudens, & propterea, niſi contrarium conſtet, ſemper credendum ſit, obligationem juxta exigentiam materiæ gravem fuiſſe impoſitam, talis tamen imprudentia non irritaret legem, ſicut irritaret altera, imponens obligationem gravem in materia levi: quia non ſimiliter eſſet injuſta, & iniquè gravans ſubditos. 17

Ex hoc fundamento infertur etiam cum Thoma Sanchez *lib. 1. de Matrimonio diſp. 9. num. 6.* quem Palao, & alii ſequuntur, eum, qui DEO, vel homini rem in ſe gravem promittit, poſſe, per ſe loquendo, ſibi ipſi, moderari obligationem. Etiamſi enim lex Divina, utpotè quæ ſemper eſt ex omni parte prudens, & lex naturalis, utpotè neceſſariò accommodata naturis rerum, ſemper obliget juxta capacitatem, & exigentiam materiæ, quando neutra dependet à libera voluntate alterius, tamquam à conditione menſurante, & fundante obligationem, adeòque quando non eſt merè ratificans alterius voluntatem; contrarium tamen accidit, quando dicto modo dependet, ut ſit, quando per votum aliquis ſolummodò conſentit in obligationem levem: qua ratione, inquit Sanchez *l. c.* poſſent etiam contrahi ſponſalia matrimonii futuri ſub obligatione ſolummodò veniali, ſaltem (ut pro ſalvanda juſtitia limitandum exiſtimo) ſi utraque pars ſolùm ſub veniali ſe obliget, vel ſi pars ſub mortali ſe obligans ſciat, & conſentiat in hoc, quòd altera ſolummodò ſub veniali ſe obliget. 18

Contra ſtatutam concluſionem, & contra inde illatam doctrinam, aliqua videntur obiici poſſe. Primò. DEUS debet voluntatem obligandi, à Legislatore humano, vel à vovente poſitam ita acceptare, & ratificare, ut homines ſufficienter abſterreantur à frequenti violatione Divinæ acceptationis, ac ratificationis, ut adeòque honoris Divini indemnitati ſatis conſulatur contra periculum multiplicis tranſgreſſionis in objecto gravi, & difficili, ſtante obligatione levi. 19

Secundò. Si juxta intentionem voventis poteſt minui obligatio, ſequitur, Clericum poſſe voto caſtitatis, & Religioſum votis religionis ſe leviter obligare. Conſequens eſt contra communem Doctorum ſenſum.

Tertiò. Obligatio præſtandi rem gravem ſub juramento, non poteſt limitari à jurante, ut ad illam tantùm leviter ſe obliget: ergo etiam obligatio præſtandi rem gravem ratione voti non poteſt limitari à vovente: quia votum, & juramentum in pleriſque æquiparantur, ut ſuo locò oſtendemus.

Quartò. Homo homini non poteſt donare rem magni pretii ſub obligatione levi, actu eam tradendi poſt factam donationem: ergo multò minùs poteſt per votum rem gravem donare DEO ſub obligatione levi.

20 Reſp. Ad primum. Diſtinguo Majorem. Ut homines ſufficienter abſterreantur ſufficientia proportionata his circumſtantiis, & culpæ ſive læſioni Divini honoris ex violatione Divinæ acceptationis aut ratificationis oriturae. Conc. Majo. Sufficientia proportionata ipſi gravitati materiæ ſecundùm ſe ſpectatæ. nego Maj. Cùm enim ex acceptatione Legis vel voti ſub obligatione levi in materia de ſe gravi, ſolummodo ſit oritura levis culpa, ideo DEUS per talem acceptationem adhuc ſufficienter abſterret in his circumſtantiis, in quibus obligatio cœpit induci dependenter à voluntate humana, DEO ſolummodo ratificante, & acceptante illam: majorque obligatio potiùs eſſet damnoſa, utpote reſtrictiva libertatis ultra intentionem à Superiore manifeſtatam, vel ultra propriæ voluntatis conſenſum circa objectum, liberæ ſuæ diſpoſitioni cuilibet permiſſum.

Unde illud incommodum, quod forſan per accidens, & per imprudentiam voluntatis humanæ oritur ex majori allicientia ad frequentiorem tranſgreſſionem obligationis levis, quàm ſi fuiſſet impoſita obligatio gravis, ſi non evitatur aliundè per alia media, v. g. per pœnas temporales, vel præmia, vel alios fines valde allectivos, à Legislatore humano propoſitos, vel à firmitate ac ſtabilitate voluntatis, ſe ipſam ſolummodo ſub peccato veniali obligantis, ſatis compenſatur per evitationem majoris damni, eventuri ex hoc, quòd DEUS graviorem obligationem imponeret per meram ratificationem voluntatis humanæ, quàm qualem ratificandam voluntas humana DEO obtuliſſet, & qualem unicè agnoſcerent ii, qui voluntatis humanæ intentionem ſibi manifeſtatam exequi deberent.

21 Ad ſecundum nego ſequelam Majoris. Quia ad valorem votorum, quæ fiunt ſuſceptione majorum Ordinum, vel ſtatus Religioſi, Eccleſia præſcribens formam illa edendi, & Pontifex DEI nomine acceptans, requiſivit, ut cum voluntate graviter ſe obligandi ederentur, ita ut aliàs ſint omnino irrita, & Clericus præcepto vovendi caſtitatem non ſatisfeciſſe cenſeatur, ſi habuerit poſitivam voluntatem non ſe obligandi, niſi leviter; & Novitius ſtatum Religioſum à Summo Pontifice non aliter, quàm cum votorum gravi obligatione approbatum, non verè & validè ſuſcipiat, ſi deſit illi animus, ſe graviter obſtringendi. Proptereà addidi particulas: *per ſe loquendo*: cùm dixi, eum, qui DEO vel homini rem in ſe gravem promittit, poſſe, per ſe loquendo, ſibi ipſi moderari obligationem.

22 Ad tertium reſpondeo, negando paritatem: Quia Juramentum non eſt volitio obligationis, quam quiſque ſibi poſſit per liberam electionem determinare, ut ea vel ſit gravis, vel levis. ſed eſt interpoſitio Divinæ Authoritatis, ex qua oritur obligatio, gravitati rei proportionata, ut etiamſi jurans nollet ſe obligare ad exequendum Juramentum promiſſorium, adhuc obligaretur, modò DEUM verè adduceret in teſtem ſuæ aſſertionis, & ejus beneplacito erga rem juratam vellet fidem facere de implenda aſſertione jurata. Votum verò eſt directa volitio obligationis, & in tantum ex DEI acceptatione obligat, in quantum homo in illam obligationem conſentit.

23 Ad quartum. Concedo antecedens, ſi de propriè dicta donatione ſermo ſit, quæ non tantùm eſt promiſſio transferendi Jus in rem, ſed actualis translatio Juris in rem: nego ſequelam, & ſuppoſitum illius, quòd homo per votum DEO propriè aliquid donet, & in eum transferat dominium, quod ante non habuit. e. g. Si voveat argenteum calicem.

Diſparitas ergo eſt, quòd per donationem propriè dictam homo in alterum transferat Jus, & tribuat ipſi poteſtatem obligandi alios, & ſe donatorem, ne liceat uſum, & diſpoſitionem liberam rei donatæ, ullo modo impedire, qui deinde cenſetur, acceptando donationem, velle obligare juxta gravitatem rei. In voto autem homo non transfert novum aliquod Jus in DEUM diſponendi, & obligandi juxta gravitatem rei promiſſæ, ſed homo ſibi ipſi imponit, & determinat gravitatem obligationis ad executionem voti, per proprium in illam obligationem conſenſum, quem DEUS eatenus acceptat, & ratificat, quatenus homo liberè vult obligari. Unde potiùs inſtitui deberet paritas voti cum promiſſione donandi, non cum ipſa donatione propriè dicta: per promiſſionem enim donandi fateor poſſe aliquem ſe leviter obligare in materia de ſe gravi: ſicut etiam acceptans promiſſionem poteſt illam acceptare, imponendo ſolummodo obligationem levem, etiamſi promittens vellet graviter obligari; quia obligatio partialiter dependet à voluntate acceptantis.

Imò poſtquam aliquis jam acquiſivit perfectum dominium, poteſt is rem ſuam, circa quam habet liberam poteſtatem diſponendi, alteri reddere ſolummodo venialiter illicitam, ad inferendum in ea de ſe grave damnum: id quod Doctores communiter ſupponunt, aſſerentes, pro diverſa Dominorum voluntate, id quod reſpectu unius eſt gravis materia injuſtæ acceptionis, reſpectu alterius nolentis graviter obligare, eſſe levem, & ſimiliter ab eodem domino circa eandem materiam de ſe gravem poſſe uni damnum injuſtum prohiberi ſub culpa gravi, & alteri ſub levi, quod ſupponunt Doctores, qui dicunt, extraneos & domeſticos à dominis non æqualiter obligari, pluſque requiri ad furtum mortiferum à domeſtico, quàm ab extraneo illatum. Ex quo concluſio & doctrina noſtra confirmari, & adverſariorum tela in illos retorqueri poſſunt.

ARTICULUS III.

Unde deſumatur Gravitas Malitiæ in peccato mortali.

SUMMARIUM.

24 *Unde deſumatur Gravitas peccati mortalis.*
25 *Finis mortaliter peccaminoſus transfundit ſuam malitiam in media.*
26 *Formalis contemptus Legislatoris eſt peccatum mortale.*
27 *Peccatum poteſt fieri mortale ratione periculi proximi, quod quis ſubit, vel quod quis alteri præbet, ad peccandum mortaliter.*
28 *Poteſt tamen aliquando excuſari à peccato admiſſio periculi, ſi aliæ cautelæ adhibeantur: per quas non incurritur in damnationem trium propoſitionum Innocentii XI.*
29 *Quando materiæ leves coaleſcant in materiam gravem.*
30 *Declaratur exemplis.*
31 *Diſparitas inter leves materias ſæpius violati voti, & ſæpius violatæ Juſtitiæ.*

DIco. Peccatum aliàs leve, fieri mortale, ac grave, vel ratione finis, quando ſcilicet ipſum objectum, quantumvis in ſe leve, amatur ut finis ultimus, ita ut quis potiùs vellet graviter peccare, & DEO, ut fine ultimo ſe privare, quàm tali re carere: vel quando ipſum peccatum ordinatur ad finem extrinſecum moraliter peccaminoſum, ex cujus intentione peccatum committitur. Vel ratione formalis contemptus Divinæ Majeſtatis, aut etiam poteſtatis humanæ, prout à DEO dependentis. Vel ratione moraliter inevitabilis periculi proximi incidendi in peccatum mortale (quod etiam revocari poteſt periculum alienum, ſeu ſcandalum activum proximi) Vel denique ratione ordinis ad plura peccata venialia præcedentia, ex quorum ſuppoſitione completur materia gravis, ſeu ſufficiens ad peccatum mortale. 24

Probatur concluſio quoad ſingula membra. Primum traditur à S. Thoma 1.2. q.88. *art.2. & 6.* idque ſic oſtendo, quoad eam partem, ſecundùm quam probatione indiget. Intentio finis moraliter peccaminoſi eſt peccatum grave, refundens ſuam malitiam etiam in media, per denominationem quandam extrinſecam; ergo ſi medium in ſe eſſet peccatum veniale, ratione finis fieret morta- 25

mortale, quamvis ſub ſpecifica ſua inhoneſtate malitię venialis non foret neceſſariò in confeſſione exprimendum, eò quòd in ſe non habeat malitiam formalem, vel objectivam graviter peccaminoſam extrinſeca autem malitia ſufficienter explicaretur expreſſione peccati mortalis, ad quod ipſum veniale ordinatur, ut rectè advertunt Thomas, Sanchez, Reginaldus, Bonacina, quos ſequitur Palao *diſput.2.par.9.§.1.* idem viciſſim cum Bonacina, & Azor & citato Palao aſſerendum de peccato veniali, habente rationem finis reſpectu medii mortaliter peccaminoſi: v.g. ſi propter luſum, vel potationem, vel confabulationem negligas audire Miſſam die feſto.

26 Probatur etiam ſecundum membrum. Formalis contemptus DEI, quo quis non præcisè vult objectum à DEO vetitum (hic enim eſt ſolus contemptus materialis ac indirectus, omni peccato imbibitus) ſed quo quis vult ipſam vilipenſionem DEI, eſt peccatum mortale graviſſimum, nec patitur parvitatem materiæ, ergo quia volitio peccaminoſa refundit malitiam ſuam in objectum volitum, cujuſcunque minimæ Legis, vel etiam conſilii tranſgreſſio ex tali contemptu volita, eſt peccatum mortale: & ſic quia contemptus poteſtatis humanæ, quatenus à DEO dependentis, eſt contemptus formalis ipſius DEI, ut ſupremi Legislatoris, ſicut venditio rei ſacræ, qua talis, eſt contemptus DEI, ut ultimi finis, ideò etiam violatio Legis humanæ ex tali contemptu profecta eſſet utiq; mortale peccatum. Verùm communiter contemptus Legis humanæ non eſt formalis contempus poteſtatis, quatenus à DEO conceſſæ, ſed vel ſolius objecti Lege ſtatuti, ob ſuam moleſtiam, aut levitatem obligationis, vel etiam Superioris, ſecundùm talenta naturalia ſpectati, qui vel levis, vel gravis eſſe poteſt.

27 Tertium membrum ſic probatur ex omnium ſenſu. Quicumque ſe exponit periculo proximo peccandi, id eſt, tali occaſioni, in qua plerumque tentationi, ſive per actum merè internum, ſive externum, ſolet ſuccumbere, vel certò aut valdè probabiliter prævidit ſe ſuccubiturum, cùm moraliter poſſibile ipſi eſſet, id eſt, abſque actuali gravi damno bonorum temporalium vel ſpiritualium, aut famæ, tale periculum evitare, ille non eſt paratus adhibere ea media, quæ poteſt, & quæ proinde teneatur adhibere ad evitationem peccati; utpote moraliter neceſſaria, ac propterea graviter peccat: ergo etiamſi actio, vel omiſſio actionis, per quam ſe quis exponit proximo periculo incidendi in grave peccatum, in ſe tantùm eſſet venialis, vel omninò indifferens, ratione tamen conſenſus in periculum, tranſfunditur in illam malitiam peccati mortalis, oppoſita illi virtuti, cui opponitur peccatum ex tali periculo probabiliter ſecuturum; quia eadem virtus, quæ prohibet peccatum, prohibet etiam conſenſum in proximum periculum.

Unde ſi ipſum peccatum ratione circumſtantiarum ſpeciem mutantium opponitur pluribus virtutibus, ſingulæ in confeſſione admiſſi periculi neceſſariò ſunt exprimendæ, e.g. circumſtantia voti caſtitatis, vel matrimonii, ſi quis ſe objecit periculo fornicandi cum perſona vinculo caſtitatis voto promiſſæ, aut matrimonii abſtricta, nec debet à Confeſſario abſolvi, niſi periculum, ſeu occaſionem peccandi, ſe ſublaturum ſeriò atteſtatus fuerit, & ſi fidem ſemel, vel iterum fregerit, non debebit abſolvi, per ſe loquendo, antequam actu occaſionem dimiſerit, præſertim ſi pœnitens raro ſoleat confiteri, & meritò timendum ſit, ne occaſione iterum non dimiſſa interea ſæpè relabatur, ut pluribus relatis docent Layman. *lib.5. tract.6. cap.4. nu.11.* & Palao *tract.2. diſp.2. p.9. §.3. n.18.*

28 Dixi: *ratione periculi peccatum fieri grave*, ſi abſque actuali gravi damno ipſum ſit evitabile; ſi enim non ſit evitabile, licèt damnum ſit tantùm temporale, attamen valdè grave, probabilior, & communior ſententia negat, dari obligationem ſubeundi damnum temporale certum, ut evitetur damnum ſpirituale animo adhuc incertum, & per liberum arbitrium impedibile ſimul cum evitatione damni certi temporalis: nam poſito periculo proximo, eſt adhuc in libero arbitrio hominis poſitum, ut peccatum, quod eſt damnum ſpirituale animæ, non committat, obligatur tamen eò firmiori propoſito, & omni moraliter poſſibili cautela ſe munire, & tueri, ne periculo & tentationi ſuccumbat: ſine hoc enim conatu (quem confeſſarius etiam à pœnitente cum obligationis declaratione exigat) & niſi damnum eventurum ſit valdè grave, ut moraliter poſſibile non ſit, dimittere occaſionem, & periculum peccandi, prohibitæ ſunt ab Innocentio XI. hæ propoſitiones, quæ inter cæteras 65. obtinent locum primum, ſecundum, & tertium ſupra ſexageſimum, his verbis expreſſæ: *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere; quin imò directè & ex propoſito quærit, aut eidem ſe ingerit.* Et. *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.* Et. *Licitum eſt, quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali vel temporali noſtro vel proximi.*

29 Quartum ac ultimum membrum probatur aſſignando regulam quandam univerſalem, quando ratione ordinis ad plura peccata venialia præcedentia ex eorum ſuppoſitione compleatur materia gravis, ita ut ſi tranſgreſſio Legis in materia de ſe parva fiat cum advertentia ad præcedentes tranſgreſſiones veniales, illa denique mortalis evadat. Hanc itaque univerſalem regulam aſſignari poſſe. Quotieſcunque is, à cujus voluntate dependet obligatio Legis, intendit poſitionem, vel omiſſionem integræ cujuſdam collectionis, aut totius qua talis, tunc plures veniales tranſgreſſiones Leges huic fini repugnantes, concurrunt ad complendam materiam gravem tranſgreſſionis ſubſequentis: ſi autem is non intendit talem finem, vel ſi Legis tranſgreſſiones non repugnant huic fini, tunc etiam non concurrunt ad complendam gravem materiam.

30 Declaratur Exemplis, v.g. præcipitur tibi, ut ſingulis diebus recites totum Breviarium correſpondens illi diei, vel, ut ſerves abſtinentiam à carnibus pro toto die jejunii; ut omittas laborem ſervilem toto die feſto: ut diſtribuas quotidie unum denarium in pauperes, donec evadat ſumma centum florenorum, quam per votum Deo obtuliſti. Si ergo prædictas Leges toties per multas parvas tranſgreſſiones eadem die defraudes, ut materiam gravem ſimul ſumptæ adæquent, tum per ultimam tranſgreſſionem, qua advertiſti materiam gravem adæquari & compleri, peccas mortaliter, parum aliquid ex Breviario omittendo, parum carnis comedendo, exiguo tempore laborando, modicam partem Eleemoſynæ quotidie retinendo.

Ratio eſt: quia imponens obligationem intendebat totum Breviarium illius diei, à labore & carne abſtinentiam, integram collectionem centum florenorum, cui fini ſæpè repetitis tranſgreſſionibus graviter præjudicaſti, adeòque denique graviter deliquiſti. E contrario quia prædictæ Leges Canonicæ tantùm intendunt onus diei affixum, neque ſingula Breviaria diurna, neque ſinguli dies feſti aut jejunii à Legislatore per modum unius collectionis intenduntur, ideò tantùm venialiter peccares, per totum annum quotidie parum aliquid omittendo ex Breviario, vel parum carnis ſingulis diebus jejunii, parumve laboris ſingulis feſtis aſſumendo. Sic etiam, quia obligatio voti dependet à tua voluntate; ſi non voviſſes quotidianam Eleemoſynam ex intentione Deo afferendi tantam ſummam, ſed ut v.g. de tentatione aliqua quotidiana obtineres quotidianam victoriam, nunquam delinqueres graviter, etiamſi quotidie parum aliquid retineres.

31 Neque obſtat, quòd parva furta quotidiana denique conficerent gravem materiam. Nam diſparitas eſt inter obligationem, provenientem ex Religione voti, & provenientem ex juſtitia: quia Deus acceptat votum, ejuſque obligationem imponit juxta intentionem voventis, qui Eleemoſynas quotidianas non vovit cum intentione elargiendi pauperibus ſummam magnam, ſed præcisè tanquam penſum quotidianum diei affixum, ut ſuppono, ad quotidie promerendum auxilium divinum contra tentationem quotidianam. At verò quia quilibet Dominus rei per parva plura furta denique pateretur magnum damnum (etiamſi forſan non ita noxium, quàm ſi ſimul inferantur, unde communiter major ſumma in furtis ſucceſſivis ad grave peccatum requiritur) & ab eo non poſſet ſufficienter ſe defendere, niſi

parva furta redderentur illicita in ordine ad impediendam totam aliquam collectionem, graviter ſibi damnoſam, ideò juxta datam regulam fur graviter peccaret, quando adverteret, compleri prædictam collectionem. Ita circa allata exempla ſentit etiam Layman. Palao, & alii.

ARTICULUS IV.

Quænam Peccata realiter aut virtualiter diſtinguantur ſpecie.

SUMMARIUM.

31 *Diſtinctio Specifica peccatorum non accipitur in ordine ad Confeſſionem in ſenſu Philoſophico.*

33 *Quænam ſit diſtinctio ſpecifica peccatorum in ſenſu Theologico, & in ordine ad Confeſſionem.*

34 *Non deſumenda eſt ultimatè diſtinctio prædicta per oppoſitionem ad virtutes ſpecie diſtinctas.*

35 *Neque per Oppoſitionem ad diverſa præcepta, & ad fines eorum extrinſecos, aut accidentales.*

36 *Diverſa attingibilitas ejuſdem objecti ſufficit ad inducendam diſtinctionem ſpecificam, quando actu terminat diverſum talem modum tendendi ipſius actus peccaminoſi.*

37 *In omni peccato datur quædam inordinatio, generica & Specifica: & hæc poteſt conſiderari, vel in ſenſu ſpeciali, prout in ordine ad Confeſſionem conſideratur, vel in ſenſu vulgari.*

38 *Quænam ſint circumſtantiæ peccati ſpeciem mutantes, vel multiplicantes.*

39 *Declaratur Exemplis, quænam ſint circumſtantiæ ſpeciem mutantes, & quænam intra eamdem ſpeciem aggravantes.*

40 *Idem diſcrimen Rationibus probatur.*

41 *Solvuntur objectiones.*

32 QUæſtio non inſtituitur de diſtinctione ſpecifica peccatorum in ſenſu Philoſophico, in quo à quacumque diverſitate non merè individuali, etiam nullam malitiam ſpecificam in actum transfundente, deſumitur diſtinctio Specifica, & hac ratione deſiderium furandi vaccam diſtinguitur ſpecie à deſiderio furandi equum. Ideò S. Thomas 1.2. *quæſt.* 72. *a.* 6. *ait*; *Inveniuntur aliqui actus, materialiter ſpecie differentes, qui tamen formaliter* (in æſtimatione ſcilicet Theologica) *ſunt in eadem ſpecie peccati, quia ad idem ordinantur, ſicut ad eamdem ſpeciem homicidii pertinet Iugulatio, Lapidatio, Perforatio, quamvis actus ſint ſpecie differentes ſecundum ſpeciem naturæ.*

De illa itaque diverſitate ſpecifica peccatorum nobis ſermo eſt, de qua loquitur Concilium Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. quando ait, etiam circumſtantias peccatorum in Confeſſione Sacramentali explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant, ratione quarum idem realiter actus e. g. Adulterii, inceſtus, furti Sacrilegi &c. virtualiter duplicis ſpeciei peccatum eſt.

33 Dico igitur, Peccata interna, & externa, quatenus includunt actum internum voluntatis liberæ, in æſtimatione morali ac Theologica ſpecificantur, ac diverſificantur ab objectis tum directis, tum indirectis, ſeu circumſtantiis, & à modo tendendi illa, actuante ipſa objecta ad hoc, ut ſub tali, vel tali attingibilitate reſpiciantur ab actibus, & ut in illos transferant ſpecialem vituperabilitatem. Probatur concluſio in primis authoritate S. Thomæ, qui *qu.* 2. *de Malo a.* 6. eam his verbis tradit: *Per oppoſitum ad virtutes peccata differunt ſpecie ſecundum diverſas materias, puta homicidium, adulterium, & furtum. Nec eſt dicendum, quod differant ſpecie ſecundum differentiam præceptorum; ſed magis è converſo præcepta diſtinguuntur ſecundùm differentiam virtutum, & vitiorum: quia præcepta ad hoc ſunt, ut ſecundum virtutem operemus, & peccata vitemus. Si vero aliqua eſſent peccata, ſolùm quia prohibita, in his rationabile eſſet, ut ſecundum differentiam præceptorum ſpecie peccata differrent: ſed quia circa unam materiam, cùm ſit una virtus, contingunt eſſe peccata ſpecie diverſa, oportet ſecundo conſiderare formalem diverſitatem ſpeciei in peccatis, prout ſcilicet, vel peccatur ſecundùm ſuperabundantiam, vel ſecundùm defectum, ſicut differt timiditas à præſumptione, & illiberalitas à prodigalitate; vel ſecundum diverſas circumſtantias, ſicut ſpecies Gulæ diſtinguuntur ſecundum ea, quæ in hoc verſu continentur:*

Præproperè, lautè, nimis ardenter, ſtudioſè.

Ita S. Doctor. Qui paulò poſt etiam aliorum peccatorum circumſtantias iſthoc verſiculo complectitur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Nunc ut mens S. Doctoris magis intelligatur, ſingula citati textus membra expendamus. In primis cùm ait: *Per oppoſitum ad virtutes peccata differunt ſpecie ſecundùm diverſas materias*, ſeu objecta, vult dicere; Quemadmodum virtutes ſecundùm diverſas materias, ita ex oppoſito peccata differant ſpecie ſecundùm materias, habentes diverſitatem ſpecificam, vi cujus diverſis virtutum objectis, vel iiſdem diverſimodè opponuntur. Unde idem S. Doctor 1.2. *quæſt.* 72. *artic.* 1. *ad* 2. dixit: *Peccatum non eſt pura privatio, ſed eſt actus, debito ordine privatus, & ideò peccata magis diſtinguuntur ſpecie ſecundum objecta actuum, quam ſecundum oppoſita: quamvis etiam ſi diſtinguantur ſecũdum oppoſitas virtutes, in idem rediret; virtutes enim diſtinguuntur ſpecie ſecundum objecta:* In quæ proinde ſecundùm S. Thomam eatenus diſtinctio peccatorum refunderetur, quatenus objecta peccatorum illis diverſimodè opponuntur. 34

Quando ulteriùs Angelicus Doctor in citato textu inquit: *Non eſt dicendum, quod differant ſpecie ſecundùm differentiam præceptorum, ſed magis è converſo &c.* Per hæc verba declarat non qualemcumque differentiam præceptorum ſufficere ad diverſificandum peccata, ſed eam ſolummodò, quam ipſa præcepta ab objectis accipiunt: unde ſive præcepta ſint Juris naturalis ſolius, ſive etiam poſitivi, idem ſub certis etiam pœnis exigentis, & ſive ſit Juris poſitivi divini, ſive humani, Civilis aut Eccleſiaſtici, niſi ex parte rei præceptæ, vel prohibitæ detur aliqua diverſitas (qualem quidam non probabiliter etiam concedunt inter objecta intrinſecè inhoneſta comparatione eorum, quorum inhoneſtas completur per prohibitionem extrinſecam e. g. inter inceſtum Juris naturalis, & poſitivi, & inter Simoniam naturalem, & poſitivam, ſive Juris Eccleſiaſtici: alii tamen eam diverſitatem etiam non improbabiliter negant) peccata nullam inde contrahunt ſpecificam differentiam, uti neque à particulari fine extrinſeco, rei præceptæ per accidens à Legiſlatore præfixo, & ſub obligationem Legis non cadente. Hinc licèt in eundem diem concurrerent duo præcepta Jejunii Eccleſiaſtici, in dicti e. g. propter Ferias Quadrageſimales, vel quatuor temporum, & propter pervigilium alicujus Sancti, comeſtio carnium tamen, etiamſi Feria ſexta, vel ſeptima in hebdomade contigiſſet, eſſet tantùm unicum peccatum contra legem Eccleſiaſticam temperantiæ: ſi verò idem Jejunium etiam foret debitum ex obligatione voti, vel ſatisfactionis Sacramentalis, tunc non tantùm propter diverſitatem Legiſlatoris, vel Legis, ſed propter diverſitatem honeſtatis objectivæ, quæ eidem ex promiſſione, vel Sacramenti adminiſtratione accedit, violatio ejuſdem diverſam differentiam ſpecificam contineret. 35

Præterea dum in citato textu S. Thomas aſſerit: *Quia circa unam materiam, cum ſit una virtus* (ſaltem Generica) *contingunt eſſe peccata ſpecie diverſa oportet ſecundo conſiderare formalem diverſitatem ſpeciei in peccatis, prout ſcilic. peccatur, vel ſecundum ſuperabundantiam, vel ſecundum defectum &c.* Oſtendit S. Doctor etiam per diverſum modum operandi contra eandem virtutem mutari ſpeciem peccati, ita ut peccatum commiſſum per ſuperabundantiam, ſeu per exceſſum e. g. per nimis prodigam expenſionem bonorum temporalium, vel per nimiam cibi ſumptionem differat ſpecie à peccato commiſſo per defectum: cujus rationem *citat. quæſt.* 72. *art.* 8. his verbis aſſignat: *Ubicumque occurrit diverſum motivum inclinans intentionem ad peccandum, ibi eſt diverſa ſpecies peccati. Manifeſtum eſt autem, quod non eſt idem motivum ad peccandum in peccatis, quæ ſunt ſecundum ſuperabundantiam, & in peccatis, quæ ſunt ſecundum defectum; quin immò ſunt contraria motiva: ſicut motivum in peccato intemperantiæ eſt amor delectationum corporalium;* (intellige amorem objectivum, id eſt, objectum, 36

jectum, ſeu aptitudinem terminandi amorem, qui eſt ipſe actus internus intemperantiæ) *motivum autem in peccato inſenſibilitatis* (abſtinentiæ ſcilicèt nimiæ, etiam à cibo pro vita, aut ſanitate ſervanda ſimpliciter neceſſario) *eſt odium earum. Unde*, concludit S.D. *hujuſmodi peccata non ſolùm differunt ſpecie, ſed etiam ſunt ſibi invicem contraria.*

37 Hujuſmodi diverſitatem ſpecificam contra virtutem temperantiæ indicaverit etiam S. Thomas per adverbia modalia *præproperè, nimis ardenter &c.* diverſum modum operandi, veluti circumſtantiam ex parte actus ſe tenentem denotantia. Quando verò in *q. 72. a. 1.* inquit: *Peccata ſpecie diſtinguuntur ex parte actuum voluntariorum, magis ſecundùm objecta, quàm ex parte inordinationis, in peccato exiſtentis*; quæ tamen inordinatio etiam videtur diverſum modum operandi importare; ibidem deſignat ſolummodò inordinationem tranſcendentalem, omni peccato communem, non autem inordinationem ſpecialem, fundatam in ſpeciali modo operandi: & licèt etiam hanc deſignaret, id ea mente faceret, qua deinde in citata *q. a. 5.* negavit, differentiis peccati mortalis, & venialis circa idem objectum diverſam ſpeciem conſtitui, eò quòd ſolum objectum ſit unica, & adæquata ratio ſpecificans: tota enim illa *quæſt. 72.* uti etiam *quæſt. 18. a. 11.* tantùm de ſpecie in ſenſu vulgari accepta, nempè de ſpecie ad objectum materiale aut formale directum ac immediatum ſolummodò comparata ſermonem inſtituit: quia ibi non in ordine ad Confeſſionem, Sacramentalem, ſed in ordine ad quandam rationem communem ſtatuendam, communi nomine dependenter ab eodem objecto directo ac principali expreſſam, & in ordine ad unum adæquatum ac magis univerſalem habitum vitioſum peccatorum ſpeciem examinat: juxta quam acceptionem ſpeciei in *a. 6.* etiam ait: *Si loquamur de ſpecie peccati omiſſionis, & commiſſionis formaliter, ſic non differunt ſpecie, quia ad idem ordinantur, & ex eodem motivo procedunt. Avarus enim ad congregandam pecuniam & rapit, & non dat ea, quæ dare debet; & ſimiliter guloſus ad ſatisfaciendum gulæ, & ſuperflua comedit, & jejunia debita prætermittit.* Quis autem neget, & hujuſmodi peccata commiſſionis & omiſſionis, veluti etiam mortalia, & venialia, quantumvis circa ejuſdem qualitatis objectum materiale, v. g. pecuniam furto in gravi aut levi quantitate auferendam, & circa idem motivum formale, v.g. intentam locupletationem verſantia, attamen ipſo Angelico Doctore atteſtante, ne quidem eſſentiam peccati univocè participantia, continere differentiam ſpecificam in confeſſione exprimendam?

38 Denique ut ad textum pro concluſione noſtra ex *q. 2. de Malo ar. 6.* adductum revertar, poſtremis verbis *vel ſecundùm diverſas circumſtantias &c.* admonuit S. Thomas, diverſitatem ſpeciei in peccatis conſiderandam eſſe ſecundùm diverſas circumſtantias, ſicut ſpecies gulæ diſtinguuntur ſecundùm ea, quæ in relato verſu continentur, inter quæ aliqua ad modum operandi priùs memoratum, & ſpeciali conſideratione dignum ſpectant, aliqua verò rationem objecti indirecti, & motivi culpabiliter neglecti habent. Unde aliquæ circumſtantiæ ex parte actus, aliquæ ex parte objecti ſe tenent. Quia autem ex circumſtantiis aliæ ſolummodò ſunt aggravantes, vel diminuentes malitiam peccati, intra eandem ſpeciem, aliæ verò ſpeciem mutantes, ideò dici poteſt, illas eſſe ſpeciem mutantes, quæ diſſimile, & non merè inæquale ſecundùm magis & minùs præbent fundamentum diſplicentiæ & prohibitionis divinæ: quod in particulari, examinando varias circumſtantias, memorato *Quis, quid, ubi &c.* comprehenſas, in ordine ad confeſſionis integritatem fuſiùs declarabo in tractatu de Pœnitentia.

39 Pro exemplo circumſtantiarum ſolummodò aggravantium, vel diminuentium, afferri ſolent major vel minor intenſio actus, & illius continuatio per longius, & brevius tempus, item objecti intra latitudinem ſufficientiæ, vel inſufficientiæ ad peccatum mortale, major vel minor quantitas. E.g. in peccatis furti, licèt quantitas ſufficiens ad prohibitionem gravem in conſideratione Theologica differat ſpecie à quantitate inſufficiente, propter aptitudinem vel ineptitudinem terminandi gravem vel ſolummodò levem diſplicentiam divinam, & prohibitionem, tamen quidquid additur quantitati ſufficienti ad peccatum mortale, eſt tantùm aggravans peccatum, & quidquid demitur uſque ad retentionem quantitatis ſufficientis, eſt circumſtantia diminuens: & ſic etiam in quantitate inſufficiente ad peccatum mortale quidquid additur vel demitur, manente inſufficientia, eſt tantùm aggravans vel diminuens intra gradum peccati venialis, gravioris vel levioris. E contrariò ſpeciem mutantes circumſtantiæ communiter cenſentur illæ, quibus inducitur malum oppoſitum diverſæ honeſtati objectivæ, ſive fini, per legem naturalem, vel poſitivam immediatè intento.

Probatur noſtra concluſio ſecundò ex communi con- 40
ſenſu DD. ſequentium S. Thomam, ſat fusè à me explicatum, ut Tannerius *diſp. 4. q. 2. dub. 1. à num. 5.* Amici *diſp. 18. num. 11.* Palao *tr. 2. diſp. 3. punct. 1. num. 4.* ubi ait, diſtinctionem ſpecificam deſumendam eſſe ex diverſitate rerum, ſive objectorum, non merè materialiter ſpectata, ſed formaliter, diverſificantium ipſa præcepta, & eorum tranſgreſſiones, aitque hanc eſſe communem ſententiam, allegatis pro ea Azor, Vaſq. Valent. Salas. Neque in re ipſa diſſentiunt, qui cum Layman. *lib. 1. tr. 3. cap. 2. n. 2.* dicunt, unitatem & diverſitatem ſpecificam peccatorum, quæ & quatenus naturali Legi adverſantur, proximè & formaliter deſumi ex rectitudine, ſeu honeſtate virtutis, cui opponuntur, remotè autem & fundamentaliter ex objecto. Nos enim indagamus & ſtatuimus hìc illam rationem ſpecificam peccatorum, in qua ipſa oppoſitio fundatur, & quæ ſimili modo peccatis tribuit ſpeciem, quo modo hæc tribuitur virtutibus. In noſtram ſententiam recidit etiam Card. Pallavicinus *diſp. 9. q. 2. a. 2. n. 4.* Qui licèt diverſitatem ſpecificam deſumat à diverſitate dictaminum: tamen ſicut ſuprà de legibus & præceptis ex S. Thoma diximus, ſic etiam de dictaminibus dicendum eſt, eorum diverſitatem ſpecificam tandem ab objectis non merè materialiter (quod unicè evincit Pallav.) ſed formaliter ſpectatis, prout ſcil. vel ratione ſui, vel ratione circumſtantiarum, vel ratione modi tendendi ſundant diverſam diſplicentiam DEI erga actus peccaminoſos, deſumendam eſſe, quò etiam ipſe Pallav. *n. 5.* tandem recurrit.

Probatur tertiò. De facto illa omnia & ſola peccata communiter cenſentur ſpecie diſtincta, quæ vel ratione objecti directi materialis aut formalis motivi, vel ratione objecti indirecti, nempe ratione alicujus circumſtantiæ, tenentis ſe ex parte objecti directi, illudque circumſtantiis, vel ratione modi tendendi diſſimiliter fundant divinam diſplicentiam, ergo ex tali ratione, per cognitionem directivam operationis etiam repræſentata (aliàs enim tantùm materialiter, non formaliter committeretur illa ſpecies peccati) rectè deſumitur diſtinctio ſpecifica peccatorum.

Probatur quartò. Omnia peccata & virtutes vel ſunt actus proſecutionis, vel actus fugæ: objecta verò eorum vel ex natura ſua, vel ex ſuppoſita voluntate Legiſlatorum, expedit naturæ rationali, vel actu proſecutionis, vel actu fugæ attingere. Jam ſic. Ex eo, quòd objectum ſit diverſo modo attingibile, ex eo, quòd objectum ſecundùm ſe, vel ut ſubſtans tali præcepto Iuris poſitivi, præbeat diverſum fundamentum, ut ipſi actus ſecundùm diverſos modos attingendi diverſimodè placeant, vel diſpliceant DEO, provenit, ut actus, quibus modus tenendi in objecta eſt eſſentialis, habeant, & in æſtimatione Theologica judicentur habere bonitatem vel malitiam inter ſe diſſimilem. Atqui ex eo, unde provenit, ut actus habent, & judicentur habere bonitatem vel malitiam in æſtimatione Theologica diſſimilem, etiam provenit, ut habeant, & judicentur habere bonitatem vel malitiam moralem, ſpecie diverſam: quia ſicut diſſimilitudo eſſentialis in prædicatis phyſicis eſt ratio differendi ſpecie phyſica, ſic diſſimilitudo in prædicatis moralibus eſt ratio differendi ſpecie morali ac Theologica. Ergo &c.

Obiicitur primò. Idem objectum non poteſt eſſe ho- 41
neſtum, & inhoneſtum, & ſi tantùm eſt honeſtum, non poteſt actum reddere inhoneſtum, vel ſi tantùm eſt inhoneſtum, non poteſt actum reddere honeſtum: quod enim aliquis non habet, ſeu non poteſt dare: ergo ho-

honeſtas & inhoneſtas actuum, verſantium circa idem objectum non poteſt haberi ab objecto, & conſequenter neque differentia ſpecifica horum prædicatorum. Reſp. Conceſſo primo membro antecedentis, diſt. alterum membrum: ſi objectum eſt tantùm honeſtum, non poteſt actum reddere inhoneſtum, ſi actus ſit proſecutionis, concedo antec. Si ſit actus fugæ, nego antec. Et ſic viciſſim ſi objectum ſit inhoneſtum, non poteſt actum reddere honeſtum, ſi actus ſit fugæ, nego antec. ſi actus ſit proſecutionis, concedo antec. Nam hoc ipſo, quòd objectum ſit tantùm honeſtum, ſimul honeſtat actum proſecutionis, & inhoneſtat actum fugæ, ſi verò ſit inhoneſtum, inhoneſtat actum proſecutionis, & honeſtat actum fugæ. Idem dicendum eſſet, etiamſi ſpecies actus honeſti & inhoneſti deſumeretur à diverſitate legum, vel dictaminum.

Ad rationem aſſumptam, quòd objectum non poſſit dare actui, eſſe honeſtum, vel inhoneſtum, quando idipſum objectum non habet. Reſp. Quòd quidem non poſſit dare per modum formæ denominantis, poſſit tamen dare per modum termini ſpecificantis, ad hoc enim plus non requiritur, quàm ut objectum habeat tale eſſe, vi cujus expediat, DEO placere talem actum, & diſplicere actum oppoſitum.

Urgebis. Juxta datam reſponſionem non ipſum objectum dat eſſe honeſtum, vel inhoneſtum actui, ſed actus dat objecto per ſuum diverſum modum tendendi. Reſp. diſt. antec: Nam dat per transfuſionem propriæ honeſtatis, vel inhoneſtatis, concedo ant. non dat per oppoſitionem propriæ honeſtatis vel inhoneſtetis, nego ant. Nam ideò tali modus tendendi ipſius actus placet vel diſplicet Deo, quia objectum illum meretur, vel oppoſitum meretur, ita ut expediat naturæ rationali unum placere, & alterum diſplicere Deo, quia objectum eſt tale.

Obiicitur ſecundò. Inæqualis intenſio actuum internorum, & extenſio illorum ad majorem quantitatem objecti parit etiam diſſimilitudinem in actibus non minùs, quàm modus tendendi, quo actus proſecutionis & fugæ, vel diverſi actus proſecutionis ad ſe invicem comparati v. g. actus amoris, deſiderii, gaudii &c. diſſimulantur: imò hoc ipſo, quòd formalis intenſio & extenſio identificetur cum actibus, ut tendentibus in ſua objecta, hujuſmodi inæqualitas conſtituit modum tendendi diverſum & diſſimilem: ergo diverſa attingibilitas intenſiva & extenſiva objecti reddit actus ſecundùm inæqualem intenſionem & extenſionem ſpecie diverſos, quod tamen eſt contra communem ſenſum Doctorum. Reſpon. Diſt. ant. Inæqualis intenſio & extenſio parit diſſimilitudinem in actibus ſecundùm æſtimationem Philoſophicam, tranſ. ant. ſecundùm æſtimationem Theologicam, nego ant. Theologi enim etiamſi ſecundùm inæqualem intenſionem vel extenſionem actuum agnoſcant inæqualem quantitatem malitiæ, non tamen agnoſcunt diverſam qualitatem, ſive quidditatem malitiæ; neque etiam diverſum modum tendendi ſubſtantialem, quo ipſi actus primò & per ſe differant. Sed totam inæqualitatem malitiæ in intenſione & extenſione refundunt in ejuſdem actus virtualem æquivalentiam cum actibus & gradibus ſolo numero diſtinctis, & quaſi ad alterum ſuperadditis. Idem quod de extenſione ad objectum, etiam de extenſione ad continuum tempus ſentiendum eſt.

Obiicitur tertiò. Videtur non minùs ex diverſitate præcipientis in obiectis Jure Divino & humano prohibitis oriri obedientia vel inobedientia ſpecie diverſa, quàm ex diverſitate eorum, quibus exhibetur, vel non exhibetur debitus cultus, oritur diverſa virtus, vel peccatum oppoſitum diverſæ virtuti e. g. Latriæ erga DEUM, Duliæ erga Sanctos, Obſervantiæ erga Superiores: ergo falſum eſt, quòd differentia ſpecifica non etiam deſumatur à diverſitate legum ſeu præceptorum, & quòd ſolùm deſumatur à diverſitate obiectorum, ut ſubſtantium ſuis actibus & modis tendendi ipſorum actuum. Reſp. Etiamſi cum Comptomo *diſp. 103. ſect. 4. n. 8.* referente Scotum & Gabrielem, concederetur antecedens, negatur tamen conſequentia, quia, ut ex inſtituta paritate debitæ obedientiæ cum debito cultu patet, diverſitas ſpecifica obedientiæ vel inobedientiæ formalis ſupponeret diverſitatem ſpecificam in objecto propter ordinem ad diverſum finem *cui*, ob quam cauſam Latria & Dulia differunt ſpecie ex objecto. Et ſic etiam quæ Jure naturali ſunt prohibita propter inhoneſtatem adæquatè intrinſecam ſecundùm citatos DD. probabiliter ſpecie differrent à prohibitis Jure poſitivo, e. g. Inceſtus in primo gradu lineæ rectæ ab inceſtu inter conſanguineos vel affines in gradu per Jus poſitivum prohibito, vel Simonia naturalis, à Simonia poſitiva; tamen iſta differentia jam proveniret ex objecto, prout habente vel non habente inhoneſtatem intrinſecam, diſſimilem inhoneſtati provenienti ab extrinſeco ex prohibitione tantùm poſitiva, non fundata in objecti intrinſeca exigentia. Hujuſmodi autem differentia ſive diverſitas ex parte objecti communiter contra citatum Comptonum *num. 9.* & contra duos ab ipſo relatos DD. nulla cenſetur dari, etiamſi res Jure naturali prohibita etiam prohibeatur Jure poſitivo, Divino, vel humano, ſub pœna civili, vel Eccleſiaſtica, & ſive à DEO, ſive ab homine res aliqua de ſe licita immediatè prohibeatur, eò quòd ſecluſo contemptu, vel inobedientia formalis, obligatio rei præceptæ ex parte præcipientis in tantum ſit eadem, in quantum formaliter habetur à poteſtate Divina obligante, & in quantum ſolummodò intenditur honeſtas rei præceptæ, non autem honeſtas obedientiæ formalis; hinc ſatisfit præcepto, modò ponatur executio rei præceptæ per actum obedientiæ materialis ſine formali.

Et ideò ad objectionem ulterius reſpondere poteſt. Videtur ex diverſitate præcipientis in objectis Jure Divino & humano prohibitis oriri obedientia vel inobedientia ſpecie diverſa, quando actus eſt obedientiæ vel inobedientiæ formalis, vel quando ipſa honeſtas obedientiæ per prohibitionem immediatè intenditur, ut ſcil. in conteſtationem debitæ ſubjectionis aliquid omittatur, prout Adamo eſt prohibita comeſtio pomi, tranſeat antecedens; ſi actus eſt tantùm obedientiæ vel inobedientiæ materialis, & quando ipſa honeſtas obedientiæ per prohibitionem immediatè non intenditur, nego antecedens, ex communi ſenſu DD. cum S. Thoma 2. 2. *q.* 104. *ar.* 2. *ad* 1. Videri etiam poteſt Tannerus *diſput.* 4. *q.* 2. *dub.* 3. *num.* 44. Ratio diſparitatis cum actu, obligationi Latriæ, & Duliæ, conſonante, vel diſſonante, eſt, quòd obedientia vel inobedientia materialis diverſum præcipientem non reſpiciat formaliter, ut *finem cui*, eò quòd executio Legis non ordinetur, & non intendatur in ipſius bonum, vel in conteſtationem ſubjectionis erga ipſum: Cultus autem Latriæ & Duliæ ſemper ordinetur ad diverſum *finem cui*, qua talem.

Obiicitur quartò. Res & objecta actuum in ſe nec ſunt honeſta, nec inhoneſta: ergo actus non poſſunt ſpecificari ab honeſtate, vel inhoneſtate objectiva. Reſp. Duplicis generis dari objecta actuum internorum, nempè res & actiones, & utriſque convenire aliquam honeſtatem, vel inhoneſtatem objectivam, cum hoc tamen diſcrimine, quòd ſolæ actiones, non autem res ab actionibus independentes denominationem virtutis aut peccati externi ab actionibus internis accipiant: quia propter independentiam rerum ab actionibus non poſſunt cadere ſub legem præcipientem, vel prohibentem aliquid fieri. Itaque ut optimè inquit Amicus, *diſp.* 13. *n.* 11. *&* 13. tunc datur honeſtas objectiva, quando datur proportio ſeu convenientia, quam res & operationes ipſæ in ratione objecti habent cum natura rationali ad terminandos liberos actus proſecutionis: tunc verò datur inhoneſtas objectiva, quando ſolummodò datur proportio & convenientia ad terminandos actus fugæ: quod idem eſt, ac dicere: Res & actiones externas per id eſſe honeſtas, aut inhoneſtas, per quod expedit naturæ rationali, earum proſecutionem placere vel diſplicere Deo. Hanc reſponſionem nunc propono verbis S. Thomæ *q.* 18. *art.* 2. *ad* 1. ubi ait: *Dicendum, quod res exteriores ſint in ſeipſis bonæ, tamen non ſemper habent debitam proportionem ad hanc vel illam actionem, & ideo in quantum conſiderantur ut objecta talium actionum, non habent rationem boni.*

A R-

ARTICULUS V.

Quænam Peccata diſtinguantur Numero.

SUMMARIUM.

42 *Proponitur quæſtio, an loquendo in ſenſu Theologico in ordine ad confeſſionem idem realiter actus poſſit eſſe moraliter multiplex, & ut talis in confeſſione ſit explicandus.*

43 *Referuntur de hoc variæ ſententiæ Authorum.*

42 QUæſtio iterum non inſtituitur in ſenſu Philoſophico, ac Metaphyſico, in quo certum eſt, illa omnia & ſola diſtingui numero, quæ diſtinguuntur realiter poſitivè, vel negativè, ſcilicèt vel ut actus, vel ut omiſſio actus. Solùm ergo in ſenſu Theologico & Morali quæritur, an idem realiter actus poſſit in æſtimatione morali ac Theologica eſſe multiplex, & moraliter plures malitias numericas continere: & viciſſim, an plures actus realiter diſtincti poſſint in eodem ſenſu ab æſtimatione unam malitiam peccati conſtituere, ac integrare.

43 Quæ quæſtio præcipuam, & ferè unicam utilitatem habet in ordine ad Confeſſionem Sacramentalem. Licèt enim aliqui putent, quòd ſi quis per unum actum decem homines re, vel juſſione, vel conſilio occideret, aut vellet occidere, is teneretur exprimere numerum hominum, etiamſi hujuſmodi actus ſecundùm ipſos tantùm unicam malitiam contineant, uti expreſsè docent Suar. *diſp. 22. de Sacram. Pœnit. ſect. 5. n. 35.* Laym. *lib. 1. tr. 2. cap. 10. n. 3. & tr. 3. c. 3. n. 2.* quorum ſententiam etiam approbant Buſenbaum *lib. 6. tr. 4. cap. 1. dub. 3. art. 1.* & ex Dominicana Familia M. Serra. M. Banez. M. Arauxo apud P. Moyam in Tomo Apologetico P. Honorati Fabri *parte 2.* quos Author refert *tr. 3. diſp. 2. q. 5. §. 3. n. 9.* & viciſſim aliqui putent, quòd prædictus homicida non teneretur diſtinctè numerum hominum morti deſtinatorum exprimere, modò in confuſo diceret: Feci uno actu externo, aut volui facere ſtragem hominum, ſive occidere plures, etiamſi idem actus totidem malitias moraliter includeret, ut expreſsè docet Card. de Lugo *to. de Pœnit. diſp. 16 ſect. 3. n. 135.* quem ſequitur P. Gobat *tr. 6. n. 381.* Tambur. *in Method. expeditæ Confeſſionis lib. 2. c. 1. §. 9. n. 59.*

Nihilominus tamen plurimùm videtur deciſio hujus quæſtionis conferre ad doctrinæ conſequentiam in eorum principiis, qui cum S. Thoma *4. diſt. 16. q. 3. art. 2. q. 5.* & plurimis aliis negant, circumſtantias notabiliter intra eandem ſpeciem peccati mortalis aggravantes eſſe materiam neceſſariam confeſſionis, ſeu eſſe neceſſariò in confeſſione exprimendas: hac enim ſententia ſuppoſita, non videtur conſequenter aſſeri neceſſitas diſtinctè exprimendi numerum hominum, re, aut voluntate ſimultaneæ neci traditorum, ſi nec actus externus, nec internus moraliter continet totidem numero diſtinctas malitias: quod principium omninò admittunt præter citatos F. Chriſtophorus Delgadillo *tomo de Pœnit. cap. 17. dub. 64. n. 142.* Marullus Megala *in Inſtitutione Confeſſariorum 1. p. lib. 5. cap. 12. n. 4* relati à noſtro P. Matthæo Moya *tr. 3. de Pœnit. diſp. 2. q. 5. §. 2.* citantur ab aliis etiam Ludovicus à Conceptione referens plures Salmanticenſes Magiſtros, Joannes Poncius, Conſtantinus de Caſtro, Remigius, Leander à Sacramento, Ledeſma, Zanardus, Acatius de Velaſco, Azor, Duardus & alii apud Dianam *p. 3. tr. 4. Reſol. 164.* Et loquendo de ſolo actu interno non aſſecuto effectum (à cujus multiplicatione actus) conſentiunt Dicaſtillo *tr. 8. de Pœnit. diſp. 9. n. 255.* Turrianus *diſp. 12. de Pœnit. dub. 3.* Vericelli, Martinus de S. Joſeph. apud Moyam *l. c.* Et probabilem ſententiam fatetur Trullenck *lib. 5. in Decal. diſp. 3. parte 3. n. 7.* Diana *p. 1. tr. 7. Reſol. 17. & p. 11. tr. 3. R. 3. & tr. 7. R. 34. & tr. 8. R. 64.* Vaſq. *to. 3. in 3. p. q. 91. art. 1. dub. 4. n. 8.* etiamſi effectus fuerit ſecutus. Imò iſte cum Oviedo *1. 2. tract. 6. de Peccatis Contr. 5. pu. 6. n. 112. & ſeqq.* omninò aſſerit, conceſſis duobus principiis, nempè morali indiſtinctione malitiarum in eodem actu, & immunitate explicandi circumſtantias merè aggravantes, legitimè deduci licentiam reticendi numerum perſonarum, in quas tendit idem actus peccati.

§. I.

An idem actus poſſit moraliter continere malitias ſolo numero diverſas.

SUMMARIUM.

44 *Tum ab authoritate, tum à ratione valdè probabile eſt, eundem realiter actum nunquam moraliter, & in ordine ad Confeſſionem eſſe multiplicem ſolo numero.*

45 *Prima Ratio.*

46 *Secunda Ratio.*

47 *Præcluditur effugium.*

48 *Tertia Ratio.*

49 *Eliditur retorſio Adverſariorum.*

50 *Quarta Ratio.*

51 *Dicta ratio ſpecialiter ſtringit P. Nicolaum Baldellum.*

52 *Quinta Ratio.*

53 *Sexta Ratio.*

54 *Septima Ratio.*

55 *Solvuntur Objectiones.*

DIco. Etiamſi Affirmativa ſententia videatur communior, tamen Negativa tum propter ſat ma- 44
gnam authoritatem, tum propter rationes videtur valdè eſſe probabilis. Prima pars de Authoritate negativæ ſententiæ patet ex paulò ante relatis plurimis DD. quibus P. Matthæus Moya *tr. 3. de Pœnit. diſp. 2. q. 4. §. 3.* addit M. Nunnum, Cajet. Filliucium, Durandum, aitque omnes veros Thomiſtas cum S. Thoma docere, quòd repugnent in eodem actu plures malitiæ, ſolo numero diſtinctæ. Licèt autem cit. Author eos ſolummodò intelligat, & explicet de repugnantia in ſenſu Metaphyſico, ſeu reali, patet tamen, in hoc neque inſtitui quæſtionem, neque inſtitui prudenter poſſe, cùm per ſe evidens ſit, unum eundemque actum non poſſe continere malitias realiter diſtinctas, prout à Metaphyſico actus moralis conſideratur. Et præterea ex propriis *cit.* DD. verbis clarè elucet, illos loqui de ſenſu Morali, & ipſe Moya ex Marco Serra *2. 2. q. 76. a. 3.* quam *n. 5.* pro ſenſu Metaphyſico allegat, præcedenti *n. 2.* hæc verba contra Baronium exſcripſit, atque de ea attendere juſſit: *Si quæras, an qui plures homines ſimul malediceret, mortem eis optando, unum vel plura peccata committeret? Reſpondetur de hoc, ſicut de voluntate occidendi plures homines ſimul, varias eſſe ſententias: mihi probabilius videtur, unum ſolùm numero eſſe peccatum tam phyſicè, quàm moraliter.* Ex Dominico Bannez *2. 2. q. 62. a. 2.* verò hæc recenſet: *Unus actus numero eſt moraliter loquendo, quando ex unica volitione ſequitur effectus etiam multiplex, præſertim ſi multiplicitas non eſt ſpecifica, v. g. ſi uno ictu occidat quis multos homines.* In hoc ergo ſenſu loquuntur reliqui Thomiſtæ citati, ſaltem plerique.

Secunda pars comprobatur pluribus rationibus. Pri- 45
mò. Merè moralis multiplicatio, ſive diſtinctio numerica malitiarum in eodem actu ſecundùm æſtimationem Theologicam non poteſt in ordine ad alium effectum, quaſi formalem & finem ipſius diſtinctionis inductivum explicari, quàm in ordine ad obligationem exprimendi in confeſſione numerum objectorum, & perſonarum, in quas tendit unum idemque actus: ergo priùs probanda eſſet hæc obligatio; aliàs ſi hæc ab illius aſſertoribus unicè probetur ex multiplicitate morali ejuſdem actus, & hæc multiplicitas moralis probetur ex obligatione, evidenter committitur. Circulus vitioſus, & idem probatur per idem. Cùm autem dicta obligatio aliunde non ſufficienter probatur (ut ex ſolutione objectionum, quæ hic, & pro obligatione circumſtantiarum merè aggravantium, & in confeſſione explicandarum, in tract. de pœnit. fieri ſolent, clarè patebit) neque explicari & ſalvari Moralis multiplcatio & diſtinctio numerica malitiarum in eodem actu.

Pro-

46 Probatur ſecundò ex Concilio Tridentino, neque dari moralem multiplicitatem malitiarum merè numericam in eodem actu, neque obligationem in confeſſione exponendi illas circumſtantias, ex quibus ab Adverſariis infertur dicta multiplicitas. Quippè Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *& can* 7. dum contra hæreticos definit, non requiri ad confeſſionem Sacramentalem diſtinctam expreſſionem peccatorum memoriæ non occurrentium, utpotè impoſſibilem, refert ea omnia (tum pro hæreticorum expreſſiore confutatione, ex obligatione diſtinctæ confeſſionis carnificinam conſcientiarum univerſali Eccleſiæ falsò imponentium, tum pro Catholicorum pleniore Inſtructione) quæ Chriſtus ad integram confeſſionem, in inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ ad modum Judicii, diſtinctè exprimenda requiſivit. In utroque autem loco solùm meminit circumſtantiarum ſpeciem mutantium, non autem mutantium numerum, quamvis ſi tales darentur, non debuiſſet iſtas omittere, ne doctrina illius eſſet manca, & ne expreſſione unius ſine altero etiam eſſet deceptoria, & virtualiter excluſiva alterius, juxta illud notum principium Juris, quòd incluſio unius ſit excluſio alterius. Ergo juxta Tridentin. non dantur circumſtantiæ ſolùm numerum mutantes.

47 Neque dicas, harum circumſtantiarum meminiſſe non fuiſſe neceſſarium ad finem intentum à Concilio, qui ſolummodò fuit, removere neceſſitatem exponendi peccata oblivioni tradita. Nam hac ratione neque fuiſſet neceſſarium meminiſſe circumſtantiarum ſpeciem mutantium, proinde ex harum expreſſione, & illatione eorum, quæ à Chriſto ad integritatem confeſſionis exiguntur, & præter quæ Trid. ait, *Nihil aliud exigi*, ſatis patet, hunc non fuiſſe unicum finem, licèt fuerit occaſio forſan unica, ſed adhuc intendiſſe alterum finem, nempè plenam etiam inſtructionem Fidelium ac Infidelium, ad quem plurimùm profuit, enumerare omnia in confeſſione explicanda: ob quam cauſam tam ſollicitè Trident. bis repetit neceſſitatem confitendi circumſtantias ſpeciem mutantes, quas alioquin fruſtra, & deceptoriè inculcaſſet, ſi non ad finem propoſitum fuiſſent neceſſariæ; ad quem ſimiliter neceſſariæ fuiſſent circumſtantiæ numerum mutantes, ſi eæ vel diſtinctionem malitiarum in eodem actu peccaminoſo, vel obligationem exprimendi numerum objectorum, & perſonarum importarent.

48 Probatur tertiò cum Lugo *diſp.* 16. *de Pœnit. num.* 131. Si idem actus v. g. eadem Volitio occidendi decem homines, ſive per eundem actum externum, ſive per diverſos, & diverſo tempore ponendos, continet totidem malitias, moraliter diſtinctas, tunc ſi quis haberet voluntatem occidendi tot homines, quot poteſt DEUS ſucceſſivè producere, illa volitio actu contineret malitias numericas, moraliter diſtinctas, finitas in infinitum; ſed malitias ſive phyſicè, ſive moraliter diſtinctas, finitas in infinitum, & hoc ipſo infinitas actu dari implicat contradictionem, ergo etiam implicat, ut idem actus contineat tot malitias, quot ſunt objecta, vel perſonæ, in quas tendit.

49 Videtur quidem ab Adverſariis poſſe retorqueri hoc argumentum in actum voluntatis, quo quis vellet tot ſpecies peccatorum committere, quot ſunt poſſibiles; cùm ergo ſint poſſibiles finitæ in infinitum, etiam nos debemus concedere, actum voluntatis eundem moraliter tot diſtinctas ſpecies continere. Sed facilè reſpondetur, negando ſuppoſitum, quòd actus voluntatis contrahat ſpecificas malitias ſuorum objectorum, confusè tantùm & implicitè repreſentatorum; quia hoc ipſo, quòd non dependeat à cognitione directiva, explicitè repræſentante illorum differentias, atque ſingularum virtutum honeſtates oppoſitas, tanquam motiva abſterrentia, & neglecta, ille actus non contrahit illas malitias ſpecificas, ſed aliam ſpeciem malitiæ ſibi propriam, & innominatam. Differentia autem numerica objectorum non debet explicitè repræſentari, modò cognoſcatur numerus, nempè decem eſſe objecta, vel perſonas, vel eſſe finitas in infinitum.

50 Probatur quartò ex eodem Authore *num.* 136 à paritate furti pluribus hominibus graviter damnoſi, in cujus confeſſione pœnitentes communiter arbitrantur ſe ſatisfeciſſe explicando ablationem rei alienæ, licèt non dicant, quot Domini eodem furto graviter læſi fuerint. atqui ſi peccata multiplicarentur juxta numerum perſonarum, quæ læduntur, pœnitentes non ſatisfacerent obligationi exprimendi numerum mortalium peccatorum.

51 In hac probatione ſpecialiter noto contra P. Nicolaum Baldellum, quòd licèt omnes aliæ probationes pugnent contra illius ſententiam, hæc tamen ſpecialiter illi adverſetur, quando *t.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 21. *n.* 8. *& ſeq.* aſſerit, tunc eundem realiter actum eſſe moraliter multiplicem, cùm multiplicantur ejus objecta totalia, tunc verò multiplicari totalia objecta, quando non coaleſcunt in unum; tunc autem non coaleſcere in unum, quando eorum malitia non prohibetur propter ordinem ad aliquam malitiam complexam, ſed propter ſe ipſam, ſolitariè ſumptam, quod ait contingere, quando injuria per eundem actum infertur pluribus, ita ut quilibet ſeorſim patiatur ſpeciale damnum independenter, quòd ſimile damnum etiam alius patiatur e. g. ſi quis eodem actu voluntatis velit occidere plures ſimul, aut ſucceſſivè, vel ſi pluribus eodem actu furetur, vel ſi eodem ſermone pluribus de fama ſua detrahat. Unde contra communem aliorum ſenſum, & fidelium pœnitentium praxim fatetur, non ſatisfacturum obligationi confeſſionis, qui diceret: furatus ſum mille florenos, ſi illi, eodem actu furti, ablati ſpectaſſent ad diverſos Dominos. Verum fallitur hic Author, ſive ſupponat, quòd ut idem actus ſit moraliter unum peccatum, requiratur, ut ejus objecta coaleſcant, ſive ſupponat, quòd non coaleſcant, quando ea ſpectant ad diverſas perſonas: immeritò enim requirit, nec aliunde ſatis probat, quòd quando actus eſt ſeipſo unus, adhuc requiratur coaleſcentia objectorum, quod quia eſt in quæſtione, efficaciter probandum eſt. Falſum etiam eſt, ſi univerſaliter dicatur, objecta non coaleſcere, quando ea pertinent ad diverſas perſonas. Quia ſi quis per injuſtum pondus, vel menſuram ſingulis hominibus ſolùm inſerat leve damnum, tamen ſingula damna coaleſcunt in unum ratione modi, quo illa damna inferuntur, & exigunt per modum unius complexi prohiberi, ut fides Divina nos docet Proverb. 11. *Statera doloſa abominatio eſt apud Dominum.*

52 Probatur Quintò à Suar. *diſp.* 22. *de Pœnit. ſect.* 5. *n.* 35. *Si quis, inquit, indiviſibili actu charitatis amet decem proximos, una eſt indiviſibilis bonitas illius actus, ut ſuppono ex prima ſecunda* (quod ſuppoſitum poſſet confirmare paritate cognitionis aut viſionis, repræſentantis ſimul decem homines, nemine tamen facilè aſſerente, quòd in eodem intellectu vel oculo dentur moraliter decem cognitiones vel viſiones) *ergo ſimiliter odium eorundem hominum unicam habet malitiam, quamvis non reſpiciat aliam materiam propinquiorem, ſed immediatè tendat in tales perſonas: ergo idem erit de voluntate occidendi tot homines, eò vel maximè, quod poteſt quis velle, uno ictu eos occidere, & ita videtur proximam materiam habere magis unam, quàm ſit quantitas pecuniæ in voluntate eleemoſynæ, vel quantitas furti, ſi à multis perſonis accipienda eſſet, & hoc modo caderet in voluntatem. In his ergo & ſimilibus caſibus exiſtimo, quod ad ſpeculationem ſpectat, non eſſe neceſſarium malitias has numero diſtinguere.* Ita Suar. Ex quo tamen contra ipſum ſuppoſito alio principio, quòd non detur obligatio declarandi circumſtantias merè aggravantes, & nec ſpeciem, nec numerum mutantes, etiam in praxi ſecundùm citatos Authores ſequitur, non eſſe neceſſe, explicare numerum perſonarum in confeſſione.

53 Probatur ſextò, inferendo ex priori ratione diſparitatem inter multiplicitatem ſpecificam ejuſdem realiter actus, deſumptam ex objectis ſpecie diverſis, & inter multiplicitatem numericam deſumendam ex objectis numero diverſis, non coaleſcentibus. Objecta enim ſpecie diverſa pariunt oppoſitionem cum contraria honeſtate virtutis, ſpecie diverſa, & cum fine, ſpecie diverſo, à Legislatore immediatè, & proximè intento; obiecta autem, ſolo nomero diverſa, non pariunt oppoſitionem cum honeſtate numero diverſa, reſidente in actu oppoſito virtutis: Actus enim exequens obligationem circa objecta non coale-

ſcen-

ſcentia, in ordine ad nullum effectum poteſt dici moraliter multiplex actus virtutis, ut quis e. g. exerceat moraliter decem actus juſtitiæ, ſi quis nolit furari decem hominibus; alioqui nolens furari ulli hominum actu exiſtentium, & exiturorum, totidem actus juſtitiæ exerceretur, quod nemo aſſerit.

54 Denique probari poſſet ad hominem contra citatum P. Nicolaum Baldellum qui *diſp. 23. n* 10. docet, promiſſione ejuſdem rei pluribus Sanctis in eorum honorem facta, & violata per neglectam executionem committi tot peccata infidelitatis, quot Sanctis fallitur fides, eò quòd ſinguli per proprium & ab altero independens Jus obligent obligationibus diſtinctis, ac diſparatis. Ex hoc enim ſequeretur, quòd qui furaretur rem, ad quam unus habet jus proprietatis, alius verò Jus pignoris vel utendi & fruendi, vel aliud partiale Jus, confitens ſuum peccatum deberet exprimere numerum perſonarum, habentium Jus in eandem. Idem dicendum eſſet de confeſſione peccati, contra diverſa Jura Juriſdictionis commiſſi, e. g. in re Jure Civili, & Eccleſiaſtico, prohibita, imò per quamcunque pluralitatem legum ab eodem vel diverſo Legiſlatore præcepta aut prohibita. Quæ omnia ſunt contra communem ſenſum & praxim pœnitentium ac Confeſſariorum.

Obiicitur primò. Id, quod æquivalet pluribus, ſolo numero diſtinctis malitiis, in æſtimatione morali continet plures ſolo numero diſtinctas malitias. Sed volitio occidendi decem homines æquivalet decem volitionibus ſolummodò diſtinctis occidendi unum hominem. Ergo &c. Confirmatur. Volitio occidendi decem homines terminatur à decem objectis, quorum ſingula ſufficiunt ad mortalem malitiam homicidii affectivi inducendam in actum voluntatis; ergo decem objecta inducunt decem malitias, propter realem ſimplicitatem actus ſaltem virtualiter & moraliter diſtinctas. Reſp. primò, retorquendo argumentum in Exemplis in quinta noſtra probatione allatis. Retorqueri etiam poteſt in actum durantem per plura temporis inſtantia, æquivalentem pluribus inſtantaneis actibus ſucceſſivis: & in volitionem furandi decem aureos eidem homini, quorum ſinguli ſufficiunt ad inducendam mortalem malitiam furti affectivi in actum voluntatis, & tamen non pauci ex Adverſariis fatentur, illum actum non continere decem malitias, moraliter diſtinctas, in confeſſione exprimendas. Quòd ſi dicas, hìc objectum coaleſcere in unum, homines autem ſingulos nunquam coaleſcere: aſſero etiam homines poſſe coaleſcere in unam familiam, Rempubl. Exercitum, vel cœtum qualemcunque. Deinde coaleſcentia objecti non tollit æquivalentiam plurium in eodem actu: ergo diſparitas aſſignata eſt inſufficiens. Reſp. Secundò. Nego majorem: quia ad æquivalentiam ſufficit, ut unum ſit æquè bonum vel malum, quàm alia plura ſimul ſumpta; ad moralem autem multiplicitatem requiritur, ne res poſſit accipi per modum unius, indiviſim reſpicientis plura per realem & ſpecificam ſuam ſimplicitatem.

Obiicitur ſecundò apud Lugo *diſp. 16. de Pœnit. num.* 133. Sicut oppoſitio cum diverſa honeſtate ſpecifica poteſt multiplicare malitias in ſpecie, ſic oppoſitio cum Juribus diſtinctis poterit multiplicare numero malitias Injuſtitiæ, ſicut enim læditur diverſa ſpecifica honeſtas, ſic læditur diverſum numero Jus. Reſp. Primò hanc objectionem retorqueri poſſe in exemplis ultimæ probationis contra Baldellum adductis. Reſp. Secundò negando paritatem: quia oppoſitio cum diverſa honeſtate ſpecifica inducit in eundem actum diſſimilitudinem tendentiarum, diſſimilitudo autem inducit diſtinctionem numericam: adeoque tunc ſolùm & ſemper datur moraliter diſtinctio numerica malitiarum in eodem actu, quando ſimul datur diſtinctio ſpecifica: tunc enim cuivis prædicato ſpecifico correſpondet ſua propria individuatio.

Obiicitur tertiò. Ex dictis ſequitur, quòd qui uno actu duplex Jus conjugale læderet, quando ſcilicet uterque adulterans eſſet conjugatus, & qui ſimul una actione plures occideret, aut vellet occidere; & qui eadem actione pluribus grave damnum in Bonis fortunæ, vel eadem dictione in honore aut fama inferret, is ſufficienter explicaret ſuum peccatum dicendo: *Commiſi adulterium, homicidium, gravem læſionem in bonis fortunæ, famæ &c.* ſive *adulteravi, occidi, graviter læſi in bonis fortunæ, famæ &c.* Conſequens videtur contra communem ſenſum, & praxim tam pœnitentium, quàm Confeſſariorum; unde hi communiter ſolent interrogare pœnitentem adulterum, an uterque fuerit conjugatus, quando pœnitens probabiliter judicatur neſcire, quòd id in confeſſione adulterii debeat explicare: & quamvis noſter P. Emanuel Sà in antiquiore editione Aphoriſmorum Verbo *Confeſſio n.* 13. docuerit, non eſſe neceſſe, illud explicare, hæc doctrina tamen in recentioribus exemplaribus eſt omiſſa utique tanquam improbabilis, ac nimis laxa. Reſp. negando ſequelam: quia iſti modi loquendi ſecundùm communem intelligentiam & acceptionem verborum pariunt ſenſum *Excluſivum* circumſtantiæ aggravantis per reſpectum ad perſonas graviter læſas; quamvis autem circumſtantiæ merè aggravantes non ſint neceſſariò & diſtinctè explicandæ, tamen non licet eas poſitivè negare in confeſſione, quo fieret, ut pœnitens ſe accuſaret de minore peccato, quàm quod commiſit, adeòque non ſe accuſaret de peccato ſuo, quod fecit, ſed de alio, quod non fecit. Satisfaceret tamen ſuæ obligationi, ſi uteretur verbis non excluſivis pluritatis, etiamſi non exprimeret numerum perſonarum graviter læſarum, ſed ſolùm diceret: *Fornicatione violavi aliorum Jus conjugale* (quod dixiſſe ſatis eſſet, etiamſi adulter tempore Polygamiæ licitæ multas habuiſſet uxores) *Uno actu voluntatis volui occidere plures*. Vel: *Eadem actione occidi plures*. Sive: *Feci ſtragem hominum. Furatus ſum ſummam gravem*. Vel: *Intuli grave damnum in bonis temporalibus. Eadem dictione pluribus de honore aut fama detraxi.*

Ubi notandum eſt, quòd in furti, vel injuſtæ damnificationis confeſſione per ſe loquendo non opus ſit indicare aliquam pluralitatem perſonarum, eadem ratione læſarum, eò quòd circumſtantia aggravans, niſi ſpeciem mutet, non deſumatur à reſpectu ad perſonas, ſed tantùm à reſpectu ad quantitatem; unde furtum decem aureorum eſt æquè grave in ratione furti, & abſtrahendo ab accedente forſan gravi læſione charitatis erga proximum, ſive omnes ad unum, ſive ſinguli ad ſingulos homines pertinuerint. In confeſſione detractionis verò, ne verba pariant ſenſum excluſivum pluritatis, exprimenda eſt pluralitas, quia detractionis gravitas augetur per reſpectum etiam ad perſonas, quò enim pluribus detrahitur, eò graviùs peccatur. Ratio diſparitatis videtur eſſe, quòd per furtum, vel damnificationem injuſtam in bonis temporalibus non ſemper graviter peccetur contra charitatem proximi, quando nimirum quantitas rei ablatæ eſt quidem tanta, ut ex virtute Iuſtitiæ mereatur graviter prohiberi, attamen Dominus ex ejus carentia non meritò graviter contriſtatur aut affligitur: Si enim Regi, aut ditiſſimo mercatori auferas unum aureum, iſte propter vim graviter allectivam ad furandum, meretur quidem graviter prohiberi ex motivo juſtitiæ, non tamen ex motivo charitatis, quia per ſe loquendo non habet vim talem Dominum graviter contriſtandi. Verùm per injuſtam gravem læſionem in bonis Spiritualibus, & in bonis corporis, honoris, ac famæ ſemper graviter peccatur etiam contra charitatem, & conſequenter per reſpectum ad perſonas, & ideo in confeſſione talis peccati ſemper exprimenda eſt pluralitas perſonarum læſarum; in damnificatione autem in bonis fortunæ tunc ſolùm exprimenda eſt pluralitas, vel qualitas perſonæ læſæ, quando ſimul graviter peccatur contra charitatem, eò quòd Dominus rei ablatæ ex ejus carentia & indigentia, quia pauper eſt, grave patiatur incommodum, & juſtam cauſam gravis triſtitiæ, ſicut pateretur ex gravi læſione in corpore, honore, & fama.

Urgeri adhuc poſſet prædicta objectio in noſtris principiis, quia in tractatu de Sacramento pœnitentiæ dicimus, quòd effectus malus, ex cauſa peccaminoſa ſecutus, etiam ſit peccatum in confeſſione explicandum; unde ſi mors ex actu voluntatis, & ex oppoſita cauſa e. g. ex propinato veneno, ſtructo incendio &c. decem hominibus ſecuta ſit, cùm eorum mortes non coaleſcant, numerus decem hominum occiſorum erit in confeſſione declarandus, tanquam decem peccata externa. Reſp. Etiamſi concederetur totum, id non fore contra noſtram concluſionem, qua ſolùm dicimus, eundem realiter actum internum, vel externum ratione objecti multiplicis non evadere moraliter multiplicem, licèt quando ipſa

ipſa objecta ſunt realiter diſtincta, ac propriè dicta peccata, eorum numerus etiam poſſit eſſe moraliter multiplex in confeſſione indicandus. Nihilominus etiam in hoc caſu poteſt practicè quis ſequi ſententiam, noſtris principiis contrariam, vel poteſt dicere, quòd propter dependentiam ab eodem actu interno, & externo, ut ſuppono, omnes affectus fiant moraliter unum peccatum, ſeu unum complexum peccaminoſum, ſicut ſequenti articulo dicemus, plures actiones peccaminoſas, etiam ſucceſſivè factas, poſſe coaleſcere in unum moraliter peccatum.

Neque tamen hinc ſequitur, quòd ſi quis eodem calore iræ, vel turpis amoris, per actus externos continuè ſuccedentes, committeret plura homicidia, vel plures fornicationes cum eadem vel diverſis fœminis, is non tenetur exprimere numerum homicidiorum vel copularum fornicariarum, tanquam peccatorum realiter & moraliter diſtinctorum, ut contra communem & certam ſententiam aliorum improbabiliter docuerunt Zanardus, Archangelus Rubeus, & pauculi alii apud Andream Mendo *diſſert.* 2. *n.* 3. *&* 4. & apud Moyam *tract.* 3. *diſp.* 2. *q.* 5. *n.* 5. Quia aliud eſt, quòd plures effectus ejuſdem actus interni & externi fiant moraliter unum, uti eſt mors plurium, conſiſtens in mera deſitione unionis animæ cum corpore, & aliud, quòd actus externi, illativi mortis, realiter diſtincti, fiant per continuationem vel dependentiam ab eodem actu interno moraliter unum, quando ſinguli per ſe ipſos ſunt completum, ac ultimatum exercitium creaturæ rationalis peccantis, ac per hoc in communi æſtimatione hominum incapaces, ut moraliter uniantur per præſuppoſitionem ejuſdem actus interni, & continuam ſucceſſionem eorundem, nullum ad ſe invicem, vel ad conſtituendum totum morale, habentium ordinem. Sed hæc potiùs ſpectant ad ſequentem articulum.

§. II.

An & quando plures actus peccaminoſi, realiter diſtincti poſſint moraliter continere ſolummodò unam malitiam integralem.

SUMMARIUM.

56 *Plures actus peccaminoſi poſſunt Moraliter, & in ſenſu Theologico in ordine ad confeſſionem in unum coaleſcere.*
57 *Hujus non poteſt dari Regula univerſalis, ſed ex variis principiis & ex prudenti æſtimatione hominum colligendum eſt.*
58 *Refertur prima aliorum Regula.*
59 *Refertur ſecunda aliorum Regula.*
60 *Impugnatur prior Regula.*
61 *Impugnatur poſterior regula.*
62 *Quomodo Actus merè interni moraliter coaleſcant.*
63 *Quomodo Actus externi coaleſcant, oſtenditur in peccatis Homicidii, & Luxuriæ.*
64 *Quomodo coaleſcant plures continuæ ſacrilegæ Adminiſtrationes ejuſdem Sacramenti in ſpecie.*
65 *Quomodo coaleſcant plures detractiones, Perjuria, Blaſphemiæ.*
66 *Quomodo à continua injuſta detentione rei alienæ coaleſcant actus interni nolentis reſtituere.*
67 *Quomodo coaleſcat peccatum omiſſionis in neglecta recitatione horarum Canonicarum.*

56 PRioris partis affirmativa aſſertio certa eſt apud omnes DD. cum S. Thoma 2. *diſt.* 42. *q.* 1. *art.* 1. *in corp.* ubi ait: *Contingit eſſe actus plures, ſecundùm quod ad genus naturæ referuntur* (id eſt, phyſicè & realiter) *qui tamen ſunt unum, ſecundùm quod in genere moris conſiderantur; ut patet in eo, qui furatur: quia omnes actus ejus, qui ad finem furti ordinatur, peccatum ſunt; cùm mala intentione fiant, qui poſſunt valde multi eſſe: & tamen omnes computantur, ut unum peccatum, quia non habent rationem peccati, niſi ſecundùm quod per unam voluntatem in unum perverſum finem ordinantur.* Quibus poſtremis verbis indicat S. Doctor, etiam rationem ipſius aſſertionis. Sicut enim plura conclavia faciunt unam domum, & plures domus unam civitatem, & plura fercula unum convivium, quia pluralitas phyſica ordinatur ad unum finem, & quia per conjunctionem ædificiorum, vel continuam appoſitionem ferculorum integratur aliqua moralis unio, ita plures actus ordinati ad unam completam, & conſummatam malitiam ſpecificam, conſtituunt moraliter unum peccatum, ſi detur etiam ſufficiens conjunctio, & unibilitas moralis eorum inter ſe. Quando autem hæc ordinatio ad unum finem, & ſufficiens conjunctio, ac unibilitas detur, quæ eſt altera pars quæſtionis, in titulo propoſitæ, illud planè eſt incertiſſimum. Unde

Dico, non poſſe dari unam univerſalem, aut certam 57
regulam, quando, & quinam actus conſtituant moraliter unum peccatum ſub eadem ſpecie; ut inter alios optimè oſtendit Card. de Lugo *diſp.* 16. *de Pœnit. ſect.* 14. eſſe proinde ex circumſtantiis, præſertim temporis, non nimio intervallo, aut certarum actionum mediatione interrupti, ex qualitate actionum, habentium rationem medii, aut finis, ex communi operandi modo &c. Secundùm prudentem æſtimationem (quamvis horum univerſalis conſenſus in multis caſibus haberi non poſſit) ſaltem probabiliter arguendum.

Probatur prior pars concluſionis, improbando duas 58
principaliores aliquorum Regulas: quarum prima eſt aſſerentium, tunc ex pluribus actibus realiter diſtinctis fieri moraliter unum peccatum, quando ſinguli feruntur in idem objectum, nullo interpoſito actu retractationis. Ita Canus, Ludov. Lopez, Martinus Delrio, Aragon. Garzia, Petrus de Ledeſma & plures alii, in Tomo Apologetico Honorati Fabri parte 2. relati ibid. à P. Matthæo Moya *tr.* 3. *de Pœnit. diſp.* 2. *q.* 1. §. 1. *n.* 2. *&* à Dina 3. *p. tr.* 4. *Reſol.* 95. quorum ſententiam apud *cit.* P. Moyam falſam appellat Vaſq. 1. 2. *diſp.* 75. *cap.* 1. *n.* 2. & incredibilem Suar. *diſp.* 22. *de Pœnitentia ſect.* 5. *n.* 9.

Secunda Regula tunc ſolùm admittit unitatem mora- 59
lem actuum, quando omnes in idem objectum, vel in eundem finem tendunt abſque voluntariè vel involuntariè interpoſito actu, non habente rationem medii aut viæ ad actum peccati ſubſequentem. Ita Vaſq. quem ſequitur Palao *tr.* 2. *diſp.* 2. *pu.* 3. Alii tamen ad hujuſmodi interruptionem actuum uniendorum requirunt inſuper notabile temporis intervallum, ex quibus rurſum aliqui majus, aliqui minus depoſcunt, ut videre eſt apud Moyam *l. c. n.* 7. *&* 16.

Verùm neutra Regula eſt ſatis univerſalis, aut ſuffi- 60
ciens. Non prima; quia ad moralem unitatem actuum circa idem objectum negatio retractationis neque ſufficit. Quis etiam dicat deſideria, aut propoſita committendi fornicationem cum aliqua fœmina eadem diè per longa intervalla, vel diverſis diebus frequentata eſſe moraliter unum actum? Quis cum Petro Ledeſma *in Summa de Pœnit. lib* 1. *c.* 37. relato ab Andrea Mendo *diſſert.* 2. *n.* 3. dicat, ſolùm committi unum peccatum ab eo, qui unica deliberatione non retractata omittit recitare Officium Canon. integro menſe vel anno? Neque eſt neceſſaria: quia ſi quis die Jejunii ſæpius retractatos actus comeſtionis carnium in eodem convivio reiteraret, teſte Lugo *diſp.* 16. *de Pœnit. ſect.* 14. *n.* 551. allegante Leſſ. Laym. Villalobum, Filliucium, Dianam, & aſſentiente Moya *l. cit. n.* 23. unum peccatum ſpecialis intemperantiæ committeret. Unde concedit etiam Card. de Lugo, licitum eſſe Sacerdoti, ſi peracta communione, & facto propoſito non ampliùs Communicandi, deinde monitus à Miniſtro ante diſceſſum ab altari ſacrum ciborium, conſecratarum particularum ſumptione, purificet: quia propter circumſtantias loci, & temporis, eaſdem, tam in dicto convivio profano, quàm in iſto Euchariſtico, & moraliter durante eadem Miſſa, cenſetur poſita moraliter unica comeſtio.

Neque ſecunda Regula eſt ſufficiens ac univerſalis: 61
quia non tantùm in illis caſibus, quibus prædicta regula poteſt applicari, verùm etiam in multis aliis communiter conceditur, poſſe actus, tam internos, quàm externos uniri moraliter, neque neceſſariam eſſe prædictam phyſicam continuationem actuum exiſtentium vel in ſe, vel in ſuo effectu ac medio ad alios actus ſubſequentes, ut ex probatione ſecundi membri concluſionis patebit, & nunc ratione à pari confirmatur. Nam licèt in ſacro officio

Miſſæ

Miſſę ſolemniter cãtato longa concio,& ſub hac longus ſomnus Officiatoris intercederet, vel licèt prandiũ in die Jejunii lectione epiſtolę,vel digreſſione ad aliquod negotium, peragendum cum animo ad illud redeundi,diſcontinaretur tamen ob interpoſitionem hujuſmodiactionis,impertinentis in neutro caſu tolleretur unitasprandii, & officii Miſſæ.

Poſterior pars, ſeu membrum concluſionis probatur
62 inductione exemptorum ac caſuum, in quibus à gravibus Doctoribus concedſtur unitas moralis actuum realiter diſtinctiorum, fundata in rationibus prædictis, ob quas in Confeſſione ſufficit exprimere actum principalem cum omnibus circumſtantiis ſpeciem mutantibus.

In primis loquendo de actibus merè internis, verſantibus circa idem objectum abſque ſui ordinatione ad ullum actum externum, vel ad finem illis communem procurandum, ſi non niſi naturali, & involuntaria, vel ſaltem mox rurſum deſerenda diſtractione ad alia objecta fuerunt interrupti, teſte P. Matthæo Moya *l. c. n.* 13. referente Granadum, Coninck, Henriquez, Fagundez, Salas, Graſſicum, Oviedum, Cajetanum, Navarrum, Tamburinum, Franciſcum Bauni, in æſtimatione morali habentur pro uno.

Si autem ad actus aliquos externos, & ad communem finem per illos obtinendum, aut complendum fuerunt ordinati (licèt, ut contra Palao extendo, præter intentionem illum non fuerint aſſecuti) etiam non obſtante longiore, & voluntaria interruptione, ad animi tamen propoſitum immutandum, ac hebetandum, per ſe loquendo, inſufficiente, unitatem moralem retinent propter connexionem, ac unius ab altero dependentiam, & naturalem ordinem ac intentionem ad eundem finem, ut cum pluribus aliis advertit P. Moya *n.* 18. Quòd ſi tamen; ut idem Author fatetur, & præter alios tradit Tannerus *diſp. 4. de Peccatis, q. 2. dub. 4. n.* 57. contra interveniſſet interruptio, quæ communiter ſolet ſufficere ad animum immutandum, & ad illius impetum; ac intentionis propoſitum enervandum, tunc tam actus interni in æſtimatione morali inter ſe diſcontinuantur, & debent enumerari ut diſtincti, quàm actus externi, ita ut ſi iſti habeant malitias inter ſe, & à malitia finis obtenti, vel non obtenti, diſtinctas, hujuſmodi malitiæ dicto modo diſcontinuatæ etiam ſeorſim in confeſſione explicandæ ſint. Quanta autem interruptio communiter ſoleat ſufficere ad animum immutandum, etiam non poteſt univerſalis menſura aſſignari, ſed vel maximè deſumi debet ex natura actuum, tum internorum, tum externorum, & ipſorum objectorum, circa quæ verſantur, atque ex aliis circumſtantiis ac motivis contrariis, ad animum faciliùs immutandum ſervientibus.

Unde loquendo nunc ſpecialiter de actibus externis, non dependentibus ab internis dicto modo interruptis, in eodem actu externo homicidii jam cenſentur incluſi, & in confeſſione ſufficienter expreſſi alii quidam actus, ſcil. comparatio armorum, inveſtigatio inimici, percuſſiones, ac vulnerationes proximè præcedentes &c. Similiter in peccato fornicationis continentur prævia turpiloquia, oſcula, tactus impudici, ſine prædicta interruptione præmitti ſoliti, etiamſi (ut quidem excipit Card. de Lugo *n.* 556. ſecutus Hurtadum, Vaſq. Dianam) non fuerint ex intentione ſecutæ culpæ peracti, prout non improbabiliter docet P. Matthæus Moya *n.* 2. *n.* 2. citans Leandrum, Delgadillo, Oviedo, & alios recentiores: idque ſequitur ex ipſorum Adverſariorum principiis, fatentium cum Henriquez, Navarro, Azor, Zerola, Granado, Salas, Fagundez, Moya (contra Suar. Vaſq. Coninck) ſimiles actiones fornicariam copulam ſubſecutas, tanquam complementa conſummativa copulæ in eadem cenſeri incluſa, ex cujus intentione tamen utique non potuerunt præſtari, uti neque viciſſim copula fuit tanquam medium ad illas actiones intenta, & tali modo actiones præcedentes in copula includentur tanquam præambula, præparamenta, & exordia illius.

Confirmatur hoc ipſum etiam ex alia doctrina *cit.* Card. de Lugo *à n.* 450. conſentiente Moya *q.* 1. *n.* 19. cum Fagundez, Franciſco Bauni, Candido, Tambur. & aliis, aſſerentibus plures actus externos, quamvis per alias actiones intermediare ſolitas non nimis diu nec inſueto modo interruptos, qui in prudentum æſtimatione reputantur partes integrantes unius operationis humanæ, unum numero peccatum æſtimari, ſive ordinem medii & finis inter ſe habeant, ſive non. Sic multiplici colloquio interrupta frequens comeſtio carnium die jejunii, & poculorum ebrietatem augentium evocatio, unum peccatum intemperantiæ in cibo vetito, vel in potu inebriante conſtituunt.

Hinc ulteriùs infertur cum Card. de Lugo *n.* 558. Henriquez *lib. 5. cap. 6. n. 6.* P. Gobat *tr. 6. de Sacram. Pœnit. n.* 403. Tan. *l. c. n.* 55. Diana 1. *p. tr. 7. reſol.* 43. Rodriq. Fagundez, Leandro, Eſcobar, Bauni relatis à Moya *tr. 3. diſp. 2. q. 3. §. 1. n.* 5. ipſo licèt cum Oviedo & Dicaſtillo diſſentiente, ſi quis continua muneris ſui functione idem ſpecie Sacramentum pluribus in peccato mortali adminiſtret v. g. eadem continua ſeſſione plures pœnitentes à peccatis abſolvat, vel pluribus Sacramentum Euchariſtiæ diſtribuat, unum moraliter peccatum ab eo committi. Quia etiamſi abſolutiones ſingulæ, vel ſingulæ Communicationes Sacræ Euchariſtiæ ſint conſummata adminiſtratio Sacramenti, habentur tamen pro partibus integralibus unius miniſterii, cum tali multiplicitate peragi ſoliti, ſive unius functionis & operationis humanę, ut adeòque non ſit paritas cum fornicationibus vel homicidiis in fine præcedentis articuli non tantùm phyſicè, ſed etiam moraliter diſtinctis: Et ideo ſuprà in ipſa concluſione dixi, unitatem, vel multiplicitatem moralem debere etiam ex qualitate actionum & communi operandi modo quandoque colligi.

Prædicta tamen doctrina extendi adhuc poteſt cum Lug. *art. n.* 559. P. Gobat. *l. c.* Moya *n.* 18. Diana, Azor, Molina apud *cit.* Lugo & pluribus aliis ad peccatum moraliter unum aſſerendum, ſi quis in eodem colloquio pluribus detractionibus ejuſdem hominis famam læderet, vel pluribus perjuriis eandem falſitatem confirmaret, vel plures blaſphemias eodem iræ impetu effunderet, vel ex eodem plures contumelias, vel plura verbera, vel plures plagas eidem homini infligeret. Quia ſicut juxta Philoſophiam partes homogeneæ faciliùs uniuntur, quàm heterogeneæ, ita etiam ex ſimilibus actionibus peccaminoſis (veluti pauló antè de pluribus adminiſtrationibus ejuſdem ſpecie Sacramenti diximus) uſitato modo operandi conjungi ſolitis, & unum ſermonem, vindictam &c. integrantibus, eodem tempore, loco, affectu vel paſſione animi, circumſtantiis, fine, cauſa impulſiva, & contra eandem perſonam poſitivis, faciliùs integratur unum peccatum Detractionis, Perjurii, Blaſphemiæ, DEUM, contumeliæ in hominem, percuſſionis, vulnerationis &c.

Pari ratione multi actus interni abſque interpoſita retractatione, determinantes ad continuam non reſtitutionem rei alienæ ejuſdem domini, tanquam ad continuum actum externum negativum, ab illis dependentem, integrant unum peccatum omiſſionis voluntariæ contra Juſtitiam, ut docent Petrus Navarra, Tannerus, Lugo, Aragonius, Nalderus, Rodriquez, Sayrus, Diana relati à Moya *n.* 22. qui etiam relatis Navarro & Reginaldo cum Lug. *n.* 551. concedit, neque per retractationem injuſtæ voluntatis (intellige *non juſtificant*, ſive *non deletivam* prioris peccati) diſcontinuari, vel tolli unitatem moralem actuum internorum, & omiſſionis externæ, ut injurioſæ, ſi ipſa retractatio per renovationem injuſtę voluntatis mox revocetur, quod uterque probat exemplis ſuprà contra primam regulam allatis.

Unde multo minùs eſt neceſſe dicere cum Suar. Molina, Baldello, Palao, referente etiam Vaſquezium & Rebellium, quòd ſola diſtractione, vel ſomno vel alia actione, ab injuſta voluntate detinendi rem alienam non cauſata, peccatum injuſtæ detentionis moraliter multiplicetur ſecundùm pluralitatem actuum internorum; uti etiam docet Præpoſitus *q. 5. de Sacrament. Pœnit. q. 5. dub. 1. n.* 102. qui tamen ſequenti numero noſtram ſententiam approbat aut probabilem.

Quippè externa retentio eſt continua: interni verò actus in illam conſentientes moraliter uniuntur primo actui interno, perſeveranti in ſuo effectu, nempe in continua retentione, quæ à primo actu interno non minùs ſtabiliter dependet, quàm ab intentione occidendi inimicum dependent omnes actus interni & externi,

con-

A 4 T

continuo temporis fluxu ſibi in ordine ad homicidium perpetrandum ſuccedentes; ita ut juxta Baldellum *diſp.* 21. *n.* 5. cum Navar. *in Manuali cap.* 6. *n.* 16. Contra Vaſquez. 1. 2. *diſp.* 75. *c.* 3. *n.* 11. neque per ſomnum intercedentem, & intentum ad reficiendas vires pro occidendo inimico, per longum iter inquiſito interrumpatur, quamvis dicta intentio immediatè tantùm determinet ad initium ſomni, & reliquæ horæ ſomni cum illo initio & intentione ſolùm continuentur per durationes ordine ſuccedentes, non ampliùs exiſtente & non immediatè influente actuali intentione: quo modo etiam continuatur injuſta retentio cum prima voluntate, & cum initio retentionis rei alienæ: adeòque tam ipſa continua retentio, quàm actus confirmantes, & ratificantes primam voluntatem ſunt moraliter unum continuum peccatum, quamdiu non intervenit perfecta nec ſtatim retractata voluntas reſtituendi, & quādiu actus intermedii non feruntur etiam in alia damna de novo cognita, & ex injuſta retentione conſequentia: tunc enim conſenſus in retentionem eſſet etiam conſenſus in illa damna, qui non poſſet eſſe moraliter idem cum primo conſenſu: præſertim ſi damna eſſent ſpecie diverſa, & in alio genere bonorum.

Confirmatur prædicta continuitas retentionis rei alienæ, & actuum internorum ſubſequentium cum primo actu determinante ad illam retentionem, ex propriis verbis Baldelli, qui *diſp.* 23. *n.* 2. ita loquitur; *Si interrupto & ceſſante actu interno adhuc continuetur actus externus (* prout continuatur externa actualis retentio, ſive continua profeſſio rei alienæ, vel propriæ pro compenſatione injuſti damni debitæ) *& ceſſante* v.g. *actuali voluntate furandi per aliquam aliam cogitationem, aut deſiderium, quod tunc contingat, non ceſſet exterior acceptio rei alienæ, quando deinde repetitur actus interior, non multiplicatur peccatum furti*. Infero ego. Ergo neque peccatum continuæ poſſeſſionis, ac retentionis; quando res debita non reſtituitur. *Patet* (aſſumo iterum pro ratione propria verba Adverſarii) *quia acceptio exterior* (ſive retentio exterior, quę etiā ęquivalenter eſt cōtinua acceptio) *eſt tantum una, & quamvis ceſſet actualis voluntas, manet tamen virtualis, cùm in potentia executiva maneat determinatio ad proſequendam acceptionem rei alienæ jam inchoatam, quæ determinatio eſt virtus prioris voluntatis actualis; & ſatis eſt, ut acceptio extranea dicatur idem actus humanus, ut patet ex dictis alibi circa voluntarium virtute*. Quæ verba ſi applicentur continuæ retentioni rei, alteri debitæ, patet conſequentia noſtræ doctrinæ, & inconſequentia alienæ.

Neque obſtat continuitati injuſtæ retentionis, ut aliqui quidem putant, ſi interveniat impotentia, à reſtitutione excuſans, modò tempore impotentiæ per voluntatem conditionatam reſtituendi, ſi ſcil. impotentia fuerit ſublata, prior injuſta voluntas retinendi non fuerit retractata. Quia tunc impotentia tantùm facit, ut exterior retentio non ſit injuſta & culpabilis *effectivè*, non autem ut non ſit *affectivè*, propter priorem injuſtam voluntatem nondum retractatam, & adhuc influentem cum ipſa impotentia in retentionem rei, ſublato impedimento reſtituendæ; unde per impotentiam continuitas peccati injuſtitiæ tantùm interrumpitur materialiter, non formaliter, ſicut per ignorantiam adhuc peccaret formaliter, qui rem verè ſuam, creditam tamen eſſe alienam, actuali voluntate nollet reſtituere.

67 Denique pro exemplo moralis unitatis actuum realiter diſtinctorum, ut in ſimili poſſit fieri idem judicium, ad quod etiam ſerviunt priora exempla, ſubjungo, quòd, quia omnes partes Officii Canonici in unam totalem orationem coaleſcunt, ab Eccleſia pro ſingulis diebus ſeorſim per modum unius intentam, ideo probabiliùs contra Leſſium, Tablen. Tolet. cum Suarez *to.* 2. *lib.* 4. *c.* 25. *n.* 20. Lugo *num.* 547. & Diana *p.* 2. *tr.* 12. *Reſol.* 5. plurimos referente, aſſeratur, ſingularum horarum omiſſionem moraliter unum peccatum conſtituere; ipſoſque etiam actus internos, non retractatos, per continuam omiſſionem ejuſdem totalis vel partialis orationis moraliter uniri, prout ſuprà diximus de repetitis actibus voluntatis non reſtituendi idem totale vel partiale debitum; unde nec pœnitentes ſe accuſare, nec Confeſſarii illos interrogare ſolent, quoties interpolatis temporibus eadem die elicuerint actum voluntatis non ſolvendi penſum Canonicum: vel quot horas omiſerint, dicentes, ſe graviter peccaſſe negligendo præceptum dicendi horas Canonicas. Econtrario omiſſiones pluribus diebus continuis factæ, nequeunt in unam coire, quia diverſas obligationes diverſis diebus affixas, diviſim & non in ordine ad unam complexam orationem reſpiciunt. Unde quia etiam eodem die lex negativa non comedendi carnes reſpicit ſingulas illius partes diſtributivè, ac diviſibiliter, ideo per comeſtiones moraliter interruptas violatur diviſibiliter. Per quod differt à Lege dicendi horas Canonicas, quæ cùm ſit quoad ſubſtantiam tantùm alicui parti diei affixa ſub disjunctione, hinc eſt magis ſimplex, quàm lex negativa, obligans pro omni tempore diviſibiliter.

TRACTATUS III.

DISPUTATIO UNICA

De tribus Virtutibus Theologicis, FIDE, SPE, ET CHARITATE.

Totam Virtutum Theologicarum Triadem una diſputatione complectemur, quia quæ Theologo morali de iis ſcitu neceſſaria ſunt, paucis expediri poſſunt, pleraque enim alia magis ſpeculationi quàm praxi deſerviunt.

ARTICULUS I.

De Fide.

SUMMARIUM.

1 *Fides eſt actus intellectus, ſed ſupponit actum voluntatis, à quo denominatur libera, & meritoria.*
2 *Eſt aſſenſus firmiſſimus. Ideo meritò damnata eſt propoſitio 21. ab Innocentio XI.*
3 *Objectum materiale Fidei eſt omnis veritas à DEO revelata.*
4 *Fidei objectum non eſt evidenter verum, ſed evidenter verum eſt, quòd ſit firmiſſimè credibile.*
5 *Veracitas DEI infinita eſt motivum formale Fidei.*

§. I.

De Eſſentia Fidei.

1 QUæritur, Quid ſit fides? Reſp. Fidem eſſe *Actum intellectus* (non enim eſt nobis ſermo de habitu) *quo quis firmiter aſſentitur objecto à DEO revelato, propter ipſius obſcuram revelationem, & infinitam ac infallibilem veracitatem.* Dicitur primò: eſſe actum intellectus: Quia licèt ſupponat actum voluntatis, qui Pia Affectio à Theologis vocatur, & à quo liberè atque ex intentione honeſtatis per ſubmiſſionem proprii judicii erga DEUM obtinendæ elicito, liber ac honeſtus extrinsecè denominatur, ipſe tamen formaliter per intellectum exercetur.

2 Hinc dicitur ſecundò. *Quo quis firmiter aſſentitur*: aſſenſus autem eſt exercitium intellectus, qui ut ſit actus fidei divinæ, firmiſſimus, ac minimè formidoloſus, aut dubius eſſe debet. Idcirco ab Innocentio XI. reprobatur hæc 21. Propoſ. *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis; imò cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.*

7 Dicitur tertiò: *Objecto à DEO revelato*: quibus verbis indicatur objectum materiale fidei eſſe illud omne, & ſolum, quòd DEUS vel immediatè Apoſtolis & Prophetis, vel mediatè per Eccleſiam nobis loquens revelavit, quo modo eum per Parochos, Concionatores, & alios homines nobis loqui, teſtatur Sanctus Paulus ad Theſſalonicenſes 2. *Quoniam cùm accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non ut verbum hominum, ſed, ſicut eſt verè verbum DEI.*

Dicitur quartò: *propter ipſius obſcuram revelationem*: per quas particulas exprimitur partiale objectum formale, ſeu motivum fidei, nempe revelatio DEI, cùm objecto ab homine nobis propoſito, ideo aſſenſum præbere debeamus, quia Deus per hominem loquens illud revelat, obſcurè tamen, eò quòd evidens non ſit, locutionem Eccleſiæ vel hominis eſſe locutionem DEI; quamvis motiva credibilitatis, quæ circumſtant, & comitantur talem locutionem, eamque Divinam eſſe teſtantur (ut ſunt innumera miracula ac martyria, uniformitas, & perpetuitas doctrinæ Catholicæ in toto orbe, & tot ſæculis, à temporibus Chriſti & Apoſtolorum, ab hominibus ſanctiſſimis propagatæ &c.) reddant evidens hoc judicium intellectus, quòd honeſtum ſit, & obligatorium, imperare ſibi firmiſſimum aſſenſum, certò ac indubitanter affirmantem, locutionem prædictis motivis credibilitatis circumſeptam, ac confirmatam, eſſe locutionem DEI: itaque hæc locutio obſcurè, ſed certò ac infallibiliter cognita, tanquam divina revelatio, partialiter movet intellectum, ut credat, objectum ab illa propoſitum verum eſſe: quia tamen hæc non poteſt adæquatè movere, niſi quatenus DEUS illam ponens eſt infinitè verax, & nec in cognoſcendo falli, nec in loquendo fallere poteſt, aut vult.

Proptereà dicitur quintò: *& propter infinitam ac infallibilem veracitatem*: in tantum enim creditur loquenti, in quantum cognoſcitur eſſe verax, id eſt, in quantum neque ipſe fallitur, neque alios vult fallere: adeòque fides, qua quis v. g. credit, DEUM eſſe Incarnatum, legens hoc in Sacra Scriptura ab Eccleſia recepta, vel audiens à Concionatore Eccleſiæ Catholicæ, recenſita motiva credibilitatis adducente, eſt talis aſſenſus, quo intellectus dicit: Credo DEUM eſſe incarnatum, quia impoſſibile eſt, hujus veritatis aſſertionem, tanta authoritate comprobatam, non eſſe locutionem, ſeu revelationem DEI, vel Deum infinitè veracem per illam mentiri.

§. II.

An & quomodo poſſit intellectus elicere aſſenſum Fidei firmiſſimum, propter motiva credibilitatis, metaphyſicè inevidentia.

SUMMARIUM.

6 *Propter illuſtrationem ſupernaturalem neceſſariam ad credendum ſicut oportet, poteſt elici aſſenſus Fidei magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium, & contraria Propoſitio 19. meritò damnata eſt ab Innocentio XI.*
7 *Reiicitur citatæ Propoſitionis ſenſus relatus à P. Cardenas. Et aſſignatur ſenſus legitimus.*
8 *Sicut intellectus propter motiva credibilitatis, poteſt elicere aſſenſum Fidei firmiſſimum, ſic illicitum eſt ab illo recedere; ideo ab Innocentio XI. meritò prohibita eſt Propoſitio 20.*
9 *Ex Concil. Trid. probatur neceſſitas illuſtrationis ſupernaturalis.*
10 *Eadem neceſſitas probatur ex S. Scriptura.*

Dicendum, quòd talem firmiſſimum actum fidei poſſint, & debeant ſibi imperare per imperium 6
voluntatis non tantùm docti, qui clarè cognoſcunt illa motiva Eccleſiæ, quæ abſolutè evidentem credibilitatem veritatis revelatæ continent, ſed etiam rudes, quando habent motiva credibilitatis, ſolùm reſpectivè evidentem credibilitatem articulorum fidei parientia; accedente enim divino lumine, ſive illuſtratione ſupernaturali poteſt intellectus in executione propter motiva formalia fidei elicere actum firmiſſimum, qualem ſola motiva extrinſeca credibilitatis, impellentia ad eundem actum ſibi imperandum e. g. locutio Parochi;

Concionatoris, Catechiſtæ &c. ſæpe non mererentur; ideo Innocentius XI. prohibuit iſtam propoſitionem 19. *Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.* Cui prohibitioni, ut videre eſt apud noſtrum P. Eſtrix in Specimine Theologiæ manantis per Belgium *part. 4. capit. 3.* §. 2. anſam dedit R. P. Arnoldus Marchant Minorita, cujus Theſis XI. erat iſta: *Judicium credibilitatis, quo judicamus de honeſtate Fidei, ejuſque neceſſitate, voluntati ſervit, ut firmè, invictèque aſſenſum imperet, non intellectui, ut certius firmiuſque aſſentiatur. Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus Fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum, ad aſſenſum impellentium.*

7 Ex quibus verbis patet, quo ſenſu intelligenda ſit dicta propoſitio decima nona, & quæ proinde ſit mens Pontificis illam prohibentis. Non enim videtur ad mentem Authoris ipſam proferentis, & Pontificis condemnantis, rectè exponi à P. Joanne de Cardenas *in Criſi Theologica de ſelectis difficultatibus ex morali Theologia diſſert. 13. per quatuor capita*, ubi ſupponit, Authorem illius propoſitionis negaſſe neceſſitatem piæ affectionis, ipſamque in ſenſu *cap. 2. num. 10.* à ſe expoſito protuliſſe: ſcilicet admiſiſſe, quòd aſſenſus fidei habeat in ſe ipſo omnimodam firmitatem, & certitudinem, ita ut nihil firmitatis ac certitudinis proveniat à pia affectione voluntatis: ſed quòd motiva ad aſſenſum impellentia ita ſint evidentia, & rapiant, determinent, ac cogant intellectum ad aſſenſum firmiſſimum & certiſſimum, ut fruſtranea & inutilis ſit pia affectio, eaque nihil juvare, ac determinare intellectum poſſit ad aſſenſus firmitatem, nihilque addere ſupra meritum motivorum credibilitatis, eò quòd iſtud ſit ſummum, & voluntas tam parùm operam ſuam adjungere poſſit quàm parùm poteſt in ordine ad aſſenſum ſcientificum metaphyſicè evidentem.

Unde infert P. Cardenas, à ſummo Pontifice ideo damnatam fuiſſe propoſitionem 19. quia in ſenſu explicato tollitur meritum, ac libertas, ſive indifferentia ad credendum vel diſcredendum. Simulque à *num. 17.* oſtendit, fundamentum aſſertæ propoſitionis in ſenſu explicato eſſe falſum ex eo, quòd motiva credendi pariant quidem evidentiam credibilitatis, quòd detur locutio divina, non tamen evidentiam veritatis, quòd detur, niſi ſolam evidentiam moralem, quæ non rapit intellectum, ſed tantùm facit, ut intellectus non poſſit prudenter negare aſſenſum: ſicut habemus evidentiam moralem de exiſtentia Romæ propter tot hominum teſtimonia; quamvis non implicet contradictionem, omnes mentiri, qui illud affirmant. Sic ergo inquit metaphyſica evidentia credibilitatis conjuncta cum evidentia tantùm morali veritatis, & nondum in ſe metaphyſicè infallibili, non rapit intellectum, ſed accedente illuſtratione interna obſcurè quidem, attamen acceſſione dictæ illuſtrationis metaphyſicè certificant, ut proinde neceſſaria ſit pia affectio propter inevidentiam metaphyſicam, & aſſenſus poſſit imperari firmiſſimus ac certiſſimus propter metaphyſicam, ſed obſcuram certitudinem motivorum credibilitatis, & illuſtrationis.

Quod confirmat idem P. Cardenas claro teſtimonio Patris Granado *tr. 2. de Fide diſp. 4. n. 4.* ubi ait: *Reſpondetur ab evidentia credibilitatis ita proponi fidem, ut repugnet illam eſſe falſam, non quaſi hæc repugnantia oriatur ex ipſa evidentia credibilitatis, nam ex vi hujus præciſe non redditur certus* (infallibilitate metaphyſica) *intellectus de veritate myſteriorum: ſed oritur ex divina authoritate, & interna illuſtratione, quibus noſtra fides innititur.* Potuiſſent huic confirmationi etiam addi alia ſummorum Theologorum teſtimonia. Nam Suar. *diſp. 3. ſect. 8.* ſimiliter inquit: *Quamvis ſapientes majorem aliquam certitudinem habeant* (de motivis credibilitatis) *non tranſcendit fidem humanam, & ad ſummum pervenire poteſt ad gradum evidentiæ moralis.* Tannerus *diſp. 1. q. 2. nu. 141.* hoc ipſum expreſsè dicit etiam de viris, quibus motiva externa credibilitatis omnia perſpecta ſunt. Idem dicit P. Eſparza *q. 26. a. 14. & ſequentib.*

Ego proinde exiſtimo in ſenſu relato à P. Cardenas efficaciter quidem oſtendi falſam, ac meritò damnabilem propoſitionem 19. ſed videtur mihi ſenſum illum non eſſe ad mentem Authoris ipſius: quia evidens eſt ex verbis immediatè ab illo præmiſſis, non negari ab eo piam affectionem, ſi quidem ait: *Judicium credibilitatis, quo judicamus de honeſtate fidei, ejuſque neceſſitate, voluntati ſervit, ut firmè invictèque aſſenſum imperet, non intellectui, ut certius firmiuſque aſſentiatur.* Deinde in immediatè ſequentibus verbis ipſius propoſitionis damnatæ potiùs indicat defectum motivorum, quàm exceſſum, aut metaphyſicam evidentiam: dum enim dicit: *Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium*: non eſt hic ſenſus, quòd voluntas non poſſit firmitatem majorem addere, eò quòd rationes ſint metaphyſicè evidentes, & mereantur propter ſolam evidentiam naturalem firmiſſimum aſſenſum: ſed potiùs eſt iſte, quòd voluntas non poſſit imperare aſſenſum fidei firmiſſimum, quia motiva externa credibilitatis propter defectum metaphyſicæ infallibilitatis illum non merentur, & quia ipſa eorum defectum non poteſt ſupplere. Et inde infert Author propoſitionem 20. damnatam: *Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.* Quæ propoſitio nullo modo poſſet inferri ex priori, imò potiùs oppoſita inferretur, quòd propter evidentiam metaphyſicam motivorum non poſſit quis prudenter, imò nec phyſicè repudiare aſſenſum. Propterea Cardenas coactus eſt fateri, & dicere *cap. 4. n. 3. In quo ſenſu eam* (ſcil. propoſitionem 20.) *dixerint Authores ejus propoſitionis, me omnino latet. Et cùm particula* Hinc *denotet conſequentiam, deductam ex propoſitione immediatè antecedente, ego non video, quomodo talis conſequentia inferatur &c.*

Itaque in alio ſenſu, quàm à P. Cardenas expoſito, & impugnato, exponi, & impugnari debet propoſitio 19. Pro quo notandum eſt, Authorem theſis XI. ſuprà relatæ non dixiſſe, quòd voluntas non poſſit efficere, ut aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum, quæ ſunt motivum formale ipſius Fidei ſupernaturalis, quibus ipſa innititur; hæ enim ſemper ſunt tanti ponderis, ut mereantur aſſenſum firmiſſimum propter divinam veracitatem loquentem; ſed hoc dixit de pondere rationum, quibus nititur judicium credibilitatis, quæ ut ſapienter monet Card. Pallav. *lib. 3. de Fide n. 64.* diligenter diſtinguendæ ſunt *alias* inquit *crederemus, antequam crederemus*: itaque Author locutus eſt de pondere rationum ipſius judicii, quo judicamus de honeſtate Fidei, ejuſque neceſſitate, nempe de motivis credibilitatis, quæ debent impellere voluntatem non tantùm ad firmiter imperandum aſſenſum, ſed ad firmiter imperandum aſſenſum fidei firmiſſimum, & proportionatum ponderi rationum ipſius fidei, quia nimirum DEUS eſt infinitè verax in cognoſcendo, & loquendo, & quia actu loquitur, atque revelat myſterium ſive objectum fidei locutione & revelatione infallibili, infallibiliter manifeſtata partim per ipſa motiva extrinſeca credibilitatis, partim per locutionem internam, ſcilicet per lumen, ſive illuſtrationem ſupernaturalem, quam Deus dat facienti, quod in ſe eſt, juxta illud vulgatum principium: *facienti, quod eſt in ſe, DEUS non denegat gratiam.*

Hinc etiam intellectus propter ejuſmodi illuſtrationem divinam, & propter infallibilitatem motivi fidei, 8
imò etiam propter ſola motiva credibilitatis ad primum aſſenſum impellentia, non poteſt licitè recedere ad aſſenſum fidei ſupernaturalis, etiamſi illa motiva impellentia ad imperandam fidem fuerint tantùm reſpectivè evidentis credibilitatis, & ſe ſolis non mererentur tam firmum aſſenſum, qualem merentur motiva formalia ipſius fidei: proinde etiam propoſitio vigeſima, ex prædicta theſi illata, & ab Innocentio XI. prohibita ſic habet: *Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat, ſupernaturalem.*

Meritò igitur utraque Propoſitio à ſummo Pont. improbata fuit. 9
Quia ſicut Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. can. 3. de Juſtific.* damnat, & anathemate ferit eum, *qui dixerit, ſine præveniente Spiritus S. inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pænitere poſſe, ſicut oportet.* (nempe firmiſſimè) *ut ei Juſtificationis gratia conferatur*: & ſicut *ſeſſ. 6. c. 6.* ad omnem actum fidei exigit gratiam non tantùm interiùs excitantem, ſed externum auditum (qui habetur per motiva credibilitatis extrinſeca) ſpecialiter adjuvantem per præveni-

venientem Spiritus Sancti inſpirationem, ſive illuſtrationem, dicens: *Diſponuntur autem ad ipſam Iuſtitiam, dum excitati Divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes &c.* ita per hanc neceſſariam inſpirationem, ac illuſtrationem intellectus redditur potens elicere aſſenſum fidei firmiſſimum ſupra meritum motivorum extrinſecorum, impellentium ad imperandum ejuſmodi aſſenſum, qui paſſim in S. Scriptura tribuitur efficaciæ Divinæ illuſtrationis, qua DEUS homini loquitur ad cor, & adjuvat auditum externum.

10 Ita dicitur 1. Joan. 5. v. 10. *Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium DEI in ſe, & Pſ.* 84. *v.* 9. *ait* David: *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus*. Et S. Lucas in Actis Apoſt. *c.* 16. *v.* 14. deſcribens, quare inter alias mulieres non credentes Lydia purpuraria crediderit locutioni externæ S. Pauli, de iſta ait: *Cujus Dominus aperuit cor, intendere his, quæ dicebatur à Paulo*. Apertione cordis autem deſignatur illuſtratio interna, certificans, & inclinans ad aſſenſum locutionis externæ: cujus neceſſitatem, & efficaciam indicavit ipſe Chriſtus, Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum &c. Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me, ſcilicet per fidem*. & S. Paulus 1. *Cor.* 12. *v.* 3. *Nemo poteſt dicere Dominus IESVS* (firmiſſimè in eum credendo) *niſi in Spiritu Sancto*, ſcilicet per ejus inſpirationem. Denique, ut alia teſtimonia S. Scripturæ, & Conciliorum omittam, addo adhuc unum ex S. Joanne *Epiſt.* 1. *c.* 2. Ubi cur aliis imprudenter deficientibus à fide ex auditu percepta, ipſi, ad quos S. Joannes ſcribit, in eadem permanſerint, nec rurſum repudiaverint aſſenſum ſuum firmiſſimum *verſ.* 20. his verbis rationem aſſignat, (quæ etiam contra propoſitionem 20. ab Innocentio XI. damnatam valet) *Sed vos unctionem habetis à Spiritu Sancto, & noſtis omnia*. Ne autem iſtam unctionem, ſive illuminationem Spiritus Sancti per infidelitatem amittant, ſic illos hortatur: *Hæc ſcripſi vobis de his, qui ſeducunt vos. Et vos unctionem quam habetis ab eo, maneat in vobis. Et non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos* (præter id, vel contra id, quod jam audiſtis; fides enim ex auditu eſt) *ſed ſicut unctio docet vos de omnibus* (id eſt, certos, & ſecuros reddit de auditis) *& verum eſt, & non eſt mendacium, & ſicut docuit vos, manete in eo.*

§. III.

Motivum aſſenſus firmiſſimi contra ab Innocentio XI. prohibitas propoſitiones magis declaratur.

SUMMARIUM.

11 *Illuſtratio ſupernaturalis ad aſſenſum Fidei non tantùm concurrit directivè, ſed etiam objectivè; idque probatur ex illuſtrationis Propheticæ paritate.*
12 *Probatur etiam Teſtimoniis S. Thomæ.*
13 *Probatur alia ratione.*
14 *Illuſtratio ſupernaturalis eſt Motivum infallibilius, quàm ſenſibilis apparentia miraculorum.*
15 *Et movet ſufficienter etiam ſine Miraculis.*
16 *Ex horum paritate tamen probatur illius objectivus concurſus ad aſſenſum Fidei.*
17 *Probatur idem Teſtimonio S. Auguſtini, & aliorum SS. Patrum.*
18 *Probatur etiam Authoritate Innocentii XI.*
19 *Rurſum probatur ratione, innixa ejuſdem S. Pontificis Teſtimonio.*
20 *Præcluditur effugium Adverſariorum.*
21 *Alio modo idem effugium expugnatur.*
22 *Aſſignatur diſparitas cum inſtantia, ac Retorſione adverſariorum.*
23 *Ex aſſignata diſparitate conficitur nova probatio.*
24 *Oſtenditur hic utilem eſſe Argumentationem à potentia ad Actum.*
25 *Adducitur Authoritas Theologorum.*
26 *Oſtenditur diſcrimen inter noſtram, & P. Antonii Perez ſententiam, quæ tantum ex parte approbatur.*
27 *Solvitur objectio contra oſtenſum diſcrimen, & contra noſtram ſententiam.*
28 *Aſſignatur diſparitas inter Illuſtrationem Divinam, & inter ſpiritum privatum hæreticorum.*

Ex dictis priori paragrapho oritur quæſtio: Utrum prædicta unctio, interna auditio, locutio, & teſtimonium DEI, inſpiratio, illuſtratio, quibus nominibus, ut etiam notavit Pallav. *num.* 67. idem auxilium gratiæ, & adjutorium Spiritus Sancti ad aſſenſum fidei firmiſſimum deſignatur, ſolùm directivè, vel etiam objectivè ad omnem actum fidei ſupernaturalis, tam Doctorum, quàm rudium (cùm omnibus ſit neceſſarium ad credendum *ſicut oportet*, id eſt firmiſſimè) cum locutione Dei externa concurrat, ita ut intellectum credentis non ſolùm ut applicatio objecti credendi diſponat, ſed etiam, ſicut motiva credibilitatis externa, reflexè cognitum moveat. Mihi olim viſum erat, & adhuc videtur, quòd utrumque Officium præſtet, ſicut id præſtitit Lumen propheticum, quo DEUS antiquis prophetis multa myſteria fidei immediatè revelavit: qui cùm circa illa veros actus fidei elicuerint, quibus objecto materiali revelato, & ſecundùm ſe non immediatè noto, præſtiterunt aſſenſum propter ipſam illuſtrationem, ſive revelationem internam reflexè cognitam, ſimul uſi ſunt eadem illuſtratione Divina tanquam diſpoſitione applicante objectum credendum, & tanquam motivo credendi. Quidni ergo reſpectu omnis credentis idem præſtet dicta illuminatio Spiritus Sancti? Eſt enim vera locutio DEI, & Teſtimonium DEI, juxta citatum textum S. Joannis *ep.* 1. *c.* 5. *Qui credit in Filium DEI, habet teſtimonium DEI in ſe*. Eſt etiam reflexè cognoſcibilis, quoad modum ſuum tendendi, & certificandi intellectum, ſicut aliæ Divinæ inſpirationes, de quibus ſæpe nos accuſamus, quòd illis non auſcultaverimus, & hæc reflexa cognoſcibilitas, ſive audibilitas intellectualis, indicatur à Propheta ſupra citato: *Audiam, quid loquatur in me Dominus*; & ab ipſo Chriſto: *Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*. Non eſt ergo Ratio, quare locutio DEI extrinſeca, per homines, per ſacros libros, & per motiva credibilitatis externa, nobis revelantis myſteria fidei, moveat ad credendum DEO, & quare non etiam locutio Dei nobis intrinſeca moveat ad credendum Deo, per illam ſupplente meritum ad firmiſſimum aſſenſum, quando ut ſupponitur in prohibitione propoſitionis 19. cum non merentur rationes, & motiva credibilitatis extrinſeca, quantumvis fide hiſtorica moraliter certa, niſi accedat inſpiratio Spiritus Sancti, ejuſque adjutorium, ad credendum *ſicut oportet* cuilibet neceſſarium, juxta Concilium Tridentinum *can.* 3. & Concilium Arauſicanum II. *cap.* 6. 8. 16. 25. & 27. 11

12 Addo prædictæ paritati, cujus quidem retorſione omnia ferè contraria argumenta elidi poſſunt, ſecundæ probationis loco expreſſam authoritatem, & conſenſum Angelici Doctoris, qui 3. *contra Gent. cap.* 154. ita loquitur: *Angelorum interveniente officio manifeſtantur quibuſdam hominibus, non quidem per apertam viſionem, ſed per quandam certitudinem provenientem ex revelatione Divina, quæ quidem revelatio fit quodam interiori, & intelligibili lumine, mentem elevante ad percipiendum ea, ad quæ per lumen naturale intellectus pertingere non poteſt. Sicut enim per lumen naturale intellectus redditur certus de his, quæ lumine illo cognoſcit, ut de primis principiis; ita de his, quæ lumine ſupernaturali apprehendit, certitudinem habet* (notetur incidenter, quomodo S. Doctor illuſtrationem ſupernaturalem non in judicio, ſed in apprehenſione, & quidem certificante conſtituat) *cum prædicto autem lumine, mentem interiùs illuſtrante, adſunt aliquando in Divina revelatione aliqua exteriora, vel interiora cognitionis auxilia, utpote aliquis ſermo exteriùs ſenſibiliter auditus, qui Divina virtute formetur, aut per imaginationem, interiùs autem DEO faciente perceptus, ſive etiam aliqua corporaliter viſa, exteriùs à DEO formata, vel etiam interiùs per imaginationem deſcripta, ex quibus homo per lumen interiùs menti impreſſum cognitionem accipit Divinorum. Unde hujuſmodi auxilia ſine interiori lumine ad cognitionem Divinorum non ſufficiunt, lumen autem interius ſufficit ſine iſtis.*

Ex quibus verbis, ſicut etiam ex citatis textibus Scripturæ, & Concilii Trid. hoc conficitur argumentum. Id, quod ſemper & univerſaliter, tam doctis, quàm rudibus eſt neceſſarium ad aſſenſum fidei certiſſimum, ac firmiſſimum, & quod ita eſt neceſſarium, ut habeat Rationem Teſtimonii, & locutionis Divinę trahentis ad aſſenſum fidei, aperientis cor, & intellectum, docentis, ac con- 13

confirmantis veritatem locutionis externæ, eamque complentis ſub gradu non tantùm moralis certitudinis, quam pariunt externa motiva credibilitatis fide hiſtoricà cognita, neque tantùm ſub gradu phyſicæ certitudinis, quam pariunt miracula ſenſibus externis, & per imaginationem percepta, ac à S. Thoma relata, ſed ſub gradu metaphyſicè, & ſimpliciter infallibilis certitudinis, qualem juxta prohibitionem propoſitionis 21. ab Innocentio XI. damnatæ debet habere revelatio ſive locutio Divina, id, inquam, rectè & neceſſariò dicitur motivum formale, ſaltem *Motivum ut quo*, ſimul cum infinita veracitate DEI loquentis tamquam motivo *ut quod* inducens ad aſſenſum fidei firmiſſimum, certiſſimum, & Divinæ ac infallibili Authoritati proportionatum. Sed illuſtratio certificans, qualem Angelicus Doctor *l.c.* deſcripſit, eſt ſemper & univerſaliter neceſſaria, ut patet ex cit. Tridentino, & Arauſicano Concilio, habet rationem Teſtimonii, & locutionis Divinæ, præſtantis ea, quæ diximus, ut conſtat ex relatis textibus S. Scripturæ & S. Thomæ. Ergo &c.

14 Hinc idem S. Doctor *2.2. q.2. art.9. ad 3.* univerſaliter de omni credente, etiam docto, ipſaque miracula præſentia, vel præterita ſibi habente perſpecta, loquens, motivum formale adæquatum, completè ſufficiens, ac grave, & infallibile redditum, his verbis declarat: *Ad tertium dicendum, quod ille, qui credit, habet ſufficiens inductivum ad credendum. Inducitur enim authoritate Divinæ doctrinæ, miraculis confirmatæ: & quod plus eſt, interiori inſtinctu Dei invitantis; unde non leviter credit, cùm habeat ſufficiens inductivum ad credendum.* Ecce interiorem inſtinctum, ſive illuſtrationem internam requirit S. D. ad ſufficientiam, & gravitatem motivi ac inductivi ad credendum, & ejus vim movendi ac certificandi præfert ipſis miraculis: cùm etiam viſus, & auditus phyſicè inducentes ad aſſenſum poſſint falli, & vehementer fallentur per falsò apparentia miracula Anti-Chriſti, de quibus S. Joannes in Apocalypſi *c.19. v.20.* & Chriſtus in Evangel. Matth. *24. verſic. 24.* teſtatur dicens: *ſurgent enim pſeudo Chriſti, & pſeudo-Prophetæ; & dabunt ſigna magna & prodigia.*

15 Confirmatur ex eodem S. D. Interior inſtinctus ſecundùm ipſum eo modo inducit ad credendum, quo modo inducunt miracula; ſed miracula ſecundùm ipſum inducunt, ut objectivè cognita, & moventia ad aſſenſum fidei. Ergo etiam interior inſtinctus. Ideo *Quodlib. 2. q.4. art. 6.* quærens, utrum homines credere debuiſſent Chriſto, non facienti viſibilia miracula, reſpondet affirmativè his verbis: *Ad ſecundum dicendum, quod Chriſtus poterat ſe oſtendere eſſe Legiſlatorem, non faciendo viſibilia miracula, ſed etiam per Authoritatem Scripturæ, & per interiorem inſtinctum.* Ecce, quomodo etiam reſpectu doctorum & S. Scripturæ peritorum interiorem inſtinctum in vicem miraculorum objectivè moventium ſuperaddat, qui ut ſubrogatus utique ſapit naturam ejus, cui ſubrogatur: de quo etiam in loco *contra Gent. cit.* tanquam per ſe neceſſariò dixit: quòd *illa ſine interiori lumine non ſufficiant, lumen tamen interius ſufficiat ſine iſtis.* Pergit S.D. *in quod l. cit. Ad tertium dicendum, quod interior inſtinctus, quo Chriſtus poterat ſe manifeſtare ſine miraculis exterioribus, pertinet ad virtutem* (ſcil. motivam) *primæ veritatis, quæ interius hominem illuminat, & docet.* Et priùs *in Corp.* ad propoſitam quæſtionem ſic reſpondit. *Tenebantur* (*nempe Judæi*) *etiam interiori vocationi non reſiſtere: ſicut Iſaias de ſe dicit: Dominus DEUS aperuit mihi aurem. Ego autem non contradico, retrorſum non abii. Iſa. 50. ſicut de quibuſdam dicitur Act. 7. Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.*

Ex quibus verbis rurſum ſic argumentor, id cui diſſentiendo & contradicendo diſcredens reſiſtit, credenti eſt motivum aſſentiendi. Et ex paulò antè repetito loco contra Gent. ſic arguo. Si lumen interius ſufficit ſine externis motivis, tunc movet cum illis, ita ut externis ablatis intellectus habeat adhuc ſufficiens motivum remanens.

Quia verò Angel. Doctor ſuam doctrinam ubique ſolet confirmare authoritate S. Auguſtini, audiamus, quomodo etiam iſte, utique non è rudibus unus, ſed inter doctiſſimos facilè primus, illuſtrationem divinam & neceſſariam ſibi, & rationem motivam ad credendum revelationi externæ per Moyſen, libri Geneſis Authorem, clariſſimè aſſerat *lib. 11. Confeſſ. cap. 3. Sed unde ſcirem, an verum diceret?* (Moyſes ſi præſens interpretaretur ſuam Geneſim) *quod ſi & hoc ſcirem; num & ab illo ſcirem? Intus utique mihi, intus in domicilio cogitationis, nec Hebræa, nec Græca, nec Latina, nec Barbara* (voce) *Veritas ſine oris, & linguæ organis, ſine ſtrepitu ſyllabarum diceret: Verum dicit: Et ego ſtatim certus confidenter illi homini tuo* (DEUM alloquitur) *dicerem: Verum dicis.* Ecce! quàm perſpicuis verbis S. Auguſtinus præter locutionem humanam Moyſis docentis, quantumvis is ſibi de cœlo, & per ſenſibilem præſentiam miraculosè redivivus adeſſet, & quantumvis S. Auguſtinus omnia motiva credibilitatis extrinſeca perſpecta haberet, ut ſciret certitudine fidei metaphyſicè infallibilis, ipſamque ſenſuum experientiam ſuperantis, adhuc ſibi neceſſariam duxerit illuſtrationem internam; ac interiùs ſine ſtrepitu verborum certificantem, ut ſuppleret illum defectum certitudinis, ob quam deinde ſtatim certus confidenter illi homini à DEO miſſo diceret: *Verum dicis.* Et ita etiam actualem ſuam fidem adſcribit acceptæ illuſtrationi *lib.7. Confeſſ. cap.10. Et audivi, ſicut auditur in corde: faciliuſque dubitarem vivere me, quàm eſſe veritatem &c.* Ad quam ſcil. ita firmiter credendam per locutionem DEI internam, auditu cordis perceptam, inductus, & permotus eſt. Idem officium illuminationi tribuit S. Bonav. *3. diſt.23. art.2. qu.2. ad 2.* ubi ait: *Divinæ authoritati nemo aſſentit propter ſe, & ſuper omnia, niſi per divinam illuminationem, & ſic talis credulitas non eſt acquiſita, ſed infuſa.* Et Ven. Beda apud Granadum *tract. 1. diſp. 4. ſect.5. num.29.* ait. *Niſi ſpiritus cordi adſit audientis, & niſi intus ſit, qui doceat, otioſus eſt ſermo Doctoris.*

Confirmari poteſt hæc doctrina ex propoſitionibus 19. 18
& 20. ab Innocentio XI. prohibitis, & ſupra explicatis. Hoc ipſo enim quòd Pontifex ſupponat, aſſenſum fidei firmiſſimum poſſe eſſe ſupra meritum motivorum, quibus nititur judicium credibilitatis, ſupponit dari adhuc aliud motivum, quo actus fidei firmiſſimus nitatur, proportionatum firmitati fidei, & quod meretur firmiſſimum aſſenſum: Atqui præter motiva credibilitatis extrinſeca, quibus juxta Authorem propoſitionis prohibitæ nititur judicium credibilitatis, non datur aliud, quàm teſtimonium Dei internum, ſive inſtinctus, & illuſtratio interna, formaliter faciens ita certificanter apprehendi veritatem locutionis externæ, & motivorum credibilitatis extrinſecorum, veluti, ut inquit relatus S. Auguſtinus, ipſa divina veritas intus in domicilio cogitationis ſine ſtrepitu ſyllabarum diceret: *Verum dicit*: ergo teſtimonium DEI internum eſt motivum aſſenſus firmiſſimi, ac ſupernaturalis fidei: qui etſi ſit ſupra meritum motivorum judicii credibilitatis, ſufficientium pro illo judicio, non tamen eſt ſupra meritum motivorum fidei propter teſtimonium Dei internum, illis prioribus ſuperadditum; & hæc videtur fuiſſe ratio ſummi Pontificis prohibendi illam propoſitionem 19. ne ex illa inferatur defectus divinæ illuſtrationis, ad credendum prout oportet ſimpliciter neceſſariæ, & à DEO dari ſolitæ facienti, quod eſt in ſe, & procuranti ſibi ea motiva credibilitatis extrinſeca, quæ ad imperandum aſſenſum fidei ſunt neceſſaria, illiſque acquieſcenti, atque obtemperanti.

Addo tantæ authoritati, hactenus allegatæ, & 19
pro ratione aſſumptæ, adhuc alias rationes. Aſſenſus enim fidei firmiſſimus debet eſſe aſſenſus prudens. Ergo non debet eſſe ſupra meritum proprii motivi; ſicut pertinacia hæreticorum, & judicium temerarium ſunt aſſenſus imprudentes, quia illos motiva eorum formalia non merentur. Propterea ſæpè laudatus Innocentius XI. prohibuit propoſitionem 21. *Aſſenſus fidei ſupernaturalis ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis; immo cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.* Quia ſcilicet ſi ſolùm probabiliter, & non omninò certò conſtaret, certitudine non tantùm morali, nec tantùm phyſica, ſed metaphyſica, & ſimpliciter infallibili, quòd DEUS ſit locutus (cùm fides ſupernaturalis ſit certior omni demonſtratione metaphyſica naturali) hoc ipſo fides firmiſſima eſſet ſupra meritum proprii, & immediati motivi formalis, cum quo proinde negat Pontifex illam poſſe ſtare. Subſumo. Atque id, per quod locutio externa e. g. Parochi, cæteraque motiva credi-

credibilitatis, ex fide hiſtorica, vel propria ſenſuum experientia percepta (e. g. ſi Chriſtus in Euchariſtia appareret oculis corporis ſub ſpecie pueruli) redduntur metaphyſicè certa, eſt illuſtratio Spiritus ſancti, & ſine hac etiam docti non habent metaphyſicam certitudinem, ut DD. præcedenti paragrapho relati teſtantur. Ergo hæc debet eſſe motivum aſſenſus fidei ſupernaturalis firmiſſimæ, omnique ſcientia naturali certioris, prout illam in certitudine etiam præfert S. Thomas 3. *diſt.* 23. q. 2. *art.* 2. q. 3. *in c.* dicens: *Fides habet majorem certitudinem, quantum ad firmitatem adhæſionis, quàm ſit certitudo ſcientiæ, vel intellectus; quamvis in ſcientia & intellectu ſit major evidentia eorum, quibus aſſentitur.* Præferunt illam etiam S. Auguſtinus ſuprà relatus, & S. Chryſoſt. *hom.* 12. *in epiſt. ad Heb.* & S. Bonav. 3. *diſt.* 23. *art.* 1. *q.* 4

20 Neque dicas ſufficere, quòd hæc illuſtratio in intellectu credentis, exiſtat, & ipſum ante aſſenſum fidei certificet; non autem eſſe opus, ut aſſenſus fidei in illam reflectatur; & illam pro ratione aſſentiendi uſurpet: ſicut aſſenſus concluſionis ſcientificæ non debet reflecti in evidentiam ac certitudinem præcedentium apprehenſionum, aut præmiſſarum formalium, cum quibus S. Thomas in ſupra citato textu *contra Gentes* inſtituit paritatem.

Verùm ex hac reſponſione ſequeretur, quòd, ſi aſſenſus firmiſſimus ac certiſſimus non debeat ferri & reflecti in id, per quod redditur certiſſimus & quod eſt formalis, ut prudenter tam firmiter & certificanter adhæreat objecto ſuo materiali, ſive myſterio credito, tunc antiqui Prophetæ potuerint immediatè aſſentiri objecto ſibi revelato, quin moverentur à ſua revelatione divina interna, & fideles de facto poſſent in omnibus articulis fidei immediatè aſſentiri, quin moverentur ab ipſa locutione DEI interna & externa, quia, ut ſuprà citatus Doctor Angelicus dixit, poſita locutione interna non eſſet neceſſaria externa, quemadmodum Prophetæ ea ſæpe caruerunt. Quod ſi concedas, quæro, an talis aſſenſus debeat dici actus fidei, quamvis ſit aſſenſus immediatus, & non nitatur revelatione divina, ſed ab ea tantùm directivè cauſetur? Si affirmas: mutas eſſentialem conceptum Fidei. Si negas. Infero. Ergo non ampliùs aſsenſus fidei erit determinatè neceſsarius ad ſalutem, quia aſsenſus immediatus præſtaret idem, quod aſsenſus fidei. Utrumque certè falſum eſt.

21 Præterea contra datam reſponſionem quæro, an credens propter locutionem Parochi, per aſsenſum fidei dicat: Credo firmiſſimè Verbum Divinum eſse Incarnatum, quia impoſſibile eſt locutionem Parochi eſse falſam, vel non eſse locutionem DEI, nulla facta per illum actum mentione de illuſtratione interna, certificante intellectum, vel an dicat, quia impoſſibile eſt, locutionem Parochi, mihi tam certificanter in animo propoſitam, ut veram, eſse falſam, & non eſse locutionem divinam. Si primum, actus eſt falſus, & imprudens ex parte motivi formalis, quamvis ſit verus ex parte objecti materialis, quia verum quidem eſt, Verbum eſſe Incarnatum, ſed non eſt verum, quòd Parochus ſolitariè acceptus non poſſit falſum dicere. Si ergo dicis ſecundum, tunc hoc ipſo aſſenſus fidei reflectitur in teſtimonium, & locutionem DEI internam, & nititur illa tanquam partiali motivo, ſimul cum locutione externa, & veracitate DEI infinita, qui eſt principalis loquens. Et ſic rectè ſalvatur diſcrimen inter motivum fidei & opinionis, & inter utriuſque firmitatem, quod aſſignavit. S. Thomas 2. 2. q. 1. *art.* 5. *ad* 4. ubi ait: *de ratione opinionis eſt, quod id, quod eſt opinatum, exiſtimetur poſſe aliter ſe habere: ſed id, quod fide tenemus, propter fidei certitudinem exiſtimatur etiam impoſſibile aliter ſe habere*, ſcilicet propter infallibilitatem adæquati motivi fidei.

22 Directè autem reſpondeo ad replicam, nego paritatem inter illuſtrationem divinam, & præmiſſas formales concluſionis evidentis, & probabilis. Neque enim S. Thomas voluit aliam paritatem inter illas inſtituere, quàm quòd illuſtratio *æque* certificet, quàm præmiſſæ evidentes, non autem quòd *ſimiliter* certificet. Illuſtratio enim certificat obſcurè, tam de ſua, quàm de locutionis externæ veritate: ſcil. manente obſcuritate, fidei eſſentiabiliter debita: præmiſſæ autem concluſionis evidentis certificant evidenter.

Secundò. Illuſtratio certificat ſolo ſuo modo tendendi, aſſecurante intellectum de veritate objectiva fidei; Præmiſſæ autem concluſionis evidentis non ſolo modo tendendi certificant, ſed proponunt motivum proportionatum immediatè & in ſe notum ad aſſenſum concluſionis, ex quo cognito intellectus habet ſufficiens fundamentum aſſentiendi concluſioni, imò evidenter videt ipſum objectum, & veritatem illius. Illuſtratio autem non facit, ut objectum ſeipſo, & immediatè movere poſſit, ſed adhuc debet credi propter certitudinem teſtimonii, quod ipſa formaliter præſtat. Quemadmodum diſcipulus credit, quamdiu ipſe non evidenter videt, nec penetrat veritatem demonſtrationis; poſtquam autem penetravit, non ampliùs movetur à præmiſſis formalibus ſui Magiſtri, ſed movetur ab evidentia objectiva.

Tertiò: Illuſtratio habet ſuam vim certificandi non ab objecto repræſentato, ſed à DEO, illam ſupra vires naturales intellectui infundente, & donante: ideòque Fides ſubſequens eſt donum DEI: & intellectus experiens in ſe modum certificandi ſuæ illuſtrationis, etiamſi non experiatur illius ſupernaturalitatem, vel aliud prædicatum, ex quo evidenter cognoſceret, eam eſſe locutionem divinam, ita tamen per illum modum tendendi redditur certus, non quidem evidenter, ſed obſcurè, de veritate ſuæ Illuſtrationis & locutionis externæ, quòdque Deus per illam illluſtrationem ſibi loquatur, quemadmodum S. Ioannes ex miraculoſa captura piſcium & divina illuſtratione redditus eſt certus, ut indubitanter crederet & diceret: *Dominus eſt*; ut ipſe de ſe ſcribit *cap.* 21. *v.* 7. Et ideo Emin. Card. Pallav. *lib.* 3. de Fide *cap.* 4. *n.* 66. inquit: *Quoties myſteria fidei apprehenduntur modo quodam ſingulari, & ſupra humano, toties illa apprehenſio eſt quædam interna locutio DEI, de qua dici poteſt: Nec vox hominem ſonat: & propterea movet prudenter, ad credendum ſuper omnia, quamvis obſcurè.*

At verò præmiſſæ formales ſive evidentes, ſive merè probabiles, non habent aliam vim movendi intellectum, quàm applicandi, & repræſentandi illi motivum evidens, aut probabile, ex quo inducitur ad inferendam concluſionem evidentem, aut probabilem: cùm enim ipſæ præmiſſæ formales ſuum modum certificandi unicè habeant ab objecto, ſive à præmiſſis objectivis, & nullam authoritatem per modum teſtimonii ab intellectu proprio, vel à concurſu DEI univerſali, tam ad actus falſos, quàm veros præſtito accipiant, ideò nequeunt quidquam motivi addere præmiſſis objectivis, ſed ex earum infallibili, vel probabili connexione cum objecto concluſionis, intellectus unicè inducitur ad aſſenſum objecti concluſionis.

23 Ex dicta diſparitate illuſtrationis, pro illa infero novam probationem, quòd non tantùm directivè, ſed etiam objectivè inducat ad aſſenſum fidei firmiſſimum. Illud quod ſolummodò certificat intellectum obſcurè, non repræſentando illi aliquod objectum motivum, quod ut cognitum poſſit metaphyſica ſua infallibilitate, & evidentia immediata inducere ad aſſenſum firmiſſimum, & quod tamen habet vim per modum Teſtimonii, & Locutionis divinæ certificandi intellectum de objecto fidei, in ſe & immediatè non noto, illud debet ſupplere motivum ad hoc, ut intellectus illi firmiſſimè aſſentiatur. Sed ita ſe habet illuſtratio divina: ergo debet ſupplere motivum.

24 Ulteriùs ſic argumentor, & probo illuſtrationem de facto ſemper objectivè movere, etiamſi iſte modus movendi non eſſet neceſſarius. Nemo facilè negaverit, quòd illuſtratio poſſit eſſe motivum: cùm enim ejus neceſſitatem, & ſpecialem modum certificandi fateantur Adverſarii, & ipſamet ſe intellectui credentis certificanter manifeſtet, nihil ipſi deeſt ad hoc, ut poſſit movere: Ergo ſi non movet, debet intellectus, ſuppoſito etiam imperio voluntatis, illam repellere, tamquam motivum neglectum. Atqui eſt incredibile, quòd detur iſta repulſa, & intellectus moveatur à ſola locutione extrinſeca Parochi, vel Catechiſtæ, vel à motivis credibilitatis extrinſecis, quæ in ſe quidem ſunt infallibilia, & pro ſola vera Eccleſia dari poſſunt, à quolibet autem particulari homine ſolùm cognoſcuntur

ex relatione aliorum, & ex libris, adeóque fide hiſtorica, tantùm moraliter infallibili. Ipſam verò illuſtrationem, ad credendum ſicut oportet, ſimpliciter neceſſariam, & de ipſa locutione externa, ac de motivis externis, & de ſeipſa metaphyſicè, attamen obſcurè, certificantem, repellat, ut minimè neceſſariam ad movendum; & quamvis ſit Teſtimonium ac locutio DEI, tamen credentes, ſaltem doctiores, clariùs & certiùs cognoſcentes motiva credibilitatis extrinſeca, dicant DEO interiùs loquenti ad cor, quod olim Samaritani dixerant Mulieri, de Chriſto teſtanti, apud Joan. 4. v. 42. *Jam non propter tuam loquelam credimus: ipſi enim audivimus, & ſcimus*. Quod ſi non dicant, & ſine actu poſitivo renuente omittant aſſenſum ſibi poſſibilem, circa locutionem illam internam, ſe ſe ipſam manifeſtantem, videntur Adverſarii ſupponere, poſſibilem puram omiſſionem liberam, quam aliàs plerique negant.

25 Dum hanc ſententiam quindecim ab hinc annis Ingolſtadii meos in Theologia Diſcipulos docerem, & contra validiſſimos impugnatores conſtanter defenderem, eodem anno accepi illam typis vulgatam à P. Sylveſtro Mauro in parvo tomulo *lib. 6. q. 9. &* 10. (nunc autem habetur *tom. 2. lib. 7. qu.* 114. *&* 115.) & pauló antè ejuſdem, Romam à me tranſmiſſæ, tam honorificam approbationem à Doctiſſimorum Theologorum Collegio cum P. Mauro retuli, ut illam non modò probabilem, ſed neceſſariò tenendam univerſi ſimul teſtarentur. Interea tamen citavi alios duos Romanos Doctores: nempè Emin. Card. Pallavicinum *lib.* 3. *de Fide num.* 64. Ubi licèt tantùm loquatur de rudibus, quia tamen non ſolùm his eſt neceſſaria divina illuſtratio, ſed etiam doctis, qui licèt habeant externa motiva credibilitatis, impermiſſibilia à DEO pro ſalſa ſecta, fatetur tamen *numer.* 139. quòd ea tantùm cognoſcantur morali certitudine, conſequenter etiam de doctis eodem modo loquendum eſt. Imò *num.* 66. univerſaliter etiam de his loquitur.

26 Citavi etiam P. Antonium Perez ex P. Haunoldo in *Theolog. Spec. lib.* 3. *num.* 193. qui uſus eſt ejus manuſcriptis Romæ publicè dictatis: aſſenſus ſum tamen huic Doctori ſublimi eatenus tantùm, quatenus conceſſit illuſtrationem ſupernaturalem eſſe neceſſariam, & objectivè movere: in eo tamen, quo dixerat, quòd credens, ſive doctus, ſive rudis reperiatur, quòd poſſit circa objectum obſcurè ſibi revelatum non dubitare, & tamen ab experientia ipſi conſtet, quòd circa alia objecta, non revelata non poſſit non dubitare, nunquam potui videre, quomodo ex tali duplici experientia objecta fidei non tantùm ſint evidenter credibilia, ſed etiam evidenter vera: quod eſt tollere eſſentialem obſcuritatem fidei: & videtur à contraria experientia conſtare, quòd ſæpè non dubitemus, putemuſque, nos habere demonſtrationem, cùm habemus ſolummodo paralogiſmum: & ita etiam multi hæretici merè formales, non dubitant circa objecta ab ipſis credita, nec tamen à DEO revelata. Impugnat hanc doctrinam P. Antonii Perez etiam Emin. Pallav. *num.* 68. *& ſeqq.*

27 Dices fortaſsè primò pro Perezii defenſione: Si circa alia objecta non revelata, & inevidentia, intellectus poteſt etiam non dubitare, & ſi hæretici materiales poſſunt ita certificanter apprehendere ſua objecta falſa, & erronea, ut etiam circa illa non dubitent, ſicut Catholicus circa objecta verè revelata; tunc illuſtratio ſupernaturaliter, & verè certificans, non magis ſervit ad actum firmiſſimum fidei ſupernaturalis, quàm apprehenſio naturalis per ſimilem modum tendendi tantùm apparenter certificans. Imò hoc ipſo, quòd non poſſim diſcernere modum tendendi apprehenſionis, apparenter certificantis de objecto non revelato, à modo tendendi apprehenſionis verè certificantis de objecto revelato, ſequitur, me poſſe dubitare, an habeam illuſtrationem ſupernaturalem, verè certificantem, vel an habeam tantùm apprehenſionem naturalem, apparenti certificantem. Ergo non poteſt illuſtratio ſupernaturalis ſervire per modum motivi, reflexè per fidem cogniti, & metaphyſicè certificantis, ac inducentis ad firmiſſimum aſſenſum fidei ſine omni formidine formali.

Reſp. primò. Argumentum nimiùm probare. Nam etiam paralogiſmum, ſeu demonſtrationem apparentem, ſæpe non poſſumus diſcernere à vera demonſtratione, & ſæpe putamus, nos certos eſſe, quòd habeamus veram demonſtrationem, cùm tamen fallamur, & tantùm habeamus paralogiſmum: hinc verò minimè ſequitur, quòd quando habeamus veram demonſtrationem, non etiam verè, & à parte rei aliter certificemur, quàm quando habemus paralogiſmum: neque etiam ſequitur, quòd illa demonſtratione poſita poſſimus de ejus veritate ac infallibilitate dubitare, etiamſi paralogiſmum cum illa comparatum non poſſimus ab ea diſcernere, & eum etiam putemus eſſe veram demonſtrationem, ac habere ſimilem modum tendendi metaphyſicè certificantem. Quia ad hoc, ut à vera demonſtratione directè, & abſolutè certificemur, non requiritur, ut per cognitionem comparativam, & reflexam poſſim aſſignare diſcrimen inter demonſtrationem veram, & inter paralogiſmum.

Reſpondetur ergo ſecundò, negando ſequelam, quòd apprehenſio ſupernaturalis verè, & metaphyſicè certificans de objecto revelato non magis ſerviat ad firmiſſimum ac certiſſimum actum fidei, quàm apprehenſio merè naturalis, ſolùm apparenter, & hoc ipſo non verè eodem modo certificans de objecto non revelato: & ſimiliter nego etiam alteram ſequelam, quòd licèt per cognitionem comparativam non poſſim diſcernere illuſtrationem veram ab apprehenſione naturali apparenter tantùm certificante, poſſim dubitare *prudenter*, an habeam veram illuſtrationem, metaphyſicè certificantem. Itaque illuſtratio vera, & demonſtratio vera in hoc ſunt ſimiles, quòd utraque directè, & verè certificet, illa modo apprehenſivo, iſta diſcurſivo; & quòd ſimili modo naturalis apprehenſio objecti inevidentis non revelati, & paralogiſmus, non certificent, etiamſi iſtud diſcrimen per cognitionem reflexam, & comparativam diſcerni non poſſit. Et hoc omnes debent fateri; aliàs illuſtratio ſupernaturalis non tantùm non poſſet objectivè, ſed neque directivè magis ſervire ad credendum *ſicut oportet*, juxta cit. Tridentinum, quàm apprehenſio naturalis, ſolùm apparenter certificans: quod proinde nequit ſalva Fide concedi. In hoc tamen ſunt diſſimiles illuſtratio ſupernaturalis, & demonſtratio vera: quòd licèt ambæ directè certificent certitudine vera, & metaphyſica etiam reflexè cognoſcibili, ita ut per demonſtrationem intellectus ſciat, ſe ſcire, & per actum fidei certus ſit, ſe certificanter aſſentiri objecto revelato, non obſtante *comparativa* indiſcernibilitate apprehenſionis naturalis, & paralogiſmi, ſolùm apparenter, & non eodem modo certificantium, tamen illuſtratio ſupernaturalis ſolùm certificet obſcurè, & ideò de ejus veritate *imprudenter* dubitari poſſit, & opus ſit imperio voluntatis determinantis ad aſſenſum fidei excluſivum omnis formidinis formalis: at verò demonſtratio certificet evidenter, adeóque nec imprudenter de ejus veritate queat dubitari, nec opus ſit imperio voluntatis.

Dices ſecundò. Si inſufficientia motivorum extrin- 28
ſecorum, ſenſu externo perceptorum, vel fide hiſtorica cognitorum, quibus impellimur ad aſſenſum magis firmum, quàm mereatur pondus illarum rationum, debet ſuppleri per illuſtrationem internam ſupernaturalem, metaphyſicè certificantem, & objectivè moventem, ſimili modo hæretici poterunt ſalvare ſuum ſpiritum privatum, quem dicunt, nihil aliud eſſe, quàm illuſtrationem Spiritus ſancti, ſupplentem motiva extrinſeca, quibus gloriatur Eccleſia Catholica, & interpretantem ipſis ſacram ſcripturam, abſque propoſitione extrinſeca Summorum Pontificum, & univerſalis Eccleſiæ, quam proinde negant, ſibi eſſe neceſſariam. Conſequens utique non poteſt admitti. Ad hoc argumentum dudum reſpondit Emin. Card. Pallav. *lib.* 3. *de Fide cap.* 4. *num.* 65. & ſolidiſſimè ac abundantiſſimè P. Maurus *tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 114. *à num.* 21 uſque ad finem. Cujus reſponſioni ſolummodo addo ſequentia. Primò, quòd iſtud argumentum non ſpecialiter pugnet contra illuſtrationis divinæ concurſum objectivum, ſed æquè pugnet contra concurſum directivum, & principaliter contra Concilium Tridentinum, & Arauſicanum II. ſuprà citata, requirentia conformiter texti-

textibus allegatis S. Scripturæ contra Pelagianos & Semipelagianos dictam Illuſtrationem & adjutorium Spiritus S. ad credendum *ſicut oportet*. Secundò poteſt argumentum retorqueri in illuſtrationem, qua DEUS immediatè locutus eſt Prophetis & Authoribus librorum Canonicorum, ad quorum fidem, objectis ſibi per eam revelatis præſtitam, objectivè, & non tantum directivè illuſtratio Prophetica concurrebat. Tertiò eſt ingens diſparitas inter putatitiam illuſtrationem hæreticorum, & veram Catholicorum, eaque diſparitas partim eſt intrinſeca, qualis eſt inter actum apparenter certificantem, & inter actum verè certificantem ratione diverſi modi tendendi, directè inæquali certificatione firmantis intellectum, quamvis per diſtinctam cognitionem comparativam indiſcernibili: ut etiam falſam à vera demonſtratione comparativo conceptu indiſcernibilem in priori objectione dixi; partim eſt diſparitas extrinſeca, quia hæretici illam putatitiam illuſtrationem requirunt non tantùm ad ipſum actualem aſſenſum fidei, ſed etiam ad obligationem, & neceſſitatem præſtandi aſſenſum fidei, & ad ipſum judicium credibilitatis, aſſerentes, motiva extrinſeca credibilitatis, quæ habet tota Eccleſia, non eſſe ſufficientia ad pariendam evidentiam credibilitatis, quòd Eccleſia Catholica ſit vera Eccleſia, & quòd ſummus Pontifex in definiendis controverſiis fidei, & vero ſenſu S. ſcripturæ ſit infallibilis Regula fidei. Imò adſtruunt ſuam privatam pertinaciam Judicii pro illuſtratione divina contra ipſa motiva credibilitatis extrinſeca univerſæ Eccleſiæ, quæ pariunt metaphyſicam evidentiam, quòd hæreticorum dogmata, & illorum Spiritus privatus non mereantur ullum aſſenſum, & quòd è contrario doctrinæ Catholicę & definitionibus ſummorum Pontificum debeatur aſſenſus firmiſſimus, qualis & quantuſcunque per intellectum elici poteſt: poteſt autem accedente adjutorio Spiritus ſancti (quod ſemper accedit, quando homo facit, quod eſt in ſe, nempe quando comparat ſibi ſufficientia motiva credibilitatis, quibus abundat vera Eccleſia) non tantùm apparenter, ſed verè firmiſſimum, ac metaphyſicè certiſſimum, adeoque etiam firmiorem, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium; quamvis hæ de via ordinaria ad illum ſint neceſſariæ, & per modum motivi ſimul cum Adjutorio Spiritus S. concurrant. Quia ſicut vera Eccleſia DEI debet eſſe viſibilis, & à Capite viſibili, ac modo viſibili gubernari, & ſicut conſtat Sacramentis, quæ non niſi per ſigna ſenſibilia cauſant gratiam, ita etiam per externam & ſenſibilem propoſitionem myſteriorum fidei DEUS voluit loqui hominibus, illoſque Eccleſiæ ſuæ aggregare, ita ut ea propoſitione non præcedente, vel non pro viribus procurata, neque detur illuſtratio interna, ſolummodò ordinata ad complendam, & metaphyſicè certificandam externam propoſitionem, non autem ad illam ſupplendam, ſaltem de via ordinaria. Hoc autem DEUM ita conſtituiſſe, patet tum ex ratione allata, tum ex generali DEI ordinatione, qua omnia vult fieri modo humano, & per cauſas ſecundas, tum ex apertis teſtimoniis S. Scripturæ *ad Rom. 10. Quomodo credent, quem non audierunt? Quomodo autem audient, ſine prædicante?* Et rurſum: *Fides ex auditu: auditus autem per Verbum Chriſti.*

Ex dictis patet, totam theſin XI. P. Arnoldi Marchant §. 2. relatam, & non tantùm poſteriorem partem ab Innocentio damnatam, & deductam propoſitionem 20. falſam eſſe. Quid autem noſtræ ſententiæ ulteriùs objici poſſit, cum ſolidis reſponſionibus videre eſt apud Em. Card. Pallav. & apud P. Sylveſtrum Maurum *l. c. c.* 114. *&* 115. quas verò ego in Theologia objectiones addidi, illas brevitatis ſtudio, & memor mei propoſiti omitto.

§. IV.

De neceſſitate Fidei.

SUMMARIUM.

29 *Fides Habitualis eſt infantibus neceſſaria ad ſalutem.*

30 *Fides Actualis eſt adultis neceſſaria neceſſitate Medii.*

31 *Quorum objectorum Fides actualis dicto modo ſit neceſſaria.*

32 *Quorum objectorum Fides ſit neceſſaria neceſſitate præcepti.*

33 *Quorum aliorum objectorum cognitio ſit neceſſaria.*

34 *Quinam teneantur ad prædictam cognitionem, ac fidem in aliis procurandam.*

35 *Ad quid ſuppoſita falſitate propoſitionis 4. & 21. ab Innocentio XI. prohibitarum teneatur Acatholicus extra articulum mortis, quando probabiliter, vel probabilius judicat, Catholicam Fidem eſſe veram.*

36 *Ad quid prædictus teneatur in articulo mortis. Suppoſita falſitate cit. propoſitionis 4. ab Innoc. XI. prohibitæ.*

37 *An & quoties ex honeſtate & obligatione, imperandi ſibi actuale Exercitium fidei, homo teneatur elicere fidem, ſuppoſita falſitate propoſitionis 1. ab Alexandro VII. & propoſitionis 16. 17. & 65. ab Innocentio XI. prohibitarum.*

38 *Meritò ab eodem Innocentio XI. prohibita eſt Propoſitio 18. negans obligationem publicè profitendi fidem coram Tyranno interrogante.*

39 *Licitum eſt tempore perſecutionis fugere, & ſe ac fidem occultare.*

40 *Non licet ſimulare infidelitatem.*

41 *Quid & quotuplex ſit Infidelitas.*

42 *Qualis pœna in hæreticos, & eorum fautores in Bulla Cœnæ ſit ſtatuta.*

43 *Quomodo ſtatuta pœna extendatur in legentes vel retinentes hæreticorum libros, & quare Alex. VII. prohibuerit propoſitionem.*

QUæritur I. Quàm neceſſaria ſit fides ad ſalutem? 29
Reſp. Fidem ſaltem habitualem, ſi nondum detur in homine capacitas fidei actualis, eſſe neceſſariam omnibus hominibus neceſſitate medii, ita ut ſicut ſine mediis neceſſariis, etiam inculpabiliter non adhibitis, nequit obtineri finis, ſic ſine fide habituali vel actuali, nequeat obtineri ſalus animæ: quod à Deo conſtitutum eſſe, anunciavit S. Paulus ad Hebræos 11. ſcribens: *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, & definivit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 7.* aſſerens: *ſine fide numquam ulli contigit juſtificatio*. Ratio ulterior eſt, quia ſine baptiſmo in re vel in voto ſuſcepto nemo poteſt ſalvari, ut habetur apud S. Joann. *cap. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto non poteſt introire in Regnum Dei.* Sed ſuſceptio Baptiſmi in adultis ſupponit fidem actualem ad ejus fructum percipiendum, ut dicitur in Tridentino ſeſſione *6. cap. 6.* In infantibus autem, & perpetuò amentibus ſecum trahit fidem habitualem, quia confert gratiam, tanquam radicem omnium habituum ſupernaturalium, ut in eodem Tridentino *ſeſſ. 5. in Decreto de peccato originali* & *ſeſſione 7. can. 13.* ſtatuitur, ergo ſine fide actuali, vel ſaltem habituali nemo poteſt ſalvari.

Jam verò ſi de ſolis adultis, non autem de infantibus 30
aut perpetuò amentibus, qui æquiparantur infantibus, ſermo ſit, docent Theologi magno conſenſu, & multi eorum exiſtimant, ſine errore negari non poſſe, quòd etiam fides actualis illis neceſſaria ſit neceſſitate medii ad juſtificationem obtinendam, ut etiam teſtantur Sancti Patres, & clarè indicant Concilia Eccleſiaſtica, Arauſicanum, Milevitanum, ac Tridentinum citata ſeſſione *6. c. 6.* Denique ipſa etiam ſacra Scriptura Joann. 3. *Qui autem non credit, jam judicatus eſt*, & Marci ultimo, *Qui verò non crediderit, condemnabitur*, & ad Hebræos 11. *verſ. 6. ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*: ac deinde explicans, qualis fides exigatur ab iis, qui accedunt ad Deum, ſubjungit Apoſtolus, *credere enim oportet accedentem ad Deum*. Credere autem, actum, non ſolum habitum ſignificat: imò habitus adultis non confertur ſine præcedente actu: de quo etiam Chriſtus Joannis *6. v.* 44. ut ex contextu patet, ſic locutus eſt: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*: quod explicans verſ. *66.* poſtquam Evangeliſta dixerat: *Sciebat enim ab initio Jeſus, qui eſſent non credentes*, ſubjungit, *Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.*

31 Quæritur 2. Quorum objectorum ſeu myſteriorum actualis fides ad ſalutem ſit neceſſaria? Reſp. Neceſſitate medii ſecundùm omnes Theologos, & S. Paulum citata Epiſtola ad Hebræos, neceſſarium eſſe credere de Deo, *Quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*. Unde ſi quis hæc duo inculpabiliter ignorans ſecundùm legem naturæ abſque peccato mortali vixiſſet (quod quidem videtur incompoſſibile cum ignorantia ipſius Dei præcipientis, remunerantis ac punientis) Deus vi ſui decreti, quòd nolit ſine fide actuali ulli adulto gratiam juſtificantem, vel charitatem ſupernaturalem ſui ſuper omnia conferre, ex ſua divina providentia deberet tali homini proſpicere de mediis, quibus poſſet ad fidem prædictorum venire.

32 Neceſſitate præcepti autem aliquam fidem explicitam de Chriſto in ſtatu naturæ lapſæ, ſive ut venturo, ſive ut exiſtente ſemper neceſſariam fuiſſe, communiter colligunt Theologi ex illo Joannis 3. verſu 14. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ſic exaltari oportet Filium Hominis*, & verſu 18. *Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus eſt; quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Joann. 17. verſu 2. Ex quibus verbis tamen Molina, & Sanchez apud Palao, non rectè inferunt neceſſitatem medii: quia nec ex aliis ſcripturæ locis tanta neceſſitas colligitur, neque ex iſto loco: per hoc enim, quòd fides de exiſtentia Dei ſit neceſſaria neceſſitate medii, eaque hic conjungatur cum neceſſitate fidei in Chriſtum, non tam infertur, ſcripturam circa utrumque myſterium loqui de neceſſitate medii, quàm ex eo, quòd apud S. Paulum ſit mentio facta ſolius fidei in Deum, ut remuneratorem, non autem in Chriſtum, rectè colligatur, ſermonem etiam in citato Joannis textu tantùm inſtitui de neceſſitate præcepti, quæ datur quoad utrumque myſterium credendum, quamvis detur alia major neceſſitas credendi exiſtentiam DEI.

Præter fidem explicitam in Chriſtum, communiter etiam aſſeritur, neceſſaria fides explicita in Sacroſanctam Trinitatem, eò quòd ob hanc cauſam Chriſtus credatur, præcepiſſe, ut in collatione Baptiſmi, ad ſalutem omnibus neceſſarii, ſingularum perſonarum mentio fieret. Imò omnium vel ſaltem præcipuorum articulorum Apoſtolici Symboli quoad ſubſtantiam, & non quoad levioris momenti circumſtantias ſpectatorum, expreſſam fidem (rudiorum tamen capacitati proportionatam) per illud Chriſti præceptum exigi, quo juſſit Apoſtolos, ut antequam conferrent baptiſmum, docerent omnes gentes, communiter affirmant Doctores, & ob hunc finem ajunt ab Apoſtolis ſymbolum fidei fuiſſe compoſitum, antequam in diverſas mundi plagas ad prædicandum Evangelium dividerentur.

33 Denique ſicut datur obligatio ſervandi omnia præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, ac ſuſcipiendi ſaltem hæc 3. Sacramenta, Baptiſmum, Pœnitentiam, & Euchariſtiam, ita horum notitiam neceſſariam eſſe, neceſſitate præcepti, certum eſt: imò etiam cæterorum Sacramentorum cognitionem ſaltem ſub veniali exigi, partim ut ea decenter percipi poſſint, partim ut pro eorum inſtitutione Deo debita gratitudo exhibeatur, partim quia indecens eſt, ea quæ ad ſubſtantiam Religionis noſtræ ſpectant, ignorare.

34 Ex data reſponſione colligitur, parentes, parochos, patrinos, patresfamilias &c. eadem obligatione, qua ſubditi eorum tenentur prædicta objecta addiſcere, teneri, eoſdem per ſe, vel per alios inſtruere, quàm primùm illi obtento uſu rationis diſcendi capaces redditi ſunt; quam obligationem aliqui etiam Confeſſariis volunt imponere, antequam abſolutionem conferant. Verùm communior, & certior ſententia, quoad myſteria ex neceſſitate præcepti cognoſcenda, id negat, modò ſi ignorantiam culpabilem, & graviter peccaminoſam fuiſſe advertant, ejus confeſſionem, & propoſitum illam deponendi, procurent, ut ſuo loco dicemus. Subnecto adhuc pro Confirmatione obligationis, in principio Reſponſionis meæ, de objectis ex neceſſitate Medii credendis, aſſertæ, duplicis contrariæ propoſitionis prohibitionem, ab Innocentio XI. *numero* 22. & 23. his verbis conceptæ: *Non, niſi fides unius Dei, neceſſaria videtur neceſſitate medii; non autem explicita Remuneratoris*. Et: *Fides late dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimilive motivo ad Juſtificationem ſufficit*. Prior reprobata eſt ob defectum adæquati objecti materialis, poſterior ob defectum objecti, ſeu motivi formalis: quorum altero deficiente nondum præſtatur fides, quam dixi neceſſariam neceſſitate medii reſpectu adultorum juxta S. Paulum.

35 Quæritur 3. Quando obliget præceptum fidei? Reſp. Quæſtionem hanc duplici modo inſtitui poſſe. Primò. Quando infideles, Schiſmatici, hæretici teneantur deponere ſuam infidelitatem, & errorem in fide.

Secundò. Quando teneatur homo ſive inter fideles, ſive inter infideles educatus elicere actum fidei, ita ut non tantùm non liceat diſſentire myſterio fidei ſufficienter propoſito (quod pro omni tempore eſt prohibitum) ſed neque ampliùs ſuſpendere ſuum actum.

Ad primum reſpondet noſter Thomas Sanchez, *lib. 2. c. 1. num. 6.* infidelem, vel hæreticum, cui vera fides apparet, ut probabilior, dum ſua apparet probabilis, in articulo mortis teneri eligere viam tutiorem, extra articulum mortis verò non ſtatim teneri, aſſentiri Fidei Catholicæ, quæ videtur probabilior, ſed teneri magis indagare veritatem, ac certitudinem. Propter quam poſteriorem obligationem (ut etiam mentem Summi Pontificis exponit P. Cardenas in Criſi Theolog. de 65. propoſitionibus prohibit. diſſert. 5. *cap. 3. nu. 28.*) meritò eſt prohibita ab Innocentio XI. hæc quarta propoſitio: *Ab infidelitate excuſabitur infidelis, non credens, ductus opinione minus probabili*, quippe talis obligatur ad deponendam infidelitatem, procurando ſibi certitudinem fidei, ad quam ſufficienti adhibita diligentia infallibiliter perveniet: cùm vera Dei Eccleſia habeat tam manifeſta indicia, & motiva tam moraliter evidentia, ut in illorum notitiam quivis ſtudioſus ſuæ ſalutis facilè pervenire poſſit.

Alii, ut Vaſquez, Aragonius, Victoria, Azor, Palao, & præter hos quàmplurimi idem aſſerunt, nulla tamen facta mentione de articulo mortis, nempe prædictos non teneri aſſenſum præbere noſtræ fidei, donec evidenter appareat credibilis, & dogma contrarium evidenter appareat incredibile, & improbabile reſpectu oppoſitarum rationum.

Probatur; tamdiu aliquis non tenetur præſtare aſſenſum fidei, quamdiu objecta credenda non ſufficienter proponuntur: ſed quamdiu objecta non proponuntur evidenter credibilia (evidentia morali, excludente probabilitatem reſpectivam, ſive comparativam ad motiva, ſeu rationes oppoſitas) non ſufficienter proponuntur ad hoc, ut poſſit præſtari aſſenſus fidei prudenter indubitatus, & firmiſſimus, ergo &c. Probatur minor, tum ex decreto Innocentii XI. prohibentis hanc 21. propoſitionem: *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus*. Tum ex S. Thom. 2.2. q. 1. art. 4. ad 2. dicente: *Ea, quæ ſunt fidei, licet in ſe non ſint viſa, videri tamen in ratione credibilitatis ab eo, qui credit*: & deinde addit hæc verba: *Non enim crederet, niſi videret ea eſſe credenda, vel propter ſignorum evidentiam, vel propter aliquid hujuſmodi*.

36 Pro articulo mortis tamen cenſeo cum citato Sanchez, quòd ſi quis probabili relatione intellexit, dari aliqua objecta, quæ à Doctoribus, ſaltem quibuſdam Eccleſiæ Catholicæ, ut probabilioris apparentis, aſſeruntur eſſe credenda, neceſſitate medii ad ſalutem, talem teneri ad præſtandum illis aſſenſum, motivis credibilitatis proportionatum, etiamſi iſta non omnino appareant ſufficientia ad enervandas rationes, in oppoſitum apparentes, & aliquam adhuc reſpectivam probabilitatem repræſentantes.

Ratio eſt, quia facienti, quod eſt in ſe, DEUS non denegabit gratiam, ut ampliori lumine donatus à DEO, verum eliceat actum fidei, vel ſaltem ſatisfaciat præcepto naturali, adhibenda media probabiliter neceſſaria ad ſalutem. Unde ſicut ob neceſſitatem Baptiſmi non licet adhibere materiam, vel formam ſolùm probabilem, relicta probabiliore, ſic propter neceſſitatem fidei circa objecta apparentia probabiliùs neceſſaria neceſſitate medii, non licet eorum aſſenſum, poſthabere rationibus in contrarium, minùs probabilibus.

Imò quia hæretici, & ſchiſmatici agnoſcunt obligationem credendi, dari unam veram Eccleſiam, extra quam nemo

nemo ſalvus fieri poſſit, ideo quando Eccleſia Catholica apparet probabiliùs eſſe vera Eccleſia, aſſerò cum citato Sanchez, illos in articulo mortis teneri, eidem aſſentiri, etiamſi enim liceat ſequi ſententiam minùs probabilem, quando ſermo eſt de probabilitate licentiæ, non tamen licet, quando ſermo eſt de probabilitate articulorum fidei, in quibus vel eſt inveſtiganda certitudo fidei, vel ſi ea in articulo mortis inveſtigari ampliùs nequeat, eſt accommodandus aſſenſus motivis majoris credibilitatis. Sicut enim Judex debet ferre ſententiam pro parte, habente probabilius jus, & medicus præſcribere medicinam, probabiliùs profuturam, idque ex pacto implicito ratione officii, ita non minorem vim habere cenſendum eſt præceptum fidei, quoad objecta credenda; ut illis præbeatur aſſenſus, pro quibus major apparet probabilitas, cùm certitudo omnimoda haberi non poteſt, & ideo etiam Innocentius XI. prohibuit ſuprà relatam propoſitionem: *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.*

37 Ad ſecundum quæſtionis propoſitæ ſenſum Reſp. communiter, quemlibet hominem directè & ex præcepto fidei teneri, elicere illius actum, quàmprimùm veritas fidei eidem ſufficienter proponitur. Ita Suarez, Azor, Tannerus, Sanchez, Valentia, Palao & plurimi alii; idem communiter aſſeritur pro articulo mortis. Pro reliquo vitæ tempore nullum quidem directè eſt determinatum, pro diverſitate tamen, ſecundùm quam ſæpius, vel rariùs myſteria fidei neceſſitate medii aut præcepti credenda, alicui evidenter credibilia proponuntur, etiam major vel minor frequentia actuum fidei eſt debita, ut ſaltem non nimis diu intermittantur, aut ſuſpendantur. Indirectè autem datur illorum obligatio, quoties illi ſunt neceſſarii ad alios actus ex obligatione debitos, e. g. ad actum ſpei, charitatis, pœnitentiæ, ſumptionis Euchariſtiæ &c. Unde ab Alexandro VII. prohibita eſt hæc propoſitio prima: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium.* Et ab Innocentio XI. ſequentes tres propoſitiones interdictæ ſunt, nempe 16. *Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale & ſecundum ſe.* Et 17. *Satis eſt, actum fidei ſemel in vita elicere.* Et 65. *Sufficit illa myſteria ſemel credidiſſe.*

Ratio autem ſanioris doctrinæ eſt, quia homo obligatione naturali tenetur diverſis temporibus, & maximè in principio vitæ, poſt acceptum uſum rationis, & in illius fine colere DEUM. Hic verò cultus potiſſimùm exhibetur, per actus Virtutum Theologicarum, & ſunt neceſſarii ad vitam piè inſtituendam, atque ad alia media ſalutis fructuosè uſurpanda: ergo tenetur homo illos actus diverſis temporibus frequentare.

38 Quæritur 4. An ſit obligatio profitendi fidem exteriùs? Reſp. certum eſſe, dari hujuſmodi obligationem, tam negativam, ne ſcilicet verbis, aut actionibus, per ſe connexis cum fide oppoſita, vera fides abnegetur, quàm affirmativam, ut quando gravis honor DEI id exigit, etiam cum periculo vitæ, eam quis profitetur. Prima pars his ſcripturæ textibus comprobatur: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cælis eſt.* Matth. 10. v. 33. *Si negaverimus, & ille negabit nos.* 2. ad Timoth. 2. verſ. 12. Altera pars ſequentibus textibus continetur. *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua.* Lucæ 9. v. 26. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Ad Rom. 10. v. 10. Hinc ab Innocentio XI. prohibita eſt hæc propoſitio 18. *Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum conſulo; tacere, ut peccaminoſum, per ſe non damno.*

39 His tamen non obſtantibus tempore perſecutionis eſt licitum fugere, ut conſtat ex Chriſti & Apoſtolorum exemplo. Imò ſi perſona ſit valdè neceſſaria Reipub. tenetur fugere: ſicut è contrario poteſt ex Juſtitiæ Paſtoribus Eccleſiæ, & aliis ex charitate proximi, per accidens prohiberi fuga, ſi illorum auxilium ovibus Chriſtianis ſit neceſſarium. Præterea licitum eſt geſtare veſtes, ac certam hominum nationem ſignificandam inſtitutas, licèt per accidens omnes illius nationis ſint infideles; illæ tamen veſtes, quæ ad ipſam fidem diſcernendam gerentur, & ob ſolam fidei profeſſionem à Magiſtratu ſunt imperatæ, tam parùm à Catholico ferri poſſunt, quam parùm poteſt oppoſitam fidem verbis aut incenſione thuris coram idolo, aut ſumptione cœnæ Lutheranæ profiteri. Si autem veſtes ſimul ob politicum alium finem fuiſſent mandato injunctæ, in gravi neceſſitate, & remoto ſcandalo indui poſſent: quia propter ejuſmodi finem deſinunt eſſe determinatum ſignum profeſſionis alienæ fidei.

Contra datam reſponſionem obiici poſſet primò. Apoſtoli initio Eccleſiæ uſurpàrunt Ceremonias Judaicas. Secundò Eliſæus Naaman Syro permiſit genuflectere coram idolo. Tertiò Jehu rex Iſrael ſimulavit ſe ſacrificaturum Baal Idolo, ut ſic omnes ſacerdotes congregatos occideret: ergo à Scriptura hæc referente, & non improbante conceditur profeſſio alienæ fidei. Reſp. Ad primum, ceremonias illas non fuiſſe adhuc prohibitas, neque animo celandi fidem uſurpatas. Ad ſecundum Reſp. quòd Eliſæus genuflexionem non permiſerit Idolo, ſed Domino ſuo, cui Naaman inſerviebat, faciendam. Ad tertium Reſp. cum S. Thoma, Jehu ex bono zelo, ſed mente erronea feciſſe, quod non licuit. 40

Quæritur 5. Quid & quotuplex ſit infidelitas? Reſp. Infidelitatem poſitivam & propriè dictam (prout non eſt mera carentia fidei, aut culpabilis amiſſio diligentiæ in veritate fidei indaganda) eſſe actum, quo quis ſub dubio, aut firma pertinacia, objecto ſufficienter revelato diſſentit. Cujus S. Thomas & communiter Theologi 3. ſpecies aſſignant, Paganiſmum, Judaiſmum, Hæreſin. Deſumitur hæc diviſio à triplici modo recedendi à revelationibus divinis. Vel enim negas utrumque teſtamentum, vetus & novum, ſeu Chriſtum, tam venturum, quàm præſentem, & es Paganus, id eſt, militiæ Chriſti nullo modo adſcriptus, ſicut, qui in pagis habitabant, militiæ profanæ non accenſi, Pagani olim dicebantur, quò etiam Mahumetani referuntur, quia Chriſtum, neque ut venturum, neque ut præſentem Redemptorem, ſed tantùm ut Prophetam agnoſcunt, & tam pauca ab utroque teſtamento retinent, ut meritò à quolibet excludantur. Vel negas tantùm novum teſtamentum, & Chriſtum præſentem, tunc es Judæus. Vel utrumque credis, ſed non totum, & es Hæreticus: ſicut etiam illi, qui vetus teſtamentum, non novum negabant: quia eo ipſo negarunt unam doctrinam novi teſtamenti, nempe quod vetus teſtamentum ſit verbum DEI. Apoſtatæ verò revocantur ad unam ſpeciem prædictarum infidelitatum, quia alterutro horum modorum recedunt à fide. Atque hæc diviſio ſatis eſt univerſalis, comparata ad ſectarios præſentis ſtatus Eccleſiæ, ſi Saducæi & veteris teſtamenti ſectarii non comprehendantur. 41

Quæritur 6. Qualis pœna in peccatum infidelitatis contra hæreticos noſtri temporis ſit ſtatuta? Reſp. Si hæreſis non ſit merè interna, ſed exteriùs manifeſtata, in Bulla Cœnæ Domini ſtatuta eſt pœna excommunicationis ſoli ſummo Pontifici reſervatæ, atq; extenditur etiam in hæreticorum fautores, & receptores, ſi per hos auxilium hæreticis præſtetur ad ſuam hæreſim tuendam, vel propagandam. 42

Eadem pœna in dicta Bulla etiam extenditur in legentes libros hæreticorum, de Religione, vel de objectis ad illam pertinentibus, tractantium, etiamſi nullum errorem continerent, niſi quis valde parùm legeret: imò etiam in retinentes talem librum, quamvis non animo legendi per notabile tempus. Unde inter 45. Propoſitiones ab Alexand. VII. prohibitas hæc agmen claudit: *Libri prohibiti, donec expurgentur, poſſunt retineri, uſque dum adhibita diligentia corrigantur.* Quæ prohibitionis cautela propter periculum perverſionis univerſale, meritò univerſaliter adhibetur, etiamſi in multis caſibus particularibus, & reſpectu multarum perſonarum non eſſet neceſſaria. 43

ARTI-

ARTICULUS II.

De Spe.

§. I.

De Natura, & Eſſentia Spei.

SUMMARIUM.

44 *Definitio Spei Theologicæ, tanquam virtutis non intellectus, ſed voluntatis.*
45 *Verſatur ſpes circa bonum, ut arduum.*
46 *Proprius modus tendendi virtutis ſpei.*
47 *Fertur ſpes in DEUM ut Auxiliatorem.*

44 Spes, quæ eſt ſpecialis virtus Theologica, ex doctrina S. Thomæ variis de locis, hic referenda, poteſt definiri, quòd ſit *Appetitus boni ardui abſentis, aſſecurans de obtinenda illius poſſeſſione infallibiliter auxiliante DEO.*

Dixi primò. *Appetitus.* Actus enim ſpei, ut inquit S. Thomas *q. 18. art. 1. in c.* eſt quidam motus appetitivæ partis, cùm ſit ejus objectum bonum. Hinc non tantùm à fide Catholica, & à S. Paulo *1. Cor. 13. v. 13.* Spem à Fide diſtinguente, & ad *Rom. 11.* tendentiam gaudii ipſi tribuente, ſed etiam à ratione aberrant hæretici, ſpem & fiduciam confundentes cum certa credulitate, ſeu fide obtinendi æternam beatitudinem. Fides enim cùm ſit actus intellectus, in bonum non ſub ratione boni, ſed tantùm ſub ratione veri tendit.

Uſus etiam ſum potiùs vocabulo *Appetitus*, quàm Deſiderii, vel gaudii: quia etiamſi has affectiones animi ex parte imitetur, & à S. Auguſt. apud S. Thomam 1. 2. *q. 40. art. 1. ad 1.* quandoque vocetur cupiditas, & deſiderium, quatenus eſt Appetitus boni abſentis; ab Ang. Doctore autem in Quæſtionibus Diſput. *de Spe q. un. art. 1. ad 13.* dicatur cauſa delectationis (intellige cauſam, formalem, formaliter delectantem) *in quantum,* inquit, *facit rem ſperatam quoddamodo præſentem ſecundum fiduciam adipiſcendi*, nihilominus tamen in rigore loquendo ſpes, ait cit. D. *neque conceditur eſſe deſiderium, neque aſſeritur eſſe gaudium* (quorum ſimilia verba habet cit. *articul. 1. in c.*) quia iſtud fertur in bonum præſens, tamquam objectum materiale, ſpes verò fertur in bonum abſens, illudque non ſupponit, ſed quodammodò facit præſens, quatenus aſſecuranter tendit in Deum infallibiliter auxiliantem, tamquam in præſens objectum formale, ut deinde declarabimus.

45 Dixi ſecundò. *Boni Ardui:* Quia, ut inquit S. Thomas l. c. *ad objectum ſpei requiritur, quod ſit aliquid arduum, cum difficultate adipiſcibile: non enim aliquis dicitur aliquid ſperare minimum, quod ſtatim eſt in ſua poteſtate, ut habeat, & per hoc differt ſpes à deſiderio, vel cupiditate, quæ eſt de objecto bono futuro abſolute: unde pertinet ad concupiſcibilem; ſpes autem ad iraſcibilem.* Ex quo colligitur, quòd ſpes, in quantum eſt efficax appetitus, ac proſecutio boni ardui, qua talis, habeat ſpecialem modum tendendi victorioſum, ſimilem audaciæ, diverſum à nudo deſiderio boni abſentis, qua talis, & non rarò determinantem ad alium actum audaciæ, qui ſit efficax electio mediorum, quatenus difficilium, ſi quæ ad conſecutionem Boni ſunt neceſſaria: quod ipſum magis declarat, & confirmat S. D. *1. 2. q. 45. art. 2. in c.* Quòd ſi tamen ſpes aliquando verſetur circa tale objectum, ad cujus conſecutionem non ſunt neceſſaria à ſperante ponenda media, eò quòd forſan DEUS illud abſolutè promiſerit, independenter à difficili cooperatione, ipſum objectum ſaltem eatenus dicitur arduum, & actus ſpei victorioſus, quatenus voluntas ſe erigere debet, ad tanta certitudine ſperandum objectum, in ſua poteſtate, & in actuali, ac in impedibili poſſeſſione nondum poſitum. Et ideò S. Doctor *q. 6. de Miraculis a. 9. ad 11.* dixit: *Objectum ſpei eſt arduum conſequendum; non autem arduum faciendum.* Intellige, non eſſe de eſſentia, ut ſemper ſit arduum faciendum.

46 Dixi tertiò. *Aſſecurans de illius poſſeſſione obtinenda:* Unde neceſſe eſt, ut objectum ſperatum non tantùm appareat ut *Bonum, Abſens, Arduum,* ſed etiam ut *Conſequibile.* Quæ proinde ſunt quatuor rationes formales, ſeu conditiones ex parte objecti materialis requiſitæ à S. D. *1. 2. q. 40. art. 1. & 2. 2. q. 17. art. 2. & 5.* Quibus ex parte objecti formalis correſpondet infallibilitas DEI auxiliantis, ita aſſecurans, & certificans, atque obfirmans voluntatem in ſuo modo tēdendi de aſſecutione boni ſperati, ſicut veracitas DEI aſſecurat intellectum in ſuo modo tendendi de veritate ac certitudine objecti crediti. Atque in dicto modo tendendi aſſecurativo voluntatis formaliter, ac principaliter conſiſtit actus ſpei. Ut clarè indicat S. D. *in qq. diſp. l. c.* inquiens: *Spes tendit in aliquod bonum, quod eſt impoſſibile adipiſci: importat enim in ſui ratione ſecuritatem adipiſcendi.* Id ipſum ſignificat S. Bonav. 3. *diſtin. 26. art. 2. qu. 4. in Reſp.* Eundem tendendi modum eleganter declarat Card. de Lugo apud P. Haunoldum *num. 474. & ſeq.* Alii illum deſignant per erectionem voluntatis, ut Richard. & Arragon. apud Granad. *Cont. 2. tract. 1. diſp. 3. n. 1.* quos ipſe *n. 8.* ſequitur. Neque aliter poteſt explicari certitudo ſpei, quæ eidem unanimi T. T. conſenſu tribuitur. Unde S. Amb. *in c. 1. epiſt. 2. ad Timoth.* explicans illa verba *Scio, cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare,* ait, *ſpe & fiducia magnificentiæ Salvatoris ſecurus eſt.*

Dixi quartò. *Infallibiliter auxiliante Deo.* Quibus ver- 47
bis æquivalet nomen auxilii divini, in actu primo ſumpti, quo conſtanter utitur S. Thomas, intelligens per illud non auxilium in actu ſecundo, ſeu entitatem medii alicujus creati ad acquirendam poſſeſſionem boni ſperati, ſed DEUM ipſum, ut ex parte ſua jam paratum, & expeditum ad infallibiliter præſtandum bonum abſens ſperatum. Unde S. D. dicit *2. 2. q. 17. art. 6. ad 3. Spes facit tendere in DEUM, ſicut in quoddam bonum finale adipiſcendum* (quia, ut proximè dicemus, illius objectum attributionis eſt DEUS, in quantum eſt beatitudo noſtra objectiva, & noſter finis ultimus) *& ſicut in adjutorium quoddam efficax ad ſubveniendum.* Et ibid. in c. ait. *Spes facit Deo adhærere, prout eſt in nobis principium perfectæ bonitatis, in quantum ſcil. per ſpem divino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam.*

§. II.

De objecto Materiali & formali ſpei.

SUMMARIUM.

48 *Statuitur objectum materiale ſpei.*
49 *Declaratur, & confirmatur aſſertio objecti materialis.*
50 *Statuitur objectum ſpei formale.*
51 *Diſtinguendum inter ſpem, & fidem præviam ad ſpem.*
52 *Proinde attendendum ad diverſum modum tendendi fidei ac ſpei.*
53 *Diſtinguendum etiam inter deſiderium ac ſpem.*
54 *Nec fidelitas DEI eſt adæquatum motivum ſpei, nec bonitas objecti ſperati.*
55 *Probatur, DEUM ut auxiliatorem infallibilem eſſe motivum formale ſpei.*
56 *Quænam perfectiones divinæ contineantur formaliter in prædicto motivo.*

Dico primò. Cùm ſicut in ſcientiis, & artibus, ita 48
etiam in virtutibus aliqua objecta reſpiciantur, ut objecta materialia, & in his objectis materialibus detur aliquis ordo, ita ut unum ſit objectum principaliter ac ultimatè propter ſe intentum, cætera verò objecta intendantur propter Ipſum, tamquam media propter finem, quæ objecta attributa à Philoſophis vocantur, finis verò dicitur objectum attributionis: ideò ſpei objectum materiale attributionis *ut quod* aſſignandus eſt ipſe DEUS, quatenus eſt ultimus finis, ſeu Beatitudo noſtra objectiva: objectum autem materiale attributionis *ut quo* eſt ipſa beatitudo formalis, qua DEUS à Beatis poſſidetur, quàm ſecundùm diverſas ſententias Theologorum aliqui in ſola viſione beatifica, aliqui in ſolo amore beatifico, alii, quorum ſententia mihi ſemper viſa eſt probabiliſſima, in utroque conſtituunt. Cætera verò bona omnia, quæcumque in oratione dominica ex

ca ex

ca ex Chriſti inſtitutione petimus, & quæ à Chriſto hac generali promiſſione: *Quodcumque petieritis Patrem in Nomine meo, hoc faciam. Joan. 14. v. 13.* comprehenſa ſunt: ſpei objecta attributa dici debent.

49 Hæc concluſio non indiget multa probatione. Cùm enim Spes ſit virtus Theologica, ſicut Fides, & Charitas, & utriuſque objectum attributionis ſit DEUS, ad cujus cognitionem per fidem reliqua objecta revelata, ac credita, referuntur, & propter quem reliqua bona omnia amanda ſunt, ita ut honeſtè in ullo alio Amor noſter quieſcere, ac ſiſtere poſſit, ita etiam ſpei objectum attributionis *ut quod*, quod nempè principaliter, ultimatè ſperatur, debet eſſe DEUS, tamquam ſummum, & ultimum noſtrum bonum, cui omnes quatuor conditiones objecti ſupra ex S. Thom. relatæ maximè conveniunt: unde id, quo DEUS aliquando eſt poſſidendus, eſt objectum attributionis *ut quo*. Reliqua verò bona, quæ univerſali promiſſione comprehenduntur, hoc ipſo ſunt objecta ſpei, ſicut omnes veritates revelatæ ſunt obiecta materialia fidei. Quia verò illa omnia bona non ſunt objecta attributionis, & ſingula tamquam media referuntur ad ultimum finem noſtrum obtinendum, hinc ſaltem ſunt objecta attributa, ſub conditione, vel abſolutè ſperabilia, in quantum creduntur ad finem ultimum conductura. Ideò Chriſtus inter bona, quæ nobis petimus, primo loco juſſit petere *Adveniat Regnum tuum*: & apud S. Lucam *ep. 12. v. 31. Quærite primum Regnum DEI: & hæc omnia adiicientur vobis*: ſcilic. tamquam attribuenda erunt Regno Cœlorum, ſive beatitudini objectivæ.

50 Dico ſecundò, objectum formale ſpei Theologicæ, ſeu rationem formalem *propter quam*, eſſe DEUM, ut auxiliatorem infallibilem, ad infallibiliter (quantum eſt ex parte DEI) obtinendum bona ſperata, quæ, vel ſunt ipſa beatitudo objectiva, vel ad illam conducentia ſecundùm divinam, & infallibilem DEI diſpoſitionem. Loquor autem hìc de bonis obtinendis per noſtram cooperationem, ad quam opus eſt auxiliis divinis: aliàs DEUS ut per ſe ipſum paratus dare bonum promiſſum, eſſet motivum ſpei ad immediatè à DEO illud obtinendum.

51 Antequam probem hanc concluſionem, præmoneo cum Emin. Card. Pallav. *num. 198.* diligenter cavendum eſſe, ne confundatur objectum formale cognitionis, ſeu fidei, prærequiſitæ ad ſpem cum objecto formali ipſius ſpei. Videri enim poſſet, quòd ad firmiſſimè ſperandum in DEO ſufficiat, quòd DEUS promiſerit ſe auxiliaturum, vel daturum rem ſperatam, & Ipſe in promittendo fidelis ac verax ſit. Unde ſicut motivum formale, *ut quod* ipſius fidei prærequiſitæ eſt ſola veracitas DEI generalis in cognoſcendo, & loquendo, vel particularis in promittendo, nimirum fidelitas, ita videri etiam poſſet, quòd motivum formale ipſius ſpei ſit ſola veracitas, aut fidelitas, non obſtante, quòd ad actualem executionem, & verificationem rei promiſſæ debeant influere aliæ perfectiones divinæ, præſertim ſcientia infinita, omnipotentia, & bonitas. Hæc verò confuſio motivorum, & actuum fidei ac ſpei, ob quam ſupra maximè hæreticos dixi culpabiles, nullum patrocinium poteſt accipere ex modis loquendi ſacræ Scripturæ, quando e. g. ipſe Chriſtus dicit apud S. Marcum *c. 11. v. 23. Habete fidem DEI. Amen dico vobis, quia quicunque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare, & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcunque dixerit, fiat, fiet ei. Et verſ. ſeq. Credite, quia accipietis, & evenient vobis.* Sic alibi frequenter Chriſtus adſcribit fidei, loco fiduciæ, redditam ægris ſanitatem, & Magdalenæ pœnitenti remiſſionem peccatorum. Lucæ *7. v. 50. Fides tua te ſalvam fecit.* Et S. Paulus 2. ad Timot. *1. v. 12. Scio, cui credidi, & certus ſum: quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.* Nam in his, & aliis ejuſmodi locis, ponitur Fides pro fiducia, ſive ſpe, quia Fides ad fiduciam præſupponitur, & propter hanc neceſſariam præſuppoſitionem fidei, tribuitur ipſi effectus, ex illa, mediante ſpe, ac charitate ortus, & ſpes trahit à fide originem nominis fiduciæ. Nam ex allato exemplo Magdalenæ patet, quòd dicatur Fides illam ſalvam feciſſe, non immediatè, ſed quia præſupponebatur ad dilectionem, atteſtante ipſo Chriſto *v. 47. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Itaque ut prædicta confuſio evitetur, attendendum 52
eſt ad diverſos modos tendendi. Fides enim, quatenus nititur veracitate DEI generali, aut particulari in promiſſis divinis, quæ dicitur fidelitas, eſt aſſenſus aſſecurans per appretiationem motivi, manifeſtantis veritatem futuritionis. Spes autem eſt appetitus aſſecurans per appretiationem cauſæ, ut certò inducentis futuritionem boni ſperati, quantum eſt ex parte DEI auxiliatoris. Proinde per fidem credens dicit: *Credo firmiſſimè futuritionem ſive aſſecutionem talis boni, quantum eſt ex parte Dei* (ſi nempe ego parti meæ non defuero, vel non impedivero, vel non deſtitero DEO cooperari) *quia DEUS id promittens in promiſſis ſuis eſt verax & fidelis.* Per ſpem dicit: *Spero firmiſſimè futuritionem ſive aſſecutionem talis boni, quantum eſt ex parte DEI, quia ille infallibiliter auxiliabitur, modo ego non deſtitero ei cooperari.* Atque ſic fides certificat intellectum de futuritione boni propter DEI veracitatem ac fidelitatem; Spes autem certificat voluntatem, ut futuritioni boni aſſecuranter adhæreat, velut jam determinatæ in ſua cauſa, infallibiliter illius inductiva.

Præter prædictam confuſionem actus fidei, præce- 53
dentis ſpem, cum actu ſubſequente ipſius ſpei adhuc aliam confuſionem cavendam moneo. Quia enim Spes fertur in bonum abſens; hinc ipſam ſpem, ſaltem plerumque præcedit deſiderium ſeu cupiditas illius boni. Ratio autem illud deſiderandi eſt bonitas objectiva: hæc autem bonitas nondum habet vim aſſecurandi appetitum de conſecutione illius boni: quia verò Spes non eſt mera cupiditas, ſed aſſecuratio de bono, quod aliquo modo concupiſcit, obtinendo, ideò bonitas objecti concupiti eſt quidem objectum formaliter motivum ad ejus cupiditatem, non tamen ad aſſecurationem, ſeù ad illum ſpecialem modum tendendi ipſius, reſpectu cujus illa bonitas eſt potiùs objectum materiale ſperatum; & licèt Spes aliquo modo contineat tendentiam cupiditatis, ſicut quando ſperat evitationem alicuius mali, etiam continet tendentiam odii & averſionis à modo; nec tamen propterea malitiam objecti evitandi eſt motivum formale ſpei, quatenus eſt aſſecuratio appetitus: & ſic nec bonitas eſt motivum formale ejuſdem aſſecurationis, quæ eſt ipſa principalis & ſpecifica tendentia, ac differentia ſpei à mera cupiditate.

Ex his itaque duobus præmonitis patet, non rectè 54
pro motivo formali *ut quod* ipſius ſpei aſſignari ſolam fidelitatem DEI, quia hæc eſt quidem ratio formalis infallibiliter teſtificans de futura aſſecutione boni, ſed non eſt cauſa infallibiliter exequens aſſecutionem, ſive infallibiliter conferens ſperatum bonum, & appetitum aſſecurans, ut de eo velut in ſua cauſa jam exiſtente & determinato gaudeat, quemadmodum S. Paulus vult, ut ſimus de æterna beatitudine *ſpe gaudentes. Rom. 12. v. 12.* patet etiam neque bonitatem objecti rectè aſſignari à valdè quidem communi ſententia Scoti, Gabrielis, Valentiæ, Suarez, ConincK, Tanneri, Granado, Amici, Pallavicini, quia hæc appetitum tantùm allicit, non autem aſſecurat, nec quietum, nec certum reddit: & præterea non eſt perfectio divina, quando objectum ſperatum eſt ſolummodò bonum creatum, motivum autem *ut quod* virtutis Theologicæ debet eſſe perfectio divina.

Probatur nunc aſſerta concluſio ſecunda, inprimis 55
authoritate S. Scripturæ. Nam S. David motivum formale ſpei ſuæ his verbis exprimit: Pſ. *61. Ipſe DEUS meus, Salvator meus, Adjutor meus &c. DEUS auxilii mei, & Spes mea in DEO eſt. Sperate in eo, omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra, DEUS Adjutor noſter in æternum.* S. Iſaias *cap. 50. v. 7.* ita loquitur: *Dominus DEUS Auxiliator meus, ideo non ſum confuſus; ideo poſui faciem meam, ut petram duriſſimam*, ideſt, firmiſſima ſpe reſpexit in DEUM. Rurſum S. David Pſ. *120. Ecce DEUS Auxiliator meus, quis eſt, qui condemnet me?* Talia teſtimonia innumera poſſent adduci.

Probatur 2. Ratione ex natura, & modo tendendi ipſius ſpei deſumpta. Id enim eſt motivum ſpei, quod voluntatem de futuritione Boni, ut jam infallibiliter parata, & in ſua cauſa jam exiſtente, ac determinata, aſſecurat. Atqui hoc facit DEUS, quatenus eſt infallibilis Auxiliator noſter. Ergo, &c.

Probatur 3. Id quod interroganti, cur firmiſſimè ſperemus

mus tale bonum e. g. æternam Beatitudinem, ſolemus dare pro reſponſione, & ratione noſtræ ſpei, eſt utique Motivum formale ſpei. Sed hoc ipſo, quòd DEI auxilio & adjutorio ſperemus nos aſſecuturos æternam Beatitudinem, reſpondemus, quia DEUS eſt infallibilis Auxiliator noſter: Ergo DEUS, ut infallibilis Auxiliator, vel collator auxilii, atque etiam ipſius rei ſperatæ, eſt motivum formale. Atque hæc eſt ſententia S. Thomæ *q. q. diſp. de Spe q. un. a. 1. in c. & 2. 2. q. 17. a. 6. in c.* & *ad 3.* quem ſequitur Vaſq. *1. p. diſp. 84. cap. 2.* & *diſp. 235. c. 4. & 1. 2. diſp. 15. c. 5.* Mæratius *diſp. 30.* per totam. Turrianus, Lugo, Ripalda, quibus conſentit P. Haunoldus *num.* 494. Eſparza *q. 33. a. 2.* Malderus & Thomiſtæ communiter apud Gonet *diſp. 9. de Spe. a. 3. num. 46.* quibus ipſe accedit.

Probatur eadem ſententia quartò ſpecialiter contra Authores pro priori ſententia relatos, Bonitatem obiecti ſperati ſtatuentes prò Motivo ſpei. Si enim creſcente bonitate ex parte objecti non creſcit ſpes, ſed ſola cupiditas ac deſiderium Boni, tunc ipſa Bonitas non eſt motívum ſpei; nam aliàs creſcente motivo deberet etiam creſcente firmitas ſpei. Atqui creſcente Bonitate ſperata non creſcit firmitas ſpei: imò ſæpe quò bonum eſt majus, eò difficilius erigitur animus, ut audeat illud ſperare.

Probatur quintò everſione prioris ſententiæ & Fundamenti illius. Si enim Bonitas objecti ſperati eſſet motivum formale ſpei, ideo eſſet, quia ſpes eſt actus proſecutionis; omnis autem actus proſecutionis vel eſt deſiderium, vel amor, vel gaudium; horum autem ſingulorum actuum motivum formale eſt Bonitas, quæ ſi eſt præſens, de illa datur gaudium, ſi abſens, datur illius deſiderium, ſi abſtrahit à præſentia & abſentia in illam fertur Amor. Atqui hæc ratio ſupponit ſalſum, triplex enim illa diſtinctio actuum proſecutionis eſt tantùm facta pro appetitu concupiſcibili, non autem pro iraſcibili, iſte enim quartam addit ſpeciem actus proſecutionis. Quia ſicut abſentia & præſentia boni poteſt terminare diverſum modum tendendi in Bonum, ut unus ſit gaudii, alter Deſiderii; ſic etiam arduitas Boni, ut obtinendi DEO Auxiliatore poteſt inducere diverſum modum tendendi, proprium ſpei, quæ ita fertur in bonum arduum, ut de ejus arduitate ſuperanda aſſecuretur, infallibiliter auxiliante DEO.

Probatur Sextò, reſumendo Argumentum adverſùs ſuos Authores Si modus tendendi virtutis ſpei, eſt ſpecialis, & diſtinctus à modo tendendi, ſimplicis amoris, gaudii & deſiderii, tunc debet ipſi etiam aliud motivum aſſignari: Sed eſt diſtinctus, ut ex dictis patet, & ex oppoſito modo tendendi deſperationis redditur manifeſtum: hæc enim neque eſt odium, neque fuga, neque triſtitia de Bonitate, ſed eſt quædam objectio animi, & diffidentia obtinendi bonum arduum. Ergo modus tendendi oppoſitus deſperationi neque debet eſſe præciſè amor, nec deſiderium, nec gaudium, ſed potiùs erectio animi, & confidentia in Deum Auxiliatorem.

56 Dico Tertiò. Etiamſi neceſſe non ſit, ſpem diſtinctè ferri in illas perfectiones Divinas, quæ ingrediuntur conceptum clarum Dei ut Auxiliatoris infallibilis (aliàs rudiores difficulter elicerent ſpem, nec etiam ita expeditè ipſi doctiores) implicitè tamen neceſſe eſt ferri in Omnipotentiam Dei, qua poteſt dare Auxilium & bonum ſperatum & in infinitam ſcientiam DEI, actu cognoſcentem noſtram miſeriam, indigentiam, vota, deſideria, preces, modos & media juvandi &c. Item in infinitam Dei Bonitatem, vel Miſericordiam, vel Clementiam, vel liberalitatem, de facto volentem dare auxilium ſufficiens ad obtinendum bonum ſperatum. Quia autem hæc attributa Divina omnia non neceſſariò ſunt conjuncta cum volitione dandi Auxilium, vel media, vel ipſam rem ſperatam, ideo ſpes debet etiam tendere in ipſam fidelitatem, qua de volitione dandi auxilium, & media, per Divinam promiſſionem, generalem vel particularem certificetur: & ideo dixi tantùm, quòd fidelitas DEI non ſit adæquatum motivum ſpei, fateor tamen eſſe inadæquatum, & promiſſionem Divinam eſſe motivum formale *ut quo* ſpei Theologicæ, ſicut revelatio Divina eſt motivum formale *ut quo* Fidei Theologicæ. Hæc concluſio non indiget alia probatione, ſed ſequitur ex priore; quia ſine recenſitis perfectionibus Divinis non poteſt conſiſtere illa connexio Auxiliatoris infallibilis cum objecti ſperati futuritione, neque ratio formalis Auxiliatoris infallibilis cum objecti ſperati futuritione, neque ratio formalis Auxiliatoris infallibilis ſine aliqua earum poteſt eſſe completa. Unde S. Th. *in q. q. diſput. q. de Spe a. 1. in c.* Auxilium in actu primo, ſive ipſum Auxiliatorem paratum ad ferendum auxilium ſtatuens pro motivo ſpei, explicat in particulari perfectiones Divinas, per quas Deus præbet auxilium, his verbis: *Sicut objectum formale Fidei eſt veritas prima, per quam, ſicut per quoddam mediū aſſentit his, quæ creduntur, quæ ſunt materiale objectum fidei, ita etiam formale objectū ſpei eſt Auxilium Divinæ poteſtatis, & pietatis propter quod tendit motus ſpei in bona ſperata, quæ ſunt objectū materiale ſpei.* Simili modo commemorat omnipotētiam, & miſericordiam Divinam *q. 18. a. 4. ad 2. & 3.* Et in S. Scriptura paſſim pro ratione ſperandi in Deum nunc hæc, nunc illa perfectio Divina, ex prædictis refertur, eò quòd ſingulæ motivum adæquatum ſpei conſtituant.

Contra aſſignatum noſtrum motivum formale obiici poteſt primò. Si id eſt motivum formale, quod ut cauſa inductiva boni ſperati appetitum objectivè aſſecurat de conſecutione illius boni, ſequitur DEUM non eſſe motivum *ut quod* adæquatum ſperatæ Beatitudinis, vel quorumcunque aliorum bonorum, à DEO ſub conditione noſtræ cooperationis, vel ſub quacunque alia conditione à nobis præſtanda, promiſſorum, ſed omnia ea, quæ complent cauſam inductivam, & quæ promiſſionem conditionatam faciunt tranſire in abſolutam, nempe ipſam impletionem conditionis conſtituere motivum ſpei adæquatum: hoc autem conceſſo, non poteſt amplius ſalvari quomodo ſpes ſit virtus Theologica, nixa motivo *ut quod* adæquatè Divino, & quomodo ſit appetitus firmiſſimè aſſecurans voluntatem de futuritione boni ſperati, ſicut fides eſt aſſenſus firmiſſimè aſſecurans & certificans intellectum de veritate objecti revelati. Neutra ſequela debet admitti. Ergo &c. Reſp. Negando primam ſequelam, & ſuppoſitum illius, quòd illud ſit motivum formale ſpei, quod eſt cauſa inductiva adæquata, vel proxima boni ſperati; etiāſi enim bonum ſperatum ex parte cauſæ proximæ ſupponat entitatem auxilii creati, ſive auxilii in actu ſecundo, & impletionem cōditionum, ſub quibus bonum ſperatum à Deo eſt promiſſum, & cooperationem ipſius ſperantis, ita ut ipſe etiam ſit partialis cauſa inductiva boni ſperati, nihilominus tamen neque ipſum auxilium in actu ſecundo eſt partiale motivum ſpei, quia motivum ſpei de hoc ipſo auxilio, ut à Deo infallibiliter præſtando firmiſſimè aſſecurat; neque ipſæ conditiones & propria ſperantis cooperatio, neque cauſa cooperans ſunt partiale motivum; quia ſpes boni dependentis ab hujuſmodi conditionibus eſt tantùm appetitus ſub conditione aſſecurans, ſicut fides objecti conditionatè revelati eſt tantùm firmiſſimus aſſenſus conditionatus; ſic enim poſſum firmiſſimè credere me obtenturum æternam Beatitudinem ſub hac conditione, ſi moriar in ſtatu gratiæ, ſi auxilio Divino fuero cooperatus &c. Tali ergo modo ſpes debet eſſe firmiſſima ſecundùm modum tendendi conditionatum, quòd quantum eſt ex parte DEI, certò ſim conſecuturus beatitudinem, & accepturus ſufficientia auxilia, ſi tamen his etiàm cooperer; ut verò his cooperer, ipſa ſpes debet mihi animum erigere, & reddere audacem ad ſuperandas difficultates propriæ cooperationis, & ſic propria cooperatio non habet ſe inſtar objecti formalis, ſed potiùs inſtar objecti materialis, quatenus ſpes continet modum tendendi audaciæ, ſicut bonum ſperatum eſt objectum materiale, quatenus ſpes continet modum tendendi deſiderii.

Obiicitur ſecundò. Sæpe dicimus, nos ſperare, quòd ſimus in ſtatu gratiæ: & quòd DEUS nobis remiſerit peccata præterita. Ergo objectum materiale ſpei non debet ſemper eſſe abſens: & objectum formale non ſemper debet eſſe DEUS, ut Auxiliator. Reſp. Diſtinguendo antecedens, dicimus, nos ſperare hujuſmodi objecta præterita, vel præſentia per virtutem ſpei Theologicæ, nego antecedens; per ſolam prudentem perſuaſionem, quæ eſt actus intellectus, per teſtimonium bonæ conſcientiæ, quietem, & gaudium ſecuræ mentis, concedo antecedens. Aliter Reſpondet Pallav. *n. 192.* & Haunoldus *n. 480.* Sed illorùm reſponſio mihi non placet: quia fruſtra conantur ſalvare exercitium ſpei propriè dictæ.

§. III.

§. III.

De Vitiis oppoſitis Spei.

S V M M A R I V M.

57 *Neceſſitas, & obligatio ſpei definita, etiam ab Alexandro Septimo, in prohibitione propoſitionis primæ.*

58 *Quomodo contingat deſperatio.*

59 *Quantum peccatum ſit Deſperatio, vel hæſitatio ſpei.*

60 *Quomodo contingat præſumptio.*

61 *Præſumptio in genere ſuo eſt minus peccatum, quàm deſperatio.*

62 *Eſt tamen peccatum mortale ex genere ſuo.*

57 Contra obligationem ſpei duplicis generis peccata committi poſſunt, nempè: peccatum omiſſionis, & commiſſionis. De priori genere idem dicendum eſt, quod ſupra de peccato omiſſionis contra obligationem, & neceſſitatem fidei ſæpius eliciendæ diximus, & infra de peccato omiſſionis contra obligationem charitatis erga DEUM dicemus. Eadem enim eſt omnium harum virtutum neceſſitas, hinc Alexander VII. ſtatim in prima propoſitione, à ſe prohibita, damnavit aſſerentem: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actus fidei, ſpei, charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*. Et Concilium Trid. *Seſſ. 6. capit. 6.* rurſum *ſeſſ. 14. cap. 4.* harum omnium virtutum actus pariter requirit ad juſtificationem hominis. Immò fides etiam propter ſpem à S. Paulo ad *Heb. 11. v. 1.* dicitur neceſſaria per illa verba: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum*. Sicut ergo Apoſtolus in fine præcedentis capitis fidem dixerat eſſe neceſſariam ad vitam æternam eò quòd ſit fundamentum ſpei, ita etiam cenſuit eſſe neceſſariam ſpem. Et ſicut ex eodem *capitul. 11. v. 6.* ſupra oſtendimus per hæc verba Apoſtoli: *Sine fide impoſſibile eſt, placere DEO. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator*: Ita ex iiſdem inferimus, id quod eſt neceſſarium neceſſitate medii, ut credatur, eſſe etiam neceſſarium neceſſitate medii, ut ſperetur ab adultis. Ratio enim requirendi prædictorum objectorum fidem, eſt etiam ratio requirendi ſpem, cùm utriuſque virtutis Theologicæ actus ſint neceſſaria diſpoſitio ad juſtificationem, & ad vitam rectè inſtituendam, ac ad finem ultimum, propter quem homo creatus eſt, obtinendum.

58 Loquendo nunc de peccatis commiſſionis, duo ſunt, quæ ſpei opponuntur, *deſperatio, & præſumptio*: de priori agit Angel. Doctor. 2. 2. *quæſt.* 20. de poſteriori *quæſt.* 21.

Deſperatio fit, quando beatitudo priùs judicatur impoſſibilis, ut à damnatis per ſcientiam certam, teſte S. D. *q.* 18. *art.* 3. *in c.* (quibus proinde non eſt illicita deſperatio, ut rurſum teſtatur S. D. *q.* 20. *art.* 1. *ad* 3. & à viatoribus aliquando per infidelitatem. Vel quando judicatur quidem poſſibilis, quantum eſt ex parte Dei, parati præſtare ſufficiens auxilium; attamen ex parte hominis apprehenditur, & æſtimatur ejus difficultas moraliter à ſe inſuperabilis, unde in utroque caſu ſubſequitur actus deſperationis, quæ eſt *Abjectio ſeu deſponſio animi de æterna Beatitudine obtinenda propter apparentem ejus, vel impoſſibilitatem, vel arduitatem*, non obſtante, quòd in ſtatu viæ appareat ejus poſſibilitas: ut infallibiliter credibilis, & arduitas per conatum ſimpliciter ſuperabilis, ac proinde æterna beatitudo appareat propter Deum, paratum auxiliari, efficaciter, & ex obligatione appetenda.

59 Hinc malitia deſperationis, immò ſolius hæſitationis, in ſtatu viæ, ſemper mortalis, ac gravis, & incapax levitatis (per ſe loquendo, & ſecluſa ignorantia, vel inadvertentia) in eo conſiſtit, quòd quis Deum, quem credit, vel quem cognoſcit credendum, ut paratum infallibiliter auxiliari, non debito modo appretiet, & per illum ſe aſſecuret de obtinenda Beatitudine, ſed potiùs poſtponat, vel hæſitanter ſolùm anteponat difficultati ſuperandæ in obtinenda beatitudine.

Ex quo rurſum patet paritas, ac proportio cum peccato infidelitatis, vel dubitationis in fide, qua paritate S. Thomas *q.* 20. *art.* 1. declarat & confirmat malitiam deſperationis.

Præſumptio (loquendo neque de intellectuali, quæ in 60
judicio, meris conjecturis ſuffulto conſiſtit, neque de appetitiva, in ſolo magnanimitatis debitæ exceſſu conſiſtente) teſte S. Thoma *q.* 21. *art.* 1. *in c.* eſt nimia, nempè ſupra Dei cognitam voluntatem, ad certum modum, & media, & objecta determinatam, aſſecuratio ſuæ voluntatis de aliqua re, minùs conveniente rationabili ordinationi divinæ, vel alio modo, quàm qui à Deo eſt ordinatus, per eundem Deum obtinenda. Unde ſicut deſperatio ex nimia diffidentia, & abjectione animi contemnit media à DEO ordinata, ac quodammodò vilipendit infallibilem auxiliatorem, ita præſumptio ex nimia præſidentia, ejus perfectiones prudenter cauſativas certi auxilii inſuper habendo, & temeraria erectione animi contemnit media, non obſtante, quòd cognoſcatur Deus non aliter velle præſtare auxilium, vel conferre rem ſperandam, quàm ſub tali conditione, vel per talia media: & quodammodo vilipendit infallibilis auxiliatoris ordinationem, prudentiam, ac bonitatem, quaſi nimis exiguam, niſi DEUS hoc, vel illud bonum conferret ultra media, ſapienter à ſe ordinata.

Ideò inquit S. Thomas *l. c. ad* 1. *Quod aliquis innitatur divinæ virtuti ad conſequendum id, quod DEO non convenit* (id eſt, divinæ ordinationi) *hoc eſt diminuere divinam virtutem* Et *art.* 2. *ad* 2. ait: *Quod præſumptio non importat exceſſum ſpei de hoc, quod aliquis nimis ſperat de DEO* (hoc enim ſonat, quaſi quis firmiùs ſperaret de Deo, quàm ipſe mereatur, quo modo tamen nec credere, nec ſperare, nec amare nimiùm poſſumus) *ſed ex hoc, quod ſperat de DEO quod DEO non convenit. Quod etiam eſt minus ſperare de DEO; quia hoc eſt ejus virtutem quoddammodo diminuere.*

Rectè tamen monet S. D. *cit. art. in c.* Præſumptionem 61
ex genere ſuo eſſe minus peccatum, quàm deſperationem. Quod ex eo confirmari poteſt, quia magis directè & explicitè diminuit, ſive vilipendit virtutem divini auxilii in actu primo, magiſque opponitur fini virtutis, eò quòd ſpes principaliùs infundatur ad erigendum animum in Deum circa alia objecta, & alios modos inordinatos.

Nihilominus præſumptio formalis, & propriè dicta, 62
quæ non ſolùm magnanimitati per nimiam audaciam, vel humilitati per nimiam virium ſuarum æſtimationem ſed motivo formali ſpei per nimiam præſidentiam de divino auxilio ſupra rationalem ordinationem divinam, prudenter præcognitam, vel infideliter, & hæretica pertinacia negatam, opponitur, eſt corruptiva, vel excluſiva habitus ſpei, æquè ac deſperatio. Si quis e. g. ſperaret (ſicut hæretici) ſe ſola fide ſine meritis obtenturum à DEO æternam beatitudinem, veniam peccatorum ſine pœnitentia, vel auxilium ſpeciale, ac directè ordinatum ad operationes illicitas. In quibus caſibus non tantùm propter præſumptuoſam infidelitatem perderetur habitus fidei, & conſequenter etiam habitus ſpei, nequiens conſiſtere ſine habitu fidei, ſed etiam propter ſpecialem illorum oppoſitionem cum proprio motivo formali amitteretur habitus ſpei, ut ex communi Theologorum doctrina ſuppono.

ARTICULUS III.

De Charitate erga Deum.

S V M M A R I V M.

63 *Quid ſit charitas DEI, faciens amicum Dei.*

64 *An præcepto diligendi DEUM ſatisfiat per charitatem virtualem, vel an ſit præcepto formalis, referuntur de hoc duæ ſententiæ oppoſitæ.*

65 *Sententia, aſſerens charitatem virtualem ſufficere, damnata eſt ab Alexandro Septimo in propoſitione prima; & ab Innocentio XI. in Propoſitione quinta, ſexta, & ſeptima, magis extenſa eſt prohibitio.*

66 *Ratione probatur neceſſitas formalis charitatis.*

67 Sol-

67 *Solvitur ratio contraria.*
68 *Oſtenditur non obſtare temporis indeterminationem.*
69 *Immò ſaltem duplex tempus, nempè initium uſus rationis, & finis vitæ, oſtenditur determinatè reſpici à præcepto diligendi DEUM.*
70 *Specialiter confirmatur de initio uſus rationis.*
71 *Idem probatur exemplo Angelorum, & Protoparentum.*
72 *Probatur obligatio charitatis in articulo mortis.*
73 *Occurritur objectioni.*
74 *Oſtenditur dictam obligationem oriri ex ipſa virtute charitatis.*
75 *Idem confirmatur.*
76 *Oſtenditur duplex tempus aſſignatum eſſe convenientiſſimum.*
77 *Rationes præcedentes in unum ſyllogiſmum colliguntur.*
78 *Explicatur, quo modo accipiatur initium uſus rationis.*
79 *Obligatio pro articulo mortis probatur etiam authoritate Doctorum.*
80 *Inter tempus primum, & ultimum pro obligatione charitatis aſſignatum, nullum aliud eſt determinatum, cavendum tamen ne nimis diu differatur actus charitatis.*

63 CHaritas DEI inter virtutes Theologicas, teſtimonio S. Pauli 1. ad Corinth. 13. præcipua ac maxima, eſt *Actus voluntatis, quo quis DEUM diligit propter ſuam bonitatem abſolutam*, id eſt, propter ſuam infinitam perfectionem, ſive per collectionem omnium Divinorum Attributorum, ſive ſecundùm unum, vel aliquam tantùm ſeorſim cognitam, neque ad alium finem *cui* ultimatum extra DEUM relatam, Diciturque iſta charitas amor benevolentiæ, ſeu amicitiæ erga DEUM & homo eam eliciens denominatur Amicus DEI, quem titulum homini competere poſſe colligitur ex Pſalmo 138. *Nimis honorati ſunt amici tui DEUS* & ex verbis Chriſti ad ſuos diſcipulos Joannes 15. *verſ.* 13. *Vos Amici mei eſtis*; & Verſ. 15. *Vos autem dixi Amicos*. Quandocumque ergo homo aliquod bonum DEO ideò vult, ſeu ideò appetit, quia DEO bonum, eoque ipſe per infinitam ſuam perfectionem dignus eſt; vel quando aliquod bonum proximo, aut ſibi appetit, quia bonum ſuum, aut proximi, eſt bonum DEI, tunc is charitatem modò deſcriptam elicit: utrum verò illam aliquando formaliter elicere teneatur, vel utrùm ſufficiat charitas virtualis, ſeu interpretativa, conſiſtens in obſervatione omnium mandatorum DEI, olim controverſia erat inter Doctores:

64 Prima ſententia, & longè communior affirmat cum S. Thoma 1. 2. *qu.* 89. *art.* 6. per expreſſum præceptum Deut. 6. & Matth. 22. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo* &c. exigi formalem dilectionem DEI: eò quòd ſi illo tantùm generaliter præciperetur reliquorum mandatorum obſervatio, ob defectum diſtinctionis rei præceptæ ipſum non poſſet dici *primum, & maximum mandatum*, & ſi præceptum charitatis proximi eſſet in illo incluſum, non poſſet illi dici *ſimile*.

Secunda ſententia aſſerit, ſatisfieri præcepto diligendi DEUM per reliquorum præceptorum univerſalem obſervationem. Ita aliqui relati à Palao. Ratio iſtorum eſt, quia Chriſtus ipſe præceptum dilectionis ſic videtur explicare Joan. 14. *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me*. Et in Epiſt. 1. *cap.* 2. Idem S. Joannes inquit: *Qui autem ſervat verbum ejus, verè in hoc charitas DEI perfecta eſt*.

65 Verùm hæc ſententia poſtea ab Alexandro VII. Anno 1665. & ab Innocentio XI. Anno 1679. editis bullis prohibita eſt. Quippè Alexander VII. prohibuit hanc propoſitionem ordine primam inter 45. prohibitas: *homo nullo unquam vitæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas pertinentium*. Innocentius XI. addidit ſequentes, apud ipſum ordine quintam: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis DEI ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus*. Sextam. *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigorosè quinquenniis, per ſe obligare præceptum charitatis erga DEUM*. Septimam. *Tunc ſolum obligat præceptum charitatis, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſumus*.

Itaque tenenda omninò eſt prima, & veriſſima ſententia, tum propter rationes modò indicatas, tum propter illam, qua ſupra probavimus, obligationem actuum fidei, quaque ſimul confirmatur obligatio actuum ſpei, & charitatis erga DEUM frequentandorum: tum denique, quia per ſe videtur eſſe obſcurum, & indecens, quòd hominis ultimus finis ſit DEUS, & voluntas humana ex natura, & eſſentia ſua ſit ordinata ad amandum bonum, ea tamen non obligetur ad frequenter eliciendum formalem amorem puri, & infiniti Boni, à quo eſt omne bonum, & ſine quo nihil eſt bonum, neque meretur amari, ut bonum, niſi quatenus eſt referibile ad DEUM, qui ſolus eſt amandus propter ſe, tamquam finale, & unicè ſatiativum Bonum, & in cujus amore, hujus, & alterius vitæ fœlicitas conſiſtit. 66

Ad rationem in contrarium allatam, qua obſervatio omnium mandatorum aliquoties in Scriptura dicitur, amor, Reſp. plus non probari, quàm quòd in illa obſervatione etiam includatur formale exercitium amoris, quod unum eſt ex præcipuis mandatis, ac præceptis Chriſti, prout ipſe apud S. Matthæum *cap.* 22. interroganti Legis Doctori, quod eſſet mandatum magnum in Lege, ſive in Libris Legis Moſaicæ, reſpondit: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo &c. hoc eſt maximum & primum mandatum, ſecundum autem eſt ſimile huic, diliges proximum tuum ſicut te ipſum: in his duobus mandatis univerſa lex pendet, & Prophetæ*. Quibus poſtremis verbis indicatur adhuc alia reſponſio, nempè ab obſervatione illorum duorum mandatorum pendere tamquam à cauſa impulſiva, omnium aliorum mandatorum obſervationem, ita ut illa duo nemo poſſit obſervare, qui vel unum ex reliquis tranſgreditur: qui verò hæc & illa obſervat, ille eſt, qui verè diligit DEUM, nempè affectivè & effectivè: quia verus amor conſiſtit in affectu, & effectu; ideò S. Joannes in 1. *epiſt. cap.* 3. *v.* 18. ſcribit: *Filioli non diligamus verbo, nec lingua, ſed opere & veritate*: ut ſcilicet affectui, & linguæ reſpondeat opus, nempè executio operis, quod præſtandum eſt ſecundùm voluntatem ejus, qui diligitur. Qui ergo exſequitur omnia mandata, adeòque qui primo, & maximo mandato adjungit obſervantiam cæterorum, ille eſt, qui diligit Deum: quia Chriſtus loco citato dixit: illum diligendum eſſe *ex toto corde, & in tota anima, & in tota mente*. Et, ut apud Sanctum Marcum *cap.* 12. *v.* 30. additur, *ex tota virtute*: ut nimirum omnes vires animæ in executionem operum præceptorum impendantur. 67

Neque opponi debet ab Adverſariis, quòd nequeat determinari tempus, quo exercitium formalis amoris DEO ſit exhibendum; nam præter id, quo DEUS prima vice proponitur, ut amabilis ſuper omnia, & in fine vitæ, quod utrumque tempus cum S. Thoma 1. 2. *q.* 89. *art.* 6. & *in* 2. *diſt.* 42. *qu.* 1. *art.* 5. *ad* 7. & *q.* 5. *de Malo art.* 2. *ad* 8. & *q.* 28. *de Veritate art.* 3. *ad* 4. Doctores pro obligatione (niſi hæc invincibiliter ignoretur) communiter aſſignant, non erat neceſſe, aliud determinare, ſed ſufficiebat ſolùm præcipi, ne nimis diu omitteretur exercitium formalis dilectionis. Nam etiam pro exercitio Cultus, & Religionis erga Deum non eſt determinatum tempus ab ipſa virtute Religionis; ſed illud primùm aliquo modo determinavit Eccleſia per dies Dominicos, & Feſtos, ab ipſa inſtitutos. Et cùm aliis frequentiùs, aliis rariùs proponatur amabilitas DEI, alii magis, alii minùs diſtrahantur negotiis temporalibus, &c. non conveniebat à virtute charitatis commune aliquod tempus hominibus inæqualiter diſpoſitis determinari. 6

Quòd autem naturali obligatione formalis charitatis erga DEUM ſaltem determinata ſint iſta duo momenta temporis, primum nempè, quo homo, perfectum uſum rationis aſſecutus, incepit cognoſcere DEUM, ut ſummum, & infinitum bonum, & ſimul rationem perſuaſivam obligationis, ad illud bonum amandum ſuper omnia bona creata. Alterum, quo homo verſatur in proximo periculo mortis, id hac ratione probatur. Certum eſt, ut patet ex dictis, dari obligationem Juris naturalis, & divini, amandi DEUM ſæpius per totam vitam; 69

tam ; & hujus obligationis ratio ſuaſiva , ab aſſecuto
uſu rationis , vel lumine naturali , vel illuſtratione
Magiſtrorum , facilè agnoſcitur .
Jam ſic. Illud tempus ab obligatione charitatis eſt de-
terminatum , quod lumen naturæ dictat , eſſe maximè
decens, maximè neceſſarium , & maximè aptum ac
opportunum , & pro quo etiam voluntas à natura ma-
ximè inclinatur, & movetur ad amandum DEUM .
Sed tale eſt geminum illud tempus aſſignatum ; quod
probatur per ſingula membra . Cùm enim DEUS ſit
primum vitæ noſtræ principium *quo vivimus*, *movemur*,
& ſumus, ſimul ſit finis noſtræ vitæ , per ipſum amo-
rem acquirendus, ac per eundem poſt hanc vitam poſ-
ſidendus; ideòque DEUS ſancto Ioanni in Apoc. *cap.*
21. v. 6. præcepit : *Scribe , quia hæc verba fideliſſima*
ſunt , & vera : Ego ſum A. *&* Ω. *Initium , & Finis* . Idcir-
co maximè decet , ut DEUS , tanquam primum prin-
cipium vitæ noſtræ, in ejuſdem exordio, quàm pri-
mùm cognoſcitur ejus amabilitas & obligatio amoris, præ
omnibus bonis creatis ametur : & rurſum tanquam finis
ultimus vitæ noſtræ, ad quem poſſidendum illa unicè
ordinatur , in fine vitæ ſuper omnia diligatur , ſitque
A. *&* Ω. principium & finis noſtri amoris, tanquam ope-
rationis præcipuæ , ad quam ab Authore naturæ no-
ſtra eſſentia & exiſtentia eſt intenta , & per auxilia etiam
ſupernaturalia elevata, ut DEUS non merè naturali
amore, ſed meritorio ultimi finis ſupernaturalis dili-
geretur .
Certè , ſicut Eccleſia Catholica ignovit ſpecialem
decentiam, ut quodie DEUM in Euchariſtia per S.
Communionem ſumimus; ipſe ſit primus cibus noſter ,
antequam vel minimum cibi aut potus ſumamus: ita
utique eſt ſpecialis decentia , ut ſtatim ante omnia
alia objecta , Amor noſter , & Voluntas noſtra in
divinam bonitatem pleno uſu rationis propoſitam fe-
ratur in exordio vitæ. Imò deceret, ſic amari DEUM
quotidie ; quamvis hujus obligationem fragili ac ter-
renis rebus immerſo homini imponere , eſſet nimis
difficile ac inobſervabile . Et ſicut S. Ioannes *capit.*
13. ſpeciali laudi tribuit Chriſto , quòd *cùm dilexiſ-*
ſet ſuos , qui erant in mundo , in finem dilexerit eos ;
ſic vel maximè decens , ac laudabile eſſe , lumen
naturæ dictat, ſi DEUS ab homine in finem dili-
gatur
70 [illegible] autem utrumque hoc tempus etiam ſit maximè
neceſſarium, id clariùs expoſita ratione S. Thomæ 1.
2. *q. 89. art. 6. &* q. 28. *de Verit. art.* 2. *ad* 4. de amore in
principio uſus rationis ſic oſtendo . Nullo tempore ma-
gis eſt neceſſarium, ut homo ſuam vitam ordinet ad de-
bitum finem , ad quem procurandum à Deo eſt obligatus
& creatus, ac ut eligat medium , ſine quo non poteſt ob-
tineri ille finis, quàm quo uti incipit ratione, proponente
ſibi neceſſitatem amoris DEI, ad obtinendum ultimum
finem ſuum (fundatam in naturali obligatione amandi
DEUM, tanquam bonum noſtrum infinitum, & unicè
ſatiativum noſtræ voluntatis) ab illo enim tempore, & ab
illo medio ad finem noſtrum pendet reliquæ vitæ debita
ordinatio , ne homo per peccatum & deordinationem
voluntatis facilè deflectat ab ultimo ſuo fine, & auxiliis
gratiæ ad perſeverandum in proſecutione ſui finis ſe in-
dignum reddat , & nunquam ampliùs , vel difficulter ad
illum revertatur . Sed hoc ipſo quòd in principium uſus
rationis, dicto modo illuſtratæ , detur neceſſitas ordi-
nandi vitam ad debitum finem & eligendi medium , ſine
quo non poteſt obtineri finis, jam datur neceſſitas amo-
ris divini , qui eſt actualis ordinario vitæ ſuæ ad de-
bitum finem *cujus & cui ultimatum* , & eſt ipſum me-
dium eligendum . Ergo in principio uſus rationis ,
dicto modo illuſtratæ , datur Neceſſitas amoris di-
vini .
71 Confirmatur hæc Neceſſitas . Omnes Angeli , tam
qui non perſeverarunt, quàm qui perſeverarunt , &
primi parentes noſtri , conditi cum pleno uſu rationis,
& cognitione naturalis præcepti amandi DEVM, in
primo inſtanti ſuæ creationis moraliter fuerunt neceſſi-
tati ad amandum DEVM, ut Theologi communiter
colligunt ex uniformi omnium operatione, & executio-
ne præcepti . Ergò etiamſi homines poſteri ob defectum
æquè perfectæ cognitionis, ac diſpoſitionis non expe-
riantur hujuſmodi moraliter invincibilem neceſſitatem,
tamen etiam reſpectu ipſorum datur neceſſitas præcepti,
non quidem moraliter invincibilis; Attamen licitè non
contemptibilis , ac violabilis .
De altero tempore, quo inſtat proximè finis vitæ, adhuc 72
faciliùs probatur neceſſitas amoris. Tunc enim homo
cognoſcit ſe maximè periclitari de ſua ſalute, propter
graviores tentationes, & inſidias diaboli, & propter præ-
teritam peccandi conſuetudinem , ac propter probabilem
mortis propinquitatem , qua omnis procurandæ ſalutis
ac pœnitentiæ occaſio & tempus finitur . Ideo tunc ho-
mo maximè tenetur aſſecurare ſuam ſalutem , adeoq; uti
mediis magis idoneis, ac certis, qualia ſunt ſuſceptio S.
Euchariſtię , Confeſſio, perfecta Contritio, non quòd
hæc neceſſaria ſit ad valorem Sacramenti, ſola cum attri-
tione ſuſcepti , certum reddendum , ut ſuo loco dicemus;
ſed ut alii poſſibiles defectus potentes Sacramentum red-
dere invalidum, ſi fortè talis inadvertenter , vel oc-
cultè intervenisſet , ſuppleantur per contritionem .
Neſcit enim homo, etiam poſt abſolutionem à pecca-
tis , *utrum amore , an odio dignus ſit* . Eccleſiaſt.
9. v. 1.
Neque tamen hinc ſequitur , ut ſapienter notavit P. 73
Joannes Cardenas in Criſi Theol. *par. 2. diſp. 49. numer.*
33. & ſeqq. Quòd quia homo etiam poſt elicitam perfe-
ctam contritionem adhuc incertus eſt de juſtificatione
ſua , cùm adhuc neſciat, an elicuerit illam perfectè; pro-
ptereà teneatur illam ſemper repetere, ad ſe magis aſ-
ſecurandum de ſua juſtificatione . Præterquam enim
quòd hoc onus eſſet intolerabile , à nemine Theologo-
rum aſſertum , ſufficit ſemel adhibuiſſe media efficaciſ-
ſima, ac certiſſima , & ſic ſatisfeciſſe obligationi : quia
nemo tenetur ad ſummam diligentiam in procuranda ſua
ſalute : hæc enim eſſet impoſſibilis; quia qualibet dili-
gentia adhibita poſſet adhiberi major, & ſic numquam
poſſet adhibere ſummam : conſequenter neque tenetur .
Hinc etiam non eſt paritas omnimoda inter actum chari-
tatis , eliciendum ſtatim in principio uſus rationis ob-
tenti, & cognitionis debitæ , & inter actum charitatis
eliciendum in fine vitæ: quando enim homo illum elicuit
in proximo periculo mortis, & obligationi ſatisfecit, non
tenetur illum etiam in ultimo inſtanti uſus rationis eli-
cere , ſi nullum dubium novum de ſtatu gratiæ ſuperve-
nit . Hæc enim obligatio maximè eſſet pernicioſa , & red-
deret hominem obnoxium maximo periculo, ac dubio ſa-
lutis .
Licèt verò antè ſtabilita neceſſitas charitatis Dei , vel 74
contritionis perfectæ pro articulo mortis non immediatè
proveniat ex obligatione charitatis erga DEUM , ſed
potiùs ex obligatione charitatis , quam homo debet ha-
bere erga ſe ipſum , in ordine ad acquirendam propriam
ſalutem ; ex hac ipſa tamen neceſſitate mediatè probatur
quòd obligatio directa charitatis DEI convenientiſſimè
fuerit determinata ad articulum mortis , cùm in illo ejus
executio maximè utilis, & neceſſaria ſit homini , & cùm
aliàs charitas hominis erga ſeipſum ſit connexa cum cha-
ritate DEI , quandoquidem homo , & ſeipſum, & proxi-
mum ſuum debet amare propter DEUM , ſibique beati-
tudinem ſuam procurare , non ſeipſum, ſed DEUM ſta-
tuendo pro fine *cui* ultimato, cui hominis beatitudo in pri-
mis eſt honorifica, & glorioſa . Itaque obligatio hominis
erga ſe ad procurandam ſibi charitatem DEI pro articu-
lo mortis , determinat obligationem DEO immediatè
debitæ charitatis ad eundem articulum, ut ſic actum cha-
ritatis , ex duplici obligatione debitum , homo faciliùs &
certiùs eliciat .
Cæterùm ſpecialis quoque eſt neceſſitas charitatis 75
DEI in articulo mortis, id eſt, in vicino ejus pericu-
lo : quia ſicut DEUS eſt Author vitæ , & ideo , ut oſten-
di , amandus in principio vitæ , ita etiam eſt Author mor-
tis , & ideo etiam imminente morte eſt amandus , ut ho-
mo ſuo Authori perfectè per amorem conjungatur, præ-
ſertim quia mors eſt initium æternæ unionis cum
Deo per amorem hìc auſpiciandæ, & in cælo conti-
nuandæ.
Reſtat ex ſuprà allato argumento adhuc proban- 76
dum, utrumq; pro obligatione charitatis DEI conſtitutum
tempus eſſe maximè aptum , & opportunum , eoque vo-
luntatem hominis magis à natura inclinare ad exer-
citium amoris . Nam in principio vitæ voluntas homi-
nis nondum eſt præoccupata amore rerum terrenarum ,
ne-

neque depravata ſiniſtris affectibus erga divitias, honores, & voluptates terrenas, ut adeòque ſine magna violentia avertatur à creaturis, & ad DEUM, ut ſummum ac infinitum ſuum Bonum convertatur charitate perfecta. In articulo mortis verò, quando bona terrena re ipſa proximè cernuntur deſerenda, & eorum vanitas, brevitas, & falſitas per tranſactæ vitæ experientiam habetur explorata, homo longè faciliùs ab hujuſmodi impedimentis divinæ charitatis avertitur: & quando Deus, ut ultimus finis, ac beatitudo noſtra, tamquam bonum perfectè ſatiativum, & proximè poſſidendum voluntati proponitur, hæc iterum magis expeditè, & majori impetu amoris fertur in tale bonum, illudque ſummè æſtimat, amat, ſperat, deſiderat, & de eo gaudet; cum deteſtatione actæ vitæ, & offenſæ divinæ: inflammatur etiam grata memoria multiplicium ac maximorum beneficiorum, à divina bonitate ac clementia collatorum, & longè majorum per totam æternitatem conferendorum. Ergo utrumque tempus eſt maximè aptum, opportunum, atque alliciens voluntatem ad DEI amorem, ut proinde obligatio amoris convenientiſſimè fuerit illi affixa.

77 Itaque ex toto præcedenti diſcurſu infero pro indubia probatione hunc ſyllogiſmum. Quando ex lumine naturæ, & DEI id ſacra Scriptura repetitis mandatis, ex ſummorum Pontificum conſtitutionibus, ex SS. Patrum, ac Theologorum teſtimoniis certò conſtat, dari obligationem charitatis formalis erga DEUM, ſæpius per totam vitam eliciendæ, & quando hujus obligationis pro ejus certiore, & firmiore executione poteſt etiam tempus aliquod convenientiſſimum aſſignari, rectè illud tempus pro obligatione ſaltem ex parte implenda aſſignatur, quod manifeſtè apparet convenientiſſimum. Sed hæc propoſitio eſt vera, & tempus convenientiſſimum eſt principium uſus rationis, debita cognitione illuminatæ, atque articulus mortis. Ergo &c.

78 Dixi: *Debita cognitione illuminatæ*: quas particulas ſupponendum eſt à S. Thoma ſubintelligi; quia aliàs impoſſibile eſſet exequi obligationem; Ideò Franciſcus Victoria celebris Thomiſta *tract.2. relect.13.* pagina mihi 647. explicans mentem S. Doctoris inquit; *Nihil aliud vult habere celebrata opinio S. Thomæ de converſione in DEUM in primo inſtanti uſus rationis; niſi quod cum primùm quis actu cogitat, & deliberat de vita ſua, oportet, quòd habeat propoſitum ad bonum, ſive in univerſali, ſive etiam divinum, conformiter ad cognitionem: hoc modo illius ſententia eſt probabilis, & conſona rationi; & non ſolùm Theologorum, ſed etiam Philoſophorum ſententiis eſt celebrata.* Nam præter Thomiſtas aſſentiuntur Valentia Layman. Filliucius, Navarrus in Manuali, quos refert, & ſequitur Baldellus *tom.2. lib.2. diſp.42. numer.* 23. Utrùm autem cognitio boni divini; nempè dirigens voluntatem ad appetendam, ac inſtituendam bonam vitam, quæ vel univerſaliter cognoſcatur, ut bona, vel etiam in ſpecie, & expreſsè, ut bona, & placens Deo, tamquam *Fini cui* ultimato, ſeper detur in primo inſtanti uſus rationis obtenti, & quidem tam perfecta, qualis requiritur ad tranſgreſſionem obligationis charitatis moraliter peccaminoſam, & utrùm illa cognitio non etiam perficiatur ſucceſſivè, quemadmodum intellectus ad perfectum uſum rationis pervenit ſucceſſivè, vel utrùm ſtatim infundatur à DEO tam perfecta, ut non poſſit per indeliberationem, vel imperfectionem cognitionis omiſſio amoris DEI excuſari à culpa mortali, quod videtur ſupponere S. Thomas 1. 2. *q.89. art. 6.* non eſt hujus loci diſcutere: ego quidem huic ſuppoſito numquam poſſum dare fidem, idque ſolum negant ii, qui negant in primo inſtanti uſus rationis ſtatim dari obligationem charitatis perfectæ, & juſtificativæ, antequam poſſit homo per indeliberationem, vel imperfectionem cognitionis ſolùm peccare venialiter.

79 Quòd verò vicinum tempus mortis ſit etiam convenientiſſimum ad determinandam obligationem charitatis, quam P. Joannes Cardenas *tom.2. diſput.49. num.29. & 34.* certam ac indubitatam aſſerit, conſentiunt Vaſq. *tom. de Pœnit. diſput.86. art.2. dub.6. num. 11.* (immeritò tamen huic ſoli obligationem charitatis affigens) Antonius Cotonius ex tert. Ord. S. Franciſci *lib. 1. Controverſ. 6. cap. 5. num.49.* citans Mendozam ex Diana *par.5. tract.14. Reſolut.* 105. His accenſeri poſsunt Valent. Suar. Bonacina apud Baldellum *loc. cit. diſp.15. num.16.* qui tamen obligationem tantùm reſfund unt in neceſſitatem aſſecurandæ propriæ ſalutis. Immeritò autem ipſam obligationem negat citatus Baldellus, ſecutus Thomam Sanchez, & Azor.

De reliquo tempore, medio inter initium uſus rationis, & finem vitæ aſſentior P. Franciſco Suarez *2.2. diſput.5. de Charit. ſect.5. num.4.* P. Ferdinando Palao *tom. 1. tract.6. diſp.1. punct.4. num.10.* aſſerenti, prudentis arbitrio menſurandum eſſe: quatenus tamen etiam aſſerit: *Hac obligatione exiſtimo quemlibet adultum teneri, non ſingulis annis, ut placuit Petro de Ledeſma tom.2. tract.6. cap. 5. poſt ſextam concl. quia hoc eſt nimis durum, & nullo firmo fundamento nititur, ſed aliquoties in vita; reputarem autem dilationem trium annorum eſſe gravem. Nam qui tanto tempore Divinam bonitatem non redamat, eam videtur contemnere, & in periculo eam offendendi, & humanis rebus poſtponendi conſtitui. Sic Coninck diſput.* 24. *dub.3. nu.* 53. Suar. *de Charit. diſput.5. ſect.3 num.4.* non aſſentior Palao, ſed Petro Ledeſma: quia ratio P. Palao pro trienio, ſufficit etiam pro integro anno: quem tota Eccleſia agnoſcit ſufficere, ut ultra eum non cenſeat differendam Confeſſionem, & S. Communionem, quique eſt naturalis menſura mutationum cœleſtium, ac ſublunarium, nec poteſt non eſſe graviter culpabilis neglectus amoris divini, cujus obligatio integri anni fluxu per tot conciones, internas inſpirationes, continua, & maxima Dei beneficia, feſtorum, pro vita, & paſſione Chriſti, & Sanctorum exemplis recolendis, inſtitutorum, multitudinem tam frequenter proponitur, & inculcatur. Quamvis putem eos Authores nimio rigore excedere, qui adſtruunt obligationem amandi DEUM per actû formalem charitatis quolibet die feſto, vel quoties recipitur magnum beneficium à Deo, vel quoties urget gravis tentatio contra amorem DEI, quæ tamen aliis mediis ſuperari poteſt. Illud verò fateor: quoties opus aliquod peragendum, ſine perfecta charitate Dei licitè peragi non poteſt, ut quando aliàs in ſtatu peccati mortalis ob defectum Confeſſarii Sacramentum aliquod adminiſtrandum, vel Sacramentum vivorum recipiendum eſſet, tunc per actum charitatis ex tali titulo debitum, poſſe ſimul ſatisfieri directæ obligationi ipſius charitatis, cùm poſſint per eundem actum plures obligationes impleri.

ARTICULUS IV.

De Charitate Proximi propter DEUM.

SUMMARIUM.

81 *Meritò prohibuit Innocentius XI. Propoſitionem decimam, & undecimam, negantes obligationem formalis Charitatis erga Proximum.*

82 *Probatur illa obligatio pluribus Rationibus.*

QUia charitas Dei ſine charitate proximi conſiſtere non poteſt, ut S. Joa. in 1. *Epiſt. ſua toto capite 4.* præſertim his verbis teſtatur: *Si quis dixerit; quia diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt: qui verò non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere? & hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Certum itaque ac de fide eſt, dari præceptum charitatis univerſale, extendens ſe ad omnem diligendum, ſive peccator ſive inimicus ſit, ſive juſtus aut amicus, & benefactor; ut expreſsè habetur apud S. Matth. *cap.* 22. *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum:* & priùs 5.44. *Diligite inimicos veſtros, benefacite iis, qui oderunt vos.* Et Joannis 13. *v.*15. *Hoc eſt præceptum meum,* inquit Chriſtus, *ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Et quidem ſicut præcepto diligendi Deum non ſatisfit ſine dilectione formali per ſolam obſervationem aliorum præceptorum, quam diximus dilectionem virtualem, vel effectivam, ſive effectum dilectionis formalis, ſic præcepto diligendi proximum non ſatisfit per ſolam ſimplicem beneficentiam, & per omiſſionem odii, ac vindictæ: ſed exigitur dilectio formalis, qua quis proximum habet pro fine *Cui*, nempè; qua quis vult proximo bonum, quia ipſi bonum eſt, & vult abeſſe ab illo omne malum,

quod

quod, & in quantum, & quia ipſi malum eſt. Ideò Innocentius XI. rurſum inter propoſitiones prohibitas ſtatuit decimam, & undecimam: Nempe: *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.* Et: *Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.*

82 Probatur primò hæc obligatio, relatis propoſitionibus oppoſita. Nempe adductis teſtimoniis, & pluribus aliis ſimilibus, quæ adduci poſſent ex S. Scriptura: quæ proinde in propria acceptione verborum, actum internæ dilectionis, & amoris ſignificant, ac præcipiunt: hic ipſe tamen amor debet eſſe efficax, & occurrente neceſſitate proximi in actum externum tranſire, qui tantùm denominativè ab actu interno dilectio proximi dicitur: ſicuti obſervatio omnium mandatorum à formali exercitio dilectionis erga Deum dicitur dilectio, charitas, amor Dei.

Probatur Secundò. Omnes homines pendent ab uno communi principio, nempe à Deo, & ab iiſdem proto parentibus, ergo ſicut lumen naturæ dictat, amandos eſſe inter ſe, qui procedunt ab iiſdem parentibus immediatè, & ſicut ad hunc amorem à natura congenitum ſtimulum, ac inclinationem experimur, ita ex eodem lumine ac dictamine, naturalique inclinatione rectè cognoſcimus naturalem obligationem mutui amoris, fundati in communi principio noſtræ exiſtentiæ, quemadmodum etiam omne animal naturaliter, ſed modo naturæ ſuæ proportionato, diligit ſibi ſimile.

Probatur Tertiò. Totum genus humanum conſtituit unam communitatem univerſalem, & corpus aliquod morale: ergo ſicut in corpore naturali partes debent eſſe unitæ per unionem phyſicam, ut ſpiritus vitales, & aliæ influentiæ in bonum totius corporis poſſint inter ſe propagari; ita omnes homines debent inter ſe eſſe uniti per unionem moralem, nempè per vinculum charitatis ac dilectionis, ut externa opera charitatis invicem, velut in membra, promptiùs & expeditiùs diſpenſent; quam rationem indicat S. Paulus ad *Rom.* 12. & 1. *ad Cor.* 12.

ARTICULUS V.

De Actibus oppoſitis Charitati Proximi, Odio, & Invidia.

SUMMARIUM.

83 *Quomodo charitati opponatur odium proximi.*
84 *Quomodo eidem charitati opponatur invidia.*
85 *An etiam ſit, & rectè dicatur invidia, gaudere de malo proximi propter augmentum proprii boni, inde conſequens.*
86 *Quatuor modi triſtandi de bono proximi, & quis eorum ſit proprius invidiæ.*
87 *Invidia eſt peccatum capitale, & mortale.*
88 *Quando & quale peccatum ſint externa ſigna odii.*
89 *Quomodo illa ſigna à ratione odii excuſari poſſint.*
90 *Quomodo triſtitia de prælatione aliena ab invidia excuſari poſſit.*
91 *Propter violatum ordinem charitatis meritò ab Innocentio Undecimo prohibitæ ſunt tres propoſitiones.*
92 *De bono effectu, ex malo proximi gaudere, non eſt contra prohibitionem Pontificis.*
93 *Licet ſibi vel alteri optare mortem, quando melior judicatur ipſa vita.*
94 *Quando licitum ſit injuſtum aggreſſorem occidere.*
95 *Non datur obligatio mediis valdè extraordinariis, ac difficilibus, ſervandi propriam, vel alienam vitam.*
96 *Charitas proximi debet ultimatè referri ad DEUM.*

83 PRæcepto charitatis prohibentur duo actus oppoſiti charitati, Odium, & Invidia; ſicut enim charitas proximi eſt actus, quo quis vult bonum proximo, quia ipſi bonum eſt, & ſi illud ſit abſens, id ipſi deſiderat; ſi præſens, de eo gaudet. Vel eſt actus, quo quis vult abeſſe malum à proximo, & quo gaudet de ejus abſentia, vel ſi malum ſit præſens, de eo dolet, triſtatur & hujus abſentiam deſiderat: ita è contrario, odium eſt actus, quo quis vult malum proximo, quia ipſi malum eſt, & ſi iſtud ſit abſens, id deſiderat fieri præſens, vel inferendum aliunde, & tunc actus odii hujus dicitur imprecatio, vel inferendum à ſe ipſo, & dicitur appetitus vindictæ: vel ſi malum ſit præſens, de eo gaudet. Oppoſito modo verſatur odium circa bonum proximi: quemadmodum enim verſatur circa malum proximi illud appetendo, ita verſatur circa bonum proximi illud averſando, & de eo triſtando: licèt verò etiam invidia triſtetur de bono proximi (ſive præſenti, ſive præterito, ſive futuro) illa tamen non ideò præcisè triſtatur, quia proximo bonum eſt: Sed quia diminutivum eſt proprii boni.

Alius itaque actus charitati Proximi oppoſitus eſt in- 84
vidia, quæ à S. Thoma communiter recepto in 2.2.q.36. *ar.* 1. definitur, quòd ſit *triſtitia de bono alterius, in quantum eſt diminutivum propriæ excellentiæ*: Et ideo, inquit S. D. *præcipuè de illis bonis homines invident, in quibus eſt Gloria, & in quibus homines amant honorari, & in opinione eſſe.*

Quamvis verò ejuſdem ſpecificæ malitiæ ſit, ob eun- 85
dem finem, & cauſam gaudere de malo proximi in quantum per illud augetur propria Excellentia, ut teſtatur Palao *tr.* 6. *diſt.* 4. *pun.* 2. *nu.* 1. & Arriaga *to.* 5. *de Virtutibus Theol. diſp.* 47. *ſect.* 3. *ſubſ.* 2. *nu.* 23. ibi tamen iſte benè ait: *Fateor ordinariè, & vulgariter hunc actum non dici invidiam; at id ad vocem ſpectat.*

Hinc autem videtur ſequi, quòd etiam pœnitens non ſatis intelligeretur à Confeſſario, neque rectè explicaret ſuum peccatum, ſi uteretur ſola voce *Invidia*. Sicut alibi diximus, quòd quando ambo fornicantes fuerunt conjugati, neuter rectè confiteretur ſuum peccatum, quod fecit, dicendo: *Feci adulterium*: etiamſi ſupponatur duplex vinculum eſſe tantùm circumſtantiam aggravantem ſpeciem adulterii, & circumſtantias merè aggravantes non eſſe ex obligatione in confeſſione exprimendas. Quia vox adulterium ſine expreſſa mentione duplicis vinculi ſolet determinatè accipi, pro violatione unius tantùm vinculi Matrimonialis: ideò ne pœnitens utatur voce excluſiva alterius vinculi, debet dicere: *Ego conjugatus fornicatus ſum cum conjugata.* Pari ergo ratione videtur poſterior actus invidiæ ſic exprimendus: *Habui gaudium invidentiæ*: ſive: *De malo proximi ex affectu invidiæ gaviſus ſum.*

Pro relatæ definitionis, & peccati invidiæ meliori in- 86
telligentia notandum eſt ex S. Thom. *loc. cit. art.* 2. quòd triſtitia de bono proximi contingere poſſit quatuor modis: *Uno quidem modo, cum aliquis dolet de bono alicujus, in quantum ex eo timetur nocumentum vel ſibi ipſi, vel etiam aliis bonis: & talis triſtitia non eſt invidia, & poteſt eſſe ſine peccato. Unde S. Greg. lib.* 22. *Moral. cap.* 11. *in principio ait, evenire plerumque ſolet, ut non amiſſa charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rurſum ejus gloria ſine invidiæ culpa contriſtet, cùm & ruente eo quoſdam benè erigi credimus, & proficiente illo pleroſque injuſtè opprimi formidamus. Alio modo poteſt quis triſtari de bono alterius, non ex eo, quòd ipſe habet bonum, ſed ex eo, quòd nobis deeſt bonum illud, quod ipſe habet. Et ſi ſit de bonis temporalibus, poteſt eſſe cum peccato, & ſine peccato. Tertio modo triſtatur aliquis de bono alterius in quantum ille, cui accidit bonum, eſt eo indignus. Quæquidem triſtitia non poteſt oriri ex bonis honeſtis, ex quibus aliquis juſtus efficitur: Sed ſicut Philoſophus dicit* 2. *Rhetor. eſt de divitiis, et talibus, quæ poſſunt provenire dignis, et indignis. Quartò modo aliquis triſtatur de bonis alicuius, in quantum alter excedit ipſum in bonis. Et hoc propriè eſt invidia. Et iſtud ſemper eſt pravum, ut Philoſophus dicit in Secundo Rhetoricorum. Quia dolet de eo, de quo eſt gaudendum, ſcilicet de bono proximi.* Ita S. Doctor.

De hoc peccato invidiæ idem S. D. ſequentibus articu- 87
lis duas queſtiones reſolvit, nempe an ſit peccatum capitale: & an Mortale: ad utramque autem reſpondet affirmativè. Capitale enim peccatum dicitur, quia eſt caput, & origo multorum aliorum peccatorū ex invidia velut ex fonte ſcaturientium. Mortale autē ex genere ſuo eſt, quia ſi invidia ſit de gravi proximi bono, & nō tantum de

proprio malo, aut damno (ex cujus ſolius ſuppoſitione, & acceptione Invidiæ non cum adæquata ſua malitia, Tambur. *lib. 5. Decal. cap. 1.* & Mat. Stoz *in Tribunali Pœnitentiæ lib. 1. p. 3. num.* 150. negarunt eſſe peccatum mortale) graviter opponitur charitati proximi, ſub culpa mortali obliganti: ſicut enim ſub gravi obligatione teneor proximo bene velle, & bonum illi appetere, ſic teneor omittere actum, illi contrario modo oppoſitum, uti eſt dolere, & triſtari de proximi bono: qui per hoc non excuſatur, quod ad illum actum impellat ab aliquali, vero, vel apparente meo damno, quodque in illo dolore, & triſtitia de proximi bono non ultimatè quieſcam, ſed ulteriùs tendam, triſtando etiam de vera, vel imaginaria proprii boni imminutione. Per hoc enim invidia quidem diſtinguitur ab odio propriè accepto, & videri poteſt, eſſe minoris malitiæ, quàm odium formale, ac propriè dictum; ſed non propterea tollitur ratio peccati mortalis, & affectus, graviter oppoſiti ordini charitatis, vi cujus mallem proximum carere magno bono, ne ego ſubeam imminutionem, ſæpè tantùm imaginariam, propriæ excellentiæ.

88 Ex dictis colligitur primò, quid ſentiendum ſit de ſignis externis, ad odium internum proximi conteſtandum, illumque contriſtandum exhibitis. Si e. g. more antè conſueto non eadem ampliùs ſigna charitatis ipſi præſtes, ad priùs uſitata convivia, vel ad alloquia non ampliùs adhibeas, non eundem ampliùs honorem, & reverentiam oſtendas, non ſalutes, vel ſalutanti non reſpondeas. Horum enim gravitas partim deſumitur ab odio interno, partim à damno proximi, quatenus vel gravem, ac diuturnam animi triſtitiam, afflictionem, vel odium mutuum pariunt, vel alia etiam emolumenta temporalia impediunt: unde in illorum confeſſione exprimendum eſt ipſum odium internum, & damnum inde emergens proximo, quando ad eorum gravitatem advertebatur; ſine hac enim gravitate, & ſine advertentia ad illam, ſigna illa externa in ſe non continerent malitiam gravis peccati.

89 Colligitur Secundò. An illa averſio animi à proximo, qua quis non quidem vult ullum malum proximo, ſed ex memoria acceptæ injuriæ adversùs illum commovetur, turbatur, conſternatur animo, & ejus aſpectum, ac converſationem abhorret, vel etiam priſtina benevolentiæ ſigna negat, non ex odio, vel vindicta, ſed ex interno dolore propter acceptam injuriam, vel ad abſterrendum proximum à continuatione, aut repetitione injuriæ: an, inquam, hujuſmodi averſio animi ſit odium, vel grave peccatum contra charitatem dicendum. Rurſus an ſit verum peccatum Invidiæ, ſi quis triſtetur, quòd alius in aſſecutione officii, aut beneficii, honoris, dignitatis, ſibi ſit antehabitus.

Ad primam enim dubitationis partem Reſp. negativè, quòd nempè talis averſio non ſit propriè dictum odium: quia per eam homo non vult proximo malum, ſed proximum averſatur, ut ſibi malum, per quam tamen averſionem, niſi ſigna externa ad honeſtum finem referantur, v. g. præciſè ad oſtendendum juſtum dolorem, vel ad procurandam emendationem proximi, & niſi valdè immoderata ſit, ita ut ipſa averſio ſit grave malum, vel contemptus proximi, plerumque peccatur venialiter propter inordinatam animi affectionem intervenientem nempe, diſſenſionem, averſionem, indignationem, rancorem &c. quæ omnia charitati proximi repugnant.

90 Ad ſecundam partem dubitationis iterum negativa reſponſio colligitur: quia homo non triſtatur de alterius bono, ipſi determinatè debito, ſed tantùm triſtatur de boni alterius, ſibi eodem jure communicabilis propria carentia, quatenus ſcilicet ipſe eo caret, vel quatenus ipſi ex poſſeſſione alterius aliquod damnum vel jactura oritur. Unde ſicut potuiſſet licitè curare, ut tale officium, vel beneficium, vel dignitatem, vel aliud emolumentum ipſe potiùs obtineret, ſic poteſt etiam dolere, vel triſtari, quòd non obtinuerit, & quòd alius ſibi impedimento fuerit, modò dolor aut triſtitia debitam moderationem non excedat; aliàs peccatum quidem veniale foret, ſed non invidiæ per ſe loquendo, quamquàm per accidens, & forſan ſæpe, aliquid illius admiſceatur. Vide S. Thom. *ſuprà nu.* 86.

91 Colligitur Tertiò. Quare ab Innocentio XI. prohibitæ ſint 3. ſequentes propoſitiones inter alias quinta, ſexta, ſeptima, ſupra decimam: quarum hic Prima eſt. *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & ac illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.* Altera propoſitio eſt: *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem patris; non quidem ut malum patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.* Tertia. *Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis, à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.*

Quia enim præcepto charitatis non tantùm prohibetur odium formale, & invidia formalis, quorum vitiorum quidem neutrum in prædictis actibus internis includitur (niſi malis ad invidiam reducere, quia S. Tho. *loc. cit. a. 1. in c.* tantùm dixit, invidiam *præcipuè* in illis bonis conſiſtere, in quibus eſt gloria) ſed quia poſitivè etiam tenemur amare proximum, ſicut nos ipſos, atque omnem actum evitare, qui hujuſmodi amori poſitivè, & ex intrinſeco, eſſentiali prædicato modoque tendendi adverſatur, ideo utique grave eſt peccatum, ſi quis pro eo, quòd proximo deberet ea bona appetere, quæ quilibet ſibi maximè appetit, nempe vitam, & bona, quæ per vitam haberi, ac retineri poſſunt, proximo & præſertim parentibus, qui nobis vitæ noſtræ authores ſunt, appetat ac deſideret mortem, & de ea gaudeat, de vita verò triſtetur, quæ inter bona naturalia eſt maximum, ac fundamentum omnium bonorum, quaque ablata, ſimul tolluntur omnia bona naturalia: ſi pręterea hos actus quiſpiam in animum admittat, quia jactura omnium dictorum naturalium bonorum, quam proximus per mortem ſumit, ſibi medium eſt acquirendi bona temporalia, quæ inter reliqua bona naturalia ſunt infimi ordinis, cùm tamen vita ſit ſupremi ordinis. Sicut etenim in charitate ſervandus eſt ordo perſonarum, ut ſcilicet illas per amorem præferamus, illiſque potiùs ſuccurramus, quibus magis obſtricti ſumus, ut parentibus, & filiis corporalibus, & ſpiritualibus, ſive ſuperioribus, ac ſubditis, conſanguineis, benefactoribus, conjugibus &c.: ita ſervandus eſt ordo objectorum, ne ſaltem appetamus proximo jacturam bonorum ſuperiorum, ut nos infima aſſequamur. Non ergo is virtutem charitatis erga proximum à Deo aſſecutus eſt, qui cum ſponſa Cantic. 2. v. 4. dicere nequit, *ordinavit in me charitatem.*

92 Ut verò eorum Doctorum ſententiam in bonam partem accipiamus, qui dixerunt, licitum eſſe gaudium ſpeculativum de morte proximi, ob bona temporalia inde nobis provenientia, illi intelligendi ſunt, quòd liceat gaudere non de exiſtentia mortis, vel de extinctione vitæ, ſed ſolum de effectu inde ſecuto, vel etiam de connexione, quam habet mors proximi cum adeptione relictorum bonorum: ita ut prædictum gaudium hunc habeat ſenſum: mallem quidem huic homini, vel meo patri, mortem non accidiſſe, ſuppoſito tamen, quòd ea acciderit, gaudeo, quòd ea mihi cauſa ſit delatæ hæreditatis. Sicut in ſimili caſu S. Paulus *2. ad Corinth. 7. verſ. 9.* dixit: *Gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.*

93 Subinferes. Si non licet citra peccatum mortale alicui appetere mortem propter conſecutionem boni inferioris ordinis, vel propter mali inferioris evitationem, tunc qui ſibi, vel alteri appetit mortem, propter finiendas moleſtias morbi, ſenectutis, paupertatis, vel alterius miſeriæ temporalis, hoc ipſo peccat mortaliter contra charitatem erga ſe ipſum, vel erga proximum ſuum. Conſequens autem durum dicere videtur: cùm etiam viros probos inter dolores audiamus à Deo precari mortem, ut doloribus eripiantur, & in Prophetia S. Jonæ *cap. 4. v. 8.* legatur de hoc ipſo S. Propheta, non ſatis patienter ferente æſtum Solis: petiit animæ ſuæ, ut moreretur, & dixit: *Melius eſt mihi mori, quàm vivere.* Quis autem Jonam ſtatim peccati mortalis arguet? quis peccati mortalis damnet uxores, Deum rogantes, ut matrimonio cum maritis ebrioſis, prodigis, furioſis ac aſperis, lecto graviter ac diu affixis, ingentes ſumptus in medicos, & obſequiorum moleſtias maximas facientibus finem tandem imponat? quis peccati reum dicat, qui injuſtum aggreſſorem vita privat, ne ab illo magna vi pecuniarum ſpolietur? quis dicat, nullis ſumptibus in medicinas extraordina-

ordina-

ordinarias, & pretioſas parcendum eſſe, ut quis ſuam, vel proximi vitam ſervet?

Pro Reſp. notandum eſt, vitam, ut ex verbis Jonæ patet, ſæpè apprehendi, ut minùs bonam evitatione illius mali, quod vitam protrahenti aliàs ſubeundum eſt, ſæpè etiam vitæ privationem peti, non præcisè propter finem obtinendi boni inferioris, vel propter evitationem mali inferioris; ſed admiſceri finem boni majoris, & melioris ipſi, cujus mors appetitur, quia privatio vitæ ei utilior eſt ad ſalutem: talis finis ſupernaturalis colligitur intendi, quando petitur mors inferenda à Deo per ipſius providentiam ac divinam diſpoſitionem.

Itaque in utroque caſu nego ſequelam majoris, & dico, in eo excuſari viros, optantes morte finire dolores, & Jonam, quem nec ſacra Scriptura omninò excuſat, à peccato tamen mortali excuſari: uxores etiam à peccato eximi: quia quando à DEO petunt accelerari mortem maritorum propter cauſas prædictas, vel apprehendunt illam, ut etiam maritis utiliorem, ne Deum toties offendant, vel petunt illorum mortem à Deo dirigi ad majus eorum bonum ſupernaturale: Et hac ratione etiam S. Thomas 2.2.*q.76.art.1.in c.* dixit: *Quandoque verò dicitur aliquod malum ſub ratione utilis: puta cùm aliquis optat, peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel ut ipſe melior efficiatur, vel ut ſaltem ab aliorum nocumento ceſſet*: ſcilicet injuſto, quæ ceſſatio cùm ſit bonum ſpirituale, & melius ipſa vita, propter eam juxta S. Doctorem licet optare malum proximo, adeóque etiam mortem, quatenus ipſa eſt impedimentum aliis inferendi injuſtum nocumentum: prout communiter aſſeritur, licitum eſſe occidere injuſtum invaſorem, ſi aliter nec impediri nec reparari poſſit grave damnum in bonis temporalibus, tibi vel aliis inferendum: ut ſtatim dicam.

94 Ad inſtantiam de injuſto aggreſſore licitè occidendo, qui e.g. aut vitam aut equum, quo vehor, mihi auferre ſtrictis armis minatur, Reſp. Quando aliter ſcil. nec fuga, nec alieni auxilii invocatione, nec leviori reſiſtentia, quàm mortis inferendæ præventione, equus, vel alia res magni pretii e.g. centum aureorum ſervari poteſt, nec ablata ampliùs recuperari, (ſi enim ſpes eſſet illam recuperandi e.g. per Judicem, ea interim invaſori cedenda eſſet) debito ordine charitatis illæſo poſſe injuſtum aggreſſorem occidi, & impœnitentem privari temporali ac æterna vita, quia hoc malum proximo neque ex odio, neque ſine ejus propria culpa, ac voluntate, neque ſine juſta cauſa, neque ſine fine melioris boni per ipſam licentiam ipſius actionis intento, infertur: ut ſcilicet arceantur fures, & frequentia furta impediantur, juſtitiaque in humana communitate conſervetur, propter quam cauſam licet judici, etiam illos morte plectere, quantumvis non nunquam in ſua impœnitentia perſeverent.

95 Ad ultimam inſtantiam concedo, non dari obligationem charitatis, vel erga ſe ipſum, vel erga proximum, ſervandi vitam mediis extraordinariis ac pretioſis, quia mors neque infertur, neque appetitur, ſed tantùm permittitur, eò quòd licentia illam permittendi ordinetur ad finem meliorem, ut nempè majora damna, quæ ex tali obligatione toti communitati generis humani evenirent, removeantur.

96 Atque hæc dicta ſint de charitate proximi quoad obligationem actus interni declarandam, qui ut verè ex virtute charitatis, qua proximus diligitur propter Deum, elicitus ſit, debet proximum habere pro fine *cui*, quatenus ipſe proximus habet ordinem ad Deum, vel ut Creatorem, vel ut Redemptorem, vel ut cauſam exemplarem, ad cujus ſimilitudinem ſive imaginem homo à Deo factus eſt, vel ut Authorem cujuſcumque boni in proximo exiſtentis, vel ut ultimum finem illius, &c. Qui ordo cùm in omni homine etiam peccatore, ac inimico, reperiatur, ideò etiam homo præcipitur diligendus propter Deum, vel explicitè, vel implicitè in homine dilectum, tanquam finem *cui* ultimatum.

ARTICULUS VI.

De Effectu ſive actibus externis charitatis erga proximum.

§. I.

De ſublevatione indigentiæ corporalis, & ſpecialiter eleemoſynæ.

SUMMARIUM.

97 *Charitas proximi non in ſolo affectu, ſed etiam in effectu conſiſtere debet, ſuccurrendo temporali, vel ſpirituali ejus neceſſitati.*

98 *Unde proximo, in extrema ſaltem neceſſitate exiſtenti, de bonis ad propriam vitam, & ſtatum conſervandum non omnino neceſſariis, quilibet tenetur ſubvenire.*

99 *Declarantur conditiones hujus obligationis.*

100 *De bonis ſuperfluis vitæ, & ſtatui etiam communi pauperum neceſſitati ſuccurrendi eſt obligatio.*

101 *Probatur ratione.*

102 *Quando aliquis dicatur habere ſuperfluum, ut non evitet damnationem propoſitionis duodecimæ latam ab Innocentio XI.*

Certum eſt apud omnes, charitatem proximo debitam non in ſolo affectu conſiſtere: hinc S. Joannes, quemadmodum merebatur eſſe diſcipulus, quem diligebat JESUS, ſic egregium ſe nobis præbens charitatis Magiſtrum, præceptum domini de proximo diligendo his verbis *in epiſt.1.cap.3.* declaravit: *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit in eo, quomodo charitatis DEI manet in eo? Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua ſed opere, & veritate*. Cùm autem diverſa poſſit eſſe proximi neceſſitas; nempè corporalis, & ſpiritualis, & utraque iterum diverſis actibus ſublevari debeat, ideò iſti memoriæ cauſa his potiſſimùm verſibus comprehenſi ſunt à S. Thoma 2.2 *q.32.art.2.* 97

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo,
Conſule, caſtiga, ſolare remitte, fer, ora.

Priores ſeptem actus miſericordiæ corporalis uno ferè eleemoſynæ nomine continentur, quæ communiter definitur *ſublevatio alienæ miſeriæ*. Propterea non de ſingulis ſeorſim, ſed de eleemoſyna in genere hoc §. dicemus. Poſteriores actus miſericordiæ ſpiritualis; quorum duos verbum *Conſule* præcipit, ac denotat, nempè conſilium, & rudium inſtructionem, ad ſalutem æternam proximo procurandam, vel non impediendam, principaliter ordinantur: unde ſequentibus duobus §§. de obligatione charitatis ad actus miſericordiæ ſpiritualis agemus.

Dico primò. Præceptum eleemoſynæ multis S. Scripturæ locis, præſertim *Matth.* 25. ſub comminatione ignis æterni expreſſum, graviter obligare. Unde quando conſtat proximum eſſe in extrema neceſſitate, ſine cujus ſcilicet ſublevatione mors, mutilatio membrorum, vel perpetua incarceratio, aliunde, quàm ex juſtitia vindicativa eveniens, moraliter videtur evitari non poſſe, teneris, ex bonis, ſine quibus tuam, & tuorum vitam, ac ſtatum conſervare potes, moderatam, & pro mediis ordinariis, nec nimis difficilibus ſufficientem eleemoſynam dare. Ita cum S. Thoma 2.2.*q.32.ar.5.* Et teſte Palao *diſp.2. de charitate p.2.n.5.* ferè omnes Doctores. 98

Probatur. Præceptum dandi eleemoſynam ſaltem in aliquo caſu obligat ſub mortali, ut præſertim ex citato loco S. Matthæi conſtat: ſed non poteſt oſtendi alius caſus magis neceſſarius, & magis limitans obligationem, quàm modò dictus, ergo ſaltem in hoc caſu obligat præceptum ſub mortali.

Declaro ſingulas partes concluſionis. Poſui primò: 99
Quando conſtat: quia niſi curam communitatis ex officio geras, non teneris inquirere extremam neceſſitatem habentes, nec eorum propriæ aſſertioni, quæ fallibilis eſt, ſtatim fidem adhibere: ſed ſi videris fratrem

tuum neceſſitatem habere, & clauſeris tua viſcera ab eo, tunc enim verò charitas DEI non poterit in te permanere.

Poſui ſecundò: *In extrema neceſſitate*: qualis eſt illius, qui non tantùm difficulter, ſed ſimpliciter auxilio alieno carere non poteſt, nec, ut inquit S. Thomas, apparet in promptu, qui ei ſubveniat.

Poſui tertiò: *Mutilatio membrorum vel perpetua incarceratio*: quia hæc duo morti, ſeu externæ neceſſitatis articulo quodammodo æquiparantur.

Poſui quartò. *Aliunde, quam ex juſtitia vindicativa eveniens*, quia ab ea neceſſitate, utpote honeſta, & communitati utili, non teneris reum liberare, ſicut nec ipſe ex charitate erga ſe tenetur.

Poſui quintò: *Moraliter*, quod probabilem impoſſibilitatem, non verò præcisè difficultatem denotat.

Poſui ſextò: *Sine quibus tuam & tuorum vitam ac ſtatum conſervare potes*: Pro quorum verborum declaratione, & confirmatione refero Angelici Doctoris verba 2. 2. *q. 32. art. 6. in c.* ubi ait: *Dicendum, quod neceſſarium dupliciter dicitur. Uno modo, ſine quo aliquid eſſe non poteſt; & de tali neceſſario omnino eleemoſyna dari non debet. Puta ſi aliquis in articulo neceſſitatis conſtitutus, haberet ſolum, unde poſſet ſuſtentari, & filii ſui, & alii, ad ipſum pertinentes. De hoc enim neceſſario eleemoſynam dare, eſt ſibi, & ſuis vitam ſubtrahere. Sed hoc dico, niſi fortè talis caſus immineret, ubi ſubtrahendo ſibi, daret alicui magnæ perſonæ, per quam Eccleſia, vel Reſpub. ſuſtentaretur. Quia pro talis perſonæ liberatione, ſe ipſum & ſuos laudabiliter periculo mortis exponeret, cùm bonum commune ſit proprio præferendum.*

Alio modo dicitur aliquid neceſſarium, ſine quo non poteſt convenienter vita tranſigi, ſecundum conditionem & ſtatum propriæ perſonæ, & aliarum perſonarum, quarum cura ei incumbit. Hujuſmodi neceſſarii terminus non eſt in indiviſibili conſtitutus, ſed multis additis, non poteſt dijudicari eſſe ultra tale neceſſarium, & multis ſubtractis adhuc remanet, unde poſſit convenienter aliquis vitam tranſigere ſecundum proprium ſtatum. De hujuſmodi ergo eleemoſynam dare eſt bonum, & non cadit ſub præcepto, ſed ſub conſilio. Inordinatum eſſet autem, ſi aliquis tantùm de bonis propriis ſibi ſubtraheret, ut aliis largiretur, quod de reſiduo non poſſet vitam tranſigere convenienter ſecundùm proprium ſtatum, & negotia occurrentia. Nullus enim inconvenienter vivere debet. Sed adhuc tria ſunt excipienda, quorum primum eſt, quando aliquis ſtatum mutat, puta Religionis ingreſſum. Tunc enim omnia ſua propter Chriſtum largiens, opus perfectionis facit, ſe in alio ſtatu ponendo. Secundò quando ea, quæ ſibi ſubtrahit, & ſi ſint neceſſaria ad convenientiam vitæ, tamen de facili reſarciri poſſunt, ut non ſequatur maximum inconveniens. Tertiò quando occurreret extrema neceſſitas alicujus privatæ perſonæ, vel etiam aliqua magna neceſſitas Reipub. In his enim caſibus laudabiliter prætermitteret aliquis id quod ad decentiam ſui ſtatus pertinere videretur, ut majori neceſſitati ſubveniret. Ita ad verbum Angelicus doctor. Qui tamen ne duobus in locis obligationem dandi eleemoſynam nimiùm relaxare exiſtimetur, priori in loco, quando dicit, de neceſſario ſecundi generis, non in indiviſibili conſtituto, dationem eleemoſynæ non cadere ſub præcepto, ſed ſub conſilio, mens ejus patebit ex ſequenti noſtra concluſione. In poſteriori loco autem, quando perſona proximi in extrema neceſſitate conſtituta, ſolùm dicit, quòd quis *laudabiliter* prætermitteret id, quod ad decentiam ſui ſtatus pertinere videretur, ut majori neceſſitati ſubveniret, intelligendus eſt, de ita pertinente ad decentiam ſui ſtatus, ut ad illum ſimpliciter neceſſarium videretur, ita ut moraliter impoſſibile, ſive difficillimum eſſet, ſine eo viam tranſigere ſecundùm proprium ſtatum. In tali enim caſu elargitio ita ſimpliciter neceſſarii ad decentiam ſui ſtatus eſſet ſecundùm S. D. laudabilis, ſed obligatio elargiendi eſſet nimis difficilis, & Reip. noxia: cùm inde augeretur indigorum incuria atque accedia, & divitum in negotiis gerendis minueretur induſtria, ſi illi in neceſſitate præſens auxilium tam facilè ſibi promittere, & iſti è contrario timere deberent, ne bona ſimpliciter non neceſſaria, & magno ſuo labore parta, in aliorum neceſſitatem forent rurſum expendenda: ob quam cauſam ſecundùm Emin. Card. de Lugo *diſp. 16. de Juſt. n. 152.* & alios Doctores permultos etiam de bonis vitæ ſtatui ſuperfluis, quod ſcilicet neque pro præſentibus expenſis, neque pro futuris ordinariis eventibus ſunt neceſſaria, immoderatas eleemoſynas e. g. ad captivos redimendos, vel ad infirmos pretioſis medicinis curandos, tribuere non obligaris, ſicut etiam propriam vitam, niſi communitati ſit valde neceſſaria, nemo tenetur mediis extraordinariis, v. g. lautioribus cibis, præſtantioribus medicinis, vel valde incommoda auræ mutatione conſervare.

100 Dico ſecundò. Præceptum charitatis externæ ad impertiendam eleemoſynam de bonis ſuperfluis ſuæ ac ſuorum ſuſtentationi ac ſtatui, ſine proprio gravi incommodo ſuſtinendo, non tantùm obligat in caſu prædicto, ſcil. in extrema, ſed etiam gravi, vel ſolummodo communi pauperum neceſſitate urgente. Quod quidem negant aliqui: quibus videntur favere S. Thomas citata *quæſt. 32. art. 5. & 6.* ſed ibi S. Doctor, ut ex *art. 5. ad 3.* patet, tantùm loquitur de obligatione determinata ad tempus, & ad perſonam, pro ſola extrema neceſſitate affirmans, non autem de indeterminata. Itaque communior & pobabilior ac teſte Ioanne Cardenas in Criſi *Theol. p. 1. tr. 2. diſp. 20. cap. 2. art. 2.* referente Suarez *diſp. 7. de Charitate. Sect. 3. n. 6.* Granadum, Petrum Hurtad. Vaſq. Bannez idem teſtantes, ex principiis intrinſecis certa opinio, quæ ex Angelico doctore quoque colligitur *q. 66. art. 7. in corp.* affirmat, quòd licèt ob frequentiam occurrentium occaſionum non ſingulis vicibus pecces, ſaltem graviter ob materiæ parvitatem, quoties negas Eleemoſynam, adeòque obligatio non ſit determinata ad hoc, vel illud tempus, & ad hanc vel illam perſonam, tamen pecces, ſi habeas voluntatem univerſalem, nunquam vel rariſſimè juvandi, gravi (addunt multi etiam tantùm *communi*) neceſſitate preſſum, etiamſi frequenter ſine magno incommodo poſſis.

101 Ratio eſt; quia tum ex 25. *cap.* Matthæi & ex *Epiſt. 1. cap. 3.* S. Ioannis tum ex aliis locis ſacræ Scripturæ videtur colligi, ſermonem ibi eſſe non tantùm de extrema, ſed etiam gravi neceſſitate, & quia levi obligatione pauperum magnæ neceſsitati ex charitate diminuendæ, contra innatam hominibus ſua retinendi cupiditatem non ſatis eſſet proviſum, idcirco neceſſe erat, gravem obligationem imponi ad non habendam univerſalem, vel frequentem voluntatem negandi Eleemoſynam de bonis ſuperfluis, quando proximus in gravi neceſſitate verſatur. Certè talis voluntas per ſe videtur, eſſe duriſsimi cordis actus, charitati vehementer & graviter contrarius; ob quem dives Epulo apud S. Lucam *cap. 16. verſ. 22.* refertur ſepultus in inferno, quia Lazaro cupienti ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, per neminem curabat dari. Nec tamen credibile eſt, Lazarum fuiſſe in exrrema neceſſitate conſtitutum, cùm utique alii clementiores Judæi illius miſerti fuerint, ne fame moreretur. Imo rariſsimè videtur dari extrema neceſsitas, & tamen in citato *cap. 25.* apud S. Matthæum multi dicuntur damnari propter negatam eleemoſynam.

102 Dico tertiò. Id cenſendum eſt eſſe ſuperfluum, quod non eſt ita neceſſarium, ut ſine eo non poſsit convenienter vita tranſigi ſecundùm conditionem & ſtatum propriæ perſonæ, & aliarum perſonarum, quarum cura ei incumbit. *Hujuſmodi neceſſarii terminus non eſt in indiviſibili conſtitutus, ſed multis additis non poteſt dijudicari eſſe ultra rationem neceſsarii, & multis ſubductis adhuc remanet, unde poſſit convenienter aliquis vitam tranſigere ſecundum proprium ſtatum.* Ita locutus eſt S. Thomas ſuprà relatus *art. 6.* qui in priori *art. 5.* ad 3. etiam notavit, ea ſuperflua eſſe, *quæ ſecundum ſtatum præſentem non ſunt ſibi neceſsaria, prout probabiliter æſtimari poteſt. Nec oportet, quòd conſideret, ad omnes caſus, qui poſsunt in futurum contingere. Hoc enim eſſet de craſtino cogitare, quod Dominus prohibet Matthæi 6. ſed debet dijudicari ſuperfluum, & neceſsarium ad ea, quæ probabiliter, & ut in pluribus, occurrunt.* Ita S. Thomas; juxta quam doctrinam meritò prohibita eſt ab Innocentio XI. hæc propoſitio duodecima: *Vix in ſæcularibus invenies, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui, & ita vix aliqui tenentur ad eleemoſynam, quando tenentur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.* Itaque non debet neceſ-

neceſſarium nimis laxari, ſed potiùs reſtringi juxta dictam prohibitionem.

§. II.

De Sublevatione indigentiæ ſpiritualis, ſpecialiter de correctione fraterna.

SUMMARIUM.

103 *Certum eſt dari obligationem correctionis fraternæ.*
104 *Declaratur, quando, quos, & quomodo obliget.*

103 VArios quidem actus miſericordiæ ſpiritualis præcedenti §. inſinuavimus, quorum poſteriores quatuor non indigent ſpeciali declaratione; priores verò quatenus inſtructione rudium, conſilio, & caſtigatione, proximus à peccatis abſtrahitur, uno fraternæ correctionis nomine comprehenduntur.

De hac itaque dico. Correctio fraterna (quæ propriè accepta ſupponit delictum jam commiſſum, per pœnitentiam, & illius impoſterum emendationem corrigendum: latiùs verò, prout hìc debet, uſurpata, etiam reſpicit delictum impediendum, etiamſi nullum aliud ſimile præceſſerit) ex Lege charitatis à quovis homine eſt debita cuilibet proximo, in extremo vel magno periculo ſalutis æternæ, vel de novo peccandi conſtituto, quando moraliter certum eſt, correctionem non magis obſuturam emendationi, & probabiliùs profuturam, niſi ab hac præſtanda metu proprii mali, gravitati obligationis proportionati, vel ob aliam cauſam honeſtam quis excuſetur.

Concluſio quoad obligationem corrigendi proximum eſt certa omnibus Catholicis Doctoribus, & ſtatuitur apud Matthæum *cap.* 18. *Si peccaverit in te* (id eſt, te ſciente) *frater tuus, vade & corripe eum &c.* Item Eccleſiaſtici *capit.* 19. *verſic.* 13. & ſequentibus, atque *in capit. Tam ſacerdotes* 24. *quæſt.* 3. Ratio eſt, licèt peccatum dependeat à libera voluntate proximi, illud tamen auxilium, quod ad emendationem vitæ per correctionem aut correptionem tu ipſi præſtas, poteſt eidem valdè eſſe utile, ac neceſſarium, proinde ejus carentia erit magnum illius damnum, ac miſeria, & DEUS poterit propterea pati magnum detrimentum ſui honoris; a qui lex charitatis erga Deum, & proximum obligat ad divini honoris detrimentum, & proximi grave damnum præcavendum, ſaltem ſi ſine proprio gravi damno fieri poſſit.

104 Declaro nunc eandem concluſionem quoad ſingula membra. Dixi primò *correctio fraterna, quæ propriè accepta ſupponit delictum, &c.* corrigere enim idem eſt, ac non rectè factum emendare, quod duplici modo fieri poteſt, nimirum efficiendo, ut peccatum per pœnitentiam deleatur, & ne impoſterum perpetretur; hæc autem correctio plerumque requirit admiſſi criminis moraliter certam notitiam; aliàs proximi iram, & odium, vel ob facilem criminis negationem nullum fructum refers: ſuppoſita verò ſufficienti notitia, & ſecluſo gravi periculo, in idem, vel aliud peccatum relabendi, vel in impœnitentia ultra conceſſum ſibi tempus perſeverandi judicio, probabilior opinio eſt contra non paucos, eidem adverſantes, etiam nondum dari obligationem correctionis fraternæ ad hoc, ne proximus in impœnitentia habitualiter perſeveret: quia licèt hæc perſeverantia ſit impeditiva multorum bonorum, tamen hæc ipſe peccator procurare non tenetur, adeòque patitur damnum tantùm negativum, id eſt, carentiam lucri indebiti, non verò poſitivum, quale eſſet novum peccatum: proinde non potes magis obligari ad damnum proximi per correctionem, niſi eam ex officio eidem debeas, præcavendum, quàm ipſe obligetur ad illud à ſe amovendum.

Dixi ſecundò. *Ex Lege charitatis*: nam juxta communem ſententiam non peccas contra honeſtatem illius virtutis, cujus oppoſitum peccatum per omiſſionem correctionis debitæ non impedis, eò quòd ut ſic ad illud non directè, & poſitivè cooepereris. Unde in confeſſione neglectæ correptionis non teneris explicare ſpeciem peccati, cujus correptionem neglexiſti.

Dixi tertiò. *A quovis homine eſt debita cuilibet proximo.* Ratio eſt, quia præceptum charitatis erga DEUM & erga proximum, eſt univerſale, niſi quis propter ſpeciales circumſtantias ab illius obligatione pro certis caſibus extrahatur: uti contingeret, quando ſubditus ſuum ſuperiorem, vel peccator manifeſtus alium corrigere deberet, nec ille rogando, nec iſte propter ſua peccata ſe humiliando, quidquam effecturum ſe ſperaret. Præter hanc tamen univerſalis charitatis legem alia magis ſpeciali, & cujus violatio ſingulariter in confeſſione explicanda eſſet, obſtricti ſunt Superiores erga ſuos ſubditos, hac conditione officium recipientes, ut commiſſorum ſibi vitia corrigant, maritus erga uxorem, ac viciſſim, parentes erga filios, qui etiam propria peccata tenentur per pœnitentiam, & emendationem deponere, ſi alioqui ad aliorum correctionem ſe inſufficientes fore prævidèrent, licèt alii, ut hujuſmodi eleemoſynam ſpiritualem, ſicut nec ut corporalem tribuere poſſint, non teneantur ſibi ejuſdem copiam comparare.

Dixi quartò. *In extremo, vel magno periculo ſalutis æternæ.* Extremum hìc voco ultimum, & moraliter certum periculum ſine pœnitentia juſtificante, decedendi ex hac vita, quod multi putant, etiam cum periculo propriæ vitæ à proximo eſſe removendum; id tamen probabiliùs tunc ſolummodò verum eſt, quando proximus non tam indiget correctione fraterna, quàm medio juſtificationis, ſupplente impotentiam liberi arbitrii ad eliciendam perfectam contritionem. Magnum periculum illud cenſendum eſt, quod ſpectatis circumſtantiis omnibus, proximus ſine fraternæ correctionis auxilio probabiliſſimè creditur non ſuperaturus.

Dixi quintò. *Vel de novo ponendi*: quæ verba, etſi communis ſententia, teſte Palao, neget, ad periculum peccandi venialiter extendenda eſſe, propter nimiam ex occaſionum frequentia orituram obligationis difficultatem, cui in ordine bonorum ſpiritualium leve damnum proximi ex peccato veniali, ac facilè remiſſibili eveniens, non videtur commenſurari: Credo tamen cum citato Doctore, & aliis ab ipſo relatis, quando maxima ſpes eſſet peccatum veniale impediendi, ſine proprio etiam levi incommodo, quæ duo quidem rarò concurrent, tunc etiam ſub peccato veniali quempiam teneri illud impedire, ſi communitatis cura illi incumbat, communiſque diſciplina graviter ex peccati cujuſdam venialis frequentatione labefactaretur; teneri etiam ſub mortali. Sed quid ſi peccatum propter moraliter inculpabilem ignorantiam Legis ſit tantùm materialiter lethale, eruntne prædicta verba ad hujus quoque grave periculum ſub ea obligatione extendenda, peccatum ſubſequens, nec ſit verè malum hominis, nec DEI? Si non ex officio tamquam Superior, Parochus, Confeſſarius &c. vel propter evitandum grave ſcandalum tenearis, negat Bonacina; affirmat Palao cum Conlinck, rectiùs tamen communis ſententia diſtinguit, negando, quando actio non eſt intrinſecè mala, ſed tantùm contra legem poſitivam; & affirmando, quando eſt intrinſecè mala, ac contra legem naturalem.

Dixi ſextò. *Quando moraliter certum eſt, correctionem non magis obſuturam*, ſi enim prudenter timeatur, præter correctionis contemptum, aliud gravius malum v. g. majorem obſtinationem excitatum iri, conveniunt Doctores, nullam eſſe obligationem correctionis.

Dixi ſeptimò. *Et probabiliùs profuturam.* Neque enim moralis certitudo requiritur, neque quæcumque probabilitas extra ultimum vitæ articulum ſufficit, ſed debet ſaltem eſſe probabiliùs, proximum ex correctione, vel ſtatim, vel ſucceſſu temporis emendatum iri.

Dixi octavò, ac ultimò. *Niſi ab hac præſtanda, &c.* Quia enim lex charitatis debet eſſe prudens, nec nimis oneroſa, ac moraliter inobſervabilis, ideò cùm proximus abſolutè, & ſimpliciter poſſit ſine correctione ſe ipſum emendare, conveniens erat, ut quo, vel proximi periculum, vel malum culpæ eſſet majus aut minus, eò etiam majus aut minus damnum proprium vitæ, honoris,

vel fortunæ, & excuſaret ab obligatione impediendi damnum alienum; quod ad tempus frequenter permitti etiam poteſt, ut alia vice commodiùs, & efficaciùs proximus corrigatur.

§. III.

De Scandalo oppoſito charitati proximi.

S V M M A R I V M.

105 *Quid ſit Scandalum, & quale ſit peccatum.*

106 *Actio de ſe licita, & ex juſta cauſa poſita, ex qua proximus accipit occaſionem lapſus non eſt ſcandalum Activum, de quo hic agimus: ſed vocatur Paſſivum ſeu Phariſaicum.*

107 *Sicut poteſt dari Scandalum Paſſivum ſine Activo, ita poteſt dari Activum ſine Paſſivo.*

108 *Scandalum deſumit gravitatem, vel levitatem malitiæ à probabiliter præviſa ruina proximi.*

109 *Etiam ſpeciem ſuam accipit à ruina proximi directè intenta.*

110 *Regula univerſalis, quando detur Scandalum Paſſivum ſine Activo.*

111 *Mulier non tenetur abſtinere à competente ſibi ornatu, vel à progreſſu in publicum, ut audiat Miſſam etiam die feriali, prævidens proximi ſcandalum Paſſivum.*

112 *Res indifferentes ad bonum, & malum uſum, vel tantùm remotè ad malum uſum ſervientes licitè venduntur malè utentibus, per ſe loquendo, & ex juſta cauſa.*

113 *Filii, & Famuli ſuis Patribusfam. licitè obediunt in rebus honeſtis, & remotè tantùm ſervientibus ad illorum peccatum: in proximè tamen ſervientibus meritò propoſitionem 51. Innocent. XI. damnavit.*

114 *Non agit tamen contra illam prohibitionem ponens actionem indifferentem proximè ſervientem metu mortis, vel alterius graviſſimi mali.*

115 *Licitè petitur ob juſtam cauſam actio ab alio præſtanda, quam is prævidetur ſine peccato poſſe, ſed non velle ponere.*

116 *Licet præbere occaſionem famulis peccandi leviter ad explorandam illorum fidem, & ad impedienda peccata graviora.*

117 *Licet ponere occaſionem alieni peccati, ſi id ea non poſita æquè committeretur.*

118 *Confirmatur prior aſſertio.*

105 SIcut correctio fraterna actus charitatis eſt, ita Scandalum, quod ei opponitur, etiam charitati repugnat: quale autem & quantum peccatum ſit, unica aſſertione ſtatuimus.

Dico Scandalum, quod eſt. *Actio abſque juſta cauſa poſita, cum probabili præviſione ruinæ Spiritualis alterius*, ſpecialiter opponi charitati, beneficentiæ, ſecundùm proportionem ruinæ, à qua malitiæ gravitatem, vel etiam novam ſpeciem accipit. Ratio certæ hujus concluſionis eſt; quia ſi contra charitatem beneficentiæ peccat, qui abſque juſta cauſa proximum per correctionem fraternam à peccato ſuo non reducit, multò magis contra eandem peccabit, qui per actionem, ſive poſitivam, ſive negativam, id eſt, omiſſionem alicujus actionis debitæ, ad peccandum illum inducit; unde huic Chriſtus apud Sanctum Matthæum *capitul.* 16. *verſicul. ſexto*, graviſſimè comminatur his verbis: *Qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ Mundo à ſcandalis, &c. Væ homini illi, per quem ſcandalum venit.*

106 Pro declaratione concluſionis explico vim quarumdam particularum in ea contentarum, per has enim, *Actio abſque juſta cauſa* (quæ æquivalent propriis his verbis S. Thomæ 2.2.*quæſt.*43.*num.*1.*dictum, vel factum, minus rectum*, quo, ut ipſe S. Doctor ſe explicat 4. *diſt.*38. *qu.* 2. *art.* 1. *occaſio datur alterius ruinæ*), indicatur, licere quando, ex juſta cauſa ponere actionem, ex qua prævidetur alius ſumpturus occaſionem ruendi in peccatum, ſicut ipſe Chriſtus Dominus multas hujuſmodi actiones in Evangelio poſuiſſe legitur: quæ tamen propriè ſcandalum non ſunt, quia ex juſta cauſa ſunt poſitæ, & culpa vacant. Adeòque non ſunt dictum, aut factum minùs rectum. Unde frequenter datur ſcandalum paſſivum ſine activo propriè dicto, quod deinde, vel Phariſaicum, vel puſillorum vocatur. Scandalum Phariſaicum, ſive Phariſæorum quidem eſt illud peccatum, cujus quis ex malitioſa alienæ interpretatione actionis occaſionem ſumit: Puſillorum verò eſt illud peccatum, cujus quis ob ſuam infirmitatem, vel ignorantiam licitæ actionis ab altero præſtitæ committendi occaſionem accepit.

Per Particulas: *Cum probabili præviſione ruinæ alterius*: declaratur ad rationem ſcandali, charitati oppoſiti, ac peccaminoſi (quod ſolum propriè ſcandalum activum dicitur) nec requiri, nec ſufficere, ut peccatum proximi, quod ruina animæ appellatur, ex data per poſitam actionem occaſione ſemper actu ſequatur, ſed debere probabiliter prævideri ſecuturum: hinc quando quis coram aliis peccat, & nec indeterminatè prævidet, quempiam probabiliter peccandi occaſionem inde ſumpturum, vel propter ſuam in virtute conſtantiam, vel propter animum aliàs jam determinatum ad peccandum, ſcandalum non committit, etiamſi quis prævideat, ex ſua actione admirationem, rumorem, ſui vilipenſionem, infamiam, oriturain. 107

Per Particulas: *Secundum proportionem ruinæ* denotatur, ſi ruina proximi prævideatur fore peccatum mortale, ſcandalum datum etiam eſſe peccatum mortale contra charitatem, ſi autem prævideatur fore veniale, etiamſi intendatur in odium proximi, & uti illi malum eſt, ſecundùm probabiliorem, & communiorem ſententiam contra Vaſquez, & Coninck datum ſcandalum etiam tantùm eſſe veniale: quamvis enim peccatum veniale ſit grave damnum ad damna temporalia comparatum, quibus omnibus gravius eſt, ſive directè ſive indirectè inducatur; quia tamen ſecundùm ſe, & in ſuo ordine, nempè in ratione damni ſpiritualis ſpectatum eſt leve, hinc odium, ex quo alterum ad ipſum committendum inducis, cenſetur leve quoad ſuum effectum, qui per hoc, quòd ſit directè intentus, non ſit gravior, quamvis forſan per accidens ſupponat odium internum grave; ſicut ſæpè etiam alia damna levia ex tali odio inferri poſſunt. 108

Denique particulæ, *vel etiam novam ſpeciem accipit*: ideò ſunt appoſitæ, quia ſecundùm communem, & certam ſententiam præbens ſcandalum directum, quo quis intendit alium e.g. mandando, conſulendo, rogando, &c. ad peccatum inducere, peccat non tantùm peccato contrahente malitiam ſcandali, prout etiam explicari debet, etiamſi tantùm ſcandalum indirectum verbi gratia malum exemplum abſque intentione alium ſeducendi præbuerit, ſed etiam contrahente malitiam ſpecificam, oppoſitam illi virtuti, ad cujus violationem alium intendit inducere, non quòd eandem, vel ſimilem culpam committat, qualem committit ad peccatum inductus; adhortans enim alterum ad homicidium, fornicationem, blaſphemiam, furtum, uſuram, non eſt homicida, fornicator &c. (quamvis lædat etiam jus, & ad reſtitutionem teneatur in defectum furis, vel uſurarii, ſi injuria directiva inductione alicui tertio ſit facta) ſed quòd committat aliam, ſpecie diſtinctam, oppoſitam quidem eidem virtuti, ſed quoad illam ſpecificam honeſtatem ſpectatæ, quam intendit per præceptum prohibens, ne alium ad ſui violationem inducas. 109

Hinc committens fornicationem, vel adulterium non tantùm peccat contra caſtitatem, vel etiam contra juſtitiam per ſe ipſum lædens jus conjugale, ſed etiam contra charitatem peccato ſcandali, quia ambo complices ſunt ſibi mutuò cauſa directè inducens alterum ad peccatum; Credo tamen cum Vaſquez contra Palao *diſput.* 6. *par.* 3. *num.* 4. nec adulterum, nec adulteram teneri in confeſſione exprimere, quiſnam prior alterum ſollicitaverit; cùm enim actio, quæ ſit per complicem ſemper contineat mutuum ſcandalum, & præcedens inductio ſeu ſollicitatio tantùm contineat modum novum ſcandali dati, aggravantem quidem, ſed ſpeciem peccati non immutantem, ideò non eſt obligatio, illam ſpecialiter in confeſſione explicandi.

plicandi. Quòd ſi tamen ex confeſſione proprii peccati non hoc ipſo pateret, quale nam fuerit peccatum, ad quod quis proximum ſuum induxit directè e.g. jubendo, conſulendo &c. Id ipſum ſpecialiter exprimendum eſſet.

110 Ex data declaratione concluſionis præſertim primarum particularum colligitur hæc univerſalis regula, tollens, ſeu excuſans rationem ſcandali activi. Nimirum quotieſcumque actio, ex qua proximus prævideretur accepturus occaſionem peccandi, non eſt in ſe mala, ex juſta, & ſatis gravi cauſa licitum eſt, eam ponere: immò quando ejus omiſſio eſt contra præceptum graviter obligans, ſive ut loquitur, & docet S. Thomas 2. 2. *qu.* 43. *art.* 7. *quando actio ponenda eſt de neceſſitate ſalutis*, ſaltem ſi ejus omiſſio eſt intrinſecè mala pro omnibus circumſtantiis, etiam obligatorium eſt eam ponere: juſtitia autem cauſæ debet commenſurari naturæ actionis. Si enim iſta tantùm remotè conducat ad alterius ruinam ſpiritualem, probabiliter prævisam, levior cauſa pro juſta habetur: ſi autem proximè ad illam deſerviat, vel ſi alteri innocenti grave damnum ex peccato proximi immineat, gravis cauſa requiritur, ut juſta cenſeatur.

111 Unde infertur primò, mulierem juxta ſuum ſtatum, & morem patriæ licitè ſe ornare, & ſic ornatam in publicum prodire, etiamſi prævideat, aliquem, vel aliquos turpi ſui amore exarſuros, modò honeſtum aliquem finem intendat. Hinc ne quidem ſemel, vel aliquoties, ut aliqui volunt, tenetur intermittere auditionem Miſſæ die feſto, vel feriali ad evitandum proximi ſcandalum. Ita Cajetanus, Navarrus, Azor, Corduba, quos citat nec improbat Palao *loco citato puncto* 7. Immò etiamſi ornatus ſit ſuperfluus, non niſi venialiter peccare cum relatis, & aliis aſſerit idem Palao, dicens eſſe communem ſententiam. Severior quoad utrumque eſt Buſenbaum, cui quoad ſuperfluitatem ornatus etiam ego aſſentirer, ſi ſine illa proximus non lapſurus crederetur.

112 Infertur ſecundò. Res quæ ad bonum, & malum uſum adhiberi poſſunt, licitè vendi, quando non conſtat adhibendas ad malum uſum, quando verò hoc conſtat, non ſufficere jacturam lucri ex venditione obtinendi, niſi, ut colligitur ex S. Thoma *loc. cit. art* 8. adhuc aliud grave damnum meritò timeretur, vel res vendita tantùm remotè ad malum uſum inſerviat: ob quam cauſam excuſantur caupones, & laniones, vendentes, vel apponentes vinum, & carnes, legem temperantiæ, & jejunii tranſgreſſuris, & hujuſmodi res facilè ab aliis pretio ſibi comparaturis: ne cum magno ſuo damno homines à ſe avertant: item vendentes, vel commodantes domum aut veſtes, publicis meretricibus, quæ remotè illis ad ſua flagitia inſerviunt, Uſurariis tamen alienigenis, qui ex alio regno, vel provincia veniunt, domum vendere aut locare, ſub cenſura Eccleſiaſtica prohibentur omnes, apud quos Conſtitutio *capit*: *Uſurarum de Uſuris in* 6. adhuc recepta eſt.

113 Infertur tertiò. Filios, aut famulos ſuis parentibus, ac Dominis licitè obedire in actionibus, remotè ordinatis ad eorum peccata v. g. Condiendo cibos vetitos, miniſtrando menſæ, ſternendo lectum concubinæ, ferendo munuſcula, & urbanas ſalutationes &c. quia in his debitum ſubjectionis eſt ſufficiens cauſa obedientiæ, in aliis verò actionibus alieno delicto propinquioribus non eſſet ſufficiens, ſed inſuper requireretur metus gravis mali, & quidem majoris, quàm quod in hac propoſitione 51. ab Innocentio XI. prohibita indicatur: *Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtram ad ſtuprandam virginem, & multoties ei inſervit, deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.*

114 Quod ſi tamen ad hujuſmodi actiones metu mortis, vulnerationis, valdè enormis percuſſionis adigeretur, credo, ſolvo decreto Innocentii XI. excuſatum iri à mortali. Sic enim ſecundùm communiorem, & probabiliorem opinionem excuſatur remigatio captivorum fidelium quando ad eam mortis metu à Turcis in pugna contra Chriſtianos, adiguntur, quia hæc eſt tantùm indirecta cooperatio ad bellum injuſtum, & tam hæc, quàm prædictæ actiones ad finem honeſtum ſervare poſſent, adeoque non ſunt intrinſecè malæ, & prout à coactis ponuntur, non intenduntur ab his ad finem inhoneſtum, quem eorum principales reſpiciunt.

Infertur quartò. Licitè petit actionem præſtandam ab altero, quam is abſque peccato præſtare poſſet, licèt prævideatur cum peccato præſtiturus, e. g. ſublationem veneficii, ſi abſque novo veneficio tolli queat, adminiſtrationem Sacramenti in abſentia alterius Sacerdotis, qui non cum actuali perſeverantia in peccato mortali crederetur eam præſtiturus, contractum matrimonii cum exiſtente in peccato mortali, &c. Harum enim actionum omnium utilitas tanta eſt, ut juſtam cauſam præbeat, illas petendi ab eo, qui ſine peccato eas præſtare poſſet, quamvis ex propria malitia non ſit præſtiturus, niſi cum peccato. 115

Infertur quintò. Licitè famulis præberi occaſionem furti ad explorandam eorum fidem, ut à gravioribus damnis Domini ſecuros ſe reddant. Ut contra Sà, & Thomam Sanchez docet Petrus Navarra, & Laymann, & expreſsè S. Thomas *quæſt.* 13. *de Malo. art.* 4. *ad* 19. ubi ait: *Dicendum quod pro nullo incommodo corporali vitando debet homo conſentire in peccatum alterius. Sed tamen pro aliquo incommodo vitando poteſt homo licitè uti malitia alterius, vel materiam ei non ſubtrahere, ſed præbere. Sicut ſi latro aliquem jugulare vellet, & ad vitandum mortis periculum aliquis latroni theſaurum ſuum diripiendum detegeret, non peccaret, exemplo illorum decem virorum, qui dixerunt ad Iſmahel. Noli occidere nos, quia habemus theſauros in agro, ut habetur Hierem.* 41. Potuiſſet S. Doctor forſan etiam allegare exemplum Juſti Loth: qui ad impediendum peccatum Sodomiticum, laſcivis viris dixit *Gen.* 16. *v.* 7. (non quidem ut conſulens minus malum fornicationis, ſed ut permittens, & materiam offerens actu de ſe indifferenti, ac proximè conducenti ad peccatum alienum, & oſtendente modum, ut, ſi viri illi jam inexorabiliter ac inimpedibiliter determinati eſſent, ac certò contra caſtitatem vellent peccare, ſcirent, quo modo poſſent frui voluptate venerea, minùs tamen peccando) *Nolite, quæſo, fratres mei, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum: educam eas ad vos, & abutimini eis, ſicut vobis placuerit, dummodo viris iſtis nihil mali faciatis* (Angeli erant virorum forma aſſumpta) *quia ingreſſi ſunt ſub umbra culminis mei.* Verùm quia non facilè ſimilis caſus poterit accidere ut peccatum mortale minus ſit medium unicè & determinatè neceſſarium ad impediendum majus, vel multiplicius, ideo doctus quidam Recentior, ex ſe ipſo quærens, *an maritus, cui uxor de adulterio eſt ſuſpecta, poſſit eam in adulterandi periculo conſtituere, ut eam corrigat*, etiamſi pro affirmativa ſententia, à ſe allata argumenta, ut opinor, non ſatis ſolvat, & ea quæ in contrarium opponit, facilè negari poſſint, tamen laudabiliter reſpondet. *Non rectè aſſeri valet, non ſupereſſe aliam viam commodiorem ad corrigendum alium, quàm conſtituere illum in periculo peccandi, quod ille judicatur eſſe amplexurus &c. & aliunde plures ſunt aliæ viæ ad vitanda peccata, quæ timentur, aptiuſque eſt, media præſervativa apponere, quàm laqueum ad cadendum inijcere.* Unde neque ego corollarium meum extendo, ad præbendam materiam vel occaſionem peccandi mortaliter, ut tamen extendunt ſine hac limitatione Joannes Sanchez, Guilinus, Diana *p.* 3. *tr.* 5. *Miſcel. Reſol.* 18. Sed tantùm cùm Petro Navarra & Laymann loquor de materia, & occaſione peccandi per veniale furtum, ut ſi alius eam amplectatur, alter præbens illi occaſionem, noverit ſibi à gravi damno ulteriori cavere, & furem forſam etiam emendare, quam dico cum citatis DD. ſufficientem cauſam; cùm idem effectus ſupponatur, non tam facilè aliis modis obtineri poſſe, & aliàs levior cauſa ſufficiat ad præbendam materiam vel occaſionem peccandi venialiter, quàm peccandi mortaliter; ſic poteſt quis ob levius incommodum evitandum hoſpiti invitato lautius prandium apponere, quem prævidet peccaturum venialiter contra temperantiam, non pariter licet eidem apponere carnes die Jejunii, quarum comeſtione prævideretur peccaturus mortaliter. Quòd ſi tamen grave damnum proprium vel alienum, temporale vel ſpirituale, aliter evitari non poſſet, patet ex [illegible] & exemplis ex S. Thoma relatis, etiam pecca[illegible]ta- 116

lis materiam abſque illius intentione, determinatione, vel cooperatione ulteriore, præberi poſſe, uti pro vita, vel aliis bonis temporalibus ſervandis, licèt injuriam repellere lytro, & pro evitanda neceſſitate rerum temporalium mutuam pecuniam procurare ſolutione promiſſæ uſuræ, alioquin invalidum eſſet juramentum ſolvendi uſuras, & illud edens in *cap. Debitores de jurejurando* ad eas ſolvendas immeritò cogeretur, ſi eas injuſtè accipienti illicitum eſſet præbere materiam peccati mortalis injuſtæ acceptionis.

117 Infertur ſextò denique contra Palao, cum Thoma Sanchez, *lib.5. Conſil. Moral. dub. 16. cap. 1.* Leſſio, Navarro, Laymann, & aliis, actionem de ſe indifferentem ſed ad alterius peccatum conducentem, quod ſine ea æquè certò fuiſſet commiſſurus non tantùm non continere malitiam mortalem ſcandali, ſed neque alterius peccati. Hinc in civitate partim Acatholica non peccas, apponendo illi carnes die Jejunii, quem ſcis, te negante, certè ab alio accepturum. Ratio eſt, quia cooperatio ad alterius peccatum per actionem in ſe non inhoneſtam eatenus eſt peccaminoſa, in quantum eſt cauſa alieni peccati, ad illud moraliter determinans, ſeu inducens, ſed verbi gratia appoſitio carnium homini jam certè, & inimpedibiliter hic, & nunc (ut ſuppono) determinato ad eas, ab alio appoſitas, comedendas, non eſt cauſa determinans. Unde ponere abſque urgente cauſa proximam occaſionem peccati, nondum eſt peccatum, niſi ponatur inductivè ad peccatum alterius.

Confirmatur. Si is, qui determinat ad hoc potiùs individuum peccaminoſum eligendum, quàm aliud, non peccat, cùm tamen voluntati applicet materiam peccati, nec peccabit, qui illud individuum apponit. Antecedens eſt verum, niſi determinet ad faciendum damnum potiùs Petro, quàm Paulo: ſic enim dum quis liberaret unum ab injuria, ad alterius injuriam induceret, & faceret contra jus illius. At qui alterum determinatum ad comedendum carnes, determinaret ad comedendum fruſtum A. potiùs, quàm B. æquè magnum, is non peccaret: ergo etiam non peccat, qui miniſtrat, & apponit carnes in ſua domo, comeſturo alias in aliena.

TRACTATUS IV.
DE ACTIBUS MORALIBUS VIRTUTUM CARDINALIUM PRÆCIPUE VERO JUSTITIÆ.

DISPUTATIO I.
De Prudentia, Fortitudine, & Temperantia.

ARTICULUS I.
De Prudentia.

SUMMARIUM.

1 *Etſi prudentia ſit actus intellectus, non meretur tamen laudem, niſi actus voluntatis illi conformetur.*

2 *Ratione illius actus voluntatis prudentia reducitur ad virtutes Morales.*

3 *Actus à prudentia Regulatus, niſi ſuæ regulæ conformis ſit, imprudentia dicitur.*

4 *Formaliter & ſtrictè loquendo, ſola cognitio rerum appetendarum eſt actus elicitus à prudentia, eique velut imprudentiæ vitium opponitur ignorantia rerum appetendarum, & error.*

5 *Utrumque vitium intellectuale malitiam moralem contrahit à Voluntaria negligentia mediorum, illud evitandi: quæ ſi fiat vel ex formali illorum contemptu, vel ex neglectu circa neceſſaria ad ſalutem, eſt peccatum mortale. Secus, eſt veniale.*

6 *Iſtud peccatum voluntariæ imprudentiæ dividitur in tres ſpecies, prudentiæ oppoſitas.*

7 *Quando imprudentia eſt circa objecta, ex ſpecialium virtutum obligatione ſcitu neceſſaria, tunc etiam contra has ſpecificam malitiam contrahit, in Confeſſione exprimendam.*

8 *Aliæ verò tres differentiæ, in diverſa negligentia conſiſtentes, gradui generico non ſuperaddunt malitiam, ſpecialiter, & diſtinctè explicandam.*

9 *Contra Regulam prudentiæ peccata per exceſſum quinque enumerantur à S. Thoma.*

De hac virtute pauca ſunt Theologo Morali ſcitu neceſſaria ſupra ea, quæ de Dictamine prudentiæ *in tract. 1. diſp. 1. per tot. art.* ſatis fusè tradidi. Cùm enim teſte S. Thoma *2. 2. qu. 47. art. 1.* potius ſit virtus intellectus, quàm voluntatis, ſicut inter Virtutes Theologicas eſt Fides, Theologus autem moralis potiſſimùm virtutes voluntatis conſideret, intellectualium verò notitiam tantum eam ſibi comparet, quæ ad finem ſuum ipſi eſt neceſſaria: hinc de virtute prudentiæ parùm ipſi inveſtigandum relinquitur; quia tamen eadem ad omnes actus morales præſupponitur, ideo aliquam ſaltem hujus virtutis cognitionem ſibi comparare debet, quam hoc articulo dabimus.

Eſt itaque prudentia formaliter ſpectata, prout eam Angelicus Doctor *loc. citat. art. 1.* ex S. Auguſt. *lib. 83. quæſt. q. 61.* & rurſum *art. 4.* ex eodem Aug. *lib. 1. de libero arbit.* definit. *Rerum appetendarum, & fugiendarum cognitio: ſive rerum appetendarum & vitandarum ſcientia.* Quia tamen, ut *cit. art. 1. ad 3.* rurſum inquit S. Thomas, *laus prudentiæ non conſiſtit in ſola conſideratione, ſed in applicatione ad opus, quod eſt finis practicæ rationis, ideo ſi in hoc defectus accidat, maximè eſt contrarium prudentiæ.* Unde ſicut S. Jacobus in ſua epiſt. Canon. *cap. 2. v. 20.* de fide Theologica inquit. *Vis autem ſcire ò homo inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt? Abraham Pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens filium ſuum ſuper altare? Vides, quoniam fides cooperatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt.* Ita idem de prudentia conſummata dici poteſt. 1

Ut hæc meliùs intelligantur, duplicis generis actus prudentiæ diſtinguendi ſunt: alii dicuntur actus eliciti à prudentia, alii regulati: priores ſunt actus formalis prudentiæ, poſteriores ſunt actus prudentiæ objectivè, ſeu denominatè dictæ. Ratione priorum actuum prudentia eſt virtus intellectus, ratione poſteriorum, qui ſunt finis priorum, teſte S. Thoma *cit. art. 4.* reducitur prudentia etiam ad virtutes morales. Ita enim inquit. *Ad prudentiam autem pertinet, ſicut dictum eſt, applicatio rectæ rationis ad opus, quod non fit ſine appetitu recto. Et ideo prudentia non ſolùm habet rationem virtutis, quam habent aliæ virtutes intellectuales, ſed etiam habet rationem virtutis, quã habent aliæ virtutes Morales: quibus etiam connumeratur.* 2

ratur. Et ideo mox in reſponſione ad primum, ſubjungit: quòd quando S. Auguſt. prudentiam vocavit ſcientiam, *ibi largè acceperit ſcientiam, pro qualibet recta ratione*: Scilicet objectivè & formaliter ſumpta, rectificante, & rectificata.

3 Verùm quia hìc non eſt noſtri propoſiti, diſcutere, unde nam perfectæ & conſummatæ prudentiæ laudem mereamur, quæ utique non ſolet tribui propter ſolos actus elicitos à prudentia, ſed ſimul etiam propter actus regulatos, habentes rectitudinem rationis paſſivam, ſive conformitatem cum rectitudine activa prudentiæ, ſine qua conformitate homo dicitur imprudenter operari, id eſt, difformiter prudentiæ; ideo ſepoſitis iſtis loquendi modis, & acceptione prudentiæ, ut conjunctæ cum ſuo effectu, ſeorſim de illa, ut eſt ſpecialis virtus, à cęteris omnibus diſtincta, nunc agemus.

4 Sic verò accipiendo prudentiam, debet in allata definitione prudentiæ vox *ſcientia* pro ſolo actu vel habitu intellectus accipi: Res autem appetendæ, vel fugiendæ, illæ ſolùm hìc deſignantur, quæ continent bonitatem vel malitiam moralem, à quibus tanquam à fine ſuo prudentia tantùm directivè, vel denominativè connumeratur juxta cit. Angelicum Doct. inter virtutes morales, quia ordinatur ad dirigendos mores, formaliter autem non eſt virtus moralis, quia non eſt virtus voluntatis, ſed intellectus: Actus quippe eliciti ab habitu prudentiæ ſunt ſolæ cognitiones rerum appetendarum & vitandarum: Actibus iſtis elicitis autem tanquam vitium formalis imprudentiæ opponitur privativè carentia cognitionis ex obligatione prudentiæ debitæ, contrariè autem opponitur error in rebus appetendis, aut fugiendis.

5 Sicut autem prudentia ſuam honeſtatem, laudabilitatem, & præmiabilitatem denominativè accipit ab actu voluntatis, quo per varia media procuratur prudentia, ſic imprudentia ſuam inhoneſtatem, vituperabilitatem, & punibilitatem denominativè accipit ab actu voluntatis, determinante ad omiſſionem illorum mediorum, & ad privationem cognitionis debitæ ex dicta omiſſione ortam, quæ omiſſio, quatenus eſt voluntarius contemptus vel negligentia mediorum, à diverſitate actus voluntatis & mediorum neglectorum diverſificatur ſpecie, & refundit denominationem ſpecie diverſæ imprudentiæ, contrariè oppoſitam prudentiæ, debitæ vel ex obligatione ſub culpa mortali, quando eſt circa res neceſſarias ad ſalutem, ita ut earum ignorantia ſit graviter culpabilis: vel ſolùm ſub culpa veniali, quando non eſt circa res neceſſarias ad ſalutem, & quando non provenit ex formali contemptu: quæ omnia Angelicus Magiſter 2. 2. *quæſt*. 53. *art*. 1. his verbis declarat. *Dicendum quòd imprudentia dupliciter accipi poteſt, uno modo privativè, alio modo contrariè. Privativè quidem imprudentia dicitur, in quantum aliquis caret prudentia, quam quis natus eſt, & debet habere. Et ſecundùm hoc imprudentia eſt peccatum ratione negligentiæ, qua quis non adhibet ſtudium ad prudentiam habendam. Contrariè verò accipitur imprudentia, ſecundùm quod ratio contrario modo movetur, vel agit, prudentiæ: puta ſi recta ratio agit conſiliando, imprudens conſilium ſpernit, & ſic de aliis, quæ in actu prudentiæ conſideranda ſunt. Et hoc modo imprudentia eſt peccatum ſecundùm rationem propriam imprudentiæ. Non enim poteſt hoc contingere, ut homo contra prudentiam agat, niſi divertens à Regulis, quibus ratio prudentiæ rectificatur. Unde ſi hoc contingit per averſionem à Regulis Divinis eſt peccatum mortale, puta cum quaſi contemnens & repudians, Divina documenta præcipitanter agit. Si verò præter eas agat, abſque contemptu, & abſque detrimento eorum; quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, eſt peccatum Veniale.* Ita S. Doctor.

6 Hujus Imprudentiæ idem S. Doctor *art. ſeq.* tres ſpecies enumerat, totidem actibus prudentiæ per defectum debitæ ſcientiæ oppoſitas, nempe præcipitationem, inconſiderationem, & inconſtantiam aut negligentiam recti judicii, oppoſitas Conſultationi, Conſiderationi; & Judicii in bono agnito firmitati ac rectitudini. *Si quis enim* ut rurſum S. Doctor inquit *art*. 3. *feratur ad agendum per impetum voluntatis, & paſſionis, pertranſitis hujuſmodi gradibus, ſcilicet memoria præteritorum, intelligentia præſentium, ſolertia in conſiderandis futuris eventibus, conſiliis majorum, erit præcipitatio. Si quis verò,* inquit *a*. 4. *contemnit, vel negligit attendere ex quibus rectum judicium procedit* (ſcilicet motiva allicientia, abſterrentia, circumſtantias) *Inconſideratio eſt: in quantum verò intellectus deſinit præferre id, quod ante melius judicavit & pro quo debitam conſultationem, ac conſiderationem adhibuit, ad inconſtantiam, & negligentiam Iudicii firmandi ac exequendi aſſenſum imperativum debitæ electionis pertinet*, ut dicit S. D. *in art*. 5.

Cęterùm in ordine ad Confeſſionem peccati imprudentiæ, diſtinguendum eſt, an voluntas non procurandi ſibi cognitionem, & ſcientiam rerum ſpectantium ad ſalutem animæ, fuerit circa objecta determinata, pertinentia ad certam ſpeciem virtutis, vel an tantùm circa objecta indeterminata ac in genere: ſi enim fuit circa objecta determinata, e. g. circa præſtanda ex obligatione Religionis, juſtitiæ, Temperantiæ &c. Explicanda etiam ſunt ipſa objecta; quia peccatum imprudentiæ contrahit etiam ſpeciem malitiæ, oppoſitæ illi virtuti, pro cujus executione quis obligabatur ſibi procurare debitam cognitionem. Si autem imprudentia non fuit circa objecta determinata, ſufficit, ſi quis ſe accuſet de non procurata debita ſcientia rerum ſub gravi vel levi obligatione neceſſariarum ad Salutem. 7

Rectè etiam notavit Layman *lib*. 3. *ſect*. 2. *in fine* quòd, licèt prędictę tres ſpecies imprudentię ex parte intellectus diverſæ ſint, tamen in genere moris, & prout in Confeſſione Sacramentali explicari debent, eam ſolùm peccati rationem habeant, quòd efficacem cauſam, vel ſaltem periculum malæ electionis, actioniſve præbeant: unde per præcipitationem voluntariam, ſive per inconſiderationem voluntariam debitam ſcientiam neglexeris, ſufficit dicere, quòd non procuraveris ſcientiam ſub culpa gravi, vel levi debitam. 8

Poſt enumerata vitia, virtuti prudentiæ per defectum oppoſita prudentiæ per exceſſum, non quòd contineant exceſſum in cognitione rerum appetendarum & vitandarum, ſed quod contineant poſitivum errorem, contra finem vel contra media veræ prudentiæ: hujuſmodi vitia *in* 2. 2. *q*. 55. recenſet, & explicat per octo articulos, omnino quinque, ſcilicet primò Prudentiam carnis, qua homo in carnalibus bonis finem ſuum ultimum conſtituit. Secundò Aſtutiam, qua quis non veras vias, ſed falſas, & ſimulatas excogitat ad finem ſive bonum, ſive malum conſequendum. Tertiò. Dolum, qui eſt executio Aſtutiæ, ſive eorum, quæ ipſa excogitavit. Quartò. Fraudem, quæ, ut inquit S. D. *ar*.5. Sicut dolus conſiſtit in executione aſtutiæ, ſive fiat per verba, ſive per facta: ita fraus magis propriè pertinet ad executionem aſtutiæ, ſecundùm quòd fit per facta: adeoque diſtinguitur à dolo, tanquam incluſum ab includente. Quintò. Sollicitudinem nimiam in rebus temporalibus. Quæ quia aliis ſpecialibus virtutibus magis propriè opponuntur, non vacat illis hìc immorari. 9

ARTICULUS II.

De Fortitudine.

§. I.

Quid ſit Fortitudo.

SUMMARIUM.

10 *Fortitudo poteſt accipi generaliter, prout reperitur in omni virtute.*

11 *Prout eſt ſpecialis virtus definitur ex S. Thoma, & aſſeritur media inter duo vitia extrema oppoſita, ſcil. inter exceſſum timoris, & audaciæ.*

12 *Fortitudo principaliùs moderatur timori; unde præcipuus ejus actus eſt ſuſceptio Martyrii.*

NOmen Fortitudinis, ut inquit S. Thomas 2. 2. *q*. 133. *art*. 2. dupliciter accipi poteſt, uno modo, ſecundùm quod abſolutè importat quandam animi firmitatem: & ſecundùm hoc eſt generalis virtus, vel potiùs conditio cujuslibet virtutis: quia ut Philoſophus dicit 2. *Ethic*. 4. ad virtutem requiritur, firmiter, & immobiliter operari, & in hac acceptione S. Greg. *lib*. 7. *Moral. cap*. 9. *in princip*. dixit: *Iuſtorum fortitudo eſt carnem vincere, propriis voluptatibus contraire, delectationem præſentis vitæ extinguere.* 10

Alio

11 Alio modo poteſt accipi fortitudo, ſecundùm quod importat firmitatem animi in ſuſtinendis, & repellendis his, in quibus maximè difficile eſt firmitatem habere, ſcilicet in a iquibus periculis gravibus; & hæc acceptio propria eſt Fortitudini, prout eſt una ex quatuor virtutibus Cardinalibus; ac rectè definitur à S. D. *l. c. ex Cicerone in ſua Rhetorica lib. 2. de Inventione ante finem Conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum* (ſcil. quarumque moleſtiarum, & acerbitatum) *perpeſſio*. Per particulam *conſiderata* opponitur nimiæ audaciæ, & temeritati, quod eſt vitium per exceſſum: reliquis particulis opponitur fortitudo inordinato metui, ſive timiditati. Ideò Ariſtoteles *l. c.* inquit, quod fortitudo ſit circa timorem & audaciam moderandam.

12 Quia verò inter omnia mala corporalia maximè terribile eſt mors, præcipuus actus fortitudinis quatenus timore moderatur, eſt acceptatio Martyrii: quapropter S. Paulus *ad Heb.* 11. de Martyribus dicit: *Fortes facti ſunt in bello*: ſcil. tolerando mortem, ab hoſtibus & oppugnatoribus Eccleſiæ illatam. Et idcirco etiam Philoſophus 3. *Ethic.* 6 parum ante finem & *capit.* 9. docuit, quòd fortitudo maximè ſit circa mortem, quæ eſt in bello. Quatenus verò fortitudo moderatur audaciam, quæ maximè committitur temeraria vitæ expoſitione, in hoc genere præcipuus ferè fortitudinis actus eſt, prudens cautela particulorum, ex quibus ſine ulla utilitate, vel neceſſitate mors ſequeretur. Ideo etiam Chriſtus, & ſancti viri mortem, quando eam ſubire non oportebat, cautè præcaverunt; & in hoc quoque fortitudinis actum exercebant. Cęterùm, ut ex definitione fortitudinis patet; tanquam in ordine ad actus principales factæ. Notandum eſt tam ex Ariſtot. quàm ex S. Thoma *l. c. art. 6.* & ut inquit S. D. *Dicendum eſt, quod fortitudo eſt magis circa timores reprimendos, quam circa audacias moderandas. Difficilius eſt, timorem reprimere, quàm audaciam moderari &c.*

§. II.

De Martyrio.

SUMMARIUM.

13 *Martyrium conſiſtit in perpeſſione tormentorum, naturaliter inferentium mortem; ejuſdem tamen præmio non privatur, cujus mors ſupernaturaliter impeditur.*
14 *Tres aliæ conditiones ad eſſentiam Martyrii referuntur.*
15 *An & quomodo ad Martyrium ſtatus gratiæ requiratur, reſpondetur cum diſtinctione.*
16 *Martyr tenetur elicere actu perfectæ charitatis DEI.*
17 *Actu charitatis per invincibilem ignorantiam omiſſo, Martyrium facit ex attrito contritum. Nec tamen eſt Sacramentum.*
18 *Idem probatur ex promiſſione Chriſti.*
19 *Solvitur objectio.*
20 *Qualis requiratur diſpoſitio ad fructum Martyrii.*
21 *Martyrium in parvulis ab Herode occiſis cauſabat gratiam ſanctificantem: Eandem vim habet etiam in adultis non tantùm ratione meriti.*
22 *Quod Martyrium cauſet gratiam, ſuppponit Eccleſia ex eo, quia injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.*
23 *Incertum eſt, an voluntaria ſuſceptio mortis pro DEO in veteri Teſtamento præter vim meritoriam gratiæ ſanctificantis, habuerit etiam aliam quam habet in novo Teſtamento. Probabilior videtur opinio negativa.*
24 *In quo temporis momento gratia Martyribus conferatur.*
25 *An rectè dicatur, quòd Martyrium cauſet gratiam ex* opere operato.
26 *An Martyrium etiam deleat reatum pœnæ temporalis.*

13 QUia verò dixi præcipuum fortitudinis actum eſſe Martyrium etiam dicendum eſt, quid ad verum Martyrium requiratur. Primò requiritur mors, odio fidei, vel doctrinæ Chriſtianæ, vel cujuſcunque virtutis per doctrinam Chriſtianam commendatæ, violenter illata: Quòd ſi tamen eadem miraculosè impediatur, ne ex toleratis tormentis eveniat, ſicut S. Joannes Evangeliſta ſervatus eſt ex ferventis olei balneo, & S. Thecla Virgo octodecim annorum, in ignem conjecta, tauris ferocibus alligata, in foſſam plena ſerpentibus immiſſa, uſque ad nonageſimum vitæ annum ſupervixit, non propterea impeditur Martyrium (ſaltem quoad ſuum effectum & æſtimationem) ideo Eccleſia S. Joannem 6. Maii, & Theclam 23. Sept. ut Martyres colit.

Secundò requiritur in Martyrio adultorum acceptatio 14
mortis propter fidem, vel propter virtutem. Sicut enim in adulto ſuſcipiente Sacramentum neceſſaria eſt intentio ſuſcipiendi, quæ non eſt neceſſaria in infantibus, ita etiam & ob ſimilem cauſam in adultis eſt neceſſaria acceptatio, quę non erat neceſſaria in infantibus ab Herode in odium Chriſti occiſi.

Tertiò requiritur cauſa pia, ob quam dixi mortem inferri, & acceptari debere: & ideo S. Auguſtinus *Conc. 2. in Pſal.* 34. ſcripſit. *Martyrem non pœna, ſed cauſa facit: pœna enim communis eſt latroni & Martyri, hæretico & Catholico, ſed cauſa diſpar.*

Quartò requiritur, ut Martyr non reſiſtat tyranno, propugnando vitam: aliàs mors non eſſet ſatis voluntaria, & non tam ut teſtis fidei aut doctrinæ Chriſtianæ, quàm ut victus ab hoſte moreretur.

Quintò aliqui & potiſſimū antiquiores Theologi, poſteà 15
citandi, requirunt ſtatum gratiæ, non tam ad ſubſtantiam Martyrii, quàm ad fructum. Probabiliſſimè autem reſpondetur ad hanc controverſiam cum diſtinctione. Vel enim homo ſcit; vel non ſcit ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis, utroque modo homo tenetur elicere actum amoris DEI ſuper omnia ſaltem indirectè, & ne de novo peccet mortaliter: ſed non eſt neceſſarium directè, per modum diſpoſitionis ad fructum, modò non deſit attritio.

Ratio primæ partis eſt. Quia ſi homo conſcius ſibi eſt 16
peccati mortalis, cùm incertum ſit, an Martyrium cum ſola attritione ſufficiat ad juſtificationem, tenetur elicere perfectam contritionem, ut ſe in præſenti articulo mortis reddat ſecurum de ſua ſalute Si autem homo non eſt ſibi conſcius peccati mortalis, tenetur adhuc ex præcepto charitatis, erga DEUM elicere formalem actum charitatis, ut ſuo loco agens de charitate DEI probavi: Martyrium autem neque eſt formalis charitas, neque unicè præſupponit actum charitatis, quia poteſt acceptari ex motivo fidei exteriùs profitendæ, vel fortitudinis, cujus præcipuus eſt actus, vel ex motivo alterius virtutis.

Secunda pars, quòd, ſi perfecta contritio inculpabili- 17
ter, ob invincibilem ignorantiam commiſſi peccati mortalis, & obligationis charitatis divinæ omitteretur. Martyrium cum ſola attritione ſufficeret ad remiſſionem peccati mortalis, & ad cauſandam gratiam ex opere operato, ſicut ſufficit ad eam Baptiſmus ſacramentalis, quamvis Martyrium non ſit Sacramentum, eò quòd non ſit inſtitutum ad ſignificandam gratiam, quam ex Chriſti promiſſione cauſat, neque conſtet rebus, & verbis, neque à Miniſtro nomine Chriſti operante inferatur, cùm non niſi abſurdiſſimè tyrannum vel carnifices Miniſtrum diceres, Chriſti nomine operantem: hæc inquam, ſecunda pars.

Probatur primò ex authoritate SS. Patrum. In primis enim S. Thomas 3. *p. q.* 87. *art.* 1. *ad* 2. expreſsè inquit: *Paſſio pro Chriſto ſuſcepta obtinet vim Baptiſmi, & ideo purgat ab omni culpa veniali, & mortali, niſi actualiter voluntatem invenerit peccato inhærentem* S. Clemens *lib.* 5. *Conſtitutionum Apoſtolicarum cap.* 5. & 7. de Catechumeno Martyrio afficiendo ſcribit. *Recedat ad DEUM lætus, cruciatus, quo propter DEUM afficitur, erit ei verior Baptiſmus; quod is quidem experientia ipſa mortis commoriatur Chriſto: reliqui verò myſtica repræſentatione.* S. Cyprianus *Epiſt.* 73. dicit. *Nunquid poteſt vis Baptiſmi eſſe major, aut potior, quàm Confeſſio? quàm Paſſio? ut quis coram hominibus Chriſtum confiteatur, & ſuo ſanguine baptizetur?* S. Auguſt. *lib.* 13. *de Civit. cap.* 7. aſſerit. *Quicunque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Chriſti Confeſſione moriuntur, tantum iis valet ad dimittenda peccata, quantùm ſi abluerentur ſacro fonte Baptiſmatis: Qui dixit, niſi quis renatus fuerit ex aqua &c. etiam dixit, omnis, qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Et qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. Hinc eſt, quod ſcriptum eſt, pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus* (qui vel jam ſancti ſunt, vel per mortem fiunt) quid

quid enim pretioſius, quàm mors, per quam fit, ut delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur? Plura habet S. Pater toto hoc capite, & *cap. 6. præcedenti*, dixerat. *Si mors pro pietate juſtitiaque pendatur, fit gloria renaſcentis, & cum ſit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato.* S. Hier. *Commentario in Pſal. 31.* ait: *Peccata remitti per Baptiſmum, tegi per charitatem, non imputari per Martyrium.* Quibus tribus loquendi modis idem ſemper in ſacris paginis indicatur, ut quando *in Pſal. 31.* dicitur: *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* His SS. Patrum teſtimoniis addi poſſet teſtimonium S. Ambroſii *lib. 1. de Pœnit. c. 2.* & Tertulliani *in Scorpiaco, & in Apologet. ſub finem*, relati à Leſſio & Suarez. Quæ omnia certè non verificarentur univerſaliter, ſi Martyrium non conferret gratiam per ſe ipſum, vel ſi ſemper requireret talem diſpoſitionem internam per formalem actum charitatis, ut ratione illius ſemper ſupponeret peccata remiſſa, & gratiam infuſam.

18 Probatur ſecundò ex promiſſione Chriſti, cujus defectus nequaquam opponi poteſt: nam ipſe Chriſtus Matth. 10. *v. 32.* inquit *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.* Ubi de confeſſione Perfectiſſima, quæ fit per expoſitionem vitæ pro fide in Chriſtum & Doctrinam ejus, ſermonem eſſe patet ex verſibus immediatè præcedentibus. Et apud Marcum *c. 8. v. 35.* ait idem Chriſtus. *Qui autem perdiderit animam ſuam propter me, & Evangelium ſalvam faciet eam.* Ubi particulæ *propter Me*, non rectè accipiuntur à contraria ſententia, ad ſignificandum determinatè actum perfectæ Charitatis erga Chriſtum, ut DEUM: nam eadem particula cauſalis *propter* refertur etiam ad *Evangelium*, quin ſignificet charitatem Evangelii: ſed potiùs ſignificat cauſalitatem illatæ Mortis, nempe Odium Chriſti & Evangelii ex parte Tyranni, inferentis mortem, ex parte Martyris autem ſignificat intentionem confitendi Chriſtum, & ejus Evangelicam doctrinam. Atque hac probatione uſus eſt S. Auguſtinus proximè relatus, ad tribuendam æqualem vim Martyrio ad remittenda peccata, ſicut Baptiſmo, quem certum eſt, adultis remittere peccata ſine formali actu charitatis. Ideo Vaſq. *t. 2. in 3. p. diſp. 153. c. 3.* immeritò dixit: *Neque verò ullus eſt ex Patribus, qui verba prædicta de perdenda anima, ſeu vita pro Chriſto, intellexerit de morte pro Chriſto ſine affectu charitatis erga ipſum tolerata.*

19 Neque dicas ſubſtantiam vel eſſentiam Martyrii involvere actum Charitatis, ipſo Chriſto his verbis atteſtante apud S. Joannem *c. 15.* *Majorem hac dilectionem nemo habet, niſi ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis.* Adeoque ſupponitur Chriſtus, non poſſe fieri, ut quis ſuſtineat privationem vitæ pro alio, illam voluntariè acceptando, niſi per actum ſummæ dilectionis erga illum, pro quo animam ſive vitam ponit: aut ſi hoc fieri poteſt, tunc etiamſi tali modo ponat pro DEO, non ſubit verum & propriè dictum Martyrium, vel ſaltem non ſubit fructuosè, præſertim ſi non ſit antecedenter in ſtatu gratiæ: cùm S. Paulus, *1. cor. 13.* expreſsè dicat. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil prodeſt.*

Reſpondetur enim certum eſſe, quòd acceptatio mortis poſſit ex variis motivis procedere, ut etiam notavit S. Thomas *quodlib. 4. art. 19.* quamvis plerumque procedat ex motivo dilectionis, præſertim quando pro homine Mors ſubiretur, reſpectu cujus non facilè dabitur aliud motivum impellens ad tam difficilem actum. Unde eſt etiam probabiliſſimum ſignum Amoris. Pro DEO & Chriſto autem poteſt Mors acceptari ex motivo fortitudinis ſupernaturalis (niſi enim motivum ſit ſupernaturale, tunc acceptatio mortis non conſtituit verum Martyrium) vel ex motivo Fidei, gratitudinis, religionis, obedientiæ &c. Chriſtus autem in citato textu non ſuppoſuit contrarium; ſed tantùm dixit, inter actus externos Amoris, id eſt, ab Amore imperabiles, non eſſe alium majorem, quàm amiſſionem vitæ pro alio: non tamen propterea neceſſe eſt, ut actus imperii ſemper ſit actus Amoris interni, & ut ipſa Mors ſemper ſit Amor externus.

Unde quando etiam S. Thomas *2. 2. q. 124. art. 2. ad 2.* dicit: *Martyrium eſt actus charitatis, ut imperantis, fortitudinis autem, ut elicientis.* Et. *Ut ſit meritorium, hoc habet ex charitate, ſicut & quilibet virtutis actus; ideo ſine charitate non valet.* Tantùm vult indicare ad quas virtutes Martyrium principaliter referatur: nempè ad charitatem, ex cujus motivo ſolet actus imperans voluntatem actualis acceptationis, nixæ motivo fortitudinis, procedere, quæ tamen, ut denominet Martyrium etiam requirit ſtatum gratiæ, & ſic vel habitualis, vel actualis Charitas debet valorem meriti complere, ſicut in aliis actibus virtutum.

S. Paulus etiam non poteſt intelligi de ſola charitate actuali, aliàs, ſi habens gratiam ſanctificantem, & conſequenter charitatem habitualem, ex motivo ſolius religionis ſe potiùs pateretur vivum comburi, quàm dæmoni vel idolo thus adoleret, hoc ipſum S. Paulus dixiſſet, nihil prodeſſe: quod utique eſt falſiſſimum. Itaque negavit voluntariam acceptationem mortis quidquam prodeſſe ſine charitate vel actuali, vel habituali, & quam vel ſupponit, vel cauſat poſita ſaltem attritione ſupernaturali, cùm qua ex atrito facit virtualiter contritum, & movet DEUM ad dandam gratiam ſanctificantem, ipſamque charitatem habitualem. Quòd ſi verò nec hanc charitatem cauſaret defectu debitæ diſpoſitionis, nec illam ſupponeret, tunc nec fides, nec conteſtatio fidei per mortem quidpiam prodeſſet.

Eſt autem hæc debita diſpoſitio, quæ etiam ad Sacramenta fructuosè ſuſcipienda communiter requiritur, 20 actus internus fidei, ſpei, & propoſiti ſervandi præcepta DEI, ſive non peccandi mortaliter: unde quia inter præcepta DEI eſt etiam præceptum recipiendi Baptiſmum aquæ, quando recipi poteſt, & nondum eſt acceptus; ideò dictum propoſitum eſt etiam Baptiſmus flaminis: & propterea S. Thomas *3. p. q. 66. art. 12. ad 2.* ait. *Effuſio ſanguinis non habet rationem Baptiſmi, ſi ſit ſine charitate* (ſaltem virtuali, qualis eſt voluntas ſervandi omnia præcepta, quæ accedente Martyrio vel Sacramento virtute æquivalet charitati perfectæ, quia ex atrito fit contritus *ex quo patet, quòd Baptiſmus ſanguinis includit Baptiſmum flaminis, & non è converſo.* Et hoc modo uterque textus S. Thomæ, hic relatus (ſatis quidem operosè) conciliatur cum claris textibus, quibus S. D. noſtram tradit ſententiam, nempe *3. p. q. 87. art. 1. ad 2.* & *4. diſt. 4. q. 3. art. 3. q. 3. ad 1. & q. 4. per totam.*

Probatur nunc aſſertio noſtra tertiò, cum S. Thoma *4. diſt. 4. q. 3. art. 3. q. 4.* Certum eſt quòd Martyrium in 21 parvulis pro Chriſto ab Herode occiſis vel cauſaverit primam gratiam, ſi qui nondum fuerunt circumciſi, uti Bellarminus aſſerit aliquos illorum nondum perveniſſe ad octavum diem, & aliquos fuiſſe filios parentum gentilium, vel cauſaverit augmentum gratiæ, ſi omnes ſupponantur fuiſſe circumciſi, & mundati à peccato originali per primam gratiam. Ergò Martyrium habet vim non tantùm per actum meritorium cauſandi gratiam, ſed per ſe ipſum. Si autem hæc vis conceditur Martyrio non voluntariè acceptato in parvulis ſive antè extiterint in gratia, ſive non, debet etiam concedi voluntariè acceptato in adultis, quia non propter perſonam, ſed propter cauſam tribuitur illa vis Martyrio: modò in adultis non deſit debita diſpoſitio; debita diſpoſitio autem non neceſſariò debet per ſe ſufficere ad cauſandam primam gratiam, ſicut in Sacramentis tam vivorum, quàm mortuorum dicemus ſuo loco.

Probatur quartò ex communi ſenſu Eccleſiæ, quæ plurimos Martyres indubitanter colit, ut ſanctos, ex 22 ſtatu infidelitatis, & gravium commiſſorum peccatorum ſubitò ad fidem, & pœnitentiam converſos, moxquè Martyrio affectos, & in ſanguine ſuo Baptizatos, de quibus quidem meritò dubitari poſſet, an etiam perfectam contritionem priùs elicuerint, & elicere noverint; cùm tamen de imperfecto dolore, formali vel ſaltem virtuali (qualis eſſet ipſa acceptatio Martyrii ex tali motivo, quod cum peccatis commiſſis & memoriæ non occurrentibus eſſet incompoſſibile, qui teſte Leſſio *lib. 3. c. 1. n. 50.* ſufficeret, cùm nec actus charitatis perfectæ ſine memoria peccati eſſet formalis contritio) dubitari prudenter non poſſit, hoc ipſo, quòd ex deſiderio æter-

æternæ beatitudinis, & vitæ perpetuæ cum tempora commutandæ Martyrium ſubiverint. Ideo Innocentius III. *in cap. Cum Martha de celebratione Miſſarum* inquit. *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*. Quæ verba ſumpſit ex S. Aug. *ſerm. 5. de Martyribus*. Ubi ait. *Injuria eſt pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari; certavit enim contra peccatum uſque ad ſanguinem.*

. Ob has & alias ejuſmodi rationes longè communior eſt prædicta noſtra doctrina apud Theologos, ſaltem recentiores. Nam contra S. Bona Alexandrum Alenſem, Paludanum, Durandum, Canum, quos ſecutus eſt Laymann *lib. ut ſect.* 3. & Vaſq. *to. 2. in 3. p. diſp. 153. cap.* 3. tenet illam Leſſius paulò antè citatus *d. n.* 45. allegato S. Thomæ. *3. p. q* 87. *art.* 1. ad 2. illi addens Cajetanum, (qui tamen 2. 2. *q.* 124. *art.* 2. contrarium videtur docere, ubi & S. Thomas, quem poſtea explicabo) & paſſim alios Thomiſtas, Suarez *to. 3. in 3. p. diſp. 29. ſect. 3. concl.* 2. pro qua *ſect.* 2. citavit præter SS. Patres etiam ſuprà à me adductos, & alios longè plures, Sotum, Ledeſmam, Vegam. Bellarminus *to. 3. de Sacramento Baptiſmi lib.* 1. *cap.* 1. Referens Gabrielem, & Majorem. Ægidius Coninck, Valentia, Bonacina, quos citatos ſequitur Palao *tr. 19. pun.* 13 §. 2. *nu.* 2. Tannerus *to. 4. diſp. 4. q. 3. dub.* 3. *n.* 103. Præpoſitus *q. 68. art.* 3. *dub.* 5. qui *n.* 20. Privilegium & efficaciam Martyrii in nova Lege extendit etiam ad Martyrium in veteri Lege, eò quòd Eccleſia Machabæos fratres, ut Martyres colat, non coleret autem ut tales, niſi ſentiret, Martyrium peculiari quadam ratione ipſis profuiſſe ad gloriam. Et confirmat cit. Author; quia, inquit, non ſolùm in nova Lege homo per Martyrium confitetur Chriſtum, ſed etiam confitebatur in antiqua, & quidem eo tempore, quo videbatur magis arduum illum confiteri.

23 Sed hæc extenſio mihi videtur valdè incerta. Quia etiamſi Martyrium Machabæorum non ratione ſui, ſed ratione actus interni duntaxat fuerit cauſativum gratiæ, Eccleſia habet ſufficientem rationem ac certitudinem illos colendi, ut ſanctos & ut DEI Martyres. Quia tamen non confitebantur DEUM, ut jam incarnatum, & paſſum, & conſequenter necdum pro fide & doctrina Chriſti mortem ſubjerunt, & per hanc nondum Chriſto Paſſo configurati ſunt, & quia Martyrium in nova Lege effectum ſuum cauſat tantùm ex promiſſione Chriſti, hęc autem nondum facta erat eaque promiſſio tantùm, & expreſsè dicit. Qui confitebitur *Me* &c. Qui perdiderit animam ſuam *propter Me & Evangelium*: ideo non auſim aſſerere Martyrium antiquæ Legis fuiſſe ejuſdem efficaciæ cum Martyrio novæ Legis, ſicut enim Sacramenta novæ Legis, majorem ſortita ſunt efficaciam ex promiſſione & ex meritis Chriſti, non primùm venturi, ſed jam Miſſi, & Paſſi, quàm Sacramenta veteris Legis; ſic etiam Martyrium & Paſſio pro Chriſto videtur majorem efficaciam accepiſſe ex promiſſione & paſſione Chriſti in nova, quàm in veteri Lege.

24 Ex dictis toto paragrapho oriuntur adhuc tria dubia. Primò dubitatur: quando gratia intuitu Martyrii ſecundùm ſe accepti conferatur. Ratio dubitandi eſt; quia Martyrium eſt Mors pro Chriſto, adeoque primùm completur tunc, quando homo non ampliùs vivit: atqui poſt viam hominis nulla ampliùs confertur gratia, & durante vita hominis nondum datur Martyrium. Reſp. cùm S. Thoma *4. diſt. 4. q. 3. art. 3. q.* 4. & cum Doctoribus communiter gratiam dari in inſtanti à DEO determinando ante inſtans mortis, dum ponitur cauſa, ſive tormentum per ſe illativum mortis: adeoque ſaltem ultimo inſtanti vitæ, quo eadem gratia nullo peccato mortali actuali impeditur.

25 Dubitatur ſecundò. An Martyrium dici debet ſuam gratiam cauſare ex opere operantis, quandoquidem eſt Paſſio, ſeu doloriſera ſenſatio hominis merentis gratiam: vel an ex opere operato: quandoquidem non cauſat gratiam merè denominativè ratione actus interni, formaliter meritorii. Reſp. quæſtionem quidem eſſe de nomine, & aliqui aſſignant ſpeciale genus cauſandi ab utroque diverſum, eò quòd Martyrium ſit potiùs paſſio, quàm opus operatum à Martyre, & ideo dicitur cauſare gratiam per modũ ſpecialis privilegii, ex vi Promiſſionis & Paſſionis Chriſti moventis ad dandam gratiam. Dico tamen, ut etiã indicat S. Thomas, loco proximè citato, & liquęſtiunc. pręcedente ad 1. Martyrium cauſare gratiam ex opere operato præter eam, quam ex opere operantis cauſat, ratione actus interni v. g. charitatis: quæ Paſſio eſt etiam aliquod opus, cùm ſit quædam ſenſatio, quia verò non eſt formaliter libera ac formaliter meritoria, ſed vim ſuam habet ex meritis & promiſſione Chriſti, ſicut Baptiſmus aquæ, ideo rectè dicitur cauſare ex opere operato.

Dubitatur tertiò. An Martyrium præter gratiam remiſſivam omnes peccati mortalis remittat, vel cauſet remiſſionem etiam omnis peccati venialis, & pœnæ temporalis in Purgatorio alioqui ſuſtinendæ. Reſp. Ex communi ſenſu Eccleſiæ, niſi Martyrium conjungatur cum peccato veniali actuali, omnia etiam venialia ante inſtans mortis cum omni pœna temporali remitti, modò fuerint retractata: quòd ſi quæ non fuiſſent retractata, vel ſi cum peccato actuali fuiſſet conjunctum Martyrium, aſſerunt Cajetanus *3. p. q. 87. art.* 1. & noſter P. Valentia *to. 3. diſp. 8. q. 2. pun.* 2. remitti ſaltem in primo inſtanti mortis omnia venialia & omnem pœnam temporalem: quia venialia poſſunt etiam utiliter tunc retractari, ſicut retractant animæ in purgatorio ea, quæ in vivis non retractarunt. 26

Ratio reſponſionis eſt: quia ſi Baptiſmus aquæ, qui tantùm eſt Symbolica configuratio & reprę ſentatio mortis Chriſti, ſuo Sanguine nos à peccatis mundantis, & dealbantis, præſtat hunc effectum, quantò magis Martyrium; quod eſt actualis imitatio mortis Chriſti, & eſt ſanguinis Baptiſmus, in virtute cauſandi etiam efficacior, eſtque ſatisfactio pro peccatis omnium maxima? Aliàs Innocentius III. & S. Auguſtinus ſuprà relati immeritò dixiſſent, quòd injuriam Martyri faciat, qui orat pro Martyre: imò defraudaſſent ſuffragio, ſaltem pro peccatis venialibus in vita nondum retractatis neceſſario. Confirmatur reſponſio verbis Angel. Doctoris. *cit. quæſt. nunc.* 4. Ubi, comparans Baptiſmum Aquę & Sanguinis ait. *Dicendum, quod uterque Baptiſmus habet efficaciam à Paſſione Chriſti, ſecundùm quod ei conformat. Et quia Baptiſmus Aquæ conformat ei Sacramentali ſignificatione, Baptiſmus autem Sanguinis realiter ideo quantum ad Sacramentalia excedit Baptiſmus Aquæ, ſicut eſt impreſſio characteris & hujuſmodi. Sed quantum de ea, quæ ſunt heres Sacramenti* (id eſt gratiæ, quæ ſignificantur à Sacramento) *excedit Baptiſmus Sanguinis: quia & gratia in Baptiſmo Sanguinis magis augetur habenti, & amplior datur non habenti, ſi impedimentum non adſit: & remiſſio peccatorum quamvis non ſit plenior, quia uterque omnem pœnam & culpam tollit, tamen eſt in Baptiſmo Sanguinis efficacior, & fructuoſior.*

§. III.

An ſine fortitudinis offenſa liceat aliquando ex metu gravis mali imminentis actionem præceptam omittere, vel prohibitam ponere.

S U M M A R I U M.

27 *Nullius gravis mali evitandi cauſa licet actionem vel omiſſionem actionis jure naturæ abſolutè prohibitam ponere.*

28 *Si autem Actio vel Omiſſio Actionis non eſt abſolutè à jure naturæ prohibita, licet illam ponere, conditione deficiente; nec obſtat Innocentius XI. in prohibitione propoſitionis. 36.*

29 *Actio indifferens metu gravis mali poteſt nonnunquam reddi licita, etiamſi præter intentionem proximus occaſionem peccandi, vel damnum ſubeat.*

30 *Etiam à Lege poſitiva divina metus gravis mali non ſine diſtinctione dicendus eſt excuſare: ideo Innocentius XI. meritò prohibuit propoſitionem. 29.*

31 *In Lege humana etiamſi pro excuſatione ab obligatione non ſit neceſſaria eadem diſtinctio, eſt tamen neceſſaria limitatio propter propoſitionem 27. ab Innocentio XI. damnatam.*

32 *Actio Lege humana irritata, metu gravis mali non convaleſcit.*

33 *Prædicta exemplis declarantur.*

Reſp.

27 RESp. Diſtinctione præceptorum, & actionum eſſe utendum. Aliquæ enim actiones ſunt intrinſecè & abſolutè inhoneſtæ, ita ut nullius conditionis variatione honeſtari, vel ex obligatione Legis extrahi poſſint, ut mendacium, Idololatria, odium vel contemptus Dei, pollutio voluntaria &c. Et hæ actiones ex præcepto naturali indiſpenſabiliter prohibitæ ſine fortitudinis, & ſpecialium virtutum, quibus opponuntur, diſpendio, nunquam poni, ac licitæ reddi poſſunt, neque infra gradum ſuæ malitiæ naturalis, ſi ea mortalis ſit, per metum deprimi, ſed tantùm intra eundem quoad gravitatem diminui queunt. Ratio eſt, quia metus nec tollit ipſarum actionum intrinſecam & eſſentialem inhoneſtatem ex parte objecti, abſolutè & neceſſariò prohibiti, neque libertatem ex parte voluntatis, ſed tantùm eam diminuit, ut ex dictis de voluntario patet, ergo hujuſmodi actiones nunquam licitè poni, aut infra gradum malitiæ ſuæ naturalis deprimi poſſunt, ſed tantùm diminui propter libertatis imminutionem, niſi metus ex nimia animi perturbatione etiam rationis plenam advertentiam auferat.

28 Aliæ verò actiones ſunt, quæ quidem etiam naturaliter exigunt prohiberi, ſed ſub conditione, propter imminens grave malum variabili, tales ſunt tranſgreſſio voti, aut Juramenti, ablatio rei alienæ &c. Quia vovens, aut Jurans tantùm ſub conditione ſe obligavit ad rem aliquam præſtandam, ſi ſine gravi ſuo damno fieri poſſit, & ſub tali exceptione facta etiam eſt diviſio bonorum, itaque hujuſmodi actiones quotieſcunque per metum gravis mali conditio ſufficienter variatur, hoc ipſo redduntur licitæ. Dixi *ſufficienter*. Nam ideo ab Innocentio XI. prohibita eſt hæc propoſitio 36. *Permiſſum eſt furari non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi*. Quia non quæcunque gravis neceſſitas eſt ſufficiens variatio conditionis, ſub qua alter retinet jus prohibendi ablationem rei ſuæ.

29 Aliæ præterea actiones inveniuntur, in ſe non malæ, ſed quæ ex natura ſua per ſe, vel per accidens, proximè conducunt ad operationem malam, vel ad alterius damnum, ut ſuprà de ſcandalo dictum eſt: & hæ iterum propter metum imminentis gravis mali permitti poſſunt: hinc communiter dicitur, licitum eſſe fugere ab inimico intentatam mortem, etiamſi in via jacens infantulus neceſſariò conterendus ſit; & ſimiliter licitum eſſe Reipubl. ad avertendum hoſtem tradere ei ad necem petitum hominem innocentem, quamvis ipſa ejuſdem petitioni ſatisfacere nequeat, immediatè illum occidendo. Hinc minimè reprehenditur Simon Machabæus *lib.* 1. *Machab. cap.* 13. quòd Tryphoni pro liberando Jonatha fratrer ſuo miſerit petitum Lytrum, & obſides Jonathæ Filios, non obſtantes quòd *ibid. v.* 17. dicatur. *Et cognovit Simon, quia cum dolo loqueretur ſecum: juſſit tamen dari argentum, & pueros: ne inimicitiam magnam ſumeret ad populum Iſrael, dicentem: quia non miſit ei argentum & pueros, propterea periit: & miſit pueros, & centum talenta: & mentitus eſt, & non dimiſit Jonathan*.

30 Præter prædictas actiones abſolutè, vel conditionatè ex naturali lege prohibitas, dantur aliæ ex Jure poſitivo divino vel humano interdictæ; in prioribus diſtinguẽdum eſt, an divinum præceptum immediatè intendat bonum totius Eccleſiæ, vel tantum bonum privatum cujuſque hominis: ſi primum, metus gravis mali non excuſat ab obſervatione Legis: Sic Innocentius XI. hanc 29. Propoſitionem prohibuit. *Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi*. Si ſecundum, excuſat.

31 In poſterioribus actionibus, quæ ſunt Juris humani, Palao *tr.* 2. *diſp.* 1. *p.* 13. *n.* 9. utitur eadem diſtinctione. Alii tamen communiter, & teſte Tamburino *lib.* 1. *Decalogi c.* 2. *§.* 9. *n.* 7. omnes ferè Theologi dicunt, metum gravis mali excuſare à quocunque humano præcepto, ſive Eccleſiaſtico, ſive Civili, etiam aliàs ſub mortali obligante, niſi, (ut ego quidem limitandum cenſeo) ipſum grave malum per ſe connexum, ac intentum ſit ab ipſo præcepto humano. Ut quando Reus à legitimo Judice ſecundùm formam Juris interrogatus tenetur commiſſum crimen fateri ex obedientia Judici debitâ, etiamſi, ut communior habet ſententia, graviſſimũ malum ſupplicii capitalis prævideat ſibi inde eventurum. Quam limitationem clarè exigit Innocent. XI. prohibens propoſitionem vigeſ. ſept. aſſerentem, licitum eſſe Reo, per Amphibologiam Judici legitimè interroganti occultare veritatem, quod ſupponit hæc propoſitio 27. prohibita: *Cauſa juſta utendi Amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas*. Verùm hujus propoſitionis falſitatem *ſeq. diſp.* demonſtrabimus.

Præterea dicto modo limitata ſententia tantùm intelligenda eſt de præcepto, vel Lege directiva, non de irritante: quia omnes fatentur, matrimonium cum impedimento dirimente contractum Lege humana manere irritum, etiamſi illius valor ad mortem per conſummationem copulæ evitandam eſſet neceſſarius. 32

Ratio autem ſic declaratæ, ac limitatæ doctrinæ eſt: quia Leges divinæ immediatè ad bonum totius Eccleſiæ ordinatæ, & Leges humanæ, irritantes quoſdam actus, verſantur circa talia objecta, ut exemptio particularis propter metum privati mali eſſet damnoſa, & periculoſa bono communi intento: Leges autem divinę, immediatè bonum privatum ſpectantes, & omnes humanæ ſolùm directivæ, neque contentæ in dicta limitatione, non verſantur circa talia objecta: ex altera verò parte ſua vitâti gubernationis convenit, ut non obligent cum tanta difficultate, & periculo gravis mali, ergo gravis metus non ab illarum, ſed ab iſtarum obligatione excuſat.

Hinc colligitur primò. Non licere etiam metu mortis violare legem ſigilli Confeſſionis, Conſecrationis in duplici ſpecie, & illius conſumptionis, legitimæ adminiſtrationis Sacramentorum, ne ſcilicet adhibeatur alia materia aut forma, quàm à Chriſto præſcripta, aut ne alteri ſubjecto, quàm valoris capaci conferantur. Quia hæc omnia ſunt Juris divini, intendentis bonum commune totius Eccleſiæ, cui licentia aliter operandi in rebus ad ſubſtantiam ſuæ Religionis pertinentibus eſſet valdè noxia. 33

Colligitur Secundò. Licere propter metum gravis damni extraordinarii omittere integritatem confeſſionis, vel ipſam confeſſionem, etiam urgente neceſſitate SS. Euchariſtiam ſuſcipiendi, vel Miſſam celebrandi: ut ſuis locis fuſiùs declarabitur: quia ex tali licentia Eccleſia nullum damnum, ſed potiùs commodum reportat, & confeſſionis integritas, ejuſque pro SS. Euchariſtia cum debita diſpoſitione ſuſcipienda præmiſſio maximè ad privatam hominis utilitatem ordinatur.

ARTICULUS III.

De Temperantia.

SUMMARIUM.

34 *Tres ſpecies Temperantiæ ſunt, Abſtinentia, Sobrietas, & Caſtitas.*

35 *Abſtinentiæ Definitio.*

36 *Præcepto Jejunii Eccleſiaſtici prohibetur uſus carnium.*

37 *In Regionibus non exemptis etiam prohibetur eſus ovorum, & lacticiniorum; & propoſitio 32. contrarium aſſerens meritò eſt prohibita ab Alexandro Septimo.*

38 *Non hoc ipſo, quòd in quibuſdam Regionibus ſit permiſſus uſus ovorum, & lacticiniorum, in iiſdem eſt etiam permiſſus uſus lardi, & pinguedinis animalium.*

39 *Die Jejunii conceditur una integra refectio, menſuram naturalis temperantiæ non excedens, ejus continuitati modica interruptio, animo redeundi, non obſtat.*

40 *Pro veſpertina collatiuncula nequit ſtatui univerſaliter determinata menſura, quæ à variis circumſtantiis dependet, & per illas variatur.*

41 *Præcipuè reſpiciendum eſt ad finem Intrinſecum Legis tam naturalis, quàm poſitivæ.*

42 *Et ex dicto fine colligi poteſt Regula generalis.*

43 *Quinam ad abſtinentiam à carnibus die jejunii obligantur; & quinam ad ipſum jejunium: & quidem ſub culpa mortali, quam quia propoſitio 23. negat; merito*

ritò ab Alexandro VII. damnata eſt.
44 *Quinam ratione infirmitatis à jejunio excuſentur.*
45 *Quinam ratione Senectutis.*
46 *Quinam ratione laboris, vel opificii. Et quinam non excuſantur juxta Decretum Alexandri VII. propoſitionem 30. 31. prohibentis.*
47 *Quinam ratione Paupertatis.*
48 *Quinam excuſentur ab Abſtinentia carnium.*
49 *Quando petenda ſit diſpenſatio, vel declaratio cauſæ excuſantis.*

34 TEmperantia latè ſumpta omnium quidem animi affectionum moderationem denotat, prout verò inter quatuor virtutes Cardinales ſpecialem locum obtinet, ſolùm eſt moderatio voluptatum corporis, ex cibo, potu, ac Venere perceptibilium: unde ſubdividitur in Abſtinentiam, ſobrietatem & caſtitatem, eique opponitur gula, ebrietas, ac luxuria.

§. I.

De Temperantia cibi, ſeu de Abſtinentia, & jejunio.

35 ABſtinentia eſt *Moderatio cibi juxta dictamen rectæ rationis*: recta autem ratio per ſe loquendo dictat, non plus aſſumendum eſſe, quàm quod ad humanam vitam ſuſtentandam, illiuſque functiones exercendas eſt neceſſarium ſecundùm prudentis arbitrium: per accidens tamen e. g. in convivio, ratione urbanitatis etiam plus concedit, & ex lege poſitiva etiam minor menſura tam quoad quantitatem, quàm quoad qualitatem ciborum, citra tamen notabile damnum, aliquando ei ſtatuitur. De hac itaque Lege, qua Eccleſia certis anni diebus jejunium ſtatuit.

36 Quæritur primò. Circa qualitatem, quinam cibi Lege jejunii Eccleſiaſtici prohibeantur? Reſp. Certum eſſe ſub peccato mortali prohiberi carnes (niſi levitas materiæ excuſet: quam tamen Authores communiter non determinant; ego cenſeo tam modicam eſſe debere, ut nequeat homines ad ſui ſumptionem frequentem allicere) ova verò & lacticinia *in cap. Denique de Conſecrat. diſt.* 4. Paulus de Palacios & noſter P. Stephanus Fagundez apud Palao putant tantùm ſub veniali prohiberi, eò quòd Pontifex non utatur verbis rigoroſè præceptivis, ſed tantùm dicat, *Par*, ſeu, ut explicat Gloſſa, *æquum eſſe, ut quibus diebus à carne animalium abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſementivam carnis trahunt originem, jejunemus, lacte videlicet, caſeo, & ovis.* Unde in locis ubi intra quadrageſimam ab his abſtinendi conſuetudo viget, teſte Thoma Sanch. *in Conſil. Moral. lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 6. faciliùs ab ea obtinetur diſpenſatio, quàm ab abſtinentia carnium, cujus obligatio adhuc manet, illa ſublata. Cujus ulterior ratio eſſe poſſet, quòd ova & lacticinia minùs obſint fini Jejunii, quàm caro, majorem habens virtutem nutriendi, & delectandi gulam.

37 Nihilominùs etiam horum ſumptionem in Regionibus non exemptis (quales ſunt frigidiores noſtræ, plus cibi requirentes, & piſcibus magis deſtitutæ) non ſolùm ſub veniali, ſed ſub mortali vetitam eſſe, reliqui ferè omnes aſſerunt. Unde ab Alexandro VII. prohibita eſt hæc propoſitio 32. *Non eſt evidens, quòd conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima, obliget*: Hinc etiamſi verba Legis ſcriptæ non eſſent præceptiva, tamen conſuetudo juxta citat. Pontificem obligat, & eſt præceptiva, quamvis ſaltem extra Quadrageſimam obligatio quoad utramque culpam in certis locis per contrariam conſuetudinem jam ſit abrogata.

38 De lardo porcino & pinguedine quorumcunque animalium major Controverſia eſt, quorum uſum concedit Gloſſa *in cap. Presbyter diſt.* 82. *& in cap. Admonere* 33. *q.* 2. Abbas, Hoſtienſis, Fagundez, Sylveſter, & inclinat Azor, quia videntur vel omninò non, vel tantùm eſſe imperfectè caro, ideo Sylveſter *verb. Iejun. q.* 5. *nu.* 16. hanc regulam tradit: *Cui conceditur uſus ovorum, caſei &c. intelligitur etiam conceſſus uſus ſanguinis, ſeu lardi.* Verùm Laymann, qui in his locis ſcripſit, ubi permiſſus eſt uſus lacticiniorum *lib.* 4. *tr.* 8. *c.* 1. *n.* 5. rectè ait: Licèt dicta ſententia ſpeculativè probabilis videri poſſet, conſuetudinem tamen conſentientibus Prælatis introductam, ideoque pro Lege tenendam, noſtris Regionibus in diebus Jejuniorum permittere quidem uſum ovorum & lacticiniorum, non ita verò lardi & ſaginis, propter periculum, ne hujuſmodi licentia extēdatur v. g. ad farcimina, juſculum ex carnibus, &c. cum ſcandalo, & detrimento Jejunii Eccleſiaſtici. Nihilominus concedit citatus Author dictam ſententiam Confeſſariis ad tria ſervire poſſe. Primò ut pauperibus faciliùs talem licentiam concedant ob paupertatis cauſam, præſertim ſi tantùm pro condimentis utantur, cùm oleum & butyrum in his terris ſit valde magni pretii. Secundò ut etiam divites ob ſolum condimentorum uſum non facilè mortalis peccati damnent, eò quòd conſuetudo non ſub tam gravi obligatione credatur recepta. Tertiò ut ancillas heris obſequentes, in uſuali conditorum ciborum comeſtione excuſent.

Quæritur ſecundò circa quantitatem, quantum pro quotidiana refectione ex aliis cibis, quos eſuriales, vel quadrageſimales vocant, concedatur? (de potu verò non eſt quæſtio: quia iſto non violatur lex Jejunii: quod proinde etiam de potione Chocolatica à tribus Pontificibus Greg. XIII. Pio V. & Paulo V. reſponſum eſſe, plures Doctores teſtantur) Reſpon. pro refectione circa meridiem ſumenda (quam quidem notabili tempore, & abſque rationabili cauſa prævenire probabiliùs tantum veniale peccatum eſt, ſicut mutatio temporis in recitatione officii Canonici, quod etiam de ſumptione collationis ante horam Veſpertinam intelligi debet) nullam certam menſuram lege Jejunii præſcribi, ſed naturali Legi temperantiæ determinandam relinqui, modò ipſa refectio moraliter continua ſit, cui continuationi non obſtat brevis interruptio comeſtionis inceptæ cum intentione ad eam poſt peractum negotium redeundi: ob quam cauſam Buſenbaum *lib.* 3. *tr.* 6. *c.* 3. *dub.* 1. alios referens, concedit miniſtris, & lectoribus menſæ ſumptionem cibi, poſt finitum ſuum miniſterium integro prandio complendam, quod ipſum Thom. Sanchez *dub.* 24. concedit. 39

Pro collatione autem Veſp. citatus P. Buſenbaum, allegans Reginaldum, Layman, Filliucium, & integram Theologorum Accademiam, teſtatur permitti quartam partem cœnæ homini competentis, ſpectato ejus ſtatu, negotiis, complexione, loco, & more Regionis, conſentit etiam Tambur. *lib.* 4. *in Decal. cap.* 5. §. 3. *n.* 1. Verùm Diana *p.* 1. *tr.* 9. *reſ.* 1. referens eoſdem Doctores aſſerit, hanc ſententiam à ſe exiſtimari nimis laxam, concedit tamen cum Fagundez *in* 4. *præcepto Eccl. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 13. allegante P. Franciſcum Suarez à ſe conſultum, & P. Joannem Azor *to.* 1. *lib.* 7. *cap.* 8. *q.* 8. octo uncias panis & fructuum ſimul ſumptorum, complentium illas 8. uncias: quæ quantitas, niſi unciæ apud cit. Authorem valdè ſint parvæ, non videtur eſſe minor, ſed major quantitate prioris ſententiæ, ab illo impugnatæ: ſi enim octo unciæ quater multiplicentur, prodibunt 32. quæ poſſunt homini non laborioſo, & ad Jejunium obſtricto, pro cœna ordinaria non tantùm omninò ſufficere: ſed etiam redundare; certè non immeritò inquit Tambur. *l. c.* quòd communiter vix ad 32. uncias hominum cœna ſoleat aſcendere. 40

Ego cum citatis Doctoribus fateor, prædictas circumſtantias omnes ſpectandas eſſe, ſed hoc ipſo nec certo pondere, nec menſura, univerſaliter quantitas cęnulæ determinari poteſt pro omni loco, & perſona. Nam plus concedendum eſt in frigidis, quàm in calidis Regionibus plus illis, qui utuntur potu aquæ frigidæ, & famem provocantis, ac ſtomachum non ita foventis, quàm qui utuntur generoſo vino vires loco cibi augente, & conſervante; plus illis, qui capitis laboribus vires ac vitales ſpiritus abſumunt, quàm qui otio torpent &c. Præterea quia pondera in diverſis locis ſub eodem nomine inæqualia ſunt, & panis etiam ſub eodem nomine inæqualis eſt quantitatis, ratione materiæ, ſeu farinæ melioris, vel majoris aut minoris exſiccationis aut fermentationis &c. quia etiam modò major, modò minor eſt, pro annonæ majori vel minori charitate & pretio, hinc nec pondere nec menſura aliquid univerſaliter definiri poteſt.

Sed à fine duplici, ſcilicet conſervatione & caſtigatione corporis, quæſtionis reſolutio deſumenda eſt. Unus finis eſt communis præcepto naturali abſtinentiæ, & præcepto poſitivo Jejunii. Alter eſt proprius ſoli poſitivo. Sicut ergo pro præcepto naturali Authores nullum 41

nullum determinatum pondus, aut menſuram, aut numerum unciarum præſcribunt, ſed ex fine ajunt deſumendam eſſe proportionem medii, nempe cibi neceſſarii ad firmam valetudinem & conſervationem corporis, ita neque præſcribi debet pro præcepto poſitivo. Sed ex regula temperantiæ, naturali præcepto debitæ, menſuranda eſt regula præcepti poſitivi; prior enim notior eſt, cùm quotidie ſit obſervanda, poſterior autem ſolùm diebus Jejuniorum ſtatutorum.

42 Regula temperantiæ naturalis videtur poſſe ſtatui iſta: *Tantum cibi à virtute temperantiæ naturalis permittitur, cujus majore jmminutione etiamſi quis poſſet uno vel altero die commodè ſubſiſtere in ordine ad omnes functiones ſuas, non tamen poſſet conſtanter, & longo tempore.* Ex hac regula videtur colligi poſſe hæc pro temperantia Legis poſitivæ: *Tantum cibi pro Collatione Veſpertina die ſtatuti Jejunii aſſumi poteſt, cum quo etſi quis conſtanter vel longo tempore ſubſiſtere non poſſet, poteſt tamen commodè ſubſiſtere pro illo & ſequentibus jejuniorum diebus, donec iis finitis vires defecturæ inſtaurari poſſint.*

Hinc credo majorem quantitatem permitti poſſe tempore jejunii quadrageſimalis, quàm aliis jejuniorum diebus per anni conſueta intervalla recurrentibus. Ita tamen ut ſemper obſervetur proportio Regulæ, & duplex finis procuretur, nempe conſervatio virium pro functionibus, etiam naturalibus, cujuſmodi eſt ſomnus, redditio debiti conjugalis &c. ſimulque corporis caſtigatio, quæ hoc ipſo obtinetur, ſi plus cibi non ſumatur, quàm quantum Regula definit; uſus verò & applicatio utriuſque Regulæ tam temperantiæ naturalis, quàm poſitivæ, plurimùm dependet ab experientia, ſicut de circumſtantiis conſiderandis & agnoſcendis omnes fateri debent. Cùm verò quotidie comedamus, hinc facilè quivis poteſt experiri, quantum cibi ſibi neceſſarium ſit pro quotidiana refectione: ex hoc autem facilè eſt colligere & per experientiam cognoſcere, quantum huic detrahi poſſit, ut uno vel altero die, vel per integrum vernum jejunium quis commodè ſubſiſtere poſſit, ut non impediatur à debitis functionibus.

Quòd ſi cœna ordinaria non ſumatur pro ferculis, quæ apponi ſolent, quæque apud divites longè plura ſunt, quàm apud minùs opulentos, nec tamen per ſe loquendo ideo major pro illis, quàm pro iſtis quantitas ſtatuenda eſt; ſed ſi ſumatur pro refectione nocturna, quæ ſecundùm Regulam naturalis temperantiæ quotidie licitè ſumitur, (quo modo forſitan non ſumpſit Diana ſuprà citatus) quarta illius pars diebus Jejuniorum extra quadrageſimam, & parùm ultrà intra quadrageſimam propter majorem neceſſitatem) ob quam ex communi conſuetudine & ſenſu DD. liberalior conceditur collatio in nocte Nativitatis Domini, teſte Sanchez *l.c. dub.* 26. & aliis communiter) ordinariè loquendo videtur fore ſatis accommodata aſſignatæ Regulæ: cùm etiam extra quadrageſimam approbet Laymann *lib.* 4. *tr.* 8. *c.* 1. *n.* 9. Regulam Valerii Reginaldi *in Praxi ſua. to.* 2. *lib.* 4. *n.* 185. aſſerentis, tunc demum exceſſum fieri nocturnæ cœnulæ, quando, id, quod ſumitur, notabiliter majus eſt quarta parte ejus quantitatis, quæ ad integram cœnam ſufficeret, niſi aliqua cauſa excuſet; cujuſmodi eſt v. g. corporis teneritudo, vel aſſuefactio, qua ratione interdum perſonis nobilioribus plus permitti poteſt: vel occupatio diuturna, qua ratione aſſiduis litterarum ſtudioſis plus conceditur. Ita citati Authores.

Verùm in allegandis Authoribus pro cōſtituenda certa aliqua quantitate cœnulę, vel collationis Veſpertinę diligenter attendendum eſt, ubi & pro quibus locis dicti Authores ſcripſerint: quia in calidis Regionibus, ut Hiſpania, Italia &c. meritò Authores ſtrictiores ſunt, cùm ibi minore cibo opus ſit, & Jejuniū ſtrictiùs ſit receptū, & ratione fructuum, & vini, & in prandio ratione piſcium ſit hominibus, præſertim opulentioribus, meliùs proviſum. At in frigidis Regionibus, uti in Germania noſtra, ubi Laymann & ego ſcripſimus, paulò plus neceſſitate naturæ & conſuetudine conceſſum eſt: unde ex inæquali ſtatuta quantitate non ſtatim aliqui nimiæ ſeveritatis, nec alii nimiæ laxitatis arguēdi ſunt, vel pro ducibus & Magiſtris abſolutè & univerſaliter recipiēdi, ſed prudenti diſtinctione circumſtantiarum utendum eſt, quæ vel maximè colligi poteſt ex conſuetudine piorum & timoratorum virorum, ad quam etiam Diana *l.c.* tanquam ad ſecuriſſimam Regulā tandem refugit. Cùm enim veſpertinæ Collatiunculæ uſus per conſuetudinem introductus ac permiſſus ſit, & conſuetudo vim Legis ſtatuendi, abrogandi, mitigandi, explicandi habeat, præſertim quando piorum uſu, & temporis continuo tractu præſcripta, atque recepta eſt, illi etiam licitè ſe accommodare aliquis poterit.

Quæritur tertiò. Quinam lege Jejunii teneantur? 43
Reſp. Ad abſtinentiam à carnibus per ſe loquendo teneri omnes per Baptiſmum Eccleſiæ ſubjectos, & rationis uſu præditos, poſtquam ſeptimum ætatis annum compleverunt: ad Jejunium verò obligari eoſdem, poſtquam 21. annum egreſſi ſunt, quod abſtinentiam à carnibus, & à frequentiori refectione ac collatione, quàm unica, tanquam formam eſſentialem, ex Legis intentione involvit, & qua ſemel notabiliter violata, reliquæ transgreſſiones probabilius non ſunt amplius contra legem Jejunii, utpote cujus forma eſt reddita amplius inobtinibilis, quamvis ſint contra legem abſtinendi à carnibus, ſi harum comeſtio interruptis vicibus frequentetur. Hanc autem obligationem eſſe ſub mortali peccato, & ex virtute temperantiæ, patet tum ex ratione objecti, ſive materiæ præceptæ, ſpectantis & ordinatæ ad honeſtatem temperantiæ, corporiſque caſtigationem, tum ex poteſtate, & neceſſitate graviter obligandi: quia propter ſuam difficultatem aliàs facile negligeretur præceptum. Ideo Alex. VII. vetuit hanc Propoſ. 23. *Frangens Jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult ſe ſubjicere præcepto.*

Dixi: *Per ſe loquendo*: nam per accidens tam à Lege 44
abſtinentiæ à carnibus, quàm Jejunii multi excuſantur; imò omnes qui excuſantur à prima, excuſantur etiam à ſecunda, non tamen viciſſim: hinc majores cauſæ requiruntur ad prioris, quàm poſterioris Legis exemptionem; pro hac enim referuntur communiter ſequentes.

Prima cauſa eſt infirmitas, ratione cujus, qui actu ægri ſunt, vel ex ægritudine convaleſcunt, etiam non tenentur experiri damnum ex Jejunio ſubſequens, modò ejus ſit rationabilis timor, quia damnum ſæpe diu non eſt reparabile, & quia id repugnat benignitati Eccleſiæ, quæ non obligat cum tali difficultate extraordinaria. Ex quo fundamento Tamburinus *lib.* 4. *Decal. cap.* 5. §. 7. *à n.* 14. *Verb. Infirmitas*, & alii Doctores ab ipſo relati deducunt, quòd à Jejunio ſatis probabiliter excuſet vertigo capitis, dolor ſtomachi, debilitas concoctivæ virtutis, defectus ſomni, etiamſi, ut Diana advertit, mutato cœnandi ordine tanquam extraordinario, ad quod proinde nemo tenetur eidem ſuccurri poſſet. Ut autem univerſalis quædam regula ſtatuatur, qualis infirmitas à Jejunio liberet, eam communiter Doctores cenſent ſufficientem, ex qua ſit, ut quis conſueto ſuo operandi modo functiones ordinarias commodè & ſine gravi difficultate præſtare nequeat, ſi v.g. ſtudioſus ex Jejunio capite doleat, vel aliàs cum magna difficultate ſtudeat virium defectu; ſi vir officium ſuum vel artem, aut mulier ſervitia domus incommodè peragat, ſi uterum gerat, aut prolem lactet.

Secunda cauſa eſt ſenectus, ob quam tamen plurimi 45
longa ſerie relati à Diana *parte* 1. *tract.* 9. *Reſolut.* 20. & inter hos Laymann, Tannerus, Leſſius, Fagundez, Filliucius, Valenzia, Bonacina, Toletus ſentiunt ſexagenarios robuſtos, & validos non excuſari à Jejunio: imò Fagundez 4. *præcep. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 9. ait, contrariam ſententiam parum tutam eſſe, ſed non omnino improbabilem: quamvis *n.* 10. rationes, pro illa benè propoſitas, non videatur ſufficienter diſſolvere. Ideo contra *cit.* A. A. inquit Diana: Ego non minùs probabilem illam ſententiam exiſtimo, quæ docet, in ætate ſexagenaria ſenes, licèt viribus polleant, certò & infallibiliter excuſari à Lege jejunii.

Probat hoc Authoritate Pii V. hac de re interrogati, affirmativè reſpondentis, & ex Doctoribus citat. Thoma Sanchez, *tom.* 2. *de Matr. lib.* 7. *diſp.* 32. *n.* 17. ubi hanc ſententiam ex inſtituto authoritate & ratione firmat, & repetit *lib.* 5. *Conſil. Moral. cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 7. Præter hunc authorem citat Diana Portellum, Ortiz, Joſephum Angeles, Malfeſium, & alios, quibus deniqúe

nique adiungit multorum aſſenſum, ex ſua & noſtra Religione ab ipſo hac de re conſultorum: quibus etiam conſentit Sà, *verb. Jejunium. n.9.* Rationem reddit, quòd ſenum valetudo non ſit firma, & conſtans, ſed fallax & incerta, mediaque, ut inquit Galenus *libr.5. & 6. de Sanitate tuenda*, inter morbum & perfectam ſanitatem. Conſentit inter alios etiam Tamburinus loc citat. *verb. Ætas. n.1.* licèt annus ſexageſimus primùm ſit inchoatus: quod etiam docet Diana *parte 5. tr. 14. Reſolut. 83.* citato Naldo *in Sum. ver. Tempus n. 20. & parte 9. Tract. VII. Reſolut. 73.* allegatis TrullencK, Narbona, utroque Sanchez, Medina, Paſqualigo, Alphonſo Leone: quia in favorabilibus annus inchoatus habetur pro completo: Quæ ratio tamen mihi videtur ad ſummum valere in legibus humanis, non autem, quando ex cauſis naturalibus ratio favoris deſumenda eſt: Senes autem non ex Lege humana, ſed ex naturali defectione virium eximuntur, quæ cenſetur incipere poſt ſexageſimum annum. Imò etiam in legibus humanis prædicta ratio non univerſaliter procedit, & quando ex quibuſdam legibus allegatur auſpicatio certæ ætatis, videtur ea non requiri pro completione anni inchoati, ſed potiùs pro completione anni finiti.

Id quod de ſexagenariis ſenibus dixerat, affirmat etiam de fœminis quinquagenariis cum pluribus aliis relatis Doctoribus, quamvis multi, teſte Thoma Sanchez loco citato, hanc quæſtionem omninò diſſimulent, & eodem modo diſcurrit de obligatione ex voto, vel ſtatu Religioſo; circa quam tamen cenſeo, intentionem voventis, & conſuetudinem ſtatus Religioſi attendendam eſſe. Tamburinus de fœminis quinquagenariis non aſſentitur, eò quòd licèt citiùs ſeneſcant, quàm viri, magis ſint tamen Jejunii tolerantes abſque valetudinis damno.

46 Tertia cauſa eſt opificium laborioſum, de quo nulla eſt controverſia, ſaltem illis diebus, quibus hujuſmodi opifices laborant. Imò etiamſi illi dies intercedente feſto, quo à laboribus vacant, interrumpantur, propter præcedentium & ſequentium dierum defatigationem, & vires conſervandas ac reparandas à jejunio excuſari, aſſerunt Diana *p. 1. tr. 9. R. 9.* Azor *to. 1. lib. 7 c. 27. q. 8.* Fagundez *in quarto precepto Eccleſiæ lib. 1. c. 8. n. 16.* & plures alii. Nominatim citantur Joannes de la Cruz, Joannes Henriq. Eligius Baſſæus, Trullenck Paſqualigus, Leander à Sacramento. Controverſia tamen eſt de opificio non laborioſo, nam Fagundez *precepto 4. l. 1. cap. 7. num. 15. & 16.* in fine, Ledeſma *p. 2. quæſt. 17. art. 3. dubio 9.* ſentiunt, (quorum Opinionem Diana *par. 1. tract. 9. Reſolut. 8.* Filliucius, Bonacina, Tamburinus pluribus pro ea relatis probabilem agnoſcant, præferentes tamen oppoſitam) quòd ſartores, barbitonſores, Pictores à jejunio etiam excipiantur, cùm Eugenius IV. indiſcriminatim omnes artifices videatur excuſaſſe, ſive eis concedendo privilegium non jejunandi, ſive declarando, eos non comprehendi in Lege jejunii. Verùm communior & probabilior longè ſententia conceſſionem Pontificis tantùm ad eos extendit, in quibus ipſa ratione laboris juſtam cauſam exemptionis agnovit; nam non per Privilegium, ſed per approbationem cauſæ, legitimè excuſantis, opifices liberantur ab obligatione jejunii. Ideo ab Alexandro VII. etiam prohibita eſt hæc propoſitio trigeſima: *Omnes officiales, qui in Repub. corporaliter laborant, ſunt excuſati à Lege jejunii, nec debent ſe certificare, an ſit labor compatibilis cum jejunio.* Et ipſe Eugenius IV. apud Sylv. verb. *Jejunium n. 24.* tantùm dicit. *Opifices laborioſa opera exercentes.* Hinc etiam aliorum functiones (digniores tamen privilegio, quàm opificum) quales ſunt v. g. Concionatorum, Magiſtrorum, Confeſſariorum, juxta communem Doctorum ſententiam, per ſe loquendo, nullam Legis immunitatem conferunt; quod ſi tamen Concionatores ter dicant in in hebdomade, eos eximit Diana *parte 10. Tractatu 11. Reſolut. 32.* alios referens, quibus etiam aſſentitur Tamburinus. Sic quoque facientes iter equo aut curru, per ſe loquendo non cenſentur liberi à jejunio, ut citatus Alexander VII. in prohibitione propoſitionis trigeſimæ primæ, contrarium aſſerentis declaravit, quæ ſic ſe habet: *Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.* Si tamen iter ſit longum, ſcilicet multorum dierum, eos iterum excipit Diana *p. 10. tract. 12. Reſ. 39.* citans Filliuc. & Trullenck, quibus conſentit Layman. *lib. 4. tr. 8. c. 3. n. 3.* & Sanchez. *lib. 5. Conſil. c. 1. dub. 10.* inquiens etiam, per accidens excuſari, ſi quis ex complexione particulari contrahat tantam laſſitudinem equitando, ut commodè jejunare nequeat.

Quarta cauſa eſt paupertas, ob quam carentes una ſufficienti refectione, ſæpius audent de die comedere, ut teſte Sanchez *dub. 15.* omnes fatentur, quod etiam extendit ad alios, non habentes unicum ſufficiens prandium e. g. ad famulos propter avaritiam Dominorum, cùm plus emacerentur continua paupertate, vel cibi parcitate, quàm divites quadrageſimali jejunio. 47

Jam verò à Carnium abſtinentia tres potiſſimùm cauſæ cenſentur excuſare. Primò ſi infirmitas tanta ſit, ut ei repetita quadrageſimalium ciborum refectione ſufficienter ſubveniri nequeat; pro excitanda tamen fame infirmi licitum eſſe homini ſano carnibus veſci, docet Paſqualigus *dec. 45.* citans Thomam Sanchez *dub. 22. n. 10.* allegantem plures viros doctos, & Dianam *p. 5. tractat. 5. Reſol. 32.* quod propter motivum Charitatis accedente parvitate materiæ excuſari poteſt. 48

Secundò. Si ob paupertatem non ſuppetant alii cibi ad congruam ſuſtentationem neceſſarii, ob quam cauſam teſte Layman. *l. c.* toleratur conſuetudo, ut finitis Bacchanaliis reliquiæ carnium à pauperibus abſumantur. Hinc etiam non libenter damnarem peccati mortalis ruſticos pauperes, quando nimirum continuis exactionibus depauperati, & vix aliàs unquam carnibus immò vix ſufficiente, aut uſuali pane veſcentes, earum à ſe pro Bacchanaliis emptarum reliquias initio quadrageſimæ conſumunt, tamquam verè pauperes; qui tamen ſi ditiores ſint, & non verè pauperes admoneri debent, ut eas pauperibus diſtribuant.

Tertiò. De laborantibus, & famulantibus Catholicis apud Hæreticos fatetur Layman. remoto ſcandalo, (ſi nim. dicant, ſe in tali caſu neceſſitatis Eccleſiæ præcepto non obligari) eſum carnium in noſtris regionibus illis permitti: ob cujus majorem ſecuritatem Societati noſtræ in his partibus Septentrionalibus conceſſa eſt poteſtas, cum talibus diſpenſandi.

Circa prædictas cauſas excuſantes, vel à jejunio, 49
vel etiam ab abſtinentia carnium notandum eſt ex Thoma Sanchez in *Conſil. Moral. l. c. dub. 6. n. 2.* Quòd quando dubium eſt, an cauſa per ſe ſufficiens ſit ad excuſandum petenda ſit diſpenſatio, hoc autem dubium ſufficiat ad illam dandam: in cujus teſtimonium adducit S. Thomam 2. 2. *q. 147. ar. 4.* in c. & ibi Cajet. D. Anton. Sylv. Angles, Armillam, Navar. *Ibid. num. præcedenti* habet etiam hæc verba; *Primo dico, quod quoties Prælatus diſpenſat, vel confeſſor, vel Medicus declarat, bona fide credens, eſſe cauſam legitimam, non teneri ad jejunium licèt revera non ſit cauſa legitima, excuſatur Prælatus diſpenſans, & Medicus, vel Confeſſor declarans a culpa: immò quando aliquis propria Authoritate ſolvit jejunium, credens bona fide cauſam eſſe juſtam, licèt talis non ſit, excuſatur à culpa, ut late dicam Tractatu de Auditione Miſſæ.* Ita Sanchez. Videtur tamen in fine addendum, non facilè debere propria authoritate, Confeſſario, vel Medico, vel alio viro prudente inconſulto, jejunium, niſi cauſa eſſet valde evidens. Quia in propria cauſa, præſertim in favorabili difficile eſt, ferre ſincerum judicium; & quia hac ratione magis etiam caventur ſcrupuli, & conſcientiæ remorſus. Circa prædictas cauſas verò à jejunio, vel abſtinentia carnium excuſantes, major declaratio, & ad varios caſus, ac quæſtiones multiplex reſponſio videri poteſt apud citatum P. Sanchez *l. 5. c. 1.* per 35. dubia doctè pertractans obligationem jejunii in dicto opere Morali, poſt ejus obitum in lucem emiſſo.

§. II.

De Temperantia Potus, ſeu de Sobrietate.

SUMMARIUM.

50 *Definitio ſobrietatis, & eius obligatio ex Iure Naturæ.*
51 *Ebrietas oppoſita eſt peccatum mortale.*
52 *Ebrietatis cum ſomno diſparitas.*

53 *Etiam*

53 *Etiam eſt diſparitas cum immodico uſu Tabaci.*
54 *Ebrietas non eſt ita abſolutè prohibita à Natura, ſicut voluptas venerea extra matrimonium.*

50 SObrietas eſt *potus de ſe inebriantis ſecundùm dictamen rationis moderatio*. Ne ſcilicet amore voluptatis per nimiam ejus aſſumptionem animus ab operationibus rationalibus, & homini propriis violenter impediatur: licèt autem aliquis voluptatem illam non intenderet, quia tamen per ſe eſt conjuncta potationi, rationis uſui violentiam inferenti, & communiter homines illam non evitarent, niſi à natura extra caſum magnæ neceſſitatis graviter prohiberetur (quamvis non omninò tam vehementer alliciat, quàm voluptas venerea; cujus proinde directa procuratio extra matrimonium abſolutè, & pro omni caſu etiam extremę neceſſitatis, propter periculum abuſus, debebat prohiberi) ideò neceſſe erat, ut ſaltem ſub conditione, niſi gravis neceſſitas urgeat, hujuſmodi potatio, rationem plenè conſtringens, gravi prohibitione illicita redderetur.

51 Unde infertur primò, ſobrietatem eſſe virtutem temperantiæ ſpecialis intendentis honeſtatem potationis moderatæ, jure naturæ ſtatutę, eique opponi ebrietatem, ſub mortali prohibitam, ut teſtatur S. Paulus ad Galatas 5. inter alia opera carnis, à regno Dei excludentia referens *ebrietates, comeſſationes*, & deinde ſubjungens, *qui talia agunt, Regnum Dei non conſequentur*.

52 Infertur ſecundò. Etiamſi per ſomnum etiam ratio plenè conſtringatur, quia tamen eſt naturæ debitus, & ad reparandas rationis etiam vires ordinaria Lege neceſſarius & ſola excitatoris voce auferibilis, neque alicujus voluptatis immodicum uſum neceſſariò ſupponit, ideò non eſſe paritatem ſomni cum ebrietate inſtituendam.

53 Infertur tertiò. Quamvis ratio immodico tabaci uſu omninò obrui, ſicut potu immoderato, poſſit: quia tamen ex ſe & ſecluſa privata conſuetudinis delectatione caret æquali voluptatis illicio, ideò non debuiſſe jure naturę graviter prohiberi.

54 Infertur quartò. Ebrietatem aliquando poſſe eſſe licitam, quando ſcilicet ad reparandam valetudinem, vel ad vitam ſervandam foret neceſſaria (niſi mortem intentans non bibenti, in contemptum Legis temperantiæ ebrietatem referendam exigeret, quo modo nullam unquam actionem Lege prohibitam ob quemcunque metum ponere licet, & in tali caſu S. Auguſtinus *Serm.* 232. inquit: *Etiamſi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, aut bibas, aut morieris, melius erat ut caro tua ſobria occideretur, quàm per ebrietate n anima moreretur*) ita apud Palao, quos ipſe ſequitur, tenent Valentia, Leſſius, Toletus, Azor, Layman. & ex Thomiſtis Cajetanus 2.2. *qu.* 150. *a.*2. aſſerens hanc eſſe mentem S. Thomæ *art.*2. *ad* 3. Sylveſter, quibus conſentit Navarrus, quem citatum ſequitur Villalobos Ordinis Min. *in Summa tom.*2. *tract.*40. *diffic.*6. *n.* 5. Neque tamen hinc ſequitur, idem dici poſſe de aliis peccatis, fornicatione, adulterio, homicidio &c. quia hæc abſolutè ſunt prohibita, adeòque propter nullius mali metum licita reddi poſſunt. Intelligo tamen citatos Doctores de eo caſu, qui non facilè, ut puto, continget, in quo morbus, vel periculum vitæ ſit grave, nec alio remedio facilè curabilis, ſine hac enim limitatione nec admitto, nec colligo hanc licentiam ex S. Thoma 2.2. *q.* 15. *art.*2. *ad* 3. ubi tantùm ait: Cùm aliquis multum comedit, vel bibit ſecundùm conſilium medicinæ ad vomitum provocandum, non eſt reputandus ſuperfluus cibus vel potus. Nec tamen ad vomitum provocandum requiritur, ut ſit potus inebrians: quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum cauſat, ideò propter hanc cauſam non excuſatur aliquis ab ebrietate. Subſumo. Ergo ut excuſetur, debet potus inebrians nullo alio remedio ſuppleri poſſe, quod vix continget.

§. III.

De Temperantia voluptatis Venereæ, ſeu de Caſtitate.

S V M M A R I V M.

55 *Quid ſit Caſtitas, & quid Virginitas, & quo modo inter ſe diſtinguantur.*

Illſung Theol. Moral.

56 *Conditiones requiſitæ ad virginitatem.*
57 *Sex ſpecies peccatorum contra Caſtitatem.*
58 *Fornicatio conjugatæ perſonæ cum altera non ſua eſt adulterium, etiamſi pars læſa conſentiat; & contrariam propoſitionem 50. meritò prohibuit Innocentius XI.*
59 *Quid ſit inceſtus, & an ille, qui eſt contra Ius naturale, differat ſpecie ab eo, qui eſt contra Ius poſitivum.*
60 *Quid ſit ſtuprum.*
61 *Quid raptus fornicationis cauſa.*
62 *Quid ſacrilegium luxurioſum.*
63 *Fornicatio eſt Iure naturali ſub peccato mortali illicita, & contraria Propoſitio 48. ab Innoc. XI. eſt juſtè prohibita.*
64 *Contra caſtitatem peccatur viſu, auditu, & tactu, voluptatis venereæ cauſa peractis.*
65 *Quomodo graviter peccetur per viſum.*
66 *Quomodo graviter peccetur per auditum.*
67 *Quomodo graviter peccetur per tactum.*
68 *Etiam tactus non venerei, proximè tamen diſponentes ad voluptatem veneream ſub culpa mortali prohibentur, meritòque ab Alex. VII. propoſitio 40. negans prohibita eſt.*
69 *Conjugibus prædictæ actiones ſenſuum externorum in ſuo, & conjugis corpore non ſunt graviter prohibitæ extra copulam ſecluſo pollutionis periculo.*
70 *Meritò tamen ab Innocentio XI. prohibita eſt propoſitio 8. & 9. negans culpam venialem, etiamſi ſenſualis voluptas non referatur ad finem honeſtum.*
71 *Pollutionem directè procurare, nec conjugibus, nec aliis, unquam licet, quacumque neceſſitate, vel fine ſpectato.*
72 *Præter intentionem, & ſecluſo periculo conſenſus evenientem pollutionem non teneris impedire, neque abſtinere ab actione, per ſe non connexa cum tali effectu.*
73 *Vitium naturæ in quatuor ſpecies dividitur, quarum differentia in confeſſione etiam explicanda eſt: & contrarias duas propoſitiones 24. & 25. meritò probibuit Alexander VII.*

CAſtitas eſt *affectus, & uſus venerei moderatio*; quæ quando perfecta eſt, etiam licitum uſum conjugalem cohibet. Diſtinguitur à virginitate tamquam includens ab incluſo. Virginitas enim, quatenus eſt virtus ſpecialis ſingulari laureola in cœlo coronanda, à S. Aug. *l. de Virg. c.* 13. definitur: *In carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio*: intellige per hanc vocem non ſolùm actum intellectus, ſed ex ea ortum voluntatis actum, atque ejuſdem executionem. Unde ex eodem S. Auguſt. *cap.* 8. *in fine* S. Thomas 2.2. *quæſt.* 152. *art.* 1. refert, & approbat etiam hanc definitionem, quòd virginitas ſit *Continentia, qua integritas carnis ipſi Creatori animæ, & carnis ſervatur*: adeòque virginitas ſumpta ſecundùm æſtimationem Theologicam, prout eſt virtus dignificans ad ſpecialem laureolam, cujus tam viri, quàm fœminæ capaces ſunt, eſt *perpetua carentia deliberatæ voluptatis venereæ in corpus redundantis*. 55

Dixi primò *Perpetua*: quia virginitas ſemel amiſſa, etſi reparari poſſit quoad culpæ remiſſionem, quoad dignitatem præmii tamen accidentalis, virginibus promiſſi, eſt irreparabilis: cùm debeat eſſe perpetua carentia voluptatis, quæ ſi ſemel voluntariè admiſſa eſt, hoc ipſo carentia non eſt perpetua, neque id, quod factum eſt, infectum fieri poteſt. 56

Dixi ſecundò *Deliberatæ voluntatis*: quia pollutio in ſomno; abſque voluntariè data cauſa eveniens, vel virginis violenta conſtupratio, non tollit virginitatem mentis, & corporis coram Deo, & in æſtimatione Theologica quoad rationem virtutis, ac dignitatem præmii, licèt in æſtimatione hominum tollat virginitatem muliebrem, quæ nihil aliud eſt, quàm fractio clauſtri virginalis per copulam, ſive voluntariam, ſive violentam.

Dixi tertiò *Venereæ in corpus redundantis*: per voluptatem veneream autem intelligitur omnis pollutio corporis, & commotio ſpirituum generationi ſervientium, atque etiam tactus impudici, qui per ſe eandem efficere poſſunt, etiamſi per accidens ipſa impediatur.

Per poſtremas particulas tamen indicatur, niſi voluptas

in corpus redundet, non peccari contra virginitatem, licèt peccetur contra caſtitatem, cui omnis luxuria, ſive interna ſive externa opponitur; quia tamen hæc externa eſt gravior, & vel magis deliberata, vel in ſuæ malitiæ gradu completa, ideò ipſa maximè in ſuas ſpecies dividitur, non diverſas quidem in genere luxuriæ, ſed per ordinem ad alias virtutes, quibus per differentias peccato luxuriæ conjunctas opponuntur.

57 Sex itaque potiſſimùm ſpecies peccati luxuriæ enumerantur à S. Thom. *2.2.q.154.art.1.* quem reliqui Doctores communiter ſequuntur, ſcilicet fornicatio, adulterium, inceſtus, ſtuprum, raptus, vitium naturæ, id eſt, voluptas venerea alio modo percepta, quàm quo eſt ordinata à natura ad procreationem prolis: quibus addi poteſt ſacrilegium: inter quæ, ut patet, ſola fornicatio, & peccatum contra naturam propriè ſunt ſpecies ſubalternæ luxuriæ: unde harum malitia hoc loco magis declaranda eſt; illarum verò ſolummodo inſinuanda.

58 Itaque adulterium peccato luxuriæ ſuperaddit differentiam ſpecificam injuſtitiæ, vel ſimplicis, ſi unus tantum, vel duplicis Juris, ſi uterque complex matrimonio junctus ſit, læſivæ, neque poteſt hæc ſuperaddita differentia injuſtitiæ evitari, etiamſi perſona læſa conſentiat in perſonæ ſibi copulatæ adulterium: quia ſicut contractus matrimonialis, neque per contrahentium mutuum conſenſum diſſolvi poteſt, ita neque poteſt perſona contrahens efficaciter cedere jure ſuo ad prohibendam copulam extra matrimonialem. Ideò Innocentius XI. vetuit hanc propoſitionem 50. *Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium, adeòque ſufficit in Confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.*

59 Inceſtus adiicit differentiam alicujus impietatis, vel irreverentiæ ſanguinis, ut vocant, quando ſcilicet luxuria committitur cum perſona ſanguine, aut affinitate, juncta in gradibus, vel jure naturæ prohibitis, uti ex omnium conſenſu apud Palao *de Spont. disp.4.p.7. numer.* 8. ad minimum eſt primus gradus conſanguinitatis in linea recta: vel jure poſitivo prohibitis, qui probabiliter (licèt etiam appoſita Cajetani ſententia *2.2.quæſt.154.nu.9.* & Lugo *de Pœnit. diſp.16. ſect.6.* valdè ſit probabilis) ſpecie diverſam, & in confeſſione exprimendam malitiam in actum luxurioſum refundunt, ita ut alia ſit, quando committitur cum conſanguineo, & alia, quando tantùm cum affine, non conjuncto per ſanguinem, ſed per ſolam copulam carnalem ex parte unius, cum conſanguineo alterius præhabitam; & iterum alia, quando committitur cum conſanguineo, in gradu jure naturæ dirimente matrimonium, & alia, in non dirimente jure naturæ, ſed tantùm poſitivo: ac denique alia, quando perpetratur cum conjuncto cognatione ſpirituali, qui impropriè dictus inceſtus eſt, ſicut etiam quando committitur cum cognato per adoptionem matrimonium dirimentem: ut teſtatur Leſſius *lib.4. cap.3. dub.11. num.75.* Ratio dictarum differentiarum eſt, quia cognationes ſunt notabiliter, & ſpecie moraliter diverſæ, conſequenter fundant diverſas obligationes abſtinendi à turpitudine venerea transfundente diverſam dedecentiam, pro diverſitate cognationis, & prohibitionis inducentis naturalem inhoneſtatem, ſi prohibitio eſt juris naturalis, vel poſitivam, ſi prohibitio eſt juris poſitivi, intendentis impedire diverſam dedecentiam, ſicut inducit ſpecie diverſum impedimentum dirimens matrimonium, nempè conſanguinitatis, affinitatis, cognationis civilis per adoptionem, & cognationis ſpiritualis per officium ſpirituale Patrini, unde inceſtus ex tali cognatione ortus eſt peccatum contra caſtitatem, & Religionem.

60 Stuprum in peccatum luxuriæ transmittit differentiam injuriæ corporalis per violentiam, & ablationem virginitatis fœmineæ.

61 Raptus, qui eſt violenta abductio fœminæ, ex uno loco in alium in ordine ad commodiorem ejus abuſum, etiam ſpecialem violationem juris in corpore, fama, & ſecuritate loci illatam, ac quoad modum quoque diverſam continet: unde novam ſpecificam differentiam in peccatum contra caſtitatem refundit.

62 Sacrilegium, quod multi advertunt cum ſancto Thoma loco citato *art.10.* prioribus ſpeciebus addi potuiſſe, adiicit peccato luxuriæ violationem Religionis, ratione voti, vel juramenti, quo qui peccat, vel quocum peccatur contra caſtitatem, obſtrictus tenebatur ad ſervandam caſtitatem. Vel ratione loci ſacri, quando is per pollutionem voluntariam, ac notoriam profanatur, ſive execratur. Et ſic quot diverſæ obligationes aliarum virtutum obligationi ſervandæ caſtitatis accedere poſſunt, tot extrinſecæ ſpecies peccati contra caſtitatem, ut etiam indicat S. Thomas loco citato, poſſunt enumerari: quæ verò huic immediatè, ac propriè opponuntur, ut diximus, duæ ſunt.

63 Primò enim immediatè virtuti caſtitatis opponitur fornicatio, quæ eſt copula cum non ſua: hanc autem non ſolùm jure poſitivo divino, ſed naturali eſſe graviſſimè prohibitam contra Durandum *in 4. diſt.33. q.2. num.* 10. omnes ferè Doctores affirmant, & ab Innocentio XI. damnata eſt hæc propoſitio 48. *Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta eſt, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur.* Verùm potiùs rationi diſſona eſt turpiſſima iſta aſſertio: quia ſi promiſcuè quilibet cum qualibet commiſceretur, maximus ſequeretur abuſus corporum, incertitudo naturalium Patrum, & prolis quoad educationem, ac Paternorum bonorum ſucceſſionem deſtitutio: quæ, & alia ejuſmodi graviſſima mala humanæ naturæ, lumen naturale dictat, ſufficienter impediri non potuiſſe, niſi DEUS, ut Author naturæ omnem copulam cum non ſua per neceſſariam diſplicentiam, adeòque non ſolùm per legem poſitivam, & arbitrariam, graviter prohibuiſſet, uti etiam prohibuiſſe teſtatur S. Paulus *ad Epheſ.5. & ad Galat.5.*

64 Quia autem naturæ Author fornicationem, & alterum vitium, quod ſpecialiter dicitur peccatum contra naturam, non ſufficienter impediviſſet, niſi etiam eas actiones reddidiſſet illicitas, quæ proximè ad illa diſponunt, quæque à triplici potiſſimùm ſenſu, viſu, auditu, & tactu eliciuntur, ideò apud omnes certum eſt, etiam illas, peccati impudicitiæ nomine à S. Thoma comprehenſas, naturali jure prohibitas eſſe, niſi ut inquit S. Doctor *loc.cit.ar.4.* ſpecialis neceſſitas, vel alia rationabilis cauſa eas excuſet, & quaſi conditionem tollat conditionatæ prohibitionis: quo modo nimirum omnis diſpoſitio proxima ad peccatum, quæ in ſe mala non eſt, ſolet prohiberi.

65 Incipiendo itaque à Viſu, ſeu Aſpectu communis eſt DD. ſenſus, ex S. Matthæo *cap.5.* deſumptus, ſi viſus in ordine ad repræſentandam, vel habendam copulam carnalem, vel ad excitandam delectationem veneream adhibeatur, quæ in commotione ſpirituum generationi ſervientium in partibus verendis conſiſtit, eum abſque dubio eſſe peccatum mortale propter finem moraliter peccaminoſum, nempè fornicationem, vel voluptatem illam commotionis partium, quæ ſaltem eſt inchoata fornicatio, vel peccatum contra naturam, immediatè, & proximè ad alterutrum illorum diſponens, & jam formaliter continens illud illicium, propter quod actus ultimatus ſub mortali peccato eſt prohibitus. Si autem ad alium finem ordinetur, ſpectandum eſt, utrum is ſit honeſtus, utilis, aut neceſſarius, vel non ſit: ſi primum, permittitur talis aſpectus, etiam partium, ſi opus eſt, impudicarum, ſecluſo periculo conſenſus in turpem actionem, aut complacentiam, ut dein de tactu dicemus: ſi ſecundum, & ſi aſpectus ſit partium verendarum alterius ſexus, vel ipſius copulæ conjugalis, non merè inſtantaneus, ſed fixus, & propinquus, ex communi doctrina peccati mortalis damnatur: ſi autem ex mera curioſitate ſit proprii corporis, vel alterius ejuſdem ſexus, vel bruti animalis, aut actualis copulæ illius, vel ſi tantùm tranſiens, aut ex loco remoto, ſecluſo iterum periculo conſenſus in turpem delectationem internam, vel externam, à mortali excuſari aſſerit Sanchez *diſp.46. de Matrimonio à num.27.* Palao *diſput.3. p.7. §.2. num.13.* Eò quòd iſte aſpectus regulariter, & per ſe loquendo non vehementer commoveat naturam, adeòque non immediatè, & proximè ad luxuriam diſponat: quamvis in proclivibus ad hujuſmodi peccatum putem rarò à fixiore aſpectu periculum conſenſus, vel complacentiæ ſecludi poſſe.

66 Auditu (eadem eſt ratio de lectione turpium librorum, vel Epiſtolarum amatoriarum, & ſpectatione obſcænarum exhibitionum) peccatur quidem mortaliter, quando turpis delectatio ex alterius verbis inhoneſtis, aut

aut cantilenis, in animo vel corpore exſurgens, tamquam finis intenditur, vel proximum ejus periculum timetur, vel alteri ad hujuſmodi ſermones cum tali periculo ferendos animus additur, ſecluſo tamen hoc fine, atque periculo, & ſcandalo, quando tantùm ex curioſitate, vel delectatione cantus muſici, vel lepiditate verborum, & modi proponendi aures prębentur, vel riſu hujus poſterioris, non autem prioris delectationis indicium editur, peccatum tantùm veniale committi plures Doctores concedunt: Credo tamen frequentiùs ad turpem finem, aut grave periculum, aut proximi ſcandalum, præſertim inter Juvenes ad turpia pronos, vel coram diverſo ſexu intervenire, quàm omnia, & ſingula abeſſe: Unde alterutro eorum interveniente jam ſub gravi culpa tenetur quis, vel turpiloquio, aliiſque ſimilibus rebus, ſi fieri poteſt, ſe ſubducere, vel ſermonem divertere, aut impedire. Idem multò magis dicendum eſt, quando tu ipſe talia loqueris, cantas, ſcribis, exhibes, & prædicto fine, vel cum illo periculo, aut ſcandalo, quando præſertim integræ comœdiæ, vel etiam turpes imagines penicillo repræſentantur, aut libri eduntur, quæ ordinariè ſine multorum ſpirituali ruina fieri non poſſunt.

67 De Tactu eadem ferè, quæ de prioribus ſenſibus dicta ſunt, ſed cum majori cautela caveri debent, quia, quę ſenſuum externorum functiones illicitas reddunt, nempè finis inhoneſtas, vel turpis delectationis internæ aut externæ periculum, potiſſimùm in tactu reperiuntur. Itaque licèt oſcula, & amplexus honeſti in ſignum amicitiæ, & inter ſponſos etiam in ſignum majoris charitatis juxta morem patriæ præſtiti per ſe loquendo culpa vacent, ut cum S. Thoma 2. 2. *q.*154. *art.*4. omnes fatentur, & licèt ex eorundem aſſenſu tactus partium quoque verendarum, ex neceſſitate illis medendi, vel fricando mordentem dolorem repellendi (quod tamen honeſtius fit fricatione non nuda, ſed per induſium) vel ab immunditiis, & adhærente lanugine mundandi ab omni peccato excuſetur, non obſtante involuntariæ pollutionis periculo, modò abſit periculum interni in illam conſenſus ut ex Fillucio *tom.*2. *cap.*30. *num.*150. utroque Sanchez, Reginaldo, Bonacina tradit Palao *par.*7. *diſp.*3. *p.*7. §. 8. *num* 5.

Et licèt ſecundùm citatos Doctores contrectatio ex levitate, vel curioſitate circa verendas partes bruti animalis, aut proprii corporis, abſque delectatione tamen venerea, aut pollutionis periculo, vel complacentiæ, præſtita, vel circa partes alieni corporis non nudas, per ſe loquendo venialem culpam non excedat, quia regulariter ad excitandos carnales motus eſt inſufficiens, ſemper tamen peccatum mortale eſt, quando hujuſmodi actiones fiunt ex intentione fornicationis, pollutionis vel delectationis, ex commotione ſpirituum in partibus genitalibus provenientis, vel cum probabili, & non neceſſario periculo conſenſus, complacentiæ, aut delectationis etiam tantùm mentalis.

68 Immò quia oſcula, amplexus, præcipuè verò tactus, partium etiam non verendarum, ſed mollium, v. g. uberum propter ſolam ſenſibilem delectationem, & non præcisè propter prædictos honeſtos fines præſtiti in corpore alterius ſexus, vel perſonæ periculoſæ, naturaliter, & plerumque ſunt connexi, vel proximè diſponunt ad aliquam delectationem Veneream, ideò etiam illos communis, & vera ſententia à peccato mortali non excuſat, præſertim quando ejuſmodi actus, ut Palao requirit, aliquamdiu continuantur, aut frequentantur, vel quando illa connexio aut diſpoſitio rationabiliter prævidetur. Unde contrarium docere ſub excommunicatione ſummo Pontifici reſervata prohibuit Alexander VII. damnans propoſitionem 40. aſſerentem: *Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantùm veniale oſculum, habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.* Ex hoc autem colligitur, eos tactus, quos alter ſine culpa nequit exercere, abſque eadem neminem poſſe in ſe exercendos admittere.

69 Conjugibus tamen ſicut conceditur ultimus actus matrimonialis, ſic probabilius à communiore ſententia contra Vaſq. *to.*1. *in* 1. 2. *diſp.*113. *n.*4. ſine culpa mortali conceduntur omnes prædictę actiones ſenſuum externorum, vel mutuò vel cuilibet etiã in ſuo corpore, etiãſi ad copulam conjugalem non referantur, modò periculum pollutionis abſit: cui enim licitus eſt finis, illi licet etiam medium ex natura ſua ordinatum ad talem finem; atqui conjugibus licet copula matrimonialis, & actiones ſenſuum ex natura ſua ſunt ordinatæ ad illius executionem promovendam, etiamſi per actualem intentionem ad illam non referantur, & finis non ſubjungatur.

Confirmatur. Finis matrimonii non tantùm eſt generatio prolis, ſed etiam ſedatio concupiſcentiæ: atqui iſte poteſt obtineri per ſolos aſpectus, & tactus ſine actuali copula, ergo per ſe loquendo conjugibus licent: unde ſi quis ſit exceſſus in objecto per ſe illis licito, ſolùm eſt culpa venialis: ſicut nimium ſtudium voluptatis in cibo, & potu: proinde ſola, & inutilis effuſio ſeminis extra vas debitum ipſis eſt ſub mortali prohibita, etiamſi copula quoad modum, abſque pollutionis tamen periculo, etiam non rectè peragatur, modò rectè peragatur quoad ſubſtantiam, ut ſemen non extra vas debitum ſpargatur, à qua ordinariè ſub mortali non tenentur abſtinere tempore puerperii, conceptionis, fluxus menſtrui, vel alio quovis tempore, per ſe loquendo: quia periculum proli concipiendæ imminens ratione ſanitatis, vel nullum, vel incertum eſt; unde propter illud conjuges jure ſuo privari non debent, quibus aliàs ſæpè majus periculum incontinentiæ immineret, ut dicam ſuo loco.

Illud tamen adhuc circa conjuges notandum, nempè 70
ab Innocentio XI. condemnatam eſſe hanc aſſertionem 9. *Opus conjugii, ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa ac defectu veniali*, ſicut etiam ab eodem Pontifice hæc immediatè præcedens propoſitio repudiata eſt: *comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit valetudini: quialicitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.* Verùm aliud eſt frui, & aliud in illis quieſcere, nec ad finem, ad quem homo ordinatus eſt, referre; ob quam cauſam etiam verbum otioſum peccatum veniale eſt.

Secundò. Opponitur Caſtitati vitium contra naturam, 71
ſic dictum, quia eſt effuſio ſeminis aliter facta, quàm prout ſervit ad intentionem naturæ, concedentis potentiam generativam in ordine ad procreationem prolis, unde quando eſt aliter tantùm quoad modum, ut ita procreatio prolis non impediatur, hæc circumſtantia non ſuperaddit malitiam mortalem actui in ſe licito cum ſua conjuge, vel illicito cum non ſua; quando verò eſt aliter facta quoad ſubſtantiam, directè, & voluntariè, ſemper eſt peccatum mortale, pro nullis circumſtantiis excuſabile, neque à Deo diſpenſabile. Ratio fundamentalis rectè aſſignatur à Sanchez *lib.*9. *de Matrimonio diſp.*17. *num.*16. Quia ſi pro aliquo caſu neceſſitatis etiam extremæ, & in ordine ad vitam conſervandam abſque mortali culpa licita eſſet procuratio effuſionis ſeminis, propter vehementiam voluptatis ſenſibilis plurimi fierent abuſus ex falſa, & proclivi perſuaſione urgentis neceſſitatis, cedentes in præjudicium naturæ humanæ, & propagationis ſpeciei: ergò neceſſariò pro omni caſu abſolutè debuit reddi illicita ab Authore naturæ; & quia objecti inhoneſtas à conditione variabili eſt independens, neque ipſe in Lege ſua diſpenſare poteſt, ut in materia de legibus diximus; neque hoc eſt contra generale principium, quòd ejuſdem ſit ponere, & tollere legem, id enim ſolummodò in legibus poſitivis, ſeu contingentibus locum habet.

Atque ex hac ratione patet, cur pollutio ex cauſis non 72
per ſe ad eam efficiendam à natura ordinatis, præter intentionem hominis eveniens non ſpecialiter ab Authore naturæ prohibita fuerit, quia modò non poſſit habere rationem motivi allicientis, & ſaltem partialiter intenti hoc ipſo jam ſufficienter cautum eſt, ne ea malitioſè procuretur: & ex altera parte ſi illam neque naturaliter & ex aliis cauſis, remotè ob alium finem appoſitis, provenire præviſam, pati, ſeu permittere liceret, multæ actiones homini utiles omitti deberent: ergo non debuit ſic eſſe prohibita, conſequenter homo naturaliter ortam non tenetur cohibere, neque à commoditate ſitus lecti, equitationis, potus (niſi ſolùm ad evitandam intemperantiam) abſtinere, etiamſi ex his natura per accidens concitati ſoleat: modò abſit internus conſenſus, & complacentia, aut periculum illius; atque ita docent Thomas Sanchez *lib.*9. *de Matr. diſput.*17. Palao *parte* 7. *diſp.*3. *p.*7. *num.*4. & 5. Layman. *lib.*3. *S.*4. *num.* 17 Fil-

liucius *tomo 2. tractat. 3. cap. 8. numer.* 147. & alii apud ipſos.

73 Dividitur vitium naturæ potiſſimùm in 4. ſpecies. Primò in Beſtialitatem, quæ eſt effuſio ſeminis cum beſtia. Quo revocatur etiam commixtio cum diabolo, ſe hominem fingente, quæ ob ſpecialem contemptum Dei etiam Sacrilegii ſpeciem continet: quia eſt directa cooperatio ad actionem, quæ cognoſcitur à diabolo eſſe intenta in formalem contemptum, ac odium DEI. Secundò in Sodomiam, quæ eſt effuſio ſeminis virilis cùm alio ejuſdem ſexus in vaſe præpoſtero (cum alio enim diverſi ſexus, vel inter fœminas dicitur dari imperfecta Sodomia, non ſubjecta pœnis, peccato Sodomiæ ſtatutis) Tertiò in ſimplicem pollutionem, quæ etiam mollities, vel immunditia dicitur, qua proprium corpus fœdatur, atque in Confeſſione ſpecialiter explicanda eſt cum tactibus impudicis, vel alia ſimili cauſa Venerea. Sicut etiam explicanda eſt copula fornicaria, ſi hæc tactibus impudicis eſt ſuperaddita: neque enim, ut Alexander VII. in prohibitione propoſitionis 25. inquit, *qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto, dicens: Commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam*. Quartò in copulam factam modo indebito, qui, ut dixi, nullam ſpecialem malitiam, niſi venialem, ſubſtantiæ actus conjugalis, vel fornicarii, ſuperaddit, ſecluſo periculo ſeminationis extra vas debitum. Cæterùm has differentias ſpecificas in confeſſione diſtinguendas, & explicandas eſſe, declaravit præfatus Alexander VII. prohibitione hujus propoſitionis 24. *Mollities, ſodomia, beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ; ideoque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.*

§. IV.

De eadem Temperantia voluptatis venereæ quoad actus Internos.

SUMMARIUM.

74 *Specifica differentia actuum internorum contra caſtitatem deſumitur partim ex malitia objectiva, partim à diverſo modo tendendi, partim à circumſtantiis, tenentibus ſe ex parte objecti, niſi ea præſcindantur per affectum ſolummodo conditionatum.*

75 *Licèt aliarum virtutum oppoſitarum circumſtantiæ præſciendi poſſint, inhoneſtas tamen caſtitati oppoſita nequit præſcindi.*

76 *Diverſitas ſenſuum externorum inducit differentiam ſpecificam tam in peccata interna, quàm externa.*

77 *Moroſa delectatio, deſiderium, & conſenſus in voluptatem veneream ſpecie diſtinguuntur, in Confeſſione exprimenda cum voluptate objectiva, ſpecie diverſa.*

78 *Actus voluntatis, qui ex natura ſua non ſunt ordinati ad cauſandam commotionem ſpirituum genitalium, non ſunt Venerei, proinde nec continent malitiam oppoſitam caſtitati.*

79 *Cavendum tamen, ne prædicti actus degenerent in voluptatem veneream.*

80 *Actus interni de voluptate Venerea cum perſona aliena, æque ſunt illiciti conjugatis, quàm non conjugatis.*

81 *Imò ratio conjugii addit illis diverſam ſpecificam malitiam, etiamſi tantùm ſit moroſa delectatio.*

82 *Solvitur objectio ſentientium contrarium.*

74 EX his, quæ de peccatis externis caſtitati oppoſitis dicta ſunt, colligitur, quid de internis dicendum ſit. Pro quorum ſpecifica diſtinctione melius intelligenda, & in Confeſſione neceſſariò explicanda, ſupponendum eſt, ſpecificam illorum differentiam partim deſumi à ſpecifica diverſitate malitiæ objectivæ, partim à diverſo modo tendendi in malitiam objectivam; ſicut enim ſupra enumeravimus varias peccatorum ſpecies caſtitati oppoſitas, & inter has in vitio naturæ iterum alias ſubdiſtinximus, ideò actus interni, qui in illas ſpecies tamquam in ſua objecta; & veluti malitias objectivas tendunt, eaſque à ſe invicem non præſcindunt, ſimilem diverſitatem ſpecificam contrahunt. E. g. deſiderium copulæ fornicariæ cum fœmina ſoluta ab omni vinculo Matrimonii, & voti caſtitatis, eſt ſpecie diverſum à deſiderio copulæ cum conjugata, & utrumque eſt ſpecie diverſum à deſiderio copulæ cum obſtricta voto caſtitatis, niſi poſteriora duo deſideria ſint tantùm conditionata, & præſcindentia malitiam ſpecificam, peccato caſtitatis ſuperadditam, ut ſi quis deſideraret copulam cum aliqua ſęmina non abſolutè, ſed conditionatè, & niſi ſcilicet matrimonio, vel voto eſſet ligata: tunc enim ſufficeret in Confeſſione explicare deſiderium copulę fornicarię, ut pręſcindens ab aliis circumſtantiis ſpeciem mutantibus, & non transfundentibus propriam inhoneſtatem objectivam in actum deſiderii.

Quòd ſi tamen aliquis per ſuum deſiderium ſimiliter etiam pręſcinderet malitiam objectivam fornicationis, ſi nempè deſideraret copulam cum alia ſęmina non ſua ſub hac cōditione, ſi nimirum eſſet propria uxor, ſibi matrimonio juncta, & ſi de eadem copula, ut ſibi per imaginationem propoſita in mēte delectaretur, is adhuc peccaret mortaliter, quia licèt talis copula non eſſet inhoneſta inhoneſtate fornicationis, propter deſideriū removens ſtatū cœlibatus, ſive negationem vinculi matrimonialis ab utroque, eſſet tamen reſpectu habentis deſiderium tale adhuc inhoneſta inhoneſtate verè caſtitati oppoſita, quatenus terminat tale deſiderium ſenſibiliter delectativum, & quatenus apta eſt commovere humores genitales in ordine ad delectationem veneream in corpore, eam delectabiliter deſiderantis; unde licèt confitens tale deſiderium non rectè diceret, habui deſiderium fornicandi: dicere tamen deberet, ſe habuiſſe deſiderium dicto modo conditionatum, & delectativum. 75

Ratione diverſę inhoneſtatis objectivę etiam ſpecie diſtinguuntur internę delectationes de diverſis vitiis naturę, & de diverſis voluptatibus impudicis ſenſuum externorum, quę percipi poſſunt ex viſu, auditu; tactu ſupra memoratis, ita ut in confeſſione exprimendus ſit ille ſenſus, de cujus voluptate inhoneſta mens delectabatur, vel etiam deſiderio tenebatur; ſicut ipſa voluptas diverſa, ſenſu externo percepta, diſtinctè explicanda eſſet, niſi fuiſſet ordinata ad copulam actualem, in cujus confeſſione neceſſariò exprimendę, omnis connexa alia delectatio ſenſuum includeretur. 76

Ratione modi tendendi diverſi, ſpecie quoque differunt, & ex obligatione caſtitatis ſub peccato mortali prohibentur, moroſa, id eſt, non illico, & abſque mora repulſa, ſed deliberatè admiſſa delectatio ex voluptate venerea, & deſiderium delectativum, & conſenſus in illam, etiamſi hi actus circa eandem voluptatem ex parte objecti verſentur. Quia enim ſinguli ſunt ex natura ſua ordinati & idonei ad proximè cauſandam commotionem ſpirituum, generationi inſervientium, & ad delectationem veneream in corpore, quamvis ea actu non ſequatur, ideò ſicut actus ſenſuum externorum prohibiti ſunt, etiam illi actus merè interni debuerunt ex naturali obligatione caſtitatis graviter prohiberi. 77

Et quia aliter animo eſt conſtitutus, atque aliter diſpoſitus ad procurandam ſibi veneream voluptatem, qui illa per imaginationem moroſè tantùm delectatur; & aliter, qui illam etiam deſiderat, affectu quidem inefficaci; & rurſum aliter, qui omninò conſentit in voluptatem veneream ſibi procurandam, occaſionem quęrendam, media adhibenda &c. Idcircò hujuſmodi actus ſpecie diſtinguuntur, & in confeſſione diſtinctè eſt explicandum, an habueris delectationem, vel deſiderium, vel conſenſum de turpi tactu, viſu, auditu, vel de ipſa copula; ex his enim omnibus variatur differentia ſpecifica actus interni peccaminoſi.

Circa modum tendendi actuum internorum iſtud tamen adhuc eſt obſervandum cum Cardinali de Lugo *tom. de Pœn. diſp. 16. ſect. 6. n.* 385. referente Thomam Sanchez *lib. 1. in Decalog. c. 2. n.* 32. Quod ſi pręſcindatur malitia ex parte objecti, poſſit dari aliquod gaudium, vel deſiderium voluptatis venereę ſive copulę cum ſęmina, quod non ſit peccatum, Verba Authoris ſunt iſta; *Infero*, inquit, *licèt malitia, quæ deſumitur ab objecto, competat omni delectationi, quæ circa illud verſatur, ſicut & omni deſiderio; malitiam tamen, quæ non deſumitur ab objecto, non competere omni delectationi in materia venerea, ſed illi, quæ affert, vel apta eſt afferre ſecum illam corporis commotionem ſupra explicatam. Poteſt enim dari alia delectatio, vel gaudium* 78

tale

tale, de copula licita, vel aliena, vel propria, præterita, vel futura, quæ ſit mera approbatio objecti, quaſi ſpeculativa, ut cum vidua gaudet, ſi reddidiſſe debitum viro, vel ſe expertam fuiſſe delectationem conjugalem: vel ſponſus gaudet, quod poterit frui ſponſa; quæ delectatio in modo tendendi non differt ferè à deſiderio, nec affert ſecum illam corporis commotionem, ſicut affert illa alia, quæ verſatur circa objectum, ſicut ſi eſſet præſens: quam differentiam unuſquiſque facilè experitur, & aliqui Authores illam explicant, dicendo, delectationes, quæ ſunt in ſola voluntate, eſſe licitas, non verò, quæ ſunt in appetitu ſenſitivo.

79 Quam doctrinam etiamſi & ego veram cenſeam, aliàs ſponſis, & viduis innumera peccata imponere neceſſe eſſet, cavendum tamen diligenter, & ſollicitè, ne aut continuatione, aut frequentatione, aut intenſione hujuſmodi gaudii vel deſiderii, non ita delectantis appetitum ſenſitivum, ut delectationem veneream in corpore concitare queat, excitata & roborata phantaſia, & ſenſus internus, objectum venereum ita vivaciter, & velut præſens proponat, ut voluntas de eo, ut tali, etiam deſiderium, vel gaudium, imaginariè & ſenſibiliter delectativum concipiat, quod aptum ſit etiam in corpore commotionem veneream parere: quale gaudium vel deſiderium etiam in ſponſis, & viduis foret peccatum mortale, ut communiter conſentiunt Doctores. Qui verò videntur diſſentire, & dicere, quòd liceat viduis gaudere de copula conjugali, illi de priori gaudio, non de poſteriori intelligendi ſunt, vel potiùs, de gaudio propter effectum, connexum cum copula conjugali, quatenus hæc fuit cauſa prolis, vel ſedationis concupiſcentiæ, vel amoris conjugalis, vel ſanitatis &c. Quo modo etiam licet homini ſoluto gaudere, vel delectari de objecto conjuncto cum pollutione involuntaria, quatenus ſcilicet eſt cauſa alicujus effectus utilis v. g. ſanitatis, aut diminutionis tentationum &c. hoc enim non eſt gaudere de ipſa voluptate venerea, invito eveniente, & ſemper deteſtabili, ac deteſtanda.

80 Id quod de Actibus internis non conjugatorum dictum eſt, extenditur etiam ad actus internos conjugatorum, quando ſunt de perſona aliena: unde quando maritus (eadem eſt ratio de uxore) inter copulam conjugalem ſibi imaginaretur alienam perſonam, peccaret mortaliter peccato turpis delectationis, vel etiam peccato adulterii mentalis, ſi illa imaginatio foret conjuncta cum deſiderio copulæ cum aliena: & ſi hæc itidem conjugata eſſet, id ſpecialiter in confeſſione explicandum eſſet, ſicut quando duo conjugati actu fornicantur, & utrinque reale adulterium committunt.

81 Quæſtio tamen adhuc circa conjugatos moveri ſolet, an quando perſona conjugata non habuit deſiderium copulæ cum aliena, ſed ſolam delectationem moroſam, talis in confeſſione turpis delectationis internæ, etiam indicare deberet circumſtantiam proprii conjugii, quemadmodum voto caſtitatis obſtrictus in confeſſione moroſæ delectationis tenetur explicare circumſtantiam proprii voti caſtitatis: quia is per hujuſmodi votum ſe obligat ad non habendam delectationem mentalem, nec poteſt ex parte proprii ſubjecti præſcindere à circumſtantia voti, quamvis poſſit ex parte objecti, ſicut ſuprà diximus, moroſam delectationem circa perſonam conjugio, vel voto ligatam ab utroque vinculo præſcindere.

Affirmativè reſpondet Lugo *citato tomo de Pœnitentia diſp.* 16. *num.* 387. referens Bonacinam *quæſt.* 4. *punct.* 8. *de Matrim. nu.* 19. & aſſerens eſſe fidelium praxim; eò quòd conjuges, ſicut ſibi mutuò illicitam reddunt delectationem veneream, ex commotione partium genitalium in corpore intuitu perſonæ alienæ perceptam, tanquam graviter præjudicioſam fini matrimonii, ita etiam ſibi reddant illicitam delectationem internam, ex natura ſua aptam parere hujuſmodi voluptatem veneream in corpore. Quæ ratio confirmari poteſt, paritate aliorum actuum tam internorum, quàm externorum: nam ſi perſona conjugata habuiſſet deſiderium copulæ cum aliena, vel ſi per viſum, amplexum, tactum impudicum cum illa peccaſſet, deberet circumſtantiam ſui conjugii ſimul in confeſſione talis peccati exponere, quia hi actus ſunt apti inducere, ac diſponere ad copulam adulterinam, ergo propter eandem aptitudinem inditam delectationi internæ, etiam debet explicari ſtatus conjugalis.

Hanc rationem conatur enervare Arriaga apud Dianam proximè citandum, opponendo aliam paritatem, quòd nempe, qui habuit turpem delectationem internam erga conjugem alienam, non fecerit injuriam illius marito, neque debeat explicare, quòd fœmina, circa quam delectabatur, fuerit conjugata, etiamſi delectatio illa interna fuiſſet apta diſponere ad actus externos ejus marito injurioſos, ergo nec facit injuriam ſuæ uxori, nec tenetur explicare, quòd habeat propriam uxorem.

Reſpondebit tamen Lugo ad hanc paritatem, quòd maritus magis ſit obſtrictus ſuæ uxori, cum qua immediatè inivit contractum excluſivum omnis delectationis venereæ, tam internæ, quàm externæ cum aliena, non autem ullum contractum iniverit cum marito alienæ uxoris: proinde tantùm ratione contractus, quo uxor aliena ſe ipſam pleno jure tradidit ſuo marito, eidem fiat injuria ab eo, qui per actus externos uxorem alienam ſibi uſurpat, vel ejus uſum abſolutè deſiderat.

Nihilominus Diana *part.* 9. *tract.* 6. *reſolut.* 4. cùm pro prædicta affirmativa ſententia tanquam probabiliore retuliſſet inſuper Leandrum, Sanchez, Salas, Candidum, etiam oppoſitam negativam ſententiam aſſerit probabilem, & pro eadem aſſertione probabilitatis citat P. Franciſcum Lugo *de Princip. Theol. Moral. part.* 2. *c.* 1. *q.* 4. *num.* 46. Boſſium *tract. de Scrupulis* §. 7. *num.* 146. Arriagam *in Curſu Theologico tom.* 3. *diſp.* 47. *S.* 4. *numer.* 28. Gaſparem Hurtado *diſp.* 4. *difficult.* 10. *prope finem*: ubi ait: *contrariam carere ſufficienti fundamento*. Sed hoc jam oſtenſum eſt ex Card. de Lugo, & ex Reſponſione ad ſolutionem Arriagæ: & ideo etiam, licèt in oppoſitum inclinet, tamen non auſus eſt recedere à ſententia communiore, & longè probabiliore P. Palao *p.* 1. *tr.* 2. *diſp.* 2. *pun.* 10. §. 4. *in fine*.

DISPUTATIO II.

De Juſtitia, & Jure per illam unicuique tribuendo.

INter virtutes Cardinales Juſtitiam quidem ultimo loco ponimus, non dignitatis ordinem attendentes, ſed methodi commodioris, ut à facilioribus ad difficiliora ordinariùs progrediamur: & quia plurimæ de hac virtute, ſcitu ſummè neceſſaria, difficultates occurrunt, eas in duas Diſput. diſtribuemus. Prior & præſens Diſputatio erit de Juſtitia, & Jure unicuique tribuendo; altera erit de Juſtitia, & Jure læſo reſtituendo, ſive de damno illato reparando.

QVÆSTIO I.

De Juſtitia in Genere, ac in Specie.

NOn eſt nobis hìc ſermo de Juſtitia latiſſimè ſumpta, qua vel ſignificatur gratia juſtificans, ſive reddens hominem juſtum, ac ſanctum, vel denotatur collectio omnium virtutum, à qua homines virtuoſi, juſti, ac pii vocantur. Nec etiam de Juſtitia minùs latè accepta ſermonem inſtituimus, qua omnes illæ virtutes comprehenduntur, quæ ex fine, & motivo ſuo formali

mali ordinant ſuum ſubjectum ad alium à ſe diſtinctum, habentem aliquod jus ſaltem impropriè dictum, adverſus eum, in quo hujuſmodi habitus virtutum recipiuntur. Quales ſunt Religio erga Deum, Pietas erga parentes, & conſanguineos, Gratitudo erga benefactores, Obedientia erga Superiores, Miſericordia erga miſeros, Obſervantia erga majores &c.

Solummodò etiam breviter ſermonem facimus de prędictarum virtutum ad alterum directarum reſtrictione, ad quatuor dumtaxat ſpecies, ſcilicet ad Juſtitiam commutativam, Diſtributivam, Legalem, & Vindicativam: in quas celebris eſt Juſtitiæ diviſio; licèt ex iis prima ſolùm propriè dictam rationem ſpecificam juſtitię participet, nec illa diviſio ſit generis in ſpecies, ſed Analogi in Analogata, propter ſimilitudinem ſpecialem, quam habent cæteræ tres ſpecies cum Juſtitia propriè tali, & propter diverſum ordinem ad alterum: nam ut paulò poſt declarabimus, ſicut juſtitia commutativa (ſic dicta, quia præcipui, & plerique ejus actus in rerum commutatione conſiſtunt) ordinatur ad alterum privatum, vel inſtar privati ſe habentem, ita diſtributiva, qua bona communitatis ſecundùm cujuſque recipientis dignitatem diſtribuuntur, ordinatur ad alterum partim privatum, partim ad communitatem qua talem, & Legalis ad ſolam communitatem, vel quatenus ſingulæ perſonæ privatæ ſunt partes unius integræ communitatis: & ſicut dictæ tres ſpecies intendunt, & obſervant aliquo modo æqualitatem boni conferendi, cum alterius jure ad illud, ita Juſtitia vindicativa attendit æqualitatem mali, ſive ſupplicii inferendi, cum delicto, & reatu pœnæ, aliquo modo debitæ ex jure naturali, vel poſitivo: ab obſervatione enim alicujus æqualitatis prędictæ virtutes nomen Juſtitiæ nanciſcuntur, & ipſa Juſtitia ſæpè æquitas vocatur, ac Bilancis ſymbolo repræſentatur, quia quodam æquilibrio alteri præſtandam rem ipſius juri, aut merito adæquat.

ARTICULUS I.

Quid ſit Juſtitia commutativa, & quomodo differat à Diſtributiva.

SUMMARIUM.

1 *Definitur Juſtitia commutativa.*
2 *Explicatur* Jus, *in ordine ad quod Juſtitia definiebatur.*

1 JUſtitiam propriè acceptam, prout eſt Virtus Cardinalis, Ulpianus *l.* 10. *ff. de Juſtitia & Iure*, aſſentientibus omnibus Theologis, ac Juris Conſultis, commodè definivit: quòd ſit *conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi*. Vocabulum *voluntas* ſumitur hìc non pro potentia volitiva, ſed pro actu volitionis: nam potiſſimùm definitur Juſtitia actualis ex qua facilè deducitur definitio ipſius habitus: quia habitus definiuntur in ordine ad ſuos actus, qui proinde, ut ſint aliquid notius, priùs definiri debent. Particula *conſtans* non idem ſignificat hìc, ac perſeverans, ſed idem, ac firma, ac ſuperativa difficultatum occurrentium; hæc etiam *perpetua* non denotat perpetuitatem formalem actus, ſed potiùs perpetuitatem objectivam, in quam tendit actus, dum eſt volitio ſemper, & pro omni tempore tribuendi jus ſuum, ſive poſitivè, illud præſtando, ſive negativè, illud non lædendo. Similiter particula *cuique* ſumitur partim poſitivè, ut ſcilicet hominibus, in quos volitio fertur, velit tribuere jus ſuum, partim negativè, ut ſcilicet in neminem feratur, cui non velit tribuere jus ſuum; quia enim bonum eſt ex integra cauſa, & malum ex quolibet defectu, Ideò ille actus, quo quis, vel homini alicui, vel aliquo tempore vellet non tribuere jus ſuum, non actus juſtitiæ, ſed injuſtitiæ eſſet.

2 Præcipuam hujus definitionis difficultatem pariunt particulę *Ius ſuum*, quibus etiamſi nil aliud intelligatur quàm Jus paſſivum, ſcilicet illa res, vel actio, vel omiſſio actionis, quę debetur, illud tamen, qua tale, non poteſt intelligi ſine jure activo, quod facit rem, vel actionem, vel omiſſionem actionis, eſſe debitam, & obligatoriam. Cùm autem non omne debitum activum, ſive obligatio ſit activum jus propriè dictum, hinc ad intelligendam definitionem Juſtitię neceſſaria eſt notitia Juris activi ſtrictè dicti; nam latè loquendo poteſt dici jus activum, ſicut omnis executio obligationis, ut ſuprà dixi, eſt Juſtitia latè accepta: ſub qua acceptatione Juris ipſum in materia de legibus dividitur Jus in naturale, & poſitivum, & in Jus gentium, prout nimirum, vel naturali neceſſitate, vel poſitiva, ac libera voluntate ſuperioris, vel gentium uſu, ac conventione obligatio aliqua eſt introducta. Verùm tam lata acceptio Juris activi non eſt hujus loci; quòd ſi eam reſtringas, dicendo Jus activum eſſe id, quod obligat ex Juſtitia, vel cujus violatio injuriam conſtituit, committis hoc ipſo circulum vitioſum, & conceptus Juſtitię ſupponitur ad ſe ipſum, ipſumque definitum ingreditur definitionem, quatenus obligatio Juſtitię, vel ejus violatio, ſive Injuria, in ordine ad quam definitur Juſtitia, deberet viciſſim explicari per Juſtitiam.

Ad hanc difficultatem pręcavendam neceſſe quidem fuiſſet, pręmittere definitionem Juris activi, quia tamen ejus exactam notitiam paucis abſolvere non poterámus, ideò ſufficit nobis hìc eam ſupponere, quam his verbis comprehendemus ſequenti quęſtione: *Ius activum eſt facultas de re aliqua, vel actione, vel omiſſione actionis in propriam utilitatem diſponendi, & ex mero beneplacito, merè, aut interpretativè ſuo* (quando ſcilicet per alium facit, quod per ſe ipſum facere cenſetur) *obligandi alterum, ne huic facultati contraveniat*. Ex definitione prędicta Juſtitię actualis Angelicus Doctor 2. 2. *q.* 58. *art.* 1. intulit hanc definitionem ipſius habitus Juſtitię cùm dixit, quòd ſit *habitus, ſecundum quem aliquis conſtanti, & perpetua voluntate jus ſuum unicuique tribuit*.

Obiicies primo. Ille, qui ſolvit pretium rei ſolutione anticipata, exercet verum actum Juſtitię, & tamen nondum datur Jus ad pretium, ergo Juſtitia non ſemper & cuique tribuit Jus ſuum. Reſpondetur negando ſecundam partem antecedentis, quia enim ſolvens pretium rei ad rem recipiendam ſibi actuale Jus acquirit, alteri obligationem imponit ad rem ſuo tempore exhibendam, ideò alter propter obligationem, quam ſubiit per antecedentem conſenſum, etiam acquirit Jus actuale ad pretium; quamvis ſolvens anticipata ſolutione in hoc pręſtet gratiam, quòd antequam recipiat rem pro pretio, velit eſſe contentus ſola obligatione impoſita, quę eodem pretio eſt ęſtimabilis, ſicut frequenter emendo, & recipiendo ipſam rem ab altero, per hoc quis ipſi pręſtat gratiam, quòd ab eo emat rem, qua facilè carere poſſet, cùm è contrario venditor valdè indigeat pretio.

Obiicies ſecundò. Quando tutor, vel procurator bonorum alienorum creditoribus debitum ſolvit, exercet actum juſtitię etiam erga ſe ipſum, ſi ipſe eſt aliquis creditor; ergo Juſtitia non tantùm eſt virtus ad proximum, tribuendo jus ſuum, ſed etiam eſt virtus, quę poteſt exerceri ab homine erga ſe ipſum. Reſp. diſt. antec. exercet actum Juſtitię formaliter, nego antec. interpretativè ſubdiſtinguo antec. exercet illud proprio nomine, nego antec. alieno nomine, concedo antec. unde ipſe actus in æſtimatione morali tribuitur debitori, de cujus bonis aliquis ſibi ipſi debitum ſolvit.

ARTICULUS II.

Quid ſit Juſtitia Diſtributiva, & quomodo à Commutativa differat, ampliùs declaratur.

SUMMARIUM.

3 *Iuſtitia diſtributiva neque eſt propriè dicta Iuſtitia, neque reſpicit propriè dictum Ius.*
4 *Definitur Iuſtitia diſtributiva, & oſtenditur ejus multiplex differentia à Iuſtitia commutativa.*
5 *Quid ſit acceptatio perſonarum, & quale peccatum, & cui virtuti opponatur.*

Dico

3 DIco primò cum communi; & vera ſententia, definitionem Juſtitiæ propriè dictæ, præcedente articulo explicatam, convenire ſoli Juſtitiæ Commutativæ, non autem Diſtributivæ, & poſteriorem hanc eſſe ſolùm impropriè, & analogicè dictam Juſtitiam. Ita Suarez, Rebellus, Leſſius, Cardinalis de Lugo, Cardinalis Pallavicinus, Dicaſtillo, Laymann, Palao. Probatur. Illi virtuti non convenit propriè definitio Juſtitiæ, quæ non tribuit propriè dictum Jus paſſivum, illud autem non eſt propriè dictum Jus paſſivum, in ordine ad quod non datur propriè dictum Jus activum: ſed Juſtitia diſtributiva tantùm tribuit id, in ordine ad quod non datur propriè dictum Jus activum, ergo &c.

Probo Min. Quòd à Juſtitia Diſtributiva tribuitur, ſunt vel publica officia, quæ in aliqua communitate reperiuntur, vel bona ad totam communitatem ſpectantia e. g. pecuniæ ad pnblicum ærarium pertinentes, vel ſpolia hoſtibus erepta: unde exercens Juſtitiam diſtributivam eſt tota communitas, quæ confert officia, vel quæ bona ſua diſtribuit: is autem, erga quem exercetur Juſtitia diſtributiva, eſt perſona quæpiam particularis, ſpectans ad illam communitatem, eamque ut membrum conſtituens. Subſumo: atqui perſona particularis non habet facultatem de bonis communibus in proprium, & particulare bonum ex proprio ſuo beneplacito diſponendi, & communitatem obligandi, ad tribuendum ſibi officium, vel aliud bonum pertinens ad totam communitatem, ſed quando communitas tale quid tribuit, id facit citra obligationem, & diſponit de illo potiùs in propriam utilitatem, quàm in utilitatem perſonæ particularis, qua talis, quam poſteriorem utilitatem tantùm ſecundariò, & abſque obligatione erga illam perſonam intendit, attenditque meram dignitatem perſonæ particularis, & aptitudinem illius ad procurandum majus emolumentum ipſius communitatis, non verò attendit, neque reſpicit ullo modo facultatem obligandi, vel exigendi officium, vel aliud bonum temporale, cùm non detur hujuſmodi facultas, ergo Juſtitia diſtributiva tantùm tribuit id, ad quod non datur propriè dictum jus activum, & conſequenter non eſt propriè dicta Juſtitia.

Confirmatur ulteriùs Concluſio. Si Juſtitia diſtributiva eſſet propriè dicta Juſtitia, ejuſque conceptum definitivum propriè participaret, tunc id verum eſſet, vel quia tribuit jus ſuum toti communitati, vel quia tribuit recipientibus perſonis bona communia; non primum, quia ut ſic communitas exerceret Juſtitiam erga ſe ipſam, cùm tamen Juſtitia debeat eſſe ad alterum; aliud ergo eſt, quòd communitas diſtributione bonorum communium ſecundùm proportionem dignitatis conſequatur inde proprium ſuum emolumentum, reſpectu cujus habet jus ad rem, obligans alios, ne ab ejus conſecutione impediatur, & aliud, quòd conſequatur inde proprium emolumentum per actum Juſtitiæ, erga ſe exercitæ. Non ſecundùm. Quia communitas non magis obligatur perſonis particularibus, quàm hæ obligentur communitati, ſed hæ ex ſolo titulo dignitatis, ac aptitudinis non obligantur communitati, per obligationem Juſtitiæ propriè dictæ ad ſuſcipienda officia in bonum communitatis, & ad permanendum in hac communitate, ergo neque communitas obligatur ex ſolo titulo dignitatis ad conferendum officia in bonum particularium perſonarum, vel ad ea non conferendum extraneis.

4 Dico ſecundò, Juſtitiam diſtributivam poſſe ad ſimilitudinem Juſtitiæ commutativæ definiri, quòd ſit *Conſtans & perpetua voluntas Jus ſuum minùs propriè dictum ad bona communitatis cuique proportionaliter diſtribuendi.* Ut ſcilicet bona communitatis inter ejus membra, ſive perſonas particulares, communitatem conſtituentes, ſecundùm proportionem dignitatis, aptitudinis, & meritorum diſtribuantur, e. g. ut præſtantius officium perſonæ digniori, & aptiori ad illud, minùs præſtans verò minùs dignæ conferatur, ita: tamen ut perſona digna præferatur indignæ. Hæc definitio patet ex dictis, & magis patebit ex dicendis.

Differt itaque juſtitia diſtributiva à commutativa ratione Juris diverſi, quam differentiam indicavit etiam S. Thomas 2.2.q.61. *ar.*1. *ad* 5. ubi ait. *Dicendum, quòd juſtitia diſtributiva, & commutativa non ſolùm diſtinguuntur ſecundùm unum, & multa, ſed ſecundùm diverſam debiti rationem, alio enim modo debetur alicui id, quod eſt commune, & alio modo id, quod eſt proprium.* Ex hoc diſcrimine naſcitur etiam illa differentia, quam ſequenti articulo magis declarabimus, vi cujus nunquam datur obligatio reſtitutionis ex juſtitia diſtributiva, ſed tantùm ex commutativa, quando hæc ſimul violatur; quia ſi non læditur propriè dictum Jus, faciens rem alteri ſub obligatione rigoroſa debitam, hoc ipſo nihil eſt reparandum, ſi autem læditur propriè dictum Jus, hoc ipſo peccatum opponitur juſtitiæ commutativæ, & ex eadem oritur obligatio reſtitutionis.

Alia quoque differentia inter utramque juſtitiam inſinuatur in prædicta definitione per particulas *ad bona communitatis*, à qua, id eſt, à cujus ſingulis membris prout integrum cœtum hominum conſtituunt, bona ad communitatem ſpectantia per ſe, vel per alium, ad hoc conſtitutum, particularibus quibuſdam perſonis ejuſdem communitatis ſeorſim ſpectatis, pro cujuſque dignitate diſtribuenda ſunt. Ex illis enim particulis colligitur, quòd juſtitiæ diſtributivæ, reſidentis in ſingulis perſonis communitatis, ipſam exercentibus, proprius finis ſit integram communitatem, qua talem, ordinare ad perſonas particulares, quatenus ſunt membra illius communitatis, & quatenus proinde ab ea tantùm inadæquatè diſtinguuntur, ipſa autem ordinatio in eo conſiſtit, ut bona communia diſtribuantur à communitate per ſe, vel per miniſtros, perſonis particularibus ſecundùm proportionem dignitatis, præcisè quia membra ſunt communitatis, & quia dignæ ſunt, ac quia hæc diſtributio cedit in utilitatem cùm communitatis, tum perſonarum particularium.

E contrariò juſtitia commutativa licèt ex parte termini, ad quem ſuum ſubjectum ordinat cum diſtributiva conveniat, in quantum ſimiliter tendit in perſonam particularem, ratione cujus utraque juſtitia dicitur juſtitia particularis, ſicut juſtitia Legalis, quæ ordinat perſonam particularem ad totam communitatem, propterea dicitur juſtitia communis, generalis, vel univerſalis: differt tamen ratione finis, in quantum ordinat perſonam particularem ad particularem *phyſicè* vel *moraliter talem*: quæ particulæ adduntur, quia poteſt integra communitas inſtar perſonæ particularis moraliter ſe habere, quando ſcilicet aliquid dat, vel accipit intuitu Juris propriè dicti, quod ex parte recipientis reſpicitur. Undè juſtitia commutativa nunquam ordinat communitatem, qua talem, ad perſonam particularem, diſtributiva verò ſemper ordinat communitatem, qua talem, ad perſonam particularem, proinde etiam perſona particularis, erga quam exercetur juſtitia diſtributiva, ſemper reſpicitur, ut pars commuuitatis, erga quam autem exercetur Juſtitia commutativa, nunquam reſpicitur, ut pars communitatis, fundans merum Jus impropriè dictum adversùs exercentem juſtitiam.

Obiicies, ſi juſtitia diſtributiva non reſpicit propriè 5
dictum Jus Activum in eo, erga quem exercetur, ſequitur, licitam eſſe acceptionem perſonarum, qua indignus, vel minùs dignus præfertur digniori in diſtributione officiorum, & bonorum communium, & conſequenter, quòd juſtitiæ diſtributivæ non poſſit opponi peccatum injuſtitiæ ſeu injuriæ; conſequens eſt contra communem ſenſum Doctorum cum S. Thoma *q.* 63. *art.* 1. aſſerentem: Illam eſſe peccatum ex genere ſuo mortale, juxta illud Eccleſiaſtici *c.* 42. *v.* 1. *Ne accipias perſonam, ut delinquas.* Et Jacobi 2. *v.* 9 *Si autem perſonas accipitis, peccatum operamini.* Certè ſi non inhoneſta eſſet acceptio perſonarum, non ſpecialis laus tribueretur DEO, quando dicitur non eſſe Acceptor perſonarum; neque homo propter exercitam juſtitiam diſtributivam eſſet ſpeciali laude dignus, utpotè de quo in tali caſu dici nequiret, *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus.*

Reſp. negando ſuppoſitum ſequelæ Maj. quòd quando diſtributio bonorum communium non ſecundùm proportionem dignitatis, nullo tamen etiam pacto vel promiſſione præcedente, exercetur à communitate, vel ab alio, ita tamen jubente, aut conſentiente communitate,

Advertendum quintò, poſſe inæquali diſtributione officiorum, facta à communitate, peccari ab iis, qui ſcienter dant ſuum ſuffragium indigno, aut etiam minùs digno, in quantum ſinguli ſeorſim obligantur toti communitati ad ferendum ſuffragium ſecundùm ſcientiam majoris vel minoris dignitatis, aut indignitatis. His animadverſis

7 Dico Primò, quando communitas nulla promiſſione aut pacto ſe obligavit perſonis particularibus (cujuſmodi obligatio ad juſtitiam commutativam ſpectaret, utpotè non in mera dignitate, & conjunctione membri cum ſuo toto fundata) poteſt per ſe ipſam, vel per alium, citra obligationem juſtitiæ, cujus violatio propriè dictam injuriam, ac onus reſtitutionis induceret, bona ſua temporalia, & officia ſæcularia minùs dignis, vel etiam indignis, & vel intra vel extra Rempub. conſtitutis diſtribuere, quia communitas nec habet jus adversùs ſeipſam, cùm nemo erga ſe ipſum juſtitiam vel injuſtitiam verè exercere poſſit, nec perſonæ privatæ habent jus propriè dictum adversùs communitatem, ut ſuprà oſtendimus.

8 Dico Secundò. Communitas diſtributorem bonorum communium ſecundi generis, in primo advertendo poſiti, per legem vel præceptum faciendæ diſtributionis, de facto ordinariè reddit obligatum ex juſtitia commutativa ad illa non aliter diſtribuenda, quàm ſecundùm formam juſtitiæ diſtributivæ, ita ut perſonæ particulares acquirant adversùs diſtributorem jus rigoroſum ſecundùm proportionem ſuę dignitatis, cujus læſio ex juſtitia commutativa eſt reparanda. Ita Paldanus, Sylveſter, Cajetanus, Salon, Lopez, Sotus, relati, explicati, & approbati à Rebello 1. *p. de Oblig. juſt. lib.* 3. *q.* 3. eſtque communis Doctorum cum S. Thoma *q.* 62. *art.* 2. *in c. & ad* 4. concedendum, iniquum diſtributorem obligari perſonis dignioribus ad reſtitutionem partis proportionatæ eorum dignitati: ſed obligatio reſtitutionis ſecundùm S. Doctorem loco citato, & ſecundùm omnes propè Doctores eſt obligatio juſtitiæ commutativæ, & ſupponit jus propriè dictum, ergo diſtributor fuit obligatus ex juſtitia commutativa, & ex jure propriè dicto adversùs ipſum à communitate in perſonas particulares translato.

Confirmatur. Quando bona principaliter ordinata in utilitatem perſonarum particularium iiſdem ſunt diſtribuenda, prudenter etiam ſupponitur, intendi à communitate in ordine ad finem proportionatum illorum naturæ, ut nimirum in perſonarum particularium utilitatem ſecundùm formam Juſtitię diſtributivæ à diſpenſatore principaliter diſtribuantur, e.g. ut ſpolia hoſtium à Duce dividantur militibus ſecundùm proportionem meritorum. Atqui ex tali voluntate & intentione communitatis perſonæ particulares acquirunt jus rigoroſum, commenſuratum ſuæ dignitati, inducens obligationem juſtitiæ commutativæ, ne illud lædatur, vel ut læſum reparetur, ſicuti hujuſmodi Jus pauperes, vel hæredes illi acquirerent, quibus ſecundùm proportionem inæqualis dignitatis juberetur diſtribui certa portio Eleemoſynæ, vel hæreditatis.

Et hoc ſenſu Authores communiter dicunt, Juri improprio Juſtitiæ diſtributivæ commixtum eſſe Jus propriè dictum juſtitiæ commutativæ, ac contra utramque juſtitiam ſuo modo peccari: quia neque ſervatur materia & forma Juſtitiæ diſtributivæ, cui correſpondet titulus inæqualis dignitatis nudè ſpectatæ, & nondum formaliter, ſaltem non ſub gravi peccato contra juſtitiam, obligantis, ſed menſurantis obligationem alienam: neque ſervatur obligatio Juſtitiæ commutativæ ſecundùm menſuram & formam taxatam à juſtitia diſtributiva, impoſita diſtributori per legem aut voluntatem Reipub. principaliter intendentis utilitatem perſonarum particularium, atque ideo cum Tannero *diſp.* 4. *q.* 6. *dub.* 1. *n.* 23. & Soto *lib.* 3. *q. ult ar.* 2. diximus in præcedenti art. juſtitiam diſtributivam lædi materialiter, ac mediatè, commutativam autem formaliter, ac immediatè; cujus proinde ſolius læſionem ſufficit per ſe loquendo, in Confeſſione exprimi e.g. dicendo: Intuli aliis gravem injuriam in bonis temporalibus: quem modum confitendi iniquam diſtributionem approbat etiam Longo *diſp.* 1. *num.* 49.

9 Dico tertiò. Quia bona, quæ primi generis appellavimus, nempe officia ſæcularia, ſive annexam habeant Juriſdictionem ſive non, ex natura ſua ſunt ordinata, ac propterea principaliter intenta in bonum Civile, vel temporale ipſius communitatis, ideo hæc illorum diſtributorem vi Juris rigoroſi, quod habet communitas ſaltem ex pacto implicito cum recipiente officium diſtributoris, ex juſtitia commutativa obligat ſub culpa proportionata periculo damnorum emergentium, ne officia conferat indignis ac ineptis, & ut damna ex facta illis collatione orientia, reparabilia ſint, etiam reparet, & ſecundùm emolumentorum temporalium reſtitutionem compenſet.

Hæc Concluſio tum ex communi conſenſu Doctorum, tum ex ratione eſt certa. Habet enim communitas poteſtatem iſtam obligandi: quia aliàs neque poſſet ulla ratione ſe ſatis ſervare indemnem, & quia neque æquum eſt Principi, vel Gubernatori, vel Adminiſtratori, vel Magiſtratui, vel Electoribus, facultatem conferendi officia alia ratione committere, ideo communitas cenſenda eſt etiam uti illa ſua poteſtate, & prædictam obligationem ipſo facto, ac implicita ſaltem pactione imponere, hoc ipſo, quòd alteri committat, & ille acceptet officium illud, cui eſt annexa facultas, cætera officia diſtribuendi, & bonum communitatis procurandi, ac incolume ſervandi.

Dico Quartò. Præfatam obligationem Juſtitiæ Commutativæ probabiliùs à communitate non imponi Diſtributoribus Officiorum Civilium, ut dignis etiam digniſſimi præferantur. Ita Cajetanus, Vaſquez, Valentia, Adrianus, Sotus, Navarrus, Covarruvias, Salon, Aragonius, quibus conſentit Amicus *diſp.* 34. *num.* 25. Laymann *libr.* 4. *tr.* 2. *c.* 15. *n.* 8. & alii.

Probatur: Quia etiamſi communitas poſſet facultatem diſtribuendi officia alteri committere, exigendo electionem digniorum ſub obligatione etiam juſtitiæ commutativæ, meritò tamen cenſetur ſub tali obligatione non exigere; quia modò eligantur digni, qui ſcilicet ea talenta, & conditiones habent, ut prudenter judicentur, poſſe talibus officiis fungi, communitati utcunque jam proſpectum eſt, & damna, quæ ex remiſſione prædictæ obligationis, vel lucra, quæ ex impoſitione illius obligationis colligi poſſunt, tam certa, vel tanta non ſunt, ut magis expediat obligationem Juſtitiæ commutativæ, oneri reſtitutionis annexam, Officiorum Diſtributori imponi: cùm qui eligit officiales ſimpliciter dignos ac aptos, ita Reipub. bonum promoveat, ut pro cura & adminiſtratione boni communis libentiùs ac promptiùs ſuſcipienda mereatur ab altera obligatione eximi, cujus executio tum propter difficultatem diſcernendi, tum propter difficultatem præferendi ſemper digniores, non obſtantibus privatis & particularibus rationibus ad favendum minùs digno, tum propter graviſſimum onus, ex indignioris prælatione præter opinionem emergentia damna reſarciendi, eſſet nimis moleſta, ac oneroſa.

Confirmatur Concluſio ulteriùs. Quia qui ſuſcipiunt officia, vel negotia aliena tractanda, communiter non obligantur ex juſtitia commutativa ad ſummam diligentiam, & adminiſtrationem omni modo meliorem. Sic etiam Oeconomus non obligatur ad operarios, vel artifices optimos conſtituendos, ergo neque Princeps vel Gubernator communitatis obligatur ex juſtitia propriè dicta ad maximum illius bonum hoc ſpeciali modo procurandum, nempe aptiſſimorum officialium delectu. Denique ex communi, ac timoratorum etiam praxi conſtat, quòd damna ex electione dignorum ſecuta, quamvis potuiſſent haberi officiales digniores, abſque remorſu conſcientiæ, non reparentur per reſtitutionem: ergo neque dabatur obligatio juſtitię ea præcavendi electione digniorum.

Dico Quintò. Secluſa Lege, vel præcepto, principaliter intendente bonum perſonarum particularium, illis nullam inferri injuriam oppoſitam Juſtitiæ commutativæ, aut reſtitutioni obnoxiam, etiamſi indigni præferantur dignis, vel digni dignioribus in diſtributione quorumcunque officiorum ſæcularium. Ita Sotus, Covarruvias, Adrianus, Navarrus, quos refert & ſequitur Valentia *diſp.* 5. *quæſt.* 7. *p.* 2. §. 6. *Concluſione* 3. Tannerus *diſp.* 4. *q.* 6. *d n.* 20. Amicus *diſp.* 34. *n.* 23. Rebellus *prima parte de Obligationibus Juſtitiæ lib.* 3. *q.* 5. *num.*

5. *num.* 4. Dicaſtillo *libro* 2. *tr.* 2. *diſp.* 8. *nu.* 150. addens Scotum, Richardum, Suarezium, Aragonium, Ledeſmam, eſtque communis ſententia contra Cajetanum & Paludanum apud Valentiam loco citato. Probatur. Per hoc, quòd aliquis ſit ſimpliciter, vel etiam cum exceſſu aptus & dignus ad accipiendum officium, & quòd etiam ſit membrum ſeu pars communitatis, habentis Jus ad conferendum officium, is nondum habet jus propriè dictum adversùs communitatem, vel diſtributorem, ſed ſolum jus majoris congruitatis ac convenientiæ, ut illud appellat Amicus *l. c. n.* 26. ſive, ut inquit Palao *diſp. unica de Juſtitia in genere p.* 4. *num.* 3. ſolam habet obligationem honeſtatis, & decentiam, ut ſcilicet ſalva juſtitiæ diſtributivæ majori honeſtate, ac decentia, dignior non poſſit poſtponi minùs digno. Unde per ſe loquendo neglectus perſonæ dignioris, abſtrahendo à damno, & emolumento communitatis ad ſummum veniale peccatum aſſeritur à Laymann *libro* 4. *tr.* 2. *c.* 15. *num.* 8. Leſſ. *lib.* 2. *c.* 34. *num.* 67. Et præterea Doctores, nominatim S. Thomas *opuſc.* 21. Cajetanus, Sylveſter, Sotus, Navarrus, quos refert, & ſequitur Azor *par.* 3. *lib.* 8. *cap.* 7. ac alii communiter concedunt, ſecluſa prohibitione poſitiva, & ſervatis conditionibus certis, ex natura rei non eſſe illicitum communitati, aut poteſtate illius ſungenti (quamvis ordinariè non expediat Reipubl.) vendere officia ſæcularia dignis, aut dignioribus. Imò illa in ordine etiam ad hunc finem eſſe in patrimonio Principis aut Regis teſtantur Cajetanus, Baldus, & alii apud citatum Azor: modò privata recipientium emolumenta functionibus præſtandis æſtimabiliora ſint, & per ipſam officialium operam (ut ego quidem dictorum Authorum ſententiam intelligendam, aut limitandam cenſeo) in bonum ipſius communitatis navandam, non ſufficienter compenſentur, nec ſuperentur acceſſione ſuperadditi pretii à recipientibus officia ſæcularia. Subſumo. Atqui ſi digni, vel digniores, non habent aliud, quàm modò dictum improprium jus, hujus læſio non eſt propriè dicta injuria, nec obligat ad reſtitutionem.

Confirmatur hæc ratio. Perſona particularis ratione dignitatis, & unionis moralis cum cæteris membris communitatis, non habet jus obligans communitatem, ut priori articulo oſtenſum eſt, adversùs diſtributorem autem non habet jus independenter ab intentione, & mandato communitatis, & principaliter etiam faventis perſonæ particulari: ergo ſecluſa Lege & mandato communitatis, perſonæ digniori poſtpoſitæ nulla infertur injuria per reſtitutionem reparanda. Ex quo tamen per argumentum à contrario rectè infertur, poſita prædicta Lege, aut mandato, ſpecialiter favente perſonæ digniori neglectæ per ejus præteritionem fieri veram injuriam, non tantùm contra juſtitiam diſtributivam, ut putavit Eſparza *q.* 18. *art.* 26. meritò impugnatus à P. Haunoldo *num.* 99. ſed multò magis contra juſtitiam commutativam propter paritatem rationis cum dictis in ſecunda concluſione, & propter plurimorum Doctorum aſſenſum, quos præter S. Thomam *q.* 62. *art.* 1. *ad* 3. & *art.* 2. *ad* 4. nominatim recenſet, & approbat Rebellus *l. c. n.* 5.

§. II.

De Diſtributione Bonorum Communitatis Eccleſiaſticæ.

S V M M A R I V M.

10 *Qui cauſa eſt, ut officia Eccleſiaſtica majora, ut Epiſcopatus, Cardinalatus, & alia Juriſdictionem externam, aut functionem magni momenti annexam habentia obtineantur à minus dignis, per ſe loquendo peccat mortaliter contra charitatem proximi, cui promotio minùs digni eſt graviter damnoſa.*

11 *Qui in promotione ad Beneficia curata non obſervant formam à Concil. Trid. præſcriptam peccant eodem modo mortaliter, & faciunt contra prohibitionem Propoſitionis 47. ab Innocentio XI. damnatæ.*

12 *In utroque numero prædicti non tantùm contra charitatem, ſed etiam contra Juſtitiam commutativam peccant, lædendo Jus propriè dictum ipſius communitatis, obligantis ad conferendum Officium vel Beneficium digniori.*

13 *In Beneficiis conferendis per concurſum præmiſſo examine promovens minùs dignum facit propriè dictam injuriam illi, cui Beneficium erat conferendum, & promotio eſt irrita, vel certè irritanda. Valent tamen interea actiones, ex vi officii commiſſi præſtitæ.*

14 *Cauſæ excuſantes à præſcripta forma Concilii Trid. præſertim in Germania propter Concordata inter Fridericum Imperatorem III. & inter Nicolaum V. Sum. Pont.*

15 *Jus læſum communitatis obligat ad reparandum damnum, non quidem temporale, ſed ſpirituale, ex indigni, vel minus digni promotione ortum, ut nempè illi iterum ſubrogetur idem, vel alius æquè dignus, qui erat ad Beneficium promovendus. Illi autem, qui injuſtè præteritus eſt, etiam damna temporalia compenſanda ſunt.*

16 *Qui ſcit ſuam promotionem ad Beneficium eſſe ipſo facto irritam, vel qui ad illam ſui promotionem injuſtè cooperatus eſt, etiamſi non ipſo facto eſſet irrita, tenetur renunciare Beneficio.*

17 *Si nullus habuit Jus ad accipiendum Beneficium Eccleſiaſticum, nec Eccleſiæ, nec præterito digniori damnum aliquod temporale eſt reparandum, ſi promotus ſaltem fuit dignus: at ſi indignus, Eccleſiæ reſtituenda ſunt damna temporalia inde conſequentia.*

18 *Qui pro Collatione Beneficii aliquid exegit, & accepit, tenetur ad reſtitutionem: alias incurrit in propoſitionem 22. ab Alex. VII. vetitam.*

DIco circa beneficia, & officia ſpiritualia, ſaltem 10
majora, ut ſunt Epiſcopatus, & Cardinalatus, per ſe loquendo peccari mortaliter, non tantùm ſi indignus præfertur digno, ſed etiam ſi dignus præfertur digniori ſive per præſentationem, ſive per electionem, ſive per collationem actualem beneficii. Ita S. Thomas *qu.* 63. *art.* 2. & *Quodlibeto* 6. *art.* 9. & cum illo omnes Doctores, teſte Dicaſtillo *lib.* 2. *tr.* 2. *diſp.* 8. *n.* 81. ubi plurimos nominatim recenſet. Probatur primò ex Tridentino *Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reformatione*. Ubi *omnes, & ſingulos, qui ad promotionem præficiendorum, quodcunque Jus, quacunque ratione à ſede Apoſtolica habent, aut alioquin operam ſuam præſtant, hortatur, & monet, ut in primis meminerint, nil ſe ad DEI Gloriam & populorum ſalutem utilius poſſe facere, quàm ſi bonos paſtores, & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promoveri ſtudeant: eoſque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint &c.* Dein in eodem cap. ſubjungit, *ea vero omnia, & ſingula, quæ de Epiſcoporum vita, ætate, doctrina, & cæteris qualitatibus, aliàs in eadem ſynodo ſunt conſtituta, decernit eadem etiam in creatione Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, etiamſi Diaconi ſint, exigenda: quos SS. Romanus Pontifex ex omnibus Chriſtianitatis nationibus, quantùm commodè fieri poterit, aſſumet.* Quibus verbis Tridentina Synodus non tam novam conſtitutionem ſancit, quàm in mentem revocat, ac declarat obligationem naturalem charitatis erga proximum, ne neglectu dignioris peccatum mortale ſcandali, & cooperationis ad aliena peccata contrahatur, quæ per digniorem impedita fuiſſent. Unde etiamſi Concilium loco citato tantùm de promotione ad Epiſcopatum, & Cardinalatum loquatur, ratio tamen obligationis naturalis etiam ſe extendit ad digniores promovendos ad alia officia magni momenti, quæ ſcilicet Juriſdictionem externam, vel aliam functionem valde multùm conducentem habent, quibus maxima Eccleſiæ utilitas, & proximi ſalus, à dignioribus procuranda ſperari poteſt: hujuſmodi à Dicaſtillo *l. c. num.* 89. Rebello *lib.* 3. *q.* 4. *num.* 12. Leſſio *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 64. & aliis apud ipſos dicuntur, Archidiaconatus, Decanatus, Præpoſitura cum Juriſdictione, Canonicatus affectus onere docendi, concionandi, audiendi confeſſiones, Abbatia, Prioratus.

Idcirco etiam præfata ſynodus citata ſeſſione 24. *cap.*

18.

18. de Promotione Parochorum ſeverè & ſub Irritatione actus aliter facti præcipit, ut poſtquam vacanti Parochiæ, mox de idoneo vicario proſpectum fuerit, plures, qui digni videbuntur, convocentur, vel aliunde oblati admittantur, qui ſinguli ab Epiſcopo, vel Vicario generali à tribus doctis viris, præmiſſo Juramento Fidelitatis de conditionibus ad habilitatem requiſitis, examinentur. *Ex hisque* (ſunt verba Tridentini) *Epiſcopus cum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit: atque illi & non alteri collatio Eccleſiæ ab eo fiat; ad quem ſpectavit eam conferre. Si vero Iuris Patrocinatus Eccleſiaſtici erit, ac Inſtitutio ad Epiſcopum, & non alium pertineat; is, quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicavit, Epiſcopo præſentare teneatur, ut ab eo inſtituatur. Cùm vero inſtitutio ab alio, quàm ab Epiſcopo erit facienda, tunc Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præſentet, ad quem inſtitutio ſpectat.* Quæ verba Concilii, uti etiam illa, quæ ſuprà ex *cap.* 1. relata, & in eodem ſenſu accipienda ſunt, adeò non admittunt aliam interpretationem, ut meritò ab Innocentio XI. prohibita fuerit hæc propoſitio 47. *Cum dixit Concilium Tridentinum eos peccatis alienis communicantes mortaliter peccare qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles judicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium vel primo videtur per hos digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo, vel ſecundò locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos non vero dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando fit concurſus.* Prædictam formam inſtituendi parochos iterum ſub irritatione actus aliter facti confirmavit Pius V. in Bulla, quæ incipit: *In conferendis*, edita *Anno* 1567. *die* 15. *Kal. Aprilis*, & publicata 16. *Maii.*

11 Ratio autem, quæ ſacram ſynodum, & Pium V. ad exigendam electionem dignioris in prædictis beneficiis permovit, ex allegatis verbis manifeſtata eſt. Quia nimirum damna ſpiritualia animarum longè graviora ſunt, quàm damna temporalia, ex collatione officiorum civilium minùs dignis conceſſorum emergentia: pericula etiam illorum damnorum, præſertim multiplicium peccatorum multò ſunt majora & frequentiora, & ea vix à digniſſimis, ad prædicta officia ſpiritualia promotis ſufficienter impediuntur. Et quia viciſſim bona, quæ procuranda ſunt, utpote ſupernaturalia ſunt ſumma & maxima, functiones verò ſunt admodum difficiles & arduæ, magnaque ad illas virtute, ſcientia, aliisque animi ac corporis dotibus opus eſt, ideo meritò exigitur promotio dignioris præ reliquis minùs dignis, & multò magis præ indignis, ut naturali obligationi charitatis erga proximum ſatisfiat.

12 Ex hac porro ratione fundamentali rectè etiam infertur ſpecialis obligatio Juſtitiæ Commutativæ erga Communitatem Eccleſiaſticam in illis, quibus ex officio ab Eccleſia ſibi commiſſo incumbit promovere officiales, aut Beneficiatos digniores. Cuicunque enim à communitate aliqua demandatur aliquod officium, ille hoc ipſo ex pacto ſaltem implicito obligatur communitati, demandanti officium ad illud adminiſtrandum eo modo, qui neceſſarius eſt ad procurandum intenta maxima bona, atque ad impediendum maxima damna communitatis demandantis Officium, & hunc modum expreſsè ac ſeverè exigentis: ſed ut tali modo adminiſtretur officium, diſtributoris vel promotoris ad beneficia habentia annexam Juriſdictionem externam, vel curam parochialem ſalutis animarum, & cultus divini, neceſſarium eſt, ſemper eligere ac promovere digniores ergo &c.

13 Præter hanc obligationem Juſtitiæ Commutativæ erga Communitatem Eccleſiaſticam dari etiam ſimilem obligationem poſt peractum examen erga perſonam digniorem in beneficiis conferendis per concurſum, probatur hac ratione. Quicunque nempe ſubit onus examinis cum pacto explicito, vel implicito, ut ſi ipſe fuerit repertus digniſſimus beneficio, id ſibi conferatur; ille hoc ipſo per tale examen acquirit ſibi Jus propriè dictum, ad accipiendum beneficium, fundatum non in mera dignitate, ſed ſimul in onere, quod ſubivit, & in pacto, per convocationem, & admiſſionem ad examen inito, atque in Lege irritante collationem beneficii minus digno factam. Sed ponitur in caſu noſtræ aſſertionis, quod is, qui digniſſimus eſt jam juxta conſuetum pactum, & ſancitam legem ſubiverit examen, & fuerit repertus ac cognitus digniſſimus, ergo acquiſivit ſibi Jus propriè dictum ad accipiendum beneficium: hinc in citata conſtitutione Pii V. conceditur ipſi Jus appellandi, apud Superiorem iniqui Collatoris Beneficii, progrediendo, ſi opus fuerit, uſque ad ſummum Pontificem, ita ut quidquid contra illius Jus antecedenter actum & attentatum fuerit, *irritum ſit, & inane*, ut expreſſe dicitur in §. 9. citatæ Conſtitutionis. Ex quibus verbis probabiliter colligit Palao *part. 2. tract. 13. de Beneficiis diſp. 2. p. 11. §. 3. num. 2.* alios referens, appellationem iſtam concedi non ad primùm irritandam promotionem minùs digni, ſed ad declarandam *irritam & inanem*, & ut eam Tridentinum *citato cap.* 18. appellat, *ſurreptitiam.* Quamvis Garcia & Ugolinus apud eundem Palao defendant, ſolùm concedi ad irritandam, eò quòd Pius V. in §. 8. præcedenti dicat: *Hac tamen appellatio interim non impediat, aut ſuſpendat, quò minus electio per Ordinarium primo loco facta interim debitæ demandetur executioni, & proviſus ab eadem Eccleſia, causa appellationis hujuſmodi dependente non amoveatur.* Verùm ex his verbis non rectè probatur electio valida: quia pendente lite ita procedendum eſſet, etiamſi fuerit invalida: & hoc Pontifex decrevit, ne populus interea jam aliquo ſibi deſignato careat paſtore, ſupplevitque ſimul defectum Juriſdictionis in eodem illegitimè electo.

Circa prædictam formam tamen conferendi beneficia parochialia ipſum Tridentinum in cit. cap. 18. circa 14
finem addit hanc mitigationem: *Si tamen adeo exigui redditus dictæ parochialis fuerint, ut totius hujus examinationis operam non ferant, aut nemo ſit, qui ſe examini quærat ſubiicere, aut ob apertas factiones ſeu diſſidia, quæ in aliquibus locis reperiuntur, faciles graviores rixæ, aut tumultus poſſint excitari, poterit Ordinarius, ſi pro ſua conſcientia cum deputatorum conſilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omiſſa privatum aliud examen, cæteris tamen ut ſupra ſervatis, adhibere. Licebit etiam ſynodo Provinciali, ſi qua in ſupradictis circa examinis formam addenda, remittendave eſſe cenſuerit, providere.*

Itaque partim ob has, partim ob alias graves cauſas, partim ob ſpecialia concordata inter Fridericum III. Imperatorem, & Nicolaum V. Pontificem, & propter ſpecialia Privilegia Principum (ut hi eò promptius Eccleſiam contra Hæreticos tueantur) in Germania noſtra non eſt uſu recepta prædicta forma conferendi Parochias per concurſum examinandorum. Et quia ipſum Concilium Tridentinum *Seſſ. 7. cap. 3. de Reformat.* hoc ſolùm exigit, & dicit: *Inferiora beneficia Eccleſiaſtica, præſertim curam animarum habentia, perſonis dignis & habilibus, & quæ in loco reſidere, ac per ſe ipſos curam ipſam exercere valeant* (quæ conditio ob graves rationes etiam non ſemper obſervatur, cùm multæ dentur Vicariæ perpetuæ) *juxta conſtitutionem Alexandri III. in Lateranenſi, quæ incipit*: Quia nonnulli: *& aliam Gregorii X. in Generali Lugdunenſi Concilio, quæ incipit*: Licèt Canon: *editam conferantur. Aliter autem facta collatio, ſeu proviſio omnino irritetur*, ideò ſola obligatio præferendi dignum indigno in collatione hujuſmodi inferiorum, etiam Parochialium, vel curam animarum habentium beneficiorum à timoratis quoque promotoribus, & competitoribus ſibi conſciis ſuæ minoris dignitatis, atq; etiam ab Interceſſoribus creditur ſufficiens, partim quia extra formam præmiſſi examinis Inter concurrentes, difficile eſſet, & res ſcrupulis plena, diſcernere ſemper digniorem, & ſi quæ damna per electionem minùs digni, qui tamen credebatur dignus, quandoque eveniant, eadem Ordinariorum diligentia ac vigilantia, & conſuetis Viſitationibus ac Synodis Diœceſanis ſufficienter tolluntur. Hinc etiam *in capit. Grave nimis 29. de Præbendis* Authoritate Concilii Lateranenſis plus non præcipitur, *quàm ut prætermiſſis indignis, idoneos aſſumant, qui DEO & Eccleſiis, velint, & valeant gratum impendere famulatum*. Imò etiam ubi viget forma parochialia beneficia per concurſum examinandorum conferendi digniſſimo, ibi tamen aliquot exceptiones ab hac forma communiter admittuntur, & obſervantur à Doctoribus.

Prima exceptio indicata etiam à Trident. *Seſſ. 24. cap. 18.* & communiter recepta, ponitur hæc, ſecundùm quam licita eſt præſentatio perſonæ dignæ relicta dignio-

gniore; ſi nimirum Patronus eſt Laicus, vel ſi quidem Patronus eſt Eccleſiaſticus, ſed beneficium non eſt curatum, vel ſi eſt curatum, fundatio tamen illius proceſſit ex intentione, ut conferretur uni ex certa familia, vel oppido &c. quamvis poſſet haberi alius extraneus dignior; Fundator enim non tenetur ex officio per fundationem ſuam procurare ex inſtitutione beneficiati digniſſimi majus bonum Eccleſiæ, ſed poteſt de rebus ſuis pro libitu diſponere, ipſaque fundatione beneficii meretur, ut voluntati ipſius ſatisfiat & hæc exceptio locum habet etiam, quando beneficium eſt curatum, ut contra Sotum ex communi ſententia Rebelli, Leſſii, Vaſquez rectè notavit Dicaſtillo *n.* 103. modò inſtituendus ad tale beneficium ſit idoneus.

Secunda exceptio, & ſimilis priori eſt, ſi ex decreto Canonum beneficium præcipitur conferendum digno intra eandem Eccleſiam, etiamſi extraneus eſſet dignior. Et de facto, ut teſtantur Rebellus *quæſt.* 4. *num.* 2. ac Dicaſtillo *num.* 104. ſecundùm plures Authores nulla eſt obligatio quærendi digniores ex aliena Eccleſia ad beneficia vacantia, ſi in propria ſunt aliqui digni.

Tertia exceptio: ſi beneficium conferatur per reſignationem factam digno: tunc enim ille acquirit Jus rigoroſum, & reſignator non tenetur ex officio ſuum jus cedere digniſſimo. Ita Leſſius, Cajetanus, & probabile judicant Vaſquez ac Dicaſtillo *n.* 109.

Quarta exceptio. Si digniores melioribus beneficiis reſervandi & applicandi ſint, propter majorem aptitudinis illorum neceſſitatem.

Quinta exceptio. Si exceſſus dignitatis inter promovendos ſit exiguus, vel incertus, vel officium non ſit expoſitum periculo gravis damni ex promotione minùs digni. Ita cum plurimis aliis advertit Dicaſtillo *n.* 97.

15 Ex dictis, qualis & quomodo Juſtitia violetur per promotionem indigni, vel minùs digni ad beneficia Eccleſiaſtica, facilè nunc colligitur, quando & cui facienda ſit reſtitutio ob violatam Juſtitiam; quia enim quandocumque Eccleſia obligat promotorem ad præferendum digniorem indignis, vel minùs dignis, illum ex Juſtitia commutativa obligat non ratione emolumentorum temporalium, ſed ſpiritualium, circa cultum divinum, & ſalutem animarum, à dignioribus magis procurandorum, & quia horum emolumentorum jactura aliter communiter reparari non poteſt, quam ſi injuſta promotio irrita reddatur, vel declaretur, & beneficium illi conferatur, cui debuiſſet conferri, ideo ad hanc reparationem Eccleſiasticæ communitati faciendam, ſi fieri poſſit, datur obligatio Juſtitiæ Commutativæ, quemadmodum iſta violata eſt. Similiter quivis, qui in concurſu examinandorum poſt peractum examen à Promotore ſive Collatore beneficii cognitus eſt digniſſimus, acquiſivit Jus propriè dictum, ut, niſi in caſibus exceptis, nulli alteri conferretur beneficium, quàm ſibi, ideo etiam ex Juſtitia Commutativa poteſt obligare promotorem ad beneficium alteri collatum ab ipſo auferendum, & ſibi dandum; vel ſi id ampliùs fieri non poteſt, vel non expedit; debet illi provideri de alio beneficio non minùs bono; vel denique ſi nec hoc præſtari poſset, deberent emolumenta privata compenſabilia, exempli gratia, redditus beneficii compenſari, detractis tamen expenſis, quas neceſſariò in ſuam ſuſtentationem, & in alios fines facere debuiſſet, & illis etiam emolumentis, quæ alia ratione ſibi comparavit, quæque cum obtento beneficio ſibi comparare nequiviſſet.

Imò etiam ille, qui ad beneficium parochiale per merum favorem, agnita à promotore minore ſua dignitate, ſe electum eſſe certò cognoſcit, nec poſſeſſionem beneficii adire, nec retinere licitè valet, ſi vel ſupponatur ſententia, quam ſuprà cum Palao ex conſtitutione Tridentini & Pii V. probabiliorem oſtendi, quòd electio ipſo Jure fuerit irrita & inanis, vel ſi ad eam precibus, interceſſionibus, vel alio modo ſcienter cooperatus eſt per veram injuriam formalem dignioris. Quod ſi tamen vera aut probabilis judicaretur oppoſita ſententia, ipſam ſcilicet electionem non fuiſſe jure irritam, ſed irritandam, & ſi electus ad ſui electionem aliter cooperatus non fuiſſet, quàm præciſè petendo admitti ad examen, & illud actu ſubeundo, non videtur is obligari ad cedendum beneficio, antequam electio, vel promotio à Superiore irritetur. Tunc enim, neque obligaretur ut poſſeſſor rei alienæ, ſive titulo rei acceptæ, neque titulo injuſtæ acceptionis: quia ſicut Actor & Advocatus non facit injuriam parti contrariæ, quando præciſè apud Judicem proponit fundamenta ſui Juris pro re litigioſa, etiamſi judicet ſe habere rationes minùs probabiles, ſperans tamen, à Judice fortè agnoſcendas ut probabiliores, ſic etiam petens beneficium Eccleſiaſticum ac ſperans, ſe etiam in concurſu aliorum forſan æſtimatum iri digniorem, vel ſaltem dignum, quando non eſt obligatio eligendi digniorem, non facit injuriam digniori, conſequenter non obligatur ad injuriæ reparationem etiamſi poſteà primùm cognoſcat, ab alio, ſine ſua tamen præviſione eſſe factam.

Colligitur ſecundò. Nec Eccleſiæ, nec homini privato digniori, pro damno emolumentorum temporalium aliquid reſtituendum eſſe, ſi beneficium Eccleſiaſticum collatum eſt digno, præterito & neglecto digniore, nullum aliud ſpeciale jus præter majorem dignitatem habente: ſi autem collatum eſt indigno, ſoli Eccleſiæ faciendam eſſe reſtitutionem. Quia etiamſi Eccleſia obligaverit Collatorem beneficii ad præferendum digniorem minùs digno, illud tamen non obligavit ratione magis evitandorum damnorum temporalium, ſed ratione ſpiritualium ad cultum divinum & ſalutem animarum pertinentium, ratione temporalium verò damnorum impediendorum eo modo Eccleſia obligat Collatorem beneficiorum Eccleſiaſticorum, quomodo communitas civilis obligat Collatorem officiorum civilium: atqui iſtum communitas civilis non obligat ad compenſanda damna, ſi officium collatum eſt digno, ut patet ex præcedentis §. concluſione 4. Obligat verò, ſi collatum eſt indigno, ut in 3. concluſione dictum eſt. Digniori tamen neglecto nihil reſtituendum eſſe in 5. Concluſione oſtendi. 16

17 Neque etiam diſſentit S. Thoma *quæſt.* 62. *art.* 2. *ad* 4. dicens: *Qui impedit, ne præbenda detur digno; conſulens, quòd non detur, antequam ſit firmatum, quòd ei detur, tenetur quidem ad aliquam recompenſationem, penſatis conditionibus perſonarum, & negotii ſecundum arbitrium ſapientis, non tenetur tamen ad æquale, quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri. Si verò jam firmatum ſit, quòd alicui detur præbenda, & aliquis propter indebitam cauſam procuret, quòd revocetur, idem eſt ac ſi illam habitam ei auferret, & ideo tenetur ad reſtitutionem æqualis.* Nam hic loquitur S. Thomas de eo, qui ex odio, & ſtudio vindictæ per conſilium mendax, aut fraudulentum, aut per dolum impedit dignum à conſecutione præbendæ: hinc dixit: *per cauſam indebitam*, id eſt, injuſtam. Etiamſi enim dignus ratione ſolius ſuæ dignitatis non habeat jus ad præbendam, habet tamen propriè dictum jus, ne ab ea per cauſam indebitam, nempe per fraudem, & dolum, impediatur, & ſic impediens tenetur ad reſtitutionem ſecundùm æſtimationem ſpei, & damni per fraudulentam ſpei fruſtrationem illati.

Colligitur tertiò. Collatorem beneficii teneri ad reſtitutionem ejus, quod exegit ab accipiente beneficium. Quia iſte vel habuit jus propriè dictum ad accipiendum beneficium, & ſic Collator jam tenebatur ipſi determinatè conferre beneficium ſine omni alio pretio aut compenſatione, vel non habuit jus propriè dictum ad accipiendum beneficium, ita ut Collator abſque ejus injuria potuiſset alii beneficium conferre, & per hoc præſtiterit accipienti ſpecialem favorem, quòd illi determinatè contulerit; tamen accipiens habuit jus fundatum, tum in legibus poſitivis Eccleſiæ, tum in æquitate naturali, ut ſuppoſito, quòd ipſi conferretur beneficium, id ipſi conferretur gratis: hujuſmodi Jus etiam habet accipiens officium ſæculare, aut civile, & accipiens eleemoſynam à diſpenſatore commiſſæ ſibi alienæ pecuniæ, in quoſcunque pauperes diſtribuendæ, & accipiens mutuum, à quo ultra reſtituendam ſortem nihil poteſt exigi ratione favoris indigenti per mutationem præſtiti. Quia etiamſi favorabilis electio accipientis beneficium, vel officium, vel eleemoſynam, vel mutuum, ipſi accipienti ſit bona ac utilis, eligenti tamen nec eſt damnoſa nec oneroſa, nec laboroſa, nec quidquam aliud præſtat pretio æſtimabile (ipſum enim officium, ſi ſeculare ſit, & emolumenta privata ſuperent æſtimabilitatem operæ, eſt quidem, ut ſuprà faſſus 18

ſum,

ſum, probabiliter pretio dignum, ſed tantùm reſpectu illius, ad quem ipſum Jure proprietatis pertinet, nempe ad communitatem, vel Principem, non autem ad ſubordinatum Collatorem; ergo Collator ſubordinatus nullum habet jus, aliquid pretii, vel rei pretio compenſabilis exigendi. Ideo Alexander VII. meritò prohibuit propoſitionem 22. *Non eſt contra Iuſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis: quia Collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica pecunia interveniente non exigit, illam pro collatione beneficii, ſed velut pro emolumento temporali, quod ſibi conferre non tenebatur.*

ARTICULUS IV.

Quid ſit Juſtitia legalis, & quomodo differat à cæteris Juſtitia ac aliarum virtutum ſpeciebus.

SUMMARIUM.

19 *Refertur ſententia, Iuſtitiam legalem conſtituens in cumulo omnium virtutum: aſſeritur autem, & probatur contrarium.*

20 *Iuſtitia legalis eſt eadem in Superiore, & in ſubditis, atque in neutris eſt Iuſtitia proprie dicta.*

CUm homo animal eſſet ſociabile, & quiſquis multorum aliorum opera indigeret, neque ulla multitudo hominum ſuo jure ac diſſolutè viventium beatam ac tranquillam vitam ducere poſſet, niſi communem quandam vitæ ſocietatem iniret, ac politico quodam regimine gubernaretur; hinc factum eſt, ut genus humanum in multas Reſpub. ac communitates congregaretur, per quas ſingulorum neceſſitatibus proſpiceretur, jura eorum defenderentur, mores formarentur, hoſtes arcerentur &c. Pro harum Rerum publicarum conſervatione autem erat neceſſe, ut ſingula membra ſuæ Reip. bonum promovere, ac damna amovere tenerentur, ita ut ſi opus foret, etiam privatum ſuum bonum vel damnum publico bono vel damno in certis caſibus poſthabere ſub peccato mortali cogerentur.

Hinc quæſtio oritur, an detur ſpecialis aliqua virtus à Juſtitia Commutativa, ac Diſtributiva, & omnibus aliis virtutibus formaliter diverſa, inducens hujuſmodi obligationem, ac debitum, atque ad ejus executionem hominum voluntates inclicans. Quæ ſi detur, rurſum quæritur, an ſit ſecundùm ſpeciem phyſicam, vel moralem, eadem in ſubditis, & in gubernatoribus communitatis; ac denique quomodo à ratione Juſtitiæ propriè dictæ deficiat, atque à Commutativa diſtinguatur.

19 Buridanus 5. *Ethic. quæſt.* 4. exiſtimavit, ejuſdemq; mentis fuiſſe Ariſtotelem 5. *Ethic cap.* 1. cenſuit noſter P. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 1. *dubit.* 3. *n.* 15. quòd nimirum non detur ſpecialis aliqua virtus obligans & inclinans ad procurandum bonum, & cavendum damnum communitatis, diverſa à collectione cæterarum virtutum, ſed eædem virtutes, ſi comparentur in ordine ad bonum totius communitatis, habent rationem juſtitiæ legalis, ita ut ſi quis contra nullam peccet, dicatur impleviſſe obligationem juſtitiæ legalis; ſi autem vel unam violet actione aliqua damnoſa communitati, jam etiam contra juſtitiam legalem peccaſſe aſſeratur. Ariſtoteles loco citato ita loquitur: *Itaque neque hæc juſtitia pars virtutis, ſed integra virtus eſt, neque huic oppoſita injuſtitia pars vitii, ſed integra eſt vitioſitas: quid vero virtus & juſtitia hæc differat, ex iis, quæ diximus, jam patet: utraque enim eadem eſt; nam quatenus ad alterum ſpectat juſtitia, quatenus talis quidam eſt habitus, virtus ſimpliciter eſt.* His verbis tamen communiter dicitur, Ariſtotelem nihil aliud velle ſignificare, quàm quòd juſtitia Legalis ſe extendat ad materiam omnium aliarum virtutum, ſub gradu generico virtutis contentarum, & omnium earum actus imperet, & viciſſim quòd juſtitiæ Legali tota vitioſitas ſeu quicunque actus vitii ex parte materiæ adverſetur, eò quòd quemlibet debuiſſet impedire ac prohibere. Poſtremis verbis autem dicit, quòd idem habitus, quatenus comparatur ad ſuum ſubjectum, & bonum facit habentem, ſit virtus, quatenus autem refertur ad alium, participet nomen juſtitiæ. Contra Buridanum itaque

Dico primò, dari juſtitiam legalem, quæ ſit virtus ſpecialis, diſtincta à collectione omnium virtutum, & à quavis in particulari v.g. ab obedientia, pietate, charitate proximi &c. Eſt communis ſenſus Doctorum cum S. Thoma *quæſt.* 58. *art.* 6. ubi etiam adducit Teſtimonium Philoſophi 3. *Politicorum cap.* 3. aſſerentis, quòd non ſit ſimpliciter eadem virtus boni viri, & boni civis. Et quinto Ethicorum *cap.* 1. quòd multi in propriis quidem poſſint uti virtute, in his autem, quæ ad alterum ſunt, non poſſint, ejuſdem etiam apparenter contrarios textus diſſolvit ibidem in corpore.

Probatur Concluſio inſuper Ratione. Tunc datur juſtitia legalis, quæ ſit ſpecie diverſa ab aliis virtutibus, quando datur honeſtas notabiliter diverſa, circa quam ipſa ſpecialiter verſatnr; ſed honeſtas, quæ eſt in procurando bono communi Reipub. quatenus illa ob rationem totius, ad cujus felicitatem partes, qua tales, ordinantur, habet jus ad tale bonum, eſt notabiliter diverſa, & circa eam juſtitia Legalis ſpecialiter verſatur: ergo eſt virtus ſpecie diverſa ab aliis. Maj. eſt communiter recepta. Min. quoad primam partem probatur ex notabiliter diverſa difficultate obſervata ab Ariſtotele loco cit. & multiplici experientia comprobata. Et confirmatur à pari. Sicut propter ordinem privati ad privatũ & communitatis ad privatum datur diverſa honeſtas juſtitiæ, ſic datur etiam propter ordinem privati ad communitatem. Quoad ſecundam partem ſic oſtenditur. Nec obedientia, nec pietas in patriam, nec charitas proximi, nec ulla alia virtus, quàm juſtitia legalis intendit bonum commune ex motivo illius juris, quod habet totum, ut eſt compoſitum ex membris Reipub. ad cujus bonum procurandum ipſa adſtringuntur, ergo juſtitia legalis circa prædictam honeſtatem ſpecialiter verſatur.

Obiicies 1. Etiam pietas curat bonum commune patriæ quatenus commune eſt, ergo pietas ſecundùm aliquam ſui partem eſt juſtitia legalis. Reſp. cum S. Thoma *q.* 101. *art.* 3. *ad* 3. patriam duplici modo ſpectari poſſe, primò formaliter, quatenus eſt quoddam naſcendi principium, & ut ſic pietas curat bonum publicum alicujus communitatis propter auxilium, quod ad ſuum ortum contulit. Secundò præciſè ut eſt communitas cui per modum partis ſumus conjuncti, & ut ſic juſtitia legalis ejus bonum procurat.

Obiicies 2. Bonum communitatis conſiſtit in exercitio omnium virtutum, ſed hoc exercitium procurant omnes virtutes ſimul ſumptæ, ergo hæ procurant bonum communitatis, & conſequenter ſunt juſtitia Legalis. Reſp. diſt. min. procurant materialiter concedo Min. formaliter & ex ſpeciali motivo honeſtatis, quæ conſiſtit in hoc, quòd pars curet bonum totius, quà talis, nego Min. & conſequentiam.

Urgebis. Quælibet virtus debet ferri in ſuum objectum obſervando omnes debitas circumſtantias, ſed inter debitas circumſtantias una eſt ipſum bonum communitatis, quà tale: quia leges, quæ per diverſarum virtutum actus obſervandæ ſunt, conditæ fuerunt in bonum totius communitatis, ergo quælibet virtus debet ferri in ſuum objectum obſervando bonum commune, qua tale: ergo debet formaliter illud procurare. Reſp. 1. Retorq. arg. Quia inter debitas circumſtantias una etiam eſt bonum privatum, quod ita obſervandum eſt, ne illud injuſtè lædatur, non tamen hinc ſequitur non dari juſtitiam commutativam ſpecialem, diverſam ab aliis virtutibus.

Reſp. Secundò. Diſting. Mai. quælibet virtus debet ferri in ſuum objectum obſervando debitas circumſtantias, poſitivè & formaliter intendendo illius circumſtantiæ ſpecialem honeſtatem ac motivum illud formale, nego Maj. negativè & non formaliter intendendo hujuslibet circumſtantiæ ſpecialem honeſtatem, concedo Maj. ſic quælibet virtus, quando ejus exercitium eſt à ſuperiore poteſtate præceptum, debet etiam ipſum præceptum obſervare, ſcilicet negativè, non tranſgrediendo, vel etiam poſitivè, ſed tantùm materialiter, ponendo ſcilicet materiam præceptam: non autem neceſ-

ceſſe eſt, ut ponat illam, quia præcepta eſt, per obedientiam formalem intendendo illam honeſtatem, quæ reſpicitur à virtute obedientiæ.

Obiicies 3. Unum & multa, inquit S. Thomas, non diverſificant virtutem: ergo juſtitia legalis reſpiciens communitatem non diſtinguitur à particulari, reſpiciente perſonas privatas. Reſp. diſt. antec. niſi illa multa ratione alicujus unionis inter ſe conſtituant motivum honeſtatis diverſæ, concedo, ſecus, nego antec. & conſequentiam: hoc ipſo autem, quòd unio moralis, quam habet pars cum tota communitate, inducat ſpecialem obligationem, jam etiam datur motivum honeſtatis diverſæ.

20 Dico 2. Juſtitia Legalis In Principe & ſubdito non differt ſpecie ſecundùm communiorem ſententiam, Valentiæ, Tanneri, Lugo, Dicaſtillo, & aliorum ab ipſis relatorum. Probatur. Quia utraque pars reſpicit idem motivum, nempè bonum commune, quà tale, propter ordinem, quem habet quęvis pars ad totam communitatem. Unde eſt diſparitas inter prudentiam Legiſlativam, quæ eſt in Principe, & inter politicam, quæ eſt in ſubdito, licèt utraque ſit in ordine ad bonum commune, & tamen ſpecie diverſificetur, ut colligitur ex Ariſtotele *6. Ethic. c. 8* & S. Thoma *q. 47. art. 11.* ac rurſum *quæſt. 50. art. 1. & 2.* nam virtutes intellectus nituntur diverſis motivis & veritatibus, ratione quorum multi bene ſciunt parere, ſed non prudenter imperare; bonum commune verò eſt tantùm finis extrinſecus, in ordine ad quem à voluntate adhibentur.

Obiicitur. S. Thomas *citato art. 6.* ait, juſtitiam Legalem eſſe principaliter & architectonicè in Principe, in ſubdito verò ſecundariò, & quaſi adminiſtratoriè: ſed Ariſtoteles *2. phyſicorum textu 34. & 35.* docet, artes architectonicas & adminiſtratorias e.g. Equeſtrem & Frænofactoriam ſpecie differre, ergo &c. Reſp. cum Lugo *diſp. 1. n. 67.* S. Thomam non voluiſſe dare differentiam intrinſecam, ſed extrinſecam, quatenus nimirum eadem ſpecie juſtitia in principe ſubeſt prudentiæ Gubernativæ & Architectonicæ: in ſubdito autem prudentiæ adminiſtratoriæ, à quibus prudentiis etiam ipſa juſtitia extrinſecam denominationem accipit.

Dico 3. juſtitia Legalis deficit à propriè dicta juſtitia per hoc, quòd non reſpiciat Jus propriè dictum. Probatur 1. Quia ut inquit Palao *diſp. unica de Juſtitia in genere §. 8. n. 6.* debitum juſtitiæ Legalis ſæpè tantùm eſt ex honeſtate & decentia, non ex rigoroſa obligatione, quæ peccatum inducat.

Probatur 2. Quia quando juſtitia Legalis obligat ſub præcepto, inducente peccatum, non obligat ex mero beneplacito ejus, erga quem exercenda eſt juſtitia, nempe totius cætus vel communitatis humanæ, cùm iſtius bonum procurandum aut damnum avertendum ſit, non quia ipſa communitas vult, ſed quia pars naturaliter & irremiſſibiliter adſtringitur ad conſervationem & indemnitatem ſui totius, quando ſine tali obligatione non bene eſſet proſpectum communitati in ordine ad vitam ſocialem & tranquillam ducendam.

Probatur 3. à poſteriori. Illud enim non eſt rigoroſum jus, cujus violatione non inducitur obligatio ad reſtitutionem damni reparabilis. Sed violatione juris legalis ex communi Doctorum conſenſu non inducitur obligatio ad reſtitutionem damni, etiam quando illud eſſet reparabile, e.g. etiamſi poſſet dari tantum frumenti poſt tranſactam publicam neceſſitatem, quantum erat dandum, durante publica neceſſitate, ergo &c.

ARTICULUS V.

Quid ſit Juſtitia Vindicativa, & quomodo differat à juſtitia propriè dicta.

SUMMARIUM.

21 *Inflictio pœnæ, commenſurata delicto, ex variis quidem finibus, & virtutibus procedere poteſt, modo ſupponat legitimam poteſtatem, & non authoritate privata inferatur.*

22 *Juſtitia vindicativa eſt quidem ſpecialis virtus, media inter duo vitia extremè oppoſita ſcilicet inter crudelitatem & conniventiam, ſed non eſt propriè dicta juſtitia.*

Circa Juſtitiam Vindicativam duo hìc declaranda ſunt, primò an ſit virtus ſpecialis? Secundò. An ſit propriè dicta juſtitia? pro quo

Advertendum primò. Actum externum juſtitiæ vindicativæ eſſe inflictionem pœnæ ſecundùm legum, aut prudentis arbitrii æſtimationem commenſuratæ delicto; illam autem eſſe commenſuratam, qua major non eſt neceſſaria, & minor non ſufficeret ad homines in talibus circumſtantiis communiter abſterrendos à delicto.

Advertendum Secundò. Eundem actum externum vindictæ poſſe ex diverſi finis intentione procedere, ut optimè obſervavit S. Thomas 2. 2. *q.* 108. *ar.* 1. Si enim hominis intentio, ut loquitur S. Doctor, feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam ſumit, & ibi quieſcat, eſt omninò illicitum, quia delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod charitati repugnat. Si verò Intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per pœnam peccantis puta ad emendationem, vel ſaltem ad cohibitionem ejus &c. poteſt eſſe vindicatio licita, aliis debitis circumſtantiis ſervatis.

Advertendum eſt tertiò. Hoc ipſo, quòd omnis actus externus debeat imperari ab interno, internus autem juxta dicta poſſit varios fines intendere, diverſis virtutibus proprios, etiam actum externum Juſtitiæ vindicativæ per denominationem extrinſecam ad eaſdem revocari poſſe, ſicut actus externus Jejunii, Eleemoſynæ, imperatus ex motivo pœnitentiæ etiam actus pœnitentiæ vocatur, quamvis ad illum virtus temperantiæ, ad iſtum virtus miſericordiæ principaliter ſit ordinata: proinde hìc quæritur. An & qualis virtus principaliter ad imperandum actum externum vindicationis à Deo, vel ab Authore naturæ ſit ordinata, id eſt, an ex alicujus, & ex qualis virtutis motivo formali potiſſimùm imperari poſſit?

Dico primò. Sicut non conveniebat paſſim cuilibet homini concedi poteſtatem ſumendi vindictam, ſic conveniens erat, eandem ſaltem concedi Superiori, adeòque reſpectu hujus licitam & honeſtam eſſe, atque ab actu interno virtuoſo imperari poſſe. Concluſio patet ex Epiſt. ad Rom. *cap.* 12. *verſu* 17. *Nulli malum pro malo reddentes, & verſu* 19. *Non voſmetipſos defendentes, ſed date locum iræ, ſcriptum eſt enim, mihi vindictam, & ego retribuam*. De legitimo Superiore autem dicitur ſequenti *cap.* 13. *verſ. DEI miniſter eſt vindex in iram ei, qui malum agit*. Idem quoad utramque partem ex plurimis aliis ſcripturæ teſtimoniis confirmari poſſet. Convincitur etiam ratione naturali, exhibente nobis ex una parte plurima mala, quæ ex privatæ vindictæ licentia orirentur, & ex altera parte plurima bona, quæ ex poteſtate vindicativa legitimo Superiori conceſſa ſequuntur, & qua negata iterum plurima mala evenirent, ac ſceleribus oſtium panderetur.

Dico 2. Motivum formale virtutis per ſe ad punitio- 21
nem ordinatæ eſſe honeſtatem illam, quæ conſiſtit in commenſuratione ſeu æqualitate pœnæ cum delicto, unde per exceſſum opponitur huic virtuti crudelitas, & per defectum nimia remiſſio, ſeu conniventia; ita expreſsè S. Thomas *quæſt.* 108. *art.* 2. *ad* 3. & Doctores communiter. Probatur primò ex S. Scriptura pluribus in locis hanc æqualitatem ab habentibus illius poteſtatem exigentes, & ſupremi vindicis Exemplo, confirmante Deutr. 15. *Pro menſura peccati erit & plagarum modus*. Apocal. 18. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*. Sic etiam pro diverſitate delicti pœna commenſurata cujuſque gravitati ſtatuitur Luc. 12. *verſ.* 48. & Matthęi 7. *verſ.* 22. Atqui ad hanc æqualitatem, qua talem, nulla alia virtus, quæ etiam DEO propria eſſe poſſit, ordinatur, quàm Juſtitia Vindicativa, ergo illa eſt motivum formale Juſtitiæ Vindicativæ.

Probatur ſecundò. Æqualitas pœnæ cum delicto tam utilis & neceſſaria eſt generi humano, ſi à certis per-

perſonis poteſtatem gerentibus obſervetur, quàm æqualitas rei cum Jure alterius, & hujus obſervatio, ne Superior ſiniſtro quodam affectu vel humano reſpectu in alterutram partem, ſcilicet vel nimiam ſeveritatem, vel nimiam lenitatem ſe abripi ſinat, continet ſpecialem difficultatem ac honeſtatem, ipſius æqualitatis amore laudabiliter ſuperabilem: ergo ſicut ad procurandam æqualitatem rei cum jure alterius eſt ordinata virtus Juſtitiæ commutativæ, ſic ad procurandam æqualitatem pœnæ cum delicto eſt ordinata virtus Juſtitiæ vindicativæ.

Obiicies 1. Nulla virtus poteſt quieſcere in malo alterius, ut ipſi malum eſt: quia aliàs odium hominis eſſet virtus, ut priùs ex S. Thoma advertimus: ergo Juſtitia vindicativa non poteſt quieſcere in hoc, quod homini tam malè ſit per pœnam, ſeu quòd ei tam mala ſit pœna, quàm mala fuit ejus culpa. Reſp. diſt. anteced. cum Leſſio *lib. 2. cap. 47. dub. 4. num. 25.* Nulla virtus poteſt quieſcere in malo alterius, ut independente ab ejus merito, & abſque debita menſura illato, adeòque in malo ſeorſim ſumpto, concedo antec. in malo, ut dependente ab alterius merito, & ſub certa menſura, adeòque prout malum pœnæ conſtituit æqualitatem cum malo culpæ, utilem ac neceſſarium generi humano, nego antec. & conſeq. & hoc modo poteſt læſus honeſtè appetere, & quivis alius etiam gaudere de obſervata debita æqualitate; non tamen poteſt ipſe privata Authoritate eam inferre, niſi in vindictis parvis, pro quibus non ſolet ad Superiorem recurri, ſi eæ tamen ad juſtam ſui defenſionem, ne ſcilicet alter injuriam inferre pergat, neceſſariæ ſint, ut citatus Leſſius *n.* 23. obſervat.

Rectè etiam monent Authores in vindictæ appetitione vel gaudio, etiam tantùm ſpeculativo, cautè agendum eſſe, ne in odium degeneret, prout facilè fieri poteſt: præſertim ſi quis læſus, vel aliàs inimicus fuerit: tali enim alii perfectiores actus virtutum, nempe Charitatis, Clementiæ, commiſerationis &c. potiùs conveniunt.

Obiicies 2. Ne infligatur pœna major delicto oritur ex Juſtitia commutativa, ne verò nulla, vel inſufficiens infligatur, provenit ex Juſtitia legali, cujus ſicut eſt ferre Leges, ſic etiam eſt cavere, ne violentur, ergo non eſt opus alia ſpeciali virtute. Reſp. 1. Argumentum probare nimium, nempe non eſſe opus plurimis ſpecialibus virtutibus, eò quòd actiones externæ ab illis imperatæ, potuiſſent ex alio motivo valde univerſali alterius virtutis v. g. Charitatis, Religionis Obedientiæ &c. imperari. Reſp. ergo 2. diſt. Conſeq. non eſt opus alia ſpeciali virtute in ordine ad actum externum dependenter à motivo æqualitatis pœnæ cum delicto procurandum, nego conſeq. dependenter à motivo generali vel quocunque alio ſpeciali procurandum, concedo conſequentiam. Poſſunt igitur ad idem objectum materiale, vel ad eundem actum externum ordinari diverſæ virtutes, ut ſi quem forſam non impelleret motivum formale unius virtutis, impellat motivum formale alterius, vel utriuſque, ut operans tantò magis fiat laudabilis.

Obiicies 3. vel conſideratur vindicta prout eſt debita à Judice, ut eam inferat, vel prout eſt debita à reo, ut eam ſuſtineat: utroque modo pœnæ æqualitas cum delicto, eſt tantùm objectum materiale, ſeu eſt ipſa res debita: Judex enim ad eam ex Juſtitia Commutativa obligatur, tum ratione ſalarii & pacti, quo obſtringitur communitati, à qua eſt conſtitutus, tum ratione officii, quo obſtringitur ſubditis, in ordine ad quos conſtitutus eſt: ſicut etiam cuſtos rei alienæ obligatur ex Juſtitia Commutativa cavere alterius damnum, ſic Judex obligatur per vindictam reparare honorem læſi, vel procurare ſatisfactionem pro illato damno. Reus verò tenetur ſuſtinere æqualitatem pœnæ, ut læſo per eam pro offenſa ſatisfiat: ergo æqualitas pœnæ cum delicto non eſt motivum formale Juſtitiæ Vindicativæ, ſed potiùs alia ultimata æqualitas, qua redditur debitum communitati, & perſonæ læſæ. Reſp. Æqualitas pœnæ cum delicto eſt tantùm objectum materiale actus imperantis vindictam ex intentione ſatisfaciendi officio, & obligationi ſuæ à Juſtitia Commutativa impoſitæ, concedo: eſt tantum objectum materiale actus imperantis vindictam ex intentione honeſtatis propriæ ipſi Juſtitiæ Vindicativæ, nego.

Dico 3. Juſtitiam Vindicativàm, qua talem, non eſſe, nec ſpectare ad aliquam ſpeciem propriè dictæ Juſtitiæ, ita S. Thomas *cit. q. 108. art. 2.* ubi illam aſſerit ſpecialem virtutem, à cęteris ſpeciebus Juſtitię diſtinctam, & ponit illam inter virtutes, quas vocat partes potentiales Juſtitię, quia ſaltem impropriè & per aliquam imitationem Juſtitia dici poſſunt: S. Thomam ſequuntur Doctores communiter. Concluſio efficaciter probatur ex prçcedentibus. Motivum formale Juſtitiæ Vindicativæ, eſt tantùm çqualitas pœnæ cum culpa, non verò cum Jure communitatis, vel perſonę lęſę, quamvis finis extrinſecus, & ipſius inferentis, vel ſubeuntis pœnam poſſit eſſe çqualitas debita cum Jure prçdicto; ergo Juſtitia vindicativa nec eſt, nec ſpectat ad ſpeciem propriè dictę Juſtitię, cujus eſt cuique tribuere Jus ſuum.

ARTICULUS VI.

De Obligationibus Iuſtitiæ Vindicativæ annexis in Iudiciis criminalibus.

QUia in omni Proceſſu, ſeu Judicio criminali interveniunt variæ Perſonæ, ut Judex, Accuſator, Teſtes, Reus, Advocatus, ideò de horum Obligationibus ſpeciales quęſtiones expediendę ſunt.

§. I.

De Iudicis Obligationibus.

SUMMARIUM.

23 *Judex tenetur ex obligatione Juſtitiæ Vindicativæ crimina non ſinere impunita. Ad hunc finem tres habet modos, ſive vias procedendi; nempe per accuſationem, denunciationem, & inquiſitionem, quæ poſtremæ duæ viæ in unam coeunt, & Proceſſum ex officio conſtituunt, prima verò Proceſſum ad inſtantiam Partis.*

24 *Triplex eſt inquiſitio, generalis, ſpecialis, & mixta. Prima & ultima, quando non de Perſona determinata Inquiſitio inſtituitur, ſemper adhiberi poteſt; ſpecialis verò, & quando de determinata Perſona ſit inquiſitio, ordinariè adhiberi non debet, niſi de illa perſona præceſſerit infamia: ſaltem ſi Judex ſit Eccleſiaſticus, & ad ſolam punitionem procedat.*

25 *Declarantur tres inſinuatæ limitationes.*

26 *Licitum eſt, etiam per torturam reum examinare, ſi obſerventur tres conditiones.*

27 *Judici non licet ex privata ſcientia contra reum procedere.*

28 *Neque etiam Judici, ſaltem ſubordinato, licet abſolvere reum, ſecundum formam Juris convictum, quem privata ſcientia novit Innocentem, & ſi aliter liberare eum nequeat, tenetur contra illum ferre ſententiam, & Miniſter Juſtitiæ tenetur illam exequi.*

29 *Tenetur tamen in dicto caſu adhibere alios modos, reum innocentem liberandi.*

UT Judex Juſtitiam vindicativam debito modo adminiſtret, neceſſe eſt, ut publica & bono communi adverſantia crimina ſinat non impunita, quò aliàs adversùs Juſtitiam vindicativam peccaret, & tamen perſonis, quæ habentur pro reis, neque in fama, neque in bonis fortunę, & corporis injuſtum damnum inferat, quo Juſtitiam Commutativam lęderet. Idcirco juxta *Capit. Qualiter & quando 2. de Accuſationibus* tres à DD. communiter ſtatuuntur modi procedendi, nempe via *Accuſationis*, *Denunciationis*, & *Inquiſitionis*, qui duo poſtremi tamen in unum revocari poſſunt, quia denunciatio ad inquiſitionem ſpectat, tamquam aliquid prçvium ad illam; unde cùm inquiſitionem Judex ex officio facere frequenter debeat, nullo etiam exiſtente Accuſatore vero ac formali, rectè priores duo modi procedendi in unum reducentur, ſcil. in *Proceſſum accuſationis*, *ſive ad inſtantiam partis*, & in proceſſum *ex officio* ſeu via *inquiſitionis*. Proceſſus accuſationis, ſeu ad inſtantiam partis eſt, quando aliquis coram Judice accuſat reum de delicto, quod contra ipſum paratus eſt probare, ſi 23

verò

verò hoc onus probandi non vellet ſubire, ſed tantùm deſerret reum ſine onere probandi, tunc non ad proceſſum accuſationis, ſed denunciationis, vel potiùs inquiſitionis talis cooperaretur. Quia verò proceſſus inquiſitionis non ſemper licitè inſtitui poteſt: hinc

24 Quær. primò, quandonam Judex licitè ex officio procedere, & inquiſitionis proceſſum inſtituere valeat? Pro reſponſione advertendum eſt, inquiſitionem aliam eſſe generalem, aliam ſpecialem, aliam mixtam. Generalis eſt, quando Judex alicujus communitatis in genere, nullum delictum, vel perſonam denominando, inquirit, an nullus ſit tranſgreſſor Legis alicujus. Specialis eſt, quando de ſpeciali delicto, & de ſpeciali perſona quærit Judex: an v. g. hoc homicidium, vel hoc furtum fuerit à Petro commiſſum. Mixta eſt, quando alterutrum determinatè, & alterum indeterminatè inquiritur, ut ſi de delicto commiſſo certo jam conſtet, ſolùm quæritur, quis illud commiſerit.

Nunc ad quæſtionem Reſp. primò. Proceſſum generalis inquiſitionis, vel mixtæ, qua de ſpeciali, & certo delicto tantùm in genere, & indeterminatè inquiritur, quis ſit Author illius, non tantùm eſſe licitum, ſed etiam laudabilem, & frequenter neceſſarium. Probatur. Quia tali inquiſitione nemini infertur injuria, & præterea cavetur Reipub. & cuicunque communitati noxia impunitas, ac libertas peccandi, & Leges transgrediendi: unde valdè expedit inquiſitiones generales, ſive viſitationes ſubditorum frequenter inſtitui, & ſi de aliquo certo delicto conſtet, in ejus Authorem inquiri, ne ex diſſimulatione crimina invaleſcant. Patet *ex cap. Pernicioſa 1. de Officio Judicis ordinarii*, & *ex cap. Romana 1. §. ſanè de Cenſibus in 6.*

Neque obſtat, quòd hujuſmodi inquiſitione generali, vel mixta præbeatur aliis occaſio manifeſtandi delicta occulta, quæ neque Judici licitum eſt, prodere præcisè in ordine ad vindictam, ſeu punitionem, priuſquam Author publica infamia Jus ſuæ famæ perdiderit. Cùm Officium Judicis tantùm ſit, & bonum commune ſolummodo exigat, ut publica, & notoria crimina pro meritis caſtigentur. Nam Judex faciens ſuum officium, & utens Jure ſuo, non tenetur impedire, ne quis per imprudentiam, vel per ignorantiam obligationis non manifeſtandi crimen occultum, vel etiam per malitiam alterius bonæ famæ detrahat, cùm id fiat per accidens, & præter intentionem Judicis, neque de ulla perſona determinata inquirat, adeòque nullius Jus immediatè ac directè lædat, & proinde licitum ipſi ſit, per inquiſitionem generalem quoad perſonam inveſtigare publica delicta, & perſonam, ſi quæ commiſſi criminis publica ſuſpicione, aut infamia laborans deprehendi poſſit.

Reſp. ſecundò. Proceſſum inquiſitionis ſpecialis de ſingulari, & determinato crimine, & perſona, aut mixtæ, qua de determinata perſona, attamen indeterminato crimine inquiritur, an v. g. Petrus fecerit aliquod crimen, ordinariè licitum non eſt inſtituere ſine præcedente infamia ipſius determinatæ perſonæ, ſaltem ſi Judex ſit Eccleſiaſticus; & ſi inquiſitio tendat ad ſolam punitionem perſonæ. Ita apud Leſſium *lib. 2. cap. 29. num.* 121. DD. communiter.

Probatur primò. Judex ne in uſu ſuæ poteſtatis excedat, debet procedere juxta Leges ſibi præſcriptas, ſed Leges ſaltem Canonicæ, & Judici Eccleſiaſtico præſcriptæ ſunt, ne inquiſitionem ſpecialem inſtituat ad punitionem criminum ſine præcedente perſonæ infamia, quæ quaſi accuſatorem fictione Juris agat: quo ſenſu etiam S. Thomas 2. 2. *quæſt. 67. art. 3.* expreſsè docet, in omni Judicio criminali eſſe neceſſarium accuſatorem, ſcilicet vel verum, & formalem, vel fictum, & virtualem, ergo &c. Min. probatur *ex cap. Inquiſitionis §. tertia. de Accuſationibus.* Ubi expreſsè dicitur: *Ad hæc reſpondemus, nullum eſſe pro crimine, ſuper quo non laboret infamia, ſeu clamoſa inſinuatio non præceſſerit, puniendum: quin ſuper hoc depoſitiones* (id eſt delationes occultas) *contra eum recipi non debere: cum inquiſitio fieri debeat ſolummodo ſuper illis, de quibus clamores aliqui præceſſerunt.* Et *cap. Qualiter 2. tit. eodem. Sicut accuſationem legitima debet præcedere inſcriptio* (qua ſcilicet accuſator ſuſcipit onus probandi ſub pœna Talionis) *ſic & denunciationem charitativa monitio, & inquiſitionem clamoſa inſinuatio prævenire.*

Probatur præcedens Reſponſio Secundo. Juſtitiæ vindicativæ, ac poteſtatis, ſive Juriſdictionis punitivæ finis unicus eſt; ne publicorum, ac notoriorum criminum impunitate communitas aliquod damnum patiatur creſcentibus ſcandalis, peccandique licentia. Atqui ſi crimen eſt occultum, finis iſte ceſſat, ergo etiam poteſtas, & Juriſdictio judicis; ergo per Inquiſitionem ſpecialem in perſonam adhuc retinentem jus bonæ famæ peccat judex contra juſtitiam, ſicut peccaret, qui non eſſet Judex.

Limitavi tamen Reſponſionem primò, addendo: *Ordinariè*, excipitur enim crimen Hæreſis, & Apoſtaſiæ, 25
cap. Excommunicamus §. Adjicimus de Hæreticis & l. Apoſtatarum 4. Cod. de Apoſtatis, & crimen læſæ Majeſtatis humanæ propter extravagantem Friderici Imperatoris, quæ incipit: *Ad reprimendum*, & habetur poſt librum Feudorum. Hæc enim crimina, quia ſunt valdè noxia communitati, exigebant, ut etiam inquiſitio, quantùm fieri poteſt occulta, & ſine infamatione, inſtitui licitè poſſit, etiamſi nulla præceſſerit infamia. Nomine infamiæ comprehenditur etiam notitia, qua crimen dicitur notorium jure, nempè per confeſſionem rei coram judice, qua tali, vel per denunciationem factam in proceſſu inquiſitionis generalis, ut notavit Leſſius *lib. 2. cap. 29. dub. 15.* Imò etiam comprehenditur præſumptio Juris, quando de interfectione Domini contra ſervos, vel de ſubmerſione navis contra Nautas inquiſitio facienda eſt. *l. 1. ad S. C. Silanianum. & l. Quoties. Cod. de Naufragiis.*

Limitavi Secundò. *Saltem ſi Judex ſit Eccleſiaſticus*, quia Leſſius *loc. cit. num. 132.* pluribus rationibus probat, licitam eſſe praxim judicum ſæcularium, ex denunciatione, etiam non judiciali, deputati officialis, vel partis læſæ, vel alterius privati judicis, procedentium ad inquiſitionem ſpecialem in criminibus noxiis, proinde etiam habentibus ſibi annexam intentionem non ſolius punitionis, ſed damnorum cavendorum, quorum cura maximè incumbit Gubernatori Civili. Cùm è contrario judicem Eccleſiaſticum magis deceat lenitas, præſertim erga perſonas Eccleſiaſticas, quarum infamatione plus damni, & ſcandali oriretur, ut proinde Jus poſitivum allegatorum canonum, & jus naturale magis reddat illicitam inquiſitionem ſpecialem ſine prævia infamia. Sed hæc limitatio videtur, ut ſic jam incluſa in ſequenti.

Limitavi Tertiò. *Si inquiſitio tendat ad ſolam Punitionem.* Nam ſi ad correctionem Rei referatur, vel ad avertenda damna, ne v. g. promoveatur indignus ad Beneficium, ne contrahatur Matrimonium cum impedimento dirimente &c. tunc licita eſt inquiſitio ſpecialis ſine infamia præcedente, modò, quantùm fieri poteſt, fiat occultè, ne naſcatur infamia.

Quær. 2. An & quando Judex reum per torturam licitè examinare poſſit? Prima pars quæſtionis quoad licentiam eſt indubitata, & omnium tribunalium praxi recepta, quia hoc medium eſt neceſſarium ad ſupplendum defectum plenæ probationis, præſertim in valdè gravibus, & occultè commiſſis delictis, quando jam habetur ſemiplena ſaltem probatio, quæ ſi non ſufficeret ad torturam, multa enormia crimina, defectu plenæ probationis, pro meritis, & ordinariis pœnis puniri, ac proinde ſatis cohiberi non poſſent, quod in grave cederet Reipubl. & communitatis cujuſvis damnum, quod etiam damno privato, quandoque innocenti, & per accidens evenienti præferendum eſt. 26

Ad alteram partem Quæſtionis Reſp. ut Examen per torturam licitè à judice fiat: plures requiri conditiones. Primò debet delictum eſſe tantum, ut mereatur pœnam corporalem, alioquin tortura eſſet gravior ipſa pœna, quæ tamen defectu plenæ probationis infligi non poſſet, adeòque multò minùs poſſet infligi tortura.

Secundò debet perſona non eſſe immunis à tortura, uti ex Jure immunes ſunt impuberes ob defectum ætatis, ſenes ob debilitatem, ſaltem ad ſuſtinendam gravem torturam, mulieres prægnantes ob periculum abortus. Exempti per Privilegium ſunt apud Leſſium *lib. 2. c. 29. num. 145.* relatis Gomezio, & Claro, Nobiles, Doctores, eorumque liberi, & milites, extra crimen Hæreſis, proditionis, vel læſæ Majeſtatis.

Tertiò

Tertiò debet crimen jam eſſe, vel ferè eſſe ſemiprobatum. Cùm enim tortura ſit medium exprimendi confeſſionem commiſſi criminis valde acerbum vel doloriferum, ideo debet probatio eſſe valde magna, qualis in jure cenſetur ſemiplena probatio, illi aut aliquo modo æquivalens, cujuſmodi eſt fama publica accedente alio gravi indicio, vel teſte jurato licèt non omni exceptione majore, ſed fide digno; vel propria criminis confeſſione apud alios, ſaltem duos (qui tamen ipſam confeſſionem debent jurati teſtari, & eſſe teſtes omni exceptione majores) aliquando facta: quamvis ſecluſa publica infamia propria confeſſio extrajudicialis, & duorum etiam teſtium extra judicium cum juramento aſſerentium, ſe vidiſſe commiſſionem criminis, non ſufficeret ad torturam licitè adhibendam; imò neque ad inquiſitionem ſpecialem teſte Leſſ. *l. c. n.* 125. propter expreſſam prohibitionem *cap. Inquiſitionis* ſupra allegati, ſed magis pro Judice Eccleſiaſtico adducti. Plures probationes ad violentum torturæ examen ſufficientes videri poſſunt apud citat. Leſſium *l. c. dub.* 17.

27 Quær. Tertiò. An Judex in abſolvendo, vel condemnando reo ſemper debeat procedere ſecundùm allegata, & probata, ita ut nequeat uti ſcientia propria, ac certa, ſive ad puniendum eum, quem certò ſcit eſſe nocentem, ſed non convictum ſive ad dimittendum, quem certò ſcit innocentem, ſed convictum, ut nocentem. Reſp. cum S. Thoma 2. 2. *q.* 67. *art.* 2. ex communi Theologorum, & Juriſtarum ſententia affirmativè, ut verò diſtinctius procedamus, reſponſionem in plura membra partiemur, & per diſtinctas concluſiones quæſtionem reſolvemus.

Dicendum itaque primò. Nec ſupremus, nec inferior Iudex juſtè poteſt condemnare, & punire pœna vindicativa criminis certò cogniti notitia privata, ſed non ſufficienter probati, per legitimos teſtes, vel per alia indicia parientia notitiam publicam. Hæc concluſio eſt omnino certa apud Doctores, Theologos, & Juriſtas. Ratio eſt jam ſupra reddita, quia poteſtas iudicialis ad vindictam ac punitionem criminum eſt poteſtas publica, conceſſa à Deo ad bonum commune, & ad bonam gubernationem communitatis, ne ex impunitate notoriorum criminum ſubditi ad illorum perpetrationem ac frequentationem alliciantur. Ergo quando crimen non eſt notorium ac publicum; poteſtas judicialis non habet, quod puniat pœna vindicativa: pœna autem non vindicativa, ſed medicinalis in ordine ad emendationem & correctionem Rei licita quidem eſt, ſed hęc non infligitur à Iudice, qua tali neq; per ſententiam judicialem, ſed occultè, & paternè.

Confirmatur concluſio etiam ex gravibus damnis & periculis iniquiſſimarum condemnationum, ſi Iudicibus liceret, pro illis privatam ſcientiam criminis prætendere, & ſimul agere officium Iudicis, & Accuſatoris: quod nullo Jure conceditur.

28 Dicendum Secundò. Quando crimen eſt ſecundum formam Iuris, legibus præſcriptam, ſufficienter probatum contra Innocentem, à Iudice privata ſcientia certò cognitum Innocentem, tunc inferior Iudex, qui legibus ſubeſt, poteſt ac debet ferre ſententiam pœnę ordinariæ, ac legibus ſtatutæ, etiam corporalis, ſi nulla alia ratione excogitabili abſque ſuo gravi damno Innocentem liberare poſſit. Ita S. Thomas 2. 2. *q.* 67. *art.* 2. allegans S. Auguſtinum Covarr. *lib.* 1. *variarum Reſolut. c.* 1. *n.* 3. *&* 6. ubi aſſerit, pluribus relatis (& fatentur adverſarii) eſſe communem ſententiam, pro eadem etiam Tannerus *diſp.* 4. *de Juſt. q.* 4. *d.* 2. refert & ſequitur Alenſem, Richard. Antonin. Majorem, Valentiam, Cajet. Bannez, Azor, Sylveſt.

Diſſentiunt tamen Leſſ. *lib.* 2. *c.* 29. *dub.* 10. *n.* 78. Laymann *lib.* 3 *de Juſt. tr.* 6. *cap.* 2. *n.* 8. adducens Adrianum, Lyran, Angelum, Abbatem, Roſellam, Saà, quibus accedit Haun. *tomo* 5. *de Juſt. tr.* 2. *n.* 39. Probatur noſtra concluſio. Certum eſt, quòd Deus potuerit hanc poteſtatem ferendi ſententiam ſecundùm allegata, & probata, & ſecundùm formam legibus præſcriptam, contra privatam certam ſcientiam de Innocentia Rei per teſtes omni exceptione majores, & per alia Jure recepta indicia convicti, Iudicibus concedere, dando eis Ius, non tantùm in bona fortunæ, in ordine ad licitè decernendam pœnam pecuniariam (quam Leſſius & Laymann ultrò concedunt Innocenti cognito infligi poſſe) ſed etiam in bona corporis, ſcilicet in vitam, & membra; adeòque occiſionem Innocentis non eſſe ita abſolutè, & intrinſecè, ac indiſpenſabiliter malam, ſicut eſt copula carnis cum non ſua, vel ſicut peccatum mollitiei, vel pollutionis, inter quæ citati Doctores proinde immeritò inſtituunt paritatem: Deus enim, qui eſt Dominus vitæ, & mortis, ſicut potuit Abrahamo præcipere, ut filium ſuum innocentem occideret (quamvis dein ſola voluntate contentus fuerit) ſic poteſt Iudici concedere, & præcipere interfectionem etiam falſis teſtimoniis, & indiciis juridicè convicti. Atqui Deum de facto hanc poteſtatem conceſſiſſe; & ejus uſum ſubordinatis judicibus præcepiſſe, conſtat tam ex authoritate allegata, quàm ex fine conceſſę poteſtatis in reos verè nocentes, & juridicè convictos; quia eadem damna ſequerentur ex impunitate Innocentium publica, & juridica ſcientia habitorum pro nocentibus, quæ ſequeretur ex impunitate verè nocentium: & inſuper ſequerentur plurimæ corruptiones judicum, privatam ſcientiam Innocentiæ pro conniventia ſua prætendentium, ut proinde Leges certam formam proceſſuum criminalium præſcribentes fruſtrarentur ſuo effectu, ac fine.

Suppoſito autem Jure prædicto Iudicis in vitam & membra Innocentis, convicti ut Rei, etiam executio ſententiæ eſt licita illi, qui habet privatam ſcientiam Innocentiæ, e. g. carnifici, ſi ipſe reum liberare non poteſt, ut rectè obſervat Tannerus *l. c. num.* 54. Et quia nec judicis nec executoris actio eſt contra Jus Innocentis, licèt ſit contra meritum illius, ideo propriè neque materialiter injuſta dicenda eſt. Per quod reſpondetur ad replicam adverſariorum, quòd non liceat ſcienter facere materialiter injuſtum; negatur enim ipſis ſuppoſitum quod decernens vel inferens mortem faciat materialiter injuſtum; ſicut ſecundùm adverſarios non facit materialiter injuſtum, quando Judex per ſuum Dominium altum infligit pœnam pecuniariam falſi criminis convicto.

Addidi tamen in concluſione hanc limitationem: ſi nulla alia ratione excogitabili abſque ſuo gravi damno Innocentem liberari poſſit. Nam ſi hoc poteſt, utique tenetur, tum ex charitate, tum ex juſtitia; quia pro eo caſu non fuit neceſſe, ut Deus conferret Jus in vitam Innocentis. Vix autem continget, ut non ſuppetat judici ratio & modus liberandi innocentem abſque ſuo privato, & publico damno e. g. Accuſationem, teſtimonia, indicia oſtendendo non eſſe ſatis certa, idonea, ſufficientia, remittendo cauſam ad altiorem judicem, & apud illum agendo teſtem Innocentię, accuſato occaſionem fugæ prębendo, per negligentiorem cuſtodiam &c. Quę omnia, ſi non ſufficiant, poterit tandem condemnationis ſententiam ferre ſecundùm formam Juris ipſi pręſcriptam, ac pręceptam: nec tenetur officium Judicis deponere, quia per hoc Innocentem non liberaret, & cum ſuo gravi damno etiam non teneretur liberare, ſicut quivis alius, qui non eſt Judex, ad hoc non obligaretur, quemadmodum non obligaretur procurare pretioſas medicinas pro ſervanda vita pauperis alioquin morituri. 29

Limitavi etiam concluſionem, eam tantùm extendendo ad Judicem inferiorem; nam ſupremus Judex, qui etiam in legibus diſpenſare poſſet, vel qui poſſet facere gratiam vitę ſine gravi Reipubl. damno, eo in caſu utique liberare deberet Innocentem: cùm etiam nocenti poſſit hanc gratiam facere ſecluſo damno perſonę lęſę, & communitatis, teſte S. Thoma 2. 2. *q.* 67. *a.* 4. *in corp.*

§. II.

De Accuſatoris & Teſtium Obligationibus.

SUMMARIUM.

30 *Licitum, & aliquando etiam debitum eſt, accuſare Reum, etiam nondum publica infamia laborantem, ſi crimen ejus juridicè & plenè probari poſſit, imo in aliquibus caſibus ſaltem neceſſe eſt denunciare, etiamſi crimen planè probari non poſſit. Ideo Alexand. VII. prohibuit tres contrarias Propoſitiones* 5. 6. 7.

31 *Quando Teſtis teneatur jurare, & dicere veritatem coram judice, cujus Juriſdictioni ſubeſt.*

32 *Judex præter obligationem obedientiæ non poteſt aliam obligationem teſti imponere ad dandum teſtimonium: poteſt tamen iſte aliunde etiam obligari e.g. ex virtute charitatis.*

30 QUær. 1. An & quando ſit licita accuſatio Rei, nondum laborantis infamia criminis? Reſp. ad primum. Si accuſatio non procedat ex odio, vindicta, vel alio motivo inhoneſto, ſed ex amore Boni communis, ut alii abſterreantur ab hujuſmodi criminibus perpetrandis, vel proprii, aut alieni Boni privati, e. g. ad cavendum, vel reparandum damnum ex injuſta læſione illatum, licitam eſſe, & quandoque obligatoriam accuſationem Rei, etiam occulti, vel nondum infamis.

Ratio eſt. Quia ex una parte nititur talis Accuſatio fine honeſto, ex altera reo non fit injuria, quia ad bonum commune totius generis humani expediebat concedi adversùs reum, etiam occultum, facultatem ac Jus accuſandi, ad impediendam frequentiam criminum, & damnorum inde emergentium.

Dixi; *quandoque eſſe obligatoriam accuſationem*. Si nempè non niſi Judicis Authoritate grave damnum communitatis, aut tertii, aut ipſius Rei damnum animæ impediri non poſſet. Tunc enim ex charitate proximi ſaltem debita eſſet accuſatio, ſive potiùs denunciatio, ſi ſine proprio gravi damno fieri poteſt, vel ſi damnum commune tantum ſit, ut etiam proprio privato præferri debeat. Ob hanc rationem ab Alexandr. VII. prohibitæ ſunt tres propoſitiones, quinto, ſexto, & ſeptimo loco poſitæ. Scilicet ſequentes. *Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.* Et: *Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam, poſtea legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus.* Et. *Modus evitandæ obligationis denunciationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſolvere, abſque onere denunciandi.* Neque rationes inſinuatæ ullo modo à dictis obligationibus excuſant. Ratio enim primæ propoſitionis tantùm probat, Accuſationem non eſſe faciendam in ordine ad pœnam judicialiter ex plena probatione criminis inferendam, manente tamen obligatione propter alios fines indicatos. Ratio ſecundæ, & tertiæ propoſitionis utraque eſt falſa, & ſupponit falſum. Quòd nempè ſollicitatio non cenſeatur moraliter, imò etiam Phyſicè, quantùm eſt ex parte Confeſſarii, facta in Confeſſione: & quòd obligatio Sigilli Confeſſionis etiam ad confitentem ſe extendat, & proptereà excuſet ab obligatione denunciandi confeſſarium.

Ad 2. Reſp. Ut ſine præcedente infamia ſit Accuſatio licita, debere Accuſatori perſpectum eſſe, quòd crimen de reo plenè poſſit probari, ut Judex contra ipſum ſententiam ferre poſſit: aliàs non obtineretur finis accuſationis, quà talis, & reus injuſtè infamaretur de crimine occulto. Licita tamen eſſet in tali caſu denunciatio extrajudicialis, & occulta propter finem honeſtum, à punitione criminis diverſum, e. g. propter impediendum, vel emendandum damnum, aut reum, ut in caſibus paulò antè relatis dictum eſt. Quòd ſi autem etiam hi fines ſine denunciatione obtineri poſſent, tunc lex Evangelica præcipit, admonitionem privatam adhibendam eſſe, ſi neceſſaria, vel utilis fore prævideatur.

31 Quær. 2. Utrùm ſemper teneatur quis teſtari, vel denunciare, Judice præcipiente, vel Juramentum deferente? Reſp. 1. Judici, qua tali, & præcisè in ordine ad punitionem criminis, nec denunciandi, nec teſtandi datur obligatio, quando ipſe vel non habet Jus inſtituendi inquiſitionem ſpecialem adversùs reum, vel ſi illam non inſtituit ſecundùm formam Juris. Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia in caſu reſponſionis Judex, vel non habet, vel non utitur poteſtate ſua judiciali, ergo non datur obligatio ipſi obediendi.

Reſp. 2. Iterum ex communi ſenſu Doctorum, in utraque hac reſponſione ſequentium S. Thomam 2.2.*q.*70.*ar.* 1 Judici habenti Jus faciendi inquiſitionem ſpecialem, & ſecundùm formam Juris inquirenti, ordinariè tenentur proprii ſubditi, vel etiam alii à ſuo Magiſtratu deputati, illique in ordine ad hunc actum judicialem ſubjecti, ad interrogata ſecundùm rei veritatem reſpondere, denunciando, vel teſtando crimen commiſſum. Ratio eſt. Quia ſubditus tenetur obedire ſuo Superiori in rebus ad ipſius gubernationem, & juriſdictionem ſpectantibus, ſed denunciare, vel teſtari coram Judice, ſecundùm formam juris exercente Judicium, eſt res ſive actus ad illius juriſdictionem ſpectans, ergo ſubditus tenetur denunciare, vel teſtari in caſu prædicto.

Confirmatur. Niſi daretur talis obligatio, nec Judices poſſent inſtituere, ac perficere proceſſus Judiciales, nec Accuſatores auderent, ſine periculo deficiendi in probatione, reos ad Judicem deferre, ex quo ſequeretur impunitas, & libertas peccandi, ad quod damnum communitatis avertendum proinde omnes ſubditi per ſe loquendo tenentur, ſi habeant notitiam criminis, & Rei, ſcientia communicabili: qualis utique non eſſet ſcientia ex Confeſſione Sacramentali, vel non Sacramentali quidem, ſed facta à reo ſub ſigillo naturali, conſilii, vel auxilii petendi cauſa, ad ſalutem animę, vel corporis, ut ſi ſis rogatus, ut Medicus, Advocatus, Obſtetrix: tunc enim, inquit Leſſ. *lib.*2.*cap.*30.*dub.*6.*num.*45. non potes denunciare, nec teſtimonio tuo confirmare, etiamſi de Authore criminis eſſet infamia, vel ſemiplena probatio: ut apud citatum Doctorem etiam docent Corduba, Navarrus, & Navarra, quia hæc ipſa ſigilli naturalis inviolabilitas cedit in bonum communitatis, ne criminoſi avertantur à prudentum conſiliis, in ſuum & communitatis majus damnum indè conſecuturum. Hæc tamen ſigilli naturalis inviolabilitas tanta non eſt, quanta illa Sacramentalis, quę propter nullum bonum privatum, vel commune procurandum, aut malum evitandum relaxari poteſt, ſicut tamen poteſt, & debet obligatio ſigilli naturalis, quando aliàs communitati, vel alteri privato graviſſimum ex occultatione veritatis damnum eveniret, ut laudatiſſimus Leſſius ex communi DD. admonet *nu.*47.

Addidi tamen in reſponſione particulam limitantem *ordinariè* propter aliquas exceptiones notatas à Leſſio: ut ſi videres poſita tua denunciatione, vel teſtificatione tamen defecturam ſufficientem probationem, eò quòd ſolus videris, & alia ſufficientia indicia, ac teſtimonia deſint. Vel ſi ipſe notitiam tuam ex aliorum relatione non ſatis certa acceperis, & tamen tibi, vel aliis fidem habendam proſpiceres. Vel ſi tibi quidem conſtaret de actione, ſed ab altero abſque culpa Theologica poſita e. g. de ablatione rei alienæ, titulo occultæ compenſationis, quia aliter ſolutio debiti obtineri non potuit. Addi forſan poſſent plures aliæ exceptiones, ſed hæ modò ſufficiant. Cæterùm quotieſcunque teneris, vel non teneris teſtari, toties etiam teneris, vel non teneris Juramentum præſtare, ſi id à Judice exigatur.

Quær. 3. An teſtis etiam ex alia virtute, quàm ex obe- 32
dientia Judici legitimè interroganti debita, teneatur teſtari. Reſp. primò, certum eſt, ſi accuſatus eſt innocens, teſtem teneri ex charitate, pro ipſius innocentia ferre teſtimonium, etiamſi à Judice non ſit requiſitum.

Reſp. ſecundò, ſi accuſatus eſt nocens, & accuſatori ex defectu probationis pœna talionis inferenda eſſet, teſtem iterum teneri ex charitate, etiam non citatum, ſe offerre ad teſtandum.

Reſp. tertiò, mihi videri, omninò eſſe veram ſententiam, pro qua Leſſius *n.*95. refert Molinam, Sylveſtrum, & alios viros doctos, à ſe conſultos, in quam ipſe etiam inclinat, quòd teſtis non hoc ipſo, quo tenetur teſtari ex obedientia erga Judicem debita etiam teneatur teſtari ex Juſtitia erga eum, qui ex defectu conteſtandæ veritatis damnum aliquod patitur, cujus avertendi ante Imperium Judicis nulla dabatur obligatio Juſtitię, ſed tantùm charitatis, quia Judex habet quidem poteſtatem obligandi ſibi ſubditum ad obedientiam, non autem alteri tribuendi Jus in actiones ſuorum ſubditorum, ab obligatione Juſtitiæ liberas, niſi vel interveniat pactum tacitum, vel expreſſum ipſius ſubditi, vel res aliqua ad ipſum ſpectans ex Dominio alto Judicis, juſta de cauſa adjudicetur, vel ſubiiciatur Juri aliquo modo alterius, ſic Judex habet quidem poteſtatem ex obedientia obligandi ſubditum ad ſuſcipiendam tutelam pupilli: ſi tamen ipſe non obediat, non peccat contra Juſtitiam;

pecca-

peccaret quidem, ſi ea ſuſcepta non impediret damnus pupilli, ad quæ impedienda tunc ex pacto implicito tenetur. Sic etiam peccaret, qui inſtrumentum aliquod Authenticum juſſus procedere, ad probandum ex illo alienum Jus, occultaret, vel abnegaret: quia tale teſtimonium tanquam res aliqua externa ſubeſt poteſtati Judicis, de illa diſponendi, & conferendi alteri Jus ad certum aliquem uſum.

Quod de teſte dictum eſt, æquè vel magis dici poteſt de Authore criminis, quando ipſe contra obedientiam Iudici debitam peccat negando crimen: licèt enim S. Thomas 2. 2. q. 104. *art.* 2. *ad* 2. *&* 2. *diſt.* 44. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 3. ipſam obedientiam aſſerat eſſe ſpeciem Iuſtitiæ commutativæ, tamen contra Iuſtitiam commutativam propriè dictam, quæ obligationem reſtitutionis inducit, nullibi dicit S. Doctor, reum crimen ſuum inficiendo peccare; ſed ſolùm contra charitatem DEI, & Proximi, & contra obedientiam, ut patet ex 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. *in c.* *& ad* 3.

§. III.

De Rei & Advocati Obligationibus.

SUMMARIUM.

33 *Meritò ab Innocentio XI. prohibita eſt Propoſitio 43. & 44. affirmantes licentiam elidendi authoritatem Teſtis objectione criminis falſi: objectione tamen veri criminis id licet, quando id utile ac neceſſarium eſt ad repellendum teſtem; ſunt tamen alii modi repellendi illum, qui ſi ſufficiant, hoc ipſo nec neceſſarium nec licitum eſt, teſtem infamare.*

34 *Etiamſi meritò ab Innocentio XI. prohibitæ ſint tres Propoſitiones ſcil. 26. 27. & 28. aſſerentes univerſalem licentiam utendi Amphibologia, non tamen agit contra hanc prohibitionem, qui aliquando in debitis circumſtantiis alia utitur, ut ſi actio negata eſt quidem commiſſa, ſed ſine illa culpa, de qua Iudex quærit.*

35 *Talis Circumſtantia licitè celandi veritatem etiam eſt, quando reo non conſtat, ſe interrogari legitimè adhibita forma Iuris.*

36 *Quando autem reo conſtat, ſe à Legitimo Iudice legitimè & ſecundum formam Iuris interrogari, tenetur ſub mortali aperire veritatem, etiam cum periculo ſuæ vitæ, aliàs agit contra trium propoſitionum num. 34. relatarum prohibitionem Authoritate Innoc. XI.*

37 *Reſpondetur ad Fundamenta contraria.*

38 *Quid requiratur ad formam Iuris, ut reus ſecundum eam legitimè interrogetur.*

39 *An reo ante vel poſt ſententiam Judicis liceat fugere.*

40 *Quinam à Tortura eximii ſint. Et an mortaliter peccet falſum crimen capitale ſibi imponens pro evitanda Tortura. Affirmat quidem peccare venialiter contra Veracitatem.*

41 *Sed negatur peccare mortaliter contra aliam virtutem.*

33 QUæritur primò. An licitum ſit Reo & Advocato, occulta crimina teſtium detegere, ad labefactandum eorum teſtimonium. Reſp. primò. Non eſſe licitum crimen falſum teſti imponere, hinc ab Innocentio XI. prohibitæ ſunt hæ duæ propoſitionis 43. & 44. *Quidni nonniſi veniale ſit detrahentis Authoritatem magnam, ſibi noxiam, falſo crimine elidere? Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam Iuſtitiam & honorem defendat: & ſi hoc non ſit probabile, vix erit ulla opinio probabilis in Theologia.*

Ratio eſt quia qui ponit actionem alteri graviter noxiam, ad quam ponendam ipſe non habet Ius, & ad quam prohibendam alter habet Ius, hoc ipſo quòd habeat Ius ſuæ famæ, is alteri infert damnum injuſtum, graviter peccaminoſum. Sed qui imponit crimen falſum; ponit actionem alteri graviter noxiam, & ad hanc non habet Ius; quia nemo habet Ius ad dicendum falſum, neque poteſt ulla ratione aut neceſſitate concedi ab Authore naturæ Jus ad mentiendum, neque per modum neceſſarii medii ad ſuam defenſionem; ſemper enim mendacium eſt intrinſecè ac indiſpenſabiliter malum veracitati quidem, qua tali, ſaltem ſub culpa veniali oppoſitum, Iuſtitiæ verò, quando eſt proximo graviter damnoſum, etiam ſub mortali. Unde illatio gravis damni ſæpe ponitur ſine fraude, ac dolo licitè, & juſtè, cum fraude autem ac dolo nunquam: ſi fraus, ac dolus eſt poſitivè mendax: eò quòd ſi ejus licentia eſſet ulla ratione, aut neceſſitate honeſtabilis, aut excuſabilis, id cederet in graviſſimum damnum commercii humani.

Reſp. ſecundò. Tunc reo, & Advocato eſt licitum, ſive ultronei, ſive à Iudicis imperio compulſi occultum crimen manifeſtare, quando id utile ac neceſſarium eſt ad repellendum teſtem; ejuſque fidem labefactandam. Unde ſi crimen occultum non poſſit ſufficienter probari, ut adeòque non eſſet utilis ejus manifeſtatio ad repellendum teſtem, ejuſque teſtimonium infringendum, hoc ipſo non liceret illud manifeſtare, & teſtem in ſuſpicionem apud malè credulos trahere, ſicut non licet accuſare, vel denunciare Reum apud Iudicem in ordine ad punitionem criminis, quando ipſum non poteſt per publicam infamiam, vel teſtem omni exceptione majorem, vel per alia gravia indicia ſaltem ſemiplenè probari. Si verò crimen occultum ipſius teſtis poſſet quidem ſufficienter probari, ſed ſi is aliunde etiam poſſet à dando teſtimonio repelli; eò quòd ſit conſanguineus, vel affinis Accuſatoris, vel de ejus familia, ſit tibi inimicus, ſit pauper, ſit impubes, nondum habeat ætatem viginti annorum, ad teſtandum in cauſa criminali requiſitam, vel laboret alterius criminis, vel periurii infamia, vel ipſe etiam ſit accuſatus ut ſocius criminis, in tali caſu iterum non liceret crimen occultum, aliàs ad infirmandam fidem teſtis idoneum, detegere, quia non eſſet medium neceſſarium, & ſuppeteret aliud medium minùs noxium proximo, ſicut non licet etiam injuſtum aggreſſorem inflicto vulnere aut nece repellere, quando fuga non admodum inhoneſta, vel alio modo faciliori ſe quis defendere, vel ſalvare poteſt.

Quòd ſi tamen nulla ex prædictis exceptio opponi poſſet, qua in Iure teſtis redditur inhabilis, vel ſi tamen admitteretur, ut minus habilis, eò quòd licèt nequeat parere ſemiplenam probationem, poſſit tamen facere indicium, quod cum aliis conjunctum pareat ſemiplenam, ſufficiens ad torturam, vel quia crimen commiſſum eſt eo loco, vel tempore, ubi copia teſtium haberi nequit, in quo caſu admittitur *cap. fin. dè Teſtibus*, tunc inquam, licet occultum crimen teſtis manifeſtare ad illum repellendum, vel ad labefactandum ejus teſtimonium, ut habet communis ſententia Doctorum. Talia autem crimina ſunt perjurium, crimen falſi, & omnia crimina habentia annexam excommunicationem, qua innodatus nequit agere teſtem in Iudicio.

Ratio autem hujus reſponſionis eſt. Quia Ius famæ eſt tantùm conditionatum, & ob plures etiam leviores rationes ceſſat ejus obligatio, ut ſuo loco dicemus: ergo poteſt reus pro ſua defenſione neceſſaria manifeſtatione criminis occulti ſe defendere coram Iudice.

Quær. ſecundò. Utrum & quando ſit licitum reo, non fateri crimen, de quo à Iudice interrogatur. 34

Reſp. primò, ut ſupra de teſtibus dixi, quando factum illud, de quo Author illius à Iudice interrogatur, commiſſum quidem eſt, ſed non modo criminoſo, quomodo tamen à Iudice ſupponitur & interrogatur, licitè & abſque mendacio negatur crimen. E. g. Occidiſti hominem aggreſſorem vitæ tuę, nec tamen potes hanc inculpatam tutelam probare, quò minùs plectereris, ut homicida, in tali caſu potes negare, quòd occideris hominem. Quia reſpondens ad mentem, & ad ſenſum interrogantis, an ſcilicet injuſtè & criminosè occideris hominem: tali autem modo & ſenſu reſponſio tua negativa eſt vera, ut optimè advertit Leſſius *lib.* 2. *c.* 31. *dub.* 3. *n.* 14. Ubi idem affert exemplum, & idem aſſerit de indiciis criminis, ſi illud non commiſiſti, quòd eadem hoc ipſo negare poſſis ad amoliendam à te falſam ſuſpicionem; aut pręſumptionem criminis, v. g. quòd fueris in loco patrati criminis, vel quòd gladius, quo homo occiſus eſt, ſit tuus, etiamſi ibi fueris, & gladius tuus ſit. Nam re vera non fuiſti ibi tali pręſentia, & poſſeſſione gladii, qualem intelligit Iudex, nempe con-

nexa cum commiſſione tui criminis, quod Judex falsò argueret ex dictis indiciis.

Unde ab Innocentio XI. non eſt univerſaliter prohibita licentia æquivoci, ac amphibologici ſermonis, quando prohibuit has propoſitiones 26. 27. & 28. *Si quis vel ſolus, vel coram aliis ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocunque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus.* Item *cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.* Item. *Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus exigi ſolet, non habito reſpectu ad intentionem exigentis: quia non tenetur fateri crimen occultum.*

In harum enim propoſitionum prohibitione vetatur uſus reſtrictionis mentalis, quæ vel eſt ſine juſta cauſa, vel quæ eſt prorſus impertinens ad verificandum ſenſum verborum, tam univerſalem, quem habent, abſtrahendo à certis circumſtantiis, quàm particularem, quem habent comparatione intentionis, exigentis reſponſionem, vel circumſtantiarum determinantium verba ad certam ſignificationem. Ob quam duplicem cauſam prohibita eſt prima propoſitio. Vel denique quæ eſt contra obligationem non occultandi veritatem, etiam ob cauſas in dictis propoſitionibus expreſſas non excuſabilem, qualem obligationem oſtendemus dari in reſponſione ultima ad propoſitam quæſtionem, quando Judex reum ſecundum ordinem, & formam Juris legitimè examinat, & qualis obligatio ſupponitur in prohibitione ſecundæ & tertiæ propoſitionis, & potiſſimùm quidem obligatio obedientiæ, in ſecundæ, obligatio juſtitiæ verò, in tertiæ propoſitionis prohibitione.

Unde ſicut non eſt univerſaliter illicitum juramentum, ſed tantùm, quando non habet debitas conditiones Judicii, Veritatis, & Juſtitiæ, ita etiam Pontifex in damnatione relatarum propoſitionum non univerſaliter declaravit illicitam reſtrictionem mentalem, ſed tantum quando non habet debitas conditiones, proximè indicatas, ideo S. Thomas 2. 2. *q.* 111. *art.* 1. *ad* 1. ex S. Auguſt. expreſsè dicit: *Non omne, quod fingimus, mendacium eſt; ſed quando id fingimus, quod nihil ſignificat, tunc eſt mendacium* (quando nempe reſtrictio mentalis prorſus eſt impertinens ad univerſalem, & particularem, ſeu ſpecialem ſenſum verborum, prout eſt in prohibitione primæ propoſitionis) *Cùm autem fictio noſtra refertur ad aliquam ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis.* Sic idem S. Doctor 3. *diſt.* 38. *art.* 3. *ad* 1. excuſat verba Jacob *Geneſ.* 27. aſſerentis ſe eſſe primogenitum. Et 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *ad* 3. plura alia ex S. Scriptura exempla adducit licitæ reſtrictionis mentalis.

Imò ipſum Chriſtum Dominum uſum eſſe reſtrictione mentali oſtendit Lect. 1. ad finem in illa verba *Ionn.* 7. *verſ.* 8. *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc, Ego enim non aſcendam ad diem feſtum iſtum.* Quibus mox ſubjungit Evangeliſta: *Ut autem aſcenderunt fratres ejus, tum & ipſe aſcendit ad diem feſtum, non manifeſte, ſed in occulto* ideo hic S. Thomas exponens verba Chriſti cum expreſſione verborum mente retentorum ſic ait: *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc, ſcilicet ad principium feſti: nam ſeptem diebus celebrabatur. Ego autem non aſcendam: ſcilicet vobiſcum, ſive ad principium feſti*: ſimilem reſtrictionem mentalem obſervat S. Doctor in verbis Chriſti apud S. Marcum *cap.* 13. *De die autem illa nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque filius hominis, niſi Pater.* Quibus addit Angelicus Doctor 3. *p. q.* 10. *art.* 2. *ad* 1. verba mente ſuppreſſa, quòd nempe neque Filius hominis ſciat, *Faciendo ſcire*, ſive *ſcientia faciente ſcire*. Ipſe etiam Evangeliſta Joannes *cap.* 2. refert æquivocam, ſeu amphibologicam propoſitionem Chriſti, eamque per mentalem reſtrictionem explicat. Chriſtus enim dixerat docens in templo. *Solvite templum hoc*: quæ cùm Judæi in errorem ducti de templo materiali intellexiſſent, Joannes ait: *Ille vero dicebat de templo corporis ſui.*

35 Reſp. ſecundò ad propoſitam quæſtionem cum S. Thoma 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. & maximè *art.* 2. communiter recepto à Doctoribus, quando Judex non interrogat ſecundùm formam, & ordinem Juris, vel ſi ita quidem interrogat, ſed ipſi reo id ſufficienter non manifeſtat, ut de hoc prudenter dubitare non poſſit, non tenetur is fateri crimen, ſed poteſt ſalva veritate illud negare: ſicut enim juxta S. Thomam 3. *diſt.* 38. *art.* 5. *ad* 1. Quando inter diſputandum aliquis negat propoſitionem, quam preſſus ab adverſario, plane exiſtimat eſſe veram, talis tamen non mentitur, quia verbum *Nego* in illis circumſtantiis, & in uſu diſputationum, non habet nudam ſignificationem animi negantis, ſed iſtam: *Nego hoc eſſe verum, tali tamque patente veritate, ut ab arguente poſſit efficaciter probari*: ita quando reus negat crimen, ſenſus ipſius negantis eſt, quòd neget crimen eſſe verum, ea veritate, quam ipſe hic & nunc teneatur manifeſtare, vel de qua legitimè à Judice interrogetur: ſicut quando quis confeſſarium interrogaret de crimine in confeſſione audito; ille cum veritate negaret ſe audiviſſe intelligendo de auditione manifeſtabili (quomodo Chriſtus negavit ſe ſcire extremum judicii diem, ſcilicet ſcientia hominibus communicabili, vel potiùs ſcientia incommunicata, qualem ſolus Pater habet, qui eam communicat filio) hæc enim mentis reſtrictio non eſt impertinens ad ſenſum verborum, in his circumſtantiis, & ad talem interrogationem, cui licitè & neceſſariò non detegitur veritas, quod etiam ſuppoſuit Angelicus Doctor 4. *diſt.* 21. *quæſt.* 3. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 3. ubi de Confeſſario etiam cum juramento negante audita in confeſſione ait: *Quia homo non adducitur in teſtimonium, niſi ut homo, ideo abſque læſione conſcientiæ poteſt jurare, ſe neſcire, quod ſcit tantùm ut Deus.* Et ita cum S. Thoma 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *ad* 4. dico: *Non eſt licitum mendacium dicere ad hoc, quòd aliquis alium* (vel ſe ipſum) *à quocunque periculo liberet. Licet tamen veritatem occultare prudenter ſub aliqua diſſimulatione, ut Auguſtinus dicit in libro contra mendacium.* Verùm hic modus diſſimulandi, & occultandi veritatem, in priori reſponſione eſt ſufficienter probatus, & ab omni mendacio, fraude, & dolo vindicatus.

Probo nunc ipſam licentiã occultandi veritatem. Colligitur enim primò *ex cap. Qualiter & quando* 17 *cap. Cum oporteat* 19. *cap. Inquiſitionis* 21. *de Accuſationibus.* Ubi per hoc, quòd non concedatur Judici poteſtas aliter examinandi, & inquirendi in reum criminis, quàm ſecundùm formam Juris, reus eximitur à poteſtate obligandi eum ad manifeſtandam veritatem illegitimè inquirenti, Unde probatur ſecundò. Judex non habet poteſtatem aliter formandi proceſſum judicialem, quàm ſecundùm formam Juris, & ſi in hac deficit, totus proceſſus eſt invalidus: ergo etiam non habet poteſtatem obligandi reum ad cooperandum proceſſui manifeſtatione veritatis. Atque hæc ratio procedit etiam contra ſupremum Judicem, à cujus voluntate ipſa forma præſcripta dependet. Quia etiam ipſe Legislator ſaltem ex æquitate naturali debet, & ſupponitur velle ſe accommodare ſubditis in obſervatione ſuarum legum, præſertim præſcribentium certas formas contractuum, teſtamentorum, & judiciorum criminalium ac civilium, ne & ipſi ſubordinati Judices per abuſum ſuæ poteſtatis in hujuſmodi ab æquitate deflectant.

Debet autem, ut in reſponſione indicavi, & ut monet Leſſius *lib.* 2. *c.* 31. *n.* 10. citans Cajetanum, Sotum, Adrianum, Iudex manifeſtare reo ſtatum cauſæ, probationes, judicia, teſtes &c. ut videat ipſe, juridicè contra ſe procedi. Alioquin dixi, reum iterum non eſſe obligatum fateri veritatem. Quia quamdiu non conſtat eſſe poſita omnia ad obligationem requiſita, tamdiu manet quis in poſſeſſione ſuæ libertatis.

36 Reſp. tertiò. Quando reo manifeſtum eſt, ſe à legitimo Iudice legitimè, & ſecundùm formam ac ordine Iuris interrogari, tenetur ſub culpa mortali reſpondere Iudici ſecundùm veritatem. Ita Doctores communiter cum S. Thoma 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. ubi aſſertionem hanc ſic probat: *Quicunque facit contra debitum Iuſtitiæ* (ſic vocat obedientiam, tanquam ſpeciem Iuſtitiæ latiùs acceptæ propter ſimilitudinem quandam cum Iuſtitia propriè dicta) *mortaliter peccat: pertinet autem ad debitum*

tum Juſtitiæ, quòd aliquis obediat ſuo Superiori in his, ad quæ Jus prælationis ſe extendit. Judex autem Superior eſt reſpectu ejus, qui judicatur, & ideò ex debito tenetur accuſatus Judici veritatem exponere, quam ab eo ſecundum formam Juris exigit.

Confirmatur aſſertio iſta ulteriùs. Sicut propter bonum commune Superior accepit à DEO poteſtatem ſub gravi culpa obligandi ſubditos ad parendum legibus communibus, ſic ne multa gravia crimina, quorum plena probatio haberi ſæpè non poteſt, ſine propria confeſſione ipſius Rei, manerent impunita, & idcirco frequentarentur ſpe impunitatis, & licentia ea pertinaciter negandi, neceſſe fuit dari poteſtatem obligandi ſubditum reum ad parendum præcepto de confitenda veritate commiſſi criminis, ergo reus non obediens præcepto legitimè impoſito peccat contra obedientiam Superiori debitam ſecundùm gravitatem materiæ, & obligationis: & ſi etiam emiſit juramentum, de manifeſtanda veritate, peccat etiam contra Religionem, & propterea meritò prohibitæ ſunt ab Innocentio XI. propoſitiones in prima reſponſione relatæ: ubi etiam prohibetur hæc aſſertio: *Cauſa juſta utendi amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis.*

37 Exiſtimant tamen Leſſius *lib. 2. c. 32. num. 16.* Tannerus *diſp. 4. de Juſt. q. 4. dub. 5. n. 96. & 97.* referens Panormitanum, Angelum, Sylveſtrum Navarram, Saa, quòd, quando ex negatione criminis nullum infertur novum damnum communitati, e. g. periculum illud continuandi, vel reiterandi, & quando non qualecunque ſupplicium corporale, ſed mors, vel mutilatio ex confeſſione criminis ſubeunda eſſet, probabile ſaltem eſſe, quòd reus excuſetur ab hujuſmodi confeſſione. Quam ſententiam non omninò improbat Laymann *lib. 3. de Juſt. tra. 4. cap. 5. num. 3.* ubi cum ait ſaltem confeſſario ſervire poſſe, ut pœnitentem reum ex illius ſuppoſitione abſolvere poſſit, nolentem ab ea deſiſtere. Sed etiamſi ad hunc uſum confeſſario ſervire forſan poſſet, quando expedit pœnitenti ad ſalutem animæ, eum in bona fide relinqui, ejus probabilitati tamen videtur nunc derogare prohibitio relatæ propoſitionis. Et licèt ex negatione criminis communitati nullum novum damnum emergeret, ipſa tamen licentia negandi eſſet damnoſa communitati, ut in probatione reſponſionis oſtenſum eſt.

Ad rationes etiam, quibus hæc ſententia redditur probabilis facilè Reſp. Quando enim dicitur primò, quòd obligatio cooperandi ad propriam mortem confeſſione criminis capitalis, cujus quis convinci non poteſt, foret nimis difficilis, & inobſervabilis, quodque etiam Leges humanæ communiter non obligent cum periculo mortis, adeoque neque præceptum particulare Judicis: negatur quoad primum, quòd difficultas obligationis reddat eam inobſervabilem, ac inimponibilem, quia in pluribus aliis caſibus bonum commune etiam propriæ vitæ præferendum eſt, certè miles tenetur obedire Duci etiam cum evidenti vitæ periculo.

Quoad ſecundum negatur paritas cum aliis legibus, ſicut ab adverſariis negari debet; quia fatentur ſaltem, Reum teneri obedire Judici, quando negatio criminis ſerviret ad evitanda alia minora mala, quàm ſit mors, vel mutilatio, quæ tamen ab obſervatione aliarum legum plerumque excuſant. Diſparitas autem eſt, quòd aliæ Leges intendant alia bona, & alios fines, bono vitæ tamen & membrorum, vel immunitate à gravibus damnis inferiores, & poſtponibiles, obligatio autem fatendi criminis per ſe, & ex natura ſua eſt intenta ad damnum privatum vitæ, vel membrorum ipſius Rei, ut ex punitione criminis procuretur bonum commune, ac neceſſarium toti communitati.

Quando dicitur ſecundò. Quòd juxta *L. 4. ff de Teſtibus* nemo poſſit cogi ad teſtificandum contra ſanguinem junctum, conſequenter neque contra ſe ipſum, quiſque enim ſibi eſt conjunctiſſimus. Unde etiam *L. Nimis grave c. de teſtibus* dicitur: Neminem teneri contra ſe exhibere id, per quod ſibi negotium fiat. Reſp. primò negando paritatem, ſive conſequentiam. Quia conjunctio illa, ob quam conſanguinei à ferendo teſtimonio contra ſe invicem eximuntur, cenſetur inducere ſpecialem indecentiam contra debitam reverentiam, ac obſervantiam; ingenua autem confeſſio proprii criminis non continet talem indecentiam, & ideò à legitimo Superiore in bonum totius communitatis imperari poteſt. Ad ſecundum reſpondetur, citatam legem loqui de cauſis civilibus, in quibus partes in proprium, ac privatum bonum inter ſe litigant, & in his negatur alteram alterius teneri cauſam promovere, ipſique probationes ſuppetitare, vel earum defectum ſupplere.

Pro aſſertæ tamen obligationis mitigatione cum Leſſio *num. 15.* allegante Covarr. & alios DD. adverto, in cauſa criminali, in qua de gravi ſupplicio corporis agitur, ut detur prædicta obligatio, requiri antecedenter talem probationem, qualis ad Jus examinandi reum per torturam neceſſaria eſt, ut ſcilicet non tantùm conſtet de pub. infamia, vel notorietate criminis, & præceſſerit accuſatio, vel judicialis denunciatio, ſed etiam acceſſerit unus ſaltem teſtis, omni exceptione majoris conteſtatio, non de relatione tantùm aliorum, ſed de propria ſcientia, & experientia, quam habet de Rei crimine, vel ut tanta, & tam manifeſta, ac certa indicia criminis habeantur, quæ ſemiplenæ probationi quodammodo æquivalent, & moralem quandam certitudinem pariunt. 38

Quia ſicut neceſſitas ſubeundi torturam eſt medium graviſſimum, & difficillimum ad obtinendam plenam probationem commiſſi criminis, ſic etiam obligatio ſpontaneæ confeſſionis, cui tortura ſubſtituitur, eſt medium graviſſimum, quando ex illa prævidetur ſecutura mors, vel mutilatio, vel damnatio ad triremes: ergo ſicut ad hoc, ut Judex habeat Jus inferendi torturam, communiter requiritur ſemiplena, vel ferè æquivalens probatio criminis, ſic etiam meritò requiritur ad hoc, ut Judex poſſit imponere obligationem fatendi crimen, inducens tam grave ſupplicium corporis. Sic enim & obligatio non nimiùm redditur inobſervabilis, & pro bono communitatis ſufficit, ſi in tali caſu detur primùm obligatio parendi Judici. Unde forma & ordo Juris imponens neceſſitatem fatendi crimen debet intelligi, & accipi reſpectivè, ut tantò major cognitio in Judice præſupponatur, quantò difficilior eſt neceſſitas fatendi crimen, cum graviſſimo ſupplicio connexum. Neque ex Jure Judicis interrogandi reum de commiſſo crimine, ſtatim inferri poteſt Jus obligandi ad illius confeſſionem: ut benè notavit Leſſius *lib. 2. cap. 29. num. 117.* & manifeſtum eſt de interrogatione teſtium, qui in pluribus caſibus obligari non poſſunt ad dandum teſtimonium: & in interrogatione Rei extrajudiciali, vel non ſecundùm formam Juris facta.

Quær. tertiò. An quando reo juridicè interrogato non licet negare crimen ad evitandum grave ſupplicium corporale, pari ratione non liceat fugere ante vel poſt ſententiam Judicis? Ratio enim obedientiæ Judici debitæ æquè videtur reddere illicitam fugam. 39

Nihilominus Reſp. cum S. Thoma 2. 2. *q. 69. ar. 4. ad 2.* Licitam eſſe fugam. Quia reus, ut inquit S. Doctor: *non tenetur facere id, unde mors ſequatur.* Quæ ratio tamen, ne pariter probet licentiam negandi crimen, ex cujus confeſſione mors ſequeretur, indiget hac adjecta exceptione. *Niſi neceſſitas boni communis exigat Judici conferri poteſtatem obligandi etiam ad id, unde mors prævidetur ſecutura.* Subſumo. Atqui neceſſitas boni communis non exigit, Judici conferri poteſtatem obligandi ad non arripiendam fugam; quia hæc poteſtas ſufficienter ſuppleri poteſt per diligentiam Cuſtodum; arctitudinem vinculorum, & carceris &c. Undè cùm longè minor ſit ſpes evadendi per fugam, quàm eſſet ſpes evadendi per negationem criminis, ex licentia fugæ non oritur ſimile periculum impunitatis, & frequentiæ criminum patrandorum: ideò ſi abſque ſimili neceſſitate tamen imponeretur obligatio non fugiendi, hæc eſſet nimis inhumana, & inobſervabilis; adeòque magis noxia communitati: & proindè longè minùs eſt damnum, quod in caſu particulari, & raro ex fuga forſan emergit, & pro quo evitando per ipſam licentiam fugæ cuſtodes redduntur diligentiores.

Sicut autem eſt licita fuga, ſic etiam media, niſi aliundè contineant inhoneſtatem hac neceſſitate inexcuſabilem, ſunt licita e. g. ruptio vinculorum, effractio carceris, repulſio cuſtodum, abſque tamen illorum gravi, & violenta læſione, contra quam addidit Angelicus 40

Doctor, antè relatis verbis. *Tenetur tamen non reſiſtere agenti, quin patiatur, quod juſtum eſt, cum pati.* Hoc enim niſi faceret, poteſtati à Deo ordinatæ reſiſteret, quo Divinam damnationem incurreret, & ſublato ſibi Jure juſtæ defenſionis, hoc ipſo iis, quos læderet, injuriam faceret.

Hinc etiam quando Judex habet tantam notitiam criminis, quæ ſufficit ad capiendum reum, non licitum eſt reo, offenſivè ſe defendere contra miſſos à legitimo Judice, ſi nempè indicia ſpectata conditione perſonæ, & cauſæ ſint tam probabilia, & gravia, ut Reo nec injuria, nec injuſtius contemptus per capturam inferatur. Imò quia juxta dicta §. . Judex procedens ſecundùm allegata, & probata per formam Juris, contra privatam notitiam juſtè condemnat accuſatum innocentem, hoc ipſo adimitur huic jus contra Miniſtros Juſtitiæ poſitiva illorum læſione ſe tuendi, ut ex communi ſententia cum S. Thoma *q.69. ar.* 4. tanquam probabiliùs tradit Leſſius *lib.2.c.31.num.* 29. quamvis is conformiter à ſe ſuppoſitæ probabilitati fundamenti contrarii, etiam hìc contrarium fateatur probabile *num.* 30.

Hinc tamen non ſequitur, quòd ſi non licet, contra Miniſtros Juſtitiæ Reum ſe liberare cum eorum læſione, is etiam nequeat licitè fugere, quando cuſtodibus ex hujuſmodi fuga grave damnum oriretur. Quia hoc damnum non ipſe infert, nec ejus eſt cauſa poſitiva, ac directa, ſed tantùm ponit actionem ad quam habet Jus, ex qua præter intentionem ſuam, & indirectè aliis oritur damnum. Sicut etiam non poſitivè infert damnum Accuſatori, quando huic infamia, vel pœna talionis ſequeretur ex negatione criminis commiſſi, de quo à judice interrogatus eſt, non ſervato ordine juris; imò etiam ſervato, quia tunc probabiliùs tantùm peccat contra obedientiam Judici debitam, non autem contra juſtitiam debitam Accuſatori; ut cum aliis docuit P. Haunoldus *tom. 1. de Juſt. tr. 2. n.* 556. Et ego in hujus doctiſſimi Viri *Vindiciis* ante aliquot annos in lucem datis, Controverſia 68. oſtendi non repugnare S. Thomam.

Quær. quartò. An accuſatus de falſo crimine graviter peccet, ſi metu, vel impatientia longioris torturæ, id dicat à ſe commiſſum, nec retractet, potiùs mortem innocenter ſubjens? Etiamſi enim ab Examine torturæ communi Jure exempti ſint, qui vel ob defectum ætatis, ut impuberes, vel ob debilitatem, ut ſenes (qui nonniſi leviter torqueri poſſunt) vel ob nobilitatis, dignitatis, aut Doctoralis etiam ſtatus excellentiam, quoad ſe, & quoad ſuos liberos torturæ ſubiici prohibentur, quique ipſi mitiorem mortem, quàm ignominioſam, & crudelem torturam leviùs ferrent; multi tamen alii adhuc mortem optabiliorem ſibi exiſtimabunt, quàm conſtanti negatione criminis, à ſe revera non commiſſi, diu innocenter torqueri; præſertim ſi judex juſto crudeliùs ageret, uti fieret, quando reus etiam de crimine convictus non mereretur mortem, vel mereretur mitiorem, quàm eſſet ipſa tortura, aut ſi Judex torturam reſumeret, quamvis indicia criminis neque ſint graviſſima, neque nova prioribus ſuperveniant, quo in caſu injuſtè torturam repeteret, uti etiam ſi ſæpiùs, quàm ter eam iteraret.

Reſpondetur ſive Judex juſtè ſive injuſtè torturam inferat, non peccat mortaliter, ſi ad eam evitandam, vel finiendam falſum crimen, mortis ſupplicio puniendum, quis ſibi imponat. Ita Leſſius *lib.2.cap.11.dub.7.num.*41. referens Angelum, Sylveſtrum, Sotum, Toletum, & multos recentiores, quibus Tannerus *diſp.4. de Juſt. qu.4. dub.5.nu.99.* addit Petrum Navarram, nec ipſe diſſentit. Ratio eſt. Quia licèt talis affirmando de ſe aliquod crimen mentiretur, niſi per reſtrictionem mentalem ſubintelligeret e. g. quòd commiſerit hoc crimen apparenter, ſecundum apparentiam inditiorum, vel ſecundùm dicta Accuſatoris, teſtium, ſuſpicionem hominum, famam, opinionem Judicis &c. Mendacium tamen, quatenus opponitur ſoli veracitati, eſt tantum peccatum veniale: alteri autem virtuti non opponitur, ſaltem non graviter, & non inexcuſabiliter.

41 Non enim opponitur graviter charitati erga ſe ipſum, quia infamiam ſui ipſius, tanquam Dominus propriæ famæ ordinat ad majus ſuum bonum, nempè ad evitationem gravis torturæ, juſtæ, vel injuſtæ, quam pluris æſtimat, quàm Conſervationem famæ, & vitæ; & quamvis vitæ ſuæ non ſit Dominus, neque liceat ſe ipſum occidere, non tenetur tamen etiam vitam ſuam conſervare cum tanto ſuo cruciatu, ſicut æger non tenetur adhibere media valdè dolorifera; neque tenetur etiam abſtinere ab actione, per quam ſe exponit periculo certo, vitæ ab alia ſibi auferendæ, quia propter gravem cauſam in multis caſibus licet certum vitæ periculum ſubire, neque proptereà dicitur ſe ipſum moraliter, vel imputativè occidere, ſicut ſi faceret abſque juſta cauſa.

Neque opponitur dicta falſi criminis confeſſio virtuti juſtitiæ, quia ſibi nemo obligatur obligatione juſtitiæ, alteri autem nullum infertur damnum, nec temporale, nec ſpirituale: Judex enim ſuppoſita confeſſione criminis non peccat procedendo ſecundùm allegata, & probata. Suppono autem ipſius innocenter accuſati famam, & vitam non eſſe alteri e.g. Communitati obſtrictam, cujus eſt membrum, aut ad evitanda gravia damna, quæ teneatur avertere, neceſſariam.

Neque denique opponitur falſa Confeſſio criminis obedientiæ, Judici debitæ, quia Judex non prohibet, ſed potiùs exigit confeſſionem, & in ordine ad hanc infert torturam. Suppono etiam confitentem crimen non præbere proximo ſcandalum, quo proximè & certò inducatur in imitationem criminis, à qua perpeſſione ſubſecutæ mortis potiùs abſterret: conſequenter neque graviter peccat contra charitatem proximi. Quòd ſi tamen falſum crimen confeſſus per ejus retractationem ſperare poſſet, novam torturam, & ipſam mortem impediendam, utique teneretur, retractare confeſſionem, aliàs famam, & vitam ſine juſta cauſa expenderet, adeòque prodigeret, & graviùs peccaret, quàm inferiorum bonorum prodigalitate. Sed talis ſpes cum retractatione criminis effugiendi novam torturam, & mortem non facilè continget.

Pro Coronide eorum, quæ præcedentibus §. §. dicta ſunt de Obligatioue teſtandi crimen alienum, vel fatendi proprium, adverto ex Leſſ. *lib.2.c.30.num.51.* idem etiam dicendum eſſe de obligatione juramenti, quia hoc ſequitur naturam actus, cui opponitur. Unde quando teſtis vel reus tenetur dicere veritatem ſine reſtrictione mentali, tenetur etiam tali modo edere Juramentum, quando à Judice jubetur; ſi autem non tenetur manifeſtare veritatem, neque tenetur Juramentum ſine reſtrictione mentali emittere.

QUÆSTIO II.

De Jure, & Dominio Proprietatis.

ARTICULUS I.

De Jure Proprietatis.

§. I.

Quid & quotuplex ſit Ius Proprietatis.

SUMMARIUM.

42 *Definitur Ius Proprietatis, & indicatur ejus diſcrimen à Iure Iuriſdictionis.*

43 *Quomodo obligatio Iuris Proprietatis differat ab aliarum virtutum, quæ ſunt ad alterum, obligationibus.*

44 *Ius Matrimoniale, & Ius Clericale Immunitatis, ſive privilegii Canonis, & fori, eſt verum Ius proprietatis, etiamſi gaudens tali Iure, efficaciter, & totaliter illo cedere non poſſit.*

45 *Ius Proprietatis dividitur primò in Activum, & Paſſivum, non tanquam in ſpecies ſubjectas, ſed tanquam in correlativa.*

46 *Secundò dividitur Ius in reale, & perſonale, ſive in Ius in re, & Ius ad rem.*

47 *Diviſio Iuris in Paternum, Oeconomicum, & Herile non eſt per differentias Iuris propriè dicti.*

OMiſſis Juris variis acceptionibus, ac ſignificationibus huc non ſpectantibus, ſolùm de Jure proprietatis, prout à Juſtitia reſpicitur, agemus.

Dico 1. Rectè definiri Jus proprietatis, quòd ſit *Fa-* 42

cultas

cultas de re aliqua, vel actione, vel omiſſione actionis, in propriam utilitatem diſponendi, & ex mero beneplacito vere aut interpretative ſuo obligandi alterum, ne huic facultati contraveniat. Deſumpta eſt hæc definitio quoad priorem partem ex P. Eſparza *q.* 3. quoad poſteriorem autem ex Card. Pallav. *de Juſt. lib.* 4. *c.* 2. *n.* 16. & ex P. Haun. *tr.* 2. *n.* 43. *juncto num.* 46. declaratur.

Juris natura eſt, favere uni, & gravare alios, utrumque itaque in definitione exprimendum eſt, etiamſi inadæquatus conceptus, ſaltem poſterior illud ſufficienter diſtingueret ab omni alia facultate. Quomodo autem faveat uni, indicant illa verba: *Facultas*, quæ generis loco ponitur: *de re aliqua*, ſive corporea, ſive incorporea, *vel actione, vel omiſſione actionis*, ſive à proprio ſuppoſito, ſive alieno dependentibus, *in propriam utilitatem diſponendi*: quibus verbis maximè diſtinguitur Jus proprietatis à Jure Juriſdictionis, quod dirigendo actiones ſubditorum in eorundem utilitatem præcipuè diſponere debet; quamvis facultas ſic diſponendi propter annexum honorem, & alia commoda ſit etiam utilis habenti illam, & ſic ad eandem quoque detur verum Jus proprietatis, per actualem illius poſſeſſionem, & retentionem diſponendi in propriam utilitatem, atque obligandi alios, tam ſubditos, quàm non ſubditos, ne ſe impediant à Jure, vel exercitio Juris ſui.

Neque refert, facultatem diſponendi propter aliquod impedimentum ſubinde tantùm eſſe remotam, vel ad certas ſolummodo actiones reſtrictam, modò titulus tribuens illam facultatem habitualiter, ſeu moraliter perſeveret: hinc licèt uterque, vel alteruter conjux voto caſtitatis obſtrictus debitum conjugale petere non poſſit, nihilominus retinet Jus ad illud; quia votum non tollit, ſed tantùm ligat, & impedit facultatem, fundatam in contractu matrimoniali habitualiter permanente.

43 Quomodo jus proprietatis gravet alios, dicitur ſequentibus verbis: *& ex Mero beneplacito &c.* per quod indicatur modus gravandi, continens rationem differentialem à modo gravandi pietatis, obſervantiæ, gratitudinis &c. quarum virtutum obligatio non dependet à mero beneplacito ejus, in cujus utilitatem obligant; ſive enim iſte acceptet, ſive non, & ſive velit retinere, ſive remittere facultatem habendi ſibi alterum obligatum, ſemper tamen datur completa obligatio pietatis, fundata in connexione nativitatis unius ab alio, vel obligatio gratitudinis, neceſſariò conſequens ex beneficii collatione, vel obligatio obſervantiæ debitæ noſtris Majoribus, qui nobis ſunt Authores gubernationis, vel ſaltem ratione ſapientiæ, virtutis, aut aliorum talentorum eſſe poſſent, (quibus proindè ſecundariò, & debito ſaltem minùs rigoroſo, ac niſi poſitivus contemptus accedat, citra peccatum debetur obſervantia, ut ex S. Thoma *q.* 132. *ar.* 1. *ad* 2. docet Leſſius *lib.* 2. *c.* 46. *à num.* 10.) Et licèt obligatio Juris proprietatis ſubinde etiam non dependeat à proprio beneplacito habenti Jus, ut patet in amentibus, infantibus, pupillis, minorennibus, prodigis, quibus Tutores vel Curatores conſtituuntur, & quorum actus ſæpè etiam legibus irritantur; hi omnes tamen cenſentur uti poteſtate obligandi ex mero beneplacito interpretativè ſuo, ſicut enim naturæ humanæ utile fuit, ut darentur quædam Jura à vero beneplacito illa habentium dependentia, ſic etiam neceſſarium erat, ut per dominium altum ſuperioris poteſtatis humanæ, defectus ætatis, prudentiæ &c. ſuppleri poſſet, ita ut per fictionem, & interpretationem Juris voluntas ſuperioris, vel adminiſtratoris eadem haberetur cum voluntate ſubditi.

44 Obiic. Conjuges habent verum Jus proprietatis mutuò in corpora, & tamen quoad perpetuitatem matrimonii, ſimiliter etiam quoad fidelitatem thori non dependet ex mero beneplacito illorum. Idem ex probabili ſententia dicendum eſt de Jure privilegii Canonis, & fori, quo Clerici gaudent: ergo non eſt univerſaliter verum, quòd Jus ſit facultas obligandi in propriam utilitatem ex mero beneplacito.

Reſp. Quoad primam partem, negando, quòd Jus conjugum non dependeat à mero beneplacito; quia enim hoc jus fundatur in ipſo contractu inter fideles, poſtquam omninò etiam conſummatus eſt, eſſentialiter & irremiſſibiliter ad perpetuitatem, & eodem modo ad fidelitatem obligante, qui formaliter eſt ipſum merum beneplacitum: ideò Jus conjugum verè eſt facultas obligandi in ſuam utilitatem ex mero beneplacito; quamvis ipſum beneplacitum arbitrariè poſitum deinde ſit irrevocabile. Ad ſecundam partem iterum nego, quòd privilegium canonis, & fori non ſit facultas obligandi ex mero beneplacito; quia licèt nullus Clericus in particulari poſſit cedere Jure ſuo, quin contraveniens peccet contra religionem; poteſt tamen cedere, quin alter peccet contra Juſtitiam in ipſum Clericum, ſeorſim acceptum; quòd autem peccet contra Juſtitiam in totam Clericalem communitatem, cujus Clericus cedens etiam eſt pars, hoc provenit inde, quia pars non poteſt cedere Jure, reſidente in tota communitate, ſicut unus hæres non poteſt vendere totam hæreditatem adhuc indiviſam, & ad plures pertinentem. Cæterùm totus Clerus cum ſuo capite præcisè obligat ex mero beneplacito.

Juri priùs definito, quod activum dicitur, quia activè obligat, opponitur Jus paſſivum, quod nihil aliud eſt, quàm res vel actio, vel omiſſio actionis, circa quam datur facultas in propriam utilitatem diſponendi, & obligandi alterum ex mero beneplacito: dicitur autem Jus paſſivum, quia eſt id, quod præſtandum, & tribuendum eſt ab eo, qui obligatur, ſeu qui pati debet obligationem tribuendi; unde quando Jus proprietatis primò dividitur in activum, & paſſivum, perinde verè eſt, ſicut, quando cognitio dividitur in cognitionem formalem, & objectivam. 45

Secundò dividitur Jus in reale, & perſonale: Jus reale eſt, quo res ita mihi appropriatur per facultatem immediatè diſponendi circa illam, ut ad quemcunque res ipſa ſive cum, ſive abſque titulo apparente pervenerit, eam proſequi poſſim; unde proſecutio illius vocatur actio realis; ipſum verò Jus dicitur Jus in re, ſeu reale, ſeu pariens actionem realem: Jus perſonale eſt, quo nondum habetur facultas immediatè diſponendi circa rem, ſed tantùm circa perſonam in ordine ad actionem, vel omiſſionem actionis, ut acquiratur res: hinc Jus iſtud perſonale dicitur etiam Jus ad rem, & parere actionem perſonalem: quamvis enim omnis actio debeat inſtitui contra perſonam, tamen Jus inſtituendi non ſemper fundatur in immediata facultate diſponendi circa rem, illamque à quovis poſſeſſore vindicandi; & propterea actio dicitur perſonalis, & non realis: ſic per emptionem, ſecluſo ſpeciali privilegio communitatibus, & locis piis conceſſo, abſque traditione tantùm acquiritur Jus contra venditorem ad actualem traditionem, & omiſſionem alienationis, deſtructionis, deteriorationis &c. per ipſam verò traditionem acquiritur poteſtas immediata diſponendi circa rem, & eam à quolibet vindicandi, qua poſita dicor etiam habere jus in re; per rem autem intelligitur hìc non tantùm res corporea, ſed etiam incorporea, ut beneficium, officium, ſervitus, & alia hujuſmodi Jura, circa quæ, quando actu obtenta ſunt, datur Jus in re; quando verò tantùm debetur eorum obtentio, datur Jus ad rem; deinde non tantùm intelligitur res carens ratione, ſed etiam perſona humana, quando ipſa, & non tantùm actio illius eſt debita; hinc circa mancipium traditum datur Jus in re, circa operarium verò Jus ad rem, nempè ad operam præſtandam. 46

Cæterùm quamvis videri poſſit, utrumque membrum hujus diviſionis eſſe explicatum per rationes formales contradictoriè oppoſitas, accuratè tamen advertit P. Haun. *t.* 2. *num.* 67. aliquas res non ita perfectè eſſe appropriatas, quin ratione alicujus actionis adhuc præſtandæ à perſona, dentur in Jure actiones quædam mixtæ in ordine ad proſecutionem rei, & poſitionem actionis: v. g. in ordine ad determinandos fines prędiorum ruſticorum, ad dividendam hæreditatem, cujus Jus ad plures hæredes indiviſim eſt devolutum.

Tertiò dividitur Jus in Oeconomicum, paternum, & herile: ſed hæc diviſio non eſt in ſpecies juris proprietatis rigoroſè dicti, quia Jus Oeconomicum includit etiam poteſtatem gubernativam familiæ, quæ potiùs imitatur Jus juriſdictionis: Jus paternum complectitur etiam obligationem pietatis, quam filii debent parentibus: denique licèt aliquæ actiones, vel bona in foro conſcientiæ debeantur ex juſtitia propriè 47

dicta, tamen quia in ordine ad illa Pater, & filius, maritus & uxor fictione Juris habentur pro perſona eadem, & quia etiam ſervus in ordine ad ea, quæ titulo ſervitutis domino præſtare, vel reddere tenetur, non ut perſona diſtincta, ſed ut res fructificans domino in Jure conſideratur, ideo ſaltem quoad forum externum circa hæc non dicitur dari propriè dictum Jus ob defectum diſtinctionis; & hoc ſenſu, atque circa tales actiones vel res Ariſt. 5. Eth. *c.6.* & alii cum ipſo communiter negant, dari juſtitiam inter maritum & uxorem, patrem & filium, dominum & ſervum.

§. II.

Quomodo Ius proprietatis fundet æqualitatem, ac medium rei.

S V M M A R I V M.

48 *Ius proprietatis fundat obligationem ad Aequalitatem inter Ius activum, & paſſivum.*
49 *Quæ Aequalitas non poteſt dici univerſaliter Aequalitas inter datum, & acceptum.*
50 *Dicta Aequalitas eſt ipſum Medium, cujus obſervatione Iuſtitia, ſicut qualibet virtus Moralis, dicitur ſervare Medium inter exceſſum, & defectum.*
51 *Differt tamen Iuſtitia ab aliis virtutibus, quòd ipſa ſervet* Medium rei, *alia* Medium Rationis.
52 *Non ſervato Medio rei ſemper deflectitur ad utrumque extremum virtuti oppoſitum: non ſervato autem medio rationis tantum deflectitur ad unum extremum.*

48 EX definitione Juris activi facilè colligitur, æqualitatem juſtitiæ conſiſtere in commenſuratione Juris paſſivi cum activo; ſi enim datur id, ad quod tribuendum unus alterum vi ſui juris activi poteſt obligare, & ſi non auſertur id, ad quod non auferendum unus alterum obligandi poteſtatem habet, hoc ipſo poſitivè vel negativè ſervatur æqualitas. Unde verum quidem eſt, quando poteſtas obligandi ad dandum fundatur in oneroſa acceptione rei utilis ac lucroſæ, vel in damni injuſti illatione, quòd is, qui ſub onore compenſationis accepit ab altero lucrum, vel intullit damnum injuſtum, debeat reddere æquale lucro accepto, vel damno illato; non tamen neceſſe, neque etiam ſemper poſſibile eſt, æqualitatem juſtitiæ explicare in ordine ad hujuſmodi terminum tanquam menſuram. Quòd enim non ſit neceſſe, ratio eſt, quia unde cunque oriatur Jus exigendi tantum, modò detur tantum, quantum exigendi poſſidetur Jus, ſufficienter intelligitur. ſervatam eſſe æqualitatem; adeòque menſura immediata Juris paſſivi, eſt ipſum Jus activum: ergo non opus eſt confugere ad aliám menſuram mediatam, quæ ſit menſura menſuræ, cùm prò obſervanda æqualitate ſufficiat ſcire, quantum quis debeat dare, non autem neceſſe ſit ſcire, quare tantùm debeat dare.

49 Quòd autem neque ſemper poſſibile ſit aſſignare lucrum acceptum, vel damnum illatum pro menſura ac termino æqualitatis ſervandæ, meo judicio facilè probatur ex promiſſione gratuita, qua poſita tenetur quis tantundem dare promiſſario, quantum promiſit, etiamſi nihil viciſſim acceperit, nec injuſtum damnum intulerit. Quòd enim promiſſarius ex Jure naturæ ſubire debeat obligationem conditionatam, promiſſori tantundem dandi, ſi ipſi tantum promiſiſſet, (ſicut lucrans in luſu dicitur æquale onus ſubiviſſe, quia teneretur tantundem dare colluſori, ſi ipſe luſum lucratus eſſet) per hoc neque oſtenditur aliquod acceptum, propter quod tantundem reddendum eſt, neque ſalvatur paritas in exemplo allato; quia obligationi conditionatæ promiſſarii correſpondet obligatio conditionata promiſſoris, antequam abſolutè promittat: ergo illa non poteſt eſſe terminus inſuper per abſolutam promiſſionem, & rei promiſſę traditionem compenſandus. Deinde luſor accipit lucrum non propter conditionatam obligationem, quòd, ſi luderet, & tantum pecuniæ perderet, teneretur illam dare, ſed propter periculum, cui per actualem luſum ſe expoſuit perdendi tantum, quantum lucratus eſt: atqui promiſſarius nullum ſubvit tale periculum pretio æſtimabile: ergo nec eſt paritas cum dicto exemplo, neque oſtendi poteſt aliquod acceptum, quod per abſolutam obligationem promiſſionis longè æſtimabiliorem putè conditionata obligatione, & per actualem traditionem rei promiſſæ compenſandum ſit.

Ex prędicta æqualitate Juris paſſivi cum activo, quam 50 juſtitia obſervare intendit; oſtenditur, quomodo etiam juſtitia, ſicut aliæ virtutes morales in medio, ſeu inter duo extrema, ſcil. inter exceſſum, & defectum conſiſtat; obſervando enim ęqualitatem cavet, ne unus, nempe exercens juſtitiam, habet nimis multum, ſeu plus, quàm ipſi debeatur, & ne alter, erga quem exercetur juſtitia, habeat nimis parum, ſeu minus, quàm ipſi debeatur: Differt tamen duplici modo medium juſtitię à medio aliarum virtutum moralium, niſi ſaltem, ut S. Thomas 2.2. *q.80. in titulo* quaſdam appellat, partes potentiales juſtitię ſint, ut religio, veracitas, &c. quarum prima ad executionem voti indefiniti, ſecunda ad verificanda aſſertionem actionis quocunque tempore ab affirmante ponendę perpetuò obligat, ut de Juſtitia mox dicemus. Itaque.

Prima differentia eſt, quia obligatio juſtitię etiam ſe- 51 cluſa omni Lege poſitiva, divina vel humana, non finitur, quando quis ſolummodo tantum alteri tribuit, quantum cognovit tribuẽdum eſſe, & conſequenter formalem juſtitiam abſq; materiali exercuit; ſed manet adhuc obligatio tribuendi tantum, quantum à parte rei & non pręcisè ſecundùm opinionem intellectus, eſt id, quod debetur. Unde juſtitia ex prędicato ſpecifico intendit & obligat ad medium rei, quocunque tempore illud deinde cognitum, neque impeditum fuerit; ob quam cauſa fortè etiam Vulpianus in definitione juſtitię dixit, quòd ſit conſtans & *perpetua* voluntas, inclinans ſcil. ad perpetuò alteri tribuendum Jus ſuum, quamdiu illud à parte rei non eſt tributum. Alię virtutes verò morales quieſcunt, & ſuę obligationis finem ex prędicato ſpecifico intentum aſſecutę cenſentur, ſi ſuum medium, quod ipſę intendunt, eo modo tenuerint, quo modo in intellectu apparebat: niſi Lege poſitiva, divina vel humana aliqua illarum actio, vel omiſſio alicujus actionis tamdiu exigatur, uſque dum ea à parte rei ponatur; ſicut de facto vi Legis poſitivę obligatio virtutis pœnitentię ad expiſcandum omnia peccata mortalia per formalem integritatem finem ſuum non aſſequitur, quamdiu memorię aliquod peccatum mortale nondum explicatum occurrit. Etſi igitur cuivis homini certa quantitas cibi pro ſua naturali indigentia à parte rei fuerit determinata, ad quam, & nec majorem, nec minorem aſſumendam temperantia inclinat, hujus tamen obligationi jam completè ſatisfactum eſt, modò quis quantitatem, quę per errorem putabatur fuiſſe determinata, aſſumpſerit: propterea ipſa cum aliis virtutibus dicitur obſervare medium rationis, juſtitia autem medium rei; quamvis etiam hęc per rationem ſuum medium agnoſcere, & invenire debeat, ſeu agnitum ſupponat, & viciſſim alię virtutes medium à parte rei exiſtens ac determinatum reſpiciant.

Secunda differentia inter medium juſtitię, & alia- 52 rum virtutum eſt, quòd iſtę inter talia extrema verſentur, quę diverſis obligationibus, ac virtutibus prohibentur, & ad quorum unum deflectere quis poteſt, quin deflectat ad alterum: v. g. poteſt quis commedere nimis parùm, quin ſimul comedat nimis multum, hoc enim repugnat. Medium juſtitię autem tale eſt, ut qui ab illo recedit, ad utrumque extremum accedat: nam qui facit, ut alter habeat minus, quàm illi debeatur, facit, ut ipſe habeat plus, vel ſaltem diſponit, & ſe gerit ut habens plus, quàm ſibi debeatur; quod etiam contingit, quando rem alienam omnino deſtruit, nec ſibi remanet aliquid ęquivalens, quod reddat; quia deſtruens rem gerit ſe circa illam, quaſi fuiſſet ſua, adeòque habuit plus, quàm debitum fuerit.

ARTICULUS II.

Quid ſit Dominium Proprietatis perfectum.

SUMMARIUM.

53 *Dominium aliud eſt Iuriſdictionis, aliud proprietatis: iſtud ſubdividitur in perfectum, & imperfectum.*

54 *Dominium perfectum definitur: Ius perfectè diſponendi de re corporali; niſi Lege prohibeatur. Explicantur ſingula.*

55 *Diſtinguitur Dominium Proprietatis à Iure Proprietatis, tanquam ſpecies à genere.*

56 *An Oppignoratio rei tollat Dominium perfectum.*

57 *An detentio rei alienæ ſit reſtrictio Dominii.*

53 DOminium latè acceptum pro facultate diſponendi de re aliqua, vel perſona, in ſuam diſponentis, vel perſonæ, de qua diſponitur, utilitatem, dividitur in dominium Juriſdictionis, (quod eſt poteſtas gubernandi ſubditos ſuos, cujus alia eſt Eccleſiaſtica in ſpiritualebonum ſubditorum, alia politica in temporale bonum tendens) & in dominium proprietatis, quod eſt Jus diſponendi, de re tamquam ſua, id eſt, in ſuum commodum. Hoc Dominium dividitur in perfectum, ſeu plenum, quod mox definiemus, & in imperfectum, cujus definitio ex proximè dicendis facilè colligetur: prius, nempè perfectum, continet, & proprietatem rei, & emolumenta, poſterius continet, vel ſolam proprietatem ob quam Dominus hujus rei dicitur proprietarius, ſeu directus: vel ſolum uſumfructum, à quo Dominus dicitur uſufructuarius: vel utrumque quidem, ſed gravatum Jure alieno, ut contra plures graves DD. à Patre Haunoldo relatos *tract.* 3. *n.* 14. aſſeritur cum alii DD. dominium majoratus, qui alienari, vel hypothecari non poteſt in præjudicium Juris aliorum ejuſdem familiæ.

54 Dominium perfectum itaque rectè definitur à Bartolo communiter recepto *in L. Si quis vi: §. Differ. ff. de acquir. poſſeſſ.* Jus perfectè diſponendi de re corporali, niſi Lege prohibeatur.

Dicitur 1. *Ius*, ſcilicet in re, quod eſt genus proximum 2. *Perfectè diſponendi*, id eſt, ſervandi, vendendi, deſtruendi &c. ad omnem denique uſum adhibendi, qui non aliunde repugnat reſpectu talis ſubjecti, v. g. uſus comedendi, ſi angelus eſſet ſubjectum dominii in eſculenta; ſic etiam repugnat DEO poteſtas abdicandi ſe Jure, quia eſt eſſentialiter Dominus: ſic etiam, ſi propter impedimentum phyſicum, v. g. propter diſtantiam à re ſua, vel propter violentiam ab alio injuſtè illatam quiſpiam de re ſua diſponere pro libitu non poſſet, nihil obeſſet poteſtati, ſeu Juri in definitione expreſſo, quia ſufficit dari poteſtatem moralem, nullo alieno Jure, ſaltem ſtabili ac firmo moraliter impeditam; ſicut etiam in denominationibus phyſicis impedimenta accidentalia, & tollentia proximè expeditam potentiam nihil præjudicant, quo minùs homo v. g. dicatur habere facultatem ratiocinandi, etiamſi infans, amens, ebrius, aut dormiens ſit. Excluduntur autem per particulas allatas dominium proprietatis nudæ, vel uſusfructus, vel pignoris, &c. 3. *de re corporali*: Circa officia enim, & Jura ipſa, aliaſque res incorporeas dicunt Juriſtæ, dari quaſi dominium: Theologi tamen rectiùs omittunt has particulas, propter Dominium perfectum, quod Deus habet in res incorporeas, v. g. Angelos; immò teſte Leſſio, & P. Haunoldo multi Juriſtæ illas omittunt, & illud *quaſi Dominium* abſolutè dicunt Dominium; nec obſtat *lex* 1. *ff. de uſu, & uſufructu, per legatum datis*, ubi quando ſervitutes, nec intra, nec extra noſtra bona eſſe dicuntur, non negatur earum Dominium, ſed tantùm earum corporalis coexiſtentia cum aliis bonis corporeis. 4. Claritatis gratia additur: *Niſi Lege prohibeatur*: nempè tali, quæ ſupponit completum Jus, & non fundatur in alterius Jure oppoſito, ſed quæ in bonum domini, vel ob alium finem inhibet perfectam diſpoſitionem, quali Lege impediuntur amentes, minorennes &c. qui ablato impedimento, ſine collatione novi Juris, perfectè poſſunt diſponere, & hinc iſti jam habent perfectum dominium: rei autem alienæ ideò non dicor dominus, quia poteſtas diſponendi non impeditur tali Lege, ſed alia, quæ fundatur in Jure alterius domini.

Ex dictis patet, quomodo inter ſe differant Jus, & Dominium, etſi aliqui ſaltem dominium minùs perfectum, & Jus in re pro eodem ſumant: dicendum enim cum Molina, & Azor, diſtingui tamquam genus à ſpecie; quia etſi omne dominium ſit Jus, non tamen omne Jus eſt dominium, nempè Jus ad rem, ad pignus, ad depoſitum, &c. quæ ob ſuam imperfectionem neque nomen dominii latè ſumpti merentur. 55

Obiicies 1. Qui tradit alteri pignus, manet perfectus dominus illius: & tamen non poteſt perfectè diſponere de illo, propter Jus oppoſitum, quod habet pignoratarius: ergo etiam lex in Jure oppoſito fundata nihil obſtat. 56

Reſp. 1. Cum Molina *tract.* 2. *diſp.* 3. hujuſmodi levia impedimenta, qualia ſunt oppignoratio, ſervitus, cenſus &c. pro nihilo reputari, quia ſaltem in ſenſu minùs rigoroſo datur perfecta poteſtas diſponendi, modò dominium directum non impediatur ab uſufructuario, vel Emphyteuta perpetuò. Alii autem propter factam objectionem definitioni dominii ſaltem claritatis gratia addunt hanc disjunctionem: niſi lex, vel conventio obſiſtat; qualis datur in oppignoratione, quæ nondum eſt abdicatio dominii, neque proprietatis, neque utilitatis, ſicut tamen eſſet venditio, mutuatio &c. ſed ut propter plures ejuſmodi caſus, addendos definitioni centones caveamus, reſponderi poteſt. 2. In magis rigoroſa acceptione dominii pleni, ac perfecti negando antecedens, quia etiam oppignoratio planè eſt ſpecies alienationis latè ſumptæ, teſte Layman. hìc *ſect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 30 *num.* 4. & Canoniſtis communiter; ideò alii dicunt oppignorationem, & ſimilia Jura, quæ poteſtatem perfectè diſponendi impediunt, tollere dominium perfectum, quia minuunt Jus, & non ſunt in bonum domini. Nota tamen dominium illud univerſale, quod habet DEUS in creaturas, vel princeps pro caſu publicæ neceſſitatis in bona ſubditorum, non obſtare perfecto dominio privato, quia illud divinum dominium eſt diverſi ordinis, & habet ſe ſicut cauſa univeſalis ad particularem; iſtud verò creatum, quod dominium altum vocatur, eſt tantùm conditionatum, & poſita conditione ceſſat dominium privatum, ſeu paſſum, ut Juriſtæ loquuntur; quando nimirum propter publicam neceſſitatem, v. g. domus privatorum ſunt evertendæ, vel agri in valla erigendi.

Obiicies 2. Qui ab alio ſive per bonam, ſive per malam fidem, poſſeſſione rei ſuæ ſpoliatus eſt, retinet perfectum dominium, & tamen non poteſt de illa re perfectè diſponere pendente lite; quia tunc poſſeſſor bonæ fidei poteſt Jure illum impedire, poſſeſſor malæ fidei autem habet Jus, ne à legitimo domino privata authoritate per vim illi res poſſeſſa auferatur, &c. ergo poteſt dari dominium perfectum, ſine poteſtate perfectè diſponendi. Propter hanc objectionem aliqui Juriſtæ particulis *perfectè diſponendi* addunt aliud membrum disjunctivum *aut vendicandi*; quos meritò reprehendit P. Haunoldus *tract.* 3. *num.* 13. quia obſcurius eſt, quid ſit vindicatio, quàm dominium; quòd ſi verò illa ulteriùs explicaretur per propriam ſuam definitionem, quòd ſcil. ſit actio, qua quis petit declarari Dominus rei, jam committeretur circulus vitioſus, explicando dominium per vindicationem, & hanc per dominium. Itaque aliter reſpondet citatus Author, diſtinguendo ſecundum membrum antecedentis; non poteſt dominus perfectè diſponere, ita ut poſſit à poſſeſſore impediri per oppoſitionem Juris alicujus firmi, ac ſtabilis, tollentis etiam radicalem poteſtatem, perfectè diſponendi, negat antecedens; ut poſſit tantùm impediri per oppoſitionem Juris infirmi, ac ſublata ignorantia ſtatim auferibilis, nec tollentis poteſtatem radicalem, concedit antecedens, & negat ſuppoſitum, quòd hujuſmodi infirma, ac inſtabilia Jura, radicalem poteſtatem perfectè diſponendi integram ſervantia, præjudicent definitioni, & eſſentiæ dominii perfecti. 57

Reſponderi poteſt 2. ſicut ad primam objectionem poſterio-

ſteriori loco reſponſum eſt, negando antecedens de dominio Impedito à poſſeſſore bonæ fidei, & negando conſequentiam de dominio impedito à poſſeſſore malæ fidei; quia dominus tantùm prohibetur vi auferre rem ſuam, propter legem non intendentem favere poſſeſſori iniquo, & illi conferre aliquod Jus, ſed intendentem conſulere publicæ paci, ac tranquillitati, & propterea Juris remedium offerentem.

ARTICULUS III.

Solvitur alia difficultas contra definitionem Dominii perfecti, & demonſtratur implicare Dominium duorum in ſolidum circa eandem rem.

SUMMARIUM.

58 *Refertur ſententia aſſerens poſſibile Dominium perfectum duorum in eandem rem.*
59 *Prima ratio contrariæ, & veræ ſententiæ.*
60 *Secunda ratio.*
61 *Tertia ratio.*
62 *Ad fundamentum Adverſ. reſpondetur.*
63 *Aliorum reſponſio ad priorem revocatur.*
64 *Solvitur aliud argumentum.*
65 *Reſpondetur ad illius confirmationem.*
66 *Dominium DEI non præjudicat perfecto Dominio hominis in rem ſuam.*
67 *Oſtenditur diſparitas, quare DEI Dominium ſit compoſſibile cum perfecto Dominio hominis, & non ſit compoſſibile unius hominis cum alterius hominis perfecto dominio in eandem rem.*

58 DIximus in præcedenti capite Dominium eſſe facultatem ſeu Jus de re aliqua perfectè diſponendi, ut autem talis ſit, requiri, ne alius ſaltem firmum ac ſtabile Jus in eandem rem habeat, aliàs unus alterum vi ſui Juris à facultate diſponendi impedire poſſet, & hoc ipſo neuter eſſet perfectus dominus rei; adeóque aſſeruimus repugnare, ut duo habeant dominium in ſolidum: id eſt adæquatum, plenum, & perfectum Jus de tota re pro libitu diſponendi. Contra hanc doctrinam

Lugo *diſp. 2. ſect. 2.* cui etiam Arriaga, & Hurtado de Mendoza aſſentiuntur, acriter ac fusè diſputat. Præcipuum illius argumentum eſt hoc; quando homo rem ſuam alteri donat, in eodem inſtanti donationis per acceptationem completæ, donator habet perfectum Jus diſponendi, hoc ipſo quòd rem alienando, de illa abſque injuria alterius diſponat, adeóque habet etiam perfectum dominium; & viciſſim donatarius per donationem efficacem; & acceptatam, etiam acquiſivit Jus perfectè diſponendi, ſeu dominium perfectum; ergo duo habent dominium in ſolidum ejuſdem rei pro eodem inſtanti.

59 Antequam ad argumentum reſpondeam, prius cum P. Haunoldo *tract. 3. controverſ. 2.* P. Eſparza *quæſt. 49.* & hoc teſte cum omnibus Juriſtis, ac ferè omnibus Theologis hoc ſupponentibus, demonſtrabo id, quod in conſequenti infertur, eſſe impoſſibile, uti etiam univerſim negatur poſſibilitas dominii duorum in ſolidum, *l. ſi ut certo loco §. 15. ff. Commodati.* Prima ratio eſt à priori: quandocumque lex favens uni, & gravans alios in illius utilitatem, non tranſit in abſolutam, ex defectu conditionis, à qua dependet, tunc non datur Jus abſolutum, & completum, adeóque nec plenum, ſeu perfectum dominium; ſed quando res vel non acceptatur, vel quando acceptatio per contrariam voluntatem alienativam retractatur atque deſtruitur, uti fit per donationem, vel alium hujuſmodi contractum alienativum, lex non tranſit in abſolutam, & completam; ergo in tali caſu non datur dominium abſolutum, & completum, ſeu perfectum; ergo donator in inſtanti donationis non habet ampliùs dominium perfectum.

60 Secunda Ratio; qui per voluntatem efficacem pro aliquo inſtanti rem vult non eſſe ſuam, hoc ipſo non retinet illam ut ſuam, ſed donator vel alienator rei pro eo inſtanti, pro quo donat, vel alienat, vult rem non eſſe ſuam, ſicut ſi vellet eam habere pro derelicta, à qua voluntate donatio tantùm in hoc differt, quod per illam nec ſuam, nec alterius rem eſſe velit, per illam verò non ſuam, ſed alterius velit eſſe: ergo non retinet illam ut ſuam: ergo nec habet dominium illius.

Tertia Ratio deſumitur ex ſequelis abſurdis: ſequeretur enim ex oppoſita ſententia, quòd in eo inſtanti, quo Dominus ſervo donat libertatem; maneat adhuc dominus adeóque ſervus ſimul ſit ſervus, quia hoc eſt eſſentiale correlativum domini & ſimul liber, quia donatione accepit libertatem, quod ex terminis repugnat: ſicut eſſe obligatum, & ſimul non eſſe obligatum. Deinde ſequeretur, quòd quando duo contrahunt matrimonium: in eo inſtanti, quo completur mutuus contractus, & fit mutua traditio ſeu obligatio corporum, ambo maneant ſui Juris, nullaque obligatione graventur, quod iterum contradictionem importat. Denique ut plures alias abſurdas conſequentias omittam, ſequeretur, quòd in eodem inſtanti, quo DEUS Jus ad odium peccatori, v. g. per abſolutionem ſacerdotalem remittit, & gratiam infundit, adhuc maneat Dominus ſui Juris; & conſequenter homo adhuc manet peccator.

Ad argumentnm in contrarium reſpondetur diſtin- 62
guendo primum membrum antecedentis: donator in inſtanti donationis acceptatæ habet perfectum Jus diſponendi, quod ſit reale, & fundatum in Lege concedente ipſam rem, nego antecedens: ſicut ipſi adverſarii negare debent hujuſmodi reale Jus pro inſtanti diſpoſitionis, quo omnino deſtruitur res: tunc enim utique non poteſt pro priori naturæ in eodem inſtanti temporis dari Jus diſponendi reale. hoc ipſo, quòd res, dum deſtruitur, non ampliùs exiſtat; habet Jus diſponendi perſonale, fundatum in Lege non concedente rem, ſed ſolùm Jus natnrale ponendi actum, quo res immediatè anteà appropriata, deſinat eſſe appropriata, ſicut ſi nunquam fuiſſet appropriata, idem homo haberet Jus naturale ponendi actum non acceptationis; ne inciperet eſſe appropriata, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ex hac reſponſione patet, uſum rei deſtructivum, vel alienativum nunquam eſſe uſum Dominii perfecti actualis, quamvis præſupponat exiſtentiam dominii perfecti pro præcedenti inſtanti, & hoc ſenſu poteſt dici, quod dominium perfectum præcedens ſit formale Jus deſtruendi, vel alienandi rem pro ſequenti inſtanti: quando ergo dominium perfectum dicitur Jus perfectè diſponendi, intelligendum eſt de diſpoſitione, nec deſtructiva, nec alienativa rei pro eodem inſtanti, id eſt, de diſpoſitione non ſublativa ipſius dominii.

In eandem reſponſionem noſtram reſolvitur alia, qua 63
dicitur, quòd, qui poſſet acceptare rem, & tamen non acceptat, & qui poſſet non deſtruere, vel non alienare, ac tamen deſtruit vel alienat, habeat dominium rei radicale, incompletum, conditionatum, quod per actum internum, quo quis vellet acceptare, vel retinere rem, evaderet formale, completum & abſolutum, & quod nihilominus ſufficiat, ut quis poſſit diſponere, diſpoſitione deſtructiva vel alienativa rei, priùs appropriatæ, nam hoc ipſo quòd quis actualiter tali modo diſponat, debet poteſtas ad ſic diſponendum eſſe completa, abſoluta, & formaliter exiſtens, quæ cùm non poſſit eſſe Jus reale, dicenda eſt Jus perſonale, ſeu poteſtas perſonalis.

Ob. 2. Nemo poteſt dare qnod non habet, vel quod non 64
eſt ſuum, cùm datur: ergo in eo inſtanti, quo quis dat rem, eſt dominus rei.

Reſp. 1. Retorquendo argumentum: nemo poteſt dare, quod eſt alterius: ergo in eodem inſtanti, quo res alteri datur, nondum poteſt eſſe illius, adeóque non datur adhuc dominium duorum in ſolidum.

Reſp. ergo 2. Sicut debent eſſe veræ iſtæ propoſitiones: nemo moritur, qui actu vivit, nemo ſpoliatur re, quam habet, ſic etiam neceſſario veram eſſe iſtam propoſitionem: Nemo dat, quod habet ſeu quod retinet; ad hoc enim, ut quis moriatur, requiritur tantùm, ut immediatè ante vixerit; ut quis ſpolietur re, vel eam ſpontè det, ſufficit, immediatè eam habuiſſe. Itaque in forma reſpondetur diſtinguendo utriuſque Enthymematis antecedens: nemo poteſt dare, quod non eſt ſuum, vel quod eſt alterius, ſi hoc ita ſit independenter à datione, concedo antecedens; ſi ſit dependenter, adeóque ſi iſta

datio

datio faciat, ut res non ſit ampliùs dantis, ſed accipientis, nego antec. & utramque conſequentiam, quòd, qui dat, debeat eſſe dominus rei in inſtanti dationis, & quòd qui accipit, nequeat eſſe dominus.

65 Urgebis pro ultima conſequentia: ille qui accipit, non poteſt in inſtanti acceptionis perfectè de re diſponere, quia non poteſt illam deſtruere, alienare, vel redonare, immò hoc ipſo, quòd dans poſſit non dare, accipientis Jus eſt adhuc diminutum, propter Jus oppoſitum dantis: ergo dum nolumus concedere dominium duorum in ſolidum, debemus utrique negare perfectum dominium. Reſp. Diſtinguendo primum membrum antecedentis: ille qui accipit, non poteſt dicto modo diſponere ex defectu Juris, vel dominii, nego antec. propter incompoſſibilitatem iſtarum actionum enumeratarum in hoc inſtanti, & in talibus circumſtantiis, concedo antec. iſtæ enim actiones ſi ponerentur, hoc ipſo non poſſet poni acceptatio rei, quæ tamen debet poni, alioqui res non fieret accipientis. Ad alterum membrum antecedentis reſpondeo omninò illud negando, quia aliud eſt, quòd Jus in eo inſtanti, quo ponitur, poſſit non poni, ſeu impediri ab alio, ne ponatur, & aliud quòd Jus poſitum, ex ſuppoſitione exiſtentiæ ſit impedibile quoad ſuum exercitium.

66 Obj. 3. Deus habet longè perfectius dominium in quamlibet rem, quàm ullus homo poſſit habere, ſed dominium Dei poteſt conſiſtere cum pleno dominio hominis, ergo etiam aliud dominium humanum poteſt conſiſtere cum pleno dominio hominis. Reſp. 1. ſicut in Phyſicis dicitur cauſa adæquata, quæ nullam aliam habet concauſam creatam, & ſicut comparatione Dei nulla eſſet cauſa adæquata, ſic etiam illum dici dominum adæquatum in ſolidum, & ex integro, qui habet rem nulli alteri domino creato obligatam, & comparatione DEI nullum hominem gaudere dominio pleno, ac perfecto.

67 Reſp. 2. Diſtinguendo Min. dominium DEI poteſt conſiſtere cum pleno dominio hominis eo modo, quo adverſarii contendunt, unius hominis dominium poſſe conſiſtere cum alterius hominis dominio, nego Min. alio modo concedo Min. nam neque Dei dominium, ſi Deus poſſet tempore translationis dominii in homini in hominē à ſe abdicare, poſſet conſiſtere cum dominio hominis in inſtanti abdicationis. Ratio itaque diſparitatis inter dominium divinum, & humanum eſt hæc, quòd, cùm Deus transfert dominium alicujus rei in creaturam, non opus ſit, immò non poſſit à ſe abdicare dominium illius rei, quia enim Deus non eſt capax utilitatis, ideò totum dominium utile transfert in creaturam, quod ſicut ipſe numquam habuit, ſic neque poteſt abdicare: poteſt tamen illud conferre homini, eò quòd res utilis homini ſit diſpoſitioni DEI plenè ſubjecta. Viciſſim quia homo non eſt capax illius gloriæ, & excellentiæ, ad quam in DEO manifeſtandam res quælibet eſſentialiter ordinatur, ideò nec DEUS poteſt hoc dominium excellentiæ ulli homini conferre, nec homo poteſt illud recipere: & ſic patet, quomodo homo poſſit habere plenum dominium utilitatis, DEUS autem plenum dominium excellentiæ; quia neutrum dominium alterum diminuit, & ſi homo à DEO propter exercitium dominii excellentiæ impediretur, quò minùs poſſet diſponere de re pro ſua utilitate, illa ipſa impeditio cederet in majorem utilitatem hominis, quàm ſi contra voluntatem DEI ſibi utilitatem aliam procuraret; adeòque impeditio tam parùm præjudicaret dominio hominis, quàm parùm perfecto dominio pupilli præjudicat, ſi à curatore impediatur diſponere pro ſua utilitate, quando curator adhuc majorem utilitatem pupilli procurat. Jam verò quando unus homo transfert plenum dominium rei ſuæ in alium hominem, debet ipſe tranſlator omne dominium, & Jus à ſe abdicare: quia enim etiam ille eſt capax utilitatis, & quia tantum utilitatis decedit accipienti, quantum dans ſibi reſervat, ideò Implicat unum hominem transferre plenum dominium rei in alium hominem, & tamen ſibi ejuſdem rei plenum dominium reſervare: eodem modo etiam implicat, aliquem duobus per donationem, vel alium contractum plenum dominium concedere, etiamſi ſibi nihil Juris retineat; unde ſi quis rem utiliter non diviſibilem; v.g. equum donaret duobus, uterque quidem acquireret dominium, ſed imperfectum, & partiale, ita ut tantùm pars pretii, vel utilitatis ex uſu ejuſdem proveniens cuivis ſeorſim competeret.

ARTICULUS IV.

De Dominio imperfecto Uſusfructus.

SUMMARIUM.

68 *Præter Dominium perfectum dantur varia Dominia imperfecta, & ſervitutes limitantes Dominium perfectum.*

69 *Hujuſmodi Dominium imperfectum eſt Jus uſufruendi, ſive uſusfructus: cujus definitio refertur, & declaratur.*

70 *Ab uſufructu diſtinguitur Ius Feudale, Emphyteuticum Dotale Beneficiarium, Fiduciarium.*

71 *Ad quid obligetur uſufructuarius, & qualium rerum poſſit dari uſufructus.*

72 *Quomodo acquiratur uſufructus.*

73 *Quomodo amittatur.*

Explicato dominio perfecto tamquam principaliori, quædam etiam dominia imperfecta declarabimus, quæ ſcilicet reſpectu ejus, qui habet Jus activum, dominia ſaltem ſecundùm quid, reſpectu alterius verò, qui tali Jure gravatur ad faciendum aliquid, vel non faciendum in re ſua, cujus ſcilicet dominium directum, id eſt jus proprietatis, quoad ſubſtantiam rei habet, ſervitutes appellantur. Licèt autem ordine doctrinæ priùs videatur tradenda definitio communis omnibus hujuſmodi dominiis ſecundùm quid, ſi de Jure activo loquamur; vel omnibus ſervitutibus communis, ſi de paſſivo Jure, ſeu obligatione ſermo ſit; communiter tamen DD. ſtatim de illis in ſpecie agere ſolent, partim quia in Corpore Juris nulla talis definitio habetur, partim quia quædam dantur Jura ſpecifica, quæ non aliò, quàm generico ſervitutis nomine exprimuntur: unde in fine, dum agitur de ſervitute ſpecifica, tunc eadem opera AA. conantur tradere aliquam definitionem magis univerſalem, quæ etiam ſpeciali nomine inſignitas ſervitutes, priùs à ſe explicatas comprehendat, quos etiam nos imitabimur. Itaque inter dominia ſecundùm quid, & ſervitutes primo loco ponitur uſusfructus. 68

Uſusfructus autem rectè definitur *l. 1. ff. de Uſufructu & Inſtit. titulo eodem:* Jus utendi, fruendi rebus alienis, ſalva rerum ſubſtantia. 1. Per particulam *Ius* excluditur, qui tantùm habet uſum facti. 2. Per τὸ *utendi* excluduntur Jura pignoratarii, & depoſitarii, quibus non licet uti pignore, vel depoſito. 3. Per τὸ *fruendi* excluditur uſus Juris, qui eſt nudus uſus rei, non tamen fructuum, ſaltem ſuſtentationi familiæ ſuperfluorum, quorum nomine intelliguntur in fundo ſegetes, fœnum, virgulta, arbores cæduæ; non tamen fructiferæ, vel conſitæ recreationis cauſa: in pecoribus verò lana, lac, fœtus, non tamen fœtus ancillæ propter nobilitatem naturæ humanæ: iſte enim ad dominum directum, non ad uſufructuarium ſpectat, §. *in Pecudum, inſtit. de Rerum diviſione.* 4. Per τὸ *rebus alienis* excluditur uſus cauſalis, qui conjunctus eſt cum dominio directo, à quo cauſatur; definitur enim hìc tantùm formalis, quem communiter AA. nomine uſusfructus intelligunt, quique, ut priùs dixi, ſervitus appellari poteſt; propriæ rei uſusfructus autem non eſt ſervitus, quia ſua res nemini ſervit *l. In re ff. de Servitutibus prædiorum urbanorum.* 69

Per eaſdem particulas teſte P. Haun. *tract.* 3. *num.* 80. ab uſufructu propriè dicto excluditur Jus feudale, quo nimirum conceditur res immobilis, vel immobili æquipollens, cum translatione utilis dominii proprietate retenta, ſub onere fidelitatis, & obſequii perſonalis: & Jus Emphyteuticum, vi cujus res immobilis, quoad utile dominium conceſſa eſt, ſub reali penſione domino proprietatis ſolvenda: ac inſuper Jus ſuperficiarium, quando nimirum retento dominio ſoli, confertur alteri poteſtas, in illius ſoli ſuperficie conſtruendi domum, vineam, hortum, &c. Quia his juribus gaudentes civiliter 70

liter res alienas, ut proprias habere dicuntur, dum illis proprio, & non tantùm procuratorio nomine vindicatio rei permittitur, & poteſtas rem ipſam in ſervitutem alteri dandi. Idem dicendum de jure dotali, quod habet maritus ad dotem, aliàs proprietatis jure pertinentem ad uxorem, vel ad eum, qui illam conſtituit; per juris enim ſubtilitatem ſeu fictionem, etiam maritus dicitur dominus, quatenus illam actione reali vindicare poteſt; multò magis verò beneficiatus dicitur dominus rei fructiferæ, quamdiu illam poſſidet ratione beneficii, & hæres fiduciarius dicitur dominus rei fidei commiſſæ, non obſtante, quòd eam aliquando debeat reſtituere hæredi ſibi ſubſtituto; adeòque horum omnium jura per particulas *rebus alienis* ab uſufructu diſtinguuntur.

71 Dicitur 5. *ſalva rerum ſubſtantia*, per quod ſignificatur obligatio, quam habet uſufructuarius; hinc tenetur ille dominio directo, ſi petat, cautionem præſtare, ſe ipſius re uſurum boni viri arbitratu, & finito tempore reſtituturum; deinde ad ſarta tecta ſervanda modicos fructus impendere, præterea in ſylva, & vinea vites, & arbores plantare in locum emortuarum, non tamen caſu v. g. tempeſtate everſarum. Ex ultimis particulis colligitur, circa res, quæ uſu conſumuntur, non dari uſumfructum, ut habetur *Inſt. Vſufructu §. conſtituitur*, ſed quaſi uſumfructum, ſi ejuſmodi bonorum uſus legetur cum onere refuſionis; hinc oritur diſcrimen, quòd in uſufructu propriè dicto maneat dominium rei penès dominum directum; in quaſi uſufructu tradatur ipſi uſufructuario, quia illius dominium annexum eſt poteſtati rem conſumendi irrevocabiliter conceſſæ.

72 Acquiritur uſusfructus 1. Lege, & tunc dicitur legalis; talem habet pater in bonis adventitiis filiifamilias, non verò in bonis caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus *l. Quicumque l. Cum oportet, Cod. de Bonis, quæ liberis*, hoc ipſum tamen jus in aliquot bonis limitatur patri 2. acquiritur conventione, & dicitur conventionalis, v. g. donatione, emptione, legatione, ſucceſſione, ut dicitur *in l. Omnium 3. & l. Vſufr. 6. ff. de Vſufr.* ac ferè in toto hoc titulo, quòd ſi pluribus alternatim percipiendus legaretur, illi tempore priores eſſent, qui priùs nominarentur, *juxta l. Quoties 24. tit. cit.*

73 Tollitur uſusfructus 1. ſi fiat cauſalis per acquiſitionem dominii directi 2. ſi tempus pro uſufructu ſit elapſum. 3. Morte naturali uſufructuarii, hinc quia 100. anni maximum vitæ humanæ ſpatium ſunt, etiam communitates poſt illorum effluxionem perdunt uſumfructum, ut habetur *l. Si uſusfructus 8. ff. de Vſu, & uſufructu*; aliàs ſi perpetuò ad hæredes tranſiret, inutilis ferè eſſet proprietas; quòd ſi tamen expreſsè ita fuiſſet conventum, ut ad hæredes etiam tranſmitteretur, ad primos tantùm, non verò ad ulteriores poſſet pervenire, neque idem, ſed novus uſusfructus daretur. 4. Morte civili, maxima ſcil. vel media capitis diminutione. Huc etiam revocatur modus finiendi uſumfructum per profeſſionem Religionis incapacis, ut loco profeſſi ſuccedat. 5. Si res, ex qua habetur uſusfructus, pereat; tunc enim neque ex reliquiis uſumfructum capere licet. 6. Si propter longum non uſum fiat contra uſufructuarium præſcriptio. 7. Si pater fiat hæreticus, non poteſt frui bonis filiorum. 8. Si abſque conſenſu proprietarii uſufructuarius jus ſuum vendat, ut expreſſum eſt in *l. Si uſusfructus, verſ. etſi extraneo ff. de Iure dotium*. Quòd ſi hujus conſenſu id fiat, novus uſusfructus conſtituitur finito priore. Ratio eſt; quia uſusfructus eſt jus perſonale.

ARTICULUS V.

De Vſu Juris nudo, & an poſſit conſiſtere cum licita conſumptione rerum.

SVMMARIVM.

74 *Definitur uſus Iuris, prout ſupra merum uſum facti ad differentiam imperfecti Dominii: ejuſque poteſtas utendi declaratur: & quomodo acquiratur, ac perdatur.*

75 *Circa res uſu conſumptibiles non datur uſus Juris: Vſus facti autem, ſeparabilis à Dominio, datur tam circa res uſu conſumptibiles, quàm inconſumptibiles; ſi ille tantùm concedatur revocabiliter: uti concedatur R.R. PP. Franciſcanis.*

76 *Concedens uſum revocabiliter pro ſola abſumptione rei poteſt ejus pretium exigere.*

77 *Ipſaque conceſſio revocabilis non eſt pretio æſtimabilis à concedente, quamvis ſit digna gratiarum actione. Et licèt uſuarius non habeat Ius ad rem, habet tamen Ius perſonale, ne alius ipſum impediat à ſpe utendi.*

78 *Ius utendi plus quidem eſt, quàm actualis uſus, propter revocabilitatem tamen nullum parit Ius adverſus concedentem revocabiliter.*

79 *Dominium directum rerum, quarum RR. PP. Franciſcani merum uſum facti habent, reſidet penes ſummum Pontificem.*

80 *Et ab eo eſt revocabilis citra injuriam PP. Franciſcanorum: quamvis aliunde prohibeatur revocare.*

81 *Etiam in inſtanti actualis abſumptionis non ſupponitur Ius dictorum Patrum, ad non revocandam conceſſionem.*

DIco 1. Uſus nudus definitur, quòd ſit *Ius utendi re* 74
aliena, ſalva ejus ſubſtantia. Ut colligitur, *ex Inſtit. & ff. de Vſufructu & habitatione*: per primam particulam oſtenditur, hìc definiri uſum juris, non uſum facti ſolius. Per omiſſionem particulæ *fruendi* diſtinguitur ab uſufructu, quia uſus non dat jus liberè diſponendi de fructibus, ſed ſibi ſuæque familiæ neceſſaria tantùm ſumendi, non autem donandi, vendendi, vel alio modo alienandi: immò etiam ipſorum fructuum ſæpè nullum, aut modicum jus eſt: pecoribus v. g. licet uti ad ſtercorandos agros ſuos, non alienos; nec ad lac, lanam, fœtum, &c. niſi modicus uſus conceditur: præterea ædes inhabitare cum familia ſua licet, immò etiam cum admiſſo inquilino extraneo *l. 2. & ſeqq. ff. de Vſu, & habitatione*, non autem alteri ſeorſim locare, per quod diſtinguitur uſus ab habitatione, *§. 6. Inſtitut. tit. eod.* Per ultimas particulas indicatur etiam uſum juris non dari circa res uſu conſumptibiles; quia iſte, vel conceditur revocabiliter, & tunc eſt tantùm uſus facti, & non juris, vel conceditur irrevocabiliter, & tunc non eſt nudus uſus juris, ſed conjungitur cum dominio rerum, quarum conſumptione uſus exercetur. Acquiritur autem, & perditur uſus, quo modo uſusfructus, ut expreſsè dicitur, *in Inſtit. §. 1. de Vſu, & habitatione*, quo in loco etiam alia, quæ hìc dicta ſunt, videri poſſunt.

Dico 2. Uſus rerum, qui eſt in earum conſumptione, 75
ad quam ſunt primariò deſtinatæ, eſt ſeparabilis, & de facto R R. Patres Franciſcani habent ſeparatum ab earum dominio (quod de uſu rerum, quæ uſu non conſumuntur, indubitatum eſt) ita communis ſententia, deciſa à Summis Pontificibus. Probatur: quia tales res poſſunt concedi, vel irrevocabiliter, & tunc juxta omnes harum uſus eſt conjunctus cum dominio: ſic enim intelligendus eſt S. Thomas 2. 2. *quæſt. 78. art. 1. in corpore*, dicens: *quædam res ſunt, quarum uſus eſt ipſarum rerum conſumptio; ſicut vinum conſumimus utendo eo ad potum, & triticum conſumimus eo utendo ad cibum; unde in talibus non debet ſeorſim computari uſus rei à re ipſa, ſed cuicumque conceditur uſus, ex hoc ipſo conceditur res, & propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium*. Vel poſſunt concedi revocabiliter, ita ut quovis momento repeti poſſint, & maneant in dominio concedentis uſum & tali modo probatur uſuarium nullum habere dominium rei, ſeu jus in re: quia non habet poteſtatem diſponendi licitè non impedibilem; hinc pro R R. PP. Franciſcanis ſubſumo: atqui R R. PP. Franciſcani non acceptant alium uſum, niſi revocabilem à Summo Pontifice (quem volunt eſſe dominum directum ſuarum rerum) vel ab aliis, qui dant eleemoſynam; ergo habent uſum ſeparatum à dominio. Talem etiam habent ſinguli Religioſi incapaces dominii, quando ſpectantur, ut diſtincti à tota communitate habente verum dominium, & convivæ gratuiti, ac in primitiva Eccleſia ſinguli Chriſtiani habuerunt, quorum omnium paritate confirmatur

ſepa-

ſeparabilitas uſus à dominio rerum uſu conſumptibilium.

76 Obj. 1. Ex noſtra ſententia ſequitur, uſuram eſſe licitam. Probatur: qui dat uſum revocabilem, poteſt pro re deinde abſumpta æquale pretium exigere: ergo, qui dat irrevocabilem, poteſt plus quàm æquale exigere; quia dat aliquid, quod prior non dedit, nempè rerum jus & dominium. Reſpondeo conceſſo antecedente, nego conſequentiam; quia pro re & dominio rei accipit æquale pretium, & dominium pretii: ergo ſi plus acciperet, daretur manifeſta inæqualitas inter datum, & acceptum, quod eſſet peccatum uſuræ, ſi ponatur abeſſe omne periculum damni extraordinarium, vel impedimentum lucri, vel alius titulus. Cæterùm antecedens omnino fuit concedendum, quòd nimirum aliquis poſſit pro re uſu revocabili abſumpta petere æquivalens (niſi aliunde prohibeatur, ſicut Pontifex ab intentione donantium (quia per abſumptionem res tam bene alienata eſſe dicitur, quàm per dationem mutui irrevocabilem.

77 Dices: conceſſio uſus quantumvis revocabliis eſt pretio æſtimabilis; hanc enim ob cauſam non licet Religioſo ſine facultate Superioris aliquid precarium accipere. Præterea conceſſio talis uſus eſt digna gratiarum actione: ergo etiam pretio.

Reſpondetur, diſtinguendo antec. eſt pretio æſtimabilis reſpectu illius, qui illam concedit, nego antecedens: quia is nihil à ſe abdicat, nullumque onus ſubit, quod tamen requiritur ad omnem contractum mutuum; reſpectu illius, qui à ſe alienat conceſſam ſpem utendi, concedo antecedens; ex hoc jure tamen pretio æſtimabili in ordine ad aliquem tertium non infertur dominium reale ſive in rem, cibum, potum, &c. hęc enim non poſſet uſuarius vindicare proprio nomine; infertur verò jus perſonale, id eſt inſtituendi actionem perſonalem contra impedientes uſum, & hujus juris perſonalis RR.PP. Franciſcani habent quaſi dominium, ſicut aliarum rerum incorporearum; adeòque impedientes hoc Jus perſonale peccarent contra juſtitiam, & tenerentur ad reſtitutionem rei ablatæ, ita ut dominium rei reſtitutæ ſpectaret ad eum, ad quem res ablata ſpectabat; RR.PP. Franciſcanis autem rurſum competeret uſus revocabilis. Ad confirmationem negatur conſequentia, quia etiam pro bono affectu abſque collatione rei pretio æſtimabilis, vel pro mutua venditione rerum utrique parti neceſſariarum juſto pretio junguntur gratiæ, etiamſi fortè debitæ non ſint propter pretium ſolutum.

78 Obiicies 2. Uſus eſt Jus utendi ſalva rerum ſubſtantia: ergo qui poteſt rem abſumere, habet plus quàm uſum. Reſp. diſt. antec. uſus eſt jus utendi irrevocabile, concedo antec. revocabile, neg. ant. ad dominium enim non ſufficit, poſſe rem abſumere qualicunque modo, ſed independenter ab alterius conceſſione retinentis ſibi poteſtatem revocandi illam: & talis uſus per particulas *ſalva rerum ſubſtantia* excluditur à merè formali uſu; quia eſt cauſalis, ſeu cum dominio directo junctus. Uſus igitur revocabilis, qui non continetur in definitione uſus juris, etſi non ſit ſine omni prorſus Jure ſaltem negativo & tenuiſſimo, ut loquitur Molina *tr.2. diſp.6.* rectiùs vocatur uſus facti, ratione ſuæ revocabilitatis non exęquans uſum Juris quoad dominium ſecundùm quid, ſuperans tamen ratione facultatis abſumendi res quoad exercitium.

Obiicies 3. Joannes XXII. *in Extravagante. Ad conditorem, de Verborum ſignificatione*, abdicavit à Sede Apoſtolica dominium directum in bona RR.PP. Franciſcanorum: ergo non habet ipſa dominium directum. Reſpond. Alexandrum VI. & alios Pontifices illud denuo acceptaſſe, ut habetur in privilegiis Minorum, verbo *Paupertas*.

79 Obiicies 4. Si dominium directum omnium rerum, quibus utuntur RR.PP. Franciſcani, eſt penes Pontificem, tunc pii fideles dando eleemoſynam PP. Franciſcanis non exercent actum miſericordiæ; quia non dant pauperibus, ſed Pontifici; imò actus, quem formarent, eſſet ineptus, dicerent enim: quia RR. PP. Franciſcani ſunt pauperes, ideo Pontifici damus has eleemoſynas, ut poſſit illarum uſum PP. Franciſcanis concedere, vel revocare. Reſp. Nego ſequelam, quia eleemoſyna datur, non tantùm transferendo dominium directum in pauperes, ſed etiam transferendo in divites, quos donans ſcit uſum pauperibus permiſſuros, & ad hoc obligat: imò ſi ille dominium directum prorſus à ſe non alienaret, ſed uſum tamen concederet, verè eliceret actum miſericordiæ, hinc actus ille non eſt ineptus, quo ob indigentiam RR. PP. Franciſcanorum, transfertur dominium directum in Pontificem, ut non tantùm poſſit, ſed debeat PP. Franciſcanis concedere uſum nudum, eò quòd ſub modo quaſi revocatorio, vel ſaltem obligatorio dominium in illum ſit translatum.

Urgebis. Ideo RR. PP. Franciſcani non habent dominium, quia habent uſum revocabilem, ſed juxta datam reſponſionem fideles eleemoſynarum dominium directum transferunt in Pontificem cum onere non revocandi: ergo uſus non eſt revocabilis à Pontifice: ergo ceſſat tota ratio negandi dominium conjunctum uſui. Reſpond. diſting. maj. quia habent uſum revocabilem abſque omni violatione Juris in RR. PP. Franciſcanis reſidentis, concedo maj. abſque violatione juris: quod habent fideles, ne diſpoſitioni illorum contra veniatur, nego maj. & ſub data diſtinctione concedo, & nego conſequentiam. 80

Obiicies 5. Illo tempore, quo RR. PP. Franciſcani actu rem ſuam uſu abſumunt, non eſt revocabilis uſus: ergo illo tempore ſunt Domini. Reſpond. ſicut antè. Non eſt revocabilis uſus propter Jus obſiſtens, nego antecedens, propter incompoſſibilitatem actus nolitionis cum volitione, per quam in eodem inſtanti licitum eſt abſumere rem uſui conceſſam, concedo antecedens. 81

ARTICULUS VI.

De aliis Dominiis imperfectis, Habitatione, Servitute, & Poſſeſſione.

SUMMARIUM.

82 *Aliud Dominium imperfectum eſt Habitatio: quæ eſt Jus utendi domo, cum facultate alienandi ejus uſum. Et diſtinguitur à Iure mero utendi, vel etiam uſufruendi domo.*

83 *Rurſum aliud Dominium imperfectum, eſt ſervitus, ſic dicta, ratione obligationis quæ alteri per ejus Jus activum imponitur, quæ proinde eſt obligatio, qua res aliena alteri ſubiicitur, ut in commodum ipſius aliquid fiat, vel non fiat.*

84 *Variæ Diviſiones ſervitutis.*

85 *Poſſeſſio definitur & dividitur in poſſeſſionem facti puram, & in poſſeſſionem Iuris.*

86 *Referuntur privilegia poſſeſſionis.*

87 *Dividitur poſſeſſio in naturalem, civilem, & compoſitam ex utraque.*

88 *Poſſeſſio poteſt acquiri, & retineri etiam per alium.*

89 *Declaratur, quibus modis acquiratur poſſeſſio.*

90 *Declaratur, quomodo poſſeſſio amittatur.*

Habitatio eſt Jus *utendi domo aliena cum facultate alienandi ejus uſum*. Ut habetur ex §. *Sed ſi cui*, 6. *Inſtitutionibus de Uſu & habitatione l. cum antiquitas, Cod. de Uſufructu, & habitatione*: per poſtremas particulas definitionis diſtinguitur à Jure ſolùm utendi domo: per omiſſionem autem verbi *fruendi* indicatur diſcrimen ab uſufructu domus, quia ſi per modum uſusfructus concedatur habitatio, illius legibus Jus iſtud regulari debet, quæ hoc habent ſpeciale, ut non uſu, vel capitis diminutione amittatur uſusfructus; non autem amittatur habitatio, ut expresſè dicitur *l. Si habitatio. 10. in principio ff. de Uſu & habitatione*. Rationem hujus aſſignat R. P. Haunoldus *num.* 148. quia habitatio conceditur in hunc finem, ut conductor ædes alienas inhabitet, quoties ipſi commodum fuerit, ſi ergo non utatur, dicere poteſt, ſibi commodum non fuiſſe: deinde habitatio habet ſe ad modum alimentorum, quorum legatum non amittitur capitis diminutione. Acquiritur autem Jus habitationis, vel per contractum inter vivos, vel per legationem, ſed tantùm uſque ad dies vitæ, 82

nec

nec tranſit ad hæredes, *leg. Si habitatio Paragr. 3. loco citat.*

83 Servitus (ſumpta non pro relatione mancipii ad dominum, ſed pro Jure in rem alienam) *eſt obligatio, qua res aliena alteri ſubiicitur, ut in commodum ipſius aliquid fiat, vel non fiat*; activè verò accepta, de qua hic directè loquimur, *eſt jus in rem alienam, dicto modo obligatam*: tales ſervitutes ſunt etiam illa Jura, quæ antè memoravimus; unde uſus Juris, uſufructus formalis, & habitatio ſunt ſervitus, non tamen è contra omnis ſervitus eſt unum aliquod ex prædictis Juribus, ut ex illius diviſione patebit. Priùs tamen ipſa definitio explicanda eſt, quam ex Molina *tom. 1. tract. 2. diſput. 11. §. Porro ſervitus*, deſumpſimus, quamvis ipſe author §. ſequenti aliam addat. Ponuntur ergo in definitione particulæ *res aliena*, quia ut ſupra dictum eſt, *ex l. In re communi ff. de Servitutibus urbanorum prædiorum*, nemini res ſua ſervit: & excluduntur iterum à ſervitute feudum, Emphyteuſis, ſuperficies &c. ut ex communi Doctorum ſententia obſervat Rev. P. Haunoldus *tractat. 3. numur. 59.* quamvis Palao *de Juſtitia in genere, diſp. unica p. 5. num. 12.* illa inter ſervitutes numeret; ſed ratio in contrarium jam ſupra eſt reddita, quando ab uſufructu eadem excluſimus. Reiiciuntur etiam obligationes perſonales, ſolvendi cenſus, aut penſiones, quas alii ex rebus ſuis nobis præſtare debent; modò obligatio rebus ipſis non ſit affixa, prout non cenſetur affixa, quando hujuſmodi redditus, aut fructus annui ex certo fundo verbis precariis, & ad hæredem relatis ita legantur, ut legatarius à manu hæredis accipiat, ut hæres præſtet, det &c. affixa verò erit, ſi verba ad legatarium dirigantur, ut ipſe redditus, vel fructus percipiat, & tunc res, ad quemcumque perveniat, tranſit cum eadem obligatione, Dicitur etiam in definitione; *ut in commodum ipſius aliquid fiat*, quia, quod nullo modo in alterius commodum cedere poteſt, illius nequit eſſe ſervitus, *juxta l. 15. ff. de Servitut.* quòd ſi verò tantùm remotè adhuc, & in aliis circumſtantiis cedere poſſit, illius jam ſervitus dari poterit, ut dicitur *l. 19. ff. ibidem*.

84 Dividitur ſervitus in *realem*, quæ à re v. g. fundo, immediatè debetur alterius rei, è quibus alter dicitur fundus dominans, alter ſerviens; & in *perſonalem purè*, quæ ab aliena perſona v. g. alieno mancipio debetur alteri perſonæ, v. g. ſi ego tui mancipii uſum habeam; ac denique *in mixtam*, quæ à re aliena perſonæ debetur, qualis eſt uſus, habitatio, uſusfructus &c. Servitus realis ſubdividitur in *urbanam, & ruſticam*, ſic dictas à prædio cui debentur, illa ſcilicet urbano, hæc ruſtico. Dicitur verò prædium urbanum, quod habitationis, vel recreationis cauſa eſt: ruſticum dicitur, quod eſt propter alios fines, uti ſunt ſtabula, horrea &c. Urbana ſervitus ulteriùs ſubdividitur in *affirmativam*, quæ verbis poſitivis exprimitur, uti eſt admittere ſtillicidium, aquęductum, trabes, qua ſuſtineatur aliena domus; & in *negativam*, quæ verbis negativis exprimitur, ut non officeret alterius lumini &c. Utraque ſervitus demum ſubdividitur in *continuam*, vel *quaſi continuam*, quæ ex ſe habet continuum actum, & uſum, qualis eſt ſervitus aquæductus, trabis ſuſcipiendæ &c. & in *diſcontinuam*, cujus uſus eſt tantùm per intervalla, v. g. permittere tranſitum per ſuum fundum.

85 Poſſeſſio facti in genere, prout involvit ſub ſe poſſeſſionem facti puram, & poſſeſſionem Juris, ſeu conjunctam cum Jure (quæ tamen ex genere ſuo non neceſſariò eſt dominium perfectum, unde inter dominia imperfecta eam refero) non rectè definitur à Bartolo; *Jus inſiſtendi rei non prohibita poſſidere*: quia *tò Jus* excluditur poſſeſſio facti pura, & ſic convenit definitio tantùm poſſeſſioni Juris, ut notat Molina *D 17.* & Lugo *diſp. 2. num. 64.* ſed rectiùs ex communi Theologorum ſenſu definitur; *Rei corporalis detentio, corporis, animi, & Juris adminiculo*. Dicitur 1. *detentio*, id eſt apprehenſio prima, vel continuata: *rei corporalis*: nam aliarum rerum dicunt Juriſtæ, dari tantùm quaſi poſſeſſionem, licèt multi hodie particulas has omittant. Dicitur 2. *corporis adminiculo* id eſt apprehenſione corporali vera, quæ fit pedibus, aut manibus &c. vel ficta, quæ ex Juris diſpoſitione æquivalet veræ, ut quando rem eminus oſtenſam video, & accepto, vel quando ex ſuppoſitione alienationis factæ alter mihi tradit claves, ſcripturam, vel aliud inſtrumentum, quibus poſſeſſionis Jus continebatur, & in me transfertur: plures modos fictæ apprehenſionis tradunt Leſſius, Azor, Molina. Dicitur 3. *animi*, id eſt intendentis rem poſſidere ut ſuam, non quòd debeat judicare rem ſuam, ſed quòd velit apparere, & ab aliis haberi pro domino; quod etiam poſſeſſor injuſtus velle, ſed non judicare poteſt. Dicitur 4. *juris*: non quòd poſſeſſio debeat eſſe juſta, ſed quòd nulla lex debeat refragari, tollens privilegia, quæ habet poſſeſſio juſta, vel injuſta; quia aliquæ res ex legum diſpoſitione, non poſſunt poſſideri ab alio, v. g. bona ſacra à laico, bona communia à privato, ut ſunt viæ publicę &c.

Privilegia autem poſſeſſionis ſunt 1. ſi quis rem bona fide poſſedit, elapſo certo tempore, tam res, quàm fructus ipſi præſcribuntur. 2. In dubio melior eſt conditio poſſidentis. 3. Poſſeſſor in Judicio petitorio præſumitur eſſe Dominus, quamdiu alter non poſitivè probat contrarium. 4. Non tenetur per ſe loquendo edere titulum ſuæ poſſeſſionis. 5. Poſſeſſio immemorialis ſupplet omnes defectus vitioſitatis, nullitatis, ſimulationis, &c. eſtque probatio probata tituli. 6. Si quis rem naturaliter & civiliter poſſedit (ſive juſtè ſive injuſtè) invaſor perdit rem, ſi de Jure fuiſſet ſua, & inſuper debet reſtituere damna ſubſecuta; ſi autem non erat ſua, tunc præter rem, debet quoque dare æſtimationem rei, ut expreſsè dicitur *l. Si quis in tantam C. unde vi, & Inſtitut. de Vi bonorum §. ita tamen*. 86

Dividitur poſſeſſio in *purè naturalem, purè civilem, & in compoſitam ex naturali & civili*, quæ eſt firmiſſima. 87 Prima eſt, quando quis rem poſſidet corporis & animi adminiculo, retinente altero poſſeſſionem civilem. Secunda eſt, quando quis rem aliquando naturaliter poſſeſſam actu, non corporis, nec per ſe, nec per alium, ſed animi adminiculo poſſidere pergit, quam perdere cenſetur, ſi abſens poſt ſuum reditum poſſeſſorem naturalem, aut differat, aut nequeat expellere. *Compoſita* eſt, quando quis rem corporis & animi adminiculo actualiter poſſidet, nullo alio retinente poſſeſſionem civilem. Cæterùm in Jure poſſeſſor civilis abſolutè dicitur rem poſſidere præ naturali; hic enim tantùm cum addito diminuente, *naturaliter*. Extra prædictam poſſeſſionem datur etiam in aliis regnis, Gallia, Italia, Caſtella alia poſſeſſio, quæ abſque apprehenſione vera vel ficta ex ſola legum conſtitutione confertur, & vocatur *civiliſſima*, per hanc v. g. acquiruntur hæreditates, etiam ab extraneo, ſine ullo corporalis apprehenſionis actu: ſed iſta hic non eſt definita, quia non datur in Imperio Romano.

Acquiritur vel retinetur poſſeſſio non tantùm per ſe, 88 ſed etiam per alium, Lege non impeditum, ſi is non ſuo, ſed domini nomine rem teneat; ſic per commodatarium, depoſitarium, uſufructuarium, pignoratarium dominus poſſidet rem ſuam: unde, quando iſtis ſubinde in aliqua Lege tribuitur poſſeſſio, impropriè dicta, & mera detentio rei à Jure conceſſa intelligitur, teſte P. Haunoldo *num. 209.* imò ſi quis habens Jus poſſeſſionis ſe ipſum vel alium nomine Titii, in quem vult ſuum Jus transferre, poſſeſſorem conſtituat, & Titius per ſe, vel per procuratorem ſuum approbet, tunc iſti per clauſulam conſtituti (ut Juriſtæ loquuntur, eò quòd conſtitutus poſſeſſor quaſi claudat, & compleat Jus translatæ poſſeſſionis) verè etiam poſſeſſio acquiritur: ut probatur *ex l. Quod meo ff. de Acquirenda poſſeſſione*.

Ut autem ad diverſa bona in ſpecie deſcendamus, 89 in primis rerum vacantium poſſeſſio non obtinetur, niſi vera corporali apprehenſione, ut colligitur *ex l. 1. §. 1. ff. de Acquirenda poſſeſſione*, & clariùs ex *§. Illud 15. inſtitut. de Rerum Diviſione*. Immobilium rerum, ut domus, fundi, agri, vel uſusfructus poſſeſſio acquiritur, modò aliqua pars eorum bonorum, quæ continua aut contigua ſunt, & unum aliquod totum morale conſtituunt, verè apprehendatur. Neque neceſſe eſt, ut omnes partes ejuſdem prędii, fundi, ædificii, ingrediaris ad accipiendam poſſeſſionem, ut dicitur *in l. 3. in principio, ff. de Acquirenda poſſeſſ.* Rerum mobilium poſſeſſio comparatur, quando ejus intentione ſaltem poſſidetur locus, in quo includuntur, vel quando à tradente earum dominium ad hunc finem oculis exhibentur: vel quando inſtrumentum, ſeu ſcriptura, titulum & Jus tradentis con-

continens, vel claves ad illam cuſtodiam ſpectantes communicantur: vel quando rei in dominium translatæ ſignum imprimitur, verbi gratia arboribus emptis in ſylva, vel pecoribus nondum à venditoris grege ſeparatis.

90 Amittitur poſſeſſio, vel per liberam abdicationem, exceptis iis, qui ob defectum perfecti uſus rationis ſubſunt tutoribus, *l. Si is 27. ff. de Acquirenda poſſeſſione*, vel per amiſſionem rei: niſi ſit ſub domini cuſtodia, ut quæſita ab illo reperiri poſſit: vel per rapinam, furtum etiam à depoſitario factum, qui tamen rem loco movere debet teſte Molina, Reb. Leſſio, & aliis. Rei immobilis poſſeſſio perditur, ſi ejus recuperatio contra injuſtum invaſorem, vel negligitur, vel vi impeditur, vel ſi inundatione aquarum eripitur; immò naturalis poſſeſſio perditur, quando quis nec per ſe, nec per alium eidem præſens, vel propinquus eſt, quamvis retineatur adhuc civilis, & naturalis per reditum reſtaurari poſſit.

QUÆSTIO III.

De Subiecto Dominii.

SUMMARIUM.

91 *Certum eſt DEO competere Dominium Proprietatis omnium rerum: quod reſpectu illius* Dominium Excellentiæ *appellatur. Angeli vero probabilius nullum habent Jus, aut Dominium poſitivum in res corporeas.*

91 NOn eſt dubium DEO omnium rerum à ſe diſtinctarum dominium ineſſe: de illo enim in Scriptura dicitur: *Dominus univerſorum Tu es*: hoc ipſo ergo, quod aliqua res à Deo producatur, per id, per quod DEUS coexiſtit illi rei, eſt etiam Dominus illius. De Angelis, an habeant aliquod Dominium proprietatis rerum corporalium, inquit Molina *diſp. 18.* non ſatis poſſe nobis conſtare in hac vita, neque ſolent DD. de hoc diſputare. Credibilius mihi videtur, nullum illis harum rerum dominium competere, non excellentiæ, quia hoc ſoli DEO proprium eſt, nec utilitatis, quia rerum corporalium uſu non indigent: unde, quando diabolus homini dat pecunias, nullum ipſi propriè concedit dominium, quamvis ſi ex bonis derelictis in mari, vel terra abſconditis eas deſumpſit, ſuppoſita tali applicatione, homo poſſit titulo primæ occupationis earum Dominium ſibi comparare. Lugo *diſp. 3. ſect. 1.* concedit Angelis Jus etiam aliquod negativum, ita ut licèt hominem nullius rei uſu prohibere poſſint, tamen etiam homo eis non poſſit reddere illicitum uſum v. g. deſtructivum alicujus rei non ſpecialiter ſibi neceſſariæ, etiamſi jam privatum ejuſdem dominium acquiſiverit, eò quòd diviſio bonorum tantùm ab hominibus introducta, eoſdem ſolummodò obliget: Angeli verò ſimile Jus retineant, quale habent extranei ad res communes, v. g. ad bibendum ex fonte, flumine. Quidquid igitur ſit de dominio Angelorum in res corporeas, quæſtio hìc inſtituitur tantùm de ſubjecto dominii humani, ſcilic. in ordine ad quas res, & in quibus hominibus dari poſſit dominium.

ARTICULUS I.

Qualium Rerum Jus ac Dominium in homine ſubjectari poſſit.

SUMMARIUM.

92 *Homo non habet Dominium directum, ac poſitivum corporum cœleſtium: ſed ſolum uſum juris.*

93 *Omnium rerum ſublunarium, excepto ſolo homine Dominium ab Authore naturæ conceſſum eſt generi humano pro tempore, quo nondum facta eſt diviſio bonorum.*

94 *Non tamen repugnat, etiam hominem hominis particulari Dominio per ſervitutem ſubjici.*

95 *Quod fieri poteſt quinque modis.*

96 *Homo non eſt Dominus ſuæ vitæ, & membrorum, ſed quaſi uſuarius.*

97 *Hujus aſſertionis ratio ab aliquibus non rectè aſſignatur.*

98 *Melior ratio affertur.*

99 *Præter jus juriſdictionis nullum aliud jus habet homo in vitam, & membra alterius hominis.*

100 *Licitum eſt homini, ex inſtinctu Divino, vel indirectè, aut permiſſivè ad vitæ abbreviationem concurrere.*

101 *Homo habet dominium ſuæ famæ.*

DIco 1. Homo probabiliùs non habet Dominium directum corporum cœleſtium, ſed ſolùm uſum Juris. Ita contra Dominicum Sotum, quem ſequitur Molina *diſp. 18. §. Dicendum tamen*, ſentiunt Turrianus, Lugo, Palao, & alii, nec aliud dominium, quàm imperfectum ſolius uſus aſſerit S. Thomas 1. *parte quæſt. 96. art. 1.* & 2. 2. *quæſt. 66. art. 1.* ab adverſariis relatus. Probatur. Illud dominium directum eſſet homini prorſus inutile, & ad nullum ſerviret effectum, quem homo non poſſit conſequi per dominium imperfectum, conſiſtens in in uſu Juris: ergo fruſtra aſſeritur: unde etiam in S. Scriptura corpora cœleſtia non enumerantur inter ea, quæ DEUS dominio hominis ſubjecit, licet *Deuteron. 4.* dicantur creata in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cœlo ſunt; per miniſterium enim non ſignificatur plus, quàm Jus utendi, quo tamen Jure ſine præjudicio etiam Religioſæ paupertatis, & finis per eam intenti, ut bene advertit Lugo *num. 9. diſp. 6.* omnes homines gaudemus; immò ſaltem ex parte neceſſariò utimur, ſicut Jure vitæ, cùm non poſſimus omnem uſum corporum cœleſtium à nobis repellere, licèt lucem ſolarem, vel alia quædam commoda à cœleſtibus corporibus nobis provenientia repellere poſſimus. 92

Dico 2. Omnium rerum ſublunarium dominium præter hominem ex intentione Authoris naturæ in homine ſubjectatur, ita DD. communiter. 93

Probatur ex Geneſi 1. *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus, & univerſis animantibus*, & Pſalm. 8. *verſ. 7. conſtituiſti eum* (hominem) *ſupra opera manuum tuarum; omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*, ubi mera ſublunaria enumerantur. Accedit etiam ratio naturalis, quia omnia ſunt creata propter hominem, ut ſerviant ei, & ſunt capacia ſubeundæ alicujus diſpoſitionis præter uſum: ergo omnis homo habet ex natura ſua dominium remotum, & incompletum in res quaſcumque, proximum verò per vindicationem.

Dico 3. Etſi omnes homines jure naturæ ſint paris conditionis, adeòque liberi negativè, id eſt, non ſervi ex natura ſua: immò etiamſi repugnet ſervitus primariæ intentioni naturæ, non repugnat tamen ſecundariæ, ſcil. ex ſuppoſitione peccati, ſicut pharmaca, & ſupplicia ex ſuppoſitione morbi, & delicti, adeòque ſervitus potuit jure gentium inſtitui, non minùs, quàm fieri potuerit diviſio rerum, quæ etiam Jure naturæ ſunt communes negativè, id eſt, ex natura ſua nulli applicatæ. Aliqui putant hanc concluſionem eſſe de fide, & probatur ex prima ad Corinth. 6 *v. 3. Servus vocatus es? non ſit tibi curæ. Et ex lib.* Exod. Levit. ac Deut. ubi de variis ſervitutem reſpicere dominium minùs perfectum, quàm eſt id, quod datur in res irrationales, quia uſufructui ſimile eſt, eò quòd non liceat hominem ſervum occidere, vel mutilare abſque illius delicto, licèt vendi poſſit, & hinc illius poteſtas diſponendi ſit major, quàm circa uſumfructum. 94

Fit autem homo ſervus 1. Nativitate, ſi ex ancilla naſcatur. 2. Captivitate in bello juſto, etiamſi Chriſtianus ab infidelibus capiatur; laudabiliùs tamen propter antiquiſſimam conſuetudinem faciunt Chriſtiani, alios Chriſtianos dimittendo liberos pro juſto litro. 3. Condemnatione ad ſervitutem, propter grave crimen, v. g. rebellionis, vel quodcumque aliud morte dignum; huc etiam ſpectat, ſi libertus à Domino manumiſſus propter ingratitudinem rurſum ad ſervitutem illius damnatur §. *Maxima Inſt. de Capitis diminutione*. 4. Venditione ſuæ libertatis, niſi lex, & conſuetudo loci prohibeat: illicita tamen eſt, ſi abſque juſta cauſa vendatur. 95

Dicò 4. hominem non eſſe dominum vitæ, & membrorum 96

rum ſuorum, ſed quaſi uſuarium. Ita communis & certa ſententia cum S. Thoma *q.64.art.1.* & *q.65.ar.1.* colligitur ex *libro Sap.c.16.v.13. Tu es, Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem*; & *Deut.32.v.39. Ego occidam, & ego vivere faciam*. Rationem tamen hujus concluſionis naturalem, & lumine naturæ notam non eſt adeò facilè aſſignare: Lugo, Dicaſtillo, Palao, & alii refundunt illam in defectum diſtinctionis realis, quam putant, tam neceſſariò intervenire debere inter hæc duo correlativa, nempe dominium & rem dominio ſubjectam, quàm inter patrem & filium, magiſtrum & diſcipulum, ſuperiorem & ſubditum.

97 Sed hęc ratio probaret, hominem neque habere jus in re fundatum, ad vitæ & membrorum uſum, neque eſſe adminiſtratorem juris divini circa vitæ, & membrorum cuſtodiam, quia adminiſtrator & uſuarius etiam debet habere relationem ad rem, uſui vel adminiſtrationi ſubjectam. Exempla adducta magnam continent diſparitatem; quia in illis includitur oppoſitio producentis & producti, vel ſubordinatio intellectuum, aut voluntatum, quæ non poſſunt eſſe niſi in diſtinctis: quia autem ad Dominium plus non requiritur, quàm facultas perfectè diſponendi, occidendi, mutilandi, quos actus phyſicè aliquis circa ſe exercere poteſt, hinc defectus diſtinctionis, cùm non ſit incompoſſibilis cum hujuſmodi facultate, non poteſt eſſe ratio ſublativa dominii.

98 Ego itaque putarem, rationem concluſionis conjiciendam eſſe in excellentiam creaturæ rationalis, in cujus ſervitutem, ſicut cætera omnia ſunt tradita, ſic conveniens erat, ut propter capacitatem creaturæ rationalis ad ſerviendum DEO, ut ſupremo Domino, ejus dominium perfectum Deus ſibi reſervaret. Huic adde etiam hanc rationem, ex qua probatur, neque debuiſſe permitti poteſtatem perfectè diſponendi de vita & membris: Sicut natura debuit reddere illicitam pollutionem, non ordinatam ad propagationem generis humani, ne, ſi ſimul & voluptate frui, & onera educandæ prolis evitare liceret, impediretur propagatio generis humani; ſic etiam debuit reddere illicitam ſui ipſius occiſionem, ne tædio vitæ, & horrore miſeriarum per voluntariam mortem frequenter illatam nimirùm minueretur genus humanum. Pręterea quia membra corporis ſunt prima & maximè neceſſaria inſtrumenta ad finem à natura intentum, eadem natura debuit reddere illicitum homini, ſeipſum eiſdem ſpoliare; quia tamen finis præcepti ſecundùm commune DD. axioma non cadit ſub præceptum, hinc neceſſe non eſt, actuali eorum uſu etiam finem procurare: imò ſæpè eſt laudabile, propter alium pręſtantiorem finem ab ejuſmodi uſu abſtinere.

99 Facilior adhuc redditur ratio, quare Deus non conceſſerit perfectum dominium unius hominis in alium; cùm enim ſatis fuerit ad bonum generis humani procurandum, concedere publicam poteſtatem vindicativam delicti, etiam cum privatione vitæ & membrorum, & pręterea permittere defenſionem inculpatæ tutelæ per privatorum hominum vel integrorum exercituum conflictum, ac denique dominium imperfectum ad percipiendos fructus ac labores ex mancipio provenientes; & quia major poteſtas diſponendi de vita ac membris hominum fuiſſet noxia ac indecens, ſi de homine ſicut de brutis diſponere liceret, hinc rectè infertur nulli homini conceſſum eſſe perfectum dominium in alium hominem.

100 Non obſtante tamen defectu dominii poteſt homo in primis ex pręcepto vel inſtinctu divino ſeipſum occidere, ut fecerunt Sampſon, Razias, S. Apollonia, & multi alii Martyres (ut enim ab alio ob fidem occiſi dicantur, quod ad Martyrium requiritur, ſufficit, quòd impellente Tyranno mortem oppetierint) quia, etſi homo non ſit dominus ſui ipſius, poteſt tamen licitè rem alienam, nempe Dei, illius juſſu, vel impulſu deſtruere. 2. Pro conſervatione vitæ & corporis, licet vitioſum membrum abſcindere (pro alio tamen fine etiam ſpirituali, multò magis pro lucro, honore, &c. expreſsè prohibent Canones) quia ſervare totum per jacturam partis ordinatæ ad totum & ejus bonum, prudens adminiſtratio rei etiam alienę admittit; quamvis tam acerbum medium non imperet, niſi forſan perſonis valde neceſſariis bono communi. 3. Licitum eſt mortem vel vitæ abbreviationem ob rationabilem cauſam permittere, imò etiam ponendo vel omittendo aliquam actionem indirectè inferre, & vitam, non quidem immediatè ac poſitivè tollere, ſed extraordinariis mediis non conſervare. Hinc conceditur religionem ingredi, diſcretas mortificationes ſuſcipere, à medicinis & cibis pretioſis abſtinere cum certo periculo accelerandæ mortis: ita Carthuſiani carnibus, Moniales ambulatione extra monaſterium, & quilibet alii homines noxii aeris mutatione vitam ſervare non tenentur, ſicut neque ſub mortali obligantur ad moderationem victus propter ſecuturos morbos, & mortis accelerationem. Ratio eſt, quia per ſe loquendo nemo juſtitiæ Lege obſtringitur ad bona alterius dominio ſubjecta tuenda cum ſuo notabili incommodo, & omiſſione actionum, ad quas aliquis habet Jus, etiamſi per accidens, & præter intentionem alteri damnum ſequatur. Plura de hac materia dicemus, quando de injuriis corporis tractabimus.

Dico 5. hominem eſſe dominum ſuæ famæ & honoris, 101
ita rurſum communiter docent AA. cum S. Thoma *q. 64. art. 5. ad 3.* ubi dicit: hominem eſſe dominum rerum, quas acquirit libero ſuo arbitrio, & *q. 73. art 4. ad 1.* liberi arbitrii ait eſſe, pati detrimentum in propria fama, niſi cedat in damnum aliorum, v. g. totius religionis, aut ſubditorum, ad quorum rectam gubernationem ex officio debitam neceſſaria eſt bona fama. Ratio concluſionis in priori textu S. Thomæ indicata eſt: quia homo habet Jus perfectè diſponendi de rebus, quas libero ſuo arbitrio acquirit, niſi impediatur ab alterius Jure; quod addo: quia nec patri conceditur Jus perfectè diſponendi de filiis, nec ſervo, aut monacho de bonis liberè acquiſitis; ſed famam & honoris dignitatem acquirit homo libero ſuo arbitrio: ergo, &c.

ARTICULUS II.

Qualium bonorum Temporalium Ius ac Dominium conveniat filiofamilias.

§. I.

Quis ſit filiusfamilias, & quomodo acquiratur in illum patria poteſtas per nativitatem, legitimationem, & adoptionem.

SVMMARIVM.

102 *Quis ſit filiusfamilias. Et quomodo dividatur ætas vitæ humanæ.*

103 *Fit filiusfam. nativitate ex legitimo thoro ſaltem bona fide exiſtimato, ut tali.*

104 *Etiamſi filii illegitimi non ſint in Patris poteſtate; conſtituuntur tamen in ea per ſubſequens verum matrimonium cum matre, quando ambo ad illud contrahendum fuerunt habiles tempore illo, quo proles concepta, vel quo nata eſt.*

105 *Tales quippe Legitimati æquiparantur Legitimis, atque etiam præferuntur poſteriùs genitis ad Jura majorum natu.*

106 *Eſt etiam alia legitimatio, quæ fit per reſcriptum Principis vel Civilis, ad bona civilia, vel Eccleſiaſtici ad bona ſpiritualia.*

107 *Ad hanc verò legitimationem requiritur conſenſus Patris, & Filij legitimandi, quo utroque poſito, fit Filiusfamilias.*

108 *Ne autem hæc legitimatio invalida, & ſurreptitia reddatur, debent in illius petitione exprimi ea, quæ meritò ab ejus conceſſione abſterrere poſſent, præſertim ſi illa futura eſſet cauſa impediens perfectiorem legitimationem per ſubſequens matrimonium.*

109 *Alia quædam de legitimatione per reſcriptum conceſſa notantur.*

110 *Tertius modus faciendi Filiumfam. eſt adoptio. Eſt autem adoptio duplex; ſcil. arrogatio & adoptio ſpecificè ſumpta. Declaratur, quid ad hanc poſteriorem requiratur, & quem pariat effectum, & quando faciat Filiumfam.*

111 *Quid ſit arrogatio, & quem pariat effectum.*

112 *Inter duplicem adoptionem prima differentia: quia arrogatus debet fuiſſe ſui Juris.*

113 *Se-*

113 *Secunda differentia: quia arrogatio debet fieri coram Iudice ſupremo.*

114 *Tertia differentia: quia arrogatus tranſit in familiam arrogantis.*

115 *Quarta differentia: quia arrogatus eſt hæres neceſſarius, nec poteſt in teſtamento præteriri.*

102 Filiusfamilias (idem de filiafamilias dicendum) eſt filius naturalis, vel adoptivus, ſub patria poteſtate conſtitutus, quacumque in ætate verſetur; ſeptem verò ætates in Jure civili enumerantur teſte Schneidewein *tit. de Adoptionibus §. minorem cum aliquot*, ſcilic. infantia durans uſque ad annum ſeptimum incluſivè, pupillaris ætas uſque ad annum decimum quartum in maſculis, & duodecimum in fœmellis, pubertas uſque ad annum decimum octavum, plena pubertas, ſeu adoleſcentia uſque ad vigeſimum quintum annum, juventus ſeu virilis ætas non tam annorum ſpatio, quàm virium robore circumſcripta, uſque ad ſexageſimum etiam annum extendi poteſt: ſenectus uſque ad annum octogeſimum, decrepitas, ſeu ſenium uſque ad centeſimum annum, quod dicitur longiſſimum vitæ humanæ tempus.

103 Conſtituitur autem homo in patria poteſtate tribus modis, 1. procreatione ex legitimo matrimonio, ſaltem ab alterutro conjugum exiſtimato, ut tali; nam etiam horum filii pro legitimis habentur, *cap. Ex tenore, Qui filii ſint legitimi*. Per hanc itaque procreationem filius ratione perſonæ, & bonorum ſuorum in ordine ad certos effectus poſteà recenſendos ſubiicitur patri, vel avo paterno, ſi adhuc vivat, & pater in ejus poteſtate verſetur, vel in eadem mortuus ſit, non tamen matri, ſecluſo ſpeciali privilegio Principis, quo tamen non conceditur vera poteſtas, ſed tantùm effectus adoptionis ſpecialiter ſumptæ, *§. Fœminæ Inſtit. de Adopt.* nec avo materno, quia non poteſt in hunc tranſmitti poteſtas, ſi mater ea careat.

104 Secundo in poteſtate patria conſtituitur filius legitimatione; filii enim illegitimi non ſunt in poteſtate patris, antequam legitimentur. *§. Fin. Inſtit. de Nuptiis*. Legitimantur autem duplici nunc temporis uſitata ratione (nam tertia, quæ *cit. §. fin.* fiebat per oblationem filii ad curiam, hodie non eſt ampliùs in uſu) in primis pleniſſimè, & perfectiſſimè per ſubſequens verè legitimum matrimonium (non autem tantùm putatum ut tale, niſi in eo fuerit conceptus, ut advertit noſter Molina *d. 172. §. Molina*: ubi refutat Molinam Juriſtam diſſentientem) modò non ſint ſpurii, ſed naturales, quales nempè naturales Jure civili habebantur, qui ex concubina, quam quis unicam domi ſuæ retinuit, procreati ſunt; Jure Canonico autem, cui etiam Jus civile ſe nunc accommodat, omnes illi cenſentur naturales, qui geniti ſunt à parentibus tempore conceptionis, vel nativitatis illorum filiorum habilibus ad legitimum matrimonium contrahendum: hoc itaque quocumque tempore poſt nativitatem contracto (nam ſi ante nativitatem contraheretur, etiamſi ante conceptionem validè contrahi non potuiſſet, filii tamen poſteà editi non tantùm legitimati, ſed legitimi dicerentur, ut Mol. *cit. d. 172. §. Dictum eſt*, oſtendit *ex l. Nuper ff. ult. Cod. de naturalibus liberis*) ipſo Jure, & propter reverentiam matrimonii à Canoniſtis contra Legiſtas aſſignari ſolitam, independenter à conſenſu tum legitimandorum, tum parentum, illegitimi naturales ita quoad omnia legitimantur, & legitimè natis æquiparantur, ut non tantùm cum his æqualiter in hæreditatem ſuccedant, & ad omnia officia, ac dignitates, etiam Eccleſiaſticas idonei habeantur, ſed etiam in Emphyteuſi, ſive Laica, ſive Eccleſiaſtica, feudo, majoratu præferantur legitimis ex eodem, vel poſteriori matrimonio deſcendentibus: ut conſtat ex *c. Tanta, qui filii ſint legitimi*.

105 Dixi: *ex eodem, vel poſteriori matrimonio deſcendentibus*; nam deſcendentibus ex priori matrimonio ſecundùm communem DD. ſententiam teſte Molina *§. meritò*, imò etiam ex priori matrimonio ſolùm legitimatis, ut citatus Mol. teſtatur, non præferuntur, etiamſi iſti priùs illegitimè eſſent nati: quia Jus legitimis majoribus natu competens non prius acquiſiverunt, ſed poſteriùs primùm ſunt legitimati per ſubſequens matrimonium, ſive illud contractum ſit cum inſtrumento nuptiali ſeu dotali, à Jure civili ante capitulum *Tanta requiſito §. fin. Inſtit. de Nuptiis, §. illud quoque Novell. 74.* ſive contractum ſit ſine tali inſtrumento, quod nec in foro ſæculari ampliùs exigitur, teſte Joan. Schneidewein, *l. b. 1.* de Patria poteſt. *tit. 9. numer. 22.* cujus ratio facilè reddi poteſt, quia, poſtquam nulla valent matrimonia, quæ in facie Eccleſiæ contracta non ſunt, hoc ipſo ceſſat periculum fraudulentæ ſimulationis de contracto matrimonio, in cujus fidem *cit. §. illud quoque* inſtrumentum nuptiale exigebatur.

Alter legitimandi modus eſt per reſcriptum Principis, 106
nimirum ſupremam, vel in ſpiritualibus, vel in temporalibus poteſtatem habentis, qualem etiam habent reſpubl. liberæ ab alterius juriſdictione: quia enim illegitimi natales duplicem habent annexam inhabilitatem; unam Jure Canonico ad ſpiritualia, alteram Jure civili ad temporalia, ac civilia, hinc etiam duplex datur poteſtas legitimandi; ad ſpiritualia quidem competit ſoli Summo Pontifici, quia in his ipſi tantùm collata eſt ſuprema juriſdictio, & legum Canonicarum relaxatio: ad civilia verò convenit reſpectu ſuorum ſubditorum, immò etiam reſpectu propriorum filiorum, illi tantùm, qui in his ſupremam obtinet juriſdictionem, vel quibus ipſe hanc poteſtatem commiſerit, qui Comites Palatini appellari ſolent. Unde legitimatus reſcripto Summi Pontificis non hoc ipſo eſt legitimatus ad omnia Jura civilia, niſi ſimul temporali ejus juriſdictioni ſubditus fuerit, vel hujuſmodi legitimatio neceſſaria ſit ad finem ſpiritualem, eaque injuſtè negata fuerit à Principe ſæculari; & viciſſim legitimatus ad Jura civilia nondum eſt legitimatus ad ſpiritualia.

Ad valorem verò utriuſq; legitimationis, cujus etiam 107
ſpurii ſunt capaces, præter poteſtatem legitimantis, requiritur inſuper conſenſus patris, ſi fiat in ordine ad hunc effectum, ut legitimatus ſuccedat in bonis illius, & præterea conſenſus ipſius legitimandi, ſaltem præſumptus, ut adeòque legitimatio conceſſa ante uſum rationis dependeat, & confirmetur ab illius ratificatione, præſtita ſigno exteriori poſitivo, vel negativo, vel actuali uſu legitimationis. *Auth. Quibus modis naturales efficiantur ſui 89. generaliter*, ubi etiam hæc ratio redditur; quia per legitimationem perſona filii, & bona illius quoad uſumfructum tranſeunt in poteſtatem patris, ad quod proinde, quando non fit ipſo Jure, meritò requiritur conſenſus filii. Denique etiam neceſſarium eſt, ut in petitione legitimationis aperiantur omnia, quæ ab ejus conceſſione rationabiliter retrahere poſſent, & quibus cognitis forſitan non fuiſſet conceſſa, aliàs ſubreptitia cenſebitur; talia ſunt, circumſtantiæ illæ, quæ crimen fornicationis in eam ſpeciem transferunt, ut filius non tantùm illegitimus, ſed ſpurius, inceſtuoſus, &c. ſit natus; tale quid etiam eſt *juxta cit. Novell. 89.* præjudicium tertii, ſi nempè adeſſent filii legitimi, vel aſcendentes, quorum hæreditas diminueretur, ſi illegitimus ad ſuccedendum patri habilis redderetur.

His accedit, & annumerantur etiam inter exprimenda 108
præjudicium ipſius matrimonii, ſi per hujus contractum legitimatio facilè, & perfectiori modo confici poſſet; quippè potiſſimùm in illius defectum conceditur legitimatio reſcripto Principis, quando ſcil. vel matrimonium difficulter, vel inutiliter iniretur, eò quòd filius ſpurius fuerit; aliàs ad ipſum contrahendum parentes compellerentur, ut partim fornicationis crimen ſubſequenti matrimonio aliqualiter cohoneſtaretur, partim, ut illegitimorum natalium nota ſimul pro utroque foro civili, & Eccleſiaſtico, meliorique cum effectu tolleretur.

Quamvis enim per reſcriptum Principis quoad illius 109
forum totaliter legitimus quis efficiatur, relaxatione omnium legum, quibus ad varia Jura inhabilis reddebatur (per quod legitimatio differt à diſpenſatione natalium, ad certa tantùm, & non ad omnia Jura collata, ac conferibilia etiam ab inferiori poteſtate, ſicut de facto Epiſcopi poſſunt diſpenſare cum illegitimis ad recipiendos minores ordines, & ad beneficia cura animarum, vel dignitate carentia, & per vota religioſa ipſo facto diſpenſatur ad omnes Ordines, non tamen ad Prælaturas) tamen illa univerſalis Relaxatio plerumque, & ordinariè conceditur ſub modo, & nova quaſi

patreſamilias ab alio, imò etiam à matre detentum, niſi apud hanc propter juſtam cauſam, v. g. propter ſævitiam, aut nequitiam patris degere illi magis expediat, *l. 1. ff. de Liberis exhibendis*. Excipitur filia conjugata, quæ marito pot iùs quàm patri adhærere debet, *leg. 2. ff. eodem*.

118 Tertius effectus: filiusfamilias non poteſt ſine conſenſu patris de bonis adventitiis donare mortis cauſa ad finem profanum *l. Tam is*, *§. filiusfamilias ff. de Mortis cauſa donationibus*. Teſtamentum verò, aut codicillum facere neque ex conſenſu patris poteſt, niſi ad cauſas pias *juxta l. penult. Cod. Qui teſtamenta facere poſſunt*. Et viciſſim nec pater poteſt validè teſtari ad cauſas profanas, niſi filium Jure nativitatis ſibi ſubjectum expreſsè hæredem inſtituat, licèt poſthumum, *l. Poſthumo nato, de bonorum poſſeſſione contra tabulas*, vel expreſſa in teſtamento aliqua hujuſmodi cauſa, quales habentur *in Novella 115. cap. 3. & 4.* eaque à teſtatore, vel hærede probata exhæredet.

119 Quartus effectus: nec filiusfamilias cum patre, nec paterfamilias cum filio etiam priùs petita venia in judicio contendere ſinitur *l. Lis nulla ff. de Iudiciis*. Excipe cum Gloſſa *in l. cit.* 1. Niſi lis ſit de Caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi peculio, *l. cit.* 2. Niſi lis & dubium ſit de ipſa patria poteſtate, aut de Jure egrediendi illam *l. 1. Cod. de Patria poteſtate*. 3. Niſi propter dilapidationem etiam non doloſam, bonorum adventitiorum filii adminiſtratione, & uſufructu pater à Judice videatur privandus *l. Imperator 50. ff. ad S. C. Trebell.* 4. Niſi agat nomine alterius, v. g. pupilli, & in ejus commodum, *juxta l. Quæſitum eſt ff. de in Ius vocando*. 5. Niſi agatur de alimentis præbendis, *l. Si quis à liberis 5. ff. de agnoſcendis, & alendis liberis*.

120 Quintus effectus de adminiſtratione, & uſufructu bonorum filiiſamilias ſequenti §. 4. declarabitur. Præter prædictos effectus enumerantur alii, qui tamen poteſtati patriæ, vel non debiti, vel non illi ſoli proprii ſunt. Indebita enim, & ſublata nunc eſt neceſſitas conſenſus paterni ad matrimonium ineundum, *Inſtit. de Nuptiis in princ.* requiſita, & facultas occidendi filiumſam. olim conceſſa, *leg. In ſuis, digeſt. de Liberis, & poſthumis*, *l. fin. Cod. de Patria poteſtate*, deinde verò ſublata *l. Inauditum 2. ff. ad l. Corneliam de ſicariis*, è contra propria ſoli patriæ poteſtati non eſt facultas corrigendi filiumfamilias, & moderatè caſtigandi; quia hæc etiam patri adoptanti ſibi extraneum, & naturali, reſpectu filii emancipati, imò etiam matri, ac cuilibet ex propinquis ſenioribus aptis ad gubernationem alterius conceditur, *l. un. Cod. de Emendatione propinquorum*, *& cap. Cum voluntate §. ult. de Sententia Excommunicationis*: modò caſtigandus à laico nondum majoribus Ordinibus ſit initiatus. Eandem facultatem *ex cit. cap.* colligit Mol. *d. 228. §. illud obiter*, permiſſam eſſe ſenioribus, licèt propinqui non ſint, ſi eam ſine offenſa peculiarem alicujus curam gerentium exercere poſſint, vel ſi illi, quibus ex officio convenit, eam negligant; ſic in prædicto cap. Sacerdotes ſeniores non prohibentur devotionis zelo caſtigare adoleſcentes Clericos divinum officium turbantes. Propria etiam patriæ poteſtati non eſt, ſed omnibus parentibus erga liberos, & liberis erga parentes communis incumbit obligatio præbendi alimenta non habentibus aliunde, *l. Si quis à liberis & ſeqq. ff. de Liberis agnoſcendis l. 1. & ſeqq. Cod. de Alendis liberis ac parentibus*. Non ſoli denique patriſamilias, ſed matri quoque, & patri naturali, poſt emancipationem, imò etiam adoptivo commune eſt privilegium, ne à filio ſine venia data à Judice in Jus vocari poſſint, *l. 6. & 8. ff. de In Ius vocando*.

§. III.

Quibus modis Ius patriæ poteſtatis ſolvatur?

S V M M A R I U M.

121 *Diſſolvitur Patria poteſtas primò morte naturali.*

122 *Secundò morte civili, ſcil. maxima, vel media capitis diminutione. Vel ingreſſu Religionis.*

123 *Tertiò. Quoad odioſa ſolvitur patria poteſtas promotione Filii ad Patritiam dignitatem, vel ad certa officia civilia, aut Eccleſiaſtica.*

124 *Quartò. Captivitate perpetua, & juſta, in ſervitutem redigente captivum.*

125 *Quintò. Emancipatione: cujus inſtituendæ modus declaratur.*

126 *Sextò. Adoptione deſcendentis ex filio, vel filia poſt eorum emancipationem. Item contractis inceſtis ſecundis nuptiis, & lapſu in hæreſim. Per Matrimonium autem filiæfamilias ſecundùm Ius commune non ſolvitur, ſed reſtringitur patria poteſtas.*

INſtitutiones ſub eodem titulo ſequentes modos recenſent. Primò diſsolvitur morte naturali patrisfamilias nullum habentis filiumfamilias intermedium; mortuo enim avo naturali paterno nepos tranſit in poteſtatem patris, hic verò poſt avum incipit eſſe paterfamilias ſui filii. 121

Secundò morte civili patris, aut filiiſamilias, niſi per Indulgentiam Principis in priſtinum ſtatum reſtituatur perinde, ac ſi civiliter mortuus numquam fuiſſet. Civiliter autem mortuus cenſetur, qui maxima aut media capitis diminutione è numero civium tollitur; quarum utraque ſimul cum minima capitis diminutione refertur, & explicatur *Inſtit. de Capitis diminutione*: intelligitur verò hìc per caput triplex conditio ſtatus, quam quis inter homines liberos habet, nempè libertas, civitas, familia, hinc cùm ſervus nullam iſtarum habeat, dicitur non habere caput *§. ſervus Inſtit. Eodem*. Cùm quis itaque unius, vel plurium hujuſmodi conditionum amiſſione immutationem ſui ſtatus per aliquod factum hominis ſubit, dicitur is ſubiviſſe capitis diminutionem: & quidem maximam, ſi libertatem, & proinde etiam civitatem, ac familiam ſimul perdat, adeòque in Jure civili pro nullo habeatur *l. Quod attinet ff. de Reg. Iuris*. Ad mortem civilem referri etiam poteſt ingreſſus in religionem, juxta Gloſſ. *in l. Si ex cauſa §. pen. verbo: Cum ſtatum ff. de Minoribus*, & juxta communem DD. ſententiam. Si enim pater ingrediatur religionem, cùm ipſe ſit ſubjectus Prælato, non poteſt alium habere in ſua poteſtate; ſicut filius propterea nequit eſſe in poteſtate patris quamdiu iſte eſt in poteſtate avi, *l. Sic eveniet, ff. Ad l. Iuliam de Adulter.* Si verò filius religionem adeat, Mundo moritur, & pro patre temporali acquirit patrem ſpiritualem, nempè Prælatum, eique ſubiicitur, quamvis in favorem religionis, non perdat Jus Suitatis in ordine ad hæreditatem, quando ratione ſui inſtituti ejuſdem eſt capax *leg. DEO nobis 56. §. 2. Cod. de Epiſcop. & Clericis*. 122

Tertiò diſſolvitur, ſaltem quoad odioſa, patria poteſtas non ſolùm aſſecutione patritiæ dignitatis electione ſcilic. in ſupremum Conſiliarium Imperatoris, ſeu in Conſiliarium Cameræ Imperialis, ut per ſua conſilia quaſi patriæ, & Imperatoris pater efficiatur, cujus ſolius Jus antiquum meminit, *Inſtitut. Quibus modis Ius patriæ poteſtatis §. filiusfamilias*: ſed etiam electione ad decem alias dignitates relata, *l. ultim. Cod. de Decurionibus*, *& in Authentic. Conſtitutio quæ de dignitatibus, & Epiſcopatu*, quæ eſt *Novella 81.* Præterea electione ad Epiſcopatum, ut dicitur *in cit. Authentica* quod privilegium Covarruvias relatus, & approbatus à Molina *d. 229. §. ſextus*, extendit etiam ad 123

electum in Cardinalem tamquam in gerentem patriciam dignitatem Eccleſiaſticam: ad ſimplicem verò ſacerdotem extendi non poteſt, quia ſolùm in functionibus Eccleſiaſticis, & quoad peculium poſt Clericatum acquiſitum, non ſubeſt patriæ poteſtati *juxta Novell. 123. capit 19.*

124 Quartò: *ſecundùm Inſtit. tit. cit.* tollitur patria poteſtas captivitate perpetua patris, aut filiifamilias, in bello ex parte capientium juſto: requiritur autem, ut captivitas fuerit perpetua, & juſta: niſi enim duraverit uſque in diem mortis (qua poſita in diem captivitatis retrahitur) captivus libertati redditus recuperat cum ea omnia Jura; & niſi bellum fuerit juſtum ex parte capientium, deficit ratio ſervitutis, ob quam capto eripitur patria poteſtas, vel ipſe ex patria poteſtate eripitur: hinc quia teſte Mynſingero, Schneidewein in Commentario hujus tit. antiquiſſima conſuetudne introductum eſt, ut ſoli captivi in bello Turcico (quod ex parte hoſtium rarò juſtum eſt) ſervi efficiantur, iſte modus egrediendi patriam poteſtatem, qui aliàs ad ſecundum reduci poſſet, hodie exiguum habet uſum.

125 Quintò patriam poteſtatem egreditur filius, vel nepos per emancipationem, ſeu manumiſſionem ea mancipio, id eſt dominio paterno factam coram Judice ordinario, cum utriuſque præſentis, patris ſcilicet, & filii conſenſu ſpontè præſtito, vel ob juſtam cauſam debito, vel per reſcriptum Principis loco filii infantis, aut abſentis, uſque ad ejus adventum coram Judice ſuppleto, & poſteà coram eodem ratificato, ut conſtat *ex Inſtitut. Quibus modis Jus patriæ poteſtatis* §. Præterea *ex leg. Non nudo l. pen. & ult. Cod. de Emancipat. liberorum*: poteſt autem dicto modo ſecundùm Inſtit. *admonendi tit. citat.* emancipari filius, aut filia retento nepote, aut nepte in poteſtate, quia tantùm poſt emancipationem filii genitus nepos, aut neptis avi poteſtati non ſubjicitur: & viciſſim poteſt emancipari nepos retento filio; modò ſemper emancipantis, & emancipati conſenſus interveniat, ſponte præſtitus, vel debitus: debitus verò erit, quando ob juſtam cauſam pater cogitur dimittere, aut filius egredi è poteſtate patria. Hujuſmodi cauſas, ob quas pater cogi poteſt admittendum filium, aut filiam, refert Molina *diſp. 229. §. in ſeqq.* nimirum ſi pater crudeliter tractet filium *l. ultim. ff. Si à parente quis manumiſſus fuerit*. Si filiam ad peccata carnalia pertrahat *ex. l. Si Lenones, juncta Gloſſa Cod. de Epiſcopali audientia, & l. ultim. Cod. de Spectaculis*. Si legatum ſub conditione concedendæ emancipationis relictum acceptaſſet: ob quam cauſam etiam filius cogeretur conſentire in ſui emancipationem, ſi ipſe acceptaſſet legatum ſub conditione talis conſenſus ei aſſignatum, ſicut etiam ſi rixoſus eſſet, & ex rigore ſtatuti pater deberet ſolvere condemnationem pro eo, ut ex aliis DD. teſtatur Schneidewein *in §. præterea Inſtit. Quibus modis Jus patriæ poteſtatis numer. 6.* ubi in genere Juſtitiam cujuſcumque alterius cauſæ ad arbitrium prudentis Judicis remittit, & ſicut etiam Molina noſter omnes juſtas cauſas agnoſcit, ob quas aſcendens à deſcendente, vel deſcendens ab aſcendente exhæredari poteſt.

126 Sextò ſolvitur prior patria poteſtas Adoptione deſcendentis ex filio emancipato, aut ex filia, ut ſupra dixi: *num. 110.* Præter hos modos à Juſtiniano *in Inſtit.* relatos alius habetur *in Authent. Inceſtas Cod. de Inceſtis nuptiis*, ubi filii nati priori matrimonio liberantur ex poteſtate patris, ſi is inceſtas nuptias cum conſanguinea, vel affine contrahere attentaverit, ſaltem accedente carnali copula, quam ad perfectam attentationem adhuc requirit Covar. apud Mol. *diſp. cit. §. quartus eſt*. Jure Canon. etiam hæreſis patris licèt occulta, & necdum damnata à Judice, patriam poteſtatem diſſolvit, *cap. 2. §. ultim. de Hæreticis in 6.* Unde viciſſim Mol. *§. tertius modus*, probat *ex Inſtit. Quibus modis Jus patriæ poteſtatis ſolvitur, §. cum autem verſ. pari ratione*, Filiumfamilias ob idem hæreſis crimen ejici ex poteſtate patris, manente tamen Jure capiendi uſumfructum ex bonis filii adventitiis ab eo ante hæreſin poſſeſſis. Denique quamvis Jure ſpeciali quorundam regnorum, ut Caſtellæ, Luſitaniæ, & noſtræ etiam Germaniæ, apud P. Haunold. *tractat. 4. num. 187.* complures DD. Civiles referentem, patria poteſtas per matrimonium auferatur, & Uxor dominio viri ſubjecta dicatur *cap. Mulierem 33. quæſt. 5.* & ſequi nobilem familiam, ac conditionem mariti *leg. Fœminæ ff. de Senatoribus*: ejuſdem forum *l. Exigere dotem 65. ff. de Judiciis*: Jure tamen communi non tolli, ſed limitari tantùm patriam poteſtatem à martiali, certum eſt *ex l. Si uxorem Cod. de Conditionibus inſertis, & l. Patri ff. ad Leg. Juliam. de Adulteriis.* Limitatio autem conſiſtit potiſſimùm in habitatione cum marito, & obſequiis, ac ſervitiis conjugalibus, lucriſque ex bonis matrimonialibus, quorum uſumfructum non capit pater, ſed eorum tantùm, quæ ſunt bona extramatrimonialia. Hæc quæ de patria poteſtate dicta ſunt, tum hìc, tum alibi frequenter nobis uſui erunt, ideòque præmittere ea placuit.

§. IV.

Reſolvitur quæſtio, quale dominium conveniat Filiofamilias?

SUMMARIUM.

127 *Bona Filiifam. in quatuor genera dividuntur: ſcil. in Caſtrenſia, Quaſi Caſtrenſia, Adventitia, & Profectitia. Explicatur primum genus.*

128 *Explicatur ſecundum genus bonorum, & poteſtas circa illa diſponendi.*

129 *Explicatur tertium genus bonorum, circa quæ habet Filiusfam. Dominium directum, Paterfam. autem Adminiſtrationem, & Uſumfructum.*

130 *Excipiuntur aliqua bona, circa quæ Paterfam. non habet Uſumfructum.*

131 *Explicatur quartum Genus bonorum, circa quæ Paterfam. habet Dominium directum, & uſumfructum. Filiusfam. tamen habet dominium aliquod inchoatum, & privilegiatum.*

Bona Filiifamilias, ſeu ſub patria poteſtate conſtituti in quatuor genera dividuntur. Primum dicitur bonum, ſeu peculium Caſtrenſe. Quaſi Caſtrenſe. 3. Adventitium. 4. Profectitium. Ad Caſtrenſe pertinent tum bona mobilia, tum immobilia, acquiſita intuitu, vel ſaltem occaſione ſuſceptæ militiæ, quæ in eam abeunti, v. g. à propinquis, amicis, &c. vel in ea commoranti, vel etiam jamdomi degenti, occaſione tamen aut ratione geſtæ militiæ data ſunt, ut præmia, ſtipendia, ſpolia, legata, vel hæreditas (non tamen bona immobilia in militiam abeunti data à parentibus propter *leg. 1. Cod. de Caſtrenſi peculio, & leg. 4. Cod. Familiæ erciſcundæ, ſeu dividundæ*, vel etiam mobilia, quæ revertens ex bello dono ab iiſdem accepit, niſi fortè ob præclarè geſta, aut ſimilem cauſam *l. Pater militi 15. ff. de Caſtrenſi peculio*) nec refert, utrum quis militis, vel aliud officium ad militiam ſpectans, & an in ordine ad pugnam extra mœnia cum hoſte ineundam, vel in ordine ad locorum cuſtodiam, belli, vel pacis tempore egerit. Huc etiam *juxta leg. Unicam Codic. de Caſtrenſi omnium palatinorum lib. 12.* reducuntur collata filio ad palatium Principis abeunti, & in eo commoranti, omneſque fructus ex dictis bonis percepti. 127

Ad quaſi Caſtrenſe referuntur obtenta ex officio publico, vel gerendo officio publico, id eſt, ſpeciali, ac nobiliori modo ad publicam utilitatem ordinato, v. g. ex officio Medici, Advocati, Judicis, Notarii, Magiſtri AA. LL., Theologiæ, Juris, &c. *l. ultim. Cod. de Inofficioſo teſtamento*: præterea dona Principis, Regis, vel Reginæ, *l. Cùm multa 7. Cod. de Bonis quæ liberis*, quæ ad ſuſcipiendos Ordines ſunt data (quamvis, ſi in ordine ad hos parentes patrimonium dederint, deinde in hæreditatem deducendum ſit; & quæcumque poſt Clericatum ſuſceptum ſunt acquiſita, etſi reſpectu Laici adventitia eſſent, ut habetur *authent. Presbyteros 1. ante l. 35. C. de Epiſcopis ac Clericis*, quod tamen, ut oſtendit Molina *Diſp.* 138. de illis Clericis intelligendum eſt ſecundùm receptam conſuetudinem, quibus Tridentinum privilegium Canonis, & fori concedit; denique quidquid filio donatur adjecta conditione, ut ſit quaſi Caſtren- 128

ſtrenſe. Horum dominium plenum, id eſt, tam directum, quàm utile, eſt penes Filium familias, ut patet *ex variis LL. ff. & Codicis de Caſtrenſi peculio*, & ſi pater ex his ſibi quidquam uſurpet, tenetur ad reſtitutionem. Poteſt tamen ex his alere filium, quia pater non tenetur ipſum ſuſtentare, ſi ipſe habeat, unde vivat.

129 Adventitium cenſetur quidquid, cùm neque Caſtrenſe ſit, neque quaſi Caſtrenſe, filius aliunde acquirit non intuitu primario Patris, nec ab ipſo patre, niſi donetur ſine ordine ad Clericatum, vel ad matrimonium, & tamen ſine onere etiam, ut poſt mortem Patrisfamilias cum reliqua hæreditate conjungatur, ut excipit Molina *diſput.* 233. §. *hujuſmodi autem*. Itaque bona adventitia ſunt hæreditas materna (non paterna, quia mater non habet poteſtatem uſumfructum capiendi ex illa, ſicut pater) legata, donationes, lucra ex negotiatione, labore, induſtria, fortuna, ut repertio theſauri, &c. in hæc bona dominium directum habet Filiusfamilias, adminiſtrationem, & uſumfructum Paterfam. *l. Quæcumque leg. Cum oportet, cum authenticis illi inſertis, Cod. de Bonis, quæ liberis*, §. *igitur verſicul. quod autem, Inſtitut. Per quas perſonas cuique acquiritur*. Imò etſi Filiusfamilias moriatur, eaque bona per hæreditatem, ſaltem quoad partem, ad alios v. g. ad matrem, & fratres, forſan etiam emancipatos deveniant, retinet Paterfamilias eorum uſumfructum uſque ad ſuam mortem, ut cum aliis obſervat Molina *diſput.* 232. §. *quando filius &c.* quod intellige de Jure antiquo *l.* 7. §. *Sin autem Cod. ad S. C. Tertullianum* correcto per Authenticam proximè in exceptione quinta citandam.

130 In ſequentibus tamen caſibus etiam uſusfructus ſpectat ad Filiumfamilias, 1. ſi pater, quemadmodum poteſt, Juri ſuo cedat, *l. Cum oportet*, §. *non autem Cod. de Bonis quæ liberis*, 2. ſi quæ liberaliter, & non ex debito legantur, donantur, &c. cum expreſſa conditione, ut ſolus Filiusfamilias habeat uſumfructum cum dominio, *auth. Excipitur, Cod. Eodem*: quamvis autem hic ſolùm ſermo ſit de re ab aliquo parentum ſub tali conditione conceſſa, extenditur tamen à pluribus DD. meo judicio rectè ad rem, à quocumque ſub tali conditione conceſſam: quia ſi ſervo tali modo poteſt donari, ut poteſt, poterit etiam Filiofamilias: fit enim talis res ſive ſit pecunia, ſive ſit aliquid aliud, peculium quaſi Caſtrenſe, id eſt, non quidem verè, ſed per fictionem concedentis, Caſtrenſe, ut patet *ex l. Si fortè ff. de Caſtrenſi peculio* 3. Si filius adeat hæreditatem invito, & ſic Juri ſuo quaſi renuntiante patre *l. Fin.* §. 5. *verſic. Sin vero pater, &c. Cod. de Bonis quæ liberis*. 4. Si filio legatur ſolus uſusfructus, quia uſusfructus non datur uſusfructus, ſicut ſervitutis non datur ſervitus *l.* 1. *ff. de V, u, & uſufructu legato*. 5. Quando filius ſimul cum patre adit hæreditatem ex fratre, vel ſorore relictam, tunc enim pater non habet uſumfructum ex portione filii, quod aliqui DD. rectè etiam extendunt ad hæreditatem, à quocumque alio relictam; quia *auth. Item hæreditas, Cod. de Bonis quæ liberis*, addit etiam hæc verba: *& forſan ſi aliunde quæratur*: quæ planè videntur extenſionem ſignificare ad hæreditatem etiam aliunde quæſitam 6. Si filius habeat bona ex cauſa illicita, v. g. fornicatione, *leg. Quod ſervus* 24. *ff. de Acquirenda, vel amittenda poſſeſſione*.

131 Profectitium dicitur, quod extra Caſtrenſe, vel quaſi Caſtrenſe provenit abſque animo donandi à patre vivo, v. grat. quod datur ad negotiandum, aut ex hac negotiatione acquiritur, vel quod datur ab aliis proximè, & primariò (quod ex circumſtantiis eſt colligendum) intuitu patris. Hujus dominium tam directum, quàm utile ad ſolum Patremfamilias ſpectat. Ita *ex l. cum oportet Cod. de Bonis quæ liberis, & ex* §. 2. *Inſtit. Per quas perſonas cuique acquiritur*, docent AA. communiter, inter quos Molina, & Caſtropalao addunt, id intelligendum eſſe regulariter, quia, quæ filio à parentibus ſunt data in patrimonium propter ſacros Ordines, vel filiæ in dotem propter nuptias, etſi in tantum ſint profectitia bona, quatenus poſt mortem patris in hæreditatem à cæteris fratribus deducuntur, uſusfructus tamen ad Filios, vel Filiasfamilias pertinet, neque in hæreditatem deducitur, & eatenus ſupra quaſi caſtrenſia appel-

Illſung Theol. Moral.

lavimus. Cæterùm hoc quartum genus bonorum, quod profectitium appellatur, non obſtante dominio paterno in peculio Filiifamilias numeratur, quia in ordine ad hoc habet ſaltem aliquod dominium inchoatum, privilegio gaudens, ut ſi cætera bona patris propter ejus delictum publicentur, iſtud Filiofamilias ſperandum, ac relinquendum ſit *juxta l.* 3. §. *ſed utrum in fine ff. de Minoribus*.

ARTICULUS III.

Qualε Dominium conveniat ſervo.

SUMMARIUM.

132 *Servi aliqui impropriè dicuntur, qui nempe tantum ſunt Conductitii, vel Originarii, ſeu Adſcriptitii.*

133 *Servi propriè dicti quidquid Bonorum externorum acquirunt, Domino acquirunt, ſicut Monachi Monaſterio: eſt tamen aliqua diſparitas, & exceptio.*

134 *Quænam Bona ſervorum excipiantur à Iure Dominorum.*

135 *Nequeunt tamen ſervi etiam de exceptis teſtari.*

QUæſtio eſt de ſervo propriè, ac rigorosè dicto, non de conductitiis, qui operas ſuas domino locant, ut famuli, & famulæ, nec de originariis, ſeu adſcriptitiis, id eſt, ratione originis in certo loco alicui domino ſubjecto ad quædam obſequia realia, vel perſonalia eidem adſcriptis, qui, ut inquit Layman. *lib.* 3. *tr.* 1. *c.* 5. *num.* 11. *in fin. q.* 5. licèt ſpeciem quandam ſervitutis gerant, & propterea ad Ordines non admittantur ſine conſenſu domini, propriè tamen ſervi non ſunt, ſed liberi & ſui juris, unde nec vendi poſſunt, & quod lucrantur, ſibi lucrantur. 132

Propriè itaque dicti ſervi, etſi per ſe, & ſpectando rigorem legum, nullum habeant dominium bonorum externorum (internorum enim habent) ſed quidquid labore, teſtamento, donatione acquirunt, domino acquirant, ut habetur *in Inſtit. quas perſonas cuique acquiritur* §. *item vobis*: qui enim poſſidetur ab alio (in quantum poſſidetur, & regulariter loquendo) nihil poſſidere poteſt, ut dicitur, *in Inſtit. loc. cit.* & communiter vulgatum eſt, Monachum, & ſervum eſſe pares, quòd neuter alicujus rei dominium habeat; tamen ſimilitudinem hanc claudicare, per ſe patet, teſte Palao §. 2. *part.* 7. *num.* 2. partim quia ſervus poteſt ſe pecunia redimere à domino, & quia dominus damnum in corpore illatum tenetur pecunia compenſare; quòd utrumque ridiculum eſſet, ſi in priori caſu ſervus nihil, quod ſuum eſt, daret, in poſteriori nihil acciperet, quod fieret ſuum. 133

Igitur ſervus dominium perfectum habet in ſequentibus caſibus; 1. ſi ex pacto ſervus perſoluto penſo domini reſiduum habeat tempus pro lucro ſibi faciendo, ut teſte Molina *diſp.* 38. in Luſitania mos eſt. 2. Si quid donetur, vel teſtamento legetur, expreſſa voluntate, imò juxta Molinam, & Rebellum, etiam tacita, ut ſit ſervi, non domini. 3. Quando à domino, vel ab alio aliquid datur in compenſationem injuriæ illatæ in rebus domino non ſubjectis v. g. in corpore. 4. Si ſervus aliquid lucretur lucro illicito, v. g. ancilla per turpem ſtupri quæſtum, quia ſervus non debet ſervitia inhoneſta domino. 5. Si ſervus ex prædictis bonis aliquid lucretur, quia lucrum ſequitur peculium. 134

Propter hos 5. caſus ſupra citato Juri Jnſtitutionum inſerui explicationis gratia hæc verba: *in quantum poſſidetur*; numquam enim tam perfectè poſſidetur ſervus, quin hoc ipſo, quòd homo ſit, & naturalem Juris capacitatem habeat, dominus ei; non ut ſervo, ſed homini ſpectato, obligari poſſit ex juſtitia, quando æquitas naturalis hoc requirit: ut rectè monet Molina *diſp. cit.* §. *primus eſt*, & colligitur *ex l.* 1. §. *ſervos ff. de Officio Præfecti urbis, & l. Vix* 53. *ff. de Judiciis*; ubi ſervis conceditur actio adversùs dominos, ut ſua pecunia, vel ſuis nummis redempti dimittantur: licèt autem ſervi teſtari non poſſint *l. Qui in teſtamento domini, & l. ſequenti, l. Filius-* 135

 fami-

familias 2. ff. de Teſtamentis, hoc non provenit ex defectu perfecti dominii in proprium peculium, ut malè ſupponit Tamb. *lib. 8. Decal. tract. 1. cap. 2. §. 1. numer. 22.* ſed quia non habent perfectum dominium ſuæ voluntatis, cùm quoad perſonam ſuam ſint in poteſtate dominii magis, quàm Filiusfamilias ſit in poteſtate patris, qui tamen ſtante dominio ſuo directo teſtari non poteſt de bonis adventitiis, & ſi impubes ſit, neque de caſtrenſibus, unde videtur Tamb. non rectè reſolviſſe caſum ibi relatum, quando peculium 200. aureorum mancipio proprium, ac ſine hæredibus à mortuo relictum domino mancipii, veluti radicale jus in illud habenti, potiùs adjudicavit, quàm Fiſco regio, ad quem tamquam bonum vacans devolutum fuiſſet, *juxta l. Vacantia Cod. de Bonis vacantibus*.

ARTICULUS IV.

Quale Dominium conveniat uxori.

§. I.

Quid, quotuplex, & cujus ſit Dos.

SUMMARIUM.

136 *Quid ſit Dos, & quale in eam Dominium habeat Uxor & quale Maritus.*

137 *Dividitur Dos primo in æſtimatam, & ineſtimatam. Æſtimata ſubdividitur in facientem, & non facientem Venditionem Oſtenditur, quare, & quo effectu hæc æſtimatio fiat.*

138 *Dividitur Dos ſecundò in Profectitiam, & Adventitiam: & oſtenditur inter utramque diverſitas Juris.*

139 *Ex dictis deducitur, quale Uxori competat Dominium in dotem.*

136 Circa bona uxoris, ut ea varia ſunt, varia dantur dominia. Primi generis eſt Dos, qua intelligitur qualecumque bonum, quod promittitur, vel datur marito nomine uxoris ad onera matrimonii ſuſtinenda. Licèt autem Palao *Diſp. 9. p. 2. num. 3.* rem ſolummodò promiſſam, & nondum traditam, cum aliis ibidem relatis, nolit dicendam eſſe dotem, ſicut promiſſio beneficii, officii, hæreditatis &c. non dicitur officium, beneficium, hæreditas, paſſim tamen in Jure, non quidem ipſa promiſſio, ſicut neque ipſa traditio, ſed res promiſſa, dotis nomine appellatur, quemadmodum beneficium promiſſum adhuc dicitur beneficium, imò dos promiſſa magis meretur ſuum nomen, quàm beneficium promiſſum, quia ejuſdem nondum ſolutæ, ſaltem poſt biennium contracti matrimonii jam debentur uſuræ *leg. ultima §. præterea Cod. de Jure dotium*; beneficii autem nondum collati non debentur redditus. Per particulas *datur marito* &c. indicatur, dotem debere concedi marito, vel ad proprietatem, cum obligatione, ejuſdem æſtimationem reſtituendi, diſſoluto matrimonio, quomodo dantur res conſiſtentes in pondere, numero, vel menſura, ſeu ad conſumptionem conceſſæ, *l. 42. ff. de Jure dotium*: vel ad uſum, uſumfructum, adminiſtrationem, vindicationem, ut dicitur *in l. Un. §. cumque ex ſtipulatu, Cod. de Rei Uxoriæ actione: l. 10. ff. de Jure dotium l. 7. §. 9. ff. Soluto matrimonio*, quo in caſu, ratione Juris vindicationis marito, & non uxori conceſſæ, *in l. Doce ancillam C. de rei vindicatione*, dicitur habere dominium civile, cum Jure uſufructuario: hoc ipſum tamen dominium, & Jus acquirit maritus abſolutè, & completè primùm per ipſas nuptias, ſeu contractum matrimonii de præſenti, per quem fit maritus. Unde ſi tempus tradendæ dotis nullum fuit expreſsè determinatum, ejus obligatio primùm computatur à die nuptiarum; ſi autem pro tempore antecedenti dos promiſſa, & tradita fuiſſet, eadem cum uſuris reſtituenda eſſet nuptiis non ſecutis, niſi abſque culpa viri interiiſſet, tunc enim, etiamſi fuiſſet æſtimata æſtimatione faciente venditionem, damnum interitus, vel deteriorationis cederet conſtituenti dotem, eò quòd ante eventum conditionis, nempè nuptiarum, nondum transferatur abſolutum illius dominium, ut habetur *l. Plerumque 10. §. ſi ante ff. de Jure dotium*.

Dividitur dos 1. in æſtimatam, & inæſtimatam, æſtimatur autem, id eſt, taxatur pretium dotis ob duplicem diverſum finem; in primis enim æſtimatur æſtimatione faciente venditionem, id eſt in hunc finem, & cum hoc pacto, ut maritus dotem tamquam ſibi venditam recipiat, & vel ipſe, vel hæredes illius diſſoluto matrimonio reſtituant, non ipſam rem conceſſam in dotem, ſed pretium illius, quanti æſtimata eſt, *l. Quoties, 3. C. de Jure dotium*, vel ſaltem, ut non teneantur reſtituere rem, ſed poſſint per liberam electionem reſtituere rem, aut pretium illius, quando nimirum cum tali pacto, ſeu conventione marito tradita fuit, ut habetur *l. Plerumque 10. §. ult. ff. de Jure dotium*. 137

Unde in tali caſu maritus per emptionem dotis, celebratis nuptiis completam, & abſolutam, non tantùm dominium indirectum, ſeù jus utendi, fruendi &c. Verùm etiam dominium directum, ac proprietatis acquirit *l. 5. cit. Cod. de Jure dotium. & l. 10. Cod. eodem*: & ſi dos pereat, aut deterioretur poſt contractas nuptias damnum cedit marito, ſicut etiam lucrum, ſi melioretur, ut patet ex *cit. l. 10.*

Quod ſi tamen maritus, vel hæredes illius conſtitutum pretium, ſeu valorem dotis diſſoluto matrimonio reddere non poſſent, ante omnes alios creditores uxor rem ſuam dotalem à quocumque poſſeſſore vindicare poteſt, veluti ſi æſtimata, ac vendita non fuiſſet, *juxta l. In reb. 30. C. de Jure dotium.* Alter finis, ſeu cauſa æſtimandi dotem eſt, ut, licèt dos non vendatur marito, tamen de pretio conſtet, caſu quo res in dotem tradita, ex culpa mariti interiret, ac proinde loco rei dotalis pretium taxatum finito matrimonio reſtituere cogeretur: ſicut etiam teneretur ſupplere pretii æſtimati defectum, ſi dos reddenda ejuſdem mariti culpa fuiſſet vilior facta, ſi autem neque levis culpa mariti damno cauſam dediſſet, illud totum cederet uxori: ut expreſsè dicitur *l. Plerumq; 10. ff. de Jure dotium*.

Dividitur 2. dos in profectitiam, & adventitiam, illa eſt, quæ proficiſcitur, vel provenit à Patre, vel ab aſcendente Paterno, vel quæ datur à quocumque alio intuitu primario patris *l. 5. ff. de Jure dotium*. Adventitia eſt, quæ nec à patre, nec ab aſcendente paterno, nec illius intuitu advenit, ſive deinde habeatur ex propriis bonis, ſive ex maternis, ſive à conſanguineo, ſive ab extraneo. Iſtud autem dotis diſcrimen hunc effectum habet, ut dos profectitia filiæ nondum emancipatæ, quando diſſolvitur matrimonium morte mariti, revertatur ad patrem, & non ad filiam viduam (niſi fuerit emancipata) penes patrem enim manſit dominium directum dotis, qui quidem obligatur filiæ iterum nubenti totam dotem redonare, niſi ob notabilem bonorum ſuorum diminutionem ſolùm teneatur reddere, quantum commodè poteſt. At, ſi dos fuit adventitia, revertitur ad filiam tam non emancipatam, quàm emancipatam, niſi expreſſo pacto dotantis, aliud fuerit conſtitutum. 138

Atque ex his patet, quale dominium conveniat uxori circa bona dotalia, nempè dominium directum naturale, niſi ſint æſtimata æſtimatione faciente venditionem aut niſi pondere, numero, vel menſura conſtent, aut niſi denique, vel propter patriam poteſtatem, vel propter ſpecialem conventionem in dominio conſtituentis dotem permanſerint. Dominium utile verò, ac civile ſpectare ad maritum extra priores duos caſus limitationis, iis verò poſitis etiam dominium directum naturale marito competere, ſub obligatione perſonali, reddendi æſtimationem ſoluto matrimonio. 139

§. II.

Qui teneantur Dotem conſtituere.

SUMMARIUM.

140 *Pater ſui Juris exiſtens tenetur legitimæ filiæ 25. annum ætatis egreſſæ, & nubere volenti, dotem conſtituere, per ſe loquendo.*

141 *Si autem Pater non ſit ſui Juris, probabiliùs tenetur Avus, in cujus poteſtate ille eſt.*

142 *Quan-*

142 *Quanta ſit conſtituenda Dos.*

143 *Filiæ legitimæ non quidem debetur Dos; debentur tamen alimenta, aliunde non habenti.*

144 *Maritus non tenetur ampliùs ex Lege facere donationem propter nuptias; Tempus anni 25. completi pro conſtituenda dote eſt tantùm aſſignatum pro foro externo: urgente autem periculo incontinentiæ, non eſt illud tempus expectandum.*

145 *Quinam in defectum immediate obligati dare dotem, teneantur ſupplere vices.*

146 *Probatur prius de Avo, & aſcendentibus paternis: deinde de Matre, & aſcendentibus maternis.*

147 *Probatur in priorum vicem de fratribus.*

140 DIco I. Ex communi, & certa ſententia, patrem, niſi ipſe in proprii parentis poteſtate adhuc ſit conſtitutus, per ſe loquendo ſub gravi culpa obligari, filiæ legitimæ ſaltem 25. ætatis annum egreſſæ, ac nubere volenti dotem conſtituere. Prob. expreſſa Juris Conſtitutione *l. 19. ff. Ritu nuptiarum. l. ult. Cod. de Dotis promiſſione*, ex qua, ut legenti manifeſtum eſt, communis ſenſus DD. quos refert, & ſequitur P. Haunoldus, *to. 1. tr. 4. n. 379.* contra Bartolum, Aiciatum, Fachinæum, quorum opinionem ut probabilem defendit Palao *diſp. 9. p. 4. §. 1. n. 5.* rectè colligit, eandem obligationem manere, etiamſi filia ex hæreditate materna, vel aliunde ex propriis bonis ſufficientem dotem afferre poſſet. Neque obſtat, quod major ſit obligatio præbendi alimenta, quàm conſtituendi dotem, & tamen ceſſet obligatio in patre præbendi alimenta, quando filia aliunde poſſet habere ſuſtentationem; nam dos non decernitur à Jure propter neceſſitatem, & indigentiam filiæ, ſed propter illius ſpecialem favorem, & amorem paternum erga filiam, ob quem decet ex propriis bonis providere de marito filiæ nubere volenti; ut ſi ipſa etiam aliqua bona habeat, eò meliorem maritum, & commodius matrimonium obtinere poſſit, ideo aliud eſt, obligationem eſſe majorem; eò quòd una ſit Juris naturalis, altera poſitivi; & aliud, unam eſſe magis abſolutam à neceſſitate, & indigentia alterius.

141 Nunc concluſionis limitationes declaremus: prima continetur his verbis: *niſi ipſe pater in proprii parentis poteſtate adhuc ſit conſtitutus*: quam limitationem licèt Palao *§. 2. n. 2.* referens Baldum, Fachinæum, Greg. Lopez, exiſtimet neceſſariam non eſſe, aſſerens avum tantùm in defectum patris, vel de bonis illius teneri dotare neptem, etiam ſub ſua poteſtate conſtitutam, nihilominus P. Rebellus *p. 2. lib 5. q. 4. n. 23.* & P. Haunoldus *n. 384.* cum aliis DD. oſtendunt, Juri eſſe conformius, ut quando patria poteſtas remanet penes avum, ipſe dotem conſtituat, cum *l. 19. ff. de Ritu nuptiarum*, & *l. ult. Cod. de Dotis promiſſione*, ſimpliciter dicatur, eos, qui liberos habent in poteſtate, dotem dare debere, & paternum eſſe officium (hoc autem, ut ex priori Lege conſtat, à patrefamilias ſeu patria poteſtate fungente, non à genitore, qui ipſe in poteſtate aliena eſt, geritur) dotem vel ante nuptias donationem pro ſua dare progenie. Atqui quando aliquis ſimpliciter dicitur dotem dare, de ſuo dare cenſetur; advertit Rebellus: ergo avus paternus de ſuo tenetur dotare neptem, in patria ſua poteſtate conſtitutam, quod *l. 5. §. 8. ff. de Jure dotium* adeò verum eſſe probatur, ut ſi pater filiæ dotem loco avi dederit, eam avo priùs appropriaſſe cenſeatur: ita enim ibidem habetur: *Si filiusfamilias mutuatus Creditorem delegavit, ut daret pro filia dotem, vel etiam ipſe accepit, & dedit videri dotem ab avo profectam, Neratius ait, quatenus avus eſſet dotaturus neptem ſuam, id enim in rem avi, videri verſum.* Confirmatur eadem ſententia ex *l. Dotem, quam dedit, 6. ff. de Dotis collatione*, ubi etiamſi pater videatur primò obligari ad dotandam filiam, avus verò tantùm mediatè, ac conſequenter tantùm in defectum, patet tamen ex verbis mox referendis, avum ex officio erga filiumfamilias obligari ad dandam dotem nepti nomine filii, ut ſit filius tantùm obligetur, ad dotem conferendam ex patris bonis, non autem avus obligetur ad dotandam neptem ex filii bonis, prout Palao contendebant: textus ita habet: *Occurrit æquitas rei, ut, quod pater meus propter me filiæ meo nomine dedit, proinde ſit, atque ipſe dederim; quippe officium avi circa neptem ex officio patris erga filium pendet, & quia pater filiæ, ideo avus propter filium nepti dotem dare debet:*

142 Secunda limitatio indicatur particulis: *per ſe loquendo*: nam ratione inopiæ poteſt pater eſſe excuſatus, ut vel nullam, vel non ſufficientem, vel non integram dotem ſtatim conferat, quamvis pro integritate nulla etiam quantitas ſit determinata, ſed ſecundùm prudentis arbitrium ſpectata dignitate perſonarum, patria conſuetudine, & facultatibus dotantis menſurari debeat, & ordinariè legitimam excedere non ſit neceſſe, nec liceat, aliorum fratrum aut ſororum legitimam per illam imminuere: præterea, quia dos hæreditati ſubſtituitur, ac mortuo patre in communem hæreditatem deducitur *juxta l. 29. Cod. de Inofficioſo teſtamento*, hinc illæ cauſæ, quæ ad exhæredationem ſufficiunt, etiam à dotis conſtitutione, ſaltem alimentorum in caſu neceſſitatis prębendorum, ęſtimationem excedente ordinariè excuſant; Unde etiamſi filiusfamilias promeritus eſſet exhæredari, & ſi vera eſſe ſententia Hunii, & aliorum, quos refert, & ſequitur Molin. *to. 1. d. 164. concl. 8.* nempe Bartoli, Covar. Antonii Gomez, qui, ut vult P. Haun. *to. 1. tr. 5. n. 425* contra communiorem docent, nepotes non poſſe ſuccedere in hęreditate avi in vicem patris illi renuntiantis, vel exhæredati, quando alii immediati deſcendentes adhuc ſuperſunt, in tali, inquam, caſu avus non teneretur dotare neptem ex filio exhæredato, quamvis, ſi nihilominus dotaſſet, dos mortuo avo, & filia ad patrem reverteretur, *l. 6. ff. de Dotis Collatione*, ut hoc ſaltem habet ex paternis, inquit lex, quod propter illum datum eſt.

143 Tertia limitatio exprimitur per particulam *legitimæ*: filiam enim illegitimam, ſive naturalis, ſive ſpuria ſit, ſicut pater non tenetur portionem legitimam hæreditatis illi relinquere, ſic neque dotare tenetur ex ulla lege poſitiva, ſaltem ſi ex propriis bonis, undecunq; acquiſitis, vel arte ſua, vel quavis alia ratione habeat, ut ſecundum ſtatum ſuum decenter vivere poſſit: quòd ſi autem hoc non habeat, tenebitur pater ex æquitate naturali, ne filiæ pudicitia periclitetur, dotem etiam ſpuriæ aſſignare in vicem alimentorum, quamvis iſta ſucceſſivè faciliùs præberentur, quàm integra Dos de præſenti, quæ tamen regulariter loquendo æſtimationem alimentorum non neceſſariò debet excedere, quando nimirum ſufficit, ut per eam obtineri poſſit maritus ſecundùm conſuetudinem patriæ ejuſmodi filiæ conditioni proportionatus. Ita communis ſententia Molinæ Juriſtæ, Bartoli, Barboſæ, Covar. quos ſequitur Rebell. *p. 2. l. 5. q. 8. n. 3.* quamvis de hac obligatione dubitet Palao *d. 9. part. 4. §. 1 n. 6. & §. 2. n. 2.* eamque de ſpuriis neget Alexander, & quidam alii apud Rebell. *loco citat.*

144 Quarta limitatio continetur in voce *filiæ*: nam licèt *l. 29. C. de Inofficioſo teſtamento* legantur hæc verba: *Novella conſtitutio D. Leonis ante nuptias donationem à filio conferri ad ſimilitudinem dotis, quæ à filia confertur. præcepit:* & Lex ult. *Cod. de Dotis promiſſione* idem inſinuet, cùm ait, *paternum eſſe officium, dotem, vel ante nuptias donationem pro ſua dare progenie*: Advertit tamen Rebell. *q. 5. n. 8.* ad finem: prædictam legem per non uſum antiquatam eſſe, quoad donationem ante ſeu propter nuptias à patre filio faciendam, & ab hoc ad communem uſum matrimonii afferendam, ſicut ab uxore affertur Dos: unde ait citatus Auth. ſi ſaltem ex debito honeſtatis hujuſmodi donatio filio facta ſit, eam ab utroque parente ex communibus bonis cenſendam eſſe factam, & non à ſolo patre.

Quinta limitatio per verba: *ſaltem 25. ætatis annum egreſſæ*, adiecta eſt pro foro externo, in quo pater Judici ſive Civili, ſive Canonico (nam hæc poteſtas cogendi patrem ad elocandam filiam nubere volentem eſt mixti fori) ætatem minorennem, neque ſatis prudentem, forſan opponere poſſet: quamvis periculo incontinentiæ præſertim urgente, in conſcientia jam ante illam ætatem filiæ maritum, ac dotem dare teneretur.

145 Dico 2. Quamvis avus paternus neptem ſub ſua poteſtate non conſtitutam nullo Jure expreſſo dotare cogatur, ſicut pater Jure novo *l. Fin. Cod. de Dotis promiſſione*, cogitur dotare filiam etiam emancipatam; ſi tamen

pater, aut hæres patris ex portione ſuperante ſuam legitimam, dotem dare non poſſent, nec filia aliunde ex propriis bonis, vel arte ſua dotata eſſet, obligatur avus paternus defectum patris ſupplere, ſicut iſte teneretur ſupplere defectum avi erga neptem ſub illius poteſtate poſitam. Deficiente autem patre, & aſcendentibus paternis tenetur dotare filiam mater, vel hujus loco ejus aſcendentes, ac denique etiam his deficientibus, obligantur fratres ex eodem patre ſorori dotem contribuere ſecundùm ejus conditionem, ac qualitatem: immò Tiraquel. Gregor. Lopez, & Mol. Juriſta apud Palao §. 3. *num.* 3. exiſtimant etiam ex eadem matre tantùm progenitæ ſorori dotem à fratribus uterinis conferendam eſſe ſaltem ſecundùm æſtimationem alimentorum, in neceſſitate præbendorum, quibus non quidem quoad obligationem, ſed quoad laudabilem liberalitatem conſentit P. Haun. *n.* 389.

146 Prima pars, qua avus paternus neptis emancipatæ, aut ex filio emancipato genitæ præfertur matri, defenditur à Bart. Barboſa, & ex T. T. à Rebel. *quæſt.* 4. *num.* 24. P. Haun. *n.* 486. & hoc teſte pleriſque Juriſtis contra Palao §. 2. *num.* 4. & Laram apud Rebellum. Ratio eſt, quia, licèt neptis nec ad hæreditatem qua talem avi, nec ad hæreditatem matris ante eorum mortem habeat Jus, potiùs tamen convenit, ut, quando dos non ratione patriæ poteſtatis, ſed ratione neceſſitatis, & indigentiæ conſtituenda eſt, ea ex illius hæreditate conſtituatur, à quo puella in neceſſitate debet accipere alimenta, & qui quaſi ſuccedit in locum patris ratione ejuſdem ſanguinis: ſed iſte eſt avus paternus, & in hujus defectum deinde obligatur mater, cui rurſum deficienti ſubſtituitur avus maternus, ut Doctores communiter, quos refert, & ſequitur Laym. *lib.* 5. *tract.* 10. *par.* 3. *cap.* 5. *num.* 7. rectè colligunt *ex leg. Si quis à liberis ff. de Agnoſ. & alendis liberis*: ergo in neceſſitate Dos à prædictis eodem ordine eſt conſtituenda.

147 Secunda pars de fratribus conſanguineis probari ſolet *ex l. Cùm plures §. penult. ff. de Adminiſtratione, & periculo tutorum*. Ubi, dum tutor ex bonis pupilli dotem ſorori illius dare prohibetur, niſi ex eodem patre progenita fuerit, per regulam, quòd exceptio unius ſit incluſio alterius, colligitur, debere dare dotem, ſi ſoror ſit conſanguinea, ſeu ex eodem patre generata; & in hoc differt obligatio fratris erga ſororem ab obligatione filii erga matrem, quam, etſi in neceſſitate alere, dotare tamen non tenetur, eò quòd illam deceat, & ad patris defuncti honorem, ac fidelitatis conjugalis perfectionem ſpectet, ſi mater non tranſeat ad ſecundas nuptias, cujus proinde oppoſitum filius non cogitur procurare.

§. III.

Aliquot circa dotem quæſita reſolvuntur.

S V M M A R I V M.

148 *An, & quando dos Marito tradita ante Matrimonii diſſolutionem repeti poſſit.*

149 *Quando poſt Matrimonii diſſolutionem dos reſtitui debeat.*

150 *An dos durante Matrimonio poſſit ex utriuſque conjugis conſenſu alienari*

151 *Exceptiones pro reſponſione negativa.*

152 *Si pro dote ſit data res conſiſtens in numero, pondere, vel menſura, poteſt illa à Marito alienari.*

153 *Cui dotis invalidè alienatæ vindicatio competat.*

148 QUærit. 1. an dos marito tradita aliquando ante matrimonii diſſolutionem repeti poſſit. Reſpond. Etiamſi per ſe loquendo non poſſit *juxta l.* 2. *ff. Soluto matr.* Si tamen maritus propter cauſam de novo datam, & ante non prævisam, moraliter certò crederetur malè adminiſtraturus dotem v. g. quia improviſa ſua culpa propria bona diſſipans ad inopiam vergit, nec poſt diſſolutionem matrimonii doti ſolvendæ erit, conceditur uxori *leg. Si conſtante* 24. *ff. Soluto Matrimonio, & Authent. de Æqualitate dotis* 97. *cap.* 6. (cui privilegio etiam renuntiare non poteſt, quia non poteſt dotis conditionem deteriorem facere, *ſecundùm l.* 14. *&* 17. *ff. de Pactis dotal.*) ut dotem ſive adventitiam, ſive profectitiam repetere poſſit, vel per ſe, vel per alium adminiſtrandam, quo fructus inde percepti in uſum familiæ conferantur *juxta l. Ubi adhuc* 29. *Cod. de Jure dotium*, niſi maritus per ſequeſtrum, vel fidejuſſorem uxorem de dote conſervanda aſſecurare malit, quod remedium marito Theologi, & canoniſtæ contra Juriſtas nixos citata *l. Ubi adhuc*, & *Novella* 97. *c.* 6. communiter concedunt propter capitulum *Per veſtras litteras de donationibus inter virum, & uxorem*: ubi hæc redditur ratio: ne occaſione dotis detentæ uxor à viro dimiſſa, ſeu vir, qui dimiſit uxorem, adulterii reatum incurrat. Imò, ſi maritus certò emendatus noſceretur, nullumque malæ adminiſtrationis periculum de ipſo ampliùs timendum eſſet, docent Palao *à num.* 12. Mol. *d.* 429. ad finem, & P. Haun. *num.* 400. quamvis contrariam ſent. Palao communem appellet, dotem marito reſtituendam eſſe, eò quòd ſublata cauſa excuſante ejus adminiſtratio Jure ipſi debita, & tantùm ſub conditione imminentis periculi, non abſolutè adempta ſit: quæ ſententia conformior eſt prædictæ rationi: & ſervit ad amorem conjugalem ſovendum.

Quær. 2. Quando poſt matrimonii diſſolutionem dos 149
reſtitui debeat. Reſp. Si conſiſtit in re immobili, corporea, & inæſtimata in ordine ad venditionem, reſtituendam eſſe ſtatim, ſi verò conſiſtat in re mobili, vel incorporea, vel æſtimata, ſatis eſſe, ſi intra annum reſtituatur, ut habetur *l. un. §.* 7. *Cod. de Rei uxoriæ actione*: quamdiu verò dos non reſtituitur, ſi uxor manet in domo hæredum, iiſdem gaudet Juribus in ordine ad accipienda alimenta, quibus tempore matrimonii gaudebat, teſte P. Haun. *tr.* 4 *n.* 426.

Quær. 3. An Dos durante matrimonio poſſit ſaltem ex 150
utriuſque conjugis conſenſu alienari. Reſp. cum diſtinctione: ſi dos ſit res immobilis, & inæſtimata æſtimatione faciente venditionem (de æſtimata enim non eſt dubium, quin illam maritus, utpote ſuam, alienare queat, modò poſt diſſolutionem matrimonii valeat æſtimationis dotem reddere, alioquin uxori manebit hypothecata, *juxta l. in Rebus Cod. de Jure dotium*) Jure ſtatutum eſt, ut neque mutuo conſenſu validè alienetur, *Inſt. Quibus alienare licet in princ. & l. un. §.* 15. *Cod. de Rei uxoriæ actione*.

Excipe 1. Niſi illa res immobilis, quæ fundus dotalis 151
appellatur, ad alium dominum partiali Jure pertineat, & ille alienationem deſideret *l.* 2. *Cod. de Feudo dotali*. Excipe 2. cum Palao *punct.* 14. §. 2. *num.* 4. niſi alienatio cedat in manifeſtam utilitatem majorem uxoris, cùm etiam Eccleſiæ bona ob hanc cauſam ſervata, debita ſolemnitate alienari poſſint: talis autem major utilitas ſufficiens ad alienationem eſſet, ſi alio commodiore fundo permutaretur, ut expreſsè dicitur *l. fin. ff. de Jure dotium*: ſi verò tantùm pecuniæ ſolverentur, licèt per contractum mutui, aut ſocietatis majus lucrum ex illis reportari poſſet, non tamen cenſeretur meliorata conditio dotis propter frequentia pericula aliquando amittendi totam ſummam. Excipe 3. niſi uxor conſenſum in alienationem juramento non revocandi firmet, ut expreſſum eſt *in c. Cum contingat de jurejur. & cap. Licet eodem in ſexto*. Excipe 4. Niſi uxor poſt biennium conſenſum ratihabeat, & ex aliis mariti rebus damno conſuli poſſit. *Auth. Sive à me Cod. ad S. C. Vellejanum*. Excipe 5. niſi neceſſitas cogat, eò quòd vel ipſe fundus dotalis ſit alteri debito reali ante matrimonium obligatus, vel debita perſonalia ab uxore contracta aliàs exſolvi non poſſint, pro qua tamen alienatione requiritur conſenſus mariti, vel in debitorum contractionem, vel in ipſam alienationem etiamſi debita ante nuptias fuerint contracta, modò maritus bona fide fundum pro dote acceperit, ut *juxta l. Tertia ff. de Jure dotium* contra deciſionem ſenatus Neapolitani docet Pal. *par.* 14. §. 1. *num.* 5. citans Petrum Barboſam plures referentem, quos ſequitur P. Haun. *tract.* 4. *n.* 409. ratio eſt, quia, quamvis ſponſa licitè non poſſit plus in dotem offerre, quàm quod habet deducto ære alieno, *juxta l. Mulier bona* 72. *ff. de Jure dotium*, validè tamen offert, & ſicut Emptor non tenetur reſtituere rem bona fide emptam in præjudicium Creditorum: ſic nec maritus etiam ex contractu oneroſo dotem bona fide accipiens tenetur conſentire in alienationem dotis, propter

cujus

cujus jus uxor per accidens, ut aliàs etiam fieri poteſt, ex iniqua dotis translatione hoc commodi reportat; ut alimenta percipere poſſit de fundo dotali, ex cujus pretio alioquin debita expungenda fuiſſent.

152 Si verò dos ſit res mobilis, nec in numero, pondere, aut menſura conſiſtens, v. g. ſi mancipium in dotem ſit traditum, adhuc quidem maritus illam alienare non poſſet, ſuppoſito, quòd deinde poſt diſſolutionem matrimonii ſolvendo non eſſet, ut colligitur, *ex l. Res in dotem data 42. ff. de Iure dotium*, ubi alienatio tantùm conceditur de bonis, quæ mox dicemus, per quorum expreſſionem, ſeù incluſionem videtur indicari excluſio aliorum; ſi autem maritus eſſet ſolvendo, vel ſi dos ſit res conſiſtens in numero, pondere, aut menſura, vel quæ ſervando ſervari non poſſit, tunc permittitur marito ejuſmodi dotis alienatio, ut partim colligitur ex cit. l. partim ex fine, eò quòd propterea ſæpè concedatur res, aut illa utilis non ſit, niſi alienetur: partim quia nullibi expreſsè prohibetur talium rerum alienatio.

153 Quær. 4. Cui dotis invalidè alienatæ vindicatio competat. Reſp. Cum communiſſima ſententia, relata, & approbata à Molina *diſp.428.* Palao *diſp.9.pu.14.§.9.nu.2.* P. Haun. *tr.4. num.415.* durante matrimonio competere marito, ſaltem nomine uxoris; quia eſt adminiſtrator dotis, & probabiliùs competere etiam nomine proprio teſte Baldo, Guttier. apud Palao, P. Haun. & aliis communiter; quia per fictionem Juris maritus habet dominium directum Civile manente Dominio naturali penes uxorem, ut habetur *Inſtit. Quibus alienare licet, vel non, in principio*: Atqui maximè proprius effectus Juris civilis eſt vindicatio rei nomine proprio: ergo hæc competit marito. Quando verò opponitur *lex, Cum profitearis 4. Cod. de Revocandis donationibus*, ubi nemini conceditur adversùs proprium factum venire, tametſi abſque Juris ſolemnitate, adeòque nulliter factum ſit: *& lex Vindicantem 17. ff. de Evictionibus*, præterea *lex. 11. Cod. eodem.* Ubi, quem de evictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio. Reſp. Per has Leges non negari actionem, eam inſtituenti non in proprium tantùm bonum, ſed ad emendandum damnum alteri à ſe datum. In defectum mariti negligentis etiam uxori competit vindicatio; imò, ut oſtendit Palao, de conſenſu, & multò magis de mandato mariti non negligentis, uxor ad vindicationem dotis invalidè alienatæ agere poteſt, quia, quod quis poteſt per adminiſtratorem, etiam poteſt per ſeipſum de conſenſu illius. Mortuo verò marito certum eſt, uxori dotis vindicationem deberi, quia præter dominium naturale, quod ſemper retinuit, etiam adminiſtratio ad illam revertitur; imò nec poteſt ratificare alienationem fundi, niſi priùs eidem fuerit reſtitutus; quia donec reſtituatur, retinet rationem fundi dotalis *juxta l.12. ff. de Fundo dotali*: atqui fundus dotalis extra caſus prædictos non poteſt validè alienari, quamdiu retinet rationem, & privilegia dotis, ut etiam dicitur *l. 3. ff. eodem.*

§. IV.

Reſolvitur quæſtio in titulo capitis propoſita circa dominium uxoris.

SUMMARIUM.

154 *Bonorum Paraphernorum dominium directum, & utile ad uxorem ſpectat: niſi voluerit etiam illa Marito ad modum dotis dare.*

155 *Bona, durante Matrimonio ab alterutra Conjuge acquiſita, ſpectant ad acquirentem, ſecluſa contraria locorum conſuetudine.*

156 *Contrados, ſive donatio propter nuptias quoad dominium naturale directum, & utile ſpectat ad Maritum, quoad dominium civile autem ſpectat ad uxorem, cui conceditur vindicatio pro aſſecuranda dote.*

157 *Sponſalitia largitas, ſeu donaria propter futuras nuptias, jure novo non acquiruntur abſolutè niſi ſecutis nuptiis, aut propria donantis culpa non ſecutis.*

158 *Quoad dominium, & titulum donandi Morgengebam, ſeu donum Matutinale, locorum conſuetudo attendenda eſt.*

159 *Quomodo acquirantur Arrhe, altero culpabiliter frangente fidem.*

160 *Quas uxor ex Bonis mariti ſuæ adminiſtrationi permiſſis, vel competentibus, eleemoſynas, & donationes præſtare poſſit.*

161 *Vtrum eas non præſtitas ſibi valeat retinere.*

DE dominio circa bona dotalia jam ſatis dictum eſt in 1. §. De aliis ergo bonorum generibus nunc dicendum.

Secundi generis ſunt Paropherna, id eſt, quæ uxor 154 jam dotata extra, vel præter dotem habet ex donatione, hæreditate, &c. Horum dominium directum, & utile pertinet ad uxorem, niſi ita tradantur, ut inſtar dotis mariti efficiantur *l.8. & 9. ff. de Iure dotium.* Decet tamen, ut ſine cauſa horum adminiſtrationem uxores ſibi non reſervent juxta citatam *l. 8.* quæ ſi etiam civile dominium marito concedant in talia bona, tunc iſta naturam dotis ſequuntur cum hoc ſolo diſcrimine, quòd maritus non ſimiliter fructus pleno Jure lucretur, ſed ſimul in uxoris, & ſuam utilitatem convertere debeat, vel ad cauſas, quas uxor voluerit expendere *juxta l. Fin. ff. eodem.*

Tertii generis ſunt bona Communia per negotiationes, donationes, & mutuam operam poſt contractum 155 matrimonium acquiſita, quorum dominium directum ſecundùm plurium locorum conſuetudinem, & ſtatuta ad utrumque partialiter, adminiſtratio verò ad maritum ſpectat: Jure communi tamen ſeu imperiali non communicantur alteri conjugi illa bona, quoad ullum dominium, ſive proprietatis, ſive uſusfructus, quæ ab alterutro tempore matrimonii ſpeciali titulo acquiruntur.

Quartum locum tenet Contrados, Germanicè *die gegenwiden*, & latinè etiam donatio propter nuptias dicta, quæ à marito datur pro aſſecuratione dotis per modum hypothecæ, cujus etiam vindicatio, ſeu dominium civile uxori conceditur *in Novell. 61. & l. 29. cum Authentica ſequenti Cod. de Iure dotium*: ſpectat quoad dominium directum naturale, & utile ad maritum: atque in multis imitatur dotem; ſicut enim dos mortuo marito revertitur ad uxorem, ſic etiam donatio propter nuptias mortua uxore revertitur ad maritum: & ſicut, ſi pactum præceſſit de dote lucranda poſt mortem uxoris, eadem dos manet penes maritum, ſic vi ejuſdem pacti cenſetur etiam donatio propter nuptias manere penes uxorem poſt mortem mariti. Præterea ſicut maritus ſaltem poſt ſententiam Judicis propter adulterium uxoris lucratur dotem ad ventitiam, ſic uxor propter adulterium viri lucratur donationem propter nuptias, ſeu contradotem, ut ejuſdem dominium acquirat: unde præter utilitatem aſſecurandi dotem habet etiam hanc, ut aſſecuret fidem conjugalem. 156

Quinto loco ponitur Sponſalitia largitas, ſeu dotalitium, aut mundus muliebris, eſtque donatio inter ſponſos facta intuitu futuri matrimonii: hæc Jure antiquo erat abſoluta, & donatio ante nuptias vocabatur, ſed hodie habet annexam conditionem futuri matrimonii, qua conditione impleta tranſit in abſolutam, & uxor acquirit verum dominium, ſicut per aliam donationem quamcunque; ea verò per alterius culpam non impleta, poteſt pars innocens repetere, quod donavit, quin teneatur reddere, quod accepit: *l. Cum veterum Cod. de donationibus ante nuptias*, ſi verò nullius culpa conditio impleta non fuit, Sponſus totum donum, Sponſa verò quando poſt donationem ſibi factam oſculum, vel copulam paſſa eſt, dimidium cogitur reſtituere, aliàs etiam totum, *l. Si à Sponſo Cod. eodem.* 157

Sextum locum ſibi vendicat donum matutinale, quod 158 à Germanico vocabulo *die Morgengab*, Latinè Morgengeba, & à Caſtellanis, ac Luſitanis apud Mol. *diſp 431. num.4.* etiam Arrha appellatur. Deſcribitur à P. Haunoldo *tr.4. num. 330.* ex clariſſimo Doctore Rath eſſe id, quod maritus altero nuptiarum die, & ſecundùm Jus Bavaricum quidem pro virginitatis theſauro, ſecundùm Jus commune verò pro pudicitia novæ nuptæ elargitur, ad quod alludere videtur Juvenalis *Satyra 6. Nec illud, quod prima nocte datur.* Molina tamen *diſp. citata n.5.* ex communi DD. Hiſpanorum ſenſu aſſerit, iſtud matutinum donec nec ſolius virginitatis, quæ tantùm in primo ma-

mo matrimonio cum Sponſa virgine locum haberet, nec ſolius pudicitiæ cauſa dari ſolere, ſed etiam propter nobilitatem; imò ſecundùm mores hodiernos ſolam cauſam talis donationis attendi, ut uxor opulentior ſit ad ſuſtinendam vidualem honeſtatem, in qua mortuo marito manſura præſumitur. Unde numero præcedente definivit Morgengebam, quam ipſe Hiſpanorum more Arrham appellat, quod ſit quædam promiſſio, (intellige objectivam, non formalem, ſeu promiſſionis actum) quam ſponſus ei facit, cum qua contrahit, & quam mulier ſtatim matrimonio contracto, ac conſummato ſibi acquirit cum dote ſolvendam, ac tradendam diſſoluto matrimonio: ait enim, regulariter, & ordinariè non tradi ante matrimonii diſſolutionem: & uſumfructum, ſi res fructifera promiſſa ſit, manere penes maritum, primùmque poſt hujus mortem accedere dominio directo uxoris. Ex quo patet, conſuetudine locorum, & intentionem promittentis, vel dantis Morgengebam maximè obſervandam eſſe, tam quoad acquiſitionem Juris, quàm quoad cauſam illud conferendi.

159 Septimo locò accenſendæ videntur Arrhæ, quæ ſive in re mobili, ſive immobili, & in qualicunque quantitate, vel ab alterutro, vel ab utroque Sponſo ante contractum matrimonii conſtitui poſſunt, & nihil aliud ſunt, quàm oppignoratio alicujus rei quoad dominium proprietatis acquirendæ, ſi tradentis culpa, matrimonium non eſſet ſecuturum, vel reſtituendæ in ſimplum à minorenni, ita ut ſola res accepta reſtitueretur, aut ſaltem in duplum à majorenni, aut veniam ætatis aſſecuto (nequit tamen conventio fieri de obligatione reſtituendi ultra quadruplum,) ſi accipientis culpa matrimonium impediretur, ut conſtat *ex l. 2. & 5. C. de Sponſalibus.* Verùm hæc non merentur numerari inter bona Uxoris, quia tantùm acquiruntur, ſi matrimonium non contrahatur, adeòque ſi Sponſa non efficiatur uxor; ſi enim contrahatur matrimonium, reſtitui debent Arrhæ eas tradenti; quia ad hunc finem datæ ſunt, ut propter eas recuperandas ſervetur fides promiſſi matrimonii futuri.

160 Ex dictis colligitur, uxorem de illis bonis, quorum dominium proprietatis, & uſumfructum habet, liberè diſponere poſſe; de iis verò, quorum utrumque, vel ſaltem uſusfructus ad maritum pertinet, abſque injuria, & damni compenſatione debita aliter diſponere non poſſe, quàm in quantum etiam ipſi aliqualis adminiſtratio conceditur ad neceſſarios uſus familiæ, ad donationes gratuitas, vel remuneratorias, ad largiendas eleemoſynas ſecundùm proportionem divitiarum, dignitatem ſtatus, & conſuetudinem aliarum fœminarum ejuſdem conditionis; qua moderationis regula ſervata, neque maritus prudenter, vel efficaciter poteſt eſſe invitus teſte Molina *diſp.* 274. Leſſ. *lib.* 2. *c.* 12 *nu.* 85 & aliis, quos citant. Unde renuente Marito poteſt Uxor ex eleemoſynis licitè aliàs in plures pauperes diverſos diſtribuendis, occultum ſubſidium præſtare pauperibus parentibus, fratribus, libris ex priori matrimonio ſuſceptis, in quos etiam alias donationes gratuitas ſibi permiſſas derivare poteſt, ſicut teſte Tamburino *lib.* 8. *tract.* 1. *c.* 2. §. 3. *nu.* 13. eaſdem ſecluſa avaritiæ nota, ſi hæc non uxori, ſed marito falsò imputaretur, licitè ſibi reſervaret; quod quidem citatus Author, meo tamen judicio, inconſequenter negat de eleemoſynis, niſi tantùm de caſu, quo ex charitate debitæ eſſent, non verò de Juſtitiæ obligatione violanda loquatur.

161 Ego potiùs de utriuſque reſervationis licentia dubitarem, eò quòd, quæ uxori ſub nomine honeſtæ ſuſtentationis à marito debentur, non videantur deberi, ſicut ſtipendium Clericis ex redditibus Eccleſiaſticis pro ſuſtentatione illorum, qui ſine dubio poſſent ſibi retinere id, quod honeſtæ ſuſtentationis titulo ad moderatas donationes, & eleemoſynas faciendas ipſis conceditur: ſed uxoribus hujuſmodi bona mariti videntur tantùm concedi conditionatè, vel ſub modo, ut ſi velint, poſſint ea elargiri aliàs in maritorum dominio remanſura, qui cæteroquin peccarent eadem ſibi retinendo, ſi uxoribus eſſent abſolutè debita: niſi forſan citati AA. dicant, illa quidem non eſſe abſolutè debita, ſed abſolutè permitti liberæ diſpoſitioni Uxorum: quod, quia ſaltem non videtur, poſſe dici univerſaliter, ideo judico, ex maritorum liberalitate, & amore erga Uxores id in particulari colligendum eſſe.

ARTICULUS V.

Quale Dominium conveniat Clericis ſæcularibus.

§. I.

An Clerici ſint Domini redditunm ſuperfluorum.

SUMMARIUM.

162 *Clerici habent, & retinent dominium Bonorum Patrimonialium, & quaſi patrimonialium, ſive ſtipendiorum, at diſtributionum pro aſſiſtentia in choro, pro miſſis celebrationis, & ſacramentorum adminiſtratione.*

163 *Ejuſmodi dominium etiam habent in bona Eccleſiaſtica, honeſtæ ſuſtentationi, ſibi competenti non ſuperflua.*

164 *Unde de his liberè diſponere poſſunt.*

165 *Imò etiam Bonorum Eccleſiaſticorum, competenti ſuſtentationi ſuperfluorum, Clerici abſolutum dominium habent.*

166 *Hinc Laici à Clericis etiam non titulo cauſæ piæ ſibi communicata reſtituere non tenentur.*

167 *Neque repugnat iſtud Dominium Intentioni piorum Fundatorum.*

168 *Neque obſtant varii modi loquendi SS. Patrum.*

169 *Neque obſtat aliquod Ius pauperum.*

170 *Neque deeſt voluntas, & Poteſtas Pontificis conferendi Dominium.*

Certum eſt apud omnes Theologos, Clericis primò competere plenum dominium bonorum patrimonialium, quæ ipſis donatione, hæreditate, arte obvenerint. Ratio eſt: quia his nullo modo ſe abdicant, neque pro pio uſu ſe obligant. Secundò competere etiam dominium æquè perfectum bonorum quaſi patrimonialium; quæ à fidelibus offeruntur non Eccleſiæ, ſed particulariter ipſis Miniſtris, tanquam laboris, & vitæ ſtipendium ob Miſſas, Sacramentorum adminiſtrationem, etſi præſtitam operam longè ſuperent, & Clerici propter beneficium aliundè ex Juſtitia hæc miniſtrare teneantur. Huc etiam ſpectant diſtributiones quotidianæ pro aſſiſtentia in Choro, licèt diſſentiant Navarrus, & Molina: Præterea ſtipendia pro Capellaniis, quamvis iterum Navarrus, Sylveſter, & Azor diſſentiant, quia revera non tam redditus, ex bonis communibus Eccleſiæ provenientes, quàm laboris, & functionis, v. g. pro celebratis Miſſis, præmia, ac ſtipendia ſunt. Ratio autem hujus dominii quoad omnia prædicta bona eſt, quia Clerici non debent eſſe deterioris conditionis, quàm alii Officiales profani, qui mercedis ſuæ perfectum dominium obtinent, & quia neque fideles aliter obligant Clericos. 162

Tertiò teſte Leſſio *cap.* 4. *num.* 39. Communis Theologorum eſt ſententia, quorum plures nominatim refert, & ſequitur Molina *diſp.* 143. contra multos Canoniſtas, Clericos habere ejuſmodi dominium bonorum Eccleſ. quæ congruæ ipſorum ſuſtentationi, & decentiæ ſtatus ſervandæ ſunt neceſſaria, nempè ad familiam alendam, hoſpitalitatem exercendam erga conſanguineos, amicos, peregrinos &c. ad remunerationes beneficiorum, imò etiam ad alias liberales, non prodigas donationes, & ſtatui convenientes relaxationes, Prob. hoc tertium membrum, ſicut ſecundum, quia Beneficiarii ſunt verè operarii in Eccleſia: ergo eodem modo lucrantur ſibi ad decentem ſuſtentationem neceſſaria. Adde, quòd niſi eſſent domini, ineptè abſentes privarentur dominio redditùum Eccleſiaſticorum à Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 3. & *ſeſſ.* 23. *c.* 1. ac *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. de Reformatione. 163

Ex his colligitur, poſſe Clericos bona prædicta in quoſcunque profanos uſus adhibere, vel ſi ex illis aliquid in pias cauſas dederint, poſſe tantundem de bonis Eccleſiaſticis ſuperfluis reſumere, etſi expreſſam habuerint volunta- 164

luntatem, non faciendi ſibi talem compenſationem; quia, ut rectè contra Palao, & Leſſium argumentatur Lugo *diſp.4.num.*45. & ex illo Pater Haunoldus *tract.4.numer.* 92. propoſitum non compenſandi non obſtat, quin Clericus ſatisfecerit Legi præcipienti fructus ſuperfluos dandos in pias cauſas, etſi deinde propoſitum mutetur, ſicut ſatisfacit Legi, audiens die feſto miſſam unam ex devotione, cum propoſito audiendi alteram ex præcepto, etiamſi deinde non audiat alteram: aliter res ſe haberet, ſi poſtea eſſemus dicturi, dari obligationem ex Juſtitia fructus ſuperfluos in pias cauſas expendendi; nam qui donat 100. flor. ſuo creditori, non ſatiſfacit debito 100. flor. quia non per donationem, ſed per ſolutionem obligatur alter ad conditionem oneroſam, remittendi debitum. His præmiſſis

165 Dico. Præter enumerata tria bonorum genera, Clerici probabiliùs ſunt etiam Domini reddituum Eccleſiaſticorum, quoad eam quoque partem, quæ honeſtę ſuſtentationi eorum non eſt neceſſaria, & quidem abſolutè, ſine modo (quem aſſeruit Laym. *lib.4.tra.2.cap.3.nu.*3. cum Navarro, & pluribus aliis relatis à Molina *diſput.* 144.) obligante ex Juſtitia illam in pias cauſas expendere. Ita S. Thomas 2.2.*quæſt.*185.*art.*7. & *Quodlib.6.art.*12. ac maximè recentiores Theologi communiter, imò teſte Covarruvia apud Valentiam, totius Chriſtiani Orbis conſuetudo contra Canoniſtas, ut forſan de ſibi notis, aut coævis loquens putavit Leſſius *cap.4.nu.* 24. ferè omnes, quamvis teſte P. Haunoldo *nu.*68. etiam pro noſtra ſententia Marſilius de Columna 55. enumeraverit, & Barboſa his adhuc alios addiderit. Prob. 1. quoad dominii acquiſitionem ex Trident. locis citatis ſtatuente, ut ii, qui intra duos menſes à die cœptæ poſſeſſionis beneficii Eccleſiaſtici profeſſionem fidei non fecerint; item, qui inter annum ultra tres menſes à loco beneficii abſuerint, fructus non faciant *ſuos*: quibus verbis, cùm non tantùm neceſſariis, ſed etiam ſuperfluis fructibus priventur, Concilium non rectè uſum eſſet, ſi aliàs ſuperfluos non facerent ſuos, ſeu, quod idem eſt, & ut etiam Bonifacius VIII. *in cap. unico de Clericis non reſidentibus in* 6. loquitur, dominium non acquirerent.

166 Probatur 2. Quia illicitæ applicationes in uſus profanos communi conſuetudine, nec Eccleſia ipſa contradicente habentur ut validæ, nec Laici tenentur ad reſtitutionem ſibi applicatorum bonorum: ergo Clerici applicantes habuerunt dominium, & quidem abſolutum à modo revocatorio, obligante ex Juſtitia.

167 Probatur 3. Quia cùm non ſufficienter conſtet, quòd fundatores non tantùm deſideraverint, ſed etiam voluerint tam rigoroſè obligare Clericos ad non expendendum ſuperfluos redditus in uſus profanos, non eſt imponenda Beneficiatis tanta obligatio, cùm ſine tali obligatione fundatores ſperaverint, & viderint bona ſua debito modo expendi. Igitur locum hic habet regula Juris, quòd in dubio nemo ſit ſpoliandus ſuo Jure, & in pari cauſa potior ſit conditio poſſidentis. Confirmatur: cùm potiùs Clericis, quàm pauperibus intenderint pii fideles benefacere, in illorum potiùs favorem mens fundatorum eſt explicanda.

168 Obiicitur 1. Bona iſta à SS. Patribus, & variis Canonibus dicuntur patrimonium Chriſti, bona pauperum, Dei Bona: & in Trid. Clerici iſtorum bonorum vocantur Oeconomi, Diſpenſatores, & ſi fructus iſtos malè expenderint, Fures, Latrones, &c. ergo Clerici non ſunt Domini. Reſp. Per talem piam exaggerationem etiam laicos vocari homicidas pauperum; etſi verum habeant dominium, & tantùm ex charitate obligentur ad dandas Eleemoſynas, eaſdemque à multis Patribus (quorum ſententias ad verbum refert P. Haunoldus *numer.* 75.) prolatas eſſe in Clericos ex bonis Eccleſiaſticis viventes, qui proprium patrimonium ſufficiens haberent: unde etiam adverſarii ad eas reſpondere debent. Reſp Ergo 2. cum Mol. *diſp.* 144. §. *ad primum* alludi ad tempora antiquiora, quando abſque ullius dominio Epiſcopi tanquam adminiſtratores bona Eccleſiaſtica pro cujuſque indigentia dividebant, uſque ad Pontificatum Simplicii, qui rexit Eccleſiam poſt annum Chriſti 470. creſcente autem multitudine Clericorum, & variis incommodis, in quatuor partes ab eodem Simplicio fuiſſe diviſa, ut habetur in *cap. de Redditibus* 12. *quæſt.* 2. Et confirmavit Gelaſius I. & Gregorius M. quarum una cedebat Epiſcopo, ſecunda Clericis, ſeu Miniſtris, tertia templi fabricæ, quarta pauperibus, quæ poſtea cum tribus prioribus eſt confuſa, ad quam tamen etiam Patres alluſiſſe dici poteſt, antequam confunderentur. Reſponderi poteſt 3. SS. Patres intelligendos eſſe de extrema, vel valdè gravi neceſſitate, quæ etiam obligaret ad ſuccurrendum de bonis Patrimonialibus ſuperfluis, conſequenter multò magis de ordinatis ad piam cauſam.

Obiic. 2. Pars ſuſtentationi Clericorum ſuperflua ac- 169
crevit illis ex portione pauperum, ſed hujus non potuerunt ſibi comparare dominium: ergo non habent dominium. Reſp. 1. à Palao *diſp. 2. de Charitate p. 6 num. 6.* neg. Maj. ſaltem ſi præciſè ex portione pauperum totus exceſſus ſuperfluitatis dicatur profluxiſſe, eò quòd illa portio non accreverit ſolis Clericis inferioribus, verùm etiam menſæ Epiſcopali, Eccleſiæ fabricæ, & teſtante Soto, hoſpitalibus, ac templis de novo erectis; imò etiam Principibus ſæcularibus ob Eccleſiæ defenſionem, unde ex titulo accretionis forſan parum, aut nihil dandum eſſet pauperibus. Reſp. 2. diſt. min. non potuerunt Clerici ſibi comparare dominium portionis pauperum ex propria authoritate con. min. authoritate Pontificum expreſsè, vel tacitè ob juſtas cauſas conſentientium, nego min. ſic enim pro locorum diverſitate variæ diviſiones reddituum Eccleſiaſticorum ſunt factæ: unde *in cap. Conſtitutum.* 16. *q.* 1. tertia pars reddituum annuorum, & *in cap. Requiſiti, de Teſtamentis*, tertia vel quarta pars. Denique *in cap. Antiquos* 10.*q.*1. media pars Epiſcopo aſſignabatur, quod ultimum tamen ſolùm de oblationibus in altari loquitur.

Obiic. 3. Sicut Pontifex non poteſt bona Eccleſiarum 170
particularium alienare, & in alias Eccleſias, vel pias cauſas transferre ſine juſta cauſa, ſic nec poteſt portionem pauperum: ſed nulla fuit juſta cauſa auferendi portionem pauperibus, eadem indigentibus, ac dandi Clericis ſæpè non indigentibus, ſed abutentibus: ergo &c. Reſp. Tranſeat Ma. de cujus ſuppoſito meritò dubitari poſſet, an Pontifex bona Eccleſiis donata, neque validè alienare queat abſque juſta cauſa, non obſtante, quòd ipſe univerſas repræſentet, & earum dominium forſan ultimatè alligetur voluntati Pontificis, nego min. propter beneficia enim Eccleſiæ Dei à Clericis præſtita, & propter honorem, ac commoda, quæ percipit, ſi illuſtres, ac ratione ſanguinis, vel doctrinæ præcipuæ perſonæ, alias forſan profanæ reipublicæ applicandæ ſtatum Clericalem aſſumant, potuit Pontifex, vel ad remunerandum, vel ad alliciendum etiam bona pauperibus deſtinata, aliis non indigentibus, & ultra neceſſariam ſuſtentationem aſſignare; quia nec fideles ſupponuntur, alio modo voluiſſe diſtribui ſuas fundationes, quàm quo maximè promoveri poſſit cultus Dei, nec Deus aliter cenſetur obligaſſe. Adde, quòd pauperibus adhuc conſultum ſit, propter obligationem, de qua nunc dicam.

§. II.

An Clerici redditus beneficiorum ſuperfluos licitè ad finem profanum expendere valeant.

SUMMARIUM.

171 *Clerici Bona Eccleſiaſtica, Competenti ſuſtentationi ſuperflua, non obſtante eorum perfecto Dominio, ex Religione tenentur expendere ad pias cauſas.*

172 *Colligitur hæc obligatio, & præceptum Eccleſiæ ex Trid. per communem ſenſum DD. & conſuetudinem continuam interpretato.*

173 *Et ex natura bonorum, proveniente ab Intentione piorum Fundatorum, ac Summorum Pontificum acceptatione, ſive ratificatione voluntatis eorum.*

174 *Unde obligatio Clericorum partim eſt Juris poſitivi, partim Naturalis.*

175 *Nec tamen à dicta Obligatione dominium Clericorum redditur inutile.*

176 *Obligatio Clericorum, dicta Bona expendentium ad fines profanos, non tranſit ad accipientes.*

Dico. Clerici non obſtante perfecto dominio peccant 171
ſecundùm proportionem materiæ graviter, vel leviter

leviter contra religionem, redditus beneficiorum, qui excedunt pretium ſummum ſuſtentationis, ipſorum perſonæ, ſecundùm prudentem omnium circumſtantiarum conſiderationem competentis, expendendo ad cauſas profanas, niſi ratione laborum, ac meritorum immunitas ab hac obligatione illis ſit debita, ut ejuſmodi ſuperfluos redditus per modum ſtipendii, & inſtar aliorum bonorum quaſi patrimonialium valeant poſſidere, ac liberè diſpenſare. Ita in re ipſa omnes Doctores, quotquot obligationem Juſtitiæ propter defectum dominii, vel propter dominio annexum onus, ſeu modum obligantem ex juſtitia non imponunt: quamvis enim Sanctus Thomas ſupra citatus, Molina *diſp.* 144. Palao *diſp.* 2. *de Charitate puncto* 6. *num.* 6. & plures alii potiùs charitatis, quàm religionis mentionem faciant, fatentur tamen omnes ſatisfieri obligationi, ſi ſuperflui redditus rei ſacræ, v.g. Eccleſiæ per actum religionis, & non pauperibus per actum charitatis applicentur, clareque ex probatione concluſionis patebit, obligatione tribuendi pauperibus, vel cuilibet piæ cauſæ fructus ſuperfluos beneficiorum, honeſtatem religionis, id eſt, cultum divinum qua talem intendi.

172 Probatur itaque concluſio. 1. In Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. *de Reformatione* præcipitur Epiſcopis, Cardinalibus, & inferioribus Clericis Beneficiatis, ut res Eccleſiæ, quæ Dei ſunt (ſcil. per ordinationem à fundatoribus intentam præciſè ad cultum Dei, non verò per excluſionem dominii humani reſidentis ante diſtributionem penes Eccleſiam particularem, id eſt penes communitatem fidelium alicujus loci particularis, poſt diſtributionem verò penes miniſtros, in quos, ut ſuprà oſtendi, translatum eſt dominium) pauperibus, quorum nomine quævis pia cauſa hic intelligitur, non verò conſanguineis, niſi & ipſi pauperes ſint, diſtribuant: quod præceptum, licèt de bonis nondum diviſis inter miniſtros Eccleſiæ, ſed adhuc immediatè ad Eccleſiam ſpectantibus intelligi poſſet, accedente tamen communi DD. ac Fidelium ſenſu etiam de diviſis ſuperfluis accipi debet: ſubſumo: atqui præceptum iſtud obligat in conſcientia, &, ut ex particulis, *quæ Dei ſunt*, conſtat, ſub peccato impeditivo cultus divini, à Fundatoribus beneficiorum intenti, quod proinde eſſet contra religionem: ergo Clerici non obſtante dominio perfecto peccant contra religionem aliter agendo.

173 Probatur 2. Etiamſi expreſſa, vel tacita voluntate Pontificum, variam conſuetudinem variis in Eccleſiis præſcriptam, tacitè ratificantium, diviſio redditüum Eccleſiaſticorum ad cultum DEI ordinatorum facta, ac introducta ſit: tamen Pontifices non potuerunt, vel non debuerunt eam permittere, niſi juxta voluntatem præſumptam ipſorum fundatorum, dominium proprietatis rerum ſuarum, particularibus Eccleſijs conferentium, & eaſdem res ſuas DEO conſecrantium, illique per ipſas Eccleſias à ſe tam liberaliter dotatas offerentium; atqui voluntas fundatorum rationabiliter præſumpta, per ſe, & univerſaliter loquendo non potuit eſſe, niſi ut fundationum ſuarum redditus expenderentur, vel ad honeſtam ſuſtentationem miniſtrorum DEI, vel ad neceſſitatem pauperum, vel ad aliam cauſam cultui divino ſervientem: ergo diviſio redditüum Eccleſiaſticorum, ac dominii translatio, per ſe loquendo tantùm ad hos fines eſt permiſſa, & licita reddita, ita ut quamvis poſt diſtributionem in miniſtros deſierint eſſe res Eccleſiæ, non tamen deſierint eſſe res Dei, donec cultus Dei per aliquem ex prædictis finibus ultimatè ſit procuratus, vel ipſa ejus procurandi remiſſio, ac immunitas ob cauſam aliquam extraordinariam ad cultum divinum inſervientem ſit obtenta. Undè ſicut peccat contra juſtitiam, & religionem, qui furatur rem ſacram alicujus Eccleſiæ, v.g. pecunias ex gazophylacio, ſic ſaltem, poſtquam res deſiit eſſe Eccleſiæ, ſed tamen non deſiit eſſe res ſacra, peccat contra religionem, quia ea utitur ad alios fines; quàm ad quos eſt ordinata: quod declarari poteſt exemplo calicis, proprii quidem quoad dominium, ſed per benedictionem Epiſcopi ad ſacrificium Miſſæ deputati, ut proinde Dominus ad profanum uſum illum adhibendo, contra religionem peccaret; ſicut etiam peccaret contra religionem voti, ſi eum ad piam cauſam DEO promiſiſſet, & retento, vel in alium translatò dominio ad eandem non applicaret.

Ex his patet, quomodo conciliari poſſint ſententiæ diverſæ, quarum una aſſerit, prædictam obligationem eſſe Juris poſitivi, cui videntur favere verba Tridentini loc. cit. ubi ait: *Cum & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ DEI ſunt, conſanguineis donent.* Altera verò & communior affirmat eſſe Juris naturalis, ſicut eſt obligatio voti: cum prima enim dici debet, quòd illa obligatio ſit Juris poſitivi, in quantum Apoſtolorum Canones, & Pontificum, ac ipſius etiam Tridentini Concil. conſtitutiones, non aliter clericis permittunt appropriationem Bonorum Eccleſiaſticorum, ac DEO donatorum à piorum fidelium liberalitate, quàm, ut Juri Eccleſiarum, à DEO in illas translato, & ante diviſionem, ac diſtributionem Bonorum fundanti obligationem Juſtitiæ, ac Religionis, ſubrogent præceptum poſitivum, uſu, & conſuetudine receptum, declaratum, ac confirmatum, atque ad implendam fidelium intentionem, cultumque divinum immediatè ordinatum; cujus proinde Violatio oppoſita eſt virtuti Religionis. In tantum autem cum altera ſententia eſt eadem obligatio dicenda Juris naturalis, in quantum ſubrogatur priori obligationi Religionis, fundatæ in jure Eccleſiarum præexiſtenti, & in quantum hoc ipſum Jus, illudque conferentium intentio exigebat, ipſoſque Pontifices obligabat ad ſubſtituendum tale præceptum, ac Religionis obligationem: & ideò durante hac obligatione, bona competenti ſuſtentationi Beneficiatorum ſuperflua expendendi ad cultum divinum, ac piam cauſam, adhuc dicuntur bona DEI, & Sacra, quia ſunt gravata tali obligatione perſonali Beneficiatorum: & hæc obligatio dicitur naturalis, quia eſt juxta primam exigentiam naturalem rerum Deo Sacrarum, & ratione ſubrogati poſitivi præcepti manentium DEO Sacrarum, etiamſi ab Eccleſiis translatum ſit Jus proprietatis in Beneficiatos, & ſublatum prius Fundamentum, fundans obligationem naturalem alterius ſpeciei. Nam ante appropriationem alienatio bonorum Eccleſiaſticorum fuiſſet furtum Sacrilegium: poſt appropriationem retentio, vel profuſio ad uſus profanos eſt, vel purum Sacrilegium ſingularis ſpeciei, vel avaritia Sacrilega, vel dilapidatio Sacrilega &c. 174

Objicitur: ſi datur obligatio religionis redditus ſuperfluos inſumendi ad piam cauſam, fruſtra conceditur eorum dominium manente tali obligatione: ergo, vel neque dominium conceditur, vel non datur talis obligatio, qua poſita dominium non eſt amplius æſtimabile. Reſp. neg. antecedens; conceſſio enim dominii conducit in primis ad hunc finem, ut Beneficiarii de ſuis bonis, adeòque propriè dictum liberalitatis actum exercere poſſint: deinde, ne redditus bona fide ad profanum uſum abſumptos, vel alienatos, & neque in æquivalenti penes Beneficiatorum extantes (quam conditionem contra quoſdam innominatos ex communi DD. ſenſu rectè exigit Lugo *diſp.* 4. *num.* 43.) pauperibus, vel piæ cauſæ compenſare teneantur, quòd communiter etiam extenditur ad abſumptos mala fide: cùm enim obligatio ſit affixa objecto, ſicut penſum officii Canonici eſt affixum diei, ideò objecto alienato, & nec in ſe, nec in æquivalenti exiſtente penes Beneficiarium, tàm parùm tenetur aliud ſubſtituere, quàm parùm tenetur altero die compenſare officium ex negligentia præcedenti die omiſſum. 175

Dices: ergo ſaltem illi, quibus res alienata eſt, tenentur eam reſtituere, eò quòd maneat adhuc ſacra, ſicut calix benedictus, qui etiam poſt translationem dominii profano uſui adhiberi non poteſt, vel ſicut conſcius, rem à fure ſibi traditam, ſpectare ad locum ſacrum, peccaret contra religionem eam retinendo. Confirmatur idem ſubſumptum: Conſanguineus locuples Beneficiati ſcienter acceptando rem pauperibus dandam, cooperatur peccato alieno: ergo etiam cooperatur, & peccat eam retinendo, & continuando acceptationem. Deinde ſic urgeri poteſt: Beneficiatus ſaltem gratis recipiens rem irreligioſè alienatam, teneretur eam adhuc piæ cauſæ attribuere: ergo Conſanguineus impediendo à ſatisfactione obligationis ſimiliter peccat; ſaltem ſi abſq; ſuo damno rem reſtituere poſſet, eò quòd gratis illam acceperit. 176

Reſp.

Reſp. neg. ſubſumptum, & rationem illius: ſicut enim poteſt quiſpiam pro certo tempore, & pro certis tantùm circumſtantiis aliquid vovere, & Deo conſecrare, ita ut votum ac conſecratio in aliis circumſtantiis, vel tempore finiatur, ac deſinat; ita Fundatores, ne intentione cultus divini pluribus peccatis occaſionem præberent, voluerunt, res ſuas eſſe Deo ſacras, quamdiu manerent in dominio eorum, quos præſumpſerunt fore fideles Diſpenſatores; poſtquam autem per validam acceptationem, ſive pauperum, ſive divitum translatum eſt dominium, noluerunt ampliùs eſſe ſacras, etiamſi redirent ad manus Clericorum, ſaltem ſi non in hunc finem ad excutiendam obligationem res alienarentur, ac reciperentur à Clericis. Ex hoc patet etiam reſponſio ad confirmationem, cujus ſuppoſitum, nempè quòd accipiens ſaltem in primo inſtanti acceptationis peccet, inter Authores adhuc eſt controverſum; negat enim Lugo *diſp.4. nu. 49.* affirmat Th. Sanchez *lib.2. Conſul. cap.2. dub.38. num.14.* qui videri poſſunt.

§. III.

Aliqua in præcedenti concluſione circa obligationem Beneficiatorum indicata ſeorſim declarantur.

SUMMARIUM.

177 *Non evitat culpam mortalem, qui ex ſuperfluis redditibus Eccleſiaſticis tantùm dimidium dat ad piam cauſam.*

178 *Neque dictam culpam evitat, qui ex mille ſuperfluis tantùm retinet, vel ad finem profanum expendit vigeſimam partem.*

179 *Redditur hujus prima Ratio.*

180 *Nec patrocinatur contrariæ parti P. Molina.*

181 *Ratio ſecunda.*

182 *Reſpondetur ad Fundamentum contrarium.*

183 *Gravitas ſive quantitas Materiæ, ſufficientis ad peccatum mortale non expenſorum reddituum ſuperfluorum ad cauſam piam determinata ſtatui non poteſt: ſed reſpiciendum eſt ad mentem piorum Fundatorum, colligendam ex circumſtantiis Perſonæ Beneficiatæ, & ejus meritis.*

184 *Prædictam Obligationem quoad fructus ſuperfluos ſubeunt etiam Vicarii perpetui.*

185 *Et Penſionarii perpetui.*

186 *Unde colligenda ſit Menſura competentis ſuſtentationis.*

187 *Quid comprehendatur nomine honeſtæ ſuſtentationis.*

188 *Quid intelligatur nomine cauſæ piæ.*

177 POſui in præcedente concluſione in primis hæc verba: *ſecundum proportionem materiæ*. Quænam autem materia ſit proportionata culpæ gravi, ita, ut minor non amplius ſit proportionata, non inveni apud ullum Authorem univerſalem regulam & ſufficientem. Nam Petrus Hurtadus, & ex iſto Diana docent quidem apud Lug. *diſp.4. n.10.* & pro ſe citant Sotum, Toletum, Tabienam, Molinam, Lorcam, quòd beneficiatus etiam ditiſſimus ſatisfaciat ſuæ obligationi, ſi ſecluſis neceſſitatibus gravibus ex ſpeciali obligatione charitatis aliud poſtulantibus, eroget in communibus neceſſitatibus quartam partem reddituum Eccleſiaſticorum, vel certè dimidium ſuperfluorum, ſed, ut benè oſtendit Lugo loco citato, in primis iſti in conſtituenda menſura nimis ſunt liberales: ſequeretur enim, eum, qui haberet 20000. flor. ſuperfluos, non peccaturum graviter, ſi decies mille applicaret ad uſus profanos. Deinde in allegandis Authoribus ſunt nimis incauti, eò quòd nullus ex citatis eorum ſententiam teneat, ut illos ibidem explicat Lugo. Denique nec Hurtadus, & Diana in ſua ſententia videntur ſubſiſtere, ut ad finem numeri 11. advertit cit. Card.

178 Verùm nec Cardinalis de Lugo regula, quam *num. 42.* aſſignat, & repetit *ex diſp.16. de pœnit. num.96.* mihi ſatis placet, cùm ait, eam eſſe materiam, ſeu quantitatem parvam, & improportionatam culpæ mortali, qua dempta adhuc moraliter cenſetur quis totam ſummam expendiſſe ad pios uſus, modò reliquum expenderit; moraliter autem cenſetur expendiſſe, ſi dempſit ſolummodo 5. de quolibet Centenario, quando ſermo eſt de numero 1000. & ſuper 1000. quæ eſt vigeſima pars totius ſummæ reddituum ſuperfluorum. Undè infert, ſi Clericus habens 20000. ſuperflua, expendat unum mille ad uſus profanos, nondum peccare graviter, eò quòd vigeſima pars comparativè ad totam ſummam ſit adhuc parùm quid, & ſaltem moraliter, circiter, & ferè omnia ad uſus pios expendiſſe dici poſſit.

Hæc inquam regula, mihi non ſatis placet, 1. Quia 179
ſequela inde deducta, & aliæ, quæ ex illa deduci poſſent, videntur nimis laxæ; iſta alia verò ſequela videtur nimis rigoroſa, quòd alius, qui habet minorem ſummam ſuperfluam, v.g. 100. flor. peccet mortaliter, ſi 20. diſpergat ad uſum non pium, quos *num.* 42. ait cit. Author neque in ſe, neque reſpectivè ad 100. eſſe aliquid parum: quamvis enim nolim negare, talem peccaturum mortaliter, ex ſuppoſitione tamen, quòd prior non peccet mortaliter abutendo mille, durum videtur poſteriori imponere culpam mortalem propter viginti. Ait quidem Lugo, ſe fateri cum Molina *diſp.* 144. §. *prior vero*, attendendum eſſe ad majorem, vel minorem quantitatem reddituum ſuperfluorum, ut dicatur aliqua pars eſſe, vel non eſſe ſufficiens ad materiam gravem.

Sed credo Authorem non ſatis conſideraſſe verba 180
Molinæ: ſunt autem iſta: *Porro in re propoſita non cenſebitur notabile quantitas, quæ culpam efficiat mortalem, ea quæ in materia furti ad lethalem culpam ſufficeret; ſed longe major requiritur, eoque major, quo portio propria Beneficiarii major fuerit pluſque Beneficiarius attentis circumſtantiis omnibus concurrentibus ad congruam ſuſtentationem ſuam indiguerit.* Ecce! non dicit Molina, quò portio ſuperflua, ſed quò propria, & ad ſuſtentationem neceſſaria major fuerit: hoc etiam ego fateor; cùm enim ſuſtentatio non conſtat in indiviſibili, adeoque difficulter diſcerni poſſit, qnando incipiant aliqui redditus eſſe ſuperflui, ideo Beneficiarius indigens ad ſuſtentationem paucioribus, nequit tantam ſummam reddituum ſuperfluorum retinere, metu, ne & iſta ſibi ſit neceſſaria ad congruam ſuſtentationem, quantam poteſt retinere Beneficiarius indigens pluribus. Deinde hoc ipſo, quòd quis Jus habeat ad ſumptuoſiorem ſuſtentationem, plerumque ſupponitur ratione dignitatis perſonæ, vel officii, plus conferre ad cultum divinum, ut proinde fundatores majorem quantitatem indulgeant citra peccatum mortale.

Præterea diſplicet data regula, quia tantùm oſtendit, 181
quod ſit grave, vel leve comparativè per reſpectum partis ad totum; non autem, quid ſit grave vel leve abſolutè; & in ſe: cùm etiam per hoc poſſit aliquis graviter peccare, quod rem abſolutè gravem ex religione debitam non præſtet, etiamſi comparativè eſſet levis, v.g. ſi Rex 100000. flor. voviſſet ad piam cauſam, & 4000. qui nondum tamen eſſent vigeſima pars, non ſolveret. Sicut ergo id non eſt materia gravis peccati, quod eſt abſolutè leve, etiamſi ſit comparativè grave, v.g. dimidium comparatione, totius conſtantis ex 10. crucigeris, ſic quod eſt in ſe grave, non ſtatim ſit materia levis peccati, ſi fiat comparativè leve. Unde ſicut 1000. flor. eſſent materia gravis reſpectu Beneficiarii debentis 10000. ſic non fierent levis, etiamſi debitum excurreret ad 20000 vel viciſſim non evaderent de novo gravis, ſi debitum per condemnationem dimidii rurſum decreſceret.

Fundamentum, quo nititur adverſarius, ipſe ſibi ſol- 182
vere debet in debito juſtitiæ: nam qui debet ſolvere ex juſtitia 20000 nondum dicitur *propè circiter, vel moraliter* ſatisfeciſſe, etiamſi tantùm partem comparativè levem v.g. mille non ſolverit: itaque etiamſi obligationi exprimendi numeri peccatorum mortalium in Sacramento Confeſſionis pœnitens ſatisfaciat, quando determinatus numerus ſub dubio expreſſus non notabiliter immutatur; quia ſecundùm communem interpretationem verborum cenſetur implicitè indicari levis exceſſus, vel defectus numeri, non tamen ſatisfit obligationi perſolvendi alicujus debiti, quod, etſi aliquem numerum leviter tantùm immutet, ſecundùm valorem tamen, & quoad ſubſtantiam ſuam, non eſt ſemper aliquid leve.

Undè ego exiſtimo in hac re nullam certam, vel uni-
verſalem regulam aſſignari poſſe, ſed potiùs arbitrio 183
prudentum relinquendum, & vel maximè reſpiciendum ad Fun-

ad Fundatorum mentem, quæ illis majorem quantitatem videtur indulgere ex redditibus moraliter certò ſuperfluis (hos enim ſolos tenetur Beneficiarius ad piam cauſam applicare) qui ſunt magis de Eccleſia meriti, & pro qualitate beneficiorum ac talentorum, virtutis, ſanguinis, aut doctrinæ magis promovent cultum divinum: ita ut Fundatores ſæpè integros redditus cenſeantur voluiſſe concedere, ut in fine concluſionis dixi in præc. §. & Molina cit. *diſp.* 144. §. *illud tamen* cum Majore, Covarruvia, Navarro confirmat authoritate S. Pauli 1. *ad Timoth.* 5. *Qui benè præſunt, presbyteri, duplici honore digni habentur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina.* Undè Simplicius *cap. de Redditibus* 12. *q.* 2. dum redditus Eccleſiaſticos in 4 partes dividendos ſtatuit, de ea, quæ inter Clericos erat diſtribuenda, dixit: *ultima Clericis pro ſingulorum meritis dividatur.*

184 Poſui 2. in concluſione: *redditus beneficiorum*: quod intellige tam de beneficiis datis in titulum perpetuum, quàm in Commendam, aut Vicariam: quia, ut rectè inquit Lugo *diſp.* 4. *nu.* 33. ex Sylveſtro, Navarro, Thom. Sanch. ſicut quis ſuccedit, & ſubſtituitur Beneficiario in ejus munere, ita & in ejus oneribus. Aliud putat idem Author *num. præc.* plures alios referens, dicendum eſſe de iis redditibus, qui ex beneficiis ſunt extracti, & penſiones vocantur: licèt enim Penſionarii, quando illas recipiunt, ob titulum ſpiritualem perpetuum Beneficiariis æquiparentur, & ideò Molina *diſp.* 145. §. *ex eadem Bulla*. Palao *diſp.* 2. *de Char. pun.* 7. & plures alii ſolùm Laicas penſiones non ob titulum ſpiritualem, ac perpetuum Laicis, vel Clericis datas, ab onere ſuperfluitatem dandi pauperibus excipiant; Lugo tamen omnes excipiendas aſſerit, partim quia Trid. *Seſſ.* 25. *cap.* 1. *de Reformatione* ſolùm de redditibus Beneficiariorum mentionem facit, partim quia hoc ipſo, quòd penſiones tanquam ſuperflui redditus ex beneficiis ſint extractæ, & ob finem ſpiritualem Penſionariis tributæ, intentioni Fundatorum jam eſt ſatisfactum: ſicut quando pauperibus fuiſſent datæ, ipſi non obligarentur denuò in pias cauſas expendere.

185 Verùm ego adhuc contrariis Authoribus aſſentiens reſpondeo ad primùm, ſicut ſecundùm Lugo ſub Beneficiariis etiam Commendatarii comprehenduntur, ſic etiam Penſionarios prædictos contineri, quia penſionem ob titulum ſpiritualem perpetuum recipientes, verè Beneficiarii ſunt, vel iis æquiparantur. Ad ſecundum nego ſuppoſitum, & paritatem: ſicut enim, quando unum beneficium divideretur in duo, adhuc ſuperfluos redditus afferentia, iidem in alium pium uſum eſſent expendendi, ſic idem dicendum eſt de extractione penſionis exceſſivæ, quæ ſicut naturam beneficii, ita etiam obligationem retinet: quæ ratio in pauperibus non pugnat.

186 Poſui 3. hæc verba: *qui excedunt pretium ſummum ſuſtentationis, ipſorum perſonæ, ſecundùm prudentem omnium circumſtantiarum conſiderationem competentis*: cùm enim, ut rectè advertunt Molina *citata diſp.* 145. §. *illud quoque*, & Lugo *diſp.* 4. *num.* 53. ſuſtentatio non conſiſtat in indiviſibili, ſed ſicut pretium arbitrarium rerum, ſic etiam ſuſtentationis competentis detur infimum, medium, & ſummum: hinc quidquid adhuc continetur intra limites ſummi pretii competentis ſuſtentationis ab obligatione prædicta immune eſt: debet autem hujuſmodi æſtimatio fieri ſecundùm prudentem conſiderationem circumſtantiarum, cujus ſecuriſſima regula teſte Lugo *num.* 55. deſumitur ab exemplo aliorum beneficiatorum timoratæ conſcientiæ, & ejuſdem ſtatus, ac conditionis: quòd ſi tamen ſtatus, ac conditio quoad dignitatem Eccleſiaſticam ſit æqualis, ſed quoad ſanguinis v. g. à Regibus, vel Principibus ducti præſtantiam ſit inæqualis, concedenda quidem eſt talibus major portio pro ſuſtentatione neceſſaria, quàm aliis inæqualibus ratione honoris in Eccleſiam redundantis, ut ſupra admonui, & Lugo hìc obſervat *num.* 63. non tamen, ut idem *nu.* 60. & ſequentibus advertit, debet eſſe tanta, ut modeſtiam Eccleſiaſticam ratione æqualis Pompæ, laicis conſuetæ, excedat; neque licet ex ſolis redditibus Eccleſiaſticis, ſi propria bona ſuperſint, totam ſuſtentationem reſpectu aliorum, ſimile officium in Eccleſia gerentium, longè majorem ſumere, eò quòd, ut Lugo inquit, perniciosum eſſet Eccleſiæ, miniſtros ſibi aſſumere, quorum ſuſtentatio adeò oneroſa, & difficilis foret, & pro opera pia, ac miniſterio communi ſolvere ſtipendium, adeò exceſſivum, onuſque ſubire ſuſtentationis ad Eccleſiæ utilitatem non tantopere pertinentis.

Cæterùm ſuſtentationis nomine, ut ſuprà jam indicavi, intelliguntur etiam expenſæ, faciendæ in famulos, in moderata convivia, hoſpitum exceptiones, donationes moderatas erga amicos, remunerationes erga bene meritos: imò etiam in futuras neceſſitates, ægritudinis, ſterilitatis, & alios caſus prudenter, nec valdè remotè prævisos. 187

Nomine piæ cauſæ intelligitur etiam ſolutio debitorum, propter finem ſpiritualem tempore poſſeſſi beneficii contractorum, vel propter finem profanum quoque, aut quocunque tempore factorum, quando ex propriis non ſuppetit ſolutio; tunc enim teneretur Beneficiarius, ſibi tanquam pauperi, ad hunc finem applicare redditus, quia tenetur ſolvere debita non tantùm, quando habet, ſed etiam quando facilè, citra ullius Legis obligationem habere poteſt, unde ſolvat. Et ſic etiam conſanguineis ad ſolvenda ſua debita inſufficientibus, vel non habentibus neceſſarios ſumptus, pro adoleſcentibus ad ſtudia admovendis, vel non habentibus competentem dotem pro puellis ſtatui decente matrimonio jungendis, titulo piæ cauſæ redditus ſuperflui impendi poſſunt. Eodem denique excuſandi ſunt, quando ex humili ſorte ad magnam dignitatem Eccleſiaſticam evecti, conſanguineos ſuos, eò quòd ita deceat, altiùs efferunt; tunc enim incipiunt comparatione illius ſtatus, quo digni redditi fuerunt, conſanguinei verè indigere, etiamſi pro humili ſua ſorte non indiguiſſent, quæ omnia optimè examinavit Cardinalis de Lugo, Molina, Navarrus, Thomas Sanchez. 188

ARTICULUS VI.

Quale Dominium conveniat Religioſis.

§. I.

An in Communi, vel particulari habeant Dominium.

SUMMARIUM.

189 *Communitates omnium Religioſorum, exceptis R.R. P. P. Capucinis, & Minoribus de Obſervantia capaces ſunt perfecti Dominii rerum temporalium.*

190 *Religioſi Profeſſi in particulari per votum ſolemne Paupertatis amittunt Dominium rerum corporalium, & ad hoc in poſterum comparandum ſe reddunt inhabiles.*

191 *Monaſteria, ſeu Religioſæ Familiæ, præter R. R. P. P. Capucinorum, & Franciſcanorum, & quæ ſponte renunciarunt Tridentino, ſuccedunt Religioſo profeſſo quoad omnia illa bona transferibilia, de quibus ante profeſſionem non diſpoſuit.*

192 *Idem probabiliùs dicitur etiam quoad ea bona, quorum Religioſus profeſſus antè tantùm habuit uſumfructum.*

193 *Reſpondetur ad rationes contrarias.*

194 *Neque excipitur uſusfructus ex bonis Adventitiis Filiifam. ſi Paterfam. Religionem profiteatur.*

195 *Bona, quæ Monaſterio ratione profeſſi obveniunt, acquiruntur immediatè Monaſterio.*

196 *Reſpondetur ad objectionem.*

DIco 1. Communitates omnium Religioſorum, exceptis R.R. Patribus Capucinis, & Minoribus de Obſervantia, eſſe capaces perfecti dominii rerum corporalium, quamvis bona immobilia, & mobilia pretioſa non poſſint alienare, niſi in bonum religionis. Ita communiter DD. contra Navarrum, Dominium Chriſto, & adminiſtrationem Religioſis Familiis adſcribentem, eò quòd illarum bona in Jure Canonico patrimonium [illegible] pecuniæ Chriſti appellentur, quod tamen, qua ratione intelligendum ſit, ſuperiùs dixi. Probatur ita [illegible] cluſio 189

cluſio 1. ex Trid. *Seſſ. 25. cap. 3. de Regul.* ubi prædictis omnibus religionibus conceditur, ut deinceps bona immobilia iis poſſidere liceat, quod ſonat verum dominium. 2. Ex recepto axiomate deſumpto *ex c. Abbates 18. qu. 2. Quidquid acquirit Monachus, non ſibi ſed Monaſterio acquirit*: ergo Monaſterium habet dominium. 3. Quia communitas non redditur incapax dominii ex ordinatione Eccleſiæ, quæ in Trid. *loc. c. t.* potiùs oppoſitum ordinavit: neque ratione voti, quia voventes non intendunt excludere dominium à communitate: neque ratione donantium, quia feriò cupiunt transferre dominium.

190 Dico 2. Religioſos profeſſos in particulari per votum ſolemne paupertatis, amittere dominium rerum corporalium, & ad hoc impoſterum comparandum reddi omninò inhabiles. Ita certa, & communis omnium, teſte Palao *de Statu Religioſo diſp. 3. punct. 2. n. 2.* Probatur *ex c. Cùm ad Monaſterium, de ſtatu Monachorum*: ubi Innocentius III. omnibus prohibet talium rerum poſſeſſionem ſub obteſtatione divini Judicii, & ex Trid. *ſeſſ. 25. c. 2. de Regularibus*. Radix autem incapacitatis dominii non provenit ex voti ſolemnitate, quia votum reddit tantùm illicitam, non verò invalidam proprietatem: provenit ergo ex prohibitione Eccleſiaſtica citata, quæ non tantùm in ſolemnibus, ſed etiam in votis ſimplicibus Coadjutorum ſpiritualium, & temporalium Societatis JESU Suſtulit valorem omnis Dominii, quod tamen ejuſdem Societatis Scholaſticis ab aliis Pontificibus rurſum fuit permiſſum, non obſtante, quòd Innocentius in fine citati capituli dicat, quòd abdicatio proprietatis adeò ſit connexa regulæ Monachali, ſeu Religioſæ, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere: quia hæc verba tantùm intelligenda ſunt de licentia præjudicante paupertati religioſæ, ſcil. exigenti abdicationem proprietatis quoad liberum, ac licitum ejus uſum, non autem quoad ipſius dominium, ut DD. communiter explicant.

191 Dico 3. Monaſteria, ſeu Religiones omnes, præter RR. PP. Franciſcanorum, & Capucinorum, & quæ ſpontè renuntiarunt Tridentino (ut Societas JESU *par. 6. Conſtitutionum c. 2. §. 12.* ſecundùm approbationem Apoſtolicam) ſuccedere Religioſo profeſſo quoad omnia illa bona, de quibus ante profeſſionem non diſpoſuit (ſalva tamen portione legitima hæredibus neceſſariis relinquenda, *l. 56 §. 1. C. de Epiſcopis, & Clericis*) & probabiliùs etiam quoad ea bona, quorum tantùm habuit uſumfructum. Primà pars eſt certa, & penè omnium: habetur tum in Jure Civili à Summis Pontificibus confirmato, *§. Si qua Mulier. Auth. de Sanctiſſ. Epiſcopis* quæ eſt *Novella 123. cap. 38.* & *auth. Ingreſſi Cod. de SS. Eccleſiis*, tum in Jure Eccleſiaſtico, *cap. Quia ingredientibus 19. quæſt. 3.* Eſt tamen hæc concluſionis pars intelligenda in ſenſu accommodo, ſeu cum exceptione prudenter ſubintelligibili, nempè niſi bona profeſſi non ſunt transferibilia, uti non ſunt Beneficia ſæcularia, quæ quis in ſæculo habuit, & Regularibus conferri non poſſunt: item Feuda exigentia obſequium tale perſonale, quod nec à Religioſo, nec à Religione præſtari convenit: Præterea Jus retractus gentilitii ob finem prorſus contrarium venditoris proximo conſanguineo conceſſum, ne ſcil. bona immobilia à familiis ſæcularibus ad magis extraneos transferantur; & univerſim omnia bona, cum pacto non transferendi obtenta, intransferibilia ſunt.

192 Secunda pars quoad uſumfructum eſt contr. Gloſſ. *in c. Si qua mulier 19. q. 3.* & contra quoſdam apud Palao *de Statu Religioſ. diſp. 3. p. 4. §. 1.* dicentes: uſumfructum omninò extingui, & rurſum conſolidari cum dominio proprietatis; quia eſt Jus perſonale, & quia aliàs duraret per 100. annos cum præjudicio domini directi; Eſt etiam contra Covar. Gomez & Mol. diſtinguentes inter uſumfructum, & commoditatem: illum dicunt manere, & nihil derogare profeſſioni paupertatis, modò monaſterium habeat commoditatem illo utendi. Defenditur tamen à Palao *loc. cit.* referente Thomam Sanch. & Suar. pro qua præter Gloſſ. *in Auth. Idem eſt, Cod. de Bonis, quæ liberis* longè plures adducit, & ſequitur P. Haunoldus *tr. 3. nu. 122.* Probatur itaque hujus partis aſſertio: quia *juxta Authent. Ingreſſi Cod. de SS. Eccleſiis* generaliter omnia Jura, & actiones profeſſi tranſeunt in monaſterium, nec alio textu ullo excipitur uſusfructus.: Deinde ſi profeſſis concederetur uſusfructus ſine commoditate, poſſet idem dici de dominio directo ſine commoditate.

193 Ad rationes primæ Sententiæ contrariæ Reſp. Etſi uſusfructus ſit Jus perſonale, & proin non poſſit ab uſufructuario transferri, poſſe tamen à domino directo, & conſequenter longè magis authoritate, ac conſtitutione Eccleſiaſtica, qualem citavimus: præſertim, quia Religioſus eſt membrum religionis, ut proinde non tam transferatur Jus Religioſi, quàm extendatur ab illo in alios indiviſim acceptos; & quamvis ipſe ſit civiliter mortuus, mors autem finiat uſumfructum, tamen in ordine ad hunc effectum nullibi æquiparatur mors civilis morti naturali. Neque verò propterea uſusfructus durabit 100. annis, cùm hoc tantùm verum ſit, quando directè conceditur monaſterio, non verò quando de profeſſo in illud transfertur; hujus quippè morte extinguitur etiam uſusfructus.

194 Major difficultas eſt de uſufructu, quem habet Paterfamilias ex bonis adventitiis filii, utrum ipſum retineat, & per profeſſionem ad religionem tranſmittat. Negant enim Covar. & Fachinæus, quia profeſſione Religioſa diſſolvitur patria poteſtas, & Jus gubernandi filium, quæ tamen ſunt unica cauſa concedendi patrifamilias uſumfructum de bonis adventitiis filii: ergo vel omninò tollitur uſusfructus, vel non, niſi dimidius adhuc concedendus eſt, ſicut conceditur ex gratitudine, quando voluntaria emancipatione pater filium ex patria poteſtate dimiſit, *juxta l. Cùm oportet §. cum autem. Cod. de Bonis quæ liberis*. Rectè tamen citati AA. & plerique alii abſque hac limitatione concluſionem noſtram tuentur; quia, licèt prædictæ cauſæ ſint ratio acquirendi uſumfructum, non tamen ſunt ratio retinendi; ſicut emptio eſt cauſa acquirendi rem, non verò ſervandi. Nam patria poteſtas etiam finitur civili morte filii per ingreſſum monaſterii, & tamen ſecundùm Adverſ. pater retinet uſumfructum. Neque ex eo ſufficiens datur diſparitas, quòd pater in iſto caſu adminiſtret adhuc bona filii: in noſtro autem caſu deberet monaſterium per ſuos officiales adminiſtrare: nam neque pater in ſæculo manens tenebatur per ſeipſum eadem bona adminiſtrare. Ad illud, quod dicebatur, ad filium emancipatum ſaltem dimidium fructum redire, Reſp. Id verum eſſe in emancipatione directa, non verò in indirecta, qua non tam remittitur Jus in filium, & in bona illius, quàm ex legum favore pater liberatur ab obligatione gubernandi, facta ſibi poteſtate retinendi Jus in bona filii, modò cum profeſſione paupertatis compoſſibili, nempè, ut, quia non poteſt retinere tanquam perſona particularis, retineat tanquam pars communitatis.

195 Dico 4. Bona, quæ monaſterio ratione profeſſi obtingunt, acquiri immediatè monaſterio, non Monacho, neque pro prioritate naturæ, ita ut in eodem inſtanti reali utrique acquirantur in ſolidum, cujus ſpecialem repugnantiam jam ſuprà oſtendi contra aſſerentes dominium duorum in ſolidum: neque pro prioritate temporis in ullo inſtanti reali. Ita contra Legiſtas Canoniſtæ, & Theologi ferè omnes. Probatur 1. Quia tota voluntas Monachi, & omnia ejus Jura ad monaſterium ſunt tranſlata, ipſe verò ſecundùm ſe non eſt capax dominii, ſed quatenus cum monaſterio moraliter, & per fictionem Juris eſt unum quid, ut ex citatis Juribus patet: ergo &c. Probatur 2. Quia Monachus in Jure modò æquiparatur ſervo, modò filiofamilias, prout nimirum cedit in majorem favorem monaſterii: ſed melius eſt monaſterio, ſi immediatè, ſicut pater invito etiam filiofamilias, hæreditatem adire, aut alia bona acquirere poſſit: Ergo Monachus quoad hoc non æquiparatur ſervo, potenti repudiare hæreditatem ſibi delatam, ſed filiofamilias, & monaſterium patri.

196 Neque obſtat *Lex. 56. §. 1. Cod. de Epiſcopis, & Clericis*, qua contra nos utuntur Juris Cæſarii, & aliqui etiam Pontificii DD. quia hæc teſte Sanch. & Palao tantùm probat per Profeſſionem non ita amitti omnia Jura: quin Monachus, quatenus eſt unum quid cum monaſterio, adhuc vivat, & aptus ſit ad acquirendum. Quando verò dicitur, hæreditatem debere adiri ab eo, cui eſt delata, Reſp. poſſe etiam adiri ab eo, cui eſt acquiſita, propter moralem identitatem perſonæ, legibus inductam; ut patet ex

tet ex

tet ex prædicto exemplo patris, invito filiofamilias hæreditatem adeuntis *juxta l. Finalem Cod. de bonis quæ liberis* in principio.

§. II.

Quomodo Religioſi particulares Carentes Dominio Rerum temporalium circa illas diſponere poſſint ſalva Iuſtitia, & Religioſa paupertate.

SUMMARIUM.

197 *Proponitur ſtatus quæſtionis.*
198 *Tunc ſolùm Religioſus particularis circa res temporales licitè diſponere poteſt, quando à Domino rei, & à Prælato obtinuit conſenſum, ſaltem tacitum, qui ſufficit.*
199 *Sufficit etiam conſenſus præſumptus.*
200 *Quis ſit conſenſus præſumptus.*
201 *Quando Conſenſus Prælati præſumi poſſit.*
202 *Probatur, quod ſufficiat conſenſus præſumptus.*
203 *Qui ex præſumpto conſenſu rem aliquam accepit, vel expendit ad ratificationem Prælati, is deinde peccat contra paupertatem, niſi petat conſenſum Prælati, retentionem, vel expenſionem ratificantis. Si autem conſenſus petitio nihil ampliùs operari queat, ejus omiſſio non eſt contra paupertatem.*
204 *An Prælati conſenſus debitus, ſed irrationabiliter negatus ſufficiat.*
205 *An ſufficiat conſenſus vi, aut fraude extortus.*
206 *Quis ſit conſenſus vi extortus.*
207 *Validus eſt conſenſus Prælati, illicitè ab illo datus.*
208 *Probatur uſque ad nu. 211.*
212 *Conſenſus Prælati poteſt aliquando ſufficere ad evitandum peccatum Proprietarii, ſed non ad evitandum peccatum contra paupertatem.*

197 ETiamſi hæc quæſtio ratione paupertatis, voto promiſſæ, ad tractatum de Religione ſpectaret, ratione tamen Juſtitiæ etiam hic examinari poteſt; & quia de tota virtute Religionis in Theologia Speculativa nihil, de propoſita autem queſtione etiam neque in Morali agi ſolet, breviter, & ad praxim utiliter eandem præſenti §. diſcutiemus, ſecuti exemplum Card. de Lugo *tom. 1. diſp. 3. ſect. 7. & 8.* Itaque ad quæſtionem Reſponſio quidem generalis, & veriſſima eſt, tunc ſolummodo Religioſum particularem circa res temporales licitè diſponere poſſe, quando à Domino rei, & à Prælato conſenſum obtinuit. Verùm adhuc dubitatur, qualis in primis conſenſus obtineri debeat, deinde, utrum obtento conſenſu Domini ſine conſenſu Prælati, vel obtento conſenſu Prælati ſine conſenſu domini, per actualem diſpoſitionem circa rem temporalem tantùm contra unam virtutem peccetur, nempè vel contra ſolam Juſtitiam, vel contra ſolam Religionem ob violatum votum paupertatis. Denique an poſſit eodem actu contra unam virtutem peccari graviter, & contra alteram leviter, & quando quis cenſeatur peccare graviter.

198 Dico 1. Tam ex parte Juſtitiæ, quàm ex parte Religionis ſufficit conſenſus tacitus ſine expreſſo. Ita DD. communiter. Probatur quoad primam partem: ille conſenſus ſufficit ad obſervationem Juſtitiæ: quo poſito non uſurpatur res aliena invito Domino: ſed poſito tacito conſenſu Domini, hoc ipſo non uſurpatur res illo invito: ergo &c. Probatur etiam quoad ſecundam partem: votum paupertatis teſte Lugo *nu. 127.* ſecundùm etymologiam nominis ad hunc finem ordinatur, ut quemadmodum ille naturaliter pauper eſt, qui ad uſum rerum temporalium indiget conſenſu alterius Domini, ſic Religioſus reddatur moraliter pauper, quatenus ad uſum rerum temporalium indiget ſimili conſenſu ſui Prælati: ſed conſenſus tacitus alterius Domini ſufficit, ut immediatè dictum eſt: ergo etiam conſenſus tacitus Prælati. Talis autem tacitus conſenſus eſt, ut aliis relatis docet Palao *de ſtatu religioſo diſp. 3. p. 23. num. 7.* in primis, quando cum expreſſo conſenſu ponendi aliquam actionem moraliter, & ſecundùm prudentem interpretationem ſolet etiam eſſe connexus conſenſus ſuperioris de re aliqua diſponendi: v. g. ſi ſuperior expreſſum præbeat conſenſum ad peregrinationem, nec prohibeat ad illam commodiùs peragendam aliquid in via ab amico accipere, & inſumere, hoc ipſo ſaltem virtualiter ad talem acceptationem, ac diſpoſitionem cenſetur ſuperior conſenſiſſe, ut fatetur etiam Suar. *tom. 3. de Relig. l. 8. c. 11. num. 7.* Præterea tacitè dicuntur Prælati conſenſum præbere, quando ſciunt aliquam conſuetudinem ſubditorum de re aliqua temporali liberè diſponentium, & cùm abſque alio incommodo poſſent, non impediunt, ut patet ex prædicto exemplo, & conſentiunt Suar. Sanch. & Lugo. Denique tunc etiam datur tacitus conſenſus, quando aliquid accipitur, vel retinetur, conſcio nec prohibente Prælato, cùm iterum facilè, & abſque offenſa, murmurationibus, querelis, vel alio incommodo prohibere poſſet, ut apud Palao rurſum aſſentiuntur Suarez, Sanchez, Rodriquez, Mendoza.

Dico 2. Non tantùm expreſſus, vel tacitus conſenſus 199
Domini, & Prælati formaliter, aut virtualiter poſitus, ſed etiam præſumptus ſufficit ad diſponendum de re aliqua temporali, abſque læſione Juſtitiæ, & Religionis. Ita Navarrus, & Navarra, Azor, Valentia, Suarez, Sanchez, & alii communiter, quorum plures nominatim refert, & ſequitur Palao *loc. cit. nu.* 8. Plerique tamen, ut ingenioſè obſervat Card. de Lugo *num. 124. ac ſequentibus*, vel declaratione, vel limitatione indigent, explicando conſenſum præſumptum Prælati, non præcisè per hoc, quòd Prælatus certò, aut ſaltem probabiliter conſenſurus credatur, ſi peteretur conſenſus: nam ſic, inquit cit. Author, enervaretur certè, & diſſolveretur Religioſa diſciplina, ac votum paupertatis eſſet obſervantia de ſolo titulo; pauca enim Religioſis occurrunt, ad quæ, ſi petunt facultatem à Prælato, non credant probabiliter conſenſurum; ſi ergo hæc licentia conditionata ſufficeret, nunquam petenda eſſet licentia. Nam, vel creditur concedenda, vel non creditur: ſi non, ſtultè petitur, quod negandum ſcitur, ſi verò creditur concedenda, jam hæc ipſa credulitas ſufficit per te abſque alia licentiæ petitione. Adde, licèt Prælatus immediatus credatur licentiam negaturus, ſæpè tamen poſſe probabiliter credi, quòd, ſi à Prælato mediato peteretur, v. g. à Provinciali, vel Generali, illam concederet. Imò, licèt illi negarent, Pontifex tamen Summus, vel ejus Nuntius, aut Legatus concederet; quare, cùm ii omnes ſint legitimi Prælati, ſufficeret conditionata licentia, quæ ab aliquo ex iis omnibus præſumeretur, ut poſſet ſubditus abſque alia licentia dare, accipere, expendere, atque ideò regularis obſervantia circa paupertatem ferè omninò corrueret, atque ita diſcurrit Lugo.

Undè ille conſenſum præſumptum, *num. 125.* meritò 200
ſic explicat, quòd tunc detur conſenſus præſumptus, quando Prælatus probabiliter creditur conſenſurus, ſi peteretur conſenſus, & quando ratione conſenſus non petiti non etiam probabiliter creditur, non tantùm eſſe invitus quoad modum, ſed etiam quoad ſubſtantiam. Et quidem in Religionibus, in quibus religioſa paupertas ſtrictè obſervatur, teſte Lugo, hæc videtur Prælatorum voluntas, ut ſint inviti non tantùm quoad modum, quo ſcilicet occultè, & abſque illorum actuali conſenſu, de re quapiam temporali diſponitur, ſed etiam quoad ſubſtantiam, veluti ſi poſitivè, & expreſsè negaſſent conſenſum. Imò Suar. *loc. cit. nu. 11.* dicit, in Religione obſervante debere Prælatum ſub peccato gravi non habere talem voluntatem, vel conſenſum, ut licentia non petita res uſurpentur: quamvis igitur frequenter credere poſſimus, aliquem ſaltem ex antè recenſitis ſuperioribus facilè conſenſurum in uſurpationem rei, raro tamen judicare poſſumus, adeſſe illas circumſtantias, ob quas Superior meritò conſentiat in uſurpationem rei abſque petita licentia, vel ſuperiorem ſine illis circumſtantiis, nihilominus in præjudicium Religioſæ Obſervantiæ, quàm omnes tueri tenentur, & creduntur, quoad ſubſtantiam non eſſe invitum.

Itaque conſenſus præſumptus potiſſimùm videtur habere 201
locum, quando vel propter abſentiam Prælati, aut propter periculum moræ, vel propter aliam rationabilem cauſam actualis licentia peti non poteſt, ut proinde Prælatus, nec quoad modum, nec quoad ſubſtantiam ſupponatur invitus: ut verò tantùm quoad modum, adeòque ad inducendum ſolum peccatum veniale, ſeu non graviter in materia gravi cenſeatur invitus, rarò poteſt contingere, & neque libenter concederem, multò minùs

minùs practicarem id, quo ſuam meo judicio veriſſimam doctrinam mitigat Lugo *num.* 126. ita loquens: aliquando verò, licèt non poſſim totum hoc præſumere (nempè ut Prælatus nec quoad modum, nec quoad ſubſtantiam ſit invitus) ſed potiùs credam, quòd ei diſpliceat modus, potero tamen credere, quòd non ideo ſit graviter invitus quoad ſubſtantiam; ut ſi mallet Prælatus, à me oſtendi debitam ſubordinationem, & differri donationem, donec peterem licentiam: quia tamen abſque rubore differre non potui, præſumitur Prælatus compati meæ infirmitati, atque adeò non velle toto Juris rigore uti, ut obliget me graviter etiam quoad ſubſtantiam; imò poſſet aliquando difficultas, ex propria ſolùm infirmitate proveniens, ſufficere ad talem præſumptionem: ut ſi ſubditus Prælato valde charus ſentiat maximam difficultatem in petenda aliqua licentia, quam non poteſt petere ſine manifeſtata occulta neceſſitate, cui vult conſulere. Ad hæc reſpondendum puto Cardinali de Lugo, non parum etiam Religioſam obſervantiam labefactatum iri, ſi graves erubeſcentiæ, quæ frequentes eſſe poſſunt, vel amor privatus ſuperiorum, per ſe valde noxius bonæ gubernationi, conſenſum præſumptum pariat, adeoque iſtum hoc ipſo non eſſe ordinariè præſumendum. Aliud eſt, quando filius ex patris erga ſe amore conſenſum præſumit, ex quo nullum ſimile damnum integrè communitati evenire poteſt. Suppoſita hac declaratione

202 Nunc probatur concluſio. Quandocunque nec Dominus, nec Prælatus rationabiliter judicatur invitus circa diſpoſitionem rerum temporalium, per eandem nec formaliter læditur Juſtitia, nec Religio: ſed quando conſenſus utriuſque rationabiliter præſumitur, neuter rationabiliter judicatur invitus, ſaltem eatenus, quatenus, vel quoad modum, vel quoad ſubſtantiam, vel quoad utrumque conſenſus rationabiliter præſumitur: ergo eatenus nec formaliter læditur Juſtitia, nec Religio. Confirmatur ſpecialiter quoad conſenſum præſumptum Prælati, in quo major videtur eſſe difficultas. Non minùs requiritur ad tollendam obligationem Juſtitiæ conſenſus Domini pro re illius uſurpanda, quàm requiratur conſenſus Prælati, ad tollendam obligationem Religioſæ paupertatis; & diſparitas, quæ aſſignari poteſt, tantùm eſt hæc, quod licèt Dominus rationabiliter judicetur invitus quoad modum, non propterea plerumque judicetur invitus quoad ſubſtantiam, niſi amore ipſius rei ſibi retinendæ ſit invitus; Prælatus autem, qui non tam rem ipſam quàm Religioſam diſciplinam curat, plerumque ratione modi ſit etiam invitus quoad ſubſtantiam, etiamſi non eſſet invitus amore ipſius rei, poſito, quòd hæc ad Monaſterium, vel Religionem ſpectet, adeoque ipſe quoque loco Domini ſit. Unde ex hac diſparitate tantùm ſequitur, difficiliùs præſumi poſſe, Prælatum non eſſe invitum quoad ſubſtantiam, non tamen ſequitur, ſuppoſito, quòd poſſit præſumi, quòd iſtius conſenſus præſumptus non eodem modo, ſicut præſumptus conſenſus Domini ſufficiat; itaque ex hac paritate ſubſumo: atqui ad tollendam obligationem Juſtitiæ, ſufficit conſenſus præſumptus Domini: ergo ad tollendam obligationem Religioſæ paupertatis, ſufficit conſenſus præſumptùs Prælati.

203 Circa diſpoſitionem rei temporalis ex conſenſu præſumpto, quæri poteſt, an quando cauſa excuſans ab expreſſi conſenſus petitione præteriit, detur adhuc obligatio ſignificandi rem Superiori. Certum in primis eſt, requiri ad retinendum id, quod ex conſenſu præſumpto fuit acceptum; quia cùm retentio ſit continuata diſpoſitio, hinc ut pro eo tempore permiſſa ſit, pro quo cauſa excuſans à petitione conſenſus eſt ſublata, neceſſariò requiritur conſenſus petitio, ſicut requireretur ad primò accipiendum. Deinde quando res ad Religioſam communitatem pertinens fuit alienata, ad ratificationem ſuperioris, iterum certum eſt, hanc ipſam requirendam eſſe; quia conſenſus præſumptus tantùm ſe extendebat ad diſpoſitionem quaſi conditionatam, & adhuc pendentem à ratificatione ſuperioris; eſt ergo hæc neceſſaria ad reddendam diſpoſitionem abſolutam, ac completam. Quando tamen res omnino fuit abſumpta, vel deſtructa ex conſenſu præſumpto, teſtibus Suar. & Sanch. quibus accedit Lugo *num.* 128. idem aſſerens, etiamſi res fuerit abſumpta mala fide, & ſine conſenſu præſumpto, non tenetur Religioſus ex obligatione paupertatis, vel Juſtitiæ illud Superiori manifeſtare; niſi fortè ad hoc, inquit Lugo, ut condonetur obligatio reſtituendi, ſi quæ eſt, quæ tamen meo judicio nunquam eſt, hoc ipſo, quod Religioſus ſit incapax acquirendi ſibi aliquid pro reſtitutione per ſe facienda; quamvis ſi per alium injuſtè cooperantem res fuerit abſumpta, Religioſus obligetur rem manifeſtare Prælato, ſi aliàs ab altero non præſtaretur reſtitutio. Dixi, non teneri ex obligatione paupertatis, vel Juſtitiæ, quia non poteſt dari ampliùs à Prælato licentia, poſtquam res jam eſt abſumpta: poteſt tamen teneri ratione Confeſſionis Sacramentalis, quando abſumptio fuiſſet peccatum reſervatum, vel ratione diſciplinæ Religioſæ, ob quam communiter à timoratæ conſcientiæ Religioſis ſolet Prælato etiam manifeſtari abſumptio rei.

Dico 3. Etiamſi Mendoza in *quodlib. q.* 8. *in fine* putet, 204 ſufficere etiam conſenſum debitum, ſed irrationabiliter à Prælato negatum, claritatis gratia tamen rectiùs diſtinguitur cum Palao *pun.* 23. *n.* 10. utrum conſenſus debitus ſit ratione neceſſitatis, ſeu indigentiæ rei ad talem uſum, quo ſi Religioſus privaretur, ſtrictioris paupertatis incommoda cogeretur ſuſtinere, quàm qualem vi ſui ſtatus profitetur: vel an ſit debitus propter alias prudentes rationes à Prælato attendendas: in primo caſu ſufficit conſenſus debitus; quia ad majorem paupertatis rigorem Religioſus ſe non obligavit, in poſteriori non ſufficit; quia Prælatus habet Jus prohibendi uſum rerum temporalium intra terminos promiſſæ paupertatis.

Dico 4. Conſenſum vi, aut fraude extortum non 205 ſufficere ad evitandum peccatum contra Juſtitiam, vel contra Religionem. Ita communis, & certa ſententia. Prob. Etiamſi enim vis, & fraus, uti in materia de contractibus docetur, non ſemper reddant conſenſum Jure naturali, vel poſitivo irritum in ordine ad transferendum aliquod Jus, ſemper tamen relinquunt obligationem Juſtitiæ, omnia, ſi fieri poteſt, in antiquum ſtatum reponendi, & non utendi illo conſenſu: ergo conſenſus vi, vel fraude extortus, non ſufficit ad evitandum peccatum contra Juſtitiam, vel contra Paupertatem, ad quam Religioſus per votum ſe obligavit ſecundùm normam obligationis Juſtitiæ.

Cæterùm conſenſum vi extortum Lugo *num.* 129. ait: 206 etiam eſſe illum, qui à Superiore præbetur, quia timet, ne ſubditus propter repulſam, querelas, vel murmurationes effundat, quarum metu, licèt antè dixerim, impediri tacitum conſenſum, eò quòd tunc non poſſit præſumi actualis conſenſus, ſi tamen iſte expreſsè, & poſitivè præſtetur, judicio nimis ſeveram eſſe, & gravibus animi perplexitatibus obnoxiam ſententiam de Lugo, quia Religioſi pernicioſiſſimo murmurandi vitio deditì vix unquam ſuorum Superiorum conſenſu gaudere poſſent, meritò præſumentes, ex Superioribus metu ſibi conſuetarum murmurationum fuiſſe extortum. Itaque licèt veram putem aſſertionem de Lugo, quando ex intentione impetrandi conſenſum, Superiori per ſermones ad ipſum, vel domeſticos effuſos data eſt cauſa timendi querelas, ac murmurationes, vel recuſationes imperiorum, vel ex officio debitarum actionum neglectiones &c. Si tamen metus fundetur ſolùm in habituali conſuetudine murmurandi, vel in alia cauſa ad incutiendum illum metum non directa, non poteſt dici à ſubdito fuiſſe extortum conſenſum. Deniqne circa conſenſum fraude, ac dolo elicitum, illud univerſim aſſero, tunc cenſendum eſſe talem, ſi vel expreſſione falſi, vel ſuppreſſione veri, quod de Jure vel juxta ſtylum communem aut conſuetudinem indicandum erat, eliciatur.

Dico 5. Ad conſenſum validum Prælati ſecluſis ex- 207 penſis valde immodicis, & ſecluſo Religioſi Ordinis ſpeciali ſtatuto contrario, non requiri, ne ſit de objecto vano, ſuperfluo vel aliàs turpi & inhoneſto; quamvis Prælatus peccet peccato ſcandali, ſi ad hæc conſenſum expreſſum, vel determinatum præſtet ſubdito, qui per eum ad hujuſmodi uſum allici poſſet. Ita contra Thom. Sanch. *l.* 7. *in Decalog. cap.* 19. *à nu.* 21. Molinam *diſp.* 140. & 276. Leſſ. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 78. Palao *p.* 23. *n.* 4. & multos alios ab ipſis relatos, adeoque valde communem ſententiam docent S. Antonius, Sylveſter, Turrecremata, Tabina, Azor, Graffis, & pluresalii Theologi, ac Juriſtæ apud Lugo, quos ipſe ſequitur *n* 137.

alios nominatim recenſens *n.* 142. Probatur 1. à priori. Quia licèt Prælatus ſit tantùm Adminiſtrator bonorum ſpectantium ad totum Conventum Religioſorum, nullibi tamen reperitur, poteſtatem diſpenſandi validè illa bona cum alia limitatione conceſſam eſſe, quàm, ne ea in damnum temporale communitatis Religioſæ neceſſariò evitandum diſpenſet; atqui communitas, ut ſuppono, nullum patitur damnum temporale neceſſariò evitandum, ſi aliquid expendatur ad finem vanum, ſuperfluum, aut inhoneſtum, cujus aliàs ad finem honeſtum expendendi Prælatus licentiam dare potuiſſet: ergo &c.

208 Probatur 2. à pari. Prælatus ſecluſo damno temporali totius communitatis ſimilem habet poteſtatem dandi licentiam ſubditis circa diſpoſitionem rerum temporalium, qualem habet is, qui poteſt diſpenſare, vel in voto, vel in Lege, ſed conſenſus, quo diſpenſatur in voto, vel in Lege, ut ſit validus, non exigit, ne actus, qui ponitur contra votum, vel legem, non ſit aliunde inhoneſtus: ergo etiam conſenſus, quo Prælatus dat licentiam ſubditis circa diſpoſitionem rerum temporalium, non exigit, ne diſpoſitio illa non ſit aliunde inhoneſta. Minor declaratur exemplis. Quando Pontifex præbuit conſenſum contrahendi matrimonium in gradu conſanguinitas prohibito, etiam copula fornicaria inter ſponſos non habet ampliùs rationem inceſtus teſte Lugo *n.* 133 & quando quis impetravit diſpenſationem in voto caſtitatis, etiam actus repugnantes caſtitati non repugnant ampliùs Religioni, & quando quis obtinuit licentiam comedendi carnes die jejunii, etiam comeſtio carnium ſanitati noxia, vel ratione furti injuſta, non ampliùs eſt contra legem jejunii: ergo conſenſus diſpenſans in voto, vel in lege, extendit ſe etiam ad actus aliunde inhoneſtos, ut ſaltem contra votum, vel legem relaxatam nullum peccatum committatur.

209 Probatur 3. à poſteriori. Si quis Religioſo pro pecuniis ad emptionem aliunde illicitam à Prælato conceſſis rem ſuam abſque damno Monaſterii venderet; ex communi hominum ſenſu contractus ille non cenſeretur irritus, nec venditor teneretur conſentire in reſciſſionem contractus, aut etiam ſine recuperata re ſua pecunias reſtituere: ergo Monaſterium, & Prælatus hujus nomine poteſt validum præbere conſenſum ad diſpoſitionem rei temporalis aliunde illicitam.

210 Probatur 4. Specialiter ad hominem contra Sanchez, & alios nonnullos. Minùs poteſt Prælatus ſubdito validè præbere conſenſum diſponendi de bonis extraneis, quàm de bonis ſuę diſpoſitioni commiſſis; ſed ſi Prælatus ſubdito daret poteſtatem furandi de bonis extraneis, in uſum Monaſterii teſte Sanchez *num.* 55. & Suar. *lib.* 8. *cap.* 11. *num.* 15. conſenſus eſſet validus ad tollendam obligationem Paupertatis, non obſtante, quòd eſſet de objecto inhoneſto contra Juſtitiam: ergo præſtitus circa bona propriæ diſpoſitioni commiſſa etiam erit validus ad tollendam obligationem Iuſtitiæ & Religionis, ſaltem quatenus hæc prohibet crimen proprietarii, conſiſtens in detentione rei temporalis, contra voluntatem Superioris.

211 Dico 6. Etiamſi conſenſus ſecundùm prædictam concluſionem ſit validus ad impediendam injuſtitiam, & culpam proprietarii, ſi tamen res vanæ, vel ſuperfluæ, ratione ſui repugnarent ſtatui paupertatis ſecundùm magis, vel minùs rigoroſam illius profeſſionem, diverſis Religioſis familiis conſuetam, non ſufficeret conſenſus Prælati ad impediendum peccatum contra Religioſam Paupertatem, & hoc Adverſariis præcedentis aſſertionis, qui forſitan aliud non volunt, concedit etiam Lugo à *n.* 131. Ratio eſt: quia votum paupertatis præter obligationem requirendi conſenſum Superioris, ſecundùm varios Canones inducit etiam obligationem non habendi ſuperflua, & ſtatui promiſſæ paupertatis non convenientia; & licèt horum conceſſionem Trid. *Seſſ.* 25. *cap.* 2. *de Regularibus* non irritet, tamen prohibet his verbis: *Mobilium vero uſum ita Superiores permittant, ut eorum ſupellex ſtatui paupertatis quam profeſſi ſunt, conveniat, nihilque ſuperflui in ea ſit: nihil etiam, quod ſit neceſſarium, eis denegetur. Quòd ſi quis aliter quidquam tenere deprehenſus fuerit, biennio activa, & paſſiva voce privatus ſit, atque etiam juxta ſua Regulæ, & Ordinis Conſtitutiones puniatur.* Subſumo: atqui Superioris conſenſus non poteſt efficere, ut res, ab illo conceſſa, non ſit ſuperflua, vel vana, ac ſtatui non conveniens, ſub quo prædicato eſt prohibita, & non tantùm, quatenus habetur invito Superiore; cùm nec Superior, nec totus Conventus Religioſus nullo alio conſenſu Superioris indigens, rem ſtatui diſconvenientem habere poſſit, ergo Superioris conſenſus non poteſt efficere, ut ſubdito liceat ſalva paupertate, habere rem non convenientem ſuo ſtatui; ſed tantùm, ut contractus, quo fuerat acquiſita, ſit validus, & ut ſubditus, non tanquam proprietarius, puniri debeat.

§. III.

Quando graviter peccent Religioſi diſponendo de rebus temporalibus.

S V M M A R I U M.

212 *Probatur, Religioſum poſſe contra paupertatem peccare, quin ſimul peccet contra Iuſtitiam.*

213 *Probatur, poſſe etiam peccare contra Iuſtitiam, quin ſimul peccet contra Paupertatem.*

214 *Eodem actu Iuſtitiæ, & Paupertati oppoſito poteſt Religioſus contra unam virtutem peccare graviter, & contra alteram leviter.*

215 *Idem confirmatur.*

216 *Circa quantitatem materiæ ſufficientis ad peccatum mortale contra paupertatem referuntur diverſæ ſententiæ.*

217 *Non rectè deſumitur gravitas materiæ à dignitate finis.*

218 *Statuitur noſtra ſententia circa gravitatem materiæ.*

219 *Non rectè aſſeritur quantitas reſpectiva.*

220 *Neque rectè Religioſus æquiparatur Filio.*

221 *Major requiritur quantitas ad actionem minus læſivam ratione modi lædendi.*

222 *Circa eſculenta, & poculenta major requiritur quantitas.*

223 *Major etiam requiritur quantitas ad coaleſcentiam levium tranſgreſſionum.*

224 *Imò aliquarum levium tranſgreſſionum materiæ nunquam coaleſcunt.*

Dico 1. Quando Dominus rei Religioſo præbet conſenſum de illa diſponendi, nullum transferens Jus in Monaſterium, v. g. ſi concedat uſum rei ſuæ revocabiliter, vel ſub hac conditione, ne monaſterio acquiratur, Religioſus peccat contra ſolam paupertatem, deficiente Prælati conſenſu; ſicut etiam à Religioſis Societatis IESU, quamdiu nec per voluntariam abdicationem rerum ſuarum dominium amittunt de iiſdem abſque Superiorum conſenſu diſponentibus tantùm agitur contra Paupertatem, nō verò contra Iuſtitiam. Ratio eſt manifeſta, quia nulla diſpoſitio de re quapiam temporali repugnat Iuſtitiæ, quando non fit invito domino, ſed in prædictis caſibus, non fit invito domino: ergo &c. 212

Quomodo verò viciſſim per conſenſum Prælati poſſit Religioſus peccare contra ſolam Iuſtitiam, quin peccet contra Religioſam Paupertatem, dixi in præcedenti §. quòd etiam Religioſus ſibi, vel Monaſterio uſurpans rem alienam, conſentiente Prælato non peccet contra paupertatem, niſi uſus ille abſolutè diſconveniat ſtatui religioſo, probatur. Quia, licèt Prælatus non poſſit concedere uſum rei alienæ, poteſt tamen præbendo conſenſum deſinere eſſe invitus: atqui contra Religioſam Paupertatem tantùm peccatur per uſum diſconvenientem ſtatui Religioſo, qualem ſuppono non dari in poſito caſu, aliàs nec domini conſenſus adjunctus ſufficeret; vel per uſum factum invito Prælato, qualis non eſt, qui fit conſentiente Prælato: ergo non peccatur contra Religioſam paupertatem. 213

Dico 2. Eodem actu Iuſtitiæ, & Religioſæ Paupertati oppoſito, poteſt peccari graviter contra unam, & leviter tantùm contra alteram virtutem. Probatur, Quia, quando non idem ſimul agit perſonam Prælati, & Domini, circa rem gravem, poteſt unus eſſe invitus graviter, & aliter: ergo, cùm obligatio utriuſque virtutis dependeat à diſſenſu graviter, vel leviter inviti, 214

contra

contra illam virtutem peccatur graviter, cujus obligatio completur per diſſenſum graviter inviti, & contra alteram leviter. Hoc ipſum dicendum eſſet, quando idem ſimul ageret perſonam Prælati ac Domini, & ex motivo unius virtutis, vellet obligare graviter, ex alterius verò leviter: quamvis regulariter Prælatus ſoleat æqualiter eſſe invitus, ratione utriuſque virtutis.

215 Confirmari poteſt concluſio alia adhuc inſtantia Cardin. de Lugo *diſp.* 3. *n.* 127. ſi enim res domino invito ablata, in ſe eſſet materia levis, ſed connexa cum gravi damno domini, v. g. ſi Sartori unicam acum habenti, nec potenti hìc & nunc ſibi aliam comparare, eadem cum gravi damno lucri ceſſantis auſeretur, peccatum contra Juſtitiam eſſet grave, quia fini Juſtitiæ, cujus eſt, cavere injuſtum proximi damnum, contraveniretur graviter; contra paupertatem tamen ſolummodò eſſet leve, quia finis illius leviter tantùm læderetur; iſte enim non menſuratur à damno proximi mediatè & per accidens tantùm illato, ſed ab æſtimabilitate rei ſecundùm ſe.

216 Dico 3. Quamvis propter mutationem Circumſtantiarum, ratione quarum Prælatus graviter vel leviter in certis Caſibus præſumitur invitus, & propter inæqualem rigorem Paupertatis, diverſis Religioſis Familiis conſuetum, ac denique etiam propter Authorum diſſenſionem difficile ſit determinare materiam peccati, graviter, vel leviter oppoſiti Religioſæ Paupertati: ſententia tamen, quæ contra S. Antonium, Gerſonem Paſſarellum Vivualdum, apud Sanch. *l.* 7. *c.* 20. *n.* 1. parvitatem materiæ admittit, eſt certa, & quæ quantitatem ſufficientem ad peccatum mortale furti, aſſerit etiam ſufficientem ad peccatum mortale contra Religioſam Paupertatem, eſt communis DD. Nominatum Navarri, Cordubæ, Graffii, Rebelli, Emanuelis, Azorii, quos refert, & ſequitur Sanchez *l. c. num.* 3. Lugo *n.* 170. & ex parte Suarez. *lib.* 8. *c.* 6. *n.* 8 & Palao *de ſtatu Religioſo. diſput.* 3. *punct.* 20. *n.* 2. quatenus non concedunt majorem quantitatem, quàm circa furtum: qui tamen cæteris ſeveriores ſunt, dum majorem quantitatem ad gravem Juſtitiæ violationem requirunt, quàm ad gravem violationem Paupertatis, eò quòd iſta ſit contra fidelitatem Deo debitam, infidelitas autem, utpote divini cultus omiſſio, ad ſui gravitatem minori materia contenta ſit.

217 Propterea ex voto Eleemoſynæ ajunt, gravitatem & levitatem voti Paupertatis deſumendam eſſe; quæ menſura ſeu regula mihi videtur falſum ſupponere: nam ratione finis aut motivi præſtantioris, quo una virtus præ alia gaudet, non ſequitur, minorem quantitatem ſufficere ad peccatum grave contra Religionem, quàm, quæ ſufficit ad peccatum grave contra juſtitiam; imò ratione modi, ſecluſa voluntate æqualiter ſe obligandi) quia obligatio Religionis provenit ex promiſſione gratuita, & obligatio Juſtitiæ ex promiſſione oneroſa, vel ex delicto, potiùs videtur minor quantitas ad peccatum grave injuſtitiæ, quàm infidelitatis erga Deum ſufficere, ſicut juxta probabilem ſententiam ſufficit quadruplo minor, quàm quanta requiritur ad violationem gravem obligationis gratuitæ erga hominem.

218 Itaque ego inhærendum cenſeo relatæ communi ſententiæ, quam in praxi etiam ſequitur noſtra Societas in monitis Generalibus Congregat. 7. *num.* 10. hæc ſtatuens: *intelligant omnes, eam quantitatem, quæ furto ſublata ſatis eſſet ad conſtituendum peccatum mortale contra ſeptimum præceptum, ſufficere, ut peccaſſe adverſus votum Paupertatis judicetur, ſi quis è noſtris rem ut propriam, vel uſurpet, vel alienet abſque ſuperioris facultate.* Ratio hujus doctrinæ eſt, quia obligatio religioſæ Paupertatis juxta voluntatem ipſorum Voventium imitatur naturam obligationis Juſtitiæ: ergo quantitas, quæ reſpectu Juſtitiæ eſt gravis, rectè aſſignatur pro menſura, & regula quantitatis gravis, reſpectu religioſæ paupertatis.

219 Hæc tamen regula variè à variis applicatur: & aliqui apud Lugo *l. c.* ſunt nimis laxi, qui aſſerunt in determinanda quantitate furti, attendendas eſſe divitias Monaſterii, & ipſum Religoſum teſte Rebello *p.* 1. *lib.* 3. *quæſt.* 15. *n.* 22. habendum pro filio, reſpectu cujus major quantitas requiritur, quàm reſpectu extranei. Oſtendo tamen neutrum eſſe verum: ex primo enim membro ſequeretur, Religioſis ejuſdem Ordinis non eſſe determinatum certum rigorem paupertatis per ſe loquendo, ſed eò laxiorem eſſe paupertatem, quò unum Monaſterium, vel Collegium eſt ditius, & hoc ipſo, quod forſan pinguis hæreditas alicui obveniat, jam etiam Paupertati habenas remitti: quia ergo ſecundùm priorem concluſionem peccatum contra Paupertatem non debet commenſurari peccato contra Juſtitiam, ideo etiamſi in iſto attendi poſſit ad divitias perſonæ læſæ, non tamen idem dicendum eſt in illo, ut etiam tanquam certum tradit Suar. *l. c. n.* 8. Ratio à priori eſt: quia peccatum injuſtitiæ ſecundùm probabilem ſententiam menſuratur ex damno alteri illato in bonis fortunæ, quod levius eſt reſpectu divitis, quàm pauperis: peccatum contra Paupertatem verò menſuratur ex damno diſciplinæ, ſeu obſervantiæ Religioſæ, quod non eſt levius, etiamſi domus Religioſa ſit dives.

Eadem ratio potiſſimùm pugnat etiam contra ſecundum membrum; cui præterea hæc diſparitas, inter filium naturalem, & Religioſum, tanquam ſpiritualem filium addi poteſt cum Sanch. & Lugo: quia bona patris communiter erunt futura bona filii, & ſic pater rationabiliter minùs eſt invitus; bona Communitatis autem Religioſæ nunquam ſunt futura Religioſi particularis: & ideo Superior neque habet eandem cauſam allicientem ad conſenſum, & inſuper habet ſpecialem rationem abſterrentem, nempè damnum Religioſæ diſciplinæ, ſimul cum damno ipſorum bonorum temporalium. Deinde parùm etiam prodeſſet conſideratio filii, ſi cæteri Religioſi attendi debeant ut fratres, ratione quorum, ſi illi v. g. numero ſint 20. proportionaliter tantùm decreſcit licentia quoad majorem quantitatem, quantum decreſceret, ſi idem pater naturalis haberet 20. filios. 220

Itaque prædicta Regula, ut etiam advertunt locis citatis Palao *n.* 2. Suar. *n.* 8. Sanch. *n.* 5. debet intelligi de quantitate furti, ſpectata ſine conſideratione ad perſonas extraordinariè divites vel pauperes; ſed quæ eſſet ſecundùm ſe gravis propter notabilem conducentiam ad hominum neceſſitates ſublevandas, ſeu quæ eſſet gravis reſpectu perſonæ læſæ mediocriter divitis, ſive Religioni ipſi eveniat ex illicita uſurpatione rei aliquod damnum, ſive nullum: ſufficit enim, actionem eſſe talem, ut de ſe eſſet apta in tali quantitate grave damnum inferre, ſeu graviter lædere Juſtitiam, cui proportionatur obligatio Paupertatis: unde potiùs gravitas materiæ ſtatuenda eſt per comparationem ad actionem, quæ contra Juſtitiam, vel Paupertatem ponitur, & à Suarez *lib.* 8. *cap.* 11. *num.* 25. materia proxima appellatur. Nam quia conſumptio, vel alienatio rei in minori quantitate gravius poteſt damnum inferre, quàm in majori quantitate nuda uſurpatio ad tempus non nimis longum, quo elapſo res iterum integra ac incorrupta reſtituetur; ideo citiùs peccatur mortaliter conſumendo, alienando, vel deſtruendo, quàm præciſè uſurpando rem abſque licentia, vel alteri ejuſdem Conventus Religioſo concedendo: adeoque ea diſpoſitio circa rem temporalem Prælato quoad ſubſtantiam invito poſita, eſt peccatum mortale contra Religioſam Paupertatem, quę eſt, vel eſſet peccatum mortale contra Juſtitiam, ſi Domino graviter invito poneretur. 221

Unde cùm in conſumptionem eſculentorum, & poculentorum major valoris quantitas, quàm in rebus ad alium uſum ſervientibus concedatur, donec peccetur graviter contra Juſtitiam, hinc etiam concedenda eſt in ordine ad peccatum grave contra Paupertatem: neque in ordine ad hoc peccatum per ſe loquendo multùm videtur conducere diſcrimen, utrùm ex Domo Religioſa, vel ab externis de eorum conſenſu revocabili, & nullum Jus in Monaſterium transferente res accepta ſit; quamvis in hoc poſteriori caſu ſolùm contra paupertatem, in illo verò etiam contra Juſtitiam peccaretur. 222

Sicut autem obligatio Juſtitię, & Paupertatis Religioſæ, eadam menſura utuntur materiæ gravis, per eundem actum acceptæ, ſic per ſe loquendo eadem videntur uti reſpectu materię diverſis actibus acceptæ, ita ut ex pluribus levibus coaleſcat materia gravis: Quando tamen leves violationes paupertatis neque procedunt ex intentione perveniendi ad ſummam reſpectu Iuſtitię ſufficientem ad peccatum mortale: neque Religioni, 223

gioni, vel alteri extraneo afferunt damnum contra Juſtitiam grave, ac involuntarium in ratione damni: neque ipſi tranſgreſſori paupertatis ratione ſimultaneæ detentionis rerum levium ſucceſſivè collectarum generant lucrum æquale materiæ gravis injuriæ, probabiliter cum Card. de Lugo *diſp. 3. à n.* 180. dicitur, ejuſmodi res leves non coaleſcere in unum, ſeu non prohiberi à Superiore per modum unius ſub peccato graviter oppoſito Religioſæ paupertati. Unde infert cit. Author, non peccari mortaliter, res leves ad certum uſum ſibi conceſſas, ſæpius expendendo ad alium uſum, vel alteri domeſtico eaſdem concedendo, vel ab extraneis offerentibus accipiendo, quæ aliàs Monaſterio datæ non fuiſſent, vel ex domo Religioſa res neceſſarias, aut petenti facilè permittendas ſine obtenta facultate uſurpando.

224 Ratio eſt: quia ſecluſa prædicta intentione perveniendi ad ſummam gravem, nihil agitur in fraudem: & ſecluſo injuſto, ac quà tali involuntario damno, per gravem prohibitionem Prælati cavendo, vel ſecluſo ſimultaneo gravi lucro, propter conjunctionem rerum levium vehementiùs alliciente, Prælatus, per ſe loquendo, non habet ampliùs ſpecialem cauſam, poſteriores violatione paupertatis ideo prohibendi, quia per eas ex parte objecti completur collectio rerum levium, graviter æſtimabilis, ſufficit; ſi ſine comparatione ad præcedentes tranſgreſſiones ſingulas abſolutè prohibeat. Quod ex praxi recepta etiam confirmatur; quia nec Prælati ſolent graviter punire leves acceptiones ſine temporali detrimento involuntario frequentatas, nec Confeſſarii conſcientiam inijcere.

§. IV.

Quædam Corollaria ex dictis deducuntur.

SUMMARIUM.

225 *Non peccat Religioſus contra paupertatem gratis accipiendo, vel præſtando obſequium pretio æſtimabile.*

226 *Religioſus nec ſibi, nec monaſterio acquirit lucrum, ex pecunia ſine licentia Prælati per luſum depoſita, nec colluſor lucrari poteſt pecuniam depoſitam.*

227 *Probatur, & extenditur dicta aſſertio.*

228 *Lucrum ex pecunia, à Prælato conceſſa, in eodem luſu, non autem in diviſo, deponi, & perdi licitè poteſt.*

229 *Peccat Religioſus contra paupertatem, qui ſine licentia Prælati pecunia à ſæculari oblata aliquid emit etiam ad communem Monaſterii uſum.*

230 *Peccat etiam contra paupertatem Religioſus, ſine Prælati licentia aliquid accipiens commodatò.*

231 *Vel dans commodatò.*

232 *Peccat etiam Religioſus contra paupertatem per negligentiam communis diligentiæ, ſinens rem uſui conceſſam interire.*

233 *Peccat etiam, eſculenta & poculenta, ab externo ſibi oblata, intra vel extra monaſterium ſine conſenſu Prælati abſumens.*

234 *Refertur fundamentum contrariæ ſententiæ.*

235 *Evertitur illius ſuppoſitum.*

236 *Solvitur argumentum à paritate petitum.*

237 *Non videtur Religioſus peccare mortaliter, eſculenta & poculenta, non delata domum, ſine conſenſu Prælati conſumens.*

238 *Idem confirmatur.*

239 *Quomodo Religioſi munuſcula inter ſe, dando & accipiendo, diſpenſare licitè poſſint.*

240 *Circa paupertatem nimia ſeveritas, & laxitas doctrinæ pariter nocet.*

225 EX dictis colligitur primò, Religioſum gratis accipientem, vel præſtantem irrequiſito conſenſu Prælati obſequium pretio æſtimabile, non peccare contra Paupertatem. Ratio eſt, quia in tali caſu nec Religioſus donat, nec ipſi donatur ſolvendum pretium, ſed tantùm non acquiritur completum Jus ad pretium, pro obſequio illud merente; adeoque id, quod donatur, eſt ipſum obſequium, hoc autem non numeratur inter res temporales, quæ ab obligatione paupertatis reſpiciuntur.

Colligitur ſecundò, nec Religioſum poſſe ſibi aut 226 Monaſterio ſuo retinere, quod pretio ultra licentiam Prælati in luſu depoſito, lucratus eſt à colluſore, nec colluſorem poſſe retinere id, quod ſine Prælati licentia ſibi fuit depoſitum, ſi ipſum lucratus eſt. Probatur prima pars. Quia licèt alioquin etiam id acquiratur Monaſterio, ſaltem revocabiliter, & ſub conditione ratificationis, à Prælato, ſi voluerit, ponendæ, & à dante neceſſario expectandæ, ac admittendæ; ad quod ſive contractu lucrativo, ſive oneroſo acquirendum Prælatus antecedenter fuerat invitus, eò quòd negotio conſenſus, niſi aliud exprimatur per poſitivum diſſenſum, non ſit irritatio actus, ſed tantùm prohibitio; vi cujus Prælato diſplicet acceptatio, vel quoad modum, vel quoad ipſam rei ſubſtantiam, quatenus repugnat voto Paupertatis, à ſubdito promiſſæ, tamen lucrum ex luſu nec revocabiliter acquiritur, niſi colluſor ſciverit, Religioſo deeſſe licentiam, aliquid per luſum deponendi, & ſic facto ipſo conſenſerit in conditionis inæqualitatem; quæ in hoc conſiſtit, quòd in aliis contractibus oneroſis, qualis v. g. eſt venditio, tunc, quando à Prælato ponitur ratificatio, etiam ipſe Prælatus, vel Monaſterium ſubeat aliquod onus, v. g. jacturam pretii, pro re empta, in contractu oneroſo luſus autem Prælatus nullum ſubiret onus, nec quando ratificaret luſum, nec illud etiam ſubiviſſet ante, quando ludebatur, cùm rem à ſubdito depoſitam non ratificando luſum repetere adhuc poſſet, etiamſi ſubditus ludendo illam perdidiſſet.

227 Secunda pars eſt manifeſta, quia Religioſus deſtitutus dominio, abſque ratificatione Prælati nihil poteſt validè alienare: ergo colluſor non poteſt retinere id, quod ſine licentia ſibi eſt depoſitum. Idem ob rationis paritatem quoad utramque partem dicendum eſt de luſu Filiifamilias, vel cujuſcunque alterius, non habentis facultatem alienandi rem ſuam luſui oppoſitam, ut advertit Rebellus 2. *p. lib* 12. *q.* 4. *ſect.* 1.

228 Colligitur tertio, Religioſum, qui uno aureo ad luſum ſibi conceſſo, lucratus eſt alios plures, poſſe quidem in luſu moraliter eodem etiam alios deponere, ac perdere; quia cenſentur nondum perfectè acquiſiti Monaſterio; illo autem finito, non ampliùs poſſe; neque enim Religioſus in hoc eſt paris conditionis cum filio aut ſervo, ut lucrum ſequatur peculium; quia Religioſus eſt incapax omnis dominii in rem temporalem.

229 Colligitur quartò, contra Azor, Fabrum, Coriolanum, Dianam, apud Lugo *num.* 153. peccare Religioſum contra paupertatem, qui pecunia à ſæculari accepta emptos libros, vel aliud quidpiam, etiam non occultè, ſed palam propoſitos in cubiculo ſuo aſſervat: quia libros, & quamcunque aliam rem vel ſuo, vel hominis ſæcularis nomine emit: ſi primum, tunc bis peccavit, in primis accipiendo pecuniam ſine conſenſu Prælati; deinde ſine ejuſdem conſenſu illam expendendo. Si ſecundum, ſaltem peccavit accipiendo rem emptam, cujus in aſpectum proſtitutio, nec eſt petitio, nec impetratio conſenſus, ſeu ratificationis à Prælato præſtandæ. Quoad gravitatem culpæ tamen exiſtimat Suarez *l. 8. c.* 11. *à n.* 27. illam non eſſe mortalem, & Superiorem (ſecluſa contraria conſuetudine, vel conjecturis probabilibus) non eſſe invitum quoad ſubſtantiam, ſi res accepta ſtatim ad communem uſum tradatur, vel talis ſit, cui ſimilis à Superiore ad particularem uſum jam conceſſa eſt, vel concedi deberet propter ejus neceſſitatem.

230 Colligitur quintò, ut in genere de quavis re ad uſum accepta teſtatur Suar *l. c. num.* 39. DD. conſenſum allegans, Religioſum peccare contra paupertatem & Juſtitiam, ſine licentia generali aut ſpeciali ex bibliotheca communi, vel alterius cubiculo accipiendo librum, vel (quod in ordine ad retentionem idem eſt apud cit. Authorem *c.* 12. *n.* 6.) cum licentia acceptum occultando, ne à Prælato recipi aut propter oblivionem repeti poſſit, cùm ipſum hoc velle, probabile eſt: gravitas autem hujus peccati; ut iterum monet Suar. *c.* 11. *n.* 43. non ex valore libri, quem Religoſus

ſus

ſus ſibi non appropriat, ſed ex æſtimabilitate uſus menſurari debet, & ex modo eum retinendi, ſcilicet apertè vel occultè, ac temporis diuturnitate, quod à Palao *p.* 21. *n.* 3. pro gravi peccato non rectè determinantur ad annum; cùm ſi libri uſus ſit valde neceſſarius aut utilis, longè minus tempus ſufficere poſſit. Quod de libero dictum eſt, id de quavis alia re intelligi debet. Unde obſervat Lugo *n.* 54. facillimè peccaturum graviter, qui ex alterius cubiculo acciperet ejus manuſcripta, v.g. conciones, vel alia ſimilia, aut ea transſcriberet; quorum ſpecialem, & ſibi proprium uſum Author magna pecunia vendere nollet.

231 Colligitur ſextò, ſi res ſine conſenſu Superioris ad proprium uſum accepta, vel alteri domeſtico data peccatum eſt, multò magis peccaturum, qui rem Religionis concedit externo, cujus peccati gravitas etiam colligi debet ex periculo, rem neque in individuo neque in ſpecie, vel non integram, ac incorruptam recipiendi.

232 Colligitur ſeptimò, obligationem Paupertatis etiam violari per omiſſionem diligentiæ, ab hominibus, pro conſervandis rebus ſuis communiter adhiberi ſolitæ; quantoque negligentia rem ab interitu, vel deterioratione probabiliter prævisa conſervandi eſt major, tanto peccatum eſſe gravius. Ratio eſt, quia qui accipit rem ad ſuum uſum, ut ſit Commodatarius, vel Uſuarius, etiam ſe obligat ad ordinariam ſaltem diligentiam, pro illius cuſtodia adhibendam, cùm tantùm concedatur illi uſus, ſalva rei ſubſtantia; vel res etiam ad conſumptionem tribuatur, ut veſtes, oleum &c. tribuitur tantùm ad conſumptionem neceſſariam, vel utilem, non autem ad deſtructionem Monaſterio damnoſam, & ex ſola negligentia acceleratam: ergo qui hanc obligationem non exequitur, uſurpat ſibi dominium independens, & exercitium Juris majoris, quàm ipſi à Prælato conceſſum ſit, quod paupertati repugnat.

233 Colligitur octavò, contra Lugo *tom.* 1. *diſp.* 2. *n.* 51. omnino improbabilem eſſe ſententiam, qua putat, Religioſum à ſæculari invitatum ad ſumptuoſum convivium, non peccare contra Paupertatem, ſine licentia Prælati convivando, licèt peccaret, ſi quod cibi, & potus conſumpſit in domo invitantis ipſo præſente, id ad domum ſuam Religioſam transmiſſum in abſentia hoſpitis ſui conſumpſiſſet; quod ex hoc exemplo confirmat: nam non peccaret Religioſus; ſi juſſus à Domino ſæculari pretioſa aromata cremaret in illius præſentia, peccaret verò, ſi ea domum translata in abſentia combureret. Rationem à priori iſtam aſſignat, quia hujuſmodi actiones dependent à morali hominum æſtimatione, ſecundùm hanc verò cenſeretur Religioſus cibum, vel aromata conſumpſiſſe nomine ſæcularis, ſi præſens eſſet, ſuo verò nomine, ſi abſens.

234 Unde in priori caſu infert citat. Author, Religioſum non magis peccare contra Paupertatem, quàm ſi pretioſam gemmam, ipſius Domini juſſu in aquas projeciſſet: etiamſi enim ad jacturam cibi, potus, aromatum, gemmæ concurreret phyſicè, moraliter tamen loquendo potiùs haberet ſe paſſivè, quatenus ſineret, ut Dominus ſæcularis jacturam rei ſuæ faceret abſumendo cibum, & potum per os Religioſi, vel per ejus manus aromata in ignem, aut gemmam in aquam projiciendo.

235 Verùm, etiamſi in morali hominum æſtimatione aliquis cenſeatur bibere in ſanitatem alterius, nunquam tamen cenſetur nomine alterius comedere, aut bibere, quin illud etiam ſuo nomine faciat: unde ſi ad moralem hominum æſtimationem confugiendum eſt, comeſtio & potatio ex communi hominum ſenſu, eſt uſus activus facti in propriam commoditatem exercitus, quem per votum Paupertatis nolumus licère nobis ſine conſenſu Prælati, ſicut ratione Iuſtitiæ licitus non eſt naturaliter pauperi ſine conſenſu Domini. Unde falſum eſt ſuppoſitum, quòd in morali hominum æſtimatione homo tantùm paſſivè ſe habeat in ordine ad uſum conſumptivum cibi & potus, quando comedit, & bibit juſſu Domini, ſicut neque paſſivè ſe habet, quando id facit de licentia Prælati.

236 Neque etiam eſt paritas in crematione aromatum, vel projectione gemmæ: quia Religioſus per cremationem potiùs Domino præſenti, quàm ſibi, omnium confeſſione cenſetur bonum odorem excitaſſe, & per accidens eſt, quòd ille etiam ad nares Religioſi aſcendat; unde in hoc exemplo facilè patet, quid conducat præſentia Domini, ne Religioſus directè in ſuum uſum aromata vertiſſe dicatur; in caſu autem Card. de Lugo non apparet, quid Domini præſentia ſerviat, ut Religioſus non ſuo, ſed alterius nomine comediſſe dicatur. In projectione gemmæ ipſe Lugo numero ſequenti agnoſcit diſparitatem, eò quòd non ſit actio ex natura ſua tendens in commoditatem Religioſi, etiamſi forſan delectetur tali projectione, hinc etiam fatetur, Domino abſente, gemmam projici poſſe juſſu, & nomine illius.

Cæterùm etiamſi improbabilem judicem ſententiam viri alioquin doctiſſimi, eamque Admodum R. P. noſter Generalis Mutius Vitelleſcus anno 1640. die 26. Maii Paupertati, quàm Societas profitetur, non conſentaneam, neque à Profeſſoribus noſtris docendam, neque ulli re ipſa exercendam judicaverit, qua prohibitione etiam affecta eſt duplex alia aſſertio ejuſdem Authoris circa Paupertatem, quidquid ſit de utriuſque veritate extra Societatem, quarum prior habetur *diſp.* 3. *n.* 150. & altera *n.* 155. tamen etiam ego nolim Religioſum eſculenta, & poculenta pretioſa penès ſe non aſſervantem, ſed extra domum, ubi expreſſam licentiam facilè petere non poſſet, actu abſumentem, peccati mortalis damnare. 237

Ratio fundamentalis eſt, quia illa portio, quam Religioſus in convivio forſan in ſui ſolius gratiam inſtructio, abſumit, vel eſt adhuc ob qualitatem, & quantitatem rei materia levis (nam ad reliquas expenſas, ſuo intuitu factas, habet ſe tantùm paſſivè; quod non eſt contra paupertatem) quo fundamento nititur Tamburinus *lib.* 8. *decal. tr.* 1. *c.* 2. §. 5. *num.* 11. juxta quem in certis circumſtantiis ſubinde tacitus conſenſus ſupponi poteſt, ab omni culpa contra paupertatem excuſans: vel ſi non eſt materia levis, ſuperior, teſte doctiſſimo P. Adamo Tannero *tom.* 3. *diſp.* 6. *de Iuſtitia q.* 3. *n.* 103. ſecundùm receptam conſuetudinem, fundatam in communi, nec à Superioribus improbato ſenſu ſubditorum, & Confeſſariorum abſolventium à tali peccato, (quod tamen, ſi mortale eſſet, ipſorum juriſdictionem in Societate noſtra excederet) ſupponi poteſt, non eſſe graviter invitus quoad ſubſtantiam, quia non eſt invitus propter pretium, de quo nec inquirit, nec curat, ſive menſura vini conſtet crucigero, ſive medio floreno, ſed potiſſimùm eſt invitus propter modum occultum, & propter ſcandalum. 238

Colligitur nonò, quando unus Religioſus alteri aliquid donat (ea donatione, cujus capaces ſunt, translatione ſcil. ſolius Juris utendi, à proprio accipientis Prælato revocabilis) utrique tam donanti, quàm accipienti licentiam ſui Prælati neceſſariam eſſe, quod ſi tamen ambo eidem Prælato ſubjecti ſunt, etſi non hoc ipſo, quòd ille uni dederit licentiam aliquid dandi, neceſſariò inferatur, aliis ſubditis ſuis dediſſe licentiam ab eo accipiendi, cùm data licentia intelligi poſſit de externis non indigentibus licentia accipiendi, vel de domeſticis impetrantibus licentiam; ſicut, quando diſpenſatur cum impedito per votum Caſtitatis ad contrahendum matrimonium, diſpenſatio tantùm conceditur in ordine ad ſponſam non impeditam, vel ſpecialiter liberatam ab impedimento: nihilominus contra Sanchez cum pluribus aliis probabiliùs aſſeritur, de facto ſolere Prælatos conceſſione licentiæ ad dandum, reliquis ſuis ſubditis hoc ipſo dare licentiam ad accipiendum; idque teſtatur Lugo *num.* 165. Admodum R. P. noſtrum Mutium Vitelleſcum à ſe interrogatum ſibi reſpondiſſe, modò iſta licentia non vertatur in fraudem, uti contingeret, ſi ſubditi mediante uno, generali poteſtate accipiendi, & donandi prædito, liberè ſibi mutuò donarent, dando ſcilicet illi ea intentione, ut ipſe donet alteri deſignato. Imò etiam Sanchez *libr.* 7. *in decal. cap.* 19. *num.* 70. concedit de munuſculis ad uſum alteri donandi per ſe ordinatis ac conceſſis, licere ea ſine ulteriori conſenſu cuivis alteri extraneo, vel ejuſdem Prælati ſubdito donare, eò quòd pro his ſufficiens habeatur conjectura ex ipſa munerum qualitate, quod de moderatis donationibus, & communiter uſitatis intelligendum eſt. 239

240 Cæterùm quoad totam hanc doctrinam de Paupertate Religioſa rectè monet Suar. *lib. 8. c. 11. n. 40.* duo extrema cavenda eſſe, ne ſcil. nimiùm alleviando culpas, relaxationi occaſionem tribuamus; & ne rigoroſiùs, quàm par eſt, aggravando homines fragiles (quales ſumus majori ex parte) periculis exponamus: & quia hoc poſterius, pergit cit. Author, gravius eſt, magiſque Religioni contrarium, ideo ſi in aliquod extremum (quod vitandum eſt, quoad fieri poſſit) inclinandum ſit, potiùs ad lenitatem, quàm rigorem propendendum eſſe.

QUÆSTIO IV.

De Variis Modis acquirendi Dominium Proprietatis.

ARTICULUS I.

De Modo acquirendi Dominium animalium per venationem, Aucupium, & piſcationem.

SUMMARIUM.

241 *Animalia, quæ carent Domino, fiunt primò Occupantis.*
242 *Animalia manſuefacta, quando conſuetudinem ad Dominum redeundi per ſe amiſerunt, etiam fiunt Occupantis.*
243 *Animalia natura ſua manſueta per fugam non deſinunt eſſe prioris domini.*
244 *Quomodo Principes poſſint prohibere Venationem.*
245 *Quomodo ſubditi peccent contra priorem prohibitionem.*
246 *Quadruplex Ratio prohibendi Venationem.*

241 DIco 1. Animalia, quæ carent domino, fiunt primò occupantis *l. 1. §. 1. ff. de Acquirenda poſſeſſ. & §. 14. Inſtit. de Rerum diviſione*: ubi tamen cùm dicitur, feram non vulnerantis, ſed capientis eſſe, jam is eam priùs cepiſſe cenſendus eſt, qui illam ita vulneravit, ut continuò perſequentis manum effugere ampliùs non potuiſſet; ſecus verò, ſi potuiſſet. Idem dicendum eſt de fera, laqueo, vel alio inſtrumento capta; ſi enim probabiliùs antea adventum inſidias ſtruentis fuiſſe ſeſe liberatura, ſpectat ad eximentem, aliàs ad ſtruentem inſidias, teſte Leſſio & Molina: quòd ſi tamen iſtæ non in loco publico, ſed privato, & abſq; domini conſenſu ſtructæ eſſent, ſicut non obligarem venatorem ad reddendam feram domino loci propter expreſsè contrariam *Legem 3. ff. de Acquirendo dominio*; ſic nec dominum loci obligarem ad feram priùs exemptam reddendam Venatori, eò quòd præventio videatur ſubrogari poſſe ſatisfactioni injuriæ pro venatione, vel aucupio in loco alieno ſine domini conſenſu, & alter rationabiliter non poſſit eſſe invitus, ſi captum animal, & probabiliter etiam ipſum inſtrumentum, niſi valdè ſit pretioſum, ſibi non reſtituatur.

242 Dico 2. Animalia manſuefacta, ut pavones, Cervi, columbæ occupari poſſunt, quando per liberam evagationem amiſerunt conſuetudinem redeundi: in quo non tam numerus duorum, vel trium dierum abſentiæ, quàm judicium prudentum, & conſuetudo Provinciarum attendenda eſt, ac inſuper cavenda fraus, ne v. g. columbæ à columbario alieno arte, & de induſtria abducantur, niſi mutuo conſenſu, ſaltem in conſuetudine fundato, inter alentes columbas id fuerit permiſſum. Idem dicendum de apibus, quarum examen, quando ex alveari tuo evolavit, tamdiu intelligitur eſſe tuum *juxta § 16. Inſtit. citatis*, quamdiu in conſpectu tuo verſatur, nec difficilis ejus eſt perſecutio. Ratio concluſionis hæc reddi poteſt: quia in dicto caſu ad ſylveſtrem ſuam naturam, & libertatem rediviſſe cenſentur.

243 Dico 3. Animalia Natura ſua manſueta, quæ regulariter loquendo habent dominium particularem, & per fugam non acquirunt aliquam libertatem, ſicut Sylveſtria, non fiunt primò occupantis, etſi longiùs errent *§. Gallinarum 7. Inſtit. eodem.*

Dico. 4. Certum eſt hodie, licèt olim præclari Juriſtæ negaverint apud P. Haun. *tr. 5. n. 73.* in primis venationem poſſe à Principe, vel Republica prohiberi ob communem utilitatem, nempe ne ſubditi aliàs neceſſarias functiones negligant, ne eadem occaſione ad Latrocinia, vel rebellionem armentur, ne certis temporibus v. g. quando feræ ſunt gravidæ, vel ne certis locis, aut inſtrumentis Venatio, vel piſcatio fiat, v. g. quibus parvi piſces magno numero caperentur. 2. Principem vel quemvis alium poſſe in locis ſibi propriis prohibere venationem, modò caveatur, ne feræ multiplicatæ damna vicinis inſerant, *conſtat ex §. feræ Inſtit. de Rerum diviſ.* 3. Principem poſſe in locis communibus, & privatorum propriis ex conſenſu populi gratuito, vel ex conditione oneroſa v. g. habendi mitiùs in tributis, vel jure belli juſti, vel ex Præſcriptione immemoriali (qua in Imperio putat Layman *c. 5. n. 16.* gaudere Cæſarem, & alios Magnates) privatis hominibus prohibere venationem, & aliis nobilioribus perſonis in certis locis concedere, ut etiam Leſſius teſtatur; tenetur tamen ex juſtitia, qui tale jus ſibi reſervat, ad avertenda damna, aut compenſanda ex multiplicatione ferarum vicinis illata, niſi Princeps jure belli in terra hoſtili, vel conſenſu populi (qui tamen in immodica damna non cenſendus eſt conſenſiſſe) etiam cum hoc onere ſubditorum ſibi reſervaverit. 244

245 Circa violationem præcepti verò, utrùm ea ſit contra Juſtitiam, vel contra Obedientiam, vel tantùm contra legem pœnalem, attendi debet ad finem & intentionem prohibentis; ſi enim per illam intendatur acquiſitio juris proprii, vel alteri conferendi, venatio, quando non ex more præcisè Lege pœnali interdicitur, eſt contra Juſtitiam; & licèt animal utpote liberum, & ante captivitatem ſub nullius dominio conſtitutum, ſpectet ad injuſtum Venatorem, *juxta citatum §. feræ*; facienda tamen eſſet reſtitutio damni, in quantum locus, vel jus venandi, propter fugationem, aut diminutionem ferarum, magis eviluit; niſi eadem intuitu majoris pœnæ poſt ſententiam Judicis ſolvendæ, recepta jam conſuetudine, ſi tranſgreſſor deprehendatur, teſte Molina, Leſſio, Palao, Haunoldo, fuiſſe remiſſa: ſi autem per prohibitionem alius finis intendatur, tranſgreſſio opponitur obedientiæ, vel virtuti intentæ. Unde

246 Dico 5. Venationem, ut ex Navarro tradit Leſſius, & Palao, ex quadruplici capite poſſe eſſe prohibitam. 1. Ratione perſonarum; ſic Clericis *cap. 1. & 2. de Clerico venatore, & c. Quorundam d. 34.* ac multò magis Religioſis *juxta c. 1. §. porro, de ſtatu Monachorum in Clement.* prohibita eſt venatio, quæ ab ipſis, cum magno clamore & ſcandalo exercetur; non tamen (prout prædictæ prohibitiones communiter nunc mitigantur) ſi tantùm recreationis cauſa ſpectetur, vel fiat ſine magno clamore aut ſcandalo; hinc non facilè peccati gravis ſunt arguendi. 2. Ratione temporis, ſi ſcilicet fiat cum præjudicio Feſti vel Jejunii, ut ſcilicet negligatur ſacrum, vel jejunium contra expreſſam prohibitionem *cap. An putatis, diſtinct. 86.* ſecus ajunt Leſſius, Rebellus, Palao, ſi nihil horum negligatur; nam venatio non eſt opus ſervile. In neutro horum caſu peccatur contra Juſtitiam, ideo nec facienda reſtitutio. 3. Ratione loci Principi vel alii privato reſervati. 4. Ratione publicæ utilitatis, ut dictum eſt. Eadem ſint cum proportione dicta de piſcatione, & aucupio in tribus poſterioribus caſibus, nam ratione perſonæ de facto nulla eſt prohibitio recepta, teſte Palao *tract. 16. de Statu Religioſo diſp. 4. pun. 13. §. 5.* quia ſine clamore, & ſcandalo exercetur aucupium, & piſcatio ipſorum Apoſtolorum exemplo.

ARTICULUS II.

De Modo acquirendi Dominium lignorum & paſcuorum.

SUMMARIUM.

247 *An, & quomodo liceat lignari, & paſcere in locis communibus, nulli elocatis.*

248 *Quare*

248 *Quare id non liceat in locis privatis, vel privatæ perſonæ elocatis.*

247 DIco breviter, etſi in locis communitati propriis ſinguli cives poſſint lignari, & paſcere; poteſt tamen Magiſtratus, propter bonum commune prohibere, ne fiat in tali loco, aut ne certum genus arborum excindatur; hinc licèt ſecundùm communem ſententiam apud Molinam *diſp.* 58. & Lugo *diſp.* 6. *n.* 86. & 93. ſuos transgreſſores non cenſeatur ſub gravi peccato, nec ad reſtitutionem obligare, niſi enorme damnum Communitati inſerretur, & portiones ſingulorum notabiliter minuerentur; ſubjacebunt tamen ſtatutæ pœnæ, ſicur antè de Venatoribus, conſormiter praxi in illo, & in iſto caſu communiter receptæ, diximus: idque dicendum eſt ſecundùm citatos & alios DD. communiter, ſi Cives vicinarum Civitatum alterius Communitatis vicino paſcua, aut Sylvas invadant; quia hæ non cenſentur ſub culpa mortali, & onere reſtitutionis, ſed tantùm ſub pœna temporali cives obſtringere, ſi deprehendantur, cùm damna ferè mutuis damnis compenſentur; & ſubditi ipſo facto teſtentur, ſe non in aliam graviorem obligationem conſpiraſſe. Si quis verò paſcat vel lignetur in locis domino privato, vel Communitati non vicinæ ſubjectos, vel in paſcuis, & Sylvis ſibi aut ſuæ Reipublicæ ſubjectis quidem, ſed quoad uſufructuum alteri elocatis, peccat juxta gravitatem materiæ, & tenetur ad reſtitutionem, quamvis major quantitas requiratur, ſi Jus Communitatis violetur, quàm ſi hominis privati, ſicut major quantitas requiritur, ſi quis pluribus ſutetur, quàm ſi uni.

248 Ratio autem, cur damnum homini privato, vel Communitati non vicinæ illarum, ſecundùm proportionem materiæ ex Juſtitia prohibitum, & reparandum ſit, hæc eſt, quia nec homo privatus; Nec Communitas diſtans alias ſatis poſſet ſe ſervare indemnem, ſicut integra Communitas contra aliam vicinam poteſt, quæ propter parem occaſionem mutuis damnis, vel mulctis reparandi ſibi damna minùs ſupponuntur invitæ, vel conſcientias civum gravare velle. Cæterùm rectè advertit Lugo *n.* 96. circa lignationem & paſcua attendendum, ad conſuetudines, & leges diverſis Provinciis ac locis proprias.

ARTICULUS III.

De Modo acquirendi bona derelicta, vel theſaurum inventum.

SUMMARIUM.

249 *Quæ bona verè dicantur derelicta: & quomodo ea fiant primò occupantis.*
250 *Quæ Bona immeritò dicantur derelicta.*
251 *An & quomodo inventus theſaurus, Jure tum naturali, tum poſitivo, fiat Inventoris.*
252 *An in alieno fundo ex conſenſu Domini quæſitus ad Inventorem totus ſpectet.*
253 *An inventi theſauri in alieno fundo totum Jus acquirat, ſi Inventor fundum emat. Et an æquali pretio emere poſſit.*
254 *Reſpondetur ad parabolam Evangelicam.*
255 *Fundus ob latentem theſaurum non eſt pluris æſtimabilis.*
256 *An Domino proprietatis, vel Domino utilitatis, portio inventi theſauri cedat.*

249 BOna derelicta vocantur, quæ expreſſo actu domini, vel ſaltem præſumpto, talia facta ſunt, ut jam nullius eſſent: in dubio verò conjecturis, & prudentum arbitrio utendum eſt; ut ſi dominus rem ſuam facilè poſſet recuperare, negligit tamen & diſſimulat. Hæc fieri primò occupantis, habetur §. *penult. & ult. Inſtit. de Rerum diviſione & l.* 1. & 2. *ff. pro Derelicto*, niſi is falſo putaverit rem eſſe derelictam; tunc enim domino repetenti reſtituere deberet uſque dum eam legitimè præſcripſerit *juxta l.* 4. *tit. eodem*. Ut verò præſcripto ſit legitima, error ſolus non ſufficit, *juxta l.* 6 *ibidem*; ſed debet eſſe juſtus & inculpabilis, ut advertit Gloſſa in citatam legem.

Derelicta tamen non ſunt, nec ad eum pertinent, ad 250
cujus locum appulerunt, bona, occaſione tempeſtatis ultro in mare projecta, *Inſtit. de Rerum diviſione §. ult. & l. Falſus. §. ſi jactum ff. de Furtis*, vel naufragio deperdita *leg.* 21. §. 1. *ff. de Acquirenda poſſeſſione*: & horum raptores vel detentores puniuntur in quadruplum. *l.* 44. *ff. de Acquirendo rerum dominio*; imò publicantur omnia illorum bona, *Auth. Navigia C. de Furtis & ſervo Corrupto*. Multò minùs derelicta ſunt, quæ ex incendio, vel hoſtium direptione liberantur, etſi aliàs peritura fuiſſent, ut conſtat ex *l. Pomponius ff. de Acquirendo dominio*; ſicut juxta eandem legem nemo fit dominus animalis, lupo v.g. erepti, quamvis pro labore ac periculo pretium accipi poſſit.

Derelictis verò annumerantur abſconditi Theſauri, 251
quos cùm eorum domini in eum ſtatum voluntaria abſconſione redegerint, ut jam humanitus eſſet impoſſibile, ut iidem ab ipſos, vel eorum hædes perveniant, omnino dereliquiſſe præſumuntur: unde definitur theſaurus, ut apud P. Haunoldum habetur *tract.* 5. *num.* 10. *vetus depoſitio pecuniæ, vel alterius rei mobilis, cujus non conſtat memoria, ut jam dominum non habeat*. Quapropter ſicut alia bona derelicta, ſic etiam theſauri inventi eſſent inventoris, niſi ſpecialiter *lex unica C. de Theſauris* contradiceret, diſponens, ut inventi in proprio fundo (idem dic de loco communi profano, nec ad ſpeciales uſus ullius domini privati, vel communitatis, vel fiſci ſpectante, quia de hoc lex nihil excipit) ſint quidem adæquatè inventoris (niſi inventi fuerint arte magica, ob quam fiſco adjudicari debent, per judicis ſententiam) in alieno autem, ſi caſu reperti fuerunt, quoad unam medietatem ad inventorem, quoad alteram verò ad dominum fundi pertineant; ſi autem non caſu, ſed ſtudio quæſiti, ac reperti fuerunt, toti ad dominum fundi ſpectent, ſaltem poſt ſententiam Judicis, quam videtur lex requirere: niſi dominus licentiam quærendi dederit, quam quidem alii complures, etiam ex Juriſtis putant non ſufficere, eò quòd in citata Lege contineantur hæc verba: *in alienis verò terrulis nemo audeat invitis imo nec volentibus aut ignorantibus dominis opes additas ſuo nomine perſcrutari*. & propterea plurium opinio eſt, inventorem teneri poſt ſententiam condemnatoriam totum theſaurum domino ſundi relinquere.

Verùm quia Imperator non videtur voluiſſe prohi- 252
bere ſcrutationem theſauri in ſundo alieno, proprio nomine, ſi ad hanc dominus ſundi daret licentiam, ut adeòque nulla injuria ipſi fieret, quæ per ſententiam condemnatoriam puniri deberet, ideo probabilior mihi videtur ſententia Plateæ, & Gottoſredi Gloſſatorum apud P. Haun. *tr.* 5. *n.* 11. exiſtimantium, particulam *imo* vitio librariorum in legem irrepſiſſe, ut adeòque ſequentia verba: *Nec volentibus*: vel per ſynonimiam ſint appoſita, vel ad excludendam non tantùm poſitivam repugnantiam, indicatam particula *Invitis*, verùm etiam negationem poſitivi conſenſus. Unde concedens licentiam, quærendi theſaurum, nec aliquid in pactum deducens, cenſetur, adęquatè cedere jure ſuo, & inventori, ſecundùm Jus naturale invariatum à poſitivo, in hoc caſu totum theſaurum relinquere, modò ipſe inventor nullam antè hujus notitiam habuerit, & domino ſtudioſe occultaverit, ut docent Molina, Sylveſter, Navarrus, Leſſius, Palao, Lugo.

Exceptionem notitię autem puto intelligendam eſſe 253
de ea notitia, quę provenit ex pręcedenti inventionę, vi cujus, cum ſaltem dimidia pars deberetur Domino ſundi, illiuſque dominium ex quadam fictione Juris ſine traditione per ſolam inventionem alienam acquireretur, ut ex Accurſio & Harpprecht tradit P. Haun. *n.* 23. utique fraudulenter ageret, qui de novo licentiam quęrendi peteret, ut totum deinde theſaurum retinere poſſet. Unde talis etiam dimidii theſauri æſtimationem dare teneretur, ſi fundum à Domino emeret: ſi tamen non ex inventione, ſed ex aliis conjecturis notitiam probabilem theſauri depoſiti hauſiſſet, nullam video neceſſitatem exceptionis, & cùm ante inventionem theſaurus non ſpectet ad Dominum, nec ſit pars fundi, ſed habeat ſe, ſicut alia bona, de quibus leges nihil diſpoſuerunt, quo minùs fiant primò occupantis, ideo conſcius theſauri latentis, poſſet licitè emere fundum, pretio ratione theſauri minimè aucto: quod con-

tra Udalricum Zaſium, & Franciſcum Connanum apud P. Haun. *n.* 30. confirmari etiam poſſet parabola Evangelica *Matth.* 13. ubi emens agrum, nulla facta mentione theſauri, non arguitur injuſtitiæ.

254 Neque dicas 1. Argumentum nimium probare, quòd nempè præcedens inventio non obſtaret, comparandi ſibi totum theſaurum, cùm emptor eundem reperiſſe ibidem dicatur. Reſp. Parabolam illam eſſe antiquiorem Lege contrarium diſponente, & ideò notitiam ſine inventione comparatam ſe habere, quomodo ex Jure naturæ ante legem aliud diſponentem ſe habuit notitia ex inventione proveniens.

255 Neque dicas 2. Fundum per incluſionem theſauri reddi pretioſiorem, quàm eſſet ſeorſim ſine incluſione, conſequenter etiam pretium illi commenſurandum eſſe. Reſp. 1. Argumentum nimium probare; nempè quòd emptor, etiamſi antè nihil ſciviſſet de theſauro, eo poſt emptionem reperto, augmentum pretii dare teneretur; nam etiam, qui ignoranter, & bona fide ſolvit pretium inferius juſto, teneretur pretium juſtum complere, ſi adhuc poſſideat rem emptam, vel in ſe, vel in æquivalenti. Reſp. 2. Negando antecedens: etiamſi enim fundus, & theſaurus ſit complexum pretioſius, quàm ſolus fundus, ſicut eſſet pretioſius complexum fundus, & gemma, quam avis ex littore maris illuc deportaſſet, non tamen fundus eſt pretioſior propter theſaurum, vel propter gemmam, quia theſaurus, vel gemma, nec eſt pars, nec fructus fundi nec alio modo dignificat fundum.

256 Quæres: quando theſaurus inventus, vel dimidium illius reſtitui debet Domino, an per hunc intelligatur Dominus proprietatis, vel Dominus utilitatis. Reſp. cum communi ſententia fundata in *l.* 7. §. 12. *ff. Soluto matrimonio*: cùm marito per dominium civile dotis, præter vindicationem tantùm concedatur uſusfructus, uti etiam tantùm conceditur uſufructuario, ideò reſtitutionem faciendam eſſe Domino proprietatis; quia theſaurus non eſt fructus fundi: in Emphytheuſim verò, & Feudum, cùm plenius dominium transferatur, nempè omnia illa Jura, quæ Lege, vel Conventione non excipiuntur, Emphytheutæ, & Vaſallo concedantur, hinc etiam Jus recipiendi theſaurum ab inventore, vel retinendi, ſi inventores ſint, ipſis deberi. Cæterùm in prædictis omnibus attendenda eſt locorum conſuetudo.

ARTICULUS IV.

De modo acquirendi Bona vacantia, & incerta.

SUMMARIUM.

257 *Quæ Bona dicantur Vacantia? Et quæ Incerta, cum vel ſine delicto?*

258 *Bona incerta ex delicto poſſeſſoris, ad pias cauſas danda ſunt, quando verus Dominus inveſtigari nequit.*

259 *Bona incerta ſine delicto Poſſeſſoris, quando Dominus poteſt ſufficientem moram, & curam inveniendi illum, deprehendi nequit, probabilius non eſt neceſſe, dare ad pias cauſas.*

260 *Probatur prior aſſertio uſque ad n.* 264.

257 Bona vacantia ſunt, quorum Dominus ſine teſtamento, & hærede ab inteſtato ſuccedente deceſſit: hæc, ſi defunctus ſit laicus, Jure communi Fiſco Principis, vel Reipublicæ deferuntur, *l. Vacantia, C. de Bonis vacantibus*. Si defunctus ſit peregrinus, bona mobilia per Epiſcopum loci in pias cauſas ſunt diſtribuenda, *Auth. Omnes peregrini C. Communia de Succeſſionibus*. Bona incerta ſunt, quæ Dominum habere præſumuntur, ſed is ignoratur. Hæc communiter ab Authoribus in duo genera diſtinguuntur: aliqua enim ſunt incerta ex delicto, v. g. fraude, uſura, negligentia in Domino eorum, quæ ſciebantur eſſe aliena, indagando, qui, quamdiu, ubi, qua ratione inquirendus ſit, ex prudentum judicio, & ex ratione bonorum deſumendum eſt; quo enim pretioſiora ſunt, eò major diligentia in inquirendo Domino adhibenda eſt. Ratio autem obligationis inveſtigandi Dominum hæc reddi poteſt, quòd, ſicut quando quis rem alienam accipit in depoſitum, per hoc ſe obligat ad cuſtodiam rei, ſic quando rem incerti Domini accipit, vel retinet, obligat ſe ad curam, ut res ad Dominum ſuum revertatur. Alia ſunt incerta ſine delicto, v. g. ex inventione, oppignoratione, contractu formaliter juſto; etſi materialiter fuerit injuſtus.

Bona primi generis, ſi Dominus inveniri nequeat, ad pias cauſas applicanda ſunt, ut teſte Lugo *num.* 134. omnes fatentur; & de his tantùm intelligendi ſunt S. Hieronymus, & S. Auguſtinus, quos multi etiam pro bonis ſecundi generis adducunt, vel ſunt explicandi de bonis inventis, quorum Dominus jam ſcitur, vel quem datur adhuc obligatio inveſtigandi, tunc enim nondum abſolutè licet ea retinere. Probatur autem communis aſſertio, quia ita ſtatuitur *in cap. Cum tu, de Uſuris*; ubi licèt de ſolis Uſuris loquatur, cùm tamen in obligatione naturali ſe fundet, ob rationis paritatem, ad alia injuſta bona extenditur. Idem probatur ex *cap. Nemo, qui rapit*, 14. *q.* 5. quod, etiamſi in titulo per vocem *Palea* notetur, non habere vim legis, habet tamen Authoritatem S. Hieronymi, non ſtatuentis, ſed declarantis naturalem legem, dum ait: *nemo qui rapit, ſi habeat, unde reddat, moriens ſalvatur, ſi eos, quorum fuit invenire non poſſit, Eccleſia vel pauperibus tribuat*. Ratio naturalis eſt, quia aliàs daretur maxima occaſio varias injuſtitias exercendi, ſi bona incerta ex delicto, propria authoritate retinendi ſpes eſſet: quando ergo domino reſtitui non poſſunt, ſupponitur velle reſtitui modo meliori, quo fieri poteſt: atqui iſte eſt, ſi dentur ad piam cauſam ergo &c. Nota tamen illa bona non eſſe omninò incerta, quorum Dominus tantùm non ſcitur determinatè inter paucos, è quibus ſaltem ſcitur aliquem eſſe Dominum; unde tunc illis reſtituenda ſunt, in ſorte, vel conventione, rem tranſigant. 258

Bona ſecundi generis, etſi communis Veterum, & multorum Recentiorum ſententia etiam voluerit applicari piis cauſis, probabiliùs fiunt inventoris, vel poſſeſſoris. Ita docuit Sotus, Ledeſma, Barthol. Medina, Lopez, Mercado, Navarra, Saà, apud Palao *diſp. un. de Juſt. in gen. punct.* 19. Sarmientus, Malderus, Arragon. Megala, Diana, Dicaſtillo, Amicus, Henrſquez, apud P. Haunold. *tr.* 5. *n.* 26. quos etiam ipſe ſequitur, & Tamb. *lib.* 8. *in decal. tract.* 4. *cap.* 1. §. 3. *n.* 23. citans ſuum Magiſtrum in Philoſophia P. Franciſ. Turriſi. probabilem exiſtimant Layman. *lib.* 3. *ſect.* 5 *tract.* 1. *cap.* 5. *in fine*. Palao *l. c.* Lugo *diſp.* 6. *num.* 139. & apud hunc Vaſqu. Leſſius, Salas in Manuſcript. Alphonſ. Rodriquez, quem cum elogio vocat virum pietate, & ſcriptorum ſuorum doctrina ſatis notum. In contrarium tamen referuntur S. Thomas 2. 2. *qu.* 66. *art.* 5. *ad* 2. (ubi tamen facilè, ſicut S. Auguſt. quem citat, explicari poteſt de bonis, quorum Dominus ſcitur, vel inveniri poteſt *in q.* 62. *a.* 4. *ad* 3. autem loquitur de bonis injuſtè acceptis) Cajetanus, Sylveſter, Abbas, Covarruvias, Navarrus, Molina *diſp.* 746. Rebellus, Leſſ. Vaſquez, Lugo, & alii communiſſimè. 259

Probatur autem noſtra concluſio 1. ſi res incerta abſque delicto poſſeſſa retineri non poſſet, proveniret hoc ex præſumpta voluntate Domini: ſed potiùs præſumendum eſt Dominum velle, ut res maneat penes poſſeſſorem inculpabilem; quia major eſt ſpes facilius illam recuperandi ab inventore, qui in legitimum Dominum ex obligatione inquiret, & rem in ſe, vel in æquivalenti forſan aſſervabit, uſque dum ille compareat, cùm è contra, ſi inventor nullam ſpem habere poſſet retinendi rem, eam in loco minùs ſecuro relinqueret, ad evitandam moleſtiam inquirendi dominum, & cuſtodiendi rem, quamdiu probabile eſt, Dominum compariturum; ergo &c. Neque obſtat, quòd ſæpè nulla ſit ſpes; nam præſumptio debet accommodari plerumque contingentibus, ſicut propter eandem cauſam dominium rei manet penes Dominum, nec numeratur inter bona derelicta inſtar theſauri, ut in bonis incertis ex delicto, omnes fateri debent, teſte Lugo *n* 142. 260

Probatur 2. Evertendo fundamentum unicum adverſariorum. Ad obligationem inducendam reſtituendi rem pauperibus, non ſufficit præſumptio nudi deſiderii, ſed debet præſumi voluntas obligandi: unde non videtur eſſe bona regula Card. de Lug. *d.* 6. *ſect.* 12. per reflexionem 261

nem ſuper ſuam voluntatem, quid quiſque in talibus circumſtantiis vellet circa rem ſuam fieri, aſſerentis, colligendum eſſe, quid fieri debeat: ſed dico, reflexionem fieri debere, quid quis vellet circa obligationem inducendam: atqui longè credibilius eſt, quòd plerique non vellent hujuſmodi obligationem: quia propter difficultatem dimittendi rem abſque delicto poſſeſſum; daretur periculum plerumq; tranſgrediendi obligationem, adeòque hæc eſſet humano generi noxia, & negatio obligationis, propter ſimilem ſpem retinendi bona abſque delicto poſſeſſa eſſet prudenter deſiderabilis. E contra magis eſt optabilis obligatio reſtituendi poſſeſſa ex delicto, quia ſervit ad abſterrendum ab injuriis, & poſſeſſor injuſtus eſt etiam indignus, ut ipſi per favorem bona incerta relinquantur.

262 Probatur 3. Nec poteſt aſſignari obligatio naturalis reſtituendi bona incerta abſque delicto, ut patet ex priori argumento; & fatentur Leſſius, ac plures alii Adverſarii contra Lugo, nec poſitiva: quia Leges expreſsè loquuntur de bonis incertis ex delicto, nec conſuetudo, quæ potiùs contraria eſt: ergo nulla eſt obligatio reſtituendi.

263 Probatur 4. Obligatio, bona incerta applicandi ad pias cauſas neque ſervit ad abſterrendum poſſeſſorem inculpabilem à delicto, neque multùm conducit ad ſalutem ſpiritualem legitimi Domini; quia niſi is habeat actuale deſiderium hujuſmodi piæ applicationis, tunc ſola voluntas præſumpta non eſt meritoria, deſiderium verò poteſt dari ſine voluntate obligandi poſſeſſorem, quæ voluntas non multò plus eſt meritoria, quàm ſolum deſiderium, quandoquidem Dominus ipſe eſt ita conſtitutus, ut, ſi poſſet habere ſuam rem, is nollet eam dare pauperibus, vel ad pias cauſas. Quòd ſi de actuali applicatione loquamur, ea non debetur Dominio, quatenus eſt meritoria reſpectu Executoris; quia etiamſi non ſit meritoria, propter obicem peccati mortalis gravantis executorem, vel etiamſi non offeratur meritum pro Domino rei, tamen illi nulla fit injuria.

ARTICULUS V.

De aliis acquirendi Dominium modis.

SUMMARIUM.

264 *Inter varios Jus ac Dominium acquirendi modos, mox referendos, primus eſt*, Nativitas.
265 *Secundus*. Alluvio.
266 *Tertius*. Specificatio.
267 *Quartus*. Acceſſio.
268 *Quintus*. Confuſio rerum liquidarum.
269 *Sextus*. Commixtio rerum Solidarum.
270 *Excipitur a Communi Jure Commixtio pecuniarum*.
271 *Septimus*. Ædificatio.
272 *Octavus*. Plantatio.
273 *Nonus modus non quidem acquirendi dominium, attamen rem alienam ab alterius dominio extrahendi eſt* Abſumptio.

264 PRimus modus acquirendi dominium eſt Nativitas; partus enim animalis juxta *l. 5. §. 2. ff. de Rei vindicatione* ſpectat ad dominium matris parientis directum, vel uſufructuarium, ſi animal eſt in uſufructu, excepto partu ancillæ, qui nunquam ad uſufructuarium, ſed ad dominum directum pertinet, juxta *l. Mulier 22. §. 3. ff. ad S.C. Trebellianum*.

265 Secundus eſt Alluvio, quæ deſcribitur *§. præterea 20. Inſt de Rerum diviſione*; Incrementum latens; quando ſcilicet neſcitur; quantum ſingulis momentis uni fundo accedat, & alteri decedat: ſi enim manifeſta pars adiiceretur, maneret illa in poteſtate prioris domini, niſi poſt longam adhæſionem accreviſſet, vel ſi arbor erat, radices egiſſet, ut ibidem excipitur; quamvis Varus & Nerva, etiam illam exceptionem non admiſerint, ſed adhuc priori Domino actionem utilem in rem conceſſerint, ut refert, ſed non approbat Ulpianus *l. 5. §. 3. ff. de Rei vindicat.* imò potiùs improbat, addendo ſuam ſententiam, & reſtringendo illam ad accretionem & radicationem. Inſula in medio flumine nata, pertinet ad Dominos utriuſque ripæ, vel ſi uni notabiliter propinquior eſt, ad illum ſolum, etiamſi ſucceſſu temporis alteri propinquior fiat, *§. 22. Inſtu. citat.*

Tertius eſt Specificatio, quæ eſt introductio alicujus formæ conſtituentis totum moraliter diverſum à priore; ſi enim ſpecies ex aliena materia effecta, in eandem utiliter reſolvi poſſit, ut ſcyphus aureus, vel argenteus, vel ſi, ut ex *l. 12. §. 3. ff. ad Exhibendum* conſtat, artifex mala fide proceſſit, pertinet tota res ad Dominum materiæ: ſi autem non poſſit utiliter reſolvi, v. gr. ſi pannum ex aliena lana, vel vinum ex alienis uvis confeceris, pertinet ad Dominum formæ (ita tamen, ut in priori caſu ſolvatur æſtimatio formæ, ſi ſpecificator bona fide proceſſit, & in poſteriori æſtimatio materiæ: quæ obligatio naturalis traditur *l. 23. §. 4. ff. de rei vindic.*) Denique ſi artifex opus partim ex ſua, partim ex aliena materia confecerit, v. g. mulſum ex ſuo vino, & alieno melle, totum pertinet ad eum (reddita tamen æſtimatione alienæ materiæ) ita quoad omnia ſtatuitur *§. 25. inſtit. de Rerum diviſ.* ubi tamen, ut eruditè advertit P. Haun. *tr. 5. num. 106.* exemplum de frumento ex ſpicis excuſſo, & excutienti conceſſo, per errorem irrepſit, quia frumentum non eſt totum moraliter diverſum à ſpicis, quando adhuc illud continet, ſed per excuſſionem tantum aptatur ad uſum, cùm in ſpicis latens nondum aliquem habeat; aliud eſt de uvis, quæ dum continent vinum, jam habent uſum cibi: & ideo vinum expreſſum rectè dicitur ſpectare ad exprimentem uvas, frumentum autem excuſſum non rectè dicitur, ſpectare ad excutientem ſpicas, prout id expreſsè improbatur, *l. 7. §. 7. ff. de Acquirendo rerum Dominio*; quia tamen poſt excuſſionem habet uſum ſeminis, diverſum ab uſu farinæ, hinc molitor alieni frumenti, tribuendo novum uſum, acquirit illius dominium. Et ex hoc patet, quare ſuprà in deſcriptione ſpecificationis addiderim particulas *conſtituentis totum moraliter diverſum*; ſi enim non conſtituitur totum moraliter diverſum, ut frumentum comparatione ſpicarum non eſt moraliter diverſum, hoc ipſo non datur ſpecificatio, prout eſt modus transferendi dominium, hinc etiam, quia lana colore tincta, & per hunc ad novum etiam uſum aptata, *in leg. 26. §. ultimo, ff. de Aquirendo rerum dominio* non habetur pro toto moraliter diverſo, tinctor lanæ alienæ non conſequitur dominium illius.

Quartus eſt Acceſſio, cùm res aliena noſtræ, ſpeciem ſuam retinenti, accedit per noſtrum laborem: *Inſtit. de Rerum divi. §. 26.* v. g. ſi alienam purpuram intexas tuæ veſti; alter verò habet contra te jus inſtituendi actionem non ad purpuram, ſed ad compenſationem recipiendam, ſive bona, ſive mala fide proceſſeris. 267

Quintus eſt Confuſio liquidarum materiarum, ſeu ſpecierum, è quibus conflatum corpus pertinet ad illarum dominos, ſive mutuo conſenſu, ſive caſu ſit facta; & ſive mutatio ſpeciei, ſeu ſpecificatio aliqua intervenerit, ſive nulla: ita habetur *§. 17. Inſtit. cit.* intellige, niſi materiæ, ut more ſuo accuratè textus Juris explicat, & conciliat Pater Haunoldus, per artem à ſe invicem ſeparari poſſint, ut contingit in diverſi generis Metallis, tunc enim, ſicut ſupra de ſpecificatione dictum eſt, facta confuſione ſine alterius conſenſu, ſed caſu, quilibet rem ſuam vindicare poteſt: Quod ſi verò ſeparari nequeant, & ſpecificatio nec caſu, nec utriuſque conſenſu, ſed ſolius ſpecificatoris intentione facta ſit, tunc ſi is bona fide proceſſit, rationabiliter exiſtimans, materiam confuſam non eſſe alienam, vel dominum illius non eſſe invitum, res ex confuſione orta, ſpectat ad ſpecificatorem: ſi mala fide proceſſit, ſpectat ad dominium alienæ materiæ, ita, ut iſte neque æſtimationem formæ, & alterius materiæ, in foro externo reddere teneatur *juxta l. 53. ff. de Regulis Juris*, ubi dicitur, *Cujus per errorem dati repetitio eſt, ejus conſulto dati donatio eſt.* 268

Sextus eſt Commixtio, cujus à præcedenti diſcrimen non rectè aliqui aſſignant, quòd confuſio pariat novam ſpeciem, non autem mixtio; quia ex duobus vinis ejuſdem ſpeciei, vel ex argento proprio & alieno *juxta §. 27. Inſtit. cit.* fit confuſio non minùs, quàm ſi ex vino, & melle pariatur mulſum, & tamen non fit nova ſpecies. Propiùs hanc rem tangit Palao *n. 5.* dicens, quòd confuſa 269

ſa fiant aliquo modo ſatis proprio unum, & Lugo *n.* 161. aſſerens, quòd nulla eorum, quæ confunduntur, pars ſit aſſignabilis, quæ non fuerit utriuſque domini, uti eſt manifeſtum in mulſo & vino, ſecus fiat in mixtione v.g. duorum gregium ovium aut frumenti. Ultimatum tamen & expeditiſſimum diſcrimen aſſignat Pater Haunoldus *tract.* 5. *num.* 115. diſtinguens commixtionem à confuſione, formaliter & propriè ſumpta, quòd commixtio fiat in corporibus ſolidis, per quam juxta §. 27. *Inſtit cit.* utriuſque materiæ dominis communicatur dominium in totum corpus, quando utriuſque conſenſu facta eſt; ſi autem caſu, vel ex unius tantùm voluntate, ſinguli retinent dominium ſuæ materiæ; quæ tamen, ſi ab altera ampliùs ſeparari non poſſit, ut ſi melius tuum frumentum commixtum eſt alterius frumento deteriori, actioni tibi in rem conceſſæ ſic faciendum eſt ſatis, ut vel aliud frumentum æquè bonum in eadem quantitate tibi reſtituatur, vel defectus bonitatis ſecundùm æſtimationem judicis compenſetur.

270 Excipitur tamen ab univerſali doctrina commixtio pecuniarum, quarum; cùm frequentiſſimus ſit uſus in contractibus, ne iidem frequenter ſecundùm partem indiſcernibilem invalidandi ſint, ſtatuitur *l.* 78. *ff. de Solutionibus & Liberationibus*, ut, qui alienam pecuniam à ſua indiſcernibilem ſolvit, dominium in acceptantem tranſtuliſſe cenſeatur, præcedenti autem domino pecuniæ indiſcernibilis actione furti teneatur.

271 Septimus eſt Ædificatio, quando quis ædificat in ſolo proprio ex aliena materia, §. *Cùm in ſuo ſolo* 29. *Inſtit. de Rerum diviſione*, vel in ſolo alieno ex propria materia §. *ex diverſo* 30. *ibidem*. Utroque modo ædificium (niſi, ut docet Harpprecht, facilè tolli poſſet, uti eſt torcular, vel ſolum ſit commune, non privatum) acquiritur domino ſoli, quia ut Juſtinianus quaſi ex æquitate naturalii loc. cit. diſcurrit, quod ſolo inædificatur, cedit ſolo: cui ſimilia principia ſunt. Acceſſorium principali, & pars ſuo toti cedit. Ipſius autem materiæ in primo caſu debet reddi æſtimatio, & quidem (ſaltem ſi culpa intervenerit, & poſt judicis ſententiam) in duplum juxta citatum §. aut, ſi rurſus dirutum eſt ædificium, vindicari poteſt, eò quòd, ut ibidem dicitur, dominium interea potiùs fuerit ſuſpenſum, quàm ſublatum. In poſteriori caſu debet reddi æſtimatio materiæ & laboris; niſi ædificans ſciverit, ſolum eſſe alienum, & mala fide proceſſerit; tum enim utrumque cenſetur aut donatum aut perditum, juxta citatum §. 30. unde ibidem & *l.* 7. §. 12. *ff. de Acquirendo rerum dominio*, etiam negatur, diruto ædificio, poſſe recipi materiam, quia, vel non eſt ſufficienter probata mala fides ædificatoris, & tunc præſumitur donaſſe, cùm tam diu quis debeat præſumi innocens (& potiùs ſuum voluiſſe dare alteri, quàm alienum eripere) quamdiu non probatur nocens: vel eſt ſufficienter probata mala fides, & voluntas donandi, & tunc in pœnam delicti meretur privari ſua materia, ut ſtante ædificio nec concedatur ipſi repetitio valoris ſeu æſtimationis, pro materia, labore, & aliis expenſis, nec eo diruto repetitio materiæ, in rigore contra ipſum procedendo; quem tamen mitigarunt aliæ duæ leges, nempe *lex* 2. *C. de Rei vindicat.* concedens repetitionem materiæ diſſoluto ædificio, niſi donandi animo impoſitum ſit alieno ſolo. & *lex Planè* 38. *de Petitione Hæreditatis*, approbans quidem & laudans aliarum conſtitutionum rigorem, ſed ita deinde temperans, ut poſſeſſori malæ fidei compulſo reſtituere rem alienam, qualis, ut diximus, eſt ædificium in alterius ſolo extructum, concedat expenſarum compenſationem ſecundùm æſtimationem utilitatis, Domino ſoli accedentis: & hac attemperatione mitigari etiam poteſt rigor fori externi in præcedentibus acquirendi modis indicatus.

272 Octavus eſt Plantatio, de qua, ſicut de ædificatione loquendum eſt: planta enim vel arbor illi cedit, in cujus ſolo principales radices egit, ita ut ex illo maximè naſci dicatur, ut conſtat ex §. 31. *ſi Titius*, & idem §. ſequenti dicitur de ſatione ſegetis, qui modus acquirendi proinde à priori potiùs materialiter differt, quàm formaliter. Eodem modo etiam ſcripturam chartæ cedere ſtatuitur, §. *litteræ* 33. quamvis §. immediatè ſequenti contrarium ſtatuatur de pictura, ut potiùs illi propter ſuam præſtantiam tabulæ cedat. Verùm tam conſtitutio citati §. *litteræ*, quàm *l.* 23. §. 3. *ff. de Rei vendicat.* quæ idem de ſcriptura, & pictura aſſerit, contraria conſuetudine abrogata eſt, ut etiam advertit P. Haunold. *tr.* 5. *n.* 147. *& ſeqq.* cùm enim Domino chartæ ſcriptura ſæpè parùm proſit, vel dignitate æſtimationem chartæ ſæpè multùm excedat, ſicut pictura æſtimationem tabulæ, ita ſimiliter charta ſcriptori bonæ fidei cedit, adeòque id, quod de ſpecificatione dictum eſt, etiam hìc locum habet.

Nonus eſt Abſumptio fructuum ex re aliena, bona fide poſſeſſa, quatenus, velut ſi proprii fuiſſent, poſſeſſor ab onere reſtitutionis §. *Si quis non Domino* 35. *Inſtitut. cit.* liberatur, & in effectu quaſi eorum dominium pro tempore, abſumptionem actualem præcedenti, ſibi acquirit. 273

QUÆSTIO V.

De Celeberrimo Jus, ac Dominium acquirendi Modo per Præſcriptionem.

ARTICULUS I.

Quid ſit Præſcripto, & circa quas res dari poſſit.

SUMMARIUM.

274 *Quid ſit Præſcriptio. Et quam habeat vim, ac utilitatem, etiam in foro conſcientiæ.*
275 *Quæ bona præſcribi, vel non præſcribi poſſint.*
276 *Etiamſi Jus accipiendi Decimas Eccleſiaſticas à Laico præſcribi non poſſit, poteſt tamen præſcribi Jus non ſolvendi decimas. Referuntur adhuc alia bona, quæ nequeunt præſcribi.*
277 *Continuatur enumeratio Bonorum, quæ præſcribi non poſſunt.*
278 *Non rectè negatur, Majoratus, Feuda, Fideicommiſſa poſſe præſcribi.*
279 *Solvuntur rationes in contratrium uſque ad numer.* 282.

Dico 1. Præſcriptionem ex *l.* 3. *ff. de Uſucapionibus*, rectè definiri, quòd ſit formalis acquiſitio dominii (ſive illud ſit proprietatis, ſive uſusfructus, ſive utriuſque) per continuationem poſſeſſionis, tempore, & modo, à lege requiſito. Hæc itaque completè, & verè datur poſt expletam poſſeſſionem per certum tempus, & ſecundùm conditiones lege requiſitas, eò quòd Jure humano ſit introducta, cujus duplex aſſignatur cauſa à Molina, Leſſio, Caſtropalao, Dicaſtillo, & aliis. Prima eſt ad evitandas lites, & timorem perpetuum amittendi res ſuas, *l.* 1. *ff. de Uſurpat. & Uſucapionibus*, *l. Cum notiſſimi in principio*; *Cod. de Præſcriptione* 30. *vel* 40. *annorum*. Secunda cauſa eſt, quæ potius rationem cautelæ quàm pœnæ habet, ne homines in conſervandi Juribus ſuis negligentes fierent, *l. Ut perfectius*, *Cod. de Annali except.* Unde cùm hæ cauſæ ſint juſtæ, & utiles Reipublicæ, & poteſtas transferendi dominium, ſicut ipſa diviſio bonorum, ſit penes Legiſlatorem: ideò juxta communem, & certam ſententiam, contra pauculos quoſdam adverſarios, præſcriptio legitima etiam valet pro foro conſcientia, & propter appropriationem rei alienæ poſſeſſor non ſit malæ fidei, etiamſi prior dominus compareat. 274

Dico 2. Omnia bona, tam Eccleſiaſtica, quàm ſæcularia, Principis, & privata, corporalia, & incorporalia præſcribi poſſunt, ſi ſequentia excipias, quæ propterea res vitioſæ dicuntur. Primò res vel loca ſacra, aut Religioſa, ut calices, templa, monaſteria &c. §. 1. *Inſtit. de Uſucapionibus* & *l.* 9. *ff. eod.* Secundò Jus decimarum, & alia ſpiritualia, fundata in miniſterio ſpirituali, quæ à laicis ſine ſpeciali conceſſione Pontificis poſſideri nequeunt, *cap.* 15. *de Decimis, & cap.* 7. *de Præſcriptionibus*: præſumi tamen poſſet illa conceſſio, quamdiu poſt tempus immemoriale non conſtat de contrario, ut probat P. Haun. *tract.* 5. *num.* 357. ſi verò conſtaret, tunc nec tempus immemoriale quodcunque ſupplere poſſet incapa- 275

pacitatem poſſidentis: quia cùm pręſcriptio ſupponat poſſeſſionem, hoc ipſo non poteſt poni ac adhiberi præſcriptio ad poſſeſſionis impoſſibilitatem ſupplendam.

276 Quamvis verò hoc ita ſe habeat, & Jus recipiendi decimas Eccleſiaſticas, poſtquam certò conſtat, à Pontifice conceſſum non eſſe, neque tempore immemoriali à laico præſcribi queat, nihilominus ſpatio 40. annorum cum titulo, vel immemoriali ſine titulo poteſt Jus non ſolvendi decimas, ſive præteritas, ſive futuras, præſcribi; quia ad hujus poſſeſſionem neque requiritur ſpecialis capacitas, neque aſſignari poteſt aliquod ſpeciale privilegium, irritans præſcriptionem, ſed potiùs habetur conſtitutio illam approbans *cap. 4. de Præſcriptionibus*.

Tertiò præſcribi nequit liber homo *l. Uſucapionem 9. ff. de Uſucapionibus, & Inſtit. §. 1. tit. eod.* Quartò res communes, ſeu publicæ, ſeu publicis uſibus deputatæ, ut plateæ, pontes, forum, viæ communes, etſi populus illis hîc, & nunc non utatur, *l. præſcriptio Cod. de Operibus publicis, & l. 9. ff. de Uſucapionibus*. Quintò limites Regnorum, Provinciarum, Diœceſum, Parochiarum, ſi certi ſint, *cap. Inter memoratos 16. q. 3. cap. Super eo. de Parochiis.* ſecus, ſi ſint incerti, ut ibidem excipitur. Sextò quę Principi competunt qua tali, ſeu in recognitionem ſupremæ poteſtatis.

277 Præter hęc enumerantur adhuc alia bona, ut fundus dotalis, niſi pręſcriptio ante tempus conſtitutæ dotis incepta ſit *leg. Si fundum 16. ff. de Fundo dotali*. Res furtivæ, aut vi poſſeſſæ, poſtquam ad poſſeſſorem bonæ fidei translatæ ſunt à non domino, *§. 2. Inſtit. de Uſucapionibus*. Res quæ teſtamento prohibentur, in alium, quàm deſignatum transferri, ut legata, vel fideicommiſſa, *l. Final. §. 3. C. Communia de Legatis*: ſed hæc & alia hujuſmodi tantùm dicuntur præſcribi non poſſe, quòd tempore & modo ordinario, non autem quod tempore longiſſimo 30. vel 40 annorum præſcribi nequeant. Sic etiam ſubinde qualitas perſonæ obſtat, quo minùs ea durante pro eodem tempore præſcriptio contra illam inchoari poſſit, hujuſmodi eſt patria poteſtas reſpectu bonorum adventitiorum, *l. 1. In fine C. de Annali exceptione*, item ætas pupillaris, *l. 3. C. de Præſcriptione 30. annorum*.

278 Palao *diſp. un. de Juſt. in gen. punct. 22. §. 15. n. 3.* allegans communem ſententiam, ſaltem pro Regno Hiſpaniæ, exiſtimat Majoratus, Feuda & Fideicommiſſa, neque præſcriptione extraordinaria temporis longiſſimi, niſi ſit omninò immemorialis, in præjudicium ſucceſſorum futurorum, nondum potentium agere contra illegitimum poſſeſſorem, præſcribi poſſe. Primò, quia præſcriptio tantùm ſubrogatur titulo vero alienationis, & cùm prædicta bona, nullo vero ac valido titulo alienari poſſint, hinc etiam præſcriptio videtur eſſe invalida, quia ſubrogatum ſapit naturam ejus, cui ſubrogatur. Secundò movetur ex hac ratione, quòd Jus ſuccedendi poſteris concedatur immediatè ab inſtitutore Majoratus, Feudi, Fideicommiſſi: ergo etiamſi pręſcriptio valeat contra priorem ſucceſſorem negligentem agere ad conſervandum Jus ſuum, tamen contra poſteriores valere non poteſt, ſuppoſito, quod ipſi pro Jure ſuo agere nondum potuerint. Tertiò inſtituens prędicta bona expreſsè prohibuit omnem alienationem, prejudicantem illis, quibus favere intendit; ſed talis alienatio prejudicans eſt etiam pręſcriptio: ergo & hanc prohibuit.

279 Verùm prędictę rationes non majorem vim contra pręſcriptionem temporis longiſſimi, quàm immemorialis habent, cùm etiam illud in defectum tituli ſpecialis apparentis, tantùm conferat pręſunptionem tituli veri, & eidem deinde ſubrogetur ad efficiendam alienationem. Ad primum Reſp. Relata bona alienari quidem non poſſe authoritate privata, poſſe tamen authoritate publica, per dominium altum, ob communem utilitatem, ratione cujus pręſcriptio eſt Jure civili introducta: & ſicut ſubrogatum in multis aliis caſibus non ſapit naturam ejus, cui ſubrogatur, ſic etiam hic non ſapere, eo quòd ſubrogatio fiat ab altiore poteſtate, bonum commune pręſcriptionis conceſſione intentum pręferente bono particulari eorum, quibus favere voluit Inſtitutor Majoratus, Feudi vel Fideicommiſſi.

280 Ad ſecundum Diſtinguo anteced. poſteris conceditur Jus immediatè ab Inſtitutore per modum ſucceſſionis, ita ut poſterioris ſucceſſoris Jus ſit connexum, ac dependens à Jure anteceſſoris, qui onere tranſmittendi bona poſſeſſa ab Inſtitutore gravatus eſt, concedo anteced. conceditur immediatè Jus independens, & ſine modo ſucceſſionis, nego antecedens, & ſubdiſtinguo conſequens: ergo pręſcriptio contra poſteriores ſucceſſores valere non poteſt directè, hoc ipſo quod agere nondum potuerint, concedo conſeq. non poteſt valere indirectè, nego conſequentiam: quia Lege pręſcribendi acquiritur Jus abſolutum ab onere tranſmittendi ad ſucceſſorem deſignatum, id eſt, non conceditur tantùm ad tempus vitę, cum non dependeat à voluntate inſtitutoris definientis tempus, ſed conceditur cum poteſtate diſponendi etiam pro tempore mortis.

Ad tertium diſt. ma. inſtituens prędicta bona expreſsè 281
prohibuit omnem alienationem faciendam ab illis, quibus potuit prohibere, concedo Maj. quibus non potuit prohibere, nego ma. & ſub eadem diſtinctione conſequentiam; ſic ergo cum Covaruvia in Regula *Poſſeſſor* 3. *p. §. 3. num. 6* P. Haunoldo *tract. 5. n. 363.* Leſſio *lib. 2. c. 6. dubit. 11. num. 39.* & hoc teſte cum communi DD. ſententia Dico, Jure communi *Legis ult. §. 3. C. Communia, de Legatis* tantùm prohiberi pręſcriptionem ordinariam, non autem extraordinariam temporis longiſſimi 30. vel 40. annorum.

ARTICULUS II.

Qualis Titulus ad Præſcriptionem ſit neceſſarius.

SUMMARIUM.

282 *Qualis Titulus ad Præſcriptionem ſit neceſſarius.*
283 *Explicantur varii Tituli.*
284 *Titulus non debet eſſe verus, ſed apparens.*
285 *Contingit triplici modo, Titulum eſſe apparentem.*
286 *Sine omni titulo, ſaltem à Jure præſumpto, nequit fieri Præſcriptio.*
287 *Ad præſcriptionem ordinariam longi temporis ſufficit titulus coloratus, non fundatus in ignorantia juris liquidi.*
288 *Fundatus autem in ignorantia Juris liquidi non ſufficit, ſi neque perſona talis ſit, in qua hujuſmodi ignorantia à Jure toleratur.*
289 *Cur ignorantia Juris incerti non obſit.*
290 *In quibus perſonis ignorantia Juris toleretur.*
291 *Præſcriptioni extraordinariæ 30. vel 40. annorum non obſtat ignorantia Juris, etiam certi.*
292 *Reſpondetur ad rationem oppoſitam.*
293 *Ad præſcriptionem ordinariam ſufficit etiam titulus ſolummodo exiſtimatus, modo non ſit titulus* pro Emptore.
294 *Quando à Jure præſumatur Titulus.*

INter conditiones ad pręſcriptionem neceſſarias una 282
eſt titulus, proprio nomine rem aliquam poſſidendi, ſeu cauſa idonea ad träſferendum dominium; cujuſmodi *in ff. de Uſurp. & Uſucapionibus*, & proximè ſequentibus titulis 8. enumerantur his verbis expreſſi: *pro Soluto* qui habetur *l. 46. ff. l. c. & l. 48. ibidem pro Emptore, pro Herede, pro Donato, pro Derelicto, pro Legato, pro Dote, pro Suo*.

Titulus *pro Soluto* eſt, quando aliquid accipitur à te 283
in ſolutionem, ſeu in ſolutum, quod ipſe ſolvens, tibi debitum eſſe aſſerebat, non exprimens rationem debiti, utrum debeatur ex hæreditate, Legato, Mutuo &c. Si enim talis ratio exprimeretur, tunc titulus non ampliùs generali vocabulo *pro Soluto*, ſed differentiali ipſius rationis aſſignatę exprimeretur, adeoque ſi aliquid poſſides, quod pro debito ſolvendo genericè tantùm expreſſo dabatur, diceris poſſidere titulo *pro Soluto*, ſeu haberi, & retineri à te pro debito *Soluto*. Titulus *pro Emptore* eſt, quando tanquam Emptor aliquid accipis, adeoque quando cauſa in te transferendi dominium rei eſt emptio; & ſic proportionaliter etiam reliqui tituli ſunt explicandi, quando aliquid accipis tanquam in hereditatem conceſſum, vel donatum, vel à priori domino derelictum,

lictum, vel per ultimam voluntatem defuncti legatum, vel in dotem datum, vel ex quacunque alia cauſa ab enumeratis diſtincta, ſed tamen aſſignabili tuum facis; cujuſmodi cauſas, ſeu acquirendi dominium modos præcedenti quæſtione plures recenſuimus: Unde ut aliquis dicatur rem poſſidere titulo *pro Suo*, non ſufficit, ut in genere judicet, rem eſſe ſuam, ſed debet hoc judicium fundari in caſu ſpeciali, potente rem facere ſuam; & hæ cauſæ ſpeciales ad parcendum ſpecificę earundem enumerationi denotantur vocabulo communi *pro Suo*, ita ut ſub hoc titulo ſpecialiter ſumpto omnes continantur à reliquis ſeptem diſtinctæ *juxta l. 2. ff. pro Suo*, aliàs, ſi ſufficeret ad explicationem hujus tituli *pro Suo*, modò quis ex quacunque cauſa ignorata rem exiſtimaret eſſe ſuam, præter bonam fidem nullus alius ſpecialis ti-
283 tulus eſſet neceſſarius ad præſcriptionem: quod nemo admittit.

284 Cæterùm non requiritur, ut prædicti tituli verè ac validè extiterint, quia ſi per illos dominium rei validè fuiſſet translatū, non eſſet neceſſaria præſcriptio; imò hoc ipſo eſſet impoſſibilis, quia nemo poteſt præſcribere rem ſuam. Itaque titulus ad complendam præſcriptionem utilis, non debet eſſe cauſa verè idonea ad transferendum dominium rei alienæ in poſſeſſorem, ſed apparenter idonea, ita ut ratione illius, poſſeſſor rei alienæ fuerit poſſeſſor bonę fidei, & probando titulum, probare poſſit ſuam bonam fidem.

285 Contingit autem triplici modo, ut titulus ſit tantùm apparenter idonea cauſa transferendi dominium. 1. ſi revera extitit actio in titulo ſignificata, v. g. Donatio, Emptio, ſed propter aliquem defectum eſſentialem, vel Juris repugnantiam fuit invalida, ut ſi venditor rem alienam tibi vendidit, vel ſi maritus fecit uxori donationem, Jure poſitivo invalidam: & hujuſmodi titulus vocatur coloratus, ſeu apparens 2. Si non verè extitit actio, ſed ſi accipienti rem ſolummodo à tradente dictum & perſuaſum eſt, actionem talem extitiſſe, & à ſe propterea rem tradi, eò quòd v. g. ipſi vendita, in dotem conſtituta, legata ſit &c. Unde poſſeſſor dicitur adhuc ex cauſa apparenter idonea poſſeſſionem rei inchoaſſe: & hic titulus exiſtimatus appellatur. 3. Si neque verè, neque apparenter exiſtens, actio determinati alicujus tituli aſſignari poſſit, utrum ſcilicet res accepta ſit pro ſoluto, pro Emptore, pro Hærede; ſed ſi tantùm præſumatur à Jure, aliquem ejuſmodi titulum extitiſſe; ideo cui talis præſumptio Juris patrocinatur, dicitur habere titulum præſumptum: & quando præſcriptio inde orta dicitur fuiſſe abſque titulo, non eſt intelligendum, quòd fuerit abſque omni titulo, etiam præſumpto, ſed tantùm quòd fuerit abſque titulo ſpecialiter aſſignabili, per verba, unum ex 8. prædictis denotantia. His præmiſſis

286 Dico 1. ad omnem pręſcriptionem requiri titulum ut conſtat ex *cap. Si diligenti de Præſcriptionibus prope finem*, & ex *l. Celſus 27. ff. de Vſucapionibus*: unde quando nulla cauſa inchoatę poſſeſſionis colorata, vel exiſtimata, vel à Jure pręſumpta exhiberi poteſt, nequit fieri pręſcriptio.

287 Dico 2. ad pręſcriptionem ordinariam longi temporis, v. g. 10. annorum ſufficere titulum coloratum, niſi fundetur in ignorantia Juris liquidi, ſeu certi: ſecus ſi in tali ignorantia fundetur, & perſona talis non ſit, in qua hujuſmodi ignorantia à Jure toleratur. Prima pars eſt certa, & probatur exemplis. v. g. ſi rem alienam non furtivam ex tua & venditoris parte bona fide interveniente emiſti, tempore ordinario præſcribis cum titulo *pro Emptore*, ut habetur expreſsè *l. 10. Si aliena res ff. de Vſucapionibus*, ſimiliter præſcribis rem alienam bona fide donatam *l. 1. ff. pro Donato*: vel legatam *l. 4. ff. pro Legato*, vel cum reliqua hæreditate, bona fide aditam ab eo, qui verè hæres eſt, *l. 3. ff. pro Herede*: ſi enim non eſſet verè hęres, tempore ordinario, neque contra verum hęredem pręſcribere poſſet ante 30. annos, per quos vero hęredi petitio hęreditatis conceditur, uti etiam non poſſet titulo *pro Herede* pręſcribere contra abſentem, falſo exiſtimatum eſſe mortuum, ut apertè ſtatuitur, *l. 3. C. de Vſucapionibus pro Herede*: quamvis poſſet pręſcribere titulo pro Legato, quia *l. 5. ff. pro Legato* hęc clara verba habentur: *ea res, quæ Legati nomine tradita eſt, quamvis Dominus ejus vivat, Legatorum tamen nomine uſucapitur.*

Secunda pars communiter à DD. aſſeritur teſte Leſſio *l. 2. c. 6. n. 14.* & ſic probatur, pręſcriptio & conditiones ad illam requiſitę, ut etiam in foro conſcientiæ valeat, introducta eſt à Jure civili; ſed Jus non approbat pręſcriptionem ex titulo colorato, in ignorantia Juris certi fundato, verùm illam expreſsè repellit per leges tum univerſales, tum particulares, huic loco proprias: ergo non valeat. Probatur min. *ex l. Error 8. ff. de Iuris & facti ignorantia*, ubi ita habetur: *Error facti ne maribus quidem in damnis, vel compendiis obeſt, Iuris autem error nec fœminis in compendiis prodeſt: cæterùm omnibus Iuris error in damnis amittendæ rei ſuæ non nocet.* Et in *l. 4. ff. eod.* hęc expreſſa ſunt verba. *Iuris ignorantiam in uſucapione negatur prodeſſe, facti verò ignorantiam prodeſſe conſtat.* Unde ſi aliquam rem ſine tutoris authoritate emiſti à pupillo, ignorans eſſe pupillum, quę eſt ignorantia facti, potes ex hoc titulo emptionis colorato, & ſecundùm ſe invalido, ſuo tempore, quando nimirum pubes factus fuerit, pręſcriptionem inchoare, ac complere; ſi autem ſciebas eſſe pupillum, ignorans contractum Jure poſitivo eſſe irritum, adeòque laborans ignorantia Juris, non potes, ut expreſsè ſtatuitur, & concluſio noſtra confirmatur *l. 31. ff. de Vſucapionibus* & *l. 2. §. 15. ff. pro Emptore*. Ubi etiam effugium pręcluditur, ne dicere queas, citatas leges ex pręſumptione ſimulatę tantùm ignorātię Juris procedere; nam ibi expreſsè dicitur, quòd etiamſi putes pupillis licere, res ſuas ſine Tutoris authoritate adminiſtrare, tamen non uſucapias, quia *Iuris error nulli prodeſt*, ūde etiāſi actor fatetur alterū verè, & nō tantùm ſimulatè ignorantem fuiſſe, tamen præſcriptio pro nulla haberetur à tribunalium praxi, ut plerique ſatentur. Deinde etiamſi verum eſſet, quòd pręedictæ leges ex pręſumptione fraudis fuiſſent latæ, tamen quoad vim obligandi non dependerent ab actuali exiſtentia fraudis, ſed ne fraudi occaſio ac locus detur, obligant abſolutè, & ſic quatenus ex inculpabili etiam ignorantia Juris procedens pręſcribere prohibetur, in effectu ſaltem pręſumitur malam fidem habere: quo modo intelligenda eſt *Regula Juris 82. de regulis in 6. & l. 7. Cod. de Agricolis cenſitis.*

289 Limitavi tamen concluſionem primò per has particulas, *ſi ignorantia ſit Iuris certi*: nam Jus incertum, ſeu de quo lis eſt inter authores, utrum titulus fuerit invalidus, teſte P. Haun. *tract. 5. n. 206.* ſecundùm omnes Theologos & Juriſtas, excepto Joan. Harpprecht non poteſt obſtare Juri certo, quod quis habet ad pręſcribendum, quamdiu vitium præſcriptionis non probatur; unde etiamſi ratione ſolius tituli, in quo fundatur præſcriptio, forſan res per oppoſitam ſententiam Judicis auferri poſſet, non poſſet tamen ampliùs accedente Jure pręſcriptionis, quia hoc poſſet allegari in ſubſidium, ſi prior titulus fuiſſet, vel judicaretur fuiſſe invalidus.

290 Limitavi 2. *ſi perſona talis non ſit, in qua hujuſmodi ignorantia à Iure toleratur*: nam huic non obſtaret ignorantia Juris. Tales perſonæ autem ſunt milites, à quibus potiùs peritia armorum, quàm Jurium exigitur *l. 1. Cod. de Iuris & facti ignorantia*, & pręterea Minorennes *l. 2. & 11. C. eodem*: quamvis verò etiam in fœminis & ruſticis videatur deficere ratio, ob quam civibus prodeſſe non debet Juris ignorantia, ut ſcilicet excitentur ad ea, quæ juris liquidi ſunt, circa actus, quos ſæpiùs celebrant, addiſcenda; tamen nullum de his perſonis extat privilegium univerſale, imò potiùs expreſsè fœminis denegatur *l. 11. cit. & l. 8. ff. eodem*, ſupra allegata.

291 Limitanda eſt 3. concluſio, poſteriorem partem illius negativam intelligendo de pręſcriptione ordinaria, de qua in priori parte locutus ſum. Licèt enim Bartolus, Felinus, Cynus, Molina *diſput. 64.* apud Leſſium eam etiam extendant ad præſcriptionem extraordinariam 30. vel 40. annorum, propter Jura citata, & quia in cap. fin. de pręſcriptionibus dicitur, quod cum mala fide non procedat ullo tempore pręſcriptio. Subſumunt deinde citati Authores: atqui juxta *l. 7. C. Agricolis cenſitis*, & *regulam 82.* citatam, qui contra legum interdicta mereatur, habet, vel præſumitur, habere malam fidem: ergo huic non procedit ullo tempore præſcriptio. Nihilominus tamen contrarium videtur probabilius, uti etiam viſum eſt Leſſio citanti Covar. Jaſonem,

Ale-

Alexandrum, Paulum Caſtrenſem, ac denique communem DD. ſenſum, quem etiam ſecutus eſt P. Haun. *num.*203. Ratio eſt, quia etiamſi error vel ignorantia Juris inculpabilis, ſeu invincibilis non pariat titulum coloratum, utilem ad præſcribendum, non tamen tollit bonam fidem, atqui tempore longiſſimo 30. vel 40. annorum procedit prȩſcriptio cum ſola bona fide, & titulo prȩſumpto, quem parit ipſa temporis diuturnitas, etiamſi nullus alius titulus ſpecialis allegari poſſit: ergo etiam procedit prȩſcriptio, etiamſi ignorantia Juris non pariat titulum utilem ſpecialem.

292 Ad rationem contrariam reſpondetur, leges à nobis adductas, annullantes prȩſcriptionem propter defectum tituli, intelligendas eſſe de præſcriptione, ad quam requiritur titulus: capitulum finale autem pro majore aſſumptum, intelligendum eſſe de fide Theologicè mala, id eſt, fraudulenta & peccaminoſa, quam neque pro aſſumpta minore Jura affirmant, vel præſumunt, ſed tantùm civiliter malam fidem adſtruunt in ſenſu ſupra explicato, quatenus titulum coloratum reddunt inutilem, ſicut redderetur inutilis per Theologicè malam fidem.

293 Dico 3. ad præſcriptionem ordinariam ſufficere etiam titulum ſolummodò exiſtimatum, in ſenſu explicato acceptum; quando nimirum poſſeſſor non tantùm habet bonam fidem ex perſuaſione, quòd juſto titulo rem acceperit, ſed quando revera aliquando ſaltem in mente dantis, & accipientis præextitit, & probari poteſt titulus ad dandum & accipiendum inducens, modò non ſit titulus pro emptore. Probatur concluſio ex *l.* 48. *ff. de Vſucapionibus*, quæ ita loquitur: *ſi exiſtimans, debere, tibi tradam, ita demum uſucapio ſequitur, ſi & tu putes, debitum eſſe: aliud, ſi putem me ex cauſa venditi teneri, & ideo tradam; hic enim, niſi actio precedat pro emptore, uſucapio locum non habet*. Ex hac exceptione, quæ unicè opponitur univerſali conſtitutioni, realem exiſtentiam tituli non requirenti, clarè colligitur de exiſtentia tantùm intentionali, ſeu exiſtimata tituli: intelligendas eſſe aliàs leges, tituli exiſtentiam poſtulantes, cujuſmodi ſunt, *leg.* 27. *ff. eodem, & l.* 24. *Codic. de Rei vindicatione*.

294 Dico 4. In præſcriptione ordinaria ſervitutum, ſaltem realium, continuarum tamen, quæ ſcilicet continuum actum, ſeu Juris exercitium habent, ut v.g. eſt aquæ ductus, & in præſcriptione extraordinaria, quæ vel eſt temporis longiſſimi, id eſt, 30. vel 40. annorum, vel temporis immemorialis, cujus ſcilicet initium non eſt in hominum memoria, non eſt opus titulo ſpeciali expreſſo, ſed cæteris conditionibus poſitis præſumitur, etiamſi, ut mihi quidem probabilius videtur, cum Ferdin. Vaſquez apud P. Haun. *num.*232. plurimos allegante, de titulo vitioſo unicè adducto conſtet, quia Judex in præſumendo non debet attendere ad cauſas particulares in dictis caſibus allegatas, vel allegabiles, ſed ad leges univerſaliter prȩſumentes titulum juſtum, quod omnes illi fateri debent, qui titulum vitioſum, fundatum in ignorantia Juris unicè allegatum concedunt adhuc ſufficere ad prȩſcriptionem ex titulo præſumpto. Probatur itaque concluſio quoad priorem partem ex *l.* 10. *ff. S. ſervitus vindicetur*, ubi aſſertio noſtra de aquæductu expreſſis verbis ſtatuitur: quoad poſteriorem verò ex *l.* 4. *C. de Præſcriptione* 30. *vel* 40. *annorum, & ex c. Ad aures, de Præſcriptionibus*, in quibus locis nullo expreſſo titulo propter ſolam longiſſimi temporis poſſeſſionem bonȩ fidei, Jure naturali requiſitȩ, approbatur prȩſcriptio.

ARTICULUS III.

Qua Ratione bona Fides ſit neceſſaria ad præſcriptionem.

SVMMARIVM.

295 *Quid ſit bona Fides, & quomodo ea ad omnem præſcriptionem Juris requiratur.*

296 *Quomodo bona Fides ſtet cum ſcientia Juris alieni in ordine ad præſcribendam liberationem à ſervitutibus.*

297 *Bona Fides non poteſt ſtare cum dubitatione ad inchoandam præſcriptionem.*

298 *Poteſt autem ſtare ad continuandam.*

299 *Confirmatur utraque aſſertio.*

300 *Oſtenditur diſparitas, & ratio quare per ſubſequens dubium bona Fides non interrumpatur.*

301 *Per errorem tamen poteſt etiam ſubſequens dubium bonam Fidem interrumpere.*

302 *Ad partialem præſcriptionem ſufficit bona Fides de parte præſcribenda.*

303 *Bona Fide accipiens rem alienam à poſſeſſore malæ Fidei, non poteſt illam præſcribere computando tempus anteceſſoris, quando poſtea de mala illius Fide conſtat.*

304 *Et ſi poſſeſſor malæ Fidei ſit hæres immediatus, univerſalis, ſolo titulo hæreditatis ſuccedens in poſſeſſionem rei alienæ, neque poteſt illam præſcribere tempore ordinario, prioris poſſeſſoris tempore etiam non computato.*

305 *Idipſum magis confirmatur contra Palao.*

306 *Si autem ſucceſſor ſit tantùm hæres Particularis, vel Legatarius, poteſt is præſcriptionem inchoare.*

307 *Idem dicendum de hærede mediato, univerſali hæredi ſuccedente.*

308 *Tempore extraordinario tamen, 30. vel 40. annorum etiam hæres univerſalis probabilius poteſt præſcribere.*

DIco 1. ex communi & certa ſententia, ad omnem 295
præſcriptionem requiri bonam fidem, id eſt prudentem credulitatem, ſeu judicium, quo quis ſibi perſuadet, rem eſſe ſuam; unde mala fides erit, quando rem poſſides ut tuam, quam tamen judicas non eſſe tuam, vel non judicas eſſe tuam. Probatur concluſio *ex regula poſſeſſor*, 2. *de Regulis Juris in* 6. & *ex cap. Fin. de Præſcriptionibus*, quod ſumptum eſt ex Conſilio Laterano ſub Innocentio III. cujus verba ſunt: *quoniam omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio tam Canonica, quàm Civilis; cum generaliter ſit omni conſtitutioni, & conſuetudini derogandum, quæ abſque peccato mortali non poteſt obſervari: unde oportet, ut, qui præſcribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conſcientiam*. Ex quibus verbis, & ratione univerſali allata, infertur cum communiter recepta ſententia, ad prȩſcriptionem propriè dictam requiri bonam fidem, non tantùm Jure Eccleſiaſtico, ſed etiam in Jure & foro Cæſareo, ac Civili, & leges oppoſitas) hujuſmodi eſt *lex un. C. de Vſucapione transformanda*, quæ ſolum pro inchoanda, non autem pro continuanda poſſeſſione, ad præſcribendum tempore ordinario requirebat bonam fidem: & lex 3. *ac* 7. *C. de Præſcript.* 30. *annorum*, neque ad inchoandam poſſeſſionem pro præſcriptione temporis longiſſimi bonam fidem exigens) teſte Panorm. & Medina ex natura rei nullas eſſe, quod declaraſſe potiùs, quàm ſanxiſſe citatam Conſtitutionem, videre eſt apud Molinam, & Lugo: quia omnis lex ex natura ſua, nulla eſt, quæ ſine peccato obſervari non poteſt.

Imò etiam ad præſcriptiones impropriè dictas, per 296
quas aliquis liberatur ab obligatione ſubeundi, vel faciendi aliquod onus, jam intervenit bona fides; nam ea etiam à conſcio obligationis ſuæ, eamque ſine poſitiva injuriæ illatione diſſimulante ſalva retinetur: quia cùm nemo teneatur monere alterum, ut Jure ſuo utatur, v.g. ut per meum fundum tranſeat; poſſum bona fide illum permittere in neglectu ſui Juris, & deinde contra quamcunque hujuſmodi ſervitutem ruſticam *juxta l.* 23. *C. de Servitutibus & aqua*, præſcribere: quamvis talis ſervitus, propter ſolum non uſum, elapſo præſcripto tempore, per legem citatam finiretur, etiamſi ex errore putaſſem, me teneri alterum de Jure ſuo admonere; unde hæc deſitio ſervitutis non eſſet illius propriè dicta præſcriptio. Eodem modo intervenit bona fides in præſcriptione pœnæ v.g. ſi cujus bona in pœnam non ſoluti vectigalis Fiſco addicta ſunt, intra quinquenium præſcribuntur contra Fiſcum *ex l.* 3. *C. de Vectigalibus & commiſſis*: delinquens enim pergit bona fide poſſidere rem ſuam, ſciens ſe non teneri, eſſe executorem ſuæ pœnæ nec ultro offerre & ſolvere mulctam à Legislatore neglectam.

Dico

297 Dico 2. Dubitans an res ſit ſua, an aliena (eadem eſt ratio dubitantis, an inſuper civiliter poſſideatur ab alio non habeat bonam fidem ſufficientem ad inchoandam abſolutè talis rei poſſeſſionem; habet verò ad continuandam bona fide, & abſque tali dubio inchoatam, modò debitam diligentiam adhibeat pro majori notitia comparanda. Prima pars ab authoritate certa eſt, eamque tenent Molina, Leſſius, Laymann, Covar. Medina, Palao, & alii paſſim. Ratio eſt: quia ad omnem poſſeſſionem inchoandam requiritur, ut determinatè judicem, rem non eſſe alienam, ne alioqui me exponam periculo incauto uſurpandi rem alienam; ſicut ob eandem rationem dubitans, in objectum ſibi propoſitum ſit fera vel homo, non poteſt jaculari. Conditionatè tamen poteſt quis inchoare poſſeſſionem etiam cum tali dubio, ſed inutilem ad præſcribendum: ſi enim res non eſt aliena, ſit ſine præſcriptione poſſidentis per primam occupationem; ſi eſt aliena, ob defectum impletæ conditionis, non datur poſſeſſio neceſſaria ad præſcriptionem, ut benè argumentatur Lugo *diſp. 7. n. 22.*

298 Secunda pars iterum eſt communis DD. pro qua Palao *diſp. un. de Iuſtit. in gen. pun. 22. §. 7. citat.* Panorm. Felinum, Immolam, Sarmientum, Navarrum, Th. Sanchez, Suarez, Molinam, Leſſ. Layman., quos ipſe ſequitur. Probatur 1. *ex cap. Si Virgo, 34. q. 1. & ex cap. Fin. de Præſcript.* ubi ad poſſeſſionem bona fide continuandam plus non requiritur, quàm ut quis ignoret, ſe poſſidere alienum, vel ne conſcientiam habeat rei alienę. Probatur 2. Quia dubitans poteſt ad continuandam poſſeſſionem tollere dubium, ita ut determinatè judicet, rem non eſſe alienam: cum enim certus ſit, poſſeſſionem ſe bona fide abſque tali dubio incepiſſe, poteſt uti regula Juris: *in dubio melior eſt conditio poſſidentis*.

299 Confirmatur ulteriùs concluſio. Quia inchoans poſſeſſionem agit munus actoris, volentis alium à poſſeſſione expellere, continuans verò agit quaſi perſonam rei: ergo in priori caſu debet ipſe, in poſteriori debet alius poſitivo argumento probare, ſe eſſe Dominum, & ſibi competere poſſeſſionem *juxta regulam Iuris 11. in 6. in dubio reo potius favendum. quam actori*. Concluſio etiam procedit in caſu moto, & approbato à Palao *tr. 1. diſp. 3. pun. 3. n. 11.* ſi nimirum dubitans magis putat rem eſſe alienam: quia, ut cit. Author cum Vaſquez & Salas rectè docet, poſſeſſio æquivalet omnibus rationibus moraliter certo non convincentibus; & hinc manent cætera omnia paria ſufficienter pro verificanda regula, *melior eſt conditio poſſidentis*: neque major inclinatio iudici, quòd res ſit aliena, facit in altero æquivalentiam poſſeſſionis; quod tamen pro fundamento aſſumpſerunt plures AA. contrariæ ſententiæ, putantes proinde rem eſſe dividendam pro ratione dubii, quos refert Palao *l. c.*

300 Obiiciunt Adrianus, Sotus, Major, quòd dubitans interrumpat bonam fidem, qua quis judicare prudenter debet, rem, quam poſſidet, eſſe ſuam: ergo etiam interrumpitur poſſeſſio, neque continuari poteſt. Reſp. 1. Ex dictis patere, quomodo dubitans prudenter ſe determinare poſſit, rem eſſe ſuam. Reſp. 2. Negando ad bonam fidem in genere requiri ut prudenter quis, & determinatè cenſeat rem eſſe ſuam; hæc enim tantùm requiritur ad poſſeſſionem inchoandam (in ordine ad quam ſupra maximè explicavimus bonam fidem, eò quòd talis ad continuationem ſaltem præſupponatur) ſed ſufficere, ſi non determinatè rem judicet eſſe alienam *juxta cit. c. Fin. & cap. Si Virgo.*

301 Quòd ſi tamen quis propter ſuperveniens dubium per errorem putaret, ſe obligatum ad rem hactenus poſſeſſam dimittendam, fateor cum Lugo *diſp. 7. n. 22.* Leſſio *n. 13.* Palao *§. 7. n. 3.* talem non ſolùm Civili *l. Si fur, §. 1. ff. de uſucapionibus*, à præſcriptione impediri, ubi expreſsè dicitur: *Si quis id quod poſſidet, non putet, ſibi per Leges licere uſurpare, dicendum eſt, etiamſi erret, non procedere ejus Vſucapionem, vel quia non bona fidè videatur poſſidere, vel quia in Iure erranti non procedat Vſucapio:* ſed etiam, quod eſt contra Molinam *diſp. 63.* Lege naturali, ac conſequenter eadem Lege Can. quam ſupra allegavi, præſcribere prohiberi: quia deeſt bona fides propter conſcientiam rei alienæ, licèt erroneam quod ſic ulteriùs confirmo: vel enim poſſeſſor ſuppoſita tali conſcientia adhuc habet voluntatem retinendi rem alienam, ut ſuam, & poſſidendi proprio nomine, vel non habet talem voluntatem: ſi primum: ergo peccat contra Juſtitiam, & licèt deinde rem præſcriberet, tamen teneretur ad reſtitutionem ſi rem Domino rationabiliter invito non reſtituit, antequam bona fides de novo ſuperveniret: ſi ſecundum: ergo interrupta eſt poſſeſſio, cujus continuatio per tempus Lege definitum ad omnem præſcriptionem eſt neceſſaria: unde rurſum bona fide ſuperveniente deberet de novo inchoari præſcriptio.

302 Dico 3. Poſſeſſor malæ fidei ſecundùm quid, pręſcribit illam partem, circa quam debet bonam fidem; quia in ordine ad hanc nihil ipſi deeſt: alteram verò, non præſcribit ob defectum bonę fidei, ita Mol. *diſp. 63.* Lugo *diſp. 7. n. 28.* P. Haunoldus *n. 181.*

303 Quæri hic etiā ſolet, an ſi poſſeſſor malæ fidei, adeòq; ad pręſcribendum inhabilis, rei poſſeſſionem in alium transferat, iſte ſucceſſor bona fide accipiens rem v. g. titulo hæreditatis, poſſit eandem præſcribere, non quidem computando tempus ſui anteceſſoris, ſeu ut appellari ſolet Authoris malæ fidei, quia hujus injuſtam poſſeſſionem per ſe conſtat, eſſe inutilem, ut continuetur cum poſſeſſione bonę fidei; ſed computando ſolummodo tempus, à quo ſucceſſor cœpit bona fide rem poſſidere: ad quam quæſtionem adhuc aliquot concluſionibus reſpondeo, &

304 Dico 4. Si ſuccesſor ſit hęres univerſalis immediatus, & qui ſolo titulo hæreditatis ſuccedat authori malę fidei, licèt ipſe bona fide poſſideat neque velit uti acceſſione temporis, quo defunctus anteceſsor mala fide poſsedit (ſicuti poſset, ſi bona fide poſsediſset) ſed tantùm computare tempus, à quo ipſe bona fide cœpit poſſidere; non poteſt tamen tempore ſaltem ordinario rem ſive mobilem ſive immobilem, Jure communi (bene tamen Bavarico) pręſcribere: Concluſio hęc valdè probabilis ſit, tum ex communi ſenſu DD. ut teſtantur Azor *cap. 8.* Molin. *diſp. 65.* Leſs. *c. 6. dub. 13.* quamvis aliqui de hujus veritate recedant, aliqui dubitent apud Patrem Haunoldum *numer. 208.* tum ex *§. Diutina, Inſtit. de Vſucap.* ubi dicitur: *ſi ille* (defunctus) *initium juſtum non habuit, heredi & bonorum ſucceſsori poſseſſio non prodeſt*: & ex *l. 3. Si mala fide, C. Communia, de Vſucapionibus*, ubi ſuccesſor propter authoris malę fidei vitioſum initium negatur Uſucapionem abſumere, ſeù complere poſse. Et ex *l. Cum heredes 11. ff. de Diverſis temporalibus præſcriptionibus*, hoc ipſum de longi temporis pręſcriptione negante.

305 Itaque Leges poſseſſionem ſucceſsoris (eò quòd iſte referat authorem) intrinſecè quidem bonam, nolunt gaudere propria bonitate fidei, ſed fide Authoris, quę proinde extrinſecè per fictionem Juris, & quoad effectum etiam ſucceſsoris fidem malam & inutilem reddit; non tantùm quoad illam partem, quę cum poſseſſione authoris malę fidei computaretur, quomodo putavit Palao, Leges citatas ab Adverſariis explicari poſse: ſed etiamſi non computaretur cum poſſeſſione antecedenti mala, verùm ab ea initium duceretur novę poſseſſionis, legitimo tempore continuatę; quia niſi ſic acciperentur Leges; nil ipſę ſpeciale ſtatuerent, ut rectè Ferdinandum Palao refutat P. Haunoldus *n. 212.* opponens ipſi inſuper *legem 11. C. de Acquirenda poſseſs.* ubi dicitur. *Vitia poſseſſionum à Majoribus contracta perdurant, & ſucceſſorem authoris Sui culpa comitatur*, quę verba tamen juxta allatas Leges tantum ad vitia fidei, non autem tituli, extendi debent; unde ſuceſſor ex eo titulo, quo alteri ſuccedit, poteſt pręſcribere, etiam ſi anteceſſor ratione ſui tituli propter ignorantiam Juris vitioſi non potuerit.

306 Dixi 1. *Si ſucceſsor ſit heres univerſalis*: id eſt qui titulo hęreditatis ſolus, vel cum aliis, ex teſtamento, vel ab inteſtato in univerſitatem bonorum defuncti introducitur; nam particularis, qui ſcilicet rei alicujus particularis ac determinatę, v. g. alicujus fundi hęres ſcribitur, ita ut reliqua bona indiviſa primùm ſint in partes ęquales vel inęquales, inter alios diſtribuenda, potiùs Legatarius, quam hęres habetur, neque repręſentat perſonam defuncti: unde iſte, ſicut alii omnes, non titulo pro Herede ſuccedentes ordinario tempore ab exiſtentia tituli computando, omnium conſenſu præſcribere poſſet *juxta l. 5. §. 1. ff. de Diverſis temporalibus præ-*

ſcri-

ſcriptionibus, cui poteſtati tamen P. Haunoldus *n.* 215. eruditè opponit limitationem Jure novo introductam per *Auth. Malæ fidei C. de præſcript. longi temporis*, juxta quam Res immobiles, quæ ſcilicet aliàs indigerent 10. annorum poſſeſſione, contra legitimum dominium proprietatis tempore ordinario, niſi ſcienter Jus ſuum neglexerit, pręſcribi non poſſunt.

307 Dixi 2. *Immediatus*: ſi enim ſit hæres hęredis contra Lugo *diſp.* 6. *num.* 61. & alios probabiliùs aſſeritur cum Molina, Leſſio; Caſtropalao, Haunoldo, & pluribus apud hos citatis, illum poſſe pręſcribere, ſi tempori ſuę poſſeſſionis bonæ fidei non annumeret id, quo author verè mala, & ſucceſſor immediatus per Juris fictionem mala fide rem alienam poſſederunt; quia Jura teſte Bartolo, & aliis citatis horrent duplicem fictionem in eadem re, & ex eodem capite, quale eſt repræſentatio mali Authoris, Atque iſtud Caſtropalao §. 9. *num.* 6. & Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 43. contra communiorem ſententiam de hęredibus mediatis, ſine exceptione in Jure ſundata univerſaliter dicendum putant, etiam de illis hęredibus, qui *Sui* vocantur, juxta §. *Sui autem*, *Inſtit. de hæredum qualitate & differentia*, ubi iſti dicuntur *Sui*, qui tempore mortis illius, cujus ſunt proprii hæredes, ſub ejus erant poteſtate, nullo alio in eadem linea interpoſito, v.g. filius & filia reſpectu Patris, Nepos & Neptis reſpectu Avi morientis, ſi ſint ſub illius poteſtate, & Pater ipſorum morte ſublatus, vel alia ex cauſa non ampliùs ſuberat illorum Avo. Ad legem enim in contrarium adduci ſolitam, quando ſcil. *in Lege* 2. *C. de Uſucapione pro Hærede*, dicitur: *nihil pro Hærede poſſe Uſucapi ſuis hæredibus exiſtentibus.* Reſpondent citati Authores, non eſſe ſic intelligendum, quaſi ipſi hæredes *Sui* ſibi non poſſent uſucapere, eò quòd jam ante mortem defuncti, dicantur domini omnium rerum illius, & conſequenter non novam poſſeſſionem bonæ fidei acquirant; hæc enim ſequela eſt falſa, & ipſa Gloſſa in citatam legem, licèt neget acquiri de novo bonam fidem fatetur tamen acquiri novum titulum pro Hærede; quidni ergo acquirat novam poſſeſſionem, & cum propria bona fide, validam præſcriptionem? itaque prædicta verba: *ſuis hæredibus exiſtentibus* non in dativo ſumenda ſunt, quaſi *nulli hæredi ſuo* poſſit uſucapi, ſed in Ablativo, quòd ſcil. dum illi exiſtunt, nemo alius extraneus præſumatur hæres, ut ipſe titulo pro Hærede præſcribere poſſit. Verùm quia juxta hanc explicationem nihil ſpeciale in Lege ſtatueretur, quòd non per ſe notum eſſet non tantùm de Hæredibus *Suis*, verùm etiam de quibuſcunque neceſſariis, imò omnibus ab inteſtato ſuccedentibus obſervaretur, ideò à communi interpretatione Legis non puto, facilè eſſe recedendum.

308 Dixi 3. *Tempore Ordinario*. Trium ſcilicet 10. vel 20. annorum: nam tempore extraordinario poſſe præſcribi, probabiliùs docent Baldus, Crotus, Paulus Caſtrenſis, Vaſq. apud Palao, Dynus, Bartolus apud Leſſium; quia pro hoc tempore non requiritur titulus ſpecialis, ſed ſufficit præſumptus: neque obeſt mala fides, niſi peccaminoſa, quam ſolam Jus Canonicum improbavit, qualis non eſt, quæ per fictionem Juris tantùm eſt mala. Adde quòd *l.* 11 *ff. de Diverſis temporalibus præſcriptionibus*, expreſsè de longa temporis præſcriptione, non verò de longiſſima, uſucapionem ſucceſſori neget.

ARTICULUS IV.

Qualis, & quàm continua poſſeſſio requiratur ad præſcriptionem.

SUMMARIUM.

309 *Ad præſcriptionem requiritur, & ſufficit Civilis poſſeſſio, legitimo tempore continuata.*
310 *Probatur contra Vaſquez, non requiri inſuper poſſeſſionem Naturalem.*
311 *Poſſeſſio ad præſcriptionem utilis debet bona fide continuari: quod fit, ſi nec ipſa bona fides interrumpatur: etiamſi ſubinde ſuſpendantur.*
312 *Contra pupillum nec incipere, nec currere poteſt præſcriptio: uti neque contra fundum dotalem vivente Marito: niſi tempore 30 annorum.*
313 *Proponitur ratio dubitandi contra requiſitum tempus 30. annorum.*
314 *Reſpondetur ad rationem dubitandi.*
315 *Additur alia reſponſio.*
316 *Interruptio Præſcriptionis alia eſt Naturalis, alia Civilis. Explicatur Interruptio Naturalis.*
317 *Declaratur Interruptio Civilis.*
318 *Extenditur, & magis explicatur interruptio Civilis.*
319 *Quibus contra factam Præſcriptionem concedatur Reſtitutio in integrum.*
320 *Refertur ſententia, Majorennibus ob ignorantiam concedens Privilegium Reſtitutionis.*
321 *Probabilius negatur.*

DEclaravimus tres conditiones, reſtat adhuc una, 309
ut omnes abſolvamus, quæ iſtis duobus verſiculis comprehenduntur.

Æqua Fides, Juſtus, Titulus, res non Vitioſa,
Tempore præſcripto poſſeſſio continuetur.

Itaque certum in primis eſt, ad præſcriptionem requiri poſſeſſionem, ut habetur in *Regula* 3. *de Regulis juris in* 6. *& in leg.* 25. *digeſt. de Uſucapionibus*: naturalem autem ſine civili non ſufficere, & ultra Civilem non eſſe neceſſariam naturalem, communis omnium ferè eſt ſententia contra Vaſquez quoad primum membrum immeritò diſſentientem apud P. Haunoldum *num.* 258. contra quem probatur aliorum ſententia. Vel enim poſſeſſor naturalis poſſidet rem ſuo, vel alterius nomine; ſi alterius, hoc ipſo non uſucapit ſibi, ſed alteri, pro quo poſſidet; unde Conductor, Commodatarius, Pignoratarius, nequeunt ſibi Rem præſcribere juxta *l. Male agitur* 2. *C. de Præſcript.* 30. *annorum*, *& c. Clerici* 16. *q* 3. *juncta Gloſſa, verbo, Ius proprium*. Sic etiam Tutor, Curator, Adminiſtrator, Servus in illis bonis, quæ titulo non ſibi, ſed dominio acquirendi apto poſſidet, & Religioſus incapax dominii, non ſibi, ſed ei, cujus nomine poſſident, præſcribere valent: ex quo univerſaliter ſequitur, omnes illas perſonas ad rem ullam pręſcribendam ineptas eſſe, quæ non poſſunt proprio nomine per ſe, vel per alium poſſeſſionem capere: hinc cùm etiam amentes, vel aliàs rationis incapaces, ad acquirendam poſſeſſionem per propriam perſonam inhabiles ſint, per ſeipſos etiam nequeunt præſcribere, niſi tempore inchoatæ poſſeſſionis uſum rationis habuerint, qui ad continuandam poſſeſſionem, ſeu ad habitualem ejus perſeverantiam requiritur. Ex poſito ſundamento prætereà ſequitur. Emphyteutam, Feudatarium, Uſufructuarium ſibi tantùm uſumfructum, & ea Jure præſcribere poſſe, quæ proprio nomine poſſident, proprietate rei relicta, qui per ipſos ejuſdem poſſeſſionem continuat.

Si autem Vaſqu. dicat, poſſeſſorem naturalem tenere 310
rē ſuo nomine, uti omninò ſupponit, iterum hoc dilemate impugnatur: vel judicat poſſeſſor, ſe eſſe legitimum dominum rei poſſeſſæ, vel non judicat: ſi non judicat, hoc ipſo ob defectum bonæ fidei non poteſt præſcribere: ſi judicat, & ſi inſuper habet titulum depellendi priorem poſſeſſorem civilem, nec tamen depellit à poſſeſſione Civili, eò quòd alter forſan abſens ignoret rem naturali poſſeſſione contra ſe occupatam eſſe, adhuc nondum præſcribit, quia ad evitandas hujuſmodi invaſiones bonorum potiùs favendum eſt poſſeſſori civili, ut, ſi legitimus dominus erat, rem ſuam retineat, ſi non erat, eandem bona fide præſcribat contra quemcunque tertium: ſi ipſe verò poſseſsor naturalis legitimus dominus fuiſset, credo, quòd ipſo facto poſseſſionem Civilem alterius cenſeretur interrupiſse, ſicur deinde dicemus de domino poſſidente rem ſuam naturaliter, ſibi titulo commodati, Pignoris aut Præcarii traditam. Dico itaque 1. Poſseſſionem, ut ſit apta ad præſcriptionem, debere eſse civilem. Ratio patet ex dictis.

Dico 2. Poſseſſionem etiam debere eſse continuam per 311
tempus à Lege requiſitum, conjunctam cum titulo (quando is neceſsarius eſt) & bona fide. Ita omnes, & conſtat paſſim ex utroque Jure Canonico & Civili; modò particula *Continuam*, advertatur adhuc verificari moraliter, etiamſi ſubinde poſseſſio temporis intermedii non habeatur pro utili ad præſcribendum. Quod ut meliùs percipiatur, notandi ſunt vulgares quidam modi loquen-

quen-

quendi, quibus præſcriptio aliquando dicitur non procedere, non currere, dormire: interrumpi. His adde, quòd ſubinde omninò dicatur, tolli per reſtitutionem in integrum. Non procedere tunc dicitur, quando ob defectum alicujus conditionis ex 4 prædictis non poteſt inchoari. Dormire, ſeu non currere dicitur, quando pro aliquo tempore ſuſpenditur, ita ut ipſum non computetur, ſed perinde habeatur, ac ſi hujuſmodi tempus poſſeſſionis non fuiſſet: unde quando deinde poſterius tempus poſſeſſionis computatur cum præcedente: medio dempto, poſſeſſio utilis ad præſcribendum ſaltem eſt moraliter continua. Contingit autem hæc dormitio, quando is, contra quem præſcribitur, agere non poteſt, vel ob defectum Judicis (quando ſcilicet tempore graſſantis peſtis, vel belli, ſeu hoſtilitatis Jus non dicitur propter fugam hominum *cap. Prima actione 16. q. 3. & cap. 10. de Præſcriptionibus*; vel ob defectum in Jure receptum ejus, qui agere aut præſcriptionem interrumpere deberet; unde dormit præſcriptio contra Eccleſiam, quando caret Rectore, ſeu Prælato, vel quando is ad agendum idoneus non eſt ratione Excommunicationis, Suſpenſionis, Captivitatis, Amentiæ, *cap. 14. & 15. de Præſcriptionibus*, aut ratione Schiſmatis in Eccleſia Romana, quo durante contra illam præſcribi non poteſt. Addita Molina *diſp. 78. §. præſcriptio ceſſat*, ſequutus Panormitanum & Bartolum, idem dicendum eſſe de præſcriptione adverſus imperium, vel regnum ſede vacante.

312 Ad hunc defectum agendi, prout in ætatis imbecillitate fundatum, reſpexiſſe videtur *lex 3. de Præſcriptione 30. annorum*, & *Authent. Niſi triennali C. de Bonis maternis*, contra antiquiores Leges, concedens pupillo, ut durante ætate pupillari contra illum, nec incipere, nec currere poſſit præſcriptio: ob eundem defectum Leſſ. *lib. 2. cap. 6. n. 49.* Laymann *lib. 3. tr. 1. c. 8. n. 19.* & plures alii docent, dormire præſcriptionem adverſus bona adventitia filiiſfamilias, & adverſus fundum dotalem uxoris vivente marito: ſed hæc doctrina rectè redarguitur à Molina *l. c. & diſp. 79. §. illud tamen & ſeqq.* quia præſcriptio vel inchoata eſt ante patriam poteſtatem, aut antequam fundus eſt dotalis, vel durante patria poteſtate, aut dum eſſet fundus dotalis: ſi primum, ait, omnium conſenſu non impediri præſcriptionem, etiam pro tempore ordinario, quod de fundo dotali expreſsè ſtatutum eſt, *l. Si fundum, ff. de Fundo dotali*: idem aſſerit de Majoratu, Fideicommiſſo, Legato, & ſi quæ ſunt alia bona, quorum niſi ad certam perſonam translatio dominii prohibetur: ſi ſecundùm: negat cit. Author, quod dormiat præſcriptio illorum bonorum pro tempore longiſſimo, quo ſecundùm communem ſententiam ab ipſo allegatam, & à me ſuprà receptam præſcribi poſſunt, prout de bonis Minorum expreſsè definitum eſt, *l. Fin. C. In quibus cauſis reſtitutio in integrum non eſt neceſſaria*, juxta quam etiam intelligi debet, *l. 3. C. Quibus non obiiciatur longi temporis præſcriptio*.

313 Quæ Leges prima fronte quidem videntur importare implicantiam in adjecto; cùm enim Minor deſinat eſſe Minor completo 25. anno, & in ætate pupillari non currat præſcriptio; hinc videtur impoſſibile eſſe, ut dum res præſcribitur contra Minorem, impleti ſint 30. anni: Nam ab anno 12. in fœminis tantùm 13. & ab anno 14. in maribus tantùm 11. anni numerantur, quibus currat pręſcriptio, & ſi tot annis ante nativitatem Minoris poſſeſſio rei, in illum quoad dominium vel Jus derivatę, inchoata eſſet, quot requirerentur ad integrandos 30. annos, iiſdem jam fuiſſet peracta præſcriptio ordinaria 10. annorum ante nativitatem Minoris.

314 Proptereà Lugo *diſp. 7. n. 72.* dicit pręſcriptionem 30. annorum non habere locum, niſi quando Jus rei pręſcribendæ priùs ab uno Minore in alium tranſlatum, ut tandem contra poſtremum intra 30. annos pręſcriptio finiatur. P. Haunold. *n. 298.* ait etiam locum habere, ſi res, antequam ad Minorem perveniret, indiguiſſet pręſcriptione 20. annorum, propter abſentiam legitimi domini, de quibus ſi forſan 19. vel 17. elapſi eſſent, antequam res ad pupillum transferretur, poſt ętatem pupillarem reſidui uſque ad 30. addendi forent: quod tamen Lugo & Molina, pluresque alii negant, pręditam legem *Si fundum*, ad quacunque ordinariam pręſcriptionem extendentes, ſi cœpta fuit, antequam neceſſaria eſſet extraordinaria: cui ſimile eſt id, quod ex aliis Doctoribus refert, & approbat P. Haunoldus *n. 302.* nempe ſi Jus rei immobilis, quę contra privatum pręſcriberetur 10. annis, transferretur ad Eccleſiam, poſtquam res ab altero per quinquennium bona fide fuit poſseſsa; & conſequenter dimidia illius pręſcriptio peracta, eandem rem intra 20. aliòs annos omninò adverſus Eccleſiam pręſcriptam iri, etiamſi aliàs opus foret 40. annis, quia dimidia pręſcriptio, addita dimidię facit adęquatam pręſcriptionem.

Alium adhuc modum inſinuat citatus P. Haunoldus, 315
ſalvandi contra Minores pręſcriptionem 30. annorum: ſi nimirum dicatur, eatenus 30. annos Minoribus concedi, ut contra pręſcriptionem ſe defendant, quatenus poſseſſio rei ad ipſos pertinentis, pluribus annis contra eoſdem tempore minoris ętatis continuata, poſt obtentam ętatem majorem ſequentibus annis tantam ſolummodo partem proportionalem ſuperaddit in ordinem ad præſcriptionem ordinariam, v. g. 10. annorum, quantam explevisſet comparatione 30. annorum; adeoque etiamſi poſseſſor bonę fidei priùs 10. annis rem tenuisſet, quia tamen hi ſunt tantùm tertia pars ad 30. ſic fore etiam tantùm tertiam partem ad 10. & ut pręſcriptio 10. annorum perficiatur, adjungendos adhuc eſse 6. annos, & 8. Menſes. Hac ergo ratione poterit dici pręſcriptio 30. ann. non arithmeticè, ſed geometricè, ita ut 30. anni ſtatuantur tanquam menſura hujus proportionis. Eodem modo diſcurrendum eſset de Pręſcriptione triennali rei nobilis, in qua 10. anni ante obtentam majorem ętatem tantùm eſsent tertia pars triennii.

Omninò interrumpi dicitur Præſcriptio, quando vel 316
realiter deſinit aliquid ad eſſentiam præſcriptionis requiſitum, vel quando deſinit per fictionem ſeu ſubtilitatem Juris; illud vocatur interruptio naturalis, iſtud civilis: naturaliter itaque interrumpitur 1. Quando ceſſat poſſeſſio civilis, prout eadem etiam ceſſare cenſetur, ſi quis rem, quam poſſidet, pignori dat domino rei *juxta l. 33. §. 5. ff. de Uſucap.* vel ſi eidem locat, aut precario concedit. *l. 21. ff. Eodem*. 2. Quando ceſſat titulus v. g. ſi emptio ſub pacto commiſſorio, vel adjectione in diem diſſolvatur. 3. Quando deſinit bona fides; quamvis enim Felinus, & alii, quos Covarruvias apud Lugo *n. 150.* Molina *diſput. 78. §. Interruptio* refert, exiſtiment, in tali caſu dormire præſcriptionem, ſi denuo bona fides ſuperveniat; contrariam tamen, ut ſuprà jam monui, eſt communius, & probabilius, non tantùm ſpectando legem poſitivam expreſſam, *Si fur 32. §. 1. de Uſucap.* quam unicè ſpectat Molina *diſp. 63. §. Dubium eſt*, ſed etiam rationem naturalem, quam Palao *diſp. unica puncto 22. §. 7. n. 3.* attendit, & reſpexiſſe videtur Innocentius III. in *cap. Fin. de Præſcriptionibus*: ubi ad præſcriptionem requirit, ne poſſeſſor in ulla temporis parte rei alienæ conſcientiam habuerit, quod etiamſi aliquo modo verificaretur, ſi præſcribens ſolum non uteretur acceſſione temporis malæ fidei, tamen æquitati naturali non ſatis videtur convenire, ut poſſeſſori tempore malæ fidei non ſtatim, prout deberet, reſtituendi rem, quam credit alienam, culpa ſua profit ad utendum acceſſione temporis, malam fidem antecedentis, cujus utilitas ad præſcribendum per reſtitutionem debuiſset fuiſſe extincta.

Civiliter interrumpitur pręſcriptio triennali Major 317
per conteſtationem litis, modo Actor, vel cauſam lucretur; tunc enim rem ſuam recipiet, etiamſi pendente lite tempus præſcriptionis fuiſset impletum *l. 26. C. de Rei Vindicat.* vel ſi non lucretur, modo litem neque per tranſactionem remiſerit: qua etiam Jus interruptionis remiſsum cenſeretur, teſte P. Haun. *n. 342.* neque inceperit, ac moverit ex doloſa intentione præciſè interrumpendi poſseſſionem, abſque animo vincendi, vel proſequendi litem; ſi enim hæc doloſa intentio ex circumſtantiis, vel ex ultronea ac inneceſsaria litis abruptione colligeretur, non interrumperetur præſcriptio, ut colligitur ex *l. ult. C. de Præſcriptione 30. annorum*. Sine illa intentione autem per juſtam litis conteſtationem, ita interrumpitur poſseſſio utilis ad præſcribendum contra Actorem (nam in ordine ad hunc tantùm interrumpitur, non verò in ordine ad alium, ſi ipſe eſset Dominus rei, & litem non moviſset; unde in hoc diſtinguitur interru-

ptio

ptio civilis à naturali, quæ eſt interruptio univerſalis) ut nec præteriti temporis acceſſione uti liceat ad continuandam poſſeſſionem utilem, nec de novo incepta præſcriptionem parere poſſit, niſi 40. annorum juxta legem immediatè citatam.

318 Dixi tamen : *Si præſcriptio ſit triennali Major* : nam præſcriptio triennalis non interrumpitur litis conteſtatione, quamvis enim, ſi Actor vinceret, res ipſi reddenda eſſet, etiamſi pendente lite completum fuiſſet tempus præſcriptionis; tamen, ſi non vinceret, præſcriptio rata eſſet *l.2.§.21.ff.pro Emptore* juncta Gloſſa. Præterea in certis caſibus, imò teſte P. Haun. *nu.* 339. ſecundùm non ignobiles Juriſtas in caſibus quibuſcunque interrumpitur præſcriptio ſive longi, ſive longiſſimi temporis per ſolam Juridicam citationem poſſeſſoris, vel ſaltem per querelam apud Judicem depoſitam, vel ſcripto oblatam, vel in illius abſentia à publico Notario, aut etiam in hujus defectu coram 3. teſtibus ſcripto, ac eorum ſubſcriptione conceptam, quando poſſeſſor citari non poteſt propter ſuam abſentiam à loco, amentiam, infantiam, Tutoris aut Curatoris carentiam, vel etiam propter ſuam authoritatem, quæ timorem reverentialem pariat, ut habetur *l.2.C.de Annali exceptione.*

319 Per reſtitutionem in integrum tollitur præſcriptio, quando is, contra quem jam perfecta fuit, in eundem ſtatum reponitur, quaſi contra eum præſcriptum non fuiſſet. Conceditur autem hoc privilegium Minoribus 25. ætatis annum nondum egreſſis in *l.un.C. Si adverſus uſucapionem*, & durat per quadriennium utile, juxta *l.ult. C. de Temporibus in integrum reſtitutionis*: utile verò eſt, ſi quadriennium computetur à die cognitæ præſcriptionis, nulloque impedimento ad agendum, ſeu petendum beneficium reſtitutionis vitietur, aliàs mora impedimenti æquali prorogatione temporis ſupplenda eſſet. Eodem privilegio gaudent, & Minoribus æquiparantur in ordine ad beneficium reſtitutionis Eccleſiæ aliaque loca pia, ut Monaſteria, Hoſpitalia *cap. 1. & 2 de Reſtitutione in integrum in 6.* & univerſim quoad bona dotalia indulgetur beneficium reſtitutionis in integrum conjugibus, eò quòd hæc pro privilegiatis habeantur, teſte Pinello, quem ſequitur, & refert Rebellus *2.p. lib. 1. qu. 8. ſect.5 num.*58. & Palao *diſp.1.de Iuſt.Commut.p.*19.§. 1. *num.*13. ubi cum Molina, & Leſſ. probabile cenſet etiam ruſticos, & mulieres ob prudentiæ defectum eodem privilegio frui poſſe.

320 Major controverſia eſt de aliis Majorennibus, & quidem communis, ac teſte Palao *de Iuſt. in genere p.*22. §. 17. *num.*5. uſu forenſi recepta ſententia etiam illis concedit reſtitutionem in integrum, ſi quacunque ex cauſa, etiam ob ignorantiam inculpabilem præſcriptioni ſe opponere non potuerunt, eò quòd *in l.1.ff. Ex quibus cauſis majores*, poſt enumeratas aliquas cauſas in integrum reſtitutionis Majoribus conceſſæ univerſaliter ſubjungantur hæc verba : *Item ſi qua alia juſta cauſa videtur eſſe, in integrum reſtituam, quoad ejus per Leges, plebis ſcita, Senatus Conſulta, Edicta, Decreta Principum licebit.* Hinc ſubſumunt DD. ſed ignorantia invincibilis eſt juſta cauſa, & reſtitutio propter illam non eſt contraria clauſulæ, ergo &c.

321 Verùm Andreas Fachinæus, quem citat, & ſequitur Palao *loc. cit* & P. Haun. *numer.* 345. ob ſolam ignorantiam ſecluſa abſentia in gratiam Reipubl. Studiorum, Peregrinationis, vel alia ſimili juſta cauſa, ſpectando rationem non improbabiliter negant reſtitutionem Majoribus, eò quòd non ampliùs obtineretur finis à legibus concedentibus præſcriptionem intentus : ut ſcilicet minuerentur lites : quippè non ſatis minuerentur; cùm pauci ſcienter, vel culpabiliter præſcriptionem adverſùs ſe patiantur. Præterea *juxta l.ult.C.de Præſcrip.longi temporis* in fine videtur, in deteſtationem ignorantiæ tum facti, tum vel maximè Juris præſcriptio fuiſſe introducta, ut cives majore diligentia utramque caverent; cui fini privilegium reſtitutionis in integrum plurimùm obeſſet.

ARTICULUS V.

Declaratur tempus continuandæ præſcriptionis.

SUMMARIUM.

322 *Res Mobiles contra Dominum privatum, & contra Eccleſiam, Romana ſpecialiter ſumptà inferiorem cum Titulo præſcribuntur triennio, niſi furtivæ ſint.*

323 *Contra Rom. Eccleſiam ſpecialiter ſumptam tam res Mobiles, quàm Immobiles non præſcribuntur, niſi* 100. *annis.*

324 *Sine Titulo expreſſo (adeòque ex ſolo Iure præſumpto) res mobiles, & immobiles præſcribuntur trecennio; quo tempore etiam opus eſt pro rebus furtivis ignorante domino præſcribendis.*

325 *Res immobiles privatorum cum titulo præſcribuntur decennio inter præſentes, & Vicennio inter abſentes.*

326 *Bona tam mobilia, quàm immobilia ex delicto Fiſco ſæculari per ſententiam Iudicis incorporata præſcribuntur* 40. *annis: nondum incorporata autem quinquennio.*

327 *Bona Immobilia Eccleſiarum Romana inferiorum, omniumque locorum, & cauſarum piarum præſcribuntur cum titulo* 40. *annis : RR. PP. Benedictinorum* 60. *annis: RR. PP. Ciſtercienſium, & Ordinum Mendicantium* 100. *annis.*

328 *Præſcriptio Bonorum Immobilium Eccleſiæ Rom. exceptis per crimen hæreſis ad eam devolutis, non ante* 100. *annos abſolvitur. Idem privilegium conceditur civitatibus, quoad bona delata, ſed nunquam tradita.*

329 *Quid ſit tempus immemoriale, & quomodo per illud præſcribatur.*

330 *Quid nomine Rerum Incorporalium intelligatur.*

331 *Actiones criminales per præſcriptionem extinguuntur vicennio in foro civili.*

332 *Excipiuntur quædam Actiones.*

333 *Actiones Civiles regulariter præſcribuntur trecennio, uti etiam res furtivæ bona fide poſſeſſæ. Excipiuntur Actiones aliquæ.*

334 *Servitutes inducuntur, & extinguuntur, cum titulo decennio inter præſentes, & Vicennio inter abſentes.*

335 *Excipitur ſervitus uſusfructus ex re mobili.*

336 *Excipiuntur etiam ſervitutes percipiendæ alternis temporibus.*

337 *Servitutes continuum, vel quaſi continuum actum habentes, ſine titulo præſcribuntur decennio, non continuum actum habentes, tempore immemoriali.*

338 *Quomodo Officia, Beneficia, & Iura Patronatus præſcribantur.*

REſtat, ut tempus legibus definitum, per quod præſcriptio continuari, ac durare debet, pro diverſitate bonorum, titulorum, & perſonarum referamus. Priùs dicemus de tempore præſcriptionis bonorum corporalium mobilium, deinde immobilium, ſpectata ſemper titulorum, & perſonarum, contra quas præſcribitur, ſi quæ obſervanda eſt, diverſitate. Denique de tempore bonorum incorporalium. 322

Itaque res mobiles (quarum nomine illæ, quæ vel ſe ipſas movent, ſcilicet animalia, vel quæ loco moveri poſſunt, intelliguntur) contra Dominum privatum, cujuſcunque ſint pretii, cum titulo, niſi furtivæ ſint, præſcribi poſſunt triennio, ut contra Jus antiquum, non plus uno anno requirens, ſtatuitur §.1. *Inſtitut.de Vſucapionibus, & l.un.C.de Vſucapione transformanda* : Idem dicendum de præſcriptione contra Eccleſiam, ſaltem Romana ſpecialiter ſumpta inferiorem *juxta Auth. Quas actiones, C. de SS. Eccleſiis* receptam *a cap. Placuit* 16.*q.*3. 323

Dixi : *Saltem Romana inferiorem* : nam huic nullo facto diſcrimine bonorum, an mobilia, vel immobilia ſint, privilegium 100. annorum tribuitur *in cap. ad audientiam cap. Cùm verbis, de Præſcriptionibus, & Auth.*

Quas actiones expreſsè habentur hæc verba: *Quas actiones aliàs decennalis, aliàs vicennalis, alias tricennalis præſcriptio excludit, hac ſi loco Religioſo competant*, 40. *annis excluduntur, Vſucapione triennii, vel quadriennii præſcriptione in ſuo robore durantibus, ſola Romana Eccleſia gaudente* 100. *annorum ſpatio, & privilegio*. Et ita hanc exceptionem recipit Panormitan. Sylv. Covar. diſſentiunt tamen *Gloſſ. in cit. Auth.* Mol. Laym. Sanch. Lug. Pal. reſpondens ad conſtitutiones apparenter contrarias, quòd *cit. cap. Cùm vobis* (idem dic de altero cap.) intelligendum ſit de præſcriptione ſpecialiter ſumpta (quæ eſt rerum immobilium, vel immobilibus adhærentium, uti erat annuus cenſus *in cap. Ad audientiam*) non de uſucapione, quæ in rigore loquendo eſt rerum mobilium: clauſula autem authenticæ referenda ſit, non ad immediatè præcedentia verba, quæ tantùm interjecta ſunt, ſed ad præcedentia mediatè, quæ ad ſubſtantiam conſtitutionis ſpectant, & non de uſucapione, ſed aliis actionibus, quæ à loco Religioſo 40. vel ab Eccleſia Romana 100. annis excluduntur.

324 Res mobiles ſine titulo non alio tempore, quàm immobiles abſque titulo, ſed bona fide poſſeſſæ, id eſt, intervallo 30. annorum præſcribuntur. Ratio eſt, quia tantùm tempus requiritur ad præſumptionem tituli, *l. 3. Sicut in rem, l. Si quis emptiones §. quod ſi quis C. de Præſcriptione* 30. *annorum*: & hoc fatentur omnes teſte Palao *pun. 22. §. 11. num. 4.* Idem dicendum de rebus furtivis quovis titulo in alium bonæ fidei poſſeſſorem translatis, legitimo Domino ignorante *juxta Novell. 119. cap. 7.* Dixi, *ignorante*; nam ſciente, & negligente conteſtari rem ſuam, decennio inter præſentes, & vicennio inter abſentes præſcribitur juxta cit. Novell.

325 Res immobiles privatorum (vel etiam Principis, ſi ipſi ut perſonæ privatæ ſunt propriæ teſte Baldo, Leſſ. Palao, Covar. Mol. & aliis) inter præſentes, id eſt, nunc ſub eodem Judice, vel Magiſtratu, ſicut olim ſub eodem Præſide Provinciæ conſtitutos, cum titulo à poſſeſſore bonæ fidei acceptæ præſcribuntur decennio, inter abſentes vicennio, *§. 1. Inſtit. de Vſucapionibus, & ult. C. de Præſcript. longi temporis*. Undè quia anni abſentiæ in ordine ad complendam præſcriptionem duplicantur, domino rei partim abſente, partim præſente, tempus ſaltem ſecundùm partem abſentiæ proportionaliter duplicandum eſt, ut expreſsè decernitur *in Auth. Quod ſi quibuſdam, C. de Præſcript. longi temporis*. Dixi: *à Poſſeſſore bonæ fidei accepta*: nam ſi à Poſſeſſore malæ fidei acceptæ eſſent, quomodo fides Authoris noceret ſucceſſori, ſuprà oſtendimus.

326 Bona (etiam mobilia) Fiſco ſæculari ex delicto acquiſita, & per ſententiam Judicis incorporata præſcribuntur ſpatio 40. annorum, ut cum Bartolo, Panorm. Sylveſt. Covar. docent Lugo *num. 83* Layman *cap. 8. num. 13.* Mol. *diſp. 73. ex l. Comperit, C. de Præſcript. 30. annorum*, & *l. Omnes, C. eod.* ubi ſtatuitur univerſaliter, ut id, quod non præſcribitur 10. 20. vel 30. annis, præſcribatur annis 40. niſi aliud in Jure fuerit expreſſum. Et quamvis *§. res fiſci, Inſtit. de Vſucap.* res Fiſco incorporata omnino negetur præſcribi poſſe, id teſte Mol. loc. cit. intelligendum eſt, ſecundùm regulam univerſaliter à DD. obſervatam, quòd leges negantes præſcriptionem, niſi aliud apertè exprimant, eam ſolummodo negent juxta ſubjectam materiam, quòd res non præſcribatur tali præſcriptione, de qua ibidem agitur, vel qua aliàs præſcribenda eſſet, non autem alia longiori: ſicut negatio præſcriptioni 40. vel 100. annorum nondum excludit præſcriptionem temporis immemorialis. Si autem bona Fiſco nondum ſint incorporata, propter delictum neglectum Vectigalis, & alia ſimilia, poſtea referenda, præſcribuntur quinquennio, tam à delinquente, quàm ab alio; ad quem bona fide pervenerunt *l. 1. C. de Vectigalibus, & Commiſſis*: à reo tamen ipſo, propter cætera delicta, quorum actio criminalis longiùs durat, quàm quinquennio, etiam bonæ pœnæ confiſcationis obnoxia, interea præſcribi non poſſunt; quamvis teſte Lugo *n. 82.* ab alio innocente adhuc poſſint quinquennio præſcribi contra Fiſcum ſæcularem (nam contra Fiſcum Eccleſiaſticum non aliter præſcribitur, quàm quo nunc de bonis immobilibus dicturi ſumus) prætereà contra Fiſcum ſæcularem, intra quadriennium bona fide etiam præſcribuntur bona, tam mobilia, quàm immobilia, vacantia ob mortem defuncti ſine hærede, quando eidem jam quidem denuntiata ſunt, ſed nondum incorporata, *l. 1. C. de Quadriennii Præſcriptione*.

Res immobiles Eccleſiarum, Romana inferiorum, 327 & Monaſteriorum, Xenodochiorum, aliorumque locorum, vel Cauſarum piarum cum titulo (nam in hoc videtur potiſſimùm conſiſtere Privilegium prorogans tempus, quòd non ad præſumendum titulum, ſed in favorem rei ſacræ, aut piæ concedatur, ut ex Palao referente Covarruviam, Leſſium, Molinam, Laym. docet P. Haunoldus *num. 304.*) ſublato Jure antiquo 100. annos requirente, præſcribuntur 40. annis *juxta Novell. 111. c. 1. Auth. Quas actiones C. de SS. Eccleſiis, cap. de Quarta, cap. ad aures de Præſcript. cap. 2. eodem in 6.* Excipe Monaſteria S. Benedicti, & eorum privilegia participantia, quibus Eugenius IV. & Julius II. 60. annos indulſit: & Monaſteria ordinis Ciſtercienſis, S. Bernardi, contra quæ non ante 100. annos præſcriptio abſolvitur, quorum Privilegium teſte P. Haunoldo *nu. 300.* Leo X. & Pius V. omnibus Ordinibus Mendicantibus tanquam immediatè ſibi ſubjectis communicarunt.

Res immobiles Eccleſiæ Romanæ, (id eſt Lateranenſis, & Romani Pontificis bona, ac patrimonium) 328 etiam gaudent Privilegio centum annorum. *cap. ad audientiam 13. & ſequentis, de Præſcriptione cap. Nemo. 16. q. 3. cap. 2. de Præſcript. in 6. Authent. Quas actiones.*

Excipe bona in pœnam hæreſis ad Romanam Eccleſiam devoluta, quæ 40. annis poſt mortem hæretici bona fide præſcribuntur: ut propter *cap. Fin. de Præſcript. in 6.* teſte Molina *diſput. 73. §. ult.* Doctores conſentiunt, quamvis ipſe fateatur, capitulum citatum aliter explicari poſſe. Idem privilegium indulgetur bonis, tàm mobilibus, quàm immobilibus per ultimam voluntatem, vel donationem, vel venditionem ad Civitates, vel ut ex aliis docet Palao *§. 14. num. 8.* ad Coronam Regiam translatis, & nondum traditis, *l. 23. verſ. Sive itaque. C. de SS. Eccleſiis*; ſi verò aliquando tradita eſſent, ajunt Doctores, deinde 30. vel 40. annis poſſe præſcribi. 329

Cum præſcriptione 100. annorum aliqui confundunt præſcriptionem immemorialem, eò quòd 100. anni ſint ſummum vitæ humanæ, & ideo, quod eoſdem excedit, ſuperet hominum memoriam, adeòque pariat præſcriptionem immemorialem, iſto privilegio ſpecialiter gaudentem; quòd, niſi de contrario certò conſtet, nullo defectu eſſentiali laborare præſumatur. Verùm licèt 100. anni poſſent initium poſſeſſionis oblivioni tradere, tamen non repugnat per authentica inſtrumenta, vel per teſtes ex continua traditione initium poſſeſſionis cognoſci. Undè ut præſcriptio immemorialis ſit, neque initium illius debet probari poſſe; ſed potiùs probari contrarium per teſtes, qui de 40. annis fidem faciant, quòd ſemper ita viderint, & à ſuis majoribus audierint, neque unquam ante viderint, vel audierint contrarium, ut declaratur in Gloſſa *cap. 1. de Præſcriptionibus in 6. verbo Memoria*. Undè aliqui in teſtibus exigunt ætatem 54. annorum, eò quòd putent de 40. annis poſt pubertatem tranſactis teſtimonium requiri: id tamen negant Molina *diſp. 76. verſu Poſſeſſio immemor.* & Palao *pun. 22. §. 12. num. 10.* aſſerentes ſufficere annos 50. vel 48.

Ad res incorporales, quod attinet, cum earum diſtinctione diſcurrendum eſt: illarum enim nomine intelliguntur actiones, & obligationes perſonales, ſervitutes, etiam reales (quia etiamſi adhæreant rebus, cùm tamen rerum ipſarum non poſſideatur dominium, ſed tantùm detur obligatio circa illas, cedens in favorem alterius; eædem inter Jura incorporalia reſpectu hujus numerantur) hujuſmodi incorporalibus rebus accenſentur etiam beneficia, & officia. 330

Actiones itaque, ſi Criminales ſint, quæ ſcilicet ordinantur ad punitionem delicti, exceptis excipiendis, in foro civili præſcribuntur vicennio *l. Querela 12. C. ad l. Corneliam, de Falſis, & l. In omnibus, ff. de Diverſis temporalibus Præſcriptionibus*. Itaque elapſo vicennio Reus judicialiter ampliùs accuſari non poteſt, & ut ex communi ſententia à Julio Claro allegata, docent Laym. *lib. 3 ſect. 5. tra. 1 c. 8. nu. 16. concl. 8.* Palao *§. 13. num. 2.* P. Haunoldus *num. 321.* neque Judex poteſt contra ipſum ex officio inquiſitionem inſtituere, quia hæc æquivalet accuſationi. Manent tamen Jura exceptionum contra de- 331

tra delinquentem, & actionum civilium ortarum ex delicto.

332 Dixi: *exceptis excipiendis.* Nam actio injuriarum uno anno extinguitur, *l. Si non convitii, Cod. de Injuriis*: accuſatio adulterii, inceſtui, aut violentiæ non conjuncti, vel ipſius inceſtus, ſine adulterio commiſſi ſtupri, lenocinii, & aliorum quorundam criminum præſcribitur quinquennio, *l. 29. §. 6. ff. ad Legem Juliam, de Adulteriis*: Viciſſim aliquorum accuſatio numquam præſcribitur, ut ſtupri, per violentiam mari aut fœminæ illati, Parricidii, læſæ Majeſtatis, Hæreſis, Aſſaſſinii, Falſationis Monetæ, Simoniæ, Abortus, ſuppoſiti partus, Concuſſionis; (id eſt, injuſtæ extorſionis pecuniæ per metum ſeu concuſſionem animi factam à Judice, vel Accuſatore) quæ omnia referuntur à P. Haunoldo à *num. 324.*

333 Actiones civiles debitorum ſolvendorum, & rerum ex furto ad poſſeſſorem bonæ fidei tranſeuntium, regulariter præſcribuntur trecennio *l. Sicut in rem Cod. de Præſcript. 30. annorum & l. 1. §. ad hæc, C. de Annali Exceptione.* Si actio Hypothecaria ſive res à creditore, ſive debitore poſſideatur, nequit ab illis præſcribi ante 40. annos *l. Cùm notiſſimi, Cod. de Præſcriptione 30. Annorum* ſi tamen poſſideatur à tertio, præſcribitur eo tempore, quo ipſa res præſcriberetur. Similiter teſte Palao §. 14. *n.* 5. ſpatio quadrigenii cum titulo, è ſubdito præſcribi etiam poſſunt contra principem obligationes pendendi contributiones in Principis, vel Communitatis utilitatem, vel neceſſitatem cedentes; quod confirmari poteſt *ex l. Omnes, Cod. de Præſcript. 30. vel 40. annorum*. Illas tamen contributiones, quæ in recognitionem Juriſdictionis, ſeu ſupremæ poteſtatis ſolvendæ ſunt, ſupra jam diximus, ab omni præſcriptione exemptas eſſe.

334 Servitutes, ſive actum continuum habeant, ſive non, modò non gratis, ſed ut apparenter debitus exigatur, vel concedatur, per præſcriptionem cum titulo inducuntur, decennio inter præſentes, & vicennio inter abſentes *juxta l. Fin. C. de Præſcript. longi temp.* & eodem intervallo per non uſum tolluntur, ſi ruſticanæ ſervitutes ſint; quales ſunt: Jus agendi iter per aliud prædium, paſcendi ibidem gregem, ducendi currum, vel aquæductum &c. Si autem urbanæ, requiritur inſuper, ut bona fide præſtes aliquem actum, quo recuſes ſervitutem, v. g. prohibeas immittere tignum in tuam domum, obſtruendo foramen, per quod immittendum eſſet; vel altiùs tollas ædes tuas, alioquin de Jure ſervientes vicino, ne illius lumini officiatur: conſtat *ex l. penult. C. de Servitutibus & aqua*, & adhuc clariùs *ex l. Hæc autem Jura, ff. de Servitutibus urbanorum prædiorum.*

335 Excipi tamen poteſt primò à priori parte aſſertionis ſervitus uſusfructus ex re mobili, quæ contra Panormitanum, & alios, teſte Donello, & P. Haunoldo, *num.* 315. non improbabiliter obtinetur per præſcriptionem triennalem, quia in citata Lege finali modus præſcribendi uſumfructum comparatur modo præſcribendi ipſas res: ergo ſicut circa res immobiles finitur prẹſcriptio decennio, ſic circa res mobiles triennio. Iem colligitur *ex l. 13. C. de Servitutibus.*

336 Excipe 2. Servitutes percipiendas alternis temporibus v. g. menſibus, annis. &c. (modò alternatio ſit majoris temporis, quàm dierum alternorum, neq; ex ſe repugnet uſum continuari per tempus intermedium, uti repugnat circa res, quæ non niſi certis temporibus, aut quot annis uſumfructum afferunt) tunc enim *juxta leg. Si ſic, 7. ff. Quemadmodum ſervitutes admittuntur*, duplicandum eſt tempus præſcriptionis, ſaltem inter præſentes conceſſum, quamvis etiam hæc limitatio à Palao citante Gloſ. *in l. pen. & ult. C. de Servitutibus* appoſita mihi videatur repugnare paritati rationis.

337 Servitutes, continuum, vel quaſi continuum actum habentes etiam ſine titulo decennio præſcribuntur, *l. 10. ff. Servitus vindicetur*: diſcontinuum verò actum habentes, ſine titulo non præſcribuntur, niſi tempore immemoriali, ut habet communis ſenſus Doctorum, & Tribunalium praxis, quidquid ſit, an textus Juris id efficaciter convincant.

338 Officia, & beneficia, ſecundùm communem ſententiam, contra privatum præſentem decennio, contra abſentem vicennio præſcribuntur, ſicut bona immobilia, quibus incorporalia, per ſe loquendo, æquiparantur *juxta Regulam, 33. Tamen Cancellariæ, de Triennali poſſeſſione.* Præſcribitur Eccleſiaſticum beneficium triennio ſaltem Theologicè bona fide & cum titulo colorato, pacificè, nec ſimoniacè poſſeſſum, & Pontifici non reſervatum, ut à privato illius poſſeſſori lis intentari non poſſit; quidquid ſit, an abſque nova Canonica inſtitutione, ſi conſtet, priorem fuiſſe invalidam, retineri queat; & utrum continua poſſeſſio ſit loco inſtitutionis, de quo inſignes DD. in utramque partem contravertunt. Jus patronatus præſentandi beneficiatum Jure novo Trid. *ſeſſ. 25. c. 6. de Reformat.* non præſcribitur, niſi tempore immemoriali.

QUÆSTIO VI.

De Modo acquirendi Jus, ac Dominium per Contractum.

ARTICULUS I.

De Definitione, & Diviſione Contractus.

SUMMARIUM.

339 *Quid Nominis, & quid Rei ſit Contractus, vel latè, vel rigorosè acceptus, explicatur per duplicis generis definitiones.*

340 *Quatuor genera Contractuum ex quadruplici modo manifeſtandi conſenſum internum colliguntur.*

341 *Aliæ diviſiones Contractus.*

Contractus ſtrictè ſumptus, & Græcè συνάλλαγμα dictos, ſecundùm hujus vocabuli etymologiam per effectum ſuum definitur *in l. Labeo 19. ff. de Verborum ſignificatione, Ultro citroque obligatio*, ſeu *obligatio mutua*, teſte Rebello *parte 2. de Obligationibus Juſt. lib. 1. quæſt. 1. ſect. 1. num. 1.* Claritatis gratia communiter DD. addunt ſequentia: *ex partium voluntate, & pactione conſurgens*: unde Leſſ. *lib. 2. cap. 17. dub. 1.* contractum formaliter, & non ampliùs pro effectu, ſeu obligatione ſubſequente ſumptum definit, quòd ſit *ſignum externum practicum, ultrò citroque obligationem ex conſenſu contrahentium pariens*. Quòd ſi contractus paulò liberaliùs accipiatur pro quolibet pacto, ſive lucrativo, quo unus tantùm alteri obligatur, ut eſt donatio, ſive oneroſo, quo alter viciſſim obligatur, uti eſt emptio, venditio, &c. ab Ulpiano *l. 1. ff. de Pactis* definitur. *Duorum pluriumve in idem placitum conſenſus ſeu conventio*: Proinde contractus nominis ſui originem trahit ab eo, quod plures in eandem actionem ex juſtitia præſtandam (hæc namque per idem placitum intelligenda eſt) per conſenſum trahantur, & pactum derivatur à pacifica conſpiratione voluntatum, ſeu, ut inquit Juriſconſultus, à pactione; inde enim pacis nomen appellatum eſt. Clarioribus adhuc verbis prędictæ definitiones, & earum conditiones tacitè ſubauditæ exprimi poſſent, dicendo, quòd pactum, ſeu contractus in genere, prout etiam non mutuum, ſeu lucrativum, licèt minùs propriè dictum includit, ſit *externus acceptata, & manifeſtata legitima volitio obligationis juſtitiæ commutativæ ad aliquid faciendum, aut patiendum*: Ut enim detur verus, ac validus contractus, de facto requiritur, ut unus velit ſe alteri obligare, & alter acceptet, ac uterque ſigno externo actum voluntatis ſuæ ſibi mutuò manifeſtet, denique ne legibus præſcribentibus formam, vel alias conditiones ſubſtantiales voluntas contrahentium difformetur, quæ omnia in ultima noſtra definitione inſinuata ſunt. 339

Specialiter verò circa manifeſtationem voluntatum advertendum eſt *ex §. 3. Inſt. de Obligationibus* illam quatuor modis perfici, re, verbis, literis, & conſenſu: unde quadruplicis generis contractus enumerantur. Contractus manifeſtationem realem exigentes, illi dicuntur, qui rei actuali traditione intrinſecè conſumantur, cujuſmodi ſunt depoſitum, commodatum, mutuum, permutatio, pignus. Verbis antiquo jure per certam formulam determinatis, nunc autem quibuſcumque 340

etiam diverſi idiomatis, ſaltem per interpretem noti, conſtituuntur contractus ſtipulationis, uno interrogante, & altero in continenti reſpondente: ut ſi Petro dicas: promittis mihi centum, & is reſpondeat promitto. Emes domum meam mille florenis? emam, &c. Aliis verò ſignis, quàm verbis formalibus conſenſus ſtipulantium exprimi non poteſt; ſicut etiam alii contractus non, niſi per ſcripturam conduntur, ut ſunt contractus emphyteutici rerum Eccleſiaſticarum, & omnes illi, quos ipſi contrahentes nullius volunt eſſe valoris, niſi accedente ſcriptura, ſeu inſtrumento notarii *juxta l. Contractus, C. de Fide inſtrumentorum*. Nudo denique conſenſu perficiuntur, qui valorem ſuum ſtatim obtinent, modò conſenſus quibuſcunque ſignis fiat manifeſtus, tales ſunt emptio, venditio, locatio, conductio &c. Undè etiamſi hujuſmodi contractus extrinſecè dicantur, perfici ipſius rei actuali traditione, & finis ſui aſſecutione, in ratione tamen contractus antecedenter jam ſunt completi, & perfecti.

341 Aliæ contractuum communiores diviſiones ſunt, in *implicitum*, *& explicitum*, *nominatum*, *& innominatum*, *bonæ fidei*, *& ſtricti Juris*, *lucrativum*, *& oneroſum*, *nudum*, *& veſtitum*, præter quos plures in decurſu referemus. Implicitus contractus eſt quævis actio, habens ſibi annexam obligationem juſtitiæ, v. g. ſuſceptio officii, tutoris, judicis, negotiorum geſtoris &c. Explicitus eſt expreſſa conventio.

Nominatus dicitur ille, qui in jure ſpeciali nomine inſignitur, ut emptio, venditio, locatio. Innominatus caret proprio, & determinato nomine, cujus *in lege Naturali ff. de Præſcriptis verbis* hæ quatuor ſpecies recenſentur: *do, ut des: do, ut facias: facio, ut des: facio, ut facias*: etiamſi enim illis conveniat nomen permutationis, hoc tamen etiam illis nominatis commune eſt.

Contractus bonæ fidei vocantur illi, circa quos Judex penſatis circumſtantiis bona fide ex æquo, & juſto procedere poteſt, diſtinctè enumerantur §. *Actionum 29. Inſtit. de Actionib.* ſcil. emptio, venditio, locatio, conductio, depoſitum, commodatum, mandatum, tutela, pignus, ſocietas &c. His adde Contractus à Principe initos, cujus dignitatem decet liberalis interpretatio *juxta* Gloſſ. *in l. Princeps, ff. de Verborum ſignificatione*. Contractus ſtricti Juris exigunt, ut Judex ſecundùm rigorem, & proprietatem verborum Legis, & contrahentium de illis ſententiam ferat, cujuſmodi cenſentur promiſſio liberalis, ſtipulatio, donatio, mutuum, feudum, emphyteuſis *l. Ad res donatas ff. de Ædilitio edicto*.

Contractus lucrativus, vel ut etiam appellari ſolet reſpectivus, ſeu gratuitus, unius tantùm partis, oneroſus utriuſque mutuam obligationem importat.

Contractus nudus eſt ſimplex pactio, nullam in jure civili (quidquid ſit de contraria conſuetudine) obligationem, ad quam quis per ſententiam judicis compelli poſſit, ſed ſolam exceptionem tribuens, ut dicitur in *l. Jurisgentium*, §. *ſed cum nulla ff. de Pactis* quamvis in foro conſcientiæ ex Jure naturali obliget, & ſi initus fuit cum expreſſione cauſæ, in terris Rom. Pontifici ſubjectis, extra illas verò in rebus, aut perſonis Juri Eccleſiaſtico ſubditis ſecundùm valdè communem ſententiam teſte Laymann *lib. 3 tra. 4. c. 2. nu. 3.* ubi refert Abbatem, Sylv. Covar. Leſſ. Mol. coram Judice etiam actionem concedat: hujus generis ſunt omnes contractus innominati, antequam ex alterutra parte impleantur, vel juramento confirmentur, & omnes contractus actualem rei traditionem includentes ante ejus executionem.

Contractus veſtitus dicitur, qui in Jure civili tribuit actionem, ut altera pars à Judice ad inſiſtendum contractui compellatur, ſex autem modis ille contingere ſolet: 1. Si ex parte actoris contractus traditione rei ſit adimpletus. 2. Si ſtipulatio acceſſerit. 3. Si ſit nominatus. 4. Si contractui veſtito fuerit adjectus, tunc enim acceſſorium ſequitur principale. v. g. ſi facta venditione tuæ domus immediatè contrahas de concedenda tibi inhabitatione ad tempus pro veſte, vel alia re à te emptori exhibenda. 5. Si gaudeat privilegio legis, ſi nimirum ſit unus ex illis, quibus ſpecialis aliqua lex actionem concedit, cujuſmodi referuntur in Gloſſ. *l. Jurisgentium §. ſed cum nulla, verſu Igitur ff. de Pactis*. 6 Si fuerit juramento firmatus, de quo poſtea videbimus.

ARTICULUS II.

Quæ Perſonæ contrahere poſſint, quæ non.

SUMMARIUM.

342 *Omnes, & ſoli actualis uſus rationis compotes contrahere poſſunt, niſi poſitive Lege prohibeantur.*
343 *Lege prohibentur Tutores, Curatores, Negotiorum Geſtores res ſibi commiſſas emere, ſine Judicis, vel alterius, cui eædem res commiſſæ ſunt, authoritate.*
344 *Qui Curatori ſubſunt, nequeunt inire contractum non lucrativum, naturaliter, & civiliter obligantem, ſine Curatoris conſenſu.*
345 *Minorennes nequeunt immobiles, & mobiles quidem, ſed quæ ſervando ſervari poſſunt, à ſe validè alienare. Ceteras autem res poſſunt, quando pubertatem plenè adepti ſunt, nec Curatorem habent, vel ſi Caſtrenſia, aut quaſi Caſtrenſia bona ſunt.*
346 *Filiuſfamil. excepto Contractu Mutui, & Teſtamenti, circa Bona, quorum Pater nec adminiſtrationem, nec uſumfructum habet, poſſunt inire alios contractus.*
347 *Quos contractus uxores facere poſſint.*
348 *Quos contractus Regulares inire valeant.*

Certum eſt, ſolos, & omnes actualis uſus rationis capaces, niſi Lege prohibeantur, contrahere poſſe: 342
quia enim contractus debet eſſe actus humanus, & liber, ut per eum ſe quis obligare valeat, evidens eſt, actualem rationis uſum ad illum præſupponi; unde amentes, dormientes, ebrii, nequeunt ullum contractum inire: quia tamen Jure naturæ ad ſuſcipiendam obligationem plus non requiritur, quàm deliberatus in illam conſenſus, conſequens eſt, omnem rationis uſu præditum, ſicut præbere poteſt deliberatum conſenſum, ſic etiam celebrare poſſe contractum. Solùm itaque inquirendum eſt, quinam Lege poſitiva, & qua ratione contrahere aliqui prohibeantur.

In primis comparativè ad ſuos pupillos, & minores 343
ſub quadruplici pœna, & irritatione actus interdictum eſt tutoribus, & curatoribus, ne ipſi eorumque domeſtici ſine authoritate judicis, vel contutoris, & ne aliter quàm palam, ac bona fide emant rem ullam à pupillo, vel Minore, ut habetur *l. Non licet ff. de Contrahenda emptione*: nomine emptionis autem quilibet contractus hìc intelligi debet *juxta l. Statu liberi à ceteris ff. de Statu liberis*. Idem dicendum eſt de quibuslibet aliis negotiorum geſtoribus, qui nequeunt emptione aliove contractu comparare ſibi res, circa quas negotiantur juxta citatam *l. Non licet*: unde neque executor teſtamenti ſine conſenſu judicis, & coexecutoris poteſt emere res defuncti, neque advocatus rem, circa quam alterius cauſam agit, lite pendente: *l. Quisquis, Cod. de Poſtulando*.

Deinde univerſaliter loquendo, omnes illi, qui bono- 344
rum ſuorum adminiſtrationem non habent, nequeunt circa ea inire contractum, obligantem ipſos tam naturaliter, quàm civiliter, id eſt, tali obligatione, quæ etſi quandoque (de quo poſtea videbimus) in conſcientia forſan obſtringant, etiam actionem contra eos civilem in foro externo concedat: unde quia ſurdis, & mutis, ſi à nativitate tales ſint, curatores velut dementibus aſſignantur, *l. Servo invito §. Si pupillo ff. ad S. C. Trebellianum*; hinc alius contractus illis non permittitur, quàm matrimonialis ob naturalem in illum propenſionem, & quandoque neceſſitatem. Idem contingit prodigis ſuorum bonorum *juxta l. 1. de Curatoribus furioſo*, qui aſſignato curatore, (& ut multi à Palao *tr. 32. diſput. 1. pu. 4. §. 2. nu. 3.* relati putant, etiam nondum aſſignato) jure poſitivo inhabiles ſunt ad utroque modo contrahendum, nempè tam naturaliter, quàm civiliter, ſine curatoris conſenſu, qui tamen illis tantùm neceſſarius eſt, quando contractus ipſis eſſet damnoſus, non autem quando lucrativus.

Infantes, qui nimirum ſeptimum annum nondum 345
compleverunt, & pupilli, qui ſcilicet pubertatem nondum attigerunt, ac Minores, qui XXV. annum nondum

dum egreſſi ſunt, ſive tutorem, aut curatorem habeant, ſive non, nec naturaliter, nec civiliter res immobiles, vel mobiles quidem, ſed quæ ſervando ſervari poſſunt, abſque judicis Authoritate à ſe alienare valent, ut colligitur *l. Non ſolùm 4. C. de Prædiis Minorum, & l. Fin. C. Si major factus alienationem*, & ex pluribus aliis relatis à Leſſ. *lib. 2. c. 17. num. 61*. Cæteras autem res Minores per verum contractum naturalem, & civilem alienare tantùm queunt; ſi pubertatem plenè adepti ſunt, & curatore carent, ut indicatur *l. Si curatorem 3. C. de In integrum reſtitut.* at ſi pubertati tantùm ſint proximi (uti eſſe cenſentur, quando ſunt viciniores pubertati, quàm infantiæ) vel ſi curatori ſubſint, ſine hujus conſenſu expreſſo, vel tacito, vel ſaltem debito per civilem contractum, & juxta aliquos etiam per naturalem in alios transferre nequeunt, quamvis alios ſibi queant obligare, & ita de pupillis ſtatuitur *in l. Juſjurandum 17. §. 1. ff. de Jurejurando*: de Minoribus verò in citata *l. Si curatorem*. Quæ omnia intelligenda ſunt de bonis Minorum non caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus; aliàs conſenſus curatoris non requireretur, utpotè cujus adminiſtrationi reliqua bona non ſunt ſubjecta, ut advertunt Leſſ. *lib. 2. c. 17. nu. 62.* & Palao *diſp. 1. de Juſt. commut. pun. 4. §. 4 nu. 10.*

346 Filiifamilias, id eſt, ſub patria poteſtate conſtituti, ſi puberes ſint, circa bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia, imò etiam circa illa adventitia, quorum pater non habet uſumfructum, & adminiſtrationem, irrequiſito conſenſu patris contrahere poſſunt, ut habetur *l. Miles §. actionem l. Ex nota l. Pater, qui dat ff. de Caſtrenſi peculio, & l. 2. ac 3. C. eodem tit.* Et univerſim, excepto contractu mutui, & teſtamenti, non tantùm naturaliter, ſed etiam civiliter ſe obligare valent, modò id fiat ſine præjudicio juris paterni, quod conceditur in bona adventitia, & profectitia filiorum. Conſtat *ex l. Tam ex Contractibus ff. de Judiciis, & l. 1. §. Filiumfam. 44. ff. Depoſiti*. Neque obſtat, quòd hæc poteſtas non conveniat Minoribus, quando Curatoris poteſtati ſubditi ſunt, quia ut inquit Palao *§. 6 num. 2.* Curator propterea datus eſt, ut ſuppleat intellectus imbecillitatem circa ineundos contractus, pater autem natura potiùs correctoris officium habet. Si autem filiifam. impuberes ſint, tunc neque ex conſenſu patris ſine authoritate judicis circa prædicta bona contractus inire poſſunt, *§. ſed quod diximus 11. Inſtit. de inutilibus ſtipulat.*

347 Uxor ex bonis adminiſtrationi mariti ſubjectis eos tantùm contractus, donationes, remunerationes, eleemoſynas facere poteſt, qui in quantitate non excedunt dignitatis, & opulentiæ ſtatum juxtà conſuetudinem receptam circa alias ejuſdem conditionis fœminas: ut dixi *ſupra quæſt. 3. nu. 160. & 161.*

348 Subditi regulares, qui nec dominium particulare, nec adminiſtrationem bonorum temporalium habent, hoc ipſo abſque conſenſu Prælati eadem ullo contractu alienare nequeunt: quid autem, & quo modo Prælati poſſint, dicitur in extravagante communi *Ambitioſa*, & in Bulla Urbani VIII. edita Anno 1642. die 7. Sept.

ARTICULUS III.

An metus obſtat Valori contractus.

SUMMARIUM.

349 *Metus gravis non reddit contractum Jure naturæ invalidum.*

350 *Solvuntur rationes contrariæ.*

351 *Etiamſi metus gravis injuſtè ad extorquendum contractum ſit incuſſus, nec tamen contractus ideò Jure naturæ, aut poſitivo eſt irritus, ſed irritandus, exceptis paucis quibuſdam, quos poſitiva lex invalidat.*

352 *Contractus ex juſtè incuſſo metu, nec irriti, nec irritandi ſunt.*

353 *Metus levis ſive juſtè, ſivè injuſtè injectus, nec irritum nec irritandum reddit contractum.*

349 DIco 1. hoc ipſo, quòd actio ex metu evitandi mali poſita ſit ſimpliciter voluntaria, & tantùm ſecun-

Illſung Theol. Moral.

dùm quid involuntaria, illum jure naturæ ſufficere ad valorem contractus tam lucrativi, quàm oneroſi. Ita Leſſ. *lib. 2. cap. 27. dub. 6. num. 42.* Thom. Sanchez *lib. 4. de Matrimonio diſp. 8. num. 4. & diſp. 14. num. 2.* Palao *tr. 2. diſp. 1. pun. 8.* Henriquez *lib. 11. de Matrimonio cap. 9. num. 4.* cum aliis innumeris ab ipſis relatis contra Mol. *diſp. 267. & diſp. 326.* Salas, Covar. & alios apud Thom. Sanchez citatos, & quoad contractus lucrativos contra Vaſq. Baſil. Leon. apud Palao. Ratio eſt, quia etiamſi contrahenti inferatur injuria in incutiendo metu, ille tamen voluntariè transfert juris titulum ad rem injurianti promiſſam; ergo res huic fit debita, ergo valet contractus. Confirmatur. Si actio contrahentis injuſto metu exorta non valeret, fruſtra jure poſitivo primùm præciperetur reſcindenda, & invalidanda, prout præcipi ſequenti concluſione dicemus.

Neque obſtant argumenta adverſariorum, obiicientium primò, quòd jure naturæ videatur caveri debere, ne ulla injuria, qualis etiam per metum infertur, valeat ad alterum ſibi obligandum ſaltem irrevocabiliter, uti obligat contractus Matrimonii. Secundò acquiſita per metum injuſtum communi omnium ſententia obligata ſunt reſtitutioni; ergo non datur ad ea jus, ac Dominium. Tertiò injuſtum metum inferens non poteſt rem promiſſam acceptare, ergo promiſſio fuit invalida. Quartò vota ſimplicia injuſto metu extorta nullo jure poſitivo irritantur, & tamen ſecundùm pleroſque ſunt invalida; ergo ſimiliter omnis promiſſio ſecluſo etiam jure poſitivo ex natura ſua eſt invalida. Quintò in contractu lucrativo nullus titulus repromiſſionis adjuvat involuntarietatem metu injuſto extortæ promiſſionis, ergo ſaltem contractus lucrativus eſt jure naturæ invalidus. Sextò *in l. Donationes ff. de Donationibus* dicitur, quòd illa ſit vera donatio, qua quis rem ita vult alterius fieri, ut in nullo caſu ad ſe revertatur; ergo contractus lucrativus, qui quaſi eſt donatio, non eſt verus, ac validus contractus, quo poſito, res adhuc debet reverti ad contrahentem. 350

Reſp. Ad primùm, naturam ſatis benè conſuluiſſe impediendis iniuriis ſuggerendo media, quibus homines ſe mutuò ab iiſdem abſterrerentur, vel illatas per compenſationem, aut reſciſſionem contractus, ſi reſcindibilis eſſet, repararent: quòd autem contractus etiam irrevocabilis, injuriam præſupponens, non debeat jure naturæ eſſe irritus, patet ex valore contractus Matrimonialis, divitiarum, vel nobilitatis fraudulenta ſimulatione procurati, qui quamvis ex jure ſaltem poſitivo potius debuerit reddi irritus, quando ex metu injuſto extorquetur, quàm quando ex dolo, utpotè per diligentiam faciliùs evitabili: natura tamen officium ſuum jam fecit, quando reddidit illum Lege poſitiva irritabilem; nec debuit ipſa irritare.

Ad ſecundum, diſtinguo antecedens. Acquiſita per injuſtum metum ſunt obligata reſtitutioni ex defectu juris acquiſiti, nego antecedens, ob pœnam illatæ injuriæ per incuſſionem injuſti metus, unicè reparabilis per actionem injuriato conceſſam, tum in perſonam injuriantis, tum in ipſam rem *juxta l. Metum autem præſentem 9. § volenti ff. Quod metus cauſa*, concedo antecedens. Imò propter hoc jus, quòd læſus habet in rem, per reſciſſionem contractus ſibi vindicandam *loc. cit. §. licet*, res dicitur eſſe in bonis ejus, qui vim paſſus eſt; eò quòd habens actionem in rem, rem ipſam habere videatur *juxta Regulam 15. ff. de Regulis juris*. Undè etiam quando res jam in quemcunque alium poſſeſſorem tranſlata eſt, eam primus poſſeſſor ſibi vindicare poteſt vi Legis *Item, Si cum exceptione §. in hac actione ff. Quod metus cauſa*: Hoc tamen jure non obſtante negatur conſequentia ſecundi argumenti; quia non eſt incompoſſibile cum jure in re, quod habet contrahens per metum injuſtè à ſe incuſſum, ſicut jus acquirendi Dominium in corpus Sponſi per Matrimonium, non obſtat juri, quod is poſt ſponſalia adhuc habet in ſuum corpus: & jus acquirendi rem per donationem non obſtat juri ejus, qui rem alteri promiſit, ſe donaturum.

Ad tertium, nego antecedens, quòd injurians non poſſint rem ſub immediatè dicta obligatione recipere, quamvis læſus poſſit exceptione injuriæ illam non tradere, vel traditam repetere.

Ad quartum reſpondeo, vota ſimplicia ſecundùm pleroſque eſſe invalida, non jure naturali, prout quidem etiam graves viri exiſtimant, ſed jure poſitivo, ſecundùm communiorem ſententiam Leſſii, Azor, Valent. Thom. Sanchez, & aliorum, ob paritatem rationis ab irritatione profeſſionis religioſæ ad quævis alia vota, injuſto gravi metu extorta extendentium, *cap. Sicut qui monaſteria 20 q. 1. & cap. Præſens 20. q. 3.* imò Palao *diſp. 1. de Voto pun. 5. nu. 13.* ſecutus Suarezium, & Baſil. Legion. putat, vota alia, quàm religionis, neque jure poſitivo eſſe irrita, ſed irritanda. Ad quintum, nego ſuppoſitum antecedentis, quòd involuntarietas ſecundùm quid indigeat adjutorio repromiſſionis; aliàs etiam contractus lucrativus, juſto metu extortus, eſſet irritus. Ad ſextum Reſp. 1. in cit. l. ſermonem eſſe de donatione perfectiſſima, non de qualicunque. Secundò Reſp. etiam cum metu injuſto contrahentem ſimpliciter, & abſolutè velle, ut res in nullo caſu ſub eodem titulo, v. g ob non impletam conditionem manente (utpotè quia nulla apponitur) ad ſe revertatur, benè tamen ut ſub diverſo, quod non obſtat.

351 Dico 2. Contractus injuſto metu gravi extortos, quibuſdam ſpecialiter exceptis, reliquos neque jure poſitivo irritos eſſe, ſed venire irritandos; etiamſi metus non à contrahente, ſed eo etiam inſcio ab aliquo tertio ſit injectus, ex intentione tamen ad illos ineundos compellendi; aliàs ſaltem ſi oneroſi ſint, neque venirent irritandi, ut conſtat ex *l. 9. §. Animadvertendum ff. Quod metus cauſa*. Eſt iterum communis ſententia, cujus Patronos innumeros refert Thom. Sanchez *lib. 4. diſp. 8.* & Clar. D. Rath. *in tr. de Reſcindenda Vendit. §. 97.* teſtatur procul dubio juri eſſe conformiorem, quamvis etiam multi exiſtiment, contractus injuſto, ac gravi metu extortos ipſo jure invalidos eſſe. Ratio eſt, quia variis juris tàm civilis, quàm Canonici textibus dicitur, hujuſmodi contractus à jure infirmandos, invalidandos, reſcindendos eſſe; ergo ſupponuntur antecedenter non eſſe infirmi, invalidi, ac reſciſſi, antecedens conſtat *ex cap. Abbas de his, quæ vi, & cap. Ad audientiam eod. tit. & l. fin. C. de His quæ vi metuſve cauſa. L. Metum 9. §. Sed quod prætor, & §. Volenti ff. Quod metus cauſa, ex l. Item ſi cum exceptione §. in hac actione ff. eodem*. Ubi dicitur: in hac actione non quæritur, utrum is, qui convenitur, an alius metum fecerit: ſufficit enim hoc dicere: metum tibi illatum, vel vim, omitto plures alias Leges juris civilis.

352 Dico 3. Metus juſtè incuſſus neque jure naturali, neque poſitivo reddit irritum, aut irritandum ullum contractum, aut promiſſionem, ſive homini, ſive DEO factam, etiam contractu Matrimonii, aut profeſſione religioſa, prout tamen quidam volunt, non exceptis. Ita quoad reliquos contractus conſentiunt ferè omnes propter *l. Si mulier 21. ff. Quod metus cauſa*. Quoad Matrimonium verò, & profeſſionem religioſam aſſentiuntur Leſſ. *lib. 2. c. 17. dub. 6. num. 40.* Pal. *tract. 2. diſp. 1. pun. 10. num. 3.* Sanchez plures referens *lib. 4. diſp. 13. num. 3.* contra non paucos alios, qui Matrimonium, & profeſſionem religioſam putant jure poſitivo etiam per metum juſtum irritari, ſaltem prout aliqui neceſſariò limitant, niſi metus iſte à Lege obligante ad Matrimonium incutiatur, v. g. propter virginis deflorationem, vel propter fidem ſponſalium illud præcipiente. Ratio autem concluſionis noſtræ univerſalis eſt, primò, quia metus injuſtus non propter rationem involuntarii ſecundùm quid, ſed propter injuriam per metum illatam reddit irritos, aut irritandos contractus, aut promiſſionem quamcunque: atqui per metum juſtè incuſſum, quo quis v. g. in furto, aut adulterio deprehenſo minatur accuſationem coram judice; niſi profeſſione religioſa, aut promiſſione Matrimonii ſe ab accuſatione redimat, non infertur alteri injuria, ſed tantùm proponitur ipſi remedium, quo modo, ſi velit, ſe liberare poſſit à jure; ſeu poteſtate accuſandi; ob cujus ceſſionem, & aſſecurationem, etiamſi minitans accuſationem non haberet animum illam exequendi, exigere tamen poſſet obligationem contrahendi Matrimonium, vel profitendi religionem, tanquam conditionem, ſine qua nollet cedere jure ſuo ad accuſandum alterum.

Probatur concluſio ſecundò hac ratione. Nulla injuria, contractum Matrimonii neque ſubſtantialiter injuſtum, neque coactum reddens, infirmat, ſeu annullat Matrimonium; hinc illud adhuc ſubſiſtit, etiamſi alterum fraudulenta ſimulatione nobilitatis, vel divitiarum ad contrahendum induxeris: ſed comminatio mali juſti, inferendi ſub conditione, niſi alter ſubeat obligationem juſto majorem, v. g. contrahendi Matrimonium, eſt ad ſummum injuria, Matrimonium contrahendum neque injuſtum, neque coactum reddens. Ergo &c. Aliud eſſet, ſi etiam ipſum, malum, ab incutiente metum immediatè inferendum, foret injuſtum: tunc enim metus redderetur injuſtus, & de hoc intelligenda eſt *lex, Non timorem ff. Quod metus cauſa*: hinc *in cap. Veniens, de Sponſalibus*. Matrimonium adoleſcentis, à parentibus puellæ, quocum in eodem lecto deprehenſus eſt, ad contrahendum coacti, irritum declaratum eſt, non quia parentes illi minati ſunt accuſationem, quod fuiſſet malum juſtum, ſed quia minati ſunt mortem, vel aliud grave damnum propria authoritate inferendum, ad quod nullum jus habebant.

Dico 4. Metus levis, ſive juſtè, ſive injuſtè incuſſus, 353 neque valori contractus ullo jure naturali, aut poſitivo obſtat, neque in foro externo tribuit actionem reſcindendi contractum, ſi reſcindibilis eſt. Ratio eſt, quia metum levem jus pro nihilo reputat, ne perpetuis litibus occaſio detur; ut conſtat ex *l. Nec timorem 7. & l. Metum 2. ff. Quod metus cauſa*.

Dixi *in foro externo*: nam Palao citans Leſſ. & Tho. Sanchez, putat, in foro conſcientiæ jure naturali permitti reſciſſionem contractus, metu etiam levi, ſeu non cadente in conſtantem virum extorti, ita ut patiens metum, nec teneatur fide contractus, vel ſi inferens metum renuat ejus reſciſſionem, poſſit alter occulta compenſatione uti: quia injuſtitiam paſſus jure naturali poteſt petere, vel iniquè repulſus poteſt facere ejus reparationem, quæ in contractibus metu extortis aliter fieri non poteſt, quàm illorum reſciſſione. Mihi tamen oppoſita ſententia, quam Palao fatetur, eſſe Joannis Medinæ, & Baſilii Legionenſis, videtur probabilior, nempè quòd neque in foro conſcientiæ patienti metum levem detur jus reſcindendi contractum, partim quia obligatio reſtituendi rem acquiſitam per illationem metus levis eſſet multis ſcrupulis, & injuſtitiis obnoxia, & cum tranſlatione rei ad recipientes illam quoque devolveretur; partim quia non proportionaretur levitati culpæ inferentis metum levem; ac denique quia contrahens ob metum levem ſibi potiùs debet imputare ſubſequens damnum, eò quòd alter non fuerit ſufficiens cauſa ad contrahendum impellens.

ARTICULUS IV.

An dolus, vel error obſtent valori contractus.

SUMMARIUM.

354 *Dolus, & Error ſubſtantialis circa objectum, vel circa finem in contractibus gratuitis, obſtat valori ex Jure naturæ.*

355 *Si contrahens illi conditioni, vel qualitati, circa quam erratur, actum ſuum non affigat, valet contractus.*

356 *Per dolum tamen decepto conceditur actio redhibitoria, vel actio quantò minoris.*

357 *Idem dicendum, ſi dolus à tertio conſcio tamen altero contrahente ſit commiſſus.*

358 *Si dolus neutro contrahente conſcio, vel cooperante factus eſt, valet contractus, & ſi ſaltem ex alterutra parte eſt executioni datus, tantùm conceditur actio quanto minoris, & contra injuſtum deceptorem actio ad id, quod intereſt, non fuiſſe deceptum. Quod ſi ex neutra parte contractus ad executionem pervenit, poteſt adhuc reſcindi.*

359 *Si error, aut dolus tantùm fuit cauſa damni propter exceſſum pretii; ſolùm conceditur actio quanto minoris.*

Dicendum 1. Dolus, ſeu deceptio inducens alterum 354 contrahentem in errorem ſubſtantialem, quatenus

mus ſcil. objectum, prout cognoſcitur à contrahente, eſt ſubſtantialiter aliud ab eo, prout eſt à parte rei (idem eſt de errore circa finem adæquatum in promiſſionibus, & donationibus teſte Palao *diſput. 2. de Juramento pun. 5. num. 4.*) jure naturali contractum irritum, ac proindè jure poſitivo nunquam validabilem reddit, (cenſetur autem objectum eſſe ſubſtantialiter aliud, quando caret aliqua conditione, ad quam contrahens ſuam intentionem, vel actu reſtrinxit, vel ex conſuetudinis aut Legis ſuppoſitione creditur reſtrinxiſſe.) Ita ſecundùm Leſſium communis, & ſecundùm Palao *loc. cit.* omnium Sententia. Probatur. Deficiente conſenſu deficit contractus, ſed deficiente veritate objecti, vel deficiente veritate finis adæquatè moventis, in contractibus gratuitis (nam in oneroſis ſola obligatio mutua eſt finis eſſentialis) deficit conſenſus; ergo etiam deficit contractus. Hinc ſi donares alteri lapillum dolo ab illo, vel à quocunque alio, ipſo etiam donatario ignorante, perſuaſus eſſe vitrum, cùm ſit gemma, vel ſi eleemoſynæ nomine dares cognitam gemmam, falsò paupertatem ſimulanti, donatio eſſet irrita, in primo quidem caſu propter errorem ſubſtantialem circa objectum, in ſecundo circa finem.

355 Dicendum 2. Si dolus paſſivus ſeu error ex alterius malitia proveniens ſit antecedens, dans cauſam contractui, ita ut eo ſecluſo non contraheres, vel non tanto pretio contraheres, valet contractus jure tam naturali, ut communiter DD. fatentur, quàm poſitivo, non tantùm ſi ſit ſtricti juris, ut iterum communiter Juriſperiti conſentiunt, ſed etiam ſi ſit bonæ fidei, modò contrahens intentionem ſuam qualitati, circa quam erratur, non ſignatè tanquam conditioni affigat. Ita problematicè Leſſ. *l. 2. c. 17. dubit. 5.* & abſolutè Palao *loc. cit.* cum aliis, quibuſdam ab utroque relatis. Conceditur tamen fraudulenter decepto actio redhibitoria, ut læſus ſuppoſita ſolubilitate contractus, in priſtinum ſtatum reſtituatur, reſciſſo contractu; ſi is remoto errore omninò non contraxiſſet; vel ſi tamen contraxiſſet, conceditur illi actio quanto Minoris, ad recipiendum tantum pretii, quanto Minoris rem æſtimaſſet, & circa illam contraxiſſet cognita veritate, ac denique permittitur actio ad id, quod intereſt non eſſe deceptum, ſeu ad compenſandum damnum ortum ex deceptione.

Prima pars concluſionis de valore contractus ex Jure naturali probatur à Leſſio in primis exemplo matrimonii, quod certum eſt valere, ſi error non ſit ſubſtantialis. Secundò à priori: quia niſi error ſit ſubſtantialis, verè adeſt conſenſus mutuus, & abſolutus, cùm utilius ſit contrahenti, actum valere in ſuum favorem, & poſſe pro libitu reſcindi, quàm ob defectum conditionis ex neutra parte eſſe validum. Tertiò à poſteriori, quia ſi contractus eſſet Jure naturali irritus, non rectè Leges cum ſaltem, qui ſtricti Juris eſt, validum dicerent, doli tamen mali, vel metus exceptione reſcindi poſſe concederent. Ut colligitur ex *Inſtit. Initio de exceptionibus, & l. Dolo C. de Inutilibus ſtipulationibus.*

Secunda pars concluſionis de valore contractus ſtricti Juris, etiam à Jure poſitivo ratificato, patet ex textibus immediatè relatis, de contractu bonæ fidei conſtat *ex l. Si dolo C. de Reſcindenda venditione*: ubi venditio doloſa ex parte illius, qui bona fide proceſſit, permittitur reſcindi, conſequenter priùs erat valida: de utroque etiam probatur ex ratione. In primis quia metus, & dolus in Jure æquiparantur, *cap. Cum contingat, de Jurejurando, & l. Dolo C. de Inutilibus ſtipulationibus*. Sed metus dans cauſam contractui non reddit jure poſitivo irritum; ergo nec dolus. Deinde quia finis talis irritationis longè meliùs obtinetur, ſi contractus valeat, & ab injuriam paſſo reſcindi poſſit, quàm ſi non valeat: undè etiam multi DD. qui aliàs contractum bonæ fidei irritum decerni exiſtimant, volunt tamen decipientem ob datam fidem ante ſententiam Judicis teneri ad ratificandum contractum, ſi deceptus velit, & à Judice ad hoc adigi poſſe.

356 Tertia pars, quòd decepto concedatur actio redhibitoria ad reſcindendum contractum ſolubilem, ſi aliàs non contraxiſſet, & decipiens teneatur ad reſtitutionem rei, & fructuum ex illa perceptorum, probatur ex eo, quòd injuriam faciens non poſſit aliter ſatisfacere, quàm læſum reponendo in priſtinum ſtatum, & damnum illatum compenſando: atqui tenetur ſatisfacere: ergo tenetur in primis læſum reponere in priſtinum ſtatum, quod fit remittendo contractum, & reſtituendo rem, circa quam ille verſabatur: deinde compenſare damnum lucri ceſſantis, quod fit, fructus perceptos, vel eorum pretium reddendo: propter quam obligationem, quia contractus deceptori omninò eſt inutilis, ſubinde infirmus, nullus, invalidus, vel irritus, pro irritando, appellatur teſte Leſſio *num. 31.* Prædicta ratione etiam probatur, cur decepto competat actio quanto Minoris, vel actio ad id, quod intereſt; non contraxiſſe.

Dicendum 3. Oneroſum contractum initum quidem 357
ex dolo tertii, ſed conſcio alterutro contrahente, eodem modo irritari poſſe à decepto. Colligitur *ex l. 13. ff. de Actionibus empti, & venditi*, & *ex l. 1. ff. de Ædilitio edicto*: quia juxta has Venditor tenetur rei ſuæ omnia occulta vitia detegere, etiam non rogatus, ergo ſi hoc non faciat, tollendo errorem alterius contrahentis, cenſetur particeps doli, & ſic obligari ad remittendum contractum, ſi alter detecto errore velit, quem etiam conſcius detegere tenetur, ne pergat injuriam continuare. Hæc concluſio de oneroſo, ſeu mutuo contractu procedit: nam in gratuito donationis, aut liberalis promiſſionis ſive homini, ſive Deo factæ error circa cauſam impellentem, ſi finalis ſit, aut finalem vitiet, eſt ſubſtantialis, adeòque Jure naturali irritum reddit contractum.

Dicendum 4. Si error accidentalis dans cauſam con- 358
tractui à tertio proveniat, utroque contrahente ignaro; vel ſine ullius fraude innocenter contingat, valere contractum, & ſi ſaltem ex alterutra parte ſit executioni datus, neque Jure poſitivo concedi actionem redhibitoriam, ſed ſolummodo quanto minoris, adverſus alterum contrahentem, & ad id, quod intereſt, adversùs deceptorem; ſi autem nondum ſit datus executioni, gravatum poſſe quidem probabiliùs reſcindere contractum; ſed alterum non obligari ad errorem detegendum, vel ad aliquid reſtituendum (intellige, niſi accepiſſet pretium majus ſummo) ita Leſſ. *loc. cit.* Palao *diſp. 2. de Juramento punct. 5. à num. 22.* cum aliis, ab his relatis. Prima pars de valore patet ex dictis. Secunda pars, quòd impleto contractu non concedatur actio redhibitoria, ſed quanto minoris conſtat *ex l. 13. ff. de Actionibus empti in principio*. Tertia pars quòd ante contractus impletionem licita ſit ejuſdem retractatio. Probatur in primis exemplo Sponſalium, quæ quis detecto errore non tenetur implere. Secundo probatur à pari; quia ſi res poſt initum contractum notabiliter mutaretur, non daretur obligatio illum implendi: ergo ſi antè facta de novo detegatur, etiam non datur obligatio, quia paria ſunt ſupervenire de novo, & de novo venire in lucem ſeu cognoſci. Tertiò, quia hoc privilegium eſt optabile contrahentibus, ſi viciſſim eo gaudeant, ergo meritò ſupponuntur non aliter velle contrahere. Quarta pars infertur ex eo, quòd contractus, nec defectu valoris, nec juſtitiæ inter contrahentes laboret, adeòque uterque eidem ſine obligatione ullius reſtitutionis inſiſtere poſſit: niſi propter novum contractum ſcilicèt matrimonii Sponſalibus ſubjungendum ex altera parte oriatur notabilis mutatio ſtatus, vel agnoſcatur, quæ diverſæ parti ſit graviter præjudicioſa, & proindè eidem ante novum contractum detegenda.

Dicendum 5. Si error, aut dolus incidat in contra- 359
ctum, ſeu comitetur illum, id eſt, ſi non det cauſam contractui, ſed nihilominus contractus eſſet initus, quamvis pretio minori, non poteſt reſcindi contractus; quia injuria tantùm quoad exceſſum pretii eſt facta, adeòque iſte ſolummodo eſt compenſandus, & ad hunc datur actio quanto Minoris, quòd verum eſſe, etiamſi quis ſit deceptus in pretio ultra dimidium probat Leſſius *num. 28. ex cap. Cum dilecti de emptione, & venditione, & l. 2. C. de Reſcindenda venditione.*

ARTICULUS V.

An, & qui Contractus poſſint Juramento firmari.

SUMMARIUM.

360 *Proponitur ſtatus quæſtionis.*
361 *Referuntur variæ aliorum ſententiæ.*
362 *Statuitur noſtra ſententia.*

360 NOn eſt quæſtio de illis contractibus, qui independenter à juramento validi exiſtunt, de his enim nullum eſt dubium, quòd eatenus firmari poſſint, quatenus obligationi juſtitiæ accedit obligatio religionis, ut ſi quem forſan non abſterreret inhoneſtas injuriæ, ſaltem abſterreret inhoneſtas perjurii à violatione contractus. De aliis ergo contractibus juri quidem naturali non repugnantibus (aliàs nec obligatio juſtitiæ, nec Religionis circa illos induceretur) attamen repugnantibus juri poſitivo, & ab illo annullatis, ac irritatis, quæritur, utrum acceſſione juramenti, ita firmentur, ut non tantùm ex Religione juramenti quis obligetur ad ſtandum contractui, ſed etiam ex juſtitia; utrum nimirum jus poſitivum ſive Canonicum, ſive Civile quaſdam leges irritativas contractuum ita limitaverit, ut ob reverentiam juramenti ad illius executionem urgendam vim annullandi actum amittant, neque ampliùs valori contractus reſiſtant, ſed juris etiam ex juſtitia obligetur ſervare fidem contractus, adeò ut etiamſi juramenti deinde obligatio relaxaretur, adhuc tamen remaneret obligatio juſtitiæ. Circa quam quæſtionem quatuor reperiuntur ſententiæ.

361 Prima eſt quorundam à Thom. Sanchez relatorum *li. 3. cap. 12. n. 8.* quam amplexi quoque ſunt Baſil. Legionenſis apud Palao *diſp. 2. pun. 9. §. 3.* Tamb. *lib. 3. in Decal. cap. cap. 3. nu. 6.* eamque valdè probabilem judicat Suar. *tom. 2. de Relig. tract. de Juramento lib. 2. c. 29. num. 1.* & Palao *loc. cit.* Hæc itaque ſententia negat ullum contractum, jure naturali, aut poſitivo invalidum, juramenti acceſſione firmari. Ratio redditur; quia hanc virtutem juramentum, nec habet ex ſe, utpotè tantùm obligans ad ſui verificationem propter honeſtatem religionis, ne ſcilicet DEUS adducatur in teſtem rei falſæ, nec habet ex jure poſitivo ratificante contractus, juramenti interventu initos; eò quòd nulla lex tam ex Jure Canonico, quàm civili poſſit aſſignari. Ad textum enim in *Authent. Sacramenta puberum C. Si adverſus venditionem*, reſpondent citati Authores illum non loqui de contractibus invalidis, ſed validis, eoque negari beneficium reſtitutionis in integrum, ut ex ipſis verbis videtur colligi, quæ ita habent: *Juramenta puberum ſponte facta ſuper contractibus rerum ſuarum non retractandis*) adeòque validis, quia actus invalidi, neque contractus dici, neque retractari poſſunt) *inviolabiliter cuſtodiantur*: *Ad cap. Cum contingat, de Juramento, & cap. Quamvis pactum, de Pactis in 6.* quorum priore alienatiò dotis ab uxore cum juramento facta, poſteriore verò renunciatio legitimæ à filia juramento firmata præcipitur executioni mandanda ob reverentiam juramenti, quamvis uterque contractus aliàs jure civili ſit irritus, reſpondent neutro cap. imponi obligationem juſtitiæ, ſed tantùm tribui efficaciam obligationi religionis, ne à Judice relaxetur, atque ſic ajunt reſpondendum eſſe, ne jus Canonicum, vel citatus textus juris civilis adverſetur *l. Non dubium C. de Legibus*: ubi Imperator expreſsè decernit, contractus à lege irritatos neque juramenti acceſſione convaleſcere.

Secunda ſententia, quæ eſt Palao, & hoc teſte Antonii Fabri, duos tantùm contractus jure poſitivo invalidos aſſerit juramento firmari, nempè alienationem dotis, & renunciationem legitimæ, eò quòd citati textus juri poſitivi id omninò ac ſolùm evincant.

Tertia ſententia cum Leſſio *lib. 2. de Juſt. cap. 7. dub. 7. num. 56.* Suarez *lib. 2. de Jurament. c. 29. à num. 3.* & aliis à Sanchez *lib. 3. cap. 12. nu. 9.* relatis, tunc tantùm concedit juramento vim roborandi contractus in ordine ad inducendam etiam civilem obligationem juſtitiæ, quando illi ſervandi ſunt ex obligatione naturali directa, vel ſaltem indirecta propter intervenientem promiſſionem non contraveniendi contractui invalido, perinde ac ſi ipſe in ſe fuiſſet validus, & directè obligans. Ratio hujus deſumitur ex natura juramenti, quia hujus obligatio ſolùm verſari poteſt circa objectum honeſtum, atqui niſi objectum contractus ſubſit alicui obligationi naturali, objectum non eſt honeſtum honeſtate juſtitiæ, nec fidelitatis, nec alterius virtutis, ergo niſi objectum contractus ſubſit dicto modo obligationi naturali, non poteſt circa illud verſari obligatio juramenti, conſequenter nec ipſum poteſt eſſe validum, nec valorem tribuere contractui de ſe invalido.

Quarta, & communiſſima inter AA. quos ingenti ca- 362
talogo refert, & ſequitur Thom. Sanch. *loc. cit. num. 11.* ſententia affirmat, omnes contractus jure poſitivo invalidos juramenti appoſitione convaleſcere, niſi eorum executio ſit illicita, aut juramentum ſit injuſto metu, vel dolo extortum, aut niſi ſpeciali Lege contractus etiam ſuppoſita juramenti acceſſione irritetur. Probatur. Eatenus Leges univerſaliter irritativæ contractuum impediunt eorum valorem, quatenus non limitantur per alias Leges, ſed Leges univerſaliter irritativæ contractuum non expreſsè facientes mentionem etiam juratorum, limitantur per alias Leges, juxta communiter receptam interpretationem, & praxim explicandas, quibus excipiuntur contractus cum juramento ſpontaneo, id eſt, nec vi, nec fraude extorto initi: ergo Leges irritativæ contractuum non impediunt eorum valorem, quando ſunt cum juramento ſpontaneo initi. Probatur minor: dantur tales Leges, quæ ex motivo univerſali, ne aperiatur via perjuriis, quoſdam contractus alioquin jure poſitivo invalidos ut validos approbant, ergo ab his Leges univerſales juris poſitivi juxta communem interpretationem, & praxin ex ratione motivi univerſalis, vel univerſaliter limitantur, vel ſub hac limitatione intelligendę eſſe declarantur. Antecedens contra Authores primæ ſententiæ, conſequens verò contra Authores ſecundæ, & tertiæ ſententiæ confirmandum eſt. Itaque probatur textibus ſuprà citatis, quorum primus recepta tribunalium conſuetudine (quę eſt optima legum interpres) non tantùm de contractibus validis, ſed etiam invalidis intelligitur, quibus nomen contractus tribuitur, & non retractandi dicuntur, quia, etſi non de jure, ſaltem de facto proceſſerunt, & voluntatem contrahendi, quæ retractari prohibetur, includunt. Reliqui textus etiam non benè explicantur à prima ſententia de ſola obligatione religionis non relaxandi, partim quia obligationem non Judicibus, ſed juramentum edentibus imponunt, diverſam ab ea, quam ſubeunt illi, qui metu, vel dolo inducti jurarunt, adeòque non ſolius religionis, ſed etiam juſtitiæ obligationem decernunt, partim quia ex tali explicatione ſequeretur, recipientes rem juratam peccare contra juſtitiam, & teneri ad reſtitutionem, ſicut qui recipit uſuras juramento promiſſas, de quo proinde in citatis capitulis moneri debuiſſent, ſicut admonentur uſurarii *cap. Debitores, de Jurejurando*; aliàs dum Jus Canonicum vellet impedire perjuria, daret occaſionem injuriis.

Neque curanda eſt lex *Non dubium Cod. de Legibus*, quia iſta teſte Antonio Perez Juriſta per Authenticam Friderici *Sacramenta puberum* citatam correcta eſt, ut etiam Thomas Sanchez *num. 30.* obſervat cum pluribus aliis: vel cum eodem dici poteſt, eam intelligendam eſſe de illis contractibus juratis, qui principaliter ob bonum commune prohibentur, adeòque illiciti ſunt, ſicut eſt contractus Matrimonii non ſervatis à jure requiſitis. Probatur nunc etiam conſequens contra ſecundam ſententiam: quia etiamſi lex ſtatuens aliquid in uno caſu, non ſemper ſit extendenda ad alium, in quo eadem vel ſimilis ratio intervenit, præſertim ſi correctoria ſit alterius Legis, eſt tamen extendenda, ſi ex communi DD. ſenſu, & praxi colligatur, caſum Lege comprehenſum potiùs per modum exempli aſſignatum fuiſſe, & finem Legis univerſaliter à Legiſlatore fuiſſe intentum.

Contra tertiam ſententiam ſic probatur conſequens: quotieſcunque lex irritat aliquem contractum, hoc ipſo irritat reflexam promiſſionem non contraveniendi contractui, alioquin prior lex irritans faciliimè eluderetur addendo promiſſionem reflexam, quę nullam aliam obli-

gationem imponeret, quàm juſtitiæ per actionem contractus intentæ; ergo aſſignatæ Leges ratificantes contractus juratos directè limitant alias Leges irritativas contractuum non juratorum, & concedunt vim juramento reddendi contractus validos; nec opus eſt alia naturali obligatione juſtitiæ, quæ abſolutè ad juramentum præſupponatur, modò objectum juratum ab eadem concomitanter honeſtetur.

Ex dictis colligitur cum Suarez *loc. cit. cap.* 30. *num.* 16. Gomez, Filliuc. Lugo contra Sanchez; Leſſium, Bonacinam, Azor, Palao, Contractum jure poſitivo invalidum (nam de valido omnes concedunt) juramento non contraveniendi convalidatum iri, etiamſi aliud juramentum præceſſerit, quo juraſti te non contracturum, v. g. non alienaturum bona immobilia inconſulto tuo curatore, modò præcedenti tuo juramento nullum alteri quæſitum fuerit jus ad rem contractui ſubjectam; tunc enim, quia teneris contravenire contractui, juramentum non contraveniendi eſſet nullum. Probatur nunc noſtrum corollarium: per primum juramentum, ut ſuppono, non juraſti, te neque contracturum, neque ſtaturum contractui pejurè inito, ſed tantùm juraſti, te non contracturum: ergo ſecundum juramentum non contraveniendi contractui, verſatur circa objectum honeſtum; & licèt pecces contra religionem contrahendo, ac jurando, tamen ipſum juramentum deinde honeſtè exequeris non contraveniendo contractui; ſicut ſi ipſe contractus ſecluſo juramento ſecundo per ſe eſſet validus: ergo licèt ſecundùm juramentum fuerit illicitum, eſt tamen validum; & conſequenter retinet vim firmandi contractum.

ARTICULUS VI.

De Obligatione Contractus.

SUMMARIUM.

363 *Contractus purus, ſeu abſolutus à conditione, Modo, Cauſa, vel die, ſtatim obligat.*

364 *Contractus factus cum expreſſione cauſæ obligationi in conſcientia addit pro foro externo majorem firmitatem.*

365 *Contractus in diem certum ſtatim obligat ante eventum illius diei.*

366 *Contractus Conditionati quoad formam tantum, quorum ſcilicet conditio jam eſt impleta, vel neceſſario implenda obligant ſtatim. Qui vero ſunt conditionati quoad vim obligandi ſub conditione contingenter futura, non obligant ante eventum conditionis, qua pendente uſque ad mortem promiſſarii tranſmittitur Jus conditionatum ad illius Hæredes: quod non fit in ultimis voluntatibus conditionatis.*

367 *In contractu Conditionato non ſufficit, Conditionem virtualiter vel æquivalenter impletam fuiſſe. Circa tempus vero implendæ Conditionis diſtinguendum eſt inter conditionem affirmativam, & negativam: & aliter diſcurrendum in veris Contractibus, aliter in ultimis Voluntatibus.*

368 *Quando Contractus conditionatus non eſt virtualiter multiplex, & neque eſt initus ſub Conditione poteſtativa, impleta conditione obligatio retrahitur ad tempus initi Contractus.*

369 *Quomodo contractus ſub modo differat à Contractu ſub conditione.*

370 *Circa obligationem Contractus ſub modo diſtinguendum eſt inter modum poſſibilem, & impoſſibilem: atque inter modum Voluntarium, & obligatorium.*

363 SIcut varii ſunt contractus, ſic varia quoque eſt eorum obligatio, ideò de hac cum diſtinctione diſſerendum, alia eſt enim obligatio contractus puri, ſeu abſoluti à conditione, modo, cauſa, vel die: alia contractus non puri, ſeu pendentis ab aliquo ex prædictis, qui proinde, vel contractus ſub conditione; vel ſub modo, vel ex cauſa, vel contractus in diem appellatur. Obligatio contractus puri mox inito contractu exſurgit, ſtatimque debitum peti poteſt, executio tamen ſolutionis in contractu Conſtituti differri poteſt per 10. dies juxta *l. Promiſſor. §.* 1. *de Conſtit. pecunia*: in aliis verò contractibus Judicis arbitrio remittitur ſpectata qualitate debitoris, & debiti, aliiſve circumſtantiis, ut colligitur *ex leg. Quod dicimus ff. de Solutionibus §. Final. Inſtitution. de Inutilibus ſtipulationibus*. Immò in foro conſcientiæ præſumitur creditor conſentire dilationi, ſi ſcienter, & ſponte, abſque metu, vel pudore ſaltem reverentiali, debitum, cùm facilè poſſet, non repetat.

Obligatio contractus ex cauſa, qui ſcilicet fit cum expreſſione cauſæ ſive aliunde obligatoriæ, ſive remuneratoriæ, ſive voluntariæ liberalitatis, ita ſtringit conſcientiam Creditoris, ut etiamſi ſine cauſæ expreſſione ad debiti ſolutionem eſſet obſtricta, deinde neque in foro externo exceptione doli obligationem promiſſionis, vel ſtipulatione eludere poſſit, in quo contractu promiſſionis, ſeu ſtipulationis (non item in reliquis) pro foro externo requiritur, ut promiſſor cauſam exprimat, niſi ex circumſtantiis facilè intelligatur, vel ut creditor eandem in judicio probet. Quę omnia ex variis juris textibus confirmat Palao *diſputat.* 1. *punct.* 1. 364

Obligatio contractus in diem alia eſt in diem certum, cujus dies nimirum certò eſt extiturus, ac completurus obligationem, ſive ſit determinatus, ſive non: alia eſt in diem incertum, id eſt, non certò completurum obligationem. Prior obligatio inito contractu ſtatim exurgit, & ad Hæredes tam ex parte promiſſoris quàm promiſſarii (ſi res ad illius hæredes ſit tranſmiſſibilis) alterutro mortuo transfunditur; unde dies non obligationi, ſed executioni aſſignatur, ut conſtat *ex l. Si dies appoſita l. Si poſt Diem ff. Quando Dies Legatorum cedat l. unica §. Cum igitur Cod. de Caducis tollendis*. Poſterior obligatio ſuſpenditur uſque ad eventum diei appoſitæ, eſtque virtualiter conditionata, v. g. ſi Titio promittas 100. florenos intra annum, vel diem Paſchatis ſolvendos: Promiſſio iſta eſt contractus in diem certum, quia executioni faciendæ definitur ſpatium temporis ſecundum ſe ſpectatum, quod certò, & infallibiliter ponetur, ac proinde ſtatim datur obligatio ſolvendi. Si verò promittas Titio 10. cùm v. g. Doctor creatus fuerit ſolvendos, eſt obligatio in diem incertum, quia incertum, & fallibile eſt, utrum futurus ſit aliquis dies, in quo Titius Doctor creabitur, adeòque promiſſionis obligatio adhuc ſuſpenditur, velut ſi facta eſſet hac propoſitione conditionata: promitto Titio 100. ſi fuerit creatus Doctor. Conſtat *ex leg. Stipulatio iſta §. Inter incertam ff. de Verborum obligationibus & l.* 1. *§. Dies, & Lege Quibus diebus §. quedam ff. de Conditionibus, & Demonſtrationibus*. 365

Obligatio contractus conditionata alia eſt conditionalis quoad formam tantùm, alia etiam quoad vim obligandi. Si enim contractus inſtituitur ſub conditione de præterito, vel de præſenti, tunc ejus obligatio quoad formam eſt conditionata, quoad vim tamen obligandi verificata conditione eſt abſoluta, ut variis juris textibus ſtatuitur, & ratio demonſtrat, eò quòd conſenſus ſub conditione poſitus, ea impleta, habeat omnia illa, quæ contrahens ad actualem ſui obligationem requiſivit. Imò ſi contractus ſit initus ſub conditione neceſſariò futura, ex juris diſpoſitione jam de præſenti habet vim abſolutam obligandi, ut conſtat *ex l. Si Pupillus §. qui ſub condition. ff. de Novationibus l. In illa Stipulatione ſi Kalendis ff. de Verborum obligationibus §. Conditiones Inſtit. eod. ti*. unde conditio cenſetur addita tantùm ad tempus executioni determinandum: ſi autem contractus inſtituitur ſub conditione contingenter futura, tunc obligatio exequendi contractum eſt etiam quoad vim obligandi conditionata, & ſuſpenditur uſque ad conditionis impletionem, ſive ea conditio ſit adæquatè in ejus poteſtate ſita, cui injungitur, ſive nec inadæquatè, ſive partim in ejus poteſtate ſita ſit, partim aliunde ſit eventura, adeòque poteſtativa, vel caſualis, vel mixta appelletur. Sic definitur *in §. ſub Conditione Inſtit. de Verborum Obligationibus*: ubi ex obligatione conditionata, dicitur etiam tranſmitti jus conditionatum ad hęredes, ſi promiſſarius ante impletionem conditionis moriatur, quòd licèt communis ſententia reſtringat ad promiſſiones conditionatas, quarum impletio non fuerat 366

poſita

poſita in poteſtate promiſſarii, Covar. tamen, Molina, & Pal. ſine limitatione verba univerſalia citati textus accipiunt, ubi dicitur: *ex Conditionali ſtipulatione tantum Spes eſt, debitum iri, eamque ipſam Spem in Heredem tranſmittimus, ſi priùs, quàm conditio extet, mors nobis contigerit.*

Notandum tamen eſt, hanc tranſmiſſionem ad hæredes non habere locum in ultimis voluntatibus ſi inſtitutus hæres immediatus, vel legatarius, vel fidei commiſſarius ante impletam conditionem moriatur, ut habetur *l. Hujuſmodi Legatum ff. Quando Dies legatorum cedat*, *l. Si ita expreſſum ff. de Conditionibus, & demonſtrationibus*. Hujus rei Gl. in prædictum §. iſtam diſparitatem aſſignat, quòd ſcil. in contractibus interveniat ille, in cujus utilitatem eduntur, qui proinde cenſetur etiam ſuis hæredibus velle proſpicere, in ultimis voluntatibus autem ſolus teſtator negotium conficiat, qui tantùm ad hæredem, vel legatarium immediatum videtur reſpicere. Præter annotatum punctum aliud adhuc eſt obſervandum, in quo contractus, ac ultimæ voluntates diſconveniunt, nimirum quòd illi ſub conditione in tertii utilitatem cedente initi non acquirant valorem, etſi tantùm penes tertium ſteterit, quo minùs conditio impleretur, iſtæ verò adhuc valorem conſequantur, ut conſtat *ex l. Si poſt diem §. Item Si qua conditio ff. Quando dies Legatorum.*

367 De obligatione conditionata duæ adhuc quæſtiones reſolvendæ ſunt. Primò quæritur, quomodo, & quando conditio contractui appoſita debeat impleri. Ad priorem partem reſpondetur: in ſpecifica forma debere impleri, nec ſufficere, ſi æquivalenter impleatur, ut indicat *l. Qui heredi in principio, & l. Mævius ff. de Conditionibus, & demonſtrationibus* Ad poſteriorem reſpondetur cum diſtinctione: ſi conditio ſit negativa, quæ indefinitè velit aliquid non fieri à promiſſario, donatario, legatario &c. communiter per totam ejus vitam hujuſmodi actio prohibetur, & contractus ſuſpenditur uſque ad illius mortem; unde ſolùm hæredes ipſius dominio rei ſub tali conditione promiſſæ frui poſſunt. In ultimis tamen voluntatibus *l. Mutiana ff. de Conditionibus, & demonſtrationibus* in favorem hæredis, vel legatarii, vel fidei commiſſarii, conceſſum eſt, ut ipſe præſtita cautione Mutiana de reſtituenda re, & fructibus inde perceptis, poſito, quòd conditio aliquando non impleretur, poſt obitum teſtatoris rem ſibi deſtinatam ſtatim recipiat, & eadem utatur; cùm teſtator ipſi potiùs, quàm ejus hæredibus ſupponatur voluiſſe providere. Idem privilegium neceſſariò etiam extendendum eſt ad alios contractus rei non tranſferibilis ad hæredes, ne alioqui prorſus inutiles reddantur. Ad cæteros verò contractus communis ſententia negat extendi poſſe; eò quòd contractus ſub conditione negativa, *juxta §. Si quis ita Inſtit. de Verborum obligationibus* æquivaleat contractui in diem mortis, quo quis tibi quidpiam promitteret, cùm morieris: atqui iſte non gaudet privilegio cautionis Mutianæ, ergo nec ille. Unde non in omnibus, ſed tantùm in iis, in quibus Lege aliter cautum non eſt, inter contractus, & ultimas voluntates æqualiter procedi poteſt. Si autem conditio, contractui adhærens, ſit affirmativa, eaque caſualis, aut mixta, vel poteſtativa quidem, ſed non iterabilis; teſte Antonio Gomez, & Molina, quos ſequitur Palao *diſput. 1. punct. 7. n. 7.* cenſetur menti promiſſoris, vel teſtatoris ſatisfactum eſſe, quocumque tempore, ante vel poſt contractum, aut teſtamentum conditum, illa fuerit impleta, niſi ipſe expreſsè definiverit aliud aliter de poteſtativa conditione iterabili diſcurrendum eſt; nam ea communiter poſt contractum executioni mandanda exigitur; immò in teſtamentis poſt mortem teſtatoris, ut indicatur *leg. 2. & 11. Si jam facta ff. de Conditionibus, & demonſtrationibus*. Et licèt reſpectu hæredum, quippè quos teſtator majori favore cenſetur proſequi, ſufficiat, ut ſaltem in vita conditionem impleant *juxta l. Suus quoque ff. de Heredibus inſtituendis*, Legatarius tamen, cùm primùm poteſt, illam exequi debet vi Legis *Hæc conditio 2. ff. de Conditionibus, & demonſtrationibus.*

368 Quæritur 2. Quomodo contractus impleta conditione perficiatur. Reſpondetur 1, ſi contrahentes neque tempore initi contractus, neque tempore impletæ conditionis ad contrahendum inhabiles fuerunt, non tantùm perfici abſolutè contractum, veluti ſi ſine conditione ab initio fuiſſet celebratus, ſed ſi is non ſit virtualiter multiplex, neque ſub conditione merè poteſtativa factus, retrahi etiam ad tempus, quo conſenſus conditionatus eſt poſitus, ut conſtat *ex leg. Hujuſmodi ſtipulatio ff. de Verborum obligationibus, & ex leg. Potior ff. Qui potiores in pignore habeantur*: ubi dicitur cùm ſemel conditio extitit, perinde habetur: ac ſi illo tempore, quo ſtipulatio interpoſita eſt, ſine conditione facta eſſet: ſi tamen contractus ſit virtualiter multiplex, ut eſt contractus pro annuis præſtationibus, pro alimentis, pro uſufructu, non retrahitur: hinc promiſſor non tenetur ſolvere ſumptus correſpondentes annis præcedentibus. poſt impletionem conditionis: ſimiliter ſi conditio fuit poteſtativa, promiſſarius ſibi imputare debet, ſi pro tempore dilatæ conditionis contractus nullum effectum ſortiatur, ut pluribus comprobat Palao *num.* 20. & aſſerit Bart. *in Gl. leg. 132. de Verborum obligationibus.*

Obligatio contractus ſub modo ab obligatione conditionata, cui perquam ſimilis eſt, principaliter in hoc 369
differt, quòd prior nondum præſtito modo jam ſit abſoluta, & eo adhuc pendente actionem petendi debitum conferat, idemque jus ad hæredes tranſmittat, quod ſecluſa cautione Mutiana non facit obligatio conditionata. Utrum autem gravamen contractui appoſitum vim modi, vel conditionis obtineat, id partim ex objecto, partim ex forma contractus colligi debet; hinc etiamſi verba ſint conditionata, ſi tamen exigant aliquid faciendum poſt executionem contractus, hujus obligatio cenſetur fuiſſe modalis, ut *ex leg. Cum ab digeſt. de Contrahenda emptione, leg. Ea conditione Codic. de Reſcindenda vendition.* rectè probant uterque Molina, Palao *diſputat. prima punct.* 8. *numer.* 2.

Cæterùm ſicut conditio, ſic etiam modus multi- 370
plex eſt; alius enim eſt poſſibilis, alius impoſſibilis, idque, vel ex natura ſua, verbi gratia, ut volatu te libres aera, vel de facto, ſcilicet comparatione non unius tantùm perſonæ, ſed omnium hominum, verbi gratia, ut digito Cœlum tangas, vel de Jure, uti eſt omnis actio prohibita, ſeu inhoneſta. Prætereà alius modus eſt voluntarius, alius obligatorius, alius revocatorius. Contractus itaque ſub modo impoſſibili, vel ſucceſſu temporis reddito impoſſibili, ſaltem reſpectu illius, qui modum deberet exequi, obligationem contrahenti non minorem imponit, quàm ſi nullus appoſitus fuiſſet modus. Sub modo poſſibili verò initus contractus ita abſolutè obligat contrahentem, ut tamen promiſſarius, vel legatarius ſubjaceat præſtationi modi, habentis, vel rationem conſilii, ſi voluntarius eſt, qualis plerumque (niſi, ut ſæpè fit aliter conſtet de mente contrahentis) habetur, cùm in utilitatem propriam exequentis injungitur: vel habentis rationem obligationis, ex veritate, aut fidelitate, aut juſtitia ortæ, & tunc obligatarius dicitur, eoque gravatus debet præſtare cautionem de illo exequendo: cujus executionis omiſſio, quando contractui ad rei dominium, vel pro poſteriori tempore revocandum, vel pro præcedenti etiam inutile, reddendum, per obligationem reſtituendi rem cum ſolutione fructus adjecta eſt, modus ipſe revocatorius appellatur, & in ordine ad primam translationem Dominii habet rationem modi, in ordine verò ad continuationem Dominii circa rem, vel etiam circa pretium fructuum perceptorum, habet rationem conditionis.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

De modo acquirendi Ius, ac Dominium per Contractum Gratuitum.

ARTICULUS I.

De Promiſſione.

SUMMARIUM.

371 *Quid ſit promiſſio gratuita: & an obliget injuſto metu extorta.*

372 *Obligatio promiſſionis eſt major obligatione Veracitatis, & minor obligatione Juſtitiæ ſtrictè dictæ.*

373 *Ut promiſſio obliget, requiritur voluntas ſe obligandi, ejus manifeſtatio, & acceptatio manifeſtata.*

374 *Quis, & quomodo, & qua firmitate, alterius nomine promiſſionem ipſi factam acceptare, ac pro eo ſtipulari poſſit.*

375 *Qui prius revocat ſuum actum promiſſionis, vel acceptationis, antequam alteri parti innoteſcat, hoc ipſo impedit effectum obligationis ſecuturæ.*

376 *Datum ob turpem Cauſam, ea nondum præſtita repeti poteſt, præſtita verò non poteſt, & nondum datum poteſt exigi.*

377 *Quomodo promiſſionis obligatio tollatur.*

371 Promiſſio genericè ſumpta, quamvis voluntatem ſe alteri obligandi, rigoroſè tamen accepta ſolùm gratuitam denotat, quam Leſſ. *lib. 2. capitul. 18. dub. prim. numer. 1.* & iiſdem ferè verbis Palao *diſputat. ſecunda de Juſtitia commutat. punct. 1. numer. primo*, & Rebellus 2. *par. l. 18. quæſt.* 1. definiunt, quòd ſit *deliberata, & ſpontanea Fides Obligatio facta alteri de re quapiam bona, & poſſibili.* Requiritur enim ad promiſſionem in primis plena advertentia rationis, qualis ad peccatum mortale neceſſaria eſt, ita ut ſemiplena neque ad levem obligationem, ſive erga hominem, ſive erga Deum inducendam juxta communem Doctrinam ſufficiat: adeòque poſita eſt primò particula *Deliberata*; deinde quia ex communi Doctorum ſenſu promiſſio gratuita erga hominem metu ſive gravi, ſive levi extorta, nec naturali, nec poſitivo jure obligat in conſcientia, niſi donatio, & fortè traditio rei ſecuta ſit, proptereà prædicti Authores ſecundò particulam *Spontanea* appoſuerunt: rectiùs tamen cum Laym. *lib. 3. tractat. 4. capit. 6. numer.* 24 exiſtimo, facturum, qui eam omitteret: partim quia plerique adverſarii, & inter hos etiam Leſſ. ac Palao fatentur, metum etiam gravem, & injuſtum non obſtare obligationi voti ex jure naturali, immò ſecundùm Palao neque ex jure poſitivo, excepto voto Religionis actu ſuſceptæ, vel ſuſcipiendæ, & tamen votum eſt vera promiſſio gratuita: partim quia incuſſio metus, ſeu coactio non tollit rationem voluntarii ſimpliciter; unde contractus oneroſi injuſto, ac gravi metu extorti, utroque jure validi, ſed pro arbitrio partis læſæ irritandi ſunt; idem ergo putarem dicendum de promiſſione gratuita, homini præſtita; quæ, ut citatus Layman. rectè advertit gratuita dicitur, non quia metu vacat, ſed quia non ex debito ſeu obligatione juſtitiæ profecta eſt. Neque dicas, obligationem fidelitatis erga hominem, quæ per promiſſionem gratuitam inducitur, minùs rigoroſam eſſe obligatione Religionis erga Divinam Majeſtatem, & obligatione juſtitiæ ſtrictiſſimè acceptæ, ut adeòque non ob defectum voluntarii, ſed æquitatis naturalis, etiam levis coactio promiſſionem humanam naturaliter irritam reddat, eò quòd planè appareat iniquum, quempiam alicui propter ſolum metum ab ipſo, vel ab alio tertio injuſtè illatum obligari ad tradendam rem omninò gratis promiſſam. Nam reſpondetur, obligationem Religionis, & juſtitiæ ſtrictiſſimè acceptæ, firmiorem quidem eſſe, poſtquam ſemel validè contracta eſt, non tamen faciliùs validè contrahi; unde ſi metus injuſtus, quantumvis levis obſtat valori promiſſionis humanæ, obſtabit etiam promiſſioni voti, & forſan multò magis propter ſubſequentis obligationis rigorem: ob quam paritatem fatetur Leſſ. *lib. 2. de voto cap. 40. dub. 1. a num.* 6. probabilem eſſe ſententiam quorumdam ab ipſo relatorum, & docentium, jure naturali irritam eſſe profeſſionem Religioſam, & votum caſtitatis ex ſuſceptis ordinibus, ſi quis ſolo metu reverentiali erga parentes, vel alio levi, ac injuſto ad hoc inductus eſt, neque poſteà ſecluſo metu ratificavit.

Tertiò dicitur *fidei obligatio*: quibus verbis non intel- 372
ligitur obligatio illa objectiva, quæ quaſi effectus naſcitur ex actu promiſſionis, ſed obligatio formalis, qua quis ſe obſtringit ad aliquid dandum, vel faciendum in alterius utilitatem non ſolùm ex neceſſitate veritatis, quam unicè ſub culpa veniali per ſe loquendo imponi putabat Cajetanus 2. 2. *quæſt. 113. articul. 1.* neque ex neceſſitate juſtitiæ ſtrictiſſimè ſumptæ, ſed ex neceſſitate fidelitatis, quæ quatenus exercetur erga hominem, utilitatis capacem, ſpecies juſtitiæ latiùs acceptę dici poteſt.

Ratio primę partis eſt, quia, ſi neceſſitas implendi promiſſum ſolùm veritatis, ſequeretur eum, qui promitteret, ſe aliquid facturum, non magis obligari, quàm qui præciſè idipſum affirmaret, quod ex communi hominum ſenſu conſtat eſſe falſum, æſtimantium, te magis de aſſecutione rei ſecuros redditos eſſe, ſi ſimplici aſſertioni promiſſio veluti nova obligatio ſervandi fidem fuerit conjuncta; & ex eo etiam convincitur, quia tribuit promiſſio in foro externo actionem adverſus promiſſorem ad rem promiſſam, tamquam de jure, & ex debito præſtandam, non tantùm ſi per formulam ſtipulationis, ſcilicet per interrogationem, & reſponſionem, facta ſit (quæ formula ſolummodò pro foro externo ad intentandam actionem, non autem ad augendam obligationem in conſcientia requiritur) ſed etiam ſi ſimpliciter, & ſine tali formula fuerit edita, modò cauſa ſit expreſſa, ut colligitur ex *leg. Si quis argumentum Codic. de Donationibus & ex capit. 1. de Pactis*, docetque Thom. Sanchez *de Matrim. diſput. 5. num. 20.* cum Covar. & Panormit.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia promiſſum longè imperfectiori modo eſt debitum, quàm quod propter alterius mutuam obligationem, vel damnum datum; vel ex titulo juris in re debetur: Unde teſte Leſſ. *lib. 2. cap. 18. dub. 8. numer. 56.* cenſetur major injuria, ſi unum aureum ſurripias, vel ex contractu oneroſo debitum non ſolvas, quàm ſi quatuor, vel quinque ex liberali promiſſione debitos non pendas, tum quia promittens non creditur, ſe aliter voluiſſe obligare, tum quia promiſſarius non videtur poſſe rationabiliter exigere ſub gravi culpa debitum benevolum, niſi aliquoties excedat materiam gravem furti, ſicut etiam in materia juſtitiæ rigoroſæ juxta multorum ſententiam, nequit ab aliquibus perſonis verbi gratia domeſticis eandem quantitatem exigere ſub mortali peccato, quam ab aliis poteſt. Prætereà neque teneris, idem A numero ſequenti teſtatur, ad compenſationem lucri ceſſantis, multiſque modis promiſſionis obligatio relaxari poteſt.

Ratio tertiæ partis eſt, quia obligationi facta conformandi dictis, quæ ex ſimplici etiam affirmatione naſcitur, fidelitas ſuperaddit adhuc aliam obligationem, qua promiſſor in alterius utilitatem ſe ſpecialiter obſtrinxit; unde fidelitas erga hominem ſpecies quædam juſtitiæ eſt, ſi hæc non in omni ſuo rigore ſumatur, & probabiliùs (licèt id graves aliqui viri apud Palao *diſput. 2. punct. 8. & diſput. 1. de Matrim. punct. 2. numer. 12.* negent) ſub mortali obligat, ſaltem ſi, ut ex doctrina Leſſii colligitur, & Sanchez etiam docet *lib. 1. de Matrimon. diſput. 5. num. 24.* quantitas rei promiſſæ quadruplo ſuperet quantitatem ſufficientem ad furtum mortale rei ex contractu oneroſo debitæ, & non aliunde, ſcilicet ex perſonarum, & rei qualitate, cauſa promiſſionis, & verborum inefficacia conſtet, levem ſolùm obligationem promiſſorem ſibi imponere voluiſſe: aſſentiuntur innumeri, quos refert, & ſequitur Sanchez *l. cit. num. 20.*

Ut verò fidelitatis obligatio contrahatur, neceſſarius 373
eſt in primis actus internus voluntatis in illam conſentiens; hujus defectu multorum promiſſiones, etiam verbis,

bis,

bis, abſolutum conſenſum de ſe ſignificantibus, expreſſæ ſolùm venialem obligationem veracitatis inducunt, ut iterum Leſſius *num.* 58. optimè advertit, eò quòd ſolùm ad firmum propoſitum, vel conſenſum duntaxat conditionatum denotandum ſoleant adhiberi, ſcilicet niſi fuerit incommodum, vel niſi melius aliquid occurrerit, &c. poſt prædictum conſenſum deinde jure non tantùm poſitivo, ut quidem volebant, ſed juxta communiorem cum S. Thom. *quæſt.* 88. *articul.* 1. jure etiam naturali requiritur in ordine ad hominem, cui fit promiſſio, manifeſtatio exterior conſenſus interni ad illum directa; tum quia promiſſio eſt ſermo ad alterum, qui ſine externo ſigno eidem notificari non poteſt; tum quia poſito ſolo actu interno alter non poteſt in illum conſentire; omnis autem contractus etiam tantùm gratuitus debet fieri mutuo conſenſu. Unde exigitur tertiò promiſſarii acceptatio debito modo præſtita, qui modus, quando promiſſio fit inter abſentes, primò ſupponit manifeſtationem promiſſionis, per nuntium, vel litteras ad promiſſarium directam; nequit enim acceptari, quod à promittente non fuit antecedenter oblatum. Poſteà requirit, ut acceptatio etiam ſigno exteriori prodatur, directo ad nuntium promiſſoris vices agentem, vel ad ipſum promiſſorem alio nuntio, aut litteris miſſis: quo præſtito promiſſio gratuita ſecundum Authores citandos jam cenſetur vim ſuam habere, antequam illa acceptatio promiſſori abſenti innoteſcat; cùm tantùm in oneroſa promiſſione acceptationis, & repromiſſionis notitia ſoleat tamquam complementum obligationis expectari, teſte Mol. Juriſta, Rebello, Thom. Sanchez, Leſſ. qui minùs quidem probabiliter etiam docent apud Palao *diſputat. ſecunda puncto quarto numer. decimo*, non obſtare promiſſioni, etiamſi promiſſor tempore acceptationis jam è vivis ſublatus ſit. Ratio autem, cur manifeſtatio promiſſionis, & acceptationis debeant fieri per ſigna à promiſſore, & promiſſario ad ſe mutuò ordinata, neque ſufficiat, ſi utriuſque mens aliunde innoteſcat, hæc redditur, quia aliàs non ſalvaretur promiſſioni eſſentialis ratio ſermonis, neque conſenſus duorum inter ſe concurrerent; prout Authores communiter requirunt, & colligitur *ex leg. Abſenti ff. de Donationibus atque ex Gloſſ. in legem, Nec ambigi Codic. de Donationibus*. Neque obſtat prædictis conditionibus *capitul. Si tibi abſenti, de Præbendis in ſexto*. Quia etiam ibi promiſſio Beneficii compleri debet per acceptationem, quamvis ea non poſita intra tempus deliberationi conceſſum prohibeatur promiſſor, Beneficium alteri conferre.

374 Cæterùm advertendum eſt, acceptationem promiſſionis gratuitæ non neceſſariò ſemper ab ipſo promiſſario immediatè procedere debere, ſed poſſe etiam alium ipſius nomine ſtipulari, ſcilicet eum, cui, vel ipſe commiſerit, vel qui ſub ipſius poteſtate ita exiſtat, ut ſui juris non ſit, verbi gratia filiusfamilias, ſervus, Religioſus, quia hi unam perſonam conſtituunt cum Patre, Domino, Prælato. Idem conceditur Principi loco ſubditi, non tamen viciſſim; quia ſi Princeps poteſt dare poteſtatem alteri ſtipulandi pro ſuo ſubdito, etiam hoc ipſum per ſe facere poteſt; prætereà conceditur notario publico inſtrumentum conficienti (ſed huic ſolùm in judicio teſte Sanchez *lib.* 1. *diſputat. ſeptima numer.* 11) tutori, curatori, & omni illi, qui ex promiſſione abſenti facta commodum reportat, vel incommodum evitat. Denique cuivis privato permittitur ſtipulari ad pias cauſas verbi gratia pro Eccleſia, hoſpitali &c. juxta Gl. communiter acceptam *in cap. Quoties cordis* 1. *quæſt.* 7. Præter enumeratos nemo poteſt pro alio ſtipulari, ſeu promiſſionem in commodum abſentis petere, aut validè acceptare, ut conſtat *ex §. ſi quis alii inſtitut. De Inutilibus ſtipulat onibus*, ex uſu tamen recepto ait Leſſ. *numer.* 48. poſſe amicum pro amico ſtipulari, ut promiſſio ſaltem jurata actionem pariat. Debent autem, ut quis validè pro altero ſtipuletur, verba promiſſionis explicitè, vel implicitè dirigi ad præſentem in hoc modo: Promitto tibi (quod pronomen ſi omittitur, implicitè ſubintelligitur) me daturum Petro centum, non hoc modo: promitto Petro, me illi daturum centum: qua promiſſione à re acceptata pendet quidem obligatio dandi à Petri ratificatione; promiſſor tamen gratuitus jam habet obligationem non reſiliendi, quæ cum promiſſarii, & non ſtipulantis jus abſolutum, & completum reſpiciat, juxta probabilem ſententiam neque à ſtipulante, maximè ſi in illius gratiam ſuſcepta non ſit, remitti ampliùs poteſt, quamvis non careat probabilitate, etiam oppoſita opinio fundata *in Reg.* 35. *digeſt. de Regulis juris*: ubi dicitur; nihil tam naturale eſt, quàm eo genere quodque diſſolvere, quo colligatum eſt. Unde quamdiu ſtipulatio neque à promiſſario ratificata, neque ex commiſſione illius facta eſt, nondum jus firmum ei videtur acquiſitum, ſed à ſtipulante remiſſibile, ſive abſolutè, ſive ſub obligatione ſibi oneroſa, ſtipulatus ſit, cùm promiſſio immediatè iſtum, & non promiſſarium reſpiciat, & conſequenter ille ſibi præſtitam, & à ſuo conſenſu dependentem remittat.

Præter duplicem conſenſum internum duorum, & 375
utriuſque externam manifeſtationem ad promiſſionis valorem, ſeu obligationem neceſse etiam eſt, ne promiſſor, vel promiſſarius (ſi acceptationis externæ actualis notitia exigitur) conſenſum ſuum revocaverit; antequam mutua utriuſque manifeſtatio ad quamvis eorum fuerit delata: quia enim revocatio conſenſus tollit rationem voluntarii, ideò nequit obligationem rei promiſſæ parere, ſi vel ex parte promittentis; vel acceptantis pro eo tempore, quo utriuſque voluntarius conſenſus concurrere deberet, & contractum complere, ratio voluntarii deficiat. Quòd ſi tamen nuntius ad abſentem miſſus non præcisè jubeatur promiſſionem jam factam ſignificare, aut per traditionem rei promiſſæ exequi, ſed eam ipſe alterius nomine facere in mandatis habeat, tunc niſi huic revocatio commiſſionis priùs innoteſcat, tenetur promiſſor approbare, & ratificare actum ſuo nomine perpetratum, adeòque promiſſarius non quidem acquirit jus in re ex actu invalido propter Authoritatis delegatæ retractationem, acquirit tamen jus ad rem, ſcilic. ad eam per actionem perſonalem ſibi vindicandam, ut colligitur *ex leg.* 26. *Inter cauſas ff. Mandati*.

Quartò in definitione promiſſionis dicitur, quòd 376
debeat eſſe de re quapiam bona, & poſſibili: ad inhoneſtum enim, & impoſſibile nemo poteſt obligari, adeòque, nec promiſſio fieri. Si verò res, quæ promittitur, bona quidem ſit, ſed cauſa mala, ac inhoneſta, major eſt controverſia poſt cauſæ illius impletionem; nam ante conveniunt omnes non ſolùm nullam eſſe obligationem perſiſtendi in promiſſis, verùm etiam eſſe obligationem non perſiſtendi, ne alteri ad actionem inhoneſtam illicium præbeatur, propter quod illicium evitandum jure poſitivo *in leg. Si unus* 37. *digeſt de Pactis*, irritæ ſunt etiam aliæ promiſſiones, præbentes occaſionem peccandi, verbi gratia ſi promittas immunitatem pœnæ ante delictum commiſſum. Impleta itaque cauſa, ſub cujus conditione promiſſio erat facta, nullam tamen obligationem oriri, ſolvendi promiſſum Navarrus, & alii à Covarruvia *in Reg. Peccatum part.* 2. §. *ſecundo*, relati docuerunt, eò quòd ſolutio, & receptio rei promiſſæ videatur eſſe criminis approbatio, & actio turpis pretio non ſit æſtimabilis: & alii præſertim Canoniſtæ idem aſſerunt, quando cauſa eſt tale crimen, quod legibus punitur, ut maleficium, adulterium, ſacrilegium, inceſtus, homicidium; iniqua ſententia, &c. quia *in leg. Generaliter digeſt. de Verborum obligationibus, & leg. Iuris gentium §. ſi ob maleficium ff. de Pactis* irritatur ſtipulatio ob turpem cauſam. Verùm Theologi communiter has Leges explicant de irritatione obligationis in foro externo, ſcilic. parientis actionem judicialem; & ideò concedunt ex Promiſſione anteà reſcindibili, poſteà turpi opere patrato oriri obligationem ſtandi promiſſis, non tantùm ſi in foro externo crimen nulli ſit ſubjectum pœnæ, adeòque etiam in illo promiſſio actionem pariat, & juxta §. *ſed quod meretrici digeſt. de Condictione ob turpem cauſam*, res ſoluta repeti non poſſit, ſed etiam ſi ſubjectum ſit pœnæ: rationem dant, quia licèt opus turpe, quatenus inhoneſtum eſt, non ſit pretio æſtimabile, eſt tamen æſtimabile, quatenus operanti damnoſum, ac laborioſum, petenti verò utile, ac commodum invenitur, qui finis ab inhoneſtate æquè præſcindi poteſt, ſicut ad evitandam Simoniam in operibus quibuſdam ſpiritualibus, & quoad ſpiritualitatem ſuam

inven-

invendibilibus ſimilis finis in ordine ad æſtimationem pretii præſcinditur: hinc ſolutio debiti ex promiſſione oneroſa ob cauſam turpem orti non eſt etiam approbatio criminis, ſed ſolummodò ſatisfactio obligationis, nulla Lege in ordine ad forum conſcientiæ irritatæ.

377 Hæc pro natura, & obligatione promiſſionis declaranda ex definitione deduximus; ſubjungo nunc etiam, quo modo illius obligatio rurſum deſinere ſeu ceſſare poſſit: contingit autem iſtud primò; ſi res promiſſa, vel ſtabiliter fiat illicita, vel impoſſibilis, vel inutilis ſimpliciter ad finem per promiſſionem gratuitam intentum, modò ſolutio non fuerit culpabiliter neglecta, vel dilata; aliàs reſtitutio damni in re actu debita illati propter violatam juſtitiam, latiùs ſumptam, ſeu fidelitatem facienda eſſet. Secundò deſinit promiſſionis obligatio, ſi ſtatus rerum, vel perſonarum ita notabiliter mutetur, ſive à patre rei, ſive in cognitione promiſſoris, ut ſecundùm judicium prudentum is meritò ſupponatur, pro eo caſu ſe noluiſſe obligare, quomodo ſupponitur etiam mutatus ſtatus, vel ad non ſervandum, vel ſuſpendendum promiſſum, ſi promiſſarius ſuas repromiſſiones ſive ob finem recompenſationis, ſive ob alium factas, vel negligat, vel differat exequi. Ratio primi membri ex dictis manifeſta eſt: ſecundum probatur à priori, quia obligatio promiſſionis dependet ab intentione promittentis, ſed intentio promittentis non minùs rationabiliter ſupponitur ad caſus judicio prudentum excipiendos, ſe non extendere, quàm id ſupponatur de intentione Legislatoris per Epikeiam explicanda ergo &c.

ARTICULUS II.

De Donatione.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit Donatio.

SUMMARIUM.

378 *Quid ſit donatio, & in quibus conveniat, & in quibus differat à promiſſione.*

379 *Diviſio donationis in eam, quæ eſt inter vivos, & quæ eſt mortis cauſa, & qualis in dubio præſumatur.*

380 *Quomodo donatio mortis cauſa ſit partim ſimilis, partim diſſimilis donationi inter vivos, & diſpoſitioni per ultimam voluntatem.*

378 Donatio facta tantùm verbali abſque reali traditione, poſtquam jure naturali, dependente à conditionibus legum poſitivarum, non ampliùs transfert dominium rei donatæ, ſed tantùm jus ad rem, quoad prædictum effectum non differt à nuda promiſſione, quoad modum tendendi verò ipſius actus diſtinguitur in hoc, quòd promiſſio pro objecto habeat obligationem futuræ translationis propriæ rei in alium, donatio autem ex vi ſui modi tendendi ſit actualis abdicatio proprii dominii, & in alium translatio, per futuram traditionem rei complenda, vel per præſentem jam completa: unde definitur liberalis propriæ rei alteri facta conceſſio: colligitur *ex leg. 1. & ſequentibus ff. de Donationibus*. Convenit cum promiſſione gratuita primò, quòd, & ipſa excludat præcedens debitum juſtitiæ, unde dicitur liberalis, etiamſi ex debito charitatis, vel gratitudinis oriatur. Secundò, quòd ad eam quoque requiratur externa acceptatio, ſine hac enim actus promiſſionis, & donationis appellatur pollicitatio. Tertiò, quòd iiſdem ferè legibus reguletur; unde pleraque, quæ de promiſſione dicuntur, etiam donationi applicari poſſunt, & viciſſim.

379 Dividitur donatio in eam, quæ eſt inter vivos, & in eam, quæ fit mortis cauſa cum, vel ſine traditione rei. Prior, ac propriiſſimè dicta donatio eſt liberalis propriæ rei alteri irrevocabiliter facta conceſſio; poſterior eſt liberalis propriæ rei in tempus mortis alteri revocabiliter facta conceſſio: quæ duplici modo fieri poteſt, ſcilicet vel tantùm pro tempore mortis ex præſenti periculo eventuræ, ita ut ea non eveniente donatio ob defectum conditionis evaneſcat: vel poteſt fieri abſolutè, pro quocumque mortis tempore, quomodo, ut in periculo mortis conſtitutus donationem feciſſe cenſearis, id omninò exprimendum eſt; aliàs priore modo feciſſe cenſeberis.

Ut autem mens donatoris, volueritne donationem inter vivos, vel mortis cauſa facere, rectè colligatur, verba, & circumſtantiæ obſervandæ ſunt; ſi enim nulla fiat mentio mortis, quamvis ab infirmo, & morti proximo donatio inſtituatur, tamen donatio inter vivos cenſetur, utpote quæ magis propriè donatio eſt, pro qua in dubio mens donantis accipi ſolet: conſtat *ex leg. Seia §. fin. ff. de Mortis cauſa donationibus*. Imò etiamſi mortis mentio fiat, ſi ea tamen ſolummodò apponatur executioni donationis, veluti ſi dicas: dono Titio aureum calicem, qui poſt mortem meam ei tradetur: donatio inter vivos reputatur; cui juxta communiorem, & probabiliorem ſententiam æquivalet donatio facta quidem per verba ſignificantia donationem mortis cauſa, ſed conjuncta cum pacto illam non revocandi, quod cùm eſſentiæ donationis mortis cauſa præjudicet, ne actum inutilem reddat, cum *juxta leg. Ubi ita donatur, ff. de Mortis cauſa donationibus*. In donationem inter vivos convertit, & vel hanc fuiſſe, vel in hanc mutatam eſſe mentem donatoris declarat: unde qui nequeunt facere donationem inter vivos, nequeunt facere donationem cauſa mortis tali pacto adjecto: neque ab illa licet Falcidiam detrahere (ut habetur *l. cit. Ubi ita donatur*. Nec obſtat lex *Si alienam rem* 13. & *leg.* 35. §. *quarto de Mortis cauſa donat.* Quia licet ibi dicatur, donationem cauſa mortis irrevocabiliter fieri poſſe, non tamen dicitur, eam retinere naturam donationis cauſa mortis; imò non retinere advertit Gloſſ. in cit. *l.* 35. *verſu Donator*: & ſic etiam reſpondendum eſt ad *Novell.* 87. *capit. unico*; quia ibi expreſsè dicitur, nihil novi ſtatui, ſed quod antiquo jure ſtatutum eſt, declarari.

Cæterùm inter diſpoſitionem ultimæ voluntatis, & donationem inter vivos, donatio mortis cauſa ſic media incedit, ut ab utraque aliquid participet, & conſequenter ab utraque differat. A donatione inter vivos participat, quòd ad illam requiratur acceptatio donatarii, & quòd poſt mortem donantis ad acquirendum dominium rei non requiratur acceſſio hæreditatis, ſed jam habeatur completum: unde ante aditam hæreditatem res, vel ab hærede, vel curatore, vel alio quocumque poſſeſſore, aut executore teſtamenti repeti poteſt. A diſpoſitione ultimæ voluntatis multa participat, quæ enumerat Palao *diſp.* 2 *punct.* 13. *numer.* 5. nimirum quòd exigat eandem ſolemnitatem teſtium, pauciorum tamen, nam cui ad teſtamentum neceſſarii ſunt ſeptem, ei ad donationem cauſa mortis, ſicut ad codicillum ſufficiunt quinque *juxta l. g. ultim. Codic. de Donationibus cauſa mortis*: quòd eodem modo ſit revocabilis, quòd capacitas donatarii, & donatoris deſumatur à tempore, quo donator mortem oppetiit: quòd rupto teſtamento, vel codicillo invalidetur etiam donatio in illo contenta: quòd excedens ſummam quingentorum ſolidorum non indigeat inſinuatione: quòd conditiones impoſſibiles veluti non adjectas repellat: quòd gaudeat Privilegio cautionis Mutianæ, & ſubeat debitum Falcidiæ *juxta leg. Cùm Pater paragraph. Eorum ff. de Legatis ſecunda*. Eſt autem Falcidia ea pars bonorum, quam detrahit hæres à legatis, vel donationibus cauſa mortis factis, quouſque impleat ſuam legitimam, ab illis legatis, vel donationibus diminutam, ſi ſit hæres neceſſarius, vel quouſque ſeparet quartam partem bonorum, ſi ſit hæres, cui nulla debeatur legitima. 380

§. II.

§. II.

A quo poſſit fieri donatio.

S V M M A R I V M.

381 *Quomodo inter Conjuges, & inter Parentes, ac Liberos donàtiones fieri poſſint.*

382 *Filiusſam. de Bonis Adventitiis; etiam de illis, quorum habet adminiſtrationem, & uſumfructum, non niſi ex patris conſenſu donare mortis cauſa poteſt: eo vero obtento poteſt ſic donare, etiamſi nequeat teſtari ad cauſas profanas.*

383 *Minores puberes ſine conſenſu Curatoris mortis cauſa donare valent, ſicut, & teſtari.*

381 CUinam conveniat poteſtas faciendi donationem inter vivos, patet ex dictis *a num.* 342. quibus duæ aſſertiones adiiciendæ ſunt. Prima eſt, quòd licèt conjuges alios contractus irrevocabiles mutuò inire valeant *juxta leg.* 5. §. 5. *Si ſponſus ff. de Donationibus inter virum, & uxorem*, contractum tamen donationis, ſive abſolutum, ſive à conditione nuptias ſubſequente pendentem, tam maritus, quàm uxor, ne ex imprudenti amore alteruter ſe bonis ſuis ſpoliet, quovis tempore revocare poſſit, quouſque facta priùs rei traditione, deinde per mortem donatoris confirmetur (quo in caſu retrotrahitur donatio ad tempus traditionis rei) ut dicitur in *l.* 32. *tit. cit.* niſi juramento de non revocando antè fuerit ſtabilitus, vel aliàs ſpecialiter exceptus: uti excipiuntur donationes inter perſonas principes non ſubjectas Legi civili, vel factæ ob inſtaurationem ædium ſuccenſarum *l.* 14. *tit. eod.* aut acquirendæ dignitatis gratia, *l.* 40. *Quod adpiſcendæ ff. Eodem*, aut remunerationis cauſa *l* 7. *Quod autem §. ſi vir ff. Eod.* Secunda aſſertio eſt, quòd eadem, quæ de donationibus conjugum dicta ſunt, circa donationes Patris filio legitimo, & nondum emancipato factas, dicenda ſint *juxta l. Cum de bonis C. de Donationibus*. Pater enim ob poteſtatem in filium eadem cum illo quoad donationes perſona habetur, ita ut nullum firmum jus in eundem transferre queat: quæ tamen ratio, ſeu legum conſtitutio non eodem modo teſte Leſſ. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 90 Obeſt firmitati donationum Matris erga filios, nec filiorum erga Patrem, & Matrem de bonis Caſtrenſibus, aut quaſi Caſtrenſibus; imò nec derogat donationi Patris erga filium emancipatum, vel illegitimè natum, qui Jure Cæſareo non ſubiicitur Patri: aliis tamen legibus, ſi ſpurius ſit, impeditur quidquam ultra ſuſtentationem, vel ultra unam unciam, ſi naturalis ſit, & deſcendentes legitimi ſuperſint, dono recipere, prætereà tamquam ſtatim validæ donationes ratificantur, ſi à Patre aliquid detur in dotem, vel ad matrimonium celebrandum, vel aliquid mobile donetur eunti ad bellum, vel ad palatium Principis, vel ad profitendam diſciplinam pro libris comparandis, vel ad alios fines, nomine honeſtæ ſuſtentationis comprehenſos; vel ſi uſumfructum remittat ex bonis adventitiis filii, vel denique ſi talis ſit donatio, qualis etiam inter conjuges pro firma habetur.

382 Quæſtio nunc eſt de donationibus mortis cauſa, quibus earum facultas competat: amplior enim hæc videtur eſſe, quàm poteſtas donandi inter vivos. Reſpondetur primò ex communi ſententia, quòd etiamſi *juxta l. penult. C. Qui teſtamenta facere poſſunt*, filiusfamilias, etiam pubes, inhabilis ſit ad condendum teſtamentum in cauſas profanas ex bonis adventitiis, & profectitiis (nam ex reliquis poteſt *juxta l. ultim.*) tamen accedente expreſſo Patris conſenſu (vel judicis, quando Patri donatio fieret, quia *juxta leg.* 1. *ff. de Authoritate tutorum*, nemini videtur conceſſum eſſe in proprium commodum ſuam authoritatem interponere, ut obſervat Clarus §. *donatio quæſt.* 6. *num.* 7. Palao *diſp.* 2. *punct.* 16. *num.* 3. Layman. *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 3. *num.* 2) donationem mortis cauſa facere poſſit bonorum etiam adventitiorum. Ratio eſt, quia expreſsè ſtatuitur *l. Tam is §. ſi in familias ff. de Mortis cauſa donationibus*. Unde licèt juxta conſtitutionem legum rectè inferatur ex eo, quod quis poſſit facere teſtamentum, poſſit enim facere donationem mortis cauſa, non tamen viciſſim abſque hac exceptione, quam unicam obſervavit etiam Gloſſ. in citatam legem, rectè inſertur, quòd, qui prohibetur facere teſtamentum, prohibeatur etiam facere donationem mortis cauſa: ſicut ergo filiusſamil. poteſt cum conſenſu Patris inire alios contractus v. g. facere donationem inter vivos, ſic etiam ſuppoſito conſenſu Patris poteſt facere contractum donationis mortis cauſa, etiamſi bona ſint tantùm adventitia, quia Patre conſentiente, extra confectionem teſtamenti poſitivo jure exceptam, circa illa filiusſam. tam liber eſt, quam circa caſtrenſia: imò quando filiusſam. aliquorum adventitiorum bonorum adminiſtrationem, & uſumfructum poſſidet, Palao *diſp.* 2. *punct.* 16. *num.* 4. alios referens contra communiorem docet, neque conſenſum Patris requiri, eò quòd iſte non ut forma ad ſolemnitatem actus ſpectans, ſed ne juri paterno uſufruendi præjudicetur, in *l. Filiusſam. ff. de Donationibus* exigatur. Verùm hoc credo minùs probabiliter aſſeri; nam etiamſi conceſſa poteſtate donandi inter vivos, non ampliùs, imò minùs præjudicetur juri paterno, ſi idem conſenſus transferatur ad donationem mortis cauſa: nihilominus tamen *in citata l.* §. 5. negatur, quòd qui poteſt donare inter vivos, hoc ipſo poſſit ſine expreſſo conſenſu Patris donare mortis cauſa: ergo ſignum eſt, conſenſum illum requiri, ut formam eſſentialiter neceſſariam; aliàs eodem jure dicere liceret, quod ſicut filiusſam. poteſt de bonis adventitiis teſtari ad pias cauſas præſtito conſenſu Patris, ſic etiam ſine eo poſſit, quando Pater non habet uſumfructum, quod eſt contra communem DD. ſententiam.

Reſpondetur ſecundò, etſi ex multorum ſententia, 383 quos refert, & ſequitur Pal. *punct.* 17. Minores puberes non poſſint donare mortis cauſa bona adventitia ſine authoritate Curatoris, probabiliùs tamen oppoſitum aſſeritur à Baldo, & aliis ab eodem Palao relatis, qui non ſatis conſequenter videtur conſenſum Curatoris, tamquã formam ſolemnitati donationis mortis cauſa eſſentialem aſſerere, & idem negare de conſenſu Patris, quando filiusſam. aliquorum bonorum adventitiorum adminiſtrationem, & uſumfructum habet. Nam ſicut conſenſus Patris in bonis adventitiis, quorum uſumfructum retinet, requiritur ad præcavendum præjudicium Patris, ſic conſenſus Curatoris requiritur ad præcavendum præjudicium minoris, ne ex imprudentia ſua, vel fraude aliena damnum patiatur: ergo etiam ſicut ceſſante præjudicio Patris ceſſat neceſſitas conſenſus Paterni, ſic ceſſante præjudicio Minoris ceſſabit neceſſitas conſenſus Curatoris: atqui in donatione mortis cauſa, præſertim abſque traditione rei, & fructuum conceſſione facta ceſſat præjudicium Minoris ergo &c. Principaliter autem probatur reſponſio: quia *l. Cum hic ſtatus* §. 8. *ff. de Donationibus inter virum, & uxorem* univerſaliter dicitur, quòd mortis cauſa donare poſſit, cui teſtari permiſſum eſt: ſed Minori puberi permiſſum eſt teſtari ſine Authoritate Curatoris ergo &c. Confirmatur *ex l. Filiusſam. de Donationibus*: ubi pro ratione, quod filiusfamil. bonum caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe mortis cauſa, & non mortis cauſa donare poſſit, aſſignatur, quia teſtamenti factionem habet; atqui hæc ratio non eſſet bona, ſi Minor pubes poſſet teſtari de bonis adventitiis, nec tamen mortis cauſa donare: ergo debet poſſe donare. Neque obſtat, quòd in citata Lege §. 4. dicatur: *Pari ratione, quæ donare filiusſam. prohibetur, etiam mortis cauſa donare prohibebitur*: Nam textus loquitur non de Minore nullum ampliùs Patrem habente, ſed de filioſam., unde quando Patri conſenſum præbenti nulla ampliùs fit injuria, etiam filius donare mortis cauſa ibidem permittitur.

Reſp. tertiò. Etiam illis de bonis, de quibus uxor non poteſt celebrare contractus, vel donationem inter vivos ſi tamen poſſit teſtamento diſponere, poteſt etiam donationem facere mortis cauſa. Ratio eadem eſt, cum proximè allata.

§. III.

§. III.

Quanti pretii donatio fieri poſſit.

S V M M A R I V M.

384 *Donatio ſupra 500. ſolidos quoad ſuum exceſſum invalida eſt, ſine Inſinuatione facta, ſaltem in foro externo.*

385 *Imò etiam in foro interno eſt invalida ſine Inſinuatione apud Judicem: Inſinuationis nomine autem non requiritur etiam Judicis conſenſus.*

386 *Excipiuntur aliquæ donationes, etiam ſine Inſinuatione quoad exceſſum ſupra 500. ſolidos validæ.*

387 *Donatio omnium Bonorum, quamvis ad 500. ſolidos non aſcendat, nequit fieri irrevocabiliter ad cauſas profanas, niſi juramento firmetur.*

384 NE cives nimiis, & vel ex donantium imprudenti liberalitate, vel donatariorum fraude profectis largitionibus, non ſine gravi Reipublicæ damno, cui conducit habere cives locupletes, ſeipſos exhaurirent, antiquo jure *l. Sancimus Cod. de Donationibus*, cautum fuit, ut donatio ultra 300. ſolidos abſque inſinuatione facta nullius roboris eſſet, recentiore tamen Jure in *l. pe C. de Donationibus ſub Finem* facultas donandi ad 500. ſolidos (id eſt, ad 700. vel 800. aureos Italicos, ut ſecundùm aliquos computat Laym. vel ad ſeptingenta Scuta Hiſpanica, ut teſte Claro *q. 15. num. 1.* communis eſt opinio, vel etiam ad octingenta Scuta aurea, ut Palao Romanos ſolidos æſtimat) fuit redacta, ita ut exceſſiva donatio non quidem tota (utile enim non debet per inutile vitiari, quando utile ab inutili ſeparari poteſt, ut dicitur in *l. Sancimus juncta Gl. Verbo Superfluum*) ſed quoad exceſſum ultra prædictam ſummam penitus foret infirma, quod Molin. Rebell. Leſſ. Laym. & alii ita intelligunt, ut aſſerant in foro conſcientiæ quidem validam, ac proinde ipſe etiam exceſſus, quamdiu non repeteretur, à donatario retineri poſſet, licitè donatoris jus, vel ignorantiam, ut Leſſ. advertit, diſſimulante, ad nutum tamen à donante, vel hæredibus illius quocumque tempore revocabilis maneret, niſi cum inſinuatione facta eſſet.

385 Verùm Palao citans Gregor. Lopez, Gutierez Duenam Em. Saà, & communiorem Sententiam, non improbabiliter negat, etiam in foro conſcientiæ validam fore donationem, quoad exceſſum abſque inſinuatione, quod videntur citatæ Leges, & *l. Donationes, quas Parentes Cod. de Donationibus inter Virum, & uxorem* etiam indicare: Eſt autem inſinuatio factæ, vel faciendæ donationis coram judice manifeſtatio; quæ etſi non conſueta ſolemnitate Scripturæ, & approbationis judicialis in acta relatæ, & cùm deſcriptione donatario traditæ, ſed quomodocumque inſtituatur ſive verbo; ſive ſcripto, ſive donatione in præſentia judicis exercita, donationem etiam exceſſivam firmam, ac irrevocabilem reddit, eò quòd teſte Julio Claro *q. 15. num. 5.* Sola judicis præſentia ſufficiat, neque cauſam cognitio, neque decretum neque à judice conceſſa facultas, ſeu conſenſus, ut Leſſ. contra Laym. & alios teſtatur, intervenire debeat, perinde ſicut in contractu Matrimonii requirit præſentia Parochi. Illa enim judicis præſentia à Lege ad hunc finem exigitur, & ad eum etiam conſequendum ſufficit, ut nimirum donatio majori deliberatione fiat, & fraus donatarii, judicis prudentia, ac inveſtigatione caveri poſſit, ob cujus periculum, non verò, ut Rebell. exiſtimavit, præſumptionem, ad avertenda damna Reipublicæ Lege conceſſa eſt poteſtas revocandi donationem ſine inſinuatione quoad exceſſum ultra 500. ſolidos, ſi ea uno moraliter actu, eidem, vel pluribus donatariis facta, aut promiſſa eſt facienda; promiſſio quippè efficax æquivalet donationi, ſicut etiam remiſſio debiti certi, vel ſolutio ſupra debitum.

386 Excipiuntur tamen à cit. Lege, donationem exceſſivam ſine inſinuatione præſtitam, ſaltem ſuppoſita revocatione, irritam decernente, ſequentes donationes: primò ſi donatio armetur adjecto juramento eam non revocandi, ut teſte Clar. *quæſt. 18. num. 1.* ſub finem communis hodie Legiſtarum, & Canoniſtarum opinio conſentit, & ex fundamentis ſupra poſitis colligitur. Secundò ſi donatio non ſit ſimplex, ſed remuneratoria, facta ſcilicet propter præcedentia merita in donatione ſpeciatim expreſſa, & proportionata rei donatæ exceſſui, conſiderata perſona donatoris, ac donatarii. Tertiò ſi donatio ſit mutua, & compenſativa exceſſus. Quartò, ſi facta ſit à Principe, ut conſtat ex *l. Sancimus Cod. de Donationibus*, vel facta ſit Principi, ut habetur *Authent. Item à privatis C. de Donat.* Quintò ſi præſtita ſit ob cauſam redimendi captivos, vel reparandi ædes incendio, aut ruina dirutas, vel præmiandi milites ex bonis mobilibus belli Ducis, aut hoſtium ſpoliis *juxta leg. penultim. Cod. de Donationibus*, vel propter quamcumque aliam piam cauſam ſecundùm communem ſententiam apud Julium Clarum *qu. 17.* deſumptam ex *leg. Sancimus* citata. Sextò, ſi donatio ſit cauſa mortis *l. ul. C. de Donationib. cauſa Mortis*. Septimò aliqui cum Baldo *l. Si mortis col. 2. Cod. ad legem Falcidiam*, putant donationem inter patrem, & filium, maritum, & uxorem donatoris morte confirmatam, etiam quoad exceſſum ultra 500. ſolidos abſque inſinuatione confirmari; contrarium tamen, niſi per ultimam voluntatem ſpecialis ratificatio acceſſerit, eſt deciſum in *l. Donationes, Quas parentes, C. de Donationibus inter Virum, & uxorem*.

Præter donationem 500. ſolidos excedentem etiam omnium bonorum præſentium, ac futurorum donatio inter vivos, quamvis prædictam ſummam non æquarent jure civili non quidem manifeſto, ſed ita communiter recepto irrita, ſeu potiùs revocabilis conſtituta eſt, niſi donator tantam ſibi partem reſervaverit, quæ non ſolùm ad tenuem ſaltem ſuſtentationem, ſed etiam ad teſtamenti confectionem ſufficiat; eò quòd non conveniat Reipublicæ cives pauperes, & ad teſtandum inhabiles habere, ut colligitur ex *l. Stipulatio hoc modo concepta ff. de Verborum obligationibus*, quia tamen reſervata revocabilitate donationis, hoc ipſo tollitur Inhabilitas ad teſtandum, ideò neceſſe non fuit, ut contra pleroſque Juriſtas rectè obſervat Leſſ. *lib. 2. cap. 18. numer. 96.* hujuſmodi donationem ſi fiat revocabiliter, etiam invalidam reddere: & quia præterea honeſtum eſt donationis fidem, quamvis indebitam, ſervare, ideò accedente juramento non revocandi donationem, eadem rectè dicitur irrevocabilis reddi, ac confirmari cum citat. Leſſ. Molin. *diſputat. 280.* Laym. *lib. tertio tractat. quarto capitul. 12. quæſt. quarta*, Claro *quæſt. 18.* contra Palaum, & plurimos alios. Cùm tantùm ſi paſſim cives inhabiles ad teſtandum redderentur, Reſpublica incommodum ſuſtineret, non autem ſi in reverentiam juramenti, firmata donatione inhabilitentur: unde etiam communis ſententia teſte Leſſ. donationem omnium bonorum factam ad pias cauſas firmam, ac irrevocabilem agnoſcit. 387

ARTICULUS III.

De Commodato, Precario, Depoſito.

S V M M A R I V M.

388 *Quid ſit Commodatum, & quid Precarium, & quomodo utrumque diſtinguatur ab aliis contractibus.*

389 *Quid ſit Depoſitum, & quomodo differat à prioribus, & aliis contractibus.*

390 *An, & quando ex conſenſu Domini præſumpto liceat rem commodato, vel precario conceſſam, aut cuſtodiæ commiſſam ad alium uſum adhibere, vel abſumere.*

391 *Qualis ſit obligatio Commodatarii circa conſervandam rem alienam.*

392 *Qualis ſit obligatio accipientis Precarium.*

393 *Qualis ſit obligatio accipientis depoſitum.*

394 *Qualis ſit obligatio, ſine propria rei jactura non valentis ſervare alienam.*

AD contractus gratuitos reducimus modò nominatos, licèt enim per illos dominium rei nullum concedatur; confertur tamen aliquod ſaltem imperfectum jus in

in recipientem; & licèt hoc cum aliqua mutua obligatione conferatur, iſta tamen non titulo compenſationis exigitur, ſed ex Dominio, ac poſſeſſione naturali, ac civili à Domino directo ſibi retentis naſcitur: dicendum igitur eſt, quid ſint præfati contractus, & quam obligationem ex parte dantis, aut accipientis inducant.

388 Commodatum ſpecialiter ſumptum prout à precario differt, ſeu potiùs commodatio, eſt gratuita conceſſio rei ad ſolum uſum pro tempore expreſsè, vel tacitè determinato: per hoc, quòd ſit gratuita differt à locatione, quòd ſit conceſſio ad ſolum uſum, quamvis per illum res aliquo modo deterioretur, differt à mutuo, quale ſolet eſſe, quando uſus conjungitur cum abſumptione rei; unde cùm ille ab hac ſeparabilis non eſt, nequit res commodato concedi *leg. 3. ff. Commodati in fine*, quia abſumptio (non verò deterioratio) tollit dominium rei, cujus penes commodantem perſeverantia eſt de eſſentia commodati, quòd denique ſit pro tempore determinato, differt à precario; hoc enim definitur gratuita conceſſio rei ad ſolum uſum pro tempore, nec expreſsè, nec tacitè determinato: nam licèt dans precarium poſſit ſignificare tempus, ultra quod non velit ipſum accipienti relinquere, nequit tamen ſalva eſſentia contractus precarii determinare tempus, intra quod non liceat ſaltem ob juſtam cauſam ab altero invito, ſi ſibi placuerit, repetere, ut dicitur *in l. Cùm de precario ff. Precario*: commodatum verò, poſtquam gratuitò eſt pro determinato tempore conceſſum, abſque commodatarii conſenſu recipi non poteſt, *l. In commodato §. ſicut ff. Commodati, & cap. unico tit. eod.* ſaltem niſi abſque gravi, & majori, quam reſtituentis damno, anteà non præviſo, commodans re ſua carere nequeat, ad quod tamen ſuſtinendum probabiliùs contra Navar. *in Manuali c. 17. num. 182.* à Mol. *diſp. 294. §. Contrarium* Leſſ. *lib. 2. cap. 27. dub. 5.* Laym. *cap. 14. num. 3.* Palao *diſp. 3. punct. 5. num. 4.* ſupponitur non ſe obligaſſe, adeòque ad illud evitandum rei ſuæ ante tempus recipiendæ jus ſibi reſervaſſe, neque rectè arguitur, fore, ut, ſi donatio uſus pro longiori tempore propter imminens grave damnum revocari queat etiam ipſius rei, donationem revocare liceat, nam non revocatur, ſed potiùs excipitur uſus conceſſio, ne cenſeatur tranſire in abſolutam pro ulteriori tempore, ſi dominio directo eſſet occaſio gravis damni.

389 Depoſitum formaliter non pro re, ſed pro depoſitione acceptum eſt traditio rei in cuſtodiam alterius, ut colligitur ex *l. 1. & ſeq. ff. Depoſiti* differt à commodato, & precario, quod non concedatur directè uſus rei, magiſque in deponentis, quàm depoſitarii utilitatem cedat. Species depoſiti eſt etiam ſequeſtratio, qua res litigioſa, vel partium ſpontaneo conſenſu, vel judicis mandato alteri cuipiam aſſeveranda traditur uſque ad litis deciſionem. Conjungitur depoſitum ſæpè cum alio contractu, locationis, mutui, &c. quando nimirum etiam uſus rei, vel ejus abſumptio cum obligatione reddendi aliam ejuſdem bonitatis conceditur, vel quando depoſitario ſalarium ſolvitur.

390 Quær. 1 An re commodata, precaria, vel depoſita quandoque ex præſumpta domini voluntate aliter, quàm quo modo ipſe conceſſit, uti liceat. Reſp. Quamvis ſecluſa rationabili cauſa domini conſenſum præſumendi re aliena utens in jure *l. 3. Cod. Depoſiti* furti arguatur, ea verò interveniente probabiliter non peccet ſaltem graviter, & illam intervenire rationabiliter, etiam ſupponere poſſit, qui moraliter certus eſt, uſu rei nullum ſe domino damnum illaturum, vel rei etiam abſumptæ, aut alienatæ aliam ejuſdem bonitatis facilè, quandocumque dominus voluerit, ſe reſtituturum, quo caſu theſaurarii Principum, vel famuli mercatorum quandoque à gravi ſaltem peccato excuſari poſſunt teſte Palao *diſp. 3. punct. 3. n 3.* Rebello *[illegible] b. 16. q. unica* [illegible]. 20 Laym. *lib. 3. tract. 4 cap. 25. num. 4.* nihilominus jure civili hujuſmodi uſus, qui in conſumptione, vel alienatione rei conſiſtit, meritò prohibetur *lib. 1. & 2. De his, Qui ex publicis Rationibus*. Ratio eſt, quia plerumque uſus iſte non vacat periculo gravis damni, domino, vel creditoribus illius, vel aliis inde orituri, eò quòd plerumque prædictum uſum exercens rem, cùm deberet, reddere non poſſit; unde ſicut ratione inevitabilis periculi poſſet exigi cenſus, ſic rei gratuitus uſus per ſe loquendo à gravi peccato excuſari non poteſt.

Quær. 2. Qualis ſit obligatio commodatarii ad præca- 391
vendum, vel reparandum interitum, aut deteriorationem rei commodatæ. Reſp. Triplicem in Jure diſtingui obligationem diligentiæ circa rem alienam, cui triplex quoque culpa opponitur, ſcil. lata, levis, leviſſima, prout nimirum ponitur omiſſio diligentiæ, vel ab hominibus communiter, vel à diligentioribus, vel à diligentiſſimis adhiberi ſolitæ; ſi itaque res commodata eſt in ſolius recipientis utilitatem, obligatur ille ex contractu in poſitivo Jure fundato, ad evitandam culpam etiam leviſſimam *cap. unico de Commodato, Lege In rebus ff. Commodati*, niſi commodatarius ſit pupillus, aut Minor; iſte enim ſine tutoris, vel curatoris conſenſu commodatum accipiens tantùm obligatur ad evitandam culpam Theologicam, & ſolùm ex delicto ratione doli, vel ex re accepta, quantùm ex abſumptione rei eſt ditior factus, ad reſtitutionem tenetur *leg. 1. §. ult. leg. 2. & 3. ff. commodati juncta l. 1. §. 15. ff. Depoſiti*, ſi autem in ſolius dantis utilitatem res commodata eſt v. grat. conceſſit tibi dominus equum ad accelerandum iter pro negotio illius expediendo, ſolùm latæ culpæ evitandæ obligatione teneris *l. Si ut certò §. 10. ff. commodati*, ſi denique in utriuſque utilitatem commodatum ordinatur, levis culpa caveri debet *l. In rebus ff. commodati, & leg. contractus 23. ff. de Regulis Juris*, undè commiſſa aliqua hujuſmodi culpa etiam ſolùm juridica, quæ præciſè in omiſſione diligentiæ debitæ conſiſtit, ſive facta ſit cum, ſive ſine advertentia ad ullam obligationem, ex communi DD. ſenſu etiam in foro conſcientiæ, & ante ſententiam judicis tenetur commodatarius non ex delicto, ſed ex contractu ad æſtimationem damni compenſandam, quamvis id negent Sotus, Ledeſma, Henriq. Saà apud Palaum *diſp. 3. punct. 6.* innixi falſo fundamento, dum putant commodatarium dumtaxat ex culpa Theologica gravi in conſcientia teneri ad reſtitutionem.

Omiſſioni diligentiæ debitæ æquiparatur culpa præcedens, quando ſcil. ex juxta detentione rei ultra præfixum tempus, vel ex uſu nec data, nec rationabiliter præſumpta licentia conceſſo etiam ſolùm caſuale, vel fortuitum damnum res patitur, quod apud dominum ſuum, vel extra talem uſum paſſura non fuiſſet; ut habetur *capit. unico de commodato*, & colligitur *ex §. item is, verſu At is, Inſtit. Quibus modis contrahitur Obligatio.*

Quærit. 3. Qualis ſit obligatio accipientis precarium? 392
Reſpond quia precarium quocumque tempore repeti poteſt, & liberaliter conceditur; ideò ſecluſa ſpeciali conventione, jura etiam in ſuam dumtaxat utilitatem accipienti precarium non majorem obligationem impoſuiſſe, quàm evitandi, vel reparandi dolum, id eſt, culpam Theologicam, etiamſi damnum non ſit animò nocendi, ſed mala tamen fide factum *leg. Contractus ff. de Regulis Juris leg. Quæſitum §. eum quoque ff. de Precario*, ubi in fine §. additur: *culpam tamen dolo proximam contineri, quis meritò dixerit*: quæ verba de culpa Theologica non animo nocendi commiſſa intellige, qualis in foro externo ex culpa juridica lata præſumitur.

Quær. 4. Qualis ſit obligatio depoſitarii? Reſp. ſi de- 393
poſitum, ut communiter fieri ſolet, in ſolius deponentis utilitatem alterius rogati cuſtodiæ tradatur, niſi conventione, ſeu pacto aliter ſtatutum fuerit, vel culpabilis mora interceſſerit, illum ſolum teneri de dolo, adeòque ob culpam Theologicam *l. contractus cit. leg. Si ſine ff. Depoſiti §. præterea Inſtit. Quibus modis re contrahitur Obligatio*, ubi expreſsè dicit Ulpianus, culpæ nomine, id eſt, ratione omiſſæ diligentiæ, quæ culpa ſolùm juridica eſſe poteſt, non teneri; ratione alterius culpæ autem, quæ committitur ratione moræ, ſeu injuſtæ detentionis poſt repetitionem depoſiti teneri depoſitarium ad ſatisfactionem conſtat *ex capit. Bona Fide, de Depoſito*, ubi etiam indicatur, in foro externo præſumi dolum, *ſi Rebus tuis ſalvis exiſtentibus, Depoſitas amiſiſti*.

Si verò, ut rarò contingit, in ſolius depoſitarii utilitatem res eidem titulo depoſiti, & non precarii committatur, ex culpa etiam leviſſima obſtringitur depoſitori, ut conſtat *ex leg. 1. §. 35. ff. Depoſiti*: ubi cùm offerens ſe

ad

ad cuſtodiam rei alienæ ſolum damnum fortuitum, aut caſuale, non obligetur reparare, lex uti etiam *capit. Bona fides* ad minimum intelligi debet de depoſitione in ſolius recipientis utilitatem, quia hæc ex ultronea ſui ad cuſtodiam oblatione videtur argui, aut præſumi; quòd enim ſola oblatio ſit pactio ad ſervandam alterius rem cum obligatione compenſandi omnis damni, non caſualis, ut communis ſententia Sylveſtri Angeli, Tabienæ, Armillæ Gabr. Lopez, Laym. apud Palao *diſp.* 3. *pun.* 7. *num.* 3. decernit, meritò eidem A. & Mol. *diſp.* 527. §. *quando quis* Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 3. *num.* 11. Rebello *p.* 2. *lib.* 16. *q. unica n.* 14. minùs probabile videtur, quia utique poteſt quis ſe offerre ad cuſtodiam, quin propterea majorem obligationem, quàm alii à depoſitore rogati ſubire velit, aut ex Lege debeat, quæ non ſupponenda eſt homines ab officio charitatis ſuo rigore abſterrere voluiſſe. Imò difficile mihi videtur aſſignare diſparitatem, quare lex accipientem depoſitum in ſuam unius utilitatem voluerit obligare ad evitandam culpam juridicè leviſſimam, non obſtante, quòd etiam ab illo depoſitum pro libitu depoſitoris quocunque tempore repeti poſſit, & non ſimiliter obligaverit accipientem precarium; nec alia diſparitatis ratio mihi occurrit, quàm quòd dans precarium magis velit alteri facere gratiam, quàm tradens depoſitum, unde hoc ordinariè magis ordinatur in utilitatem dantis, quàm accipientis.

Denique ſi depoſitum in utriuſque utilitatem redundet, prout contingit, quando cuſtodiæ pretium accipitur, vel depoſiti uſus conceditur, vel pro mercede meliorandum committitur, v. g. ut in pannum, vel corium inducatur forma veſtis, vel calcei, depoſitarius ad culpam levem cavendam, vel reſtaurandam tenetur, *l.* 1. §. *Si veſtimenta*, *&* §. *Si quis ſervum ff. Depoſiti cap. Bona fides*, *de Depoſito*, conſentiunt Mol. Leſſ. Palao locis cit. Layman. *capit.* 25 & alii. Licèt autem *l.* 1. *&* 3. *ff. Nautæ, caupones*, modò dicti nautæ, & caupones ad arcendam eorum perfidiam etiam de leviſſima culpa teneantur in foro externo, & poſt ſententiam judicis, conſuetudine tamen teſte Leſſ. introductum jam eſt, ut, niſi de cuſtodia rerum in ſuam domum, vel navim invectarum ſpecialiter moneantur, ipſi earum domini totam curam in ſe ſuſcipiant.

394 Quær. 5. An qui diligentiam in conſervanda re commodata, vel in propriam etiam utilitatem depoſita, adhibere non poteſt ſine jactura propriæ rei, eam potiùs jacturam pati teneatur. Reſp. Licèt in foro externo præſumatur dolus, niſi prædicta impoſſibilitas probetur, ut antè *ex cap. Bona fides* monui, & colligitur *ex l. Quòd Nerva ff. Depoſiti*, in foro interno tamen, poſito quòd res apud ſuum dominum adhibita poſſibili diligentia, ſimile damnum non fuiſſet paſſura, attendendum eſt, tum ad cujus utilitatem illa ſit conceſſa, tum quænam ex duabus, propria ſcil. res, an aliena, ſit præſtantior. Si enim aliena eſt præſtantior, teneris ejus conſervationem tuæ præferre non deducta æſtimatione damni propriæ rei, quando in tuam tantùm utilitatem illa tibi eſt commiſſa, deducta verò æſtimatione, ſaltem dimidia, quando partialiter in alterius utilitatem erat commiſſa.

Ratio primæ partis eſt, quia accipiens rem alienam ad proprium uſum ex pacto ſe ſaltem obligat ad illius curam, tanquam ſi eſſet propria (aliud eſt, quando quis in ſolius dantis utilitatem rem accepit, tunc enim, quia tantùm de dolo tenetur, non ex juſtitia, ſed ex charitate res aliena longè præſtantior propriæ eſſet præferenda teſte Rebell. *lib.* 16. *q. unica de Depoſito n.* 23. referente Angelum, & Sylv. contra Mol. Leſſ. & Palao) ſed cura propriæ rei adhiberi ſolita major eſt erga rem præſtantiorem, quàm minùs præſtantem, ergo debet etiam eſſe major circa alienam.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia ſicut dominus rei percipit utilitatem ex rei ſuæ commiſſione, ſic æquum eſt, ut ſecundùm ejus proportionem ſuſtineat etiam onus, & damnum ex fideli cuſtodia emergens: ergo ſolummodò tunc, quando præcisè in commodatarii, vel depoſitarii utilitatem ei rem ſuam concredit, non tenetur ullam partem damni ſuſtinere: atque ita quoad utramque partem ſentiunt Mol. *diſp.* 296. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 6. Palao *diſp.* 3. *pun.* 8. ſi autem propria res eſt præſtantior, omnes fatentur, licitè ejus curam præferri alienæ etiam in propriam duntaxat utilitatem receptæ, quia hoc neque repugnat ſummæ diligentiæ, in cuſtodia rei alienæ ad evitandam culpam leviſſimam adhibendæ, cùm ſi res illa aliena minùs præſtans propria eſſet, quilibet diligentiſſimus prudenter ejus jacturam potiùs, quàm præſtantioris ſubiret: unde cùm ex contractu cuſtos tantùm obligetur ad diligentiam ſummam, credo cum Palao referente Angelum, & Sylveſt. contra Mol. & Leſſ. nullam eſſe rationem obſtringendi cuſtodem ad compenſationem rei minùs præſtantis, perinde ſicut ſi caſu, vel fortuitò periiſſet. Si denique tua & aliena res ſint æquè præſtantes, hæc tamen unicè in tuum commodum fuerit conceſſa, eam propriæ rei cuſtodiæ præponere debes, quia teneris ad diligentiam ſummam, eamque gratis præſtandam, adeoque majorem, quàm homines etiam diligentiores circa proprias res conſervandas adhibere ſolent: quòd ſi tantùm partialiter ad tuum commodum dirigeretur; cùm non cenſearis, te obligaſſe ad majorem curam rei alienæ, quàm propriæ habendam, ſed ęqualem, ideo ſi utramque ſervare nequeas, in tua eſt poteſtate eligere, quam ſalvam velis; ſicut ſi utraque tua eſſet; nec teneris ad dividendum damnum cum altero, ſicut ille teneretur ad compenſationem cuſtodię, quia damnum evenit abſque tua cooperatione, non item cuſtodia. Conſentiunt per omnia cit. AA.

QUÆSTIO VIII.

De Modo acquirendi Ius ac Dominium per Contractum oneroſum.

ARTICULUS I.

De Emptione & Venditione.

§. I.

De Actu Emptionis, & Venditionis.

SUMMARIUM.

395 *Quid ſit Emptio & Venditio.*
396 *Quid ſit pretium, & quomodo ratione illius Emptio diſtinguatur à Permutatione.*

Commutationes diverſimodè inſtitui poſſunt; vel 395 enim datur merx pro merce, vel pretium pro pretio, vel pro merce pretium, & viciſſim merx pro pretio: primum dicitur permutatio, ſecundum cambium (niſi pretium materialiter ſpectetur; tunc enim & ipſum vendi poteſt e. g. ratione materiæ, antiquitatis &c.) tertium emptio, quartum venditio: quia verò ex emptione, vel venditione natura permutationis olim, antequam inſtituta eſſet pecunia, uſitatę, ſatis relucet, & de cambio poſteà acturi ſumus, ideo nunc actum venditionis, & emptionis explicabimus; quod licèt teſte Mol. *diſp.* 336. alio modo pręſtare faciliùs ſit, quàm exactam ejusdefinitionem exhibendo, placet nobis tamen pręaliorum definitionibus ea, quam tradit Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 1. nimirum quòd emptio ſit pactio pretii pro merce, venditio pactio mercis pro pretio Colligitur *ex l.* 1. *ff. de Contrahenda emptione*: ubi hęc tria requiruntur, conſenſus, id eſt, pactio, pretium, & merx: neque autem per mercem, ut vult Rebellus, res tantùm mobilis intelligitur ſecundùm rigorem *l.* 66. *ff. de Verborum ſignificatione*, ſicut per vocabulùm res ſecundùm ipſum Rebellum non tantùm debet intelligi res corporàlis, ſed etiam jura, & actiones, cùm hęc quoque vendantur: ſumitur ergo hìc merx latiùs pro quocunque objecto pretio ęſtimabili, ſive mobili, ſive immobili, ſive corporeo, ſive incorporeo, modò reſpectu vendentis non fundetur in aliquo Dominio directo, & ab eodem ſibi poſt traditionem retento; nam quando Dominus directus pro pretio concedit ſolum jus utendi, aut fruendi, aut inhabitandi ſalva rei ſub-

ſtantia , ita ut etiam facta traditione nec dominium , nec uſucapiendi facultatem transferat, non vocatur hujuſmodi contractus venditio, ſed locatio, commodatio, datio in Feudum , Emphyteuſin &c. quamvis alius habens hujuſmodi jus duntaxat indirectum, rurſum illud vendere poſſe dicatur. Præterea requiritur, ut accipiens pro pretio ratione materiæ, aut fundi non aliquo modo habeat Dominium illius, quod datur: hinc ſi pro pretio curas tibi fieri opus ex materia à te ſubminiſtrata , vel domum ædificari in proprio ſolo , licet alter etiam materiam ſubminiſtret, non conficitur emptio, & venditio, ſed conductio, & locatio; utrumque rectè advertit Molin. loc. cit.

396 Pretii nomine ſolùm intelliguntur numi , ſeu pecunia, quæ humana Lege tanquam communis menſura rerum æſtimabilium merci viciſſim datæ ſubſtituta eſt, ut conſtat ex *cit. l. 1. ff. de Contrahenda emptione, & ex §. 3. Inſtitut. de Emptione, & venditione*: Unde tunc cœpit contractus emptionis , ac venditionis, quando inſtituta eſt pecunia, ſine qua etiamſi contrahentes utantur verbis emptionis ac venditionis , intendentes contractum illis ſignificatum inire , eundem tamen non efficiunt, ſed ſolam permutationem, quæ quidem Lege emptionis regulatur , ut patet ex *l. 1. Cod. de Rerum permutatione*. Requiritur autem ad valorem venditionis, ut de pretio certo, & determinato explicitè, vel ſaltem implicitè conveniatur , ut habetur, *§. 2. Inſtitut. tit. cit.* ne proindè illud arbitrio emptoris ſolummodò relinquatur, quo etiam ab illo conſtituto, ſine novo tamen partium conſenſu contractus pro nullo habetur; quamvis ſi arbitrio tertii prudentis viri, vel judicis fuerit remiſſum, & hoc ab illo conſtitutum , vel ſi prudenti , ac manifeſtata hominum æſtimatione juſtum, aut æquale ei, quo res empta eſt, vel quantum v.g. in marſupio , aut arca continetur, fuerit exactum, jam cenſeatur de pretio, ſaltem implicitè determinato fuiſſe tranſactum, ut partim conſtat *ex Inſtit. cit.* partim *ex l. Hæc venditio §. 1. ff. de Contrahenda emptione, & venditione*. Inſuper neceſſarium eſt, ut pretium non excedatur notabiliter per admixtionem alterius rei in ſolutionem datæ; aliàs deſumpta à potiori denominatione non emptio, & venditio, ſed permutatio dicetur, ut probari poteſt *ex l. Quidquid §. finali ff. de acquirendo rerum Dominio, & cap. Ad quæſtiones, de Rerum permutatione*: quòd ſi nec pretium, nec res admixta alterutrum notabiliter excedat, denominatio contractus juxtà communem ſententiam in *l. ſemper in ſtipulationibus ff. de Regulis Iuris* fundatam ex verbis contrahentium colligenda eſt, ſaltem ſi id, quòd à leviore etiam exceſſu non deſumatur ratio ſpecifica contractus, non cedat in damnum tertii; quam limitationem tamen, licèt teſte Mol. communis ſit, non omnes admittunt.

§. II.

De Pretio juſto.

SUMMARIUM.

397 *Quid ſit pretium juſtum, & unde id deſumi debeat.*
398 *Quomodo per conventionem pretium juſtum conſtitui poſſit.*
399 *An, & quomodo propter circumſtantiarum mutationem liceat majori, vel minori pretio, quàm à Iudice taxato emere, vel vendere.*
400 *Licèt rem majori pretio vendere propter lucrum ceſſans , vel damnum emergens.*
401 *Licèt etiam propter incommoda pretio æſtimabilia, pro re ad creditum vendita plus exigere, quàm quando ſolutio pretii de præſenti ſine illis incommodis reciperetur.*
402 *Quo titulo poſſint emi à tertio Chirographa minori pretio, quàm ſit Ius, quod per illa traſcribitur.*
403 *An poſſit emi, vel vendi res pretio uſitato, quod quis privatim ſcit, proximè mutatum iri.*
404 *An qui alterius rem vendidit majori pretio, quàm is petierit, poſſit exceſſum ſibi retinere, vel an is qui alterius pecunia ipſi emit rem pretio minore, quàm quale conceſſum erat, ut expenderetur, poſſit reſiduum ſibi retinere.*

UT contractus emptionis, & venditionis licitè fiat, 397
pretium debet eſſe juſtum, hoc autem utrùm tale ſit, duplici modo cognoſci poteſt, ſcil. vel ex judicis determinatione; unde ab ipſius Lege, ac voluntate legitimum nominatur; vel ex prudenti hominum arbitrio, fundato in communi (non tamen particulari) erga talem mercem affectu , utilitate , neceſſitate , raritate mercis, multitudine emptorum, & eorum ad ſibi vendendum invitatione, ac rogatione, & denique, etiam in ipſo modo emendi venditoribus magis oneroſo, ſi v.g. cum eorum majori moleſtia, & aſſervationis periculo, res ſucceſſivè ſecundùm partes modicas ematur: ex quibus omnibus, vel ſingulis deſumitur incrementum & ex eorum defectu aut diminutione decrementum pretii: hinc etiam merces ultroneæ, ſeu obtruſæ vileſcere dicuntur, ita ut Cajetan. verbo *emptio c. 1.* quem ſequitur Salas *dub. 25. n. 4.* relati nec improbati à Pal. *diſp. 5. par. 12. n. 1.* dicere audeant, pallium in officina mercatoris quatuor aureos valens , ab emptore rogato emi poſſe duobus. Atque hæc eſt communis regula DD. cognoſcendi juſtitiam pretii naturali prudentia, à qua etiam naturale, & vulgare, ſeu naturali, & vulgari æſtimatione juſtum appellatur. Quia verò impoſſibile eſt, omnes in eandem æſtimationem conſpirare, ideò intra terminos juſtitiæ dividitur pretium naturale in ſummum , medium, & infimum juxta diverſam prudentum æſtimatorum opinionem. At pretium legitimum conſiſtit in indiviſibili, ſicut mēſura, nempè lex, eſt una, ac indiviſibilis.

Quæri tamen ulteriùs poteſt. 1. An, quando merci, 398
ſive in re, ſive in actione conſiſtenti ob ſuam raritatem, vel aliam extraordinariam circumſtantiam, nec à judice, nec à prudentum ſenſu determinatum pretium conſtitutum eſt, poſſint contrahentes de quolibet inter ſe conuenire. Multi affirmant; quia ubi pretium non eſt determinatum, videtur poſſe à contrahentibus determinari, quòd ſpectat etiam *l. 1. § Si hæres, ff. ad Tr. bell. an. S.C.* dicens, rem valere, quanti vendi poteſt. Multi negant, prudentumque arbitrium requirendum exiſtimant . Ego puto, AA. hoc pacto conciliari poſſe, ſi dicatur, contrahentes poſſe quidem aliis inconſultis de pretio convenire, ſed ſepoſito privato eorum affectu, ac alium ſimili mercis, vel lucri cupiditate non præoccupatorum, judicium reſpicere debere, quodnam ſcil. ipſi ferre crederentur, ſi hoc ab eiſdem expoſceretur: unde *l. Pretia rerum ff. ad l. Falcidiam* dicitur, *Pretia rerum non ex affectu, nec utilitate ſingulorum, ſed communiter funguntur*, id eſt, communi judicio, lato, vel probabiliter ferendo nituntur, vel, prout etiam forſan legendum eſt, *funguntur*: & hoc modo conceditur prima ratio AA. prioris ſententiæ, ſi nempè non ideò pretium juſtum decernatur, quia placet, ſed ideò placeat, quia non ex affectu inordinato lucri, ſed prudenti æſtimatione juſtum putatur: ſecunda verò ratio ſolvitur explicatione Legis, quòd nempè res valeat, quanti vendi poteſt juxta ejus prudentem æſtimationem.

Quær. 2. An, ſi propter immutationem circumſtantiarum pretium naturale infimum evadat majus, quàm ſit 399
pretium à judice taxatum, liceat exigere majus, v. g. vendere triticum tempore ſterilitatis pretio naturaliter juſto. Reſp. cum Navarr. *in Manual. c. 23. n. 86.* Molin. *diſp. 364.* Joan. Medina *q. 31. §. prædictis tamen*, Rebell. *lib. 9. q. 2. ſect. 3. n. 14* & aliis affirmativè: quia lex taxativa reſpicit ſolùm circumſtantias communiter contingentes; ergo ad circumſtantias extraordinarias ſe non extendit. Confirmatur: licèt enim Princeps in caſu quodam extraordinario propter majus bonum commune poſſit aliquando taxare pretium , quòd ſpectato bono privato vendentium, non attingat naturale minimum, ut tradit Bartol. Panorm. Covar. Leſs. Salas, & alii, quos ſequitur. Pal. *pun. 4. n. 2.* per ſe tamen loquendo, & ordinariè non poteſt, ne ſubditi graventur inæqualiter, dum venditor minus, & emptor plus accipit, quàm ſpectata naturali æquitate deberet; ergo quando circumſtantiæ ita notabiliter ſunt mutatæ, ut pretium taxatum nō ampliùs adæquet infimum naturale, non tenentur ſubditi parere Legi taxanti; ſicut viciſſim non liceret ampliùs vēdere mercē pretio Lege taxato, ſi illud evaderet majus naturali ſummo propter circumſtantias, tam notabiliter variatas. Sed quid ſi pretium taxatum antea mediū, reſpectu circumſtantiarū de novo evenientium fiat infimum

mum naturale, licebitne, exigere incrementum pretii, ut iterum recipiatur medium? Ratio dubitandi eſt, quia lex taxatoria videtur tantùm attendere circumſtantias præſentes, & emptori, ac venditori voluiſſe æqualiter favere; dum illi permiſit dare minùs ſummo, iſti verò accipere plus infimo. Videtur mihi non licere, eò quòd AA. quæſtionem, utrum propter mutationem circumſtantiarum liceat exigere pretium majus taxato, communiter reſolvant affirmativè cum hac conditione, ſi aliàs non reciperetur pretium infimum naturale, ergo quamdiu iſtud adhuc recipitur, videntur aliter ſentire. Ratio ulterior eſt, quia Leges ſervari debent, quamdiu manent juſtæ, ſed in tali caſu lex taxans pretium manet juſta. Ad rationem dubitandi nego, legem aut legiſlatorem tantùm attendiſſe ad circumſtantias præſentes, quia cùm facilè circumſtantiæ mutari poſſint, Leges autem mutare non conveniat, ideo potiùs ſupponendum eſt, etiam futuras circumſtantias ſpectatas eſſe, ac propterea pretium medium conſtitutum, ut ſive pretium naturale augeatur, ſive minuatur, adhuc exigatur juſtum, & ſic pariter quoque emptori, ac venditori favetur, cùm utique facta eſt ſpes, illi quidem vendendi pretio in aliis circumſtantiis ſummo, iſti emendi in aliis infimo.

400 Quær. 3. An, & quando liceat rem cariùs vendere, quàm pretio taxato, aut reſpectu aliorum naturali ſummo. Reſp. Licere propter triplicem cauſam, nempe propter lucrum ceſſans, propter damnum emergens, & propter quodcunque onus venditoris, pretio æſtimabile, modò hujuſmodi particularis, & mercis venditioni acceſſoria cauſa emptori ſignificetur, ut in exceſſum pretii illi proportinatum poſſit conſentire. Unde ratione primæ cauſæ poteſt ultra pretium rei, tempore venditionis uſitatum, exigi augmentum, quod deducta æſtimatione ſumptuum, & incommodorum in rei aſſervationem ſubeundorum correſpondet ſpei moraliter certæ, mercem proximo tempore, in quod fuiſſet aſſervata, pluris vendendi: ut docet Mol. *diſp.* 351. Leſſ. *lib.* 2. *c.* 21. *dub.* 486. Salas *dub.* 30. Pal. *diſp.* 5. *pun.* 12. *n.* 4. *ex cap. In civitate de Uſuris.*

Ratione ſecundæ cauſæ poteſt præter pretium correſpondens communi bonitati, & amabilitati mercis peti aliquod ſupplementum, quo compenſatur carentia ſpecialis alicujus, ac in rationabili cauſa fundatæ commoditatis ex rei poſſeſſione perceptæ, & deinceps percipiendæ, qua quis ob ſolum pretium rei non fuiſſet ſe privaturus, eò quòd illud ſibi neque ſit neceſſarium, neque utile ad alium finem, quo ſpecialis commoditas ex retentione mercis perceptibilis ſuppleatur. V. G. Naboth præter pretium vineæ potuiſſet à Rege Achab recipere æſtimationem alicujus Privilegii aviti, aut Juris, ſi quo Majores illius gaudebant. Ita etiam prædium, cui annexum eſt Jus venandi, ratione illius eſt pluris vendibile. Vide Leſſ. *l. c. n.* 25. *& cit.* AA.

401 Ratione tertiæ cauſæ poteſt aliquando Venditor pro Chirographo, quo non ipſe emptor ſuam fidem obſtringit, ſed quo alium ſibi obſtrictum ſubſtituit, & venditoris pro ſe debitorem facit, mercem ſuam pluris vendere, non propter dilationem ſolutionis (niſi hæc dilatio ſit cauſa lucri ceſſantis, quod ex ſoluto ſtatim pretio facturus fuiſſet) ſed propter difficultatem, incertitudinem, & moleſtiam, aliaque incommoda, & pericula, quæ in recuperando pretio prudenter timentur: ita ut tantò majoris, quàm pro ſoluta pecunia, mercem ſuam vendat, quantò hujuſmodi timor probabilior, & æſtimabilior eſt. Hinc quia hujuſmodi debita Chirographa ſæpe difficillimæ, & deſperatiſſimæ ſunt ſolutionis, concedit Leſſius *lib.* 2. *cap* 21. *n.* 76. & Molina *diſp.* 361. ea licitè non nunquam emi dimidio, vel adhuc minori pretio, ſecundùm proportionem difficultatis; quam reſpectu communitatis humanæ habent, etiamſi emens propter ſpecialem rationem, & occaſionem, facilè ac certò poſſit integram ſolutionem obtinere: quia, ut rectè contra quoſdam innominatos diſcurrit Leſſius, pretium Chirographorum, ſicut, & aliarum mercium debet proportionari communi æſtimabilitati, non verò privatæ cujuſdam utilitati, vel induſtriæ: fatetur tamen, *num.* 73. *&* 77. Venditores Chirographorum ex recepto uſu poſſe etiam non æſtimato periculo, & incommodis, eadem tanti vendere, quantum dare vult emptor, nec fraude, nec errore inevitabili inductus, etiamſi ſit integrum pretium: quia in tali caſu cenſetur emptor omnia incommoda ſponte ſubire.

Non ſine ratione autem ſuppoſui paulò antè, diſparem eſſe rationem quoad Chirographum, quo ipſe emptor ad creditum vendenti ſuam fidem obligat, loco præſentis pecuniæ: cùm enim ab hoc nequeat ratione dilatæ ſolutionis, ſecluſo lucro ceſſante, vel damno emergente, ad creditum vendens, pro merce pretium majus exigere ſine uſura expreſſa *in cap. Conſuluit de Uſuris*, & cùm in Emptoris poteſtate ſit, ipſeque etiam ſe obliget pro recepta merce, amovere incommoda ſui creditoris, fideliter, integrè, & benevolè ſtatuto tempore debitum ſuum ſolvendo, non poteſt Venditor præter hanc obligationem illi etiam imponere obligationem, aliquem exceſſum ſupra juſtum pretium ſolvendi, etiamſi Venditor prævideat, emptorem non ſatisfacturum ſuæ obligationi: cùm enim hæc obligatio, utpote in emptoris poteſtate exiſtens potuerit ſubiri, & ipſa æquivaleat præſenti ſolutioni, ideo non poteſt ab ipſo plus exigi: quando autem aliena Chirographa dat in ſolutum, cùm in ejus poteſtate non ſit, ut ſui debitores ſuæ ipſorum obligationi ſatisfaciant, & ſpes exigua appareat eos ſatisfacturos, ideo pro compenſatione periculi, quod ſubit Venditor, ne non accipiat juſtum pretium, poteſt proportionaliter plus exigere, recipiendo Chirographa, quibus in ipſum transfertur Jus majoris debiti. Atque ex hac diſparitate patet, quòd ſicut pro merce vendita ad creditum non poteſt ab emptore exigi proprium Chirographum de ſolvendo aliquid ſupra juſtum pretium, ſic neque poſſit exigi Chirographum de ſolvendo aliquid ſupra ſortem, mutuò datam: & viciſſim qui hoc concedunt de contractu Mutui, debeant idem concedere de contractu emptionis modo prædicto. Unde quando Leſſius *lib* 2. *c.* 21. *dub.* 6. *n.* 54 citans Joannem Medinam, Cordubam, Petrum Navarram, quibus longè plures addit, & ſubſcribit Palao *diſp.* 5. *pun.* 12. *n.* 6 aſſerit, ratione periculi non recipiendi juſtum pretium, vel ſortem, aliquid ultra exigi poſſe, de eo periculo intelligendi ſunt cit. AA. ad quod impediendum debitor ſe non potuit obligare, eò quòd in ejus poteſtate non eſſet poſitum. Quia tamen illud ſubire eſt pretio æſtimabile, ideo pro eo etiam poteſt vendens ad creditum, vel mutuans aliquid exigere. Quòd ſi periculum non quidem ſit perdendi ſortem, ſed faciendi ſumptus in eam recipiendam, idem de his dicendum eſt, quod de periculo perdendi ſortem: vel ſi qui actu futuri ſint, poterit exigi eorum compenſatio, quando creditor periculum in ſe non ſuſcepit.

Quær. 4. An ſciens mercis pretium abſque ejus intrin- 403
ſeco vitio brevi auctum, vel diminutum iri, ſive à rationabili Lege, ſive à natura propter cauſam communiter ignotam, ab extrinſeco primùm adventuram, poſſit eam emere, vel vendere pretio currente, præſertim ſi ipſe legiſlator ſit, & pretii commutationem ex juſta cauſa facturus. Negant Joan. Medina, Rodriq. & alii à Covarr. relati *Reg. Peccatum* 2. *p.* §. 4. *nu.* 6. Affirmant cum S. Thom. 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. *ad* 4. longè plures, & longè probabiliùs, quamvis non omnes in ſequelis inde deductis conveniant. Ratio eſt, quia, qui contrahit pretio juſto, licitè contrahit tam juxta Leges juſtitiæ, quàm charitatis (cujus offenſam per ſe loquendo immeritò timet Covar non enim juſtum meum lucrum, alteri graviter damnoſum, eſt ſtatim contra charitatem; modò is non debeat propterea gravia paupertatis incommoda ſubire) ſed qui emit, & vendit pretio currente, nempe à Lege, vel prudentum arbitrio ſtatuto, contrahit pretio juſto: neque enim per privatam notitiam mutationis futuræ, vel etiam à ſe faciendæ, deſinit eſſe juſtum, cùm nondum ſit mutatum, ſed mutandum pretium: ergo &c. Confirmatur exemplo Joſeph in Ægypto licitè coementis triticum pretio uſitato, quamvis ſciverit, illud vehementer auctum iri ob ſecuturam ſterilitatem. Ad fundamentum adverſariorum, quòd nempè pretium rei etiam à futuris circumſtantiis deſumi debeat, adeoque propter circumſtantiam inſtantis immutationis decreſcat. Reſp. id verum eſſe de circumſtantiis non privatim, ſed communiter notis, quæ proinde commune hominum judicium tanquam naturalem menſuram pretii immutant: aliàs ſi propter ipſam circumſtantiam, prout à parte rei ſe habet,

pretium decreſceret, deberet etiam venditor, hujus circumſtantiæ ignarus, ea cognita deinde pretii exceſſum reſtituere, quod omnino ſalſum eſt.

404 Quær. 5 An, qui ex alterius commiſſione pretium rei ſuo nomine vendendæ, vel emendæ deſignantis, vendit illam majori, vel emit minori, ſed juſto pretio, quàm quod deſignatum erat, poſſit reſiduum ſibi retinere. Reſp. non poſſe, niſi alter expreſsè, vel tacitè conſenſerit, prout teſte Lugo *tom. 2. de Iuſtitia diſp. 26. n.* 150 & Palao *diſp. 4. pu.* 16. cenſetur conſentire, quando nec gratis obſequium exigit, nec indebiti laboris præmium aſſignat. Ita citati AA, & Mol. *diſp.* 363. Leſſ. *lib. 2. c. 21. dub.* 18. Salas *dubit.* 45. Ratio eſt, quia, quamdiu alter non conſentit, tamdiu non aufertur ab ipſo jus ad totum pretium rei ſuo nomine venditæ, vel ad partem pretii, pro re empta non expenſi: atqui deſignans pretium, infra quod res ſua non ſit vendenda, vel ultra quod non ſit ſibi aliena emenda, non hoc ipſo conſentit in ablationem ſui juris, ergo non poteſt commiſſarius ſibi retinere.

Neque dicas reſiduum pretii deſignati eſſe fructum induſtriæ, non verò naturalem rei. Nam ipſam induſtriam vel gratis obtuliſti; & tunc nihil potes tibi retinere: vel locaſti pro pretio, tunc illud ab eo, cujus negotium egiſti, petere debes, non autem potes abſque urgente cauſa tibi occultam, & forſan juſto majorem compenſationem facere retentione lucri ex re cariùs vendita, vel viliùs empta, ſi tamen induſtria fuiſſet extraordinaria v. g. ſi in tota urbe, in qua rem vendere juſſus es, non inveniens majus pretium deſignato; tranſtuliſſes in aliam, tunc omnino concedit Mol. *l. c.* Leſſ. *dub.* 17. *nu.* 134. & Palao referens etiam Navarr. Ledeſmam, Salas poſſe deinde retineri lucrum.

Adverto etiam cum Mol. & Lug. periculo non vacare, quando v. g. ſartores retinent ſibi reſiduum pretium aliorum nomine ad conficiendas veſtes empti panni, eò quòd mercator dixerit, ſe integro pretio vendere pannum, ſed reſiduum ipſi ſartori donare, ut frequentiam à ſe emendi continuet. Timendum eſt enim, ne mercator hoc tantùm ſimulatè dicat, vel ne ſartor ipſe ab eodem vel alio mercatore ſolo intuitu talis minoris pretii pannum emere potuiſſet per ordinariam tantùm diligentiam adhibitam.

§. III.

De Merce.

SUMMARIUM.

405 *Quænam res à Domino proprietatis vendi poſſint, & quæ Iure naturali, vel poſitivo, vendi prohibeantur.*

406 *Quem pariat effectum venditio rei alienæ. Et an Bona communitatis, præſertim publ. Officia vendi queant.*

407 *An, & quando Venditor teneatur, Emptori occultum vitium ſuæ mercis indicare, ſi hoc vel eſt in ſubſtantia, vel in quantitate.*

408 *Idem quæritur, quando vitium eſt in qualitate.*

409 *Cui merx poſt factam Venditionem traditione, vel ſolutione nondum completam, obligata ſit.*

410 *Quis damnum mercis ferre debeat, ſi ante traditionem vitietur.*

411 *Ad quem ſpectent fructus rei venditæ, & nondum traditæ.*

412 *Quo titulo Venditor ante præſtitam ſolutionem fructus, vel eorum æſtimationem percipere poſſit.*

413 *Quis inter emptores ejuſdem rei ſucceſſivè emptæ præferendus ſit, ut ei tradatur.*

405 QUær. 1. Quænam res vendi poſſint. Reſp Loquendo hìc tantùm de vendibilitate rei, & abſtrahendo à perſonæ habilitate, de qua ſuprà egimus, omnes res dominio noſtro proprietatis ſubjectas vendi poſſe, §. 1. *Inſtit. de Inutil. Stipulationibus*. niſi jure naturæ, vel poſitivo ſpecialiter aliquæ excipiantur, quo modo excipiuntur res ſpirituales vel quæ à ſpiritualibus ſuam æſtimabilitatem habent, quod ulteriùs diſcutere non eſt noſtri inſtituti, ſed ad tractationem de Simonia ſpectat: uti etiam res feudales, & Emphyteuticas ſine conſenſu domini directi vēdibiles, & dotales ad proprios ſuos tractatus remittimus. Cum ſpiritualibus veniunt etiam res ſacræ profanam habentes æſtimabilitatem, quæ nihilominus vendi prohibentur, niſi vendantur ſolùm mediatè, v g. ratione loci venditi, cui ſunt annexæ *cap. Cum Sæculum cap. ex Litteris. de Iure Patronatus*: vel niſi neceſſitas cogat, aut niſi, ut Mol. *diſp.* 34 . notat, Eccleſiæ ex pretio fiant meliora: quo in caſu ſi res vendantur integræ, & remanentes ſacræ, vendi debent alteri Eccleſiæ; ſi autem deſtructæ, atque ad ſacrum uſum ampliùs inhabiles, etiam laicis vendi poſſunt *l. Sancimus* 1. *C. de SS. Eccleſiis*.

Excipitur præterea liber homo: Parentibus quippe interdicitur, extra caſum maximæ neceſſitatis vendere liberos ſuos *l. 1. & 2. C. de Patribus, qui Filios ſuos diſtraxerunt*; quòd ſi verò cogente neceſſitate illos vendiderunt, ut tuuc ante eorum emancipationem poterant, tenentur pervenientes ad pinguiorem fortunam ipſos redimere teſte Mol. *diſp.* 33. & Covarr. 3. *Var. reſol. cap.* 14 & pluribus ab eo relatis: emptores verò juſto pretio ſibi oblato debent ipſos rurſum dimittere, & tunc non tantùm pro libertinis, ſeu manumiſſis, ſed etiam pro ingenuis habentur, veluti ſi nunquam ſerviviſſent: ut dicitur *l. 2. it.* Præterea quamvis quilibet homo ſit naturaliter dominus ſuæ libertatis, nequit tamen extra caſum neceſſitatis propriæ, vel alienæ, licitè imò non ſervatis ſex conditionibus, quas enumerat *Gl. §. penult. verſ. major Inſtit. de Iure Perſonarum* validè ſe vendere.

Res, quæ ſciuntur eſſe alienæ, vendi non poſſunt emptore tamen ignaro, rem eſſe alienam, eatenus valet con- 406
tractus, quatenus venditor comparat ſibi dominium pretii, & emptor acquirit actionem ad intereſſe, non fuiſſe deceptum, ac inſuper uſucapiendi facultatem. Deinde res ad communitatem, & non ad proprietatem ſingulorum ſpectantes vendi nequeunt, ſine conſenſu Principis *§. ult. Inſtit. de Emptione, & venditione*: quomodo autem publica officia ab ipſo Principe vendi queant, difficilior eſt quæſtio: Adrianus, & Salon apud Azor 3. *Moral. lib. 8. c.* 7. exiſtimant, Jure naturali prohiberi eorum venditionem; his tamen ipſe Azor opponit S. Thom Cajet. Sylveſt. Sotum. Navar. & Juris Can. interpretes communiter, qui gloſſam in *cap. 1. Ne Prælati Vices ſuas* aſſerentem, quod Juriſdictio vendi non poſſit, explicant tantùm de juriſdictione ſpirituali, non temporali: addit etiam rationem ex Baldo *in l. Barbarius ff. de Officio prætoris* affirmante, officia eſſe in bonis ſeu Patrimonio Principis, qui conſequenter non tenetur ea concedere gratis. Licèt autem jure poſitivo illorum venditio propter graviſſima incommoda, inde oriri ſolita, meritò prohibita ſit, ob alias tamen graves cauſas à Lege excuſantes eadem prohibitio ſæpe non obſervatur eodem citato A. teſte.

Quær 2. An venditor tenetur mercis ſuæ vitium em- 407
ptori incognitum detegere. Reſp. Primò. Si vitium eſt in ſubſtantia, id eſt, ſi res non eſt ea quam emptor ſibi vult comparare, v.g. ſi pro auro offeratur auricalcum, vitrum pro gemma, patet ex dictis de contractibus in genere, non detecto vitio contractum eſſe nullum, etiamſi venditor ita diminueret pretium, ut mercis valorem non excederet: ſi autem ſimpliciter loquendo ſit ea res, quam emptor quærit, habeat ſibi tamen annexam aliam, quo modo frumento, vino, aromatibus ſolent res deteriores admiſceri, neque tamen tunc facta ſit deterior ejuſdem ſpeciei rebus, prout communiter vendi ſolent, atque ad finem emptoris ſine alio ſpeciali damno conducunt, neceſſe non eſt vitium detegere, modò commune pretium eidem proportionetur. Ita Lopez 2. *p. Inſtruct. c.* 42. Leſſ. *lib. 2. num.* 83. Laym. *lib. 3. tract. 24. c. 17. ſ. 2. num.* 15. Mol. *diſp.* 353. in fine, ubi tamen peccati arguit eos, qui hujuſmodi commixtiones non tantùm ſine neceſſitate obtinendi juſti pretii faciunt, ſed etiam æquale recipiunt, quo res impermixta ac pura facilè emi poſſet.

Reſp. ſecundò, ſi vitium eſt in quantitate, aperiendum eſſe emptori aliàs valiturum quidem contractum, ſed concedendam actionem quanto minoris, niſi pretium Lege taxatum, vel ab emptoribus communiter oblatum (quod non facilè contra Legiſlatorem, vel commune aliorum judicium præſumendum eſt) eſſet injuſtum, & ad juſtum recipiendum facta eſſet diminutio quantitatis in numero, pondere, vel menſura.

Reſpondeo tertiò. Si vitium eſt qualitate, illudque em- 408
ptor, ſi attendere vellet, facilè poſſe deprehendere, nec

eſſe

eſſe non eſt, eidem aperire, modò pretium exigatur juſtum, & commenſuratum rei vitioſæ, quia emptor ſibi imputare debet, quòd mercem non meliùs examinaverit, & vitioſam emerit, ut DD. communiter conſentiunt cum S. Thom. 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. ſi autem emptor non poſſet ipſe vitium advertere, adeoque ſi vel abſolutè, vel, ut volunt Mol. Salas Laym. Palao & alii reſpectu imperiti emptoris eſt occultum, & tamen tam enorme, ut merx ſit parùm utilis, ac conducens ad fines illos, ad quos communiter adhiberi ſolet, neceſſe eſt aperire vitium, nec ſufficit pretium illi accommodare, ut teſte Palao fatentur omnes cum S. Thom *l. c.* & declaratur *l. 1. & ſeqq. ff. de Ædilitio edicto*. Ratio eſt, quia ſicut emptor debet dare pretium juſtum, & conforme prudentum judicio, ſic venditor debet dare mercem bonam, & conformem prudentum intentioni, qui volunt merces ſibi utiles emere, ergo niſi moneat venditor emptorem de vitio mercis, ut poſſit vel cedens Jure ſuo ad emendam rem bonam conſentire in contractum rei vitioſæ, vel non conſentire, facit ipſi injuriam, quæ non compenſatur pretii diminutione ſed emendanda eſt reſciſſione contractus, ſi emptor velit, vel remiſſione pretii, ſi merx minoris fuiſſet empta, unde in foro externo conceditur actio redhibitoria per ſex menſes utiles, & actio quanto minoris (in quam prior elapſo ſemeſtri mutari poteſt) per annum utilem *l. Sciendum §. 6. ff. de Ædilitio edicto*, in foro conſcientiæ verò durat hujuſmodi jus, uſque dum ei fuerit ſatisfactum. Probabiliùs etiam eſt, ſi emptor venditori ſignificet finem, in ordine ad quem emat mercem, obligatum eſſe venditorem manifeſtare vitium mercis, inutilis ad hunc finem, etiamſi utilis eſſet ad alios conſuetos fines, vel alteri eodem pretio revendi poſſet, quia commercia, & contractus ex communi hominum intentione eò diriguntur, ut pretio comparent ſibi merces ad fines ſuos particulares idoneas, & propterea obligant ſibi venditorem, ad finem hunc procurandum; ut rectè obſervant Salas de emptione *dub.* 34. *num.* 4. & Palao *diſp.* 5. *pun.* 22. *n.* 10. contra S. Antoninum Gabriel. Armillam ab eo relatos.

Dixi tamen *ſi Vitium eſt tam enorme &c.* Nam levia vitia detegendi non convenit dari obligationem, ne innumeri contractus cum magna Reipublicæ perturbatione reddantur infirmi, & mercatores ſæpe magnam difficultatem, & damna patiantur in rebus ſuis diſtrahendis, quas vel ipſi leviter vitioſas receperunt, vel non ſine levi vitio aſſervare potuerunt: unde neque emptores communiter poſſunt à venditoribus merces ſemper optimas ſperare.

409 Quær. 3. Cui merx poſt factam venditionem traditione, vel ſolutione nondum completam obligata ſit, adeoque quis fructus vel damna mercis percipere, aut ſuſtinere debeat? Reſp. Etiamſi venditor mercis ſuæ dominium retineat, donec illam emptori tradat, ab illo vel pretium, vel fidem ejuſdem certò ſolvendi recipiat. *§. venditæ Inſtit. de Rerum Diviſione cum Gl. & l. Traditionibus C. de Pactis* eſſe tamen ſtatim ab inito contractu venditionis abſolutæ, & determinatæ emptori debitam, ita ut niſi aliter conventnm ſit, vel niſi emptor ſolutionem differat, probabiliùs nequeat ſatisfieri obligationi, ſi venditor nolit tradere mercem, ſed tantùm ſolvere, quanti intereſt emptoris eam tradi, ut contra Ant. Fabrum *ad l. Si ita diſtrahatur 25. §. 1. ff. de Contrahenda Empt.* Bachov. *ad diſp. Treutl. volum. 1. diſp. 28. theſ. 2.* Fachinęum *lib. 2. controv. cap.* 30. docent Bartol. & Paulus Caſtrenſ. *in l. 1. ff. de Actionibus empti.* Covar. 2. *Var. cap. 19. n. 1.* Menoch. *caſu* 120. & plures alii, eſtque teſte Cl. D. Rath. *th. de Contrah. empt. §.* 57. communior magiſque probabilis, ſi non certa ſententia. Colligitur ex *l. Ex empto §. 2. & 13. ff. de Actionibus Empti §. perficiuntur Inſtit. de Donationibus*. Et ratio eſt, quia venditor neque ſe obligat disjunctivè ad tradendam rem, vel intereſſe, ſed determinatè ad tradendam rem; neque habet poteſtatem pro libitu reſcindendi contractum, ut faceret non tradendo, ergo tenetur tradere. Unde tantùm, ſi non ampliùs poteſt mercem tradere, tenetur ad intereſſe *juxta l. 1. & legem Ex empto ff. de Actionibus empti*.

410 Ex eo autem, quod res abſolutè, & determinatè vendita ſit debita emptori, communiter, & rectè inferunt DD. primò, ſi ea ſine culpa venditoris ante traditionem pereat, vel deterior, aut vilior fiat, damnum emptori non venditori accidere, manente obligatione ad integrum pretium ſolvendum: decernitur expreſsè *§. cum autem Inſtit. de Empt. & vendit. l. Quod ſæpe §. ſi Res ff. de Contrahenda empt. l. Neceſſario ff. de Periculo, & commodo rei venditæ l. 1. & ſeqq. C. de eod.* Dixi: *Res abſolutè, & determinatè vendita*: ſi enim ſit vendita conditionatè, & pendente conditione pereat, aut intrinſecè deterior fiat, venditoris eſt damnum, cui res adhuc eſt obligata, qui quando impletione conditionis contractus perficitur, debet rem eandem, & intrinſece incorruptam præſtare, vel contractus erit nullus: quamvis, ſi tantùm extrinſecè quoad pretium vilior fuerit reddita, non teneatur, de novo viliori pretio paciſci, quia pactio tempore, quo ponebatur, erat juſta, unde ſolũ eventus conditionis expectandus eſt, ut patet *ex l. Neceſſ. ff. de Periculo, & commodo rei venditæ*, & tradunt Rebell. *lib. 9. q.* 15 *n.* 10 Mol. *diſp.* 366. *§. Quando loco* Palao *pun.* 24. *n.* 4. Similiter ſi res eſt vendita abſque ulla determinatione v. g. ſi vendidiſti modium tritici, non deſignando, an ex tuo, quod de facto habes, venditum velis, ſpoliatus omni tritico ſolus ferre debes damnum, emptori comparando aliud triticum *l. In ratione 30. §. Intra ff. ad l. Falcidiam*, ſi autem deſignaſti, ita ut ſaltem ſub disjunctione aliquis modius acervi certi fuerit obligatus emptori, damnum illi tunc primùm accidit, quando nullus modius relictus eſt, qui ei tradi poſſit, ut conſtat *ex cit. l. &c.*

Infertur ſecundò fructus rei abſolutè, & determinatè venditæ, licèt nondum traditæ, tempore venditionis perfectè, vel ſaltem inchoativè exiſtentes, qui ſcil. nondum maturi ſunt, niſi aliter inter contrahentes conventum fuerit, ad emptorem ſpectare, ut ex *l. Julianus §. Si fructibus, & §. Si quis ſervo ff. De actionibus empti l. Fructus l. Poſt perfectum C. eod.* docent communiter AA. 411
Ratio ulterior eſt, quia fructus exiſtentes connectuntur cum re vendita, tanquam aliquid acceſſorium, quod ſequitur ſuum principale, & ſunt veluti pars minùs principalis rei venditæ, ergo ſicut res vendita abſolutè, & determinatè debetur emptori, ſic etiam fructus tempore venditi nis exiſtentes debentur emptori; v. g. ſi prædium, vel vineam alteri vendidiſti ad eum omnes fructus tam maturi, quàm immaturi, pertinent. Quòd ſi verò res vendita priùs fuit locata alteri, tunc de penſione conductoris debes emptori tradere eam portionem, quæ reſpondet fructibus ante venditionem nondum perceptis. Ex eodem argumento Palao *pu.* 26. *n.* 4. & communiter Theologi nominatim Sylv. Roſella, Armilla, Lopez, Petrus Navarra, Leſſ. ac cum his Cl. Rath *th. de Contrah. empt. §* 63. deducunt, etiam fructus futuros ſive facta, ſive non facta traditione rei, jam ante præſtitam ſolutionem ad emptorem ſpectare, quia quandocunq; naſcuntur, ſunt acceſſorii, & connexi cum re fructifera, ergo ſicut debita eſt res, ita etiam fructus: & ſicut damnum rei accedit emptori, ſic æquum eſt, ut etiam fructus accedant, ut expreſsè declaratur *§. Cum autem Inſtit. de Emptione, & Venditione & l. Fructus C. de Actionibus empti, & l. 1. C. de Periculo, & commodo rei venditæ, & l. Julianus* 13. *§. Si quid ſervo* 18. *ff. de Actionibus empti*.

Nihilominus Juriſtæ communiter apud Palao & cum his Rebell. *lib. 9. q. 1. ſect. 1. n. 5. & ſeqq.* Mol. *diſp.* 368. *concl.* 1. Saa *verbo venditio n.* 12. contendunt, nondum præſtita ſolutione, vel ſaltem cautione, omnes fructus coexiſtentes venditioni, etiamſi res ſit tradita, venditori deberi, quod probant tum *ex l. Curabit, C. de Actionibus empti, & l. Julianus § 19. ff. eodem.* ubi præter pretium rei dilatum jubetur emptor ſolvere æſtimationem fructuum, ſi quos percepit ex re ad creditum empta, qui conſequenter debuerunt ſpectaſſe ad venditorem; tum ex ęquitate naturali, quòd iniquum ſit emptorem merce, & pretio, venditorem autem neutro frui, tum denique ex eo, quòd venditor non cenſeatur abdicare dominium rei, quamdiu nec ſolutionem, nec cautionem recipit, res autem juxta commune effatum dominio ſuo fructificet. Ego puto utriuſque ſententiæ AA. conciliari poſſe: nam etiam priores fatentur, emptorem propter citatas duas Leges obligari ad ſolvendas uſuras, ſeu uſum rei ad creditum ſibi venditæ, niſi ex pacto aliud fuerit conſtitutum. Itaque cum prima ſententia dici poteſt, fructus rei ex contractu emptionis omninò deberi emptori, ut rectè probatum eſt, & ad

illud, quòd communiter dicatur, res domino ſuo fructificare: reſpondetur, id eo modo verum eſſe, quo etiam communiter dicitur res domino ſuo perire: nempe niſi alteri debita ſit.

412 Cum ſecunda tamen ſententia rurſum dici debet, quia venditor, vel potuiſſet rem ſuam vendere in diem perceptæ ſolutionis, ut contractus ab eventu conditionis adhuc penderet, & interea rei ſuæ fructus perciperet, vel potuiſſet ſolutionem ſtatim exigere, & uti pretio, ſicut emptor utitur merce, ideo quaſi per contractum revenditionis citatis legibus, & naturali æquitate approbatum, aut per contractum mutui, quo pretium ſolvendum emptori relinquitur, ad venditorem redire fructus, vel eorum æſtimationem deductis expenſis (nomine fructuum autem non intelligitur theſaurus, ſi quis fortè in re vendita, & abſque receptione pretii tradita, à quocunque alio repertus eſſet; unde dimidiam partem illius *juxta l. un. §. Theſaurus C. de Theſaur.* emptori, & non venditori cedere rectè oſtendit Cl. D. Rath. l. c.) adeoque per pretium correſpondens fructibus emptor rei non emit ſpecialiter fructus, utpote jam ratione rei emptæ ſibi debitos, neque præcisè compenſat dilationem ſolutionis, qua talem, ſed compenſat lucrum ceſſans venditoris, quod à jure poſitivo æſtimatur æſtimatione fructuum; unde vel hos poteſt emptor relinquere venditori, vel dare pretium non fructibus, ſed loco fructuum pro lucro ceſſante, periculo, & moleſtiis in recuperanda ſolutione ſicut in penſione cenſuum ex mutuo fit, vel pro ceſſione juris disjunctivi, pretio æſtimabilis, quod oſtendi venditorem habere. Unde non placet mihi ſententia Rebelli *lib. 9. q. 16. ſect. 1. n. 11.* Palao *diſp. 5. pun. 26. n. 9.* opinantium, pretium fructibus proportionatum imponi à citatis legibus in pœnam moroſæ ſolutionis, & propterea poſt ſententiam judicis primùm eſſe ſolvendum; nam *lex Curabit*, expreſsè dicit, uſuras ſolvendas eſſe, *licèt nulla mora interceſſerit*: intellige culpabilis; nam mora temporis præcisè, de qua aliæ Leges loquuntur, utique debet intercedere, aliàs non eſſet dilata ſolutio, ſeu emptio ad creditum facta.

413 Quær. 4. Si venditor retinens dominium rei, eam ſucceſſivè, duobus in ſolidum vendat, quinam emptorum præferendus ſit. Reſp. priorem eſſe præferendum, *l. Quoties utriuſque 98. ff. de Diverſis regulis juris, & Reg. 54. de Regulis, juris in 6.* ubi prior tempore potior jure dicitur. Excipe primò, niſi poſterior emptor ignarus præcedentis venditionis (idem eſt de donatario, vel quocunque alio modo acquirente dominium rei priùs venditæ) rem priori non hypothecatam (nam de hypothecata non procedit exceptio *l. Si prior creditor §. final. ff. Qui potiores in pignore*) & præſtita ſolutione, vel cautione ſibi traditam receperit, ut dicitur *l. Quoties C. de Rei vendicatione*: jus enim, ac dominium in re, quod ſecundus emptor tali ratione acquiſivit, prævalet juri duntaxat perſonali primi emptoris: quamvis hic habeat jus ab emptore non ignaro præcedentis venditionis intra annum à die cognitæ injuriæ repetendi priùs ſibi venditam (quod etiam creditoribus conceditur ad res in ſuam fraudem ſcienter emptas) *l. 1. & ſeq. ff. Quæ in fraudem creditorum*, alter verò probabiliùs teneatur etiam poſt annum elapſum in defectum venditoris ſolvere, quanti intereſt primi emptoris, rem habere, eò quòd fuerit injuſta cauſa cooperans ad illius damnum. Idem jus intra annum repetendi rem ſibi debitam conceditur primo emptori etiam adverſus bona fide obtinentem dominium rei ex titulo lucrativo, quia iſte poſtponitur oneroſo, ut advertunt Mol. *diſp. 369. prope finem*, Pal. *diſp. 5. pun. 17. n. 12.* Leſſ. *lib. 2. c. 21. dub. 19. n. 142.* & alii communiter ex *l. Ignoti C. de Revocandis his, quæ in fraudem Creditorum*. Niſi tamen res repetatur, idque fiat intra annum præſcriptum, ad nihil alter tenetur, ut iidem DD. tradunt, quia prior lex non ultra ſe extendit, ea autem ſecluſa retinet Dominium, unde neque ex injuſta acceptione, neque ex re accepta quidquam debet.

Excipe ſecundò. Niſi poſterior bonæ fidei emptor, donatarius &c. Sit civitas, Eccleſia, Monaſterium, hoſpitale, vel alius locus pius; etiamſi illi res, priori non hypothecata, needum fuerit tradita; quia his locis ex ſimplici duntaxat contractu gratuito, vel oneroſo, vel ultima diſpoſitione, rei dominium acquiritur, ut Mol. Leſſ. Palao *locis cit.* Covarr. 2. *Var. c. 19. n. 2.* Rebell. *lib. 9. q. 17. ſect. 2. n. 20.* Laym. *cap. 17. §. 4.* & alii communiter colligunt *ex l. Fin. C. de SS. Eccleſiis*, quamvis non clarè id exprimente. Ob hanc duplicem exceptionem autem competit emptori bonæ fidei poſtpoſito actio ex empto ad id, quanti intereſt rem ſibi venditam habere *l. Qui tibi C. de Hæreditate, vel actione vendita.*

§. IV.

De reſcindenda Venditione.

SUMMARIUM.

414 *Venditio poteſt reſcindi, ſive diſſolvi in primis mutuo contrahentium conſenſu.*

415 *Secundo ex pacto ſecundùm formulam Legis Commiſſoriæ: in qua reſciſſione etiam reſtituendi ſunt fructus, formaliter, vel æquivalenter extantes, cum re empta.*

416 *Tertio ex pacto Addictionis in diem.*

417 *Quando Venditio dicto modo reſcinditur, fructus rei emptæ Venditori reſtitui debent, quamvis ſi res interea periiſſet, non Venditori, ſed Emptori periiſſet.*

418 *Quid ſit, Venditorem, aut Emptorem lædi ultra dimidiũ.*

419 *Quando læſio eſt infra dimidium juſti pretii, ordinariè nec ad reſcindendum contractum, nec ad ſupplendum defectum juſti pretii læſæ parti conceditur actio.*

420 *Excipitur tamen læſio infra dimidium juſti pretii Lege taxati, & læſio Mariti, vel Uxoris in æſtimatione dotis.*

421 *An parti læſæ ultra dimidium concedatur actio, vel ad reſcindendum contractum, vel ad ſupplendum defectum juſti pretii.*

422 *Re non amplius formaliter aut virtualiter exiſtente apud Emptorem non conceditur actio ad reſcindendum contractum, vel ad juſti pretii reparandum damnum; quamvis lædens in conſcientia ad iſtud teneatur.*

423 *An Venditori læſo ultra dimidium deficiente Emptore immediato, competat actio adverſus tertium, cui res alienata eſt.*

424 *An reſciſſo contractu, vel reſtituto ſupplemento, aut exceſſu pretii, etiam reſtituendi ſint fructus rei frugiferæ, interea percepti.*

425 *Quibus concedatur reſtitutio in integrum ad reſcindendum contractum.*

426 *Quamdiu duret Ius petendi reſtitutionem in integrum.*

MUltis modis contractus emptionis, ac venditionis 414
reſcindi poteſt, quorum aliqui nullam, aliqui verò alterius partis læſionem ſupponunt. Nulla læſione ſuppoſita reſcinditur contractus primò ex mutuo contrahentium conſenſu, & in tali caſu emptor reſtituens rem, non tenetur ſimul reſtituere fructus, vel eorum æſtimationem, quia durante contractu ei tanquam proprio domino ceſſerunt.

Secundò ex Lege Commiſſoria, qua res cum fructi- 415
bus vel eorum æſtimatione rurſum committitur, & attribuitur venditori, nulla alia poſitiva actione interveniente, velut ſi nunquam alteri vendita, ac tradita fuiſſet, quando nimirum ſub tali pacto, directis verbis expreſſo, vendita eſt, ut niſi emptor deſignato tempore v. g. intra menſem, vel annum pretium ſolverit, venditio ſit nulla, & res ſit inempta: in tali itaq; caſu emptore non ſolvente pretium deſignato ſibi tempore, liberũ eſt venditori, vel ratificare contractum, quia tantùm in ipſius bonum, & ſecuritatem pretii obtinendi annullatio contractus in pactum deducta eſt, & venditor ratificando venditionem poteſt jure annullationis cedere, ut habetur *l. 2. & 3 ff. de l. Commiſſoria*: vel poteſt rem cum omnibus fructibus, apud quemcunque reſideat, veluti ſuo domino obligatam vindicare: colligitur ex *l. ult. ff. de l. Commiſſoria & l. Commiſſoriæ C. de Pactis inter emptionem, & vendit.* Ratio eſt, quia licet contractus ſub Lege commiſſoria ſit abſolutus à conditione, & facta rei traditione emptor abſolutũ dominium acquirat, non eſt tamen abſolutus à modo, & ab obligatione ex pacto inita, atq; à Lege ita approbata, ut licèt vi Legis *Traditionibus C. de Pactis* per ſolam conven-

conventionem abſque traditione vel uſucapione nullum transferatur dominium, niſi facta ſit ſub formula, ſaltem ad ſimilitudinem Legis commiſſoriæ, vel adjectionis in diem, de qua proximè dicemus, tamen venditori iterum rei ſuæ dominium cum retractione in diem venditionis reſtituatur, ac ſi illa nunquam fuiſſet alienata. Dixi autem pactum illud verbis directis exprimi debere, quæ nullitatem actus ex privilegio retractionis quaſi pręſentem, non verò ceſſationem, vel annullationem futuram denotent.

416 Tertiò *juxta l. Si quis hac Lege ff. de Rei Vindicatione, & l. Si ex duobus §. ſed & Marcellus ff. de In Diem Addictione*, reſcinditur contractus cum eodem effectu, quem parit lex Commiſſoria, ut ſcil. rei dominium cum fructibus ad venditorem non ratificato actu revertatur; quando nimirum venditio facta eſt ſub pacto addictionis in diem, etiam directis verbis, ut communior ſententia vult, nullitatem actus de præſenti, & non tantùm ejus annullationem tanquam futuram exprimente, quod tamen Mol. *diſp.* 378. & Palao *diſp. 5. pun.* 32. *n.* 6. Clar. D. Rath. *th. de reſcind. vendit* §. 71. nixi expreſſa *l. Si quis hac Lege ff. de Rei Vindicatione* non requirunt, nec requiri probabile cenſet Covar. *c.* 8. *n.* :. §. 2. & Leſſ. *lib.* 2. *c.* 21. *n.* 126. Fit autem venditio ſub pacto addictionis in diem ſub tali formula expreſſa in *l.* 1. *ff. de In Diem addictione. Ille fundus centum eſto tibi emptus, niſi ſi quis intra Kalendas proximas meliorem conditionem fecerit, quo res à Domino abeat*, id eſt, niſi quis majus pretium, vel commodiorem ſolutionem obtulerit: tunc enim, niſi aliter conventum fuerit, liberum eſt venditori vel ejus hęredi ante diem addictum hæreditatis jus obtinenti, venditionem ratificare, vel irritam reddere juxta *l.* 2. *& l. Sabinus ff. eodem.* ſicut enim olim, quando res ſub haſta licitatoribus publicè proponebatur, primò venienti ſtatim quidem vendebatur, ſed in diem addicebatur tradenda, niſi alius licitator interea meliorem emptionem obtuliſſet, quo in caſu prior venditio eſſet nulla, ſic de facto fit privata venditio ſub pacto addictionis in diem, quando alius emptor meliorem conditionem offert; non cenſetur autem, ut accuratè obſervat Cl. D. Rath. §. *66.* meliorem offerre, ſi prior emptor de oblata ab altero conditione admonitus, paratus eſt, ſuam primò oblatam æqualiter meliorare; imò ut cit. D. §. *69.* probat *ex l. Quod autem 11. in Princip. ff. d. In diem Addictione*, non cenſetur venditor ſecundi emptoris conditionem ſufficienter ut meliorem approbare, ſi eidem etiam mercem in diem addicat; unde niſi aliter à primo emptore fuerit conventum, & permiſſum, nequit venditor primam venditionem ſub pacto addictionis in diem per aliam addictionem in
417 diem reſcindere.

Verùm etiam ſi in utroque caſu, nempe ſi primus emptor æqualem conditionem offerat, vel ſi venditor non ſine addictione in diem cum ſecundo emptore paciſcatur, prior emptor poſteriori ſit præferendus, quia tamen, dum rem meliorata conditione emit, non tam priorem contractum continuat quàm eo diſſoluto de novo paciſcitur (ad reſciſſionem enim perinde eſt, ſive emptor ſit novus, ſive emptio ſit nova) ideo fructus uſque ad tempus oblatæ melioris conditionis collecti, vel eorum abſumptorum æſtimatio, ſicut reſtitui deberent venditori, & non ſecundo emptori, ſi is eſſet diverſus à primo, ſic etiam in hoc caſu eidem reſtitui debent: neque propterea committitur inæqualitas contractus, dum fructus diſſoluta prima venditione ad venditorem ſpectare dicuntur, & tamen ſi res empta ante diem addictionis intereat, aut deterior fiat, quò minùs melior conditio offerri poſſit, hujuſmodi damna ad emptorem aſſeruntur pertinere *l. 2. in Fine & 3. de In Diem addict.* hoc enim neceſſariò ſequitur ex natura contractus puri, & abſolutià conditione, per quem dominium rei ſtatim in emptorem transfertur, uſque dum melior offeratur emptio. Aliud eſſet, ſi primus emptor non ſub modo, ſed ſub conditione contraxiſſet; tunc enim non eveniente conditione nunquam contractus fuiſſet abſolutus, & translativus dominii, adeoque res venditori perire; in dubio autem utrum verba hæc, ſi melior offeratur conditio, contractus nullus eſto, habeant rationem conditionis ſuſpendentis contractum, vel an modi reddentis contractum reſcindibilem, ſi ex aliis circumſtantiis, aut verbis colligi non poſſit, in foro externo præſumitur habere rationem modi laudato teſte D. Rath. §. 73. quia conditionati contractus ſunt imperfecti, & magis inuſitati, in dubio autem pro actu perfecto, & magis conſueto ſupponendum eſt. Atque hæc de cauſis reſcindendæ venditionis, nullam ſupponentibus læſionem.

De læſione culpabili qua ratione ſcil. ex injuſto gravi 418
metu, vel dolo detur actio redhibitoria ad reſcindendum contractum, vel quanto minoris ad recipiendum injuſtum exceſſum pretii, diximus in contractibus in genere; nunc quomodo etiam abſque metu, & dolo ex læſione inculpabili concedatur, diſpiciendum eſt. Poteſt autem ob ignorantiam juſti pretii, aut mercis læſio, tam ex parte ementis, quàm vendentis contingere infra, vel ultra dimidium; lædi ultra dimidium non eſt, læſionem eſſe majorem, quàm ſit dimidium dati ab eo, qui læſus eſt, ſed eſt eſſe majorem, quàm ſit dimidium pretii, ultra quod exigere, vel infra quod dare abſque interventu donationis non licebat; quia enim venditor tenebatur non plus exigere, quàm pretium inter limites juſtitiæ ſummum v. g. centum florenos, ideo ſi exigat plus, quàm 150. lædit ultra dimidium, ſeu læſio eſt major dimidio juſti pretii, quod exigere licebat. Viciſſim quia emptor tenebatur non dare minus, quàm pretium infimum v. g. 90. ideo ſi det minus, quàm 45. lædit venditorem ultra dimidium, id eſt, læſio eſt major dimidio juſti pretii, quod dare debebat. Ratio hujus explicationi, & cur lædi ultra dimidium non ſit idem, ac mercem eſſe plus, quàm duplo æſtimabiliorem dato pretio, vel viciſſim prætium datum eſſe plus, quàm duplo majus æſtimabilitate mercis, ut aliqui perperam explicant, hæc neceſſariò reddi, & admitti debet; quia æquitas naturalis exigit, ut emptor, & venditor ſint æqualis conditionis, ergo ſicut venditio poteſt reſcindere contractum propter damnum paulò majus 45. florenis, à quo immunem emptor reddere debebat, ſic emptor debet poſſe reſcindere contractum propter damnum paulo majus 50. florenis, à quo illum venditor immunem præſtare tenebatur: aliàs ſi ut emptor poſſet reſcindere contractum, requireretur læſio major, quàm ſit dimidium dati pretii, v. g ut pro merce valente 100. dediſſet plus, quàm 200. iſte longè majore damno deberet comparare ſibi jus reſcindendi contractum, quàm venditor, ac proinde non ſervaretur æqualitas.

Quær. Itaque primò, an, ſi læſio ſit infra dimidium, 419
læſo concedatur actio, vel ad reſcindendum contractum, vel ad ſupplendum defectum juſti pretii. Reſp. Etſi toleranda non ſit quorumdam DD opinio, quorum meminit Matienzo, & Salon. apud Palao *diſp. 5. pun.* 17. §. 2. *n.* 1. aſſerentium, etiam licitam reddi læſionem infra dimidium per *l. In cauſa 16. §. Idem Pomponius ff. De Minoribus, l. Item ſi pretio §. ult. ff. Locati*: quæ tamen Leges non de licentia excuſante à culpa intelligendæ ſunt, aliàs repugnarent juri naturæ, expreſſo *in l. Jure naturæ 206. ff. de Regulis juris, & in Epiſtola 1. ad Theſſal. 4. v. 6.* ſed de licentia excuſante à pœna civili, quo ſenſu *in l. Non omne 144. ff. de Regulis juris* dicitur, non omne, quod licet, honeſtum eſſe: quamvis etiam ferenda non ſit opinio Gerſonis *Tom.* 1. *Alphab.* 34. *de Contractib. 2 p. propoſ. 11. & in ſuis floribus*, agnoſcentis quidem culpam læſionis infra dimidium ſcienter factæ, ſed non obligationem reſtituendi, quam ſine omni fundamento putat jure civili remiſſam eſſe, nihilominus ad evitandas lites ordinariè (ſalvo tamen jure reſtitutionis in integrum minoribus) non conceditur actio in læſione inculpabili infra dimidium in foro civili, imò probabiliùs neque in foro Eccleſiaſtico, niſi indirecta, quatenus detentio rei alienæ denunciari, & deinde ab Eccleſiaſtico judice compelli poteſt, ne contra ſuam conſcientiam rem, aut ſupplementum injuſti pretii retinere pergat. Quoad forum civile patet reſponſio *ex l. 2. & l. Si voluntate C. de Reſcindenda venditione*: quoad forum Eccleſiaſticum contra Covar. 2. *Var. c. 4. num.* 11. probatur cum communi ſententia teſte Palao *n.* 7. *Ex c. Cum dilecti, & c. Cum Cauſa de Empt.* ubi ſolùm propter læſionem ultra dimidium ſpecialiter expreſſam permittitur, & deciditur actio, nulla facta mentione. eandē etiam pro inferiori ſolutione permittendi.

Dixi tamen *ordinariè*, ut exciperem primò cum *Covar.* 420
2. *Var. c. 4. n.* 11. Rodriqu. 2. *p. Sum. c. 79. concl.* 4. Salas *tract. de Empt. dub. 27. n.* 5. Palao *l. c.* §. 3. *num.* 3. læſionem

infra dimidium juſti pretii Lege taxati, ad cujus ſupplementum venditor, vel ad recipiendum exceſſum emptor agere poteſt, eò quòd ad officium judicis ſpectet, Leges à ſe, vel ſuo ſuperiore in ſubditorum utilitatem latas tueri. Secundò ut exciperem cum communi ſententia læſionem mariti, vel uxoris in æſtimatione dotis propter *l. Iure ſuccurſum ff. de Iure dotium l. Si Res æſtimata §. 1. ff. eodem:* ubi modò marito, modò uxori univerſaliter abſque deſignatione quantitatis ultra dimidium conceditur reparatio læſionis, ſi alteruter in æſtimatione dotis ſe deprehenderet *circumventum*, quod vocabulum etiamſi videatur accipiendum tantùm de læſione doloſa, ut accipitur *l. Si circumſcripta C. Soluto Matrimonio*, probabiliùs tamen in citatis legibus in favorem dotis, aliis etiam privilegiis gaudentis, & in deteſtationem omnis injuriæ inter conjuges ad læſionem etiam non doloſam extenditur, ut aliàs ſæpe ſolet *l. In Cauſa 15. §. penult. ff. de Minoribus & l. Item ſi Pretio §. ult. ff. Locati.*

421 Quær. ſecundò, qua ratione læſis ultra dimidium juſti pretii concedatur actio redhibitoria, vel quanto minoris, ſi læſus ſit emptor, aut quanto majoris, ſi læſus ſit venditor. Reſp. Niſi lædens ſcienter, adeoque vi, aut dolo injuriam intulerit, *l. 2. C. De Reſcindenda venditione, & l. Si voluntate C. eod.* concedi tantùm actionem ad ſatisfactionem disjunctivam, ita ut in poteſtate lædentis ſit eligere, an velit contractum diſſolvere, vel defectum ſupplere, reddendo nimirum emptori exceſſum majorem pretio ſummo, vel ſolvendo defectum venditori, donec compleatur pretium infimum, ſi læſio facta eſt ſolùm in prætio vulgari; neque enim lædens, ut etiam advertit Mol. *diſp.* 349. aliter teneretur damnum reſtaurare, quam quatenus injuſtum eſt, ſeu quatenus pretium non commenſuratur valori mercis, pro tempore venditionis uſitato. Durat autem jus prædictæ actionis ſpatio 30. annorum jure communi, ſicut alia jura, & obligationes perſonales, *l. Sicut in rem C. de Præſcriptione 30. vel 40. annorum & l. 1. §. 1. C. de Annali exceptione*, particulari tamen jure diverſorum locorum hoc tempus multùm reſtrictum eſt.

422 Cæterùm ex indicata inculpati læſoris libertate, & optionis ſibi debitæ poteſtate, inferunt DD. communiter, quando abſumpta, vel alienata merce nequit ampliùs reſcindi contractus, nec emptori concedi in foro externo actionem ad recipiendum exceſſum ultra pretium rigoroſum, ſeu ſummum; quamvis venditor in foro conſcientiæ illum teneatur reſtituere ex æquitate naturali, in quovis contractu oneroſo, non continente admixtam donationem, involuta; ita ut lædens quaſi ſub modo obligetur ad ſatisfactionem; neque venditori concedi actionem ad recipiendum ſupplementum pretii infimi (niſi emptor non tantùm caſu, aut fortuitò, ſed ſponte mercem alienaverit, vel deſtruxerit; tunc enim ſibi debet imputare, quòd ei non ſit ampliùs liberum eligere diſſolutionem contractus) quamvis etiam emptor in foro conſcientiæ teneatur ſupplementum pretii juſti reſtituere; imò ſi rem tertio vendidit pretio juſto adhuc extante, advertunt Covar. 2. *Var. reſol. cap.* 4. *num.* 14. & Mol. *l. cap.* primo venditori adhuc concedi actionem in foro externo, eò quòd res virtualiter, ſeu æquivalenter exiſtat apud læſorem. Limitant tamen præſentem deductionem Fachinæus *lib. 2. controv. c.* 22. Mol. *l. c.* Pal. *pun.* 17. §. 8. *num.* 9. & alii apud ipſos hac adjectione: niſi res contractui ſubjecta fuerit ipſe uſus: aſſerunt enim, quia cit. Leges communiter extenduntur ad cæteros non juratos contractus bonæ fidei, & ad diviſiones hæreditatum juxta *l. Majoribus C. Communia utriuſque judicii:* ſi quis in contractu locationis poſt annum percepti uſus ſe deprehenderat læſum ultra dimidium, permiſſum illi eſſe, agere ad compenſationem damni, quia lex concedens remedium læſo ultra dimidium, ut in contractu locationis utilis ſit, debet juxta ſubjectam materiam explicari.

423 Quær. 3. An venditori læſo ultra dimidium, deficiente emptore immediato competat actio adverſùs tertium, cui res alienata eſt. Reſp. Si alienata eſt pretio juſto, ſine notitia læſionis primo venditori illatæ, non competere, ut omnes fatentur, quia emptor mediatus acquirit rei dominium tit. oneroſo, nemini inferens injuriam. Addunt probabiliter Salas, & hunc ſequens Palao *pun.* 17. §. 11. *n.* 3. id verum eſſe, etiamſi dicta alienatio non ſine notitia præcedentis læſionis facta ſit, modò emens juſto pretio non videat læſorem fore impotentem ad ſatisfaciendum primo venditori: ſed credo hoc ipſo non fore impotentem, quia ſolvitur ipſi juſtum pretium, quo ſatisfacere poſſit: unde ſive cum, ſive ſine notitia læſionis præteritę fiat, non cedet per ſe loquendo in præjudicium primi venditoris, ob quod reſcindi debeat: ſi autem res titulo lucrativo, vel emptione ſimiliter infra dimidium juſti pretii defectuoſa alienata eſt, contra Pinellum, & Fachinæum communiter DD. dicunt competere actionem, nominatim Tiraquell. *in l. Si unquam, verſu Revertatur numero* 271. Menoch. *conſ.* 63. *n.* 22. Mol. & Pal. *l. c.* Ratio eſt, quia ſicut alienatio in fraudem creditorum facta debet reſcindi, ſic etiam hæc, de qua loquimur, ſcil. gratuita, vel defectuoſa, eſt reſcindenda, niſi primus emptor velit, ac poſſit ſuo venditori ſatisfacere; ſi ergo non poſſit, nec alienatio reſcindatur, competit læſo eadem actio adverſùs poſſeſſorem mediatum, quæ competebat priùs contra immediatum.

Neque obſtat lex *Dolus C. De Reſcindenda venditione*, negans venditori læſo actionem adverſùs tertium poſſeſſorem rei venditæ, & *l. Æris alieni C. De Donationibus* negans actionem creditori adverſùs donatarium ſui debitoris: quia utraque lex intelligenda eſt de actione directa, non autem de indirecta, & ſubſidiaria, quæ datur, quando alienatio intermedia, & tranſlativa rei in tertium tanquam damnoſa potiùs jus habenti, reſcindi debet, eò quòd per illam emptor doloſus aut debitor egenus ad ſatisfaciendum venditori, aut creditori, impotens factus ſit: quando autem *l.* 1. & 3. *C. Si vendito pignore* ſtatuit, contra tertium poſſeſſorem tunc ſolùm agi poſſe, quando mala fide emit, utraque tantùm intendit conſulere poſſeſſori ementi bona fide, & juſto pretio, non autem donatario, aut emptori defectuoſo, quando his facta alienatio tanquam alteri injurioſa diſſolvenda eſt.

Quær. 4. An reſtituens ſupplementum, vel exceſſum pretii, debeat etiam reſtituere illius uſuras, ſeu lucrum, ſi quod ex eo percepit; & viciſſim, an reſciſſo contractu reddens mercem ſimul teneatur reddere perceptos fructus, deductis expenſis, & lucro ceſſante ſoluti pretii, vel deductis fructibus illi correſpondentibus. Reſp. Utramque ſententiam valde probabilem, & multorum gravium DD. eſſe, negativam tamen Fachinæi *l. 2. Controv. cap.* 24. & Pinell. 2. *p. cap.* 4. *num.* 1. & 2 Gutier. *lib.* 1. *quæſt. practicarum q.* 134. Mol. *diſp.* 349. Pal. *l. c. pun.* 17. §. 13. Layman. *cap.* 17. §. 1. *n.* 8. Leſſ. *lib.* 2. *c.* 21. *n.* 122. videri probabiliorem, tum quia, ut etiam ex adverſariis *Covar.* 2. *Var. c.* 3. *n.* 9. fatetur, praxi eſt recepta, tum quia geminis legibus concedentibus actionem, vel ad reſciſſionem contractus, vel ad reſtitutionem debiti pretii, nulla fit mentio fructuum, aut uſurarum, tum quia contrahentes bona fide traditæ mercis, & pretii dominium obtinuerunt, ergo etiam conſequens lucrum, ac fructus fecerunt ſuos. Unde ſi pars lædens ad ampliùs teneretur, quàm ad æqualitatem contractus renovandam, id eſſet annuus cenſus, ſeu compenſatio lucri ceſſantis, pretio debito proportionati, atqui de pretio bona fide poſſeſſo, nec praxis, nec ratio poſtulat ſolvi cenſum, ſeu lucrum ceſſans (niſi ab illegitimo poſſeſſore factum formaliter, vel æquivalenter extet) cùm propter ignorantiam injuſtæ detentionis, nec ex delicto, nec conſenſu, ſeu pacto debeatur: ergo pars lædens ad nihil ampliùs tenetur, quàm ad æqualitatem contractus inſtaurandam: imò in foro externo poteſt emptor infra dimidium, actionem ſibi intentatam repellere objectione melioramentorum, ſi quæ facta fuerunt, quia poteſt eligere reſciſſionem contractus, reſtituendo venditori ſuam rem, ſi ille priùs melioramenta ſolverit, prout etiam teneri conſtat ex *l. In fundo ff. de Rei vindicatione l. Intra utile* 39 §. *ult. ff. de Minoribus*. Ad illas verò Leges, quas adverſarii contra datam reſponſionem ſententiæ negativæ obiiciunt, Reſp. Eas omnes, quæ reſciſſo contractu cum re etiam fructus reſtituendos præcipiunt, vel loqui de illis contractibus, qui tempore perceptorum fructuum nondum erant abſolutè validi, ut propterea fructus adhuc ſpectaverint ad dominum rei, vel de iis, quos jus in pœnam, aut favorem alterius ſemper invalidis æquiparandos cenſuit, quod cùm de con-

contractu propter inculpatam læſionem ultra dimidium reſciſſo nihil expreſſerit, ad eum etiam extendi non debet.

425 Secundus modus ex ſuppoſita notabili læſione, etiam inculpata, reſcindendi venditionem, vel emptionem, alioſve contractus tam lucrativos, quam oneroſos, habetur per reſtitutionem in integrum, quæ conceditur primò Minoribus, etiam cum conſenſu tutoris, vel curatoris, & judicis Authoritate contrahentibus) quando enim ſine tali conſenſu contractus invalidè fuiſſent celebrati, non eſſet opus reſtitutione in integrum, ſed ſola declaratione nullitatis) *l. 3. & ſeqq. C. de In integrum reſtitutione cap. Conſtitutus tit. eod.* etiamſi enim defectus prudentiæ videatur ſuppleri tutoris, & judicis authoritate, in favorem tamen ætatis impotentis propria prudentia de re ſua ſatis cautè diſponere, adhuc conveniens erat, beneficium reſtitutionis indulgeri: & quia juris ſcientia non ſupplet ætatis imbecillitatem, ſed tollit ignorantiam juris, ideo etiam illa non obſtat dicto beneficio, ut patet *ex l. 1. ff. de Minoribus*. Aliud eſſet, ſi tempore Minoris ætatis contrahens, eo finito, contractum ratificaret; tunc enim cenſeretur quaſi de novo contraxiſſe *l. 2. C. Si major jam factus ratum habuerit*: Vel ſi ante contractum privilegium ætatis à Principe obtinuiſſet; nam ab eo momento major cenſetur *l. 1. C. de His qui Veniam ætatis*. Vel ſi contractum juramento firmaſſet *Authent. Sacramenta puberum C. Si adverſus venditionem*. His ergo tribus caſibus exceptis: quando in aliis reſtitutio in integrum conceditur, ita ea facienda eſt, ut contrahentes uſuras, & fructus ſibi mutuò reſtituant *l. Patri §. 1. l. Quod ſi Minor §. reſtitutum ff. de Minoribus*. Secundò conceditur beneficium reſtitutionis Eccleſiis, aliiſque piis locis, quoad bonas illuc, & non ad privatos tantùm homines pertinentia *cap. 1. de In integrum reſtitut.* Tertiò rebus publicis quoad bona communia *l. Reſpublica C. Quibus ex cauſis Majores in integrum reſtituantur*. Quartò conjugibus quoad bona dotalia, eò quòd hæc pro privilegiatis habeantur teſte Pinell. quem ſequitur, & refert Rebell. *2. p. lib 1. q. 8. ſect. 6. n. 58.* & Pal. *diſp. 1. pun. 19. §. 1. n. 13.* ubi cum Mol. & Leſſ. probabile cenſet etiam ruſticos, & mulieres ob prudentiæ defectum eodem privilegio gaudere.

426 Durat autem hoc beneficium reſtitutionis ſpatio utili, ideſt non legitimè impedito 4. annorum poſt obtentam ætatem Majorum *juxta l. Fin. C. de Temporibus in integrum reſtitutionis*. Imò reſtitutio in repudiatam hæreditatem paternam nondum alienatam conceditur adhuc intra ſeptennium, ſi autem à Majore natu repudiata ſit, illi quoque triennium indulgetur *l. Fin. C. de Repudianda hæreditate*. Idem beneficium; quod ſecundo, & tertio loco dixi permitti locis piis, & communitatibus, etiam ibid. cit. legibus per quadriennium utile extenditur poſt initum contractum; imò propter enormem læſionem, qualis plerumque cenſetur, quæ eſt ultra dimidium juſti pretii, ſicut beneficium *Legis 2. de Reſcind. vendition.* (quod minùs favorabile eſt, neque reſtitutionem fructuum confert) omninò ad 30. annos protrahitur, ut ex conceſſa reſtitutione poſt expletum quadriennium *cap. ad noſtra de Rebus Eccleſiæ alienandis* communiter colligunt DD. è quibus Covar. *1. Var. c. 3 n. 11.* idem privilegium in minore ætate contrahentibus concedit, de quo tamen nihil in jure expreſſum eſt.

ARTICULUS II.

De Retractu gentilitio.

SUMMARIUM.

427 *Quid ſit Jus Retractus: & quomodo ac quibus concedatur.*

428 *Si eadem res eodem anno ſæpius vendatur, manet Jus Retractus apud prioris Venditoris proximum conſanguineum.*

427 RETRACTUS gentilitius teſte Cl. D. Rath *in theſ. de reſcind. vendit. §. 93.* ex generali totius Europæ conſuetudine introductus, prout in noſtra Germania receptus eſt, definitur à Laym. *lib. 3. tr. 4. c. 18. §. 6. num. 35.* *Jus alicujus gentis, aut civitatis ſtatuto, vel conſuetudine conceſſum proximo venditoris conſanguineo intra certum tempus ad ſe revocandi venditionem rei immobilis eodem oblato pretio, quo illa ab extraneo, vel remotiore conſanguineo empta fuerat.* Hujus juris mentio fit *in l. Dudum C. de Contrahenda emptione*, ubi non niſi ſecundùm modum ſpecialium legum, vel conſuetudinem conceditur, ac propter imminutionem poteſtatis liberè cuilibet vendendi odioſum declaratur, illius etiam meminit *c. Conſtitutus de in integrum reſtitutione*.

Ne itaque poſſeſſiones paternæ, & avitæ ad alienas manus tam facilè veniant, conceditur proximo venditoris conſanguineo (non etiam affini, genero, ſocero, aut privigno venditoris, etiamſi habeat fratrem uterinum ex illo venditore progenitum, ut monet Cl. D. Rath *§. 94*) jus perſonale, adeòque ad hæredes intransferibile teſte Layman. & Mol. *diſp. 370.* ut intra tempus præfixum, à venditione, & non à notitia ejuſdem computandum, nempe intra annum, & diem, niſi priùs delatam ſibi emptionem poſt duorum menſium deliberationem recuſaverit, rem immobilem alteri venditam, in propriam, non tamen alienam utilitatem, vel in fraudem emptoris, aut aliorum conſanguineorum, quibus jus retrahendi competit, ad ſe revocare poſſit eodem pretio, quo ab altero empta eſt, & ceteris expenſis in melioramenta redditis, ad quas evitandas ex conſilio Andr. Gail. *l. 2. Obſerv. 19. num. 10.* cptima cautela eſt; ſi volens uti beneficio retractus, quamprimum emptori denuntiet, ne ullos ſumptus in rem emptam faciat, quos tamen ſi ante denuntiationem fecit, retrahens probabiliùs reſtituere tenetur, etiamſi emptor æquales, vel etiam majores fructus ex re empta perceperit, hos enim abſolutè fecit ſuos, ut contra Gutier. *lib. 2. practic. quæſt. q. 158.* & Mol. *diſp. 371.* docet Tholoſanus, & Joan. Faber, quos refert, & ſequitur Laym. quia prior venditio fuit abſolutè valida, ac independens à negatione retractus, quamvis ex implicito contrahentium conſenſu fuerit ſubjecta obligationi non quidem reſcindendi priorem venditionem, ut acutè obſervat Cl. D. Rath; ſed revendendi rem proximo conſanguineo venditoris intra præſcriptum tempus id exigenti.

Quòd ſi eadem res immobilis, eodem anni ſpatio ſæ- 428
pius eſt vendita, prioris ſemper venditoris proximus conſanguineus præferendus eſt, ita ut pcſterioris venditoris proximo conſanguineo jus retractus ſolùm competat in defectum prioris: quippe per hoc, quòd primus emptor rem cum dicta obligatione ſibi à venditore traditam alienet, non poteſt jus retractus ei, cui debebatur adimere, vel in alterum transferre, etiamſi, ut iterum advertit Cl. D. Rath, alienet titulo donationis, legati, vel quocunque alio, qui non eſt propriè venditio, quique proinde retractui ſecluſa præcedente venditione non eſſet obnoxius, cùm jus retractus ultra rigorem verborum, in materia odioſa ſpectandum, adeòque ultra venditionem propriè dictam extendi non debeat, quamvis eadem ratio hujuſmodi extenſionem ſuaderet. Conceditur itaque jure retractus actio perſonalis in rem ſcriptam, imitans actionem realem, qua res apud quemcunque inveniatur, vindicari poſſit à proximo prioris venditoris conſanguineo, quod jus non pugnare cum aditione hæreditatis efficaciter probat Cl. D. Rath paragraph. *95.* ex eo, quòd retractus non ſit reſciſſio, aut annu latio venditionis à teſtatore factæ, aliàs utique non poſſet hæres contravenire, aut improbare factum teſtatoris, quocum in ordine ad illud approbandum, ac defendendum reputatur eadem perſona, ſed quòd ſit nova emptio, ad quam poſt mortem teſtatoris habet jus tanquam proximus conſanguineus, & in ordine ad proprium factum diverſa perſona à teſtatore.

ARTICULUS III.

De Mutuo, & Uſura.

§. I.

De Mutuo.

SUMMARIUM.

429 *Quid ſit Contractus Mutui; & in quibus rebus fieri poſſit.*

430 *An Filiusfamilias ſive ante ſive poſt annum XXV. completum naturaliter, vel civiliter queat ſe obligare per contractum Mutuationis juxta S. C. Macedonianum.*

431 *Quinam caſus excipiantur à S.C.Macedoniano.*

432 *Pupilli, & Minores, etiam de conſenſu ſuorum Tutorum, vel Curatorum, non obligantur ad reſtitutionem mutui, niſi in eorum utilitatem verſum ſit, quod in foro externo incumbit probare mutuatori. Eodem privilegio gaudent civitates, & pia loca.*

429 QUæritur 1. Quid ſit mutuum, ſeu mutuatio Reſp. rectè definiri à Layman. *c.* 25. *n.* 1. quòd ſit *traditio rei in ſuo genere functionem recipientis, ut ſtatim accipientis fiat, & poſtea tantundem ejuſdem generis ac qualitatis reſtituatur.* Dicitur 1. *Traditio rei*, quia contractus iſte perficitur re. Dicitur 2. *In ſuo genere funct. recipientis juxta l.2.ff.Si certum petatur*, cujuſmodi in cit. Lege dicuntur omnes illæ res, quæ ſub eodem genere ita ſolent eſſe ſimiles, ut una propter ſuam æquivalentiam poſſit fungi vice alterius, quales plerumque ſunt res mobiles, quas numero, pondere, & menſura metimur; unde Juſtinian. §. 1. *Inſtit. Quibus modis re contrahitur obligatio* ait, in his rebus mutui dationem conſiſtere: quod tamen non de his ſolis cum Leſſ. *lib.2.c.20. dub.* 1. ſed de his ordinariè cum Molin. *diſp.299.* Rebell. *p.* 1. *lib.*8. *q.*1. *ſect.*1. Palao *diſp.*4. *punct.*1. ac inſuper de aliis intelligendum eſt; unde etiam ovem mutuare potes. Dicitur 3. *Ut ſtatim accipientis fiat*: hinc enim mutuum nominis ſui originem trahit, quod ex meo tuum fiat *Inſtit. l.c. & l.2. ff. cit.tit.* ac per hoc diſtinguitur à commodato, depoſito &c. Dicitur 4. *Poſtea*: quo, teſte Palao, à permutatione diſtinguitur; quia licèt mutuum ſtatim debeatur, non tamen poteſt deberi, ut ſtatim ſolvatur, antequam potuerit illius eſſe uſus; ſed niſi tempus determinatum fuerit, prudentis arbitrio relinquitur determinandum teſte Menoch. *caſu* 2. & Fachin. *lib.2.Controv.c.*52. Dicitur 5. *Tantundem &c.* quo indicatur, non eſſe neceſſarium, ut eadem numero res reſtituatur, ut fit in depoſito, commodato, pignore, precario, quamvis poſſit eadem reddi; ſed quòd debeat reddi ſimilis in ſpecie, ſaltem morali, & in bonitate juxta *l.* 3. *ff. Si certum petatur.* Dixi ſaltem morali; quia licèt pecunia fiat ex metallis inæqualis bonitatis, ratione valoris tamen ab extrinſeco, ſcil. à morali hominum æſtimatione, tanquam forma, provenientis, & quaſi unam ſpeciem moralem, ſeu rationem pecuniæ conſtituentis (in qua juxta *l.*1 *ff.de Contrahenda empt one* non tam ſubſtantia, quàm quantitas æſtimationis ſpectatur) videtur mutuatarius adhuc ſatisfacere, ſi mutuum ſolvat ex pecunia æqualis valoris, ſed inferioris metalli; ut contra Bart. Baldum, Covarr. Panor. docet Palao *diſput.*4. *punct.*1 *.num.*9. Mol. *diſp.299.* Rebell. 2. *p.l.*8. *q.*1. *ſect.* 1. *in fine.*

430 Quær. 2. Quomodo filiiſfam. ſive ante, ſive poſt XXV. annum completum contractu mutui obligari poſſint. Reſp. Non tantùm civiliter, quòd omnes fatentur, ſed etiam naturaliter, & in conſcientia, niſi in caſibus proximè excipiendis, obligari non poſſe; contra Covarru. Fachin. Rebell. docent Bartol. Jaſon. Innocentius, Panorm. Sanchez, Mol. Leſſ. Pal. Laym. & plures alii. Ratio eſt, quia jus poſitivum, ex quo diviſio bonorum originem trahit, poteſt ob communem utilitatem impedire obligationem naturalem ſolvendi mutuum, ſicut impedivit, ac ſuſtulit obligationem reſtituendi rem alienam legitimo tempore præſcriptam, extrahendo illam de prioris domini jure; hac autem ſua poteſtate uti voluiſſe, conſtat *ex l.Sed ſi Paterfam.* 9. §. *& hi l.Tamen ſi* 11. *ff.de S.C.Macedoniano* latis occaſione cujuſdam civis Rom. Macedonis appellati, diverſis filiiſfamil. mutuum dantis, ſolvendum poſt mortem parentum ſuorum, à qua obligatione naturali, ut ſe eo citiùs liberare poſſent, propriorum parentum vitæ inſidiati ſunt; propterea S.C. Macedonianum nominis, & ſanctionis ſuæ originem à Macedone trahens, ut parentum vitæ univerſalem ſecuritatem præſtaret, non quidem directè mutuatariis jus in bona mutuantium conceſſit; ſed ſi ea ab illis ita diſtracta fuiſſent, ut inde nec filii, nec parentes ditiores eſſent facti, adeòque titulo rei alienæ in foro conſcientiæ ad reſtituendum lucrum tenerentur, eatenus reddidit caduca, ut nec actionem in judicio, nec ullum jus ad compenſationem, vel à mutuatariis (etiam poſtquam deſierunt eſſe filiiſfamil.) vel ab eorum parentibus, vel à fidejuſſoribus petendam reliquerit, quamvis ſponte, ac ſine obligatione vel ex errore datam permiſerit retinere *l.Sed ſi Paterfamil.* §.*Final.* Hinc autem (quod maximè intendebatur) effectum eſt, ut cum tali periculo nemo ampliùs vellet filiiſfamil. in caſibus non permiſſis mutuum concedere, eò quòd ipſi non quidem directè ab obligatione reſtitutionis exonerati eſſent, cùm in *cit. l.Sed ſi* §.*ultim.* legantur hæc verba: *Non quoniam exonerare lex eos voluit*: ſed quòd fœneratorum bona ſub hac conditione, niſi ultro fieret reſtitutio, ſint dicto modo caduca reddita, poſtquam non ampliùs apud mutuatarios formaliter, vel æquivalenter exiſterent.

Mihi tamen adhuc probabiliùs videtur, obligationem naturalem ad mutuum à filiiſfam. aliquando reſtituendum à Jure Civili ſublatam non eſſe, ſed, ut in pluribus aliis caſibus fit, ſolùm negari creditoribus Actionem ad repetendum mutuum. In primis enim id colligitur *ex cit. l.9. Sed ſi Paterfam. §. ult.* ubi ſi filiiſfam. mutuum ultro ſolviſſent, ad quod exigendum creditoribus actio negabatur, id ab illis tanquam ſolutionem indebiti repeti non poſſe, his verbis probatur. *Sed & ipſe Filius non repetit. Quia hi demum ſolutum non repetunt, qui ob pœnam creditorum actione liberantur. Non quoniam exonerare eos lex voluit.* Et ſtatim additur Lege 10. ſequenti. *Quia Naturalis obligatio manet.*

Neque dicas. Lege tantùm manere ad hunc unicum effectum, quòd non concedatur repetitio ſoluti. Juxta hanc enim reſponſionem lex idem probaret per idem, quòd nempe ideo non concedatur repetitio, quia lex manet quoad hunc unicum effectum, quòd non concedatur repetitio. Prætereà relata verba expreſsè dicunt, legem non velle filiosfam. *exonerare.* Atqui ſecundùm datam reſponſionem exonerarentur. Expreſsè etiam dicitur: *obligationem manere* non dicitur, ſolutionem firmam manere. Denique dicitur, filiosfam. *Actione liberari*: Non, obligatione liberari.

Confirmatur obligatio naturalis etiam ex fine Legis 10. citatæ. Iſte enim obtinetur ſola negata actione, ſeu condictione pecuniæ mutuatæ, ob quam perveniendam Filii occidebant ſuos Patres, ut adepta hæreditate ſolvere contracta debita poſſent. Sola ergo actione ſublata, ad eam cavendam non ampliùs erat opus occidere Patrem.

Id ipſum etiam confirmatur ex variis Regulis Juris. In primis certum eſt, quòd mutuum dans habeat Jus, ſibi filiumfam. naturaliter obligandi, niſi id Lege poſitiva reſtringatur. Atqui reſtrictio eſt incerta: Jus autem eſt certum, ergo mutuum dans manet in poſſeſſione ſui Juris. Juxta Reg. 56. in 6. *Potior eſt conditio poſſidentis*: Deinde lex Senatuſconſulti Macedoniani eſt pœnalis. Atqui juxta Reg. 49. in 6. *In pœnis benignior eſt Interpretatio facienda.* Ad hæc dicta lex eſt odioſa, quia præjudicat Juri Communi naturali, & privato. Sed juxta Reg. 15. Juris in 6. *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari*, ergo lex Senatuſconſulti Macedoniani reſtringenda eſt, ne Juri communi & privato præjudicet.

Non extenditur tamen allegatum Macedonianum jus 431
juxta diverſas *Leges ff. de S.C.Maced.* ad ſequentes caſus 1. ſi filius, aut filiaſam. accipientes mutuum habuerunt propria bona liberæ ſuæ adminiſtrationi permiſſa, ex quibus ſine præjudicio parentum, & ante mortem eorum potuerunt mutuum ſolvere. 2. Si communiter credantur, vel ipſi aſſerant ſe ſui juris eſſe: imò Laym. *c.* 15. *num.* 5. ex Abbate advertit, quotieſcunque fœnerator ob ignorantiam culpa vacat, non ei obeſſe legem mo-

Macedonianam. 3. Si mutuum non in pecunia numerata, ſed in quavis alia re pretio æſtimabili, & non in fraudem Legis Macedonianæ, ut ſcil. ex re vendita pecunia colligatur, conceſſum ſit. 4. Si mutuum filii acceperunt ex conſenſu parentum expreſſo, vel tacito, qualis cenſendus eſt, ſi ipſi pro filia mutuum ſolvere ſemper conſueverunt, vel ſi eos negotiationi præfecerunt. 5. Si in parentum commodum, vel filiorum neceſſitatem, cui parentes providere tenebantur, mutuum expenſum eſt 6. Si filiiſam. milites ſint, & tempore belli acceperint mutuum. 7. Si poſt mortem parentum, vel emancipationem contractum de novo ratificaverint. 8. Contra Panorm. probabiliùs additur cum Bart. Covarr. Leſſ. Laym. & aliis, mutuum filiiſam. juramento de non opponendo. S.C. Macedoniano firmari: quia licèt illud privilegium ſit potiùs conceſſum in favorem parentum, quam filiorumſam. adeòque hi eidem renuntiare non poſſint, nullo interpoſito juramento; cùm tamen ipſum juramentum non ſit de re inhoneſta, neque mutuatarius teneatur opponere S. C. Macedonianum; ſed poſſit ſtare ſuo juramento; hinc non videtur ratio, quare non ſicut alii contractus mutuum filiiſam. ex juramento convaleſcat, quia à jure non tantùm non excipitur, ſed ipſum potiùs ſupponendum eſt, velle, majorem habendam eſſe rationem reverentiæ juramenti, quam incerti, & adhuc remoti periculi parentum,

432 Pupilli & minores in gratiam ætatis conceſſo privilegio gaudent, ut, ſi per ſuos tutores, vel curatores, vel per ſe ipſos cum illorum conſenſu mutuum acceperunt, non teneantur quidquam reſtituere, niſi in eorum utilitatem verſum ſit, cujus probatio in foro externo incumbit mutuatoribus. Ita juxta *l. Si in rem 3. C. Quando ex facto tutoris*, tradunt communiter DD. cum Mol. *diſp.* 300. Palao *diſp. 5. p.* 4. Laym. *c.* 15. *num. 6. &* 7. in fine; ubi tamen obſervat; mutuatori contra tutorem, vel curatorem competere actionem perſonalem. Si autem ſine conſenſu acceperunt, tenentur reſtitutuere, quando ex eo ditiores ſunt facti: quod in foro externo mutuum concedens probare debet, ſi ipſe fœnerator ſit, qui pecunias ſuas ad uſuras tradere ſoleat, ſi autem ſit alius, contra mutuatarium ſupponitur lucrum; unde ab ipſo deinde exhiberi debeat probatio damni ex mutuo orti, ut docent cit. AA. cum Rebello 2. *p. lib. 8. q. 1. ſect. 3. n. 22.*

Simili privilegio, velut minores, à ſolutione mutui etiam eximuntur civitates (quarum nomine teſte Mol. *diſp.* 300. oppida quoque comprehenduntur) & loca pia, ita ut, niſi creditor probare poſſit, mutuum, quod adminiſtratores ſine ſpeciali conſenſu, aut mandato ſuorum principalium, plenam diſponendi poteſtatem habentium, acceperunt, in talium locorum utilitatem applicatum eſſe, ſolvere nihil teneantur, ſed actio in ipſos adminiſtratores vertatur *l. Civitas 27. ff. de Reb. Cred. cap. Si certum petatur. Quod quibuſdam de Fidejuſſoribus.*

§. II.

De Vſura.

S V M M A R I U M.

433 *Quid ſit Vſura. Et quomodo citra peccatum uſuræ poſſit aliquid exigi ultra ſortem.*
434 *Probatur, Vſuram non tantum Iure poſitivo, Divino, & humano, ſed etiam naturali eſſe illicitam.*
435 *Authoritate Alexandri VII. in propoſitione 42. & Innocentii XI. in propoſitione 41. ab utroque prohibita confirmatur nihil ſupra ſortem exigi poſſe titulo dilatæ ſolutionis.*
436 *Quomodo contractus Mohatras ſit uſurarius, & merito prohibitus ab Innocentio XI. in propoſitione 40.*
437 *Solvitur objectio, & quidam textus Iuris.*
438 *Non valet titulo lucri ceſſantis aliquid petere ultra ſortem, niſi quis illud facere conſtituiſſet, poſito, quòd non mutuaturus fuiſſet.*
439 *Quid ſit ſolvendum, quando pretium rei mutuatæ eſt inæquale tempore acceptionis, & redditionis.*
440 *Quo jure poſſit dari mutuum irredimibile.*
441 *Quando debitor ex propria culpa ſuo tempore non ſolvit debitum, licitè ab illo exigitur mulcta conventionalis.*
442 *An Vſurarius acquirat dominium lucri injuſti.*

USura ſumpta non pro ſolo uſu, nec pro commodo, & 433
fructu ex re percepto, quo ſenſu ſæpe accipi ſolet, ſed prout eſt ſpeciale peccatum injuſtitiæ, communiter à DD. definitur: *Lucrum immediate ex mutuo proveniens:* per lucrum intelligitur quodvis munus temporale, ex juſtitia indebitum, ſive ſit munus à manu, ſive à lingua ſive ab obſequio, pecunia, vel pretio ęſtimabile, ſive titulo juſtitię, ſive tantùm prętenſo titulo gratitudinis, amicitię &c. exigatur expreſsè, vel tacitè unde prior exactio *Realis* poſterior *Mentalis uſura dicitur*. Quod S. Thomas 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *in C.* his verbis declaravit. *Sicut ſi aliquis pro pecunia mutuata, vel quacunque alia re, quæ ex ipſo uſu conſumitur, pecuniam accipit ex pacto tacito, vel expreſſo peccat contra Iuſtitiam: ita etiam quicunque ex pacto tacito vel expreſſo, quodcunque aliud acceperit, cujus pretium pecunia menſurari poteſt, ſimile peccatum incurrit. Si verò accipiat aliquid hujuſmodi, non quaſi exigens, nec quaſi ex obligatione tacita, vel expreſſa, ſed ſicut gratuitum donum, non peccat: quia etiam antequam pecuniam mutuaſſet, licitè poterat aliquod donum gratis accipere: nec prioris Conditionis efficitur per hoc, quod mutuavit. Recompenſationem verò eorum, quæ pecunia non menſurantur, licet pro mutuo exigere puta benevolentiam, & amorem ejus, qui mutuavit, vel aliquid hujuſmodi.* Ita S. Doctor, prorſus ad mentem Innocentii XI. damnantis hanc contrariam propoſitionem 42. *Vſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur tanquam ex Iuſtitia debitum.* Quocunque proinde titulo aliquid pretii; vel rei pretio æſtimabilis, exigitur, Urbanus III. *cap. Conſuluit de Vſuris* declaravit, tali ratione mutuantes malè agere, & ad ea, quæ taliter ſunt accepta, reſtituenda in animorum judicio inducendos eſſe.

Debet autem tale lucrum immediatè ex mutuo provenire; nam munus proportionatum ſpei lucri ceſſantis, vel damno emergenti, aut periculo à mutuatario inimpedibili, cæteriſque incommodis, ac ſumptibus pro receptione mutui ſubeundis, non lucrum uſurarium, ſed penſio juſta eſt, ſicut etiam illud addidamentum, quod ultra ſortem datur in ſuſtentationem officialium Montium pietatis, id eſt, ærarii publici in Italia cum approbatione Leonis X. pro mutua pecunia indigentibus danda erecti: vel quod teſte Laym. *c.* 16. *n.* 11. datur in Germania pro obligatione dandi mutuum, & habendi in promptu pecunias mutuandas certis opificibus.

Neque obſtat huic exceptioni *cap. Naviganti 19. De Vſuris*. Ubi quando dicitur. *Naviganti, vel eunti ad Nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo, quod ſuſcipit in ſe aliquod periculum recepturus aliquid ultra ſortem, uſurarius eſt cenſendus.* Reſpondetur enim à duobus celeberrimis Caſiſtis, & Canoniſtis Paulo Lay. *l. 3. de Iuſt. tr. 3. c. 16. n. 13.* & Palao *diſp. 4. de Iuſt. pun.* 18. *n.* 4. in cit. textum irrepſiſſe Mendum, Omiſſione particulæ *Non*: & ſic eſſe legendum: *Vſurarius non eſt cenſendus*. Uti ſatis colligitur ex immediatè ſequentibus Verbis. *Ille quoque &c. non debet ex hoc uſurarius reputari. Ratione hujus dubii etiam excuſatur &c.* Ubi alii duo caſus, tanquam ſimiles primo referuntur, ut proinde Pontifex Gregorius IX. tres caſus voluerit in idem cap. compingere, in quibus juſtè aliquid exigitur ultra ſortem ratione oneris, quod Mutuator. ſubit præter Mutationem ſortis. Alii tamen textum, ut incorruptum, recipientes reſpondent, Mutuatorem non committere uſuram per hoc quod pro periculo perdendi pecuniam ex navali vel pedeſtri itinere per Naufragium, vel ſpoliationem hoſtilem in ſe ſuſcepto, aliquid recipiat, cùm utique deobligatio reſtituendi pretium pecuniæ, tali caſu fortuito deperditæ, ſit pretio æſtimabilis, ut cum S. Thom. Opuſ. *de Vſuris cap.* 10. conſentiunt plurimi DD. ſed committere per hoc, quòd aliter nolit mutuare ſive mutuò dare pecuniam, quàm recipiendo in ſe periculum, ut poſſit aliquid

quid exigere ſupra ſortem; cum mutuatarius non timeat hujuſmodi periculum, vel malit ipſe in ſe recipere: vel ipſum periculum non ſit tantum, quantum eſt pretium, quod ultra ſortem exigitur. Ad talem enim contractum ineundum cogere Mutuatarium, jam eſt injuſtitia Uſuraria, & exactio ſupra ſortem. Hanc ergo uſuram *cit. cap. Naviganti*, damnat, & ſtatuit in ſoro externo eſſe ſupponendam: proptereà dicit: *Vſurarius eſt cenſendus.* Niſi ſcilicet mutuator contrarium probet.

434 Cur verò uſura prohibita ſit, non tantùm jure Divino poſitivo, ſecundùm quod Pſal. 14. ad montem Domini aſcendere non permittitur, niſi *qui munera ſua non dedit ad uſuram* & Pſal. 54. inter iniquitates civitatis ſceleratæ refertur etiam hæc. *Non deficit de platea ejus uſura, & dolus*: nec tantùm inſuper jure Eccleſiaſtico *cap. 1. & ſeqq. 14. q. 3. & Clement. unica de Vſuris*, vel etiam Civil. Novo, ſed jure naturali, ſuadetur hac ratione. Si poſſet ratione mutui, præſcindendo à reliquis cauſis antè indicatis, exigi lucrum, ſeu aliquid ultra ſortem, deberet hoc jus fundari in aliquo titulo æſtimabili ſecundùm menſuram lucri; ſed nihil poteſt tale aſſignari; nam ipſum beneficium, quo indigenti conceditur mutuum, cùm poſſet non concedi, æſtimatur tantùm æſtimabilitate rei mutuatæ, ſicut beneficium venditionis æſtimatur æſtimatione rei venditæ: uſus rei autem ſuppoſita mutuatione, quæ traditio completur, debetur mutuatario tanquam ex re ſua; quia mutui dominium in illum transfertur: ipſa denique dilatio ſolutionis (ſecluſo lucro ceſſante, & damno emergente, ac periculo, cæteriſque incommodis in recuperanda ſorte ſubeundis, quæ quaſi ſunt effectus mutuationis, ut proinde horum condigna compenſatio non ſit immediatum lucrum mutui) non eſt aliquod onus pretio æſtimabile, aut juſta cauſa doloris, vel triſtitiæ pretio compenſanda, ergo ratione mutui nullum poteſt exigi lucrum ultra ſortem.

435 Ex allata ratione patet, quare Alex. VII. reprobaverit hanc Propoſ. 42. *Licitum eſt mutuanti, aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.* Quia ut dixi, ipſa dilatio ſolutionis (ſecluſo lucro ceſſante, & damno emergente) non eſt aliquid pretio æſtimabile. Ideo etiam Innoc. XI. hanc Propoſitionem 41. falſam denunciavit. *Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quàm futuram, poteſt Creditor aliquid ultra ſortem à Mutuatario exigere, & eo titulo ab Vſura excuſari.*

436 Ob eandem cauſam à memorato Innoc. XI. etiam prohibita eſt iſta 40. Propoſ. *Contractus Mohatras licitus eſt, etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis, prævie inito cum intentione lucri.* Si enim indigenti mutuata pecunia recuſes dare mutuum, at offeras ipſi mercem vel quamcunque rem, à te ipſi vendendam ad creditum v. g. centum florenis, quod ponamus eſſe pretium juſtum, ſed vel ſummum, vel ſaltem non infimum juſti: & ſi huic venditioni adiicias hoc pactum, ut emptor rem eandem tibi revendat, ſed pretio infimo intra terminos juſti pretii, e. g. Octoginta florenis, quos permittis, te ſtatim numerata pecunia ſoluturum: qui modus vendendi, & revendendi apud Hiſpanos Mahatras, vel Varatras vocatur. In tali caſu homini indigenti mutua pecunia ſolvis octoginta florenos, & imponis ipſi neceſſitatem, ut ille tibi aliquando debeat ſolvere centum, adeoque æquivalenter idem facis, quod facit, qui mutuat octoginta florenos, & pro hac ſorte exigit centum, vel ſupra ſortem octoginta exigit titulo gratitudinis, vel quocunque alio viginti florenos, quem proinde contractum Innocentius XI. damnavit veluti uſuram palliatam. Contra quem etiam pugnat eadem ratio, quæ contra Uſuram. Nam ideo Uſura eſt illicita: quia per hanc aliquid exigitur ultra ſortem; pro quo nullum ſubitur onus pretio æſtimabile: Atqui in Contractu Mohatras prædicto etiam nullum ſubitur onus pretio æſtimabile, & tamen ementi rem ad creditum juſto pretio imponitur onus ac neceſſitas revendendi minori pretio, & accipiendi in parata pecunia tantùm octoginta florenos: ergo contractus Mohatras, cum prævio pacto revendendi rem ipſi venditori ob eandem rationem eſt injuſtus. & ſaltem æquivalenter uſurarius. Quòd ſi verò nullum pactum intercederet: & ſi Venditor rem abſolutè venderet ad creditum, ut ipſe emptor cuicunque rem pro numerata pecunia venderet, docent quidem Leſſ. *l. b. 2. cap. 21. dub. 16.* & Palao *de Juſtit. diſp. 5. num. 33.* etiam ipſum Venditorem non peccaturum contra Juſtitiam, ſi rem ſibi ultro oblatam pretio infimo juſto per numeratam pecuniam redimeret, ut apud citatos plures alii DD. conſentiunt, plerique tamen cum iiſdem monent, Venditorem talem neceſſitatem minoris vendendi imponentem peccare contra Charitatem, & contra Leges Civiles, in Luſitania, & Hiſpania graviter prohibentes hujuſmodi venditionem.

Contra rationem tamen à nobis allatam, fundatam 437
in eo, quòd numerata pecunia, & præſens non ſit æſtimabilior pecunia numeranda, & futura, obiici poſſet praxis tolerata etiam à piis, & doctis Viris, qua merces venditæ ad creditum pluris venduntur, quàm quando pretium ſtatim ſolvitur numerata pecunia], ergo hæc cenſetur æſtimabilior, & in minore quantitate æquivalere pretio majori ad creditum. Reſp. Praxim in antecedenti ſuppoſitam eatenus eſſe licitam, quatenus Venditor per paratam pecuniam mox conſtituiſſet facere lucrum, aut cavere damnum: & ſic etiam pro pecunia futura, ſive mutuata etiam poſſe ultra ſortem exigi æſtimationem lucri ceſſantis, & damni emergentis: hoc titulo autem ſecluſo, nego antecedens, & conſequentiam *juxta cap. In civitate de Vſuris.*

Eundem titulum ſupponit etiam Juſtinianus §. 33. *Inſtit. de Actionibus*: quando dicit: ſupra ſortem plus quatuor modis peti *Re Tempore, Loco, & Cauſa.* Et explicans, quomodo tempore plus petatur, ait: *Tempore, veluti ſi quis ante diem, vel ante conditionem petierit. Qua enim ratione, qui tardius ſolvit, quam ſolvere deberet, minus ſolvere intelligitur, eadem ratione, qui præmaturè petit, plus petere videtur.* Hanc ipſam verò rationem, in prædicto titulo lucri ceſſantis, vel damni emergentis fundari indicat paulo pòſt, cum etiam declarat, quomodo *Loco* plus petatur, dum inquit.: *Ideo autem plus petere intelligitur, quia utilitatem, quam habebat promiſſor* (ſi loco, vel tempore promiſſo debitum ſolveret) *ademit ei*, ſcilicet alio loco, vel tempore debitum repetens. Ob eandem rationem etiam *in l. 204. ff. de Diverſis Regulis Juris* dicitur. *Minus eſt actionem habere, quam rem.* Qua ratione utilitatis ſecluſa prius *l. 15. ff. Eod.* dictum fuerat. *Is qui actionem habet ad rem recuperandam, ipſam rem habere videtur.*

Ex dictis colligitur 1. Cùm non ratione habilitatis, 438
& juris ad faciendum lucrum (hoc enim jus non diſtinguitur ab ipſa re mutuata) ſed ratione actualis ceſſationis lucri ex mutuatione provenientis poſſit exigi compenſatio, commenſurata potiùs ſpei lucri ceſſantis, quàm ipſi lucro, aliquo modo incerto; hinc ſi mutuator aliàs, & abſque datione mutui non comparaſſet ſibi illud lucrum, ratione ſpei poſſibilis non poſſe exigi aliquid ultra ſortem eidem correſpondens.

Pro cujus tamen majori declaratione notanda eſt doctrina P. Haunoldi *to. 3. de Juſtitia tr. 6. n. 401.* Ubi ad praxim multorum defendendam quærit, an dicatur lucrum ceſſare cauſa mutui, ita ut ejus compenſatio exigi poſſit, quando mutuans ideo pecuniam aſſervavit, & non expoſuit ad negotiationem, ut haberet ad manus pecunias, ſi quis eſſet, qui eas vellet mutuas accipere. Ratio dubitandi eſt, quia quando mutuum datur, jam eſt elapſum tempus, & occaſio negotiandi; ergo mutuum non eſt cauſa lucri ceſſantis: & nulla ampliùs adeſt Spes lucri. Ad quod, ait reſpondendum cum Card. de Lugo *n. 94.* & apud hunc Maldero (quibus addi poteſt Laymann *lib. 3. de Juſt. tr. 4. cap. 16. n. 8.* & Leſſ. *lib. 2. c. 20 dub. 9. n. 88.* qui tamen *n. 95.* formidoloſè loquitur) poſſe exigi, & hoc univerſim, ſive aliquis de facto prius petierit; ut pecuniam aſſervaret, fortè ipſi neceſſario mutuandam, ſive nullus petierit, ſed mutuans probabiliter præviderit, futuros aliquos, qui mutuum eſſent petituri, quibus vult aſſervare pecuniam; quia mavult mutuam dare pecuniam, quàm aliis negotiationibus impendere. Ratio eſt; quia mutuum futurum eſt ſaltem cauſa finalis ceſſationis lucri, & voluntas præſumpta eorum, qui petituri ſunt, movet objectivè ad non exponendam negotiationi pecuniam. Quod cum cit. Card. de Lugo confirmat P. Haunoldus exemplo Montium pietatis, quo à futuris Mutuatariis aliquid exigitur

tur

tur propter expenſas in ſuſtentationem miniſtrorum, ante dationem mutui fa[illegible]as in commodum accipientium. Et ſic communiſſima praxis Sæcularium ac Religioſorum, præſertim in Germania noſtra, videtur ſalvari debere, ſupra ſortem mutuatam quot annis accipientium vigeſimam partem pro lucro ceſſante, quòd tantum conditionatè aliis modis facturi fuiſſent, ſi non maluiſſent ſervare pecunias ad eas petentibus mutuandas. Et in talibus mutuatis pecuniis conſiſtunt plurimæ Religioſorum, & aliæ piæ fundationes, & viduarum ſuſtentationes: cum his, & perſonis Religioſis minùs conveniant aliæ negotiationes; & bona immobilia, ex quibus Religioſi ſuſtentari poſſent, civilibus legibus prohibeantur illis vendi plurimis in locis

439 Colligitur. 2. Cùm ſolutio ſortis debeat commenſurari æſtimationi rei mutuatæ, quam habuit tempore mutuationis, hic ſi tempore ſolutionis æſtimatio illius fuerit aucta, vel diminuta, tantùm rei ſolutæ detrahendum vel addendum eſſe, quantum neceſſe eſt, ut prior æſtimatio adæquetur, nec ſervari æqualitatem debiti, ſi res quoad ſpeciem, & quantitatem æqualis reddatur, niſi inter contrahentes ita fuerit conventum; quæ conventio juſta tantùm eſt, quando utraque pars propter æqualem augmenti, & decrementi probabilitatem ſimile periculum damni ſubit, non verò ſi moraliter certum ſit rei mutuatæ æſtimationem tempore ſolutionis auctiorem fore; niſi mutuator rem ſuam uſque ad illum aſſervare deſtinaſſet, nullumque ex aſſervatione damnum ſuſtinuiſſet, quod ex ſolutione mutui deducendum eſſet.

440 Colligitur. 3. obligationem non reddendi ſortem ante certum tempus, vel in perpetuum non poſſe imponi, niſi ex re mutuò data impeditum fuerit ſperatum lucrum ſtabile; hujuſmodi oneri proportionatũ, vel aliud ęquè ęſtimabile onus mutuator ſubjerit occaſione mutuationis.

441 Colligitur. 4. Quia pœna conventionalis ob non præſtitam ſolutionem tempore præfixo non deducitur in pactum mutuationis, tanquam pretium dilationis, ſed tanquam pœna abſterrens à violanda fide, & firmans contractum, ideo ſine uſura eam exigi quidem poſſe, ſed tunc tantùm, quando mutuatarius non vult, vel propria ſua culpa non poteſt tempore præfixo ſolutionem exhibere.

442 Colligitur. 5. Quia lucrum uſurarium eſt injuſtum, ideo præter alias pœnas, utroque jure ſtatuas, obnoxium eſſe reſtitutioni, ſive illud accipiens ejus dominium ſibi computaverit, ſive non: de quo oppoſitas ſententias puto hac ratione conciliari poſſe, ſi cum *Gl. in cap. Si quis uſuram* 14. q. 4. *cap. Debitores de Jurejurando*, &, ut fatetur Mol. *diſp.* 326. Cum pleriſque juris canonici interpretibus dicatur, mutuatorem quidem acquirere dominium uſurarum imperfectum, & reſtitutioni, ac reſciſſioni ſubjectum, ſed tunc ſolummodò, quando mutuatarius verè habuit animum, ac intentionem illud transferendi, ſicut ſupra diximus de contractu ex injuſto gravi metu inito, vel ob læſionem etiam ultra dimidium injuſto, comparari dominium reſcindibile, quia metus vel injuriam paſſus potuit, & voluit illud transferre. Cum S. Thom verò 2 2. q. 78. *art.* 3. & pleriſque Theologis dicatur, mutuatorem nequidem imperfectum dominium adipiſci, quando mutuatarius uſuras ex neceſſitate ſolummodò exterius promittit, aut tradit ſine animo eas à ſe alienandi: ſola enim traditio ſine interno conſenſu in alienationem non ſufficit ad obtinendum dominium, ut conſtat ex *l. Nunquam* 31. *ff. de Acquirendo dominio*.

ARTICULUS IV.

De Cenſibus.

SUMMARIUM.

443 *Proponuntur duæ quæſtiones hic reſolvendæ.*
444 *Contractus vel potius Iuris cenſualis definitio.*
445 *Variæ diviſiones Cenſus.*
446 *Contractus cenſualis eſt juſtus, etiamſi de cenſus ſucceſſu temporis major recipiatur, quam fuerit ſors, pro ipſo expenſa.*
447 *Idem aſſertum verum eſt, etiamſi ſors ab emptore cenſus ponatur repetibilis, modò Cenſus non exceaat titulum.*
448 *Probatur aſſertio, & oſtenditur convenientia, ac diſconvenientia inter mutuum & contractum cenſualem.*

443 Quia emptio cenſus cum mutuatione magnam ſimilitudinem habet, & facile prætextu emptionis annui cenſus, mutuatio uſuraria palliari, ac ſub illa latere poteſt; ideo hanc ſpeciem emptionis in hunc locum conjecimus explicandam, de qua duo trademus, primò id, quod ad ejus eſſentiam ſpectat, ſcil. definitionem, & diviſionem, non quidem immediatam, ſed, prout AA. ſolent, mediatam, quatenus ex definitione & diviſione cenſus, hoc ipſo innoteſcit natura ipſius contractus, quo Jus cenſuale acquiritur. Secundò quod ad ejus juſtitiam attinet, qua nimirum ratione licitè, & abſque injuſtitia, non quidem uſuraria, quæ propriè tantùm in contractu mutui committitur, ſed abſque inæqualitate pretii, & mercis, contrahi poſſit.

444 Definitur Cenſus, quatenus emptorem reſpicit, apud Canoniſtas communiter teſte Laym. *c.* 18. *in prin. Jus contractu aliquo conſtitutum, penſiones, ſive reditus annuos ex re aliqua percipiendi*: huc recidit definitio Leſſ. *lib.* 2. *c.* 22. *n.* 2. *Jus percipiendi annuam penſionem ex re, vel perſona alterius*, id eſt, ex lucro per qualemcunque perſonæ induſtriam, ſeu negotiationem, proveniente.

445 Dividitur Cenſus in reſervativum, & conſignativum. Reſervativus eſt penſio debita ex re tua, ſub cujus reſervatione dominium directum, ac utile rei tuæ v. g. fundi, quomodocunque in alterum tranſtuliſti. Conſignativus eſt penſio conſignata, ſeu per quemcunque contractum promiſſa alteri ex propriis bonis ſibi retentis. Atque hic de quo AA. potiſſimum diſputant, ſubdividitur primò in realem, perſonalem, ac mixtum. Realis eſt Cenſus, qui fundatur ſuper re certa, una, vel pluribus, cujus obligatio cum re ad quodcunque dominum tranſit, niſi redimatur. Perſonalis eſt, qui non in re certa) niſi forſan tanquam in hypotecha, aut pignore) ſed in obligatione perſonæ immediatè fundatur. Mixtus tum rei certæ, tum obligationi perſonæ immediatè initutur, ita ut re pereunte, perſona adhuc maneat obligata. Subdividitur ſecundò ratione materiæ, ſeu penſionis objectivæ in fructuarium, & pecuniarium. Tertiò ratione temporis, quo obligatio durat in perpetuum, qui etiam ad hæredem tranſit, ac temporalem, qui vel eſt certi temporis v. g. 10. annorum, vel incerti v. g. uſque ad tempus vitæ, ementis aut vendentis cenſum, diciturque Vitalitius. Ratione quantitatis ſubdividitur quartò in certum, qui eſt ſemper æqualis, ac determinata penſio, & incertum, qui eſt pars aliquota bonorum v. g lucri, aut fructuum pro diverſitate temporis inæqualium. Quintò ratione pactionis alius Cenſus eſt redimibilis; ſive ex una, ſive ex utraque parte, ſcilicet vendentis, & ementis Cenſum, alius irredimibilis.

446 Ad alterum, quo de juſtitia contractus cenſualis controvertitur. Dico 1. Non tantùm Cenſus perpetuus realis, ſive pecuniarius, ſive fructuarius propter approbationem in extravag. Martini V. & Calixti III. de emptione, ac venditione, & in Bulla Pii V. *Cùm onus* edita Anno 1568. ſed etiam Cenſus perſonalis juſtus ac licitus eſt: ita plurimi, quos referunt, & ſequuntur Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 1. Palao *diſp.* 6. *pun.* 11. Laym. *l. c. n.* 7. contra Navar. Fachin. Lopez, Gutier. & ſi cumulus penſionum ſortem ſuperet, contra Mol. *diſp.* 37. Probatur. Obligatio perſonalis, ex bonis propriæ induſtriæ ſolvendi penſionem, poteſt juſtè ſuſcipi ex promiſſione gratuita, vel ab alio imponi, ut patet ex decimis, tributis, & penſionibus à teſtatore hæredi frequenter hac ratione impoſitis; ergo poteſt etiam injungi à ſolvente pretium, eidem commenſuratum: quia talis Cenſus non eſt aliquid, quod velut in mutuo ſupra ſortem, & ſine alio titulo exigitur; cum ſors ipſa non ampliùs repeti poſſit; & inſuper ſpecialis titulus ad recipiendum lucrum cenſuale accedat. Neque obſtat, quòd illud lucrum ſucceſſu temporis æſtimatione ſortis majus evadat: hoc enim etiam contingit in poſſeſſione ex occaſione mutui, titulo lucri ceſſantis, damni emergentis &c. juſtè

per-

percepta, quibus quoque titulis jus cenſuale ſubnixum eſt; quod tamen, cùm ſortem repetere non liceat, eſt magis onerofum, & proinde majori pretio æſtimandum. Quod de Cenſu perpetuo, idem de temporali ſtatuendum eſt, quamvis etiam iſte tandem ſortem excedat: prout contra Panorm. Rebell. Mol. Tolet. aſſentiuntur S. Th. S. Anton Covarr. Valent. Salas, Leſſ. & plures alii relati, & approbati à Palao *punct.* 12. *n.* 1. Ratio eſt, quia minori pretio ſortis, non emitur immediatè lucrum cenſuale majus, ſed ſpes lucri cenſualis, quæ propter incertitudinem, & dilationem conjunctam cum lucro ceſſante, ac damno ex perpetua carentia ſortis emergente, aliiſque incommodis, non pluris æſtimabilis eſt.

447 Dico 2. Contractum de penſione cenſus, non tantùm realis, ſed etiam perſonalis, probabiliùs juſtum eſſe, etiamſi adiiciatur pactum, ut etiam ipſe emptor, cùm voluerit, ſortem repetere poſſit, niſi priùs cum re, vel negotiatione, cui annexa eſt, caduca ſit facta: imò ne fieret, poſſe pacto aſſecurationis caveri, modò emptor incremento pretii, vel decremento penſionis compenſet hujuſmodi obligationem venditoris, ſicut ipſe venditor debuiſſet exigere minus pretium, vel præbere majorem cenſum, ſi ipſi ſoli ex pacto conceſſa fuiſſet facultas, reddita ſorte, quocunque tempore diſſolvendi contractum. Prima pars de cenſu reali contra Covarr. Rebell. Sotum traditur à Leſſ. Valent. Medina, Gabriele, quos ſecutus eſt Laym. *c.* 18. *n.* 5. qui etiam ſecundam partem de cenſu perſonali utrinque redimibili, etiam ſub pacto aſſecuratæ ſortis, quantumvis res, vel negotiatio interciderit, firmat auctoritate Medinæ, Malderi, Leſſii, Valentiæ, & hoc teſte doctiſſimorum Rom. Theologorum, ac denique Doctorum, piorumque virorum praxi in Germania: quamvis fateatur, magnum ſubeſſe periculum intentionis uſurariæ, & ideò pro foro externo hujuſmodi contractum ab emptore reſcindibilem, tanquam uſurarium declaratum eſſe in Carolina Auguſtæ in comitiis edita Anno 1548. & in extravagantibus Martini V. ac Calixti III. quæ tamen, ſicut & Bulla Pii V. quatenus reſtringunt jus naturale pluribus locis, uti etiam in noſtra Germania receptæ non ſunt.

448 Probatur autem aſſertio hac ratione. Alii contractus poſſunt celebrari ſub pacto mutuæ reſcindibilitatis, ergo etiam contractus emptionis, ac venditionis annui cenſus, ſi vitetur intentio uſuraria, prout adhuc vitari poteſt, etſi ita formetur contractus: v. g. emo à te 100. florenis penſionem in pecunia, vel alia re, v. g. Scapha tritici ſingulis annis mihi ex negotiatione tua, vel bonis tuis ſolvendam, donec etiam ipſam ſortem à te pro remiſſione hujus penſionis repetivero, vel donec tu eandem reddere volueris: ſi enim emptor non exigat majorem penſionem, quàm quæ commenſuretur lucro ceſſanti, damno emergenti, periculo amittendæ, vel difficultati recipiendæ ſortis; & ſi præterea propter aſſecurationem ſortis, fundatam in bonis alterius aut in pignore (ſi talis aſſecuratio intervenerit) tantundem remittat, vix erit diſcrimen inter hujuſmodi contractum emptionis cenſus, & inter contractum mutui, niſi quòd in priori caſu ematur cenſus pro tempore, quo utrique placuerit non diſſolvere contractum, in poſteriori verò tantùm alienetur ſors cùm obligatione æqualem reſtituendi: ita tamen, ut ex æquitate naturali poſſit recipi pretium compenſans prædictos titulos: idem quoad effectum contingit in contractu Societatis, quo das alteri centum florenos retinens eorum dominium, ut cum iiſdem recipias partem lucri proportionatam. Atque ex hac probatione colligo, contractum emptionis cenſus, niſi celebretur pretio nunquam ampliùs repetendo, vel niſi iſtud ſaltem ſubiiciatur periculo interitus, quod emptori, & non venditori incumbat, inutilem eſſe, ad acquirendum majus lucrum, quàm quod occaſione mutui accipere liceret; unde ſi tamen inſtituatur, relicto contractu mutuationis magis uſitato, & æquè utili ad acquirendum lucrum juſtum, meritò ſupponitur intendi lucrum majus juſto, quod ſuppoſitum ſi verum eſſet, nemo aſſertionem noſtram concedere, ſi autem verùm non eſſet, nemo negare poſſet: & ſic puto facilè conciliari ſententias ob diverſam ſuppoſitionem contrarias.

ARTICULUS V.

De Cambio.

SUMMARIUM.

449 *Quid ſit Cambium, & quo titulo lucrum campſoris ſit juſtum.*

450 *Quid ſit Cambium minutum, & quid locale, & quomodo iſtud ſpecialem titulum lucri contineat.*

451 *In Cambio locali ſpectatur Valor pecuniæ ſecundùm æſtimationem, quàm habet ibi, ubi à Campſore datur.*

452 *An, & quomodo liceat ex aliena pecunia lucrum Cambiale facere.*

Cambium eſt *permutatio pecuniæ pro pecunia cum moderato lucro*: ſumitur autem hìc permutatio non generaliſſimè pro quovis contractu oneroſo, ſed pro ultrò, citroque traditione, unde contractus cambii conſiſtit in utraque traditione collectivè, ſive eodem, ſive ſucceſsivo tempore poſita, qua ratione cambium datum pro ſolutione futura diſtinguitur adhuc à mutatione, quæ ſolutionem mutuatarii non includit. Sicut tamen propter ſolum beneficium mutuationis non poteſt accipi lucrum, ſic etiam propter beneficium cambii non poteſt, niſi aliquis juſtus titulus interveniat (tale enim vocatur Cambium ſiccum, eò quòd humore, id eſt, juſto titulo lucri careat, juſtum verò vocatur reale, quia titulus datur à parte rei, & non fictè, ſicut in ſicco, ſeu ficto Cambio) tituli juſti autem ad recipiendum proportionatum lucrum, ſunt tum omnes ii, quos pro lucro ex mutuo retulimus, tum ipſum onus, & cura officii Campſoris, ſive ex mandato Principis, nullo ſtipendio hunc titulum compenſantis, ſive propria voluntate geratur: tum probabiliùs etiam major pecuniæ bonitas; quia comparando utilitatem, quam habet minuta pecunia ad commodiorem emptionem rerum vilium, & ad commercium vulgi, cum utilitate, quam habet moneta aurea, vel argentea ad varios uſus humanos, ad faciliorem tranſvectionem, ad univerſaliùs cùm diverſis nationibus commercium, &c. præter valorem pecuniarium à Lege taxatum ſemper poſterior utilitas excedit priorem, quem exceſsum inſeparabilem à quacunque taxatione in ratione pecuniæ, non tenetur Campſor gratis cedere campſario, ſicut neque ſi ex alia ratione illius pecunia æſtimabilior ſit, quàm ea, quæ ipſi ſolvitur, cujus v. g. valor communiter prævidetur brevi diminuendus. 449

Nec obſtat, quòd Campſor hujuſmodi ſibi redditam pecuniam priùs poſsit diſtrahere, quàm ejus valor decreſcat: per hanc enim illius commoditatem, quæ per accidens eſt, non impeditur, quò minùs pecunia Campſarii quoad ſuam vulgarem æſtimationem ſit reddita vilior, & proinde Campſor additamentum exigere, vel minus per Cambium dare poſsit, ſicut pro merce vileſcente minus ſolvitur pretium: atque hoc Cambium, quo commutatur præſens pecunia cum præſente diverſæ rationis, appellatur Cambium minutum; ſicut alterum, quo abſens cùm præſente permutatur, dicitur locale: pro hoc autem locali Cambio alii adhuc juſti tituli accedunt, quando ſcil. ſolvitur Campſori pecunia in hoc loco, ut ille alibi tantundem reſtituat, vel ipſe ſolvit in hoc loco, ut alibi æqualem ſolutionem recipiat; quia enim ipſe hac ratione virtualiter tranſvehit pecuniam in Campſarii utilitatem, dum in priori caſu facit, ut Campſarius alibi habeat tantum pecuniæ, quantum vellet ibi habere, & in poſteriori facit, ut tantùm habeat hìc, quantum neceſse eſset ex altero loco huc tranſportare; ideò poteſt ipſe pretium virtualis translationis exigere; quod enim hæc propter commercii conſuetudinem non ſit eidem difficilis, non ſequitur ipſam operam in alterius utilitatem præſtitam pretio æſtimabilem non eſse. 450

Unde etiam concedit Laym. *c.* 19. *n.* 7. & cum eo Pal. *diſp.* 7. *punct.* 4. nuntium juſto pretio conductum poſse citra culpam injuſtitiæ mortalem ab altero conducente ignaro ſimile pretium pro eodem itinere recipere, quia iter reſpectu cujuſcunque conductoris tali pretio æſtimabile eſt; quòd autem ſine nova, ac geminata difficul- 451

difficultate illud peragi poſſit, habet ſe per accidens, ac fortunæ nuntii accedit; ſicut etiam, ſi quis pro reductione vacui equi à conductore ad certum locum deportato pretium accepit, juxta cit. Palao & Salas ibid. non prohibetur virtute juſtitiæ, rurſum ſimile acceptare ab alio, qui equo pro reditu uti velit.

451 Poſtremus titulus, quem Campſores potiſſimùm ſolent reſpicere, deſumitur ex eo, quòd pecunia ſive ratione taxæ, ſive ratione raritatis, ſive ratione paucitatis Campſorum, ſive aliunde ſit majoris valoris in loco, ubi à Campſore datur, & iiſdem titulis, quibus ſolet pretium mercis creſcere, quaſi cariùs venditur, quàm ubi ſolutio recipitur: ſolutio enim debet commenſurari valori pecuniæ, ubi datur cambium, non ubi in illud conſentitur; quia pecunia Campſoris induit naturam mercis, adeoque non tantùm debet ſpectari ſecundùm æſtimationem taxatam in ratione pecuniæ, ſed etiam ſecundùm aliàs rationes, pretium mercis augentes: hinc ſi dies mihi Auguſtæ duos aureos, ut alibi ſolvam amico tuo ſex florenos, ſi in illo loco unus aureus valeret ſex florenos, ſatisfacerem dando ibi unum aureum: non enim tanquam nuntius debeo phyſicè deportare, quidquid à te accipi, ſed tanquam venditor debeo curare, ut tuus amicus tanti valoris pecuniam habeat alibi, quanti valoris hic à te inſtar pretii accipio; & pro hac ipſa cura, & virtuali transvectione (quæ tamen ut advertit Leſſ. *lib. 2. cap. 23. num. 31.* minoris æſtimationis eſt, quàm realis translatio) poſſum etiam ſupra geminos aureos exigere lucrum ſpeciale, à loci diſtantia, & itineris periculis (nam Campſor obligationem aſſecurationis, utique pretio ſecundùm rationem periculorum æſtimabilem in ſe ſuſcipit) aliiſque circumſtantiis menſurandum.

452 Quandoquidem propter prædictos titulos cambium juſtè exerceri poteſt, quæritur, utrùm hoc fieri etiam poſſit pecunia aliena v. g. an is, cui pecunia aurea, vel argentea creditoribus tradenda commiſſa eſt, poſſit per cambium minutum eam ſibi acquirere, ſolvendo creditoribus pretium æquivalens in minori pecunia, vel recipiendo ab illis lucrum cambii, illudque ſibi retinendo. Ratio dubitandi eſt, quia ſi meliorem pecuniam ſibi retineat, videtur injuriam facere creditoribus, quibus deſtinata erat, ſi autem lucrum cambii reſervet, domino pecuniæ infert injuriam, ſicut ſuprà diximus de vendente rem alienam pretio majoris, quàm deſignato, illudque ſibi reſervante

Reſp. Si probabiliter ſive per expreſſam, ſive tacitam manifeſtationem conſtet, Dominium ſolventem velle in favorem creditorum, ut melior pecunia ipſi tradatur, utique inferri injuriam creditoribus, quia per talem voluntatem acquiſiverunt jus ad pecuniam à domino ſibi deſtinatam, ut conſentiunt Mol *diſp.* 402. Leſſ. *l.* 2. *c.* 23. *dub.* 2. *circa finem* Salas *de Cambus dub.* 7. *ad Finem*, Laym *cap.* 19. *n.* 5. Palao *diſp.* 7. *pun.* 3. *num.* 4. ſi tamen de prædicta voluntate non conſtet, verùm domino ex tali cambio inferatur damnum, quò minùs deinceps res tam bonas, vel tam facili pretio ſibi queat comparare, vel tam fidelia obſequia recipere, ſicut ſi meliorem pecuniam expendere ſolitus eſſet (cujuſmodi damna obſervat Laym. Principibus eventura, ſi eorum theſaurarii, & quæſtores pecunias meliores ſolvendas mercatoribus vel officialibus occulto cambio ad ſe attraherent) non dubitant cit. AA. hujus generis Campſores obligari ad compenſationem lucri ceſſantis, vel damni emergentis, quamvis lucrum cambii retineri poſſe dicant. Quòd ſi autem rationabiliter ſupponatur, dominio pecuniæ perinde eſſe, ſive ſua, ſive alia æquivalens creditoribus ſolvatur, quod famuli, & officiales non facilè ſupponere debent, quin ſaltem contra obſervantiam, fidelitatem, vel honorem ſuorum dominorum ex meliori ſolutione provenientem, venialiter peccent, tunc inquam cum cit. AA. non violari juſtitiam, neque ex parte domini, quia ipſi nullum damnum involuntarium infertur; jure lucri verò, hoc ipſo quòd non deſideret ſuo nomine cambium inſtitui, cùm ſciat id fieri poſſe, videtur ceſſiſſe; quod non ſimiliter ſupponi poteſt de aſſignante pretium rei ſuo nomine vendendæ, qui ſolum tanquam terminum, infra quem nolit, non tanquam terminum, ultra quem non deſideret rem ſuam vendi, pretium expreſſit: neque ex parte creditorum, qui ſecluſa ſpeciali conventione, vel debitoris determinata voluntate nullum habent jus accipiendi meliorem pecuniam, ſed tantùm accipiendi æquivalentem debito. Aliud eſſet, ſi is, cui tradita erat pecunia, creditorum nomine, tanquam repræſentans eoſdem, illam recipiſſet; tunc enim, quia per eum obtinuiſſent poſſeſſionem, & jus determinatum ad talem pecuniam, non poſſet legatus, vel procurator ipſorum eam ſibi per cambium vindicare.

ARTICULUS VI.

De Societate.

SUMMARIUM.

453 *Quid ſit contractus ſocietatis & quomodo, ac qualium rerum in eo contributio fiat, plerumque tamen retento à ſingulis earum dominio.*

454 *Sicut lucrum Sociis commune, & in partes proportionales dividendum eſt, ita & damnum, ſi quod ſine alterutrius culpa accidat.*

455 *Quomodo liceat ſociis à contractu recedere.*

456 *Qualiter diſſolvatur ſocietas.*

Societas communiter ab AA. definitur: *Conventio duorum, vel plurium contribuendi ad communem quæſtum, vel uſum, communeque damnum ſuſtinendum.* Conventio dicitur, quia conſenſu, quocunque modo manifeſtato, ante actualem rei traditionem quoad ſubſtantiam in ratione contractus jam cenſetur perfecta §. *unico Inſtit. de Obligationibus ex conſenſu.* Contributio non tantùm in pecuniis, ſed etiam in collatione induſtriæ, vel aliarum rerum ad lucrum faciendum conducentium conſiſtere poteſt; ita ut ſinguli retineant dominium rei à ſe collatæ, vel penes ſe ſolos, vel illud inter ſe communicent ſecundùm proportionem contributionis dividendum; quo poſteriori modo tamen, ſi res diverſæ contribuantur v. g. unus conferat pecunias, alius induſtriam, tertius navem, vel alia ad communem negotiationem neceſſaria, videtur minùs uſitatè Societas inſtitui, tum quia talium rerum dominium minùs aptè commiſceri, ac deinde dividi poteſt, tum quia *l.* 1. *&* 2. *ff. pro Socio* ſatisfit communicatione rerum collatarum, ſi ea ad uſum, licèt non ad dominium facta ſit, tum denique quia non obſtante, quòd finita ſocietate contribuens pecunias eaſdem iterum quoad illarum æſtimationem recipiat, contribuens verò induſtriam, eandem recipere non poſſit, ſervabitur nihilominus æqualitas inter utrumque, dum jactura induſtriæ compenſatur contributione pecuniæ, excedentis æſtimabilitatem induſtriæ, vel conceſſione lucri ampiioris, vel etiam partialiter ratione periculi pecuniæ amittendæ: hinc probabilior longè eſt ſententia Gloſſæ *l. Si non fuerit §. ſolus pro Socio* Bartoli, Baldi, Sylv. Lopez, Rebelli Leſſii, quos ſequitur Palao *diſp.* 8 *pun.* 4. *n.* 4. quòd ſecundùm uſitationem conveniendi modum damnum pereuntis pecuniæ ſoli ejus collatori accidat, etiamſi illatum ſit ante contributam induſtriam, vel poſt contributam quidem, ſed pecuniæ æſtimabilitati non commenſuratam. 453

Nam licèt in tali caſu unus ſocius plus damni, vel ſolus illud patiatur, hujus tamen periculum ſervata æqualitate ſubire potuit propter oppoſitam ſpem integram ſortem aliquando recipiendi, & propter mutuam obligationem à ſocio initam, induſtriæ irrecuperabilis, & vel longè æſtimabilioris, quàm ſit pecunia collata, vel quàm ſit portio lucri ſperati, ac ratione induſtriæ debiti; ita ut ſecluſo periculo, quod unus ſubit in pecunia, competeret huic minor, & alteri major portio. Hac tamen æqualitate non interveniente, omnino dicendum eſt, quòd damnum ſortis abſque lata, vel levi culpa ſocii eveniens (ad hanc enim evitandam tenetur *l. Cum duobus l. Socius ff. pro Socio*) etiam alii, vel aliis ſociis commune, & ſecundùm portiones ratas reparandum ſit, juxta allegatam *l. Cum duobus* 52. ubi etiam ducitur, incidenti in latrones ſpoliationem rerum ratione negotiationis deportatarum, & expenſas in vulnerum curationem ſecundùm portiones ratas à ſociis compenſari debere; quippe hujuſmodi damna periculo ſortis accedentia, & ratione Societatis quidem, ſed prorſus accidentaliter evenientia, ex communi obligatione per pactiones extrahi non ſolent 454

ſolent. Unde in definitione Societatis additæ ſunt particulæ: *communeque damnum ſuſtinendum:* quæ tamen quoad ſortem ſecundùm dicta, & ſecundùm aliam communiorem ſententiam, quòd nempe ſocius poſſit aſſecurationem contributæ ſortis, & obligationem ſubeundi commune damnum, aut periculum redimere proportionata ceſſione lucri, ut patet ex *l. Si non fuerit ff. pro Socio* intelligendæ ſunt conditionatè, niſi ſcil. aliter fuerit conventum, ſine qua conventione, ſicut declarat cit. lex, non humana, ſed leonina Societas iniretur, ſi quis æquale lucrum, nullum verò damnum participare intenderet.

455 Quer. 1. An cuilibet Sociorum liceat à Societate recedere? Reſp. Juxta *l. Actione 65. §. diximus & §. renuntiare ff. pro Socio* licere, ſi omnes ſocii certiores de hoc reddantur, nec dolo, aut in fraudem Societatis, nec ante tempus pacto determinatum, recedatur. Ratio eſt, quia contractus Societatis tantùm obligat ad ea, quę expreſſo, vel tacito compromittuntur, poteſt autem iniri ſocietas, quin promittatur ejus perſeverantia.

456 Quer. 2. Quomodo diſſolvatur Societas? Reſp. 1. Renuntiatione modò dicta. 2. Mutuo conſenſu. 3. Effluxu temporis, pro quo Societas inſtituta eſt. 4. Re, in qua fundabatur Societas, integrè vel magna ex parte intereunte *l. Verum 63. §. ult. ff. pro Socio.* 5. Publicatione bonorum alterutrius ſocii *juxta citat. legem Verum 6.* ceſſione bonorum propter contracta debita *§. 9. Inſtit. de Societate.* 7. Morte ſocii aliis notificata *l. Actio §. Morte ff. pro Socio*, niſi negotium ceptum ſine eorum prę judicio finiri nondum poſſit, tunc enim hęres concurrere deberet, ut colligitur *l. Nemo 35. l. Hæres Socii 40. l. Verum. l. Actione, §. 9. pro Socio.*

ARTICULUS VII.

De Locatione, & Conductione.

SUMMARIUM.

457 *Quid ſit Locatio, & Conductio, & quomodo Locatio rei immobilis differat ab Emphytheuſi.*

458 *An impeditus ab uſu rei locatæ teneatur ejus pretium ſolvere.*

459 *Quando Locator teneatur de pretio remittere, aut Conductor majus dare, ob extraordinariam ſterilitatem, aut fertilitatem rei locatæ.*

460 *Qualem ultra pretii ſolutionem, aut remiſſionem, Conductor & Locator obligationem ſubeant.*

457 Locatio, & Conductio, ut advertit Mol. *diſp.* 445. in jure aliquando ſumuntur latè, prout etiam contractum Emphyteuticum involvunt, aliquando ſtrictè, ut patet ex *l. 1. C. de Jure Emphyteutico*, & ſecundùm hanc acceptionem definiri poteſt locatio cum Leſſ. *lib. 2. cap. 24. nu. 1.* & aliis communiter, quòd ſit *Contractus, quo perſona, aut res aliqua ad uſum, vel fructum pretio conceditur*, vel cum Mol. *diſp.* 486. quòd ſit *Contractus, quo res immobilis ad minus tempus, quàm ad decennium, aut mobilis ad quodcunque tempus in uſum, vel fructum pro pretio conceditur, quo vero ſuſcipitur, eſt Conductio.* Nomine rei mobilis poſteriori definitione intelliguntur, non tantùm res extra hominem poſitæ, ſed etiam perſona quælibet humana; imò ipſe locator, quando operam ſuam alteri locat.

Adduntur ex parte rei immobilis hæc verba, *ad minus tempus, quàm ad decennium*, ut locatio rei immobilis ſtrictè accepta ab Emphyteuſi diſtinguatur, quæ minori tempore, quàm decennio concedi non poteſt, uſque ad illud tempus verò, vel ultra conceſſa re immobili jam acquiritur illius dominium utile, ac reale; & non tantùm jus quoddam perſonale (quale *juxta legem Non ſolet ff. Locati* præcisè acquiritur in locatione adversùs perſonam locatoris) unde jam cenſetur concedi in Emphyteuſin, ut ex communi ſententia, & juris diſpoſitione *l. 1. §. Quod ait ff. de Superficiebus* oſtendit Mol. dicta *diſp.* 445. Jul. Clar. *lib. 5. §. ult. q. 82. Statuto 5. nu. 4.* Palao *diſp. 10. pun. 1.* Leſſ. *lib. 2. cap. 24. n. 4.* quod diſcrimen inter locationem, & Emphyteuſin, dominium utile, ac reale transferentem in Emphyteutam, indicatur in prima definitione per particulas: *ad uſum vel fructum*, ſolitariè abſque dominio reali, imò cum ſecluſione ejuſdem poſitas. Denique requiritur etiam pretium ut *ex Inſtit. l. c.* patet; quando enim res pretio æſtimabilis reddenda promittitur, non locatio, ſed contractus Innominatus eſt, *do, ut des*, quamvis jure locutionis reguletur, ut teſte Laym. *c. 22. n. 1.* & Mol. communiter notant DD.

Quær. 1. An impeditus ab uſu rei locatæ teneatur ejus pretium ſolvere. Reſp. Si impedimentum, ſive à parte rei exiſtens, ſive rationabiliter exiſtimatum, ſit involuntarium, non teneri, ut rectè oſtendunt Leſſ. *l. 2. c. 24. n. 7.* Mol. *diſp.* 493. Laym. *l. c.* & alii apud ipſos *ex l. Habitatores 27. In fine ff. Locati.* Si autem ſit voluntarium, teneri ad totum pretium, ut cit. AA. probant *ex l. Qui operas ff. Eod.* niſi aliter fuerit conventum, aut niſi res alteri fuerit locata: tunc enim hujus locationis pretium deducendum foret, ſicut etiam ſi locatori ad illam poteſtas, & occaſio data eſſet, etiamſi locator ea uti noluiſſet, ut teſtatur Leſſ. 458

Quær. 2. An ſi ob ſterilitatem rei ſperati fructus non percipiantur, locator teneatur pretium remittere Reſp. Si nulli percipiantur, teneri, ut DD. communiter aſſerunt propter *l. Ex conducto 15. ff. Locati*: ſi modici tantùm percipiantur; pro rata remiſſio facienda eſt *juxta cap. Propter ſterilitatem de locato, & conducto l. Si merces 25. §. Vis major ff Locati*, debent autem juxta plerorumque ſententiam apud Leſſ. eſſe tam modici, ut deductis expenſis non remaneat æſtimatio dimidii pretii, ſicut in emptione non dicitur gravis læſio facta eſſe, quando non eſt ultra dimidium: & præterea non debet propter extraordinariam, atque à propria induſtria independentem fertilitatem, prioribus, vel poſterioribus annis tantum ſupra conſuetos fructus perceptum eſſe, quantum fuit damnum tempore ſterilitatis; aliàs nulla remiſſio foret facienda, vel facta eſſet revocanda *l. Ex conducto 15. § 4. ff. Locati & cap. Propter ſterilitatem cit.* Imò etiam nulla ſterilitate præcedente conductor poteſt obligari ad augmentum pretii, quando fructus extraordinarii dimidium ſuperant, ſicut poteſt tempore ſterilitatis obligare locatorem ad remiſſionem portionis ratæ, quam æquitatem teſte Leſſ. communiter agnoſcunt DD. cum Bartolo. 459

Quær. 3. Qualem ultra pretii ſolutionem, aut remiſſionem conductor, & locator obligationem habeant Reſp. 1. Locatorem recipientem pretium ab immediato conductore debere permittere, ut ab hoc alteri æquè idoneo res elocari queat *l. Nemo 6. C. de Locato.* Secundò, debere ſolvere expenſas neceſſarias in conſervationem rei locatæ. *l. Dominus 55. l. Colonus 61. ff. Locati.* Tertiò teneri, ne conductorem ante præfixum tempus expellat, aut rem locatam ab illo auferat *l. Æde 3. C. de Locato.* Excipe 1. Niſi in ſuo tempore, & intra biennium integram penſionem non ſolverit: quamvis enim *Gl. in cap. Propter ſterilitatem v. Canonem*, & multi alii putent, neceſſe non eſſe, ſolutionem per biennium expectare, niſi res ad decem, vel plures annos, vel ſaltem ad quinque, & ſex locata fuerit, optimè tamen oſtendit Leſſ. ex cit. *cap. Propter ſterilitatem*, eſſe neceſſe, etiam quando tantùm ultra biennium res locata eſt, eò quòd ibi expreſsè, & ſine limitatione id ſtatuatur, & lex *Æde C. de Locato* quaſi declaretur: neque jus civile uſpiam oppoſitum, ſed potiùs ſecluſa contraria conventione idem inſinuet *l. Quæro 54. §. inter locator. ff. Eod.* Excipe 2. *juxta cit. l. Æde*, quæ hanc, & utramque ſequentem exceptionem expreſſit, nempe niſi locata ſit domus, & hæc propter caſum improviſum neceſſaria ſit ipſi locatori ad inhabitandum. Excipe 3. Niſi res locata indigeat refectione, quæ ſine uſu interea ſaltem interrupto, perfici non queat. Excipe 4. Niſi conductor re locata ad ejus damnum, aut ad publicum ſcandalum abutatur, quo in caſu nihilominus integrum pretium temporis præfixi pendere debet, niſi per locationem in alium translatum ab hoc præſtita ſolutio deduci poſſit. Pro his obligationibus locatori incumbentibus, viciſſim conductor obligatur curare, ne res ex ſua culpa lata, aut levi, damnum patiatur, ut DD. communiter recipiunt *Gl. hoc aſſerentem §. penult. Inſtit. de Locatione, & conductione.* 460

AR-

ARTICULUS VIII.

De Emphyteuſi, & Feudo.

SUMMARIUM.

461 *Quid ſit Emphyteuſis: & in quibus differat à Locatione.*
462 *Quomodo, & ſub quibus conditionibus, & obligationibus conſtituatur Emphyteuſis.*
463 *Quid ſit Feudum, & quid Livellus, ſeu Libellus.*
464 *In quibus Feudum conveniat cum Emphyteuſi.*
465 *In quibus differat Feudum ab Emphyteuſi.*

461 EMphyteuſis (Latinè implantatio, ſeu inſitio, ob quam, ut agri nim. arboribus, & ſegetibus conſitis meliorarentur, iidem in aliorum uſum à dominis eorum conceſſi ſunt) definitur à Mol. *diſp.*445. & aliis communiter, *Contractus, quo res immobilis quoad utile dominium conceditur ſub reali penſione, dominio proprietatis ſolvenda*. Neceſſe autem non eſt, penſionem dari æqualem fructibus in compenſationem (tunc enim teſte Claro §. *emphyteuſis quæſt.* 1. *num.* 5. in dubio potiùs locatio, quàm emphyteuſis ſupponitur fuiſſe Inſtituta) modò in recognitionem domini directi detur aliquid, ſive pretium, ſive aliud quidpiam reale, id eſt, ab obſequio perſonali diverſum, ut notat Mol. *l.c.* unde etiam differt à locatione determinatè exigente pretium, & à Feudo exigente obſequium perſonale; quamvis adhuc alia ſint diſcrimina, e.g. locatio poteſt eſſe circa rem mobilem uſu non conſumptibilem, Feudum etiam poteſt dari circa talem rem, quæ immobili ſolummodò æquiparatur, ut jura ſtabilia (ſaltem ſi redimi nequeant, aut bonis immobilibus annexa ſint) ad redditus, vectigalia, & alias penſiones: Emphyteuſis verò ex vi ſuæ Etymologiæ ſolùm rei immobili, & cultura meliorabili annecti poteſt, ut Mol. *l.c.* ex Alvar. Valaſc. & Leſſ. *lib.*2. *c.*23. *n.*4. teſtatur. Prętereà à locatione pręcipua differentia indicatur verbo *Dominium*, quod licèt non ſit tam perfectum, quàm dominium proprietatis, neque conferat jus perfectè diſponendi; eſt tamen reale, tribuens actionem non tantùm in perſonam, ſed in rem, qualem non tribuit locatio, ut ſupra dictum eſt *ex l.*1. §. *Quod ait prætor ff. de Superficiebus*. Denique per particulam *utile* diſtinguitur Emphyteuſis à cenſu reſervativo, in quo non tantùm dominium utile, ſed etiam directum in cenſualiſtam transfertur, ſub onere quidem annuæ penſionis ſolvendę, non tamen ſub pœna, qua propter omiſſam ſolutionem res cedat in commiſſum, ſicut cadit res Emphyteutica ob non ſolutum canonem.

462 Ad conſtituendam, vel retinendam emphyteuſim, prȩter conditiones ex conventione, ac locorum conſuetudine præſcriptas, jure communi AA. plerumque requirunt ſcripturam, ſeu inſtrumentum ſcriptum, quo emphyteuſis concedatur, ſive ſit laica, ſeu communis, cujus nim. dominium directum non ſit penes Eccleſiam, aut pium locum, ut colligunt ex *l.*1. & ſeqq. *Cod. de Iure emphyteu.* ſive ſit Eccleſiaſtica, ut expreſsè ſtatuitur in *Authent. de Non alien. reb. Eccleſ.* quòd ſi inſtrumentum, eſt amiſſum, teſtibus, vel iuramento judiciali fides facienda eſt. 2. Debet emphyteuta propriis impenſis rem in eodem ſtatu conſervare, niſi abſque ſua culpa lata, aut levi, domus vel aliquid ſimile penitus collapſum ſit. 3. Debet ſub pœna incidendi in commiſſum, id eſt, perdendi emphyteuſim ad arbitriũ Domini directi, nõ d. ff. rre culpabiliter ſolutionem canonis ultra triennium, ſi emphyteuſis ſit laica, vel ultra biennium, ſi ſit Eccleſiaſtica. 4. Non debet irrequiſito domino jus emphyteuticum vendere alteri, (quidquid ſit de valdè communi ſententia, quòd donare, ac permutare poſſit, ſolùm monitione domini ante traditionem pręmiſſa) is verò, cui de ejus conſenſu venditum, & poſt duos menſes domini deliberationi conceſſos traditum fuerit, obligatur pro inveſtitura ſolvere laudemium, id eſt, quinquageſimam partem pretii emphyteuſeos *l.*3. *Cod. de Iure emphyteutico*, quamvis multorum locorum conſuetudine omninò vigeſima pendatur: quę omnia AA. quibus excurrere lubet, multis declarationibus, & limitationibus copioſè illuſtrant.

Feudum definitur à Leſſio *l.*2. *cap.* 24. *num.* 5. ex Jul. Clar. *quæſt.*4. & 5. *Conceſſio rei immobilis, vel æquipollentis cum translatione utilis dominii proprietate retenta ſub onere fidelitatis, & obſequii perſonalis exhibendi*: per ultimas particulas ab emphyteuſi diſtinguitur, ſi purum feudum eſt, ſæpè tamen commiſcetur cum emphyteuſi, quando nim. proprietario etiam aliqua penſio ſolvenda eſt, unde etiam ipſa nomina frequenter inter ſe confunduntur, dum, quod emphyteuſis eſt, feudum appellatur, & viciſſim, vel dum utrique tribuitur nomen livellus, ſeu libellus, quãvis in rigore loquendo contractus libellaticus ſit potiùs ſubfeudũ, vel ſubemphyteuſis, quatenus Vaſallus, vel emphyteuta ſuũ jus ſub ſimili onere alteri cõcedit. 463

Cæterùm fundum, & emphyteuſis in multis conveniunt, in multis diſcrepant: e.g. conveniunt. 1. Quòd utrinque dominium directum rei conceſſæ maneat apud proprietarium, & utile tranſeat ad Vaſallum, ſeu feudatarium, & emphyteutam. 2. Quòd utrinque inveſtitura, ſeu immiſſio in poſſeſſionem debeat fieri à proprietario. 3. Quòd neutrum ſine proprietarii conſenſu de novo conceſſo, vel in pactum deducto per contractum actuali traditione conſumatum, abſque pœna incidendi in commiſſum alienari poſſit. *L. ult. C. de Iure emphyteutico lib.*2. *Feud. tit.*52. *cap. Potuit de Locatione*. Quamvis conſuetudo aliquam elocationem, nemini præjudicioſam concedat. 4. Quòd ſine dolo, & culpa finito jure feudi, & emphyteuſis melioramenta tolli, vel eorum pretium exigi poſſi t. 5. Quòd eodem modo dividantur, & ferè etia transferantur. 464

Utrumque enim Jus dividitur primò in novum, & antiquum. Novum eſt, quod per nullum alium poſſeſſorem intermedium, ſed immediatè confertur. Antiquum, quod ab uno poſſeſſore in alium derivatum eſt.

Secundò dividitur in hæreditarium ſimpliciter, quod conceditur cum facultate transferendi ad quoſcumque hæredes etiam extraneos, & dicitur Germanicè *Erb. Leben*: & in gentilitium Germanicè *Stammen Lehen*, quod dicitur conceſſum ex pacto, ſeu providentia, pro filiis, vel agnatis ex eodem ſtipite deſcendentibus, ſive hæredes ſint, ſive non: quia non jure hæreditatis, ſed ex pacto, & providentia, per primam diſpenſationem inſtitutoris intuitu ejuſdem ſtipitis defertur. Ac denique in hæreditarium mixtum, quod conceditur pro deſcendentibus, iiſque hæredibus: unde quatenus excluduntur extranei participat de gentilitio, quatenus autem non adita hæreditate neque feudum, vel emphyteuſis obtinetur, participat de hæreditario.

Diſconveniunt verò feudum, & emphyteuſis. Primò quia illud obligationem obſequii perſonalis (niſi in penſionem realem commutetur, aut omninò remittatur) iſta verò ſemper obligationem penſionis realis inducit, adeòque magis à ratione contractus gratuiti recedit. Viciſſim quædam feuda in certis locis ſubjacent obligationi ſolvendi penſionem realem, non tantùm cùm novus Vaſallus inveſtitur, Germanicè *im Unfall*, ſed etiam cùm novus proprietarius mortuo domino directo ſuccedit: *im Dernfall*: à quo ſucceſſore renovatio inveſtituræ cum prȩſtito juramento fidelitatis, ſub pœna incidendi in commiſſum, intra annum, & diem non legitimè impeditum petenda eſt, *l.*2. *feud. titul.* 24. in principio. Emphyteuſis verò ſolùm obligat ad ſolvendum laudemium, quando emphyteuta, non quando proprietarius mutatur. 465

Secundò. In emphyteuſi etiam fœminæ ſuccedere poſſunt, quamvis conſuetudine receptum ſit teſte Clar. *quæſt.* 32. *num.* 3. ut primùm poſt deficientes maſculos admittantur; in feudo ſoli maſculi, niſi aliter conventum fuerit, regulariter loquendo (nam agnoſcuntur à Doctoribus aliquæ exceptiones) ſuccedere permittuntur.

Tertiò. Emphyteuſis capaces etiam ſunt Clerici, & Monaſteria, hinc niſi quis religionem ingrediatur, quæ etiam in aliis religioſi ſui bonis nequeat ab inteſtato ſuccedere, emphyteuſis conceſſa cum jure transferendi ad hæredes per profeſſionem religioſam tranſmittitur in religionem, modò ſucceſſu temporis alteri vendatur

vel ita diſponatur, ne proprietarius privetur laudemio, quod ex privatorum hæredum continua ſucceſſione receptur us erat, ut ex Mol. Leſſ. Claro, Sylv. & aliis tradit Laym. *cap.23. num.15. & cap.24. num.*10. Feudi autem nec Clerici, nec Religioſi capaces ſunt, ut ſtatuitur *l. 2. Feudor. tit.26.* ibi, *Qui Clericus efficitur, aut votum religionis aſſumit, hoc ipſo feudum amittit:* cujus ratio redditur *lib.2. tit.21. Eò quòd deſiit eſſe miles ſæculi, qui factus eſt miles Chriſti, nec beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium.* Excipe tamen cum Claro q.78. & Laym. ex communi ſententia in minoribus conſtitutos, nec alicui Eccleſiæ deſervientes, qui ad obſequium præſtandum Laicis æquiparantur: prætereà excipiuntur illa ſeuda, quæ alicui dignitati Eccleſiaſticæ annexa fuerunt *lib.2. Feud. tit.* 40. *§. ultim.* vel quæ ab obſequio exempta, aut per alium præſtabili dumtaxat gravata ſunt, quia in his ceſſat ratio *lib.2. Feud. tit.* 36. indicata, cur Clerici, & fœminæ accipere feuda non poſſint, ſcilic. quia ſervire non valent. Quarta (ut alias ob brevitatem prætercam) differentia eſt, quòd ad feudum nulli illegitimi, vel ſolo reſcripto Principis legitimati (niſi hujus privilegii ſpecialis fiat mentio) admittantur, ad emphyteuſim verò Laicam etiam illegitimis naturalibus aditus pateat.

Plura non tantùm de feudali, & emphyteutico, ſed de aliis etiam contractibus dicenda reſtarent, ſed brevitatis, & proprii fori fines tranſgredi non lubet.

QUÆSTIO IX.

De modo acquirendi Jus, ac Dominium per ſucceſſionem ex Teſtamento, & ab Inteſtato.

ARTICULUS I.

Quid ſit Teſtamentum, & quomodo differat ab aliis ultimis Voluntatibus.

SUMMARIUM.

466 *Definitio Teſtamenti, & differentia à Codicillo.*
467 *Declaratio Codicilli.*
468 *Aliæ ultimæ voluntates, & in primis ſubſtitutio, quæ definitur, & dividitur in vulgarem, pupillarem, exemplarem, compendioſam, reciprocam. Quid ſit ſubſtitutio vulgaris, & pupillaris, & utriuſque inter ſe connexio.*
469 *Explicatur ſubſtitutio exemplaris, compendioſa, & reciproca.*
470 *Quomodo fiat indirecta ſubſtitutio, & quid ſit Fideicommiſſum, tàm univerſale, quàm particulare.*
471 *Quid ſit, & quale Jus conferat Legatum.*

466 TEſtamentum *in l.1. ff. Qui teſtamenta facere poſſunt*, definitur: *Voluntatis noſtræ juſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit:* quæ definitio, ne aliis ultimis voluntatibus, nempè codicillo, legato, fideicommiſſo communis ſit, explicari, vel expleri debet adjectis his verbis: *cum directa hæredis inſtitutione:* hæc enim inſtitutio, utpotè ſententia præcipua, & principaliter ſignificata, vel in definitione ſubintelligitur; vel donatur per particulam *juſta*, quæ teſte Bartolo ex mente Ulpiani hìc idem ſignificat, ac *perfecta*: perfecta autem ſententia non eſt, niſi hæres bonorum univerſalis inſtituatur, quod directè, & per ſe, id eſt, ſecluſo privilegio Militibus in caſtris, vel expeditionibus militaribus actu verſantibus conceſſo *§.1. Inſt. de Militar. teſtam. & l. Milites Codicillis ff. de Teſtamento Militis* ſolo codicillo fieri non poteſt, qui proptereà, quod tantum ſit imperfecta voluntas, adhibitus non ad inſtituendum hæredem, ſed ad aliquid in teſtamento explicandum, mutandum, addendum, detrahendum, aſſignandum legata, vel fideicommiſſa, parvus codex, ſeu codicillus dicitur: Unde ſi per illum hæres extraneus inſtituatur, is ſolùm habet vim ſubſtitutionis fideicommiſſariæ, & inſtitutionis indirectæ, quatenus hæres ab inteſtato tenetur alteri tradere hæreditatem, retenta tamen quarta ejus parte) niſi hæreditas illa ſit diſpoſita ad cauſam piam *juxta Auth. Similiter C. ad Legem falcidiam*) vel retenta legitima, ſi hæreditas excluſis liberis in alium transferatur. Itaque codicillus eſt *voluntatis noſtræ imperfecta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit.*

Duplici autem ratione codicillus dicitur imperfecta 467
Sententia, primò quia ex natura ſua non eſt directa inſtitutio hæredis, ſicut etiam per illum hæreditas neque adimi poteſt inſtituto hæredi, neque nova conditio eidem injungi, neque alius ipſi directè ſubſtitui, ut habetur *§. 3. Inſtit. de Codicillis.* Secundò, quia minor ad illum, quàm ad teſtamentum ſolemnitas requiritur, & hæc quidem in Codicillo non eſt neceſſaria ad valorem, ſed tantùm ad probationem. Unde ſi hæres fateatur voluntatem teſtatoris fuiſſe, ut legatum, aut fideicommiſſum alteri tradatur, vel ſi illam cùm juramento negare non audeat, codicillus etiam ſine debita ſolemnitate vim obligandi habet tàm in foro externo, quàm in conſcientia hæredis, ut ſtatuitur *in §. ult. Inſt. de Fideicommiſſariis hæreditatibus, & l. Quæſtionem Cod. de Fideicommiſſis.* In teſtamentis verò ſolemnitas ſecundùm probabiliorem mihi ſententiam poſteà comprobandam ad ſubſtantiam actus, ejuſque formam eſſentialem, ac valorem ſpectat.

Aliæ ultimæ voluntates à teſtamento, & codicillo 468
non diſtinguuntur, niſi tamquam incluſum ab includente; quia aliter vim non habent, niſi virtute teſtamenti, aut codicilli, eæque tres enumerantur, nempè *Subſtitutio, Fideicommiſſum, & Legatum.* Subſtitutio in genere definitur à Molina *diſp.182. Unius aut plurium in alterius, aut aliorum locum ad rem aliquam in ultima voluntate facta vocatio.* Dividitur in directam, de qua primum dictæ enumerationis membrum intelligendum eſt, & indirectam, quæ ad fideicommiſſum revocatur, Directa eſt vi cujus ſine miniſterio alterius, transferentis ſuum jus, ſubſtitutus in bona defuncti ſuccedit alterius loco. v.g. Teſtator dixit: Titius hæres eſto, quòd ſi is noluerit, vel non potuerit, Cajus eſto hæres. Hæc iterum ſubdividitur in *Vulgarem, Pupillarem, Exemplarem, Compendioſam, Reciprocam.* Vulgaris eſt, qua quis abſque ſpeciali privilegio hæredem ſibi ſubſtituit: Pupillaris eſt, qua Pater filio impuberi, adeòque inteſtabili, in ſua poteſtate conſtituto (qualem mater non habet) hæredem ſubſtituit, adeòque loco filii teſtamentum facit, quod Patri conceſſum eſt etiam de illis bonis, quæ filio impuberi aliunde obtigerunt: & quia hujuſmodi teſtamentum pupillare non tam filii nomine, quàm Patris proprio fit, & ſimpliciter paternum eſt, ideò non tenetur Pater legitimam Matri relinquere, quam aliàs debet filius carens liberis. Ambæ Subſtitutionum ſpecies illud etiam peculiare habent, ut vulgaris explicita habeat ſibi implicitè annexam pupillarem, ita ut ſubſtitutus filio, ſi ille noluerit, vel non potuerit adire hæreditatem adhuc ſuccedat, etiamſi filius adiverit hæreditatem, modò is deinde ante pubertatem moriatur, & viciſſim pupillaris explicita habeat implicitè annexam vulgarem, ita ut ſubſtitutus filio, ſi is impubes moreretur, ſuccederet immediatè in hæreditate paterna, ſi filius non quidem antè pubertatem mortuus eſſet, ſed ea obtenta hæreditatem adire noluiſſet: quod ſi tamen Pater filio legitimè exhæredato pupillariter ſubſtitueret, in hoc ſolò caſu ſubſtitutio pupillaris daretur ſine vulgari, quia illi vulgariter ſubſtitui nemo dicitur, qui hæres ſcriptus non eſt.

Subſtitutio exemplaris; ſeu quaſi pupillaris eſt, qua 469
Pater, aut Mater ſubſtituit hæredem filio mente capto, ſive puberi, ſive impuberi, juxta Privilegium Legis, *Humanitatis Cod. de Impuberum, & aliis ſubſtitutionibus,* modò ipſi filio legitima relinquatur juxta eamdem legem. Unde licèt ſubſtitutio hæc ſit ad exemplum ſubſtitutionis pupillaris, ex quo nomen habet, proprium tamen ipſi eſt, ut filio exhæredato exemplariter ſubſtitui non poſſit, & ut Mater ſimile jus habeat, quia poteſtas faciendi teſtamentum loco filii dementis non provenit ex poteſtate juriſdictionis, ſed ex Privilegio Legis. Subſtitutio compendioſa eſt, quæ plures ſubſtitutionum ſpecies pro diverſis temporibus, verbis ſaltem generalibus expreſſas, continet, ut ſi dicas: Inſtituo hære-

hæredem filium meum, cui quocumque tempore morietur ſubſtituo Mævium. Si ergo filius noluerit adire hæreditatem, eſt ſubſtitutio vulgaris, ſi in ætate pupillari fuerit mortuus, eſt pupillaris, ſi pubes deceſſerit, eſt fideicommiſſaria; ſi amens, eſt exemplaris. Subſtitutio reciproca eſt, qua hæredes ſibi invicem ſubſtituuntur ita ut ſi unus noluerit, vel non potuerit adire hæreditatem, ejus portio alii, vel aliis accreſcat: atque hæc etiam breviloqua vocatur.

470 Subſtitutio indirecta eſt, vi cujus ex miniſterio unius, transferentis jus ſuum in alterum, hic illi ſuccedit; unde inſtituto ſuccedit immediatè, & teſtatori mediatè, v. gr. Teſtator ita fecit teſtamentum: Cajus hæres eſto, quem volo, ut moriturus hæreditatem meam cedat Mævio; ſed hæc ſpecies ſubſtitutionis non diſtinguitur à fideicommiſſo, unde fideicommiſſum nihil aliud eſt, quàm Subſtitutio indirecta, gravans alterum immediatè ſuccedentem, vel ad reſtituendam totam hæreditatem alii, & tunc dicitur fideicommiſſum univerſale, vel ad reſtituendam ejus partem, & ſic dicitur fideicommiſſum particulare.

471 Legatum, prout definitur *Inſtit. de Legatis §. 2. Eſt donatio quædam à defuncto relicta, & ab hærede præſtanda.* *Ponitur Donatio* generis loco, & latè accipitur pro quacumque donatione gratuita: additur *quædam*, tamquam particula reſtringens hæreditatem ſolùm ad partem; unde legatum à fideicommiſſo univerſali diſtinguitur, per ultima verba autem *ab hærede præſtanda* diſcernitur à donatione cauſa mortis, quæ non neceſſariò ab hærede præſtari debet: hinc ſi res priùs legata à teſtatore ante mortem tradatur, revocabiliter quidem, legatum in donationem cauſa mortis tranſit. A Fideicommiſſo particulari legatum vi allatæ definitionis diſtinguere opus non erat, quia hodie utraque æquiparantur, *l. 1. ff. de Legatis 1. juncta Gl. & §. ſed non uſque Inſtit. eod. tit.* In re autem hoc diſcrimen aſſignari poſſet, quòd jus fideicommiſſi particularis ſemper mediatè tranſeat ad fideicommiſſarium, jus legati autem plerumque immediatè tranſeat ad legatarium; quando nimirum res determinata, & non primùm ab hærede determinanda, purè, & abſolutè legata eſt: tunc enim dies legati, ut Juriſtæ loquuntur, cedit, id eſt, incipit, à die mortis (vel à die aditæ hæreditatis, ſi legatus ſit uſusfructus, aut libertas) ita ut Legatarius poſt obitum legantis, ſtatim habeat reale jus in legatum, niſi ipſi ſponte renunciet; & licèt id non poſſit exigere ante aditam hæreditatem, quia debet exire ab hærede, qui completè primùm conſtituitur, quando adit hæreditatem, eo tamen conſtituto, poteſt exigere, quandocumque vult, & ſi morte præveniatur, niſi legatus ſit uſusfructus, qui morte legatarii finitur (idem eſt de uſu, & habitatione juxta Gl. in legem mox citandam) tranſmittit ſuum jus ad hæredes *l. unica §. cum igitur, & §. In noviſſimo Cod. de Caducis tollendis.* Si verò res legata primùm ab hærede eſt determinanda, vel ſi ſub conditione contingenter futura legata eſt, tunc quidem hæres *juxta cit. legem §. Si autem*, acquirit immediatum jus in totam hæreditatem, ſed eſt gravatus legatariis, vel ejus hæredibus rem à ſe determinatam debito tempore tradere, vel conditionis impletionem exſpectare, eaque poſita legatum reddere, niſi legatarius ante conditionis eventum moriatur; tunc enim res legatario nunquam abſolutè debita, etiam hæredibus debita fieri nequit.

ARTICULUS II.

Quæ conditionum ſolemnitas, & quo modo requiratur ad reddendum Teſtamentum, aut codicillum validum.

SUMMARIUM.

472 *Quomodo Teſtamentum ſit ſcribendum.*
473 *Quot & quales adhibendi teſtes.*
474 *In quibus Teſtamentis minor Teſtium numerus ſufficiat.*
475 *De aliis neceſſariis Conditionibus.*
476 *Quid ſit Teſtamentum Nuncupativum, & quomodo differat à Scripto.*
477 *Qualis Forma, & Conditiones requirantur ad Codicillum.*
478 *In Teſtamento ad pias cauſas non eſt neceſſaria communis Forma Teſtamenti: unde duæ ſequelæ inferuntur.*
479 *Non requiritur proinde ullus teſtium numerus, ſi aliunde certò conſtet de Voluntate Teſtatoris.*
480 *Alia illata in favorem Cauſæ piæ.*
481 *In terris temporali Juriſdictioni Pontificis Subjectis ſufficit minor Solemnitas Teſtamenti.*
482 *In terris utentibus Jure Imperiali præſcripta Solemnis Forma probabilius eſt neceſſaria ad Valorem.*
483 *Probabilis tamen, & in foro conſcientiæ practicabilis eſt ſententia oppoſita.*
484 *Extra teſtamentum nulla eſt neceſſaria Forma ad Valorem ultimæ diſpoſitionis.*

AD ſolemnitatem teſtamenti ſequentes potiſſimùm conditiones ſpectant. Primò quando eſt teſtamentum ſcriptum, debet teſtator, vel per ſe, vel per alium à reliquis teſtibus diverſum, & nominatim etiam expreſſum, atque in præſentia cæterorum omnium vices ſuas agentem in teſtamento ſcribere, tum nomen hæredis, juxta *Authent. Et non obſervato eo Cod. de Teſtamentis, & Novell. 119. cap. 9.* tum proprium ſuum nomen, ſingulis quoque teſtibus ſuum, ac rurſum teſtatoris nomen juxta *l. penult. ff. Qui teſtamenta facere poſſunt*, ſubſcribentibus, & proprium ſive alienum Sigillum idem, vel diverſum, apprimentibus (modò in Bavaria major pars utatur proprio Sigillo, & altera ſcripto exprimat, ſe uſum alieno) *l. Hac conſultiſſima Codic. de Teſtamentis juncto §. ſed cùm paulatim, & ſeq. Inſtit. eodem*: quamvis ſi teſtator inſtrumentum voluntatis ſuæ propria manu ſcripſit, vel ſingulorum teſtium nomina ſubſcripſit, ideòque à ſe factum eſſe expreſſit, ſecluſo privato Jure Bavariæ, vel imperii conſuetudine, neceſſe non ſit, ut teſtator propria, vel aliena manu ſuum iterum nomen ſubſcribat *l. Cum antiquitas Cod. de Teſtamentis.* 472

Secundò debent in caſibus non exceptis adhiberi ſimul ſeptem teſtes idonei, id eſt, non furioſi, nec muti, nec ſurdi, nec prodigi, nec infames, qui prætereà ſint maſculi, puberes, liberi, rogati, ſeu vocati, ita ut non ſufficiat caſu eſſe præſentes, niſi inſuper ad gerendum officium teſtis invitentur, teſtatorem videant, ac audiant; inter quos nequit aſſumi ipſe hæres (legatarius tamen, & fideicommiſſarius particularis non excluditur, *§. Legatariis autem Inſtit. de teſtamentis ordinandis*) neque teſtatoris, vel hæredis domeſtici, quorum ſcil. alter in alterius. vel ambo in tertii ſunt poteſtate, adeòque ante emancipationem ad teſtandum non admittuntur, Pater, filius, vel frater hæredis, aut teſtatoris, ita ut neque in teſtamento de bonis caſtrenſibus filiifamilias Patris teſtimonium *§. in teſtibus Inſtit. de Teſtament.* quamvis huic videatur apertè contradicere lex, *Qui teſtamento §. 2. ff. Qui Teſtamenta.* 473

Prædictus tamen teſtium numerus, & qualitas, non eſt neceſſarius in primis in teſtamento ad pias cauſas, & in terris temporali juriſdictioni Papæ ſubjectis (ac juxta particularem conſuetudinem etiam in aliis quibuſdam verbi gratia in Gallia, Venetiis, Viennæ Auſtriæ) prout in *Gl. cap. Cum eſſes de Teſtamentis*; explicatur mens Alexandri III. ſtatuentis, ut in teſtamentis ſufficiant duo, vel tres teſtes cum Parocho, cujus quoque vices ab aliis duobus teſtibus ſuppleri poſſe communiter dicunt DD. teſte Layman. *l. 3. tractat. 5. cap. 2. num. 18.* referente Covar. Clarum Maſcard. Mol. *diſput. 133.* ubi ex communi Sententia advertit, in cauſis piis neque præſentiam Parochi neceſſariam eſſe, ſed duos ſolummodò teſtes ſufficere *juxta cap. Relatum 1. de Teſtamentis.* 474

Secundò immune eſt à ſtatuto teſtium numero ac qualitate teſtamentum, quod à Patre vel Matre, aliove cujuſvis ſexus aſcendente, inter liberos conditum eſt, in quo duo teſtes ſufficiunt, *juxta l. ult. C. Familiæ erciſcundæ*, quod DD. communiter admittunt. etiam quando Liberis inæquales partes aſſignatæ ſunt; quia aliàs privilegium nullam haberet vim, & fruſtraneum eſſet teſtamentum, ſi omnes ſicut ab inteſtato deberent æquales portiones

recipere. Hoc Privilegio, quo gaudet teſtamentum aſcendentium in favorem liberorum, non viciſſim ſuppletur defectus Solemnitatis debitę in teſtamento deſcendentium pro aſcendentibus condito, ut monet Clarus *§. teſtamentum q. 12. n. 6* Mol. *d. p.* 128. Laym. *loc. cit. num.* 13. quia in jure nihil de mutua Privilegii participatione ſtatutum eſt.

Tertiò excipitur à communi teſtium numero, & qualitate, teſtamentum militis, qui in extrema neceſſitate conſtitutus, quocumque modo manifeſtata voluntate hæredem inſtituere poteſt duobus etiam non rogatis teſtibus ad faciendam fidem ſufficientibus: ut conſtat ex *lex Milites juncta Gl. verſ. ſub ipſo tempore Cod. de Teſtamento Militis & l. Lucius ff. eodem*, extra neceſſitatem tamen extremam requiri duos teſtes rogatos, maſculos, aut fęminas indicatur in cit. Gl. & à Julio Claro q. 58. Mol. *diſp.* 129. Laym. *loc. cit. num* 14. patetque *ex Lege Divus ff. de Teſtamento Militis*. Cæterùm hujuſmodi teſtamentum, in militia factum valet etiam, ſi teſtator ea deſerta intra annum moriatur, ut dicitur *§. ſed hactenus Inſtit. de Militari Teſtamento*: eodem Militis privilegio gaudent omnes exiſtentes in caſtris, etiamſi milites non ſint, modò caſtra ſint in terra hoſtili *l. Unica ff. de Bonorum poſſeſſione ex Teſt. Militis*.

Quartò conſueta teſtium Solemnitas ſuppletur Authoritate Principis, vel Judicis, quando inſtrumentum ultimæ voluntatis ipſi traditur *l. Omnium Cod. de Teſtamentis*.

Quintò conceditur ruſticanis hominibus *in l. ult. Cod. de Teſtamentis*, ut quando ſeptem teſtes haberi non poſſunt, quinque ſufficiant, qui de agnita teſtatoris voluntate juratum teſtimonium præbeant: imò etiam, ſi fieri poſſit, ſuum nomen ſinguli, vel per ſe, vel per alium conteſtem ſubſcribant. Quod Privilegium Baldus *l. Fin. num.* 1. *C. de Teſtam.* & quidam alii, quos ſequitur Jul. Clar. *q.* 56. contra communiorem, ut ipſe fatetur, ad caſum neceſſitatis peſtis tempore extendunt; imò duos teſtes apud Cameram Imperialem ſufficere teſtantur Joch. Mynſinger, & Andr. Gaill. apud Laym. eò quòd ad fidem faciendam plures neceſſarii non ſint; lex autem poſitiva plures requirens in neceſſitate vim ſuam amittat: unde eſt illud vulgatum: neceſſitas non habet legem: ſed hoc axioma, etſi in lege directiva verum ſit, non tamen eſt in Lege irritante, vel præſcribente formam ad valorem actus: unde ſecluſa conſuetudine contraria, ſpectando juris rigorem; & expreſſam conſtitutionem Legis citatæ omninò neceſſarius eſt numerus teſtium ordinarius, & in illa tantùm remittitur obligatio, ut propter periculum contagionis neceſſe non ſit, omnes teſtes ſimul vocare, ſed poſſint vocari ſucceſſivè. Atque ex his patet, quare initio ſecundæ conditionis ad ſolemnitatem requiſitæ appoſuerim hæc verba: *in caſibus non exceptis*.

475 Tertiò denique debet in teſtamento ſcripto totum negotium, quod coram teſtibus peragendum eſt, uno continuo tractu nempè eodem loco, tempore, & abſque alterius longioris negotii interpoſitione peragi juxta *l. Hac conſultiſſima & leg. Cum antiquitas Cod. de Teſtamentis*.

376 Eadem ferè conditionum Solemnitas requiritur ad teſtamentum nuncupativum, ut vocant, niſi quòd in illo nulla ſcriptione, vel ſubſcriptione opus ſit: cùm propterea jure introductum fuerit, ut etiam imperiti literarum illo uti poſſint: quamvis in negatione Scripturæ non conſiſtat eſſentialis differentia teſtamenti nuncupativi à ſcripto: unde ſi ſcriptum deficiat in aliqua conditione eſſentiali, ad nuncupativum non neceſſaria, hujus deinde naturam, ac valorem ſortitur, etiamſi id non exprimatur in clauſula: imò valdè utile eſt ad faciliorem probationem, ſi etiam in nuncupativo teſtamento Scriptura à publico Notario facta adhibeatur. Itaque diſcrimen non in negatione Scripturæ, ſed in neceſſitatis ejuſdem negatione, & probabiliùs etiam in eo poſitum eſt, quòd nuncupativum teſtamentum debeat fieri per nuncupationem, ſeu manifeſtationem hæredis, ſcriptum autem, etſi non excludat, tamen non exigat ejus manifeſtationem; quia propterea plerumque uſurpatur confectio teſtamenti ſcripti, ut hæres in eo expreſſus teſtes poſſit latere: adeòque hoc diſcrimine admiſſo contra Julium Clarum *quæſt.* 4. & 36. Mol. *diſput.* 127. aliosque ab ipſis relatos, negandum eſt cum Gab. Vaſqu. Cardin. de Lugo, Cl. Dn. Arnoldo Rath. *ib.* 9. quos refert, & ſequitur R. P. Chriſt. Haunoldus *tom.* 2. *tract.* 6. *Cont.* 4. *num.* 46. ſecluſa particulari quorundam conſuetudine ſecundùm rigorem juris expreſſi in conſtitutione Maximiliani I. Anno 1512. & *in l. Jubemus C. de Teſtamentis*, valere teſtamentum nuncupativum, ſi hæres neque per expreſſionem nominis, neque per aliam indubiam deſcriptionem, ſed v. g. per ſolam relationem ad ſchedam, ab aliquo aſſervatam teſtibus manifeſtetur: aliàs teſtamentum ſcriptum nullam ampliùs haberet ſpecialem utilitatem præ nuncupativo, & ſi occultato hæredis nomine illud ſortiretur rationem teſtamenti nuncupativi, inutilis eſſet ſolemnitas ſubſcriptionis, ac obſignationis, & quod inde ſequitur etiam ipſum teſtamentum ſcriptum, ad quod illa ſolemnitas eſt neceſſaria: nam in valore teſtamenti nuncupativi idem effectus obtineretur.

Tanta autem Solemnitas non eſt neceſſaria ad codicillum (niſi conditus ſit à cæco *l. Hac conſultiſſima C. qui Teſtamenta facere poſſunt*) præter reliquas cauſas etiam propterea inſtitutum, ut perſonæ alioquin teſtabiles eo uti poſſint ad ſupplendum defectum teſtamenti, ſi appoſita hujuſmodi clauſula teſtatoris voluntas formaliter, vel æquivalenter exprimatur: nempè, *ſi hoc Teſtamentum non valet jure teſtamenti, valeat Iure codicilli* vel, *valeat modo, quo poteſt*: ſeu, *meliori modo*: imò in reverentiam juramenti à teſtatore editi juxta *l. Cum Pater §. Filius Matrem ff. de Legatis* 2. & in reverentiam parentum in teſtamento erga Liberos juxta *l. In Teſtamento juncta Gl. verſ. debuiſſe ff. de Fideicommiſſariis libertatibus*, tacitè ſubintelligitur hujuſmodi clauſula. Requiritur itaque ad faciendam fidem codicillo in foro externo præſentia quinque duntaxat teſtium, etiamſi nec maſculi, nec rogati ſint, qui tamen in codicillo ſcripto etiam ſubſcribere debent *l. Fin. §.* 3. *C. de Codicillis*: imò pauciores teſtes ſufficiunt reſpectu teſtatorum privilegiatorum, quos ſupra recenſui. Notandum eſt etiam, poſſe codicillum unum, vel plures, modò contrarii non ſint (aliàs prior à poſteriore revocaretur) cum vel ſine teſtamento, ante vel poſt illud confici, vel etiam in illo includi, quo in caſu ſine alia ſolemnitate confirmatur ſolemnitate teſtamenti illum continentis. Ad alteram quæſtionem, quomodo nim. prædictæ conditiones requirantur, diverſis concluſionibus reſpondendum eſt. Itaque 477

Dicendum 1. In quacumque diſpoſitione ad cauſas pias præter præſentiam duorum teſtium, ſive maſculorum, ſive fœminarum, nullam aliam ſolemnitatem requiri. Unde etiamſi teſtamentum ad cauſas profanas ob defectum debitæ ſolemnitatis eſſet invalidum, valerent ſaltem pia legata in eodem contenta, & licèt legata ad cauſas profanas habentis jus ad eas diſponendi, eſſent invalida, propter valorem teſtamenti ad pias cauſas coram duobus teſtibus conditi etiam ipſa convaleſcerent. Concluſio teſte Jul Cla. *quæſt.* 6 & Mol. *diſp.* 134 defenditur à DD. communiter, & probatur *ex c. Relatum* 11. *de Teſtamentis*: ubi plus non requiritur, & expreſsè derogatur legibus civilibus in ordine ad cauſas pias, in quibus Jus Can. poteſtatem habet derogandi, utpotè ad ſalutem animæ teſtatoris ſpectantibus; hoc enim intelligitur per cauſas pias; unde ille ad pias cauſas diſpoſuiſſe cenſendus eſt, qui dixit: relinquo hæredem bonorum meorum animam meam Primum concluſionis illatum patet ex cit. cap. quod univerſaliter loquitur de omnibus relictis Eccleſiæ, & ob paritatem rationis, de aliis piis cauſis quibuſcumque ut cum Mol. loc. citat. & Covar. *in cap. Relat. num.* 3. plurimi docent. 478

Secundum verò illatum confirmatur, ex illo vulgari acceſſorium ſequitur principale, niſi illi ſpecialiter derogetur. Eſtque iterum commune, ut videre eſt apud Covar. *in cit. cap.* Julium Clarum *quæſt.* 6. Molin. *loc. cit.*

Dicendum 2. Duos teſtes in foro conſcientiæ, imò etiam in foro externo neceſſarios non eſſe, quando aliunde indubitatè conſtat, de voluntate non retractata teſtatoris diſponentis ad cauſam piam. Ita contra opinionem olim communem teſte Julio Claro *quæſt.* 7. quam etiam ipſe pro foro externo, ut vero ſimiliorem, non tamen ut pro foro interno ſuadendam, recipit, ſentiunt Mol. Leſſ. & hoc teſte plerique Theologi. Probatur: quia diſpoſitiones ad cauſas pias non ſubſunt legibus civili- 479

vili-

vilibus, Leges Canonicæ autem, ſi quæ aliquam ſolemnitatem præter id, quod jure naturali neceſſarium eſt, ad valorem actus ulteriùs exigerent, eæ eſſent cap. *Cum eſſes*, & *capit. Relatum* 11. *de Teſtamentis*. Atqui prius capit, tantùm loquitur de diſpoſitionibus ad cauſas non pias in territorio Papæ factis, poſterius verò tantùm loquitur de foro externo, quomodo judicibus in diſpoſitionibus ad cauſas pias procedendum ſit, quando neque ex indubitato manuſcripto teſtatoris, neque ex confeſſione hæredis conſtat de voluntate teſtatoris. Unde *in cap. Inclinante de Teſtamentis* propter confeſſionem ſolius mariti monaſterio jubetur tradi ſcutella aurea ab uxore nudis verbis legata. Et licèt *cap. Cum eſſes*. Solemnitatem teſtium ibidem requiſitam juxta communem ſententiam, & verborum ſatis apertum ſenſum videatur pro firmitate, & valore teſtamenti exigere, *cap. Relatum* verò immediatè ſubſequens dicat, ſecundùm decretorum ſtatuta procedendum eſſe, per hoc non alludit ad cap. *Cum eſſes*, nihil decernens circa cauſas pias, ſicut non exigit alias conditiones ejuſdem cap. v. g. præſentiam Parochi, ſed referendum eſt ad alia decretorum ſtatuta.

480 Hinc infertur primò, quòd ſi ipſe hæres immediatè, vel ex manuſcripto noverit voluntatem teſtatoris, teneatur illam exequi, quamvis deſuerit omnis ſolemnitas: uni tamen teſti, etiam omni exceptione majori, non tenetur fidem adhibere, ut expreſsè declaratum eſt in cap. *Licet univerſis cap. Veniens cap. à nobis de Teſtibus, & atteſtationibus*: cujus rationem aſſignat Laym. *lib.* 3. *tract.* 5. *c.* 2 *n.* 4. Quòd oppoſita obligatio, utpotè fraudibus plurimis obnoxia, damnoſa eſſet generi humanò; propterea etiam Chriſtus Dominus Matth 18. dixit, *In ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum*, &c.

Infertur ſecundò cum Mol. *diſp.* 134. ſi teſtator quidpiam in abſentia teſtium alicui dediſſet expendendum ad cauſas pias, eum teneri, ita expendere, ſi abſque ſuſpicione furti, vel alio proprio gravi damno poſſit.

Infertur tertiò teſtamentum ad pias cauſas factum per nutus (quomodo ad profanas communiter dicitur fieri invalidè) vel factum cum commiſſione ad arbitrium alterius (quod captatorium dicitur, & ad cauſas profanas communiter invalidum) *juxta cap. Cum tibi, de Teſtamentis*, omninò validum eſſe, etiamſi, ut obſervat Jul. Clar. *q.* 6. *num.* 6. teſtator tantùm in genere dicat, ſe committere diſpoſitionem omnium ſuorum bonorum Titio, jam enim ad piam cauſam diſponere ſupponitur.

Infertur quartò, legata ad pias cauſas nondum adita, immò etiam repudiata hæreditate deberi. Ratio omnium eſt; quia præter indubiam notitiam voluntatis teſtatoris nulla in piis cauſis juris ſolemnitas requiritur.

481 Dicendum tertiò, in terris temporali juriſdictioni Papæ ſubjectis pro valore teſtamenti ad cauſas profanas, adhibendos eſſe ad minimum duos teſtes, ſive maſculos, ut vult Covarr. *in cap. Cum eſſes num.* 14. ſive fœminas, ut Panorm. ibid & Mol. *diſp.* 133. exiſtimant ſufficere, & inſuper proprium Sacerdotem; cujus tamen vices poſſunt ſupplere duo alii teſtes, ut DD. à Julio Claro *q.* 57. relati, & alii communiter docent: concluſio eſt communiſſima, & clarè expreſſa *in cap. Cum eſſes de teſtam.* quod cùm non poſſit intelligi de teſtamentis ad cauſas pias, ut quidam apud Mol. volebant (nam in illis non requiritur præſentia Parochi, ut conſtat *ex cap. Relatum*) neque de teſtamentis ad cauſas profanas extra territorium Papæ, qui Leges civiles non ſolet immutare, quando non præjudicant utilitati ſpirituali fidelium, reliquum eſt, ut de teſtamentis in territorio Papæ conditis intelligatur, in quo etiam erat civitas, & Epiſcopatus Hoſtienſis, cui citati capituli decretum fuerat tranſmiſſum.

482 Dicendum quartò in terris, utentibus jure imperiali, teſtamenta ad cauſas profanas ex defectu unius conditionis ad ſolemnitatem jure civili requiſitæ ſpeculativè loquendo probabiliùs non tantùm in foro externo, ſed etiam interno, extra caſus jure ſpecialiter exceptos, irrita eſſe: quamvis practicè propter probabilitatem extrinſecam ab authoritate provenientem utramvis ſententiam ſequi liceat, quamdiu à judice ad finiendam litem hæreditas nulli parti determinatè adjudicatur. Ratio aſſertionis ſpeculativè probabilioris eſt, quia *in leg. Hac conſultiſſima C. de Teſtamentis*. Poſt conſtitutas ſolemnitates teſtamentum iiſdem deſtitutum expreſsè irritum, & non primùm à judice irritandum decernitur his verbis: *Ex imperfecto autem teſtamento voluntatem tenere defuncti, niſi inter ſolos Liberos à parentibus utriuſque ſexus habeatur, non volumus. Si verò hujuſmodi voluntate liberis alia ſit extranea mixta perſona, certum eſt, eam voluntatem defuncti, quantum ad illam dumtaxat permixtam perſonam pro nullo haberi, ſed Liberis accreſcere.*

Confirmatur primò *ex cap. Cum eſſes*: ubi reſtringens numerum ſeptem; vel quinque teſtium, tanquam à Divina Lege, & SS. Patrum inſtitutis, & à generali Eccleſiæ conſuetudine alienum (intellige alienum non poſitivè, quaſi prohibitum, ſed negativè, tamquam non requiſitum) deinde imminutum eo modo requirit, quo modo videtur ſupponere, à Lege civili exigi numerum ſeptem, vel quinque teſtium; atqui capitulum requirit illum ad valorem, & obligationem naturalem teſtamenti, ut ſcilic. voluntas teſtatoris ſit firma: ergo ſupponit numerum teſtium Lege civili ſtatutum, uti & cetera ſolemnitates, etiam exigi ad valorem, & firmitatem teſtamenti.

Confirmatur ſecundò; Quia multi ex adverſariis, inter quos etiam eſt Leſſius *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 35 fatentur, alios actus donationis, emptionis, electionis &c. ob defectum debitæ ſolemnitatis Lege irritatos nullam parere obligationem naturalem antè judicis declarationem; ergo idem valdè conformiter aſſeritur de actibus teſtamenti non minùs clarè per verba citatæ Legis annullatis.

Confirmatur 3. Quia ſententia oppoſita nititur textibus juris, qui tantùm de codicillis, non verò de teſtamentis loquuntur, & inſiſtit falſo principio, nempè quòd ex ſuppoſitione fraudis actualis teſtamenta inſolemnia Lege civili irritentur, adeòque certò cognita abſentia fraudis ceſſet irritatio legalis: hoc, inquam, principium falſum eſt; non enim propter ſuppoſitionem fraudis actualis, ſed propter periculum fraudum abſque adhibita debita ſolemnitate facilè eventurarum, actus teſtamentorum, & alii frequenter Lege civili irritantur uti omnes fateri debent, de contractu Matrimoniali: hæc ergo ſufficiens cauſa eſt, irritandi teſtamenta inſolemnia, non obſtante, quòd ſæpè propter impoſſibilitatem obſervandi omnes ſolemnitates per accidens quis impediatur à teſtamenti erectione, in cujus ſubſidium codicilli inſtitui ſunt.

Faſſus tamen ſum propter authoritatem DD. licere 483
utramvis ſententiam ſequi: noſtram enim tenent apud Patrem Haunoldum *tom.* 2. *tract.* 6. *num.* 29. ipſo aſſentiente Bonac Becanus, Diana, Vaſq. Salas, Lugo, Dicaſt. Covarr. Gomez, Menochius, Cl. D. Rath, *ib.* 92. *& ſeqq.* quibus addi poſſunt Dominicus Sotus, & Bannez apud Leſſ. *num.* 31. Victoria apud Mol. *diſp.* 81. qui licèt hæredi minùs ſolemniter inſtituto concedant jus revocabile adeundi, & retinendi hæreditatem, ajunt tamen hæredem ab inteſtato, etiamſi certus ſit de voluntate teſtatoris, alium inſtituentis, poſſe repetere hæreditatem & judicem pro poteſtate propter finiendas lites ſibi conceſſa poſſe, ac vi legum teneri hæreditatem adjudicare hæredi ab inteſtato. quam ſententiam Leſſ. fatetur probabilem, eamque refert, nec improbat Pal. *tract.* 3. *diſput.* 2. *punct.* 10. *num.* 7. ubi tamen uti etiam *diſput.* 1 *punct.* 24 §. 1. *num.* 8. nobis videtur conſentire. Oppoſitam verò ſententiam, negantem licere hæredi ab inteſtato certò cognita voluntate teſtatoris retinere, vel repetere hæreditatem per teſtamentum minus ſolemne alteri adſcriptam tuetur Mol. *diſp cit.* & hoc teſte permulti ex juriſperitis, Leſſ. *loc. cit.* & apud ipſum plerique Theologi, quibus modo inſinuato conſentiunt prædicti AA. mediæ ſententiæ.

Dicendum 5. Ad valorem codicilli, legati, aut fideicommiſſi non tantùm in foro interno, ſed etiam in foro
externo ſolemnitas præſcripta neceſſaria non eſt, quando 484
hæres ab inteſtato voluntatem defuncti certò, & immediatè cognovit. Probatur ex textibus juris (qui, quia etiam de foro externo loquuntur, ab adverſariis prioris noſtræ concluſionis adhiberi non poſſunt ad proban-

dum valorem teſtamenti inſolemnis tantùm in foro interno) *l. Et ſi inutiliter C. de Fideicommiſſis*. Ubi inutiliter, id eſt, & inſolemniter relictum fideicommiſſum propter ſcientiam hæredis firmum, & irreſcindibile ſtatuitur: *& l. Quæſtionem eod. tit. & §. ult. Inſtit. de Fideicom. hæreditatibus*: ubi defectum ſolemnitatis fideicommiſſi univerſalis, vel particularis, confeſſio hæredis, vel juramenti oblati recuſatio decernitur ſupplere.

ARTICULUS III.

Quibus Modis Teſtamentum validum rurſus invalidum reddatur.

SUMMARIUM.

485 *Quomodo teſtamentum infirmetur per reſciſſionem, vel irritationem.*
483 *Quomodo teſtamentum rumpatur: præſertim ſi ejuſdem plura ſint exemplaria.*
486 *Ad revocationem teſtamenti requiritur, ut ab eo condito effluxerit decennium.*
487 *Niſi revocatum fuerit coram ſeptem teſtibus, ſufficientibus ad contrarii teſtamenti nuncupativi confectionem.*
488 *Excipiuntur quidam caſus, in quibus neque decennium, neque ſeptem teſtes ſunt neceſſarii ad revocationem teſtamenti.*
389 *Quomodo per poſterius teſtamentum revocetur prius, ſi hoc ſit factum ſine clauſula aerogatoria.*
490 *Quomodo prius teſtamentum per clauſulam derogatoriam prævaleat poſteriori, & quomodo per poſterius poſſit derogari prio i, & ipſius etiam clauſulæ aerogatoriæ.*

485 TRribus ferè modis teſtamenta infirmari poſſunt, nempè reſciſſione, irritatione, ac ruptione. Reſciſſio eſt annullatio teſtamenti facta à judice propter juſtam querelam inofficioſi, ut vocant, quam nimirum deponit is, qui contra æquitatem à teſtatore inofficioſo teſtamento neglectus eſt. Irritatio eſt infirmatio teſtamenti Lege inducta propter aliquem eventum non directè in teſtamentum, ſed in perſonam teſtatoris, vel hæredis incidentem. Ex parte hæredis enim irritatur teſtamentum ſi hæreditatem adire non poſſit morte præventus, vel nolit, ut apertè dicitur *l. Nemo 1. ff. de Teſtamentaria tutela*, ubi habentur hæc verba: *Si nemo hæreditatem adierit, nihil valet ex iis, quæ teſtamento ſcripta ſunt: ſi vero unus ex pluribus hæredibus adierit, tutelæ* (idem eſt de legatis) *ſtatim valent, neque expectandum eſt, ut omnes hæreditatem adeant*, in tali ergo caſu devolvitur tota hæreditas ad hæredem ab inteſtato, exceptis legatis ad cauſas pias, ut ſupra diximus, vel etiam ad profanas, quando teſtamento formaliter, vel virtualiter adjecta eſt clauſula codicillaris, aut quando teſtator prohibuit hæredi detrahere falcidiam, eaque de cauſa hæres adire noluit hæreditatem. Molina *diſp. 181*. Ex parte teſtatoris eventus incidens, & ſecluſa conſuetudine contraria (quam teſtatur Clarus *quæſt. 21.*) annullans teſtamentum, eſt immutatio ſtatus per capitis diminutionem, vel maximam, id eſt, amiſſionem civitatis, & Libertatis, vel mediam, hoc eſt, per amiſſionem ſolius civitatis, vel minimam ſcilic. per arrogationem ſupervenientem *§. alio autem modo Inſtitut. Quibus modis teſtamenta infirmentur*, juncto *§. eſt autem, & ſeqq. Inſtit. de Capitis diminutione*.

486 Ruptio eſt infirmatio teſtamenti propter vitium ei immediatè ſuperveniens, quod multiplici ratione contingere poteſt: primò agnatione, ſeu nativitate filii naturalis, ac legitimi (niſi ſit monſtrum potiùs, quàm homo) poſt conditum teſtamentum geniti, ac in illo præteriti *leg. 2. & 3. de Poſthumis hæredibus inſtituendis*. Secundò adoptione, vel arrogatione in filium, aut nepotem, ſi adoptatus, vel arrogatus in teſtamento hæres inſtitutus non eſt *§. 2. Inſtit. Quibus modis teſtamenta infirmentur*. Tertiò, mutatione voluntatis teſtatoris omnia à jure requiſita habente, quæ, vel facto, vel verbis fieri poteſt: facto cenſetur fieri *juxta leg. Cancellaverat Digeſt. de His quæ in teſtamento delentur*, & plures alias: quando teſtator per ſe, vel per alium ſignacula, vel aliud ſolemne requiſitum tollit, vel Scripturam extinguit, ſeu cancellat animo revocandi teſtamentum, quem in dubio interpretari ad judicem ſpectat: quòd ſi tamen teſtator unius tantùm hæredis nomen cancellet, valet adhuc teſtamentum quoad reliquos hæredes, illiſque ejus portio accreſcit; ſi verò omnium nomina extinguat, ſupponitur, hæredem ab inteſtato voluiſſe gravare, ut legata, & fideicommiſſa integra relicta perſolvat; quæ ferè omnia cit. Lege indicantur.

Quia autem contingere poteſt, ut teſtator ſuam voluntatem pluribus exemplaribus æquè principalibus conſignaverit, ideò in tali caſu, ne alterum exemplar credatur rupiſſe, præciſè tamquam ſuperfluum, neceſſe eſt, addere expreſſam proteſtationem, qua intentio infirmandi teſtamentum comprobetur, ut indicatur *l. ult. cit. at. tit.* idem, teſte Julio Claro *q. 93.* & Mol. *diſp. 153.* allegante plures alios, dicendum eſt de ruptione Scripturæ Authenticæ teſtamenti nuncupativi, quando ejuſdem originale exemplar alibi aſſervatur: ſi tamen unica Scriptura Authentica comprehenſum ſit, ea cum proteſtatione revocandi voluntatem rupta, etiamſi eſſentia teſtamenti nuncupativi in ipſa non conſiſtat, dicendum eſt, etiam voluntatem ultimam teſtatoris (prout citat. AA. videntur ſupponere) verè revocatam eſſe; quia Scripturæ alligata fuit tamquam publico inſtrumento probationis. Nec obſtat, quòd adhuc ſufficiens probatio ex depoſitione teſtium haberi poſſet: nam etiam rupto cum debita proteſtatione uno exemplari teſtamenti ſcripti, haberetur adhuc ſufficiens probatio ex altero non Phyſicè rupto, & tamen voluntas teſtatoris, ut oſtendimus, habetur pro revocata.

Præterea, ut antè inſinuavimus, poteſt mutatio voluntatis fieri verbis, cum vel ſine novi teſtamenti erectione: poſteriori modo revocatur teſtamentum, quando teſtator coram tribus ſaltem teſtibus aſſeverat, ſe nolle, ut illud deinceps valeat: quæ tamen revocatio, ut completa ſit (ſive in ſolo foro externo, ſive etiam in foro conſcientiæ, de quo teſte Mol. loc. cit. eodem modo, ſicut de ſolemnitatibus teſtamentorum diſcurrendum eſt) requiritur *in l. Sancimus C. de Teſtamentis* effluxio decennii computata ſecundùm aliques, inter quos eſt Antonius Gomez, & jus Bavaricum, à tempore factæ revocationis; ſecundùm Gloſ. Accurſii verò, Jul. Clar. *quæſt 91.* Mol. *loc. cit.* & his teſtibus ſecundùm communiorem Sententiam computanda eſt à tempore conditi teſtamenti, quia hæc computatio conformior eſt fini à Lege intento, ut ſcilic. per tantum intervallum reddatur credibile, teſtatorem potiùs pœnituiſſe compoſitionis teſtamenti, quàm revocationis, ſi ea jam ante decennium facta eſſet.

Cæterùm prædictum decennii fluxum contra Julium Clarum, Covarr. Bartol. Mol. *loc. cit.* & alios, quos referunt, requirere placuit clar. D. Rath *l. b. 58.* fatenti oppoſitam eſſe communiſſimam (ut etiam eſt jure Bavarico recepta) & R. P. Haunold. *tom. 2. tract. 6 num 130.* quinque inſignes juriſtas adducenti, quando ſcilic. etiam coram ſeptem teſtibus revocatur teſtamentum cum expreſſa proteſtatione teſtatoris, affirmantis ſe velle inteſtatum decedere; quia, ut ingenioſè argumentantur, hujuſmodi proteſtatio, ſi majorem vim, nempè ſtatim rumpendi teſtamentum contineret, deberet habere rationem teſtamenti nuncupativi, prout communis Sententia ſupponit; ſed hoc ipſo, quòd teſtator dicat, ſe velle inteſtatum decedere, deſtruit rationem teſtamenti, ergo illa proteſtatio nullam continet majorem vim, quàm ſimplex, & nuda verbalis revocatio. 487

Ad hoc tamen argumentum exiſtimo, pro communi ſententia, fundata in claro textu *leg. 1. Si hæres ff. Si tabulæ teſtamenti nullæ extabunt*, reſponderi poſſe, ac debere, concedendo majorem, diſtinguendo minorem: ſi ſenſus verborum, *volo inteſtatus decedere*, eſſet iſte, qui in ſuperficie verborum eſſe apparet. nempè volo ſine omni teſtamento diſcedere, concedo min. ſi verò ſit iſte, uti revera eſt: volo diſcedere, ſicut is, qui inteſtatus diſcedit, id eſt, diſpono de meis bonis ad eam formam, & modum, quo diſponit lex circa bona eorum, qui abſque teſtamento diſcedunt, nego minorem:

rem: nam ut ſic non committitur Legi communi vis diſponendi, tamquam ratione formali, ſed tamquam regulæ; aliàs non adhiberentur ſeptem teſtes, & ſolemnitas illa ad teſtamentum nuncupativum requiri ſolita, neque ſimplici revocationi adiiceretur expreſſa proteſtatio, qua teſtator dicit, ſe velle inteſtatum diſcedere; quia hoc ex ſola revocatione teſtamenti indirectè conſequeretur: objectum ergo directæ illius volitionis non eſt negatio omnis teſtamenti, ſed ſucceſſio hæredum ſimilis illi, qualis ab inteſtato daretur; hanc autem vult actu poſitivo, quia aliàs videt, revocationem prioris teſtamenti ante decennium non habituram efficaciam ſine tali nuncupativa inſtitutione hæredum ab inteſtato. Etiamſi autem eandem efficaciam, neque habuerit revocatio teſtamenti tempore militiæ facti, deinde cum proteſtatione voluntatis moriendi inteſtatum à veterano poſita *l. Militis 36. §. Veteranus ff. de Teſtamento militis*, id non proveniebat ex defectu completi decennii, ſed ex defectu debitæ ſolemnitatis teſtium.

488 Adverte cum Ant. Gomez, Bartolo, Mol. & aliis, prædictum decennium, & plurium, quàm duorum teſtium ſolemnitatem, etiam non requiri ad revocationem teſtamenti merè verbalem cum expreſſione cauſæ, quòd hæres ſit indignus; ſed tunc ejus hæreditas, vel portio illius eſt applicanda fiſco *juxta l. Hereditas C. De his, quibus ut indignis*; præterea non requiri ad revocationem legatorum, vel fideicommiſſorum manente teſtamento in ſuo valore *l. Fideicommiſſum C. de Fideicommiſſis*. Neque opus eſt legata ſemper explicitè revocare; cenſentur enim revocata implicitè, quando inter teſtatorem, & legatarium graves inimicitiæ intercedunt, ſecus, ſi leves *leg. 3. §. ult. ff. de Adimendis legatis*: reconvaleſcunt tamen teſtatore reconciliato, ut habetur *l. 4. ſeq.* Similiter revocata cenſentur (niſi firmitas voluntatis expreſsè probari poſſit) ſi legatarius teſtatori gravem injuriam machinatus ſit, etiamſi teſtator conſcius nihil in ſuo teſtamento immutaverit *l. Filio §. Seja ff. tit. cit.* Atque in his caſibus legata accreſcunt hæredibus: ſi verò legatarius primùm poſt teſtatoris obitum gravem ei injuriam intulerit, v. g. uxorem ejus carnaliter agnoſcendo violaverit, etiam irrita redduntur legata, non quidem ex tacita voluntate teſtatoris, utpotè jam mortui, ſed in pœnam, adeòque poſt latam ſententiam ad fiſcum devolvi probat cum aliis Mol. *diſp. 212. ex l. 1. & l. Si inimicitiæ in fine ff. de His quæ ut indignis.*

489 Poſtremus denique, ac celeberrimus teſtamenta revocandi modus eſt erectio novi teſtamenti: niſi enim prius teſtamentum contineat formaliter*, vel æquivalenter clauſulam derogatoriam ſequentis, de qua poſteà dicam, per poſterius teſtamentum (modò validum ſit, aut ſi invalidum, factum ſit tamen coram 5. teſtibus inter hæredes aliàs ab inteſtato ſuccedentes, & alterum præcedens ſit factum inter hæredes extraneos, ut habetur *l. Hac conſultiſſima §. ſi quis C. de Teſtamentis*, rumpitur teſtamentum quodcumque præcedens, etiam majori ſolemnitate factum; licèt ſubſequens eſſet tantùm conditionatum, involvens conditionem, vel impoſſibilem cognitam, ut talem, quæ pro non adjecta habetur, vel poſſibilem, quæ quidem ſi de præſenti, vel præterito fuiſſet adjecta, debet eſſe impleta, ſi autem de futuro, ſufficit poſſe impleri, etiamſi numquam ſit implenda: quæ omnia expreſſa ſunt *l. Cum in ſecundo ff. de Injuſto rupto*. Neque impeditur hujuſmodi ruptio, etiamſi teſtamentum poſterius infirmetur, v. g. quòd hæres ante teſtatorem moriatur, vel hæreditatem adire nolit, tunc enim non reconvaleſcit primum; ſed hæredes ab inteſtato ſuccedunt *§. poſteriore Inſt. Quibus modis teſtamenta infirmentur; & l. 1. ff. de Injuſto rupto.*

490 Quando verò prius teſtamentum continet clauſulam derogatoriam formaliter, qua verbi gratia teſtator dixit, nolle ſe, ut quodcumque teſtamentum ſubſequens quidquam valeat, vel quando continet æquivalenter, prout cenſetur continere, ſi juramento promiſſorio non revocandi firmatum ſit, ut communiter DD. colligunt *ex l. Cum Pater §. filius Matrem ff. de Legatis 2.* vel ſi primum teſtamentum conditum ſit inter liberos, non item poſterius, *juxta Authent. Hoc inter liberos C. de Teſt. & Nov. 107. de Teſt. c. 2.* In tali, inquam, caſu, niſi aliunde certis indiciis conſtet de voluntate revocandi prius teſtamentum (qualia ſunt ortæ ante poſterius teſtamentum graves inimicitiæ inter teſtatorem, & hæredem teſtibus Covarr. Bart. Mol. & aliis) neque in foro externo, neque interno licet præſumere teſtatorem voluiſſe illud revocare, niſi in poſteriori addiderit clauſulam formaliter, vel æquivalenter derogatoriam prioris derogatoriæ, ut communiſſima Sententia apud Mol. *diſp. 153.* probat *ex l. Si quis in principio teſtamenti ff. de Legatis 3. & Lege ſi mihi & tibi §. ult. ff. de Legatis 1.*

Suadetque ratio; quia licèt ſola voluntate nemo poſſit legem facere non revocandi teſtamentum; (unde talis clauſula, qua quis diceret: volo, ut non liceat mihi revocare hoc teſtamentum; nullius eſſet valoris, ut notat Mol.) licèt etiam prius voluntatis beneplacitum, quod quis expreſsè voluit à poſteris præhabendum omni alteri ſubſequenti, revocetur per voluntatem poſteriorem, qua quis non ampliùs vult præhabendum, in ordine tamen ad revocationem extrinſecam, & efficacem, neceſſe eſt, illam voluntatem poſteriorem ſufficienter manifeſtari, ut conſtet, non eſſe talem, quam teſtator priori beneplácito poſtponendam voluit, tamquam forſan ex inconſiderantia priorum motivorum, vel ex oblivione prioris beneplaciti, & clauſulæ derogatoriæ, vel ex alia cauſa minùs voluntariè ſupervenientem, non poteſt autem manifeſtari poſteriori voluntas, niſi prioris clauſulæ derogatorię, vel in genere, vel in ſpecie, formaliter, vel æquivalenter dicatur, nullam habendam eſſe rationem; & quidem tantò expreſſiùs hoc debet indicari, quantò minùs credibile eſt, teſtatorem primæ ſuæ voluntati velle contravenire: unde quia omnium minimè credibile eſt, teſtatorem velle ex hac vita migrare perjurium, priùs teſtamentum juramento promiſſorio de eo numquam revocando firmatum non cenſebitur per poſterius teſtamentum, etiam quacumque clauſula derogatoria addita, revocare, niſi expreſsè prioris ſui juramenti fecerit mentionem, v. g. dicendo: Titius hæres eſto, non obſtante priori meo teſtamento juramento confirmato: imò hoc poſt factam promiſſionem (aliàs jure poſitivo invalidam, ſed ex juramento convaleſcentem) non niſi ante illius acceptationem ab hærede præſtitam revocari poteſt: cùm hæres ex promiſſione jurata, & acceptata verum acquiſiverit jus ad Succeſſionem; & quia propter naturalem affectum parentum erga liberos non facilè ſolent præferri extranei; hinc teſtamentum conditum inter liberos non creditur per ſubſequens, alioquin validum teſtamentum inter extraneos, etiam clauſula derogatoria generali munitum, revocari, niſi expreſsè addatur: non obſtante meo teſtamento inter liberos: ut habetur in *citat. Auth. Hoc inter Liberos C. de Teſtam.* vel, ut advertit Layman. ex Abbate, & Tiraqu. niſi ſit factum ad pias cauſas, utpotè pro animæ ſalute, quæ cenſenda eſt amori liberorum præferri.

Viciſſim ſi teſtamentum poſterius confirmetur juramento, etiam tantùm aſſertorio, vel ſi condatur ab aſcendentibus inter liberos, cùm primum fuerit inter extraneos (quam quidem converſionem non ex conſtitutione juris, ſed ex rationis illius paritate. AA. colligunt) utrumque æquivalet clauſulæ derogatoriæ prioris teſtamenti, quacumque alia clauſula, excepto juramento promiſſorio, inſigniti. Similiter, ut obſervat Mol. *cit. diſp. 153.* quando in poſteriori teſtamento fit particularis mentio prioris, ſubſequentibus per formulam generalem derogantis, etiamſi non fiat mentio derogationis, illud nihilominus ęquivalet habenti clauſulam derogatoriam; quòd ſi tamen primum derogaret reliquis per particularem formulam, v. g. ſi nollet ullum deinceps valere, niſi inſignum mutatæ voluntatis certa verba adſcriberentur, tunc, inquit, cit. Author, non ſatis erit in poſteriori teſtamento mentionem facere illius prioris, nulla de tali clauſula facta mentione ſaltem in genere, ſed neceſſe erit dicere: non obſtante quocumque priori teſtamento, cum quibuſcumque verbis derogatoriis confecto: ita etiam docent Covarr. *in Rub. de Teſt. p. 2. n. 19. concl. 3.* Bart. *leg. Si quis in principio teſtamenti ff. de Legat. 3. num. 8.* Clarus *quæſt. 99.* imò ſecuritatis gratia rectè etiam addentur hæc: etiamſi de verbis illis ſpecialis mentio eſſet facienda; aut etiamſi verba illa hìc eſſent tranſcribenda.

ARTICULUS IV.

Qui Teſtamenta facere poſſint, vel non.

SUMMARIUM.

491 *Datur ſæpè gravis obligatio faciendi Teſtamentum.*
492 *Quinam Iure naturali inhabiles ſint ad teſtandum, & quid in dubio habilitatis dicendum.*
493 *Quinam Iure poſitivo Civili teſtari nequeant.*
494 *An Clerici Beneficiati de redditibus ſuſtentationi ſuperfluis teſtari poſſint.*
495 *Quomodo Religioſi ante, vel poſt emiſſa Vota teſtari, vel non teſtari valeant.*

491 ETiamſi per ſe loquendo nemo obligetur facere teſtamentum, per accidens tamen quidam homines non tantùm poſſunt, ſed etiam tenentur facere, & quidem ſub mortali, quando nimirum aliàs creditores, vel omninò non, vel non integrè, vel non abſque novo gravi damno ſolverentur, vel aliqua bona propter eorum ignorantiam, aut incertitudinem ad ſuos Dominos non redirent, vel graves lites inter hæredes ab inteſtato orirentur. Ut verò aliquis non poſſit ullum teſtamentum condere, vel jure naturali, vel poſitivo prohiberi debet..

492 Jure naturali ad teſtandum inhabiles ſunt, qui uſu rationis carent, ut infantes, ebrii, amentes, furioſi, niſi teſtamentum tempore lucidi intervalli condant, quale an habuerint, & an ſufficiens fuerit (requiritur enim tanta judicii diſcretio, ac libertas, quanta eſt neceſſaria ad peccatum committendum) ex teſtium in certis circumſtantiis fundato judicio potiſſimùm deſumi debet, quod ſi & iſti dubitent, & conſtet, teſtatorem priùs rationis impotem fuiſſe, uterque Mol. aſſerit, adhuc talem præſumendum eſſe, utique non ob aliam cauſam, quàm quia tum inhabilitas teſtandi; & hæredum ab inteſtato ſuccedendi jus videtur eſſe in poſſeſſione. Sunt tamen etiam, qui non improbabiliter exiſtiment in pari conjecturarum probabilitate pro valore teſtamenti ſupponendum eſſe, eò quòd ut dicitur in *l. 1. C. de SS. Eccleſ.* nihil ſit, quòd magis hominibus debeatur, quàm ut ſupremæ voluntatis poſtquam jam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium.

493 Jure poſitivo teſtari prohibentur primò, à nativitate ſurdi ſimul, & muti *leg. Diſcretis Cod. Qui Teſtamenta facere poſſunt.* Unde qui non utroque Senſuum vitio ſemper laborarunt; ſed ſuam voluntatem, vel verbis, vel Scriptura propriæ manus explicare poſſunt, illis ibidem conceditur poteſtas concedendi teſtamentum, nam ut colligitur *ex cit. l. & ex l. Iubemus Cod. de Teſtamentis*, nutibus dumtaxat, v. g. uno interragante alterum, an Titium ſuorum bonorum hæredem eſſe velit, eoque ſine expreſſa voce annuente, teſtari validè nemo poteſt, niſi ad pias cauſas, in ordine ad quas nullam ſolemnitatem jure merè civili introductam ſervare neceſſum eſt: vel niſi teſtator ſit miles, ejuſve privilegio gaudens, ut patet ex *§. quinimo Inſtit. de Militari teſtament.* vel niſi in præſentia Principis ſui teſtamentum conficiat, cujus Authoritas omnem defectum ſolemnitatis ſupplet *l. Omnium C. de Teſtamentis* codicillum tamen, vel legata, aut fidei commiſſa facere etiam ſolis nutibus conceſſum eſt illis, qui ſunt à nativitate muti, ut conſtat *ex l. Nutu ff. de Leg. 3.* Unde hìc patitur exceptionem communis regula in *leg. D v § 3. ff. de Iure codicillorum*: quòd, qui non poteſt teſtari, nequeat etiam codicillum condere.

Secundò, impuberes, in quibus etſi malitia quandoque in ordine ad alios actus ſupplere poſſit ætatem, nequit tamen ad actionem teſtandi *l. Si frater C. Qui Teſt. facere poſſunt §. Præterea Inſtit. Quibus non eſt permiſſum facere Teſt.* Idem eſt quamvis impubes ſit miles *l. ult. C. de Teſtamento Militis.* Vel ad pias cauſas teſtetur, ut communis ſententia teſt. Mol. *diſp. 136.* ad finem colligit ex *cap. Licet de Sepulturis in 6 juncta Gl.* vel pubes factus abſque ſolemnitatibus de novo adhibitis prius teſtamentum ratificet: quia actus tempore inhabilitatis poſiti non ſolent per ſupervenientem habilitatem agentis convaleſcere. Cæterùm ultimus dies, quo impubertas finitur, inchoatus pro completo habetur *l. à qua ætate ff. Qui Teſtamenta facere poſſunt.*

Tertiò prodigi, poſtquam illis bonorum ſuorum adminiſtratione interdictum eſt, quamvis priùs conditum teſtamentum valeat *§. item prodigus Inſtit. Quibus non eſt permiſſum*, horum inhabilitas juxta communem apud Clarum *quæſt. 5.* extendit ſe etiam ad pias cauſas: quia prodigus curatori ſubjectus pupillo æquiparatur, & univerſim privilegia teſtantium ad pias cauſas ſupponunt habilitatem teſtandi, non verò conferunt.

Quartò, ſervi, antequam libertatem acquirant, & ſe obtinuiſſe ſciant, *leg. Qui Teſtamento, & ſeqq. ff. Qui Teſtamenta facere cap. Illud 13. quæſt. 2.* ubi tamen Gloſ. obſervat multorum locorum conſuetudine receptum eſſe, ut peculium ſuum filiis relinquere poſſint. Ultima conditio, ut nimirum ſciant ſe libertatem obtinuiſſe, Jure Canon. non requiritur, & proinde poſt verè obtentam Libertatem ad pias cauſas teſtari poſſunt Panor. ad fin. Rub. de teſtamentis, Bart. Mol. *diſp. 137.*

Quintò captivi, & obſides pro captivis (ſi, ut advertit Mol. loc. cit. capti ſunt in bello juſto, nam aliàs verè ſunt Liberi) *l. Ejus qui l. Obſides ff. Qui Teſtamenta facere*: ante captivitatem tamen factum teſtamentum valeat non tantùm, ſi teſtator redierit, ſed etiam, ſi in captivitate deceſſerit, *l. b. 12. ff. eodem.*

Sextò, damnati ad mortem naturalem, vel civilem *l. Qui ult. ſupplicio ff. de Pœnis*, hodie tamen ubique ferè contrariam conſuetudinem receptam eſſe teſtatur Julius Clarus *q. 21.*

Septimò, condemnati de crimine libelli famoſi in alterum confecti *l. 18, cui ff. de teſtamentis*: vel de crimine uſuræ notoriæ *cap. Quamquam §. ult. de Uſuris in 6.* niſi priùs uſuras ſolverint, vel de illis ſolvendis cautionem præſtiterint; quòd ſi eam præſtare non poſſint, ſi cum ſignis contritionis deceſſerunt, ad cauſas pias teſtari poſſe de bonis, quæ uſuris ſolvendis ſuperſunt probabile judicant Covarr. Sylv. quos refert: & ſequitur Mol. *cit. diſp.* 137. vel de crimine hoſtilis invaſionis Cardinalis Eccleſiæ *cap. Felicis de Pœnis in 6.* vel de crimine hæreſis in locis, ubi habet annexam excommunicationem non toleratam *cap. Excommunicamus 1. §. damnati de Hæreticis.* De reliquis Excommunicatis notoriis dubitat Jul. Clar. *q.* 44. communior, ut ipſe fatetur, affirmat, eos teſtari poſſe, niſi ſpecialiter hac facultate priventur: nulla enim lex univerſalis habetur excommunicationi inhabilitatem teſtandi annectens.

Octavò filiifamilias, quamvis obtento aſſenſu paterno mortis cauſa donare poſſint, teſtari prohibentur de bonis adventitiis, etiam quando Pater non habet illorum uſumfructum, vel etiamſi ipſe conſentiat *inſtit. Quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum. In Principio, Qui in Poteſtate ff. qui Teſtamenta facere poſſunt*: de Patris tamen conſenſu poſſunt ad pias cauſas teſtari *c. Licet de Sepulturis in 6* eſtque communis Sententia apud Julium Clarum *q. 5.* Idemque ait Laym. *cap. 3.* ſecutus Sylveſtrum de ingredientibus religionem ſentiendum. Præterea excipiuntur Clerici, etiam tantùm ut vult Covarr. *capit. Quia nos de Teſtamentis*, prima tonſura, vel ut alii docent, minoribus initiati, ſaltem ſi alicui Eccleſiæ inſerviant: hi enim *Authent. Presbyteros Cod. de Epiſcopis, & Cleric.* etiamſi maneant in Patria poteſtate liberè teſtari poſſunt de bonis in ſtatu Clericali quocumque modo acquiſitis, modò legitimam relinquant filiis ſuis, ſi habeant, vel aſcendentibus, ſi non habeant filios; omnia enim hæc quaſi caſtrenſia dicuntur, etiam reſpectu laici eſſent adventitia.

Nonò. Clerici beneficiati de bonis, quæ ex beneficio 494
Eccleſiaſtico quantumvis ſimplici, quale eſt Canonicatus, percepta honeſtæ ſuſtentationi ſuperſunt, teſtari, aut mortis cauſa donare non poſſunt, etiam ad pios uſus (ſecluſa contraria conſuetudine) ne ſcil. hujuſmodi bonorum retinendorum cupiditate per donationem inter vivos ad pias cauſas eadem applicare differant. Ita ſtatutum eſt *cap. Ad hæc de Teſtamentis*: ubi tamen conceditur, ut in lethali ægritudine conſtituti moderatè valeant ut aliqua de hujuſmodi bonis non titulo teſtamenti, ſed eleemoſynæ erogare: *Ex c. Relatum 12. tit. eod.* etiam additur limitatio ita habens: *Conſuetudinis tamen non eſt im-*

improbanda, ut de his Pauperibus, & Religioſis locis, & illis, qui viventi ſervierant, ſive conſanguinei ſint, ſive alii, aliqua juxta ſervitii meritum conferantur. Quæ verba ait Mol. *diſp.* 147. intelligenda eſſe de collatione gratuita; nam id, quod ex juſtitia debitum eſt, ex bonis liberæ diſpoſitioni Clericorum relictis ſolvi oportet. Dixi, *ſecluſa contraria, & recepta conſuetudine*. Nam teſt. Leſſ. *lib.* 2. *c.* 19. *dub.* 4. & Mol. *loc. cit.* paſſim invaluit, ut Clerici, præſertim Epiſcopis inferiores ad pias cauſas teſtari poſſint, imò eodem Leſſ. teſtante etiam debeant, ne redditus Eccleſiaſtici ſuperflui, & ad pias cauſas applicandi, alioquin ad conſanguineos, tanquam ad hæredes ab inteſtato devolvantur, ſuppoſita communiſſima Sententia Theologorum, quos cum S. Thom. refert, & ſeq. Mol. *diſp.* 144. contra non paucos Canoniſtas, quòd ſcil. Clerici etiam ſuperfluorum reddituum abſolutum Dominium ſibi comparaverint, quod ſuppoſitum non eſt hujus loci examinare, ſicut nec textus ex Jure Canonico contra illud afferri ſolitos, & à Mol. ad illud tantùm tempus relatos, quo bona Eccleſiaſtica nondum in certas portiones fuerunt diviſa, quarta eorum parte Clericis cedente.

495 Decimò inhabiles ſunt ad teſtandum Religioſi, non quidem ante, ſed poſt emiſſa vota publica, aut ſolemnia Religionis: niſi Summus Pontifex quempiam, vel quoſpiam exceperit, uti de facto excepit Religioſos ordinis militaris, qui ſuorum bonorum Dominium retinent, & excipere ſolet in Epiſcopatum, vel Cardinalatum evectos, ſi quod autem teſtamentum priùs fecerint, (quod quidem in noſtra Societate, quando facienda eſt renunciatio bonorum, debet iterum revocari, cùm hæc non aliter, quàm per donationem inter vivos abſque ſpe res ſuas recuperandi inſtitui poſſit) per emiſſionem prædictorum votorum non tantùm non rumpitur, ſed per illam, quemadmodum per mortem naturalem omninò confirmatur, cum hoc ſolo diſcrimine, quòd, licet teſtamentum Religioſi jam perinde firmum, & irrevocabile ſit, ac teſtamentum defuncti; Monaſterium tamen, ſi Dominii non incapax eſt, uſque ad tempus mortis naturalis bonis ſui Religioſi fruendi jus acquirat. Ratio primæ partis eſt, quia licèt ex decreto Concilii Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 16. irritetur omnis renunciatio bonorum, etiam jurata, & ad cauſas pias ante ultimos duos menſes novitiatus, vel intra hos ſine conſenſu Epiſcopi, aut ejus Vicarii à candidatis alterius Religionis, quam Societatis ſine conditione profeſſionis futuræ facta, ſub ea tamen non comprehenditur teſtatio, vel donatio mortis cauſa, quia neutra eſt vera renunciatio bonorum pro eo tempore, pro quo Concilium noluit abſolutam renunciationem fieri, & neutra repugnat fini ab eodem intento, ne ſcilicet propter irrevocabilem bonorum ſuorum alienationem novitius cogatur Religionem profiteri, cùm utraque ſit revocabilis ante profeſſionem. Itaque conceditur hæc poteſtas teſtandi candidatis Religionum (niſi aliundè ſint impediti) in *Authent. Nunc autem C. de Epiſcopis, & Clericis, & cap. Si qua Mulier* 19. *q.* 3. & ratio eſt, quia ante publica Religionis vota retinent plenum bonorum ſuorum Dominium, ergo etiam jus diſponendi de illis.

Ratio ſecundæ partis, nempe inhabilitatis ad teſtandum eſt, tum expreſſa conſtitutio *cap. Quia ingredientibus* 19. *q.* 3. *& Authent. Ingreſſi C. de SS Eccleſiis*: tum quia illa votorum emiſſione Religioſi amittunt jus, & Dominium omnium ſuorum bonorum, ac in noſtra Societate quidem, niſi ante vota publica de ſuis bonis diſpoſuerint, prout tamen ſemper jubentur diſponere, & in Religionibus incapacibus dominii tranſmittunt jus ſuccedendi ad hæredes ab inteſtato; in aliis autem Religionibus capacibus dominii juxta varias conſtitutiones juris civilis, approbatas à Canonico in *cap. Si qua mulier cit. & c. Quia ingredientibus de Teſtamentis* ſuccedit Monaſterium ſalva tamen portione legitima, Religioſi aſcendentibus relinquenda, niſi à ſe deſcendentes habeat, quibus *juxta Authent. Si qua mulier C. de SS. Eccleſiis*. Bona ſua portionibus etiam inæqualibus per modum diſpenſatoris diſtribuere poteſt, æquali tamen ad minimum parte Monaſterio aſſignata, ut etiam dicitur *cap. Si qua mulier. cit.*

Ratio tertiæ partis, quòd ſcilicet priùs factum teſtamentum non rumpatur, deſumitur ex *cap. Si qua mulier, & ex Authent. Nunc autem C. de Epiſcopis, & Clericis.* Ubi expreſsè dicitur, quòd ſi Monachus priùs teſtatus non ſit, res omnes ſalvis juribus Liberorum, Uxoris, & creditorum monaſterio reliquiſſe videatur; ergo ſi teſtatus eſt, teſtamentum ratum manet; aliàs fruſtra apponeretur conditio. Neque obſtat, quòd teſtamentum nativitate filii poſtea obtenti, & in illo omiſſi rumpatur, ac conſequenter etiam teſtamentum Religioſi rumpi videatur, ſi in eo Religionis nulla facta eſt mentio: nam licèt Monaſterium loco filii habeatur, comparatione ejus, qui in illo profeſſionem emiſit, ut conſtat, *ex cap. In præſenti de Probationibus*. Id tamen ſolummodo verum eſt in caſibus jure expreſſis, qualis non eſt iſte, ut Monaſterium partem aliquam legitimam ex teſtamento recipiat: ſicut neque ut deneget eam aſcendentibus, quando Monaſterium in bona Religioſi ſucceſſit.

Ratio quartæ partis, quòd per vota publica Religionis teſtamentum confirmetur, & irrevocabile reddatur, hæc eſt, quia poſt votorum nuncupationem, nec Religioſus retinet Dominium ſuorum bonorum, ut tum ex *Authent. Ingreſſi C. de SS. Eccleſiis*: tum ex aliis juribus conſtat, nec ad Monaſterium tranſit, & definitum eſt in *cit. Authent. Nunc autem.*

Ratio ultimæ partis, quòd Monaſterium retineat Jus in bona ſui Religioſi extraneis teſtamento relicta, uſque ad ejus mortem naturalem (& conſequenter in perpetuum, ſi teſtamentum præmatura morte hæredis, vel alio modo irritetur) hæc reddi poteſt: quia, ut ſuppono, nec Religioſus vi teſtamenti aliam habuit intentionem, nec jus poſitivum in hoc fecit exceptionem, quò minùs ſicut alia jura Religioſi directa, & uſufructuaria, de quibus ante profeſſionem nihil diſpoſuit, ad Monaſterium tranſeat. Et ita habet communis Sententia teſt. Leſſ. *l.* 2. *c.* 41. *dub.* 10. Molin. *diſp.* 140. Excipitur tamen ab iiſdem, & à Covar. *cap.* 2. *de Teſt. num.* 7. Panorm Navarr. *cap. Non dicatis num.* 80 contra Bartolum, pluresque alios legitima filiis Religioſi, ſi quos in ſæculo exiſtens genuit, debita: eò quòd aliàs à Monaſterio ali deberent, & *in cap. Si qua Mulier*, id ſatis indicetur, quòd, cùm concedat Religioſo, ut etiam ſtatim poſt profeſſionem filiis portiones ſuas diſtribuere poſſit, videtur in hoc æquitatem agnoſcere, ut ſaltem legitima illis ſtatim tradatur. Idem dicendum de dote filiabus ſolvenda, ut maritus eadem uti, ac onera matrimonii ſuſtinere valeat; ſed de his & ſimilibus Religioſorum, ac Monaſteriorum juribus, vel obligationibus videatur Mol. *a diſp.* 139. uſque ad *diſp.* 142.

ARTICULUS V.

Quinam ex Teſtamento, vel ab inteſtato ſuccedere poſſint, aut debeant.

SUMMARIUM.

496 *Hæreditas tota, ſive As, dividitur in* 12. *uncias ſive partes. Unde qui eſt ex aſſe hæres, dicitur hæres univerſalis, reliqui dicuntur particulares.*

497 *Hæredes neceſſarii dicuntur, qui non niſi expreſſa, & probata cauſa in teſtamento ad cauſas profanas præteriri poſſunt: quibus alioquin competit Querela inofficioſi Teſtamenti. In Teſtamento autem ad cauſas pias relinquenda ipſis ſaltem eſt portio legitima.*

498 *Quinam ſint hæredes neceſſarii, & qualis portio legitima illis relinquenda ſit.*

499 *Qui Religioſi hæredes inſtitui, vel non inſtitui poſſint.*

500 *Quinam ex ſuo, vel parentum delicto nequeant hæredes inſtitui, vel à quibus nequeant inſtitui.*

501 *Quinam Filii legitimi, vel illegitimi, & ex his, qui Naturales, & qui Spurii dicantur.*

502 *Quomodo Filii illegitimi à Patre hæredes poſſint inſtitui, vel illi ab inteſtato ſuccedere.*

503 *Quomodo iidem à Matre inſtitui, vel ab inteſtato valeant ſuccedere.*

504 *Quinam propter delictum hæreditate in pœnam per ſententiam Judicis privandi ſint.*

Priùs de hæredum diverſitate aliquid dicendum eſt, 496 ut, quæ de ſuccedendi poteſtate dicturi ſumus, faciliùs percipiantur. In primis itaque alii ſunt hæredes ex teſtamento, alii ab inteſtato, qui ſcilicet non ex diſpoſitione

tione teſtamenti, ſed ex diſpoſitione Legis in bona defuncti ſuccedunt.

496 Secundò alii ſunt hæredes univerſales, alii particulares; hæres univerſalis dicitur, qui ſine alio cohærede ſuccedit, particularis, qui cum alio, vel aliis in partem æqualem, vel inæqualem tranſit: tota enim hæreditas, quæ aſſis nomine inſignitur, in duodecim partes, ſeu uncias dividitur, *§.6. Inſtit. de Hæredibus inſtituendis*, quæ per additionem unius ad alteram inæquales redduntur, & per aſcenſum, quatenus poſterior ſuperat priorem, additione unius unciæ his nominibus diſtinguuntur, *Vncia, ſextans, quadrans, triens, quincunx, ſemis, ſeu ſemiſſis, ſeptunx, bes, dodrans, dextans, deunx*, cui ſi addatur unica uncia evadit as, ſeu hæreditas totalis; itaque hæres ex aſſe eſt hæres univerſalis, hæres verò ex una enumeratarum parte eſt hæres particularis: qui verò in re certa tantùm v.g. in fundo directis tamen verbis hæres inſtituitur, is potiùs legatarii loco habetur, nec hæredum obligationes ſubit, ut declaratur in *l. quoties Cod. de Hæredibus inſtituendis*: quamvis ſi nullus alius inſtitutus eſſet, vel hæreditatem adire poſſet, aut vellet, deinde illi tota hæreditas accreſceret: quia in tali caſu hæredis appellatio ei competeret, ut conſtat ex *l.1.§. ſi ex fundo ff. de Hæredibus inſtit.* & cùm nullus paganus (miles enim gaudet ſpeciali privilegio *l. Si miles unum ff. de Teſtamento militis*) poſſit partim teſtatus, partim inteſtatus decedere, *juxta regulam 7. ff. de diverſis Regulis juris*: ideò neceſſe eſſet, reſiduam hæreditatem parti teſtatæ accreſcere.

497 Tertiò hæredes alii ſunt neceſſarii, alii liberi, ſeu voluntarii. Neceſſarii jure antiquo erant, qui etiam inviti debebant adire hæreditatem, jure novo illi dicuntur, qui ſaltem quoad portionem legitimam inſtitui debent in teſtamento ad cauſas profanas (nam in teſtamento ad cauſas pias, ſicut non exiguntur aliæ ſolemnitates juris civilis, ita neque eſt neceſſarium, ut honoris, & amoris oſtendendi gratia inſtituatur, & nominetur hæres neceſſarius, modò accipiat ſuam legitimam, ut docent Julius Clarus *q. 6.* Covar. *de Teſtam. cap. cum tibi num.* 12. & communis ſententia teſte Mol. *diſp.* 134.) vel debent expreſſa in teſtamento aliqua hujuſmodi cauſa, quales habentur in Nouella 115. *cap.* 3. *&* 4. eaque à teſtatore, vel hærede, probata, omninò exhæredari; ſi enim non exprimatur talis cauſa, teſtamentum quoad hæredis inſtitutionem, & jure ſaltem antiquo §. 35. *inſtit. de Legatis*, etiam quoad legata, & fideicommiſſa eſt invalidum, ac nullum, etſi hæres præteritus ſit tantùm proles poſthuma, brevi etiam mortua, *l. Poſthumo nato C. de Bonorum poſſeſſione contra tabulas, quam prætor*, modò non ſit mortua ante teſtatorem, tum enim prætoria æquitate reconvaleſcit teſtamentum *l. Poſthumus, ff. de injuſto rupto*: ſi verò exprimatur, & non probetur cauſa exhæredationis, quamvis in cit. Novella expreſſio cauſæ, & probatio æqualiter videantur requiri, communis tamen ſententia expoſtulat officium judicis ad reſcindendum teſtamentum, & hæredi neceſſario non conceditur actio ad repetendam hæreditatem ab inſtituto, ſed ad petendam probationem cauſæ exhæredationis, vel ad reſciſſionem teſtamenti, quæ actio (inſtituenda intra quinquennium à die aditæ ab altero hæreditatis, vel à die completi 25. anni, ſi hæres neglectus, cum antè nondum complevisset. *Iuxta l.2. C. quibus cauſis in integrum reſtitutio neceſſaria eſt, & l. Si quis filium in fine, leg. ſcimus §. illud præterea C. de inofficioſo teſtamento*) querela inofficioſi appellatur, eò quòd teſtator non videatur præſtitiſſe officium ſuum erga hęredem neceſſarium: ſi ergo tali actione hæres neceſſarius evicerit, ut judex agnoſcat, cauſam non ſatis eſſe probatam, etiamſi à parte rei ſubſiſtat, poteſt deinde ille reſciſſo teſtamento adire hęreditatem bona conſcientia teſte Mol. *diſp.* 175. quia hæres non tenetur ſubire pœnam, qualis eſt exhæredatio, quamdiu commiſſum crimen non plenè probatum eſt.

498 Hujuſmodi hæredes neceſſarii ſunt in primis deſcendentes, nempè liberi, quorum uno mortuo, & nepotes relinquente, iſti loco parentis non in capita, ſed in ſtirpes ad hæreditatem admittuntur, ſicut habetur *§. cum filius inſtit. de Hæreditatibus, quæ ab inteſtato*: id eſt, non ſingula nepotum capita æquales portiones cum liberis accipiunt, ſed omnes ſimul velut una ſtirps portionem ſui parentis referunt: portio autem legitima inter hos hæredes neceſſarios dividenda, jure antiquo *l. Papinianus §. quoniam, & §. quarta ff. de inofficioſo teſtamento*, erat quarta pars, ſeu quadrans, jure novo autem *Authent.* 18. *Triente, & ſemiſſe cap.* 1. *&* 2. Si non plures ſint, quàm quatuor, eſt triens hæreditatis, id eſt, quatuor unciæ, ſeu tertia pars aſſis, ſi ſint plures, niſi augens numerum ſit juſtè exhæredatus, vel incapax hæreditatis per ſe, vel per alium adeundæ, conſtituta eſt ſemiſſis, id eſt, dimidia pars bonorum defuncti, loquendo tamen ſemper de bonis privatis, non de regnis, ducatibus, comitatibus. In defectum liberorum, vel aliorum deſcendentium, hæredes neceſſarii ſunt aſcendentes teſtatoris, qui in teſtamento titulo honorabili inſtitutionis exprimi debent; horum legitima eſt triens, Patri, & Matri æqualiter dividendus, vel alterutro mortuo, alteri ſuperſtiti totus tradendus, etiamſi ex parte defuncti parentis avus, vel avia adhuc superviveret: utroque autem parente è vivis ſublato avi, & aviæ non in capita, ſed in ſtirpes ſuccedunt, ita ut ſi ex parte alterutrius parentis avus, & avia, & ex parte alterius ſolus avus, vel avia adhuc vivant, huic ſoli æqualis detur portio, qualis utrique alteri, quæ omnia habentur in *Auth. de Hæred. ab inteſtato cap.* 2. Si itaque ex his hæredibus neceſſariis aliquis in portione minore inſtitueretur, quàm quæ ipſi competit, teſtamentum non quidem eſſet nullum, ſed querela inofficioſi ad ſupplementum recipiendum agere poſſet *l. omni modo C. de inofficioſo teſtamento*. Deficientibus tam aſcendentibus, quàm deſcendentibus, nulli alii hæredes ſunt neceſſarii, adeòque reliqui omnes dicuntur voluntarii, ſeu liberi: quamvis enim in *cit. Authent. cap.* 2. Fratres, & Sorores ex eodem Patre, & Matre actu exiſtentes (non verò eorum filii, ut in *eadem Authent. cap.* 3. decernitur) cum proximis aſcendentibus ad hæreditatem ab inteſtato in capita ex Privilegio admittantur, & viciſſim cum his Pater, & Mater defuncti in capita, avus verò, & avia in ſtirpes, tamen non tenetur teſtator fratres ſuos, ac ſorores hæredes inſtituere, ſed poteſt inſtituere quemcunque alium, conſanguineis lateralibus quibuſcunque præteritis, ut conſtat ex *l. Fratres C. de inofficioſo teſtamento, & inſtit. eod. titulo §.2.* Ubi tamen excipitur, ut contra hæredem turpem, ſeu infamem juris, aut facti infamia à fratre, vel ſorore non ſimiliter infamibus, aut in teſtatorem graviter injurioſis agi poſſit.

His hæredum diviſionibus ſuppoſitis, nunc de poteſtate ſuccedendi loquamur. Itaque ex teſtamento ſuccedere, atque inſtitui poſſunt, tum integræ communitates, tum quivis homines privati, niſi Lege prohibeantur: Ex communitatibus autem prohibentur in hæredes inſtitui civitates hoſtium, ut colligunt AA. ex *l. Omnibus ff. ad S.C. Trebellianum* communitates Judæorum *l. 1. Cod. de Iudæis*, & quodvis collegium, nec publica authoritate, nec ad pias cauſas erectum, ſpectando jus antiquum *l. Collegium C. de Hæredibus inſtituendis*. Ex privatis hominibus (ut priùs de inhabilibus ex virtute, quàm ex propria, vel aliena culpa loquamur) nequeunt hæredes inſtitui, vel ab inteſtato ſuccedere profeſſi Religionum incapacium hæreditatis. Ut RR. PP. Capucini, & Minores de Obſervantia, præterea obſtricti votis publicis noſtræ Societatis, quamvis hi omnes pia legata mobilia, & immobilia (quæ tamen oblata commodè vendendi occaſione in alios Religioni utiles uſus converti debent, nec poſſunt ſub conditione ea ſervandi recipi, niſi ad habitationem ſint neceſſaria, ut domus, vel hortus) in communem religioſi ordinis utilitatem applicanda accipere ſinuntur, ut *ex Clement. Exivi §. Cupientes de Verborum ſignificatione, & cap. Exiit §. ad hæc quia fratribus eod. in 6.* Undè hic patitur exceptionem communis regula. *Inſtitut. de Legatis §. Legari*, quòd qui hæres inſtitui nequit, nequeat etiam legatum capere. Aliarum autem Religionum profeſſi, & Scholaſtici noſtræ Societatis, hæredes inſtitui, vel ab inteſtato ſuccedere poſſunt, cum hoc tamen diſcrimine, ut loco prædictorum profeſſorum ipſa Religio, vel Monaſterium hæreditatis dominium per immediatam ſucceſſionem acquirat, loco Scholaſticorum verò non Societas, ſed ipſi Scholaſtici immediatum hæreditatis dominium obtineant, quod ad Societatem titulo donationis inter vivos ab illis transferri ſolet ex vi liberę

eorum

eorum diſpoſitionis, qua ſicut ſeipſos, ſic etiam bona ſua, tum obtenta, tum deinceps obtinenda Societati offerunt.

Undè licèt Societas, vel collegium ejuſdem Immediatus hæres inſtitui poſſit, nunquam tamen ſuorum Religioſorum nomine poteſt hæreditario jure ſuccedere, ſed vel ipſi immediatè ſuccedunt, quamdiu vota publica non emiſerunt, adeòque hæreditatis capaces ſunt, vel neque Societas ſuccedit, niſi tanquam hæres immediatus ab ipſo teſtatore inſtituatur, aut ſubſtituatur, ut conſtat ex *conſtit. p. 6. c. 2. §. 12.* ubi cùm generalibus verbis omnis hæreditariæ ſucceſſionis, adeundæ nomine ſui Religioſi obſtricti votis publicis, incapax reddatur, non video, quomodo noſter P. Wadingus eadem reſtringat ſolùm ad ſucceſſionem ab inteſtato, niſi forſan dicere velit, quod in illis teſtamentis, quibus formaliter, vel æquivalenter continetur clauſula codicillaris, religioſus incapax hæreditatis, eandem per modum legati ſeu fideicommiſſi, cujus capax eſt, non in virtute teſtamenti, ſed comparatione ſuæ perſonæ in virtute codicilli ad Societatem tranſmittat.

500 Ex privatis hominibus non ſinuntur ex teſtamento capere, primò deportati, vel perpetuò ad metalla damnati *l. 3. de his, quæ pro non ſcriptis habentur*. Secundò Hæretici non tolerati, aut apoſtatæ, & eorum receptores, fautores, &c. *Auth. credentes l. Manichæos, & l. ult. C. de Hæreticis l. 3. C. de Apoſtatis*. Tertiò Spurii, neque ex teſtamento, neque ab inteſtato, neque ex donatione inter vivos (niſi titulo gratitudinis pro præſtitis obſequiis indebitis juxta meritorum proportionem) à Patre plus, quàm quod aliundè non habentibus, ut ſecundùm ſtatum ſuum congruenter vivant, neceſſarium eſt, accipere poſſunt, & ſi quid acceperint, hæredibus id reſtituere tenentur *l. ſi quis inceſti C. de inceſtis nuptiis l. 1. C. de naturalibus liberis*. Ubi licèt de Patre tantùm ſit ſermo Mol. *diſp. 157. concl. 4.* eodem modo de Matre ſentiendum docet: quia quando jura non excipiunt, idem de Matre aſſeritur; lex enim *Si qua illuſtris C. ad S. C. Orficianum*, & quæcunque alia Spuriis favens, loquitur de talibus Spuriis, qui Jure Canonico, & hodie etiam civili pro naturalibus habentur. Et ſic viciſſim neque Pater à Spuriis ſimile quid accipere permittitur *Authent. Quibus modis naturales efficiantur ſui cap. 4.* Avus tamen nepotem ex ſuo filio Spurio, modò non faciat hujus intuitu hæredem facere poteſt, ut colligitur *ex l. ult. C. de Naturalibus Liberis*. niſi ille filius Spurius genitus ſit per copulam inceſtuoſam ex Matre conſanguinitatis, vel affinitatis vinculo impedita à matrimonio, ut aliis relatis limitat Clar. *quæſt. 32. in addit.* qui etiam allegans communem ſententiam ſubjungit hanc exceptionem, ſcilicet niſi avus habeat adhuc reliquam prolem legitimam. Ab aliis conſanguineis in linea tranſverſa, & affinibus, atque extraneis Spurii non minùs, quàm naturales inſtitui in hæredes, & ſi uterini ſunt, ſibi mutuò, ac proximioribus conſanguineis lineæ tranſverſæ ex parte Matris (non autem ex parte Patris *l. 4. ff. Unde cognati*) ab inteſtato ſuccedere poſſunt: ſecus, ſi uterini non ſint, quamvis ex eodem Patre progeniti *l. Hac parte l. ſi Spurius ff. eod.* Imò etiam quamvis per reſcriptum Principis legitimati fuerint: quia hoc, niſi aliud exprimatur, tantùm intenditur ad poteſtatem ſuccedendi Patri *in Authent. quibus modis naturales efficiantur ſui cap. 4.*

501 Cæterùm ſciendum eſt, quinam hìc Spuriorum nomine intelligantur: diſtinguuntur enim filii in legitimos, & illegitimos; illegitimi Jure Canon. quod nunc etiam in foro civili obſervatur teſte Mol. *diſp. 167. concl. 2.* In ordine ad præſens inſtitutum duplicis tantùm generis enumerantur, ſcilicet naturales, & Spurii. Itaque legitimi dicuntur, qui nati ſunt ex Matrimonio legitimo, ſaltem ab alterutra parte bona fide exiſtimato ut tali *cap. cum inter cap. Cum ex tenore, qui Filii ſunt legitimi*: his ex Privilegio æquiparantur per ſubſequens Matrimonium legitimati *cap. tanta tit. eod.* Illegitimi Naturales non tantùm ſunt ii, qui ex unica concubina, domi retenta, & nullo impedimento Matrimonium dirimente conſtricta ſunt geniti, quo modo olim in jure Cæſareo accipiebantur; ſed etiam illi, qui ab eodem nothi appellabantur, ſumendo hos non pro ortis ex adulterio, ut frequenter ſumuntur, ſed pro genitis ex concubina in domo non retenta, vel non retenta ſola ſine alia concubina; adeòque omnes illi habentur pro naturalibus, qui procreati ſunt ex parentibus tempore conceptionis, vel ſaltem tempore nativitatis habilibus ad Matrimonium inter ſe contrahendum: Spurii, etſi interdum confundantur cum vulgo genitis, ſeu ex communibus meretricibus, adeoque ex incerto Patre, hìc tamen dicuntur omnes illi, qui ex parentibus tempore conceptionis, & nativitatis ad Matrimonium inter ſe contrahendum inhabilibus deſcenderunt, qui neque per ſubſequens Matrimonium legitimari poſſunt: Et de his ea, quæ ſuprà ſtatuimus, accipi debent.

De illegitimis verò naturalibus quoad poteſtatem ſuccedendi legitimis deſcendentibus, & aſcendentibus poſſunt à Patre inſtitui hæredes in ſemiſſe, ſeu media parte bonorum jure antiquo *l. Humanitatis C. de Naturalibus liberis*: jure novo autem poſſunt inſtitui ex aſſe *Authent. quibus modis naturales efficiantur ſui cap. 12. §. nos igitur, & ſeqq.* ſed ſi exiſtat deſcendens aliquis legitimus, Pater nec validè donare, nec legare poteſt plus, quàm unam unciam, illegitimis Naturalibus, & Matri dividendam, & his mortuis Matri ſoli ſuperſtiti mediam unciam, ut habetur *in cit. Authent. §. ne igitur*, ex qua Mol. *diſp. 166.* cum Covar. *in epit. p. 2. c. 8. §. 4. nu. 11.* colligitur mortua Matre adhuc integram unciam filio, aut filiis relinqui poſſe. Si nullus quidem deſcendens, ſed tamen aſcendens legitimus ſuperſtes ſit, huic ſaltem legitima tranſcribenda eſt *juxta cit. Authent. §. ſi vero*. Undè reliqua filiis illegitimis cum vel ſine Matre licebit attribuere. Quando Pater moritur inteſtatus, nec legitimo deſcendente, nec legitima uxore ſuperſtite, duæ unciæ ſunt inter illegitimos, & eorum matrem, ſi adhuc vivat, æqualibus portionibus dividendæ, reliqua ad legitimos hæredes tranſeunt. Superſtite autem legitimo deſcendente (intellige cum Covar. *in epit. p. 2. c. 8 §. 4. nu. 9* & Baldo ab eo relato Claro *q. 84.* contra Mol. *loc. cit.* etiam ex reſcripto Principis legitimum, quia jura univerſaliter loquuntur) vel tantùm legitima uxore, proles illegitima omni ſuccedendi jure deſtituta eſt, non quia hæreditas, poſito, quòd etiam ſola uxor ſuperſtes ſit, ad illam transfertur (hoc enim non fit) ſed ne juſtam ex prolis illegitimæ Succeſſione triſtitiam capiat; hæc omnia conſtituta inveniuntur in ſæpius *cit. Authent. §. ſi quis autem 4.* ex qua, uti & *ex l. ult. Cod. de Naturalibus liberis* colligitur, ea omnia, quæ de Patre circa poteſtatem donandi, ex teſtamento, vel ab inteſtato relinquendi dicta ſunt, extendenda etiam eſſe ad avum paternum reſpectu nepotis, vel pronepotis, nati legitimè ex filio illegitimo, vel illegitimè ex filio, ſive legitimo, ſive illegitimo, cum hac tamen exceptione animadverſa à Mol. *loc. cit. concl. 5.* quòd legitima uxor avi ſuperſtes, adeòque avia, non tantùm non impediat ſucceſſionem ab inteſtato in portione prædicta, ſicut tamen impedit legitima Patris uxor, quæ non eſt Mater, ſed quòd etiam eodem modo nepos ſuccedat aviæ paternæ, quo ſuccedit avo. Et eadem, quæ de filiis, ac nepotibus comparatione aſcendentium paternorum dicta ſunt, viciſſim de aſcendentibus comparatione deſcendentium intelligenda ſunt, ut ab his ex donatione, vel hæreditate capiant, quando prædicti deſcendentes nullos proprios filios, aut nepotes habent, qui præferantur, ut iterum *ex Authent. Quibus modis Naturales c. 13. & ex Authent. Licet Cod. de Naturalibus liberis ad finem* redditur manifeſtum: nempè ut par pietas deſcendentium ſervetur cum aſcendentibus. 502

Hæc de Succeſſione ex linea paterna; ex linea materna verò res eſt expeditior: nam Matri *juxta l. Si qua illuſtris juncta Gloſſ. C. ad S. C. Orficianum* Proles illegitima Naturalis æquali jure ſuccedit, ſicut legitima, & quo modo mater ſuccederet ſuis aſcendentibus paternis, vel maternis, eo ſuccedunt nepotes, vel pronepotes naturales, ſed tamen per ſtirpem, ac viciſſim eodem modo ſuccedunt aſcendentes materni ſuis deſcendentibus, ſi hi nullos ulteriores deſcendentes præferendos habeant juxta prædicta jura. Hæc, quæ de communicatione bonorum utriuſque parentis, ex donatione, vel hæreditaria ſucceſſione declarata ſunt, de illis bonis intelligi debent, quæ ad congruam ſuſtentationem neceſſaria non ſunt: de hac enim ſi loquamur, etſi olim jure civili ſecundùm Authent. relatam *cap. penult. & Authent. Ex complexu C. de Inceſtis nuptiis* Parentibus fas non fuerit, filiis ſpuriis alimenta præbere, illa nimirum, quæ ad maximam neceſſitatem naturalem propulſandam jure naturæ debita non erant; ea verò quæ ſic debita erant, licèt mater potiùs 503

tiùs, quàm Pater, & in illius defectu aſcendentes materni ſubminiſtrare debuerint *l. ſi quis à Liberis §. idem ff. de Liberis agnoſcendis*, eò quòd magis certum erat, quænam eſſet Spuriorum Mater, quàm quis eſſet Pater; Jure Canon. tamen hodie etiam in jure civili recepto, uterque parens tenetur filiis non ſolùm Naturalibus, ſed etiam Spuriis, quando ſtatui ſuo convenientibus mediis aliundè habere non poſſunt, alimenta, & quæ horum nomine includuntur, omnia vitæ, & mortis tempore neceſſaria juxta qualitatem perſonarum, ac circumſtantiarum ſuppeditare, ut ſtatuitur *in cap. cùm haberet, de Eo, qui duxit in Matrimonium*. Deficientibus autem parentibus transſertur eadem obligatio in avum, non ſolùm maternum, ſed ſuppoſito Jure Canon. etiam in paternum, ut colligitur *ex l. Penult. ff. de Liberis agnoſcendis*, & viciſſim deſcendentes, cùm poſſunt, eodem modo obligantur aſcendentibus in rerum neceſſariarum inopia aliundè non ſublevabili conſtitutis, ſuccurrere. *l. ſi quis à liberis in Principio ff. de Liberis agnoſcendis, & l. 1. 2. & ſeqq. C. de alendis Liberis l. Filia tua C. de Patria poteſtate.*

504 Præter enumeratos, & vel ex propria, vel aliena culpa dicto modo incapaces ſucceſſionis hæreditariæ, adhuc ſunt alii, qui Lege præcisè pœnali, non autem irritante, adeòque primùm per ſententiam judicis, jure ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato ſuccedendi privantur. Primò, qui Cardinalem S. R. E. hoſtiliter ſunt perſecuti, vel ad ejuſdem hoſtilem perſecutionem cooperati *cap. Felicis de Pœnis in 6.*

Secundò, qui teſtatorem, vel inteſtatum interfecerunt *l. cùm ratio §. 4. ff. de Bonis damnatorum*, imò qui tantùm negativè ad mortem illius concurrerunt, non ſuccurrendo, cùm facilè poſſent *l. indignum ff. de his, quæ ut indignis*: quòd ſi tamen teſtator ante mortem injuriam remittat, reumque hæredem, vel inſtituat, vel teſtamentum, cùm poſſet, non immutet, poterit inſtitutus, niſi aliundè excludatur, ad hæreditatem admitti. *l. ult. C. de Revocandis donationibus*. Tertiò, quia interfectorem teſtatoris cognitum ſibi, ſi is erat de familia hæredis (nec tamen ejus Pater, aut filius) ante apertum teſtamentum (niſi propter cognoſcendum hæredem fuerit aperiendum) & ante aditam hæreditatem non accuſat, punitionemque expectat. *l. penult. C. de his, quibus ut indignis, & l. 3. §. quod ad cauſam, & ſeqq. ff. ad S.C. Syllaniano*, vel ſi is non erat de familia hæredis, qui ſaltem poſt aditam hæreditatem accuſationem non intentat, ac perſequitur uſque ad punitionem interfectoris. *l. hæredes C. de his, quibus ut indignis, & l. hæredem ff. eod.* Quartò, qui defunctum vi, aut fraude prohibuit condere, vel immutare teſtamentum *Authent. ut nulli Iudicium 134. cap. & hoc pervenit*. Quintò, qui uſque ad ultimam Sententiam iniquè oppugnavit teſtamentum *l. alia cauſa C. de his quibus ut indignis*. Sextò, qui teſtatori ſaltem tacitè extra teſtamentum, vel codicillum roganti promiſit, ſe reſtituturum hæreditatem, aut partem illius filio illegitimo, vel alteri, quem teſtator prohibitus eſt inſtituere *l. 3. in Principio, & §. cum ex cauſa, & l. penult. ff. de Iure fiſci*. In his caſibus poſt latam ſententiam hæreditas devolvitur ad fiſcum; fiſcus tamen recipit obligationem exſolvendi debita defuncti, juxta vires hæreditatis *l. non poſſunt ff. de jure fiſci*, & exequendi omnia legata *l. dicitur ff. eodem*; niſi iis traditis non ampliùs remaneret fiſco quarta pars totius hæreditatis; hanc enim inſtar hæredis inſtituti detrahere poteſt *l. Marcellus §. ult. ff. ad S.C. Trebellianum*. Septimò ſi is, cui hæredes ſuccedunt, mente captus, vel furioſus fuit, illique hujus curam neglexerunt, hereditas devolvitur ad extraneum, qui ejus curam geſſit *Authent. ut cùm de Appellatione cognoſcitur 115. cap. 3. §. ſi quis de prædictis*: ſi nullus curam geſſit, teſt. Mol. *diſp. 176.* in cauſa duodecima exhæredationis, hæreditas per ſententiam judicis fiſco applicanda eſt, quod colligit ex *l. 3. ff. de his, quæ ut indignis*. Octavò, ſi hæredes 18. ætatis annos egreſſi neglexerunt in captivitate defunctum redimere, hæreditas captivorum redemptioni per Epiſcopum proprium defuncti applicanda eſt. *Authent. ut cùm de Appellatione c. 3. §. ſi unum de prædictis.*

ARTICULUS VI.

Quo Ordine Hæredes ab Inteſtato ſuccedant defuncto.

S V M M A R I V M.

505 *Gradus Conſanguinitatis in Succeſſione hæreditatis non ſecundum Formam, in contrahendis matrimoniis obſervandam, computandi ſunt: ſed ſecundùm formam Iuris Civilis, etiam ab Eccleſiaſtico receptam.*

506 *Ab inteſtato primi ſuccedunt liberi ſuis parentibus, & uno eorum priùs mortuo, in ejus locum ſuccedunt nepotes ab illo relicti, in avi hæreditatem cum liberis: ſed nepotes cum immediato deſcendente, ſi ſaltem unus ſuperſit, ſuccedunt tantùm in ſtirpes, non in capita.*

507 *Quomodo deficientibus deſcendentibus ſuccedant proximi aſcendentes, & cum his ex eodem Patre, & Matre geniti fratres, ac Sorores defuncti.*

508 *Quomodo in defectum deſcendentium, & aſcendentium ſuccedant ex linea tranſverſa proximi conſanguinei uſque ad decimum gradum, & quidem primò Fratres, ac Sorores ex eodem patre, & matre, & in horum vicem, ipſorum filii, & filiæ ante fratres, & ſorores defuncti, duntaxat ex eodem patre, vel eadem matre deſcendentes.*

509 *Poſt utrinque conjunctos Fratres, & Sorores, eorumque liberos, ſuccedunt, ex una tantùm parte conjuncti fratres, & ſorores, & in horum defectum eorum liberi.*

510 *In locum prædictorum ſuccedunt alii proximi conſanguinei uſque ad decimum gradum ſecundum computationem Iuris Civilis.*

511 *Quomodo conjuges ſibi mutuò ſuccedant.*

PRo continuatione, & integritate Doctrinæ circa 505
poteſtatem ſuccedendi traditæ, explicandus etiam eſt ordo Succeſſionis hæredum ab inteſtato, qui cùm in graduum conſanguinitatis ſerie potiſſimùm fundetur, ſciendum eſt, gradus lineæ tranſverſæ, ſeu conſanguineorum collateralium non computari more juris Canon. in contrahendis Matrimoniis obſervando, ſed more juris civilis, in ordine ad ſucceſſiones hæreditarias, etiam à Jure Eccleſiaſtico recepto, juxta quem gradus diſtantiæ utriuſque collateralis à communi ſtipite per additionem unius numeri ad alterum connumerantur, ita ut fratres duobus, Patruus, & nepos ex fratre tribus, patrueles quatuor gradibus inter ſe diſtent, quia ſinguli fratres, & patruus uno, nepos verò, & uterque patruelis duobus gradibus diſtant à communi ſtipite.

Quando itaque quiſpiam ſine omni, aut ſine valido 506
teſtamento deceſſit, ſive quia non habuit teſtamenti factionem activam, ſive quia non fecit, (quorum prior dicitur impropriè, poſterior autem propriè inteſtatus decedere *l. 1. ff. de ſuis, & legitimis.*) Primò *juxta Novell. 118. cap. 1.* ad hæreditatem vocantur legitimi filii, & filiæ, ſive ſui juris ſint, ſive non, qui in capita ad portiones æquales ſuccedunt; uno autem eorum mortuo, portio illius ad hujus deſcendentes transſertur; unde nepotes ad hæreditatem avi non in capita, ſed in ſtirpes admittuntur cum immediatè deſcendentibus, quia perſonam Parentis repræſentant, quamvis immediatoribus deſcendentibus omnibus mortuis probabiliùs proprio jure, & ſic non in ſtirpes, ſed in capita hæreditatem capiant. Dixi *uno eorum mortuo*: nam ſi ſolùm repudiet hæreditatem, negat Covar. *de Succeſſionibus ab inteſtato num.* 10 & 11. Bart. Ant. Gomez, Mol. *diſp. 164. concl. 8* aſſerens etiam communiter negari, quòd filii repræſentent perſonam repudiantis hæreditatem, proindè dicunt, ejus portionem accreſcere aliis hæredibus immediatis, ut colligitur ex *l. 1. §. 8. de Suis, & legitimis hæredibus*, quæ lex non tantùm non videtur eſſe correcta, ſed potiùs confirmata per legem *Defunctis C. de Legitimis hæredibus*. Et ratio ulterior eſt, quia hoc ipſo, quòd principalis nolit adire hæreditatem, neque alius videtur illius nomine poſſe adire, ergo nemo poteſt repræſentare ejus perſonam ad hæreditatem adeundam, ſed vel proprio majoris propinqui-

pinquitatis jure ad ipſum devoluto, vel nullo jure poteſt adire.

507 Secundò deficientibus legitimis deſcendentibus *juxta cit. Novell.* 118. *cap.* 2 Succedunt proximi aſcendentes, quorum unico ſuperſtite omnes remotiores excluduntur, neque ipſis conceditur repræſentatio proximioris, ſicut nepotibus. Cum ipſis autem aſcendentibus, ſuccedentibus in capita, ſi immediati ſunt, vel in ſtirpes, ſi mediati, admittuntur etiam fratres, & ſorores, ex utroque parente cum defuncto conjuncti, & actu exiſtentes; horum enim repræſentatio non conceditur eorum filiis ad hæreditatem cum aſcendentibus dividendam, niſi (*ut juxta Novell.* 127. *c.* 1. quoad hoc correctoriam prioris *Novellæ* 118. *verſu. Si autem cum fratribus* excipiendum eſt) præter aſcendentes adhuc vivat alius frater, aut ſoror defuncti, retinens quaſi jus ſuccedendi penes lineam tranſverſam; ne ad ſolos aſcendentes tranſeat. Licèt autem contra Bart. *l. poſt dotem C. Soluto Matrimonio ex cit. Novella* 118. *cap.* 2. probabiliùs colligatur cum Fachineo Harbrecht, & Hunnio relatis, & approbatis à R. P. Chriſtophoro Haunoldo *in theſib.* §. 13. *num.* 6 & cum Mol. *diſp.* 163. quòd nulla facienda ſit diſtinctio bonorum, ut aſcendentes Paterni ſuccedant ſoli in bonis ex eorum linea in defunctum derivatis, & Materni in bonis ex ſua linea provenientibus, ſi tamen Pater, vel Mater ante, ut poſt obtentam hæreditatem filii tranſiret ad ſecundas Nuptias, tunc Mater bona Paterna, vel Pater bona materna cogeretur poſt mortem ſuam relinquere fratribus, aut ſororibus defuncti filii, ſi ſaltem aliquis eorum, & non ſoli nepotes ex ipſis ſuperſtites ſint, ut conſtat ex *l. Fœmina* §. *ult.* & *ex Authent. ibi ſubjunctis C. de Secundis nuptiis*. vel niſi ex teſtamento defuncti, ſi is teſtari potuit, & non tantùm ab inteſtato ad ſecundas nuptias tranſiens hæreditatem adiviſſet, ad quam ſicut alius extraneus, ſi teſtator habilis eſt, adeòque ſine omni onere inſtitui poteſt. *Authent. ex Teſtamento C. de Secundis nuptiis*. Cui non obſtat *lex Fœminæ*, in qua Mater ad ſecundas nuptias tranſiens, jubetur bona mariti, ſive ex teſtamento, ſive alio modo acquiſita filiis ex eodem Matrimonio ſupervivientibus reſtituere, conceſſo ipſi ſolo Dominio ad dies vitæ abſque facultate alienandi in perſonam extraneam: nam hæc lex eſt ſpecialiter facta in gratiam defuncti conjugis, ut vidua à ſecundis nuptiis abſtinens in honorem illius continentiam ſervet, unde non reſtringit ejus poteſtatem perfectè teſtandi.

508 Tertiò, nec legitimis deſcendentibus, nec aſcendentibus ullis ampliùs extantibus ad hæreditatem veniunt proximiores conſanguinei collaterales uſque ad decimum gradum incluſivè (loquendo de hæreditatibus communibus, nam in feudis ſolùm uſque ad ſeptimum gradum, in majoratibus autem indefinitè uſque ad quemque ſucceditur) ſive ſint agnati id eſt, conſanguinei ex parte Patris, ſive cognati, id eſt, conſanguinei ex parte Matris, quia conceſſo æquali jure ſuccedendi fœminis, & maribus in *Authent. de Hæredibus ab inteſtato ve.* ſublatum etiam eſt agnationis, & cognationis diſcrimen, & vis juris antiqui, agnatis uſque ad decimum, cognatis uſque ad ſextum, vel quandoque uſque ad ſeptimum gradum concedentis ſucceſſionem. Inter conſanguineos itaque laterales in prædicta Authent. primi ad hæreditatem vocantur ex utroque parente conjuncti fratres, & ſorores in capita, & in horum defectu eorum filii in ſtirpes: licèt enim iſtis non concedatur repræſentatio Patris, aut Matris adverſus defuncti aſcendentes, quando ex reliquis fratribus, & ſororibus eidem utrinque conjunctis nemo ſupereſt, ut antè dixi, conceditur tamen *in* §. *Hinc conſequens eſt* adverſus fratres, & ſorores ex uno tantùm parente conjunctos defuncto, ſcilicet vel conſanguineos tantùm ratione Patris, vel tantùm uterinos ratione ejuſdem Matris: unde iſti, quantumvis in ſecundo gradu attingentes defunctum, excluduntur à ſuis nepotibus relictis ex fratre, vel ſorore, originem trahente ab eodem Patre, & Matre defuncti: imò Laym. *cap.* 6. *num.* 3. refert conſtitutionem Carolinam 1529. Spiræ in comitiis editam, vi cujus nepotes ex fratribus, aut ſororibus defuncto utrinque conjunctis proprio jure, adeòque in capita ſuccedunt, ſi fratres ſuperſtites ex uno tantùm parente agnati, vel cognati ſint: unde multò magis, ſi etiam illi è vivis deceſſerunt, utrinque conjunctorum filii non in ſtirpes, ſed in capita vocandi ſunt, ut contra *Gl. Accurſii in Novell.* 118. *cap.* 3. § *ſi autem defuncto*. Bartolum *in l. poſt conſanguineos* §. *agnati* §. *hæc hæreditas ff. de Suis, & legitim.* & ut Mol. videtur *cit. diſp. poſt concl.* 7. contra communiorem Sententiam, docet ipſe Mol. Covarr. *de Succeſſionibus ab inteſt. num.* 8. & alia *Accurſ. Gl. Inſtit. de Legitima agnatorum Succeſſione* §. *Hoc etiam verbo ſuperſtites*, & conſtat ex ipſo textu §. *ſi plures*, & *ex l.* 2. §. *Hæc hæreditas ff. de Suis, & legitimis hæredibus l.* 12. *Tabularum v. illud procul dubio C. de Legitimis hæredibus*. Neque repugnat in materia de Succeſſione omnibus Juribus præferenda *Novell.* 118. quia illa loquitur de Succeſſione in ſtirpes, quando filii fratrum cum ſuis patruis ſuccedunt; pro noſtro autem caſu non eſt correctum ab illa jus antiquum, ſecundùm quod nulla dabatur repræſentatio fratrum. Alia adhuc ex prædictis infertur ſequela, nempè ſi filii fratrum utrinque conjunctorum excludant ab hæreditate fratrem defuncti ex uno parente conjunctum, multò magis excluſuros patruum, cùm huic ipſe frater à filiis excluſus præferatur.

Poſt fratres utrinque conjunctos, eorumque filios, 509 ac filias, ſi nullus ampliùs ſuperſit, ſubeunt in eorum vices, ac jura fratres (idem eſt de ſororibus.) conſanguinei, vel uterini tantùm, quorum repræſentationem, etſi aliqui putent, non concedi eorum filiis, ſed negari in *Novell.* 118. *cap.* 3. §. *hujuſmodi vero privilegium*, probabilius tamen judico, cum Laym. loc. cit. Mol. *diſp.* 114. *concl.* 5. *ex Authent. poſt fratres*. *de Legitimis hæredibus*, & multò magis ex *cit. Novell.* 118. *cap.* 3. colligi oppoſitum, quia in §. *Hujuſmodi vero privilegium* ſine diſcrimine fratrum, utrùm ex utroque, vel uno parente conjuncti ſint, inter quos tamen antè quoad jus ſuccedendi facta erat diſtinctio, ſubjungitur: *Hujuſmodi vero privilegium in hoc ordine cognationis* (collateralium, ſcilicet) *ſolis præbemus fratrum maſculorum, & fœminarum filiis, aut filiabus; ut in ſuorum fratrum jura ſuccedant*: & hæc univerſalis filiorum ex quibuſcunque legitimis fratribus acceptio quaſi repetitur, & renovatur ſequenti §. *Sed & ipſis fratrum filiis*. Aliud quoque diſcrimen, quod AA. adhuc quidem communiter obſervant in ipſis bonis, ut ſcilicet uterinus defuncti præferatur ejus fratri conſanguineo ex Patre in bonis maternis, & conſanguineus uterino in bonis paternis, in reliquis verò aliundè acquiſitis ſint æquales, prout habetur in *l. de Emancipatis filiis C. de Legitimis hæredibus*, videtur planè ab eadem Novella *cap.* 3. ſublatum eſſe, ſicut ſublatum eſt diſcrimen ſexus, quoad jus ſuccedendi: nam expreſsè abſque reſtrictione ad bona, hæc univerſalia verba leguntur: *In ſecundo ordine illos fratres ad hæreditatem vocamus, qui ex uno parente conjuncti ſunt defuncto, ſive per patrem ſolum, ſive per matrem*. Hanc ergo præcedentis Legis correctionem obſervavit Hunnius, & Bachovius, quos ſecutus eſt R. P. Haunoldus *in th.* §. 13. *num.* 11.

Fratribus, eorumque filiis proximi conſanguinei, 510 & cognati uſque ad decimum gradum, ſecundùm computationem juris civilis ſubrogantur, abſque diſcrimine antè in fratribus obſervato, v. g. utrùm patruus, vel avunculus defuncti ex utroque, aut ex uno tantùm generante patris, vel matris frater fuerit. Unde ſi defuncti Pater duos fratres habuit, unum ex eodem Patre, & Matre, alterum verò ex ſolo Patre, vel ſola Matre eadem, nihilominus iſte ſuccedit æquali jure cum illo etiam ſupervivente, eo verò non ſupervivente, neque alia perſona æquè propinqua, ſolus ſuccedit, etiamſi ex defuncti fratre utrinque conjuncto nepotes ſuperſint. Ratio eſt, tum quia duplex conjunctio ſimplici ſolùm in fratribus, eorumque filiis à jure præfertur, adeòque in aliis conſanguineis non eſt requirenda: tum quia repræſentatio proximi hæredis, nempè fratris defuncti conceditur in *Novell.* 118. §. *Hujuſmodi vero privilegium* ſolùm filiis fratrum, non autem nepotibus, adeòque hi primùm, poſtquam ſublati ſunt propinquiores conſanguinei ex proprio jure, & in capita ſuccedunt, à patruo autem tanquam viciniore excluduntur, ut patet ex *Authent. poſt fratres, fratrumque filios C. de Legitimis hæredibus*.

Omnibus conſanguineis uſque ad decimum gradum 511 incluſivè morte ſublatis, aut inhabilibus redditis, nulloque

loque ante mortem divortio conjugum facto, uxor marito, & viciſſim maritus uxori ſuccedit in omnibus bonis *l. unica C unde vir, & uxor, & l. Vnica ff. eodem.* Imo ſi maritus uxorem ſine dote ſuſceptam, & aliundè non habentem, unde vivat, cum Liberis poſt ſe relinquat, cum illis uxor (idem ſtatutum eſt de marito) ſuccedit in quarta bonorum, quando liberi non ſunt plures, quàm tres, aliàs ſuccederet etiam in capita ad partem virilem, ſeu æqualem, donec portio illius non ſuperaret centum libras auri) continet autem libra auri 72. ſolidos *l. Quotieſcunque C. de Suſceptoribus, & arcarius*) debet tamen uxor portionem ſuam Liberis ejuſdem Matrimonii poſt mortem cedere, ſi ſuperſint, ſolo uſufructu contenta, & hanc portionem ingreditur etiam legatum, ſi maritus hujuſmodi tranſcripſerit ante ſuam mortem. Habentur hæc in *Authent. 53. de Exhibendis reis cap. 6. & Authent. 117. Vt liceat matri, & aviæ c. 5.*

Prædictis hæredibus omnibus deficientibus hæreditas Laici devolvitur ad fiſcum ſæcularem, Clerici ad fiſcum Eccleſiaſticum, *l. Vacantia C. de Bonis vacantibus.* Si autem defunctus ſit peregrinus in hoſpitali ſine teſtamento obiens, bona ejus mobilia ibi reperta per Epiſcopum loci ſunt diſtribuenda ad pias cauſas *Authent. Omnes peregrini C. Communia de Succeſſionibus.*

ARTICULUS VII.

De Exhæredatione.

SUMMARIUM.

512 *Referuntur 14. Cauſæ, quarum ſingulæ ſufficiunt, ſi in teſtamento expreſſæ, & vel à teſtatore, vel ab hærede probatæ fuerint, ut hæres neceſſarius legitimè exhæredetur.*

513 *Præter prædictas 14. Cauſas probabilius nulla alia ſufficit ad validam exhæredationem.*

514 *Cauſa exhæredationis non expreſſa, nequit propter illam hæres neceſſarius à teſtamento, vel ab hæreditate excludi.*

515 *Cauſa exhæredationis per pœnitentiam exhæredati vim ſuam non amittit.*

516 *Amittit tamen per datam veniam, & remiſſionem.*

512 EXhæredati illi dicuntur, qui cùm juxta Leges in portione legitima ſuprà deſcripta hæredes inſtitui deberent, in teſtamento expreſſa, atque à teſtatore, vel ab hærede ſufficienter probata aliqua ejuſmodi cauſa, quales in *Authent. Vt cum de appellatione cognoſcitur* 115. percenſentur, vel poſitivè, ac directè ab hæreditate repelluntur, vel ut contra Bart. & multos alios oſtendit Mol. *diſp.* 175 ſaltem ſignificantur præteriri; ſic enim *in cit. authent. cap. 3. In principio* habetur: *Sancimus igitur, non licere penitus, aut exhæredes in teſtamento facere niſi forſan probabuntur ingrati, & ipſas nominatim ingratitudinis cauſas parentes in ſuo inſeruerint teſtamento.* Undè ergo ex oppoſito colligitur; quòd ſi cauſa probata, & expreſſa fuerit, præteritio, & directa exhæredatio eundem effectum habeat, uti etiam manifeſtum eſt *ex cap. 4. §. Et hæ quidem exhæredationis.*

Neceſſe eſt itaque breviter enumerare cauſas, ob quas filii à parentibus exhæredari poſſunt *juxta cit. Novell. cap.* 3. Prima. Si quis parentibus ſuis manus intulerit, intellige, per violentiam graviter injurioſam, qualis nimirum requiritur ad excommunicationem iniicientis manus in Clericum. Secunda. Si gravem, & inhoneſtam injuriam eis ingeſſerit, v. g. contumeliam, quæ conſiderato ſtatu perſonarum, & aliis circumſtantiis ſecundùm prudens judicis arbitrium gravis cenſeretur. Tertia. Si eos in criminalibus cauſis accuſaverit, quæ non ſunt adversùs Principem, vel Rempublicam, extendit hanc cauſam Covar. *cap. Raynutius in principio num.* 10. etiam ad teſtem non coactum contra parentem in hujuſmodi crimine, quod ſaltem exilio perpetuo, membri amiſſione &c. puniendum eſſet. Quarta. Si cum maleficis hominibus, ut maleficus verſatur, quod intellige collectivè. Quinta. Si vitæ parentum ſuorum per venenum, aut alio modo inſidiari tentaverit: quod Covarr. *loc. cit. num.* 13. explicat cum hac limitatione, niſi pœnitentia ductus, antequam ſcelus detegeretur, deſtitiſſet, & cum hac extenſione, ut etiam moraliter tantùm cooperantem, aut venenum in hunc finem parantem comprehendat. Sexta. Si novercæ ſuæ aut concubinæ Patris filius ſeſe immiſcuerit: quod intellige juxta jura de unica ad corporis uſum domi retenta, & à filio agnita, idque multò magis de propria Matre accipiendum eſt. Septima. Si delator contra parentes filius extiterit, & per ſuam delationem gravia eos diſpendia ſecerit ſuſtinere: intellige in ſenſu collectivo de judiciali delatione, & de diſpendiis honoris, vel bonorum temporalium actu ſecutis, in quo differt iſta à tertia cauſa, non exigente, ut damnum in bonis corporis actu ſequatur. Octava. Si filius (excipitur tamen filia, etiamſi dicas, fœminas ex Privilegio Vellejano fidejuſſores eſſe poſſe) pro perſona, aut debito Patris in vinculis detenti rogatus, & idoneus fidejuſſionem præſtare recuſaverit. Nona. Si quis priùs volentem facere, vel immutare teſtamentum violenter, aut dolosè impediviſſe comprobetur, v. g. remorando tabellionem, vel teſtes: quòd ſi nec poſtea teſtamentum facere, aut immutare parens potuerit, portio ſic impedientis ad fiſcum devolvitur, & paſſis damnum tenetur in duplum *Authent. Vt nulli judicum* 134. *cap. 3. & hoc pervenit*, ſi autem ſolvendo non ſit, debet ſaltem ex hæreditate illis tantùm reſtitui, quantùm conſtiterit, defunctum ipſis voluiſſe pro parte hæreditatis, aut legati aſſignare, ut patet ex primò *cit. Nov.* 115. Decima. Si præter, id eſt, contra voluntatem parentum arenariorum, vel mimorum munus quis ſuſceperit, & in eo permanſerit. Undecima. Si filia, aut neptis potens impetrare maritum, & competentem dotem ante 25. annum completum luxurioſam degere vitam elegerit (id eſt, non tantùm occulta, ſed publica, & communis meretrix fuerit) vel invitis parentibus ante, ut poſt 25. annum mancipio nupſerit. Duodecima. Si filius, aut filia parentis furioſi (intellige probabiliter quomodocunque mente capti) curam neglexerit, poteſt ſibi reſtitutus tam ingratam prolem exhæredare. Decima tertia. Si filius, aut filia 18. ætatis annos egreſſa parentem à captivitate redimendi moram fecerit, pro qua redemptione conceditur ipſi poteſtas celebrandi firmum contractum venditionis bonorum tam immobilium, quàm mobilium. Decima quarta. Si à fide Catholica parentum quiſpiam defecerit; ad eam tamen redeunti pars competens ab hæredibus erit reddenda ſine compenſatione damni interea tolerati.

Cauſæ, ob quas ſi eæ expreſſæ, & probatæ fuerint, aſcendentes à deſcendentibus bonorum teſtamento diſponibilium exhæredes fieri poſſunt, in prædicta *Novell. cap* 4. ſtatuuntur ex enumeratis ſequentes, nempè tertia, quinta (extendendo eam etiam ad machinationem necis, quàm ex aſcendentibus unus alteri conjungi intentaverit.) Sexta (ubi pro noverca conjux intelligenda eſt.) Nona, duodecima, decima tertia, decima quarta. Atque hæ cauſæ ſicut ſufficiunt ad repellendum aſcendentem, vel deſcendentem ab hæreditate, ſic etiam ſufficiunt ad neganda alimenta ſupra ſimpliciter neceſſariam vitæ ſuſtentationem, & ad negandam dotem filiæ, aut nepti, ut colligitur ex *l. ult. C. de Alendis liberis l. Si quis a liberis §. idem Iudex ff. de agnoſcendis, & alendis liberis.*

Circa recenſitas exhæredationis cauſas quæritur primò, an præter illas 14. ob aliam cauſam æquè gravem, 513 vel graviorem, liceat parenti exhæredare filium; affirmat communis ſententia nominatim Covar. *cap. Raynutius de Teſtam. num.* 16. Jul Clar. *q.* 41. Emmanuel à Coſta §. *& quid ſi tantùm p. 3. à num.* 173. Carol. Mol. *l. 1. de primog. c. 9. à nu.* 32. Probabiliùs negat Hoſtienſis, Alexander, quos ſequitur Mol. *diſp.* 176. omiſſis autem cæteris rationibus, quas citatus Author optimè adducit, nobis ſufficiat textus *Novell.* 115. *cap. 3. In principio*, ubi dicitur: *neceſſarium eſſe perſpeximus, eas* (cauſas) *nominatim præſenti Lege comprehendere, ut præter ipſas nulli liceat ex alia Lege* multò magis omiſſas omni Lege) *ingratitudinis cauſas opponere, niſi quæ in hujus conſtitutionis ſerie continentur.* Unde idem videtur dicendum de cauſis exhæredandi aſcendentem, ita ut neque propter reliquas, quæ ex prioribus quatuordecim omiſſæ ſunt, liceat exhæredare; aliàs opus non fuiſſet aliquas ſpecialiter repetere, & aliàs omittere.

514 Quær. 2. Utrum teſtatore per mortem prævento propter cauſam aliquam ex prædictis ſufficienter probatam liceat hæredibus reum ab hæreditate excludere. Reſp. Negativè, cùm neque Pater poſſit, niſi expreſſa cauſa in teſtamento, ut patet ex *cit. Authent.*

515 Quær. 3. An cauſa exhæredationis per pœnitentiam delinquentis vim ſuam omittat. Reſp. Contra Panorm. Sylv. & plures alios cum Covar. *in c. Raynutius n.* 18. *&* 19. negativè; quia pœnitentia valet tantùm in foro interno, non externo: ex ſpeciali tamen privilegio vim ſuam amittit per profeſſionem religioſam *juxta cap. ult.* 19. *q.* 3. *& conſtitutionem Novell.* 123. *cap.* 41. tametſi hæc in aliquibus codicibus non reperiatur.

Quær. 4. An ſicut tacitè, vel expreſsè remiſſa exhæredationis cauſa probabiliùs Pater non poteſt ampliùs exhæredare filium, quia deficit cauſa, ſic, ſi poſt factam exhæredationem culpam ingratitudinis remittat, teſtamentum annuletur propter ſupervenientem defectum cauſæ. Affirmat Bartol. *l.* 3. *ff. de Adimendis legatis*, diſtinguit Covar. *cap. Raynutius à nu.* 27. affirmans in expreſſa, negans in tacita remiſſione; abſolutè negat Mol. *colum.* 731. ſed propter querelam inofficioſi peti poſſe reſciſſionem; rationem autem abſolutæ negationis reddit ex *l. Filio, quem Pater ff. de Liberis, & poſthumis*, ubi exhæredatio filio emancipato expreſsè dicitur exhæredato adhuc nocere, etiamſi culpa per adoptionem in filium remittatur; verùm reſponderi poſſet, ex ratione immediatè ſubjuncta, ideò nocere, quia cùm ad valorem adoptionis requiratur, ut adoptatus non ſit filius naturalis, ſed extraneus, ideò per adoptionem invalidam non cenſeri etiam tacitè remiſſam cauſam exhæredationis: undè ergo inclino in primam ſententiam Bart. quia ſicut, ut exhæredatio initio ſit valida, requirit exiſtentiam cauſæ, ſic etiam ut perſeveret eſſe valida, videtur requirere perſeverantiam cauſæ.

ARTICULUS VIII.

De Aditione Hæreditatis.

SUMMARIUM.

516 *Intra quale tempus hæreditas vel adeunda, vel repellenda ſit: & quomodo cum beneficio inventarii adire poſſit.*

517 *Quos Inventarium pariat effectus.*

518 *An qui ſine Inventario adivit hæreditatem, in conſcientia teneatur ad onera, vires hæreditatis excedentia.*

516 Circa aditionem hæreditatis *in l. ult. C. de Iure deliberandi* ſequentia ſunt conſtituta, ſcilicet ut hæredes ſive ab inteſtato, ſive ex teſtamento vocati poſt apertas tabulas teſtamenti, vel cognitam ſuccedendi facultatem, hæreditatem aut intra trimeſtre ſpatium adeunt cum onere ſolvendi omnia debita, & expenſas funebres defuncti, omniaque legata, ac fideicommiſſa exequendi, aut apertè eidem renuntient, ſi viderint totum aſſem impoſito oneri non ſufficere. Quia verò antiquo jure majus deliberandi ſpatium, & quidem eodem jure Codicis *tit. eod. l. Cum antiquioribus* integer annus concedebatur ad cavendum damnum hæredis, qui poſt aditam hæreditatem tanquam eadem cum defuncto perſona obligabatur omnibus ejus creditoribus, ita ut de proprio Patrimonio, niſi militis privilegio fuerit exemptus, illis ſatisfacere debuerit, quando tota hæreditas non ſufficiebat; ideo ut & huic periculo hæredis proſpiceretur, & ſimul aliud periculum caveretur, quo facilè fieri poterat, ut hæredes ex bonis toto deliberandi tempore penes ſe detentis aliqua ſubducerent, atque occulerent (quæ quidem deprehenſa fraude in duplum reſtituere poſt judicis ſententiam deberent) & deinde hæreditati velut inſufficienti ad onera hæreditaria ſubeunda renuntiarent, utrique alio remedio, cæteris hominibus æquè, ac militibus beneficio conſultum eſt; ſtatuendo nimirum, ut intra triginta dies poſt cognitam vocationem ad hæreditatem hæres inventarium, id eſt, conſcriptionem omnium bonorum poſt mortem defuncti inventorum incipere facere, & intra alios 60. dies, ſi bona erant præſentia, vel intra annum, ſi erant longè diſſita, illud abſolveret, quo præſtito ſecundùm communiorem ſententiam teſte Alvaro Valaſco, nec improbante Mol. *diſp.* 218. ſatisfit Legi quoad ſubſtantiam, etiamſi intra præſcriptum tempus non fuerit inceptum, ſicut etiam ſi ſignum crucis hæredis manu, uti præcipitur, principio inventarii non fuerit præfixum; quia idem finis obtinetur, & levis ſolemnitatis neglectus non vitiat actum, *l.* 1. *§. ult. ff. de inſpiciendo ventre*. Requiritur tamen etiam citatio creditorum, & legatariorum, qui in dicta Lege nomine perſonarum neceſſariarum intelliguntur, ut de legatariis, vel eorum procuratoribus, aut in abſentis vicem tribus teſtibus adhibendis ſignificatur in *Authent. de Heredibus, & Falcidia cap.* 2. *§. Fiat igitur*; quod multò magis de creditoribus vocandis, velu.i expreſsè ſtatutum eſſet, ſupponendum eſt; quia horum ad evitandum damnum, illorum verò ad obtinendum lucrum intereſt, ut ſua præſentia fraudes impediant. Præterea exigitur præſentia Publ. Notarii, ſeu tabellionis, aut tabellionum, ſi præter ordinarium alius diverſus ſit neceſſarius, prout eſt, quando hæres propria manu nequit ſubſcribere, quemadmodum debet vel per ſe, vel per hujuſmodi alium præſentibus teſtibus, ſignificans, totam hæreditatis quantitatem in ipſo inventario expreſſam eſſe, & à ſe indiminutam ſervatum iri. Quòd ſi igitur hæres, vel hæredes juxta præſcriptam formam inventarium confecerint, conceduntur ipſis ſequentia privilegia.

Primò ut, licèt adierint hæreditatem, tamen nec le- 517
gatariis, nec creditoribus teneantur ultra vires hæreditatis ſatisfacere: undè licèt etiam aliquid de illius bonis abſque hæredum culpa deperierit, non tenentur ipſi tamen defectum compenſare. Secundò ut, ſi ſibi aliàs non remaneat quarta pars bonorum, poſſint à profanis legatis, ac fideicommiſſis detrahere Falcidiam. Tertiò, ut, ſi creditoribus, & legatariis ſecundùm vires hæreditatis bona fide ſatisfecerint, vel ad hunc finem etiam bona quædam vendiderint, neque ipſi, neque emptores bonorum à ſupervenientibus creditoribus præferendis conveniri, aut moleſtari poſſint; ſed actio contra legatarios, vel creditores poſtponendos, ſolummodo conceditur. Quartò, ut poſſint ex hæreditate deducere expenſas neceſſarias in funus, in inſinuationem teſtamenti, in confectionem inventarii, & alias hujuſmodi cauſas hæreditarias. Quintò, ut poſſint ſibi retinere ſolutionem ſuorum debitorum contra alios creditores, ſi aliàs ordine juris illis eſſent præferendi. Si autem hæredes inventarium ſtatuto tempore non fecerint, ſed fecerint tempore impetratæ prorogationis, hæreditatemque interea non expreſsè repudiaverint, tenentur omnibus creditoribus, etiam ultra vires hæreditatis ſatisfacere, quamvis non ultra eandem legata exequi debeant, imò etiam poſſint Falcidiam detrahere. Si denique neque inventarium compoſuerint, obligantur etiam ultra vires hæreditatis omnia debita, legata, fideicommiſſa, abſque privilegio detrahendæ Falcidiæ exſolvere, niſi hæreditati intra definitum tempus expreſsè renuntiaverint, qua renuntiatione tamen facta debent illam integram reſtituere hæredibus ipſorum loco venientibus, vel creditoribus ſecundùm eam æſtimationem, quàm emiſſione juramenti in litem recipientes comprobaverint, poſito quòd defuncti bona à renunciantibus fuerint occupata jure hæreditatis.

Hinc verò oritur gravis quæſtio, an qui neque fraude, 518
neque alia damnoſa negligentia commiſſa propter ſolum neglectum faciendi inventarii allegata juris conſtitutione jubentur dare creditoribus, vel legatariis ultra vires, aut veram æſtimationem hæreditatis, etiam in conſcientia ante ſententiam judicis ad hujuſmodi ſolutionem obligentur. Bartolus, & communior Sententia apud Covar. *c.* 1. *de Teſtamentis num.* 16. negat Paulus Caſtrenſis, & quidam alii ab eodem Covarr. relati affirmant: ipſe verò Covar. citans Aretinum affirmat, quoad ſolutionem debitorum, negat quoad ſolutionem legatorum, ac fideicommiſſorum, cui ferè aſſentitur Mol. *diſp.* 217. niſi quòd Covar. cum primis DD. neget, etiam poſt ſententiam judicis eſſe obligationem dandi aliis, quàm creditoribus ultra vires hæreditatis; cùm hujuſmodi obligatio unicè videatur fundari in ſuppoſitione fraudis, & occultationis quorundam bonorum ex hæreditate occupata ſubtractorum, & ſola obligatio ſolvendi

vendi creditoribus ſit per occupationem hæreditatis ex tacito pacto ſuſcepta, quod ipſum tamen pactum etiam neque quoad creditores à prima ſententia conceditur. Circa hanc itaq; opinionum diverſitatem fateor, quamlibet practicè probabilem, & tutam eſſe, ſpeculativè tamen loquendo exiſtimo, ſecundam, ſcilicèt affirmativam obligationis etiam in foro Conſcientiæ eſſe probabiliorem. Primæ quidem contra reliquas omnes concedo, per occupationem hæreditatis nullum ſuſcipi tacitum pactum cum creditoribus, vel etiam Legatariis, aut Fideicommiſſariis, præſertim ab ignaris conſtitutionum Juris poſitivi, & ſoli Juri naturali inſiſtentibus; quia hæres ſine eo habet Jus occupandi hæreditatem ſibi delatam, neque in citata Lege ullius fit mentio: quia tamen hæc, & proximè citandæ Conſtitutiones Juris non fundantur in ſuppoſitione actualis fraudis, ut prima ſententia, & Covarr. ſibi perſuadent, ſed propter avertendum fraudis periculum univerſale, & propter cavendam temeritatem, ac negligentiam hæredis abſque confecto Inventario adeuntis hæreditatem, juſtè & pro communi Bono utiliter ſancitæ ſunt, ideò videntur non minorem vim habere obligandi etiam in foro conſcientiæ, quàm Leges concedentes translationem dominorum, ac Jurium per legitimam Præſcriptionem, univerſaliter pro omni ſtatu hominum conſtitutæ, & ante ſententiam Judicis vigorem ſuum obtinentes, ne Jura, & Dominia rerum maneant diu incerta, & poſt longum tempus litigioſa, & ut homines in cognoſcendis, ac conſervandis ſuis Juribus reddantur diligentiores. Cùm enim paulò antè indicati, & *in l. ult. §. 12. & 14. C. de Jure deliberandi, & in Authent. de Hæredib. & Falcidia cap. 2.* expreſſi fines in Bonum univerſale omnium hominum ſimiliter cedant, neque proinde Conſtitutiones iſtæ purè pœnales ſint, quamvis etiam in pœnam temeritatis, ac negligentiæ dicantur latæ, ſed ſimul directivæ, præſcribentes formam ſecurè adeundi hæreditatem; ideò ſimiliter in foro conſcientiæ, & ante ſententiam Judicis obligant cujuſcunque ſtatus homines, alioquin etiam exemptos à Juriſdictione Civili coactiva, aut vindicativa: prout *in cit. Authent. cap. 4. §. 2.* expreſsè dicitur, non obſtantibus Militum, ac Clericorum privilegiis per verba illa: *Hæc omnia* (quæ ſcilicet de amittenda Falcidia, & ſolvendis debitis, ac legatis, neglecto Inventario, in præcedentibus capitibus ſtatuta ſunt) *obtinere ſimiliter, & ſecundum æquam obſervationem, & in ſcriptis teſtamentis, & in omni ultima voluntate ſancimus, & in omni perſona, ſive privata, ſive militari, ſive Sacerdotali, ſive Imperiali, ſive alterius cujuſlibet. Communem namque omnibus hominibus legem hanc ponimus.*

ARTICULUS IX.

De Tranſmiſſione, & Renuntiatione Hæreditatis.

SUMMARIUM.

519 *Quis ſit Hæres* Suus.
520 *Quomodo hæres Jure ſuitatis tranſmittat hæreditatem ad ſuos ſucceſſores.*
521 *Quomodo Jure ſanguinis tranſmittatur hæreditas.*
522 *Quomodo Jure deliberandi tranſmittatur hæreditas, & quamdiu illud duret.*
523 *An lex concedens annum deliberationi ſit revocata.*
524 *Quomodo Filius, aut Filia poſſit, vel non poſſit hæreditati renunciare.*

519 DE legatis quomodo tranſmittantur ad hæredes legatarii dixi in *art. 1.* hujus quæſtionis: hæreditatem autem nondum aditam, neque expreſsè repudiatam ad ſuos ſucceſſores tranſmittendi triplex jus diverſis legibus conceditur, nimirum jus Suitatis, jus ſanguinis, & jus deliberandi: jure Suitatis, à quo hæres ſuus dicitur, gaudet ille, qui tempore mortis ita in defuncti patria poteſtate exiſtebat (aut per nativitatem extiturus erat, niſi poſthumus eſſet *Inſtit. de Hæreditatibus, quæ ab inteſtato §. 3. in fine*) ut nullus alius priùs in eadem exiſtens interponeretur, ſic habetur *§. Sui §. Cæteri Inſtit. de Hæredum qualitate.* Undè infertur primò, nullum aſcendentem, vel collateralem, vel deſcendentem reſpectu Matris, aut avi materni poſſe eſſe hæredem ſuum ex defectu poteſtatis in illum. Infertur 2. nullum nepotem, aut neptem poſſe eſſe hæredem ſuum reſpectu avi, Patre, vel Matre ſua adhuc in ejus poteſtate exiſtente. Infertur 3. quamvis *juxta Authent. 118. de Hæredibus ab inteſtato venientibus cap. 4.* differentia inter filios ſuos, & emancipatos, aut ratione Matris avo materno cum ejus filiis hæredibus ſuis ſuccedentes ſublata ſit quoad jus ſuccedendi, ita ut in partibus æqualibus ſuccedant, & iiſdem remediis ad eas evincendas gaudeant, non tamen eſſe ſublatam quoad modum ſuccedendi, ut obſervat Covarr. *Regul. poſſeſſ. pa. 2. §. 5. num. 3.* Eman. à Coſta *cap. Si Pater p. 1. verbo habens nu. 24.* Mol. *diſp. 180.* & hoc teſte communis DD. Sententia; eò quòd prædicti hæredes non Sui ante aditam hæreditatem nondum ejuſdem Dominium habeant, proindè neque jure Suitatis, ſed tantùm jure Sanguinis, & jure deliberandi hæreditatem modo proximè explicando tranſmittant. Ex ſpeciali privilegio tamen non obſtante egreſſione ex Patria poteſtate jus Suitatis retinet Religioſus capax hæreditatis tranſmittendæ *l. Deo nobis 56. §. 2. C. de Epiſcopis, & Clericis*: item Clericus ad Epiſcopatum evectus *Novell. 81. cap. 2.* Idem privilegium permittitur filio adoptivo, ſi adoptanti, in cujus quidem Patria poteſtate non eſt, ab inteſtato ſuccedat; non verò ſi ex teſtamento *l. cum in adoptivis §. ſed ne verſ. & ideò Sancimus C. de Adoptionibus.*

520 Jure igitur Suitatis hæreditas nondum adita tranſmittitur ad hæredis ſucceſſores qualeſcunque, modò ille priùs eandem non repudiaverit *l. apud Hoſtes C. de Suis, & legitimis Hæredibus l. ſi fratris C. de Jure deliberandi.* Cujus ratio ulterior eſt, quia hæres ſuus cum eo, cujus eſt hæres, reputatur una perſona, & ante aditam hæreditatem ad ſe abſolutè (quo modo ſaltem legitima deferri debet) vel ſub conditione ante ſuam mortem impleta delatam (ea enim non impleta non tranſmitteretur hæreditas quoad exceſſum legitimæ conditionatè legatum) per ſolam mortem defuncti acquirit dominium hæreditatis, ut habetur *l. in ſuis, ff. de Suis, & legitimis Hæredibus, & l. in Suis ff. de Liberis, & poſthumis*: ergo hæres, ſicut alia jura, ſic etiam hæreditatem nondum aditam tranſmittit ad proprios hæredes, niſi eandem priùs repudiaverit, quæ negatio repudiationis quidem non ad acquirendum Dominium, ſed ad illud non perdendum, ſeu non alienandum neceſſaria eſt: Undè medio tempore, quo hæres Suus neque adit, neque reiicit hæreditatem, adhuc retinet ejuſdem Dominium, neque reſpectu hæredum ſuorum ſicut reſpectu extraneorum, dari poteſt hæreditas jacens, ut Bartol. & Mol. allegans communem ſententiam, clarè probat ex *l. Si poſt mortem in Princip. ff. de Legatis 1.*

521 Jure Sanguinis hæreditatem nondum aditam, ab aſcendentibus ſive per lineam paternam, ſive maternam provenientem hæres tranſmittit ad ſuos duntaxat deſcendentes, non autem ad aſcendentes, & collaterales *l. unica C. de His, quæ ante apertas tabulas*, quæ lex, licèt videatur tantùm concedere jus tranſmittendi hæreditatem ex teſtamento delatam, extenditur tamen à Gl. ibidem, & communi DD. Sententia etiam ad hæreditatem ab inteſtato devolutam, & ut obſervat Mol. ita univerſaliter intelligenda eſt, ut etiam ad deſcendentes illegitimos tam ſpurios, quàm naturales, ſecundùm eas portiones, in quibus iſti ſuccedere poſſunt, tranſmiſſionem hæreditatis indulgeat.

522 Jure deliberandi hæreditatem neque tacitè, vel expreſsè aditam, neque repudiatam, quilibet hæres, ſive deſcendens, ſive extraneus, ad ſuos quantumvis etiam extraneos ſucceſſores à *l. cum in Antiquioribus C. de Jure deliberandi*, eatenus tranſmittere finitur, ut intra annum, computandum à die, quo cognovit hæreditatem ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato ad ſe delapſam, quo adeòque temporis ad deliberandum conceſſi initium factum eſt, poſſint proprii hæredes ipſius relictam hæreditatem adire, ea verò non adita jus ad hæredes ab inteſtato, vel ad ſubſtitutos deferatur, quod ad eoſdem etiam deferendum Mol. *diſp. 180.* ex dicta Lege cum Anton. Gomez, *to. 1. var. reſol. cap. 9. à num. 51.* & communi ſententia ab eo allegata colligit, quando hæres aliàs tranſmiſſurus propter inexcuſabilem ignorantiam delatæ ſibi hæreditatis annum deliberandi ante ſuam mortem nondum inchoa-

inchoavit, ſi autem ignorantia rationabilis, præſertim in Reipublicæ utilitatem cedente cauſa, excuſabilis eſſet, ait, conceſſum iri hæredibus, beneficio deliberationis deſtitutis, privilegium reſtitutionis in integrum *l. Panonius in princ. ff. de Acquirenda hereditate, & l. 1. ff. Ex quibus cauſis majores.*

523 Quær. An prædicta lex concedens integrum annum deliberationis, etiamſi non petatur à principe, per *l. Ult. C. de Jure deliberandi*, non revocata ſit. Mol. *loc. cit. & Gl. ult. in hanc legem ultimam* docet, partim tantùm eſſe revocatam, quatenus nimirum §. 13. conceditur magiſtratui jus reſtringendi integrum annum ad 9. menſes, qua tamen reſtrictione ſecluſa, aſſerit, relinqui adhuc integrum annum deliberandi etiam non petentibus. Ego tamen puto, ſpectando Legis ultimæ §. 1. & 13. rigorem, revocari conceſſionem integri anni, quia in primo §. expreſsè trium menſium ſpatium determinatur, quo poſt cognitam vocationem ad hæreditatem, eam repudiare liceat: & §. 13. non conceditur poteſtas reſtringendi annum ad 19. menſes, ut vult contraria ſententia, aliàs major concederetur poteſtas magiſtratui, quàm ejus Principi, cui ibidem annus aſſignatur, quique proinde etiam fruſtra eidem aſſignatur, quia in ipſa *l. Cum in antiquioribus*: tempus deliberandi jam eſt reſtrictum ad unum annum, conceditur ergo poteſtas, tempus in §. 1. ad tres menſes reſtrictum rurſum extendendi ad novem menſes per magiſtratum, & ad integrum annum per Principem, cui proinde major poteſtas debetur.

524 De renuntiatione hæreditatis non multum dicendum occurrit: ſi enim fiat intuitu religionis ingrediendæ, patet ex dictis *art. 4.* quomodo functione Concilii *Trid. Seſſ. 25. cap. 16.* irrita reddatur: ſi autem non fiat intuitu religionis ingrediendæ, tunc iterum diſtinguendum eſt; vel enim fit à filio, aut filia adhuc vivente teſtatore obligato relinquere legitimam, vel fit eo mortuo: in primo caſu renuntiatio legitimæ, niſi juramento firmetur, ipſi teſtatori ſive gratis ſive non gratis præſtita, invalida eſt, ut conſtat ex *l. Pactum dotali C. de Collationibus l. Qui ſuperſtitis ff. de Acquirenda hereditate l. ult. de Suis, & legitimis heredibus. l. Si quando §. illud C. de Inofficioſo Teſtamento*, periculum enim eſſet, ne imprudenti amore parentum, & importunis eorum precibus, filii frequenter cum reipublicę damno hęreditariis bonis ſe privarent: alteri verò, quàm teſtatori præſtita ſine ejuſdem conſenſu iterum invalida eſt, & ſecundùm Baldum approbatum à Card *Tuſcho lit. T. concl. 151.* ac Palao *diſp. 21 de Juramento pu 9. §. 6. num. 4.* etiam illicita atque ad impediendam captationem mortis teſtatoris *l. Ult C. de Pactis* prohibita, adeoque juramento ſecundùm ipſos inconfirmabilis, de conſenſu autem teſtatoris rata habetur *citata Lege ult. & l. Si quando C. de Inofficioſo Teſtamento.* ubi duo etiam obſervantur, primò circa renuntiationem legitimæ eodem modo diſcurrendum eſſe in aliis perſonis, quibus querela inofficioſi teſtamenti conceditur, ſicut in filiis: ſecundò renuntiatione in alterius gratiam ex pacto facta ſive ante, ſive poſt mortem teſtatoris, convalidari teſtamentum inofficioſum, etiamſi nulla exhæredationis cauſa in illo ſit expreſſa, ut etiam advertit Jul. Clar. *q. 43.* Mol. *diſp. 175.* & hoc teſte AA. communiter, etiam propter legem *Non putavi §. Si quis ſua manu ff. de Bonorum poſſeſſione contra tabulas.* In ſecundo caſu, quo ponitur poſt mortem teſtatoris renuntiari hæreditati, quamvis antiquo jure non fuerit permiſſum hęredibus Suis abdicare ſe hæreditate Paterna, dictique fuerint hæredes neceſſarii, non tam quia neceſſariò ſcribendi, quàm quia etiam cogendi erant adire hęreditatem, & ſatisfacere creditoribus, poſteà tamen jure prætorio, ut habetur §. 3. *vers. Neceſſariis vero Inſtit. de Heredum qualitate*, omnibus permiſſum eſt, abſtinere ab hæreditate, cùm eadem ſe gravatos viderent.

ARTICULUS X.

De Executoribus Teſtamentorum.

SUMMARIUM.

525 *Quis, & quibus modis Executor teſtamenti conſtitui poſſit.*

526 *Quæ ſit obligatio ſuſcipiendi officium Executoris, & ad quem tråsferantur emolumenta, ſi is officium renuſet.*

527 *Intra quod tempus executio teſtamenti fieri debeat & quam pœnam executor negligens incurrat.*

528 *Quæ ſit executorum poteſtas.*

529 *Quando res legata a Teſtatore non fuit ſufficienter determinata, à quo, & quomodo in actuali executione ſit determinanda.*

530 *An, & quando, & à quo voluntas Teſtatoris mutari poſſit.*

SI à teſtatore, vel à Lege, vel à judice, nullus vel nulli executores conſtituantur, qui à triplici illa diverſitate conſtituentium, vel teſtamentarii, vel legitimi, vel dativi dicuntur, hæredibus incumbit executio cæterarum diſpoſitionum, exceptis legatis ad redemptionem captivorum, & ad ſuſtentationem pauperum, juxta *l. Si quis ad declinandam C. de Epiſcopis & Cleric. & Authent. 131. de Eccleſiaſticis titulis c. 11. §. Si quis autem pro redemptione*, quæ proinde legata Epiſcopo deberent tradi, ut ipſe ea diſtribui ſecundùm defuncti voluntatem curaret, ſi autem unus, vel plures conſtituti ſint executores, ſive univerſales, qui nimirum de tota hæreditate diſponant, eò quòd neque ab inteſtato, neque ex teſtamento aliquis particularis hæres, ſed ſolùm pia cauſa in genere nominata ſuccedat, ſive particulares, qui legata, fideicommiſſa, & ſimiles hæreditati annexas diſpoſitiones exequantur, tunc illis executoris poteſtas competit, niſi Lege prohibeantur, hoc officium in ſe ſuſcipere, uti prohibentur fratres minores *Clement. Exivi de Paradiſo § verum etiam de Verborum ſignificatione*, & cæteri Religioſi, quamdiu illorum Prelatus non prebet conſenſum *cap Religioſus de Teſtamentis in 6* ac denique quotquot 16. annum nondum compleverunt, *cap. Qui generaliter §. ult. de Procuratoribus in 6.* reliqui autem, etiam fœminæ, licèt ſint defunctorum uxores, ad ſecundas nuptias tranſgreſſæ, juxta *c. 3. de Teſtamentis* & *legem A filio in princ. ff. de Alimentis legatis* executores eſſe permittuntur, ſi velint id muneris in ſe ſuſcipere; non enim tenentur per ſe loquendo, niſi poſtquam illud acceptarunt, exercendo ejus actum, ut conſtat ex *cap. Joannes de Teſtamentis juncta Gl. verbo mandatum.* 525

Quòd ſi tamen quiſpiam officium recuſaret, hoc ipſo amitteret præmium, ſi quod à teſtatore ei ſub conditione, vel modo, tanquam executori eſſet aſſignatum, illudque vel executori ſubſtituto, vel aliis coexecutoribus cum laboris augmento accederet *l. Unica § ubi autem 11. C. de Caducis tollendis* vel in illorum etiam defectu ad hæredes reverteretur, & ſi neque rationabilis cauſa recuſantem à culpa ſaltem civili excuſaret, in pœnam privandus inſuper eſſet omnibus reliquis hęreditatis emolumentis, excepta ſola portione legitima, ipſi forſan tanquam hæredi neceſſariò debita: Cui verò illa emolumenta, nempè exceſſus ſupra legitimam, legata, fideicommiſſa &c. adjudicanda forent, ex judicis diverſitate decernendum eſt: quia enim, ut ultimæ voluntates executioni mandentur, eſt fori mixti, adeoque locus præventioni datur, & procuratio executionis, tam ad Epiſcopum ſpectat, ſaltem ſi hæres, aut legatarius eſt pia cauſa, ut patet ex *cap. Si hæredes, cap. Tua nobis, cap. Joannes de Teſtamentis, & ex Novell. 131. c. 11.* quàm ad magiſtratum ſæcularem, ut conſtat ex *Novell. 1. de Heredibus, & Falcidia cap. 1. §. Si quis autem* ubi magiſtratui ſæculari Imperator Juſtinianus modum procedendi in executione hæreditatis, & puniendis negligentibus præſcribit; ideo ſi cauſa ad forum Eccleſiaſticum ſit deducta, debent præter faciendam Dominis ſuis compenſationem damni, ex dilata executione emergentis, prædicta emolumenta per Epiſcopum, vel, ſi iſte negligens ſit, per Metropolitanum ad pios uſus applicari, ut ſtatuitur in *cit. Nov. 131. c. 11.* ſi autem ad forum ſæculare res ſit delata, debent eadem emolumenta hæreditati admiſceri, ut cit. *Novell. de Heredib. & Falcidia c. 1.* dicitur, quæ omnia ſub hac conditione intelligenda ſunt, niſi teſtator aliter ſuam voluntatem expreſſit. 526

Prædictam pœnam executores incurrunt, non tantùm ſi ſine rationabili cauſa executionem recuſent, ſed etiam ſi ultra præſcriptum tempus eandem ſemel, atque iterum ab Epiſcopo, vel Magiſtratu per publicas perſonas admoniti ex negligentia differant, ut ſtatuitur memo- 527

rato *cap.* 11. tempus verò præſcriptum illud eſt, quod vel teſtator determinavit, vel ſi indefinitè locutus eſt, quod à Lege, vel Judices fuit definitum: à Lege quippe pro diſpoſitionibus ad cauſas pias in *Novell.* 131. *cap.* 12. conſtituti ſunt ſex menſes à die factæ, &, ut Mol. *diſp.* 251. addit, etiam cognitæ inſinuationis teſtamenti, non computato tamen eo tempore intermedio, quo quis legitimè fuit impeditus: pro diſpoſitionibus profanis verò præfixus eſt annus in *Novell.* 1. *cap.* 1. § 1. ſed hæc temporis aſſignatio facta eſt tantùm pro foro externo, ut contra negligentem ad infligendam pœnam procedatur: in foro interno enim, ſi quis acceptato executoris munere, vel non procurato alio executore, abſque juſta cauſa executionem diſtulerit, peccat juxta proportionem damni, ex quacunque mora poſt aditam hæreditatem legatariis ac fideicommiſſariis illati, atque ex juſtitia illis compenſandi.

528 Quær. 1. Quæ ſit executorum poteſtas? Reſp. primò, poſſe agere adversùs hæredes, vel alios defuncti bonorum poſſeſſores ad implenda legata pia *juxta l. Nulli legem, ſi quis ad declinandam C. de Epiſcopis, & Clericis juxta Gl.* ad profana autem, neque ſibi, ſed aliis legata, licèt non poſſint agere *juxta l. Lucius §. Mævia ff. ad S. C. Trebellianum* poſſe tamen invocare officium judicis adversùs reſiſtentes ſuæ executioni *l. Hæreditas* 50. *ff. de Petitione hæreditatis.* Secundò ſi ſint executores univerſales, poſſe vendere bona defuncti, ut ejus voluntatem impleant. *L. Nulli C. de Epiſcopis, & Clericis*, ſecus, ſi ſint tantùm particulares *l. Alio ff. de Alimentis legatis.* Tertiò quando plures ſunt conſtituti, altero impedito, vel nolente executionem facere, poſſe reliquos exequi voluntatem defuncti *cap. Religioſus §. ult. de Teſtamentis in* 6. Quartò, poſſe relicta in eleemoſynas pauperum indeterminatorum (per quos, ut obſervat Laym. ex Palud. communiter non intelliguntur communitates ex ſtabilibus eleemoſynis viventes) illis diſtribuere, quibus ipſi volunt, modò diſtributio fiat in loco, ubi defunctus domicilium habuit, niſi illud ignoretur, vel multùm diſtet: *l. Si quis ad declinandam C. de Epiſcopis & Clericis*; tunc enim facienda eſt in loco, ubi mortem appetiit, *l. Nulli C. Eod.*

529 Quær. 2. Quando res legata à teſtatore non fuit ſufficienter determinata, à quo, & quo modo in ejus actuali executione ſit determinanda? Rectè obſervat Mol. *diſp.* 198. difficilem eſſe reſponſionem propter jurium, & juriſperitorum variationem; ipſe tamen multiplici diſtinctione utendo difficultatem non parùm videtur mitigare: Itaque tam ad rem legatam, quàm ad modum ligandi attendendo diſtinguendum eſt, an teſtator uſus ſit terminis generaliſſimis, qui etiam in re nullius momenti verificentur, vel an uſus ſit terminis certæ tantùm ſpeciei infimæ, vel ſubalternæ quidem, ſed utili ſolùm applicabilibus: ſi primum, quod tamen videtur vix unquam contingere, ut v. g legans in genere dicat: detur Petro res, vel aliquid: legatum eſt inutile, ac nullum, *l. Ita ſtipulatus* 155. *ff. de Verborum obligationibus*; quod etiam intelligendum eſt de numero, pondere, & menſura, generaliſſimè aſſignatis, v. g. ſi teſtator dicat; detur pecunia, lana, triticum, quæ voluntas in quavis minima quantitate impleretur, adeoque propter ſuam inæſtimabilitatem jure civili nulla eſt *l. Triticum* 94. *ff. de Verborum obligationibus.* Secundùm æquitatem Canonicam autem putat Laym. Pii viri arbitrio quantitatem utilem, & æſtimabilem dandam eſſe.

Si ſecundum, iterum diſtinguendum eſt, an res ſit naturalis, vel arte facta, & an teſtator verbis ad legatarium, vel ad hæredem, aut executorem directis voluntatem ſuam expreſſerit; ſi ergo res eſt naturalis, adeoque à natura perfectionis ſuę limites habens, v. g. ſi legetur pecus, jumentum, vel bos in ſpecie, tunc ſi in Patrimonio teſtatoris extet hujuſmodi legatum, ſecundùm gradum bonitatis infimum, meliorem, & ſummum, & verba ad legatarium ſint directa: v. g. lego Petro bovem; electio eſt penes legatarium, modò non eligat optimum *l. Legato generaliter ff. de Legatis* 1. *§. Si generaliter* 23. *Inſtit. de Legatis.* Si autem in nullo gradu bonitatis extet res legata in Patrimonio teſtatoris, legatarius nullum habet jus eligendi, hæres tamen debet emere rem non infimæ bonitatis *l. Hujuſmodi §. Si cui homo juncta Gl. ff. de Legatis* 2. *& alia Gl. in l. Si quis argentum C. de Donationibus.* Si in duplici tantùm gradu bonitatis, res extet, legatarius verbis ad ipſum directis inſtitutus poteſt eligere meliorem, adeoque comparativè optimam *l. Qui duos ff. de Legatis* 1. Si unica res extet, eam fuiſſe legatam credendum eſt, vel aliæ ejuſdem bonitatis ſubſtituit debet: deducitur *ex l. Si domus in prin. ff. eod. l.* 3. *ff. de Tritico, vino, & oleo legato.* Unde ſi res legata pereat, legatario perit, quia teſtator de ſuis rebus cenſetur legaſſe, & jus in legatarium transtuliſſe, ut obſervat Mol. ex Ant. Gomez.

Quòd ſi res legata ſit arte facta; & ab illa fines, ac terminos bonitatis habeat, tunc niſi optio à teſtatore ſit legatario permiſſa, hæres è pluribus extantibus poteſt eligere infimam, non tantùm ſi immobilis ſit v. g. domus, prædium, ſive urbanum, ſive ruſticum, ſed etiam ſi mobilis, *l. Legato generaliter §. ult.* Et quamvis communior ſententia Bartoli, Panorm. ac aliorum excipiat legata pia, in quibus exiſtimat non quidem optimum, ſed melius infimo dandum, eò quòd in *l. Titia teſtamento §. Seia ff. de Auro, & argento legato* hæres à teſtatore rogatus facere ſignum Crucis ex libris 100. jubeatur facere ex argento; Mol. tamen ſecutus Baldum Decium, & alios à Covar. *cap. Indicante de teſtamentis num.* 5. relatos, quibus accedit Laym. *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 11. *num.* 9. Sanch. *lib.* 4. *Moralium cap.* 13. *num* 8. *& cap.* 15. *num. ult.* tum ex hac ipſa Lege, tum aliis rationibus oſtendit, etiam in cauſis piis ſatisfieri electione rei infimæ, ſervata tamen proprietate verborum, communi uſu, ac reliquis circumſtantiis: nam cùm in illo templo, in quo ſignum crucis fieri debebat. non aliæ imagines, quàm aureæ, & argenteæ eſſent, per declarationem, ut fieret crux argentea, jam concedebatur electio rei infimæ comparatione talis loci. Idem colligitur *ex capit. Ex parte de Cenſibus.* Ubi explicatur votum de minima tritici menſura ſolvenda, non de media aut maxima. Ratio autem diſparitatis, quare in rebus, habentibus terminum perfectionis ex natura, debeat dari res melior infima, non item in habentibus terminum ex arte, videtur à jure hæc obſervata eſſe, quòd nempè facta per artem, & induſtriam humanam, ſicut habent perfectionem ſuam ex hominum arbitrio, ſic etiam magis ſint ſubjecta determinationi ejus, qui eorum diſpoſitionem exequitur.

Cæterùm in artefactis etiam aliqua obſervanda eſt differentia inter mobilia, & immobilia; ſi enim legata res immobilis v. g. domus, prædium non extat in bonis à defuncto relictis, neceſſe non eſt eam emere, vel dare ejus valorem, niſi teſtator id expreſſerit, ſed legatum cenſetur nullum, *l. Si domus in prin. ff. de Legatis* 1. Si verò res mobilis non extet, neceſſe eſſe hujuſmodi emere, vel dare illius pretium, contra alios mutatos rectè aſſerunt Paulus Caſtrenſis, & Mol. propter legem *Titia teſtamento §.* 1. *ff. de Auro, & argento legato.* Ratio diſparitatis videtur eſſe, quia teſtator faciliùs bona ſua immobilia creditur numerata, & cognita habere, quàm mobilia, ergo ſi quidpiam legavit, non extans in bonis ſuis, in priori caſu ſupponimus, ad redimendam vexationem legatarium voluiſſe deludere, in poſteriori verò seriò voluiſſe affectum ſuum legatario exhibere, licèt fortè ex errore proceſſerit, qui tamen non immutat voluntatem æquivalens legandi.

Quærit 3. An executor poſſit per epikeiam, vel interpretationem mentis teſtatoris aliquando mutare ejus ultimam voluntatem. Reſp. Diſtinguendum eſſe, utrum mutatio fiat in circumſtantia temporis per illius à teſtatore deſignati præventionem, vel in ſubſtantia finis per applicationem rei legatæ ad alium uſum, quàm à teſtatore conſtitutum. Si itaque tempus executionis ſolùm præveniatur, v. g. ſi eleemoſyna poſt ſex menſes è morte teſtatoris diſtribui juſſa priùs diſtribuatur, etſi Bartol. *l. Cum Pater §. Filia ff. de Legatis* 2. & multi alii à Covar. *cap. Tua nobis de Teſtamentis num.* 5. relati negent id fieri poſſe abſque præjudicio tum voluntatis teſtatoris, tum pauperum, quibus quaſi Jus ad eleemoſynam præ aliis pauperibus, priùs eam accipientibus, quæſitum eſt, rectiùs cum Decio, Panor. Covar. citante plures alios, & Mol. *diſp* 249. affirmatur, quòd, quando aliunde non conſtat, teſtatorem intendiſſe ſpecialem finem per executionis dilationem, poſſit tempus ab ipſo determinatum præveniri, quia tunc tempus ſupponitur præſcripſiſſe non tanquam terminum, ad quem ſit protrahenda,

ſed

ſed ultra quem non ſit protrahenda executio: unde *in l. Poſt mortem C. de Fideicommiſſis* indubitatum eſſe dicitur, hæredem juſſum curare, ut pars hæreditatis poſt ſuam mortem reſtituatur alteri, poſſe illam reſtituere ante ſuam mortem. Ex quo patet ſolutio oppoſitæ rationis; negatur enim in caſu priori poſito voluntatem teſtatoris negligi, vel propriè mutari: ex quo proinde ſequitur, neque præjudicari juri pauperum, utpote, qui nullum habent, neque etiam lex à Bartolo allegata adverſatur datæ reſponſioni, quia ibi filia teſtatoris juſſa poſt mortem illius prædia alicui filio ſuo, ſeu nepoti teſtatoris tradere, quem ipſa elegerit, dicitur invalidè tradidiſſe ante mortem, eò quòd teſtator intenderit, dilationem electionis, ut cum majori deliberatione, & prudentia fieret.

Altera mutatio, qua fini immediato, honeſto, ac poſſibili à teſtatore intento ſubſtituitur alius, quantumvis melior, neque expreſsè deſignatus, neque ſecundùm executoris, & Epiſcopi ſententiam rationabiliter præſumptus, quòd ſcil. teſtator ipſe, ſi adhuc viveret, & circumſtantias eaſdem cognoſceret, rem ſuam vellet eidem procurando applicare, adeò ex communi DD. (non tamen omnium. quia nonnulli diſſentiunt cum Barboſa apud Joannem Cardenas in Criſi Theol. *part.* 3. *diſp.* 80. *c.* 3. *art.* 3.) conſenſu eſt prohibita, ut etiam ſuadente rationabili, ſed non ſummè neceſſaria cauſa, neque executor teſtamenti, neque magiſtratus Domino ſupremo inferior illam facere permittatur, ut conſtat *ex cap. Tua nobis, cap. Quia nos de Teſtamentis, cap. Ultima voluntas* 13. *q.* 2. *Clement. Quia contingit de Religioſis domibus*, ubi ex rationabili cauſa facienda mutatio ultimarum diſpoſitionum ad cauſas pias ſoli Summo Pontifici reſervatur, ſicut mutatio diſpoſitionum ultimarum ad cauſas profanas Principi ſæculari Supremo *l. Legatum juncta Lege* 1. *ff. de Adminiſtratione rerum ad civitatem pertinentium*.

Imò etiam impetrata à Pontifice commutationis facultate, debet nihilominus Epiſcopus loci cauſam prætentam, utrùm rectè allegata ſit, extrajudicialiter cognoſcere, ut ſtatuitur *in Trid. Seſſ.* 22. *c.* 6. *de Refor.* Itaque ſecluſa prædicta rationabili præſumptione, vel conceſſione humanæ poteſtatis, debet executio teſtamenti præſtari ſecundùm expreſſam voluntatem teſtatoris, quantùm fieri poteſt, ita ut ſi omnino, & perfectè eam ſervare ſit impoſſibile, mutatio cum conſenſu tam executoris, quàm Epiſcopi, vel judicis in cauſis profanis, fiat in aliud proximè ad eandem accedens. v. g. ſi legatur pecunia ad ædificandam Eccleſiam in loco à teſtatore deſignato, in quo ædificari non poteſt, applicetur pecunia non ad quamvis aliam piam cauſam, ſed ad ædificandam Eccleſiam in alio loco ab executore, & Epiſcopo deſignando: colligitur *ex cap.* 3. *de Teſtamentis* cum Panormit. *ibidem n.* 6. & Covarr. *n.* 9. & Mol. *diſp.* 249. conſentit etiam *l. Legatum de uſufr. legato*.

Unde legatum ad pias cauſas nunquam fit caducum in tantum, ut hæredibus accedat; ſed ſi non poſſit prodeſſe animæ teſtatoris modo ab ipſo ſtatuto, proſit alio; & ſic etiam de legatis profanis dicendum juxta citatam legem, v. g. ſi teſtator ad ſui memoriam relinquendam juſſit aliquid fieri, fiat eo reddito impoſſibili aliud ad eum finem conducens, niſi conſtaret eum intendiſſe aliquem finem particularem ita determinatè, & immobiliter, ut per nullum ei ſatisfieret: tunc enim legatum tale hæreditati accreſceret, quod in cauſis piis nunquam ſupponendum eſt.

Hinc etiam omni fundamento deſtituta hæc propoſitio 43. ab Alexand. VII. meritò prohibita eſt *Annuum Legatum pro Anima relictum, non durat plus, quàm per decem annos*. Quia enim, ut oſtenſum eſt, Mens teſtatoris, vel Legantis executioni danda eſt ſecundùm proprietatem & rigorem verborum; verba autem indefinitè prolata, nec ratione objecti, aut rei præſtandæ, nec ratione aliarum circumſtantiarum à teſtatore reſtricta, propriè & rigoroſè ſupponunt pro tempore indefinito, hinc nequeunt utique decennio definiri.

Hæc ex jure communi ſcripto, ſalvis contrariis conſuetudinibus, & juribus privatis, de ultimis diſpoſitionibus dicta volumus ad laudem illius qui *Pſal.* 88. *v.* 4. ſanctè omnibus aſſeverat: *Diſpoſui teſtamentum electis meis*.

DISPUTATIO III.

De Juſtitia & Jure læſo reſtituendo.

QUÆSTIO I.

De Reſtitutione in Genere.

ARTICULUS I.

Quid ſit Reſtitutio, & quanta, ac unde oriatur ejus Neceſſitas.

SUMMARIUM.

1 *Reſtitutio rei alienæ eſt debita Jure naturali.*
2 *Hujus obligationis extra Contractum duæ ſunt Radices, nempè Injuſta acceptio, & Res accepta.*

1 Reſtituere juxta S. Thomam *q.* 62. *art.* 1. nihil aliud eſt, quàm iteratò aliquem ſtatuere in poſſeſſionem, vel dominium rei ſuæ. Idcirco reſtitutio duplici modo accipitur 1. Latiùs quidem, ſed adhuc ſatis propriè teſte Tannero *diſp.* 4. *q.* 6. *n.* 1. quatenus ſcilicet eſt redditio rei alienę ſive jure, ſive injuria habitæ. Talis eſt redditio pignoris, mutui, &c. 2. Strictiùs, quatenus eſt redditio rei alienę injuſtè ſublatæ, ſive per formalem, ſive per materialem injuriam, ſive reddatur eadem, ſive æquivalens, quomodo teſte Molina maximè eſt propria. Definitur hoc ſecundo ſenſu à Laymann damni injuſtè dati ſecundùm arithmeticam ęqualitatem reſtauratio: à Tannero: actus quo damnum proximo injuſtè datum reficitur. Unde conſtat, reſtitutionem eſſe actum juſtitiæ commutativæ, etiamſi damnum ex læſione juſtitiæ diſtributivæ originaliter ſit profectum.

Neceſſariam eſſe neceſſitate præcepti ad ſalutem, certum eſt ex concordi doctrina Eccleſiæ, & SS Patrum, ita ut aliqui putent eſſe de fide, colligentes ex variis ſcripturæ teſtimoniis, cùm præceptum hoc naturale apertè videatur promulgatum, & confirmatum verbis S. Pauli *ad Rom.* 14. reddite omnibus debita, & Tobiæ *c.* 2. videte, ne furtivus ſit hædus, reddite eum dominis ſuis, quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere: id ipſum teſtatus eſt S. Auguſtinus relatus in cap. *Si res aliena* 14. *q.* 6. inquiens, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, ſi reſtitui poſſit: Ratio ulterior eſt, quia nemo ſalvatur, qui voluntariè alteri grave damnum ſeu injuriam infert, quod fit per detentionem rei alienæ, quæ eſt quaſi continuata rei ablatio, & teſte Leſſio *libr.* 2. *capit.* 12. *dub.* 5. in æſtimatione Theologica non differt ſpecie à prima ablatione, neque ab uſu, neque à deſtructione rei; quamvis iſta, & uſus, quo deterioratur res, intra eandem ſpeciem malitiam augeant. Neque etiam obſtat, quòd Chriſtus Lucæ 11. v. 39. Phariſæis plenis rapina ſolummodo dixerit: veruntamen quod ſupereſt, date eleemoſynam; & omnia munda ſunt vobis. Reſp. Enim cum Molina, Chriſtum vel locutum eſſe ironicè, quia Phariſæi erant in hoc errore, vel cum Leſſio dicendum, Chriſtum ſuaſiſſe eleemoſynam, tanquam diſpoſitionem ad veram pœnitentiam, quæ exigit reſtitutionem, etiam pauperibus

bus faciendam, quando propriis Dominis exhiberi non poteſt. Aliàs verba Chriſti nimium probarent, nempè furi, vel raptori neque pœnitentiam eſſe neceſſariam, & maximam præberent anſam, atque illicitum frequentiſſimarum injuſtitiarum, ſi per injuriam ablata reſtituenda non eſſent.

2 Duæ autem radices reſtitutionis communiter à Doctoribus & S. Thoma *q. 62. art. 6.* aſſignantur: *injuſta acceptio*; & *res accepta*: per illam intelligitur quævis voluntaria juris alieni læſio, actione, omiſſione, vel negligentia culpabili illata: per iſtam verò quævis rei alienę, etiam abſque culpa, detentio, v.g. ex ignorantia prȩcedente, oppignoratione, depoſitione, cuſtodia &c. quę ſi continuetur domino rationabiliter invito, res incipit eſſe debita ex prima radice. Igitur eadem res ſubinde reſtituenda eſt ex utroque titulo, quando ſcilicet prȩceſſit lȩſio juris, & ſi res ſit adhuc penes lȩſorem: ſubinde ex uno tantùm, quando ſcilicet res non eſt ampliùs penes læſorem, aut ſi detineatur abſque prȩſuppoſita culpa, ſeu lȩſione juris.

Ceterùm inter has duas radices iſtud eſt diſcrimen, quòd res accepta abſque culpa non obliget ad reſtitutionem, niſi ſit penes alterum vel formaliter, vel ȩquivalenter; tunc enim ſi penes alium ſit, reſtituere debet, etiamſi innocenter à fure emerit, putans eſſe illius, vel intuitu ejuſdem rei tantundem alteri donaverit non donaturus, niſi cum ſpe illam retinendi accepiſset: ſi verò non ampliùs penes alterum ſit, non tenetur ad reſtitutionem, niſi quantum ex illa eſt ditior factus. Ratio prioris partis eſt, quia dominus rei, quamdiu non prȩſcribitur, retinet jus illius, ergo etiam ſi res ſit penes alium formaliter, vel ȩquivalenter, lex favet domino, & gravat quamcunque alium ad reſtituendum. Ratio poſterioris eſt, quia cùm ȩquum non ſit, innocentem obligari ad reparandum damnum alienum, perinde eſt, ſi ille rem abſque ſuo lucro innocenter alienavit, aut perdidit, ac ſi à caſu fortuito, vel cauſa neceſſaria fuiſſet deſtructa: vindicari tamen poteſt ab alio, penes quem eſt. Injuſta acceptio autem obligat ad reſtitutionem, etiamſi accipiens nec rem detineat ampliùs, nec ſit inde locupletior factus. Ratio eſt, quia cum per formalem lȩſionem juris non tollatur jus, hinc inferens injuriam obligabitur ad reſtitutionem, eò quòd ȩquitas naturalis exigat, ne dominus ſine ſua culpa, ex ſola iniquitate aliena, rerum ſuarum jacturam patiatur, & multiplicium injuriarum occaſio, atque illicitum præbeatur.

ARTICULUS II.

An culpa ſolùm juridica ſufficiat extra contractum ad imponendam obligationem reſtitutionis.

SUMMARIUM.

3 *Culpa alia dicitur Theologica, alia Iuridica. Hæc ſubdividitur in quinque gradus.*
4 *Nec ex culpa leviſſima nec ex levi, ſi tantùm ſit Iuridica, eſt obligatio reſtitutionis ante ſententiam Iudicis.*
5 *Idem dic de culpa lata, merè Iuridica.*
6 *Idem confirmatur contra Vaſquez.*
7 *Solvitur argumentum contrarium.*
8 *Poſt ſententiam Iudicis datur obligatio etiam in conſcientia.*

3 ADvertendum eſt, duplicem diſtingui culpam Theologicam, & Juridicam: Theologica, ut hìc accipitur, eſt omne peccatum contra Juſtitiam ſive mortale, ſive veniale, Juridica, omiſſis aliorum longioribus definitionibus à Leſſio *l.2.c.7.n.22.* dicitur *omiſſio diligentiæ debitæ, ex qua ſequitur incommodum.* Hęc (ſive conjuncta ſit cum culpa Theologica, ſive ſeparata) eſt quintuplex, latiſſima, latior, lata, levis, leviſſima: latiſſima eſt dolus apertus: latior, eſt dolus præſumptus, quando nimirum ſigna intentionis nocendo alteri non ſunt adeò manifeſta: lata eſt omiſſio diligentiæ, communiter adhiberi ſolitæ, abſque animo nocendi, ſcienter vel ignoranter: levis eſt omiſſio diligentiæ, quam diligentiores leviſſima eſt omiſſio diligentię, quam diligentiſſimi, & cautiſſimi adhibere ſolent.. Hoc ſuppoſito

4 Dico 1. Nec ex culpa leviſſima, nec levi, dari obligationem reſtituendi ante ſententiam Judicis. Probatur: quia nemo obligatur ad majorem diligentiam, quàm quę communiter adhiberi ſolet: plus enim teſte Leſſio *num.* 30. & Tannero. *n.46.* non requirunt verba Gregorii IX. *cap. ult. de Injuriis* ubi ſolùm excipit eum ab obligatione reſtituendi illatum damnum, qui nihil de contingentibus omiſit: contingentia enim ſunt, non quæ rariſſimè, ſed quæ ordinariè fieri ſolent, & quorum ignorantia ſæpe cum peccato mortali conjuncta eſt, ex cujus ſuppoſitione, ut teſtantur citati Doctores, Gregorius legem tulit; aliæ verò Leges ſummùm imponunt obligationem poſt ſententiam judicis, ut mox videbimus.

Dico 2. Nec ex culpa lata, ſi tantùm eſt Juridica ſine 5
Theologica, incurri obligationem in foro interno ante ſententiam judicis: quia ubi nullum eſt peccatum, ibi non eſt injuſtitia, conſequenter nulla obligatio ex ratione injuſtæ acceptionis: non enim loquor de obligatione rei acceptæ, quando penes alium eſt vel formaliter, & in ſe, vel æquivalenter, ſcilicet in lucro. Ita communiter Doctores.

Dixi: *In foro interno ante ſententiam judicis*: etſi enim 6
Vaſquez, & Turrianus apud Lugo *num. 39.* doceant, quando animal tuum, vel mancipium ex propria voluntate alteri damnum infert, ſine tua culpa, te jure naturali teneri ad reſtitutionem, vel, ut alii volunt, jure poſitivo ante ſententiam judicis, rectiùs tamen cum Molina *diſp. 713. n. 3.* Lugo *diſp. 7. n. 8.* P. Haunoldo *tr. 2. n. 172. & 176.* ac aliis negatur hujuſmodi obligatio non ſolùm juris naturalis (quæ hoc ipſo, quòd eam pauciſſimi agnoſcant, & potiùs naturali inſtinctu judicemus, plus nos damni pati, ſi animalia noſtra proprias res lædant, quàm ſi alienas, meritò cenſetur non dari) ſed etiam poſitivi ante ſententiam judicis: quia Leges *in ff. tit. Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur, & tit. de Noxalibus actionibus*, ut teſtantur citati auctores, aliter non ſunt receptæ, quàm ut obligent primùm poſt ſententiam judicis, ſicut alię Leges pœnales quamvis ſententia lata ei meritò parendum ſit, cùm ad impedienda damna ex negligenti cuſtodia animalium &c. Aliis conſecutura, rationabiliter latę ſuerint Unde ad dictorum confirmationem hoc conficitur argumentum: prædictæ Leges civiles eam debent conſcientiis hominum imponere obligationem, quæ utilis, ac neceſſaria eſt ad finem immediatè indicatum obtinendum; ſed talis eſt obligatio poſt judicis ſententiam; ſine hac enim non ſufficiente, obtineretur finis intentus, & daretur occaſio turbationum, ac contemptus judicum, major autem obligatio, quæ ſcilicet etiam detur ante judicis ſententiam, nec utilis eſt, quia nemine compellente plerumque negligeretur propter innatam hominibus reluctantiam contra reſtitutionem damni nulla ſua culpa morali illati; nec neceſſaria, quia ſola obligatio judicum ferendi ſententiam juxta ſtatutas Leges eique parendi ſatis acuit diligentiam ſubditorum ad mutua damna præpedienda.

Neque rectè à contrario opponit Vaſquez *Opuſ. de* 7
Reſtit. c. 2. §. 2. dub. 1. n. 4. & 5. quòd ſicut commodum ab animali, vel ſervo proveniens naturali jure ſpectat ad dominum; ſic viciſſim ſpectet damnum illatum, adeoque à domino aliis compenſandum ſit naturali jure. Reſp. 1. Hoc argumentum nimium probare, nempè quòd neque culpa juridica ſit neceſſaria. Reſp 2. Negando conſequentiam & paritatem, quia dominium tribuit jus ad commoda, non autem ad damna; ſi ergo hæc luenda ſunt, prærequiritur culpa Theologica, aut juſta ſententia judicis, quæ ſcilicet ſit conformis Legi juſtæ. Imò argumentum adverſarii rectè efformatum contra ipſum retorquetur hac ratione: ſi animal vel ſervus alteri domino in propriis ejus bonis commodum afferret, illud ſpectaret ad dominum bonorum; ergo ex oppoſito, ſi damnum abſque culpa ſui domini inferat, illud etiam ſpectat ad dominum bonorum: vel ſic: commodum animalis, aut ſervi bonis alterius domini non adhærens, ſpectat ad dominum animalis aut ſervi. ergo etiam damnum non adhærens bonis alienis: ſecus ſi abſque culpa ſit adhærens.

Sicut autem à Vaſquez immeritò aſſeritur obligatio 8
reſtitutionis ante ſententiam judicis, ſic à Rebello apud P. Haunoldum *n. 178.* immeritò negatur ſecluſa culpa theologica pro foro conſcientię etiam poſt ſententiam judicis contra communiorem ſententiam Theologorum

apud

apud Molinam *diſp.698. num.5.* circa medium: quia ſi ſeclusa culpa theologica poſt ſententiam judicis non daretur obligatio, niſi civilis, & ſi pro extorta executione illius licita eſſet occulta compenſatio, quando ex falſa præſumptione culpæ theologicæ ſententia eſt lata, tunc non obtineretur finis legum, ex quo apud citatum P. Haunoldum *num.*174. unicè probatur obligatio, & valor illarum, nempè ut cives ſtimularentur ad majorem cautelam fortuitarum damnificationum; non enim multum curarent condemnari ſententia judicis ad reſtitutionem fortuitæ damnificationis, ſi eam occultè liceret recipere; deinde ſententia judicis non eſſet ampliùs neceſſaria ad inducendam obligationem; ſed ſi qua daretur obligatio propter veram ſuppoſitionem culpæ theologicæ, ea jam daretur ante ſententiam judicis: ergo cum oppoſita ſententia apud citatum auctorem *num.* 174. expreſsè dicat, quòd intentioni legum ſuffecerit obligari cives primùm poſt ſententiam judicis, debet deinde dari hujuſmodi obligatio, quæ non fuerit data ante ſententiam, adeòque quæ non fundetur in culpa theologica. Quando itaque Leges, quæ *nu.* 179. à dicto doctore referuntur, requirunt injuriam, & doli capacitatem in condemnato per ſententiam judicis, tunc etiam de injuria civili intelligendæ ſunt; capacitatem doli autem exigunt, non ut iſte præſumi, ſed ut legibus prohiberi poſſit negligentia in præcavendis aliorum damnis, quippè doli incapax nequit ſubiici, & gubernari legibus.

ARTICULUS III.

An Culpa venialis ſufficiat extra contractum ad imponendam obligationem reſtituendi.

SUMMARIUM.

9 *Grave damnum ex culpa ſolùm veniali inferri poteſt diverſimodè.*

10 *Si materialis gravitas damni nec ſimul nec ſucceſſivè eſt cognita, non datur ex culpa merè veniali obligatio, ad totum damnum reſtituendum.*

11 *Solvuntur objectiones uſque ad n.16.*

16 *Si materialis gravitas damni tota vel ſimul, vel ſucceſſivè fuit cognita, totum damnum, etiam ex culpa tantùm veniali illatum, eſt reſtituendum.*

17 *Enervatur reſponſio Adverſ.*

18 *Confirmatur prior aſſertio ratione, & authoritate Innoc. XI. in prohib. propoſ.38.*

19 *Extenditur noſtra aſſertio obligationis reſtitutionis, etiam ad grave damnum, non ſucceſſivè illatum.*

20 & 21. *Solvuntur objectiones.*

9 ADvertendum eſt grave damnum ex culpa ſolùm veniali inferri poſſe, vel per ignorantiam, vel per inadvertentiam: per ignorantiam infertur, quando putatur ex actione, vel omiſſione alicujus actionis, ſeu diligentię exiguum imminere periculnm gravis damni, adeòque ad iſtud avertendum ad ſummum dari obligationem venialem; vel quando damnum putatur fore leve, cùm ſit grave: v. g. quando res magni pretii, qua quis privatur, creditur eſſe exigui: vel quando quantitas injuſtè ablata exiſtimatur inſufficiens ad peccatum mortale furti: vel quando dominus rei ſperatur non eſſe graviter invitus quoad ſubſtantiam, cùm tamen à parte rei quantitas ſit ſufficiens, & dominus meritò ſit graviter invitus, per inadvertentiam infertur grave damnum, 1. ſi ipſum revera tale eſt, & inferens tantùm advertit in genere ad rationem damni, nihil cogitans, an ſit grave, vel leve, vel an hoc magis teneatur inveſtigare. Si inferens grave damnum tantùm advertit ad partem levem: v. g. ſi auferat rem exigui valoris, non recordans plurium præcedentium furtorum, quæ per ultimum furtum complentur, ut omnia ſimul ſumpta ſint illatio gravis damni.

10 Dico 1. Si injuſtitia ſit venialis, propter ignorantiam, vel inadvertentiam ad damnum grave etiam materialiter ſpectatum, id eſt, ſi neque ſimul, neque ſucceſſivè, & per partes eſt cognita tanta damni æſtimatio, quanta à parte rei eſt ſumma gravis, probabiliùs neque datur obligatio reſtituendi totam æſtimationem damni, neque partem majorem, quàm quanta eſt cognita, ſuppoſito, quòd res aliena tota, vel ſaltem quoad exceſſum æſtimationis cognitæ, nec formaliter, nec æquivalenter exſtet penes injuſtum læſorem, ſi autem nulla quantitas damni in ſpecie eſt cognita, ob præciſionem intellectus à gravitate, & levitate, vel ſi gravitas periculi, & obligationis illud avertendi non fuit ſatis perſpecta, probabiliùs plus reſtituendum non eſt, quàm quod infra quantitatem ad peccatum mortale ſufficientem prudentis viri judicio eſt proportionatum gravitati commiſſæ culpæ venialis. Hæc concluſio eſt contra Adrianum, Angelum, Panormitanum, Covarru. Jo. Medinam apud Molinam *diſp. 698. §. in contraria ſententia*, & contra Vaſquez ac Turrian. apud Lugo *diſput.* 8. *ſect.5. num.*55. qui totum damnum dixerunt compenſandum: eſt & contra Molinam *l. c.* Rebellum, Dicaſtillo aſſerentes reſtituendam partem gravem quidem, & ſub obligatione gravi proportionalem tamen, ſpectata culpa, & gravitate damni. Aſſentiuntur autem nobis Sotus, Henriquez, Sylveſt. Petr. Navarra Eman. Saà, Tanner, Lugo, Leſſius, Tamburinus, Eſparza, & noviſſimè P. Haunoldus *tract.2. num.*194. Probatur Concl. Obligatio reſtitutionis ante ſententiam Judicis, non fundatur præcisè in illatione damni, ut fatentur omnes: nam ex merè fortuita, & omninò innocenti illatione damni nulla oritur obligatio: ſed fundatur vel in titulo rei acceptatæ, id eſt, formaliter, vel æquivalenter exſtantis, vel in titulo injuſtæ acceptionis, vel ſi reſtitutio ſumatur latiùs pro qualibet ſatisfactione juſtitiæ, etiam in titulo juſtæ pactionis explicitæ vel implicitæ: atqui in caſu noſtræ concluſionis ex neutro titulo datur obligatio reſtituendi plus, quàm diximus, ergo. Non ex primo, ut ſuppono, non ex ſecundo quia obligatio reſtitutionis proveniens ex injuſta acceptione ſtatuitur jure naturæ ut pura pęna, ante omnem tamen ſententiam judicis ſolvenda, hoc ipſo quòd ſit juris naturalis, & non merè poſitivi; ordinaturque a abſterrendum homines à damnificationibus injurioſis; atqui obligatio reſtituendi ſummam gravem pro damno gravi ex culpa tantùm veniali, & ſecundùm rationem gravitatis involuntariè illato, non potuit jure naturæ ſtatui ut pura pęna, utpotè improportionata culpæ, nec prudenter ordinari ad abſterrendum homines à damnificationibus iujurioſis, quia abſtrahendo à particularibus circumſtantiis optabilius fuit cuilibet homini ſubire periculum præter omnium intentionē, & quaſi caſu ſine ſpe compenſationis patiendi damnum grave ex culpa alterius tantùm veniali, & ſecundùm rationem damni gravis involuntaria, quàm eſſe obligatum propria voluntate per reſtitutionem ſibi inferre damnum grave pro hujuſmodi damno alteri involuntariè illato; ergo jure naturæ non eſt ſtatuta talis obligatio. Sed neq; ex titulo pactionis ulla oritur; explicita enim pactio, ut ſuppono, nulla interceſſit, implicita verò, & ex natura rei proveniens minùs fuit optabilis, ut oſtenſum eſt.

Obiicies 1. Pœnam reſtituendi quantitatem abſolutè 11
gravem eſſe ſatis proportionatam injuriæ veniali, ſi obligatio itidem tantùm ſub veniali imponatur. Reſp. Hoc dici non poſſe, quia quando æquè grave onus ſubeundum eſt, parùm curatur, utrum ex gravi, vel levi obligatione ſubeatur; quoad effectum enim, & rationem difficultatis, ac moleſtiæ, quæ in pęna ſpectatur, eſſet paritas.

Obiicies 2. Excommunicatio minor eſt pœna propor- 12
tionata culpæ, tantùm veniali, & tamen bona, quibus privat, ſunt longè graviora, quàm quælibet bona temporalia. Reſp. Cum Lugo *n.*70. negando ſuppoſitum, quòd excommunicatio ſit pura pœna, cùm potius ſit medicina contumaciæ. Meliùs forſan reſponderetur. 2. Quòd licèt in æſtimatione Phyſica bona ſpiritualia ſint longè graviora, quàm temporalia, quia tamen illa per pęnitentiam, & abſolutionem, facilè recuperantur, non item temporalia ſemel totaliter alienata, ideò in æſtimatione morali illorum privationem eſſe graviorem.

Obiicies 3. Pœna purgatorii temporalis eſt longè gra- 13
vior, quàm perpetua carentia gravium bonorum temporalium, ſed illa infligitur juſtè propter peccatum veniale, ergo etiam iſta. Reſp Hoc argumentum nimium probare, nempè etiam pro damno levi poſſe imponi pœnam reſtituendi ſummam gravem, imò etiam infligi quamlibet crudeliſſimā mortem: alia ergo ratio fori

hujus humani, & alia divini in altera vita, ubi inhonoratio majeſtatis infinitæ condigno ſupplicio afficitur.

14 Obiicies 4. Gregorius IX. *cap. ult. de Injuriis* dicit, non excuſari eum, cujus imperitia vel negligentia damnum eſt datum, ſed ſolùm eum, qui de contingentibus nihil omiſit: ſubſumitur: ſed imperitia, & negligentia alicujus curæ, quam contingit communiter adhiberi, poteſt eſſe peccatum ſolùm veniale, ergo ob peccatum ſolùm veniale, poteſt quis non excuſari. Reſpondet Leſſius Pontificem *l. c.* loqui de culpa lata, quæ eſt peccatum theologicè grave, eò quòd expreſsè dicat, ignorantiam non excuſare, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere.

15 Obj. 5. Si reſtitutio damni gravis eſſet præcisè pœna, eaque improportionata delicto veniali, tunc lex 1. *ff. ad legem Aquiliam* eſſet injuſta, imperans reſtitutionem damni ex quacunque culpa etiam tantùm juridica illati: conſequens utique eſt falſum, ergo &c. Reſp. Diſting. ma. lex eſſet injuſta, ſi pœna eſſet improportionata delicto ſpectato tam ſecundùm punibilitatem abſolutam, quàm comparativam concedo ma. ſi tantùm eſſet improportionata delicto, ſpectato ſecundùm punibilitatem abſolutam nego ma. quia enim utile fuit reipub. homines reddi cautos, & diligentes, ne aliis in bonis ſuis damna inferrentur, & quia ad hunc finem neceſſe erat imponi obligationem, quacunque ex culpa illata damna reparandi poſt ſententiam judicis, ideo in ordine ad hunc finem obtinendum, non eſt improportionata pœna reſtituendi rem gravem pro damno gravi ex culpa veniali illato, ſicut non eſt improportionata pœna ſuſpendii pro levi furto militis in ordine ad ſervandam diſciplinam militarem: quòd autem prædicta lex Aquilia ab Aquilio plebis tribuno eam, ut ſanciretur, ſuggerente, nomen trahens, obligationem reſtituendi ſtatuerit præcisè ut pœnam, ut proinde ante ſententiam judicis non detur obligatio, niſi reſtituendi id, quod ex jure naturali debetur, illaque etiam ad hæredes non tranſeat, ſi reus ante ſententiam judicis moriatur, fatetur ipſe Molina *cit. diſp. n.* 6. cum aliis plurimis.

16 Dico 2. Si injuſtitia fuit tantùm venialis propter ignorantiam, vel inadvertentiam ad damnum grave formaliter ſpectatum, quatenus ſcilicet ignorabatur, vel non advertebatur eſſe ſufficiens ad terminandum peccatum mortale, quamvis ſimul vel ſucceſſivè appareret valor realis totius damni gravis ſecundùm ſe, probabiliùs integrum damnum, in quantum apparuit, reſtituendum eſt. Hæc concluſio non ita univerſaliter examinatur ab Authoribus, ſed ſolùm quoad unum caſum, quando ſcilicet per plura furta venialia infertur damnum grave cum ſola advertentia ad damnum leve ſingulorum ſeorſim acceptorum: & in hoc conceditur ab omnibus Authoribus excepto unico ferè doctore apud P. Haunold *n.* 197. & facilè probatur. Per ſingula enim furta rei levis contrahitur obligatio illam, vel valorem illius reſtituendi, ergo per collectionem omnium furtorum contrahitur collectio tot obligationum, quarum ſingula objecta conſtituant ſummam gravem, & ad quam reſtituendam læſus habeat jus graviter obligandi, ſicut habuit jus ad non auferendum cum advertentia ad illam: fundatur autem hæc vis obligandi non in gravitate injuriæ formaliter ſumptæ, ſed in gravitate materiæ debitæ propter leves injurias formaliter ſumptas. Probatur nunc conſequentia. Prima obligatio inducta per priorem injuriam levem non tollitur per ſecundam injuriam, nec ſecunda per tertiam, & ſic deinceps, aliàs nova ablatio eandem haberet vim, quam habuiſſet reſtitutio; imò facta reſtitutio repeti poſſet tanquam indebita, quod eſt abſurdum, ergo vera eſt conſequentia.

17 Dices, etiamſi prior obligatio non tollatur per poſteriorem, poſteriorem tamen impediri per priorem, ſi poſterior impleret debitum ſummæ gravis. Verùm hoc eſt æquè abſurdum; reſtitutio enim facta pro præcedenti injuria non impediret obligationem novæ injuriæ, ergo multò minus omiſſio reſtitutionis; aliàs ex injurioſa omiſſione commodum reportaretur.

18 Confirmatur ulteriùs prædicta conſequentia. Lex naturalis non habet minorem vim & ſtabilitatem, quàm poſitiva, id quòd per ſe evidens eſt, ſed ſi per legem poſitivam, vel per ſententiam judicis poſt ſingula furta quis fuiſſet condemnatus ad reſtitutionem rei levis, tot darentur obligationes, quot furta, nec fierent improportionatæ delictis levibus, & ex tota collectione rei debitæ exurgeret obligatio gravis: ergo idem dicendum eſt de Lege naturali toties condemnante ad reſtitutionem, quoties fit injuria levis. His manifeſtis rationibus accedit etiam Authoritas Innocent. XI. prohibentis hanc 38. Propoſitionem. *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per parva furta quantumcunque ſit magna ſumma totalis.*

Extendendo concluſionem ad alios caſus, ſi quis v. g. 19
unico actu furetur ſummam gravem, quam falsò putavit non eſſe ſufficientem ad peccatum mortale, vel in ordine ad quam putavit, dominum non eſſe graviter invitum, adeoque reſpectu talis domini non eſſe formaliter gravem, hoc argumento probo obligationem reſtituendi totam æſtimationem rei furtivæ, nec formaliter nec æquivalenter exſtantis. Obligatio reparandi totum damnum, quod quis ſcienter & advertenter alteri infert per injuriam, eſt utilis, & neceſſaria, ut homines ab ejuſmodi injurioſis damnificationibus abſterreantur, ut ſiquem metus peccati mortalis non prohibeat, ſaltem cohibeat obligatio reſtitutionis, nec quiſquam meritò contra hujuſmodi legem naturalem conqueri poteſt, ut voluntariè totum damnum reparet, quod totum voluntariè intulit, & hanc legem dari, eſt per ſe loquendo optabilius, ergo meritò aſſeritur dari.

Obiicit. 1. Poteſt contingere, ut damnum ei, cui in- 20
fertur, nempè diviti ſit leve, pauperi verò ſcienter & advertenter inferenti, ſit grave, ſi totum reſtituere cogatur: atqui juſtitia non obligat, ut inferens damnum leve, ſubeat damnum grave, ergo non obligat, ut totum damnũ ſcienter & advertenter illatum reſtituatur. Reſp. 1. Hoc argumentum nimium probare, quòd ſcilicet pauper nunquam teneatur diviti reſtituere totum damnum, etiamſi ex injuria mortali intulerit, quia nemo tenetur reſtituere graviorem ſummam quàm erat gravitas damni. Reſp. 2. Diſt. min. Juſtitia non obligat, ut inferens damnum abſolutè leve ſubeat damnum ex parte objecti reſtituendi abſolutè grave concedo min. ut inferens damnum comparativè leve reſpectu unius, ſubeat grave reſpectu alterius, quod tamen in ſe & abſolutè loquendo maneat æquale, nego min. & conſeq.

Obiic. 2. Ponamus unum per ſimplex, vel plura pec- 21
cata venialia tantundem auferre cum advertentia ad gravitatem materialem, non autem formalem, quantum alius aufert per peccatum mortale; jam ſic. Lex naturalis juſtitiæ non debet eandem pœnam ſtatuere culpæ gravi, & levi, ſed ſi uterque teneretur reſtituere totum damnum, lex naturalis juſtitiæ ſtatuiſſet eandem pœnam, ergo non uterque tenetur reſtituere totum damnum advertenter illatum. Reſp. Conceſſo caſu diſt. ma. lex naturalis juſtitiæ non debet eandem pœnam ſtatuere culpæ gravi, & levi, ſpectando damnum compenſandum, nego ma. ſpectando caſtigationem vel ſatisfactionem offenſæ concedo ma. & ſic diſtincta min. nego conſeq.

ARTICULUS IV.

An culpa mortalis ſufficiat ad imponendam obligationem reſtituendi ſummam graviorem, quàm ab injuſto læſore æſtimatur damnum.

SUMMARIUM.

22 *Damnum injuſtum, ſive mediatè ſive immediatè illatũ, ex culpa mortali, totum reſtituendum eſt, etiamſi non ſit præcognitum, neque prudenter fuiſſet ſuſpicabile.*
23 *Confirmatur aſſertio.*
24 *Rurſum confirmatur.*
25 & 26. *Solvuntur objectiones.*
27 & 28. *Probatur, damnum prudenter inopinabile non eſſe reſtituendum.*

Dico. Etiamſi inferens damnum ex injuſtitia veniali 22
ante ſententiam judicis non teneatur ad reſtituendum plus, quàm quanti æſtimavit damnum à ſe illatum ut prioris art. concl. 1. dictum eſt; ob rationis tamen inæqua-

inæqualitatem optimè animadverſam à Card. de Lugo *diſp.* 8. *num.* 63. tenetur eodem teſte ad reſtituendum totum damnum tam mediatum, quàm immediatum, quia per injuriam mortalem illud intulit, etiamſi ex invincibili ignorantia ipſum non tanti æſtimaverit: hanc aſſertionem tamen reſtringendam exiſtimo ad illud damnum, quod ex injuſta læſione non prorſus per accidens, & præter omnem prudentem credibilitatem perſpicacis intellectus humani eſt conſecutum. Limitationem poſtea confirmabo; nunc probo concluſionem 1. ex communi ſenſu Doctorum, & continua praxi utriuſque fori, abſolutè & univerſaliter condemnantis authorem gravis injuriæ tum ad reſtitutionem rei, aut valoris ejuſdem, tum ad lucrum ceſſans, & damnum emergens ex injuria: atqui hæc omnia, vel æſtimatio illorum, ſæpe ſunt invincibiliter ignorata, aut per invincibilem, id eſt, graviter inculpabilem inconſiderantiam non agnita, ut ſi quis ex vehementi ira occidit ſuum inimicum, nihil cogitans de damno uxori, ac liberis tali nece inferendo: ergo datur obligatio ad reſtituendum damnum etiam quoad exceſſum invincibiliter ignoratum vel non agnitum.

Probo 2. Si obligatio reſtituendi damnum etiam quoad exceſſum invincibiliter ignoratum, & non prorſus per accidens, ac fortuitò ſubſecutum, eſt proportionata culpæ injuſtitiæ mortalis, & ſi ad avertendam gravem injuriam prudenter etiam aſſumitur tanquam motivum, ſaltem in confuſo potens ab illa abſterrere, tunc rectè aſſeritur prædicta obligatio: abſtrahendo enim ab omni eventu, & circumſtantiis valentibus evertere prudens judicium, maximè optabile eſt cuilibet homini, injurias tam materialiter, quàm formaliter graves, quovis modo juſto ac prudenti efficaciter propulſare; atqui illa obligatio eſt proportionata culpæ mortali, utpote merenti gravem indignationem, & favoris non tantùm cum Deo, ſed etiam cum homine læſo diſſolutionem, ut adeoque à præbente cauſam gravis indignationis, & triſtitiæ meritò abſque gratuita remiſſione exigatur tota æſtimabilitas damni illati: etſi enim illatio damni quoad exceſſum invincibiliter ignoratum non ſit immediatè culpabilis, & conſequenter non videatur mereri pœnam reſtitutionis comparatione illius; nihilominus ſufficit eſſe culpabilem mediatè ratione gravis injuriæ, ſecum trahentis ipſum exceſſum damni incognitum, & ratione hujus injuriæ mereri pœnam integræ reſtitutionis: cùm planè non ſit nimium, ſi quemadmodum lex civilis propter leves negligentias cavendas juſtè præcipit condemnationem ad reſtituenda gravia damna inde emanantia, ſic lex naturalis juſtitiæ ad graves injuſtitias impediendas præter damna ex gravi injurias voluntariè illata jubeat etiam compenſare damna ex cauſa tam deteſtabili involuntariè quidem, ſed non merè fortuitò ſecuta.

24 Quòd autem hæc obligatio prudenter aſſumatur tanquam motivum, ſaltem in confuſo & ſub conditione abſterrens; quatenus timetur obligatio reſtituendi occulti damni, ſi forſitan aliquod lateat, & quòd illa abſtrahendo à particulari eventu optabilior ſit, quàm ejus negatio, ſic oſtendo, & ſimul probo Concluſionem. 3. Difficilius eſt præter cauſam gravis indignationis, & triſtitiæ ſibi ab alio injuſtè datam, pati adhuc grave damnum involuntarium in bonis propriis abſque omni ſpe compenſationis, quàm ſe ipſum ex demerito ſuo ſpoliare iis bonis, quibus à ſe partim voluntariè, partim involuntariè illatum damnum injuſtum compenſetur; iſta enim difficultas, quæ major videtur eſſe in activa ſui ipſius ſpoliatione, quàm in ſpoliatione paſſiva, multùm ſuperatur à difficultate ſuſtinendi cauſam gravis indignationis, & triſtitiæ ſimul cum injuſti, & gravis damni irrecompenſatione, ergo optabilior eſt prædicta obligatio, quàm ejus negatio.

25 Ob. 1. Si gemmam æſtimatam ducentis florenis, quam putarem partim eſſe meam, partim Petri, in aquas proiicerem, non tenerer Petro ſolvere, niſi centum florenos, etiamſi deinde probaretur, illam fuiſſe ſolius Petri, ſicut ſi putaſſem, me ſolùm eſſe dominum gemmæ, alteri nihil tenerer ſolvere: ergò eodem modo teneor tantùm ſolvere centum florenos, ſi aliorum centum florenorum valorem nec ad me, nec ad Petrum putavi ſpectare; ſed gemmam tantùm valere centum florenos, qui ſoli Petro debeantur. Reſp. Negando antecedens, & dico totum valorem gemmæ Petro eſſe reddendum; quamvis ſi me ſolùm ejuſdem dominum eſſe putaſſem, nihil tenerer ſolvere; nam tunc non interveniſſet ulla injuſtitia mortalis, imò nec venialis inferens tale damnum.

Ob. 2. Non eſt major ratio ſubeundi pœnam juris naturalis, reſpondentem exceſſui ignorato damni gravis, quàm ſubeundi pœnam juris poſitivi; ſed hujus nulla datur obligatio, non enim teneretur ſubire pœnam mortis ſtatutam pro injuria determinatæ quantitatis ex parte objecti, qui ſcienter gravem injuriam intuliſſet, ſed ignoranter quantitatem illam determinatam attigiſſet: ergo etiam nulla datur obligatio ſubeundi pœnam reſtitutionis ex jure naturali quoad exceſſum damni gravis ignoratum. Reſp. Negando majorem: quia in odium culpæ gravis meritò magis ſavetur innocenti, quàm graviter reo in ordine ad damnum ab illo illatum perferendum; ad quem finem tamen cùm nihil conducat pœna juris poſitivi v. g. ſupplicium mortis, meritò remittitur, quando culpa per ignorantiam excuſari poteſt à conſummata malitia, quam lex ſtatuens pœnam requiritur. 26

Probo nunc etiam limitationem concluſionis. Quando fit reſtitutio lucri ceſſantis, non reſtituitur æſtimatio lucri, ſed æſtimatio prudentis ſpei ad lucrum: ergo quando fit reſtitutio damni emergentis, non debet reſtitui damnum, ſed æſtimatio prudentis metus de damno: atqui prudens æſtimatio ſpei, & metus non deſumitur à lucro, vel damno prudenter incredibili & prorſus fortuito, ergo ratione hujus nihil eſt reſtituendum. 27

Confirmo, vel aliter propono idem argumentum. Tantum eſt reſtituendum, quanti erat æſtimabilis res injuſtè ablata, prudens ſpes lucri ceſſantis, & prudens metus damni emergentis, adeoque quanti erat prudenter æſtimabilis omiſſio injuriæ tunc, quando illa fiebat; ſed hanc æſtimabilitatem non poterat augere imprudens ſpes lucri, & imprudens metus damni, quorum ſcilicet neutrum potuit prudenter credi eventurum, ergo pro lucro ceſſante, & damno emergente prudenter incredibili, & prorſus fortuito, non eſt quidquam reſtituendum. 28

Et quoad hanc limitationem contra Card. de Lugo alio in loco conſentiunt Card Pallavicinus *lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 72. P. Eſparza *q.* 34. P. Haunold. *tom.* 1. *tr.* 2. *num.* 219. quamvis hi omnes in aliquo à concluſione noſtra diſſentiat: poſtremi duo enim aſſerunt, nec ex veniali, nec ex mortali injuria oriri obligationem reſtituendi exceſſum damni invincibiliter ignoratum, ſed ſolam æſtimationem damni reſtituendam eſſe, quam lædens jus alienum agnovit, eò quòd ſecundùm P. Eſparzam oppoſita obligatio eſſet inhumana, ſi propter exceſſum damni incognitum, adeoque, ut ipſe vult, inhumano modo poſitum, infligeretur: ſecundùm P. Haunold. verò eſſet minùs optabilis, quàm ejus negatio, cujus utriuſque rationis oppoſitum oſtendere conati ſumus, nempe quòd & optabilior ſit, & infligatur propter cauſam humano modo poſitam. Denique Pallavicinus *num.* 17. in eo nobis adverſatur: dum ait, dari obligationem reſtituendi totius valoris intrinſeci ſive ex culpa veniali, ſive mortali damnum alteri in re ſua ſit illatum: v. g. eum, qui proiiceret alterius gemmam in undas, obligatum eſſe ad reſtituendum totum valorem mille florenorum, ſive putaſſet exiguo pretio aliquot crucigerorum, ſive centum florenorum conſtare: quia voluntate executiva voluit proiicere, quod habebat in manu, cujuſcunque eſſet æſtimationis: verùm jam oſtendi, non ſufficere ſolam voluntatem executivam, niſi etiam ſit graviter culpabilis, ſicut Author debet fateri, non ſufficere, niſi ſit ſaltem venialiter culpabilis.

ARTICULUS V.

Qualis culpa requiratur, ut ſit obligatio reſtituendi ex vero contractu, vel quaſi contractu.

SUMMARIUM.

29 *Diviſio Contractuum in tria genera.*
30 *Quinam contractus obligent ad reſtituendum damnum, ortum ex culpa merè Iuridica leviſſima.*
31 *Quinam contractus ſolum ex culpa lata obligent.*
32 *Quinam ex culpa levi.*
33 *Probabilius eſt, etiam ſecluſa culpa mortifera, dari obligationem reſtitutionis ex dictis contractibus ante Sententiam Iudicis.*
34 *Ex quaſi contractu oritur Obligatio reſtituendi damnum per culpam latam partum.*

29 ADvertendum, contractus communiter in tria genera dividi. 1. Eſt eorum, , qui cedunt in ſolius accipientis utilitatem, v. g. commodatum, cùm ſcilicet res gratuitò commodatur ad uſum pro certo tempore: 2. Eſt eorum, qui cedunt in utilitatem ſolius dantis, v. g. depoſitum ad cuſtodiam. 3. Eorum, qui in utriuſque utilitatem diriguntur.

30 Circa 1. Niſi ſit contractus precarii (qui ſolùm culpam Theologicam prohibet) Leges canonicæ, & civiles, fundatæ in naturali æquitate, obligant ad evitandam culpam leviſſimam, ut habetur *in cap. unico de commodato*, cujus verba ſunt: *cum gratia ſui tantùm quis commodatum acceperit, de leviſſima etiam culpa tenetur* intellige *leviſſima*, cum aliis doctoribus contra Sotum de culpa, etiam tantùm juridica. Idem dicitur *in Lege In rebus ff. de commodati vel contra & Inſt. Quibus modis re contrahitur obligatio §. At is*.

31 Circa 2. Niſi ſit contractus mandati (qui levem, & leviſſimam culpam vetat) ad culpam latam ſolummodò cavendam dari obligationem indicatur *inſtitutionibus l. c. §. Præterea*, ubi depoſitarius dicitur tantùm de dolo teneri, quo etiam culpa lata intelligitur, ut ex ibi ſequentibus patet.

32 Circa 3. Culpam levem, non verò leviſſimam omittendum præcipit, *lex contractus ff. de Regulis juris*, & *§. Creditor inſt. l. c.* Hæ tamen culpæ, niſi conjunctæ ſint cum culpa Theologica mortali, ſi materia damni ſit gravis, ſecluſo expreſſo pacto de compenſando damno, & quacunque culpa eveniente, ſecundùm probabilem ſententiam Lugo, Eſparzæ, & aliorum non obligant ad reſtitutionem ante judicis ſententiam; Obligant tamen lata ſententia judicis (de qua eodem modo, ſicut ſupra de ſententia judicis extra contractum Authores quoad obligationem in foro conſcientiæ diſcurrunt, vel culpa Theologica admiſſa, ſi nimirum cum plena advertentia ad Leges tribuente jus exigendi diligentiam majorem, & cum probabili prævifione damni ſecuturi, eadem contra ipſarum legum conſtitutionem neglecta fuit; quam poſteriorem partem ſupponunt, priorem autem probant cit. Authores ex fundamento præcedentis noſtræ doctrinæ; quia nimirum pœna, quæ naturaliter ex injuſta acceptatione, vel damnificatione oritur, debet eſſe proportionata culpæ (niſi expreſſum pactum intervenerit de damno etiam theologicè inculpabili præſtando, & non tantùm de adhibenda diligentia legibus præſcripta, quæ tamen per inadvertentiam, vel inconſiderantiam ſine gravi peccato omitti poteſt (ſed culpa, malitiam injuſtitiæ mortalis non continens, pœna reſtituendi ſummam gravem non eſt proportionata: ergo &c.

33 Hæc ſententia valdè quidem eſt probabilis, & in praxi tuta. oppoſitam tamen teſte Palao *diſp. 3. punct. 6.* tenent ferè omnes Theologi iſto Authore antiquiores, pro qua nominatim refert, ac ſequitur Navarrum, Mol. Leſſ. Rebellum aſſerentes, propter ſolam culpam juridicam abſq; Theologica, ſeu mortali, ante ſententiam judicis dari obligationem reſtituendi damnum ortum ex defectu diligentiæ legibus requiſitæ: videtur enim in primis valde durum dicere, quòd prædictæ Leges obligēt ſub culpa Theologica, v. g. quòd commodatarius peccet mortaliter, ſi adhibita omni diligentia, quam adhibere ſolent diligentiores, negligat impendere ſummam, quam diligentiſſimi ſolent præſtare; unde ſicut Leges ſupra de obligatione extra contractum relatæ non obligant in conſcientia, ſic idē videtur hìc dicendum; quia hac ratione multitudo peccatorum mortalium magis evitatur, & meliùs obtinetur finis intentus per Leges, ſi obligatio reſtitutionis tantùm ſit pœna conventionalis, ſolvenda non ex delicto propriè dicto; ſed ex contractu, quo contrahentes ſe obligant juxta formam legibus præſcriptam, vel ad diligentiam abſque obligatione conſcientiæ debitam præſtandam, vel ad ſubeundam pœnam reſtitutionis, quæ tamen, quia ex contractu ſit debita antè ſententiam judicis ſolvenda eſt: ſic ergo & excitantur homines ad diligentiam, & ſervantur partes indemnes, ſi damna abſque exceptione, defectum culpæ Theologicæ prætendente reparanda ſunt, qui eſt unicus finis legum: undè hæc poſterior ſententia etiam mihi videtur probabilior.

Circa quaſi contractum, vel ut appellari ſolet, circa contractum implicitum, quo quis per officii alicujus ſuſceptionem ſe implicitè obligat ad ea, quæ officium requirit, Doctores communiter præcisè obligationem evitandi culpam latam agnoſcunt, ſive is ſolùm in unius, ſive in utriuſque contrahentis utilitatem cedat; eò quòd onus gerendi officium, vel dandi conſilium, fundatum in ſententia ſaltem probabili, vel probabiliori (ſi ad hanc ſectandam ſpeciali pacto ſe quis obſtrinxit) non cenſeantur homines aliter in ſe ſuſcipere, quàm ſub obligatione præſtandi id, quod communiter à diligentibus præſtari ſolet, neque ſimiles, ſicut de veris contractibus, in jure Leges ſtatuantur: unde conſiliarius, medicus, advocatus, judex, confeſſarius non tenetur ad reſtitutionem ullius damni, niſi quod ex craſſa negligentia, vel inſcitia rerum muneri ſcitu neceſſariarum, & teſte Lugo, Eſparza, Haunold. aliiſque doctiſſimis recentioribus cum advertentia ad culpam gravem ſecutum eſt. Imò de conſiliario rectè advertit Leſſius *lib. 2. c. 7. dub. 7.* ſi ille opinionem ſuam abſolutè proferat, non per modum ſuadentis, vel ſub dubio, nullam ei imponi obligationem reſtituendi, ſed damnum ſuæ quemque temeritati debere adſcribere: idem ait ſentiendum, quando petenti conſilium nota fuit conſulentis imperitia, neque ex eo alteri tertio damnum illatum eſt. 34

ARTICULUS VI.

An culpa, obligans titulo injuſtæ acceptationis ad reſtitutionem, committi poſſit per damnificationem volenti illatam.

SUMMARIUM.

35 *Damnum, efficaciter volenti illatum, non eſt injuſtum, adeòque nec reſtituendum.*
36 *Plura in contrarium opponuntur.*
37 *Reſpondetur ad ſingula. Et oſtenditur meritò ab Innoc. XI. damnatam eſſe propoſitionem 50. aſſerentem poſſe conjugem, efficaciter cedere jure ſuo ad thori fidem.*

DIco cum S. Thoma *q. 59. art. 3* & Doctorum unanimi conſenſu, ſicut injuſtum formaliter ſeu injuriam nemo poteſt facere, niſi volens, cùm niſi fiat à ſciente, & volente, tantùm ſit materialis damnificatio, non formalis injuria; ita nemo poteſt injuriam, ſeu culpabilem læſionem pati; niſi nolens, vel per ſe, vel per alium, à cujus voluntate ipſe quoad effectum efficacis ceſſionis juris dependet. Probatur. Quia omnis injuria debet eſſe contra jus alterius, ſed qui damnum facit efficaciter volenti, non facit contra jus illius; hoc enim ſublatum eſt per voluntariam ceſſionem, & deobligationem à Lege priùs favente illi, qui habuit jus, & gravante alios: ergo &c. Unde Regula juris 27. *in 6.* hæc habet: ſcienti, & conſentienti non fit injuria, neque dolus; & *Regul. 187. ff. eodem* nemo videtur fraudare eos, qui ſciunt, & conſentiunt. 35

Pro declaranda concluſione obiici ſolet. 1. Conſentienti in ſuam necem, vel mutilationem, ſit injuria ab occiſore 36

ſore, vel mutilatore. 2. Marito ſpontè conſentienti in adulterium conjugis fit vera injuria, in conſeſſione non per ſimplicem fornicationem, ſed per adulterium explicanda. 3. Chriſto, & SS. Martyribus illatæ ſunt veræ injuriæ non tantùm volentibus, ſed etiam gaudentibus de tormentis. 4. Clericus volens percuſſus, aut à tribunali ſæculari judicatus, &, 5. Denique, qui dat volens, ac obtrudens aliquid ultra ſortem mutui, nempè uſuram, vel qui aliquid ex metu dat, volens tamen, patitur veram injuriam: ergo &c. Reſpondetur 1. Univerſaliter omnes inſtantias nihil præjudicare noſtræ concluſioni, ſi enim in dictis caſibus, ut ſupponitur, & quod decidere non eſt hujus loci, vera injuria infertur, tunc patiens illam eſt per ſe ipſum quidem affectivè volens, ſed effectivè eſt efficaciter nolens per alium, à cujus voluntate ipſe quoad effectum ceſſionis dependet.

37 Reſpondetur 2. Ad ſingulos caſus in ſpecie: ad 1. Negatur fieri injuriam occiſo, quia ſive ſit volens, ſive invitus in illo inſtanti, quo auſertur vita, perdit omnia jura corporalia, & fit ſubiectum incapax dominii illorum, aut ſi per fictionem juris velis occaſionem retrahere ad præcedens inſtans, in quo quis in ſui occiſionem conſentit, ſicut Philoſophi per comparationem ad inſtans vitæ immediatè præcedens ſalvant violentiam mortis homini invito illatæ, tum iterum dico, neque occiſo, neque mutilato in ullo inſtanti fieri injuriam, quia uterque eſt volens quoad uſum juris ſibi ablatum. Ad ſecundùm Reſp. quòd licèt ab aliquibus dicatur, maritum poſſe cedere jure ſuo circa corpus ſuæ conjugis, adeòque non fieri illi injuriam per fornicationem cum alio viro, mihi tamen cum Dicaſtillo, Eſparza, & aliis eſt indubitatum, maritum non poſſe cedere (ſicut minorennes non poſſunt circa ſua bona abſque conſenſu tutoris, vel curatoris, quamvis ipſi ſeriò, & ex parte ſua affectivè efficaciter velint) Adulterium enim formaliter includit malitiam injuriæ, eſt autem ab Innocent. XI. prohibita hæc propoſitio 50. *Copula cum conjugata muliere conſentiente marito non eſt adulterium, adeòque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.* Præterea hujuſmodi poteſtas præjudicaret reverentiæ Sacramenti Matrimonii, & virtuti ſignificativæ illius in Chriſto, & Eccleſia, quæ non tantùm totaliter à Chriſto tanquam legitimo Sponſo ſuo deficere non poteſt, ſed neque quoad ullum actum, quorum primum ſicut per indiſſolubilitatem matrimonii, ita ſecundùm per invaliditatem conceſsionis ad ullum actum, alteri quoad uſum corporis permittendum, optimè ſignificatur: idem dicendum de Clerico, qui licèt tanquam perſona particularis cedere poſsit privilegio canonis, & ſori, neque ut talis homo, vel ut Comes, aut Baro eſt, ſatisfactionem exigere queat, quatenus tamen eſt pars totius Cleri, cui ſit injuria, & cujus jure ipſe cedere non poteſt, eatenus adhuc patitur injuriam. Ad tertium Reſp. Martyres non fuiſſe volentes voluntate cedente juri ſuo ad uſum longiorem vitæ, & negationem dolorum, ſed tantùm voluntate deſiderii, & gaudii, ex ſuppoſitione injuriæ illatæ. Ad 4. Jam eſt reſponſum. Ad 5. Reſp. Dantem uſuras ex mutuo, vel aliquid aliud ex metu, non pati injuriam immediatè per receptionem ejus, quod vult dare, ſed per hoc, quòd extorqueatur conſenſus ad dandum verè, vel apparenter; id, quod datur, circa quam extorſionem conſenſus non eſt volens.

ARTICULUS VII.

Qualis detur Obligatio titulo rei acceptæ abſque delicto reſtituendi rem quoad ejus ſubſtantiam.

SUMMARIUM.

38 *Res aliena, titulo rei acceptæ, eadem numero eſt reſtituenda.*

39 *Rem alienam, à fure bona fide emptam, pro recuperando pretio aliquando certum eſt reſtitui illi poſſe, & aliquando non poſſe.*

40 *Probabiliùs eſt, etiam mala fide emptam, ſi pretium aliter recuperari nequeat, poſſe venditori reſtitui.*

41. 42. 43 *Reiiciuntur tamen aliorum tres rationes minùs efficaces.*

44. 45 *Solvuntur duæ objectiones.*

46 *Ad quid teneatur dubitans, an res ſit ſua, vel aliena.*

Ex dictis primo capite certum eſt, qui rem bona fide conſumpſit (etiamſi ad fines malos, ebrietatem, luxuriam, &c. impenderit; quia per hoc non addit ſpeciem injuſtitiæ) non teneri ad reſtitutionem, niſi in quantum eſt ditior factus, teneri verò, ſi rem, quàm bona fide poſsidet, deindè morali certitudine ſciat eſſe alienam; tunc enim res quoad ſubſtantiam (de fructibus poſteà dicemus) eſt eadem numero reſtituenda, & non tantùm in æquivalenti, ſeu functionem recipiente, ſi alter id rationabiliter exigat; quia habet jus in hac re numero. 38

Dubitatur tamen, & quæritur 1. An qui rem ſive bona, ſive mala fide à fure emit, poſſit illam reddere furi, ne patiatur periculum, aut jacturam pretii, quando ſcit furem non reſtituturum rem ſuo domino. Certum autem eſt, quòd poſſit, ſi fur probabiliter ſpontè, vel coactè eſt reſtituturus rem domino; & quòd non poſſit, ſi probabiliter non eſt reſtituturus, & ſi emptori mercem furtivam detinenti adhuc pretium reddet, aut ſi nullum accepit. 39

Negativè reſpondent Sotus, Cajet. Jo. & Barthol. Medina, Covarr. Ledeſma, Molina *diſp.* 622. Affirmativè, & communiùs, teſte Lugo, ac Dicaſtilo, reſpondent, ſaltem ſi res bona fide ſit empta, duo Doctores citati, Navarrus, Leſſ. Turrianus, Malderus; imò etiamſi mala fide ſit empta, adhuc affirmant Lugo *diſp. 17. ſect. 2. n. 37.* Alexander Alenſis, Gabriel, Sylveſt. Angel. Dian. *to. 1. par. 2 tract. 3. ... reſol...* P. Haunold. *tom. 1. tract. 3. num* 260 quorum ſententiam, ut mihi probabiliorem, ſic probo. Etiamſi dominus rei habeat jus, quemvis alium obligandi ad ſibi non alienandam, vel deſtruendam, vel è propria, aut alterius cuſtodia auferendam rem ſuam, ſecluſo tamen ſpeciali pacto, neque habet jus obligandi ipſum cuſtodem, quò minùs ſi continuatio cuſtodiæ eidem eſſet cauſa gravis, vel etiam æqualis damni, rem extra ſuam cuſtodiam deponat per actionem nec deſtructivam, nec alienativam, nec in pejori ſtatu conſtitutivam rei, quàm in quo antè fuerat, poſito quòd proprium damnum aliter evitare non poſſit; quia nemo cenſetur cum tali obligatione, & propria jactura cuſtodiam rei alienæ in ſe ſuſcipere: ergo etiamſi quis rem furtivam bona, vel mala fide emerit, & facto ipſo ſuſceperit cuſtodiam illius, non tamen ſuſcepit cum obligatione non ponendi prædictam actionem in dictis circumſtantiis. 40

Confirmatur à pari. Fatentur adverſarii, ſaltem plerique, quòd inventor ad ſuſpicionem furti, vel aliud damnum cavendum, poſſit rem in antiquo loco, licèt periculoſo, reponere, ergo etiam emptor rei furtivæ poteſt ad cavendum damnum pretii illam reddere furi.

Probat aſſertionem noſtram doctus recentior etiam hac ratione. Fur habet obligationem legitimo domino potiùs reſtituendi rem, quàm æquivalens pretium, ergo habet jus pro pretio emptori reddito, repetendi rem, ſicut operarius propter obligationem præſtandi operam conductam habet jus exigendi ſtipendium: ergo emptor tenetur reddere rem furi, ſive hic velit, ſive nolit, obligationi ſuæ ſatisfacere, hoc ipſo, quòd ſaltem maneat obligatio. Reſpondebunt adverſarii diſtinguendo antecedens, fur habet obligationem reſtituendi rem legitimo domino abſolutam, negabunt antecedens, conditionatam, ſcilicet niſi res aliàs ad legitimum dominum perveniat, vel ſi poſſit eam ipſe reſtituere, concedent antecedens: emptor autem nec tenetur, nec licitè poteſt rem ex abſoluta furis obligatione jam extractam, & in meliori ſtatu poſitam, poſitivè in deteriorem conjicere: quia nec furi fit injuria, ſi emptor rem domino reſtituendo, furem ab obligatione liberet, nec domino, quia iſti eſt optabilius ab emptore rem ſuam recipere certò, etiam cum jactura ſolvendi præmii pro benè geſto negotio, quàm ſubire periculum nunquam recipiendi rem ſuam, ſi furi nolenti reſtituere redderetur, itaque etiamſi furis injuſta intentione retinendi rem alienam non tollatur obligatio, quia tamen illa intentio eſt ratio, cur ſtatus rei fieret deterior, ſi furi redderetur, ideò emptor nec debet, nec poteſt reddere. Confirmabunt ſuam doctrinam. Fur habet quidem obligationem conditionatam, 41

natam, ut rem furtivam domino reſtituat, ſi poſſit, emptor tamen non tenetur facere, ut poſſit, nec licitum eſt ipſi, hoc facere per poſitivam, & directam læſionem domini, ſeu deteriorationem ſtatus rei, ergo nec debet, nec poteſt rem furi reſtituere. Ad inſtantiam reſpondebunt, ſtipendium nec deberi propter obligationem præſtandi operam, ſed potiùs propter, & poſt operam præſtitam: nec etiam eſſe paritatem, quia obligatio præſtandi operam non dependet à conditione licitè non implebili, ſicut pendet obligatio reſtituendi, ſi nimirum res furi eſſet reddita.

42 Alia æquè inefficaci probatione utitur Lugo. Auferens rem furtivam furi, poſſum illam poſitivè reſtituere ſi ille invicem auferat mihi rem meam, ergo etiam emptor poteſt. Reſpondebunt adverſarii: ſi fur tam ſit in quieta poſſeſſione rei meæ, non poſſe à me reſtitui rem furi, ob paritatem rationis, ſed poſſe ſtatim in actuali ablatione mutua, quia tunc nondum cenſeor rem omninò liberaſſe à fure, & habeo me, ſicut ſi rem ſinam relabi in ignem, vel aquam, unde eripui: ſic fugitivum furem poſſum etiam occidere ad vindicandam rem meam, non tamen, quando jam pacificè poſſidet, quia in priori caſu cenſeor adhuc adhibere inculpabilem tutelam rei meæ, utpotè nondum perfectè mihi ereptæ.

43 Denique inefficacem etiam aſſero hanc argumentationem: contractus emptionis fuit injuſtus, ergo poteſt reſcindi, ergo poſſum rem reddere furi, & repetere pretium meum. Reſpondebunt iterum adverſarii, negando primam partem ultimæ conſequentiæ: quia contractum reſcindo repetendo rem meam: ſed reddere rem alienam furi non poſſum ob ſequentes rationes.

44 Obiicitur itaque 1. Sicut fructus per ſe, vel per accidens ex re aliqua provenientes ſpectant ad dominum rei, ſic ipſe ſtatus melior, quem res nacta eſt, ſpectat ad dominum rei: hinc non licet, igni, vel mari ereptam rurſus in ipſum proiicere: ſed exiſtentia rei in loco ſecuriori, quàm qualem apud furem haberet, eſt ſtatus melior, ergo ſpectat ad dominum: ergo non licet per actionem poſitivam illum tollere, transferendo rem ad furem, ſed ad ſummum licet non prohibere furem, & paſſivè ſe habere, ut ipſe rem auferat. Reſp. Diſtinguendo majorem: ſtatus melior ſpectat ad Dominum rei eo modo, quo datur ipſe ſtatus, id eſt, conditionatè, ſeu ſub ea conditione, ſub qua emptor ad cuſtodiam rei ſe obligavit, concedo majorem: alio modo, & abſolutè, nego majorem: & retorqueo illam in caſu ſupra pro confirmatione adducto: nam etiam exiſtentia rei apud inventorem gnarum ipſius domini eſt ſtatus melior, quàm ſi ad antiquum locum deportetur, ubi etiam forſan dominus intereà fruſtra requiſivit, ac proinde non eſt redditurus, vel ubi à tranſeuntibus, ac legitimi domini ignaris facilè ſine omni ſpe reſtitutionis auferetur. Inſtantia in objectione indicata nos non urget, utpotè qui ultro in concluſionis probatione excepimus actionem proximè deſtructivam rei, qualis eſt projectio in ignem, vel aquam, non autem traditio facta furi, qui rem poteſt reddere domino, ſi vult: ſimiliter excepimus actionem alienativam; unde non poſſet emptor rem alteri vendere, & ab illo æquale pretium recipere, quamvis ſuum contractum emptionis valeat reſcindere, etiamſi mala fide emerit, quia per hoc in effectu tollit actionem ſuam injurioſam.

45 Obiicitur 2. Emptor rei alienæ, etiamſi bona fide emiſſet, à domino requiſitus tenetur eam tradere, & ad hoc à judice implorato cogeretur; ergo etiam teneretur non requiſitus, & à judice non coactus, quia non ex præſuppoſitione delicti, ſed obligationis naturalis juſtè repeteret dominus rem ſuam, & à judice illi addiceretur. Reſpond. Diſtinguendo antec emptor teneretur rem alienam domino tradere propter ceſſationem circumſtantiarum, in quibus poteſt rem reddere furi ad recipiendum pretium, concedo anteced. propter defectum juris manentibus iiſdem circumſtantiis, nego antec. & conſeq. Nam poſtquam res furtiva à domino ſuo eſt agnita, vel à Judice etiam eidem addicta, tunc plerumque ceſſant cauſæ reticendi furem, & poteſt ipſum etiam per judicem cogere ad reſtituendum ſibi pretium non reddita re furtiva; quòd ſi autem ille fugerit, hoc ipſo emptor neque rem furi reddere, neque ab eodem pretium recipere poterit; proindè iterum redit obligatio rem domino ſuo reſtituendi.

Dubitatur, & quæritur 2. ad quid teneatur poſſeſſor dubiæ fidei. Reſp. Si certa fuit initio poſſeſſionis, oborto dein dubio, & facta ſufficienti indagatione non tenetur reſtituere; quia poteſt ſibi dubium circa continuationem poſſeſſionis tollere, manente dubio circa rem per Regulam juris, melior eſt conditio poſſidentis; qui tamen ſi rem alteri vendere vellet, teneretur eum de dubio ſuo monere propter periculum evincendæ rei; domino comparente, ob citatam Regulam tenetur reſtituere rem cum omnibus fructibus, qui alteri ſemper bona fide poſſidenti, cum dubia, adeòque practicè mala eam abſtulit invito (nam ſi voluntariè tradidiſſet, ſimul jus bonæ fidei tranſtuliſſet) quòd ſi etiam alter erat dubiæ fidei in principio poſſeſſionis (nam ſi primùm poſteà ſubortum illi eſſet dubium, nihil ipſi obeſſet propter citatam Regulam) deberet res reſtitui tertio, cui originaliter bona fide poſſidenti ablata eſt, niſi ille ignoretur, tum enim rurſum alteri, ſimiliter jus dubium habenti, ſecundùm rationem dubii debet reſtitui pars magna, vel parva. 46

Si denique bona fide poſſidens initio, deinde oborto dubio neglexiſſet occaſionem indagandi veritatem, docent Rebellus *p. 1. lib. 2. quæſt. 5. num. 12.* Palao *de Conſcientia diſp. 3. punct. 2. num. 9.* P. Haunold. *tom. 1. tract. 9. num. 306.* referens etiam Bonacinam, & Lugo, addenſque hanc limitationem, niſi ſcilicet dubium eſſet circa determinatum aliquem dominum, poſſeſſorem in tali caſu ad nihil teneri quia juxta communem ſententiam dubitans, an ſua actione damnum proximo intulerit, non tenetur ad reſtitutionem: neque talis res eſt incerta ex delicto injuriæ, immediatè verſantis circa rem, ſed tantùm negligentiæ officientis ſpei ad rem: præterea debita incerta ex delicto certo ſciuntur, eſſe aliena, ſed neſcitur dominus determinatus. Alii verò docent poſſeſſorem teneri ad reſtitutionem tanti valoris, quanta ſpe alterum ſecundùm rationem dubii ſui per negligentiam, indagandi veritatem privavit; ad hanc enim ille, etſi non ad rem habuit certum jus, nec eſt dubium de damno circa illud illato. Imò ſi poſtquam rem conſumpſiſti, certò comperias, eum, de quo dubitaſti, legitimum dominum fuiſſe, non tantùm obligaris ad compenſationem ſpei, ſed etiam fructuum a tempore neglectæ inquiſitionis perceptorum: quia hoc totum damnum culpabiliter alteri intuliſti: & hæc ſententia mihi videtur probabilior.

ARTICULUS VIII.

Qualis ſit Obligatio reſtituendi fructus rei alienæ, titulo rei acceptæ, vel injuſtæ acceptionis.

SUMMARIUM.

47 *Fructus ſunt triplicis generis. Naturales, Induſtriales, Mixti.*

48 *Fructus merè Induſtriales non ſunt reſtituendi.*

49 *Fructus Naturales, & Mixtos (detracto pretio Induſtriæ) formaliter extantes, etiam bonæ fidei poſſeſſor reſtituere tenetur, quamvis eorum dominium revocabile ſibi comparaverit.*

50 *Idem tamen probabiliùs non tenetur reſtituere fructus, tantùm æquivalenter, ſive in lucro extantes à Iure poſitivo in præmium pro cultura, & cura conceſſos.*

51 *Excipitur tamen fructus, ex aliena hæreditate æquivalenter extantes, qui proinde legitimo hæredi reſtitui debent.*

52 *Mota lite, & re evicta, tenetur poſſeſſor bonæ fidei, non tantùm rem, ſed etiam fructus perceptos, & percipiendos, tempori litis correſpondentes, reſtituere.*

53 *Poſſeſſor malæ fidei tenetur omnes fructus, etiam conſumptos, nec æquivalenter extantes, imò ex negligentia ſua non perceptos, quos Dominus tamen percepturus fuiſſet, reſtituere.*

54 Li-

54 *Licet verò pro fructibus factas expenſas neceſſarias, & utiles deducere, ſive fueris poſſeſſor bonæ, ſive malæ fidei.*

55 *Modò res Domino tantum ſit utilior facta.*

56 *Expenſas voluntarias, in quantum per illas res aliena eſt melior, & pretioſior facta, vel pluris à Domino vendita, bonæ & malæ fidei poſſeſſor probabilius etiam deducere poteſt, ſaltem magna ex parte.*

57 *Nomine expenſarum comprehenditur etiam æſtimatiò propriæ induſtriæ.*

58 NOta triplicis generis fructus: primò naturales, quos natura producit nulla, aut modica concurrente induſtria, ut fœtus animalium, lac, lana, poma, nuces, ſylvæ. Secundò merè induſtriales, qui potiſſimùm labore, & induſtria ex re quapiam eliciuntur. Tertiò mixtos, qui partim ex re, partim ex induſtria naſcuntur, v. g. ſegetes reſpectu agri, & agricolæ, non verò reſpectu ſeminis, utpote quod in agro conſumitur: hinc potiùs fructus agri, quàm ſeminis dicuntur, & non debent reſtitui, ſi ſint ex alieno ſemine, modò ſemen ſolvatur, teſte Dicaſtillo, Lugo, & aliis: ad poſtrema duo genera fructuum ſaltem impropriè revocantur etiam lucra ex certis juribus, ſeu titulis orta, nempè uſuræ, penſiones, mercedes, ſalaria &c. quæ fructus civiles appellantur.

59 Dico 1. Fructus merè induſtriales non ſunt reſtituendi juxta certam Theologorum, & Juriſtarum ſententiam. Ratio eſt, quia hi non ſunt fructus rei alienæ, ſed induſtriæ propriæ; unde etiam poſſeſſor malæ fidei non tenetur illos reſtituere.

60 Dico 2. Poſſeſſorem bonæ fidei teneri ad reſtitutionem omnium fructuum naturalium, & mixtorum (detractis expenſis, & pretio Induſtriæ) formaliter extantium, receptum eſt apud omnes propè Theologos, & Juriſtas, quamvis de mixtis id negetur ab Accurſio, Duareno, & Doneilo apud P. Haunoldum *tr.* 3. *num.* 266. Ratio eſt quia fructus iſti nondum ſunt percepti, ſed adhærent rei debitæ, & tunc ſicut dominus retinet dominium rei, ſic etiam fructuum, qui propter connexionem cenſentur pars rei fructiferæ: & conſtat expreſsè *ex l. Julianus* 18. *§. Si fructibus* 10. *ff. de Actionibus empti*: vel jam ſunt percepti, id eſt, collecti, ſed nondum abſumpti, & tunc contra communiorem quidem ſententiam Theologorum concedendum eſt dominium bonæ fidei poſſeſſori, ſed revocabiliter, ſeu temporaneum uſque ad litis conteſtationem, ſeu evictionem legitimi domini, uſque dum ſcil. ille indubiè cognoſcatur, ut cum Menocchio, Cujaz. Manzio Laym. Pal. docet P. Haunol. *à n.* 267. *ex l. Bonæ fid.* 48. *ff. de Acquirendo rerum domin.*: ubi dicitur: *emptor bonæ fidei omnes fructus interim facit ſuos*: quamdiu ſcilicet non reſcinditur contractus defectuoſus: & ex *l.* 22. *Cod. de Rei vind.* ubi dicitur: poſſeſſores bonæ fidei poſt litis conteſtationem præſtare debere fructus exſtantes univerſos, quamvis ante litis conteſtationem eorum dominium acquiſiverint, ita ut ad hoc non ſit illis opus ulla uſucapione, ſeu præſcriptione, *juxta legem Sequitur §. Lana* 19. *ff. de Uſucap.* ubi tamen non præjudicatur juri intra triennium præſcribendi irrevocabilitatem dominii in res mobiles: imò in donationibus invalidis inter virum, & uxorem fructus rei donatæ non merè naturales etiam irrevocabiliter conceduntur *l.* 45. *ff. de Uſuris*, ſi donans per illos non reddatur pauperior, v. g. ſi ex induſtria donatarii, & ex illius ſemine orta ſit ſeges in agro invalidè donato, prout Patre Haunold. hanc legem cum aliis apparenter contrariis conciliat, niſi malis cum Lugo dicere, à poſterioribus legibus omnino eſſe abrogatam.

61 Dico 3. Etſi Theologi conſtanter, & unanimiter aſſerant, fructus poſt conteſtationem litis æquivalenter tantùm exſtantes adhuc reſtituendos eſſe à poſſeſſore bonæ fidei, prout ſecluſis legibus omnino jus naturale exigeret, eò quòd lucrum ex re aliena ipſius rei vices agat, probabilior tamen videtur oppoſita Recentiorum Juriſtarum ſententia (niſi fructus ex hæreditate aliena provenerint) quam abſolutè tenent P. Haunoldus *tr.* 3. *num.* 281. & in quam valde inclinat Palao *diſp. unica de Juſt. in genere pun.* 24. *§.* 7. *num.* 12. plurimos pro ea referens, quę etiam à pleriſque adverſariis admittitur ut probabilis, & in praxi utriuſque fori tuta, ac teſte Rebello, Thoma Sanchez, Pinello, Fabro obſervari ſolita. Probatur 1. Si Leges lucrum ex fructibus rei alienæ bona fide conſumptis poſſeſſori ſtabiliter concedunt, non minùs ille ejuſdem dominium ſtabile acquirit, quàm acquiratur dominium rei alienæ per præſcriptionem Legis beneficio inductam, cùm non minus finem honeſtum ſibi habeant præfixum, nempè ne rerum alienarum cultura, & cura abſque præmio relinquatur, ne etiam conſcientiæ bonæ fidei poſſeſſorum graventur, & ſæpe ſcrupulis propter difficilem lucri æſtimationem exponantur: ſed variæ Leges ſecundùm peritorum interpretationem, & tribunalium praxim, ac ſatis clarum verborum rigorem accipiendæ, iſtud lucrum concedunt, ergo &c. Probatur minor *ex l. Sed & loci* 4. *§. Poſt litem* 2. *ff. Finium regundorum*, ubi dicitur: *ſed ante judicium percepti non omni modo hoc in judicium venient, aut enim bona fide percepit & lucrari eum oportet, ſi eos conſumpſit, aut mala fide, & conduci oportet.* *Et ex §. item ſi quis à non domino, inſt. de rerum diviſione ibi, Naturali ratione* (id eſt æquitate) *placuit fructus, quos percepit, ejus eſſe pro cultura, & cura, & ideo ſi poſtea dominus ſupervenerit, & fundum vindicet, de fructibus ab eo* (ſcilicet emptore fundi alieni) *conſumptis agere non poteſt.* Et *ex l. certum* 22. *Cod. de rei vind.* ubi poſſeſſor bonæ fidei tantùm fructus exſtantes jubetur præſtare: atqui fructus conſumpti, etiamſi eorum loco exiſtat lucrum, ipſi tamen in rigore non dicuntur ampliùs exſtare, niſi cum addito, *æquivalenter*, quod hìc ſtudiosè lucri concedendi gratia omiſſum eſſe, ex eo colligitur, quia aliàs, quando ſtatuitur obligatio præſtandi fructus ex hæreditate aliena perceptos, & æquivalenter extantes, ſemper etiam exprimitur lucrum loco fructuum præſtandum *l. Sed etſi* 25. *§. conſuluit* 21. *ff. de Hæreditatis petitione l. Illud quoque* 40. *§.* 1. *ff. eodem l.* 1. *Cod. de Petitione hæreditatis.*

Neque dicas, relatos textus ſolùm deobligare à reſtitutione fructuum, neque formaliter, neque æquivalenter exſtantium: nam in primis Leges univerſaliter, & abſolutè negant bona fide conſumptos fructus præſtandos eſſe, adeoque ſolam fidelem conſumptionem, non autem negationem lucri requirunt. Deinde fructus nullo modo extantes non intuitu culturæ, & curæ, ſed jure naturali indebiti ſunt; unde ſi Leges de illis ſolùm loquerentur, nihil ſpeciale ſtatuiſſent, ut bene advertit Palao. Æquè parùm ſatisfacies legum tenori, dicendo, per eas tantùm in foro externo non concedi actionem ad lucrum exigendum, è contra concedi ad recuperandam rem, & fructus in ea pendentes actionem vindicationis; ad fructus verò jam perceptos, ſed nondum conſumptos, concedi actionem perſonalem condictionis ſine cauſa (qua quod priùs ex juſta cauſa apud alium fuit, ea ceſſante iterum repetimus) vel condictionis ex Lege, quæ ſcilicet Lege conceditur non expreſſa actionis qualitate, vel ſaltem repeti poſſe fructus exſtantes implorato judicis officio. Nam hac reſponſione etiam elidi poſſet vis præſcriptionis legitimæ, quam ipſi quoque adverſarii in foro conſcientiæ recipiunt; deinde poſſeſſori non tantùm concedi exceptionem adverſus actorem, ſed verè lucrari fructus conſumptos, ex quibus etiam eſt ditior factus, & ejus eſſe pro cultura, & cura indicatur in ipſis legibus citatis.

Excepi tamen in concluſione, inſerta parentheſi, fructus ex hæreditate aliena provenientes propter Leges paulò antè adductas, quibus expreſsè jubetur fructus bona fide conſumens præſtare, quantum ex illis locupletior eſt redditus: unde quando §. *Etſi* 3. *Inſt. de officio judicis* dicitur: *& ſi hæreditas petita ſit, eadem circa fructus interveniunt, quæ diximus intervenire de ſingularum rerum petitione.* Reſpondet P. Haunoldus *n.* 283. eadem intervenire formaliter, non materialiter, nempè fructus utrobique petuntur, ſed non eodem modo, & pari latitudine quoad fructus tam exſtantes, quàm conſumptos: cujus diſparitatem aſſignat *nu.* 277. quia qui poſſedit pro hærede, quidquid ipſi quà tali acceſſit, cùm revera hæres non fuerit, hæreditati tanquam perſonæ fictæ acceſſit, eamque auxit, evaſitque pars univerſitatis bonorum: hinc etiam fructuum exſtantium poſſeſſor neque dominium revocabile acquirit uti de aliis fructibus priori concluſione diximus, ſed legitimus hæres eadem actione vindicationis hæreditatem, & fructus repetit teſte Palao & Clariſ. Docto. Caſp. Manzio apud cit. authorem. 51

Dico

52 Dico 4. Poſſeſſorem bonæ fidei evicta re teneri etiam reſtituere fructus (vel conſumptorum æſtimationem) tempore motæ controverſiæ perceptos, aut percipiendos, etiamſi non ſit ditior factus, & ut probabilior ac communior ſententia apud Palao §. 8. *n.* 4. contra Jo. Garziam & Thom. Sanchez docet, etiamſi nondum tantæ rationes contra eum ſint allatæ, ut poſſeſſor malæ fidei eſſe cœperit, modò fructus percipiendi non proveniſſent ex melioramentis à poſſeſſore adjectis, hoc enim, ſicut etiam uſuras, quæ ex mutuo accidi potuiſſent, meritò excipit P. Haunold. *n.* 290. quia æquum eſt, ne bonæ fidei poſſeſſor ex ſua diligentia damnum percipiat, & ne uſuras pro periculo rei mutuatæ debitas ſolvat, quando omiſſa mutuatione periculo non expoſuit, & ſi expoſuiſſet, hoc ipſum non domini, ſed ſuum periculum fuiſſet, ut habetur *l. 62. ff. de Rei vendicatione.*

Probatur nunc Concluſio 1. *ex l. 25. §. 7. ff. de Hæreditatis* ubi dicitur, *quoniam poſt litem conteſtatam omnes incipiunt malæ fidei poſſeſſores eſſe; quin imò poſt controverſiam motam* (intellige fictione juris) *quanquam enim litis conteſtatæ mentio fiat in ſenatus conſulto, tamen poſt motam controverſiam omnes poſſeſſores pares fiunt, & quaſi prædones tenentur: & hoc jure hodie utimur: cæpit enim ſcire rem ad ſe non pertinentem poſſidere ſe is, qui interpellatur.* Dixi tamen *evicta re*; juxta *l. 25. §. 2. ff. de Uſuris* ibi, *bonæ fidei emptor quoad percipiendos fructus intelligi debet, quamdiu evictus fundus non fuerit.* Probatur 2. Ratione naturali: tempore motæ litis quaſi ſuſpenditur jus, & dominium rei, & fructuum, ut conteſtata lite per ſententiam judicis reſtituatur ei, etiam pro tempore litis pendentis, qui rem evicerit; ergo ſi poſſeſſor ſuccubuit, ille tantùm fuit adminiſtrator rei alienæ, & fructus non aſſervabiles potuit tantùm abſumere ſub conditione præſtandæ æſtimationis, percipiendos verò debuit procurare tanquam fidelis adminiſtrator, v. g. colere agros, locare domum &c.

53 Dico 5. Poſſeſſorem malæ fidei præter obligationem, quam habet poſſeſſor bonæ fidei, debere etiam reſtituere fructus conſumptos, licèt non ſit ditior factus, & licèt dominus rei illos non percepiſſet, quia hoc ipſo, quòd extiterint ad ipſum ſpectabant *juxta §. 3. Inſt. de Officio Judicis: & §. Si quis à non domino, Inſt. de Rerum diviſ. l. Certum 22. C. de Rei vindic.* præterea eos, quos ex negligentia ſua non percepit, ſed poſſeſſor juſtus percepturus fuiſſet, niſi ab iniquo res illius fuiſſet detenta *l. Si navis 62. § Finali ff. de Rei vindic. & l. 23. ff. eodem*, ratio eſt, quia juxta omnes iniquus poſſeſſor debet reſtituere domino lucrum ceſſans, & damnum emergens. Fructus ex melioramentis percepti, ſi hæc à reipſa facilè ſeparari non poſſunt, adeoque in dominium veri domini tranſeunt, etiam reſtituendi ſunt, quia res domino fructificat v. g. arbores de novo plantatæ; non verò ſi melioramenta facilè ſint amobilia, hinc exceſſus lucri ex locatione ædium, imaginibus, & tapetibus ornatarum ad poſſeſſorem ſive bonæ, ſive malæ fidei pertinet.

54 Dico 6. Cùm fructus non habeant rationem fructuum, niſi detractis expenſis juxta *l. 36. §. Finalem ff. de Hæred. petit.* eæ autem triplicis generis enumerentur, *l. Impenſæ 79. ff. de Verborum ſignificatione*, ideo in harum deductione hac diſtinctione eſt utendum. Expenſæ neceſſariæ, ſine quibus nimirum res periret, vel deterior fieret, in utroque foro à cujuſcunque fidei poſſeſſore juxta omnes in primis deduci poſſunt *l. Domum Cod. de Rei vind.* ratio eſt quia illas dominus facere debuiſſet, nec patitur inde damnum diverſum. Deinde etiam expenſæ utiles, quæ ſcilicet rem utiliorem reddunt v. g. plantatione vineæ, arborum &c. quæ de facto impenſæ ſunt, & quatenus per illas res domino ſuo eſt pretioſior facta, in foro conſcientiæ juſtè deducuntur ab utroque poſſeſſore, quia etiam hæ cedunt in domini utilitatem. Ita communis ſententia cum Covarr. Molin. Sayro, Rebello, Leſs. Navarro, Thom. Sanchez. quos ſequitur Palao *diſp. unica de Juſt. in genere §. V. 1. pun. 24. n. 5.* in foro externo autem, quando melioramenta ſalva rei ſubſtantia, & ipſorum emolumentorum utilitate, ac æſtimabilitate auferri non poſſunt (ſi enim poſſent, dominus rei non eſſet cogendus ad ea emenda) ſoli poſſeſſori bonæ fidei id permittitur, quamvis teſte P. Haunoldo, ſi Dominus rei ob paupertatem hujuſmodi expenſas utiles ſolvere non poſſit, nequeat poſſeſſor rem interea ſervare, vel ad eam vendendam dominium cogere, niſi aliàs venalem habeat, aut eaſdem expenſas facturus fuiſſet, aut lite pendente requiſitus, eaſdem fieri non prohibuerit. Poſſeſſori malæ fidei verò negatur actio ad illas recipiendas. *l. Adeo 7. §. Ex diverſo ff. de Acquirendo rerum dom.* quarum privati tamen, cùm pœnalis ſit, non obligat in conſcientia, niſi per ſententiam judicis inferatur: imò permittitur, ut domino illas non ſolventi melioramenta auferre, & ſalva rei ſubſtantia abradere poſſit *l. Domum Cod. de Rei vend.* Denique prædictarum legum rigor omnino remittitur etiam ad repetendas expenſas utiles *per legem 38. ff. de Hæreditatis petitione.*

Dixi: *quatenus res eſt pretioſior facta*; ſi enim expendiſti centum, & res eſt tantùm melior 20. teſte Rebello, Sanchez, Palao, & aliis, tantùm 10. detrahere potes, ut conſtat *ex l. In fundo ff. de Rei vind.* idque verum eſt etiam in foro conſcientiæ; quia dominus tantùm tenetur ratione propriorum emolumentorum, damna autem abſque ſua utilitate, & conſenſu profecta ex mala adminiſtratione poſſeſſoris præſtare non debet. 55

Expenſas voluntarias, ſeu voluptarias factas pro ornatu rei alienæ, ſi iſte amoveri non poſſit Sayrus, Mol. & Leſs. docent, in foro conſcientiæ detrahi poſſe; quia per illas res domino ſuo non quidem utilior, ſed pretioſior, & ut majori pretio vendi queat, effecta eſt. Sed Sanchez, Rebellus, Palao, Laymann, & alii negant, eò quòd indignum ſit, cogi dominum à poſſeſſore iniquo ad emendum ornatum pretio in res utiliores expendendo. Propter utramque rationem Lugo, & P. Haunoldus media via incedunt, & non quidem totum pretium, cùm merces ultroneæ, & multò magis obturſæ vileſcant, partem tamen detrahi poſſe permittunt à poſſeſſore bonæ fidei; quod concedendum puto etiam poſſeſſori malæ fidei, ſicut, ſi res actu tantò pluris vendita fuiſſet. concedit P. Haunold. *n.* 301. totam expenſarum æſtimationem licitè ab illo detrahi ante judicis ſententiam. 56

Denique adverte, expenſarum nomine etiam laborem, & propriam induſtriam venire, quia aliàs alteri perſonæ ſolvi debuiſſet; hujus verò æſtimatio, quamvis valorem melioramenti non debeat ſuperare, quia non ratione contractus alicujus, ſed ratione utilitatis debetur, neceſſe tamen etiam non eſt ut illum adæquet, quia induſtria non ab effectu, ſed ratione ſui æſtimationem habet. 57

QUÆSTIO II.

De Reſtitutione in Specie pro Injuriis in bonis animi, & corporis,

ARTICULUS I.

Ad quid obligetur inferens injuriam in bonis animi.

SUMMARIUM.

58 *Qui in bonis animi alteri involuntarium damnum intulit, tenetur, quantum poteſt, impedire illius continuationem, & reſtituere damna emergentia.*

59 *Quando damnum illatum tantùm fuit contra charitatem, & non contra Juſtitiam, hoc ipſo nihil eſt reſtituendum.*

60 *Ad quid teneatur ſeductor, qui alterum à profeſſione Religioſa avertit, & religionem emolumentis privavit.*

61 *Qui vi, vel fraude alterum ad peccandum induxit, tenetur ad illam tollendam; & ad procuranda media ſalutis, ſi deſint.*

DIco 1. Qui circa bona naturalia v. g. ingenium, memoriam, ſanum judicium, ſcientias naturales &c. veneficio, arte, vel alia ratione injuſta damnum intulit, tenetur, ſi modo licito fieri poteſt, veneficium tollere, aliàs continuaret injuriam, medicinas, & alia remedia pro reparatione adhibere, & damna ex tali læſione orta compenſare, ſaniorem doctrinam tradere &c. præſertim ſi ſit practica, & ex illa gravia damna ſequerentur. Ratio horum omnium eſt, quia eadem juſtitia, quæ

quæ injuriam prohibet, exigit, ut læſus in priorem ſtatum reſtituatur, quantùm fieri poteſt, veluti ſi læſus non fuiſſet; ſed niſi præſtarentur omnia ea, quæ dicta ſunt, læſus non reſtitueretur in priorem ſtatum, ergo juſtitia exigit, ut ea præſtentur.

59 Dico 2. Qui in bonis ſupernaturalibus in v.g. virtute, gratia ſanctificante, uſu Sacramentorum, meliore vitæ ſtatu &c. abſque vi, & dolo, ſed precibus, blanditiis, conſilio &c. damnum intulit, etſi peccaverit graviter contra charitatem, tamen non peccavit contra juſtitiam, ac proinde tantùm ex illa, non ex hac tenetur ad reparanda damna. Ratio eſt, quia ſcienti, & volenti non fit injuria, nec alter habet Jus, ut precibus & blanditiis non ſeducatur v.g. à Religioſo ſtatu non impediatur, vel retrahatur, quod ſubinde ob certas cauſas licitè fieri poteſt.

Hinc probabiliter teſte Tannero, Lugo, & aliis, quos citant, neque Religioni facienda eſt reſtitutio pro Novitii, vel Religioſi nondum profeſſi, neque rerum ſuarum dominio per liberam diſpoſitionem exuti egreſſu, & damnis inde ſecutis ex jactura bonorum, quæ fortè accepiſſet à Religioſo. Probatur. Quia quando quis impeditur à bono, v g. à legato, donatione, ad quam non habet jus, ſi id abſque dolo, & fraude fiat, non fit ipſi injuria, cùm nullum habeat jus, neque ad rem, neque ad negationem impedimenti, non violenti, aut fraudulenti: atqui religio non habet jus aliud in Religioſum, quàm juriſdictionis, ſicut Reſpub in civem & pater in filium, tantùm enim ſe tradidit religioni in bonum ſuum ſpirituale, bona autem ſua ponitur nondum tranſcripſiſſe religioni &c Hac probatione ſuppoſita confirmat Lugo *diſp.9.n.*41. concluſionem, eò quòd nullam faciat injuriam, qui præciſè cooperatur agenti principali, non facienti injuriam; atqui impediens Religioſum tantùm cooperatur, & agens principale eſt ipſe Religioſus, qui nullam facit injuriam auferendo ſua bona, ergo &c. Qui autem vi, & fraude impedit, non præciſè cooperatur ad egreſſum, ſed lædi tanquam agens principale jus, quod religioſus, & religio habet contra vim, & fraudem: quod proinde æſtimatur æſtimatione cognitæ ſpei ad rem, etſi nondum habeat jus ad illam, adeoque talis debet religioni reſtituere emolumenta temporalia, quę per ſe (non autem remotè, & ex incerto) erant, & aliquo modo cognoſcebantur fore conjuncta cum præſentia religioſi, quia v.g. erat homo valde induſtrius in œconomia, bene diſpoſitus ad hęreditatem ſuam religioni relinquendam &c. detractis tamen impenſis in ſuſtentationem, medicinam &c. quibus pro ratione perſonę conſideratis exiguum forſan erat reſtituendum.

60 Quod autem ſi quis tali religioſo reditum perſuadere, aut alium, qui juxta illum recipi non potuiſſet, ęquè utilem religioni ſtatuere nequeat (per cujus ſubſtitutionem temporalia damna impediantur, non autem ſolvantur, quia nemo cenſetur ſolvere debitum, ſi alium inducat ad tantundem donandum creditori) ipſe ſeductor teneatur religionem ingredi, ut aliquid apud Lugo, & Dicaſtilio docent, omnino improbabile eſt, & contra tribunalium praxim, cùm ad hoc neque occiſor religioſi compellatur: cujus proinde falſitas hac ratione oſtenditur, nullus tenetur mediis extraordinariis, & valde difficilibus procurare ſibi bona temporalia, ut creditoribus ſuis per ea ſatisfaciat, v.g. mendicando, vel laborando, contra conſuetudinem, aut dignitatem ſtatus ſui: ergo multò magis nullus tenetur aſſumendo ſtatum religioſum, & in ſe valde difficilem, ſatisfacere religioni de damno in bonis temporalibus eidem injuſtè illato.

61 Dico 3. Qui vi, vel fraude aliquem ad peccandum inducit, tenetur ad illam tollendam, ne continuet injuriam, & ad procuranda media reparandi ſalutem animę, ſi deſint. Ratio eſt, quia inferens injuriam tenetur ad ceſſationem ab injuria, & ad reſtauranda damna ex injuria conſecuta, ac lęſo non perfectè voluntaria; ſed eſſe in periculo ſalutis, eſt damnum ex vi, vel fraude inducentis ad peccatum ſaltem tanquam ex cauſa principali conſecutum, & hanc injuriam paſſo non eſt perfectè voluntarium: ergo &c. Confirmatur à pari: qui alterum dicto modo induceret ad ſumendum venenum, teneretur ad illud tollendum, & ad vitam medicinis conſervandam, ergo inducens modo injuſto ad peccatum, quod eſt venenum animę, ad idem tenetur: quod intelligę, ſi alter neſciat medium pœnitentię; ſi enim ipſe habeat media, & non utatur, cedit jure ſuo, ſicut qui redditam pecuniam non acceptat.

ARTICULUS II.

Ad quid obligetur inferens iniuriam in bonis corporis.

§. I.

An aliquando damnum corporis in vita vel membris poſſit inferri licitè.

SUMMARIUM.

62 *Fœtum animatum nunquam licet directè occidere.*

63 *Imò nec inanimatum, ut per prohibitionem Propoſitionis 34. declaravit Innoc. XI. Indirectè tamen occidere licet.*

64 *Verè, & Iuridicè innocentem nunquam licet occidere*

65 *Etiam nocentem privata Authoritate non licet occidere.*

66 *Ad mortem legitimè condemnatus poteſt eſſe executor ſententiæ.*

67 *Pro tuenda propria Vita licet aggreſſorem, ſi neceſsè ſit, occidere.*

68 *Imo etiam pro conſervandis bonis temporalibus magni pretii, ſi ea aliter ſervari, & recuperari non poſſent.*

69 *Idem licet pro defenſione ſimili alterius. Meritò tamen ab Innocentio XI. reſtringitur nimia licentia per prohibitionem propoſitionis 30. & trium ſequentium. Et ab Alexand. VII. per prohibitionem Propoſ. 17. & 18.*

70 *Acceptare duellum propriè dictum nunquam licet: aliquando tamen licet non fugere neceſſitatem ſe defendendi.*

QUæritur 1. Quomodo mater obligetur proli aut 62
jam conceptæ, vel etiam primùm concipiendæ: an ſcilicet aliquando liceat, vel nunquam liceat procurare abortum? Reſp. Directè nunquam licere, ſi fœtus probabiliter animatus ſit, prout communiter dicitur contingere quadrageſimo die poſt conceptionem in fœtu maſculino, vel octuageſimo in fœminino, quæ intervalli inæqualitas probabiliter nimia eſt, præterquam quòd ſciri non poſſit, utrùm mater maſculinam, aut fœmininam prolem gerat. Hippocrates inquit, maris formationem abſolvi aliquando die 30. aliquando 35. aliquando 40. aliquando 45. fœminæ verò nunc 35 nunc 40. nunc 45. nunc 50. Reſponſionis autem communis omnium, & certæ ratio eſt; quia innocentem directè occidere, eſt intrinſecè malum, & contra jus ſoli DEO reſervatum; id ipſum, etſi fœtus nondum animatus ſit, licere negans Leſſius *lib.* 2 *cap.* 9. *dubio* 10 Palao *diſp.* 2. *de Matr. pun.* 4. §. 3. *num.* 11. & multi alii, non tamen omnes, ut immeritò aſſerit Pet. Navarra apud Leſſium. Rationem dant, quòd ſicut illicita eſt directa expulſio ſeminis, ſic multò magis debeat eſſe illicita expulſio fœtus, utpote proximus ſervientis ad generationem hominis. Affirmant licere, quando mors immediatè ex fœtu, tanquam invaſore matris immineret. S. Antoninus, Sylv. Navarrus. Covar. Henriquez. Saa. Thom. Sanchez, Palao. Probabile judicat Tambur. *lib.* 6. *decal. c.* 2. §. 4. *n.* 4. referens Laymann, & alios ex Diana *parte* 3. *tr.* 5. *reſol.* 11. quia expulſio ſeminis ob annexam voluptatem à natura pro omni caſu debuit reddi illicita, quæ non intervenit in expulſione fœtus nondum animati: neque tamen inquiunt, hinc etiam ſequitur, ob exploratam difficultatem partus, vel ad evitandam gravem infamiam, vel mortis pœnam, fore licitam expulſionem fœtus nondum animati; quia mala iſta ſunt valde remota, incerta, vel alio modo evitabilia, vel ſaltem fœtus inanimis non eſt eorum proxima cauſa. Unde cùm rationes in contrarium allatæ ſint inefficaces, manet mater in poſſeſſione ſui juris, quod habet ad ſervandam vitam contra inanimem fœtum, tanquam ſuum invaſorem.

Nihil-

63 Nihilominus oppoſita ſententia hodie eſt certa, quia parùm refert, utrum fœtus ſit cauſa immediata, & ab intrinſeco inferens mortem, vel an remota, & extrinſeca: ſi enim directa procuratio abortus ſemel concedatur, non eſſe intrinſecè, & abſolutè illicita, difficulter defendetur, quarè non etiam ſit licita propter graviſſimam neceſſitatem vitæ, vel famæ avertendam; ſi namque medium ſit in ſe licitum propter evitandum certum damnum, manebit licitum, undecumque damnum eventurum ſit: hoc itaque aliquando admiſſo, certè graviſſimi ſequerentur abuſus, propter quos univerſaliter prohiberi debuit directa procuratio abortus. Et ita omninò intelligenda eſt prohibitio Propoſitionis 34. ſub his verbis ab Innocent. XI. reprobatæ. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella occidatur, aut infametur.* Eandem proinde damnationem meritò ſubit iſta immediatè ſubſequens. *Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eandem habere, cùm paritur: ac conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* Quæ ſententia per prohibitionem Pontificis ex communi conſenſu Medicorum, Philoſophorum, & Theologorum, meritò declaratur falſa, & licèt non eſſet falſa, tamen vi præcedentis propoſitionis prohibitæ non redderet licitam directam occiſionem fœtus.

Indirectè autem, ſcilicet per medicinas ex natura ſua ad ſanitatem, & non ad expulſionem fœtus unicè ordinatus, fœtum inanimem licitum eſſe expellere fatentur plerique; ſicut etiam indirectè, ſecluſo periculo conſenſus, permittitur expulſio ſeminis; imò, etſi fœtus animatus ſit, contra Leſſium, & ex parte contra Vaſquez docent Corduba, Lopez, Palao, Tamb. & multi ab hoc relati, poſſe indirectè expelli: quia ſi quid obſtaret, eſſet damnum ſpirituale prolis: Atqui hoc cum interitu matris probabiliter aliàs eveniret, & propter ſalutem alterius animæ incertam nemo tenetur ſe exponere periculo vitæ, ſicut communiter docetur, non teneri matrem ſubire ſectionem uteri pro eximenda prole aliàs periclitante: ergo nihil obſtat.

64 Quærit. 2. An liceat occidere innocentem. Reſpond. Directè id numquam licere, neque ut quis ſeipſum, neque, ut alium occidat, ita cum S. Thom. *quæſt. 6. art. 5.* omnes Doctores. Probatur 1. ex S. Scriptura prohibitionem divinam declarante *Exod. 23. verſic. 7.* inſontem, & juſtum non occides. Probatur 2. Ratione, quia nullus homo eſt dominus vitæ, & membrorum, vel ſuorum, vel alterius hominis. Quòd ſi tamen quis ſit ſaltem juridicè nocens, poſſe talem occidi dixi *diſp. 2. num. 28.*

65 Quærit. 3. An extra caſum juſtæ defenſionis liceat propria, & privata authoritate occidere, vel mutilare nocentem. Reſp. Negativè. Quamvis enim *in l. Patri 20. & aliis ſeq. ff. ad Legem Iuliam de Adulteriis*, videatur non tantùm impunitas, ſed verum Jus concedi, occidendi ſimul adulterum, & filiam in patria poteſtate conſtitutam, in flagitio domi ſuæ, vel in domo generi deprehenſos, dicitur enim. *Patri datur Ius occidendi adulterum cum filia, quam in poteſtate habet.* Quamvis etiam hoc Jus in *l. 24. ibid.* videatur concedi Marito in adulterum (non tamen in uxorem) domi ſuæ in adulterio deprehenſum: certum tamen eſt, vel ſolùm concedi Jus quoddam civile, conſiſtens in ſola impunitate, vel illas Leges, tamquam nullam habentes vim pro foro conſcientiæ eſſe reprobatas, & correctas per SS. Canones *cap. Inter hæc 33 qu. 2* Quia talis licentia ex una parte eſſet graviter noxia tum ſaluti corporum, quæ ſæpè mero legum prætextu neci darentur, tum ſaluti animarum, ſine pœnitentia decedentium; ex altera parte nulla eſt neceſſitas cohoneſtans tales Leges, cùm in crimine deprehenſi facilè coram Judice accuſari, & pro meritis puniri poſſint. Unde etiam non eſt paritas cum legibus concedentibus facultatem, ut quilibet, tamquam Miniſter Juſtitiæ, poſſit occidere Bannitos (ut vocant) vel transfugas, qui ad hoſtes fugere tentant *l. 3. §. Transfugas ff. ad legem Corneliam de Sicariis.* Quorum graviſſima damna Reipub. inferenda aliter vitari non poſſunt. Unde etiam meritò damnata eſt ab Alexandro VII. hæc propoſitio 19. *Non peccat Maritus, occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehenſam:* Cujus prohibitionis eſt eadem ratio de adultero, & filia adultera.

Dixi *propria, vel privata authoritate*: nam contra Leſſium, Vaſquez, Salas, Lugo, probabiliter conceditur à Victoria, Corduba, Saà, Toleto, Dicaſtillo, quos refert, & ſequitur P. Haunoldus *num. 613.* etiam ipſi reo publica authoritate demandari poſſe executionem mortis iuſtæ e. g. potationem veneni, ſicut non obſtante identitate ſecum ipſo, quam unicè adverſarii obiiciunt, poteſt aliarum pœnarum executio v. g. exilii, ipſi committi, quamvis judex ſui ipſius nemo eſſe poſſit; unde etiam dignus morte nequit injuſſus, & necdum condemnatus ſeipſum occidere, quod ſolùm aſſerit S. Thomas *q. 64. art. 5. ad 2.* 66

Quæritur 4. An, & quomodo liceat occidere alterum ad juſtam ſui defenſionem? Reſp. Juxta illud Alexandri III. *cap. Si vero alicujus, de Sententia excommunicationis,* cuivis homini etiam filio contra patrem, & Laico contra Clericum ſine excommunicationis incurrendæ metu licere vim, ſive formaliter, ſive tantùm materialiter injuſtam, qualis v. g. ab amente inferretur, vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut ſcilicet major vis non adhibeatur, quàm ſit neceſſaria, aut nulla, ſi alio modo ſe defendere quis poſſit. Ratio eſt, quia ſine hujus defenſionis licentia multiplicarentur potiùs homicidia, nec contra violentos aggreſſores homines eſſent ſatis ſecuri, ſequeretur etiam, quòd bella ſemper ex utraque parte eſſent injuſta. Notat tamen Leſſius cum Soto, & aliis, ſi perſona invadens eſſet valdè neceſſaria bono communi, quòd aliquis teneretur pati vim, & non inferre mortem. Ex hoc autem, quòd liceat occidere vitæ meæ invaſorem, malè infert Abulenſis apud Molin. *diſput.* 14. etiam oportere, quia vitam tantùm teneor conſervare mediis ordinariis, non autem exquiſitis, & nimiùm difficilibus, quale eſt alteri in peccato mortali conſtituto vitam temporalem, & æternam auferre. 67

Eadem facultas occidendi permittitur etiam ad defendenda bona externa, ſi magni pretii ſint, & facilè recuperari nequeant; item ad integritatem, & pudicitiam ſervandam, quæ pluris ſit bonis fortunæ. Neque obſtat periculum æternæ damnationis, quia invaſor, cum deſiſtere poſſit à vi, & ſeipſum juvare, non cenſetur in gravi neceſſitate poſitus, ut propter hanc vitam, vel bona mea debeam exponere. Ratio eſt, quia ſi iſta non licerent, multa bella eſſent illicita, cùm pleraque ſint propter iſta bona temporalia, & moraliter certum ſit, multos ex pugnantibus eſſe in peccato mortali. Ratio à priori hæc reddi poteſt, quia aliàs homines nequiſſimi foverentur in frequentandis latrociniis, & furtis, ſi cum jactura vitæ, & ſalutis repelli non poſſent. Incipit autem, moraliter loquendo, injuſta invaſio teſte Leſſ. Tamb. & aliis, quando alter tantùm ſe accingit ad invadendum, & non deſinit uſque dum fur rem per aliquod temporis ſpatium pacificè incipiat poſſidere, adeòque poteſt adhuc in fuga occidi. Poſt inchoatam verò pacificam poſſeſſionem via juris coram judice agendum eſt, quo tamen non fungente ſuo officio Leſſius, & alii probabiliter cenſent, poſſe rem è domo eripi, & vim reſiſtentis vi repelli. 68

Quod cuique licet ad propriam vitam, & bona tuenda etiam permittitur pro alterius innocentis bonis, etiam abſentis, ex voluntate illius præſumpta, imò etiamſi alter ex modeſtia vellet abſtinere à ſui, & rerum ſuarum defenſione, teſte Tannero, Leſſio, Lugo, & aliis non paucis. Dicta tamen facultate, cum moderamine inculpatæ tutelæ propriam vitam, & bona temporalia contra injuſtum invaſorem etiam mortis illatione propugnandi aliqui Doctores nimis liberaliter abuſi ſunt; ideò eorum laxitas diverſarum propoſitionum prohibitione reſtringi debuit. In primis ab Innocentio XI. prohibitæ ſunt ſequentes tres poſt trigeſimam. *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.* Et. *Non ſolùm licitum eſt, defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ Ius inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.* Rurſum. *Licitum eſt tam hæredi, quam legatario, contra injuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut & Ius habenti in Cathedram, vel præbendam, contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem.* Proh! Quot fierent cædes, quanta perturbatio, quot in propria cauſa injuſta, & temeraria judicia, ac judiciorum injuſtæ execu- 69

cutio-

cutiones, ſi relatæ ſententiæ tolerarentur? Eadem mala longè magis, & frequentiùs orirentur ex ſequentibus Propoſitionibus, quarum hæc eſt trigeſima ex prohibitis ab Innoc. XI. *Fas eſt, viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequeat, idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam vel ictum fuſtis, fugiat.* Inter prohibitas ab Alex. VII. ſeptimum, & octavum, ſupra decimum locum obtinent hæ duæ. Prima. *Eſt licitum Religioſo, vel Clerico, Calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit; uti ſuppetere non videtur, ſi Calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.* Secunda. *Licet interficere falſum Accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Iudicem, a quo iniqua certò imminet ſententia, ſi alia via non poteſt Innocens damnum evitare.*

Neque dicant Propoſitionum iſtarum Authores, Quòd ſi ad defendenda bona temporalia *magni pretii* (per quas particulas excluſimus primam propoſitionem) licet occidere injuſtum invaſorem, hoc ipſum liceat ad defendendam certam ſpem eorundem bonorum obtinendorum, quæ & ipſa magno pretio eſt æſtimabilis, & ad defendendum Jus ad rem, ſcil. ad hujuſmodi bona, jam actuali titulo hæreditatis, legati &c. debita. Et quia bona honoris, ac famæ ſunt altioris Ordinis ac æſtimabilitatis, quàm bona temporalia, ſive fortunæ, ideò quod licet pro his, multò magis licebit pro illis defendendis. Infirmum enim eſt hoc fundamentum, nixum paritate. Quia eſt valde diſpar ratio inter bona, quæ ſi auferantur per ſe loquendo, facilè aut unquam recuperari non poſſunt, & inter ea, in ordine ad quæ recuperanda ſuppetunt ordinaria media, etiamſi per accidens illa non ſint profutura. Prioris generis ſunt bona corporis, & bona temporalia actu poſſeſſa mobilia. Vita enim, membrum, virginalis integritas, ſi per occiſionem, mutilationem, conſtuprationem auferantur, recuperari non poſſunt, bona etiam mobilia, actu poſſeſſa fugitivo raptori eripi officio Judicis nequeunt (vel ſi ſpes eſſet illa recipiendi, in eo caſu non liceret dicta defenſio) Jura autem, ſpes & bona immobilia, ſama, & honor bona ſunt poſterioris generis, quorum injuſtus invaſor coram Judice conveniri poteſt, proſecutione Juris, ut læſus in antiquum ſtatum reſtituatur, honor & fama per ſatisfactionẽ, & retractationem reparetur &c. Quia ergo bonum commune præferendum eſt bono privato, quando per accidens mediis ordinariis bona poſterioris generis etiam recuperari non poſſent, & quia pertinet ad bonum commune, ut cùm alia media ordinariè, & per ſe loquendo pro defenſione poſteriorum bonorum ſuppetant, non liceat etiam in caſibus extraordinariis uti medio defenſionis per occiſionem invaſoris, propter indicata damna communitatis humanæ, ex hujuſmodi licentia oritura, ideò meritò negatur paritas, qua damnatæ propoſitiones nituntur.

70 Quær. 5. An liceat acceptare extra caſum juſtæ defenſionis duellum? Reſp. De acceptatione duelli impropriè ſumpta, qua juſtum bellum reſolvitur in duellum, videri poteſt Sanch. *lib.2.c.39.n.16.* prout verò ſumitur propriè, ac communiter non licet. Quia cùm homicidium extra caſum juſtæ defenſionis ſit prohibitum, implenda eſt lex, etiam cum ignominia, ſicut cum obſervatione aliarum legum ſæpè eſt conjuncta: Idcircò Alexand. VII. prohibuit Propoſ.2. *Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Quia hoc ipſo, quòd non liceat acceptare, & acceptans poſitivè, & non tantùm per modum juſtæ defenſionis ad læſionem ſui adverſarii cooperaretur, vel cooperari intenderet, facilè poteſt timiditatis notam obligationis ſuæ obſervantia, & pugnę detrectatione amoliri. Aliud eſt, quando ſolùm quaſi negativè, & defenſivè ſe haberet, non refugiendo, prodire more conſueto in publicum. & contra injuſtum aggreſſorem non fuga, ſed juſta defenſione ſe tuendo, paratus deſiſtere à ſui propugnatione, quàm primùm alter deſiſtet ab oppugnatione. De qua re ex mente S. Thomę, & aliorum Doctorum plura dixi in meis Vindiciis ſive Controverſiis Selectis ex univerſa Theolog. Controv. *63.* & *64.*

§. II.

Qualis oriatur Obligatio Reſtitutionis ex homicidio, vel mutilatione.

S V M M A R I V M.

71 *Pro injuſta læſione corporis nihil poteſt, nec debet reſtitui quamvis poſſit multa à Iudice imponi.*

72 *Reſtituenda tamen ſunt omnia damna emergentia compenſabilia.*

73 *Aliqui etiam exiſtimant, omnia damna mediata, aliis conſecutivè emergentia, compenſanda eſſe.*

74 *Probabiliùs id aſſeritur non de omnibus, ſed de aliquibus, patientibus damnum.*

75 *Ratio aſſertionis tamen non rectè aſſignatur à Leſſio, & Lugo.*

76 *Deducitur enim ex illa ſequela falſa.*

77 *Et præſertim non poteſt ſuſtineri à Lugo.*

78 *Noſtra ſententia de facienda reſtitutione damnorum illis omnibus, quibus occiſor vel mutilator cognovit, probabilem ſpem lucri à ſe auferri.*

79 *Probatur hæc ſententia.*

80 *Liberis etiam, vel ſi occiſus bis caruit, parentibus, ſecundum proportionem ſpei ad ampliorem hæreditatem obtinendam præterea uxori, ac creditoribus, ſecundum prudentem æſtimationem ſui damni, in rebus ſibi ab occiſo debitis, etiam ſine advertentia ad illud illati, reſtituere tenetur occiſor.*

81 *Aſſignatur diſparitas, quare proximè dictis ſit facienda reſtitutio damni, etiam ſine advertentia illati, non autem prioribus.*

Dico 1. Pro vulnere, membro amputato, vel inutili reddito, nihil eſſe reſtituendum ex jure naturali, 71 quamvis ſubinde in ſolatium læſi, vel in vindictam criminis à judice imponatur obligatio alicujus pecuniariæ reſtitutionis tamquam pœna, vel ab ipſo, vel à Lege ſtatuta, ſed ante ſententiam indebita. Ratio concluſionis communiter receptæ eſt, quia ut daretur obligatio reſtitutionis, deberet læſus poſſe reſtitui in priſtinum ſtatum formaliter, vel æquivalenter: ſed per bona diverſi ordinis, cujuſmodi ſunt bona corporis, & fortunæ, nec poteſt formaliter reſtitui, dando unum pro altero, nempè pecuniam pro damno corporis, nec æquivalenter quia pecunia non poteſt recuperari bonum perditum, nec poteſt in commutationem pretii venire, ergo nulla datur obligatio reſtitutionis pro damno corporis qua tali.

Dico 2. Ex communi Doctorum ſenſu reſtituenda eſ- 72
ſe in primis omnia damna emergentia compenſabilia, nempè expenſas neceſſarias in vulneris curationem, non verò ſuperfluas, exceſſum dotis neceſſarium, ut puella læſa æquè bene nubat, ſi per cicatricem deformior eſt facta &c. in occiſi verò exequias, quia aliàs aliquando debuiſſent fieri impenſæ, nihil eſt reſtituendum, niſi ob certas circumſtantias faciendæ fuiſſent majores. Deinde conſentiunt DD. etiam reparanda eſſe omnia lucra ceſſantia, quæ mutilatus, vel occiſus ex negotiatione, arte; officio probabiliter feciſſet, conſideratis viribus, induſtria, ætate, & cæteris circumſtantiis, quæ ſpem lucri, vel augere, vel minuere poſſunt; & detractis expenſis in occiſi aliàs ſuſtentationem faciendis, & illo etiam lucro deducto, quod mutilatus adhuc aliis mediis, non obſtante mutilatione, commodè facere poſſet. Quibus autem horum reſtitutio fieri debeat, non conveniunt Authores. Ratio concluſionis eſt, quia damna emergentia, & lucra ceſſantia ſunt effectus connexi cum lęſione injuſta corporis tamquam cauſæ, ergo etiam ſunt reſtituenda: quibus verò ſint reſtituenda, ex ſequentibus patebit.

Certum in primis eſt, ſi læſus non vitam, ſed tantùm 73
lucri faciendi habilitatem amiſit, ipſi æſtimationem ſpei ſuæ præſtandam eſſe: ſi verò etiam vita ſpoliatus eſt, vel ſi ex lęſione corporali unus in alios pecuniarium damnum emanavit, in varias opiniones Authores deſcenderunt. Sotus, Adri. Speculator, Panormi. Navarr. Roſella, Capua, quos ex Tho. Sanch. citat Lugo *diſp.11.num.74.*

cum

cum Vaſquez, & Turriano exiſtimarunt, omnibus faciendam eſſe reſtitutionem, quicumque damnum aliquod ſuſtinuerunt ex injuſta unius læſione, quod probant evidenti, ut inquit Vaſquez, paritate: qui enim per vim, vel fraudem, aliquem abducit à faciendo beneficio alteri, tenetur huic ad reſtitutionem ſecundùm æſtimationem ſpei, quam habuit ad beneficium obtinendum, ergo ad idem etiam tenetur, qui injuſta læſione corporis aliquem impedivit, ne beneficium, vel lucrum in alium derivaret.

74 Communis tamen, & in praxi uſitata ſententia eſt, teſte Lugo *num.*81. pro qua *num.*77. adducit iterum Sotum Leſſ. Salonium, Ledeſ. Cordubam, Arragonium, & alios, qui ſolis parentibus (ſiquidem in defectu liberorum defuncto ſucceſſuri, vel alimenta accepturi fuiſſent) liberis, & uxori, vel marito aſſerunt reſtituendum id, quod ob injuſtam occiſionem amittunt, aliqui eandem obligationem affirmant etiam erga fratres, ac ſorores; ſaltem quando occiſus præcepto judicis eos alere tenebatur. Ita Lopez, & Sanchez. Alii addunt etiam creditores, ſi occiſus propterea, quia morte præventus eſt, lis ſolvendo non fuit, ita tenet Molina *tom.* 4. *diſp.*83. & ſub conditione P. Haunold. *tract.*2. *num.* 671. ſi nimirum occiſor præcognovit, aut facilè præcognoſcere potuiſſet hujuſmodi damnum occiſi creditoribus à ſe inferendum. Molina, & Lugo *num.*77. hoc tribuit primæ ſententiæ authoribus ſcilicet omnibus reſtitutionem faciendam eſſe, quibus damnum per injuſtam occiſionem non tantùm cum prævisione, ſed ex intentione illius verè illatum eſt: ſub qua conditione ait Leſſius *lib.*2.*cap.*9 *n.*151. fortè communem ſententiam quoad creditores limitandam eſſe, quem meritò Lugo *n.* 80. de doctrinæ inconſequentia arguit, utpotè *n.* 113.*&* *c.*12.*n.*129. aſſerentem, intentionem nocendi nullam inducere obligationem reſtituendi, ſi aliàs non inducatur.

75 Rationem autem communis ſententiæ Leſſius *cap.* 9. *n.* 152 & Lugo *à num.*79. hanc aſſignat: quia nimirum filii, parentes, conjux cenſentur una perſona cum occiſo, quod Lugo explicat per naturalem amoris conjunctionem, & ad benefaciendum propenſionem, quæ communiter hominibus erga parentes, filios, & conjugem, tamquam carnem eandem, non autem æquè communiter erga fratres, ſorores, & multò minùs erga extraneos, vel creditores eſt inſita; quam cùm quilibet in ſe experiatur, hinc præſumitur occiſor de prioribus illis perſonis ſaltem implicitè, virtualiter, vel habitualiter in perpetratione homicidii cogitaſſe, & in damnum illarum conſenſiſſe: aliæ autem perſonæ, quia tantùm per accidens, & prorſus contingenter cum occiſo connexionem habent, ut ſunt creditores, amici, conſanguinei in linea transverſa, pauperes, clientes, alumni, vel convivæ gratuiti videntur occiſorem tam parùm poſſe ex juſtitia obligare ad actionem præter intentionem, & ſolùm per accidens, ac remotè ſibi damnoſam non ponendam, quàm parum quis graviter obligatur ex virtute caſtitatis ad omittendam actionem, ex qua prævidetur per accidens, & præter intentionem ſecutura pollutio.

76 Verùm in hoc diſcurſu mihi multa videntur adhuc non ſatis complanata, ſi enim conjunctio parentum, uxoris, & filiorum cum perſona occiſi ideò inducit obligationem illis faciendæ reſtitutionis, quia occiſor præſumitur in eorum nocumentum conſenſiſſe, ſequitur, quòd ſi præſumptio aliquando eſſet falſa, uti frequenter contingere poteſt, occiſor ſaltem in conſcientia, & antè ſententiam judicis ad nihil teneretur: & viciſſim quòd aliis omnibus obligaretur, quorum damnum actualiter præcognoviſſet, etiamſi illud non intendiſſet, prout P. Haun. de creditoribus occiſi omninò concedit.

77 Deinde ſpecialiter contra Lugo ſic argumentor, homicidium, aliis inferens damnum pecuniarum, vel eſt materialiter, & à parte rei injuſta illatio illius damni vel neque eſt materialiter iniuſta, ſeu contra jus aliorum quorumcumque ſuſtinentium damnum, ſi primum: ergo per ſolam præcognitionem fit formaliter injuſta, & obligans ad reſtitutionem: ſi ſecundum: ergo neque per intentionem aliis nocendi peccatur contra juſtitiam, ſed ſolùm contra charitatem, ſicut ſi quis per preces, vel dehortationem impediret beneficium, ex intentione nocendi alteri. Prætereà Lugo variis in locis fatetur, injuſtum debitorem teneri ſuo creditori ad omnia damna etiam caſualia, ac fortuita, ſeu per accidens, & præter intentionem ab ipſo illata, eaque adhuc ipſi imputari; & tamen non imputatur pollutio per accidens, & præter intentionem ex appoſita cauſa remota eveniens: quomodo ergo etiam eſt paritas inter actionem per accidens connexam cum læſione aliorum, & inter actionem per accidens connexam cum pollutione? & quarè damnum fratrum, & ſororum præmatura morte abrepto ſuccedentium ab inteſtato, vel teſtamento in hæreditatem tenuiorem, quàm ſi ſeriùs ſucceſſiſſent, vel quarè damnum creditorum magis per accidens eſt connexum cum injuſta occiſione, quàm damnum uxoris, vel liberorum, cùm habere uxorem, ac liberos tam ſit accidentale, & contingens, quàm habere fratres aut creditores? Reſpondebunt itaque adverſarii: connexionem accidentalem ſufficere, modò illa cognoſcatur ab injuſto læſore; ſicut ſufficit, teſtatorem per accidens velle alicui legare hæreditatem, cujus violenta, vel fraudulenta impeditio jam erit injurioſa, & reſtitutioni obnoxia. Neque tamen propterea etiam accidentalis, vel remota poſitio cauſæ ad pollutionem debuit ſimili modo prohiberi à caſtitate, ſicut prohibetur à Juſtitia actio per accidens damnoſa, quando hæc in ſe injuſta eſt, reſpectu alicujus, & ad eam ponendam nullum datur jus: quia cùm multæ actiones per ſe bonæ & utiles deberent omitti metu ſecuturæ pollutionis, cumque illæ nemini ſint noxiæ, ideò etiam expediens non fuit, illas prohiberi ſub ullo, vel ſaltem ſub gravi peccato.

Ergo itaque, etſi prædictas ſententias omnes practicè probabiles judicem, ſpeculativè tamen loquendo dicendum exiſtimo: occiſorem, vel mutilatorem injuſtum omnibus iis, quibus ſcienter, & advertenter (etſi non ex intentione) proximam, & probabilem ſpem lucri amplioris ſuſtulit, obligatum eſſe ad reſtituendam æſtimationem illius ſpei, eorum, quæ illam augere, vel minuere poſſent conſideratione menſurandam: liberis verò, vel ſi occiſus his careat, parentibus ſecundùm proportionem ſpei ad ampliorem hæreditatem obtinendam, prætereà uxori, ac creditoribus, ſecundùm prudentem æſtimationem ſui damni in rebus ſibi ab occiſo debitis etiam ſine advertentia ad illud illati, reſtituere teneri. 78

Ratio primæ partis eſt, quia qui alterum volentem mihi aliquid legare, vel donare, vi, aut fraude abducit, ne velit legare, vel donare, non tantùm facit injuriam immediatè læſo, in ipſa violentia, aut deceptione formaliter conſiſtentem, ſed etiam mihi, quamvis meum damnum non intenderit, modò illud cognoverit (quod ſolùm ad rationem formalis injuriæ adhuc requiritur, & ſufficit) ut DD. unanimiter, & ipſe etiam Lugo *a. [illegible]* 9.*n.*34. fatentur: ergo etiam, qui gratis, vel ex obligatione juſtitiæ proximam ſpem lucri alteri facientem injuſta, ac violenta occiſione, aut mutilatione eò deducit, ut nec poſſit illud lucrum præſtare, utrique facit injuriam. Confirmatur ad hominem ſupra indicato dilemmate, quod hìc nolo repetere. 79

Ratio ſecundæ partis eſt: quicumque ab altero injuſtè exuitur vita, & ſpe amplioris lucri faciendi, duplici afficitur injuria, una quidem ratione ablatæ vitę de ſe incompenſabili, altera verò (quam Molina *diſp.*83. immeritò confundit cum priori) quoad æſtimationem ſpei ad lucrum, eaque compenſabili, licèt non ipſi læſo, eò quòd completa obligatio compenſationis conditionem involvat, nempè mortem, qua lęſus redditur incapax recipiendę compenſationis per ſeipſum, ut rectè advertit Leſſius *cap.*9. *num.* 155. non tamen ex hac rectè infert, quòd propterea neque ad hęredem poſſit transferri aliquod Jus, in quod ſuccedat: nam etiam jus ſuum ad hęredem tranſmittit legatarius inſtitutus ſub conditione negativa indefinita à ſe pręſtanda, nec tamen comparans ſibi privilegium cautionis Mutianæ, vel donatarius ſub ſimili conditione, vel contrahens in diem mortis, etiamſi ſingulorum jus primùm per mortem abſolutè compleatur, hoc ipſo ergo, quòd injuſtè occiſus ſit etiam affectus injuria compenſabili illis, quibus ęquitas naturalis voluerit: ſubſumo: atqui ęquitas naturalis meritò cenſetur voluiſſe compenſationem facien- 80

dam

dam liberis, & in horum defectu parentibus, ut hi deinde ſatisfaciant obligationibus juſtitiæ, quibus occiſus erga creditores, & uxorem adſtringebatur, vel in parentum, ac liberorum defectu voluiſſe, ut ſi eadem compenſatio neceſſaria ſit pro prædictis obligationibus explendis, per illam, in quantum ipſa ſuffecerit, ac neceſſaria fuerit ab occiſore expleantur; cùm earum major ſit vis, quàm ipſius pietatis, poſtquam hujus obligationi quoad neceſſariam ſuſtentationem filiorum, ac parentum, vel ſtatus etiam conſervationem eſt ſatisfactum: ergo vera eſt aſſertio ſecundæ partis.

Probatur antecedens ſubſumpti: abſtrahendo ab omni eventu, & circumſtantiis, prudens judicium, & voluntatis affectum evertere valentibus cuilibet homini optabilius fuit, ut ad abſterrendum alios ab injuſta nece ſibi inferenda iniquus occiſor obligaretur omnia damna occiſi, ſaltem non merè fortuitò emergentia, & lucra ceſſantia, ſecundùm prudentem æſtimationem ſpei, & metus, & expenſarum deducendarum, reſtituere illis, qui vel quodammodo ſunt eadem perſona cum occiſo, ſcilicet ad quorum ſpecialem amorem ordinariè quilibet à natura inclinatur, quibuſque ſingulariter benefacere, ac non tantùm poſſeſſa, ſed etiam poſſidenda bona communicare appetit, vel ſi non ſunt eadem perſona, quibus tamen bona occiſi titulo juſtitiæ ſunt obligata, ut ſic firmior ſit hominum fides in mutuis commerciis, & contractibus celebrandis; nemoque de ea etiam inculpabiliter violata, poſt mortem noſtram de nobis conqueri, ac honori noſtro detrahere poſſit: ergo æquitas naturalis meritò cenſetur voluiſſe imponere dictam obligationem.

81 Ex utriuſque partis probatione patet etiam ratio diſparitatis, quare damnum temporale, illatum immediatè contra jus corporaliter læſi, ſit reſtituendum filiis, parentibus, uxori, quoad ea, quæ ipſis ex juſtitia debita ſunt, v.g. ad decentem ſuſtentationem, ac cæteris creditoribus non requiſita advertentia ad illud; illatum verò contra jus aliorum, habentium proximam, ac probabilem ſpem lucri ex læſi corporali incolumitate, v.g. gratuitorum alimentorum, penſionum &c. ſolummodò reſtituendum ſit, quando advertentia ad illud acceſſit. Nam priores gaudent jure ipſius corporaliter læſi in ſe translato, cui cùm gravis injuria per corporalem læſionem formaliter illata ſit, competit jus ad compenſationem damni, etiam non prævisi, ſicut aliàs diximus de damno gravi, minoris tamen æſtimato, quàm à parte rei fuerit. Poſteriores verò, cùm nulla formalis injuria ipſis illata ſit abſque advertentia ad damnum, neque aliquod jus corporaliter læſi ad illos tranſierit, nequeunt etiam compenſationem exigere: licèt enim Petrus, cui fur per errorem abſtuliſſet centum florenos, putans ſe furari Paulo, adhuc haberet jus obligandi ſibi furem ratione damni ſine formali injuria ſibi illati: tamen in hoc non eſt paritas cum noſtro caſu; quia in noſtro damnificatio, quæ compenſanda foret, prout diſtinguitur à corporali læſione, neque fuit in ratione materialis injuriæ cognita, neque ulli fuit formaliter injurioſa, etiam quoad affectum, ſicut tamen furtum fuiſſet præcognitum in ratione gravis injuriæ, Petrum quidem tantùm materialiter, Paulum verò formaliter lædentis.

§. III.

An in certis Caſibus prædicta Obligatio Reſtitutionis ceſſet.

SUMMARIUM.

82 *An pœna Talionis ſuppleat Obligationem Reſtitutionis.*

83 *Negant aliqui ad reſtitutionem obligari eum, qui ſolum per exceſſum moderaminis inculpatæ tutelæ invaſorem occidit.*

84 *Rectiùs alii affirmant.*

85 *Reſpondetur ad fundamentum oppoſitum.*

86 *Qui moderamen inculpatæ tutelæ non exceſſit, etiamſi fugere potuiſſet, probabiliùs non tenetur ad reſtitutionem.*

87 *Occiſum, ante ſuam mortem poſſe remittere obligationem reſtitutionis, alia ſententia affirmat, alia negat.*

88 *Rectiùs cum diſtinctione reſpondetur.*

Quæritur 1. An, quando homicida, vel mutilator pœnam talionis ſubire cogitur, ipſe, vel hæredes 82
illius ab obligatione reſtituendi liberentur. Affirmat Scotus *in 4. diſt. 15. q. 3.* cui aliqui cum Salonio conſentiunt, ſi ad inſtantiam partis læſæ hæc pœna irrogata eſt, eò quòd videatur voluiſſe illam reſtitutioni ſubrogari. Rectiùs tamen communior ſententia negat: eò quòd pœna ad ſatisfactionem delicti, non verò damni, ordinetur, & illa à Juſtitia vindicativa, reſtitutio verò à commutativa exigatur. Fatentur tamen plurimi DD. relati à Lugo *diſp. 9. num. 49.* partem læſam frequenter præſumi poſſe, ſola pœna placatam reſtitutionis jure ceſſiſſe, cujus univerſale ſignum Leſſius *dub. 22.* aſſerit ſolam exactionis omiſſionem; quod Lugo limitat pluribus exceptionibus, ſi nimirum ſumma ſit reſtituenda valdè gravis, vel pars læſa reſtitutione valdè indigeat, aut ob defectum ætatis nequeat remiſſionem concedere.

Quær. 2. An qui per exceſſum moderaminis inculpatæ 83
tutelæ invaſorem ſuum occidit, vel mutilavit, teneatur ad reſtitutionem damni temporalis, inde emergentis. Negativè reſpondent antiquiores Doctores Sylv. Angelus, Sotus, Ledes, Arrag. Saloni, Corduba; Roſella relati à Lugo *num. 51.* quibus accedit Molina *diſput. 81.* motus hac ratione; quia ſi reus in judicio de compenſatione damni conveniatur, opponens pro exceptione injuriam ſibi priùs illatam, liberatur ab obligatione, aliàs naturali jure eidem impoſita: ergo, infert Molina *l. cit. num. 10.* poteſt omiſſa reſtitutione expectare, donec conveniatur, & exceptionem opponens liberetur ab obligatione reſtituendi; vel poteſt ipſe à judice liberationem petere, inſtituens actionem injuriæ ſibi priùs illatæ.

Nihilominus recentiores Doctores nominatim Na- 84
varrus, & Navarra, Lopez, Leſſ. Thom. Sanchez, Turrianus, & alii communiter quos ſequitur Lugo *n. 50.* meliùs reſpondent affirmativè, poſito, quòd exceſſus fuerit tantus, ut ad culpam mortalem accederet, Ratio eſt, quia licèt per priorem injuriæ perpeſſionem culpa quoad malitiam homicidii, vel mutilationis injuſtæ minuatur; hoc ipſo tamen, quòd juſtæ defenſionis moderamen graviter excedat, non omninò extrahitur à gradu injuriæ mortalis, qua poſita jam naſcitur obligatio reſtitutionis: neque enim, ex eo, quòd occiſus priùs voluiſſet occiſori ſuo auferre vitam, iſte acquiſivit jus adversùs illum, vitam eidem per præventionem auferendi, ſi faciliori modo defendere ſe potuiſſet; ſicut contra volentem furari centum florenos, non acquiſiviſſet jus totidem priùs ab illo furandi, ſi alio modo contra furem ſe potens tueri, à furto eundem impediviſſet.

Ad argumentum Molinæ reſpondet Lugo *num. 54.* ab 85
illo ſupponi falſum; etiamſi enim Leges civiles quandoque liberent homicidam à pœna criminali, non tamen liberant à reſtitutione damni injuſti, imò poſt mortem invaſoris, ut rectè Lugo ulteriùs obſervat, neque judex poteſt in pœnam injuſtæ invaſionis homicidam liberare à reſtitutione, quia in mortuum non poteſt ferre pœnam, & cùm crimen fuerit perſonale, neque poteſt in hæredes illius.

Quòd de excedente moderamen inculpatæ tutelæ di- 86
ctum eſt, extendit Lugo *num. 55.* etiam ad eum, qui ſine gravi nota, vel infamia per fugam manus invaſoris facilè evadere potuiſſet, tunc enim, ut contra Molina *diſp. cit. num. 2.* & Leſſium *cap. 9. num. 136.* allegans ſententiam communem *diſp. 12. num. 55. & priori diſp. 10. numer. 170.* argumentatur, non tantùm contra charitatem, ſed etiam contra juſtitiam peccat, modo offenſivo ſe defendens, quia iſte reſpectu defenſionis negativæ videtur formalis eſſe exceſſus moderaminis inculpatæ tutelæ, & hoc ipſo, quòd neceſſarius non ſit, etiam eſt illicitus. Reſponderi tamen poteſt, fugam non tàm eſſe defenſionem, quàm detrectationem pugnæ, ſeu amotionem neceſſitatis ſe defendendi, ad quam invaſus non videtur ex juſtitia obligari, quòd ex ipſius Lugo doctrina credo demonſtrari poſſe: docet enim *cit. diſp. 11. num. 55.* eum, qui

prævidet ab inimico ſe invadendum, & ad offenſivam defenſionem adigendum, tantùm ex charitate, non verò ex juſtitia teneri, in publicam ſine neceſſitate non prodire: infero; ergo neque ex juſtitia tenebitur ex publico abire, ſeu fugere, ſed ſicut potuit in neceſſitatem offenſivè ſe defendendi conjicere, ſic poterit in eadem permanere. Præterea *num. 66.* cum communi ſententia fatetur provocatum ab altero ad duellum non teneri reſtituere damna, ſi illum occidat; quia non intervenit propria injuria propter implicitum pactum adverſarii conſentientis in pugnam, & occiſionem ſui; ſubſumo: atqui invaſio eſt realis provocatio, & conſenſus in pugnam; invaſor enim hoc ipſo, quòd velit congredi, vult alterum non fugere, & ſi poſſet, impediret illum à fuga: ergo ſi provocatus non obligatur ex juſtitia erga provocantem ad non comparendum, ſeu ad non ponendum ſe in ſtatu neceſſitatis ſe defendendi (quidquid ſit, an ex juſtitia erga Deum, vel Rempub. adhuc teneatur) neque invaſus tenetur ex juſtitia erga invadentem, ad non manendum in ſtatu neceſſitatis ſe defendendi offenſivè.

87 Quær. 3. An obligationem reſtitutionis occiſus ante ſuam mortem homicidæ validè remittere poſſit. Affirmat Thom. Sanchez, apud Lugo *diſp. 11. num. 62.* limitat Molina *d ſp. 85. num. 4. & 5* excipiens eam quantitatem, quæ poteſtatem liberæ diſpoſitionis excederet, prout in Hiſpania, & Luſitania excedit, quidquid eſt ultra quintam partem bonorum: & jure communi, quidquid per donationem inter vivos datur ultra quingentos ſolidos. Leſſius *lib. 2. c. 9. num. 159.* affirmativam ſententiam tam cum, quàm ſine limitatione defendit, quam ait omitti poſſe, quia res ex delicto debita non videtur cenſeri inter bona, circa quorum diſpoſitionem certæ Leges ſtatuuntur. E contra Lugo *nu. 63.* univerſaliter negat, ab occiſo obligationem reſtitutionis remitti poſſe, eò quòd jus rei reſtituendæ, uxori, & liberis, non autem ipſi occiſo immediatè quæſitum fuerit, qui proindè tam parùm habet poteſtatem remittendi debitum, quàm is, qui fraude abductus eſt à conferendo beneficio Petro, habet poteſtatem remittendi reſtitutionem faciendam Petro ſecundùm æſtimabilitatem ſpei, quam Petrus habuit ad tale beneficium.

88 Ego puto tam affirmativæ, quàm negativæ ſententiæ aliquid tribuendum eſſe: cum priore ſaltem ſecundùm appoſitam limitationem, niſi ſcilicet libera diſpoſitio legibus impediatur tam quoad valorem, quàm quoad licentiam, concedo, ab occiſo tunc poſſe remitti illud jus, quod aliàs ad filios, vel parentes transmitteret titulo hæreditatis, quando damnum in bonis temporalibus ſine advertentia ad illud eiſdem fuit illatum, cum poſteriore nego, poſſe remitti obligationem reparandi damni, per læſionem corporalem unius, aliis contra jus ſuum immediatum cum advertentia illati, uti eſſet obligatio præſtandi alimenta iis, quibus alioqui occiſus tenetur præſtare, item obligatio reddendi æſtimationem ſpei ad majorem hæreditatem, vel pleniorem ſolutionem debiti: quia enim ad idem lucrum, quo hæreditas, & vires ſolvendi debita fuiſſent auctæ, ſi illatione mortis non fuiſſet impeditum, occiſus habuit jus ſibi immediatè illud procurandi, hæredes verò, & creditores habuerunt jus ſpei ipſum titulo hæreditatis, vel ſolutionis recipiendi; hinc ſequitur, occiſum poſſe quidem remittere ſuum jus, quod ad alios tranſmiſiſſet, etiamſi ſine advertentia ad illorum damnum fuiſſet læſum, non tamen poſſe remittere aliorum jus, quod etiam reſpectu illorum culpabiliter, adeòque cum advertentia fuit violatum.

§. IV.

Quando, & qualis oriatur Obligatio Reſtitutionis ex ſtupro, & adulterio.

SUMMARIUM.

89 *Stuprum vario ſenſu accipitur.*
90 *Deflorator Virginis, ſpontè conſentientis, nec ipſi, nec parentibus aliquid reſtituere tenetur.*
91 *Qui per injuriam Virginem defloravit, tenetur omnia damna compenſabilia reſtituere.*
92 *Exponitur* cap. 1. de Adulteriis.
93 *Qui promiſſione matrimonii Virginem, vel Viduam ſeduxit, tenetur illam ducere, etiamſi fuerit obſtrictus voto caſtitatis.*
94 *Imò etiamſi tantum fictè promiſerit, per ſe loquendo, tenetur.*
95 *Propter ſolam injuriam adulterii non debetur reſtitutio pecuniaria parti læſæ.*
96 *Niſi moraliter certum ſit, prolem ex adultera natam, non eſſe ipſius mariti, adulter ad nihil tenetur.*
97 *Quando certum quidem eſt, prolem non eſſe mariti, incertum tamen, quinam ex pluribus adulteris ſit verus pater, ſinguli tenentur contribuere ad dimidiam compenſationem damni, filius legitimis emergentis, ad alteram dimidiam autem tenetur adultera.*
98 *Adultera non tenetur legitimæ prolis damna impedire confeſſione adulterii.*
99 *Probatur aſſertio.*
100 *Proles ex adulterio genita, non tenetur matri, id aſſerenti, credere.*

ADvertendum ex Leſſio *lib. 2. cap. 10. num. 6.* ſtuprum aliquando ſumi latiſſimè, pro omni copula illicita, etiam adulterii, & inceſtus, ſicut fornicatio: aliquando ſtrictiſſimè, pro violenta, id eſt, per vim, metum injuſtum, aut reverentialem, vel per fraudem illata Virginis corruptione, cui ſi etiam violenta abductio à loco cauſa libidinis accedat, raptus vocatur: aliquando, ſicut etiam hic, ſumi medio modo, pro Virginis, vel Viduæ violatione, quæ ſi puellæ voluntaria ſit, nullam luxuriæ malitiam mortalem ſuperaddit, niſi forſan ratione graviſſimi mœroris, aut infamiæ in parentes redundantis; non verò ratione rupti clauſtri virginalis; quia illius violatio modica, ac naturalis eſt, & conſentanea juri, ſeu poteſtati puellæ, ſola Lege caſtitatis reſtrictæ. 89

Dico 1. Qui ſpontè conſentientem, aut precibus (malè autem putant aliqui, ſi leves non ſint, & blanditiæ accedant, illas æquivalere violentiæ) inductam corrupit, nec tenetur puellæ quidquam reſtituere, quia volenti non fit injuria, nec parentibus pro aucta dote, ad æquè benè nubendum, ſive ſub cura illorum non ampliùs fuerat, quod aliqui requirunt, ſive fuerat, ut docent Sotus, Navarrus, Sanchez, Vaſquez, Leſſ. cum plurimis citatis ab his. Ratio eſt 1. quia puella habet jus, uſum ſui corporis concedendi alteri invitis parentibus, ergo alter non facit injuriam parentibus acceptando uſum. 2. quia parentes non tenentur augere dotem, ergo ſi faciant, ſpontè patiuntur damnum: propter dedecus tamen in parentes redundans conceditur illis actio injuriarum adverſus ſtupratorem. *l. 1. §. uſque adeo, ff. de injuriis.* 90

Dico 2. Qui Virginem (eadem de vidua, vel alia jam deflorata, ſed modò honeſtè vivente puella cum proportione dicta ſint) per injuſtè incuſſum, aut reverentialem metum, vim, vel fraudem, adeòque per veram injuriam defloravit, ſi matrimonium non promiſit, tenetur omnia damna conſecuta, & per pecuniam reparabilia compenſare, quia hoc requirit æqualitas juſtitiæ læſæ. Undè cum Leſſio, Lugo, Tamb. P. Haunold. infertur, quòd talis (limita, ſi aliàs matrimonium initurus, nec ſtatum perfectiorem ſuſcepturus eſt) vel teneatur puellam ducere, ſi augmento dotis non poteſt reſtituere (niſi multò eſſet notabilioris conditionis, vel aliud grave incommodum ſubire cogeretur; quia quando multò plus eſt expendendum, quàm ratio debiti exigat, excuſatur debitor) vel procurare, ut æquè bene nubat, ſi velit nubere, augendo dotem, non autem integrè dotando; quia cùm parentes ipſi debuiſſent dare dotem, æqualitas obtinetur, ſi ſuperaddat, quantum eſt neceſſarium ad æquè bonas nuptias; imò Navarrus, Leſſius, *c. 10. num. 15.* & hoc teſte multi Recentiores fatentur, ſi corruptio non advertatur, vel non curetur ab æquè nobili, & bono marito, ad nihil teneri iniquum defloratorem; cùm damnum nullum ſit ſecutum, niſi ut advertit cit. Leſſius *num. 17.* durante periculo damni propter incertitudinem ejuſdem ſecuturi de compenſatione actuali, vel futura fuerit conventum, dum unus ſubiit obligationem 91

ſolven-

ſolvendi certi pretii, alter verò obligationem patiendi damni ſine ulteriori moleſtatione authoris, ſi quod ex illius actione eſt eventurum, quia enim conſenſus in hujuſmodi obligationem durante periculo, & incertitudine eſt pretio æſtimabilis, ideò meritò illud accipitur, nec poſtea damno non ſecuto reddi debet, quamvis tunc propter incertitudinem ſublatam de dicta obligatione conveniri ampliùs non poſſet, ſi antea nulla conventio fuiſſet facta. Undè ſequitur, quòd ſi puella deflorata dotis augmentum receperit, nec ipſa teneatur aliquid reſtituere, etiamſi eo non indiguerit ad æquè bene nubendum, nec hæredes illius, ſi præmatura morte abrepta independenter à præcedenti defloratione contrahere matrimonium non potuit: ſi autem antequam conſtaret de non ſecuturo ullo damno compenſatio periculi nulla tradita, vel promiſſa eſt, ſublato periculo etiam pro illo nihil exigi poteſt.

92 Ob. *Legem juris canonici cap. 1. De adulteriis*: quæ videtur duplicem obligationem imponere his verbis, *ſi quis ſeduxerit virginem nondum deſponſatam, dotabit eam, & habebit uxorem*. Reſp. Cum Leſſio, Lugo, & multis aliis doctoribus cit. legem intelligendam eſſe de foro externo, & poſt ſententiam judicis: in conſcientia autem ſola procuratione æquè boni matrimonii, ſi deflorator conſentientem ducere nolit, ſatisfieri, quamvis non ſatisfaciat, ſi ſe nolenti offerat: iniquum enim eſſet, ut citati authores teſtantur, puellam antea liberam adſtringere ad unius viri, & forſan inferioris conditionis matrimonium ex culpa non ſua, ſed injuria viri. Adde, quòd etiam in foro externo ſecundùm receptam praxim particula copulativa, & ſumatur pro disjunctiva *Vel*.

93 Dico 3. Si deflorator matrimonium verè promiſit, præter damna ex injuria ſecuta, tenetur defloratam ducere, quia verus fuit contractus, & licitè impleri poteſt, imò Leſſius, Thom. Sanchez, Layman, Kon. Tanner, Lugo, Palao, Tam. Vaſquez, P. Haun. teſtantur, neque obſtare votum caſtitatis, vel religionis, ſi puella illius ignara corporis uſum propterea conceſſit, quia obligatio Juſtitiæ ex delicto, qualis eſt iſta, quæ fit ſimul ex defloratione, & contractu, potiùs eſt implenda (ſicut etiam illa, quæ oritur ex pietate) quàm quæ oritur ex gratuita promiſſione, hinc qui vovit centum florenos pauperibus, & qui ex juſtitia debet centum, ſi non poteſt ſatisfacere utriſque, debet ſatisfacere creditoribus, qui vovit religionem, debet potiùs alere parentes, ſi egent.

94 Dico 4. Si deflorator matrimonium fictè promiſit, niſi puella ex nimia diſparitate conditionis, & aliis ſignis adjectione juramenti non enervatis (prout contra Sanchez, & Lugo enervari putat Molina *diſp.* 106. *num.* 4. P. Haun. *tra.* 2. *num.* 693.) potuiſſet advertere fictionem: vel niſi orirentur gravia ſcandala (quæ etiam ſponſalia poſſunt diſſolvere) vel niſi puella cum alio poſtea fornicetur, aliudve crimen divortio dignum committat, tamen tenetur ducere puellam, ut contra S. Antoninum, Gabrielem, Ledeſmam, plurimos adducit Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. diſput.* 10. *numer.* 3. & Lugo, qui hanc ſententiam vocat communem, & veriſſimam. Ratio eſt, quia qui acceptat aliquid ſub conditione oneroſa datum, ex Juſtitia tenetur ſe ad illam conditionem verè obligare, & quando poteſt, conditionem implere, ſed talis acceptavit uſum alieni corporis ſub conditione ſecuturi matrimonii, & poteſt illam implere, ergo &c. nec poteſt ſubſtituere dotationem, nam quando poteſt id in ſpecie dari, ita ut illo, ſub cujus conditione alter ſubivit onus, negato, alter eſſet rationabiliter invitus, tenetur idipſum dare; ſic qui poteſt reſtituere equum, non poteſt reddere pecuniam.

95 Dico 5. Pro nuda injuria, & pro dedecore in maritum ex notorio adulterio ſuæ conjugis redundante, aut ſi occultum eſt, pro ſolo contemptu ab adulteris illato, non debere fieri reſtitutionem pecuniariam; quia eſt in diverſo genere bonorum, imò quamvis ſi hæc compenſatio occultè fiat, poſſet à marito retineri teſte Leſſ. & Tamb. publicè tamen facta prohibita eſt, *l. Tranſigere* 18. *Cod. de Tranſactionibus*: ne maritus cum ſcandalo putetur corpus ſuæ conjugis ad queſtum proſtituere, tenetur tamen uterque adulter ad veniæ petitionem, & honorationem mariti.

Dico 6. Quòd ſi partus poſt adulterium ſequatur, niſi moraliter certum ſit, adulterum eſſe patrem, v. g. quia legitimus maritus interea nunquam cohabitavit uxori, iterum ad nihil tenetur adulter: ita Doctores communiter apud P. Haun. *tra.* 2. *num.* 700. cujus hanc rationem aſſignat: quia in favorem matrimonii præſumitur proles legitima in utroque foro, quamdiu non manifeſtè probatur oppoſitum. Confirmatur. Eſſe natum illegitimè, eſt graviter præjudicioſum, & odioſum proli, ergo niſi de hoc certò conſtet, proles ex matre conjugata orta potiùs eſt adſcribenda cauſæ minus præjudicium afferenti, & ad prolis procreationem magis ordinatæ. Si verò certum eſt, adulterum eſſe patrem, & ſi uterque parens conſenſit in adulterium, debet pro alimentis, à matre quidem pro tribus primis annis, ab adultero pro ſequentibus, & æqualis ab utroque pro hæreditatis parte, legitimis filiis ſubducta, fieri compenſatio, ſive mater legitimis filiis ſpurium ſuppoſuerit ſuaſu adulteri, ubi patet, iſtum conſilio, illam executione cauſam eſſe reparandi damni ab utroque, vel ab uno, altero deficiente, ut tradit Leſſius, & ex illo Tamb. ſive abſque ſuaſu, ut cum Lugo, Dicaſtillo P. Haun. docent communiter Doctores contra Dianam, & alios quoſdam. Ratio eſt, quia qui fraude inducit alteram, ut faciat indebitas expenſas, tenetur ipſi, & hæredibus ejus ad earundem reſtitutionem: ſed adulteri per procreationem prolis ex uxore legitimi mariti, & iniqui facti diſſimulationem fraudulenter inducunt maritum, ut faciat indebitas expenſas in prolem adulterinam, ergo tenentur ipſi ad earundem reſtitutionem, uterque quidem in ſolidum, ille verò tenetur principaliter, qui eaſdem expenſas per ſe ipſum facere debuiſſet. 96

Dico 7. Si certum eſt, prolem ex patre eſſe adultero, incertum verò, quinam ex duobus, vel pluribus ſit proprius illius pater, ſinguli ſecundùm proportionem dubii tenentur ad partialem reſtitutionem alimentorum, & partis hæreditariæ, legitimis filiis ſubtractæ, cujus quidem portionis dimidium reſtituere debet adultera, ita ut adulteri alterum dimidium loco patris certi tantùm reſtituant. Ratio communis concluſionis eſt: quia licèt ex adulteris tantùm unus potuerit eſſe pater prolis, & ſi is cognoſceretur, reliqui eſſent immunes à reſtitutione, & obligatione alendi prolem poſt primos tres vitæ annos, & licèt is, qui dubitat, utrùm damnum injuſtum fecerit, ad nihil teneatur, ſinguli tamen, ſi non communicato conſilio, ſaltem communi opera ſunt cauſa ipſius incertitudinis injuſtè impedientis, ne ab uno determinato exigi poſſit reſtitutio expenſarum indebitarum, vel ne proles ab uno determinato alimenta recipiat, & hujus damni injuſti nullus dubitat, ſe cauſam injuſtam fuiſſe, & in idem ſaltem implicitè conſenſiſſe, quatenus conſenſit in actionem procreativam prolis, per ſe connexam cum obligatione reparandi damnum legitimo marito, & filiis legitimis, atque alendi prolem illegitimam: ergo ad illius damni compenſationem ſinguli tenentur in ſolidum, ut nimirum ſecundùm proportionem dubii ſinguli contribuant, & defectum alterutrorum ſuppleant. 97

Dico 8. Etiamſi adultera teneatur cavere modo meliori, quo poteſt, ne ex illegitimæ prolis ſuppoſitione legitimi hæredes damnum patiantur, adeòque teneatur ex bonis propriis, quæ habet, vel abſque gravi incommodo habere poteſt, compenſare portionem legitimis hæredibus ſubtractam, aut ne ſubtrahatur, impedire, perſuadendo proli illegitimæ, ſi apta ſit, religionis ingreſſum; tamen nec ipſa crimen ſuum tenetur manifeſtare, niſi moraliter certò conſtet, hac ratione damnum illud temporale ſe amoturam, & inſuper nec vitæ, nec famæ periculum, aut damnum ſubituram: nec etiam proles illegitima tenetur matri adulteræ (etiamſi, ut inquit Leſſius *nu.* 51. ſciat fuiſſe talem) extramatrimonialem conceptionem fatenti, fidem dare, aut abſtinere ab hæreditate, legitimis tantùm debita, niſi duobus ſaltem teſtibus convincatur, v. g. teſtantibus, legitimum maritum toto illo tempore, quo generare prolem debuiſſet, à conjuge abſuiſſe: ita DD. communiter. 98

Ratio primæ partis eſt, quia ex manifeſtatione criminis 99

minis poteſt, vel proli propter ſecuturas perplexitates, ſcandalum, triſtitiam, confuſionem ſui, vel matri propter contemptum, periculum evulgationis &c. grave damnum evenire, ergo propter incertam averſionem damni in bonis inferioris ordinis, non tenetur mater ſubire periculum (licèt longè eſſet minus, & incertius) damni in bonis ordinis altioris. Si autem moraliter certò conſtaret, ex manifeſtatione criminis amotum iri damnum temporale hæredibus legitimis, quia propter nimiam difficultatem tamen, & inobſervabilem obligationis, ſi quæ daretur, & propter damnorum improportionem nemo tenetur ſubire grave damnum ordinis altioris, ad impediendum damnum ex cauſa injuſtè data in bonis inferioris ordinis eventurum, vel ad id, quod jam evenit, reſarciendum, ideò mater adultera non tenetur cum vitæ, aut famæ gravi damno, quale etiam apud ſolam prolem, vel maritum ſubiret, ſi aliàs pro honeſta fœmina habita eſt, crimen ſuum manifeſtare, ut clarè indicatur in *cap. Officii de Pœnitentiis, & remiſſionibus*. Et communiter aſſentiuntur DD. contra Sotum, Adrian. Majorem, apud Azor, *tomo 3. lib. 4. c. 39. §. altera opinio*, aſſerentes, quòd ſi ingens patrimonium v.g. regnum, ducatus, comitatus, tranſiret ad filium adulterinum prætereito filio legitimo, matrem teneri cum jactura honoris, & famæ ad manifeſtationem ſui adulterii.

100 Ratio ſecundæ partis teſte Leſſio *c. 10. num. 55.* ab omnibus Canoniſtis receptæ, eſt, quia ſi daretur obligatio habendi fidem uni etiam omni exceptione majori Authori, aliquid aſſerenti in ordine ad grave damnum ſubeundum, multis injuſtitiis, & fraudibus aperiretur janua, ergo æquitas naturalis exigebat, ut jure naturali non daretur talis obligatio, vel ut Lege poſitiva in tanta hominum infidelitate, & ſimulandi arte, eſſet impedibilis, prout vel impedita, vel immunitas obligationis declarata eſt, non tantùm pro foro externo, ſed etiam pro foro conſcientiæ ob eandem rationem *cap. Licet univerſis, de Teſtibus, & atteſtationibus cap. Veniens cap. A nobis eod. tit.* Atque ex his rectè infert Leſſius *numer. 58.* rariſſimè contingere, ut adultera ſeipſam teneatur prodere, quia vel non merebitur fidem, niſi poſſit eam teſtibus firmare, vel excuſabitur propter infamiam, niſi jam antecedenter famam perdiderit, aut ſaltem valdè ſe ſuſpectam reddiderit.

QUÆSTIO III.

De Reſtitutione pro Injuriis Famæ, & Honoris.

ARTICULUS I.

De Fama, & Honoris externa læſione per detractionem, & contumeliam.

SUMMARIUM.

101 *Quid ſit fama, & quid honor, & quomodo eis opponantur, ac diſtinguantur inter ſe, detractio, & Contumelia.*

102 *Quot modis contingere poſſit detractio.*

101 FAma à Juriſtis deſcribitur, illæſæ dignitatis ſtatus, vita, & moribus comprobatus: id eſt, ut communiter explicant. Bona opinio, & ſermocinatio plurium de virtute, & moribus alterius. Honor internus eſt aſſenſus de excellentia conveniente alteri in certo genere v. g. ingenio, doctrina &c. externus eſt manifeſtatio interni aſſenſus de excellentia alterius, & ſi illum diſtinguere velis à laude, addi poſſunt particulæ: conjuncta cum aliqua ſubmiſſione, vel ab honorante, vel ab aliis exhibenda: quo modo DEUS ſanctos ſuos honorat procurando ſubmiſſionem erga ipſos. Differt ergo honor à fama, quòd ille adæquatè poſſit conſiſtere in uno ſubjecto, fama verò ſit bona opinio plurium, & quaſi ſupponat honorem ad bene ſermocinandum de alio. Honori opponitur contumeliæ; fama opponitur detractio, quæ eſt denigratio injuſta famæ alienæ per verba, vel alia ſigna. Præter diſcrimen, quod habetur à prædicta oppoſitione; cum S. Thoma Authores communiter etiam hoc aſſignant inter contumeliam, & detractionem, quòd illa dicat ordinem ad præſentiam, vel notitiam inhonorati, ſit enim cum intentione, ut ſi abſit alter, ſaltem ex aliis reſciat illatam contumeliam; hæc verò non dicit talem ordinem, & per accidens illi eſt, ſi detractio fiat præſente, vel intelligente altero, non rarò tamen concurrit utraque injuria.

Fit detractio octo modis, quatuor directè, quatuor in- 102
directè, ſequentibus verſibus indicatis:

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens;
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remiſſè.

Septem primos modos ex S. Thoma *art. 1. ad 3.* referunt Valen. & Rebellus. His de fama, & honore, eorumque oppoſitis injuriis pro declaratione præmiſſis, cætera, quæ magis ad praxim ſpectant, diſtinctis paragraphis diſcutiemus.

§. I.

An, & quando gravis injuria per famæ detractionem inferatur.

SUMMARIUM.

103 *Detractio famæ alienæ eſt ex genere ſuo peccatum mortale.*

104 *Quæ ſit gravis detractio, & quales cauſæ excuſent à peccato mortali gravis detractionis.*

105 *Graviter peccat, qui occultum, & grave delictum proximi narrat tantum uni.*

106 *Aliud eſt, famæ alterius graviter detrahere, & aliud, reddere infamem.*

107 *An liceat ſalva Juſtitia, crimen publicum in una civitate manifeſtare in altera: & an jam oblivioni traditum liceat renovare.*

108 *An & quomodo peccet audiens detrahentem.*

QUæritur 1. An detractio ex genere ſuo ſit pecca- 103
tum mortale. Reſp. Ex communi, & certa ſententia affirmativè, & graviùs quidem eſſe furto, leviùs tamen homicidio, vel mutilatione juxta ordinem dignitatis bonorum, poteſt tamen ex parvitate materiæ indeliberatione actus, vel inadvertentia ad grave damnum fieri veniale: quæ omnia partim per ſe, partim ex dictis ſunt nota.

Quæritur 2. Quæ ſit materia gravis detractionis. 104
Reſp. Materia ad peccatum mortale ſufficiens, per ſe loquendo, eſt manifeſtatio peccati mortalis, prudenter ut talis æſtimati; per accidens alterius defectus etiam tantùm venialiter peccaminoſi, vel ſolummodo naturalis, ſi æquale damnum inde patiatur, quale alius in mediocri ſtatu conſtitutus pateretur ex manifeſtatione peccati mortalis; quia per accidens fieri poteſt, ut aliquis ob ſuam dignitatem, & conditionem ex levi defectu grave damnum patiatur, & alius leve ex manifeſtatione de ſe gravis defectus: damnum autem debet eſſe immediatum, & ipſius famæ: nam ſi grave damnum in genere pecuniario ſequatur, quia v. g. de Medico dixiſti, quòd in extremis digitis careat ſenſu tactus ad experiendam venam, non peccaſti graviter in genere detractionis. Dixi etiam: *prudenter æſtimati ut talis*: nam multa peccata de ſe mortalia ob varias circumſtantias excuſantes non ſolent fieri, neque facta creduntur cum mortali malitia, ut ſi de ſæculari dicas ſuiſſe ebrium; cæterùm ad gravem detractionem non requiritur, ut exprimas ſpeciem, ſufficit, ſi in genere, quod ſæpè cauſa eſt pejora ſuſpicandi, gravem alterius defectum manifeſtes.

Excuſaris tamen à peccato mortali, detegens alterius defectum occultum; 1. per inadvertentiam ad grave damnum. 2. per advertentiam ad circumſtantias, grave damnum impedientes, ut ſi perſona, cui detrahis, ſit incognita, neque aliquando cognoſcenda: vel ſi audiens non videatur firmam fidem adhibiturus propter modum narrandi incertum, vel narrantis exiguam fidelitatem, vel ſi is, cujus crimen recenſes, jam ſit in ſimili infamis, nec credatur emendatus, vel ſit aliàs nullius famæ; vel ſi crimen ipſum, quod recenſes, ſit tantùm acceſſorium, ac communiter connexum cum alio principali,

cipali, jam noto. Si ob cauſam rationabilem manifeſtandi proximi defectum ipſe non poſſit rationabiliter eſſe graviter invitus, talis eſt correctio proximi, averſio proprii, vel alieni gravis damni, procuratio conſilii, vel etiam teſte Leſſio, Molina, Layman. ſolatii propter illatam ex alieno crimine injuriam, aut ſi crimen jam eſt, vel proximè fiet notorium, ita ut fama jam fuerit perdita, adeòque nullum ad eam detur jus, vel ſit ſtatim juſtè perdenda, adeòque non ampliùs ſit æſtimabilis, prout fuit fama Judæ, & Petri, negantis Chriſtum, cujus proximam jacturam proindè Chriſtus priùs manifeſtavit. Neque in hoc eſt paritas cum occiſione hominis, aliàs proximè morituri, quia etiam breve momentum vitæ, utpotè conducens ad promerendam æternam felicitatem, eſt graviter æſtimabile, ſpectando communiter contingentia, ex quibus obligatio deſumi debet.

105 Quæritur 3. An peccet graviter, qui gravem, & occultum proximi defectum narrat uni, vel duobus ſilentium ſervaturis. Reſp. contra Petrum Navarram, Cajetanum, Cordubam, Dianam, Tamb. *lib.9.c.3.§.2. num.7.* & alios ab ipſo relatos, atque ex parte contra Leſſium *lib.2.cap.11.dub.11.* cum communi ſententia, teſte Lugo *num.51.* probabiliùs graviter peccare. Ratio eſt, quia damnum eſt adhuc grave, & ſufficiens in judicio temerario ad grave peccatum, etiamſi tantùm apud unum fama diminuatur ob conjecturas non ſufficientes, ut juſtè malum de proximo credi poſſit: ergo etiam in detractione ſufficiet, ſi ſine ſufficienti cauſa occultum crimen manifeſtans apud unum tantùm bonam opinionem minuat, neque enim temeraria impoſitio gravis peccati, injuria gravis eſſe poſſet, niſi eſſet ſubductio gravis boni, nempè bonæ opinionis apud unum. Undè non aſſignat ſufficientem diſparitatem Leſſius, malitiam judicii in ſolam temeritatem refundens, quatenus reſpicit grave damnum.

106 Dices talem adhuc ſervare ſuam famam, quæ eſt opinio bona multorum. Reſp. Licèt talis nondum poſſit dici abſolutè infamis, ſicut nondum poteſt dici pauper, ſi diviti furaris unum aureum, pati tamen gravem diminutionem famæ, & damnum grave: ſicut in judicio temerario.

107 Quæritur 4. An liceat ſalva juſtitia crimen publicum in una civitate, manifeſtare in altera. Reſp. cum Leſſio, Lug. Tamb. & aliis, ſive crimen ſit notorium per ſententiam judicis, ſive per ipſam patrationem publicam, ſive per evulgationem aliorum, affirmativè (quamvis graviter poſſit peccari contra charitatem, ſi crimen alibi manſurum eſſet occultum) quia alter ſimpliciter perdidit jus ad ſuam famam, quod proindè pro omni loco, & tempore amiſit: unde etiam poſteritati notorium crimen tranſcribi poteſt, ſaltem quando nondum per univerſalem oblivionem Jus famæ recuperavit. Nam in primo caſu judex per ſententiam condemnatoriam in partem ſupplicii dedit facultatem, ſicut, ſi alterius bona permittit publicæ direptioni: in ſecundo infamatus facto ipſo cenſetur ceſſiſſe jure ſuæ famæ. In tertio caſu publicè infamis, id eſt, coram tanta multitudine hominum, quæ probabiliter ad majorem partem communitatis crimen ſit evulgatura, non cenſetur ullum habere jus famæ, utpotè jam quoad æſtimabilitatem deſtructæ, ſicut ſi caſu, vel fortuitò alicui res pereat, vel etiam aliorum injuria; quamvis contra hos acquirat jus ad compenſationem. Hinc diſparitas eſt inter illum, qui in monaſterio, vel privata familia notus eſt de crimine, talis enim nondum cenſetur publicè infamis; quia delictum illius neque ad publicum cœtum hominum delatum eſt, & propter privatam conjunctionem non tam facilè deferetur. Neque temporis cum loco eſt omnimoda paritas, nam qui fuit infamis per oblivionem ſui delicti, cenſetur reparaſſe ſuam famam, & jus ad eam pro hoc tempore; unde ſi ex propalatione præteriti delicti adhuc probabiliter putaretur malus, læderetur ipſius præſens jus. Quòd ſi tamen pro hoc tempore nullam famæ ſuæ diminutionem pateretur, probabile putant Leſſius, Tambur. Fagundez, & alii, propalatione delicti præteriti, & oblivioni traditi; non peccari contra juſtitiam; quia fama tollitur tantùm cum reſpectu ad illud tempus, quo non habuit Jus famæ.

Verùm oppoſita ſententia Navar. Toleti, Mol. Layman. videtur mihi probabilior. Quia aliud eſt, quòd crimen narratum reſpiciat tempus, quo criminoſus non habuit Jus famæ, & quòd crimen præteritum opinionem probitatis præſentis non imminuat, & aliud, quòd non imminuat opinionem præſentem, quòd iſte homo ſemper fuerit probus, & nunquam criminoſus, ad quam opinionem oblivione criminis ipſe recuperaverit jus, reſpiciens tempus non præteritum, cujus temporis jus fuit ſublatum, ſed reſpiciens tempus præſens, pro quo jus fuerit recuperatum ad opinionem nunquam commiſſi alicujus criminis. Nihilominus licitum eſt Hiſtoricis Commiſſa crimina eo tempore, quo Jus famæ perditum eſt, poſteritati tranſcribere, & ſic impedire, ne Jus famæ perditum per oblivionem recuperetur: ſicut poſtquam jus ad rem temporalem alienatum eſt, poteſt quis licitè facere, modò id fiat ſine vi, & fraude, ne ipſum ad priorem Dominum revertatur: poſtquam tamen fuiſſet reverſum, non liceret id rurſum tollere, quamvis jam aliquando fuiſſet ſublatum.

Quæritur 5. An, & quomodo peccet audiens detrahentem. Reſp. Si is cauſa ſit detractionis inductiva, vel excitativa, peccare contra juſtitiam, & charitatem peccato ſcandali, ac teneri impedire teſte S. Thoma 2.2. *qu.* 73. *ar.*4. Niſi ex reverentia debita ſuperiori, timore rationabili gravioris mali, diffidentia quidquam efficiendi; vel aliis ex cauſis excuſetur, quòd ſi autem cauſa non ſit, delectetur tamen in audienda detractione quatenus eſt malum proximi, & non impediat, cùm facilè poſſet, peccat quidem graviter contra charitatem, ſed non tenetur ad reſtitutionem, ſicut tamen tenetur in priori caſu ſaltem in defectum detrahentis. Imò etiamſi non delectetur de malo proximi, qua tali, ſi tamen facilè detractionem impedire poſſet, tenetur ex charitate id facere. Excuſabitur tamen ſæpè, ut optimè advertit Tambur. §.7. *à nu.* 5. quia, vel poteſt rationabiliter judicare alios fidem non habituros detractori, vel iſtum non deſtiturum detrahere, vel nihil novi dicturum præter jam inſinuata, vel habere juſtam cauſam hæc dicendi (quod ſupponi poteſt, & debet, quando non moraliter certò conſtat contrarium,) vel denique etiam excuſabitur, quando propter metum reverentialem, vel aliud proprium incommodum impedire nil poteſt, quod maximè ſervire debet ſcrupuloſis, quibus ipſa obligatio impediendi eſſet maximè incommoda, ſi eidem ſubjacerent, quando hæc ipſis non eſt evidens. Quòd ſi deinde, ſuppoſita detractione, auditor gaudeat de nova cognitione factorum proximi ſibi inculpabili, & non quatenus eſt ipſi proximo noxia, non peccat. Nota, quòd de illicita auditione alieni criminis dictum eſt, id ſuo modo etiam extendi ad quamcunque aliam illius inveſtigationem abſque juſta cauſa factam, ut monet Tamb. *cit.* §.7. *num.*2. 108

§. II.

Qualis detur obligatio reſtituendi famam.

SUMMARIUM.

109 *Quomodo ad reſtitutionem læſæ famæ coram immediatis, vel etiam mediatis Auditoribus teneatur, quicunque alterum ſive de falſo, ſive de vero crimine occulto infamavit.*

110 *Non tantùm reſtituenda eſt fama injuſtè ablata, ſed etiam conſequentia damna compenſanda.*

111 *Cauſæ excuſantes à reſtitutione famæ.*

QUi alterum de falſo crimine injuſtè infamavit, tenetur, ſi famam reparare aliter nequeat, fateri ſuum mendacium, vel errorem, adjecto etiam, ſi opus fuerit, juramento, cui ſi tamen ex rationabili ſuſpicione fictionis non crederent auditores, etiam opus videtur teſtibus, quia ad probandam innocentiam ſunt medium ordinarium, adeòque adhibendum, ſi juramentum de ſe, ac independenter à malitia auditorum hic, & nunc fuit inſufficiens ad faciendam fidem, ut [illegible] Leſſius *c.*11. *num.* 107. contra Navar. ſi autem de vero crimine facta eſt infamatio, debet æqu[illegible] verborum, qua etiam confeſſarii interroga[illegible] 109

ſcelere uti ſolent, vel laude oppoſita, ſi cum veritate fieri poſſit, retractari ſaltem coram immediatis auditoribus; hoc enim per ſe loquendo ſufficit ſpectando praxim, teſte Lugo *num.* 16. partim quia coram mediatis vix poſſibilis eſt reſtitutio, partim quia præſumi poteſt, auditores immediatos retracturos eſſe infamiam alienam coram mediatis: ſi tamen detractor prævidere potuit, ac debuit, auditores ſuos aliis manifeſtaturos, nec recantaturos crimen alienum, docent Navarrus, Leſſius, Turrianus, Tanner, Tamb. talem teneri reſtituere (ſi fieri poſſit) famam coram mediatis auditoribus, quia etiam hujus diminutionis cauſa fuit non merè fortuita, aut caſualis: ſi verò hoc prævidere non potuiſſet, Leſſius excuſat ab obligatione, eò quòd mediata infamatio ſit caſualis ipſi infamatori. Cæterùm reſtitutio famæ etiam facienda eſt mortuis, quia per famam cenſentur vivere in hominum animis: fundatur autem jus in anima ipſius defuncti.

110 Præter reſtitutionem famæ, cujus datur obligatio perſonalis, debent etiam reſtitui damna ſecuta juxta communem ſententiam, etiamſi crimen verum fuerit, quia cùm ſcelus occultum nullam habuerit vim damnificandi, & infamatus habuerit jus, ne revelaretur, hinc detractor non tantùm conſendus eſt cum Scoto poſuiſſe conditionem, ut infamatus propter crimen tanquam veram cauſam privetur v. g. officio, ſed fuiſſe cauſam moralem injuſtam, & ad reſtitutionem obligari obligatione reali, afficiente propria bona, atque ad hæredes tranſeunte.

111 Quæres, quænam cauſæ excuſent à reſtitutione famæ? Reſp. à Leſſio *c.* 11. *dub.* 26. ſequentes enumerari. Primò. Juſta condonatio, cùm enim homo ſit dominus ſuæ famæ, ſequitur, eum poſſe alteri remittere obligationem reparandi ſibi famam, ſeu cedere jure ſuæ famæ, niſi eadem aliis, & in quorum bonum ejus reparatio redundat, ſit debita, vel ex charitate, ratione ſcandali ſubmovendi, vel ex juſtitia, prout debetur ratione officii, quod infamatus neque vult dimittere, neque ſine reſtitutione famæ ſibi facta gerere ſatis utiliter poteſt, aut ratione propriæ aliorum hominum famæ conſervandæ, ſi nimirum hujus jactura cum alterius infamia foret connexa, v. g. ſi alii ex eadem familia non tantùm contemnerentur indirectè propter crimen ſui ſocii, ſed etiam pro ſimiliter criminoſis haberentur, ut præſertim in religioſis familiis facilè fieri poſſet. Undè etiam ſuppoſita condonatione infamator teneretur adhuc ad reſtitutionem famæ, vel ex charitate, ſi ex hac ſit debita, vel ex juſtitia, ſi debitum in illa radicetur, adeòque condonatio eſſet illicita in primo, ac inſuper invalida ex parte in ſecundo caſu, quatenus juri aliorum infamatus præjudicare non poſſet.

Secundò, Juſta exceptio, ſeu oppoſitio ſimilis obligationis: ſi enim ab altero prior es infamatus, & is tibi reſtituere famam poſſit, per ſe loquendo licitè diſſers reſtitutionem famæ, & quaſi pignoris loco retines, donec alter tibi famam reſtituat, quòd ſi nolit, etiamſi per omiſſionem reſtitutionis damnum tuæ famæ ab eodem illatum immediatè reſarcire non poſſis, quemadmodum potes damnum bonorum temporalium tibi compenſare detentione rei viciſſim debitæ; remanet tibi tamen jus exceptionis, ſeu juſtæ defenſionis contra prolongationem infamiæ, cùm etiam (quod plus eſt) ex eodem defenſionis titulo liceat, alterum de vero, ſed occulto crimine infamare, ſi tantùm hac ratione, nec alia mitiori, famam tuam tueri poſſis: v.g. ad tollendam tuo infamatori fidem, licet tibi evulgare, eum eſſe mendacem, vel perjurum, ſi verè talis eſt: quia, ut ſuprà dixi, propter ſuum, vel proximi grave damnum avertendum, cuilibet licita eſt manifeſtatio criminis alieni, & univerſaliter loquendo, quiſque habet jus tuendi ſuam vitam, famam, & bona fortunæ, etiamſi injuſto invaſori inferendum ſit majus damnum, quàm ipſe inferre tentet, modò non inferatur majus, quàm neceſſe ſit ad propulſandam injuriam.

Tertiò. Si fama alia ratione jam ſit recuperata, quamvis propter illatam injuriam poſſit adhuc eſſe debita quædam ſatisfactio pro offenſa.

Quartò. Si infamia jam oblivioni tradita, nec unquam amplius reſuſcitanda prudenter credatur.

Quintò. Si reſtitutio famæ reddita ſit impoſſibilis, vel indebita, eò quòd per aliam juſtam publicationem criminis jus famæ ſit perditum.

Sextò. Si reſtituenti famam notabiliter majus damnum ſecundùm prudentem æſtimationem hominum ſubire neceſſe eſſet, quàm infamatus ſubeat ex omiſſione reſtitutionis v. g. ſi reſtituens in multò majorem infamiam, vel etiam vitæ periculum incideret. Imò ſi tantùm gravem bonorum jacturam facere cogeretur, quæ in ſuo genere longè eſſet levior infamia proximi, quia bonum altioris ordinis quoad naturam, ſæpè minoris æſtimabilitatis bono inferioris ordinis propter exceſſum utilitatis, vel neceſſitatis in ſuo genere longè majorem, multò magis propter ſubſequens ſibi damnum excuſaretur à reſtitutione famæ alienæ, qui alterum ſine gravi ſua culpa Theologica infamaſſet, eò quòd per errorem inculpabilem exiſtimaverit crimen proximi eſſe verum, & notorium, ut advertit Leſſius *c.* 11. *dub.* 22. Eadem eſt ratio, ſi per inadvertentiam illud manifeſtaſſet. Itaque inter graviter inculpabilem, & graviter culpabilem infamiam citatus Leſſius *num.* 117. hoc notat diſcrimen, quòd ſcilicet ex iſta oriatur obligatio reſtituendi famam, etiam cum periculo æqualis damni, & mortis quoque, ſecundùm communem Doctorum ſenſum *num.* 91. allegatum, ſi aliàs de crimine falſo infamatus illam ſubire cogeretur (nam ſi crimen eſſet verum, & mors à Judice inferretur, infamatio comparatione hujus damni non fuiſſet injuſta, & culpabilis) ex illa verò, ſcilicet ex infamatione graviter inculpabili non oriatur obligatio reſtituendi famam cum gravi damno, quamvis inferiori.

§. III.

Quale peccatum, & qualis Obligatio per contumeliam contrahatur.

SVMMARIVM.

112 *Honor poteſt eſſe alicui debitus ex obligatione diverſarum virtutum.*

113 *Contumelia eſt peccatum contra Iuſtitiam, & parit obligationem honoris reſtituendi, ſive publicè, ſive privatim læſi.*

114 *Referuntur hujus reſtitutionis varii modi.*

115 *Per ceſſionem Iuris poteſt impediri malitia contumeliæ, quin impediri poſſit malitia inobſervantiæ.*

PRo reſolutione quæſtionis advertendum eſt 1. Eandem rem poſſe eſſe alicui debitam ex obligatione diverſarum virtutum; undè filius occidendo parentem, peccaret ſimul contra juſtitiam, pietatem, & charitatem proximi. 2. Poſſe aliquid eſſe debitum debito decentiæ, vel dignitatis, quin ſit debitum rigorosè, & ex obligatione inducente peccatum; ſic pauperi extra gravem neceſſitatem conſtituto decens eſt dare eleemoſynam, & benè merens dignus eſt præmio, nec tamen ſtatim eſt peccatum omiſſio eleemoſynæ, vel præmii: itaque honor poteſt eſſe debitus ex juſtitia, & ex obſervantia, ut obſervat Leſſius *lib.* 2. *c.* 11. *n.* 142. & poteſt eſſe debitus ſub obligatione peccati, nempè ſuperioribus ratione gubernationis actualis, vel etiam ſine obligatione, prout quivis homo ratione virtutis honore dignus eſt, qui tamen ſecluſo poſitivo contemptu ſæpè ſine peccato omitti poteſt, ut iterum notat Leſſius *lib.* 2. *c.* 46. *nu.* 11. hoc ſuppoſito. 112

Dico 1. Qui aliquem per poſitionem, vel omiſſionem alicujus actionis contemptu externo, ſeu contumelia privatim, vel publicè coram aliis afficit, peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem honoris ſive privatim violati, ſive etiam in aliorum animis imminuti. Probatur tum à paritate detractionis, ſeu infamationis, tum à priori: hoc ipſo enim, quòd alter habeat jus, ne in honore per ſignum externum poſitivum, aut negativum contemptus in animo latentis lædatur, vel etiam in adſtantium mentibus æſtimatio illius per contemptum illatum imminuatur, neceſſariò ſequitur eum, qui contra agit, irrogare illi injuriam, adeòque teneri ad reſtitutionem præſtandam honoratione externa compenſante contemptum, ſecundùm gravitatem contumeliæ juxta prudentis viri arbitrium, vel ſaltem ſecundùm receptam conſuetudinem. 113

Hujuſ-

114 Hujuſmodi modos compenſationum recenſet Leſſius *lib.2.cap.11.a nu. 143.* ſi nimirum ſuperior ſubditum contumelia affectum dignetur amica, & honorifica ſalutatione, aut compellatione, vel ſi ſuperior, aut etiam æqualis læſum honoret amica invitatione ad menſam, hauſtus propinatione, loco honorifico inter convivas; vel denique, ſi æqualis; aut inferior humiliter veniam deprecetur, ad quod tamen, teſte Leſſio, ſuperior, ſaltem regulariter non tenetur: æqualis verò, vel inferior conſuetudine gentium non tenetur ad plus ante ſententiam judicis, eò quòd v.g. ſpontanea genuflexio, vel colli in laqueum inſertio nimis videatur difficilis.

115 Dico 2. Etiamſi per conſenſum, & juris ceſſionem tollatur ratio contumeliæ, niſi tamen ſimul tollatur vis inhonorationis inſita alicui actioni, vel omiſſioni actionis, non perinde etiam tollitur inobſervantia quoad ſuam malitiam, ſi obſervantia ſub peccato fuiſſet debita; prout maximè debetur ſuperiori, ſeu gubernatori actuali. Ratio eſt, quia ſicut creditor in extrema, vel gravi neceſſitate conſtitutus remittendo debitum tolleret ex omiſſione ſolutionis neceſſariæ malitiam oppoſitam juſtitiæ, non tamen malitiam oppoſitam charitati, vel pietati, ſic neque in caſu concluſionis tolli poteſt malitia oppoſita obſervantiæ, majoribus debitæ, quia hæ obligationes non ſunt eodem modo remiſſibiles, ſicut obligatio juſtitiæ, ſed datur etiam erga volentem immiſericordia, impietas, irreverentia, & per hoc irreverentia, vel inobſervantia potiſſimùm diſtinguitur à contumelia.

ARTICULUS II.

De Honoris interna Læſione per Judicium, aut Suſpicionem temerariam, & de Reſtitutione ejus.

SUMMARIUM.

116 *Quomodo diſtinguantur inter ſe Judicium temerarium, Opinio, Suſpicio, Dubium.*
117 *Judicium temerarium de delicto proximi eſt ex genere ſuo peccatum mortale.*
118 *Ut autem ſit mortale peccatum, quatuor requiruntur.*
119 *Obligationi reſtitutionis debitæ ſatisfit deſiſtendo à Judicio temerario.*
120 *Aliud eſt dari ſufficiens fundamentum judicandi, dari peccatum proximi, & aliud, poſſe dari.*
121 *Suſpicio & Opinio infirma temeraria, ex genere ſuo non eſt peccatum mortale.*
122 *Probabilius eſt, præcedentes actus nunquam formaliter eſſe mortale peccatum, ſæpè tamen tale ſupponere, vel diſponere ad illud.*
123 *An & qualis detur obligatio, actionem proximi in meliorem partem interpretandi.*
124 *Cuſtodire rem ſuam contra proximum, non eſt dubitare de probitate proximi.*
125 *Poſſum judicare, alterum dixiſſe falſum, quin poſſim judicare, mentitum eſſe.*
126 *Explicatur Regula 8. Juris in 6.*

116 Supponendum eſt, judicium temerarium, opinionem, ſuſpicionem, dubium, ſæpè confundi ſolita, in hoc diſtingui, quòd primum ſit firma ſententia de malo proximi ex levibus indiciis profecta: ſecundum ſit quidem determinata, & firmior ſententia ſuſpicione, minùs tamen firma, quàm judicium temerarium, adeòque diſtinguatur ſecundùm magis, & minùs, tertium, nempè ſuſpicio, ſit quædam propenſio judicii in partem determinatam, nondum tamen perfectus, & abſolutus aſſenſus teſte Leſſio *l.2.c.29.nu.6.* & Lugo *diſp.14. num.10* dubium denique ſit hæſitatio animi in neutram partem determinati.

117 Dico 1. Judicium temerarium ſecundùm communem DD. conſenſum ex genere ſuo eſt peccatum mortale: quia quamdiu aliquis non ponit ſufficientia indicia de malo, habet jus ad bonam de ſe exiſtimationem, & ejus ablatio eſt graviter damnoſa, tum quia bonum nomen eſt magnum bonum in ſe, cùm etiam S. Scriptura jubeat illius curam habere, & graviter prohibeat judicium temerarium Matth. 7. Lucæ 6. Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini: tum quia judicium hoc gravem contemptum exteriorem, averſionem animi, & alia damna per ſe loquendo efficaciter diſponit, & ob levitatem rationum difficulter eſt auferibile à temerè judicato, ut notat Eſparza *14.38* cùm hujuſmodi rationes leves non tam facilè evitari queant, vel ſaltem voluntas propter firmitatem aſſenſus imperati nolit eundem mutare; unde etiamſi judicium temerarium brevi tempore duret, quia tamen eſt affectivè perſeverans quoad habitualem exiſtentiam, cenſetur proximo graviter damnoſum, teſte Lugo *num. 11.*

Quatuor autem conditiones ad hujuſmodi peccatum grave requiruntur 1. Ut fiat cum plena advertentia ad gravitatem materiæ, & indiciorum levitatem, vel inevidentiam, ac incertitudinem notabiliter minorem firmitate judicii. 2. Ut ſit circa æqualem gravitatem materiæ, qualem pro detractione mortali requiſivimus. 3. Ut adſit firma adhæſio intellectus. 4. Ut ſi ex levibus indiciis, quæ ſcilicet virum prudentem ad talem aſſenſum inducere non poſſunt, quamvis forſan ſufficerent ad minus firmum aſſenſum, quæ ſi tamen ſint valdè probabilia, & ſolùm non tam certa moraliter, quàm firmum eſt judicium, à mortali peccato excuſare, ait Leſſius *n.13.* His 5. ex Tamburino addi poteſt, ut ſcilicet ſit circa perſonam aliquo modo notam. Atque hæ conditiones, cùm ſæpè collectivè non reperiantur, præſertim apud homines timoratæ conſcientiæ, vel ſaltem nullo infectos odio erga proximum; hinc raró fit, ut mortaliter peccent, prout cum aliis advertit Tamburinus *lib.9.c.1 nu.19.* 118

Dico 2. Gravitati judicii temerarii commenſurata eſt gravitas obligationis ad reſtituendum bonum nomen, deſiſtendo ſcilicet à tali judicio. Probatur. Quia univerſim quando datur juſtæ indignationis fundamentum ratione læſi juris, illud per reparationem juris debet tolli, etſi furtum ſit occultum, contumelia nullo præſente ſit illata, detractio apud unum tantùm ſit facta; ergo etiam ex obligatione Juſtitiæ debet tolli fundamentum juſtæ indignationis, etſi judicium temerarium apud unum tantùm reſideat, & occultum maneat; quia ſufficit, ut hæc omnia de ſe ſint apta movere ad juſtam indignationem, poſito quod reſciat læſus. 119

Obiic. Corruptela naturæ humanæ, & multitudo peccantium ſunt ſufficiens fundamentum à priori, judicandi de alterius peccato, ergo nunquam dabitur judicium temerarium, conſequenter nec obligatio reſtituendi bonum nomen. Reſp. Diſtinguendo antec. ſunt ſufficiens fundamentum judicandi poſſe alterum peccare, adeòque de peccato poſſibili, concedo antec. de peccato actuali, nego antec. quia, cùm priora fundamenta non ſint in poteſtate hominis, actu peccare autem, vel abſtinere, ſit in poteſtate, ſtante tali corruptela; hinc non poſſum judicare de actuali peccato, niſi pro eodem homo dederit ſufficientia indicia. 120

Dico 3. Suſpicio, & opinio infirma (& multò magis dubium, quia adhuc ad neutram partem eſt determinatum) ex genere ſuo non eſt peccatum mortale, ita communis cum S. Thoma *2.2.q.60.art.3* Probatur. Quia cùm ſit judicium valdè debile, conjunctum cum formidine oppoſiti, qua intellectus dicit; forſan non eſt malus: facilè mutabile, ut ab experientia conſtat, ac proindè non notabiliter lædat honeſtam exiſtimationem de proximo (quæ teſte Tannero, & Layman *lib.3. tr.3. par.2.c.2. n.6.* non in uno actu conſiſtit, ſed in diſpoſitione intellectus ad ſæpè bene judicandum de proximo data occaſione, quæ diſpoſitio non tollitur per ſuſpicionem) ideò proximo non datur grave damnum, aut fundamentum graviter indignandi. 121

Dixi: *ex genere ſuo*: nam Molina *tom.5. diſput.16. num.10.* Leſſius *lib.2. cap.29. dub.3. num.21.* Lugo *diſp.14. numer.14.* & hoc teſte Recentiores communiter docent, quandoque poſſe eſſe crimen tam enorme, ac rationes tam leves, ut non tantùm opinio, ſed etiam ſuſpicio, ac dubium ſint mortale peccatum; ita tamen, ut leviores rationes ad dubium, quàm ad ſuſpicionem, & leviores ad ſuſpicionem, quàm ad opinionem mortaliter peccaminoſam requirantur: rationes enim, quę leves eſſent reſpectu opinionis, poſſent in ordine ad ſuſpicionem non eſſe leves, ſed ſufficientes; & leves in ordine ad ſuſpi- 122

ſuſpicionem, poſſent eſſe ſufficientes ad dubium citra ullum, aut citra grave peccatum concipiendum. Verùm præter judicium temerarium, & firmam opinionem reliquos imperfectiores actus in ſe nunquam moraliter peccaminoſos eſſe, quamvis poſſint conjungi cum actu mortaliter peccaminoſo, v. g gravis odii, ex quo poſſunt procedere, vel gravis contemptus, aut infamationis, quos poſt ſe trahere poſſunt, ut valdè probabile defendit Laym. *loc. cit.* non diſtinguens ſuſpicionem etiam ab opinione infirma, & citans Cajetanum, Petr. Navarram, quos ſequitur Tamburinus *lib.9.c.1.nu.16.* & videtur etiam conſentire S. Thomas *loc. cit.* & Gloſſa in 1. ad Corinth. 4. ſuper illa verba: nolite ante tempus judicare: quæ eſt deſumpta ex S. Auguſtino *tr.90.* in Joannem. Undè licèt quandoque aliquis leviùs ferret grave damnum in bonis temporalibus, vel etiam temerarium judicium in crimine non enormi, quàm temerariam ſuſpicionem in crimine enormi, & cum amico taliter ſuſpicante amicitiam diſſolveret, dicent tamen hi Authores, quorum adverſarii S. Thomam, & Gloſſam, ac textum S. Auguſtini explicant de communiter, & regulariter contingentibus, hujuſmodi hominem ultra meritum injuriæ, & fragilitatis humanæ ad malè ſuſpicandum pronæ, tam graviter invitum fore; quamvis forſan prudenter in bonis temporalibus grave damnum præeligeret, quia illi facilè ferendo eſſet, & injuriam in honore illatam, & ſecundùm dignitatem ordinis æſtimatam difficiliùs ferret; quantumvis in ſuo ordine levis ſit, & per comparationem ordinis ſuperioris ad inferiorem injuria menſurari debeat.

123 Dico 4. Dubia de rebus (quo etiam ipſæ actiones humanæ ſpectant, in ſe & materialiter tantùm conſideratæ, ſine judicio de probitate, vel improbitate hominis, ex qua procedunt) non ſunt neceſſariò in meliorem partem interpretanda, actiones tamen, prout à diſpoſitione, & intentione hominis procedunt, ſunt in meliorem partem trahendæ, ſaltem negativè, imò aliquando etiam poſitivè. Prima pars eſt communis omnium. Ratio eſt, quia intellectus intendit ſolam veritatem rei ſine damno alterius; judicans enim contractum v. g. eſſe invalidum in ſe, nihil ſtatuendo de improbitate, & fraude alterius contrahentis, doctrinam eſſe in ſe hæreticam &c. nihil nocet homini ipſi, de quo nihil decernit. Secunda pars etiam eſt certa, & communis; quia quamdiu alter non dat ſufficientia indicia de malo, habet jus, ut ſaltem negativè bene judicetur de illo, id eſt non judicetur malè, ut patet ex concluſione prima, & ex communiter recepto principio juris, quamdiu aliquis non demonſtratur nocens, cenſendus eſt innocens: & ex regula undecima *de Regulis juris in 6. Cum partium jura ſunt obſcura reo potius favendum eſt, quàm actori*. Ratio ulterior utriuſque partis à S. Thoma *qu. 60. art. 4. ad 5.* aſſignata, & à Tannero *num. 53. ac ſequenti* illuſtrata eſt hæc: quia in judicio de rebus tantùm ſpeculativè conſideratur veritas; in judicio de perſonis autem voluntas, imperando ſibi aſſenſum de alterius improbitate, practicè operatur in genere moris; ergo in priori caſu licet intendere rei veritatem, in poſteriori verò voluntas debet intendere honeſtatem juſtitiæ, quæ obtinetur, etiamſi bene de malo homine judicetur, non verò ſi malè de homine bono, ſine judiciis ſufficientibus, quia hoc eſſet contra jus illius, ſive à parte rei judicium eſſet conforme, ſive difforme. Tertia pars intelligenda eſt ex ſuppoſitione: ſi nimirum practicè judicandum eſt de probitate actionis alterius, v. g. ſi oborta dubitatio de alterius virtute aliàs compeſci non poteſt: & tunc patet ejus ratio ex dictis; ſi enim judicium eſt ferendum, & dubium ferri non poteſt, ut ſupponimus, ergo debet ferri determinatum, judicans bene de altero, nixum ſaltem generalibus principiis, quòd in dubio melior ſit conditio poſſidentis: ſed quamdiu deſunt ſufficientia indicia mali, tamdiu aliquis eſt in poſſeſſione ſui boni nominis, ergo &c. Confirmatur. Sicut enim in foro externo tractatur, ut innocens, quamdiu non probatur nocens, ſic etiam in mente tractandus eſt.

124 Obiic. 1. Cuique licitum eſt, coram homine ignoto res ſuas cuſtodire, pudicitiæ uxoris, aut filiæ bene conſulere, ſubditos objurgare, corrigere &c. etiamſi non adſint ſufficientia indicia improbitatis, ergo licitum eſt dubitare de virtute alterius ex levibus indiciis. Reſp. diſting. antec. licitum eſt iſta facere ex dubio, cum determinato judicio, aut ſuſpicione alienæ improbitatis actualis conjuncto nego antec. ex dubio, cum ſuſpicione non conjuncto concedo antec. dubitans enim quaſi dicit: hic homo ignotus poteſt eſſe fur, vel adulter, & ſi eſſet talis res mea, vel uxor eſſet in periculo, ergo majoris ſecuritatis gratia illud præcavebo, ſive ille talis ſit, ſive non ſit, de quo nolo judicare, & hoc Doctores dicunt, eſſe per ſuppoſitionem quandam in deteriorem partem interpretari, quod pro bono proprio, vel alieno procurando, & damno vitando licitum eſt. Hac ratione ſolemus etiam à peregrinis teſtimonia exigere, quando v. g. ad officium petunt admoveri.

Obiic. 2. Quando vir probus mihi de altero viro bono diceret, illum eſſe adulterum, poſſum de unius veracitate, & de alterius caſtitate ſemper dubitare, ergo nunquam alterutrius actionem teneor in meliorem partem trahere. Reſp. 1. In dicto caſu tranſeat conſequentia, & nego ſuppoſitum, quod detur tunc obligatio determinatam ſententiam ferendi. Reſp. 2. Etiam in poſito caſu poſſe dubium de utriuſque improbitate deponi, ſi judicem, alterum dixiſſe falſum per errorem abſque animo mentiendi. 125

Obiic. 3. *Regula 8. Juris in 6.* qui ſemel malus ſemper præſumitur eſſe malus: ſed prima malitia non eſt ſufficiens indicium poſterioris, ergo licet poſteriorem præſumere ex inſufficiente indicio. Reſp. Illam præſumptionem, vel eſſe explicandam, ſicut in prima objectione, vel primam malitiam poſſe eſſe ſufficiens motivum in certis circumſtantiis ante viſam ſeriam emendationem, ſimile quid ſaltem ſuſpicandi. 126

QUÆSTIO IV.

De Reſtitutione pro Injuriis in Bonis Fortunæ.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex ſit furtum, ac rapina.

SUMMARIUM.

127 *Quid ſit Furtum propriè dictum, & quæ ad illud conditiones requirantur.*
128 *Quomodo differat à Rapina.*
129 *Injuſta detentio rei alienæ poteſt dici furtum, minùs propriè dictum.*
130 *In definitione furti, accipitur furtum medio modo, ſcilicet non nimis latè, nec nimis ſtrictè.*
131 *Dividitur furtum ratione materiæ, ſeu objecti, in peculatum, abigeatum, & plagiatum.*

FUrtum à S. Thoma *qu. 66. art. 3.* & aliis Theologis communiter definitur *Occulta acceptio rei alienæ invito domino*: ut autem hæc definitio ſit univerſalis, cùm etiam dominus à commodatario, pignoratario, depoſitario rem ſuam furto auferre poſſit, ideò debent verba: *res aliena*, & *invito domino* latè accipi, ut eatenus res dicatur etiam aliena, vel aliquis dicatur dominus rei, quatenus habet jus detinendi illam rem, & prohibendi alteri ejuſdem acceptionem. Undè eandem definitionem P. Haunold. *tr.2.nu.252.* verbis magis propriis ſic tradit: furtum eſt occulta (ſaltem furis opinione, etiamſi fortè à latente per inſidias deprehendatur) acceptio rei ab alio juſtè detentæ invito detentore: id eſt, potente, & volente prohibere. Magis etiam declarantur prædicta verba in alia definitione à Juſtiniano tradita *l. 1. §. ult. ff. de Furtis*. contrectatio fraudulosa lucri faciendi cauſa, vel ipſius rei, vel ejus uſus poſſeſſioniſve. Per contrectationem intelligitur non ſolùm prima acceptio rei, ſed etiam injuſta detentio, vel uſurpatio; hinc *l. 40. ff. de Furtis dicitur: qui jumenta ſibi commodata longiùs duxerit, alienave re invito domino uſus ſit, furtum facit*. Excluditur verò nuda cooperatio ad furtum alienum, quæ fit conſilio, vel alia ratione. Fraudulosa, ſignificat injuſtam, ſed non violentam contrectationem, unde furtum à rapina diſtinguitur. 127

Rei

Rei nomine magis juridicè, quàm theologicè loquendo denotantur ſola bona mobilia, & corporalia, non verò immobilia, aut mera jura; quamvis ſecundùm Theologos etiam hæc eadem voce comprehendi poſſint, ac debeant: ſicut comprehendi quoque debet humana perſona, herili, aut patriæ poteſtati ſubdita; nam interdum etiam liberorum hominum furtum dicitur §. 9. *Inſtit. de Obligationibus quæ ex delicto naſcuntur*: quando verò aliàs in jure negatur dari furtum hominis liberi, id intelligendum eſt de homine tam à patria, quàm herili poteſtate libero. Præterea ad rationem furti requiritur; ut res actu ſit in alterius poteſtate: hinc ſi ablatione acus ſartori infertur damnum magni lucri, rectè obſervat Leſſius *lib. 2. c. 12. n. 33. & 34.* non dari furtum circa illam, ſed damnificationem innominatam, qua non incurreretur pœna temporalis, v. g. excommunicatio, ſi qua eſſet furto ſingulariter ſtatuta. Circa prædictas definitiones furti adhuc advertendum eſt ex P. Haunoldo *num. 257.* in jure ſubinde concedi actionem furti contra eum, qui non commiſit propriè furtum, hic definitum, ut qui conſilio tantùm cooperatus eſt ad furtum ab alio commiſſum; ſubinde verò negari actionem, etiamſi verum furtum factum fuerit, quando nimirum uxor furata eſt marito, vel viciſſim *l. 1. & 2. Actione rerum amotarum l. 2. Cod. Rerum amotarum*: aut quando filius furatus eſt Patrifamilias, aut ſervus domino §. 12. *Inſtit. cit. & l. 16. ac 17. ff. de Furtis*.

128 Rapina, quæ furtum improbum, ſeu qualificatum vocatur, malitiæ furti ſuperaddit violentiam actualem, vel ſaltem animo deſtinatam, juxta *l. Si quis uxori 52. §. ult. ff. de Furtis*. ubi ingrediens domum alienam animo rapiendi, actione de bonis raptis in quadruplum conveniendus dicitur, etiamſi per accidens nemo in domo fuerit.

129 Contra allatam definitionem furti, vel potiùs contra illius declarationem obiici poſſet 1. ſi per contrectationem fraudulosam non tantùm intelligitur prima acceptio, quam ſolam intelligit Lugo *diſp. 16. num. 1.* ſed etiam detentio injuſta, quam idem Lugo *nu. 6.* admittit pro furto minùs rigoroſo, ſequitur, quòd etiam is, qui non eſt hæres univerſalis, ac immediatus rem à poſſeſſore malæ fidei acceptam, utpote hoc ipſo furtivam, tempore ordinario non præſcribat, etiamſi ipſe poſſeſſor malæ fidei, per detentionem injuſtam, non autem per primam acceptionem talis factus ſit, conſequens eſt contra communem doctrinam, ergo &c. Reſp Negando ſequelam, & ſuppoſitum illius, quòd ſolùm rigorosè accepti furti, præſcriptionem ordinariam excludentis, definitio tradita ſit, cùm etiam in jure furtum non ſemper in ſuo rigore accipiatur, ut quando liberorum hominum *in Inſtit. l. c.* dicitur furtum dari quod tamen Molina *diſp. 681. n. 14.* Leſſius *lib. 2. c. 12. dub. 1. num. 5.* Lugo *l. c.* & alii communiter negant eſſe propriè dictum furtum, eò quòd Pater in filium non habeat rigoroſum jus proprietatis, quoad emolumenta verò per abductionem filii impedita, & nondum exiſtentia, damnum quidem, non tamen furtum committatur: è contra verò tam rigorosè ſubinde in jure accipiatur furtum, ut allata definitio ad illum rigorem nequeat, vel non debeat reſtringi, ut quando rei immobilis negatur dari furtum, §. *Quod autem verſ. Abolita Inſt. de Uſucap* vel quando contrectatio hæreditatis alienæ nondum aditæ, ſed tantùm delatæ, & quaſi radicaliter detentæ, ac dominio ſubjectæ, non furtum, ſed expilatio hæreditatis appellatur, ut conſtat ex *l. 2. &* toto titulo *de Crimine expilatæ hæreditatis*, *& l. Ult. cod. eodem*.

130 Obj. 2. Vel eſt definitum furtum propriè dictum, vel impropriè dictum: ſi primum, non convenit definitio ſoli definito, quia etiam convenit illis, quæ immediatè diximus eſſe furta minùs propriè dicta, ſi ſecundum, non convenit definitio omni, quod deberet comprendi ſub definito, nempè damnificationi rei, nondum exiſtentis, vel exiſtentis quidem, attamen non ſubtractæ per contrectationem, ſeu injuſtam acceptionem ad proprium, vel alienum uſum, ſed ſolùm deſtructæ v. g. incendio, quam damnificationem Lugo *num. 9.* contra Leſſium *cap. 12. n. 34.* aſſerit eſſe ejuſdem ſpeciei theologicæ, quoad rationem malitiæ; ac peccati, cum furto, quamvis neget eſſe furtum, neque concedat ſimilem reſervationem à juriſdictione ordinaria confeſſarii, vel ſimilem cenſuram, ſi qua furto impoſita eſſet, per illam Incurri. Reſp. Definitum eſſe furtum, neque in rigoroſiſſima acceptione uſurpatum pro prima acceptione injuſta, neque in latiſſima, pro quavis damnificatione injuſta in bonis temporalibus, quam forſan in confeſſionali expreſſiſſe ſufficit, niſi ratione reſervationis, vel cenſuræ, vel adjunctæ violentiæ, vel peccati alteri virtuti oppoſitæ diſtinctior explicatio exigatur; ſed definitum eſſe furtum, quod vel ſecundùm communem Juriſtarum, vel Theologorum ſenſum ſatis propriè eſſentiam furti participat, etiamſi deinde aliud ſpecificum nomen ſortiatur, vel alterius ſpeciei actio concedatur, ſicut propter reverentiam matrimonii inter conjuges non datur actio furti, ſed alia mitior, nempè actio rerum amotarum, ut dictum eſt. Si ergo damnificatio in re nondum exiſtente, ſed per injuriam impedita, ne exiſtat penes læſum, non eſt acceptio, vel contrectatio, ut ipſi cum Molina *diſp. 685. n. 6.* Leſſio *l. c.* Navarro in manuali *c. 17. n. 2.* Lugo *n. 5.* fatemur, vel ſi, ut ultimus author exiſtimat, immediata rei deſtructio, abſque prævia apprehenſione illius, non eſt injuſta acceptio, ſeu contrectatio, tunc nego alterutram damnificationem ſub definito non latiſſimè accepto comprehendi debere, vel etiam eadem pœna affici, quæ furto à foro civili, vel Eccleſiaſtico, ſecundùm peculiarem cujuſque fori acceptionem eſt ſtatuta.

Dividitur furtum ratione materiæ, ſeu objecti, in pe- 131
culatum, abigeatum, & plagiatum, ſeu plagium. Peculatus eſt furtum rei ad fiſcum, vel Principem pertinentis, quo etiam reducitur delictum cudentium monetam ex metallo Principis ab ipſis adulterato, vel ex proprio metallo ſine Principis licentia; item bona communitati diſtribuenda in ſuam utilitatem vertentium, vel illa invita non diſtribuentium in eadem ſpecie.

Abigeatus eſt abductio aliquot animalium de grege alieno ſimul, vel ſucceſſivè facta: imò ſi ſit abductio alicujus majoris, ut equi, vel bovis, jam eſt abigeatus, etiamſi non è grege paſcente, ſed ex ſtabulo abſtrahatur.

Plagium eſt injuſta abductio, vel detentio hominis liberi, vel ſervi alieni ad vendendum, vel retinendum illum in mancipium. Verùm, quæ de his ſpecialia jura in Digeſtis, & Codice extant, ſi cui etiam aliæ diviſiones furti in diurnum, & nocturnum, manifeſtum, & non manifeſtum ad Juriſtas ſpectant.

ARTICULUS II.

Quando furtum ſit peccatum mortale ratione materiæ gravis.

SUMMARIUM.

132 *Furtum ex genere ſuo eſt peccatum mortale; poteſt tamen eſſe veniale propter parvitatem materiæ. Et juxta Innoc. XI. propoſ. 36. non excuſatur per gravem neceſſitatem.*

FUrtum (eadem eſt ratio rapinæ, quæ furto injurio- 132
ſam illationem violentiæ ſuperaddit) ex genere ſuo eſſe peccatum mortale, propter levitatem materiæ verò poſſe fieri veniale, certa, & veriſſima eſt ſententia; quia levis prohibitio furti in materia gravi eſſet communiter inſufficiens ad abſterrendum ab illo, & gravis prohibitio furti in materia levi eſſet nimis inhumana. Neque ab hac prohibitione excuſantur, qui in gravi quidem, ſed nondum extrema neceſſitate uſurpandi ſibi rem alienam ad ſervandam ſuam vitã ſunt conſtituti. Cùm enim hujuſmodi homines dentur innumeri, nimiùm multiplicarentur furta, nec ſatis abſterrerentur homines, ne per rerum ſuarum dilapidationem, otium, & inertiam, in gravem neceſſitatem delaberentur, ſi huic alienæ rei uſurpatione veluti communis ſibi redditæ, licitè ſuccurrere poſſent. Quod utique cederet in grave damnum cujuſcunque communitatis, & totius Generis humani. Idem Innocentius XI. falſam declaravit hanc Propoſ. 36. *Permiſſum eſt furari non ſolùm in Extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi*. In defectum hujus licentiæ tamen ſubſtituta eſt obligatio charitatis, etiam in nondum extrema, vel quaſi extrema, ſed in gravi, ac pluribus com-

communi neceſſitate conſtitutis, ſuccurrendi, ut ſuo loco dixi. Qua ratione, & impeditur neceſſitas, ac licentia ſurandi, miſerorumque indigentiæ ſubvenitur, & rogandæ eleemoſynæ pudore, ac verecundia, vitæque ſuſtentandæ difficultate, impelluntur homines, ne ſua culpa ad tam miſerum paupertatis ſtatum perveniant. His ut certis ſuppoſitis.

Difficultas tamen eſt in determinanda gravitate, vel levitate materiæ; licèt enim facilè poſſint aſſignari duo extrema, quorum unum ex omnium confeſſione ſit materia gravis, cuicumque homini, quantumvis ditiſſimo, ſubducatur, v. g. centum aurei, & alterum ſit materia levis, etiamſi homini pauperrimo eripiatur, v. g. unus obolus, incertum tamen eſt, quantum uni extremo demi, alteri ve addi debeat, donec ad illam quantitatem perveniatur, quæ deſierit, vel inceperit eſſe gravis. Difficultas etiam ex illo augetur, quia materia furti menſuranda eſt ex damno, bonis proximi illato; ejuſdem autem rei ablatio poteſt pro diverſitate temporis, loci, perſonarum, eſſe magis, vel minùs damnoſa, & modò majori, modò minori pretio æſtimabilis; imò ipſius pretii valor eſt variabilis: unde videtur univerſalis, & habilis regula, ſeu menſura aſſignari non poſſe; prætereà videtur determinatio quantitatis pendere à voluntate domini graviter, vel leviter inviti; hæc autem voluntas pro diverſitate divitiarum, & animi liberalitate, vel tenacitate, magnopere variatur. Unde authores in plurimas diverſas ſententias abiverunt, quæ quidem ad duas magis generales, & immediatè oppoſitas revocari poſſunt, quas diſtinctis §§. cum ſuis fundamentis, & noſtro de illis judicio referemus.

§. I.

Refertur prima ſententia.

SUMMARIUM.

133 *Referuntur variæ ſententiæ circa ſtatuendam gravitatem materiæ, ſufficientis ad peccatum mortale furti.*

134 *An ſit aſſignanda materia gravis abſoluta, & univerſalis, ex ipſa æſtimabilitate objecti deſumpta, ſine reſpectu ad perſonam, cui damnum infertur: examinantur rationes ſuaſivæ uſque ad numerum 142.*

133 PRima ſententia eſt illorum Doctorum, qui abſque reſpectu ad ſtatum inæqualem dignitatis, vel opulentiæ ſuſtinentium injuriam, per ſe loquendo eandem materiam pro peccato mortali determinant, quamvis in eadem taxanda non conveniant. Quippè Navarrus omnium opinione nimiùm ſeverus *in Manuali cap.* 17. *numer.* 4. dimidium Julium Italicum, non omninò tres ſeſtertios noſtræ pecuniæ æquantem pro materia furti mortalis ſtatuit. Corduba unum Julium, Toletus, Barth. Medina, & Leſſius duos regales, ſeu Julios, ſeu argenteos nummos, id eſt, paulò plus quàm viginti crucigeros requirunt. Valentia, Rebellus, Sayrus tres Julios, Thom. Sanchez ex communiori, ut ipſe eam appellat, veriori ſententia quatuor Julios exigunt, quorum undecim in Hiſpania audio conſtituere valorem unius aurei. Martin. Eſparza, & alii quidam Recentiores docent, per ſe loquendo eſſe peccatum mortale, ſive ditiſſimo, ſive pauperrimo auferatur id, quod æquivalet mercedi diuturnæ unius operarii tempore, quo dies non ſunt nimis longi, vel nimis breves, à qua ſententia parùm abludit P. Giattinus, pro materia peccati mortalis deſignans pretium victus diurni homini plebejo competentis; qui Doctor intelligi debet de tempore ordinario; nam quando tempora ſunt difficiliora, & conſequenter victus cariori pretio conſtat, non ſimul debet creſcere, ſed potiùs extrinſecè decreſcere licentia furandi, ut ſcilicet ea materia, quæ non ampliùs ſufficit pro victu diurno, maneat ſufficiens ad peccatum mortale furti. Eandem ſententiam recenter amplexus eſt P. Haunold. *tract.* 2. *num.* 329. poſtquam priùs *à n.* 292. aliorum ſententias accuratè examinavit, nempè utrum in primis ſit uniformis materia, ſeu quantitas damni reſpectu quorumcumque injuſtè læſorum aſſerenda, deinde unde eadem ſit menſuranda, ac regulanda. Pro prima parte, quam hoc §. diſcutiemus, hæ potiſſimùm rationes videntur militare.

Primò. Juſtitia eam quantitatem furti cuicumque homini inferendi naturaliter debuit ſub gravi peccato prohibere, à qua auferenda alioquin homines non ſufficienter abſterrerentur; ſed homines ab ea quantitate, à qua pauperibus auferenda non ſufficienter abſterrerentur, ſine obligatione peccati mortalis, neque abſterrerentur reſpectu divitum, ſine obligatione peccati mortalis, cùm magis inclinetur ad furandum his, quàm pauperibus; ergo Juſtitia naturaliter debuit eandem quantitatem furti ſub gravi peccato prohibere, ſive ea divitibus, ſive pauperibus auferatur. Reſpondebunt adverſarii. 1. Retorquendo argumentum in materiam furtorum levium, diverſis hominibus factorum, cum intentione diteſcendi, quam duriſſimum planè eſſet æqualem ſtatuere cum materia furti eidem homini illati, dicendo, quòd eodem modo peccet mortaliter, qui v. g. viginti, vel triginta crucigeros furatur viginti, aut triginta hominibus, ſubducens ſingulis unum, ſicut qui eidem totidem furatur. Deindè fatentur adverſarii, quando moraliter certò conſtaret, alterum non eſſe graviter quoad ſubſtantiam rei invitum, hoc ipſo eandem rem deſinere eſſe materiam peccati mortalis: ergo cùm dives rationbiliter ſupponatur circa eandem rem non eſſe graviter invitus, circa quam eſt pauper, etiam reſpectu divitis deſinet eſſe materia peccati mortalis. Reſpondebunt ergo. 2. Diſtinguendo majorem: Juſtitia eam quantitatem furti, cuiq; homini inferendi naturaliter debuit ſub gravi peccato prohibere, à qua auferenda alioquin homines non ſufficienter abſterrerentur ſufficientia proportionata damno proximi, concedent majorem, ſufficientia plus quàm proportionata negabunt majorem: ſicut ergo ad abſterrendum à damno ſimpliciter, & abſolutè levi, ſufficit levis obligatio, quamvis, ſi daretur major, forſan adhuc magis vitarentur furta, ſic etiam ad abſterrendum à proportionaliter levi damno ſufficit levis obligatio: quia enim Juſtitia eſt virtus, qua homo benè ordinatur ad alterum nullum ei inferendo damnum, ideò officium ejus eſt, ut grave proximi damnum gravi prohibitione, & leve levi impediat. 134

Secundò. Ut aliquid ſit gravis materia injuriæ, ſufficit, ſi bonum per illam ablatum ſit magnum, & grave reſpectu alterius, cui per liberalitatem à læſo potuiſſet conferri; ſic jus denominandi aliquem ad beneficium Eccleſiaſticum, eſt materia gravis injuriæ, etiamſi laico, ipſius beneficii incapaci eriperetur: atqui materia furti reſpectu pauperis ſufficiens ad furtum mortale hoc ipſo eſt gravis reſpectu alterius, cui per liberabilitatem à divite læſo potuiſſet conferri, ergo eſt materia gravis injuriæ, diviti illatæ. Reſpondebunt adverſarii negando maj. & paritatem exempli adducti; quia jus denominandi ad beneficium in ſe eſt magnum bonum, quatenus ejus poſſeſſori, vel tribuit ſpecialem excellentiam, & modum alterum ſibi ſpecialiter devincendi, vel occaſionem præbet per continuam fruitionem beneficii alium quodammodo ſibi ſubiiciendi, vel demerendi; quod tamen non contingit, etiamſi rex opulentiſſimus pauperi ſemel donet medium florenum, unde claritatis gratia ſic diſtingui poſſet major: ſi nimirum ex collatione comparativè ad accipientem gravis boni redundet, & quaſi in conferentem revertatur aliquod bonum graviter æſtimabile, conceditur major, ſecùs negatur major: quia tunc non infertur grave damnum illi, qui injuriam patitur, ſed tantùm illi, qui non patitur injuriam, & & qui neque habet jus in re, neque proximam, ac determinatam ſpem. Jam autem ſi dives conferat pauperi, quod reſpectu dantis eſt leve, & inutile ad ſpecialem affectum amicitiæ, liberalitatis, vel miſericordiæ demonſtrandum, non poteſt ex illo in ipſum redundare grave bonum, ſicut tamen poteſt, quando bonum in ſe eſt grave, aut etiam ſtabile, uti eſt officium, aut beneficium per præſentationem alicui procuratum. Deinde ſi circa impeditionem boni, quod redundare poſſet ex liberalitate erga alterum, dominus rationabiliter præſumatur non eſſe graviter invitus, iterum negatur major, hoc ipſum autem rationabiliter ſupponitur, quando adeſt abundantia aliorum mediorum, ad eundem finem, ſeu ad idem bonum 135

bonum redundans obtinendum, nempè per alias divitias ſuperfluas, quo modo tamen ſe non habet pluralitas jurium præſentandi plures ad diverſa beneficia, quia omnia ſunt diſtribuenda, neque poteſt hic finis ſuppleri per alia media.

136 Tertiò. Multi ratione ſui ſtatus debent ſe gerere, velut ſi eſſent valdè opulenti, cùm ſint pauperrimi, & viciſſim multi ditiſſimi gerunt ſe exteriùs, velut ſi eſſent pauperes, vel communis ſortis homines: ergo ſi dives non poteſt rationabiliter eſſe graviter invitus circa eam materiam, circa quam poteſt pauper, tunc multi, qui ratione ſtatus debent ſe gerere, velut ſi eſſent opulenti, hoc ipſo ſe gerere debent, velut non eſſent graviter inviti circa eam materiam, cujus oblatio eſt ipſis graviter damnoſa, quod ſine magno præjudicio boni communis dici non poteſt: & è contra multi ſimulata paupertate alios graviùs obligant, quàm jus naturæ ipſis concedat, quod tam parùm licitum eſt, quàm ſimulata poteſtate alios legibus gravare. Reſp. Negando primum membrum antecedentis, & ultimum conſequentis: illi enim qui ſunt altioris ſtatus, non hoc ipſo oſtendunt ſe eſſe opulentos, ſi ſe gerant conformiter ſuo ſtatui, quia illi propriè pro opulentis habendi ſunt, qui habent divitias pro expenſis ordinariis non neceſſarias ſtatui, quas neceſſe non eſt ſimulare, è contra qui diſſimulant ſuas divitias, non alios obligant, aut quodammodo legem ferunt, ſed cùm non teneantur prodere ſuas divitias, permittunt ſolummodò, ut alii per errorem putent, ſe eſſe graviùs obligatos, quàm à parte rei ſint.

137 Dices. Si iſti habent jus diſſimulandi ſuas divitias, ſequitur, quòd eodem modo peccaret, qui manifeſtando illas, eſſet cauſa, ut deinde majori quantitate per furta ipſis ſubducta eædem magis diminuerentur; ſicut peccaret, qui manifeſtando alterius occultum defectum eſſet cauſa, ut diminueretur ejus fama. Reſp. Etiam adverſarios debere negare ſequelam, qui fatentur ſententiam, quam impugnant practicè tutam eſſe, quo ſuppoſito etiam ipſis incumbit neceſſitas negandi ſequelam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia cum manifeſtatione divitiarum non eſt per ſe, & ex natura rei, conjuncta earum diminutio, ſeu ablatio; cum manifeſtatione autem defectus occulti immediatè connectitur diminutio bonæ de altero opinionis.

138 Quartò. Si quo quis fit ditior, naturalis obligatio juſtitiæ eò majorem quantitatem permitit, auferendam abſque culpa mortali; ſequitur illum diteſcendo fieri deterioris conditionis, quàm ſit pauper, & quàm ipſe fuerit, antequam fieret dives, quia propter majus illicium furandi divitibus, & majoris quantitatis permiſſionem bona ipſius exponuntur majori periculo, ergo vel hoc periculum non eſt admittendum, vel compenſandum ſtatuendo quantitatem, quæ pro pauperibus ſtatuitur. Reſpondebunt adverſarii diſt. antec. Sequitur diteſcentem fieri deterioris conditionis ſecundùm quid, & ſimpliciter melioris, & appetibilioris concedent ſequelam antecedentis, aliter negabunt ſequelam antec. & conſeq. ſicut ergo non obſtante, quòd creſcentibus divitiis creſcant etiam ſolicitudo eas retinendi, & obligatio ſubeundi oneris majoris in neceſſitatibus publicis, tamen homines magis appetunt fieri divites, quàm manere pauperes, quia cum emolumento majori hujuſmodi detrimenta ſunt conjuncta, ſic etiam contingit circa periculum accreſcens, quod divitiarum incremento, & opulentiæ viribus comparativè modicum damnum leviùs ferendi abundè compenſatur, adeòque ſub data diſtinctione negatur conſequentia. Ex quo patet etiam, quod licèt natura juſtitiæ non æqualiter protegat bona ſuperflua divitis, ſicut bona neceſſaria pauperis, tamen juſtitia non ſit acceptatrix perſonarum, quia protegit quemque ſecundùm proportionem neceſſitatis, ſecundùm quam indiget protectione.

139 Quintò. Si ea res, quæ pauperi ſine culpa mortali non poteſt ſubtrahi, tamen poteſt ſubtrahi diviti, ſequitur eam fieri deterioris conditionis, adeòque viliorem, quando à paupere transfertur in divitem, & è contra pretium, quod viciſſim à divite transfertur in pauperem, fieri melioris conditionis, adeòque æſtimabilius, ergo vel numquam poteſt reddi æquale inter divitem, & pauperem, vel deterioratio rei datæ, & melioratio acceptæ debet per additamentum ſpecialiter compenſari. Reſpondebunt Adverſarii 1. Diſting. ſequelam. Sequitur fieri mutationem quoad communem valorem pretii, aut mercis, quæ poteſt vocari mutatio formalis, & intrinſeca, negabant ſequelam. Fieri mutationem quoad ſtatum, communi valori accidentalem, ſeu fieri mutationem extrinſecam, ac materialem concedent ſequelam: ab hac autem mutatione nulla oritur inæqualitas. Unde licèt res aliqua verbi gratia mutuum, valdè ſit neceſſarium accipienti, non tamen proptereà licet petere aliquid ultra ſortem, quia valor mutui, non creſcit ob privatam indigentiam accipientis. Reſpondebunt 2. tranſeat ſequela antec. nego conſeq. quia hoc ipſo redditur æquale, dum res à paupere data ponitur apud divitem in illo ſtatu, in quo ante fuit res accepta, & res accepta ponitur in eo ſtatu apud pauperem, in quo ante fuit res data.

Sextò. Quidquid eſt abſolutè, & in ſe grave, eſt materia gravis injuriæ reſpectu cujuſcumque hominis, etiamſi comparativè ſit leve: ſic qui viro mille virtutum ornamentis prædito unum per oppoſiti criminis manifeſtationem eriperet, (quamvis hic reſpectu mille ſit minimus numerus) tam gravem inferret injuriam, quàm qui unius virtutis famam obtinenti eam ipſam ſubtraheret: ſed quidquid eſt materia gravis furti reſpectu pauperis, eſt in ſe grave (unicus enim ſeſtertius, qui eſt levis in ſe, neque poteſt eſſe materia gravis reſpectu pauperis) ergo quidquid eſt materia gravis furti reſpectu pauperis, eſt materia gravis injuriæ reſpectu cujuſcumque hominis. Reſpondebunt Adverſarii tranſmiſſa majore negando minorem, eò quòd aliquæ res propter mediocritatem valoris ſint quaſi indifferentes, & primùm per comparationem ad perſonas magis, vel minus indigentes, fiant graves, vel leves. Ad allatum exemplum Reſpond. negando paritatem; nam reſpectu hominis virtuoſi augetur gravitas detractionis, quamvis una virtus per detractionem ablata comparatione reliquarum ſit quid leve, quoad numerum (comparatio enim non debet fieri in ordine ad objectum, quod in magno numero habetur, ſed in ordine ad ſubjectum, quod rem in magno numero habet, & propptereà læſionem graviùs, vel leviùs ſuſtinet) viciſſim propter multitudinem divitiarum reſpectu ſubjecti potiùs minuitur damnum furti formaliter ſumptum, nempè ſecundùm virtutem nocendi. Hujus argumenti vim tamen ſequenti §. magis promovebo. 140

Septimò. Gravitas damni debet deſumi à gravi, vel levi conducentia alicujus rei ad finem homini valdè optabilem, ad quem per ſe eſt ordinata, etiamſi per accidens ad illum non ſit neceſſaria, aut facilè ſuppleatur, & reparetur: ſic quia ad finem, & felicitatem hominis multum conducit ſanitas, & integritas corporis, ideò grave vulnus inferens peccaret graviter, etiamſi vulneratus per accidens haberet efficaciſſimum remedium ad vulnus ſtatim iterum reparandum: natura enim in inducendis obligationibus, non attendit ad caſus fortuitos, ſed ad id, quod per ſe, & ordinariè contingit: ergo ſi damnum temporale inferatur in tali materia, ſeu quantitate, quæ abſolutè habet gravem conducentiam ad finem per bona fortunæ intentum, ab hac conducentia debet deſumi gravitas ipſius damni, etiamſi is, cui illatum eſt, habeat divitias ſuperfluas, & per eas facilè poſſit ſupplere, ac reparare damnum, quod omninò eſt per accidens. Reſpondebunt Adverſarii diſtinguendo antecedens, niſi conducentia rei ſit talis, quæ præciſè ſit multùm amabilis propter ſuam neceſſitatem ad finem, quæ neceſſitas per accidens poteſt impediri, concedent antecedens; ſi præciſè propter neceſſitatem, & non etiam propter ſolam utilitatem ſit multum amabilis negabunt anteced. quamvis enim natura non attendat ad caſus fortuitos per ſe, & directè, poteſt tamen fieri, ut caſus fortuitus impediat id, quod eſt per ſe, & directè intentum, prout prædicatum neceſſitatis circa rem temporalem maximè intentum impeditur per abundantiam; ſicut etiam neceſſitas liberalioris cibi, quam temperantia reſpicit, poteſt impediri fortuita debilitate ſtomachi. Ad inſtantiam vulneris, vel negabunt ſuppoſitum, quòd ſecluſo omni dolore ſenſibili, contumelia, animi ſollicitudine, vel alio annexo damno, inferatur gravis injuria corporalis per vulnerationem, ſtatim, & facilè, ac certò curabilem, vel negabunt 141

pari-

paritatem, eò quòd integritas corporis tan quam pars felicitatis naturalis ſit in ſe magnum bonum, ac propter ſe amabile: res temporalis autem ſit tantùm amabilis in ordine ad gravem prohibitionem propter ſuam neceſſitatem ad finem. De hac reſponſione etiam proximè judicium feremus.

§. II.

Refertur ſecunda ſententia, & noſtrum de utraque judicium.

SUMMARIUM.

142 *Refertur, & examinatur ſententia P. Laymann, pro furto gravi, vel levi aſſignantis materiam reſpectivam ad perſonam damnificatam.*

143 *Referuntur aliorum ſententiæ, etiam materiam reſpectivam determinantium pro furto gravi vel levi.*

144 *Proponitur eorum principale fundamentum.*

145 *Reſpondetur ad hoc fundamentum, & diſtinguitur inter damnum reſpectivum, immediatum ac mediatum.*

146 *Oſtenditur, gravitatem damni terminantis furtum mortale non debere deſumi ab indigentia perſonæ læſæ.*

147 *Aſſignatur diſparitas, quare pro temperantia, & pro Iuſtitia circa proximi famam, aſſignanda ſit materia reſpectiva, non autem circa bona temporalia.*

148 *Statuitur noſtra ſententia, ſcilicet divites, & pauperes habere æquale Ius, circa eandem materiam æqualiter obligandi: ſæpe tamen rationabiliter præſumi, quòd nolint eodem æqualiter uti. Probatur prima pars aſſertionis.*

149 *Probatur etiam ſecunda pars.*

150 *Reſpondetur ad objectionem.*

142 SEcunda ſententia aſſerit, non ex ſola quantitate rei ſecundùm ſe conſideratæ, ſed comparatæ cum diverſo ſtatu, & opulentia perſonarum, gravitatem illius metiendam eſſe. Unde Layman. *lib. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 3. concl.* 2. ait hanc probabiliter eſſe notabilem furti quantitatem, ac peccati mortalis materiam, quæ in unum diem ſufficit ad victum unius hominis, cui furti injuria fit: quæ regula ex una parte laudanda eſt, eò quòd non per certam pecuniam, ſeu monetam, ſed per diurnum victum gravitatem materiæ definiat: ſic enim ab omnibus nationibus facilè intelligi poteſt, valor verò monetę in uno loco uſitatæ, in alio loco nec notus, nec uſitatus eſt. Ex altera verò parte reprehendenda eſt prædicta regula, quia ex ea ſequeretur longè plus, quàm duos, vel tres aureos Regi potentiſſimo auferri poſſe, quod tamen eſt contra tertiam concluſionem ipſius Authoris, & communem DD. ſenſum, quem ipſe allegat, & probat ex *l. Si quis aſſirmavit, & ſeq. ff. de Dolo*, ſicut autem iſta ſequela eſſet nimis laxa, ſic alia eſt nimis rigoroſa, dum ex ſua regula infert, paucos nummos, quibus mendicus unà die ſe utcunque aluiſſet, eidem ablatos, ad peccatum mortale ſufficere, eò quòd Domini teſtimonio Marci 12. Vidua, quæ duo minuta in gazophilazium miſit, plus omnibus dederit, quandoquidem totum ſuum victum dedit. Verùm Chriſtus non de valore phyſico, & temporali, ſed de meritorio præmii ſupernaturalis propter optimum, & ſinceriſſimum animi affectum locutus eſt.

143 Alii itaque authores, & hujus ſecundæ ſententiæ patroni, eam diverſis monetis ſibi uſitatis explicant, ita Molina *diſp. 685. n. 2.* Lugo *l. c. n. 28.* Diana *tom. 1. p. 2. tr. 3. miſcell. reſol. 57.* & plurimi alii ab his, & à Layman. relati: qui in hoc ferè conveniunt, quòd aureum etiam reſpectu hominis ditiſſimi dicant ſufficere, & valorem victus diurni reſpectu hominis infimæ ſortis requiri, ut injuria mortalis illis illata cenſeatur, pretium verò inter hos extremos terminos intermedians ſecūdùm proportionem divitiarum diſtinguendum eſſe, veluti ſi à mercatore valdè divite, inquit Layman. fureris duos, vel tres noſtrates florenos, à cive mediocriter divite duodecim, vel quindecim baceos, ab operario tres, vel quatuor, ſimiliter Lugo *l. c. n. 28.* in ordine ad Reges, & magnates opulentos exigit unum aureum, qui licèt, inquit ille *num. ſeq.* eſſet adhuc damnum leve, & non tanto exceſſu proportionaliter ſuperet quantitatem reſpectu hominis plebei gravem, quanto exceſſu hujus divitiæ ſuperantur à divitiis regiis, tamen licentia citra culpam mortalem furandi plus, eſſet ratione ſui illicii, & occaſionum, ac pravæ inclinationis humanæ, graviter damnoſa: in ordine ad alios divites pro materia gravi ſtatuit ſex, vel ſeptem argenteos, (quos credo eſſe ejuſdem valoris cum Juliis, ſeu Regalibus, quorum undecim in Hiſpania æquivalere aureo, ipſe *num. 26.* teſtatur) in ordine ad artifices quatuor, ad pauperes valorem victus diurni, ſeu mercedem mediocrem, quæ tempore medio inter hyemem, & æſtatem datur foſſori.

Hæc ſententia unico ferè probatur argumento, gravitas materiæ in ordine ad injuriam mortalem deſumitur à gravitate damni, & à rationabili voluntate domini graviter ferentis injuriam; ſed in ea quantitate, in qua pauper patitur grave damnum, & conſequenter rationabili voluntate graviter fert injuriam, in eadem dives nondum patitur grave damnum, quia illa parùm indiget, & propterea non poteſt rationabili voluntate graviter ferre injuriam, ſi enim opulentiſſimus Rex, vel mercator de ablatis ſibi 30. crucigeris æquè triſtaretur, ſicut homo pauperrimus, nemo crederet, ſe temerè judicare, illam triſtitiam arguendo avaritiæ, & ſorditiei; ergo non eadem quantitas, quæ eſt gravis reſpectu pauperis patientis injuriam, eſt ſimiliter gravis reſpectu divitis. 144

Reſpondebunt adverſarii conceſſa majore negando minorem, & ſuppoſitum annexæ rationis, quòd gravitas damni deſumi debeat præcisè ab indigentia, ſeu à neceſſitate rei in ordine ad ſtatui convenientem ſuſtentationem: quamvis & hæc ſæpe locum habeat in regibus, & magnatibus, qui frequenter ad neceſſarias expenſas mutuum accipere debent, atque eidem vix ſunt ſolvendo: ſimiliter mercatores propter pericula, & caſus fortuitos indigent plerumque omnibus bonis ſuis, ut ex caſualibus damnis, in quæ parati eſſe debent, emergere poſſint: unde proportionaliter loquendo, plus habens non propterea ſtatim eſt ditior minus habente, ſi nimirum utrique totum, quod habet, in uſus ſecundùm inæqualem ſtatus conditionem neceſſariò inſumendum, vel aſſervandum ſit. Ratio autem negandi ſuppoſitum eſt hæc: qui valor, & æſtimabilitas pecuniæ, vel alterius rei temporalis, non dependet à privata indigentia domini; ſed à communiter taxata conducentia illius ad finem utilem homini, ſive is ſit neceſſarius victus, & ſtatus ſui ſuſtentatio neceſſaria, ſive non: quæ conducentia, cùm apud quemcunque poſſeſſorem divitem, vel pauperem ſit eadem, ideo etiam valor eſt idem: ergo ſi iſte reſpectu unius poſſeſſoris ſit capax obligationis gravis, eſt etiam capax reſpectu alterius. Unde ſicut propter levitatem valoris communiter taxati v. g. panis conſtans cruciger o, ſemper manet materia levis furti, licèt qui eum in extrema neceſſitate conſtituto auferret, peccaret mortaliter peccato homicidii indirecti, ſi dominus fame moreretur; ſic eadem res, quæ ſecundùm communem ſuum valorem in ſe eſt gravis, manebit etiam gravis reſpectu non indigentis. 145

Diſtinguendum itaque eſt inter damnum mediatum, & immediatum, damnum immediatum rei temporalis ablatæ tantum eſt, quantus eſt communis illius valor, ſi ergo iſte fuerit in ſe levis; etiamſi mediatum damnum ſit grave, quia dominus rei propter hujus privationem debet ſuſtinere famem, nuditatem &c. tamen niſi etiam ipſum damnum mediatum formaliter ſit jactura rei temporalis, v. g. lucri ceſſantis propter acum ſartori ablatam, nondū eſt illatum grave damnum in ordine rerum temporaliū. Econtra ſi rei ablatæ communis valor ſit gravis, ſeu capax obligationis gravis, etiamſi mediatè nullum damnū, imò potiùs commodum ſecutum ſit, quia v. g. dominus rei ſuperfluæ illam ad finem inhoneſtum expendiſſet, damnū tamen immediatum jam eſt grave, & niſi aliunde excuſetur, infertur domino gravis injuria, ut poſſit rationabiliter eſſe graviter invitus, non quia debet carere fine inhoneſto, aut neceſſario, ſed quia debet carere re ſua graviter æſtimabili, & circa quam habet æquale jus obligandi alte-

alterum, quale habet pauper, ita ut ſi de hac intentione utendi jure ſuo hominibus conſtaret, neque furis indigentia, vel alia ratio ceſſionem juris ſuaderet, etiam rex opulentiſſimus immeritò judicaretur avarus, vel ſordidus: quòd autem de facto talis communiter judicaretur, inde proveniret, quia homines opulentiſſimi plerumque non ſolent, quamvis rationabiliter poſſent, graviter eſſe inviti circa ablationem verbi gratia medii floreni.

146 Unde etiam patet 1. Reſponſionem ab hac ſententia ad ſextum argumentum præcedentis ſententiæ datam inſufficientem eſſe; cùm enim gravitas damni immediati non à mediato, ſed à valore rei ſine reſpectu ad privatam domini indigentiam per legem, vel prudentem hominum æſtimationem taxato deſumi debeat, malitia furti autem qua talis in ſola illatione damni circa rem temporalem immediatè, vel mediatè procreati, non verò in carentia victus, vel ſuſtentationis neceſſariæ conſiſtat, quamvis hæc menſura eſſe poſſit valoris magni, ut ſcilicet ille valor dicatur magnus, qui ſufficit homini plebejo ad neceſſariam ſuſtentationem, ideò inquam, nullam dari materiam, quæ quaſi ſit indifferens ad gravitatem, & levitatem, primumque per majorem, vel minorem indigentiam privatam domini determinari debeat: adeòque vera videtur hæc minor prædicti argumenti: ſed quidquid eſt materia gravi furtis reſpectu pauperis, eſt in ſe grave: quia ut dictum eſt: unicus panis conſtans crucigero, propterea nequit eſſe materia furti qua talis, quia in ſe eſt levis, ut verò fieret gravis, deberet valor ipſius augeri non per privatam, ſed per communem neceſſitatem v.g. tempore belli, vel ſterilitatis.

147 Patet 2. Invalidam etiam eſſe reſponſionem ad ſeptimum argumentum: etiamſi enim temperantia reſpiciat ad debilitatem ſtomachi accidentalem, & juſtitia in prohibitione detractionis gravis, vel levis ad circumſtantias accidentales perſonæ, magna tamen utriuſque eſt diſparitas cum juſtitia prohibente illationem damni in bonis temporalibus; quia in primis temperantia intendit commenſurare cibum exigentiæ, ſeu complexioni corporis, quæ ſecundùm privatam cujuſque hominis conſtitutionem varia eſt: juſtitia verò intendit prohibitionem damni in bonis temporalibus commenſurare juri ipſius domini, quod exigit gravem, vel levem prohibitionem ſecundùm diverſitatem valoris à privata dominorum neceſſitate invariabilis, quique in ſe gravis eſt, ſi conducat ad finem graviter æſtimabilem, ad quem bona temporalia à natura ſunt ordinata, qualis eſt victus diurnus hominis etiam plebeii; etiamſi hìc, & nunc ad illum non ſit neceſſarius, neque ad eum à domino fuiſſet adhibitus. Deinde diſparitas, quare juſtitia in prohibitione detractionis reſpiciat circumſtantias perſonæ, cui detrahitur, & eas tamen non reſpiciat in prohibitione furti, vel alterius damnificationis temporalis, deſumenda eſt ex objecto: eò quòd fama cuique homini particulari propria, ſit bonum reſpectivum perſonæ privatæ, ac determinatæ, per commercium humanum incommunicabile alteri, & in eſſe, ac æſtimabilitate ſua dependeat à circumſtantiis perſonæ: ſicut enim v. g. Religioſum magis dedecet ebrietas, vel blaſphemia, quàm militem, ſic etiam habet majorem, & firmiorem pręſumptionem, ac famam innocentię apud homines, conſequenter per detractionem gravius damnum illi inferretur, quàm militi in aliorum animis habenti forſan tantùm negativam, vel ſaltem minùs firmam exiſtimationem, quòd ſe non inebriaverit, aut non blaſphemaverit; cui proinde per detractionem longè minus bonum à circumſtantiis perſonalibus dependens eriperetur. Bona temporalia autem, id eſt pecunię, vel res ęſtimabiles pecunia ſunt bona, quoad ſuam exiſtentiam, & ęſtimabilitatem, ſeu valorem dependentia, non à privata indigentia, & aliis circumſtantiis particularibus ipſius domini, ſed ab utilitate, & conducentia per commercium humanum communicabili pluribus. Unde verum eſt antecedens in enthymemate ſeptimi argumenti aſſumptum, & reſponſio negans ſupponit falſum, cùm valor rei non propter neceſſitatem particularem, ſed propter utilitatem communem ſit graviter ęſtimabilis.

148 Dico itaque cùm prima ſententia, divites, & pauperes habere quidem ęquale jus, & poteſtatem circa eandem quantitatem obligandi graviter, ad non inferendum ſibi damnum, ſępè tamen (quod ſecundę ſententię concedo) rationabiliter pręſumi, quòd divites propter divitiarum abundantiam nolint æqualiter uti ſua poteſtate, ſicut etiam ob alias rationes domini rerum temporalium non raro prudenter præſumuntur, haud eſſe graviter inviti, ſaltem quoad certas perſonas, circa eam quantitatem, circa quam de jure poſſent; & fortè quoad alias perſonas etiam ſunt graviter inviti. Ratio primæ partis patet tum ex præcedenti reſponſione, tum ex ultimis duobus argumentis prioris ſententiæ, in quæ etiam ſecundum reſolvi poteſt, ex quibus omnibus colligitur hic diſcurſus. Poteſtas obligandi graviter, vel leviter ad non inferendum injuſtum damnum in bonis temporalibus deſumitur à valore, & communi æſtimabilitate ipſorum bonorum temporalium, horum autem valor, & communis æſtimabilitas deſumitur à fine, ad quem de ſe conducunt, & non ad quem hìc, & nunc neceſſaria, vel applicanda ſunt: ſed iſte valor, & conducentia æqualiter poſſidetur tam à divitibus, quàm à pauperibus, ergo etiam poſſidetur eadem poteſtas obligandi.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia res temporales communiter, & potiſſimum ab hominibus amantur, & diriguntur ad decentem vitæ, & familiæ, & ſtatus ſui ſuſtentationem: ergo circa ſuperflua ad hunc finem parùm conducentia, & quorum levis prohibitio adhuc caret magno periculo, vel gravi illicio frequentium injuriarum, rationabiliter homines ſupponuntur majorem quantitatem citra culpam mortalem concedere, quàm circa ea, quæ ad finem dicto modo intentum ſunt neceſſaria. De aliis cauſis rationabiliter majorem quantitatem ad peccatum mortale præſumendi minus videtur eſſe dubium, & controverſia inter authores; pręſertim ſi ab indigentibus, vel ab uxore, filiis, benefactoribus, vel aliàs à perſonis valdè charis, ad fines pręſertim honeſtos, utiles, aut neceſſarios, aut modo minùs damnoſo, v.g. per furta ſatis diu interpolata, aut denique in rebus de ſe non aſſervabilibus, uſuque conſumptibilibus, nempè eſculentis, aut poculentis, injuſtum damnum illatum ſit. Cùm enim hę juſtę cauſę ſint ob rigorem obligationis, ac juris mitigandi, ideò ejuſdem relaxatio aliqua ſecundùm proportionem dictarum circumſtantiarum meritò, & ex communi hominum perſuaſione ſupponitur, maximè ſi aliunde conſtet, ipſum dominum non nimis avarum, ac juris ſui retinentem eſſe. 149

Contra hanc ſecundam partem fortè obiicies; quòd nemo facilè pręſumi poſſit conſentire in majorem quantitatem, quàm cujus gravis prohibitio neceſſaria eſt, ut homines ſufficienter abſterreantur ab inferendis injuriis: ſed ea quantitas, quę univerſaliter juxta primam partem concluſionis ſufficiens eſt ad peccatum mortale, ideò habetur pro ſufficiente, quia ſi major cõcederetur, homines non ſufficienter abſterrerentur ab injuriis, ergo nemo facilè pręſumi poteſt, conſentire in majorem quantitatem, quàm quę univerſaliter ſufficiens eſt ad peccatum mortale. Reſpond. Neg. vel diſtinguendo major. niſi periculum patiendi injuriam in quantitate univerſaliter ſufficiente rationabiliter credatur ab aliqua perſona, vel in ordine ad aliquas perſonas minùs curari conced. maj. ſi hoc rationabiliter credatur nego majo. Unde in reſponſione ad primum argumentum prioris §. dictum eſt, ſufficere, ſi ea quantitas ſtatuatur, quę habeat virtutem abſterrendi proportionatam damno comparativè ſumpto, non quaſi illud damnum comparativè ſumptum non poſſit à domino haberi pro gravi, in hoc enim non aſſentior datę reſponſioni, ſed quòd à domino non graviter curetur: adeòque poteſt à domino pro libitu ſemper major; & major materia citra culpam mortalem, & tantùm venialiter reddi illicita, & hoc ipſum velle, poteſt rationabiliter ſupponi, ſi propter dictas rationes prudenter credatur levioris materiæ damnum, vel periculum illius inferendi non graviter curare in ordine ad quaſcunque, vel ſaltem in ordine ad certas perſonas. Ex eodem fundamento DD. communiter fatentur, ſive ſit obligatio juſtitię, ſive Religionis, fructus ſuperfluos ex beneficio Eccleſiaſtico expendendi ad cauſas pias, longè majorem materiam pro gravi violatione hujus obligationis requiri, quàm pro furto gravi. 150

§. III.

§. III.

Ex dictis pro praxi quadam corollaria inferuntur.

S V M M A R I V M.

151 *Aſſignatur materia gravis furti, & Regula illam cognoſcendi.*
152 *Probatur utrumque.*
153 *In furtis domeſticorum materia gravis colligenda eſt ex præſumpta voluntate patientis damnum.*
154 *Meritò etiam ab Innoc. XI. prohibita fuiſſe probatur propoſitio 37. de occulta compenſatione famulorum.*
155 *In furtis minutis ſucceſſivis major aſſignanda eſt materia furti gravis, & adhuc major in furtis nemini ſeorſim graviter noxiis.*
156 *Furti levis materia poteſt fieri gravis, per præſuppoſitionem præcedentium levium damnorum, coaleſcentium.*
157 *Probatur paritate ex aliarum obligationum levibus tranſgreſſionibus. Et authoritate Alex. VII.*
158 *Solvitur objectio.*

151 EX præmiſſo diſcurſu infero 1. eam materiam à quovis Domino ſub peccato mortali prohiberi poſſe, quæ in ſe tanta eſt, ut niſi per ſe loquendo graviter prohiberetur, ſpectata hominum fragilitate nimiùm illiceret, & ratione difficultatis in ſervanda juſtitia facilè induceret ad frequentes damnificationes injuſtas, tanta autem probabiliter videtur eſſe, quæ alicui ex potiori hominum claſſe, nempè ex plebe, ſufficeret ad honeſtam, & congruam ſuſtentationem diurnam tempore ordinario, quo neque per accidens eſt nimia charitas, neque vilitas rerum ad victum neceſſariarum. Regula ipſa ideo aliis eſt præferenda, quia pluribus obligationibus gravibus agnoſcendis eſt communis v.g. in aſſignanda gravi materia caſtitatis, ideo enim res aliqua ſub gravi culpa prohibetur, quia obligatio levis non ſufficeret: & ad hanc regulam communiter homines in actionibus ſuis reſpiciunt. Cur autem non ſufficiat obligatio levis, ſed requiratur obligatio gravis, exiſtimo non rectè colligi cum Eſp. ex eo, quòd aſcendendo per materias omnium conſenſu leves denique quivis homo facilè adverteret, ſe deveniſſe ad talem quantitatem, cujus injuſta ablatio in homine ſecundùm communem corporis, & animi conſtitutionem conſiderato inclinationem ad diſſolvendam amicitiam, iræque concitationem pareret. Vel, ut alii quidam volunt, cujus ſive injuſta, ſive juſta ablatio (damnum enim eſt grave, non quia injuſtum eſt, quod in ſua regula P. Eſp. advertere debuiſſet) in homine etiam bene conſtituto, moraliter inſuperabilem triſtitiam, aut è contra, cujus acquiſitio moraliter neceſſarium gaudium afferret: quòd enim aliqua actio communiter pariat inclinationem ad iram, vel ad moraliter inſuperabilem triſtitiam in homine, non propterea ſtatim neceſſaria eſt gravis prohibitio; ipſa deinde inclinatio ad iram, & ipſa triſtitia communiter oriri ſolita pro damni inæqualitate poteſt eſſe gravis, vel levis: redit ergo iterum quæſtio, quænam ira, vel triſtitia ſit tam gravis, ut per obligationem gravem debeat ejus cauſa impediri. Denique hæc ipſa inclinatio ad iram, vel triſtitiam non eſſet eadem in homine opulentiſſimo, & paupere circa eandem materiam, ergo etiam non eſſet neceſſaria æqualis prohibitio circa eandem materiam.

152 Rectiùs itaque neceſſitas obligationis gravis ad non inferendum damnum in re æquivalente victui diurno hominis plebeii, colligitur ex objecti appetibilitate, & virtute alliciendi: quia enim omnes homines magni æſtimant integra die poſſe ſtatui convenienter vivere, vel non cogi ad miſere, & ſtatui inconvenienter vivendum toto die (ad quam difficultatem ſubinde ex præcepto Eccleſiaſtico ſuperandam, etiam neceſſe fuit, ut obſervatio ſtatuti jejunii ſub peccato mortali imponeretur) ideò quantitas, quæ à potiori hominum parte magni eſt æſtimabilis, nempè à plebe, in ordine ad finem valde optabilem, & allicientem, ut etiam divitibus auferatur, debuit ſub obligatione gravi prohiberi, & cùm inconveniens fuiſſet, illis majorem quantitatem, donec mortaliter peccent, determinari, qui majori indigent ad victum ſuum, & à minori non ita alliciuntur, ideo deprehenſa quantitate capaci obligationis gravis ex victu hominis plebeii, eadem univerſaliter reſpectu omnium hominum per ſe loquendo etiam ſtatuenda fuit. Qualis autem per accidens aliquando ſtatui poſſit, ex diverſitate, & inæqualitate rationum, parientium diverſam præſumptionem de Dominorum voluntate dependet, quod prudenti hominum arbitrio relinqui debet.

Unde infero 2. de furtis domeſticorum nulla univerſali regula quantitatem ad peccatum mortale ſufficientem pro praxi taxari poſſe, ſed attendendum eſſe ad circumſtantias, in primis perſonarum, v.g. an paterfamilias, cui furantur, ſit dives, liberalis, & benè affectus erga perſonam furantem, an iſta ſit uxor, filius, vel famulus domeſticus tantùm, cui utique longè minus conceditur, quamvis propter obſequia, tenuitatem ſtipendii, & fragilitatem humanam, inter innumeras occaſiones hinc inde aliquid modicum ſubducendi plus quàm extraneo indulgeatur. Præterea obſervandæ ſunt circumſtantiæ objecti, an furtum ſit circa eſculenta, vel poculenta, quæ faciliùs permittuntnr, præſertim ad proprium, vel pauperum uſum, an circa pecunias, vel alia pretio æſtimabilia; deinde etiam perpendendus eſt finis, an res ſit applicanda ad fidem honeſtum, ac neceſſarium. Filio parentis prædivitis Bannez apud Lugo *diſp. 16. num. 76.* nimis liberaliter concedit, quidquid eſt infra quinquaginta aureos, Salas, non improbante Lugo ex centum florenis permittit duos, Leſſius duos, vel tres aureos ex univerſis divitiis negat ſufficere ad mortale filio, aut filiæ, quod à fortiori etiam de uxore dicendum eſſet, quando quidem hæc ſit ſocia, & aliquo modo jus adminiſtrationis habeat. 153

De famulis notandum eſt, quod quamvis aliquando licita ſit occulta compenſatio, de qua proximè dicam, quando nimirum debitum eſt certum, & alia via ejus ſolutio obtineri non poteſt, & ceteræ etiam conditiones obſervantur; meritò tamen ab Innoc. XI. hæc univerſalis Propoſ. 37. eſt prohibita *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere, ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.* Si enim hi licitè poſſent taxam, & æſtimationem opere ſibi decernere, & non ſolùm eſſe Judices in propria cauſa, ſed etiam executores ſuæ ſententiæ, quantus inde abuſus, & licentia temeraria furandi enaſceretur? Et ſi ob rationis paritatem etiam officiales Principum ſalaria ſibi taxare, eaque ſibi occultè ſurripere licitè poſſe dicerentur, quanta damna Principibus inferrentur? 154

Infero 3. In furtis minutis ſucceſſivis eidem homini actione moraliter diſcontinua factis cum intentione, vel advertentia ad totam collectam, vel colligendam ſummam, requiri quidem ad peccatum mortale quantitatem proportionaliter majorem, quantò nimirum modus furandi ſucceſſivus minùs eſt damnoſus, ut docent Leſſ. Mol. Sanchez, & alii apud ipſos, quos ſequitur Lugo *diſp. 16. num.* 47. eam tamen, præter alias circumſtantias, vel maximè deſumi à majori, vel minori temporis interpolatione, ita ut ſi hæc valde magna ſit, dimidio plus poſſit admitti, quia hujuſmodi furta minùs ſunt damnoſa, objecta verò eorum in minutas quantitates diviſa non ita periculosè alliciunt, quàm conjuncta, & plerumque minori deliberatione inferendi grave damnum, leviorique contemptu committuntur: imò Sanchez non improbante Lugo, exiſtimat, furta levia ſpatio unius anni interrupta omnino non coaleſcere; cùm enim ex his grave damnum oriri non ſoleat, eadem etiam per modum unius collectionis prohibere neceſſe non fuit. 155

Infero 4. In illis furtis, per quæ nulli determinato homini, aut familiæ v.g. Religioſæ grave damnum in propriis bonis infertur, adhuc majorem quantitatem requiri, per cujus advertentiam peccatum mortale committatur; quantitatem verò puto potiſſimùm menſurandam eſſe ex modo furandi, qui quò eſt aptior ad damnum pluribus facilè inferendum, v.g. falſatione menſuræ, ponderis, monetæ &c. eò debet illicium ad taliter furandum

dum minoris quantitatis requiſitione reſtringi: quòd enim Hieronymus ab Hangeſto apud Leſſ. *lib.2. cap.12. dub.7. num.37.* omninò neget, committi peccatum mortale per damna minuta diverſis illata, concedi non debet, ut quàm modeſtiſſimè loquitur Leſſius; ſed neque tolerandum eſt; cùm ſcriptura clarè contrarium aſſerat Proverb. 11. *Statera doloſa abominatio eſt apud Deum*, & Deut.25. *non habebis in ſacculo diverſa pondera majus, & minus, abominatur enim DEUS eum, qui facit hoc*. Ratio à priori eſt: quia licèt nulli determinato homini inferatur grave damnum, licentia tamen tali modo procurandi ſibi magnum lucrum eſſet graviter damnoſa commercio humano, ſicut etiamſi per unicam pollutionem non graviter noceretur generi humano, licentia tamen illius eſſet graviter noxia: itaque quia, niſi ſub gravi culpa, & onere rem injuſtè ablatam ſuis dominis, ſi commodè fieri poteſt, vel ſi non poteſt, pauperibus reſtituendi, hujuſmodi minuta furta prohiberentur, eadem non ſufficienter caverentur, neceſſe fuit, dicto modo illa prohiberi.

156 Infero 5. Non tantùm, ſi quis inchoet plura furta levia, animo colligendi ſucceſſivè ſummam gravem peccat mortaliter propter actum internum, ſed etiam ſi in ultimo furto levis materiæ advertat compleri ſummam gravem, jam committit peccatum mortale tum internum propter actum voluntatis, tum externum propter completionem gravis damni à ſe illati, niſi vel jam reſtituerit, vel habeat propoſitum reſtituendi totum id, quod per præcedentia furta ablatum eſt, vel tantam partem, ut ultimum furtum cum parte reſidua nequeat complere quantitatem gravem.

157 Neque ſufficit, ut rectè advertit Lugo *diſp.16. num.39.* contra Leſſium, & Granadum, voluntas conditionata reſtituendi rem ablatam per præcedentia furta ſi fieri poſſet. Ratio eſt, quia ultimum furtum non tantùm eſt mortale propter voluntatem retinendi cum materia ultimi furti etiam præcedentes materias, ſed propter voluntatem per ultimum furtum complendi grave damnum proximi: ſicut qui eodem die feſto frequenter per parva intervalla laboravit, vel die jejunii frequenter modicas carnes comedit, quando ultimo parvo labore, vel modica comeſtione carnis advertit compleri magnam quantitatem, peccat mortaliter per hoc ſolum, quòd voluntariè compleat gravem quantitatem contra præceptum abſtinendi à labore, & à carne, prout, etiam Alexander VII. prohibuit hanc prop. 29. *In die jejunii qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Hinc addi poteſt ratio à priori; quia furtum eſt mortale non propter lucrum grave, quod quis vult ſibi retinere, ſed propter damnum grave, quod quis vult alteri inferre. Vide Regulam meam univerſalem ſupra *tr.2. diſp.2. n.29. & 30*

158 Contra hanc doctrinam obiici poſſet, quòd ſi quis injuſtè inferens damnum leve ideò peccet mortaliter, quia advertit per illud compleri damnum grave, hinc ſequatur, etiam graviter peccare eum, qui non communicata opera, vel conſilio addit ultimum complementum damni gravis ab aliis injuſtè illati, ſicut peccat mortaliter, qui ab aliis ad crapulam inductum penitus inebriat, vel graviter vulneratum levi addito vulnere in extremum mortis articulum coniicit, conſequens etſi paritas rationum etiam videatur ſuadere, eſt durum, & contra communem ſententiam, ergo falſum quoque eſt antec. Reſp. Negando ſequelam, quia non ſufficit ad mortale peccatum, advertenter complere grave damnum, niſi illud totum à ſe immediatè, vel mediatè v. g. communicato conſilio ſit illatum, vel advertatur inferri. Inſtantiæ illatæ continent magnam diſparitatem, quia damnum uſus rationis, vel vitæ non conſiſtit in ſola propinatione ultimi poculi, vel inflictione levis vulneris, ſed in diſtincto effectu indiſpoſitionis corporalis de novo producto, qui meritò graviter imputatur applicanti, vel complenti ejus cauſam, ſicut imputaretur incendium, qui ignem ab aliis allatum penitùs applicaret.

ARTICULUS III.

Quantum ſit reſtituendum, quando res tempore furti, & tempore reſtitutionis eſt inæqualis valoris.

SUMMARIUM.

159 *Quid reſtituendum ſit, quando rei furto ablatæ, tempore furti, & tempore reſtitutionis pretium eſt inæquale, & res ipſa reſtitui nequit. Neque enim univerſaliter deſumi poteſt pretium rei à tempore, quo Dominus illam fuiſſet alienaturus.*

160 *Neque etiam à tempore, quo pretium ejus erat maximum.*

161 *Quamvis aliquando, ſed non univerſaliter, pretium maximum reſtituendum ſit.*

162 *Statuitur noſtra ſententia.*

163 *Ex illa infertur, quomodo aliquando minus pretium reſtituendum ſit, quàm quo res valeret tempore reſtitutionis.*

164 *Et rurſum infertur, quomodo aliquando plus reſtituendum ſit.*

165 *Quæſtio reſolvitur, an in dubio pretii reſtituendi, Domino potiùs, quàm furi favendum ſit.*

166 *Similiter reſolvitur in alio dubio.*

Explicata gravitate furti, vel alterius injuſtæ damnificationis, de obligatione reſtitutionis inde conſurgente dicendum eſſet: quia verò pleraque ſupra agentes de reſtitutione in genere, ejuſque duplici radice jam declaravimus, diſcutiendum adhuc reſtat grave dubium, quid nimirum reſtituendum ſit, quando poſt commiſſionem furti pretium rei, ſive intrinſecè propter ejus meliorationem, aut deteriorationem, ſivè extrinſecè propter hominum æſtimationem pro variatione circumſtantiarum immutatum eſt, reſque ipſa reſtitui amplius non poteſt. Neque enim à Bonac. cujus ſententiam non improbabilem judicat Diana *p.11. tract.3. Reſol. 51.* rectè tantùm exigitur reſtitutio pretii illo tempore uſitati, ac debiti, quo dominus rem ſuam vendidiſſet, aut conſumpſiſſet: nam utique, ſi quis ablatum vitulum tam diu retineret, donec in vaccam educatus huic proportionato pretio ab ipſo venderetur vel ſi quis certam menſuram tritici tempore furti conſtantem tribus aureis, deindè quinque aureis venderet, totum tamen pretium vaccæ detractis expenſis in alimenta, & totum pretium tritici legitimo domino reſtituere deberet, etiamſi is titulum, vel triticum longè antè minori pretio vendidiſſet vel abſumpſiſſet. Ratio clara eſt, quia dum res à fure venditur, ea tota ad legitimum dominum ſpectat, ergo etiam totum pretium rei, ad quod recipiendum tam bene habet jus, ſicut ad rem ſuam, quam deinde eodem pretio vendere poſſet. 159

Confirmatur. Fur vendens rem alienam nullum patitur damnum rei, ſed illud totum dominus patitur, ergo quia tempore venditionis illud æſtimatur majori pretio, quàm æſtimatum fuiſſet, ſi res priùs fuiſſet à domino abſumpta, ideò etiam majus pretium reſtituendum eſt: cùm facta alienatione, adeòque damno abſolutè poſito dominus jam acquiſierit jus abſolutum ad majus pretium, ſeu compenſationem damni, hinc manet obligatio reſtituendi majus pretium, etiamſi dilata reſtitutione valor tritici iterum decreverit, quo in caſu non ſatisfaceret fur reſtituendo, vel eandem menſuram tritici, vel valorem poſteriori tempore uſitatum, cùm etiam æquum non ſit, ut detentor pretii jam abſolutè debiti, & ſtatim reſtituendi ex continuatione injuriæ lucrum referat mutata obligatione majoris pretii in obligationem minoris, tunc temporis uſitati.

Neque tamen etiam rectè, & univerſaliter exigitur à Navar. Gabriele, Sylv. Angelo apud Lugo *diſput. 18. numer. 110.* reſtitutio valoris ſummi durante obligatione aliquando uſitati: quia ſi legitimus dominus tempore valoris ſummi rem neque conſumpſiſſet, neque alienaſſet, & ſi illa apud furem eo tempore integra permanſit, tunc neque dominus paſſus eſt aliquod damnum tempori affixum, ſeu æſtimatione valoris illi tempori reſpondentis 160

com-

compenſandum, neque fur habuit obligationem abſolutam reſtituendi pretium rei, quia potuit adhuc reſtituere ipſam rem, adeoque damnum domini nihil aliud erat, quàm carentia rei, & obligatio furis ſolùm exigebat reſtitutionem, rei obligatio autem reſtituendi pretium rei tunc primùm incipiebat, quando res ipſa deſiit eſſe in poſſeſſione furis, atqui tunc res, ut ſuppono, non ampliùs retinebat valorem ſummum, ergo neque à fure debet univerſaliter exigi reſtitutio valoris ſummi.

161 Dixi: *univerſaliter*: nam de valore ſolùm intrinſeco ex refutatione præcedentis ſententiæ patet, ſummum reſtitui debere, nimirum, ut in exemplo declaratum eſt, non eſſe reſtituendum vitulum, ſed vaccam, vel ea non ampliùs extante, pretium vaccæ cum pretio etiam ipſius uſus, detractis tamen expenſis neceſſariis. Ratio diſparitatis eſt, quia valor intrinſecus eſt idem cum ipſa re, atqui res reſtituenda erat vacca, ergo hæc eſt reſtituenda.

162 Itaque ad propoſitum dubium reſpondeo, furem teneri ad compenſationem rei alienæ ſecundùm æſtimationem pretii intrinſeco valori, quem res habet, aut ſecluſa furis culpa haberet, pro eo tempore proportionati, quo valor extrinſecus erat ſummus, dum legitimus dominus rem ſuam, niſi à fure fuiſſet impeditus, potuiſſet, & voluiſſet in ſuam utilitatem abſumere, vel alienare, vel ipſe fur eam abſumpſit, aut alienavit. Ratio eſt, quia uſus rei, qui fit per illius conſumptionem, vel alienationem æſtimatur æſtimatione rei, qua dominus vellet uti, & damnum, quod à fure illatum ſuſtinet, æſtimatur æſtimatione uſus, ergo juxta eandem æſtimationem reſtituendum eſt pretium rei ablatæ, vel ipſa res addendo exceſſum pretii, quem habuiſſet, quando dominus dicto modo eam alienaſſet, vel abſumpſiſſet. Quòd ſi autem fur rem æquali, aut majori pretio vendidit, ex dictis conſtat, illud totum reſtituendum eſſe. Si denique nec iſte rem alienam vendidit, ſed alio modo ex poſſeſſione ſua dimiſit, aut abſumpſit, tenetur rei damnum tunc temporis domino illatum æquali etiam pretio compenſare, etiamſi iſtud poſteà decreſcat; quia, ut ſuprà dixi, obligatio reſtitutionis ratione damni tempori præcedenti affixi non minuitur dilatione ſolutionis; ſed potiùs acceſſione novi damni augetur, poſito quòd pretium rei poſteriori tempore propter meliorationem intrinſecam, vel extrinſecam creviſſet, & dominus re ſua tunc primùm uſus eſſet.

163 Ex dictis colligitur. 1. Si quis furatus eſſet modium tritici, illo, vel intermedio tempore valentem ſex aureos & ſi ſpe augendi pretii tum ipſe dominus, tum fur ejus venditorem diſtuliſſet donec contra utriuſque ſpem pretium ita ſubitò decreviſſet, ut jam tantùm 4 aureos valere, furem tunc abſumentem triticum teneri duntaxat ad 4. aureos reſtituendos: unde etiamſi dilata ſolutione triticum iterum aſcenderet ad valorem 8. aureorum, fur obligationi ſuæ ſatisfaceret, ſolvendo 4. aureos, vel medium modium tritici, ſuppoſito, quòd etiam dominus legitimus priùs abſumpſiſſet ſuum triticum, cùm tantùm 4. aureos valeret. Ratio eſt, quia damnum tempore majoris pretii per ſolam abductionem rei illatum, quo legitimus dominus non volebat illa uti, ſed tantùm retinere poteſtatem utendi, non inducebat obligationem abſolutam reſtituendi pretium rei, ſed rem ipſam, quæ quia deinde abſque culpa furis eſt vilior facta, ideo domino periit exceſſus pretii; ſicut quando res perit apud furem, eodem modo peritura apud legitimum dominum, domino perit, neque fur tenetur ad compenſationem deteriorationis, vel interitionis, ſine ſua culpa evenientis: ſi verò res prædicto tempore majoris pretii, quocunque modo ex poſſeſſione furis fuiſſet extracta, tunc obligatio reſtituendi rem, fuiſſet mutata in compenſationem majori illi pretio æquivalentem, & quia hæc obligatio ſemel contracta non poteſt ſucceſſu temporis minui; ideo etiamſi triticum poſteà viluiſſet, obligatio compenſationis manſiſſet affixa, ſeu accommodata priori tempori: ut rectè contra Mol. argumentatur Lugo *num.* 129. qui in tota illa ſectione valde enucleatè diſcurrit de variis circa hanc quæſtionem occurrentibus caſibus.

164 Colligit 2. Card. de Lugo *n.* 123. contra Vaſq. & Turrianum, etiamſi dominus non vendidiſſet ſuum triticum tempore aucti pretii, neque illius loco aliud emere debuiſſet, ſi tamen vel pauperibus, vel amicis propter utilitatem ſuam ſpiritualem, vel temporalem benevolentem ſibi conciliandam erogaſſet, furem obligari, etiam poſtquam pretium decrevit, ad reſtitutionem aucti pretii; quia obligatio iſta non fundatur in ceſſatione lucri, vel in emerſione damni illati bonis fortunæ, ſed in æſtimabilitate uſus, ad cujus menſuram compenſanda eſt injuſta impeditio, tanquam damnum eidem formaliter oppoſitum, & præjudicans utilitati uſus, non cujuſcunque (nam qui conſiſteret cum retentione rei, v. g. uſus equi ad equitandum non æſtimatur æſtimatione ipſius rei) ſed illius, qui cùm in alienatione rei conſiſtat, conſtat pretio totius rei, quo aliàs vendi poſſet. Ad hoc tamen, corollarium non improbabiliter reſponderetur, illud non eſſe univerſaliter verum, etiamſi enim uſus conſiſtens in alienatione, vel abſumptione rei æſtimaretur reſpectu furis, ſi eum poneret æſtimatione rei, quia conjungeretur cum damno, & jactura ipſius rei, cui æquale pretium à fure ſubſtitui deberet, non propter bonitatem uſus, ſed propter bonitatem rei, quæ compenſanda eſſet: ſi tamen fur uſum abſumptivum, vel alienativum præcisè impediret, tunc iſte æſtimaretur tantùm æſtimatione utilitatis, quæ à domino perciperetur ex uſu, non autem æſtimaretur æſtimatione ipſius rei, cùm ejus jactura non inferatur, nec proinde compenſanda ſit; unde ſolummodo tunc totum augmentum eſſet reſtituendum, quando ad eam utilitatem uſus rei à domino fuiſſet ordinatus; ad quam obtinendam rationabiliter quis ſibi tanto pretio rem compararet, vel ejus lucrum ex venditione reportabile negligeret, aliàs augmentum pretii tantùm juxta proportionem utilitatis impeditæ addendum foret: & ſic particulæ in concluſione appoſitæ (ſcilicet dum legitimus dominus voluiſſet rem in ſuam utilitatem abſumere, vel alienare) intelligendæ erunt de utilitate magnitudini pretii commenſurata, qualis eſſet v. g. abſumptio tritici in propriam ſuſtentationem commodiorem, & fortè etiam in ambos prædictos fines; quòd ſi autem dominus rem ſuam præcisè dilapidaſſet, quis dicat, pro tali uſu impedito eſſe reddendam totam æſtimationem rei pro illo tempore uſitatam?

Quæres, an in dubio, utrùm dominus tempore aucti pretii rem ſuam vendidiſſet, vel in ſuam utilitatem abſumpſiſſet, aut alienaſſet; domino affirmanti credendum, aut in illius favorem judicandum, vel an furi potiùs favendum ſit? Vaſquez. & teſte Leſſio communior ſtat pro parte legitimi domini: ipſe verò Leſſius, Turrianus, Mol. Diana, quos ſequitur Lugo *numer.* 133. rectiùs exiſtimant, valorem pretii majori, aut minori conjecturarum probabilitati proportionandum eſſe, nunquam tamen, ſtante dubio totum ſolvendum, quia tam in foro interno, quàm externo lucrum ceſſans, vel damnum emergens incertum non ad æqualitatem lucri, vel damni certi, ſed juxta utriuſque majorem, vel minorem probabilitatem proportionaliter compenſari ſolet, niſi ſubinde in pœnam aliud à Judice ſtatuatur. 165

166 Eodem modo diſcurrendum eſt, quando non certum, ſed tantùm probabile videtur, quòd res apud furem deteriorata, vel deſtructa, non perinde apud dominum deteriorationem, vel deſtructionem ſubiiſſet: tunc enim etiam exceſſus valoris majori, vel minori parte pro ratione dubii deducta ſolvendus eſt. Nam tantùm ſi certum foret, quòd res apud legitimum dominum ſalva, & incorrupta perſtitiſſet, etiamſi apud furem caſu perierit, vel deteriorata ſit, teneur fur ratione delicti præcedentis ad totum damnum juxta valorem rei pro illo tempore compenſandum, reſtituendo, vel integrum rei pretium, vel ipſam rem cum compenſatione detrimenti. Et viciſſim ſi certò conſtaret, quòd res eodem modo apud legitimum dominum deſtructa, vel ſaltem corrupta fuiſſet; uti apud furem ipſi evenit; iſte omnino immunis eſſet à reſtitutione pretii, quia fur non effectivè, ſed tantùm affectivè damnum intuliſſet: quòd ſi ipſe tamen rem fortivam priùs abſumpſiſſet, quàm ea in utroque loco, tam apud dominum, quàm apud furem inevitabile damnum ſubiret, tunc quia ipſum damnum fur effectivè intuliſſet, ad reſtitutionem pretii etiam teneretur, quemadmodū emptor deberet ſol-

ſolvere pretium tempori contractus proportionatum, etiamſi paulo poſt res empta interiiſſet, vel vilior facta eſſet: niſi ratione periculi, vel ſecuturi interitus, antecedenter à quovis facilè præcognoſcibilis, res priùs jam ſit vilior facta, & tunc ſaltem exiguum, ac pro illis circumſtantiis proportionatum pretium ſolvendum eſſet.

ARTICULUS IV.

An læſus ſibi ipſi occultam Reſtitutionem facere poſſit.

SUMMARIUM.

167 *Occulta compenſatio poteſt aliquando eſſe licita.*
168 *Vt autem ſit licita, ſeptem conditiones exiguntur, & ſingulis ſequentibus numeris declarantur.*

167 RESp. accepta titulo occultæ compenſationis, ſi debitum non excedant, nec eorum carentia cum alio ſpeciali damno connectatur, non eſſe reſtituenda, ut contra Henricum *Quolib. 6. q.* 27. docent tèſte Lugo reliqui DD. omnes: Ratio eſt, quia qui occultè accipit, quantum ſibi debetur ab altero, aliàs debitum, vel omnino non, vel nimis tardè, vel nimis difficulter ſoluturo, non facit alteri injuriam, neque quoad ſubſtantiam rei ablatæ, neque quoad modum, ergo nihil tenetur reſtituere. Imò, ut antequam probem concluſionem, obiter advertam cum Mol. *diſp.* 691. Laym. *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 1. *num.* 9. & in primis S. Th. 2.2. *q.* 66. *art.* 5. *ad* 3. Etiamſi faceret injuriam, quoad modum, vel etiamſi ſine occulta compenſatone facilè poſſet rem ſuam recuperare, tamen non teneretur ad reſtitutionem rei, etiamſi in poſteriore caſu peccaret contra Juſtitiam legalem nempè contra *l. Vn. C. Ne quis in ſua cauſa.* Ubi ſancitum eſt, ne quis ſibi ipſi jus dicat, adeoque ne ſine juſta cauſa ordinem, & viam ordinariam ſua recuperandi tranſgrediatur. Nunc probatur Concluſio quoad 1. partem: Vel enim Creditori accipit rem formaliter, vel æquivalenter ſuam, ſed qui accipit rem ſuam, non facit alteri injuriam quoad ſubſtantiam rei, ergo &c. Quoad 2. partem confirmatur hac ratione. Tunc Creditor quoad modum recuperandi rem ſuam facit debitori injuriam, quando circa illum poteſt rationabiliter eſſe invitus, ſed hoc ipſo quod creditor rem ſuam, vel omnino non, vel nimis tardè, vel nimis difficulter, ſcilicet non ſine litibus, expenſis, jactura amicitiæ reciperet, petendo illam à debitore, vel judice, debitor non poteſt rationabiliter eſſe invitus, ergo &c. Ut tamèn nec juſtitiæ, nec alteri virtuti hujuſmodi occulta compenſatio repugnet, obſervandæ ſunt adhuc ſequentes conditiones.

68 Prima conditio. Ut debitori vel ſimulata remiſſione debiti, vel opportuna confeſſione factæ compenſationis; deobligatio à ſolvendo debito manifeſtetur, ne ipſe, vel hæredes denuò ſolvant, vel iterata ſolutio non eſt acceptanda, aut, ſi recuſari non poteſt, mox ſaltem occultè reſtituenda erit: quòd ſi autem aliàs non offerretur ſecunda ſolutio, tenetur Creditor, ſi ſine magno ſuo incommodo fieri poteſt, ex charitate tollere opinionem remanentis obligationis, ne alter ex errore pergat continuare affectum non reddendi debitum.

169 Secunda. Ut quantùm fieri poteſt, caveatur damnum tertii, ne is in ſuſpicionem furti, vel in alia incommoda implicetur; ſic enim charitas exigit prudenter uti jure ſuo per occultam compenſationem, aliàs ſecluſo proprio gravi damno omittenda eſt.

170 Tertia. Ut compenſatio fiat in re debitori propria, & non tantùm oppignorata, vel ejus cuſtodiæ tradita, ſervatur autem hæc conditio, etiamſi rem alteri dono, vel in ſolutionem nullo prælationis jure gaudentem à tuo debitore miſſam intercipias, quia ante alterius acceptationem manebat adhuc in dominio tui debitoris, & utendo jure tuo, quod habes in rem debitoris, nec illi, nec tertio injuriam facis.

171 Quarta. Ut non auferatur debitori res alterius ſpeciei à re ablata, niſi ſine majori damno eadem carere, vel aliam ſibi facilè comparare poſſit; imò ne ejuſdem ſpeciei res auferatur, ſi dilata ſolutione extraordinarium ejus damnnm vitaretur. Hæc tamen conditio, ut advertit Lugo, tantùm eſt debita, quando ſine magna difficultate, & incommodo obſervari poteſt, aliàs Creditor non tenetur pati jacturam ſui debiti.

172 Quinta. Ut res actu ſit debita, nam anticipata ſolutio eſſet illicita, niſi gravis neceſſitas urgeret, & ſine Creditoris antecedente ſpeciali damno fieri poſſet, ad quod ante illatam injuriam ſubeundum injuſtè cogeretur.

17 Sexta. Ut debitum, vel in ſe, vel per ſententiam judicis moraliter ſit certum, nam aliàs melior eſt conditio poſſidentis, propterea ſuprà *n.* 154. oſtendo, meritò prohibitam eſſe ab Alexan. VII. propoſitionem 37. relatam. Juxta hanc 6. conditionem (teſte P. Haunoldo *tom.* 1. *tr.* 2. *n.* 334. à nemine negatam, excepto Joanne Sanchez *in diſp. ſelect. diſp.* 43 *n.* 54. *&* *diſp.* 44. *n.* 57. cui favet Lugo *diſp.* 16. *n.* 99. quamvis *n.* 106. nolit dare ultimatum ſuum judicium) videntur nihil non ſatis conſequenter Mol. Leſſ. & alii docere, quod Legatarius, cui de mente teſtatoris certò conſtaret, poſſet ſibi contra hæredem occultam compenſationem facere legati, propter teſtamentum debita ſolemnitate deſtitutum ſibi negat. Æquè inconſequenter videtur doceri ab aliis, quod idem poſſet, qui abſque culpa ſua Theologica per ſententiam judicis ſecundùm Legis compulſus eſſet, ſolvere damnum à ſuo animali alteri in re ſua illatum: etiamſi enim priori mens teſtatoris, & poſteriori ſua innocentia eſſet indubitata, indubitatum tamen non eſt, quòd certa voluntas teſtatoris transferat jus in legatarium per teſtamentum inſolemne, vel quòd ſolvens poſt legitimam condemnationem, & executionem ſententiæ retineat jus ſui pretii ab altero jam juſtè poſſeſſi.

Et ita cenſeo in aliis caſibus particularibus neminem poſſe privata Authoritate, & ante ſententiam judicis apertè, vel occultè, vindicare rem, aut valorem rei, qui ad illam ſolùm habet jus probabile, vel etiam probabilius, quamdiu poſſeſſoris jus manet adhuc probabile: hoc enim manifeſtè ſequitur ex ſtatuta conditione, ſeu Regula: & ex oppoſita licentia orirentur plurimæ lites, & occultæ compenſationes planè injuſtæ, ad quæ damna avertenda neceſſarium fuit, ut in cauſis dubiis ſoli judici poteſtas Dominii alti concederetur, parti probabiliores rationes alleganti rem controverſam adjudicandi; unde occulta compenſatio in dubio juris videtur tantùm poſſe locum ſecundùm æſtimationem ſpei evincendi rem, quando poſſeſſor injuſtè impedit recurſum ad judicem. Quod ex eo etiam confirmatur. Quia in tantum poteſt quis occultè ſibi aliquid accipere ab altero, in quantum iſte teneretur illud dare, ſaltem ſi haberet ſimilem ſcientiam juris alieni, qualem habet is, qui utitur occulta compenſatione: ut adeoque non poſſit rationabiliter eſſe invitus: ſed poſſeſſor quamdiu habet jus probabile, etiamſi alius habeat æquè, vel magis probabile jus, modò non ſit moraliter certum, ante ſententiam judicis nec vi, nec fraude impeditam, nihil tenetur dare, & in prædictis duobus caſibus hæres ab inteſtato, aut accipiens reſtitutionem damni ex ſententia judicis ſibi adjudicatam, eſſet liber ab obligatione dandi, etiamſi certò ipſi de voluntate teſtatoris, aut de innocentia reſtituentis conſtaret, adeoque occculta acceptio fieret ipſo rationabiliter invito, ergo non poteſt quis occultè ab illo aliquid accipere.

174 Septima. Ut compenſatio non præjudicet juri potioris Creditoris, hinc mortuo Creditore non potes quidquam de illius hæreditate relicta occultè auferre, ſi præferendis Creditoribus non ſufficeret hæreditas: imò niſi pignoris loco à vivo debitore aliquid acceperis, quòd ſit à re dibita diverſæ rationis, adeoque quòd non ſe ipſo præſtet ſolutionem debiti, juxta longè communiorem ſententiam teſte Lugo *diſp.* 16. *nu.* 127. reddere teneris. Ratio eſt clara: quia quando debitor contra Creditorem juſtè poteſt excipere, & ſe ab obligatione ſolvendi excuſatum demonſtrare, nequit Creditor occulta compenſatione ſeipſum ſolvere, ſed in concurſu plurium Creditorum, quibus omnibus debitor ſolvendo non eſt, poteſt is contra poſtponendum Creditorem juſtè excipere, ergo &c.

QUÆSTIO V.

De Circumſtantiis Reſtitutionis.

ARTICULUS I.

Quis ordo inter Debitores tenendus in præſtanda Reſtitutione.

SUMMARIUM.

175 *Quando plures communi Opera alteri injuſtum damnum intulerunt, ille tenetur primò, apud quem res formaliter, vel æquivalenter extat.*

176 *Quicunque ad alterius injuſtum damnum phyſicè, vel moraliter ex propria culpa cooperatus eſt, ita ut hoc ſaltem tanquam à partiali cauſa dependeat, tenetur ad reſtitutionem in ſolidum, ſaltem deficiente alio, vel aliis, æqualiter vel magis obligatis.*

177 *Probatur aſſertio, & inde infertur, quomodo obligetur, qui cum aliis in ſenatu injuſtum ſuffragium tulit.*

178 *Ex novem modis, injuſtè ad alterius damnum cooperandi, explicatur primus, qui fit per Juſſionem.*

179 *Secundus modus Per Conſilium.*

180 *Tertius, per Conſenſum.*

181 *Quartus, per Laudationem, vel Vituperationem.*

182 *Quintus, per Recurſum præſtitum.*

183 *Sextus, per Participationem, cui additur, ſeptimus, per Diſſimulationem, Octavus, per Conniventiam, Nonus, per Taciturnitatem.*

184 *Probatur, quocunque modo injuſtè cooperantem vel ad totum, vel ad partem damni, teneri vel ad illud totum, vel ad illam partem reſtituendam.*

185 *Neque obſtat, quòd habuerit, vel etiam indiguerit alia concauſa.*

186 *Qui non eſt Cauſa damni, ſed tantùm alicujus circumſtantia, ſine qua æquè fieret damnum, ad nihil tenetur.*

187 *Qui tantùm non impedit alterius damnum, neque illud impedire ex juſtitia tenetur, iterum non obligatur ad reſtitutionem.*

188 *Inter Cooperantes ad injuſtum alterius damnum, & reſtitutionem obligatos, non omnes æqualiter obligantur; ideo eo, qui prius obligatur reſtituente, poſterior ad nihil tenetur, & ſi iſte loco prioris reſtituat, illum poteſt reconvenire.*

189 *Quo Ordine Cooperantes ad damnum alienum injuſtum obligentur ad reſtitutionem.*

QUia non tantùm is, qui eſt executor damni alterius, ſed etiam qui ad illud cooperatur, obligationem reſtituendi ſubit, & quia tamen unus magis obligatur, quàm alter, hinc quæritur nunc, quinam potiùs reſtituendi onere graventur.

175 Si res ablata adhuc extet formaliter, vel æquivalenter, nimirum in lucro eam abſumentis, conveniunt AA. primo loco ad Reſtitutionem teneri illum, apud quem dicto modo res invenitur exiſtere. Ratio eſt, quia iſte non tantùm obligatur titulo injuſtæ acceptionis, ſed etiam titulo rei acceptæ, qui priori longè prævalet, cùm jus ipſi rei alterius, vel lucro ejuſdem conſtanter adhæreat, adeoque ne alienum poſſideatur, domino reſtituere ſit neceſſe. Si autem res neque formaliter, neque æquivalenter extet, major eſt quæſtionis difficultas, tres partes in ſe complectentis. Primò inquiritur, quinam ad reſarciendum damnum alteri communi opera illatum teneantur. Secundò, quantum. Tertiò, quo ordine reſtituere debeant, inveſtigatur: ad ſingula ſeorſim reſpondeo. Itaque

176 Dico 1. Quicunque ad alterius damnum per formalem injuriam concurrit, ita ut illud ab ejus cooperatione phyſicè, aut moraliter dependeat, tenetur ad idem reſarciendum, ſaltem deficiente alio, vel aliis magis obligatis. Si autem, nec phyſicè dependeat, & executor damni neque moraliter moveatur, aut determinetur ad illud inferendum, tunc etſi inefficaciter, & quaſi affectivè tantùm cooperans peccet contra juſtitiam, nihil tamen tenetur reſtituere, ſi verò moveatur executor, quamvis ſine tali motione jam antecedenter paratus fuiſſet inferre damnum, ſed voluntate non tam firma, aut non ita feſtinante, æquè tamen per longiorem moram inimpedibili &c. juxta D. Antoninum, Paludanum, Richardum, Sylv. Navarrum, Layman. & ipſum etiam S. Thom. *in 4. diſt. 15. q. 1. art. 5.* ad tertiam quæſtiunc. imò teſte Rebello juxta communiorem DD. ſenſum, quorum plurimos refert, & ſequitur cum aliqua limitatione *p. 1. lib. 2. q. 14. num. 5. & 6.* cooperans quidem probabiliter adhuc nihil tenetur reſtituere, ut fatetur etiam Leſſius *lib. 2. cap. 13. aubit. 2. num. 8.* Verùm ipſe *n. 10.* oppoſitam ſententiam ſuadet in praxi ſequendam, eamque hoc tempore in ſcholis aſſerit receptiorem, quam etiam approbat Lugo *t. 1. de Juſtitia diſp. 19. ſect. 1.* citans Cajetanum, Sotum, Medinam, Vaſq. Mol. licèt cooperans, v. g. conſilio tantùm partialiter, & ſe ſolo inſufficienter perſuaderet alterius damnum. Et forſan hæc Propoſitio 39. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati*: ab Innocent. XI. prohibita eſt non tantùm, quia primæ parti noſtræ Concluſionis adverſatur, ſed etiam quia ultimæ.

177 Poſtremæ duæ partes Concluſionis firmabuntur in ſequenti aſſertione. Prima pars eſt certa, quia qui dicto modo ad proximi damnum concurrit, is non tantùm affectivè, ſed etiam effectivè, ſive phyſicè, ſive moraliter, damnum infert per formalem injuriam: ſuppono enim eum non habere jus ad proximi damnum, & operari cum advertentia ad illud. Atqui, qui aliquo modo effectivè infert proximo damnum, tenetur ad illud reſarciendum: ergo &c. Et licèt alius ſimilem concurſum loco illius præberet, per hoc tamen non excuſaretur ab injuria, & obligatione, ſicut qui alteri furaretur rem ſuam, quam alius furaturus fuiſſet, vel qui occideret eum, quem alius fuiſſet occiſurus, propterea non minùs diceretur fur, aut latro, quod prævenerit alium furem, vel latronem: hinc ſi quis in ſenatu daret conſilium, alicui inferens damnum injuſtum, etiamſi certò ſciret, poſteriores Conſiliarios non motos ſuo malo exemplo in idem conſilium tanto numero conſpiraturos, qui ſolus ſufficeret ad perſuadendam executionem damni injuſti, tamen non tantùm peccaret contra juſtitiam, ſed etiam obligaretur ad reſtitutionem. Aliud eſſet, ſi quis majori numero iniquorum ſuffragiorum jam poſito, ex quo injuſta damni executio pendet; ſolummodo conſentiret nihil majoris incitamenti addendo. Tales itaque cauſæ executori cooperantes, & niſi ipſe jam determinatus ſit, potentes illum determinare, duobus verſibus novem enumerantur, quarum priores ſex poſitivum, reliquæ negativum concurſum præbere cenſentur.

Juſſio, Conſilium, Conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

178 Juſſio damni duplici modo fieri poteſt, explicitè, & implicitè: præterea poteſt quis jubere, ut illud ſuo nomine, vel non ſuo nomine inferatur: ut tamen ſit verè cauſa damni, & ad reſtitutionem obligetur, non ſufficit ratificatio damni illati; quando enim *in c. Ratihabitionem 10. de Regulis Juris in 6.* dicitur ratihabitionem retrahi, & mandato comparari, id tantùm intelligendum eſt in ordine ad firmandos contractus, & incurrendas pœnas fori externi: ut contra Palud. Sylv. Angelum, Navarrum docent Mol. Med. Rebellus, Leſſius, Layman. & alii *ex Gl. in l. 1. §. Dejeciſſe ff.. ae vi, & vi armata*. Neque debuit jubens imperium ſuum ſeriò retractaſſe, ac eandem retractationem executori priùs manifeſtaſſe. Imperii enim ſeria, ac notificata retractatio, niſi illud inſuper ſibi annexam habuerit rationem conſilii; tollit præcedenti juſſioni vim alterum movendi ad executionem injuriæ: unde rectè Leſſ. *dubitatione 3. num. 26.* & Rebellus *l. c. num. 19.* obſervarunt diſcrimen puræ juſſionis à conſilio, quòd illud adhuc habeat vim movendi, etiamſi alter oſtendat, pœnitere ſe dati conſilii, niſi ſimul ejus falſitatem detegat, aut ſi verum fuit, tam efficaces contra illud rationes opponat, quæ poſſint idem enervare, aut injuriam diſſuadere, quamvis

ſi per

ſi per illas nihil efficiat, contra dictum Authorem probabiliùs aſſeratur, talem Conſiliarium ad nihil ampliùs teneri, quod rurſum ut probabile approbat Leſſius *n.*18.

179 Ad Conſilium iniquum etiam preces, promiſſiones, hortationes revocantur; non eſt autem iniquum, cùm ſciens alterum eſſe determinatum ad inferendum grave damnum Petro, ſuggeris conſilium, ut eidem Petro aliud damnum, ſed levius inſerat, modò non ſit abſolutum, ſed conditionatum conſilium, ut ſuppoſito, quòd alter velit nocere, determinetur ad minùs nocendum, idque fiat non alliciendo, ſed quaſi inſtruendo, & proponendo modum minùs nocendi.

180 Conſenſus duplici modo poteſt eſſe cauſa damni, ſi nimirum cauſa executiva ab illo determinetur, vel determinata non retrahatur, quàm quis prævidet retrahendam: hinc licèt pluralitate votorum injuſtorum in ſenatu jam poſita, eiſdem conſentiens pecces quidem contra juſtitiam, non verò tenearis ad reſtitutionem, ſi tuus conſenſus non ampliùs curetur, neque moveat ad executionem: poſito tamen, quòd prævideres tuo diſſenſu priores à ſententia retrahi poſſe, eum omittens obligares te etiam ad reſtitutionem, quia ex officio quiſque ſuffragantium damnum tenetur impedire. Huc ſpectat etiam illa taciturnitas, tanquam conſenſus tacitus, ex quo alter paratus in tuam gratiam alicui inferre iniuſtum damnum, & ſciens ſuam intentionem tibi perſpectam eſſe, movetur ad illud inferendum, quòd ſi tamen non ſciret eſſe perſpectam, adeoque nec à taciturnitate moveretur, eadem non eſſet contra juſtitiam, niſi ex officio tenereris impedire illud damnum, ſed tantùm contra charitatem. Ita quoad primam partem Mol. *diſp.*729. *n.*6. quoad utramque Rebellus 2.*p.lib.*2.*q.*14.*ſect.*3.*n.*13. & Laym. *lib.*3.*tr.*2. *c.*5. *num.*2.

181 Palpo, ſeu adulator tunc obligatur ad reſtitutionem, quando laudando, vel exprobrando ignaviam allicit ad inferendam injuriam.

182 Recurſus tunc contra juſtitiam præſtatur, quando recipiendo hominem noxium, vel cuſtodiendo ejus inſtrumenta, aut rem furtivam, eum animas, & ſecuritatem nocendi facis, aut retinendi ablata. Si tamen præcisè eum defendas, ne à lictoribus deprehendatur, etſi evadens iterum furetur, non peccas contra juſtitiam, quin ad ſubſequentia damna tantùm per accidens, & remotè cooperaris.

183 Participans is dicitur, vel ſit particeps prædæ, & conſequenter tenetur etiam titulo rei acceptæ eandem reſtituere, vel qui executorem injuriæ adjuvat præbendo auxilium, v.g. applicando ſcalam furi, explorando cuſtodem, ſimul aſportando &c. excuſatur tamen à reſtitutione, ſi auxilium tantùm remotè conducat ad illationem injuriæ, vel illam aliàs ponendam ſolùm facilitet, vel ſi ſine proprio gravi damno recuſari non poſſit, neque ſit ipſa actio injurioſa, ſeu intrinſecè injuſta, prout quando agitur de ſcandalo, ex inſtituto declarari ſolet, & hìc obſervat Rebellus *l.c. nu.* 50.

Mutus dicitur, qui ſuo ſilentio erga nocentem non impedit damnum, quod prohibendo, vel diſsuadendo impedire poſſet.

Non obſtans eſt, qui opere negligit prohibere damnum.

Non manifeſtans damno cooperatur, qui inſidias detegendo ipſum non præcavet, vel reum non manifeſtando impedit, ne ablata recuperentur.

184 Dico 2. Quicunque uno ex primis ſex modis cooperatur ad damnum proximi, vel ſi ex officio tenebatur impedire, & non impedit uno ex tribus poſterioribus, tenetur in ſolidum, vel ad totum damnum reſarciendum, ſi totius; vel ad partem, ſi tantùm partialis damni cauſa fuit. Id eſt, ſi non reſtituat alius, qui priùs, & principaliùs obligaretur reſtituere, neque qui ſimilem obligationem haberet, portionem ſuam conſerant, tenetur quilibet reparare, quidquid damni alter ex illius cooperatione ſuſtinuit. Concluſio eſt communis, imò ut exiſtimat Laym. *lib.*3.*tr.*2.*c.*5.*n.*1. omnium DD. quoad utramque partem, ſcilicet tam quoad concurrentes poſitivè, quàm quoad concurrentes negativè, non impediendo damnum ex officio. Probatur ratione univerſali, ex qua colligitur etiam confirmatio præcedentis concluſionis quoad reliquas partes nondum comprobatas. Quicunque prohibetur à virtute juſtitiæ alteri inferre damnum, ab eadem jubetur reſarcire effectivè illatum, & ſic quaſi deſiſtere à continuatione ejuſdem: ſed quilibet homo (intellige, qui non aliunde privatam, aut publicam habet poteſtatem) à juſtitia prohibetur alteri inferre damnum, vel exſequendo, vel poſitivè cooperando, vel non impediendo, quando ex officio, tanquam ex implicito pacto tenetur impedire, ergo ab eadem juſtitia etiam jubetur reſarcire uno ex prædictis modis effectivè illatum damnum, tenetur totum reſarcire, ſi partem, ſaltem illam tenetur reparare.

Neque dicas, ultimum conſequens verum eſſe, ſi quis 185
damni adæquati fuerit cauſa adæquata, non autem ſi fuerit tantùm inadæquata, ſupponens aliam adæquatam, & in actu primo jam determinatam prout in priore concluſione cum S. Thom. docuerunt plures DD. relati. Nam contra eſt, quia non obligatur quis ad reſtitutionem, quòd determinaverit cauſam in actu primo, ſed quòd determinaverit cauſam in actu ſecundo, neque quòd ſine illo damnum non potuiſſet fieri, ſed quòd ſine illo non ſit factum, prout ipſi Adverſarii fatentur, ſi duo cauſam antea indifferentem ſimul, & eodem modo v.g. conſilio ad furandum determinarent, quorum alterutrius conſilium ſeorſum ſufficerent, utrumque tamen teneri ad reſtitutionem totius damni. Neque requiritur, ut cooperans non indiguerit alia concauſa in eodem genere, quia adverſarii rurſum fatentur, ſi inter duas cauſas ejuſdem generis partialiter moventes v.g. conſulentes neutra ſeorſim eſſet ſufficiens ad determinandam cauſam executivam furti, ambas obligatione totius damni reſtituendi gravari. Unde verum quidem eſt, ut in priore concluſione dixi, ſi executor damni non moveretur ab altero conſilium, vel alium concurſum offerente, vel ſi tantùm moveretur ad exceſſum damni, ut ſi auferens decem florenos ex alterius conſilio iterum decem alios auferret; quod Conſiliarius, vel ad nihil, vel in poſteriori caſu ad decem tantùm reſtituendos obſtringeretur, quia ad nullum aliud damnum effectivè cooperaretur; ſi tamen executor ab altero moveretur ad totum damnum, ut ſi paratus auferre decem, juſſus autem auferre viginti propter alterius imperium ſimul viginti auferre, ita ut ad totam ſummam alieno conſilio impelleretur, hoc ipſo Conſiliarius totius etiam damni reparandi obligationem ſibi imponeret. Ut expreſsè docet Molina, quem ſequitur Lugo *diſp.* 19. *num.* 4. & ſi rectè perpendatur, conſentit Leſſius *lib.*2. *c.*33. *dubit.*4.*n.*33.

Ex hac concluſione, & ejus probatione colligitur pri- 186
mò, ſi quis furem moveret non ad ſubſtantiam furti, ſed tantùm ad modum, vel ad alias circumſtantias non ſpeciale damnum in bonis fortunæ continentes, eum ad nihil teneri: ut ſi quis æquè certò, & inimpedibiliter volenti furari perendie, ſuadeat furari cras, ne impediatur altero die feſto ab audiendo ſacro, nullam incurrit obligationem, quia in tali caſu conſulens tam parùm eſt cauſa damni, quàm fur eſt propterea cauſa mortis, quòd ſuſpendendus poſt tres horas impetret, ut ſuſpendatur poſt horam, quando melius erit diſpoſitus ad mortem. Talem enim Conſilium, vel tales preces ſunt tantùm conditionatæ, & non petunt ſubſtantiam rei, ſed ex illius ſuppoſitione tantùm determinant ad modum, ſeu ad circumſtantiam temporis: ut etiam docuit Lugo *n.* 15. Unde in hoc cooperatio moralis differt ab executione phyſica, quæ non poteſt abſtrahere à ſubſtantia rei.

Colligitur 2. Qui tantùm negativè eſt cauſa damni al- 187
terius, neque ex officio illud impedire tenetur, nihil debere reſtituere, quia non impediendo, cùm facilè poſſet, vel etiam abſque vi, & fraude dehortando alium, ultrò, & ſine obligatione impedire volentem, ut notavit Rebell. *num.* 57. peccat tantùm contra charitatem non contra Juſtitiam, niſi gratis, vel pro mercede promiſſo ſilentio, vel ſecuritate, alius animetur ad damnum alioquin non inferendum: ſic communiter excuſantur famuli, quando non impediunt, vel dominis ſuis non produnt furta domeſticorum; extraneorum verò communiter dicuntur ex Juſtitia teneri impedire teſte Leſſ. *n.* 75. qui ait eos jure gentium hoc obſequium dominis ſuis debere: quamvis Rebellus *n.*61. id ipſum videatur negare,

negare, quando non ſpecialiter alicujus rei cura illis eſt commiſſa: uti etiam *n.* 65. negat, quòd Confeſſarii pœnitentium Creditoribus ex officio obligati ſint ad procurandam ipſis reparationem damnorum injuſtè illatorum, aſſeritque ſolummodo obligatos eſſe, ne ex dolo, vel culpa lata, ac Theologica imponant obligationem injuſtam reſtituendi. Et hujuſmodi culpam, ut ad reſtituendum obliget, requirit etiam in aliis quos à *n.* 59. cenſuit obligatos eſſe ex Juſtitia impedire injurias, ubi inter alios recenſet etiam teſtes juridicè interrogatos, vel interrogandos, qui non tantùm ex præcepto, ſed ex Juſtitia ſecundùm allegatam communem ſententiam tenentur nec veritatem, nec ſeipſos, quo minùs juridicè interrogari poſſint, occultare, quod tamen probabiliter negant Mol. Leſſ. Layman.

188 Dico tertiò. Cum D. Thoma 2. 2. *q.* 62. *art.* 7. Cajet. *ibid.* Covar. Sylv. Medina, Soto, allatis, & approbatis à Rebello *q.* 15. *n.* 1. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 13. *dubit.* 5. & aliis communiter. Etiamſi omnes in Concluſione ſecunda memoratæ cauſæ obligentur in ſolidum, quando ad totum damnum concurrerunt, non omnes tamen æquè immediatè obligantur; hinc reſtituente ea, quæ priùs obligatur (idem eſt, ſi obligatio ipſi condonetur) ceteræ ad nihil tenentur, juxta communiorem, quamvis aliqui cum Petro Navarra putent aliquam ſaltem partem, licèt minorem contribuere, vel principali integrum reſtituenti refundere debere: Contrà ſi minùs principalis in defectum magis principalis damnum resarcivit, actionem Creditoris in ſe transtulit, ſicut fidejuſſor ſolvens loco debitoris, ut cum S. Thoma 2. 2. *q.* 62. *art.* 7. *ad ſecundum* communiter docent AA. relati à Laym. *l. c. cap.* 6. *n.* 3. Ratio eſt, quia ſi unus fuit cauſa primaria, & alter ſecundaria, ſeu quaſi ſubordinata, ac inſtrumentalis, æquum eſt, ut in obligatione reſtituendi priori tantùm in ejus defectum ſubordinetur, & conſequenter illo ſolvente, iſte nihil debeat, ſolvente verò iſto, ille huic debeat.

189 Ordo verò cauſarum à S. Thoma *loc. cit.* & aliis DD. iſte communiter receptus eſt. Primò, ad reſtitutionem rei nec in ſe, nec in ſuo lucro penes ullam cauſam exiſtentis tenetur, qui fuit ſimul cauſa phyſica, & principalis formaliter injuſtæ abſumptionis rei, vel ſaltem damni, ſi res nulla fuit abſumpta; hinc is, qui nec vi, nec fraude, nec imperio ſuperioris, ſed ſponte damnum injuſtum intulit, ante alios obligatur: quòd ſi non eadem eſt cauſa phyſica, ſeu exſequens damnum, & ſimul principalis, ſed ſi unus eſt cauſa principalis, quia nimirum, vel vi, vel fraude, vel imperio coactivo alterum ad inferendum damnum induxit, aut ſuo nomine ab iſto damnum inferri voluit, tunc cauſa principalis obligatur primo loco, cauſa phyſica verò, nimirum auferens rem alienam (niſi ſit principalis abſumens) obligatur ſecundo loco, ſicut & reliquæ cauſæ uno ex ceteris prædictis modis cooperantes, nempè conſilio, auxilio, recurſu, adulatione &c. Inter quas (niſi tantùm cooperatæ ſint negativè, quæ juxta Vaſq. Leſſ. Layman. Haun. tantum in defectum poſitivè cooperantium ſubſtituuntur) probabiliùs nullus datur ordo, quamvis dum omnes debent in defectum cauſæ principalis contribuere, una obligetur ad majorem partem contribuendam, quàm altera, quantò nimirum magis, & efficaciùs cooperata eſt: & ſi etiam ex ſecundariis aliquæ deficiant, reliquæ debeant eò majores portiones conferre: ita tamen, ut cauſæ deficientes deinde obligentur, vel quoad totum, vel quoad portionem ſuam non deficientibus, teſte S. Thoma *loc. cit.* & *art.* 6. *praecedenti ad* 3. & aliis DD. communiter conſentientibus.

ARTICULUS II.

Quis Ordo tenendus inter Creditores in accipienda Reſtitutione.

SUMMARIUM.

190 *Si Bona debitoris non ſufficiant omnibus Creditoribus ſolvendis, in primis ea, quorum Dominium ad alium pertinet, illi reddenda ſunt.*

191 *Si autem is determinatè non ſciatur, diſtinguendum eſt, an dubium ſit inter paucos, vel an inter multos: in primo dubio res illis reſtituenda eſt, ut de ea tranſigant. In ſecundo dubio debitor titulo paupertatis rem ſibi applicare, & ex ea debita ſolvere poteſt.*

Si bona debitoris ſunt ſufficientia, ut omnibus Creditoribus ſatisfieri poſſit, non eſt neceſſe ſervare ordinem; itaque tantùm quæritur, quis ordo ſervandus ſit inter Creditores, quando non ſunt ſufficientia, quando nimirum poſteriùs accedentibus deficit ſolutio. In primis autem DD. omnes ut certum ſupponunt, eas res, quæ non ſubſunt dominio, ac juri debitoris, eſſe ſeparandas à rebus debitori propriis, ex his enim ſolis reſtitutio fieri poteſt ceteris Creditoribus, illæ enim utpote alienæ dominis ſuis reddi debent; tales ſunt commodatum, depoſitum, pignus, res furtiva, etiamſi, ut exiſtimat Palao *diſp.* 1. *punct.* 18. §. 13. & Rebellus *p.* 1. *libr.* 2. *de Reſtit. q.* 19. *num.* 5. per mixtionem in furis dominium aliquo modo tranſierit, v. g. ſi is alienas pecunias ſuis miſcuerit: huc etiam ſpectat res empta (vel ex quocunque alio oneroſo contractu tradita) nondum præſtita ſolutione, vel fide ſolvendi, quia tunc licèt tradita ſit, adhuc ad venditorem pertinet: imò quando venditor principalis eſt Eccleſia, fiſcus, vel Minor, per venditionem factam à Miniſtro, Procuratore, vel Curatore res non alienatur ante actualem ſolutionem, ut ex *l. Si Procurator* 5. §. *fin. ff. de Iure fiſci*, & *Gl. ibid.* colligunt Mol. *d.* 338. Leſſ. *lib.* 2. *c.* 15. *n.* 7. Laym. *lib.* 3. *ſect.* 5. *tr.* 2. *c.* 11. *n.* 2. Palao *l. c.* 190

Nec obſtat prædictæ ſeparationi faciendæ, quòd forſan dominus rei determinatè non ſciatur, ſed ſit incertus, ſi enim tantùm inter paucos dubitetur, ad quemnam illorum ſpectet, illis ſecundùm proportionem dubii dividenda, vel tradenda eſt, ut de ea tranſigant, ſi verò ex tota multitudine dominus diſcerni nequeat, per ſe loquendo, vel pauperibus, vel alteri piæ cauſæ eſſet applicanda, ſaltem ſi ſit debita ex delicto, tunc enim omnium conſenſu iniquus poſſeſſor nequit eam ſibi appropriare, niſi & ipſe pauper ſit, vel debitis ultra vires gravatus, ut rectè excipit Lugo *tom.* 1. *de Iuſtitia d.* 20. *num.* 8. & ideo poſſet in tali caſu ex re incerta ſibi tanquam pauperi appropriata debitis ſatisfacere, & hoc ipſo quia poſſet, etiam teneretur: eò quòd, ut rectè ait. P. Haunold. *tom.* 1. *tr.* 2. *num.* 497. debitor teneatur ſibi proſpicere de mediis licitis, ut ſit ſolvendo. Hoc notato ſit. 191

§. I.

Ordo inter Creditorem certum, & incertum.

SUMMARIUM.

192 *Inter Creditores certus præferendus eſt incerto.*

193 & 194. *Idem magis confirmatur.*

Ex propriis bonis priùs ſatisfaciendum eſt Creditori certo, qui ſcilicet determinatè, vel inter paucos indeterminatè ſcitur, quàm incerto, cui tantùm mediatè erogatione in pauperes, vel ad piam cauſam ſatisfieri poſſet. Ita omnes teſte Azor *l.* 4. *c.* 36. §. *ſecundo eſt notandum* &c. quamvis Molin. *diſp.* 760. in contrarium magis propendeat, & Lugo *tom.* 1. *de Iuſt. d.* 20. *num.* 5. ejus ſententiam probabiliſſimam, & ſaltem in illis caſibus veram judicet, quando Creditor incertus, vel certus quidem, ſed ob aliam cauſam ſtabiliter impeditur à recipienda reſtitutione (qui teſte Vaſq. *c.* 11. *de Reſtitutione n.* 4. & Lugo *n.* 1. & 6. incerto æquiparatur) rationabiliter creditur invitus, eò quòd Creditor certus ex contractu gratuito, vel illicito jus ſuum acquiſierit &c. tunc enim uterque putat ſecundùm voluntatem interpretativam Creditoris incerti illius portionem piæ cauſæ eſſe attribuendam, quia licèt pauperes, vel pia cauſa non habeant jus immediatum ad reſtitutionem, illud tamen æquè retinet Creditor incertus, ut proinde debitorem ad reſtituendum piæ cauſæ ſuo nomine obligare poſſit, quàm Creditor certus, cui neque jus naturale, neque poſitivum oſtendi poteſt magis facere. Verùm Creditori certo ſaltem cum appoſita limitatione 192

Lugo

Lugo contra Creditorem incertum ex pacto gratuito, vel illicito, quantumvis valido, jus naturale magis ſavere, ſic oſtenditur. Illi jus naturale magis ſavet, qui magis rationabiliter poteſt eſſe invitus, ſi alteri poſtponatur, ſed debitor certus, de quo conſtat debiti ſolutionem, nec gratuito, nec illicito titulo ipſi determinatè, vel inter paucos facilè inter ſe tranſigentes, indeterminatè deberi, eamque poſſe immediatè, vel ſaltem in perſona proximè conjuncta, & indigente recipere, magis rationabiliter poteſt eſſe invitus, ſi alteri poſtponatur, ergo &c.

193 Confirmatur 1. Certum eſt, quòd jure naturæ facienda ſit reſtitutio Creditori certo, incerto autem ex tota reliqua multitudine hominum forſan tantùm jure poſito mediata reſtitutio applicatione debiti ad piam cauſam facienda eſt, quæ opinio eſt Leſſii, Vaſq. Laym. *libr.* 3. *tr.* 2. *c.* 11. *n.* 1. ſed jus poſitivum, licèt certum, vel naturale incertum per ſe loquendo poſtponendum eſt juri naturali, certo, ergo &c.

194 Confirmatur 2. Solutio debiti etiam eſt opus bonum, ergo ſi Creditor non poteſt rem ſuam accipere, niſi per applicationem ad piam cauſam, potiùs conſendus eſt velle cooperari ad actum juſtitiæ, præſertim ſi Creditor certus non abundet, & nec gratuitum, nec illicitum titulum habeat, quàm ad actum Chriſtianę Religionis minùs neceſſarium, & per conſenſum in actum juſtitiæ quoad meritum in his circumſtantiis facilè compenſabilem.

§. II.

Ordo inter Creditorem Hypothecarium, & non Hypothecarium.

S V M M A R I V M.

195 *Quid ſit debitum reale, & quid perſonale. Quid pignus, quid hypotheca; & quæ ſit hypotheca generalis, quæ particularis.*

196 *Quomodo expreſſa, & quomodo tacita hypotheca conſtituatur.*

197 *Creditor hypothecarius præferendus eſt Creditori ſimplici, qui non eſt hypothecarius.*

198 *Excipiuntur tamen aliqua debita, priùs ſolvenda etiam Creditoribus non hypothecariis.*

195 DEbita realia priùs reſtituenda ſunt, quàm perſonalia. Hæc eſt certa omnium ferè DD. ſententia, probationi tamen præmitto terminorum explicationem.

Debitum perſonale illud dicitur, quod ſolam perſonam debitoris Creditori obligatam reddit, ſive per ſcripturam, ſeu Authenticum inſtrumentum, ſive abſque tali inſtrumento. Debitum reale appellatur, quo non in ſolam perſonam, ſed in res ipſas actio conceditur, quando nimirum per hypothecam, aut generalem, aut ſpecialem res debitoris Creditori pro recipienda ex illa ſolutione obligatur: uſurpatur autem vocabulum hypotheca partim pro ipſo contractu, quo jus ad ſolutionem ex re debitoris capiendam confertur, partim pro re ipſa, partim pro jure, ſeu obligatione ex contractu orta: & quamvis idem vocabulum paſſim pro pignore, & pignus pro hypotheca accipiatur, in rigore tamen differt hypotheca à pignore per hoc, quod juxta §. *Item ſerviana* *X. Inſtit. de Actionibus.* Hypotheca conſtituatur nuda conventione abſque traditione rei, pignus verò contineat traditionem illius, unde plerumque pignus eſt rerum mobilium, hypotheca rerum immobilium. Inſinuavi etiam pauló antè, hypothecam aliam eſſe ſpecialem, aliam generalem; ſpecialis eſt, quæ reſpicit certum, ac determinatum aliquod bonum debitoris, eique ita affigitur, ut ejuſdem alienatione non extinguatur hypotheca: generalis eſt, qua omnia bona debitoris, quatenus illius ſunt, oppignorantur Creditori, unde quando aliquid per alienationem ceſſat eſſe illius, hoc ipſo ceſſat etiam eſſe obligatum in hypothecam.

196 Advertendum præterea eſt, duplici modo bona poſſe in genere, vel in ſpecie hypothecari, nempè expreſsè, & tacitè: expreſſa hypotheca inſtituitur iterum dupliciter, ſcilicet conventione, ſeu partium conſenſu, & decreto judicis ſeu Magiſtratus immittentis in poſſeſſionem, ſeu occupationem rei, *juxta l. Non eſt mirum. ff. de Pigneratitia actione, vel contra*, vocaturque pignus prætorium, ſeu judicale, ut conſtat *ex lib. 1. & 2. C. de Prætorio pignore.* Tacita hypotheca diſpoſitione Legis abſque expreſſo conſenſu contrahitur: ſic omnia bona mariti, & fidejuſſoris, ſi quis datus eſt, ſunt hypothecata uxori pro dote, & debita ex contractu, vel ratione tributi fiſco, aut Principi ſimiliter ſunt hypotheca generali firmata, niſi debitor ſit Minorennis, cujus ſolùm res empta à Principe, vel fiſco obligatione hypothecæ gravatur: præter iſtas duas hypothecas tacitas adhuc tredecim aliæ referuntur à Leſſio *lib.* 2. *c.* 28. *dub.* 6. *à n.* 34. de quibus etiam videri poteſt Molina *diſp.* 536. & alii AA. paſſim.

Nunc probatur concluſio 1. *l. Eos, qui C. Qui potiores in pignore habeantur.* Probatur. 2. ratione, quia propterea dantur hypothecæ, ut debita magis aſſecurentur, quam ſi non eſſent hypothecata. Probatur 3. à pari: quia ſicut bona aliena, ut ſuprà dixi, ſunt priùs reſtituenda, & ſeparanda à propriis, ſic etiam bona hypothecata, quæ etiam aliquo modo ſunt aliena, & obligata hypothecario, ut adeoque iſte præferatur Creditori Chirographario, ſolam perſonam debitoris habenti obligatam. 197

Per privilegium tamen excipiendæ, & debitis realibus præferendæ ſunt expenſæ pro funere debitoris, vel ejus, quem debitor ſepelire debuiſſet, v. g. pro funere uxoris, filii, mancipii, juxta *l. Penult. ff. de Religioſis, & ſumptibus funerum*: item pro teſtamento, & inventario faciendo ex uſu & conſenſu DD. quia hæ expenſæ conducunt ad reſtitutionem: & teſte Laym. *lib.* 3. *tr.* 2. *c.* 11. *n.* 3. pro Medico, & medicinis, ut colligunt DD. ex *l. Vlt. §. In comparatione 9. C. de Iure deliberandi.* Imò idem Author ait, quibuſdam in locis præferri etiam mercedes operariorum ad neceſſarium uſum conductorum, quia hujuſmodi debita contrahuntur non in fraudem Creditorum, ſed ex neceſſitate, & ſine tali privilegio prælationis nemo hujuſmodi debitoribus ære alieno gravatis ſerviret. 198

§. III.

Ordo inter Creditores Hypothecarios, vel omnino non vel non utrinque privilegiatos.

S V M M A R I V M.

199 *Inter Creditores Hypothecarios præferendus eſt, qui antiquiorem habet hypothecam, niſi poſterior habeat privilegiatam.*

200 *Hinc Vxor, liberi, & hæredes neceſſarii præferuntur aliis in recipienda æſtimatione dotis aliis Creditoribus, non privilegiatis.*

201 *Probatur hoc privilegium debiti dotalis.*

202 *Idem ulteriùs confirmatur.*

203 *Referuntur alii privilegiati hypothecarii uſque ad num. 210.*

INter Creditores aſſecuratos hypotheca generali, vel ſpeciali, tacita, vel expreſſa (nullum enim quoad hoc eſt diſcrimen, vel prælationis prærogativa) præfertur antiquiorem habens hypothecam, niſi poſterior habeat privilegiatam, prior verò non privilegiatam. Ita ſtatuitur *l. 2. & ſeq. ff. & C. Qui potiores in pignore habeantur. & in Regula juris* 54. *in 6.* ubi prior tempore potior jure dicitur. Ratio ulterior eſt, quia res uni jam hypothecata non poteſt cum præjudicio illius hypothecari, alteri jam enim eſt obligata primo. 199

Dixi, niſi poſterior habeat hypothecam privilegiatam, & alter non. Per privilegium enim uxor, & liberi, ſeu hæredes neceſſarii præferuntur in recipienda æſtimatione dotis, atque etiam augmenti illius, quia dotis nomine comprehenditur, eique tanquam acceſſorium principali adhæret, ut expreſsè dicitur in *Novell.* 97. *cap.* 3.) non verò aliorum bonorum, v. g. paraphernalis, aut donatorum propter nuptias, omnibus Creditoribus, ſaltem non gaudentibus hypotheca privilegiata, aut 200

expreſsa. *l. Vn. §. & ut plenius C. de Rei uxoriæ actione*, & *§. Fuerat 30. Inſtit. de Actionibus. l. Aſſiduis C. Qui potiores*. Imò etiamſi aliorum Creditorum hypotheca ſit expreſſa, modò privilegiata non ſit, contra communiorem quidem, & in Regno Hiſpaniæ ſpeciali jure ſtatutam ſententiam, & contra *Gloſſam in cit. l. Aſſiduis*. adhuc idem aſſeritur à Panor. Barboſa, Jacobo Minſingero, Rebello, & aliis à Palao relatis *diſp. 1. pun. 18. §. 16. n. 5.* quorum ſententiam ſpectato jure communi fatetur *n. 6.* vero ſimiliorem, quam etiam relato Harprecht tenet P. Haun. *tr. 4. n. 44*.

201 Ratio eſt, quia *lex aſſiduis* univerſaliter ait, debitum pro dote omnibus Creditoribus anterioris temporis privilegio vallatis præferri; & licèt Adverſarii reſpondeant, dictam legem tanquam reſtrictivam juris communis in concluſione noſtra indicati, quantum fieri poteſt conſtringendam eſſe, ut quia expreſſam hypothecam habentium nullam fecit mentionem, & quia hi non tam ex privilegio Legis, quàm jure naturali anterioribus hypothecariis præcedunt, quod non tam facilè, quàm Legis privilegium immutatur, ſolùm de habentibus tacitam intelligatur: inconſequenter tamen, & contra naturam univerſalis locutionis videtur dari hæc Reſponſio. Nam ſive finis Legis ſpectetur, qui eſt contra anteriores hypothecarios aſſecurare dotem uxoris, hanc, & corpus ſuum Marito concedentis, ſive vis ſignificativa privilegii, quod etiam in ſenſu juris naturalis commodè accipi poteſt, lex videtur dictam reſtrictionem non admittere, & ipſi Adverſarii non cum ſimili reſtrictione explicant *l. Penult. ff. de Religioſis, & ſumptibus funerum*, ubi etiam nulla facta ſpeciali mentione Creditorum hypothecario jure gaudentium, verba univerſaliter jus prælationis expenſis funeralibus concedentia extenduntur non ſolùm ad debita perſonalia, ad quæ ab aliquibus tantùm contra communiſſimam interpretationem reſtringuntur apud Palao *d. c. §. 15. nu. 2.* ſed etiam ad realia, imò etiam ad privilegiata, propter ſpecialem cauſæ pietatem, & neceſſitatem, ad quę tamen privilegium dotis, inquit *Palao §. 16. nu. 4.* cum Gutier. Barboſa, Rebello ſatis probabile eſt, extendendum non eſſe, quia univerſalitas privilegii ſatis explicatur per extenſionem ad eos, qui nullam ſpecialem poſſunt prętendere exceptionem, ſicut tamen poſſunt privilegio exceptionis ſimiliter donati.

202 Præterea videtur dicta Reſponſio excludi in eadem *l. Aſſiduis §. Cum enim*, ubi res dotalis abſumptæ æquiparatur extantibus, adeoque etiam univerſaliter præferendis, niſi prædicta æquiparatio ſpeciali aliorum hypothecariorum privilegio limitetur, & *in Novella 97. cap. 3.* ubi privilegium dotis æquiparatur privilegio Creditoris, cujus pecunia res hypothecata refecta eſt, vi cujus aliis antiquioribus hypothecariis etiam expreſſis, & non privilegiatis præferretur, privilegio uxoris tamen ibidem poſtponitur, quando poſterior eſt, ex quo ulteriùs ſic licet argumentari: ſi vinco vincentem te, vinco te in eo jure, in quo, & in quantum te aliter vincit: ut expreſsè dicitur in *l. de Acceſſionibus 14. ff. de Diverſis temporalibus præſcriptionibus*. quæ lex, & Regula immeritò dicitur *in Gl. l. Aſſiduis* plerumque fallere. Si enim alter debet potiùs accipere, quàm tu, non potes ut accipere, & ſi etiam ego debeo potiùs accipere, quàm alter, iſte non poteſt accipere. Subſumo, ſed antiquior hypotheca pro dote vincit hypothecam poſteriorem pro refectione rei hypothecatæ, vincentem (ſive tacita ſit, ratione Legis concedentis privilegium, ſive expreſſa, ratione conventionis conſtituentis hypothecam) aliàs hypothecas tam expreſſas, quàm tacitas, ipſa etiam hypotheca dotis antiquioris, ergo hypotheca dotis etiam vincit iſtas Proinde in eo tantùm caſu, in quo alter te non vincit, v. g. habentem hypothecam privilegiatam antiquiorem, non poſſum ego te vincere, etiamſi vincam illum, qui te victurus fuiſſet, ſi habuiſſes hypothecam poſteriorem.

Unde ſaltem abſtrahendo à conſvetudine contraria, ſi qua alicubi viget, probabilius eſt, hypothecam dotalem uxori, & hæredibus illius neceſſariis ex legum diſpoſitione cum privilegio conceſſam (hæredibus extraneis verò conceſſa eſt ſine tali privilegio) conferre prælationi jus contra reliquos hypothecarios etiam expreſſos, attamen non privilegiatos, etiamſi ipſa expreſſa non ſit; nam expreſſio nihil Juris ſperadderet, nec liceret ſine conſtitutione legum ſic inferre: tacita hypotheca dotis præfertur aliis tacitis, ergo expreſſa expreſſis: ut contra Angelum, & Aretinum rectè alii communiter obſervant. Neque obſtat argumentum cit. Gloſſæ *in l. Aſſiduis* ubi ſic ratiocinatur. Fiſcus, & mulier æquis paſſibus ambulant, ſed privatus, qui primò de pignore convenit, præfertur fiſco, ergo, & mulieri. Sed hujus paritatis inefficaciam agnoſcit ipſa Gloſſa, quia nimium probaret, eò quòd fiſcus neque præferatur tacitam hypothecam antiquiorem habenti: Reſp. Itaque diſt. Majorem cum ipſa gl. æquis paſſibus ambulant in aliquibus, concedo majorem, in omnibus, nego majorem: hypotheca fiſci enim non eſt univerſaliter privilegiata, mulieris verò eſt univerſaliter privilegiata.

Secundò: privilegiata etiam eſt hypotheca fiſci com- 203
paratione eorum bonorum, pro quibus illa conceditur, ſi poſt contractum cum fiſco initum primùm fuerint acquiſita *l. Si qui 28. ff. de Jure fiſci*. cui privilegio multi æquiparant privilegium uxoris, ut etiamſi in bonis, quæ maritus habuit, ante dotem receptam tantùm præferatur tacitis hypothecis, in bonis tamen poſteà acquiſitis præferatur etiam expreſſis. Multi tamen idem negant, ut videre eſt apud Pal §. 16. n. 8. & 9.

Tertiò: privilegio prælationis gaudet dans mutuum 204
ad extructionem, vel emptionem alicujus rei, ſi eam ſibi in hypothecam ſit pactus *l. Licet C. Qui potiores in pign.* Idem privilegium Baldus, Sylv. Navarr. Leſſius apud Palao §. 4. n. 4. tribuunt venditori ad creditum vendenti præſtita fide ſolvendi, cui putant rem venditam tacitè oppignorari, quod ob defectum Legis quidquam in hac parte ſtatuentis probabilius negat Pal. ſecutus Mol. *diſp. 536.* Covar. Matienz, Laym. Petrum Navar. imò etiamſi venditor rem ſuam ſibi in hypothecam expreſsè fuiſſet pactus, nihilominus negat contra Covarr. & Matienz talem hypotecam privilegiatam fore, eò quòd lex *Licet cit.* tantùm loquatur de mutuante ad emptionem.

Quartò: dans mutuum ad conſervationem, vel re- 205
ſtaurationem rei alteri generaliter, aut ſpecialiter hypothecatę. *l. Interdum ff. Qui potiores in pignore. l. Hujus ff. eodem*.

Quintò: Pupillus, ſeu impubes per ſuum tutorem 206
dans mutuum ad emptionem prędii, etiamſi iſtud non paciſcatur ſibi in hypothecam, conceditur enim ipſi in tacitam, & privilegiatam. *l. Idemque ff. Qui potiores in pignore*.

Sextò: dans mutuum pro cauſa militię, v. g. pro ſol- 207
vendo milite, & inſtrumento teſtibus ſubſcripto paciſcens ſibi hypothecam. *Novell. 97. cap. 4.* ubi etiam privilegio dotis anteponitur.

Septimò: propter prę́ſumptionem fraudis conſtitutio 208
hypothecę publico inſtrumento, nimirum coram Judice, & publico Notario facta pręfertur in foro externo factę inſtrumento privato, aut ſine omni inſtrumento, niſi pars habens inſtrumentum pub. fateatur alteram habere hypothecam antiquiorem, vel niſi ipſa hoc ſufficienter probaverit v. g. ſi privatum inſtrumentum trium teſtium maſculorum ſubſcriptione firmatum, & ab illis recognitum exhiberet, quod publico ęquivaleret *l. Scripturas C. Qui potiores in pignore habeantur*: vel ſi ſaltem duorum, aut trium fide dignorum teſtium depoſitione fidem fecerit, quam ſufficientem probationem fore exiſtimat Palao *loc. cit. num. 27*.

Octavo: reſpectu hypothecę adiectę contractui gra- 209
tuito inſtar privilegiatarum ſunt omnes alię oneroſo contractui appoſitę, quia debita ex contractu oneroſo pręferuntur debitis gratuitis.

§. IV.

Ordo inter Creditores utrinque privilegiatos.

S U M M A R I U M.

210 *Inter hypothecarios utrinque privilegiatos præferendus eſt antiquior.*

211 *Hinc habens antiquiorem hypothecam dotis præferendus eſt habenti hypothecam mutui dati ad conſervationem ipſius rei hypothecatæ.*

212 Et

212 *Et privilegium dotis ex prima Vxore præferendum eſt privilegio dotis ex poſteriore Vxore. Venditor tamen poteſt rem ad creditum venditam ſibi hypothecare, ut reſervet ſibi jus regreſſus ad illam ante omnes hypothecarios.*

210 INter Hypothecarios privilegiatos ille potior eſt Jure, qui prior eſt tempore in conſtitutione hypothecæ, niſi alius expreſſum etiam reſpectu cęterorum prælationis privilegium acceperit, quale Jura concedunt mutuanti ad militiam, ut ſuprà diximus, vel ad emptionem juxta tertium privilegium prædictum, *ut l. Licèt citata* habetur, vel niſi Jure naturali alteri prælationis prærogativa quæſita ſit: ut poſteà declarabo. Nunc probatur Concluſio. Quando hypothecariis privilegiatis conceditur univerſale Jus prælationis reſpectu omnium aliorum Creditorum, id tantùm poteſt intelligi de aliis Creditoribus non habentibus ſimilem univerſalem conceſſionem, quia aliàs concederetur prælatio mutua, quæ involvit contradictionem, vel non eſſet ratio, cur unus potiùs præferretur alteri, cùm utrique univerſalibus verbis datum ſit privilegium prælationis, ergo hypothecarii privilegiati ad ſe invicem habent ſe ſicut non privilegiati ergo idem, quod de iſtis diximus, de illis intelligendum eſt.

211 Unde infero 1. uti etiam in *Novella 97. cap. 3.* clarè expreſſum habetur, ſi hypotheca dotis ſit antiquior hypotheca dantis mutuum ad emptionem, vel reſectionem, aut conſervationem hypothecæ, illam huic præferendam eſſe, ut etiam notat Gl. Accurſii *in cit. Novell.* cum aliis communiter contra Baldum, & Covar. ſic diſcurrentes: hypotheca mutui vincit quamcunque hypothecam expreſſam non privilegiatam, & quæcunque hypotheca expreſſa vincit hypothecam tacitam dotis, ergo hypotheca mutui vincit hypothecam dotis: quibus Reſp. diſtinguendo ſecundum membrum antec. quæcunque hypotheca expreſſa vincit hypothecam tacitam dotis juniorem, tranſeat juxta communem ſententiam ſuprà impugnatam, antiquiorem, nego antecedens: ergo hypotheca mutui vincit hypothecam tacitam dotis juniorem, concedo conſequentiam, antiquiorem, nego conſequentiam.

212 Infero 2. In concurſu duarum hypothecarum dotalium prioris uxoris hypothecam eſſe præhabendam, ut ſtatuitur expreſsè in *l. Aſſiduis C. Qui potiores in pignore*, niſi poſterioris dos in ſpecie adhuc extaret, tunc enim ad poſteriorem rediret, etiamſi eſſet æſtimata æſtimatione faciente venditionem *l. In rebus* 30. *C. de Jure dotium*.

Dixi in Concluſione: Niſi Jure naturali alteri prælatio ſit quæſita. Nam rectè notavit Lugo *diſp.* 20. *num.* 102. P. Haunold. *tom.* 1. *tr.* 2. *n.* 421. Palao *pun.* 18. §. 17. *n.* 6. plures referens contra Vaſquez *tr. de Pignoribus, & hypothecis cap.* 5. §. 3. *num.* 4. Venditorem rei ſuę paciſcentem ſibi illam in hypothecam, ut omnibus aliis Creditoribus pręferatur, etiam antiquioribus Creditoribus privilegiatis anteponendum eſſe. Quia quilibet venditor Jure naturæ poteſt rem ſuam vendere ſub conditione regreſsus ad illam: ſicut teſtator poteſt legare rem ſuam in fideicommiſſum, ut poſt mortem fideicommiſſarii hujus Creditores nihil Juris in illam habeant, ſed alius, quem teſtator ſubſtituit: ergo etiam poteſt vendere rem ſub conditione eam recipiendi, ſi emptor aliquando pretium perſolvere nequiret: neque in hac alienatione conditionata rei ſuæ ullus alteri infert damnum, aut præjudicium.

§. V.

Ordo inter Creditores non hypothecarios, ſed tamen privilegiatos.

S V M M A R I V M.

213 *Eſt ſummatum in titulo.*

213 POſt Creditores hypothecarios reſtitutio facienda eſt chirographariis privilegiatis, quorum primi ſunt pecunias, & ut aliqui volunt, quaſcunque res apud depoſitarios publica authoritate conſtitutos abſque receptis uſuris deponentes *l. Si v[...] §. In bon[i]s ff. de Privilegiis Creditorum*: & *l. Si hominem §. Quoties ff. Depoſiti.* quod privilegium intelligendum eſt de depoſito abſumpto, nam ſi adhuc extet, non opus eſt privilegio, ut etiam Creditoribus hypothecariis præferatur. His non ſecundum prioritatem temporis, ſed cauſæ, ſiqua forſan juris diſpoſitione prior ſeu potior habetur, ut colligitur ex *l. Idem privilegium ff. de Privilegiis Creditorum* ſuccedunt alii privilegiati, nempè Reſpublica creditrix *l. Bonis venditis ff. eodem*. Pupillus adverſus debitorem ex officio amicitiæ ejus negotia gerentem *lib. Si negotium ff. Eodem*. Sponſa repetens æſtimationem dotis abſumptæ non ſecuto matrimonio (nam ſi matrimonium fuiſſet ſecutum, bona mariti etiam fuiſſent ipſi hypothecata) *l. Quæſitum ff. Eodem*: ubi etiam, ut ſuprà dictum eſt, debita funeralia reliquis omnibus anteponuntur. Mutuatarius ratione mutui dati in ſolutionem Creditoris perſonalis privilegiati, *l. Si ventri §. ult.*

§. VI.

Ordo inter Creditores, nec hypothecarios, nec privilegiatos.

S V M M A R I V M.

214 *Inter Creditores, nec habentes hypothecham, nec privilegium, non datur Ius prælationis ratione tituli, ſive is fundetur in contractu, ſive in delicto debitoris.*

215 *Neque antiquior creditor præferendus eſt recentiori; prout tamen in hypothecariis contingit.*

216 *Neque indigentior Creditor, niſi in extrema, vel quaſi extrema neceſſitate verſetur, præferendus eſt ditiori.*

217 *Præferendi tamen ſunt Creditores, vendentes neceſſaria ad conſervationem vitæ, & ſtatus: & vendentes tales res, quæ non reddunt emptorem minus habilem ad ſatisfaciendum ex iis cæteris Creditoribus.*

CReditoribus non privilegiatis, vel privilegiatis 214
ex eadem cauſa nullum conceditur privilegium prælationis, nec ratione tituli diverſi, quòd uni ex contractu oneroſo, alteri ex delicto Creditoris reſtitutio debeatur, nec ratione temporis, nec ratione indigentiæ non extremæ, vel valde gravis. Ita quoad primam partem Sylv. Angelus, Aragon. Vaſq. Petrus Navarr. Mol. Leſſ. Laym. Tan. Lugo, Palao, P. Haunoldus contra S. Thom. *Opuſc.* 73. *cap.* 18. S. Antonin. *p.* 2. *tit.* 2. *cap.* 7. §. 1. & 2. Rebell. *p.* 1. *lib.* 2. *q.* 19. *n.* 8 præferentes creditorem ex delicto debitoris, & contra Cajet. Armillam, Navarrum, Creditores ex contractu anteponentes. Ratio aſſertionis noſtræ eſt. Primò à priori, quia nec ex jure naturali, nec ex jure poſitivo oſtendi poteſt jus prælationis, ſive quoad debitum ex delicto, ſive quoad debitum ex contractu oneroſo; ex gratuito quidem debitum rectè & juxta *l.* 19. §. *Is quoque ff. de Re judicata* à DD. dicitur ultimo loco eſſe ſolvendum, quia potiùs cavendum eſſe damnum, quàm lucrum procurandum æquitas naturalis dictat. Secundò à poſteriori, quia hæc eſt tribunalium praxis. Tertiò ex ſolutione argumentorum contrariorum; prioribus enim Adverſariis, qui obligationem reparandi injuriam, & damnum potiorem exiſtimant obligatione ſolùm damnum impediendi, præſertim, quia hujus periculo, ut inquit Rebellus, voluntariè Creditor ſe expoſuit. Reſp. Illam potiorem obligationem gratis ſupponi, quia injuria tolerata à debitore non tribuit aliquod jus adverſus tertium, qui nullam injuriam intulit (aliàs etiam graviorem injuriam paſſus deberet præferri paſſo minorem) & Creditor ex contractu tam meritò eſt invitus, ne damnum patiatur, quàm Creditor ex injuria, non enim conſenſit in damnum, licèt aliquo modo conſenſerit in periculum damni, imò neque in periculum illud conſenſit, quod ex prælatione injuriam paſſi ſibi oriretur.

Poſterioribus Adverſariis putantibus Creditorem excon-

ex contractu eſſe præferendum propter accedentem titulum gratitudinis. Reſp. Illum ſæpe nullum beneficium contuliſſe, eò quòd contrahendo magis ſuum lucrum, aut commodum quæſiverit, vel ſi contulit beneficium, tamen gratitudinem non debere cedere in præjudicium tertii, nempe Creditoris ex delicto alieno.

215 Quoad ſecundam partem Concluſionis conſentiunt communiùs DD. nominatim S. Anton. Baldus, Sylv. Navar. Reginal. Azor. Mol. Leſſ. Laymann, Vaſq. Palao contra Gab. Joannem, & Bartholomæum Medinam, Valentiam, Em. Saa, Toletum, Rebellum, Lugo, qui *n.* 146. præter prædictos citat etiam S. Thom. & valde probabiles pro ſe rationes affert. Ratio autem noſtra eſt, quia regula juris 54. *de Regula juris in 6.* quòd prior tempore ſit potior jure, neque ex intentione ferentis illam legem, aut declarantis obligationem naturalem, neque ex rationis paritate ad Creditores perſonales extenditur, nam Creditor hypothecarius propter temporis prioritatem ideo præfertur, quia acquiſivit quaſi aliquod jus prioritatis in ipſam rem, cui poſterior Creditor præjudicare non poteſt, ſed Creditor perſonalis ſolùm habet actionem in perſonam debitoris, qui ſæpius obligari poteſt etiam cum præjudicio prioris Creditoris, ut habetur expreſsè in *l.* 1. §. 2. *ff. de Separationib.* hæc ſtatuente: licèt alicui adiiciendo ſibi Creditorem, Creditoris ſui facere deteriorem conditionem; & quamvis per emptionem, vel ſponſalia etiam tantùm acquiratur jus in perſonam venditoris, vel ſponſi, & interea jus ac dominium rei maneat penes venditorem, uſquedum eam præſtita ſolutione, vel fide tradat: nihilominus eſt diſpar ratio emptoris, vel ſponſi cum Creditore, quia res empta in ſe quoad ſpeciem, vel individuum determinatè debita eſt, ita ut ſi caſu, vel fortuitò pereat, non venditori, ſed emptori pereat: & ſic etiam determinatè debetur corpus ſponſi in ordine ad futurum conjugium, ut adeo meritò præferendus ſit primus emptor, vel prima ſponſa, quando nondum eſt facta traditio 2. emptori, vel poſteriori ſponſæ, non autem ſimili modo jus Creditoris pretio eſt affixum.

216 Quoad tertiam partem, cujus oppoſitum propter authoritatem S. Thomæ *l. c.* Molinæ *d.* 536. *in fine*, Rebelli, Layman. Medinæ, Em. Saa, valde probabile eſt, aſſentiuntur nobis Vaſq. Leſſ. Palao, Lugo, & alii. Ratio eſt, quia indigentia non extrema, vel valde gravis nec ex naturali æquitate, nec ex Lege poſitiva tribuit jus prælationis, & ditior Creditor eſt adhuc rationabiliter invitus, ſi poſtponatur, ergo debitor potiùs obligatur, ut ſatisfaciat obligationi juſtitiæ, ne totum debitum ſolvendo indigentiori, alterum Creditorem privet portione ſui debiti, quàm ut actum miſericordiç, vel charitatis exerceat. Si tamen uni Creditori receptio totius debiti foret neceſſaria ad extremam neceſſitatem propulſandam, tunc ſicut iſta tribueret ipſi jus naturale ad rem alienam auferendam, ſic multò magis tribuet ipſi jus ad totum debitum ſuum recipiendum, ne alienum auferre debeat; ſic enim alteri Creditori habenti actionem tantùm perſonalem non tollit rem ſuam, ſed tantùm impedit, quò minùs ex alieno recipiat ſuum, & ſuſpendit obligationem debitoris perſonalis, etiamſi per accidens iſte nunquam ampliùs poſſit alteri Creditori ſolvere debitum: hac autem ſuſpenſione ſuppoſita debitor non tantùm ex miſericordiæ, ſed etiam ex juſtitia tenetur, ut rectè obſervat Lugo *nu.* 164. reſtituere totum debitum, quia à differenda ſolutione nec impeditur, nec excuſatur.

217 Sicut tamen à concluſione ſecundi §. ſi multò magis ab hac concluſione rectè excipit Layman. *citato libr.* 3. *tr.* 2. *cap.* 11. *num.* 7. Creditores, vendentes debitori neceſſaria ad ſuam, & ſuorum ſuſtentationem ſtatui congruentem, vel locantes operam, ut ſervos, operarios &c. Quia debitor ad hæc ſibi comparanda habet jus etiam cum præjudicio aliorum Creditorum, & niſi præbentes hæc ſubſidia neceſſaria licitè illis præferrentur, hoc ipſo non præberent. Præterea rectè cum communi ſenſu DD. etiam excipit citatus A. vendentes hujuſmodi res, quarum emptione debitor non magis redditur impotens ad ſolvendum, quia tunc Creditores poſſunt recipere reſtitutionem debiti ex re empta vel meliorata, v. g. domo, prædio &c. Quòd ſi tamen res æqualis quidem eſſent æſtimationis, ſed ex iis prævideretur reddendus impotens ad ſatiſfaciendum Creditoribus, v. g. ſi eſſent eſculenta, & poculenta non neceſſaria ad convenientē ſuſtentationē, ſed ad luxum, tunc tales non tantùm excipiendi non eſſent, ſed ſecluſa gravi cauſa excuſante peccarent propter proximam cooperationem ad damnum Creditorum, non minùs, quàm vendentes gladium, aut venenum cum præviſione intenti ab emptoribus homicidii, ut allegans communem ſententiam teſtatur Lugo *n.* 111.

§. VII.

Obligatio Debitoris quando nullus ſtatutus eſt ordo.

SUMMARIUM.

218 *Quando plures Creditores æquale Ius, & nullus eorum Ius prælationis habet, debitor cuique ſolvere debet partem proportionalem, quam ſolvere poteſt.*

219 *Si tamen alii Creditores neglexiſſent petere ſolutionem debiti, poſſet, & deberet petenti totum debitum, etiam integrum ſolvere.*

220 *Ultro vero oblatum totum debitum, etiamſi offerens peccet, poteſt Creditor acceptare.*

Quando debitor omnibus Creditoribus nullum jus prælationis habentibus ſolvendo non eſt, illicitum eſt uni ſolvere totum debitum cum præjudicio aliorum, ſed debet ſecundùm partes proportionales ſingulis ſatiſfacere, ita ut cui plus debetur, major etiam pars perſolvatur, niſi aliquis debitum repetiverit aliis repetitionem ſui debiti negligentibus, tum enim illi totum debitum licitè ſolvit, imò teſte Leſſio tenetur, quamdiu nec bonis ſuis ceſſit, nec hæc judicis auctoritate ſunt ſequeſtrata, nec quiſpiam Creditorum in eorum poſſeſſionem juxta *l. Fin. C. de Bonis auctoritate judicis poſſidendis* eſt immiſſus, ut elapſo biennio, quando cęteri Creditores fuerint præſentes intra provinciam, vel elapſo quadriennio, quando fuerint abſentes ipſi poſſeſſori, & cęteris Creditoribus, quorum nomine etiam in poſſeſſionem, ſi hæc univerſalis ſit omnium bonorum, miſſus eſſe cenſetur, ſecundùm quantitatem debiti. & vires bonorum ſatisfaciat, & ſi quid reliquum fuerit, debitori reddatur, aut ſi non comparuerit; in loco ſecuro uſque ad illius, vel aliorum Creditorum adventum deponatur. 1. Pars deducitur ex præcedenti concluſione ab ejuſdem Auctoribus: ſi enim nullus Creditorum jus prælationis habet, æquitas naturalis exigit, ut debitor omnibus ſatisfaciat modo meliori, quo poteſt, ſed optimus, & Creditoribus optabiliſſimus modus eſt, ſi debita proportionaliter ſolvantur, & ſi majorem partem recipiat ille, qui majorem etiam debet perdere, ergo &c. 218

Ratio ſecundæ partis eſt, quia propter diligentiam, & vigilantiam Creditorum Leges in favorem vigilantium ſcriptæ jus prælationis illis concedunt, ut habetur *l. Quod autem* §. *ſciendum*, & *l. Pupillus ff. Quæ in fraudem Creditorum*: quæ quia juſtæ ſunt, non tantùm in foro externo, ſed etiam interno vim habent, ut teſtatur Sylv. Navar. Laym. *n.* 7. ac propendet etiam Mol. *d.* 536. contra Palao, & Vaſq. 219

Imò Laymann ad finem *n.* 6. aſſerit, quòd licèt debitor injuriam faciat cęteris Creditoribus. ſolvendo totum debitum non petenti, is tamen illud licitè accipere, ac retinere poſſit, quia ſuum recipit, & ad injuriam, quam alter contra obligationem ſuam perſonalem infert, tantùm paſſivè, ſeu permiſſivè concurrit: quod multò magis aſſeritur à Mol. *diſp.* 328. & 330. & Leſſ. *num.* 168. citante Petrum Navarram, qui etiam concedunt, quocunque titulo ſive lucrativo, ſive oneroſo rem in fraudem Creditorum ultrò, & ſine incitatione ad injuriam datam in foro conſcientiæ licitè acceptari, ac retineri, eò quòd non ipſa res, ut ſupponitur, ſed ſola perſona dantis Creditoribus ſit obligata, adeoque accipiens rem facere poſſit ſuam ex præſuppoſitione injuriæ non procuratæ, ſed à ſolo dante commiſſæ, ſicut ex neceſſitate accipiens mutuum ſub uſuris, id li- 220

id llicitè ſuum efficit, non obſtante delicto dantis ſub uſura.

ARTICULUS III.

Quo loco Reſtitutio facienda ſit & cujus expenſis res ad Creditorem deferatur.

SUMMARIUM.

221 *Iniuſtus poſſeſſor, vel debitor ſuis expenſis, niſi juſto majores facienda eſſent, eo in loco rem debitam reſtituere debet, ubi Dominus illius eam habiturus fuiſſet.*

222 *Quanam expenſæ forent juſto majores, ut debitor eas facere non teneatur.*

223 *Indigentia debitoris poteſt excuſare, ne tantas teneatur facere expenſas.*

224 *Reſtitutio titulo rei acceptæ in loco, in quo Dominus voluerit, ejus expenſis facienda eſt.*

225 *Res debita ex contractu gratuito, vel ex teſtamento reſtituenda eſt in eo loco, ubi ea exiſtit, quando ea abſolutè incipit eſſe debita, unde ſi in alium locum eſt transferenda, Domini expenſis id fiet.*

226 *Res debita ex contractu non alienativo dominii, e.g ex Commodato, vel Depoſito reſtitui debet in loco, ex quo tranſivit in utilitatem accipientis, vel in quem tranſiit in utilitatem dantis.*

227 *Res debita ex contractu utrinque oneroſo ordinariè reſtitui debet, ubi alia æquivalens eſt accepta.*

228 *Unde non rectè ſine dicto diſcrimine contractuum univerſaliter dicitur, rem ibi reſtituendam eſſe, ubi debitor inter contrahendum credebatur tempore ſolutionis habiturus domicilium: neque ubi actu habebit.*

229 *Quod ſi tamen de loco expreſsè, vel tacitè fuiſſet conventum, res ibi reſtituenda eſſet.*

230 *Ubi Cenſus realis aut perſonalis, aut penſio ex Beneficio perſolvenda ſit. Item ubi debitor conveniri, vel citari poſſit.*

221 DIco primò. Si res eſt reſtituenda titulo injuſtæ acceptionis illam ordinariè in loco, ubi dominus eam fuiſſet poſſeſſurus, vel in ſpecie, vel ſi ſine notabiliter majori ſumptu, aut incommodo transferri non poſſet, in æquivalenti, reſtitui debere expenſis debitoris, niſi iſtæ tantæ eſſent, ut Creditor non poſſet rationabiliter exigere reſtitutionem ſibi immediatè faciendam, à quibus expenſis etiam illæ deduci poſſunt, quas dominus fuiſſet facturus, ſi debitoris delictum non extitiſſet, etiamſi debitor ex ſpeciali induſtria minores fecerit. Ita ferè omnes DD. contra Palud. S. Antonium, Abbatem, à Lugo *tom.* 1. *de Iuſtitia diſp.*20. *num.*180. relatos, & aſſerentes, ſi non lædens, ſed læſus à loco, quem priùs iſte occupaverat, longiùs receſſiſſet, per illud vitæ ſpatium ipſius læſi impenſis rem ſuam eidem tranſmittendam eſſe contra quos Probatur concluſio communis. Quicumque intulit injuſtè alteri damnum, debet illum reponere in eo ſtatu, in in quo fuiſſet conſtitutus, ſi damnum ei nullum fuiſſet injuſtè illatum, ſed in hoc ſtatu illum ordinariè reponere non poteſt, niſi reſtituat ei rem in eo loco, ubi ipſam ſecluſa illatione injuriæ fuiſſet poſſeſſurus, & ſolvat exceſſum expenſarum in rei avectionem independenter ab injuria faciendarum, ergo &c.

222 Dixi ex communi ſententia contra Cajet. Navar. Armillam, Joannem Medinam, Covar. Vaſq. citatos à Lugo *n.* 184. & contra Tambur. *lib.* 8. *in Decal. tr.* 4. *c.* 1. §. 8. *num* 4. exiſtimantes in rigore juſtitiæ nullas expenſas fore nimias: niſi iſtæ tantæ eſſent, ut Creditor non poſſet rationabiliter exigere reſtitutionem ſibi immediatè faciendam: ſi enim tantæ eſſent, & ſi neque commodior occaſio expectari poſſet (ad quam moram trahendam, cujus damnum etiam compenſandum eſſet, ſufficeret minor exceſſus expenſarum, quàm ad ipſam reſtitutionem immediatam omnino omittendam) res debita, conſanguineis Creditoris, ſi fieri poſſet, & eum ita velle probabiliter, v. g. propter eorum paupertatem crederetur, vel piæ cauſæ tradi deberet: tunc autem expenſæ videntur fore tantæ, quando, vel culpa injuriæ fuit tantùm venialis, & expenſæ adæquarent quantitatem ſufficientem ad mortale, vel quando damnum debitoris valori rei reſtituendæ accedens comparatione illius eſſet notabiliter majus, quàm foret damnum Creditoris etiam comparativè ad illius opulentiam, vel indigentiam ſpectatum, quod ſuſtineret immediatè ex carentia rei ſuæ, vel etiam mediatè ratione lucri ceſſantis, damni emergentis &c. Ita Lugo *n.* 190. rectè in primis expendens in præcedentibus numeris, ſi vel Creditor, vel debitor injuſtus ęquale damnum ſubire cogeretur, v. g ſi vel Creditor deberet carere ſuis 00. vel debitor æquè dives præter ſolutionem 100. alienorum, de ſuis impendere deberet alios 100. ęquius eſſe, ut hoc damnum patiatur debitor nocens, quàm Creditor innocens: niſi (ut ego quidē excipiendum puto juxta dicenda de cauſis excuſantibus à reſtitutione) ratione extremæ, vel valde gravis neceſſitatis debitor in iis circumſtantiis eſſet poſitus, ut ex propriis bonis, quæ actu poſſidet, potiùs liceret ſuccurrere propriæ indigentiæ, quàm alienæ, cujus per illatam injuriam non fuit cauſa.

223 Præterea etiam citatus Author, & P. Haunoldus *nu.* 390. prudenter obſervant, quòd damnum debitoris ſolvendo debito undecunque, ſive ex lucro ceſſante, ſive ex damno emergente, ſive ex itineris impenſis accedens, aut viciſſim ex jactura debiti Creditori immediatè, vel etiam mediatè eveniens æſtimare oporteat ex æquali, vel inæquali indigentia Creditoris, ac debitoris: cùm propter illam contingere poſſit, ut debitor pauper difficiliùs ferat damnum 50. quàm Creditor locuples damnum ſuorum 100. florenorum, & viciſſim debitor locuples præter quantitatem debiti faciliùs æquè magnum, vel duplo, aut triplo majus damnum ſubeat, quàm Creditor pauper: quo in caſu debitor pauper excuſaretur à reſtitutione Creditori immediatè facienda propter accedens damnum 50. florenorum, & non excuſaretur debitor locuples propter ſuperveniens damnum 200. vel 300. florenorum. Unde non rectè aliqui cum Sylv. & Palao *diſp.* 1. *pu.* 17. §. 2. *n.* 4. abſolutè debitorem à reſtitutione immediata excuſant, quando ſupra valorem debiti æquales, vel ut alii cum Mol. volunt, longè majores expenſæ faciendæ eſſent.

224 Dico 2. Quando reſtitutio præcisè titulo rei acceptæ facienda eſt, quia, v. g. eam inveniſti, vel redemiſti à fure, vel priùs neſciviſti eſſe alienam, tunc illa omnium confeſſione in loco domini, vel ubi maluerit, ejuſdem impenſis facienda eſt (niſi eę valorem rei ferè, aut omnino æquarent; tunc enim conſultiſſimum eſſet, ut voluntas domini per litteras intelligeretur, vel iterum conſanguineis, aut pauperibus juxta voluntatem domini præſumptam erit tradenda ſecundùm communem ſententiam, ſecundùm minùs verò communem, ſed probabilem, juſtus poſſeſſor eam ſibi poterit retinere, quando nec domino immediatè, nec hæredibus reddi poteſt) Ratio eſt, quia obligatus reſtituere rem alienam duntaxat titulo rei acceptæ, ſolùm tenetur curare, ut res ad dominum perveniat, & ut eam ſine damno conſervet; pro hoc beneficio autem æquum non eſt, ut cogatur abſque ſua culpa, & abſque contractu ullum damnum ſubire, ergo domini expenſis reſtitutio facienda eſt in proprio ejus, vel ab ipſo conſtituto loco.

225 Dico 3. cum Leſſi. *lib.* 2. *c.* 15. *dub.* 8. Vaſq. *cap.* 10. *de Reſtitutione n.* 58. Lug. *d.* 20. *n.* 197. & aliis in reſtitutione rei præſtanda ex contractu, triplicis generis contractus eſſe diſtinguendos. Vel enim reſtituenda, ſeu potiùs ſolvenda eſt res, quam quis nec in ſpecie, nec in aliquo æquivalenti accepit ab alio, ſed quæ ſit debita ſolùm ex contractu gratuito, ſcilicet donatione liberali, aut ex diſpoſitione ultimæ voluntatis defuncti, quæ hic contractui gratuito æquiparatur; vel reſtituenda eſt res, quam quis in ſpecie, ſeu potiùs numero accepit ab alio retinente ſibi proprietatem illius: vel denique reſtituenda eſt res, quàm quis in æquivalenti accepit ab altero, v. g. teneris reddere pretium, quia antea accepiſti mercem. Res primi generis, niſi alia fuerit mens, jus rei ſuæ gratis in alterum transferentis, communiter tradenda eſt in loco, ubi exiſtit ipſa, quando abſolutè incipit eſſe debita ejus traditio, quia qui gratis concedit alicui rem ſuam,

non

non propterea ſe obligat ad faciendos ſumptus in transvectionem rei, ergo in eo loco tradenda eſt, ubi exiſtit, quando abſolutè incipit eſſe debita ejus reſtitutio, proinde ſi aliò transferenda eſt, accipientis expenſis id fieri debet. Hinc quando ſub conditione, vel incertum diem quidquam fuit promiſſum, id reddendum eſt in eo loco, in quo exiſtit impleta conditione, vel die conſtituto: & legatum præſtandum eſt in eo loco, quem obtinet, non quando legatur, ſed quando moritur teſtator, quia poſt mortem illius incipit eſſe debita ultimæ voluntatis executio.

226 Res ſecundi generis, niſi aliter fuerit conventum, communiter reſtitui debet in loco, ex quo tranſit in utilitatem accipientis, vel in quem tranſit ad utilitatem dantis: hinc ſi in alterius utilitatem commodans rem ſuam ex priori loco longiùs abiret, vel ſi depoſitarius rem alienam in alterius utilitatem ſibi commiſſam ex loco depoſitionis longiùs transferret, uterque ſibi imputare deberet, quòd ille ſuis expenſis rem ex loco, in quo commodata, & reſtituta eſt, ad ſe advehere, iſte verò in locum depoſitionis tranſmittere cogeretur, etiamſi neuter ſuam, ſed alterius utilitatem procuraſſet: niſi in prædicto caſu commodatio cauſa fuerit, ut deinde majori ſumptu, aut damno res avehenda eſſet, quàm quando commodans rem ſuam ſecum aſportaſſet: vel, niſi res depoſita propter majorem aſſecurationem fuerit longiùs abducenda. Ratio totius aſſertionis eſt, quia æquitati congruit, ut qui dando, vel accipiendo rem aliquam ſolùm alterius utilitatem procurat, nullum ex reſtitutione facienda damnum patiatur, niſi is ſponte ſua, & non in gratiam, ac utilitatem alterius ſibi ejuſdem cauſa fuerit, atqui ſi in prædictis locis extra caſus exceptos, fiat reſtitutio, ipſe nullum patitur damnum, cujus non ipſe ſponte ſua v. g. voluntaria loci mutatione (quæ proinde in præjudicium alterius partis cedere non debet) cauſa eſt, ergo &c.

227 Res tertii generis ſecundùm citatos AA. & Tambur. *lib. 8. in Decalog. tractat. 4. cap. 1. §. 8. num. 13.* Palao *diſput. 1. punct. 18. §. 6. num. 4.* Laym. *lib. 3. tractat. 2. cap. 10. num. 5.* reſtituenda eſt in loco, ubi alia æquivalens eſt tradita, niſi de alio loco utrique parti commodo, vel cujus gravamen alteri parti compenſetur, priùs fuerit expreſsè, vel tacitè conventum. Ratio eſt, quia ex variatione loci ſæpè variatur valor mercis, & æſtimabilis pretii, ergo ut ſervari poſſit æqualitas dati, & accepti, ex natura contractus debet determinatus eſſe aliquis locus, in quo debeat commenſurari, & per rationabilem conſequentiam etiam præſtari ſolutio, ſed non potuit independenter à conventione partium determinari ad ſervandam æqualitatem aptior locus, quàm ubi traditur res, verbi gratia merx, mutuum, locatum, permutatum, ergo iſte ex natura contractus reſtitutioni faciendæ eſt determinatus.

228 Unde non rectè cum Mol. *d. 752. num. 2.* inter res ſecundi, & tertii generis nullam obſervante diſtinctionem, univerſaliter dicitur, quod quando nullus locus à contrahentibus eſt deſignatus, res reſtituenda ſit, ubi debitor inter contrahendum credebatur tempore ſolutionis habiturus domicilium. Nam hæc doctrina non tantùm falſa eſt in bonis ſecundi generis, quia certum eſt, quòd ſi quis amico verſanti Auguſtæ commodet equum, ut eo utens Monachium ad domicilium ſuum redeat, equum non debeat reſtituere Monachii, ſed Auguſtam ſuis impenſis remittere: ſed neque in bonis tertii generis univerſaliter vera eſt ob defectum æqualitatis, quæ utique non ſervaretur, ſi quis v. g. mutuans triticum in uno loco, ubi viliſſimo pretio conſtat, exigeret à mutuatario, ut poſt aliquod tempus tantumdem ſibi ab eo reſtitueretur in loco ipſius mutuatarii, ubi maximo pretio venditur. Præterea ſuſtineri non poteſt dicta doctrina in ſolutione cenſus realis, qui præſtari debet in loco rei, cui tamquam fructus illius affixus eſt, ubicumque debitor cenſus domicilium habeat. Æquè parùm alii veram univerſalem regulam aſſignant, quorum aliqui apud Vaſqu. dicunt, Emptoris, aliqui cum Cajet. Soto, & Rebello *part. 2. lib. 1. quæſt. 4. numer. 6.* Creditoris expenſis ad eundem eſſe tranſmittendum debitum. Si enim Creditor non exiſtat in loco emptoris, ubi merx ipſi tradita eſt, non tenetur emptor propriis expenſis pretium ipſi tranſmittere, ſi autem emptor ex illo loco diſceſſerit manente venditore, non obligatur iſte ſolvere expenſas pro tranſmiſſione pretii. Hinc ad mentem S. Antonini, & Covar. hæc univerſalis regula deduci poteſt, quòd ille expenſas tranſmiſſi debiti ſuſtinere debeat, quorum alteruter è loco non quidem contractus (quia iſte inter diſtantes de re diſtante per literas, vel nuntios celebrari poteſt) ſed factæ traditionis abſens fuerit.

Dixi in concluſione: niſi de alio loco expreſsè, vel tacitè fuerit conventum: prout contingere ſolet, quando extra domicilium utriuſque contrahentis in via, vel alio loco neutri parti vicino, qui alioqui ſecundùm Lugo *nu. 205. & ſeq.* loco domicilii, velut ſi res ibi ageretur, æquiparari poſſet, contractus celebratur: in tali enim caſu teſte eodem Lug. & aſſentiente Tamb. niſi ex circumſtantiis, vel conſuetudine contrahentium aliud colligatur, tacitè creditur conventum fuiſſe, ut acceptum mutuum, vel pretium rei traditæ (cujus ſolutionis dilatio mutuo aſſimilatur) expenſis debitoris, cui dando ad creditum ſit beneficium, Creditori ad ſuum domicilium tranſmittatur; quòd ſi verò pretium traditum eſſet pro re quoad individuum, vel ſpeciem determinata alibi tradenda, exiſtimat citatus Lugo, conſuetudini, & tacitæ voluntati contrahentium conformius eſſe, ut ibi tradatur res, ubi ea exiſtit, vel impenſis emptoris tranſmittatur, quod verum putat, etiamſi pretium in domicilio emptoris traditum fuiſſet, eò quòd in emptione rei diſtantis, & ſaltem quoad ſpeciem determinatæ (aliud ſentiendum de penitus indeterminata, & à debitore primùm præcisè loco pretii determinanda) adhuc potiùs ſpectetur commodum emptoris, & ob acceptum pretium, vel etiam aliam rem per commutationem traditam, concedatur jus rem debitam ex ſuo loco auferendi: unde ſi antecedenter pretium non fuiſſet perſolutum, eò ab emptore tranſmitti deberet, ubi res eſt tradenda, niſi loco pretii ſimiliter fuiſſet compromiſſa res quoad ſpeciem, vel individuum determinata, & proindè viciſſim in proprio loco tradenda. 229

Ex tacita conventione, in natura contractus fundata, teſte Leſſ. Lugo, Tamburino cenſus realis, vel penſio extracta ex beneficio, vel ex hæreditate ſolvi debent, ubi res cenſui ſubjecta, vel beneficium exiſtit, vel ubi occupata eſt hæreditas, ex quibus prædicta debita tamquam fructus affixi rei fructiferæ enaſcuntur; quod citatus Leſſius, Laym. & Pal. *l. c.* etiam aſſerit de cenſu perſonali, nulli rei immobili, ſed perſonæ etiam inſtar fructus affixo, ac proinde ſolvendo, ubi ipſa exiſtit, niſi in præjudicium cenſuarii nimis procul receſſerit: Lugo tamen *n. 209.* dicit nec hoc debitum, nec alia perſonalia, cum perſona locum variare, ſi in alterutrius contrahentis domicilio, vel ſaltem vicinia tradito pretio, eidem aliquando fuerit affixum. 230

Denique advertendum eſt ex Covarr. Gutier. & pluribus aliis, quos refert, & ſequitur Pala. *à n. 5* non ſemper eſſe eundem locum, in quo ſolutio, vel reſtitutio facienda, & in quo judicialiter decernenda eſt. Conveniri enim, & citari debitor ſolùm poteſt à judice proprii domicilii. niſi in alio loco contrahens ibidem habeat bona ſtabilia, per quæ etiam forum ſortitur, ſine his enim tantùm conveniri, ſi præſens ſit, non autem, ſi abſens, citari poteſt, *cap. Romana §. Contrahentes de foro competenti in 6. l. Heres abſens §. 2. ff. de Judiciis.* Vel niſi ibidem ſolvere, & ſe præſentare promiſerit: tunc enim, ſi promiſſis non ſtaret, ratione delicti cenſeretur moraliter præſens, ſicut etiam, ſi quocumque alio in loco, ubi non eſt celebratus cōtractus, deſignato tempore ſolvere promiſiſſet; & ſic, monito judice domicilii, qui invocatus ſiſtere reū debet, à jud. illius loci citari poſſet. Imò ſi debitor nullo deſignato tempore in certo loco ſolvere ſpopondiſſet, & proprii domicilii foro renuntiaſſet (cui tamen Clerici abſque proprii judicis conſenſu renuntiare non poſſunt juxta *cap. ſignificaſti de foro competenti*) ad judicem illius loci neceſſariò remitti deberet, uti dicitur *cit. ca.* & in Gl. communiter recepta in *l. 1. ff. Si quis in jus vocatus non ierit.*

ARTICULUS IV.

Quo tempore Reſtitutio facienda ſit.

SUMMARIUM.

231 *Debitum ex delicto, vel ex re accepta ſine notabili, ac damnoſa mora, reſtituendum, & culpabilis moræ damnum etiam conpenſandum eſt.*

232 *Debitum ex contractu tempore à contrahentibus determinato præſtandum eſt. Si autem nullum expreſsè vel tacite determinatum eſt, ſaltem quando petitur, eſt perſolvendum.*

233 *Quando ex omiſſione petitionis non poteſt prudenter præſumi conſenſus in dilationem, debitum ſine notabili mora reſtitui debet.*

234 *Quando non datur juſta cauſa dilationis, excuſans à culpa, hæc eſt grave, vel leve peccatum ſecundum menſuram lucri ceſſantis, vel damni emergentis, & pro hujuſmodi damno etiam facienda eſt reſtitutio.*

235 *Non ſufficit reſtitutio ſucceſſiva, etiamſi debitum ſucceſſivè eſſet contractum.*

231 CErtum eſt, inquit Lugo *diſput.* 20. *num.* 211. debita ex delicto, vel ex re accepta ſtatim eſſe ſolvenda: ſicut enim ablatio rei alienæ, ſic etiam illius detentio rationabiliter invito domino juſtitiæ repugnat. Tò ſtatim autem non Mathematicè, ſed moraliter accipiendum eſt pro mora tam brevi, qua dominus prudenter creditur ex carentia rei ſuæ nec damnum paſſurus, nec rationabiliter fore invitus. Unde Mol. *diſput.* 357. & ex illo Lugo *l. c.* Laym. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 10. *num.* 2. & alii rectè obſervant, moroſum debitorem, volentem tamen reſtituere, non ſtatim peccati mortalis arguendum eſſe, etiamſi de debito ſæpius fuerit conventus; ſed videndum, an Creditor interea grave damnum patiatur; vel mora tanta ſit, ut meritò cenſeatur graviter invitus propter periculum, ne debitum mutato animo debitoris, vel novo impedimento eveniente non recipiat, vel propter aliam ſimilem cauſam; tunc enim primùm peccati mortalis, & ſi damnum quodpiam in bonis fortunæ illatum eſſet, etiam obligationis illud compenſandi ſe reum faceret: & propterea, quia hæredes, præſertim Magnatum obligationem reſtituendi rem, quæ ſcitur eſſe aliena, vel indagandi proprium dominum, de quo dubitatur, valdè negligenter ſolent exequi, aſſerunt DD. communiter, aſſentiente Mol. *diſp.* 756. Lugo *num.* 212. Tambur. *lib.* 8. *in Decal. tract.* 4. *cap.* 1. §. 6. *num.* 3. non licere in articulo mortis conſtitutis, ut prædictam obligationem hæredibus imponant, quando ipſi adhuc ſine nota infamiæ, vel ſimili gravi impedimento eam exequi poſſunt, proinde nec Confeſſarii in tali caſu abſolutionem impertire, nec dilationem intra, vel extra articulum mortis rogati concedere debent, etiamſi prævideant pœnitentem tamen non ſatisfacturum ſuæ obligationi, quia propterea nemo eſt deobligandus à Lege, quòd non ſit pariturus Legi.

232 Debitum ex contractu, abſque mora, & abſque prævia interpellatione (niſi hæc partium conventione fuiſſet requiſita) reſtituendum eſt die, aut tempore per expreſſam, vel tacitam pactionem determinato. Ita omnes, & declaratur *l. Magnam Cod. de Contrahenda, & committenda ſtipulatione l. Quoties in diem* 59. *ac ſeqq. ff. de Verborum obligationibus*, ſi verò nullum tempus expreſsè, vel tacitè eſt determinatum, & ſi contractus, nec juramento eſt firmatus, nec ex alterutra parte traditione rei, aut pretii completus, ex recepto uſu, ac conſuetudine ſupponitur Creditor conſentire in moram, quamdiu ille debitum, nec metu, ſaltem reverentiali, nec alio impedimento prohibitus liberè, & ſponte non repetit. Quamprimum autem, ſive implorato judice, ſive amicabiliter repetit, jam debitor pro quovis tempore obligatur ad ſolutionem, vel reſtitutionem, ut colligitur ex *l. Mora ff. de Vſuris l. Si ex legati cauſa* 23. *ff. de Verborum obligationibus*. Et ratio eſt, quia catenus conceditur mora, ſeu dilatio, quatenus Creditor ſupponitur in illam conſentire, ſed facta repetitione debiti non ampliùs ſupponitur Creditor conſentire, ergò &c.

233 Atque ex hac ratione colligitur, quare pauló antè triplicem appoſuerim limitationem, ſeu exceptionem etiam in foro externo receptam contra neceſſitatem repetendi debitum; nam metus, aut impedimentum prohibens repetitionem debiti jam facit, ut ejuſdem repetitionis omiſſio nequeat prudenter refundi in conſenſum liberum dilationis ſeu moroſæ reſtitutionis; adjectio juramenti verò jam variat circumſtantiam, ſine qua non eſt uſu receptum, ut repetatur debitum ad ſignificandam negationem conſenſus, ſed potiùs Creditor ſupponitur ideò non repetere, quia meritò ſperat in reverentiam juramenti debitum proximè abſque interpellatione reſtitutum iri, ut habet communis ſententia apud Palao *diſp.* 1. *punct.* 17. §. 7. *num.* 7. ubi refert Jaſonem, Decium, Abbatem, Covar. Menochium, Gutierez. Unde quando dicitur juramentum ſequi naturam actus, cui apponitur, id verum eſt in iis, quæ ſpectant ad naturam actus, non verò in iis, quæ ſunt extra naturam actus, uti eſt extrinſeca ſuppoſitio, & perſuaſio hominum, arbitrantium non deſiderari reſtitutionem debiti ex contractu, ſi non exigatur, quando aliàs tam citò futura non rectè præſumitur propter abſentiam juramenti. Denique contractus impletio ex parte Creditoris jam eſt realis procuratio debiti viciſſim reddendi, conſequenter Creditor ſatis manifeſtat ſe non conſentire in dilationem, etiamſi debitum aliter non repetat, quod probatur etiam ex *l. Curabit Cod. de Actionibus empti*.

234 Ex dictis patet 1. quando dilatio reſtitutionis incipit eſſe leviter, vel etiam graviter peccaminoſa, prout nimirum minùs, vel magis extenditur ultra tempus debitum: ex quo infertur, omnia damna, ex injuſta dilatione ſecuta ſimul cum lucro ceſſante eodem modo deinde compenſanda eſſe, ſicuti quando res foret debita ex delicto. Excipe tamen. Niſi prolongationis illius detur juſta cauſa excuſans: cujuſmodi eſt primò, quando Creditor ipſe eſt in mora, quia, vel procul diſceſſit nullo relicto procuratore, ut proinde illi reſtitutio fieri nequeat, vel quando noluit acceptare debitum, cùm ipſi offerretur, etiamſi ante debitum tempus fuerit oblatum. modò determinatio illius in gratiam Creditoris non ſit facta. In utroque enim caſu, quando debitor ſemper paratus fuit ſolvere debitum, vel, ſi quod magis ſecurum eſt, illud in præſentia teſtium depoſitario tuto, aut judici tradidit, liber eſt ab omni onere juxta *l. Si ſoluturus* 39. *ff. de Solutionibus & l. Acceptam, Cod. de Vſuris*. Secunda cauſa excuſans eſt, quando debitor poteſt opponere juſtam exceptionem, quia v. g. viciſſim habet ſibi obligatum Creditorem non ſatisfacientem ſuo debito &c. *l. Sciendum ff. de Vſuris l. Quod te mihi ff. Si certum petatur*. Tertia cauſa excuſans ab obligatione compenſandi moram eſt omnis ea quæ excuſat à peccato, uti eſt ignorantia, impotentia, &c. de quibus nunc pluribus agendum.

235 Patet 2. Debitorem non ſatisfacere obligationi, reſtituendo totum debitum liquidum ſucceſſivè, ſeu per partes, ut contra Alciatum, Corras, Fulgoſium, & Decium apud Palao *diſp.* 1 *punct.* 18. §. 3. *num.* 1. docet communis ſententia aliorum DD. ibidem *num.* 2. relatorum juxta *l. Tutor §. Lucius ff. de Vſuris*, & *l.* 3. *ff. Familiæ eriſcundæ* juncta Gl. ubi plurima incommoda dividuæ ſolutionis aſſeruntur, quæ proinde Creditor ſubire non debet. Ratio autem patet ex dictis, quia ſi non licet differre ſolutionem totius debiti ultra tempus præfixum, neque licebit differre ſolutionem unius partis pro eodem tempore debitæ, hoc ipſo, quòd quoad illam nondum ſit ſatisfactum obligationi totius debiti, & præſtita ſolutione unius partis altera pro eodem tempore maneat adhuc debita. Neque obſtat *l.* 2. §. *Et harum ff. de Verborum obligationibus*, & *l. Placuit Cod. de Collatione feudorum patrimonialium*; quia prior lex, qua dicitur, quòd quædam debita partis præſtationem recipiant, veluti cum decem dari ſtipulamur, non approbat partialem ſolutionem, ſed tantùm diſtinguit debita ex natura ſua diviſibilia ab indiviſibilibus, qualia eſſent equus, homo &c. Poſterior lex tantùm in particulari concedit, ut penſio annua ex re emphyteutica, vel patrimoniali fiſci ſolvatur intra annum per vices; imò hoc ipſo, quòd non concedat plures vices, quàm tres, clare indicat abſque ſpeciali conceſſione ſimul totum debitum præſtandum eſſe. Neque etiam obſtat, quòd debitum aliquando ſucceſſivè ſit contractum, v. g. per furta,

ta, emptiones, mutuationes ſucceſſivas: quia poſtquam extitit tota collectio ſingularum cauſarum inferentium obligationem reſtitutionis, vel ſolutionis debitorum partialium, jam omnia per modum unius collectionis ſunt debita, hoc ipſo quòd ſingula elapſo tempore præfixo ceperint eſſe debita.

QUÆSTIO VI.

De Cauſis excuſantibus à Reſtitutione, vel quoad tempus, vel in perpetuum.

ARTICULUS I.

An impotens reſtituere in uno bonorum genere teneatur in alio.

SUMMARIUM.

236 *Reſpondetur negativè.*
237 *Solvuntur objectiones.*

236 QUamvis plerique TT. Antiqui apud Tan. *quæſt. 6. num.* 110. ſaltem pro vita, & membris affirmativè reſpondeant cum S. Thoma *quæſt.* 62. *art.* 2. *ad* 1. rectiùs tamen negatur, ſpectando rationem, & auctoritatem RR. quos magno numero refert, & ſequitur Lugo *d.* 11. *num* 5.

Probatur 1. ex S. Scriptura *Exod.* 21. *v.* 18. ubi dicitur ſi percuſſus ſurrexerit, & ambulaverit foris ſuper baculum ſuum, innocens erit, qui percuſſerit, ita tamen, ut operas ejus, & impenſas in Medicos reſtituat. Ecce pro læſione nihil exigitur.

Probatur 2. ex Jure Civili *l. Ult. ff. de His, qui effuderint, vel dejecerint*, qua ſicut, & alibi ſæpius plus non exigitur, quàm reſtitutio operarum, & impenſarum: & additur: *Cicatricum autem, & deformitatis nulla fit æſtimatio* (ſecundùm ſe, ſed tantùm fit ſecundùm damna ſecuta) *quia liberum corpus nullam recipit æſtimationem.*

Probatur 3. Quia obligatio reſtituendi in alio bonorum genere eſt contra praxim omnium tribunalium, imperantium quidem furi, ut etiam ante capitis pœnam, ſi poteſt, reſtituat omnia damna pecunia æſtimabilia, & occiſum bovem ſolvat, non tamen ut ſervum, vel mancipium ſecundùm ſe, & ſeorſim à damnis ſecutis. Atqui non eſt credibile, quòd legem naturæ, ſiqua eſſet ad reſtituendum, tot homines ignorarent: imò eò ipſo quia non pleriſque ſaltem prudentioribus eſt nota, nulla eſt.

Probatur 4. à priori, Ut poſſit dari obligatio juſtitiæ, debet poſſe dari aliqua æqualitas, ſaltem ex parte, ut qui non poteſt ſolvere mille, ſolvat centum. Sed inter bona diverſi generis, qualia ſunt bona ſupernaturalia, naturalia animi, corporis. fortunæ, nec poteſt dari partialis æqualitas, ergo &c. Probatur Minor. Ubi non poteſt dari communis menſura, non poteſt dari commenſuratio æqualitatis; ſed inter bona diverſi generis non poteſt dari communis menſura, ſicut tamen inter bona fortunæ communis menſura eſt pecunia, per quam res, vel formaliter reſtituitur, vel æquivalenter, in quantum poteſt ſimilis emi, ergo &c. Et hoc argumentum probat, non poſſe ex natura rei dari obligationem juſtitiæ ad compenſandum damnum in diverſo genere bonorum; quòd autem neque ex conventione, & quaſi ex præſuppoſita taxatione (quo modo etiam labor, vel obſequia pecunia vendi poſſunt) obligatio juſtitiæ detur, præcedentibus rationibus ſufficienter confirmatum eſt.

237 Obiic. 1. *Leg.* 1. *ff. de His, qui effuderint*, & Judices ſæpè obligant iniquum mutilatorem, ut mutilato certam pecuniam ſolvat: ergo non eſt contra praxim. Reſpond. diſt. anteced. Fit hoc ad compenſationem damni ex juſtitia commutativa, nego anteced. ad leniendum patientis dolorem ex damno irreparabili, per modum pœnæ ex juſtitia vindicativa, concedo antec.

238 Obiic. 2. Videtur indignum, quòd injuſtè occidens bovem teneatur ad pœnitentiam, & reſtitutionem; occidens hominem verò ſatisfaciat per ſolam pœnitentiam, nihil reſtituendo hæredibus. Reſp. Non eſſe indignum, ſi hoc fiat ob defectum poſſibilis æqualitatis, & excellentiam rei læſæ.

Obiic. 3. Poteſt pro bonis corporis, vel honoris fieri compenſatio in genere bonorum longè præſtantiori, nempè in bonis animæ ſupernaturalibus; imò poteſt aliquis ſaltem imprudenter per certam ſummam pecuniæ pro damno in corpore, vel honore illato, ita ſatiari, ut damnum minùs æſtimet quàm pecuniam: ergo per diverſa genera bonorum poteſt jus læſum reparari. Reſp. Diſtinguend. conſequens, poteſt jus læſum reparari ſecundùm æſtimationem imprudentem rei redditæ, & damni, conſeq. poteſt reparari ſecundùm æqualitatem rei cum jure alterius, nego conſequentiam. Juſtitia autem reſpicit, & obligat non ad qualemcumque compenſationem, ſed quæ fit ſecundùm æqualitatem cum jure, qualis neque obtinetur per bonum ſuperioris ordinis, ad quod ex damno leviori non datur jus, neque per bonum inferioris ordinis, quod nec determinatam partem æſtimabilitatis in bono ſuperioris ordinis adæquat. 239

ARTICULUS II.

De prima Cauſa excuſante, quæ eſt impotentia reſtituendi.

SUMMARIUM.

240 *Quamdiu durat phyſica, vel moralis impotentia, non eſt illicita dilatio reſtitutionis.*

CErtum, & per ſe notum eſt, quamdiu durat phyſica impotentia, tamdiu ſuſpendi obligationem reſtituendi, quia ad impoſſibile nemo tenetur. De impotentia morali, quando debitor rem alienam, vel propria bona poſſidet, quæ reſtitutioni ſufficerent, ſed extremæ, vel quaſi extremæ ſuæ neceſſitati propulſandæ ſunt neceſſaria, patet ex recepta doctrina de Charitate (non repugnante *cap. Si quis* 3. *de Furtis*) quod juxta Gl. de leviori neceſſitate contrarium ſtatuit) debitorem durante hac neceſſitate, niſi dominus rei in æquali verſetur, non tantùm excuſatum eſſe à reſtitutione facienda de propriis bonis, ſed etiam licitè ſibi uſurpare, vel abſumere rem alienam, & probabiliter (cujus examen ad tractatum de charitate ſpectat) abſque onere quidquam pro tali uſu, vel abſumptione reſtituendi, etiamſi poſteà pinguior fortuna ſe obtulerit, modò neceſſitatem patiens re, & ſpe pauper fuerit, & ante illius eventum illata injuria cauſa non ſit, quòd deinde dominus uſu, & proprietate rei ſuæ fuerit exutus, aliàs ratione injuriæ maneret obligatio reſtituendi æſtimationem uſus, vel rei ſicut daretur eadem obligatio, ſi quocumque alio caſu fortuito, & inculpabili ſimile damnum fuiſſet ſecutum ex præcedenti injuria. His ergo tamquam certioribus, vel alio ſpectantibus prætermiſſis, ad magis dubia, vel hujus loci propria reſolvenda accedamus. 240

§. I.

An in extrema vitæ, & membrorum, vel etiam in quaſi extrema, (eorum ſcilicet bonorum, quæ, ut explicat Lugo diſput. 16. num. 154. hominibus communiter à natura ſunt congenita, uti eſt libertas à gravi, & diuturno morbo, dura ſervitute, aut captivitate, ingenti infamia) debitor teneatur reſtituere creditori æqualem neceſſitatem patienti.

SUMMARIUM.

241 *Debitor in extrema, vel quaſi extrema neceſſitate conſtitutus non tenetur ad reſtitutionem ex propriis bonis, etiamſi Creditor in ſimili neceſſitate exiſtat.*
242 *Impugnatur aliorum, & aſſeritur propria ratio.*

243 *Res*

243 *Res aliena non fit poſſeſſoris injuſti, in extrema neceſſitate conſtituti, quando ejus Dominus antecedenter, vel ſimul in eandem neceſſitatem incidit.*

244 *Videtur tamen probabilius, poſſeſſorem nihilominus excuſari ab obligatione reſtitutionis, quamdiu durat extrema, vel quaſi extrema neceſſitas.*

245 *Niſi injuſtus poſſeſſor cauſa fuerit, ut dominus per ablationem, vel detentionem rei ſuæ, in eandem neceſſitatem ante, vel cum ipſo inciderit.*

241 AFfirmativè reſpondent Paludanus apud Leſſ. Scotus, Richardus, Gabriel, Roſella, Angelus, Sylveſter, Armilla, Medina apud Azor. *Inſtit. moral. p. 3. lib. 4. cap. 29.* Negativè quoad extremam neceſſitatem reſpondent Sotus, Cajet. Tabiena, Ledeſma, quos refert, & ſequitur idem Azor, & conſentiunt Leſſius *lib. 2. cap. 16. num. 13.* Toletus, Bonacina. Quoad valdè gravem neceſſitatem, id eſt, quaſi extremam; etſi teſte Leſſio *num. 20.* AA. communiter affirmativam amplectantur, negativam tamen etiam adhuc fatetur eſſe probabilem, & in eam ferè magis inclinat, prout etiam facere debent omnes ii, qui in quaſi extrema neceſſitate bona aliena reddi communia probabiliùs docent cum Lugo *diſp. 16. num. 153.* referente Angelum, Sylv. Navar. Medinam, Malderum, Dianam, Leſſ. Vaſq. quibus addit Covar. Petrum Navar. Bonacinam aſſerentes illam doctrinam eſſe probabilem. Quamvis de alia minore, & non *quaſi extrema* neceſſitate loquens propoſitio 36. ab Innoc. XI. meritò, ut jam ſupra dixi, prohibita ſit, quæ ſic habet. *Permiſſum eſt furari, non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.* Quid autem per quaſi extremam neceſſitatem intelligatur, indicavi in ipſa quæſtione, illamque ſic expoſitam aliqui nomine extremæ neceſſitatis comprehendunt. Ex citat. AA. ergo quotquot excuſant debitorem in extrema neceſſitate conſtitutum à reſtitutione facienda Creditori in extrema etiam neceſſitate poſito, debent excuſare debitorem in valdè gravi ſive quaſi extrema neceſſitate verſantem, quando Creditor etiam in ſimili neceſſitate verſatur. Cum diſtinctione reſpondent Navar. *cap. 17. num. 60.* Palao *diſp. 1. punct. 17. §. 2. à num. 6.* & ut videtur etiam Lugo *diſp. 21. à num. 4.* aſſerentes ſi res Creditoris non extet in individuo apud debitorem, vel ſi per contractum, aut caſum extremæ, vel quaſi extremæ neceſſitatis debitori priùs evenientem in hujus domicilium tranſierit; ipſum non teneri ad reſtitutionem, ſecùs verò teneri.

242 Pro ratione primæ partis non rectè veluti axioma certum aſſumitur ab Azor, quod in pari neceſſitate extrema melior ſit conditio poſſidentis, hoc enim eſt in quæſtione, ſed hæc ratio aſſignanda eſt, quia debitor non reſtituens de propriis bonis, ſed eadem ſibi uſurpans ex una parte utitur jure, quod habet in rem ſuam, & ex altera parte obligatio per reſtitutionem alienandi ſuam rem, cum ſibi, vel etiam ſuis extremè, aut quaſi extremè eſt neceſſaria, eſſet nimis difficilis, ac inobſervabilis, præſertim cum diviſio bonorum jure humano tantùm ſit introducta, & tamen jure naturali quiſque ſuam vitam, & cætera bona à natura ſibi debita tueatur.

243 Ratio ſecundæ partis hæc reddi poteſt, quia ipſi etiam Adverſarii fatentur, quòd quando dominus rei eſt in æquali neceſſitate, non liceat auferre ab ipſo rem illius, eò quòd hæc in tali caſu non reddatur ulli alteri communis, adeòque occupabilis, atqui quando res dicto modo neceſſaria proprio domino poſſidetur ab altero, æqualem neceſſitatem patiente, etiam non redditur illi communis, & per detentionem quaſi præoccupabilis, ergo in tali caſu non licet ampliùs poſſidere rem legitimo domino æqualiter neceſſariam. Probatur minor: quia ob æqualem neceſſitatem legitimi domini natura tribuit eidem æquè forte jus retinendi rem ſuam, ergo neceſſitas poſſeſſoris poſſeſſione merè naturali non habet vim extrahendi rem ex præcedenti illius dominio per poſſeſſionem civilem completo. Confirmatur. Si ob neceſſitatem poſſeſſoris redderetur ipſi communis res aliena, & ſi ei per poſſeſſionem naturalem acquireretur potiùs jus in illam, tamquam per occupationem virtualem; ſequeretur, quòd prior dominus rei non tantùm non poſſet obligare poſſeſſorem ad ſibi reſtituendam rem ſuam, ſed neque poſſet eandem ab illo rurſum auferre vi, aut aſtu tanquam ſuam, conſequens videtur planè durum, & incredibile, ergo &c.

Per has rationes arbitror rectè probari, quòd niſi poſſeſſor rei alienæ priùs, quàm dominus incideret in extremam, vel quaſi extremam neceſſitatem, rem detinuerit, & ſic illius poſſeſſione jus utendi, vel abſumendi ſibi comparaverit, nequeat ſibi comparare hujuſmodi jus eo tempore, quo etiam dominus in æquali neceſſitate verſatur: Nihilominus conſentio Auctoribus ſecundæ ſententiæ, debitorem excuſari à reſtitutione rei alienæ, & per eam licitè ſuccurrere ſuæ indigentiæ: imò probabiliter etiam ſuorum, prout quidquid aliquis poteſt reſpectu ſui, id poſſe reſpectu parentum, filiorum, uxoris, fratrum, ſororum, concedunt Leſſ. *l. c. num. 14.* Toletus *de ſeptem peccatis mortal. cap. 39.* Palao *l. c. §. 1.* citans etiam Petrum Navarram, Lopez, Sotum, qui tamen hoc negat de fratribus, uti de prædictis omnibus negant Covar. Azor. & alii. 244

Ratio eſt aſſertionis meæ, quia etiamſi legitimum dominum non liceat à poſſeſſione naturali rei æqualiter ipſi neceſſariæ detrudere, non tamen hoc ipſo tenetur debitor jure, vel injuria anteà detruſum in eandem reponere ex proprio motu, & ſponte ſua, ſpoliando ſe re aliena ſummè ſibi neceſſaria, & jure humano alteri appropriata, cùm planè nimis difficilis ſit hæc obligatio, & pluribus aliis inſtantiis ex proximè dicendis comprobari poſſit quòd ſæpè cauſa inſufficiens ad excuſandam ablationem rei alienæ, ſit ſufficiens ad excuſandam detentionem (manente jure proprii domini) præſertim ſi bona inferioris reſtitui nequeant ſine jactura bonorum altioris ordinis, neque æqualis jacturæ ſuæ Creditori debitor graviter culpabilis, & inevitabilis cauſa fuerit. Unde inter abſumentem rem alienam tempore extremæ, vel quaſi extremæ neceſſitatis, quando dominus in æquali neceſſitate non verſatur, & inter abſumentem, quando etiam dominus in æquali neceſſitate verſatur, mea opinione hoc datur diſcrimen, quòd prior ſi fuit re, & ſpe pauper, tranſacta neceſſitate, & redeunte meliori fortuna probabiliùs teſte Palao *diſput. 1. punct. 17. §. 1. num. 4.* Petro Navarra, Sylveſtro apud Leſſium *lib. 2. cap. 16. dub. 1 numer. 18.* aſſentientem, ut probabili, & pluribus aliis apud Lugo *diſputat. 16. numer. 170.* non obligetur ad reſtituendam æſtimationem rei abſumptæ, utpotè cujus jus ſibi comparavit, poſterior verò obligetur ad eandem legitimo domino, vel hæredibus ejus præſtandam, eò quòd dominus licitè potuiſſet vi, aut aſtu impedire abſumptionem ad ſuccurrendum propriæ neceſſitati.

Itaque ad propoſitam dubitationem hæc ſummatim reſponſio reddenda eſt. In pari neceſſitate extrema, vel quaſi extrema Creditoris, & debitoris, vel eorum, qui ratione gradus ejuſdem ipſis æquiparantur in ordine ad licitam retentionem, melior eſt conditio poſſidentis, ſaltem niſi alter ab iſto in æqualem neceſſitatem culpabiliter, & inevitabiliter ſit conjectus, ita ut in eam aliàs non incidiſſet, ſi res ſua non ſibi fuiſſet ablata, vel ſi ſibi fuiſſet à debitore reſtituta, quando iſte potuit, & debuit reſtituere. S. Thom tamen 2. 2. *quæſt. 31. artic. 3. ad 3.* ait Creditoris, & debitoris conditionem reſpiciendam eſſe. Quia in talibus non poteſt univerſalis Regula dari. 245

§. II.

An propter neceſſitatem gravem, ſed minorem extrema, vel quaſi extrema, v. g. propter neceſſitatem decidendi à ſtatu, vivendi miſerè, mendicandi, exercendi opificium, vel aliam artem, aut laborem, priori ſtatus conditioni indecentem, liceat debitori differre, vel perpetuò durante ea neceſſitate omninò omittere reſtitutionem.

S U M M A R I U M.

246 *Neceſſitas gravis, etiamſi non pertingat ad quaſi extremam, ordinariè excuſat reſtitutionis dilationem.*

247 *Ni-*

247 *Niſi Creditor in eadem neceſſitate verſetur, præſertim ſi res ſit propria ipſius Creditoris: vel ſit debita ex delicto.*

248 *Et niſi debitor ſtatum, vel aliud bonum per reſtitutionem amittendum, injuſtis mediis acquiſiverit, vel illius amittendi culpabilis cauſa fuerit per rerum ſuarum profuſionem.*

249 *Quando damnum debitoris in gravi neceſſitate conſtituti notabiliter eſſet majus, quàm damnum Creditoris, licet continuare reſtitutionis dilationem.*

250 *Imò quando reſtitutio non immediatè Creditori, ſed pauperibus facienda eſſet, poteſt debitor pecuniam reſtituendam ſibi ſervare, ſeu applicare tamquam re & ſpe pauperi.*

246 RESp. Contra Joan. Medinam, & Sotum, quos refert, & ſequitur Molina *diſput.* 754. §. *Quando verò ſolum &c.* & §. *Quando vero abſque ,* &c. (mitigans tamen rigorem ſuæ ſententiæ hac limitatione: niſi debitor, conſumpta re aliena, ex bonis propriis poſt brevem moram reſtituendo damnum grave alioqui eventurum, devitare poſſet) & contra Raynerium Hoſtienſem, Innocentium, Bernardum, Richardum apud Azor 3. *part. lib.* 4. *cap.* 39. §. *in hac quæſtione &c.* propter hujuſmodi neceſſitatem licitè differre reſtitutionem rei alienæ, aut propriæ ſive ex contractu, ſive (in quo ſolùm Adverſarii diſſentiunt) ex delicto debitæ. Ita Azor *l. c.* §. *In hac re convenit &c.* referens in præcedenti §. ſecunda opinio Scotum, Angelum, Roſellam, Gabrielem, Navar. Paludanum. Aſſentiuntur etiam Cardin. de Lugo *diſp.* 21. *num.* 12. Leſſ. *lib.* 2. *capit.* 16. *numer.* 15. & maximè *à numer.* 21. Palao *citata d.* 1. *part.* 17. §. 2. *numer.* 4. Layman. *lib.* 3. *tractat.* 2. *cap.* 12. *numer.* 1. & utroque teſte Doctores communiter cum S. Antonino, Sylveſtro, Petro Navarra, Toleto, & aliis.

247 Apponuntur tamen reſponſioni univerſali ſequentes limitationes. Prima eſt, niſi Creditor in æquali, vel paulò minori neceſſitate verſetur, & ad eam repellendam, vel toto, vel parte debiti indigeat. Ita Layman. *num.* 2. Azor §. *in hac re convenit &c.* Leſſ. *cap.* 16. *num.* 19. & alii multi, imò omnes ſecundùm Molinam *diſp.* 754. §. *Quando vero abſque &c.* quod maximè, & nec improbante Leſſio *num.* 20. forſan ſolummodò verum eſt, quando dominium rei debitæ remanſit penès Creditorem, vel quando debitum radicatur in delicto debitoris, ratione cujus Creditor non quidem directè, & per ſe habet jus prælationis comparatione alterius Creditoris ex contractu (ſicut nec pauperior habet jus prælationis comparatione locupletioris Creditoris, ut ſuprà dictum eſt) ſed ratione gravis neceſſitatis Creditoris, & ratione delicti debitoris ipſe debitor minùs eſt excuſatus, & tenetur impedire damnum aliàs eventurum ex dilatione reſtitutionis: unde ſi Creditor non eſſet in tali neceſſitate, etiamſi eſſet pauperior alio Creditore ejuſdem debitoris, vel etiamſi ratione injuriæ ipſi aliquid deberetur, item ſi debitor ratione neceſſitatis non eſſet excuſatus à reſtitutione alicui facienda, in tali caſu non haberetur potior ratio Creditoris ex alieno delicto, vel pauperioris, quàm alterius Creditoris. Deindè adverto, æqualitatem neceſſitatis inter Creditorem, & debitorem non tantùm debere deſumi ab æqualitate indigentiæ, ſed ab æqualitate ſtatus: hinc ſi ſtatus inæqualis eſt, etiamſi indigentia ſit ęqualis, neceſſitas jam erit inęqualis, gravius enim damnum patitur, qui à ſtatu ſublimiori decidere debet.

248 Secunda limitatio. Niſi debitor ſtatum, vel aliud bonum per reſtitutionem amittendum injuſtis mediis acquiſierit, vel illius amittendi prodigalitate, luxu &c. cauſam dederit, neque ſpes ſit, ut benè mitigat Layman., quòd modica dilatione, vel ſucceſſiva reſtitutione Creditori ſatisfieri poſſit abſque tanto damno debitoris. Prioris partis AA. communiter, poſterioris verò etiam Leſſius *num.* 28. Sotum, & Petrum Navar. referens, & Palao §. 2. *num.* 5 facit mentionem, utriuſque quidem rectè, quia in primo caſu difficultas reſtitutionis contra bonum injuſtè poſſeſſum juſtè imponitur, quamdiu fieri poteſt abſque periculo manifeſtationis, vel gravis ſuſpicionis de injuſtitiis occultis; in ſecundo autem damnum ſubeundum non reſtitutioni, ſed nimię profuſioni meritò adſcribitur.

149 Major difficultas eſt quoad omnimodam omiſſionem reſtitutionis, quando prædicta impedimenta ſunt perpetua, partim quia citati AA. ferè tantùm conſentiunt in dilationem reſtitutionis, partim quia ex tali licentia innumeris injuſtitiis videtur aperiri janua, ut adeò damno communi videatur planè poſtponendum eſſe privatum damnum grave debitoris, modò non ſit extremum, vel quaſi extremum, ut in præcedenti §. diximus. Illud in primis certum eſt, debitorem in res etiam ſtatui neceſſarias, quàm parciſſimos, & minimè ſuperfluos ſumptus facere debere, & ſi non poſſit totum debitum, ſaltem partem, quam poteſt, reſtituere teneri. Hac ergo obligatione ſuppoſita, ſi perpetuò durante neceſſitate gravi debitoris, damnum illius propter reſtitutionem ſubeundum eſſet notabiliter majus damno Creditoris, probabile eſt, debitorem titulo impotentiæ excuſatum eſſe à reſtitutione. Ita Lugo *à num.* 19. quod multi alii DD. videntur inſinuare apud Laym. *l. c. num.* 1. recepto, & ipſis per ſe noto principio, quo præcedentem noſtram reſponſionem probant: nemo tenetur reſtituere cum ſuo notabiliter majori detrimento, quàm ſit Creditoris commodum: quod eſt formaliſſimè noſtra concluſio. Confirmatur tamen ulteriùs à pari. Ideò ſecundùm communem doctrinam proximè tradendam, Bonum inferioris ordinis reſtituendum non eſt cum detrimento boni ſuperioris in ſuo genere æquè gravis, quia inter commodum Creditoris, ad quod habet jus, & damnum debitoris, quod cogeretur ſubire, non ſervaretur à juſtitia intenta proportio: ſubſumo, atqui etiam in caſu noſtræ concluſionis idem contingeret, ergo &c.

Faciliùs juvari poſſet continua neceſſitate, vel ſal- 250
tem conſiderata ratione ſtatus vera paupertate preſſus debitor, quando debitum non immediatè Creditori, ſed pauperibus reſtituendum foret, uti ſunt debita incerta ex delicto ſecundum omnium confeſſionem: nam in tali caſu ſibi tamquam re, & ſpe verè pauperi titulo eleemoſynæ poſſet applicare debitum, ut fatentur Mol. *d.* 747. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 41. Lugo *diſput.* 6. *num.* 148. & *diſput.* 21. *num.* 22. Tamb. *lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 1. §. 3. *num.* 20. Layman. *cap.* 12. *num.* 3. citans Scotum, Gabrielem, Majorem, Medinam, Navarrum, & Navarram, imò etiam S. Thom. 2. 2. *quæſt* 32. *art.* 9. & facta hac applicatione, ut rectè obſervat citatus Layman., debitor etiam non teneretur quidquam ampliùs reddere pauperibus, vel ad pias cauſas, etiamſi deinde ad pinguiorem fortunam inſperatò perveniſset, quia ut quilibet alius pauper jus abſolutum acquiſiviſset impenſæ ſibi eleemoſynæ.

§. III.

An propter grave damnum in bonis temporalibus ejuſdem ordinis, quod præter reſtituendam quantitatem debiti ſubeundum foret, debitor licitè differat reſtitutionem ad tempus, vel in perpetuum durante eadem cauſa v. g. An excuſetur debitor, ſi pro tranſmittendo debito longè plus impendere deberet, quàm eſſet valor ipſius debiti, vel ſi ad comparandas pecunias Creditori ſolvendas rem ſuam leviſſimo pretio vendere cogeretur, quam poſt aliquod tempus longè chariori ſe venditurum ſperaret.

SUMMARIUM.

251 *Summatum eſt in titulo.*

AD hanc dubitationem à citatis DD. ferè ſimiliter, 251
ſicut ad præcedentem reſponderi ſolet, ita ut in dilationem damno proportionatam expreſsè conſentiant, ſive debitum ſit ex delicto, ſive ex contractu, perpetuam autem intermittendæ reſtitutionis licentiam, vel tacitè negent, vel etiam expreſsè cum Mol. *diſput.* 754. §. *Quando verò abſque &c.* Qui quidem, ut advertit Lugo *diſput.* 21. *num.* 22. ordinariè verum dicunt, quia rarò intervenire ſolet metus perpetuus talis damni, quod omninò liberet tam à reſtitutione facienda immediatè Creditori, quàm etiam facienda pauperibus, prout in debitis ſaltem ex delicto, & quando ipſe debitor non eſſet verè

verè pauper, fieri deberet, ſi ob nimiam diſtantiam majores ſumptus in tranſmiſſionem debiti eſſent inſumendi, quàm foret commodum Creditoris. In caſu tamen rarò eveniente, omninò tamen poſſibili, cum citato Lug. *à num.20.* concedendum eſt, quòd ſicut propter grave damnum poteſt eſſe licita dilatio, & propter adhuc gravius etiam eſſe licita tranſlatio reſtitutionis in pauperes, ſic propter gravius illo utroque denique poſſit eſſe licita omiſſio reſtitutionis, quando v. g. gemma, vel alia res valdè pretioſa, numquam præſenti pecunia ad reſtitutionem neceſſaria, niſi longè infra pretium juſtum vendi poſſet. E contra propter lucrum grave ex re non propria (lucri enim ex re propria intermiſſio, grave debitoris damnum eſſet licitè evitabile) ſed ex aliena obtinendum, citatus Lugo *num.15.* & Mol. §. *Quando detrimentum debitoris &c.* cum aliis DD. ibi relatis rectè obſervant, ne dilationem quidem concedi, quod intelligendum eſt cum hac limitatione, niſi conſenſus Creditoris præſumi poſſet, eò quòd totum debitum ſimul cum lucro niſi hoc eſſet præcisè induſtriale) recepturus eſſet.

§. IV.

An Debitor bona inferioris Ordinis reſtituere teneatur cum ſuo, vel ſuorum periculo, aut damno in bonis altioris Ordinis.

S V M M A R I V M.

252 *Reſolvitur quæſtio cum limitatione.*
253 *Declaratur & confirmatur limitatio.*
254 *Qui alterum injuſtè infamavit, vel falſum crimen capitale de altero ſparſit, tenetur damnum alterius cum ſimilis damni proprio periculo avertere.*

252 Reſp. Si periculum ſit circa malum evitabile libero arbitrio ejus, cujus eſt malum, nempè ſi ſit circa peccatum à debitore, uxore, vel liberis ex deſperatione, vel inopia abſque injuſto damno tertii committendum, non poſſe differri reſtitutionem, niſi dilatio Creditori parùm noxia, & conſequenter rationabiliter non involuntaria meritò credatur, ut cum aliis docet Palao *diſp.1.punct.17.* §. 3. Ratio eſt, quia iniquum foret, Creditori inferre damnum grave inevitabile, licèt inferioris, ad evitandum malum altioris ordinis, quod alius ſibi ipſi liberè inferret, & cujus proindè magis perverſa ipſius voluntas, quàm reſtitutio cauſa eſſet. Si autem periculum, aut damnum ſit circa malum altioris ordinis in ſuo genere grave, atque à ſuſtinente illud ſuppoſita reſtitutione inevitabile, fatentur communiter DD. licitè differri, vel ſi neceſſe eſt, etiam omitti reſtitutionem, niſi Creditor ex carentia rei ſibi ex delicto debitæ æquale, vel ſaltem non multò levius in eodem, aut altiori genere perferre cogeretur. Ratio aſſertionis eadem reddi ſolet, quam ſupra dixi eſſe receptum principium, quòd ſcilicet nemo teneatur reſtituere cum ſuo, vel ſuorum notabiliter majore detrimento, quàm ſit Creditoris commodum: atqui ſi debitor teneretur reſtituere bonum inferioris ordinis cum inevitabili neceſſitate ſubeundi damnum in bonis altioris ordinis, abſque æquali, vel majori damno Creditoris cavendo, detrimentum reſtituentis eſſet notabiliter majus, quàm ſit commodum Creditoris, ergo non tenetur reſtituere, ſcilicet vel non ſtatim, ſi ſola dilatione, vel non immediatè Creditori, ſi reſtitutione pauperibus facta illud damnum evitari poſſit, vel denique nullo modo, ſi per quamcumque reſtitutionem grave damnum in bono altioris ordinis incurreretur. Unde etiam non tenetur mater adultera (niſi aliàs nullius, aut exiguæ famæ ſit) manifeſtatione ſui delicti impedire, ne filius illegitimus in portione ſibi indebita cum legitimis ſuccedat (non obſtante, ut contra Sotum, Adrianum, Majorem advertit Azor §. *Altera opinio &c.* quòd ingens patrimonium, v.g. regnum, ducatus, comitatus, ad filium adulterinum tranſiret præterito filio legitimo) quamvis ſi abſque ſuſpicione ſui delicti ex propria hæreditate majorem partem filiis legitimis legando damnum illorum compenſare poſſit, omninò ad id teneatur.

Dixi: niſi Creditor ex carentia rei ſibi ex delicto debitæ, vel ſaltem non multò levius damnum in eodem, aut altiori genere bonorum perferre cogeretur: ſi enim ſine delicto debitoris Creditor etiam damnum altioris ordinis, quàm eſſet ipſa carentia debiti, inſuper incurreret, ſaltem ſi damnum illud non ex præcedente delicto, ſed ex alia cauſa emerſiſſet, tunc etſi commodum Creditoris, quod ex receptione rei ſuæ, & evitatione damni altioris ordinis conſequeretur, non eſſet minus, quàm foret detrimentum debitoris, tamen iſte adhuc à reſtitutione excuſari poſſet, quando damnum eſſet tam grave, ut reſpectu illius verè in extrema, vel quaſi extrema neceſſitate verſaretur, vel quando reſtitutio de propriis bonis debitoris fieri deberet, quia in tali caſu neque ex delicto, neque ex re accepta, ut ſuppono, neque ex contractu teneretur, cùm nemo ex delicto indirectè teneatur ad cavendum, vel reparandum damnum aliundè, quàm immediatè, vel mediatè ex delicto eveniens, quando excuſatur ab obligatione directa, nempè reparandi damnum inferioris ordinis propter imminens damnum proprium altioris ordinis, neque ſupponitur ſe ex contractu obligare ad reſtituendam rem inferioris ordinis, cum gravi ſuo damno in bonis ordinis altioris: adeòque prædictum axioma ſic accommodari poſſet, quòd nemo teneatur reſtituere cum ſuo notabiliter majore detrimento, quàm ſit commodum Creditoris ex contractu promiſſum, vel ex delicto procurandum; vel ex re accepta debitum. Si verò ex delicto debitoris Creditor in periculum damni altioris eſſet conjectus, omninò etiam cum æquali periculo debitor reſtituere teneretur: quia ſicut adſtringitur reparare injuriam, & omnia damna inde emergentia, ſic ſi poteſt, obligatur etiam illa præcavere, eò quòd eorum eventus ipſi imputetur propter cauſam injuſtè appoſitam. 253

254 Unde DD. communiter docent, eum, qui alterum injuſtè infamavit, teneri famam alterius, ſi neceſſe ſit, etiam cum propriæ jactura reſarcire; & ſi crimen falſum de illo propalavit, ex quo mors eidem immineret, obligari detegendam illius innocentiam cum propriæ vitæ periculo, ut ex Medina, Soto, Bannes, Navarro, Em. Saa, Layman. docet Palao §. 3. *nu.*5. Leſſ. *lib.2.c.* 11. *num* 91. quamvis ſi crimen fuiſſet verè commiſſum, ibidem Palao, ex Petro Navarra, Em. Saà, & Leſſio non improbabiliter neget, reum cum æquali periculo morti eripiendum eſſe, quia (ut omittam rationem à Palao aſſignatam, quòd nempè manifeſtator criminis veri non præbeat cauſam, ſed tantùm applicet cauſam mortis alienæ) etſi propalatio criminis non facta judici, fuerit injuſta, ejuſdem tamen ad judicem propagata notitia non fuit injuſta, cùm quilibet habeat jus reum criminis veri ad judicem deferendi: adeòque tantùm fuit injuſta quoad modum, non autem quoad ſubſtantiam damni, quod proindè, nec cavendum, nec compenſandum eſt.

§. V.

Utrum licitè differatur reſtitutio, quando Creditori probabiliter creditur nocitura, quia v. g. abutetur re ſua ad peccandum.

S V M M A R I V M.

255 *Refertur ſententia negativa.*
256 *Præfertur affirmativa, quando dilatione reſtitutionis ſperatur, poſſe impediri damnum ſpirituale Creditoris.*
257 *Damnum autem temporale non facilè eſt impediendum, quando Creditor validè, & licitè vult illud ſubire.*
258 *Reſpondetur ad fundamentum relatæ ſententiæ negativæ.*

255 Reſpondent Petrus Navarra, Azor, Thomas Sanchez, Bonacina, relati à Lugo *diſput. 21. num.25.* debitorem debere præmiſſa dehortatione à peccato reſtituere

tuere

tuere debitum, non obſtante illius ad peccatum præcognito abuſu, quia Creditor habet jus exigendi rem ſuam & illa abutendi; unde nec auferre licet alteri bona, quæ is luſu, luxuria, vel compotationibus prodiget, nec conjugi contra votum caſtitatis debitum petenti permiſſum eſt denegare: his aſſentitur etiam Palao §.6.*n*.3. poſito quòd Creditor ægrè ferat dilationem, quia in tali caſu illa foret violenta, inferre autem alteri, quantumvis peccare volenti, violentiam, eſt inferre injuriam.

256 Rectiùs tamen cum Molina *diſp*.755. Leſſ. *cap*.16. *dub*. 4. referente Sotum, & Navar. Lugo citante, & de Doctrinæ inconſequentia etiam arguente Bonacinam. Reſpond. Quòd ſi debitor abſque ſuo ſpeciali incommodo differre poſſit reſtitutionem cum probabili ſpe impediendi peccatum Creditoris, ſeu damnum ſpeciale, ad id etiam teneatur Lege charitatis, quamvis optimè advertat Leſſ. *n*.58. propter ſpei incertitudinem, & proprii incommodi frequentiam, rarò intervenire obligationem dilationis ſub mortali. Ratio verò reſponſionis eſt, quia quilibet tenetur ex charitate impedire peccatum alienum, quando facilè, & abſque ſuo notabili damno (ad quod tamen ſubeundum non adſtringitur, cùm proximus non verſetur in neceſſitate per liberum ſuum arbitrium inimpedibili) illud impedire poteſt, ut fatentur adverſarii, obligantes ſaltem ad dehortationem, præſertim verò tenetur non poſitivè ad illud cooperari per actionem in ſe quidem honeſtam, ſed proximè conducentem ad peccatum, v.g. ſubminiſtrando materiam peccandi. Atqui differre reſtitutionem rei, cujus abuſu committetur peccatum, eſt impedire peccatum, & reſtituere rem illam eſt poſitivè cooperari ad peccatum, & ſubminiſtrare materiam peccandi, ergo debitor tenetur differre reſtitutionem, quando ſine notabili ſuo damno, & cum ſpe impediendi damnum ſpirituale Creditoris poteſt differre.

257 Dixi: *cum ſpe impediendi damnum ſpirituale*. Nam præcisè temporale non facilè eſt impediendum, quando Creditor validè, ac licitè vult illud ſubire v.g. donando vel alienãdo rem ſuam: quòd ſi verò ex defectu uſus rationis v.g. in amentia, vel ſtultitia illud ſubire non poſſet per alienationem validam, prudenter obſervat Palao, non tantùm ex charitate, ſed etiam ex juſtitia obligari debitorem ad differendam reſtitutionem, eò quòd illatio damni aliàs adſcriberetur Creditori amenti tantùm, ut cauſæ inſtrumentali, debitori autem ut cauſæ principali, adeòque ad novam reſtitutionem faciendam rurſum obligatæ, ſi res alio modo recuperari non poſſit.

258 Fundamentum Adverſariorum nihil in contrarium evincit, quia eſto, quòd Creditor habeat jus exigendi reſtitutionem, & abutendi re ſua, quamvis loquendo de jure proximo, & completo Lugo id neget in rigore eſſe verum, eſt tamen illud jus impeditum quoad vim obligandi, & ſuſpenditur per oppoſitam obligationem charitatis, exigentem, ut debitor differendo reſtitutionem agat quodammodo fidelem negotiorum geſtorem ſui Creditoris, non quidem per poſitivam violentiam, qualis eſſet ablatio rei alienæ, quæ ordinariè propter varia inconvenientia nec conceditur, nec à charitate imponitur homini privato propter plerumque ipſi eventura incommoda, ſed quaſi per violentiam negativam, qualis eſt retentio rei debitæ irrationabiliter invito domino, quę faciliùs ab injuria excuſatur. Et ſic etiam teſte Leſſio, ac Lug. excuſatur conjux à redditione debiti conjugalis contra votum caſtitatis petiti, quando hujuſmodi negatio ordinata ad impediendum peccatum externum interiùs jam conſummatum non eſt cauſa majoris mali ſpiritualis, ut meo judicio plerumque eſſet propter periculum incontinentiæ, averſionis animi, ſiniſtræ forſan etiam ſuſpicionis &c. quo in caſu, ut ſimul obligationi juſtitiæ non ampliùs ſuſpenſæ, & charitatis ſatisfieret, conjux debitum redditurus, nec voto caſtitatis obſtrictus, potiùs petere deberet debitum, ut alter voto ligatus fiat reddens, & conſequenter etiam licitè illud recipiens.

§. VI.

An ad impediendum injuſtum damnum tertii permiſſa ſit dilatio reſtituendi rem debitam, & v.g. gladium volenti occidere, aut vulnerare ſuum inimicum.

SUMMARIUM.

259 *Ad quæſtionem reſpondetur affirmativè.*

260 *Oſtenditur, in caſu poſito per reſtitutionem non tantùm peccari contra charitatem proximi, ſed probabiliter etiam contra Ius tertii.*

Reſp. Omnium conſenſu non tantùm eſſe permiſ- 259 ſam, ſed ſecluſo gravi incommodo debitoris etiam eſſe præceptam Lege charitatis, & probabiliùs quoque Lege juſtitiæ ſecundùm communiorem ſententiam Soti, Leſſii, Palao, Lugo, & aliorum contra Mol. *d*. 755. *num*.1. id negantem, modò debitor non intendat damnum tertii. Probatur in primis quoad legem charitatis, quia lumen naturæ dictat defendendum eſſe innocentem, ne damnum injuſtum patiatur, ſi facilè, & abſque proprio gravi detrimento, vel aliis inconvenientiis defendi poſſit. Atqui pro eo tempore differre reſtitutionem rei debitæ, pro quo Creditor eadem abuteretur in tertii injuſtum damnum, eſt defendere innocentem, ergo pro eo tempore differenda eſt reſtitutio, ſi facilè, & abſque proprio gravi detrimento differri poſſit. Unde S. Antonin. Navar. Sotus, Mol. approbati à Lugo *numer*.33. admittunt aliquando etiam fas eſſe, pro aliquo tempore ſurripere rem alienam, ad injuſtum damnum, vel ad peccandi illicium ſerviturам, v.g. mulieris fucos, & pigmenta, quibus ad luxuriam alliceret, quamvis rariſſimè hujuſmodi ablatio ex charitate videatur eſſe debita, cùm vix niſi forſan occultè abſque proprii detrimenti periculo peragi poſſit: imò etiam ut licita ſit, gravior cauſa requiratur, quàm ad retentionem rei alienæ, quæ quoad modum eſt minùs, & potiùs negativè violenta.

Probatur nunc etiam quoad legem juſtitiæ. Etiamſi 260 reſtitutio rei alienæ de ſe ſit actio honeſta, & indifferens, ut à Creditore vertatur in damnum tertii, vel non vertatur, in his tamen circumſtantiis, in quibus præcognoſcitur vertenda in alterius damnum, ſicut eſt indebita Creditori, ſic, & conſequenter eſt contra jus alterius, quo debitorem obligat ad non ponendam ullam actionem proximè conducentem ad inferendum ſibi damnum ſine gravi urgente cauſa, ergo ſi debitor ſine tali urgente gravi cauſa, qualis eſſet proprium grave detrimentum, ponat reſtitutionem, v.g. gladii, non minùs conducentem proximè ad mortem, vel vulnerationem, quàm ſi quis ſuum gladium commodaret, ad mortem innocentis, aliàs ſine hac commodatione non inferendam, jam hoc ipſo peccat contra juſtitiam, non minùs, quàm ſi proprium ſuum gladium commodaſſet, quod nemo facilè ab injuſtitia, & conſequenter ab obligatione, in defectum principalis læſoris compenſandi inde exurgentia damna, excuſabit.

§. VII.

An quando tranſacto juſtæ dilationis tempore reſtituitur debitum, ſimul etiam reſtitui debeat æſtimatio lucri ceſſantis, & damni emergentis illi moræ correſpondens.

SUMMARIUM.

261 *Quando ipſe Creditor erat in mora reſtitutionis, quia ſcil. in ejus utilitatem, e.g. propter bonum ejus ſpirituale, facta eſt dilatio, vel quia ipſe poſuit aliquod impedimentum, quod potuiſſet & debuiſſet non ponere, nihil pro tempore dilationis eſt reſtituendum.*

262 *Reſolvitur quæſtio cum diſtinctione, ſi reſtitutio eſt debita vel ex re accepta, vel ex Contractu, vel ex injuſta acceptatione.*

263 *Pro-*

263 *Probatur Reſolutio quoad ſingula membra diſtinctionis.*
264 *Solvitur objectio.*

261 AFfirmat Laym. *lib.3.tr.2.cap.12.in fin. numeri 2.* & Mol. *diſp.754.nu.3.* excipiens tamen ſequenti numero, niſi dilatio reſtitutionis facta ſit in utilitatem Creditoris. Ego inſuper aſſero 1. quotieſcunque facta eſt dilatio propter impediendum injuſtum damnum ex abuſu rei reſtitutæ, ſive debitori, ſive tertio inferendum, nihil pro illa dilatione debere reſtitui. Ratio eſt, quia quando Creditor eſt in mora, ſeu quando ipſe eſt cauſa, cur reſtitutio non fiat ſuo tempore, eò quòd v.g. non velit acceptare reſtitutionem, vel nimis procul diſceſſerit, nullo relicto procuratore, debitor pro dilatione nihil tenetur reſtituere, ut ex plurium aliorum DD. mente ſupra dixi: atqui quando ratione injuſti damni à Creditore cuivis alteri inferendi fit dilatio reſtitutionis, tunc etiam Creditor eſt in mora, & ergo &c.

262 Aſſero 2. Si obligatio reſtituendi debitum proveniat ex re accepta, vel ex contractu, nihil aliud pro tempore juſtæ dilationis eſſe reſtituendum, quàm quod, & quantum per expreſſam, aut tacitam conventionem inter contrahentes eſt ſtatutum, ut aſſentitur Palao *diſp. 1. punct.17.§.10.* Lugo *d.21.num.17.& 18.* & Petrus Navar. apud Leſſ. *cap.16.num.33.* aſſerens hoc probabile, & reſpectu dilationis ob gravem neceſſitatem, vel periculum amittendi ſtatum, omninò verum affirmans. Si autem proveniat ex delicto debitoris ratione injuſtæ acceptionis, vel injuſtæ detentionis, præcedentis ſtatum impotentiæ, & detentionis juſtæ, omninò ſecundùm communem DD. ſenſum contra Palao *l.c.* reſtituendam eſſe totam æſtimationem lucri ceſſantis, & damni emergentis, niſi dilatio facta fuerit propter talem neceſſitatem, ob quam etiam licuiſſet rem debitam Creditori auferre, & ſimul ſine impedimento eandem auferre potuiſſet, etiamſi ipſum delictum non præceſſiſſet, ut adeòque lucri ceſſatio, & damnum emergens non adſcribatur delicto, ſed ſoli neceſſitati, ad quam etiam tacita, vel expreſſa conventio, niſi ſpecialiter in pacto fuiſſet incluſa, prorſus ſe non extenderet; cùm debitor illa durante habeat jus abſolutum inferendi damnum Creditori, quatenus hoc eſt neceſſarium ad ſuccurrendum præſenti ſuæ indigentiæ, ita ut probabiliùs ad illius compenſationem meliori adſpirante fortuna non teneatur, modò tempore neceſſitatis re, & ſpe verè pauper fuerit.

263 Probatur aſſertio quoad utrumque membrum. Quia omnis obligatio reſtitutionis debet fundari, vel in titulo rei acceptæ, vel contractus, vel injuſtæ acceptionis, ſed quando datur obligatio reſtituendi rem debitam, proveniens ex titulo rei acceptæ, vel contractu, obligatio reſtituendi æſtimationem lucri ceſſantis, vel damni emergentis non fundatur in titulo rei acceptæ, ut per ſe patet, quia, ut ſuppono, nihil lucri exiſtit penes debitorem; ex tacita autem, vel expreſſa conventione ſæpè nihil eſt conſtitutum pro lucro ceſſante, vel damno emergente, & ſæpè aliquid eſt conſtitutum, nempè uſuræ ordinariæ, quæ recipi poſſunt ex mutuo, vel fructus, aut æſtimatio fructuum ex re frugifera ad creditum vendita juxta *l.Curabit C.de Actionibus empti. & l. Julianus § 19. & 20.ff. Eod.* Quando verò obligatio reſtituendi rem debitam provenit ex delicto, quod eſt mediata cauſa lucri ceſſantis, & damni emergentis ex dilatione reſtitutionis, hoc ipſo jam pro utriuſque æſtimatione reſtituenda datur titulus injuſtæ acceptionis, ergo in priori caſu noſtræ aſſertionis nihil eſt reſtituendum pro lucro ceſſante, & damno emergente, niſi quod, & quantum per expreſſam, vel tacitam conventionem eſt ſtatutum, in poſteriori verò caſu tota æſtimatio eſt reſtituenda.

264 Dices. Hoc ipſo, quòd Creditor in gratiam, & utilitatem debitoris præſumatur juſtæ dilationi conſentire, jam ex tacito pacto præſumitur illum ſibi viciſſim meritò obligare ad compenſandam dilationem ſecundùm æſtimationem lucri, quod ex re ſibi debita percepiſſet, & damni, quod ex carentia illius perpeſſus eſt, ergo ſive obligatio Creditori reſtituendi rem debitam proveniat ex delicto, ſive ex alio titulo, ſemper reſtituenda eſt tota æſtimatio lucri ceſſantis, ac damni emergentis, noſtramque diſtinctionem fruſtra adhibuimus. Reſpondeo negando antec. quia ſive conſentiat

Creditor, ſive non conſentiat, debitor eſt excuſatus ratione impotentiæ, evenientis inſtar caſus fortuiti, adhuc autem teſte Lugo *num. 18.* ad finem nemo cenſetur ſe obligare.

ARTICULUS III.

De ſecunda cauſa excuſante, nempe de Ceſſione Bonorum.

SUMMARIUM.

265 *Ceſſio Bonorum non extinguit obligationem reſtitutionis in foro conſcientiæ; in foro externo autem debitorem liberat à captivitate carceris, & moleſta conventione ulteriori apud Iudicem; quamvis debitor ex delicto ratione hujus detineri, & plecti poſſit.*
266 *Quid cedenti bonis à Iudice relinquendum ſit, & quid, ſi ad pinguiorem fortunam perveniat.*
267 *Quid cedenti bonis in foro conſcientiæ, & ante ſententiam Iudicis liceat de bonis ſuis occultare, ac retinere.*
268 *Quibus debitoribus ceſſio Bonorum non ſit neceſſaria.*
269 *Quibus non ſit permiſſa.*

CEſſio Bonorum, ſeu abdicatio omnium bonorum, & jurium ad illa, à debitore facta, præmonitis, ſi opus eſt, univerſis Creditoribus, & manifeſtatis omnibus debitis coram Judice, ut executio reſtitutionis ſecundùm vires bonorum ſtatuto prælationis ordine fieri poſſit, quoad reſtantia debita à reſtitutione non alio, quàm impotentiæ titulo excuſat, nec in foro conſcientiæ ullum novum privilegium confert, ut rectè ex Navarro obſervat Leſſius *lib.2. c.16. num. 42.* In foro tamen externo duo præſtat, primò ut debitor in carcerem conjici, vel antea conjectus in eodem detineri non poſſit propter debita civilia, id eſt, merè ex contractu civili abſque injuſtitia orta *l.1.C. Qui bonis cedere poſſunt.* Immò contra communiorem quidem ſententiam Panormitani, Jaſonis, Fabri, Julii, Clari, Petri Navarræ, & Pauli Layman. *lib.3. tract.2.c.12. num.5.* admittunt Sylveſt. Navar. Lopez, Gutierez relati, & approbati à Palao *diſp.1.pu.17.§.7.n.7.* & ſupponit Leſſius *n.45.* etiam debitorem ex delicto cum nullibi excludatur, gaudere privilegio ceſſionis bonorum (habeatur enim hæc ceſſio pro privilegio, quamvis ſi ſecundùm conſuetudinem loci cum ignominia fiat, uti in Hiſpania cum ſuſpenſione catenæ ferreæ ex collo, & traditione debitoris in obſequium Creditoris, potiùs pœnalis cenſenda ſit) adeòque propter debita ex furto, rapina &c. Quatenus contra eum civiliter agitur ad intereſſe partis læſæ in captivitatem trahi non poſſe, & quandò *l.1.ff. de Pœnis in fine* dicitur, qui non habet in ære, luat in corpore, illud *in ære* intelligendum eſſe de pœna pecunaria à judice impoſita, non autem de recompenſatione damni parti læſæ præſtanda.

Secundò conceditur Ceſſioni Bonorum, ut ea poſita debitor ad pinguiorem fortunam perveniens juxta obligationem ſuam naturalem teneatur quidem adhuc ſolvere reſiduum debiti, uti patet ex *l. Cum & filiusfamilias C. Qui bonis cedere poſſunt, & l.4.ff.de Ceſſione bonorum, & §.ult. Inſt.de Actionibus*, idque probabiliùs contra quoſdam verum aſſeritur à Covarr. Navar. Molin. Leſſ. Palao, Lugo, & aliis ab iſto relatis, etiamſi ſolemnitas ignominioſa adhibita ſit, quia hæc à judice infligitur in pœnam commiſſi, vel præſumpti criminis, ne debita ultra vires contrahantur, non autem in recompenſationem, niſi (qua limitatione forſan adverſarios conciliare poſſum) ad inſtantiam partis læſæ, & ad eam placandam irrogata ſit. Conceditur tamen, inquam, ſecundò in ordine ad forum externum, ut peracta ceſſione non teneatur plus ſolvere, quàm quantum poteſt citra egeſtatem, & jacturam alimentorum, cæterorumque neceſſariorum ad ſuam, & ſuorum convenientem ſtatui ſuſtentationem, ut conſtat ex citata *l.4. & 6. ff. de Ceſſione bonorum, & §.ult. Inſtit. de Actionibus.* Ex bonis enim ante ceſſionem obtentis in foro externo nihil relin-

quitur debitori, beneficio competentiæ, ſeu competentis ſuſtentationis non gaudenti, niſi veſtes exiguæ, & communiter ab ipſo geſtari ſolitæ, & fruſtra Leſſ. *n.* 46. ex *l.* 6. conatur etiam modica alimenta evincere, cùm ipſa lex tantùm de bonis poſt ceſſionem debitori per miſericordiam ex teſtamento relictis loquatur, & eadem iteratò vendi prohibeat, ut rectè legem explicat Lugo *d.* 21. *n.* 37. ſecluſa laudabili humanitate judicum modica alimenta ex indulgentia concedentium, vel ex conſuetudine teſte Manzio apud P. Haun. 445. in Germania recepta, opificibus permittentium inſtrumenta ad quærendum victum neceſſaria.

267 Quamvis verò pro foro interno debitor bonis cedens non indigeret hujuſmodi privilegio, utpote qui, ut ex dictis præcedentibus §§. deducitur, & à Leſſio *n.* 45. rectè notatur, occultè ſibi de bonis ſuis retinere poteſt, quantum ipſi ad ſuam, & ſuorum ſuſtentationem ſecundùm proportionem ſtatus juſtè acquiſiti neceſſarium eſt (nec enim ſtatu cadere, aut mendicare, aut miſerè vivere, aut inſtrumenta functionis ſuæ neceſſaria vendere ante ſententiam judicis tenetur) pro foro tamen externo, & privilegio indiget, & juſtè ipſi per legem etiam moraliter neceſſaria adempta ſunt; quia jus naturale tantùm phyſicè, ſeu ad extremam, vel quaſi extremam indigentiam ſublevandam neceſſaria conceſſit abſolutè, moraliter verò neceſſaria conceſſit ſub conditione, nempe niſi ex judicis poteſtate illis ſpolietur ob finem honeſtum, ne ſcilicet debita inſolubilia facilè contrahantur.

268 Denique advertendum eſt, ceſſionem bonorum neque omnibus debitoribus impotentibus eſſe neceſſariam, de quibus ex inſtituto agit Palao *diſp.* 1. *punct.* 18. § 27. *& ſeqq.* neque omnibus permiſſam; neceſſaria non eſt illis debitoribus, qui ob debita civilia in carcerem mitti non poſſunt, ut mulieres honeſtè viventes *Auth. Hodie novo jure C. de Cuſtodia reorum*, & milites actu in bello verſantes *l. Miles, & l. Item miles, ff. de re judicata*, & certi Nobiles in Regno Caſtellæ teſte Molin. *diſputat.* 571. immò hos communiter, ut & Doctores iſto privilegio gaudere teſtatur P. Haun. *n.* 435. In primis verò Clerici *juxta c. Odoardus de Solutionibus*, quod de illis teſte Leſſ. Lugo, & Molina intelligendum eſt, qui juxta Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 6. privilegio canonis, & fori gaudent, neque conjugati ſunt, de conjugatis enim licèt canonis, & fori ſæculari privilegio fruantur, *c. un. de Clericis conjugatis in* 6. expreſsè dicuntur, in cæteris autem eos gaudere nolumus privilegio Clericali. Immò etiam Clericos privilegiatos ob debita ex delicto à ſuo Magiſtratu incarcerari poſſe, cum aliis docet Molina §. *Si Clericus tempore contractus*: idipſum tamen de debito reſtituendo, & non per modum mulctæ ſolvendo, negabunt ii, qui docent, beneficium ceſſionis bonorum prodeſſe etiam debitoribus ex delicto, quod enim per hoc conceditur laicis, id per privilegium *c. Odoardus* conceditur Clericis: abſolutè ita docet Palao *pun.* 18. §. 29. *n.* 5. plur. DD. relatis. Quod ſi tamen Clericus de fuga ſuſpectus foret, utique carcere à ſuo judice cohiberi poſſet: ſicut etiam relictis neceſſariis pro ſuſtentatione reliquum Creditoribus aſſignari deberet *juxta c. Pervenit de Fidejuſſoribus*.

269 Permiſſa verò non eſt ceſſio bonorum. Primò, iis debitoribus, qui à ſuis Creditoribus, vel ſaltem à majori aut æquali parte (quæ non tam à numero perſonarum, quàm à quantitate juris æſtimanda eſt, ita ut ſi uni debeatur plus, quàm omnibus reliquis, ejus ſententia ſtandum ſit) inducias quinquennales acceperunt, ſive adhuc in iiſdem verſentur, ſive jam finiverint *l. Fin. C. Qui bonis cedere poſſunt*, juncta Gloſſa communiter recepta. Secundò, qui in ceſſione bonorum aliqua occultarunt, vel priùs in fraudem alienarunt, aut diſſiparunt *l. Fin. ult. ff. Quæ in fraudem creditorum*. Tertiò, qui beneficio ceſſionis promiſſione juramento firmata, immò ſecundùm multos, quos ſequitur Palao *pu.* 17. §. 7. *n.* 12. etiam non firmata renuntiarunt, eò quòd quilibet poſſit renuntiare privilegio immediatè perſonæ privatæ, in ejuſque utilitatem primariò, ac directè, & tantùm ſecundariò in utilitatem communitatis conceſſo.

ARTICULUS IV.

De tertia Cauſa excuſante, nempe de Ingreſſu Religionis.

SUMMARIUM.

270 *Proponitur ſtatus quæſtionis.*
271 *Referuntur tres ſententiæ.*
272 *Poſteriores duæ ſententiæ cum diſtinctione approbantur.*
273 *Probatur noſtrum Judicium.*
274 *Reſponſio de debitis realibus extenditur ad debita obſequiorum perſonalium.*
275 *Quinam Jure poſitivo Sixti V. propter debita prohibeantur Religionem ingredi.*
276 *Solvuntur objectiones.*

270 DE hoc quæritur, an quando omnia debitoris bona non ſufficiunt debitis ſolvendis, poſſit illa Creditoribus relinquens, Religionem licitè ingredi (nam de valore votorum non eſt dubium, cùm extra ſervitutem, & matrimonium conſummatum nullum detur jus in perſonam, ſed tantùm in rem illius) non obſtante, quòd adhuc certis, & ex contractu oneroſo, vel delicto oriundis debitis gravetur (incerta enim debita ad pias cauſas, ſive ex jure humano, ſive naturali applicanda, communiter creduntur nihil præjudicare meliori cauſæ piæ, ſcilicet Religioni ſuſcipiendæ: imò hoc ipſo applicantur cauſæ piæ, quando eorum jus debitor ſibi retinet, ut Religionem ingredi poſſit: debita gratuita verò ſupponuntur ſub tacita conditione deberi, ſi præſtari poſſint ſine gravi incommodo, quo modo etiam ſponſalia, licèt præſtantioris boni nempe corporum traditionis, & quidem mutuam obligationem inducentia tacitam conditionem includunt, niſi ſuſcipiatur ſtatus Religionis, vel etiam, ut nonnullis placet, ſtatus ſolummodò cælibatus: nec obſtante etiam, quòd in ſæculo manens, arte, negotiatione, vel aliis non extraordinariis, & ſtatum non indecentibus mediis probabiliter tanta bona acquirere poſſet, quæ ad debita expungenda ſufficerent detractis expenſis in uxorem, & prolem forſan numeroſam inſumendis; neque enim propter debita quiſpiam ſubire tenetur onus vitæ cælibis ducendæ, aut abſtinendi à petitione debiti, cùm liberos generare ſtatui conjugali, qui ad hoc inſtitutus eſt, magis ſit proprium, quàm ſtatui nobilitatis alere neceſſarios famulos, nemo autem obligetur difformiter ſuo ſtatui vivere.

271 Circa hanc quæſtionem (qua ſupponitur, debitorem non promiſiſſe Creditori, quòd velit illi ſatisfacere etiam cum jactura, ſi opus fuerit, ſtatus Religioſi) tres ſunt ſententiæ, quas cum ſuis AA. refert Cardinalis de Lugo *diſp.* 21. *ſect.* 6. & Palao *de ſtatu Religioſo diſp.* 1. *pu.* 7. §. 4. Aliqui abſolutè negant, licitum eſſe ingreſſum Religionis. Ita Valentia, Joannes Medina, Suar. quos refert, & ſequitur Palao, Gabriel, Gerſon, Angles, Molin. *diſp.* 758. citati à Lugo. Alii abſolutè affirmant. Ita expreſsè S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 189. *art.* 6. *ad* 3. Antonius, Cajet. Sylv. Paludanus, Aragonius, Em. Saà, & plures alii apud Lugo, & Thom. Sanchez *l.* 6. 4. *Sum. c.* 19. *n.* 7. Medium tenent Navarrus, Petrus Navarra, Lopez, Azor, Th. Sanchez, Leſſ. Lugo, P. Haunoldus, aſſerentes, ſi probabilis ſpes eſſet brevi tempore lucrandi æſtimationem totius debiti, vel notabilis partis debitorem teneri durante ſpe interea expectare, aliàs licitum ei eſſe ingreſſum, ſive debitum ſit ex contractu, ſive ex delicto: pro brevi autem tempore Lugo, & Sanchez determinant duos annos, & Palao tres.

272 Ego alterutri ex duabus poſterioribus ſententiis conſenſum præbeo, ſpectata quantitate debiti, & damni ſpiritualis ex dilatione ingreſſus debitori eventuri, & ſpei ad obtinendum lucrum: ſi enim debitum foret exiguum, vel modica ſpes vel damnum ſpirituale valde grave, eò quòd interea magnum periculum multorum peccatorum inhabilitantium ad Religionem, amittendæ occaſionis, vel propoſiti, vel receptionis &c. immineret, adhæreo ſecundæ ſententiæ, ſi autem debitum, & ſpes lucri in ſuo genere notabiliter, ſuperarent damnum ſpirituale,

tuale, ſubſcribo tertiæ ſententiæ, ita ut fatear, ultrà biennium expectandum non eſſe, quia longior mora vix poteſt non eſſe graviter damnoſa, negem tamen cum Petro Navarra, Thom. Sanchez, & Lugo *num.* 71. neceſſariò ſemper expectandum eſſe biennium, cùm non ſemper eadem ſit proportio debiti, ſpei ad lucrum, ac damni ſpiritualis: in dubio verò arbitror ſemper magis favendum eſſe debitori, quia etiamſi debitum ſit certum, tamen etiam certum eſt, quemlibet habere jus aſſecurandi ſuam ſalutem in ſtatu ducente ad perfectionem, quod quia homini eſt congenitum, & ordine dignitatis eſt longè præſtantius; ideò manet in ejus poſſeſſione, donec de contrario ſufficienter conſtet.

273 Probatur itaque concluſio. Debitor non tenetur bona, quæ habet in re reſtituere cum longè majori ſuo damno, præſertim in bonis altioris ordinis, quàm ſit commodum Creditoris, ut ſuprà oſtenſum eſt: ergo multò minùs tenetur bona, quæ habet in ſpe reſtituere cum longè majori ſuo damno &c. Atqui perpetua, vel ſaltem ad longum tempus (quale præſumitur id, quod eſt majus biennio) à ſtatu Religioſo excluſio eſt ſemper longè majus damnum, utpotè in bonis altioris, imò ſupremi Ordinis, non quidem actu jam obtentis, ſed ad quæ obtinenda datur jus, ſicut ſuprà diximus, dari jus ad lucrum temporale ex propriis bonis, ergo debitor nunquam tenetur reſtituere cum tali damno. Confirmatur 1. Vir honoratus ſecundùm veriorem, & communiorem ſententiam non tenetur procurare lucrum labore ſtatum ſuum civilem dedecente, & quaſi cum illo moraliter incompoſſibili, ergo multò minus tenetur procurare lucrum incompoſſibile cum ſtatu perfectiſſimo, cujus diuturna, vel perpetua repulſa eſſet multò gravius damnum, quàm civilis ſtatus jactura. Confirmatur 2. Nemo ex Adverſariis facilè dixerit, aliquem ob debita perſolvenda aliquando teneri abſtinere à ſtatu conjugali, eò quòd hujuſmodi abſtinentia nimis eſſet oneroſa, atqui abſtinentia à ſtatu incomparabiliter præſtantiore, nempè Religioſo, etiam eſſet nimi oneroſa, ergo &c. Viciſſim brevis dilatio ingreſſus in Religionem poteſt in ſuo genere eſſe leviter damnoſa, & oneroſa, & carentia debiti conſiderata etiam indigentia Creditoris poteſt eſſe valdè graviter damnoſa, ergo debitor tenetur expectare brevi tempore, commenſurato in ſua proportione indigentiæ Creditoris, magnitudini debiti, lucri ſperati, ac levitati damni ſpiritualis.

274 Quod dictum eſt de debito reali, cum proportione intelligendum eſt de debito, ſeu obſequio perſonali, cum ſtatu Religioſo incompoſſibili, quia ſi incompoſſibile eſt, præcedens ejus ſive gratuita, ſive non gratuita promiſſio implicitè continet hanc conditionem, quòd nempè præſtiturus ſis tale obſequium, niſi per illud impediaris, vel diu retarderis ab ingreſſu in Religionem, poſito quòd illam velis ingredi: Unde ſi hæc conditio non impleatur, ſed eligatur ſtatus Religioſus, tunc nec actio eſt debita, nec æſtimatio lucri temporalis, ſi quod inde promanaret, ante ingreſſum Religionis eſt compenſanda, utpotè cujus lucri radix, ſeu cauſa non tranſivit in obligationem abſolutam, ſed ſolummodo reſtituenda eſt æſtimatio rei collatæ ſub onere præſtandæ actionis, cujus exemplum affert Lugo *num.* 74. deſumptum ex Magiſtro artis, eam cum alimentis tradentis diſcipulo, ſub obligatione, ut, ſi illam addidiciſſet, ſibi per aliquot annos gratuitam operam locaret, ante quorum evolutionem dans nomen Religioni non teneretur ſolvere æſtimationem operæ locandæ, ſed tantùm alimentorum, & inſtructionis, deducto tamen valore laboris, & obſequii, viciſſim in Magiſtri utilitatem præſtiti.

275 Circa prædictas ſententias advertendum etiam eſt, eas tantùm procedere de jure naturali, nam jure poſitivo Sixti V. in Bulla edita anno 1587. bonorum ſuorum decoctores poſt dilapidatam rem familiarem (hos enim relatis propriis verbis, & non alios deſignavit Pontifex) non ſolùm à Religionis ingreſſu ſub gravibus pœnis, ipſis & eorum receptoribus ſtatutis, prohibiti, ſed etiam inhabiles redditi ſunt, quam inhabilitatem Clemens VIII. per aliam Bullam ſuſtulit, manente tamen prohibitione, & pœnis. Undè licitè tales, nec Religionem ingredi, nec in eam recipi poſſunt, ſi debita eorum ſint magna, & creditoribus ſolùm ſatisfieri queat, ac probabiliter ſperetur, poſito quòd debitores eorum in ſęculo permaneant: ſi verò hi alia ratione à debitis liberari, vel ſi ne hac quidem ratione iiſdem exſolvi poſſint, ceſſat pœna excluſionis à Religione, unicè in favorem Creditorum ſtatuta. Nunc quid AA. primæ ſententiæ obiiciant, audiamus.

Obiicitur 1. Obligatio ſolvendi debita eſt juris naturalis, ergo non licet ad illius executionem ſe impotentem reddere per aliquid, quod eſt ſolùm conſilii, ſicut non liceret ſibi abſcindere brachium, ut inquit Mol. vel continuò in Xenodochio inſervire, ut inquit Palao, ſi domeſtico labore manuum, ſtatum decente, debita diſſolvi poſſent. Reſp. diſt. antec. Obligatio ſolvendi debita eſt juris naturalis abſoluti, nego antec. conditionati, ſi ſcilicet ſolvi poſſint ſine jactura bonorum altioris ordinis, per aliquid, quod eſt ſolùm conſilii, acquirendorum, concedo antec. & nego conſeq. ac paritatem cum abſciſſione brachii, & ſervitute in Xenodochio, quia illa nec eſt in ſe licita, nec conducens ad bona altioris ordinis acquirenda, iſta verò eſſet quidem conducens, ſed ejus conducentia facilè eſt compenſabilis aliis operibus bonis, imò ipſa executione juſtitiæ. 276

Obiicitur 2. Major eſt obligatio juſtitiæ, quàm miſericordiæ, ergo ſi propter obligationem naturalem miſericordiæ erga parentes pauperes filius impeditur ab ingreſſu Religionis, ut DD. communiter fatentur, etiam debitor impeditur propter obligationem naturalem juſtitiæ. Reſp. negando antec. ſi de miſericordia, vel potiùs pietate erga parentes naturales arctiſſimo ſanguinis vinculo conjunctos, ſit ſermo: nam ut ex dictis patet, propter hujuſmodi neceſſitatem parentum, quæ impediret filium à Religione, excuſaretur etiam à ſolutione debitorum ex juſtitia. 277

Obiicitur 3. Non licet inferre aliis damnum temporale, v.g. furando violare juſtitiam, propter acquirendum bonum ſpirituale, ergo non licet propter obtinendam Religionem defraudare debita contra juſtitiam. Reſp. diſt. antec. non licet inferre aliis damnum temporale per ablationem, aut violationem juſtitiæ poſitivam, ac directam, concedo antec. per negativam ablationem, ſeu per omiſſionem reſtitutionis, quæ, ut ex dictis patet, faciliùs excuſatur, & tantùm ſub conditione abſentiæ longè majoris damni à juſtitia præcipitur, ſubdiſtinguo, niſi obligatio reſtitutionis inferat damnum graviſſimum libertati, reſtringendo in perpetuum, vel ad longum tempus liberam, & hominibus communiter conceſſam electionem maximi boni ſpiritualis, & ratione ſecuritatis, ac certitudinis perveniendi ad perfectionem, ſalutemque animæ obtinendi moraliter incompenſabilis, tranſeat antec. ſi inferat tale damnum, nego antec. & conſeq. Si enim ille excuſaretur à reſtitutione, v.g. unius aurei, qui eam aliter præſtare non poſſet, niſi rem intra aliquot annos vendibilem mille florenis vendat centum florenis, & ſic patiatur damnum boni nondum poſſeſſi, ſed obtinendi longè quidem majoris, ſed ejuſdem ordinis, certè excuſabitur etiam is, qui ratione reſtitutionis deberet pati damnum boni maximi, ac ſupremi ordinis. Retorqueri etiam poſſet argumentum in Adverſarios, qui utique facilè nobiſcum concedent, debitorem patientem frequens periculum incontinentiæ, propter ſalutem animæ ſuæ in ſtatu conjugali ſecuriùs obtinendam, non eſſe obligatum ad recipiendum pingue beneficium Eccleſiaſticum cum cœlibatu, etiamſi conjugatus reſtitutionem præſtare non poſſit. 278

Obiicitur 4. Qui corrupit virginem ſub ſpe promiſſi matrimonii, tenetur eam ducere, nec conceditur ipſi ingredi Religionem, ut docet Thom. Sanchez *lib.* 1. *de Mat. d.* 44. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 4. Lugo *d.* 21. *num.* 78. & alii communiter, quod verùm dicunt, etiamſi fornicator priùs Religionem virginem inſcia voviſſet: ergo reſtitutio præſtanda eſt cum jactura, ſi opus ſit, ſtatus Religioſi. Reſp. diſt. antec. tenetur fornicator ducere virginem independenter ab expreſſa, vel tacita promiſſione ſervandi illi fidem, eamque ducendi poſtpoſito ſtatu perfectiore, nego antec. dependenter à tali promiſſione, concedo antec. Nam hæc promiſſio ſemper intercedit, promiſſio enim matrimonii non eſſet ſufficiens ad inducendam virginem in conſenſum, niſi conceſſo uſu corporis omnino tranſiret in abſolutam, ſecluſa hac conditione, quæ aliàs abſque conceſſo uſu ſubintelligitur, nempè niſi ſtatum perfectiorem aſſumpſero. Et ſic etiam ſecundùm aliquos corruptio virginis per injuriam ſe- 279

ductæ æquivalet ſaltem ex diſpoſitione juris, aut conſuetudinis promiſſioni, vel augendæ dotis, vel ducendi in uxorem omiſſio ſtatu perfectiore, ſicut ſuſceptio Ordinis ſacri æquivalet expreſſæ promiſſioni caſtitatis perpetuæ: Eadem ratione nunc diſtinguo conſequens: ergo præſtanda eſt reſtitutio, quando expreſſo, vel tacito pacto ſe quis ad eam obligavit etiam poſtpoſita Religione, conc. conſeq. (propterea ſupra dixi, pro quæſtionis controverſia ſupponi, debitorem non promiſiſſe Creditori, quòd velit illi ſatisfacere cum jactura ſtatus Religioſi) ergo præſtanda eſt reſtitutio, quando neque expreſſo, neque tacito pacto ſe obligavit, nego conſequentiam.

280 Obiicitur 5. S. Thomas, & alii concedunt, poſſeſſorem rei alienæ, & rationibus reddendis obſtrictum, non poſſe ingredi Religionem, antequam ſatisfecerit, quod de obſtricto rationibus reddendis citata Bulla Sixti V. expreſsè definivit: atqui eadem ratio eſt de quocumque alio debi ſive ex contractu oneroſo, ſive ex delicto, ergo idem dicendum eſt. Reſp. In prædictis caſibus ideò à S. Thoma, & aliis concedi obligationem differendi ſtatum Religioſum, donec res aliena, & ratio adminiſtrationis bonorum, vel officii reddatur, quia utrumque tempore non admodum longo præſtari poteſt, aliàs ſpectato jure naturę etiam major propoſitio negaretur cum Lugo, Bulla verò de ratiociniis valdè litigioſis, & multis fraudibus intricatis intelligenda eſt.

281 Obiicitur 6. Si debitor non tenetur ad diſſolvenda debita procurare, vel admittere media, unicè ad hunc finem neceſſaria, quale ponitur hìc eſſe ſuſceptio ſtatus ſæcularis, tunc licitè poterit donationes, hæreditates, legata &c. repudiare, & lucrum, quod ex competenti ſibi labore, vel muneris alicujus functione conſequi valeret, per otium, negligere, conſequens planè videtur irrationabile, ergo &c. Reſp. majorem ſaltem quoad primam partem à multis concedi apud Palao *diſp.1.de juſtit.commut.punct.*17. §.11. Meliùs tamen negatur major cum citato Auctore, Mol. *diſp.*435. *ad finem*, Sanchez *lib.6. de Matrim. d.*4. *num.*9. Petro Navarra *lib.*3. *de reſtit.cap.*1. *num.*112. & pluribus aliis. Ratio eſt, quia acceptatio rei gratis, & ſine magno onere, ut ſupponitur oblatæ, & labor non nimis difficilis, ac indecens ſtatum ſunt media non ſolùm neceſſaria, ſed etiam ordinaria, & facilia, & æquiparantur potiùs modicæ dilationi ſtatus Religioſi, & propterea recuſari non poſſunt ſine gravi injuria Creditorum, quamvis hæc in foro externo propter evitandas lites, ſicut plures aliæ actiones injuſtæ, diſſimuletur.

ARTICULUS V.

An Excommunicatio Creditoris ſit cauſa excuſans à Reſtitutione.

SUMMARIUM.

282 *Summatum eſt in titulo.*

282 PRædicta impedimenta ex parte debitoris ſe tenebant, nunc dubitatur, an ex parte Creditoris excommunicatio illius, qua fidelium cum ipſo communicatio, & commercium etiam civile prohibetur, obligationem reſtituendi ſuſpendat, quòd enim hujuſmodi commodum debitori propria excommunicatio non afferat, conſtat *ex c.intelleximus de judiciis*, ubi etiam in judicio conventus per interpoſitam perſonam comparere jubetur. Itaq; de Excommunicatione Creditoris affirmant *Gl.c. Nos Sanctorum Verbo conſtricti ſunt* 15. *q.*6. *& cap.Fin. de Hæreticis*, Adrianus, Panormitanus, & alii relati à Covar. *Regula Peccatum p.*1. *num.*8. Communior tamen, & teſte Palao *diſp.*1.*de juſt.punct.*17. §.5. certa ſententia negat Excommunicatione Creditoris ſuſpendi obligationem debitoris, quia etiamſi jure communi in reverentiam judicii *cap. Pia de exceptionibus in* 6. non concedatur actio Creditori excommunicato, ſed excipi contra eum poſſit, non tamen privatur bonis, & juribus ſuis proprietatis. Unde communicatio, qua ipſi vel debita cedente die ſolvuntur, vel qua privatim per rerum ſuarum vigilantem curam ſolvenda exigit, generali conceſſione communicandi in neceſſariis permiſſa cenſenda eſt *capit. Quoniam multas* 11. *q.*3. cùm etiam ibidem *in §.Fin.* dicatur, non prohiberi eum, qui excommunicatis non in ſuſtentationem ſuperbiæ, ſed humanitatis cauſa aliquid dare voluerit.

QUÆSTIO VII.

De Cauſis tollentibus Obligationem Reſtitutionis.

ARTICULUS I.

De Tranſactione.

SUMMARIUM.

283 *Quid ſit Translatio, & quid requiratur, ut ſit juſta.*

284 *Quid ſit amicabilis Compoſitio, & quomodo differat à Tranſactione.*

TRanſactio à Mol. *diſp.*556. ex Panormitano, & variis juribus ſic definitur. *Eſt de re dubia, lite, aut controverſia jam mota, non gratuita pactio.* Dicitur 1. *de re dubia*, id eſt litigioſa, vel propter incertitudinem juſti Domini, vel propter beneficium reſtitutionis in integrum, vel propter quamcumque aliam cauſam concedentem jus inſtituendæ actionis ad excutiendam obligationem: ſi enim alteruter tranſigentium tempore tranſactionis, & non primùm poſteà (nam tunc nihil obeſſet valori tranſactionis licitæ) omninò certus eſſet, rem alteri eſſe debitam ex juſto titulo, vel per ultimam ſententiam, contra quam nullum detur appellationis, reſtitutionis in integrum, vel aliud quodcumque remedium, non tantùm in foro conſcientiæ tranſactio eſſet injuſta, quia tranſigens alterum cogeret ad ſubeundum onus, quem ſciret ſine eo habere jus recipiendi, vel retinendi rem, de qua tranſigitur; ſed etiam in foro externo, vel eſſet irrita, ſi actor illam notitiam haberet, *l. In ſumma* 65. *ff. de Condictione indebiti*, vel ſi debitor haberet, eſſet irritanda per actionem doli *l. Sub prætextu* 29.*Cod. de Tranſactionibus*, cujus jus duraret biennio juxta Gl. Unde ſequitur etiam, quòd quando conſcius ſui juris alterius potentia, vel alio injuſto modo compulſus fuit ad tranſigendum, ut v.g. de debito aliquid remitteret, eum acceptà parte conſtituta agere poſſe ad reſiduum recipiendum. 283

Dicitur ſecundò *lite, aut controverſia jam mota*, intellige ſive intra, ſive extra judicium *juxta l.*2.*C. de Tranſactionibus*. Dicitur tertiò. *Non gratuita pactio*: ſi enim actor (qui propriè appellatur tranſigens, id eſt ab actione ſua tranſiens, ſeu recedens, quamvis idem nomen etiam reo, ſeu debitori tribuatur) gratis remittat partem debiti, ita ut non viciſſim exigat à debitore, ut abſque controverſia, quam movit, vel in judicio movere poſſet, pendat de re, vel de ejus valore, ſecundùm proportionem probabilitatis, qua actor poſſet evincere totam rem litigioſam, tunc non eſt tranſactio, quæ ut dicitur in *l.*38. *Nullo dato, vel retento, ſeu promiſſo minimè procedit*, ſed vocatur amicabilis compoſitio: tranſactio quippè eſt compoſitio non amicabilis, ſed oneroſa, & finiens litem, per quam debitor ſe in judicio defendere potuiſſet. Unde *l. Non minorem* 20. *C. de Tranſactionibus* legitur, non minorem tranſactionum, quàm rerum judicatarum auctoritatem eſſe. Itaque per tranſactionem tollitur obligatio reſtitutionis non totaliter, ſed quoad partem ęquivalentem æſtimabilitati juſtæ defenſionis contra actorem. Quinam verò hunc tranſactionis contractum, & circa quæ bona celebrare poſſint, videre eſt apud Mol. *diſp.*557. & Laym. *lib.*3.*tract.*4.*c.*31. P. Haun. *tom.*4.*tract.*10.*a.num.*998. 284

ARTI-

ARTICULUS II.

De Novatione, & Delegatione.

SUMMARIUM.

285 *Quid ſit Novatio, & quanam Conditiones ad eam requirantur, & quibus modis fieri poſſit.*
286 *Quid ſit Delegatio, & quo modo fiat.*
287 *Novatio non eſt præſumenda, ſed debet vel claris verbis, vel manifeſto indicio conſtare.*
288 *Queritur, an te liberes à tuo debito, ſi illud ſolvas Creditori tui Creditoris. Leſſius affirmat pro foro conſcientiæ, non autem pro foro externo, ſi id facias ſine delegatione, id eſt, ſine conſenſu tui Creditoris.*
289 *Rectius affirmatur pro utroque foro, ſi debitum mediati Creditoris ſit certum, & eiuſdem rationis, cuius eſt tuum debitum; in rebus functionem recipientibus.*

285 NOvatio definitur ab Ulpiano *l.2.ff. de Novationib. Prioris debiti, ſeu obligationis in aliam obligationem, vel civilem, vel naturalem translatio, ita ut prior perimatur.* Duæ itaque conditiones ad eſſentiam Novationis requiruntur: Prima eſt, ut utraque obligatio ſaltem fuerit naturaliter valida, etiamſi utraque, vel alterutra fuerit civiliter, ſeu in foro externo invalida. Altera eſt, ut prior obligatio non tantùm ſuſpendatur, ſed omninò extinguatur, quod multiplici illius in aliam transmutatione fieri poteſt, & potiſſimùm hac triplici: primò ſi mutetur quoad formam, ut ſi debitum ex emptione concedatur in mutuum, vel in pretium cenſus annui: huc etiam revocari poteſt *iuxta l.24.ff. de Novationibus*, ſi una obligatio ſit abſoluta, altera conditionata, quamvis ante exiſtentiam conditionis nondum perficiatur novatio: vel ſi una modo firmiori, aut remiſſiori contrahatur, quàm altera, quod fit adhibitione, aut remiſſione fidejuſſoris, vel pignoris, quamvis ſi pœna ſolummodò decernatur fidem fallenti, novo jure *Legis ultimæ C. de Novationib.* abrogantis legem *obligationum ferè §. ult. ff. de Obligationibus, & actionibus* non celebretur Novatio, niſi expreſsè à contrahentibus de novo prior obligatio diſſolvatur, ut ex communi ſententia teſtatur Mol. *d.559. §. dubium deinde eſt &c.* Secundò fit tranſmutatio obligationis per variationem materiæ, ut ſi loco prioris debiti aliud ſubrogetur, v.g. pro pretio ſubrogetur res, vel jus quodpiam, quod debitor habet adverſus Creditorem; imò ſi tantùm quoad quantitatem debitum mutetur, teſte Mol. *l.c. §. Novatio fit.* Unde etiam tranſactio ſpecies quædam Novationis eſt. Tertiò immutatur obligatio præcedens ſubſtitutione perſonæ alterius loco debitoris, vel Creditoris, ſi nimirum debitor habeat alium debitorem, qui ſuo nomine ſolvat, aut ſi nullum habeat, obtinuerit tamen alium, qui illius loco velit ſolvere. Vel ſi Creditor habeat alium Creditorem, cui debitor per contractum Novationis jubeatur ſolvere: unde conſtat, ſpeciem Novationis eſſe delegationem.

286 Delegatio itaque, ſeu ut Ulpianus *l. Delegare ff. de Novationibus*, inquit, *delegare eſt, vice ſua alium dare reum Creditori, vel cui juſſerit*: ex qua definitione patet contra Gl. *l. Si Titius 33. ff. Eod.* Non tantùm requiri teſte Mol. §. *Quando aliquis arbitratus*, & Pal. *diſp.1. de Iuſt. commut. p.1 §.1. n.4. & 12.* P. Haun. *tomo 3. tract. 8. n.148.* ut ſubſtitutus debitori fuerit hujus debitor ſed veram eſſe delegationem, modò detur alius, illeque conſentiat, ſive ex affectu gratuito, ſive ex erroneo, putans ſe eſſe debitorem ſubſtituentis, cùm revera non ſit, quo in caſu quia abſolutè promiſit ſe ſoluturum rem ab altero verè debitam (ſi enim non eſſet verè debita, ſed ſi ſubſtituens erraſſet, exceptione indebiti uti poſſet) etiamſi cauſa promittendi fuerit falſa, tenetur ſolvere, poteſt tamen priùs agere contra ſuum putatum Creditorem, ut obligationem rurſum in ſe recipiat, vel ſi nolit, ut ſolutū compenſet, *iuxta l. Si quis delegaverit 12. l. Si non debitorem 13. ff. de Novationib.*

287 Circa Novationem modò explicatam illud adhuc advertendum eſt, etiamſi jure antiquo ex qualibet variatione contractus inducta fuerit Novatio, ita ut prior obligatio ſtatim abſolutè fuerit extincta, jure novo tamen, ut dicitur in *l. ultima C. de Novationibus*, & §. *Prætereà Illſung Theol. Moral. verſ. Ideo noſtra Inſt. Quibus modis tollitur obligatio*, nunquam præſumendam eſſe Novationem, niſi verbis expreſſis, vel alio indicio manifeſto conſtet, quale teſte Mol. & Palao eſt, ſi poſterior obligatio eſt incompoſſibilis cum perſeverantia prioris obligationis: tunc enim hoc ipſo prior debuit fuiſſe extincta.

Delegationi ſimilis eſt ſolutio facta Creditori proprii Creditoris, qui ſi in illam actu conſenſiſſet, per hunc ipſum conſenſum, tanquam per veram delegationem, ſuam obligationem extinxiſſet, & proprium etiam debitorem ab obligatione erga ſe liberaſſet. Quæri itaque ſolet, an etiam ſine tali conſenſu reſtituens Creditori tui Creditoris licitè, & validè te à debito liberes, ita ut obligatio tua extinguatur. Leſſius *lib.2.c.16. dub.5.* univerſaliter affirmat quoad forum conſcientiæ, modò tibi certò conſtet de debito tui Creditoris: negat quoad forum externum, niſi mediatè ſaltem ſis obligatus Creditori tui Creditoris ita ut in vicem hujus conveniri ab illo poſſis; quia v.g. tuus Creditor propter tua negotia gerenda mutuum ab ipſo accepit, vel domum ſibi locatam tibi elocavit. 288

Meliùs, & communiùs alii, quos ſequitur Palao *diſp.1. pu.18. §.10.* & Lugo *diſput.21. ſect.8. n.148.* diſtinguuntur inter debita, affirmantes quòd licitè, & in foro conſcientiæ etiam validè te à debito liberes, ſi tuum, & tui Creditoris debitum (quod certum tibi debet eſſe, & abſolutum à longiori temporis prorogatione) ſint ejuſdem rationis in rebus, quæ functionem recipiunt, v.g. ſi uterque pecuniam, triticum, vinū, oleum &c. præſtare obligetur, modò nec tu nec Creditor tuus alios adhuc Creditores habeatis quorum præjudicium neglecto prælationis ordine, ſolutio cederet, quod per ſe loquendo, & exceptis caſibus, in quibus compenſationem ſpecialiter prohiberi proximè dicemus, Lugo *n.146.* ait eſſe verum, etiam in foro externo, modò debitum tui Creditoris in eodem ſufficienter probari poſſit. Ratio eſt, quia exhibens ſolutionem Creditori tui Creditoris jus illius ad te transfers, & cùm ſit ejuſdem rationis cum jure, quod tuus debitor habet adverſus te, uti potes compenſatione, & remittendo illi tuum jus, perinde eſt, ac ſi in ſolutum dediſſes rem in eadem ſpecie ipſi debitam. Si debita autem ſint diverſæ rationis, v.g. ſi unus veſtrum debeat pecuniam, alter equum negant quoad utrumque forum à debito te ſive licitè, ſive validè liberari, niſi Creditor tui Creditoris, & deinde tu in iis circumſtantiis verſemini, ut neuter debitum à tuo Creditore in propria ſpecie facilè obtinere poſſet: extra caſum enim, quo licita fit occulta compenſatio etiam in aliena ſpecie, non poteſt deduci debitum in certa ſpecie, ſi Creditor non viciſſim ſit obligatus in eadem ſpecie, hoc ipſo quòd habeant jus ſolvendi ſuum debitum in alia ſpecie, quàm quæ illi à ſuo debitore denegatur: poſſet tamen, ut rectè obſervat Pala. *l.c.2.n.2.* ſolutio Creditori tui Creditoris facta ſervire ad hoc, ut illam recipiens aſſecuraretur de ſuo debito, & ut tu ſolutionem rei quoad ſpeciem determinatę inſtar pignoris tam diu licitè differres, donec tibi pro jure ab altero in te translato viciſſim ſatisfieret: uti colligitur ex *l. Si non ſortem §. Si centum ff. de Condictione indebiti.* 289

ARTICULUS III.

De Compenſatione.

SUMMARIUM.

290 *Quid ſit Compenſatio debiti, & quomodo per illam debita ipſo Iure extinguantur.*
291 *Excipiuntur tamen aliqua debita, qua non compenſari, ſed ſolvi debent.*
292 *Debitum nec in foro Conſcientiæ poteſt compenſari, niſi mutua Creditoris obligatio ſit debitori certa, nec in foro externo, niſi ſit liquida.*
293 *Quomodo Iuridica hæc Compenſatio differat ab occulta Compenſatione.*

COmpenſatio eſt *debiti, & crediti inter ſe contributio:* uti definitur *leg.1.ff. de Compenſationibus*: quando enim duo ſibi mutuò ſunt debitores, tunc extra caſus jure poſitivo exceptos debitum unius extinguitur, vel quoad 290

partem ſecundùm æſtimationem crediti, viciſſim extincti ipſo jure, ita ut nec judicis, nec oppoſitæ partis conſenſus requiratur, ut patet ex *l. Si ambo ff. Eodem* quamvis partes, ſi voluerint, huic ceſſioni juris per pactum, mutuam obligationem ſive antecedens ſive conſequens, renuntiare poſſint, teſte Palao *diſput.* 1. *de Juſt. commut. punct.* 16. §. 2. *num.* 15. & Mol. *diſput.* 560. *verſu. Utrum autem*.

291 Dixi: *Extra caſus jure poſitivo exceptos*: compenſari enim non poſſunt, ſed in ſpecie ſolvi debebunt. Primò debita Regi, vel Reipublicæ titulo penſionis in publicam, ſeu communem utilitatem. *L. In ea Cod. de Compenſationibus*. Secundò debita titulo depoſiti. *L. Si quis, vel pecunias* 11, *Cod. Depoſiti*. *L. ultim. Cod. de Compenſationib. & cap. Bona fides depoſito*. Tertiò debita titulo commodati, id eſt, commodata. *L. fin. Cod. de Commodato*, Quartò res aliena debita ex furto. *L. fin. C. de Compenſationib.*

292 Requiritur autem ad compenſationem in primis, ut debitum ſit compenſanti indubitatum, & pro valore in foro externo requiritur etiam, ut ſit liquidum ſecundùm citatam *l. Ult. Cod. de Compenſationibus*. Quod nimirum in eodem foro ſufficienter probari poſſit, etiamſi in eodem non concedatur ipſi actio ad exigendum, ſed ſit tantùm debitum naturale, non civile; quia eſtò debitum naturale non pariat actionem, parit tamen exceptionem compenſationis, ut obſervant Mol. & Palao ll. cc. ex *l. Etiam ff. de Compenſationibus*, nec tamen advertit Lugo *diſput.* 21. *num.* 147. Deinde requiritur ad compenſationem, ut debita ſint ejuſdem rationis, ſeu ut verſentur circa res ejuſdem ſpeciei, & functionem recipientes, vel ſaltem intra eandem ſpeciem indeterminatè debitas, ut ſi deberes Titio centum oves quoad individuum indeterminatas, & ipſe tibi viciſſim centum: tunc enim jam compenſationi locus eſſet, non obſtante quòd ſecundùm aliquorum opinionem ovis non recipiat functionem, cum ad hujuſmodi res neceſſarium putent, ut ſub numero, pondere, aut menſura diſtrahi ſoleant. Ratio hujus requiſiti eſt, quia ſi res ſit alicui in ſpecie debita, tunc non ſatisfit illi per ſolutionem pretii, vel rem alterius ſpeciei, ergo neque per remiſſionem debiti alterius ſpeciei. Unde hujuſmodi debitum Creditori non quidem titulo compenſationis opponi poteſt, ſed tamen titulo retorſionis, ut juſtè conqueri non valeat, ſi ipſi debitum non ſolvat, donec viciſſim ſolverit, ut ex *l. Si non ſortem*, §. *Si centum, ff. de Condictione indebiti*, rectè docent Mol. *diſp.* 560. *poſt medium*, Palao §. 2. *citato n.* 11. & §. 3. *n.* 1. plures referens.

293 Ex dictis patet, eam debiti recuperationem, quæ occulta compenſatio dici ſolet, & quam cum certis limitationibus, ac conditionibus licitam eſſe alibi diximus, compenſationis hic declaratæ nomen non mereri, quia compenſatio includit debitum mutuum, & ſit ſine poſitiva invaſione rei propriæ, vel alienæ ab altero adhuc poſſeſſæ, in quo utroque deficit recuperatio debiti occulta, vel etiam aperta, ac violenta: quæ tamen violentia rarò neceſſaria, ac proinde rarò licita videtur.

ARTICULUS IV.

De Remiſſione facta à Creditore, vel à Prælato, vel à Summo Pontifice.

SUMMARIUM.

294 *Quæ Conditiones requirantur ad gratuitam debiti remiſſionem.*

295 *Quomodo pro adeunda hæreditate, inſufficiente debitis diſſolvendis, eorum fiat partialis remiſſio conſenſu Creditorum.*

296 *Quando certi Creditoris debitum eſt certum, poteſt ob certas cauſas illud à Principe communitatis remitti, ſine juſta cauſa autem non poteſt, etiam neque à Summo Pontifice.*

297 *Debita incerta ex delicto, piis cauſis applicanda, neq; à Princ. ſæculari, neque ab Epiſcopo remitti poſſunt.*

298 *Eadem tamen, quando poſt diligentem inveſtigationem legitimi Domini manent incerta, ex juſta & debitis proportionata cauſa poſſunt à Summo Pontif. remitti.*

299 *Oſtenditur huic poteſtati nec obſtare Ius naturale, neque præſumptam voluntatem Creditoris incerti.*

300 *Etſi probabile ſit, cognito legitimo Domino, applicationem debiti incerti ad piam cauſam, adhuc formaliter extantis, vel eius remiſſionem, non tranſiiſſe in abſolutam, & ab illo repeti poſſe; oppoſitum tamen videtur probabilius.*

Remiſſione, ſeu conditione facta à Creditore verbis, aut re per traditionem, ruptionem, vel cancellationem inſtrumenti animo remittendi debitum (qui in judicio præſumitur, niſi à Creditore contrarium probetur) tolli debitum, certum eſt apud omnes, duæ tamen conditiones ad ejus firmum valorem communiter requiruntur. 1. Eſt, ut Creditor habeat poteſtatem remittendi debitum, defectu hujus invalida eſt remiſſio excedens ſummam 500. ſolidorum, quando donatio eandem ſuperans irritatur *l. Penult. C. de Donationibus*, invalida quoque eſt, quando ſit ab eo, qui donare, vel illi, cui donari non poteſt. 2. Conditio eſt donantis libertas à coactione, ſeu incuſſione metus injuſti, & à fraude: ex defectu hujus caret firmitate remiſſio facta propter ſimulatam ſolvendi impotentiam, vel propter moleſtias à debitore illatas, & injuſtam vexationem redimendam, vel propter potentiam debitoris, ſe nimis difficilem oſtendentis, vel propter reſtitutionem partis majoris, eo pacto, ut reſiduum dimittatur, quam tamen pactionem Lugo *d.* 21. *num.* 49. ait excuſari poſſe, ſi reſtitutio illius partis pro hoc tempore, vel pro his circumſtantiis excuſantibus eſſet indebita, & ſimul tantum daretur periculum impotentiæ futuræ independens ab injuſta voluntate debitoris, ut ſpes recipiendi integram ſolutionem non magis foret æſtimabilis, quàm ſit exceſſus partis citra obligationem redditus. Aliqui apud Mol. *d.* 757. *n.* 2. cum S. Ant. aſſerunt, ad rationem liberæ remiſſionis requiri etiam debitæ ſolutionis oblationẽ, putantes, ſi ea exhibita Creditor non remitteret debitũ, illum cenſendũ eſſe ex deſperatione ſolutionem obtinendi, & coactè remiſiſſe. Verùm oppoſita, & communiſſima ſententia hoc non requirit, imò neque propoſitum reſtituendi neceſſarium eſſe aſſerit quia omiſſio reſtitutionis, vel propoſiti, abſque extra, & poſitiva recuſatione nondum habet vim cogendi ad debitum remittendum. 294

Præter remiſſionem factam à Creditore quoad proprium debitum valida etiam eſſe dicitur illa, qua pars quantitatis debitæ in unum cumulum collectæ condonatur hæredi in ordine ad hæreditatem, aliàs debitis diſſolvendis inſufficientem adeundam, modò ex citatis omnibus Creditoribus illi conſentiant, ſeu condonent, quibus ſaltem dimidia pars debitorum competeret, & modò reliqui Creditores, ſive privilegiati ſint, ſive non, quibus etiam invitis ſecundùm proportionem partis donatæ ſuum debitum minuitur, nullum reale jus ratione pignoris, aut hypothecæ habeant in hæreditatem relictam. Ita docent Mol. *d.* 572. §. *de Iure communi*, & Palao *diſp.* 1. *pun.* 16. §. 5. *n.* 2. citantes legem *Et ſuum hæredem* §. *Vit. & tres Leges ſeqq. ff. de Pactis*, & Lugo *d.* 21 *n.* 50. citans Initium Legis *Et ſuus Heres cum tribus ſeqq.* Verùm lex citata in meis exemplaribus, licèt diverſæ editionis, incipit, *Et hæredi patris*; nec Doctrina iſta citatis legibus clarè traditur unde forſan potiùs conſuetudini, vel auctoritati prædicta aſſertio permittenda eſt. 295

De Principe, vel Prælato ſeculari utrum remiſſione debiti ſuorum ſubditorum concedere poſſit, controvertitur inter AA. Certum quidem eſt, poſſe per uſucapionem, per punitionem criminis, & per ſententiam deciſivam fundatam in naturali æquitate, vel Lege poſitiva, etiamſi independenter à Lege, vel ſententia judicis nullum daretur jus abſolutum in eo, pro quo fertur ſententia: vel denique poſſe propter bonum commune, ſicut potuit ferre Leges de uſucapionibus, & de mutuo non ſolvendo à filiisfamilias, à pupillis, & minoribus ſub tutore, vel curatore conſtitutis à locis piis, & cõmunitatibus niſi cõſtet in eorum utilitatem mutuum verſum eſſe, ut patet ex *l. Sed ſi pater fam.* 9. *l. Tamen ſi* 11. *ff. de S.C. Macedon*, *l. Si in rem* 3. *C. Quando ex facto tutoris l. Civitas* 27. *ff. Si certum petatur*. E contra indubitatum eſt, non poſſe abſq; juſta cauſa, ſi debitum 296

&

& Creditor ſit certus, licèt aliquo modo indeterminatus inter paucos, ſicut teſte Mol. *diſp.748. in principio* allegante communem DD. conſenſum, nec Summus Pontifex id poteſt.

297 Solùm dubitatur, an quando Creditor eſt omninò incertus, Princeps ſæcularis poſſit remittere debitum, ſaltem ex delicto proveniens, de quo certò conſtat à debitore propria auctoritate retineri non poſſe, niſi ipſe pauper ſit. Nam de debito incerto ſine delicto alibi dixi, contrarium probabile eſſe, & teſtatur Leſſ. *lib.2. capit.* 14. *dub.6. numer.* 36. in diverſis Regionibus hæreditates incertas, & bona inventa non comparente domino, fiſco, Magnatibus &c. aſſignari. Affirmant aliqui apud Lugo *d.21. num.*108. nominatim Sotus, & Henriq. Villalobos, Trullench, Diana contra Sylv. Cordubam, Rodriquez, Mol. *l.c.* Turrianum, quos etiam meo judicio probabiliùs, & praxi conformiùs ſequitur Lugo: eò quòd bona incerta ſaltem ex delicto, tum ex altiore poteſtate Summi Pontificis], tum ex fidelium Creditorum incertorum mente, cauſis piis ſint adjudicata, & donata: cui Epiſcopus controvenire non poteſt *juxta cap. Quia contingit, de Religioſis domibus in Clement.* ubi dicitur: *cum ea, quæ ad certum uſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (ſalva ſedis Apoſtolicæ Authoritate) converti*. Et propter hanc rationem probabiliùs, nec Princeps ſæcularis, nec Epiſcopus etiam juriſdictione temporali gaudens, remittere poteſt debita incerta ad pias cauſas applicanda, quia Summus Pontifex propter bonum ſpirituale fidelium, cui omnis poteſtas, intendens præcisè bonum temporale ſuorum ſubditorum, cedere debet, aliter diſpoſuit *cap. Cum tu de Vſuris*. Et ita etiam cum aliis communiter ſentiunt Corduba, Turrianus, Mol. *num.* 7. Lugo *num.* 109. aſſerens, ſi qui Principes in ſuis territoriis contrarias Leges fecerunt, eas Summorum Pontificum ratificatione primùm firmitatem obtinuiſſe.

298 De Summo Pontifice non quidem dubitatur, quin remiſſionem concedere valeat, ſaltem quando debita poſt ſufficientem inveſtigationem in legitimum Creditorem manent incerta, & ad pios uſus applicanda (certa enim etiamſi ex valdè gravi cauſa ſpirituali, etiam poſſet, tamen non ſolet remittere) & ſi cauſa remiſſioni, prout ſemper videtur præſumi poſſe. proportionata accedat, quam aliqui apud Lugo *diſputat.* 21. *numer.* 95. tantùm ad licentiam, ipſe verò, & alii ab eo relati communiùs ad valorem remiſſionis requirunt in iis debitis, quæ non ex Lege tantùm poſitiva Eccleſiæ, ſed ex præſumpta intentione, & voluntate Creditorum in pauperes, vel in alium pium uſum eroganda ſunt. Non, inquam, dubitatur de hac poteſtate, cùm de facto plures Pontifices eadem uſi ſint, præſertim in Bulla Sanctæ Cruciatæ conceſſa in ſubſidium Hiſpaniarum Regis contra infideles, & ſimilibus ferè privilegiis gaudente, quæ ab Urbano Secundo, & Innocentio Tertio indulta ſunt euntibus ad recuperandam terram ſanctam, rubea cruce in dextera ſcapula inſignitis undè ipſa militia Cruciata dicebatur, & prædicta Bulla propter ſimilitudinem collatorum privilegiorum Bulla Cruciatæ, ſubintellige, *militiæ*, appellatur, in qua conferentibus ad expeditionem Hiſpanicam contra infideles duos julios conceditur magna debitorum incertorum relaxatio, ſeu compoſitio ſecundùm arbitrium Pontifici Commiſſarii facienda, & propterea etiam Bulla Compoſitionis vocari ſolet.

299 Verùm de fundamento hujus poteſtatis non nihil controvertitur, quia communior ſententia obligationem debitorum incertorum ad pias cauſam reſtituendorum non refundit tantùm in jus poſitivum Eccleſiæ, quod uti ſtatuere, ſic etiam relaxare poſſet Pontifex, ſed etiam refert in jus naturale, & in Creditorum ipſorum voluntatem, cui non ita facilè contravenitur. Nihilominus hoc duplex fundamentum communiter, & rectè aſſignatur. Inprimis Summo Pontifici ad rectam gubernationem Eccleſiæ neceſſaria eſt ea diſpoſitio, & adminiſtratio bonorum temporalium, quæ eſt ordinata ad majus bonum ſpirituale fidelium ſibi commiſſorum, ergo meritò dicitur in ordine ad tale bonum procurandum à Deo eſſe collata.

Deinde ſi ex Remiſſione partialis debiti Creditori incertò nihil lucri ſpiritualis decedit, perinde ac ſi totum tum debitum fuiſſet impenſum ad pias cauſas, prudenter judicamus etiam ipſum Creditorem non eſſe invitum quoad remiſſionem à ſupremo in bonis ſpiritualibus gubernatore conceſſam, ſed nihil decedit, ergo &c. Minor probatur, tum quia actus internus Creditoris in ſe æquè, imò magis eſt meritorius, ſi voluntatem totius debiti applicandi ſubiicit arbitrio Vicarii Chriſti, tum quia actus externus dignificatur à procuratione æqualis, vel majoris boni ſpiritualis, quàm quod forſan fuiſſet obtentum per integram debiti reſtitutionem, tum denique ſi quid lucri deeſſet, Summus Pontifex teſte Lugo hunc defectum ſuppleret ex theſauro bonorum ſpiritualium Eccleſiæ: ergo Creditori nihil decedit.

Dubium tamen adhuc eſt, utrùm Remiſſio à Summo Pontif. per Bullam Compoſitionis concedatur, imò poſſit concedi abſolutè, vel tantùm ſub conditione, niſi Creditor incertus comparuerit, vel innotuerit, & utrùm eodem modo etiam fiat reſtitutio pauperibus, aut alteri piæ cauſæ, ita ut comparente domino, & re adhuc formaliter, vel æquivalenter extante eidem immediatè reddi debeat. Concedi remiſſionem tantùm ſub dicta conditione aſſerunt Molin. *diſp.* 748. *numer.* 9. Corduba, Covar. Turrianus, Rodriqu. Villalobos apud Lugo *numer.* 97. & ita etiam reſtitutionem fieri piæ cauſæ apud eundem *numer.*101. docent idem Molin. *diſput.* 746. §. *Vltim.* Leſſ. *lib.*2. *cap.*14. *dub.*6. *numer.* 43. *& ſeqq.* Covar. & Mercado abſolutam tamen remiſſionem affirmant Sotus, Henriqu. Acoſta, Trullench, Diana, & ipſe Lugo, quando nulla ſpes fuit deprehendi Creditorem, pro quo ſolo caſu ſupponit concedi à Pontifice compoſitionem debiti, & ita etiam aſſerit cum Henriqu. fieri reſtitutionem piæ cauſæ, imo etiam applicari poſse ipſi debitori, ſi verè fuit pauper. Utraque ſententia eſt probabilis, quia probabile eſt, Creditorem tantùm conſentire in reſtitutionem mediatam ſub conditione, ſcilicet ſi non poſſit immediatè recipere rem ſuam adhuc extantem penes debitorem; vel piam cauſam: Pontificem autem nolle legitimum dominum aliter re ſua privare, quàm quomodo ipſe conſenſerit. Viciſſim etiam probabile, & mihi ferè probabilius eſt, ſi adhibita ſufficienti diligentia inveniendi dominum rei, vel Creditorem, is deprehendi non potuit, ita ut propterea non ampliùs voluerit rem in ſuum adventum ſervari, ſed diſpoſitioni debitoris ad pias cauſas, & vel maximè Summo Pontif. commiſerit, illum nullum ampliùs jus voluiſse ſibi reſervare, tum propter exiguitatem, & contemptibilitatem ſpei, perveniendi ad rem ſuam, tum ne liberalitas ad piam cauſam penitus eſset involuntaria, & ſic parum meritoria, & utilis animæ: quod à poſteriori ex eo etiam confirmatur, quia pars debiti, ſive magna, ſive parva fuerit, propter Bullam Compoſitionis ad intentionem Pontif. ſoluta nunquam ampliùs reſtituitur domino comparenti, ergo ſupponitur voluntas illius fuiſse abſoluta. 300

ARTICULUS V.

De aliis Cauſis tollentibus Obligationem Reſtitutionis.

SUMMARIUM.

301 *In foro externo tollitur obligatio, & Ius intentandi actionem Iuramento, ad inſtantiam Creditoris coram Iudice edito.*

302 *Secundò etiam in conſcientia tollitur obligatio, ſi res determinatè, & abſque delicto debita, ſine culpa debitoris interiit.*

303 *Tertiò per legitimam ſententiam Iudicis (quæ tamen deinde certò cognita veritate debiti in conſcientia non liberaret ab obligatione abſoluta, ac independente à Iudicis ratificatione) Huc etiam ſpectat legitima præſcriptio.*

304 *Quarto. Si debitor donavit, vel legavit rem æquivalentem, vel pretioſiorem animo ſatisfaciendi debito.*

305 *Reſtitutione facta ei, qui habuit à Creditore generale, aut ſpeciale mandatum accipiendi: etiamſi res ad Creditorem cum, vel ſine iſtius culpa non fuerit perlata.*

301 ALiæ adhuc cauſæ obligationem Reſtitutionis tollentes breviter expediendæ ſunt. Prima eſt juramentum deciſorium, quod Creditor in ſupplementum ſuæ probationis inſufficientis exigit debitori à judice deferri, quo proinde in negationem debiti confirmandam edito, quoad forum exernum liberatur ab obligatione naturali, ſicut ſi pacto nudo à Creditore fuiſſet remiſſa, ut patet ex *l. Stichum* 95. §. *Naturalis ff. de Solut. & ex* §. *Æquè Inſtit. de Except.* Unde ſi à Credit. denuò actio intentaretur, oppoſitione præſtiti juramenti excipi contra illum poſſet: imò ſi judicis ſententia abſolutoria juramento acceſſiſſet, etiam obligatio Civilis tribuens jus intentandi actionem penitus extinguitur, ſicut per ſolutionem, ut habetur *l.* 1. *&* 2. *&* 34. *ff. de Iurejur.*

302 Secunda cauſa tollens obligationem eſt interitus rei in individuo determinatè, aut ex certa collectione, ſeu cumulo totaliter intereunte indeterminatè debitæ, niſi ex debitoris culpa Theologica, gravitati rei ratione injuſtæ acceptionis, vel detentionis, aut ratione negligentiæ proportionata, vel ex culpa civili ſecundùm pacti qualitatem lata, levi, aut leviſſima compenſanda contigerit, non eventurus, ſi res fuiſſet apud Creditorem.

303 Tertia cauſa eſt abſolutiva ſententia judicis, nec vi, nec fraude extorta, quæ tamen certò cognita veritate debiti non liberat in conſcientia, niſi quando ſententia obligatoria judicis ad complendam rationem debiti eſt neceſſaria, vel quando tempus legitimæ præſcriptionis ante certam notitiam veritatis bonæ fidei inimicam eſt elapſum.

304 Quarta cauſa eſt donatio, vel legatio rei æquivalentis ex intentione ſatisfaciendi debito: tunc enim tantùm nomine tenus donatio, vel legatio, in re verò ſolutio præſtatur. Verùm ſecluſa illa intentione, quando debitor donans, aut legans recordatur debiti, & tamen habet verè animum donandi, aut legandi, certum eſt, non extingui debitum, etiamſi enim aliàs obligatio ni ſatisfiat per actionem præſtitam ſine intentione ſatisfaciendi, quia tamen in poteſtate debitoris eſt, per donationem, vel legationem imponere ſibi vel hæredibus ſuis diſtinctam obligationem, ideò eadem actione nequit ſatisfieri utriq; obligationi diverſum debitum inducenti. Imò quando debitor non recordatur debiti tam in foro interno, quàm externo, niſi ex manifeſtis conjecturis contrarium colligatur, donatione, vel legatione gratuita nequit ſatisfieri obligationi juſtitiæ aliunde, quàm præcisè ex Lege poſitiva originem trahenti, ut teſte Menochio, Covar. Palao *diſp.* 1. *punct.* 17. §. 8. *n.* 3. ferè omnes fatentur, quia non attenditur, quid facturus aliquis fuiſſet, ſi debiti meminiſſet, ſed quid de facto fecerit, ideòque per præſtitum beneficium gratuitum non diſſolvitur debitum rigoroſum, ſaltem ſi legale non ſit, quod Covar. *cap. Officii de teſtamentis n.* 2. & Menochius *lib.* 4. *de Præſumptionib. p.* 2. *Præſumpt.* 109. cum pluribus aliis ab ipſis relatis excipiunt propter *l. Si cum dotem* §. *Si pater ff. Solut. matrimonio.* Ubi legatum filiæ à patre relictum computatur pro dote ex Lege debita, ſic etiam ſtatuitur in *Authentica Præterea C. Vnde vir, & uxor*, ut legatum à marito uxori aſſignatum imputetur in portionem ibidem aliàs hæreditario jure eidem decretam. Cujus exceptionis ratio eſſe poteſt, quia lex poſitiva, vel tantùm imponit obligationem ſolvendi certam ſummam, aut rem illi æquivalentem, nulli conferendo jus ad illam, præſertim quando pauperes, vel aliam piam cauſam deſignat: vel ſi confert aliquod jus, illud intenditur tantùm ſub conditione, niſi debitor gratis tantundem dederit, eò quòd lex tantùm intendat accipienti acquirere id, quod datur, ſive detur ex affectu gratuito, ſive ex affectu juſtitiæ.

Quinta cauſa eſt tranſmiſſio debiti per aliquam fidelem perſonam, de qua prudenter nulla debuerat eſſe ſuſpicio, quòd ipſa ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter non eſſet traditura: quod tamen intelligendum eſt de re abſque delicto, & determinatè debita: tunc enim debitor, neque ex delicto, neque ex contractu (qui requirit ſaltem culpam juridicam) neque ex re accepta amplius obligatur, & colligitur ex *cap. Significante de Pignorib.* Idem dicendum, ſi res etiam ex delicto debita, tradita eſt alicui à Creditore ſpecialiter deſignato *l.* 49. *ff. de Solutionibus l. Quod juſſu ff. de Regulis juris*, vel procuratori illius generali, vel bonorum adminiſtratori, ut conſtat ex *l. Vero Procuratori ff. de Solutionibus*. Si autem res alteri nullum generale, vel ſpeciale mandatum Creditoris habenti, quantumvis perſonæ fideli, verbi gr. Confeſſario traderetur, & ſi neque determinatè, vel ſaltem non abſque delicto eſſet debita, illo rem non reſtituente (ſalvis iis, quæ ſupra *quæſt.* 5. *art.* 3. diximus) debitor non liberaretur ab obligatione juxta communem ſententiam Joannis Medinæ, Sylveſtri, Navarri, Petri Navarræ, Leſſii, Layman. quos ſequitur Palao *diſp.* 1. *punct.* 17. §. 9. *num.* 4. Quia res indeterminatè debita, manet obligata debitori, donec ad Creditorem perveniat, conſequenter damnum illius cedit debitori, & ſi ex delicto, licèt determinatè, debeatur, tenetur debitor etiam ad caſum fortuitum, cùm hujus ſaltem mediata cauſa ratione delicti fuerit. 305

TRACTATUS V.
DE RELIGIONE.

DISPUTATIO I.

De Cultu DEI immediato, per Religionem Orationis, Juramenti, & Voti.

QUÆSTIO I.

De Cultu Religionis DEO per Orationem à Perſonis Eccleſiaſticis, & Religioſis exhibendo.

ARTICULUS I.

Quæ Perſonæ obligentur ad Horas Canonicas perſolvendas.

SUMMARIUM.

1 *Ex Iure non ſcripto, ſed præſcripto ad Horas Canonicas, quotidie recitandas primò tenentur omnes Clerici, ſacro Ordine poſt pubertatem ſponte ſua initiati.*

2 *Secundò. Omnes Beneficiati ob quodvis Beneficium, ſponte ſuſceptum, & perfectè poſſeſſum, aut ſecluſa propria culpa perfectè poſſidendum, ex quo ſufficientes ad obligationem annui redditus percipiuntur, aut certò percipientur.*

3 *Tertiò. Omnes utriuſque Sexus Religioſi Choro deputati, niſi per privilegium Pontificis, vel per conſuetudinem ſpecialem exempti ſint.*

1 Dico, triplicis generis perſonas obligari, primò omnes Clericos uno ex majoribus Ordinibus poſt pubertatem initiato, & quidem ſponte ſua, vel ſaltem per exercitium liberum Ordinis coactè ſuſcepti in obligationem conſentientes. Ratio eſt; quia licèt nullo expreſſo Canone hæc obligatio ita univerſaliter, & perſonaliter à quolibet ſaltem extra chorum, & privatim exequenda comprobari poſſit, ut DD. rectè advertunt, tamen recepta, in tota Eccleſia conſuetudine legitimè fuiſſe præſcriptam, omnes concedunt. Eſt verò hæc reſponſio intelligenda de jure ordinario; nam per accidens ob cauſas poſteà referendas poteſt quis ab hujuſmodi obligatione eſſe excuſatus, ad quod quidem ſecundùm communem, & veram ſententiam non ſufficit eſſe excommunicatum, ſuſpenſum, depoſitum, degradatum: quia hæc obligatio non propter privilegia, vel propter licitum uſum Ordinis, ſed propter ipſum Ordinem indelebilem eſt impoſita. Neque conveniens eſt, ut quis ex occaſione pœnæ, propria iniquitate promeritæ, deobligationis commodum referat.

2 Secundò obligantur omnes Beneficiati propter quodvis Beneficium abſque coactione ſuſceptum, ex quo annui proventus recipi, aut moraliter certò ſperari poſſunt, niſi adeò tenues ſint, ut propter alia officia debitum ſtipendium excedant; ſi tamen ejus legitimam poſſeſſionem quis actu obtinuerit, aut ſecluſa propria culpa facilè obtenturus ſit. Dixi primò. *Abſque coactione ſuſceptum*; quia ſicut propter coactè ſuſceptum Ordinem, ſic etiam propter coactè acceptum Beneficium æquum non eſt, invitum obligari ad orationem, niſi redditibus liberè perceptis Beneficium, & inde conſequens obligatio quaſi ratificetur. Dixi ſecundò, *Ex quo annui proventus* &c. quia obligatio præſtandi oneris debet eſſe ſtrictæ interpretationis, adeoque non debet extendi, niſi ad habentem Beneficium perfectè, ſcilicet cum effectu ſuo præcipuo, qualis eſt receptio proventuum commenſuratorum oneri, qui ſecundùm probabilem ſententiam debent adæquare tertiam partem neceſſariæ ſuſtentationis. Dixi tertiò. *Aut moraliter certò ſperari*: quia propter commodum incertum non debet imponi obligatio oneris certi; imò durante tali incertitudine nondum cenſetur Beneficium perfectè poſſideri; unde probabile eſt, Canonicos pro eo tempore non obligari ad horas Canonicas, pro quo ex præſcripta conſuetudine nullos redditus percipiunt, aliis interim accreſcentes, vel in diem mortis ad exequias, & relicta debita diſſolvenda, reſervatos: quia ſpes ſimiliter accreſcentes, & dilatos redditus percipiendi pendet à conditione incerta perſeverantiæ in Beneficio. Dixi quartò. *Niſi adeo tenues ſint* &c. Quia tunc non propter Officium Canonicum, ſed propter alia munia redditus tribui ſupponendum eſt. Dixi quintò. *Si tamen ejus legitimam poſſeſſionem* &c. Quibus verbis iterum ſupponitur, requiri perfectam poſſeſſionem, vel ea culpabiliter non adita, æquum eſſe, ut ex communi AA. conſenſu impoſita obligatione recitandi horas Canonicas caveatur defraudatio à fundatoribus tanto ſumpto procuratæ orationis.

Hæc itaque ſecunda Reſponſionis pars juxta dictam 3
declarationem iterum fundata in communi Eccleſiæ conſuetudine, & Fundatorum intentione, ſupponitur, & approbatur à Leone X. in Concilio Lateranenſi *Seſſ. 6.* ubi inquit: *Statuimus, & ordinamus, quod quilibet habens Beneficium cum cura, vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento Beneficio divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante, Beneficiorum ſuorum fructus non faciat ſuos, pro rata omiſſionis officii, & temporis, ſed illos tanquam injuſtè perceptos in fabricas Eccleſiarum hujuſmodi Beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur.* Approbatur etiam à Pio V. in Bulla 138. edita anno 1572. ubi ait: *Præſtimoniales portiones, & quæcunque alia Beneficia, etiam nulla omnino ſervitia habentia obtinentes ad horarum Officium obligari.*

Tertiò ex recepta omnium ſententia, teſte Palao (re- 4
ctiùs dixiſſet, ferè omnium, quia aliqui dubitant apud Thomam Sanchez proximè citandum, & aliqui limitant apud Baldellum) omnes utriuſque ſexus Religioſi choro deputati, non quidem jure poſitivo ſcripto, cujuſmodi nullum exhiberi poteſt, neque ratione ſtatus Religioſi præciſè, quoad ſtudium perfectionis ſolummodò obligantur, neque ex pacto cum fundatoribus, vel eleemoſynas largientibus inito, ſed ex conſuetudine præſcripta obligantur ad Officium Divinum recitandum, niſi ex diſpenſatione Pontificis perpetuò extra clauſtra vivere illis ſit conceſſum, neque Ordine ſacro initiati fuerint: quod etiam ad ejectio extenditur, quando per ipſos non ſtat, ut iterum recipiantur: hos enim non hoc ipſo quidem, quòd à choro exempti ſint, ſed quòd communior ſententia illos eximat, conſuetudo videtur deſinere obligare, non obſtante, quòd retineant ſtatum choro deputatum, ratione cujus tenentur alii, à choro legitimè impediti, horas privatim recitare, & quidem ſub mortali peccato (etiamſi ſub tali non obligentur ſemper in choro publicè perſolvere) niſi ab hujuſmodi privata recitatione proprii Ordinis conſuetudo eos deobliget, ut excipit Baldellus *to. 2. libr. 3. diſp. 22. num.* 10 cum Thoma Sanchez *lib. 7. Conſil. Moral. c. 2. dub. 3. n. 7.* referente etiam Ledeſmam, Medinam, & alios. Prædicti tamen omnes eo die, quo ſacrum Ordinem, aut Benefi-

neficium acceperunt, aut profeſſionem ediderunt, tantùm tenentur ad partem reſiduo diei reſpondentem.

ARTICULUS II.

Quale Officium teneantur omnes prædicti recitare?

SUMMARIUM.

5 *Quinam Breviario Romano, & quinam alio uti teneantur.*
6 *Circa mutationem unius Officii Can. in aliud referuntur quinque ſententiæ.*
7 *Statuitur & probatur noſtra ſententia, negans per mutationem raram mortaliter peccari.*
8 *Probatur noſtræ ſententiæ ſtabilitur adverſus P. Cardenas.*
9 *Ejuſdem Authoris probatio reiicitur.*
10 *Rurſum probatur noſtra ſententia.*
11 *Solvitur principalis objectio.*
12 *Quando Officium longius, mutatum eſt in brevius, non eſt neceſſe aliquid ſupplere.*
13 *Qui excuſatur à dicendo Officio longiore præſcripto, non tenetur ſubſtituere brevius.*
14 *Per frequentem mutationem Officii Can. ſine juſta cauſa peccatur mortaliter.*
15 *Qualis cauſa ſit juſta. Et num error præcedens ſit ſufficiens cauſa.*
16 *Quando ſit obligatio dicendi Officium B.V. Fidelium Defunctorum, præſertim in die Commemorationis, Pſalmos Pœnitentiales, Graduales, Litanias in diebus Rogationum.*

5 DIco, Certum eſſe, quòd omnes ex vi Bullæ Pii V. Breviario præfixæ teneantur recitere Officium continens formam Breviarii Romani, exceptis ſolùm iis, in quorum Eccleſiis, vel Conventibus 200. annis ante Pium V. aliud Breviarium fuit inſtitutum, vel conſuetudine approbatum, ad quod ipſi etiamnum ſaltem in recitatione publica (nam in privata plures, & teſte Leſſ. *lib. 2. c. 37. n. 34.* probabiliter ac ex recepta conſuetudine negant) retinendum tenentur, niſi cum conſenſu ſui Prælati, & totius Capituli, atque ipſius etiam Epiſcopi, ſi exempti non ſint, Romanum Breviarium receperint, quo deinde tenebuntur recitare.

6 Dubium tamen eſt, an ſi quis retenta prædicta formâ (quam ſemel, vel iterum immutare Navarus, & Reginaldus apud Palao contra pleroſque alios, &, ut videtur contra tenorem Bullæ, à peccato mortali excuſat, eò quòd propter retentionem formæ genericæ, qua Romanum Breviarium convenit v. g. cum Mediolanenſi S. Ambroſii, vel cum Officio Dominicanorum, aut Ciſtertienſium adhuc putent, impleri præceptum quoad ſubſtantiam etiamſi pro Romano aliud recitaretur) officium unius diei nulla rationabili cauſa impellente, ſubſtitueret officium alterius diei, mortaliter peccaret: nam ſaltem venialiter peccare certum eſt. Circa quod dubium Pater Gobat *in ſua Trig. horaria num.* 858. quinque Opiniones, earumque Patronos colligit, quarum prima univerſaliter affirmat, omnem mutationem eſſe mortaliter peccaminoſam. Pro ea citat Toletum, Bonacinam, Palao, Buſenbaum & ex his plures alios.

Secunda ſolam conſuetudinem mutandi officium in æquale, & fraudulentam mutationem in notabiliter brevius mortalis peccati damnat, ita Suarez, Reginaldus, Bonartius, Filliucius, Baldellus.

Tertia non agnoſcit grave peccatum in ulla variatione cujuſquam, etiam perpetua: pro hac, ait P. Gobat 34. Scriptores nominari, è quibus 17. refert à ſe inſpectos, & inter hos ſanctum Antoninum, Cajetanum, Sotum, Valentiam, Becanum, Leſſium, Dianam, Azor, qui teſtatur, omnes ante ipſum præter Angelum ita ſenſiſſe. Verùm Azor, Leſſius, Valent. & plerique alii ex citatis etiamſi non expresſè excipiant frequentiam mutationis, tamen etiam non excuſant à mortali peccato: unde ad paucos reduci poteſt numerus Authorum, pro hac ſententia manifeſtè ſtantium. Plerumque enim intentio tantùm fuit, oſtendere, formam particularem Officii Can. non ſpectare ad ſubſtantiam rei præceptæ, & proinde non peccari mortaliter ejus mutatione. Licèt autem Sylveſter apud cit. P. Gobat *num.* 863. dicat, eum non peccare mortaliter, qui ad libitum, & in fraudem mutat Officium præſcriptum, per hoc tantùm indicat, non requiri juſtam cauſam, nec obſtare, quòd pro officio longiore dicatur brevius. Itaque AA. citati, de quorum mente immeritò negat P. Gobat eſſe prudentem rationem dubitandi, pro ſequenti ſententia, vel ut Patroni, vel ſaltem non ut Adverſarii adduci poſſunt.

Quarta ſententia, quam Sanchez ait longè probabiliorem ſolam frequentiam, quæ audaciæ & contemptus ſpecimen præbeat, mortalis peccati accuſat, cui ipſe Pater Gobat ſubſcribit, aſſerens hodie eſſe communiorem, nominatim verò allegans præter plure alios Navarrum, Rodriquez, Sanch. Eſcobar, Vaſquez, Tamburinum nec diſſentit Layman.

Quinta denique opinio parùm differt à ſecunda, niſi quòd eidem addat, etiam eam mutationem fore lethalem, quæ omiſſo Officio in aliqua principali feſtivitate dicendo v. g. die Natalis Dominis aliud eidem ſubſtitueret non ſine gravi neglectu cultus Divini. Pro hac ſententia refert P. Gobat Raphaelem de Torres, & Baſſæum, omnes verò prædictas opiniones approbat ut probabiles, ſi tertiæ, & quartæ ſententiæ AA. intelligantur, uti ſupponendum eſt, intelligendos eſſe de mutatione Officii in notabiliter brevius quidem, ſed retinens communem formam Officii ferialis, aut feſtivi; unde excipiendum eſt officium Paſchatis, uti expresſè excipit Tambur. atque etiam Pentecoſtes, uti mentem ſuam expreſſit Eſcobar: nam hæc duo officia continent tantùm tres Pſalmos cum tribus lectionibus, quæ forma pro aliis diebus prohibetur *cap. In die de Conſecratione diſt.* 1. Licèt autem Joannes Caramuel ſine alio authore auſus ſit in ſua Theologia Regulari *n.* 1388. Et in Theologia fundamentali *à un.* 1100. defendere tertiam ſententiam ſine dicta limitatione; ipſe tamen in editione ſecunda ſui operis, *n.* 1489. ſe correxit teſte Antonio Catonio *lib. 3. Controverſiarum Celerrium cap. 3. num.* 58. & meritò quidem; cùm enim nullam attulerit pro ſe rationem, ab aliis ante & poſt ipſum ſcribentibus non agnitam, & ſolutam, nec alius Caramuelis, nec ipſe ſuo judicio inhærere, & in praxi licitè ſequi potuit; & multò minùs id nunc licitum eſt, poſtquam Alexander VII. prohibuit hanc propoſitionem 34. *In die Palmarum recitans Officium Paſchatis ſatisfacit præcepto.*

Ego circa hanc opinionum diverſitatem puto in recitatione privata officii Divini (nam tantùm de publica aliter videtur loqui. *cap. de iis. & cap. Ult. diſt.* 12. *ac cap. Convenit. diſt.* 5.) Secluſo formali contemptu (qui etiam, quamvis mutationem graviter prohibitam redderet) probabiliùs non peccari mortaliter, etiam per aliquoties iteratam mutationem unius Officii Divini in aliud, quantumvis brevius, retinens tamen formam Communem, ac præſcriptam Ordinariam. 7

Probatur hæc noſtra opinio contra primam, ſecundam, & quintam ſententiam. Qui non violat legem quoad ſubſtantiam, ſed tantùm quoad formam aliquam accidentalem, ſeu modum, tantùm ſecundariò intentum, de quo neque aliunde conſtat, illum à Lege ad proprium aliquem & graviter intentum finem Ordinari, non dicendus eſt graviter peccare: ſed qui recitat Officium Divinum ſecundùm formam Brviarii Romani Communem, & non ſecundùm aliquam extraordinariam, qualis eſt in officio Paſchatis, & Pentecoſtes, non violat quoad ſubſtantiam legem recitandi Officium Divinum ſecundùm formam Breviarii Romani à Pio V. præſcriptam, neque aliunde conſtat formam officii particularis à Lege iſta ad proprium aliquem graviter intentum finem ordinari: ergo non eſt talis, dicendus graviter peccare. Major ab ipſis adverſariis concedi debet, quorum plerique contra Baldellum fatentur, per tranſpoſitionem, aut notabilem interruptionem Pſalmorum non peccari graviter, etiamſi propterea forma aliqua accidentalis, & modus debitus non obſervetur. Minor probatur à pari: nam qui legit unam miſſam, non continentem formam extraordinariam, pro alia aſſignata illi diei, non violat quoad ſubſtantiam legem Bullę initio Miſſalis præfixę, & præcipientis in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut miſſa dicatur ſecundùm formulam, ritum, & modum in Miſſali deſcriptum:

ptum: ergo etiam qui dicit unum officium, non continens formam extraordinariam Paſchatis, vel Pentecoſtes, pro alio aſſignato illi diei, non violat legem recitandi officium Canonicum quoad ſubſtantiam: Diſparitas enim, quæ aſſignari poſſet, quòd non detur obligatio legendi ullam miſſam, detur autem obligatio dicendi Officium, non eſt ad rem: quia paritas tantùm inſtituitur à nobis, quòd in neutro caſu forma ſubſtantialiter mutetur.

Hinc etiam pro Officio notabiliter breviore procedit ratio: quia officia Divina certis diebus aſſignata retinent formam communem, & uſitatam Officii Canonici; adeoque formam à Lege intentam: ergo etiamſi recitetur Officium notabiliter brevius, vel alteri feſtivitati aſſignatum, ſatisfit adhuc primariæ intentioni Legis, & mutatio reſpectu illius eſt tantùm materialis, vel accidentalis. Unde etiamſi quis diceret officium de Sancto, cùm deberet dicere de Dominica, cenſendus eſt adhuc ſatisfeciſſe Legi quoad ſubſtantiam, & tantùm in venialem fraudem Legis egiſſe.

8 Hanc Concluſionis noſtræ probationem non approbat P. Joan. Cardenas *tom. 1. p. 2. tr. 4. d. 33. n. 42.* quamvis ipſam Concluſionem approbet, ut probabilem & ideo *n. 65. & ſeq.* aliam probationem affert, eò quòd noſtra & aliorum communis probatio videatur ſupponere, quòd modus exequendi rem præceptam nunquam ſpectet ad ſubſtantiam præcepti, & proinde nunquam graviter ſive ſub peccato mortali præcipiatur, quod oſtendit pluribus inſtantiis eſse manifeſtè falſum. Nam utique qui in officio Can. recitaret omnia verba ordine retrogrado, & ſic mutaret ſimul ſenſum verborum, non ſatisfaceret præcepto quoad ſubſtantiam. Atqui æquè mutat ſenſum verborum, qui pro uno officio recitat aliud continens alia verba, & alium ſenſum verborum, ergo etiam iſte non ſatisfacit præcepto quoad ſubſtantiam.

Quòd tamen talis non peccet mortaliter, ita probat citatus Author. Quoties parva eſt mutatio (etiam ſubſtantiæ præcepti) ea fit ſine peccato mortali, aliàs non eſſet parva mutatio; ſed quòd commutetur unum officium Canon. in aliud, eſt parva mutatio (etiam ſubſtantiæ pręceptæ) ergo fit ſine peccato mortali. Minorem probat Author hac regula: quòd ſcil. ea mutatio ſit magna, quæ fit in inſolitum, parva verò, quæ fit in ſolitum. Unde in præſenti controverſia mutatio Officii Can. in aliud, habens ſolitam formam, v. g. Officii de feria in officium de Sancto, eſt mutatio parva, quia utrumque habet ſolitam & uſitatam formam, mutatio autem in Officium Paſchatis vel Pentecoſtes eſt mutatio magna, quia hæc duo Officia continent inſolitam & extraordinariam formam.

Prævidit tamen Author fallibilitatem ſuæ regulæ, quòd ea ſit mutatio parva, quæ fit in ſolitum, ideo addidit in *num. 79. niſi res mutata ordinetur ad finem gravem, & ad illum graviter conducat*: & ideo *n. 75.* etiam faſſus eſt, ſi Pontifices in præcepto recitationis Officii Canon. eum finem reſpicerent, ut ſervetur unio, Conſormatio, & communio in recitando officio, una & eadem formula, uno & eodem ordine, hunc gravem finem, & mutationem fore magnam, ac graviter peccaminoſam: & propterea probabiliùs de facto eſſe talem, & ſolummodo probabile eſſe, quòd Pontifices tam gravem finem non intendant.

Verùm longè melior eſt prior Concluſionis probatio; quia illa non ſupponit, quòd modus exequendi rem nunquam ſpectet ad ſubſtantiam præcepti, nam omnes Authores, qui illa probatione utuntur, libenter fatentur, modum adminiſtrandi Sacramenta, celebrandi miſſam, cum ritibus & Cæremoniis præſcriptis, apud proprium Sacerdotem peragendi S Communionem in Paſchate, ac cum Jejunio naturali, immunitate à peccato mortali, ſpectare ad ſubſtantiam præcepti, hoc ipſo, quòd modus vel propter ſe vel propter ordinem ad alium gravem finem ſit graviter, & immediatè, ac formaliter præceptus, & ſit adeoque res præcepta. Unde prima probatio ſolùm debet ſtabilire ſuam minorem, quòd qui recitat Officium Divinum ſecundùm formam Breviarii Rom. Communem (quem modum ſupponit probatio ſpectare ad ſubſtantiam præcepti, quod iſtam ſolam conſormitatem tanquam finem gravem intendit) non violet quoad ſubſtantiam legem recitandi Officium Divinum ſecundùm formam Breviarii Romani à Pio V. præſciptam. Quam minorem ego probavi paritate præcepti de Miſſa dicenda ſecundùm formam & ritum in Miſſali deſcriptum: ubi etiam ſolummodo intenditur conſormitas in cæremoniis & ritibus miſſæ propriis, etiamſi non dicatur ea miſſa, quæ pro illa die præſcribitur: & ſic pariter non agit contra finem graviter intentum, modò ſervetur forma Breviarii Romani communis & uſitata, in qua principaliter uniformitas à præcepto intenditur. Aliter poſſet confirmari in argumento communi aſſumpta minori Propoſitio. Nempè quandocunque modus non etiam eſt principaliter propter ſe, vel in ordine ad talem finem intentus, ut pro ejus procuratione expediat, vel neceſſarium ſit, imponi obligationem gravem, tunc modus non ſpectat ad ſubſtantiam præcepti, ſed tantùm eſt accidentaliter, & ſecundariò præceptus: ſed modus recitandi Breviarium ſecundùm formam particularem, cuivis diei propriam, nec propter ſe, nec propter alium talem finem eſt intentus, ut pro ejus procuratione expediat, vel neceſſarium ſit, imponi obligationem gravem. Ergo &c. Quòd ſi quis neget minorem, illi, utpote affirmanti utilitatem vel neceſſitatem talis obligationis gravis, incumbit hujuſmodi utilitatem, neceſſitatem, & finem aſſignare. Sicut enim qui affirmat aliquam obligationem, debet illam comprobare, ſic qui affirmat gravem obligationem, debet gravitatem obligationis probare, quando ipſi obligatio quidem conceditur, ſed gravitas negatur. Et hoc argumentum negativum ſe ſolo ſufficeret ad retinendam noſtram concluſionem negativam.

At verò etiam Cardenas in ſua probatione deberet ſta- 9
bilire minorem, quòd mutatio unius officii in aliud ſit parva mutatio, quam dum confirmat conſenſu eorum Doctorum, qui tenent noſtram concluſionem hìc probandam, malè horum Authoritate confirma, iſti enim non poſſunt eſſe teſtes in propria cauſa, nec Judices: dum etiam eam mutationem dicit parvam, quæ fit in ſolitum, ipſe redit in circulum: nam ideo ait, probabile eſſe, quòd liceat mutatio Breviarii in aliud habens formam ordinariam, ſeu in breviarium ſolitum, quia eſt mutatio parva, ideo autem eſt mutatio parva, quia eſt ſolitum: quæ ratio & regula eſt circulus vitioſus, & ſi univerſaliter in quavis materia aſſumatur dicta Regula, pluribus inſtantiis ſive exemplis, ſi vacaret, poſſet enervari.

Subſtituo, itaque impugnati Authoris argumento 10
minùs efficaciter propoſito, aliud magis efficax, & magis efficaciter propoſitum, abſtrahendo, an breviarium proprium diei debeat dici modus rei præceptæ, vel res præcepta, incluſa in generali præcepto recitandi quotidie Breviarium. Nimirum quandocunque aliquid præcipitur tantùm ſub prædicato Generico, etiamſi de illo dentur ordinationes rituale ſpeciales, obligationi gravi illius præcepti ſatisfit citra admiſſionem culpę gravis, modò ponatur illud prædicatum genericum & aliunde non conſtet, ordinationes rituales ſpeciales habere etiam ſpecialem vim graviter obligandi. Sed præcepto & conſuetudine, quotidie recitandi Breviarium ſecundùm formam communem & ordinariam, tantùm præcipitur Breviarium ſecundùm prædicatum Genericum Breviarii continentis ſamam ordinariam illudque ponitur: & aliunde non ſatis certò conſtat, ordinationes rituales, ſpeciales præſcribentes Breviarium de feria, vel Dominica, aut feſto alicujus ſancti. habere etiam Specialem vim graviter obligandi: ergo &c. Major eſt indubitata, quia præcepto ſatisfit quando ponitur, quod præcipitur. Minor quoad primam partem eſt per ſe clara, quoad ſecundam patet ex ipſo diſſenſu Doctorum de obligatione gravi ordinationum ritualium ſpecialium: & inſuper onus probandi incumbit, obligationem gravem affirmanti.

Ut verò etiam præoccupem deſideratam probatio- 11
nem; Videtur gravis obligati, dicendi pro qualibet die Breviarium, per ordinationes rituales aſſignatum, colligi poſſe vel ex fine Conformitatis aut ſpecialis cultus ſectorum, vel ex paritate cum ordinationibus ritualibus adminiſtrandi Sacramenta, & faciendi Sacrificium, in quibus ſi quis Sacerdos totaliter alias Cæremonias & ritus adhiberet, quam in rubricis pręſcriptos,

pecca-

peccaret utique graviter; ergo inquies etiam peccaret graviter, ſi totaliter aliud Officium, id eſt, Pſalmos, Hymnos, Lectiones recitaret. Sed reſpondetur, negando ſuppoſitum primæ partis, ex fine deſumptæ, quòd major intendatur Conformitas ſub obligatione gravi, quàm quæ habetur per formam communem & ordinariam, non enim præcipitur perfectiſſima, cùm in variis Eccleſiis varia dicenda ſint Breviaria propter varias particulares cauſas, ſcil. propter particularia feſta, & reliquias ſanctorum &c. Similiter negatur ſuppoſitum ex fine ſpecialis cultus feſtorum deſumptum, iſte enim finis eſt tantùm ſecundarius, nec inducit ſpecialem aut gravem Obligationem, ſicut ſi quis in pervigilio alicujus Sancti non ſervaret *jejunium* præceptum, aut die feſto non audiret ſacrum, quamvis utrumque ſit præceptum propter cultum alicujus Sancti, non propterea committeret peccatum, utriuſque tranſgreſſioni novam ſpeciem ſuperaddens, in Confeſſione explicandam, tanquam ſpecialiter oppoſitam virtuti Religionis Duliæ.

Ad ſecundam partem nego paritatem inter Officium Canonicum ejuſque rubricas, & inter Sacramenta, ac ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacrificium, eorumque Rubricas. Quia enim Sacrificium Euchariſtiæ, & Sacramenta ad ſubſtantiam, & eſſentiam veræ Eccleſiæ ſpectant, & hæc per ea à falſis Eccleſiis, ac Sectis diſcerni debet, ideo etiam ritus & modus ea miniſtrandi neceſſariò ſub gravi obligatione præcipitur, quia inde colligitur dignitas illorum Divinorum Miniſteriorum, uniformitas Eccleſiæ in illorum adminiſtratione obſervatur, & debita reverentia, ac veneratio illis conciliatur. Imò ſi paritas rectè inſtituatur, ex hac potiùs, ut ſuprà oſtendi, probatur noſtra ſententia, quòd ſcil. ſicut ſacerdos non peccat graviter, ut ex communi ſuppono, ſi pro aſſignata Miſſa aliam legat, modò ſervet alias Cæremonias illi Miſſæ proprias, & ſcandalum abſit, ita etiam non peccet graviter, & ſi aliud Officium recitet, modò ſervet alias ordinationes Rituales, illi Officio proprias, & non dicat pauciores Pſalmos, Hymnos, Lectiones &c. quàm quot præſcribuntur pro illo Officio Canonico.

12 Atque hæc, quæ de graviter inculpabili mutatione Officii dicta ſunt, procedunt etiam, quando Officium, in quod fit mutatio, eſt notabiliter brevius, quia etiam iſtud retinet formam communem, & uſitatam Officii Canonici, adeoque formam à Lege intentam: ergo etiamſi recitetur officium notabiliter brevius, vel alteri feſtivitati aſſignatum, ſatisfit adhuc primariæ intentioni Legis, & mutatio reſpectu illius eſt tantùm materialis, vel accidentalis. Unde etiamſi quis diceret officium de Sancto, cùm deberet dicere Officium de Dominica, cenſendus eſt adhuc ſatisfeciſſe Legi: aliàs ſi etiam ex inculpabili errore Officium mutaſſet, teneretur adhuc dicere totum officium Dominicæ: quod neque Adverſarii communiter admittunt; ſed dicunt ſufficere, ſi ex Officio Dominicæ tot pſalmi recitentur, quot ſufficiunt ad explendum defectum brevitatis Officii recitati. Quod quidem etiam immeritò requirunt: quia Pſalmi Dominicales recitandi ſunt, quatenus ordinantur ad Officium Dominicale: ergo quando non eſt Officium Dominicale recitatum, nulla eſt obligatio illos dicendi: ad Officium enim de Sancto tam ſunt inconvenientes, quàm recitatio Roſarii, quod utique non poteſt ſupplere defectum brevitatis.

13 Dices, ex noſtra opinione ſequi, quòd quis in eas anguſtias temporis redactus, ut non poſſit dicere Officium longius illius diei, poſſit tamen dicere brevius, alterius diei, teneatur dicere brevius, ut præcepto quoad ſubſtantiam ſatisfaciat. Reſp. Negando ſequelam: quia Leges poſitivæ communiter non obligant tam rigorosè, ut cùm non poſſint impleri modo ordinario, debeant impleri modo extraordinario e. g. Officii mutatione; Imò Sanchez in Conſil. Moral. *dub.* 47. expreſsè ait, *Cæcum conſultius facturum, ſi novit memoriter majorem partem Officii diei, & illam recitat, quàm ſi recitet integrum alterius diei Officium, quod novit memoriter* deinde citat Navarrum *cap. Quando cap.* 11 *n.* 23. conſentit etiam Diana *par.* 2. *tr* 12. *R.* 30.

14 Reſtat adhuc probandum, quòd qui frequenter, vel conſtanter abſque omni rationabili, & juſta cauſa Officium mutaret, is mortaliter peccaret: quod ſic probo. Inter ea, quæ quidem non ad ſubſtantiam, ſed ad modum rei præceptæ ſpectant, omnium præcipuum eſt, ut recitetur illud Officium, quòd pro illa die ab Eccleſia eſt aſſignatum, ita ut multi Doctores valde probabiliter exiſtiment, quamlibet mutationem eſſe ſub mortali culpa prohibitam, ex aliis verò diſſentientibus Doctoribus, vix aliqui apertè dicant, frequentem mutationem non eſſe ſub mortali culpa prohibitam, omnes autem, qui ad horas Canonicas dicendas obligantur niſi conſcientiæ ſint laxioris, ſibi prudentiſſimè, & maximè metuant de gravi peccato, per dictam frequentem vel conſtantem mutationem committendo. Ergo probabiliſſimum eſt, eos, qui ipſam conſuetudinem præſcriptionem, obligationem dicendi aliquod Officium Divinum induxerunt, ejuſdem mentis ac intentionis fuiſſe, ut ſicut is peccaret mortaliter, qui tantùm ſemel nullum Officium recitaret, ita etiam propter ſaltem virtualem gravem contemptum Legis, ſecundariò tantùm intendentis formam particularem, peccaret mortaliter, qui Officium præſcriptum frequenter, vel etiam conſtanter mutaret.

Confirmatur primò. Etiamſi ſingula Officia diurna ſint ſuis quæque diebus affixa, nec coaleſcant in unam totalem Orationem, aut etiam in unum cumulum, à Lege intentum, coaleſcunt tamen in unam multitudinem, quæ ratione objecti præcipuè ad præſcriptam formam neceſſarii, & alter vix conſtanter præſertim in Officiis longioribus obtinibilis, meretur, quà talis, graviter prohiberi, cùm ex una parte ſine gravi prohibitione, ad horas Can. obſtricti, à frequentia mutationis maximè in Officia breviora non ſufficienter abſterrerentur; ex altera parte autem prohibitio gravis neque fragilitati humanæ ſit nimium oneroſa, aut inobſervabilis, ſicut tamen eſſet aliarum frequentium, ſed ex parte objecti leviorum tranſgreſſionum prohibitio, v. g. diſtractionum etiam voluntariarum, interruptionum non neceſſariarum, tranſpoſitionum horarum, & ipſius diurni temporis frequenter prætergreſſi &c. Quorum omnium frequentia ſi pariter ſub mortali prohiberetur, humana fragilitas in re per ſe valde oneroſa nimis multis periculis peccandi mortaliter exponeretur. Ergo ſaltem dicendum eſt, multitudinem mutationum, abſque rationabili cauſa factarum, præſertim ſi ſint Officii longioris in brevius, ſub mortali culpa prohiberi, juxta communem timoratorum perſuaſionem.

Confirmatur 2. Paritate aliarum obligationum, quaſi reflexè, & ſpecialiter, quarundam actionum vitandarum frequentiam, aut ponendarum raritatem prohibentium. Sic etiamſi poneretur, ſine gravi ſcandalo populi fieri poſſe, & ſine peccato mortali, ut ſemel vel iterum Officium Can. in choro publicè mutetur, id tamen ſecundùm SS. Canones ſuprà relatos, nemo prudenter aſſeret de frequenti publica mutatione. Item ſi poneretur culpa mortali vacare, ſi quis ad præſentiam in choro ratione Beneficii, aut Profeſſionis adſtrictus, non niſi raró, abſque juſta cauſa abeſſet, non eſſet tamen excuſandus à culpa mortali, ſi id faceret frequenter, ut teſtantur Suar. Garcias, Filliucius, Squillante, apud Dianam *p.* 2. *tr.* 12. *R.* 13. quorum ſententiam ipſe vocat probabiliorem, ſed potiùs debuiſſet vocare veram, pro qua Garcias adducit tres Cardinalium Declarationes, & eſt omnino conformis Tridentino *Seſſ.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* Quidquid ſit de conſuetudine alicubi contraria, & aliquorum ſententia à cit. Diana allegata. E contrario ſi quis multorum annorum decurſu non niſi rariſſimè eliceret actum virtutum Theologicarum, aut liberalitatis erga valde indigentes, cùm facilè & frequenter poſſet, talis non eſſet, ut ſuprà *in tract.* 3. & 4. oſtendimus immunis à peccato mortali. Ergo etiam ſingulæ mutationes officiorum ſeorſim, & privatim factæ, non ſint ſub mortali prohibitæ, poteſt tamen frequentia eſſe prohibita, & levitate culpæ pro ſolitariis vicibus non obſtante, propter rationes allatas probabiliùs cenſetur eſſe prohibita.

Videtur autem in hac frequentia agnoſcenda attendendum eſſe primò ad cauſam mutationis, cùm enim quælibet mutatio ſeorſim, ſecundùm dicta, tantùm prohibeatur ſub veniali peccato, & proinde ad eam inſtituendam levior cauſa ſufficiat, quàm ſi prohiberetur ſub

mortali, ideo cauſa, quæ ſufficiebat ad impediendum peccatum veniale, facit, ut illa mutatio Officii non ſit computanda cum frequentia culpabili. Secundò attendendum eſt, an mutatio officii fuerit fraudulenta, præciſè ob brevitatem Officii, ut evitetur moleſtia, & onus longioris Officii: Tertiò obſervanda ſunt intervalla mutationum, an hæc modica, & frequentia fuerint: per modica enim intervalla citiùs pervenitur ad frequentiam, quàm per longa, & diuturna: Ideo, ſicut in multis aliis obligationibus, etiam hìc denique recurrendum eſt ad proprium vel alienum Judicium prudentiæ.

15 Ex dictis colligitur, cùm ab obligatione ſub culpa veniali levior cauſa honeſta ſufficienter excuſet; ideo ſine omni culpa poſſe fieri mutationem officii ex rationabili cauſa, non adeò gravi, quarum plures enumerat P. Gobat, loco citato à *num.* 910. v. g. ut te conformes loco, perſonæ, ubi, vel cum qua recitas officium, quamvis alioquin ratione obligationis perſonalis etiam abſens tenereris dicere officium propriæ diœceſis, vel templi, in quo habes Beneficium. An verò etiam ſolius devotionis cauſa erga aliquem Sanctum liceat de illo Officium dicere, cùm fortè eſſet dicendum de Feria, controverſum eſt. Affirmat Laymann negat Tannerus, & Gavantus, aſſerens à Congregatione Rituum ita eſſe deciſum: & planè credo, te ſancto majus præſtiturum obſequium, ſi in illius honorem dicas Officium præſcriptum, quàm ſi commutes in Officium proprium ſancto. Imò etiamſi per errorem non recitaveris Officium de Sancto præſentis diei, ſed recitaveris Officium de Sancto ſequentis diei, probabiliùs debere ſequenti die iterum recitari Officium jam ſemel recitatum, quàm ut compenſetur neglectum, ne bis erretur, & mutetur Officium. Ita Quintanadvenas, Tamburinus, Lugo *in Conſiliis Moralibus lib.* 5. *dub.* 8. ſequitur P. Gobat *à num.* 638. quamvis primi duo DD. aſſerant, etiam oppoſitum eſſe probabile quoad licentiam.

16 Pro complemento addo, obligationem dicendi Officium juxta formam præſcriptam à Pio V. conjunctam eſſe cum Deobligatione dicendi Pſalmos Pœnitentiales, Graduales, Officium Beatæ Virginis, & Defunctorum, excepto illorum Commemorationis die, quo iſtud Officium eſt pars Orationis præſcriptæ, ſicut etiam Litaniæ Omnium Sanctorum diebus Rogationum, & ſancti Marci reſpectu eorum, qui Proceſſionis publicæ non interfuerunt, ut exiſtimant Laymann Palao, & apud P. Gobat in Compendio de Horis Canonicis *num* 614. Suarez, Sanchez, Tannerus, quos ipſe etiam ſequitur, aſſerens, eſſe illorum ſententiam communem, & probabiliorem. Tamburinus *lib.* 2. *Decalog. cap.* 5. §. 2. *n.* 14. Qui etiam refert, nec improbat contrariam ſententiam Graffii, Homoboni, Molfeſii, Vaſquez, Dianæ *part.* 2. *tr.* 12. *Reſol.* 42. negantium, Lytanias, & Officium Defunctorum unquam Canonici penſi partem eſſe, quod tamen, ſi ut probabiliùs dicitur, Officii pars ſit, citatus Author §. 5. aſſerit, etiam pridie poſt dictum Benedicamus Officii de Octava Omnium Sanctorum recitari poſſe, omiſſo ad finem Laudum Salve Regina, Litaniæ tamen eo die, quo proceſſio habetur, cui ſubſtituuntur, dici debent, quamvis Gavantus, & P. Gobat *loco citato* aſſerant, etiam pridie poſſe dici. Baldellus *lib.* 3. *diſp.* 33. *n.* 28. Obligationi dicendi Litanias ſub peccato mortali etiam addit reſpectu Beneficiati obligationem reſtituendi partem fructuum, omiſſioni illarum reſpondentem, quandoquidem ſunt pars Officii illius diei. De quo tamen adhuc dubitari poteſt: quia Pius V. in Bulla ſua confirmans decretum Concilii Later. ſub Leone X. & declarans, quales fructus pro Omiſſione totius Officii Divini, & quales pro qualibet parte omiſſa reſtituendi ſint, tantùm numerat partes ordinarias, ac propriè dictas, nempè ſeptem Horas, quibus Officium Divinum in communi acceptione ſua conſtituitur, nihil autem dicit de Officio Defunctorum, & Litaniis, quamvis etiam ſpecialem mentionem facit Officii B. V. reſpectu illorum, qui ejus intuitu certos aliquos fructus percipiunt.

ARTICULUS III.

Quomodo ab Obligatis recitandæ ſint Horæ Canonicæ?

DUobus adverbiis totum orandi modum Innocentius III. comprehendit eſſe *in cap. Dolentes de celebratione Miſſarum*, ubi ait: *Strictiſſimè præcipimus in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudioſè celebrent pariter & devotè.*

§. I.

Quid requiratur ad ſtudioſè *celebrandum Officium Divinum.*

SUMMARIUM.

17 Studioſè *facta Oratio debet eſſe integra, continua, & ordinata: & quomodo contra has Conditiones peccetur.*

18 *Refertur ſententia, & rationes Baldelli, nimis ſeverè aſſerentis, notabili interruptione unius horæ non ſatisfieri præcepto quoad ſubſtantiam, & mortaliter peccari, niſi tota repetatur.*

19 *Reſpondetur ad rationes Baldelli.*

20 *Rurſum improbatur doctrina Baldelli, aſſerentis etiam per ſequentem tranſpoſitionem, & Ordinis variationem peccari mortaliter.*

AD ſtudioſam orationem tria requiruntur, ſcilicet ut ſit integra, continua, & ordinata: Contra hanc 17 tamen conditionem non peccatur mortaliter, niſi ſimul, vel hinc inde tantum omittatur, vel tot conſtructiones, quoad ſignificationem ſuam, omiſſis, truncatis, ineptè tranſpoſitis verbis penitus immutentur, ut notabilis, & ratione quantitatis ad peccatum mortale ſufficiens pars Officio Divino detracta cenſeatur: adeoque præcepto non tantùm quoad modum, ſed neque quoad ſubſtantiam rei præſtandæ fuerit ſatisfactum. Unde ut ex communi ſententia notat Sanchez in Conſil. Moral. *dub.* 17. & 19. & 41. veniale tantùm peccatum erit, ſi non ex inadvertentia, vel naturali balbutie, aut volubilitate linguæ, ſed ex negligentia, & feſtinandi ſtudio, integra verba, vel ultimæ ſyllabæ abſque prædicto effectu abſorbeantur, vel Pſalmi, Hymni, Lectiones, & integræ Horæ etiam longo tempore interrumpantur, aut ordo pervertatur: quod ſi ex rationabili cauſa fiat, v. g. propter interveniens negotium neceſſarium orationem abrumpas, vel propter ſocium poſteriorem partem cum illo perrecturus ante priorem dicas, aut lectiones, eò quòd librum ad manum non habeas, ad aliud tempus differas, omni culpa vacabis: ſuadetur tamen, ut Pſalmum, Hymnum, Orationem, aut Lectionem interruptam de novo incipias.

Itaque nimis ſeverè ſentit Baldellus, qui *diſp.* 32. *nu.* 18 6. & 10. non neceſſariam Interruptionem notabilem partium ejuſdem horæ ait eſſe contra ſubſtantiam præcepti, eò quòd hora ex præcepto dicenda, ſit oratio continua, & eidem non æquivaleant partes diſcontinuæ; idque etiam aſſerit, *num.* 4 de diſcontinuatione Matutini, ultra duas vel tres horas diei, quamvis antiquitus tria Nocturna, ut vocant, in eodem Matutino diſcontinuare more & uſu receptum fuerit. Probat aſſertionem ſuam primò Paritate Stipulationis, cujus ſubſtantiæ repugnat, ſi Stipulantes poſt Interrogationem cœperint agere aliquid aliud, per quod interrumpitur Stipulatio, ut ſtatuitur *in l. Continuus ff. de Verborum obligationibus.*

Probat ſecundò paritate Teſtamentorum, quæ uno contextu, nullum alienum actum intermiſcendo, qui ad ipſa non faciat, fieri debent, *juxta l. Hæredes palam §. uno contextu ff. de Teſtamentis.*

Probat tertiò. Matutinum & quælibet parva hora eſt præcepta tanquam una continua Oratio, & non tanquam aliquod totum ſolummodò unum per aggregationem,

nem, quæ tantùm ſufficit ad totum Officium Can. cujuſvis diei; hinc valdè notabilis, & abſque juſta cauſa facta diſcontinuatio Matutini vel Horæ parvæ adverſatur ſubſtantiæ rei præceptę: quia non ampliùs eſt una continua Oratio, prout etiam Ariſtot. 4. *phyſ. tex.* 34. & *ſeqq.* aſſerit, impoſſibile eſſe, ut motus ſit verè unus numero, & continuus, ſi ejus partes non copulentur communi termino, & ſolùm reſpondeant partibus temporis diſcontinuis. Et 5. *Met. tex.* 19. inquit idem Philoſophus, quòd ſubſtantia cujuſque numeri ſit eſſe ſemel id, quod eſt unuſquiſque, non autem eſſe ſæpiùs ſuas partes, ex quibus componitur. v. g. Subſtantia Senarii ſit eſſe ſemel ipſum ſex, non autem eſſe ter ipſum duo, aut eſſe bis ipſum tria.

Probat quartò. Ex Concilio Toletano VII. *cap. nihil.* 7. *q.* 1. Ubi poſtquam eſt dictum de Miſſa perficienda per alium Epiſcopum vel Sacerdotem, ſi fortè morbus inopinatò accidat priori celebranti, ſubditur generaliter: *Quod nullus Miniſter aut Sacerdos, poſtquam inceperit Divina Officia, præſumat illa relinquere imperfecta. Si quis hæc temerare præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.* Ex qua pœna Author cit. infert culpam gravem: & quòd non tantùm Officium Miſſæ per Verba: *Divina Officia*: intelligatur, colligit ex Verbo *Miniſter*, quod additur Verbo *Sacerdos*, ut proinde etiam aliud Miniſterium, non ſupponens Sacerdotalem Ordinem, nempè etiam Officium Can. comprehendatur.

19 Verùm hæc omnia magis ſunt ſpecioſa, quàm efficacia, quamvis ipſius Authoris ſententia non deſtituatur aliorum DD. Authoritate apud Dianam *p.* 2 *tr.* 12. *R.* 4. ubi quidem immeritò cit. Suarez, & Vaſq. additque Azorium, Reginal. Navar. & plures alios. Contra quos noſtram ſententiam, ut probabilem, firma Authoritate multorum DD. Fernandez, Aragon. Rodriq. Zanardi, Ledeſmæ, Barboſæ, Layman Villalobos Leſſii, quibus addit poteſt Palao, Sanchez, Bonacina, Gobat. Horum Ratio eſt, quia Interruptio ſtat cum integritate, Unitate, & Subſtantia Orationis, ut patet ex coaleſcentia omnium horarum in unum Officium: modus autem & forma cùm non ſpectet ab ſubſtantiam rei præceptæ, neque ordinetur ad aſſignabilem finem, ſub gravi obligatione intentum, tantùm debetur ſub obligatione veniali, præſertim quia interruptio neque impedit vim ſignificandi, neque rationem cultus Divini, neque eſt inſueta, ſaltem ſi non idem Pſalmus, Hymnus, Lectio &c. interrumpatur, aut deinde rurſum inchoetur: ſic Sanchez *in Conſil. Moral. dub.* 14. ait ſatisfacturum Voto, qui Roſarium promiſſum partim manè partim veſperè perſolveret. Aliud eſt de illis actionibus, quæ interrumpi nec ſolent, ſec ſalvo intento fine, aut Lege expreſſa poſſunt, ut ſi Sacerdos poſt conſecrationem Miſſam interrumperet. Maximè autem probatur noſtra ſententia argumento negativo, quòd gravis obligatio non ſufficienter probetur.

Nam ad paritatem cum Stipulatione, & Factione Teſtamenti reſpondeo primò, ſciſcitando ex Adverſariis. An recitatio Matutini, vel cujuſcunquæ Horæ Can. majorem ſimilitudinem & proportionem habeat cum allatis Exemplis, quàm cum aliis Contractibus profanis, & Sacris, qualis eſt Contractus Sacramentalis Matrimonii: quod quia oſtendere nequit, inverto argumentum à paritate, hoc modo. In Contractibus profanis & ſacris continuitas actionis non eſt neceſſaria ad ſubſtantiam actus, ergo neque eſt neceſſaria ad Subſtantiam Orationis præceptę.

Reſpondeo ſecundò, iterum interrogando, an Stipulatio & Factio Teſtamenti, ex Natura ſua, & independenter à Lege præſcribente Formam ſtipulandi, & faciendi teſtamentum, continuitatem actionis involvat, an Non. Si affirmat, peto diſparitatem, & rationem, quare illam non etiam involvant aliæ actiones diverſorum Contractuum & cur prædictæ duæ Actiones illam involvant. Et ſimul quæro, num etiam recitatio Matutini, quod olim ab Eccleſia diſcontinuabatur secundùm tria Nocturna, & recitatio cujuſvis Horæ Can. illam Continuitatem ex Natura ſua involvat, non obſtante, quòd totum Officium Can. illam non requirat. Si autem in Stipulatione & Factione Teſtamenti neget, ex Natura Actionis, & indepedenter à Lege poſitiva continuitatem involvi, tunc rurſum invertò argumentum, ſic argumentando. Stipulatio & Factio Teſtamenti non involverent Continuitatem, niſi de hac extaret, & aſſignari poſſet expreſſa lex: ergo cùm de Continuitate Matutini, & cujuſvis alterius Horæ Can. non extet, neque aſſignari poſſit expreſſa lex, recitatio Matutini, vel alterius Horæ Can. non involvit continuitatem. Neque poteſt lex civilis extendi ultra ſenſum verborum, multò minùs ultra proprium territorium ad obligationem merè Eccleſiaſticam: ſicut non extenditur ad totum Officium Can. continuè recitandũ, neq; ad alios contractus civiles: & ſicut aliorum contractuum Leges non extenduntur ad recitationem Officii Divini, ſive totaliter, ſive partialiter ſpectati.

Reſpondeo tertiò & directè. Nego paritatem. Quia ut Continuitas ad Stipulationem & Factionem Teſtamenti Lege requireretur, id conveniebat ad cavendos dolos, & fraudes, & ad conteſtandum actum per teſtes præſentes, & ad firmitatem actus &c. Similes fines autem non habent locum in recitatione Matutini, vel alterius Horæ.

Ad tertiam probationem reſpondeo, nullo modo ex Ariſtotele deduci poſſe, quomodo recitandæ ſint Horæ Can. quidquid enim ille requiſiverit ad continuitatem Motus, negatur ipſam Continuitatem requiri ad eſſentiam Orationis, & eam proinde nego præceptam eſſe tanquam aliquid ſpectans ad ſubſtantiam rei præceptæ, ac ſub peccato mortali exigi, & eſſe materiam gravem. Diſcrimen autem, quod Ariſtoteles aſſignavit inter totum, & ejus partes, retorqueo inprimis in ipſum P. Baldellum; nam ſicut totum Matutinum componitur ex tribus nocturnis, & quælibet Hora Can. ex Pſalmis, ſic totum Officium Can. conſtituitur ex Horis Matutinis & Veſpertinis, & tamen ſalvo diſcrimine Ariſtotelico, & ſalva Subſtantia rei præceptæ, poſſunt totius Officii partes diſcontinuari. Hinc iterum inverto argumentum in ſuum Authorem. Ariſtoteles non aſſignavit diſcrimen reale, & ſubſtantiale inter totum, & omnes ejus partes, ſed tantùm diſcrimen Rationis, quòd nempè totum debeat concipi conceptu collectivo partium, partes autem diviſivo, vel diſtributivo, & non requiſivit ad rationem totius continuitatem partium, ſed unionem, quę ſine continuitate haberi poteſt per aggregationem, quam Author etiam tantùm requirit in conſtructione totius Officii Can. ergo etiamſi interrumpantur Matutinum & parvæ Horæ, modò nulla pars omittatur, realiter & ſubſtantialiter ponitur tota res præcepta, ſed tantùm non ponitur debita cum Reverentia, ſi abſque juſta cauſa interrumpantur contra receptam conſuetudinem ſingulas horas continuè recitandi: quæ tantùm eſt culpa venialis.

Ad quartam probationem, nempe ad *cap. Nihil* ex Concilio Toletano VII. reſpondeo primò, illud non loqui *de Interruptione* Divinorum Officiorum, ſed *de Abruptione*, qua non ponuntur omnes partes, ſed *Officia Imperfecta* relinquuntur, & ideò voluit, ut ſi Sacerdos vel alius Miniſter (comprehendendo ſub hoc nomine Epiſcopum, qui non eſt ſimplex Sacerdos, eſt tamen Miniſter Chriſti, & Myſteriorum DEI) morbo ſubitò correpti Officia Miſſę ad finem perducere non poſſint, *Liberum ſit Epiſcopo* (qui antè Vocabulo *Miniſter* ſignificabatur) *vel Presbytero alteri Conſecrationem exequi Officii cæpti: & ut nullus abſque proventu patentis moleſtiæ Miniſter vel Sacerdos, cùm cæperit, imperfecta Officia præſumat omnino relinquere*. Reſpondeo ſecundò, Concilium Toletanum tantùm loqui de Officiis Altaris; ideò *cit. cap.* ſic inchoatur. *Nihil contra ordinis ſtatutum temeritatis auſu præſumatur: neque illa, quæ ſumma Veneratione cenſentur*, (qualia ſunt Officia Altaris, non autem Officium Canonicum) *vel minimo præſumptionis auſu ſolvantur &c.* Patet hoc ipſum etiam ex eo, quòd velit partem cœpti Officii ſuppleri ab alio: Officium autem Can. nec ſolet, nec debet ſuppleri ab alio. Idem colligitur ex adjecta pœna. *Si quis hæc temerare præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit*. Ex qua proinde P. Baldellus malè probat gravitatem præcepti, ne horæ interrumpantur; nam hæc pœna neque Omiſſionis Horarum, moltò minùs interruptioni unquam ſtatuta fuit. Certè ſi in hoc Capitulo nomine Divinorum Officiorum etiam comprehenderentur Horæ Can. eodem multò magis comprehenderetur totum Officium Diurnum: & ſi Capitu-

pitu-

Capitulum prohiberet interruptionem, & non ſolùm abruptionem, ſequeretur, neque totum Officium licitè interrumpi. Præterea ſi continuitas ſpectaret ad ſubſtantiam præcepti, & ſi partes interruptæ non poſſent conſtituere *unam Horam*, atque ipſam rem præceptam, ſequeretur, quòd qui etiam inculpabiliter ob juſtam cauſam Horam interrumperet, non quidem peccaret mortaliter interrumpendo, attamen teneretur, deinde non tantùm dicere partem poſteriorem nondum dictam, ſed etiam priorem jam dictam, quia aliàs non diceret, *Unam continuam Horam*; ſive non exequeretur rem præceptam; quam obligationem negat ipſe Author, ac piorum praxis.

20 Item P. Baldellus cum Vaſq. Opuſc. de Beneficiis *cap. 4. dub. 4. n. 66.* nimis etiam ſeverus eſt quoad transpoſitionem, ſive ordinem partium variarum, nixus hoc falſo fundamento, quòd per frequentem transpoſitionem Horarum, vel Pſalmorum &c. coaleſcat materia ſufficiens ad mortale peccatum. Eò quòd hujuſmodi transpoſitionum frequentia graviter opponatur cultui Divino, ad modum alicuius totius complexi pro toto Beneficii Eccleſiaſtici, aut Religioſi ſtatus aſſumpti tempore, ſub mortifera noxa præcepto. Verùm præceptum quotidie & ordinatè ſine transpoſitione dicendi Horas pro objecto, & ſine immediato non intendit collectionem Officiorum Can. publicè vel privatim perſolvendorum; ſed ſingula ſeorſim pro ſingulis diebus. Neque apparet quomodo transpoſitio Horarum graviter opponatur cultui Divino, ſecluſo contemptu. Unde omnibus his obligationibus à Baldello aſſertis oppono rurſum argumentum negativum, quòd eę non ſint imponendæ, niſi ſatis probentur.

§. II.

Quid requiratur ad devotè celebrandum Officium Divinum.

S U M M A R I U M.

21 *Ad Officium Canonicum* devotè *perſolvendum, non requiritur intentio ſatisfaciendi præcepto, requiritur tamen intentio præſtandi illam actionem, quæ præcepta eſt, nempe Orationem vocalem, eaque debet ſaltem virtualiter perſeverare, dum ponitur Oratio.*

22 *Præter intentionem orandi, requiritur etiam Attentio: hæc autem dividitur in Litteralem, Spiritualem, & Superficialem. Ultima rurſum ſubdividitur in Actualem, & virtualem, quibus poſſet addi habitualis, ſed hæc non eſt apta, ad orationem humano modo ponendam.*

23 *Intentio ſuperficialis, virtualiter perſeverans, magis declaratur.*

24 *Declaratur etiam Intentio Litteralis, & Spiritualis.*

21 AD devotam orationem intentio, & attentio requiritur: unde Gloſſa *in citatum cap.* ait: *ſtudioſè ad officium oris, devotè ad Officium cordis ſpectare.* In primis ergo præmittenda eſt intentio, non quidem ſatisfaciendi præcepto; hæc enim, ut ex tractatu de legibus conſtat, neceſſaria non eſt, ſed faciendi rem, quæ præcepta eſt: quia hæc intentio partim exigitur, ut humano modo ponatur phyſica exiſtentia recitationis vocalis, quæ præcepta eſt, partim ut determinetur recitatio ad eſſentiam orationis; cùm non qualiſcunque recitatio, ſed oratio vocalis præcipiatur: unde qui Breviarium legeret ſolùm ex curioſitate, vel diſcendi ſtudio, non ſatisfaceret, ut DD. communiter fatentur. Eſt autem intentio faciendi rem præceptam, ſeu orandi vocaliter nihil aliud, quàm intentio proferendi verba, quatenus ſecundùm vim ſuam ſignificandi ordinantur ad cultum divinum, ſeu quatenus ſive directè ſive indirectè laudem DEI, ac excellentiam Divinam aliquam repręſentant. Unde etiamſi aliquæ partes Breviarii videantur, tantùm eſſe hiſtorica quædam narratio ex antiquo teſtamento, vel ex vita alicujus Sancti, vel ſint expreſſio verborum à ſancto Davide, ſuo, aut Chriſti nomine prolatorum, neque proprio Orantis nomine, quo ſæpe falſificarentur, proferantur, nihilominus ſunt vera Oratio vocalis: quia recitantur, quatenus de illa directè, vel indirectè repræſentatur aliqua excellentia divina, elucens ex narratione alicujus facti, v. g. eductionis populi Iſraelitici ex Ægypto, vitæ alicujus viri ſancti, locutionis à Pſalmiſta cum DEO habitę, & affectum animi erga DEUM declarantis. Cùm verò diximus, intentionem internam ad phyſicam exiſtentiam, & moralem æſtimationem orationis externæ neceſſariam, adeòque Lege humana imperabilem requiri, intelligi volumus de intentione ſaltem virtuali, & implicita, quam teſte Suarez *to. 2. de Religione lib. 3. c. 3. n. 6.* cenſetur habere, qui aſſumit Breviarium orandi cauſa, vel faciendi id, quod aliàs ſolet, vel quod tenetur facere: cujuſmodi intentio, ſaltem virtualis, communiter dicitur ſufficere etiam ad validam adminiſtrationem Sacramentorum.

Intentioni adjungenda eſt attentio, quæ communiter cum S. Thoma 2. 2. *q.* 83. *a.* 13. Dividitur in *ſuperficialem, litteralem, & ſpiritualem.* Superficialis eſt attentio ad ſola verba, ut rectè & ordine omnia pronuncientur, nihilque omittatur. Hæc iterum duplex eſt, nimirum actualis, & virtualis. Prior ſupponitur ad poſteriorem, eſtque actualis advertentia ad verba rectè, & ordine proferenda; quia verò iſta relinquit poſt ſe ſpeciem intentionalem, ad cognitionem ſui rememorativam, ſaltem tenuem, & ita remiſſam, ut ſæpe reflexè adverti, vel diſcerni non poſſit, præſertim quando animus ad alia objecta ſive voluntariè, ſive involuntariè diſtrahitur, quamvis revera talis cognitio in intellectu exiſtat, illumque in actu exercito dirigat, & voluntatem determinet, ad talia verba, & tali ordine ipſi linguæ, vel ex libro, vel ex memoria dictanda, ut advertit Suar. *to. 2. de Relig. lib. 3. cap. 4. n. 19.* ideo iſta cognitio dirigens vocatur Attentio virtualis, in qua prior Actualis velut in ſua virtute, & in ſuo effectu exiſtit: & qua poſita homo adhuc habet ſufficiens principium directivum, ut poſſit, & cenſeatur operari modo humano, id quod etiam de intentione virtuali, ſive de effectu ab actuali volitione orandi relicto, nempe de remiſſa & tenui illa volitione idem objectum intendente dicendum eſt, qualis quoque ad auditionem miſſæ die feſto, humano modo faciendam, & ad Sacramentorum adminiſtrationem requiritur in defectum intentionis actualis, neque admittitur merè habitualis, conſiſtens in ſola actuali præterita, & negatione retractationis: quæ duæ partes tamen non ſufficiunt ad operandum modo humano, quia cognitio & volitio neque in, ſe neque in ſuo effectu prædicto exiſtens, nequit dirigere operationem humanam per hoc ſolum, quòd non ſit retractata. 22

Putant quidem aliqui, non eſſe determinatè neceſſarium ad attentionem vel intentionem virtualem, ut ſemper ſit effectus rationalis, ſed ſufficiat cognitio phantaſtica, ſive procedens à ſenſu interiori imaginationis ſeu phantaſiæ ex coordinatione ſpecierum materialium, relictarum à phantaſmate, ſive ab actu phantaſiæ, qui ſolet conjungi cum actu intellectus, & ſpecies materiales ſeu ſenſitivas relinquit, ſervientes ad cognitionem & appetitionem ſenſitivam. Sed quia hi actus ſunt communes brutis, vi quorum etiam iſta quandoque proferunt verba articula, & certo ordine, ideo Baldellus *to. 2. lib. 3. cap. 37. n. 15.* citans Palud. Durand. S. Anton. Sylveſtrum, & alios negat, tales actus ſufficere, ut actio ſubſequens cenſeatur poni modo humano, qui debet eſſe diverſus à modo operandi brutorum, non tantùm pro illo inſtanti, quo ponebatur intentio vel attentio actualis, ſed etiam pro ſequentibus, quando illa non ampliùs exiſtit, quia ad operationem humanam requiritur, ut ſit rationalis, adeoque actu dirigatur à ratione: cum in adultis extra amentiam, ebrietatem, & ſomnum, per ſolam diſtractionem non ſoleat ratio ita ligari, ut non cum actu imaginationis producat actum intellectionis, quandoquidem cum ſpeciebus materialibus ſemper relinquuntur etiam ſpecies ſpirituales à præcedenti intentione ſpirituali. Sed quidquid ſit de hoc, quod non eſt hujus loci, certum eſt, intentionem, & attentionem aliam eſſe actualem, & aliam virtualem, & utramque ſufficere ad operandum modo humano. 23

Attentio litteralis à S. Thoma, & DD. communiter ex-

Ego tamen aſſero, non tantùm Comitolum, ſed neque reliquos à Tambur. & ab ipſo P. Gobat relatos tenere ſententiam, ab eodem his verbis *loc. cit.* expreſſam, & *n.* 838. approbatam. *Prima eaque Communior inter Scriptores hujus ſæculi damnat abſolutè peccati mortalis, foventem animo deliberato per notabilem partem Breviarii diſtractiones, cogitationeſque avertentes animum ab attentione ad res pias. Hanc poſt Navar. de Orat. cap.* 13. *num.* 18. *atque alios ita seriò propugnat Franciſcus Suar. ut pronunciet eam eſſe moraliter certam & contrariam eſſe practicè improbabilem &c.* Verùm teſtimonium Suarezii paulò ante à me allegatum non rectè applicatur huic ſententiæ, eaque immeritò appellatur communior. Nam Suar. ibi tantùm dicit, peccari mortaliter per voluntariam diſtractionem, quando per eam excluditur omnis attentio interna, non autem quando præciſè excluditur attentio ad res pias, ſive attentio ſpiritualis: ut clarè patet *ex cit. num.* 5. & 13. & ex ratione, qua ibi probat ſuam aſſertionem inquiens. *Supponimus, non eſſe ſimpliciter neceſſariam attentionem actualem, ſed ſaltem virtualem, quòd autem hæc ſaltem neceſſaria ſit, patet, quia neceſſaria eſt intentio virtualis orandi, ſed hæc eſſe non poteſt ſine attentione virtuali: ergo. Minor probatur. Quia tunc ſolùm deficit virtualis attentio, quando homo ſciens, & videns ſe de aliis cogitare, & non attendere, non curat, ſed negligit, vel directè vult illo tantùm modo dicere. At hoc ipſo jam non vult orare, ſed revocat priorem Intentionem, quia velle ſic loqui, non eſt velle orare.*

Ecce! illam tantùm diſtractionem voluntariam damnat Suar. peccati mortalis uti etiam dixerit *lib.* 3. *c.* 4. *n.* 7, quæ vel eſt formalis, vel propter ſuam incompoſſibilitatem interpretativa revocatio intentionis, & attentionis, conſiſtentis in voluntate orandi, ſaltem virtualiter perſeverante, non verò damnat eam diſtractionem voluntariam, quæ præciſè eſt excluſiva attentionis ſpiritualis ad res pias. Unde *cit. cap.* 4. *num.* 9 dixit: Superficialis attentio ſufficit, non tantùm, ſi perfectior haberi nequeat, & ejus carentia ſit involuntaria, ſed etiam ſi orans advertat ad ſola verba, & voluntariè careat meliori attentione, vel quia vult ſimul cogitare de aliis rebus, ad orationem non pertinentibus, quod à multis fieri poteſt, ſola illa ſuperficiali attentione ad orationem retenta, vel quia ſimul vult occupari aliis actionibus externis, quæ impediunt perfectiorem attentionem, licèt ſuperficialem non excludant. Deinde *num.* 10. Quorundam ſententiam cum Cajetan. *quæſt.* 83. *ar.* 13. & Navarr. *de Orat. cap.* 13. *num.* 33. negantium talem ſuperficialem attentionem cum excluſione voluntaria attentionis perfectioris eſſe ſufficientem ad ſatisfaciendum præcepto, ait, eſſe *nimis rigidam, & in rigore falſam.* Quod *num.* ſequenti ex eo probat: quia homo non tenetur orare meliore modo, quo poteſt: ergo nec tenetur non impedire perfectionem attentionis: ergo adhibendo attentionem ſufficientem minimam, licèt præſcindat, & excludat alias, non peccabit contra præceptum Eccleſiaſticum, quia ſub illo non cadit modus perfectior, ſed tantùm ſubſtantialis.

Fatetur tamen hìc Suar. contra debitam decentiam actus peccari venialiter, in quantum conjungitur voluntaria cogitatio de aliis rebus otioſa. Quòd verò per voluntarium impedimentum perfectioris attentionis non peccatur contra ſubſtantiam præcepti Eccleſiaſtici ſic ulterius probat *num.* 12. Quia ſi non teneor meliorem attentionem adhibere, neque teneor illam non impedire: & ſi omiſſio perfectioris attentionis poteſt eſſe directè voluntaria ſine culpa, multò magis poteſt eſſe indirectè voluntaria ponendo impedimentum, dummodò impedimentum de ſe aliàs turpe non ſit: addo ego ex Authoris mente; vel impeditivum inſuper attentionis ſuperficialis, quales maximè eſſent actiones externæ profanæ, à voluntate colendi Deum animum ſub auditione miſſæ, & oratione avocantes.

Confirmat ampliùs ſuam doctrinam. Quia ſi homo, (inquit) teneretur non impedire perfectiorem attentionem, non poſſet quis ſine peccato orare, dum ſe induit, vel aliam ſimilem actionem exercet, quæ quidem non impedit imperfectiorem attentionem, tamen ſine dubio impedit perfectiorem. Conſequens eſt falſum, & contra uſum omnium piorum, ut Cajet. & Navarr. etiam fatentur.

Ex diſcurſu Suarezii compendioſè relato, non tantùm patet, à P. Gobat, & à pluribus aliis DD. allegari immeritò Suarezium, ſed æquè immeritò etiam aſſeri de aliis authoribus ab Aſcanio Tamb. aggregatis, quod doceant, per diſtractionem voluntariam peccari mortaliter, ſi, illa continuata per notabilem partem, ſolùm impediatur attentio ſpiritualis, manente virtualiter attentione ſuperficiali: Imò neque alii, quos ipſe P. Gobat nominavit, hoc docent. Nam Leſſ. *lib.* 2. *c.* 37. *n.* 64. illam duntaxat diſtractionem voluntariam præcepto adverſari aſſerit, qua excluditur omnis attentio interna, ut evidens eſt ex *n.* 69. ubi expreſſè ait, *attentionem ad verba ſufficere ſuppoſito animo orandi, & vacandi Deo* (quod ſuppoſitum verificatur per intentionem, quam ſuprà oſtendi ab omnibus requiri) *hic enim animus includit intentionem quandam ſaltem confuſam ad DEUM: qui enim vult orare, hoc ipſo cenſetur velle attentionem & reverentiam debitam adhibere. Itaque requiritur attentio ſaltem confuſa ad DEUM, & ad verba, eaque ſufficit. Unde ſi quis cum hac poſſet ſimul ad alia attendere, ſicut ille, qui ternas, quaternas vel plures ſimul epiſtolas dictat, ſatisfaceret præcepto Eccleſiæ, nec peccaret mortiferè: ut docet Navarr. de Orat. c.* 13. *n.* 23. *peccaret tamen venialiter ob irreverentiam.* Ita Leſſ. qui paulò ante etiam citaverat Cajet. *Verbo Horæ §. Quoad tertium.* 28

Similiter Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 10. tantùm dicit. *Probabilius eſt, Clericum præcepto Eccleſiæ non ſatisfacere, ideòque mortaliter peccare, ſi Officium Canonic. abſque ulla attentione recitet, atque mens ejus in alienis cogitationibus voluntariò occupetur, tametſi ad verborum externam prolationem attendat, tamen materialiter tantùm, & ſine intentione DEUM laudandi, colendi.* Infero. Ergo ſi haberet debitam intentionem, & verba non tantùm materialiter proferret, ita ut alienæ Cogitationes, prout fieri poteſt, conjungerentur cum virtuali perſeverantia Intentionis laudandi Deum, & attentionis ad verba, Clericus præcepto Eccleſiæ ſatisfaceret, & non peccaret.

Ita etiam docet Valentia *tom.* 3. *diſp.* 6. *q.* 2. *punct.* 10. *§. quomodo ſit recitandum officium.* Ubi explicans modum ſuum loquendi, quo primam & tertiam attentionem neceſſariam dixit ad ſatisfaciendum præcepto, inquit. *Sed quæres, quomodo implebit quis id præceptum adhibendo virtualiter primam & tertiam attentionem? Reſp. Si ſaltem accedat ad Orandum, animo ſatisfaciendi præcepto Eccleſiæ, atque adeò primam illam & ſecundam* (voluit dicere *Tertiam*: quia *ſecundam* immediatè ante negavit neceſſariam) *attentionem adhibendi & poſteà talem animum non mutet ex propoſito, directè aut indirectè divertendo mentem ad aliena, & incompoſſibilia interiori attentioni & devotioni. Is autem mentem diſtrahit ex propoſito directè, qui deliberatè vult illam ad alia incompoſſibilia attentioni transferre. Indirectè verò is, quæ advertit ſe aliqua alia cogitatione, vel occupatione incompoſſibili diſtineri, & idcircò impediri ab attentione, & nihilominus non reiicit talem cogitationem, vel occupationem.* In quibus verbis cit. Author per *attentionem tertiam* nihil aliud requirit, quàm intentionem orandi, vel ſatisfaciendi præcepto, quæ eſt ſaltem implicita voluntas orandi, & ut ea nec directè nec indirectè revocetur per diſtractionem non qualemcunque, ſed, ut bis de induſtria repetiit, *incompoſſibilem cum attentione* ſcil. actuali, & virtuali: unde dicta Intentione, & attentione ad verba ſaltem virtuali manente, diſtractio *compoſſibilis* non erit contraria præcepto, ſed ſolùm venialiter peccaminoſa contra præceptum naturale debitæ reverentiæ & decentiæ tam in voluntaria, quàm in obligatoria oratione.

Ita etiam Oliverius Bonartius *lib.* 2. *c.* 35. *n.* 9. à P. Gobat citatus tantùm requirit aliquam attentionem, ut patet ex prima aſſertionis ſuæ probatione, quamvis deinde in probatione ſecunda falsò ſupponat per diſtractionem voluntariam impediri omnem attentionem, vel etiam ibi tantùm loquatur cum Valentia de diſtractione incompoſſibili.

Idem aſſerit Tolet. *lib.* 2. *cap.* 13. inquiens ſufficere primam etiam intentionem, virtualiter perſeverantem, quam ait perſeverare, donec quis advertit, ſe non attendere, & vult adhuc ad alia diverti, per quæ ſcil. utpote incompoſſibilia cum attentione, quam habuit, actuali & virtuali maneat in ſtatu non habentis ullam attentionem.

Et ita etiam docet Navarr. *loc. cit. num.* 18 & Stephanus Fagundez *de Præceptis Eccleſ. præcept. 1. lib. 2. cap. 7. num* 7. ad auditionem Miſſæ die feſto, & ad perſolvendas horas Canon. eam duntaxat attentionem internam requirens, & earum voluntariarum diſtractionum evitationem, quæ neceſſaria eſt ad actum moralem, & humanum, ne inſtar pecudis ſe habeat, ſcil. intentionem & attentionem virtualem, pro qua citat Azorium, Sotum, Ledeſmam, Tabienam & S. Thomam. Præter ſæpiùs dictam intentionem & attentionem ad verba ſaltem virtualem, nulla incompoſſibili diſtractione impeditam, adeòque ſimpliciter præter attentionem internam cum debita intentione aliud nihil requirunt Hermannus Buſenbaum, Palao, ArsdeKin, ultra citatos addens Vaſq. Reginaldum, Filliucium, Bonacinam imò ipſe P. Gobat ferè etiam juſto liberaliùs tandem ſic loquitur *n.* 841. *Probabile eſt, illas ſolas diſtractiones prohiberi ab Eccleſia, & conſequenter graviter à Deo, quæ cauſantur per actiones externas, ſuaptè natura incompatibiles cum attentione interiore.*

29 Cenſeo itaque rurſum conciliari poſſe Doctores in Reſponſione ad propoſitam quæſtionem: Qui enim negant per voluntariam diſtractionem, etiam diù continuatam, vel ſucceſſivè ſæpiùs repetitam peccari graviùs, quàm venialiter, uti in primis ſunt omnes illi, qui citari ſolent, tanquam requirentes ſolam attentionem externam, omni interna deſtitutam, ut Hoſtienſis, S. Anton. Umbertus, Roſella, Piſana, Angelus, Durandus, Sylveſter, Turrecremata, apud Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 26. *num.* 2. Prætereà Joannes Henriqu. Joannes Medina, Palud. Victorellus, Archidiaconus, Valerus, Marchado, Acatius de Velaſco, Azor cum aliis ex Suar. citatis, quibus à P. Gobat *in Triga num.* 795. adduntur Gerſon, Gabriel, & ex recentioribus Comitulus, Coninch, Cardin. de Lugo, Caramuel, Dicaſtilio, Thomas Tambur. hi inquam omnes ſupponendi ſunt loqui de voluntaria diſtractione, *non incompoſſibili* cum virtuali perſeverantia præteritæ voluntatis orandi, & attendendi ad verba; ut integrè & ordine omnia dicantur. Qui verò affirmant per diſtractionem voluntariam continuatam longo tempore peccari mortiferè, nec ſatisfieri præcepto, & dari obligationem ſic dicta repetendi, vel reſtituendi fructus correſpondentes parti ita diſtractè recitatæ à Beneficiato, hi omnes excepto P. Adamo Tannero, & forſan uno vel altero intelligendi ſunt tantùm de diſtractione diuturna & voluntaria *Incompoſſibili* cum virtuali intentione, & attentione interna. Et ita utroſque Authores explicat, & ſequitur noſter Nicolaus Baldeli. *tom.* 2. *lib.* 3. *diſp.* 37. *n.* 15. qui aliàs plerumque rigidiores ſententias in hac materia amplexus eſt.

§. V.

Noſtra de Attentione ad Subſtantiam Orationis requiſita ſtatuitur, & firmatur ſententia.

SUMMARIUM.

30 *Multæ diſtractiones voluntariæ ſunt compoſſibiles cum Attentione ſuperficiali, actualiter, aut virtualiter perſeverante.*

31 *Diſtractiones voluntariæ, compoſſibiles cum dicta Attentione, non prohibentur ſub peccato mortali, nec impediunt, quò minùs ſatisfiat præcepto Orationis quoad ſubſtantiam.*

32 *Poſſunt dari diſtractiones voluntariæ, & involuntariæ incompoſſibiles cum Oratione vocali: & cum his nequit ſatisfieri præcepto quoad ſubſtantiam; unde neceſſe eſt, repetere illam partem Orationis, cum tali diſtractione recitata; aliàs ipſa voluntas non repetendi notabilem partem eſſet peccatum mortale.*

33 *Solvuntur objectiones contra reſolutionem quæſtionis.*

30 PRo hac reſponſione ad æquilibrium redacta, ut nec ſit nimis laxa, nec nimis ſtricta, probandum eſt primò, multas diſtractiones voluntarias non eſſe incompoſſibiles cum Intentione, & Attentione virtuali. Omnes enim fatentur, diſtractiones involuntarias quàm plurimas, & etiam diuturnas, non eſſe incompoſſibiles, aliàs etiam cum his non ſatisfieret præcepto, quia virtualis perſeverantia Intentionis & Attentionis, ut integrè, & ordine omnia dicantur, eſt ſimpliciter neceſſaria ad Orationem vocalem. Unde Suar. *lib.* 3. *c.* 4. *n.* 19. *& ſeqq.* fatetur, quòd ſi quis per Attentionem ſpiritualem ita animo occuparetur, ut neque remaneret attentio virtualis ad verba, hoc ipſo materialis prolatio verborum non ampliùs eſſet oratio vocalis, & per eam non ſatisfieret præcepto Eccleſiaſtico. Quòd confirmavit *n.* 15. teſtimonio S. Bernardi *Serm.* 47. ſuper Cant. Hugonis de S. Victore, & Gerſonis, ac Gabrielis. Unde quando *n.* 8. *&* 13. Suar. dixerat, quamlibet ex tribus Attentionibus ſufficere ad orationem vocalem, voluit tantum dicere, nullam ex illis ratione ſuæ imperfectionis eſſe ita inſufficientem, quin etiam *minima Attentio*, ut loquitur *num.* 10. *&* 11. ſit ſufficiens, modò ſit virtualis attentio ad verba. Subſumo nunc. Atqui diſtractiones voluntariæ non magis avocant animum ab Attentione ad verba, quàm involuntariæ. Ergo ſi hæ non ſunt incompoſſibiles, neque illæ erunt.

Declaratur. Quòd diſtractio ſit involuntaria, tantùm facit, ut non ſit culpabilis, & ut non ſit indirecta retractatio Intentionis & Attentionis actualis, adeòque ut Intentio, & Attentio habitualiter perſeveret, non tamen facit, ut maneat etiam virtualis Attentio: ergo ut iſta etiam manet; debet ipſa diſtractio de ſe eſſe compoſſibilis cùm virtuali Attentione, ſiue ſit voluntaria, ſiue involuntaria: quia ſola habitualis Attentio ſine Actuali vel Virtuali non ſufficeret ad orandum vocaliter, & ad operandum modo humano.

Confirmatur ulteriùs euidenti inſtantia. Si diſtractio voluntaria non eſſet compoſſibilis cum Intentione & Attentione virtuali ſequeretur, quòd qui adminiſtraret Sacramenta cum voluntaria diſtractione, is neque haberet Intentionem, neque Attentionem virtualem, ut omnia verba formæ integrè & ordine proferret, & ut omnes actiones ritè perageret, adeòque inualidè, & ſacrilegè adminiſtraret Sacramenta, ipſeque recipiens meritò dubitaret, an validum Sacramentum receperit, adminiſtrans verò deberet Sacramentum iterare ſub conditione.

Probandum nunc eſt ſecundò, quòd ſuppoſita perſeuerantia Intentionis & Attentionis virtualis cum diſtractione voluntaria, per hanc non peccetur mortaliter contra præceptum Eccleſiaſticum. Quandocunque enim ponitur id, quod ſufficit ad eſſentiam Orationis vocalis præceptæ, & ſi perfectior modus Orationis non eſt præceptus ab Eccleſia, tunc non peccatur mortaliter contra præceptum Eccleſiæ. Sed manente Intentione, & Attentione virtuali, cum diſtractione voluntaria, ponitur æquè totum id, quod ſufficit ad eſſentiam Orationis vocalis præceptæ, quàm ſi diſtractio fuiſſet involuntaria, & perfectior modus non eſt præceptus. Ergo major, & minor quoad primum membrum eſt per ſe evidens. Quoad ſecundum probatur. Ille perfectior modus vel eſſet perfectior Attentio, vel mera negatio voluntatis, ſive propoſiti, perſeuerandi in cogitatione aliena profana: non primum, quia illa perfectior Attentio etiam non ponitur, quando diſtractio eſt inuoluntaria: & quia Eccleſia non præcipit actum internum, quando is non eſt neceſſarius ad valorem, & æſtimationem moralem actus externi directè præcepti: ſic etiamſi perfectior contritio procedens ex motiuo charitatis eſſet melior, quàm ſola Attritio, tamen Eccleſia præcipiens Confeſſionem Sacramentalem, non præcipit Contritionem perfectam, quia ſufficit Attritio ad Confeſſionem Sacramentalem. 31

At neque ſecundum dici poteſt: quia ſi negatio Propoſiti, in aliena cogitatione perſeuerandi, eſſet præcepta, vel ſi tale propoſitum eſſet prohibitum, tunc id vel prohiberetur ob eandem cauſam, ob quam prohibetur actio externa cum Attentione virtuali incompoſſibilis, cujus paritas jam eſt eversa per oſtenſam compoſſibilitatem; vel prohiberetur: quia eſt excluſivum perfectioris attentionis; quæ tamen quia eſt indebita, ideò ejus excluſio non eſt prohibita, ut ſuprà ex Suar. demonſtratum eſt. Vel prohiberetur dictum propoſitum, quia eſt impeditivum fructus Orationis; qui cùm ſit tantùm finis extrinſecus, vel mediatus, ſub præceptum non cadens, ideò ſimiliter ejus impeditio ſeu excluſio non eſt prohibita. Vel prohiberetur propter ſuam indecentiam, ob

ob quam omnis diſtractio voluntaria ſub Oratione eſt peccaminoſa, etjamſi Oratio ſit libera, ab obligatione, vel etiamſi obligationi quoad ſubſtantiam jam ſit ſatisfactum. Et hoc etiam dici non poteſt, primò, quia hæc prohibitio eſt tantùm ſub culpa veniali, nec opus eſt, ut fiat ab Eccleſia, quia jam Jure naturali eſt ſtatuta, nec expedit, ut ab Eccleſia ſtatuatur ſub culpa mortali, hoc ipſo, quòd Author naturæ propter fragilitatem humanam voluerit, & cenſuerit ſufficere tantùm induci culpam venialem, mortalis autem eſset obnoxia frequentibus & gravibus ſcrupulis. Secundò. Quia tam gravis obligatio neque ſufficienter poteſt probari, neque prudenter præſumi, eò quòd nec lex, nec conſuetudo, præcipiens aliquem actum, ſoleat in ejus executione commiſſas ex natura ſua leves dedecentias prohibere culpa gravi. Tertiò. Quia cùm ipſa obligatio orationis in Clericis non beneficiatis proveniat ex libera voluntate, ſibi Ipſis imponentium obligationem conſuetudinis, non cenſendi ſunt conſenſiſse in aliam graviorem culpam, quàm qualis eſt proportionata naturæ, & dedecentiæ voluntariæ diſtractionis, ne obligatio gravis quoad ſubſtantiam tam longæ Orationis, multis ſæpè negotiis præpeditæ nimium fieret intolerabilis, acceſſione gravis obligationis evitandarum diſtractionum, facilè & frequenter occurrentium, & proindè præbentium occaſionem multiplicium peccatorum mortalium, & perplexitatum conſcientiæ.

32 Probandum denique eſt tertiò. Poſse dari diſtractiones etiam incompoſſibiles cum omni Attentione interna, & has ſi voluntariæ ſunt, & admiſsæ ſine propoſito repetendi illam notabilem partem Officii Divini, ſic diſtractè recitati, eſse peccatum mortale contra præceptum Eccleſiæ. Primum membrum probatur omnium Confeſſione, & experientia. Omnes enim fatentur, multas occupationes externas eſse incompoſſibiles cum Oratione vocali. Sed hæ non aliam ob cauſam ſunt incompoſſibiles, quàm quia ita mentem etiam diſtrahunt, ut eædem diſtractiones tollant omnem Attentionem internam, & ſi hanc non tollerent, hoc ipſo non eſsent incompoſſibiles, ut ex Suarezio ſuprà dictum eſt. Omnes etiam experiuntur ſe ita vehementer aliquibus cogitationibus abripi e. g. intenſo ſtudio ſcientiarum, ut in Oratione vocali pergere non poſſent ſine continuis & frequentibus erroribus, omiſſionibus, & omiſſorum ſine ordine ſuppletionibus.

Veritas ſecundi membri patet ex dictis: quibus oſtendimus, ſine Intentione & Attentione, ſaltem virtuali, materialem prolationem verborum non eſſe Orationem vocalem, nec poſſe fieri modo humano, etiamſi quis illa Intentione, & Attentione careret ſine propria culpa, & involuntariè: unde licèt talis non peccaret, hujuſmodi involuntaria carentia, teneretur tamen, partem illam Officii ſine omni Attentione virtuali dictam repetere: quamvis ſi ſine frequentibus defectibus illam recitaverit, abſque ſcrupulo ſupponere poſſit, non ſibi defuiſſe omnem Attentionem, etiamſi aliquoties erraverit propter deordinationem aut confuſionem ſpecierum materialium, & imaginationum diverſarum, & propter attentionis virtualis remiſſionem, ac commixtionem cum alienis cogitationibus: & tali poterit in dubio etiam prodeſſe, quòd ſuprà ex P. Gobat retuli, probabile affirmante, illas ſolas diſtractiones adverſari præcepto Eccleſiæ, quæ cauſantur per actiones externas, ſuaptè natura incompoſſibiles cum attentione interiore: quòd ſaltem verùm cenſeri poteſt, quando aliæ diſtractiones non cognoſcuntur, ut incompoſſibiles, ut proindè voluntas in eis perſeverandi non ſit indirecta revocatio Intentionis, & Attentionis internæ, ut ex Navarr. Suar. Valent. Toleto, & aliis diximus.

§. VI.

Solvuntur Objectiones.

Contra probationes primæ & ſecundæ Partis, quòd ſcil. dentur diſtractiones compoſſibiles cum virtuali Intentione, & Attentione, & quòd per has non peccetur mortaliter.

33 Obiicitur primò S. Thomas 4. *diſt.* 15. *q.* 4. *a.* 2. *q.* 4. *ad* 2. expreſsè ait: *Quando aliquis ex propoſito mentem ad alia diſtrahit in orando, tunc ſine culpa non eſt, & præcipuè ſi in aliis ſpontè ſe occupat, quæ mentem diſtrahunt, ſicut ſunt exteriora opera, & ſi ad contrarium mens evagetur, etiam erit culpa mortalis.* Ergo S. Doctor evagationem voluntariam in perſolvendis Horis Can. agnoſcit, eſſe culpam mortalem, etiamſi orans non ſe occupet per exteriora opera, quia in his tantùm dicit *Præcipuè*. Reſp. Hanc objectionem ab omnibus ſolvendam eſſe, quia S. Doctor non loquitur *loc. cit.* ſpecialiter de dicente Horas Canon. vel aliam Orationem præceptam; ſed de dicente quamcunque Orationem vocalem generatim, ſive ſit præcepta, ſive merè voluntaria, ac libera: nemo autem dicit, voluntariam evagationem mentis eſſe huic mortiferè peccaminoſam, vel id aſſeri à S. Thoma. Nam ille per particulam *Contrarium* teſte Suar. *lib.* 4. *de Relig. cap.* 26. *n.* 4. intelligit objectum mortaliter peccaminoſum, quòd verè eſt contrarium fini Orationis, qua intenditur laus & cultus Divinus; ſi quis enim inter orandum volvit cogitationes, vel affectiones animi mortiferas, ille contrario Deum contemnit, & vituperio afficit, & de hoc dicit S. D. *Si ad contrarium mens evagetur, etiam erit culpa mortalis.* Vel intellige per evagationem ad contrarium contemptum formalem; ut nempè qui ſine contemptu formali ex propoſito mentem diſtrahit, & præcipuè per exteriora opera, non ſit ſine culpa veniali, qui verò per contemptum formalem, & immediatè contrarium laudi & cultui DEI evagatur, vilipendens ipſum DEUM, quocum loquitur, non ſit ſine culpa mortali, ſive oratio ſit præcepta, ſive ſpontanea: quia culpa non contrahitur propter violatum præceptum poſitivum Orationis, ſed propter violatum præceptum naturale, non formaliter contemnendi DEUm. Cæterùm S. Thom. *in* 2. 2. *q.* 83. *a.* 13. *in C.* expreſsè docet, ad Orationem vocalem *Non ex neceſſitate requiri, quòd attentio* (ſcil. Actualis) *adſit Orationi per totum, ſed vis primæ Intentionis, qua aliquis ad orandum accedit, reddit Orationem meritoriam.* Unde juxta ipſum S. D. ſufficit Attentio virtualis: quæ noſtra eſt ſententia: quamvis cùm eodem fatear, orationis vim meritoriam im̃diri, ſi conjungatur cum diſtractione voluntaria.

Obiicitur ſecundò. Oratio juxta S. Damaſcenum eſt elevatio mentis ad DEUM. Sed recitatio Horarum Canonic. cum voluntariis diſtractionibus non eſt elevatio mentis ad DEUM. Ergo non eſt oratio. Ergo non ſatiſfit præcepto graviter obliganti. Reſp. cum S. Thoma proximè citato *ad* 2. Majorem veram & intelligendam eſſe de Oratione interna, ſive de contemplatione; vel etiam de externa (ut iterum reſpondet S. Thomas *loco ex lib. Sent. cit. ad* 3.) quatenus dependet ab intentione orandi vocaliter, qua etiam elevatur mens ad Deum: aliàs objectio retorqueri poſſet in orationem involuntariè diſtractam.

Obiicitur tertiò. Qui recitat Horas Canon. voluntariè diſtracta mente, non recitat *devotè*. Sed Eccleſia *in cap. Dolentes, de Celebrat. Miſſar.* præcipit, ut Horæ *devotè* recitentur, *quantum DEUS dederit*. Ergo voluntariè diſtractus non ſatisfacit præcepto. Reſpond. Diſt. Ma. Non recitat devotione ſumma, & ſufficiente ad evitandam omnem culpam, etiam venialem, & ad obtinendum præmium ac fructum orationis Concedo Ma. non recitat devotione infima, ſed ſufficiente ad ſubſtantiam orationis, & præcepti, quemadmodum etiam ſufficit oratio involuntariè diſtracta, quæ per involuntarietatem quidem excuſatur à culpa veniali, verùm etiam tantùm ſit cùm devotione infima Neg. Ma. Et ſic diſt. minorem. Eccleſia præcipit devotionem ſummam Nego Mi. aliquam, ſaltem infimam, internam tamen, & ad ſubſtantiam orationis & devotionis ſufficientem Conc. min. Quamvis autem iſta DEUS paratus erat dare majorem, non tamen ſub gravi culpa præcipitur, vel requiritur, ut quis perfectè cooperetur paratur auxilio Divino, modò cooperetur ad ſufficientem devotionem, aliàs non daretur levitas materiæ, & negligentiæ, & peccaret mortaliter, qui non adhiberet devotionem, quantam DEUS dederit, quod nemo concedit.

ARTICULUS IV.

Quo loco, ſitu, & tempore Horæ Canonicæ ſint dicendæ?

SUMMARIUM.

34 *Locus & Situs pro recitando officio ille convenienter adhibetur, qui ſervit devotioni, & qui conformatur rubricis publicæ Orationis.*

35 *Tempus pro obligatione gravi eſt determinatus dies naturalis, pro obligatione veniali, horæ ante vel pomeridianæ, reſpondentes Officio, ita ut hæ ſint rationabili cauſa notabiliter mutari non debeant.*

36 *Meritò prohibita eſt ab Alexand. VII. propoſ. 35. aſſerens ejuſdem Matutini recitatione poſſe duplicis diei obligationi ſatisfieri.*

34 PRo recitatione privata nec locus, nec ſitus eſt determinatus: hoc ipſo tamen, quòd per diſtractiones voluntarias venialiter peccetur, talis locus deligatur, qui, ſi commodè fieri poſſit, hujuſmodi diſtractionum periculo non eſt expoſitus, decet etiam, genuflexiones in rubricis pro recitatione publica per modum directionis citra obligationem præſcriptas imitari.

35 Tempus, intra quod Legi quoad ſubſtantiam pro culpa gravi evitanda ſatisfit, quacunque hora totum, vel partes officii dicantur, eſt dies naturalis, incipiens à medio noctis, auroram præcedentis, uſque ad medium noctis, occidentem ſolem ſubſequentis: Sub culpa tamen veniali in recitatione publica ſervanda ſunt tempora ſingulis officii partibus per conſuetudinem deſignata, quæ ſi in recitatione etiam privata ita notabiliter, & abſque rationabili cauſa mutarentur, ut Matutinum, Laudes, Prima, aut Tertia poſt meridiem, aut Veſperæ extra Quadrageſimam ante meridiem dicerentur (intra Quadrageſimam autem poſſunt, non tamen debent dici ante meridiem, niſi in Choro, ad quem rubrica, & *Capitulum Solent, de Conſecratione diſt nct.1.* referendum eſt) juxta communem doctrinam culpa venialis committeretur; ſicut etiam, ſi Matutinum, & Laudes ſequentis diei multò ante horam tertiam pomeridianam inchoarentur antequam ſcilicet Veſperæ & Completorium ſolent abſolvi, poſt quæ communiter cum S. Thoma *Quodlib.* 5. *a.* 28. aſſeritur, poſſe inchoari Matutinum. Cui etiam ſtatim ſubjungi poſſunt Laudes, vel etiam ſeparari, & tunc, ut obſervat Thom. Sanchez in *Conſil. Moral. dub.* 20. non eſt opus, neque alicubi præcipitur, ut ſubjungatur oratio, præterquam in nocte natalis Domini. Cæterùm citra culpam mortalem, & conſequenter ex rationabili cauſa citra culpam venialem inchoari poſſe jam hora ſecunda, docet Quintanad. aſſerens, id eſſe certum, Sanchez, Tambur. Diana, Martinus Ledeſma, Faber, Molfeſius, Joſeph. Angles, quos refert, & ſequitur Gobat *loc. cit. n* 679. Ex hoc tamen non ſequitur, quòd quia quoad ſubſtantiam præcepto ſatisfacit, qui Matutinum, & Laudes præſentis diei recitat pomeridiano tempore, quo licitum eſt ipſi etiam pro ſequenti die recitare Matutinum & Laudes, quòd per unicam recitationem obligationi utriuſque diei ſatisfaciat, prout Alex. VII. expreſsè prohibuit hanc 35. Propoſ. *Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto, pro die præſente, & craſtino.* Quia licèt unica Actione poſſit duplici præcepto ſatisfieri, quando non aliundè conſtat, diverſam exigi, conſtat tamen diverſam exigi, quando executio præceptorum affixa eſt diebus ſucceſſivis, qui ſicut non poſſunt coaleſcere in unum diem, ſic etiam actiones illis affixæ non poſſunt coaleſcere in unam actionem, ſed cuilibet diei debet perſolvi proprium & diſtinctum penſum, ſeorſim intentum.

36 Ne verò Matutinum & Laudes ſeriùs dicantur abſque juſta cauſa, quàm miſſa celebretur, ſub peccato mortali præceptum aſſerunt multi Doctores apud Baldellum *to. 2. diſp.* 31. *n.* 9. nominatim S. Anton. Paludanus, Navarr. Gabriel, Armilla, Angelus, Azor, Tolet. & apud Sanchez, Viguerus, Guillelmus, Ledeſma, Angelus, Tabiena, Roſella. Quia in Miſſali §. *de præparatione Sacerdotis celebraturi* ſtatim in principio dicitur. *Sacerdos celebraturus Miſſam, ſaltem Matutino cum Laudibus abſoluto, Orationi aliquantulùm vacet: & orationes inferiùs poſitas pro temporis opportunitate dicat.* Et in Rubrica de defectibus Miſſæ §. 10. inter alios defectus, ob quos ſub gravi peccato prohibitum eſt celebrare Miſſam, ponitur iſte: *Si celebrans Matutinum cum Laudibus non dixerit.* Ad hæc Julius III. in Brevi S. Patri Noſtro pro Confirmatione Privilegiorum noſtrorum conceſſo, Anno 1552. quod incipit: *Dilecte fili:* ſic loquitur: *ut tu & Societas quietiùs, & devotius in humilitate Spiritus Altiſſimo gratum præbere poſſitis famulatum, facultatem & licentiam anteponendi, & poſtponendi Officium Divinum, aliàs vobis conceſſam ad hoc, ut tu, & pro tempore exiſtentes Religioſi Societatis hujuſmodi ex legitimis ac juſtis cauſis, in quo tuam & Succeſſorum tuorum Præpoſitorum Gen. pro tempore exiſtentium & aliorum, quos ad hoc ſubſtitueritis, conſcientiam oneramus, Officium ipſum celebrationi Miſſæ, liberè & abſque conſcientiæ ſcrupulo, poſtponere poſſitis, Authoritate & tenore prædictis extendimus, & ampliamus.* Quod privilegium ne fruſtraneum ſit, & ne conſcientia immeritò oneretur, ſupponit obligationem de Jure communi, Matutinum & Laudes dicendi ante Miſſam.

Nihilominùs tamen hujuſmodi obligationem ſub mortali negant, & ſub veniali tantùm, cauſa juſta deficiente, concedunt Sylveſter, Sotus, Petrus Aragonius, Bellarm. Vaſq. Leſs. Victoria, Canus, Henriq. Suar. Coninch, Bonacina, quos refert, & ſequitur Baldellus *loc. cit.* quibus adde Thomam Sanchez *in Conſil. Moral. dub.* 38. Quia non poteſt probari obligatio ſub mortali. Ex primo enim loco Miſſalis nequidem obligatio ſub veniali colligitur, cùm etiam ibidem dicatur præmittenda Oratio poſt abſolutum Matutinum, & Laudes Miſſæ Sacrificio, cujus tamen neque ſecundùm Adverſarios datur ulla obligatio, ſed tantùm decentia indicatur. Ex ſecundo loco non rectè infertur æquè gravis obligatio, qualis aliundè probatur ex communi ſenſu Doctorum circa alios defectus vitandos, quia ibi defectus graves & leves promiſcuè ponuntur. Infertur tamen obligatio ſub veniali, quæ culpa etiam evitatur per juſtam cauſam, ſed debet hæc eſſe gravior, quàm qualem Julius III. in privilegio citato requirit ad diſpenſationem, aliàs diſpenſatio non eſſet neceſſaria, neque eſſet ſpecialis favor: ex eo tamen etiam non arguitur, niſi obligatio ſaltem ſub veniali, quam obligationem imponi etiam eam ob cauſam expediebat, ut Sacerdotes per præmiſſam orationem magis diſponerentur, ad devotiùs celebrandum Miſſæ Sacrificium, & ut frequentes errores caverentur, qui vel in Miſſæ delectu, vel in faciendis commemorationibus Sanctorum, dicendis debitis Orationibus, Evangelio, Gloria, Credo, vel iis omittendis, committi ſolent, niſi ſaltem Laudes cum Matutino fuerint recitatæ.

ARTICULUS V.

Quanta ſit obligatio dicendi Horas Canonicas.

SUMMARIUM.

37 *Clerici Majores & Beneficiati obligantur ſub culpa mortali ad Horas Canonic. de Religioſis utriuſque ſexus variant Opiniones; quiſque conſulat ſuæ Religionis propria ſtatuta, vel conſuetudinem.*

38 *Beneficiati probabilius ex ſola virtute Religionis, non autem Iuſtitiæ adſtringuntur.*

39 *Pro Omiſſione mortaliter peccaminoſa probabilius ſufficit, & requiritur una Hora, vel pars æquivalens.*

40 *Sufficit ratio probabilis de impleta obligatione.*

37 DE Clericis majoribus, & Beneficiatis eſt certum, omnium AA. conſenſu, contra Angelum, & Richardum, abſque probabili fundamento excuſantes unam, vel alteram omiſſionem in anno, quotieſcunque omittitur recitatio totius Breviarii, niſi juſta cauſa, vel levitas materiæ excuſet, peccari mortaliter: duratque hæc obligatio, quamdiù illi ex probabili ſaltem conjectura ſatisfactum eſſe non cognoſcitur.

Dixi primò: *De Clericis majoribus, & Beneficiatis eſſe certum*; nam de Religioſis choro deputatis, (quorum nomine

nomine non comprehenduntur Novitii, & Fratres miniſterio domus deſtinati) ſi non ratione ordinum teneantur recitare horas, dubitat Cajetanus, exiſtimans, ſaltem non eſſe receptam conſuetudinem, ſub mortali obligantem, Armilla, Ledeſma apud Sanchez *lib. 7. Conſiliorum Moralium cap. 2. dub. 3.* & de Monialibus (quamvis Palao *punct. 1. §. 2.* putaverit, de omnibus Religioſis utriuſque ſexus univerſos in obligationem conſentire) videtur negare Leſſius *in Conſiliis Moralibus Verbo Horæ caſu* 14. citans Joan. Medinam, & Saa, qui etſi probabile dicat, negat eſſe uſu receptum: & Leſſ. *lib. 2. de Iuſtit. cap. 37. num. 49.* affirmat obligari. Ego cenſeo cujuſvis Religionis propria ſtatuta, vel receptam conſuetudinem pro menſura obligationis attendi debere, ut dixi hìc *num. 4.*

38 Utrùm autem prædicta obligatio quoad Beneficiatos ſit ſimplex ex motivo ſolius Religionis, vel ſimul etiam ex motivo Juſtitiæ, eò quòd fundatores Beneficiorum intenderint, ſic obligare Beneficiatos, & hi quaſi ex pacto acceptaverint hujuſmodi obligationem, quomodo curati cenſentur acceptaſſe curam animarum, controverſum eſt inter AA. Affirmant Sanchez, Fagundez, Suarez, Azor, Carolus Macignus apud Dianam *par. 2. tract. 12. reſolut. 22.* (ubi malè allegat etiam Azorium) Probabilius negat modò dictus Azor. *par. 1. lib. 4. cap. 2 quæſt. 6.* Diana *loc. cit.* & ab ipſo relati Garzias, Henriquez Homobonus, Salas, quos ſequitur etiam Palao *tract. 7. diſput. 2. punct. 5. num. 3.* Ratio eſt, quia licèt recitatio horarum Canonicarum ſit neceſſaria conditio, ut Beneficiati fructus faciant ſuos, & ſine ea receptos tanquam non ſuos ex Juſtitia reſtituere teneantur, non ſufficienter tamen conſtat, illam conditionem etiam exigi ex Juſtitia, cùm ſpe fructuum recipiendorum, ſine alia obligatione Juſtitiæ, videantur ſufficienter impelli ad orandum: ergo non imponenda eſt alia obligatio: uti etiam colligitur, non eſſe impoſita ex Confitentium, aut Confeſſariorum praxi, exiſtimantium ſatis fuiſſe expreſſum peccatum omiſſionis Breviarii, nulla facta mentione Beneficii, niſi per accidens ratione fructuum reſtituendorum videatur eſſe neceſſarium, ut Confeſſarius interroget pœnitentem de Beneficio, ut forſan ignorantem de obligatione reſtituendi admoneat.

39 Dixi ſecundò, *Niſi juſta cauſa, vel levitas materiæ excuſet:* quænam autem ſit juſta cauſa, poſteà dicam: quæ levis ſit materia, non conveniunt AA. Navarrus unum Pſalmum, vel Lectionem, Azor & Baldellus tertiam partem parvæ horæ, Suarez, Th mas Sanchez, Reginaldus, Diana *par. 2. tract. 12. reſolut. 41* dimidiam parvam horam, Tiberius, Palao, & apud hunc Leſſius, Bonacina integram parvam horam ajunt, eſſe materiam omiſſionis mortalis, quibuscum ferè conveniunt Bonartius, Tamburinus, Layman; qui verò plus requirat præter Caramuelem in Theologia Regulari, non facilè reperies; undè & ego integram parvam horam, aut ex Matutino, & Laudibus (quas aliqui apud Tho. Sanchez *in Conſil. Mo al. lib. 7. cap. 2. dub. 1.* in duas horas diſtinguunt, ipſe tamen cum aliis pro una computat) partem eidem æquivalentem pro quantitate gravi, minorem pro levi accipio; quia cùm hæc res dependeat ab exiſtimatione morali hominum, non videtur ſtatuenda quantitas tanta, quanta vix ab ullo admittitur, nec ſtatuenda tam modica, qua major à multis doctis viris citra culpam mortalem conceditur, adeòque cùm illis determinanda eſt pro materia gravi integra hora; & quamvis qui mediam partem horæ omittit, moraliter non cenſeatur dixiſſe illam horam, dicendum tamen eſt requiri, ut verè, & phyſicè integram omiſerit; aliàs contra eos, qui mediam horam, vel quamcunque aliam quantitatem ſtatuunt, dici poſſet, ejuſdem dimidii omiſſione jàm peccari mortaliter; quia qui dimidium medietatis omittit, tam parùm dicendus eſt dixiſſe medietatem, quàm dixiſſe totum, qui medietatem totius omittit.

Quomodo autem actus interni, & externæ omiſſiones plurium horarum ejuſdem Officii moraliter coaleſcant, & in confeſſione explicandi ſint dixi *tract. 2. diſp. 2. n. 67.* & videri poſſunt AA. apud Dian. *par. 2. tract. 12. reſolut. 5. & reſol. 23.* Illud adhuc addo ex Sanchez *dub. 15. & 16.* quòd qui dum canitur Officium in Choro, occupatur actione ſpectante ad Officium, e. g. thurificatione, pulſatione Organi, cenſeatur recitaſſe totum Officium, cui cooperatur. Ita etiam docet Diana *par. 2. tract. 12. reſol. 13.* citans Laymannum, Molſeſium, Azor, Naldum, Aragonium, Reginaldum, Villalobos, Joannem de la Cruz, Raphaelem de Torres: immeritò autem in contrarium citat Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 14. num. 13.* conſentit expreſsè etiam Vaſq. *Opuſc. de Beneficiis cap. 4. a. 3. dub. 6. num. 111.*

Dixi tertiò: *Duratq; hæc obligatio, quamdiù illi ex probabili ſaltem conjectura ſatisfactum eſſe non cognoſcitur:* Quia enim obligatio recitandi horas eſt certa, ideò manet ipſa in poſſeſſione, donec ei ſatisfactum eſſe comprobetur: quia verò eſſet valdè oneroſum, ſi majorem certitudinem Eccleſia exigeret; ideò teſte Sanchez *lib. 7. Conſiliorum Moralium cap. 2. dub. 34. & lib. 1. de Sponſal. diſput. 9. n. 13.* approbato à Layman. *lib. 1. tract. 1. c. 5. n. 32.* videtur eſſe contenta probabili quadam conjectura, qualem cenſendus eſt habere, quòd nihil dicendorum omiſerit, qui inter orandum incipit dubitare de aliquo Hymno, vel Pſalmo præcedente; quia etiamſi non recordetur ſe dixiſſe, tamen præſumere poteſt, eò quòd ſe advertat, huc uſque progreſſum eſſe, & aliàs non ſoleat hujuſmodi Pſalmum, vel Hymnum omittere: unde, præſertim ſcrupuloſis etiam ſuadendum eſt, ut nihil repetant, ſed dubium propter hanc ipſam rationem, in conſuetudine ſufficienter fundatam, deponant. Atque ita etiam docent Sanch. *cit. dub. 34.* & ab eo relati Navarr. Major, Gerſon, Joſephus Angles, Sandoval. 40

ARTICULUS VI.

Quæ Cauſæ à dicendis Horis excuſent.

SUMMARIUM.

41 *Referuntur tres cauſæ excuſantes à recitatione horarum: quarum prima eſt impotentia Phyſica, & Moralis. Circa eam reſolvuntur quædam ſpecialia dubia, de non niſi ex memoria potente recitare Officium, aut non niſi partem minorem, aut non ſine Socio. Et oſtenditur meritò ab Innoc. XI. damnatam eſſe Propoſitionem 54.*

42 *Explicatur ſecunda & Tertia cauſa excuſans, nempè occupatio, & Diſpenſatio. Et quomodo per ſecundam non excuſetur propoſitio 21. ab Alex. VII. damnata.*

Generaliter loquendo ſunt tres cauſæ excuſantes vel à toto, vel à parte Officii Can. Prima eſt Impotentia Phyſica, vel moralis. Secunda cauſa eſt occupatio. Tertia eſt Diſpenſatio. Breviter declaro ſingulas. Phyſica impotentia utique laborat, qui caret Breviario, ſeu libro horarum Can. vel qui omninò Cæcus eſt, aut viribus omnibus deſtitutus. Talis ergo, cùm ad impoſſibile nemo teneatur, utique liber eſt ab obligatione. 41

Hinc tamen oritur quæſtio. An ſi carens Breviario, vel cæcus ſciat magnam partem Officii è memoria recitare, ad illam recitandam teneatur. Circa hanc obligationem dubitat Sotus *lib. 10 de Iuſtit. quæſt. 5. a. 3. verſ. Addiſcere.* Quia Beneficium memoriæ habet ſe ſicut privilegium, nemo autem tenetur uti privilegio. Item Carens libro, vel nequiens eo uti, per ſe eſt excuſatus, tenacitas autem memoriæ habet ſe per accidens, ergo per illam non poteſt tolli exemptio per ſe. Ita apud Thom. Sanch. *in Conſil. Moral. dub. 46.* ſenſerunt aliqui Magiſtri docti, ſed innominati; & *ibid.* addit quidam Recentior Magiſter, quòd Beneficiatus talis certò eſſet excuſatus à reſtitutione fructuum. Verùm oppoſita ſententia eſt longè certior, & communiſſima, quam tenet Sanchez *loc. cit.* Leſſ. *l. 2 c. 37. n. 54.* Palao *tr. 7. diſp. 2 pun. 6. num. 11.* referens Navarrum, Suarez, Valent. Bonacinam, Azor, quibus accedit P. Gobat *tr. 5. n. 717.* immeritò citans Toletum *lib. 2. c. 14.* in contrarium: licèt enim iſte Author dicat, Cœcum excuſari, non addit, quòd etiam excuſetur, ſi totum Officium, vel magnam partem memoria calleat. Ratio hujus ſententiæ, obligantis cæcũ vel libro deſtitutum, hęc eſt. Quia qui tenet memoria totũ vel magnã partem Officii Divini, is non habet ampliùs impotentiã Phyſicã aut moralem. Ergo non excu-

Illſung Theol. Moral.

T 3 ſatur.

ſatur. Illud tamen Doctores communiter fatentur: quòd qui neque magnam partem teneret memoria, illam neque addiſcere teneretur: quia hoc eſſet nimis difficile, & extraordinarium medium.

Ad rationes in contrarium negatur, Beneficium memoriæ habere ſe tanquam privilegium: & licèt eſſet privilegium dicendum, poteſt tamen indirectè dari obligatio ad utendum privilegio, quando per iſtud tantùm tollitur impedimentum exequendi obligationem, aliundè impoſitam, ut dixi *tract.* 1. *diſp.* 3. *num.* 1. Negatur etiam, quòd cæcus ſit per ſe excuſatus abſolutè, ſed requiritur etiam conditio abſentiæ alterius medii, qua compleatur abſoluta impotentia: Sicut carens libro non excuſaretur abſolutè, ſi per accidens aliquis offerret librum, dono vel pretio concedendum.

Circa Moralem impotentiam, ex corporis infirmitate provenientem, Thomas Sanchez *in Conſil. Moral. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 45. ponit ſex concluſiones: in prima, quam ait apud omnes certiſſimam, probat, infirmitatem ſufficienter excuſare, *ex cap. Clericus diſt.* 91. *& cap. unico de Clericis non reſidentibus.* In ſecunda aſſerit, *quòd illa infirmitas ſit ſufficiens, quæ impedit, quò minùs attentè fiat oratio, ut ſunt dolores graves. Item illa, quæ ingraveſceret ex labore, poſito in arbitrio prudentis viri. In re autem dubia Conſilium Medici, & authoritas Prælati intercedere debet, vel alterius viri timorati, & prudentis*, vel neceſſe eſt, ut ipſe morbo laborans ſit talis, ut refert ex Sandoval. In tertia magis declarat infirmitatem, ratione cujus *nec modicum damnum excuſat ſemper ab orando, nec eſt neceſſarium ſemper grave damnum, ſed in hoc*, inquit, *eſt tenenda media quædam via, ita ut ſi æger credat ex recitatione horarum veriſimiliter orituram ſibi ſtomachi cruditatem, vel capitis gravedinem, vel virium laſſitudinem, vel retardationem remittendæ febris, excuſetur ab Horis.* Rationem reddit tum *quia ejuſmodi damna, quæ in corpore ſano ſunt levia, in ægroto ſunt gravia mala:* tum quia *cùm omnia præcepta charitati deſerviant, quæ valdè benigna erga infirmos eſt, non eſt veriſimile, quòd Eccleſia, quæ eſt pientiſſima Mater, hominibus morbo affectis velit addere moleſtiam orandi, etiamſi non multum lædantur:* ac denique quia in cit. *cap. Clericus* habetur pro legitima cauſa non orandi *Inæqualitas corporis*, quæ *non ſonat morbum gravem, ſed potiùs levem.* Quæ omnia propriis doctiſſimi & piiſſimi Authoris verbis adſcribere placuit, quibus tamen ægris timoratis, & prudentibus videtur locutus, non laxitatum, & commoditatum ſuarum nimium ſtudioſis, aut ex qualibet levi moleſtia ſibi prædicta mala imaginantibus: propterea ſecuriſſimè procedet æger, ſi timorati Medici, vel Superioris, vel Confeſſarii, vel alterius viri prudentis ac probi Conſilio pareat. Quarta & ſexta Concluſio Authoris relati in tertia continentur, in quinta adhuc addit. *Etiam poſtquam morbus infirmum deſeruit, dum adhuc vires ſunt imbecilles, dumque homo convaleſcit, poteſt per aliquot dies non recitare Horas.*

Hinc tamen ulteriùs oritur dubium. An quando infirmitas eſt quidem tanta, ut afferat moralem impotentiam recitandi totum Officium, aut partem etiam majorem, non tamen minorem, ita ut hanc ſine damno valetudinis æger recitare queat, ad eam recitandam etiam teneatur. Hoc dubium, olim à diverſis in utramque partem agitatum, hoc tempore feliciter ſublatum eſt ab Innocent. XI. per prohibitionem hujus 54. propoſitionis. *Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit minorem.* Meritò autem & Doctrina iſta, & ratio illius ſaltem quoad præſentem applicationem prohibita eſt. Quia licèt *l.* 19. *ff. Ad Municipalem* dicatur. *Quod major pars curiæ effecit, pro eo habetur, ac ſi omnes egerint.* Et licèt ſimiliter *in cap.* 1. *de his, quæ fiunt à majori parte Capituli* dicatur: *Prævaleat ſemper, & ſuum conſequatur effectum, quod à majori & ſaniori parte Capituli fuerit conſtitutum:* immeritò tamen à majori parte perſonarum, in aliquid communi conſenſu conſpirantium, fit tranſitus ad majorem partem objectorum, ut quoad ea commune principium vel Regula formetur, *quod major pars trahat minorem:* quando enim objectum alicujus obligationis eſt diviſibile in partes ſive æquales, ſive inæquales, & quando finis, per obligationem intentus, eſt obtinibilis ſaltem partialiter in quavis parte ſeorſim, illæque ſic diviſibiliter ab obligatione exigitur, tunc Regula prædicta eſt falſa; hinc ſi quis deberet mille florenos, & is ſolùm poſſet ſolvere centum, vel quinquaginta, per impotentiam ſolvendi majorem partem, non excuſaretur à ſolvenda minore, quàm poteſt ſolvere. Ratio diſparitatis cum majori & ſaniori parte perſonarum, trahente partem minorem diſſentientem à majori, eſt evidens: quia ideò minor pars debet ſequi majorem & ſaniorem, quia hujus Judicia, & Conſilia ſupponuntur meliora, & prudentiora, atque utiliora Eccleſiæ, vel Reipubl. ut expreſsè indicatur in cit. capitulo. Atqui hæc Ratio non habet locum in objectis diviſibilibus, in his enim deberet ſupponi hoc principium, *quòd quando major pars reddita impoſſibilis, vel inutilis ad finem intentum, redat etiam impoſſibilem vel inutilem ad finem intentum partem minorem: tunc pars major trahat minorem.* Hoc autem principium non habet locum, nec poteſt applicari obligationi Juſtitiæ ad perſolvendum debitum diviſibile, nec obligationi Religionis ad perſolvendum debitum Officium Canonicum.

Hinc placet, & omninò tenenda eſt doctrina Franciſci Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 28. *num.* 10. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 13. *quæſt.* 5. Valent. *diſput.* 6. *quæſt.* 2. *par.* 10. §. 7. Bonacin. *diſput.* 1. *de Hor. Canonic.* 2. *quæſt.* 6. *par.* 2. *num.* 6. Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 6. *num.* 2. quòd quando certum eſt poſſe ſaltem unam horam integram recitari, e. g. ſi quis careat Breviario, & ſaltem unam horam memoria calleat, is teneatur, talem horam recitare. Quia licèt ſingulæ Horæ ordinentur ad unam totalem orationem totius Officii Canon. eædem tamen præcipiuntur diviſibiliter, & finis intenditur ac obtinetur diviſibiliter. Addit verò Suar. *loc. cit.* ex Navarr. quòd ſi quis neque horam integram dicere poſſit, non obligetur ad dicendum Pſalmos, aut Orationes, aut partes horarum: quia illæ ut ſic non ſunt Horæ Canon. neque Officium Divinum: proindè ſupponit, quamlibet horam, & finem illius præcipi, ac intendi diviſibiliter. Laymann adhuc eſt ſeverior; cenſet enim, quòd licèt matutinum ſit tantùm una Hora, quòd is, qui poſſet dicere omnes illius Pſalmos, non autem Lectiones, ob defectum libri, is omninò teneretur dicere: unde ait, quòd modò quis poſſit dicere tantum, quantum ſufficit ad omiſſionem mortaliter peccaminoſam, prout utique ſufficerent omnes Pſalmi Matutini, excedentes aliarum horarum parvitatem, hoc ipſo ſit obligatio illud dicendi: Quod etiam mihi videtur verum: quia licèt Pſalmi non poſſint dici integra hora, poſſunt tamen dici pars notabilis totius Officii, vel magnæ horæ. Aliàs ſi diceretur integram horam præcipi indiviſibiliter, tunc is, qui tantùm haberet librum parvarum horarum, vulgò Diurnale, cùm Pſalmis Matutini, non teneretur dicere hos Pſalmos, quia non poſſet dicere totam horam indiviſibiliter præceptam: quòd etſi contra Thom. Sanchez *to.* 1. *lib.* 1. *c.* 19. *n.* 8. *in Summa* concedatur à Joan. Sanch. relato nec improbato à Diana *p.* 2. *tract.* 12. *reſol.* 43. Vix credo concedendum à Suar. Quia ſi major pars non trahit minorem, multò magis minor pars non trahit majorem. Meritò tamen fatetur citatus Laymann, minorem partem, quàm quæ ſufficit ad peccatum mortale, per impotentiam dicendi reliquum Officium, neque ſeorſim ampliùs eſſe æſtimabilem ad finem lege intentum, adeòque etiam ſine peccato veniali omitti poſſe. Idem etiam fatetur; quòd ſi cui certum ſit, reliquum Officium à ſe dici non poſſe, dubitet tamen, an ſaltem queat dicere unam horam, is poſſit etiam hujus impotentiam præſumere: quia Eccleſiaſtica præcepta non tanto rigore obligant, ut ſcrupulis & anxietatibus conſcientias Fidelium involvant. Imò Palao *tr.* 7. *diſp.* 2. §. 6. *n.* 10. cum Bonacina aſſerit, quòd ſi æger, & Medicus conſultus, dubitet etiam de majori parte, vel de toto Officio, quòd contra legem aliàs certam, æger ratione periculi certi, hoc ipſo quòd grave damnum ſit dubium, non teneatur ſe exponere periculo certo gravis damni dubii.

Aliud dubium moveri ſolet. An ſi quis non quidem ſufficientes vires habeat, ut ſolus dicat officium, habeat tamen, ut dicat cum ſocio, is teneatur ſocium ſibi adſciſcere. Negat abſolutè Joannes Sanchez *diſp.* 15. *ſelect. num* 2. Diana *p.* 2. *tr.* 12. *reſolut. ult.* Tambur. *cap.* 5. §. 8. *n.* 11. eò quòd recitare cum ſocio horas privatim ſit privilegium; nemo autem teneatur uti privilegio. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 37.

cap.37.num.54. ait. Si ob infirmitatem non potes, niſi ope ſocii, nec conſueveris eo uti, non teneris, ſecùs ſi conſueveris. Idem ferè dicit Garzias *tom.1. de Beneficiis par.3. cap.1.num.215.* communis ut Navarri Suar. Azor. Bonacin. Rodriq. Valentiæ, Reginaldi, quos refert, & ſequitur Palao *loc.cit. num.13.* Thomæ Sanch. *in Conſil. Moral. d.48.* Gobat *num.713.* & aliorum ſententia affirmat, ſi ſocius gratis, vel levi ſumptu haberi poteſt. Immeritò enim prima ſententia ſupponit, quòd recitare privatim cùm ſocio ſit privilegium; quia ſicut eſt Juris communis, in choro alternatim pſallere, & utrique parti, modò canenti, modò audienti canentem, totum officium moraliter adſcribitur, non quia hoc publicè fit, ſed quia alternatim fit, ita ſine privilegio, etiam privatim eodem Jure utuntur, ad imitationem chori, alternatim recitantes officium. Immeritò etiam ſecunda ſententia videtur ſupponere, quòd adhibere ſocium, ſit medium extraordinarium reſpectu anteà non utentis ſocio, nemo autem teneatur adhibere media extraordinaria. Nam non eſt medium extraordinarium, adhibere perſpicilia, eaque teneris adhibere, quando deficiente viſu non poſſes ſine illis recitare horas, etiamſi anteà non fueris illis uſus. Itaque tertia & communis ſententia probatur. Qui enim obligatur ad finem, obligatur etiam ad media, ſi illa ſine novo, & extraordinario onere haberi poſſint: ergo qui obligatur recitare horas, quique facilè poteſt habere ſocium, tanquam medium ſibi neceſſarium, obligatur etiam ad illum adhibendum. Quia tamen ſtipendio, & magno ſumptu illum ſibi procurare eſſet onus extraordinarium, ideò in tali caſu ceſſat obligatio dicendi horas, ſicut qui propter infirmitatem pedum non poſſet adire templum, ad miſſam die feſto audiendam, non teneretur emere, vel pretio conducere equum, quamvis ſi illum facilè gratis habere poſſet, vel actu haberet in ſuo ſtabulo, eo etiam uti teneretur. Sic etiam æger non teneretur in pretioſas medicinas facere ſumptus extraordinarios, ſi autem eas domi ſuæ, vel ab alio comparatas haberet, teneretur eis uti. Aliud ergo eſt, quòd modus acquirendi medium ſit extraordinarius, & non per ſe connexus cum præcepto, & aliud, quòd ipſum medium ſit extraordinarium, & non connexum cùm obligatione præcepti, ſi poſſit ſine modo extraordinario, & nimis oneroſo haberi.

42 De ſecunda cauſa excuſante à recitatione Horarum, quæ in occupatione conſiſtit, iſtud notandum eſt, quòd debeat eſſe moraliter neceſſaria, & ſimul difficulter conjungibilis cùm oratione, ut ſi aliàs non poſſes te ſufficienter parare ad concionem coram frequenti populo habendam, vel non audire pœnitentes ad confeſſionale confluentes, qui ad alium confeſſarium tranſmitti, neque differri poſſent ſine magno illorum incommodo. E. g. ſine obtinendi Jubilæi jactura. Propter ſolùm autem ſtudium litterarum, nec dicto modo neceſſarium, nec incompoſſibile cum oratione, undecunque oriatur obligatio recitandi horas, non habetur ſufficiens excuſatio. Ideò Alex. VII. meritò damnavit propoſitionem 21. *Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet.* Nam etiam obligatio Beneficiati eſt perſonalis, neque poteſt per alium eidem ſatisfieri. Unde ſemper vel ipſe tenetur eidem ſatisfacere, vel ſi legitimè excuſatur, neque tenetur alium ſibi ſubſtituere. Colligitur id etiam ex Trident. *ſeſſ.24. cap.12. de Reform. circa finem*: ubi dicitur: *Omnes verò divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire officia.*

De tertia cauſa excuſante per diſpenſationem videantur ea, quæ in *tract.1. diſput.2. a.4.* de diſpenſatione in Lege diximus: quibus addo verba Thomæ Sanchez *lib.7. cap.2. dub.53. in Conſil. Moral.* ubi ait. *Solus Papa poteſt in hoc* (ſcil. præcepto) *diſpenſare, & non Epiſcopus, nec Abbas Monaſterii. At poteſt Epiſcopus vel Abbas diſpenſare, ut aliquo tempore non recitet.* Intellige, ſi accedat juſta cauſa, vel neceſſitas ad diſpenſationem ſufficiens: ut ſi dubitaretur de morali impotentia. Similia ferè refert, & approbat P. Gobat *tract.5. n.729.* ex Tamburino *lib.2. in Decal. cap.5. §.8. n.24.* Privilegium noſtro S. Patri conceſſum à Julio III. in Bulla *Dilecte Fili* 22. *Octobr.* anno 1582. ſic habet *concedentes tibi & aliis Præpoſitis Generalibus Societatis hujuſmodi pro tempore exiſtentibus, & aliis, quibus ad hanc commutationem authoritatem veſtram communicaveritis, ut recitationem officii hujuſmodi pro iis, qui ob infirmitatem vobis videbuntur excuſandi, in aliud opus pium, ſeu leviorem Orationem, durante tamen infirmitate, arbitrio veſtro commutare poſſitis.* Videant itaque Epiſcopi, & Prælati, quid poteſtatis ex conſuetudine, vel ex privilegio habeant ad diſpenſandum cum ſuis ſubditis.

ARTICULUS VII.

Quæ pœna temporalis omiſſione horarum incurratur?

SUMMARIUM.

43 *Beneficiati redditus quotidianos toti, vel parti Officii reſpondentes, ſecundùm proportionem, pro eo non perſoluto ad pias cauſas dare debent.*

44 *Et quidem ante ſententiam Judicis; quia redditus non faciunt ſuos: ideò etiam non poſſunt ſervari, etiamſi priùs ex propriis bonis tantundem ad pias cauſas dederint: unde meritò propoſit. 20. & 33. contrarium aſſerens Alex. VII. prohibuit.*

Reſpond. à ſolis Beneficiatis, non quidem primo 43
ſemeſtri, ſecundùm probabiliorem ſententiam, licèt jam tunc graviter omiſſione officii peccetur, ſed eo elapſo incurri pœnam privationis fructuum, correſpondentium vel toti officio culpabiliter omiſſo, vel notabili ejus parti, qui proindè vel propriæ Eccleſiæ fabricæ, vel pauperibus applicandi erunt, quamvis, ſi ipſe Beneficiatus verè pauper ſit, eos deindè non titulo Beneficii, ſed eleemoſynæ ſibi retinere poſſit. Decreta eſt hæc pœna à Leone X. in Concilio Lateranenſi *ſeſſ.9. §. Statuimus*, & à Pio V. *in Conſtitutione edita 12. Kalendas Octobris*, anno 1571. in qua habentur hæc verba: *Ex proximo Lateranenſi Concilio ſalubris ſanctio emanavit, ut quicunque habens Beneficium Eccleſiaſticum cum cura, & ſine cura, ſi poſt ſex menſes, quàm illud obtinuerit, divinum officium legitimo ceſſante impedimento, non dixerit, Beneficiorum ſuorum fructus pro rata omiſſionis officii, & temporis ſuos non faciat, ſed eos tanquam injuſtè perceptos in fabricas ipſorum Beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Veruntamen animi ſuſpenſione tenentur, cujuſmodi ratæ prædicta ratio ſit habenda. Nos huic rei evidentiùs, atque expreſſiùs providere volentes, ſtatuimus, ut qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus, intermiſerit, omnes Beneficii, ſeu Beneficiorum ſuorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur: qui verò Matutinum tantùm* (quo Pontifex etiam Laudes comprehendit, cùm reliquum Officium duntaxat in ſex partes dividat) *dimidiam, qui cæteras omnes Horas, aliam dimidiam, qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum ejus diei amittat.* Et poſt intervallum addit. *Item ille, qui primis ſex menſibus Officium non dixerit, niſi legitimum impedimentum ipſum excuſaverit, grave peccatum intelligat admiſiſſe.* Et paulò pòſt. *At quicumque penſiones fructus, aut alias res Eccleſiaſticas, ut Clericus percipit, cum modo prædicto ad dicendum Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penſionum, fructuum, rerum ipſarum amiſſioni obnoxium.*

Ex relatis verbis colliges primò, quòd, quia præ- 44
ſcriptæ Orationis executio, ut conditio requiritur ad obtinendum jus in fructus, eos ante ſententiam Judicis reſtituendos eſſe; quia privatio Juris acquirendi eſt inſtar pœnæ conventionalis, & per ſe ſequitur ex non impleta conditione, ad obtinendum jus fructuum requiſita. Propterea ab Alexandro VII. expreſsè reprobata eſt hæc Prop.20. *Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eò quòd ſit pœna.* Et rurſum iſta 33. *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcunque eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui Beneficii fecit.* Nam per priorem gratuitam liberalitatem poſteriores fructus omiſſioni horarum correſpondentes non fecit ſuos, ideò hos adhuc, tanquam non ſuos reſtituere tenetur.

Colliges ſecundò, quia Pontifex conſtitutionis ſuæ ratio-

tionem hanc inſinuavit, quòd nempè Beneficium detur propter Officium, ideò ratam omiſſionis ab illo aſſignatam reſpectivè eſſe intelligendam, ſcilicet in ordine ad eos, quibus Beneficium, & conſequenter fructus Beneficii unicè dantur propter officium divinum: De cæteris verò, quibus propter alia munia, & functiones fructus ſui Beneficii conceduntur, priùs conſiderandum eſſe, an, & quantum proventus annui in ſingulos dies percipiatur ſuprà id, quòd ratione aliarum functionum annexarum Curæ animarum, vel ratione Miſſarum dicendarum debitum eſſet, & de hujus reſiduo duntaxat debere detrahi ratam omiſſionis, juxtà indicatam proportionem integri, vel ſolùm partialis Officii, ut contra Azor, Vaſquez, Petrum Navarram, benignior, & probabilior eſt ſententia Soti, Medinæ, Henriquez, Toleti, Leſſii, Saa, Rodriquez, & aliorum, quos refert, & ſequitur Layman *lib. 4. tract. 2. cap. 5. n. 2.*

Q V Æ S T I O II.

De Cultu Religionis, qui DEO exhibetur per Juramentum.

JUramentum eſſe unum ex præcipuis actibus Religionis, ad quem ſcilicet ipſa ſingulariter hominem inclinat, S. Thomas *2. 2. q. 89. a. 4.* ex eo colligit, quòd per illud palàm profiteamur DEUM omnibus ratione præditis eſſe potiorem ob indefectibilem ſuam Veracitatem, per quam cognoſcendo omnia, prout ſunt, nec falli poteſt, nec enuntiando fallere vult. De hoc ergo Juramento præſenti Quæſtione acturi in primis ejus eſſentiam, & honeſtatem, deinde Juramenti promiſſorii obligandi vim, denique modum illud infirmandi, & obligationem remittendi declarabimus.

A R T I C U L U S I.

Definitio, & Diviſio Juramenti.

S U M M A R I U M.

45 *Definitio Juramenti, & Definitionis explicatio.*
46 *Diviſiones Juramenti, earumque declaratio.*

45 JUramentum ex S. Thom. *loco cit. a. 1.* ab omnibus DD. ſimilibus ferè verbis definitur: *Invocatio DEI in teſtimonium alicujus rei.*

Dicitur 1. *Invocatio*, quæ duplex eſt, explicita, & implicita. Explicita eſt, quando immediatè juramus per DEUM, quo modo juravit S. Paul. *2. Corinth. 1.* dicens: *Teſtem DEUM invoco in animam meam.* Implicita eſt, quando juratur per creaturas, non ſecundùm ſe ſpectatas, ut cum S. Thoma *a. 6.* monent omnes Theologi; ſed quatenus ordinem habent ad DEUM, qui ordo potiſſimùm attendi ſolet in creaturis, ex quibus maximè elucet perfectio Divina, ut Omnipotentia DEI ex Creatione Cœli, & Terræ. Ideò S. Moyſes Deuter. *cap. 3. & 4* juravit: *Teſtes invoco Cœlum, & terram.* Senſus eſt. Teſtem invoco illum, qui ſua potentia creavit Cœlum & terram. Hinc Chriſtus apud Matth. *cap. 23.* ait: *Quicunque juraverit in templo, jurat in illo, & in eo, qui habitat in ipſo, & qui jurat in cœlo, jurat in throno DEI, & in eo, qui ſedet ſupra eum.* Et hoc modo ſi juretur per creaturas, non incurritur Excommunicatio *cap. Clericum 22. q. 1.* in Chriſtianos lata per creaturas jurantes: quia citatum cap. de Juramento gentilium per Jovem, Solem &c. intelligendum eſt, non autem de juramento per creaturas, prout eſt veri DEI in teſtimonium invocatio.

Requiritur ergo ad juramentum, ut DEUS vel per ſe, vel per creaturas ſuas invocetur in teſtem. Hinc etiam ſimiles loquendi modi: *DEUS ſcit: coram DEO loquor: DEUS aliquando e abitur &c.* ſi tantùm narrativè proferantur, non ſunt juramenta: quia per hos, prout ſonant, acceptos non petitur à DEO; ut teſtimonium præbeat, (ſive nunc ſtatim, ſive ſuo tempore, quando, ut inquit Apoſt. *1. Corinth. 4.* illuminabit abſcondita tenebrarum & manifeſtabit conſilia cordium) ſed tantùm aſſeritur, DEUM ſcire, & teſtimonium aliquando daturum. Quòd ſi tamen per prædictas voces quis verè intenderet DEUM in teſtem vocare; tunc fatendum eſt, eas eſſe ſignum veri juramenti mentalis. Unde etiam S. Paulus ad Tim. hujuſmodi verbis juramentum ſuum expreſſit: *Teſtificor coram DEO.* Et ad Gal. *Coram Deo, quia non mentior*: quia enim juramentum eſt actus internus, ſignificatus per verba, vel per aliud ſignum externum v. g. per explicationem digitorum, per contactum Evangelii aut Sceptri &c. ex intentione jurantis pendet, ut verum juramentum emiſerit vel non: ſive deinde uſus ſit verbis per ſe, aut ſaltem communi acceptione hominum, ſignificantibus DEI invocationem, ſive uſus ſit aliis; licèt in foro externo, ſi verba juratoria adhibita ſint, ſupponatur intentione jurandi eſſe prolata, & ad executionem juramenti promiſſorii compellatur.

Dicitur 2. *DEI in teſtimonium.* Nam qui ſola auctori- 46
tate humana aliquid confirmat, vel falſos Deos in teſtes vocat, (quod poſteriùs ſi ſeriò fieret, idololatriæ ſcelus eſſet) non verè jurat, nec obligatur ex vi juramenti ad executionem rei, tali modo aſſeveratæ, quòd eam ſit facturus.

Dividitur Juramentum in *Judiciale*, & *Extrajudiciale*, quod fit vel in, vel extra judicium. Item in *Neceſſarium*, quòd à Lege vel Superiore defertur, v. g. ad criminis purgationem, vel ad litem finiendam; & in *Voluntarium*, quòd ſponte ſuſcipitur, & interdum ex partium litigantium voluntate ac conventione, quod propterea *Conventionale* vocatur.

Præterea dividitur in *Verbale*, quòd verbis & *Reale*, quòd actione aliqua, & *Mixtum*, quòd verbis & actione exprimitur: quòd ſi ad hæc certa formula ſit præſcripta, vel cęremonia quædam adhibeatur, ut contactus Evangeliorum in Novo Teſtamento, vel poſitio manus ſub femore exigentis juramentum in Veteri Teſtamento, quo denotabatur juramentum fieri per fidem & teſtimonium Chriſti, qui ex femore David, ut loquebantur, id eſt, ex ſemine David erat naſciturus, Juramentum tale dicitur *Solenne*; ſi nulla certa formula, aut cęremonia fiat, appellatur *Simplex*. Sed his aliiſque levibus diviſionibus omiſſis.

Celebrior eſt diviſio in *Invitatorium*, ſeu *Conteſtatorium tantùm*, & in *Execratorium*, ſeu *Imprecatorium*. Primum ſola DEI in teſtem invocatione emittitur. Alterum adjecta ſibi, vel alii, imprecatione Divinæ vindictæ editur; ut ſcilicet DEUS, ſi falsò juravit, pęnæ cujuſdam executione id ipſum teſtetur, ut olim tribus, contra S. Narciſſum pejerantibus, eaſdem pęnas, quas ſibi imprecabantur, inflixit, cùm prior incendio conflagravit, alter morbo Gallico correptus, tertius flendo excæcatus eſt.

Maximè celebris, ex qua plures quæſtiones oriuntur, eſt, in *Aſſertorium* & *Promiſſorium*. Aſſertorium eſt rei præſentis, vel præteritæ, vel etiam futuræ, quæ non ſit actio à jurante ponenda vel omittenda, Divino teſtimonio confirmatio. Juramentum Promiſſorium, abſtrahendo à determinata illius acceptione rigoroſa, aut lata, eſt actionis à ſe ponendæ, vel omittendæ Divino teſtimonio Confirmatio: quæ ſemper eſt duplicis objecti: primò eſt aſſertiva confirmatio voluntatis ſuæ internæ, quòd jurans habeat actum voluntatis ponendi vel omittendi actionem tempore futuro. Secundò eſt promiſſiva affirmatio alicujus actionis vel omiſſionis, cujus DEUS non quidem propriè invocatur in teſtem, ſed aliquo modo in Fidejuſſorem non tamen ut ſuppleat promiſſi intermiſſionem, ſed ut ſua auctoritate ſtabiliat voluntatem, verificandi promiſſum, & ſic promiſſionem faciat credibilem, veluti ſi propriè in teſtem vocatus eſſet.

Promiſſorium in Communi ſubdividitur in promiſſorium ſolummodò latè acceptum, quo præcisè aliquid facturos aut omiſſuros nos juramus, ſine promiſſione vera; quo etiam ſpectat juramentum Comminatorium, & in ſtrictè acceptum, quod propriè dictam promiſſionem continet, aut factam DEO, & ſic dici poteſt Votum Juratum, cujus Violatio duplex ſpecie diverſum peccatum contra Religionem induceret, ſcilicet Perjurium, & Sacrilegium; quia ſimul DEUS in teſtem rei falſæ vocaretur, & rei promiſſæ fides eidem frangeretur: aut factam homini: unde tale juramentum appellari poſſet promiſſio jurata: & quia promiſſio cadit in debitum, hinc talis juramenti violatio etiam duplicis peccati reatum incurreret: unum contra Religionem, ſcilicet Perjurii,

& alte-

& alterum contra Juſtitiam, ob læſionem juris alieni, ex promiſſione acquiſiti. Conſtat hæc Veritas ex Eccleſiaſtico c.23.v.12. *Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non diſcedet à domo illius plaga. Et ſi fruſtraverit, delictum illius ſuper ipſum erit: & ſi diſſimulaverit, delinquit dupliciter.*

ARTICULUS II.

De Honeſtate, vel inhoneſtate Juramenti.

SUMMARIUM.

47 *Juramentum eſt actus Religionis.*

48 *Vt autem talis ſit, requiruntur tres conditiones. Prima Conditio eſt, ut fiat cum Iuſtitia, ne ſcilicet adhibeatur, ad actum injuſtum ſive peccaminoſum confirmandum, & ad ejus executionem ſtabiliendam, aliàs peccatum foret mortale, vel veniale, pro diverſa gravitate, vel levitate actus ponendi.*

49 *Secunda Conditio Iuramenti, ut fiat cum Iudicio, ſive diſcretione debita.*

50 *Tertia Conditio eſt Veritas; perjurium enim aſſertorium eſt ex genere ſuo peccatum mortale, nec datur levitas materiæ: propterea propoſitio 24. ab Innoc. XI. meritò damnata eſt.*

51 *Iuramentum Promiſſorium ſemper eſt etiam aſſertorium, & ſi ut tale falſificetur, eſt peccatum mortale.*

52 *Iuramentum Promiſſorium factum DEO parit obligationem voti, factum homini parit obligationem Iuſtitiæ; undè eius Violatione ſemper committitur duplex peccatum mortale, vel veniale, ſecundùm quantitatem obiecti promiſſi.*

53 *Iuramentum aſſertorium obiecti dubii eſt peccatum mortale.*

54 *Datur obligatio ſub mortali deponendi conſuetudinem temerè Iurandi.*

47 JUramentum eſſe actum honeſtum, & licitum, ex fide certum eſt, & ſpectare ad virtutem religionis, ut cum S. Thoma 2.2.q.89. ar.4. teſte Suarez *tom.2. lib.1. de Iuramento c.4. num.4.* docent omnes Theologi. Colligitur ex *Deut. c.6.* ubi inter præcipuos actus Cultus Divini ponitur Juramentum his verbis: *Dominum DEUM tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ac per nomen eius iurabis.* Idem colligitur ex ſecundo præcepto decalogi: ubi ſicut aſſumptio nominis DEI in vanum prohibetur tamquam oppoſita Cultui Divino, ſic vult, ut ejus aſſumptio ordinetur ad Cultum DEI. Ratio eſt: quia per juramentum profitemur infinitam DEI Veracitatem, & illam in teſtem invocamus. Undè *Ariſt. 1. metaph. c.3.* juramentum dixit eſſe honorabiliſſimum. Et Apoſt. *ad Heb. 6. Homines per maiorem ſe iurant*: Scilicet in teſtem illum adducendo fatentur eum auctoritate ſua longè eſſe majorem. Dum ergo Chriſtus apud Matth. *c.5.* ita locutus eſt: *Ego autem dico vobis non iurare omninò: ſit autem ſermo veſter, eſt, eſt, non, non, quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Hoc intelligi debet de omni illo juramento, quod non fit cum debitis conditionibus, adeòque quòd à Religione non dirigitur ad Cultum DEI, qui eſt finis intrinſecus juramenti, ut honeſti, licèt, ſi materialiter præcisè ſpectetur, finis illius ſit confirmatio veritatis.

48 Tres Conditiones ad honeſtatem juramenti communiter requiruntur à Jerem. *c.4.* his verbis expreſſæ: *Iurabis: vivit Dominus in Veritate, Iudicio, & Iuſtitia.* Cum Juſtitia fit juramentum, ſi auctoritas Divina non invocatur ad actum injuſtum, ac peccaminoſum confirmandum. Mortale enim peccatum eſſet, ſi rem mortaliter malam te facturum jurares, & Veniale, ſi venialiter malam: ut docet communior, ac benignior ſententia Patris Suar. *tom.2. de Relig. lib.3. de Iuram. c.19.* Ludovic. Lopez *p.1. cap.42.* Palao, Laym. & aliorum, quos ſecutus eſt Delbene *Tomo de Iuramento cap. 1. dubit. 14. num. 1.* Tannerus *tom. 3. diſp. 5. num. 14.* citans Valentiam, & Azor. tantò major, aut minor eſt indecentia, ad quantò majorem malitiam Divina auctoritate quis abutitur ad ſtabiliendam ſuam voluntatem, dum quis beneplacito DEI, quod habet de veritate ut ſic, ſive in genere ſe quis vult animare ad verificandum propoſitum peccandi, licèt quis in ſpecie non cogitet, quòd DEUS cupiat, vel obliget ad illud verificandum: hoc enim ſemper eſſet mortale, etiamſi propoſitum, aut promiſſio eſſet tantùm de peccato veniali, præſtando.

49 Cum Judicio, ac diſcretione tunc juramentum peragitur, ſi non abſque juſta cauſa, aut neceſſitate, & non ſine debita reverentia juratur, quorum ſi quid abſit, veniale communiter, non tamen mortale peccatum eſt, per ſe loquendo: Quia, etſi Juramentum ſit actus honeſtus propter juſtam cauſam, ac neceſſitatem editum, non decet tamen Divinam Authoritatem, abſque neceſſitate interponere. Ideò dicit S. Aug. apud S. Thomam *ar.5. Qui intelligit, non in bonis, id eſt, per ſe appetendis, ſed in neceſſariis iurationem habendam, refrenet ſe, quantum poteſt, ut non ea utatur, niſi neceſſitas cogat.*

50 Cum veritate denique juratur, ſi Deus in teſtem rei veræ, aut exiſtimatæ, ut veræ, atque (ſi obligationem habet) à ſe verificatæ, adhibetur. Si autem ad rem exiſtimatam, ut falſam, aut ex obligatione non verificatam Divina authoritas imploratur, juramentum perjurum, ſeu perjurium commiſiſſe quis dicitur.

Duplex autem perjurium eſt, Aſſertorium, & promiſſorium. Aſſertorium per ſe, & ex genere ſuo, niſi inadvertentia, vel malitiæ ignorantia, aut inconſiderantia, excuſetur, ſemper eſt peccatum mortale, ut omnes fatentur: quia pejerans, quantum eſt de ſe, Deum vult facere mendacem, & patronum ac teſtem mendacii, quod eſt graviſſima irreverentia, & quaſi injuria divinæ veracitati illata. Propterea Innoc. XI. hanc 24. Propoſitionem interdixit. *Vocare DEUM in teſtem Mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.*

51 Promiſſorium ex duplici objecto poteſt contrahere malitiam, primò ex actu interno voluntatis, quo quis Deo, vel homini, ſe obligat ad aliquam actionem ponendam, vel omittendam; & quia reſpectu hujus objecti eſt juramentum aſſertorium, hinc ſi ab hoc falſificetur, & ſi quis juret, ſe habere talem actum, cùm non habeat, ex genere ſuo eſt peccatum mortale, ſicut immediatè de perjurio præcisè aſſertorio dictum eſt.

Secundò ex objecto actus voluntatis, ſeu ex actione, aut omiſſione jurata, cujus falſificatio non intrinſecam, & formalem, ſed extrinſecam, ſeu extrinſecè denominantem malitiam in juramentum præteritum transfundit, quatenus ſcilicet quis peccat per eum actum, quo advertens ad obligationem implendi juramenti, illud non implet, ac verificat. De hoc itaque actu communior DD. ſenſus ſequentia ſtatuit.

52 Si juramentum appoſitum promiſſioni, vel etiam ſoli propoſito, ſit circa rem gravem, nolitio implendi juramentum eſt peccatum mortale contra Religionem, ut teſte Tannero *tom.3. di. p.5. q.5. dub.1. num. 11.* omnes fatentur: ſi verò ſit circa rem levem, probabiliùs eſt tantùm veniale peccatum, ſecundùm communiorem DD. ſententiam, S. Antonini *2 p. tit. 10. cap. 4. §. 1.* Angeli, *Verbo Iuramentum 5. num. 41.* Sylv. *Verbo eodem 4. q. 1.* Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 5. q. 3.* Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 3. de Iuram. c. 16. à nu. 9.* Sanchez *lib. 3. in Decal. c. 4. num 23.* Palao *tr. 14. diſp. 1. pun. 6. num. 8.* Tanneri *l. c. num. 21.* Toleti *lib. 4. c. 21.* Eman. Saa *Verbo Iuramentum num. 7.* Soti *lib. 8. q. 1. num. 7.* Thomæ Delbene, Clerici Regularis, *tomo de Iuramento c. 1. dub. 13. nu. 15.* adeòque gravitas malitiæ, à qua juramentum præteritum perjurii, & peccati denominationem accipit, proportionatur gravitati materiæ juratæ, quæ ſi principaliter ſit ordinata ad honorem Dei, ordinariè veram promiſſionem Voti, ſi ad utilitatem proximi, promiſſionem Juſtitiæ videtur terminare, niſi ex intentione jurantis conſtet, actum voluntatis fuiſſe nudum propoſitum; cujus deinde violatio ſolam irreligioſitatem contra obligationem juramenti, non autem Voti, aut Juſtitiæ continet.

Nunc utraque concluſionis pars probatur. In Juramento promiſſorio, ſive latè, ſive ſtrictè ſumpto, Divina Authoritas invocatur, ut obligationem ad ponendam, vel omittendam aliquam actionem ratificet, & ad eam ſua Authoritate obliget: ergo tantò graviùs, vel leviùs peccatur, quantò graviùs, vel leviùs Deus obligat: ſed

Deus

Deus obligat juxta gravitatem materiæ: ergo peccatur juxta gravitatem materiæ. Undè ſi non eſt obligatio ad rem juratam, ſi ſcilicet juratur inhoneſta actio, vel actio merè indifferens, ipſa juramenti non expletio omninò nullum peccatum eſt, ut de juramento rei inhoneſtæ omnes fatentur. De juramento autem rei indifferentis (niſi ex fine vel circumſtantiis cohoneſtetur) docent Laym. *lib.4. tra.3. cap.6. nu.3.* referens Cajetan. Suar. Sanchez, Molina, Azor, Navarr.

Dices. Qui non exequitur juramentum, cùm id licitè poſſit, facit Deum teſtem falſi: ſed qui facit Deum teſtem falſi, ſive ſit in gravi, ſive levi materia, peccat mortaliter ergo &c. Hoc eſt ferè unitum argumentum hujus contrariæ ſententiæ, quam tenent Gabriel Tabiena, Fumus, Valent. Leſſius, Bonacina, Reginaldus apud Palao *loc. cit. num. 6.* atque ab hac ſententia parùm differunt Cajetanus, Covar. Corduba, Sayr. idem aſſerentes, ſi levis materia ſit totale objectum promiſſionis Juratæ: quamvis ſi ſit tantùm pars gravis materiæ præſtitæ, dicant illius omiſſionem quaſi pro nihilo reputari. Quia tamen ſine hac adhuc falſificaretur leviter juramentum, ideo etiam hos premit objectio.

Reſp. 1. Nimium probari: quòd ſcilicet jurans ſe facturum peccatum veniale, vel obligetur ad illud faciendum, ut ſic evitet peccatum gravioris obligationis, vel quòd ab initio peccaverit mortaliter jurando rem, quam tenetur non ponere: primum implicat contradictionem, poſterius nimis ſeverum eſt.

Reſp. 2. Nego majorem, quòd Deum faciat teſtem falſi; quia, ut dictum eſt in explicatione juramenti promiſſorii, Deum reſpectu objecti ponendi jurans non invocat in teſtem, ſed tantùm authoritate Dei ſe obligat ad objectum ponendum; ſicut qui in præſentia Principis alteri quidpiam promitteret, ob Principis reverentiam deinde adſtringeretur ad fidem ſervandam; & quidem tantò magis, quò res promiſſa eſſet majoris momenti, cui Princeps ſuam auctoritatem magis vellet interponere.

53 Ex his colligitur 1. Quandoquidem omne juramentum aſſertorivum falſum eſt peccatum mortale, etiam eum peccare mortaliter, qui dubitans, an res ita ſe habeat, vel non, nihilominus illam juramento confirmat: quia ſicut is, qui dubitat, an aliquid ſit ſub mortali prohibitum, nec ne, mortaliter peccat illud faciendo, priùs nondum depoſito dubio; cùm ita animo conſtitutus ſit, ut etiamſi forſan ſit peccatum mortale, illud tamen velit facere, ita rem dubiam juramento confirmans graviter peccat: quia ita comparatus eſt, ut etiamſi res ſit forſan falſa, Deum tamen velit auctoritatem ſuam teſtando interponere.

54 Colligitur 2. Qui habet conſuetudinem aſſertoriè jurandi abſque indagatione veritatis, eum tantò graviùs obligari ad iſtam conſuetudinem deponendam, quantò ex levioribus indiciis ſolet jurare, & Divinam auctoritatem exponere majori periculo falſitatis, ita ut niſi talem conſuetudinem conetur emendare, mortaliter peccet per actum, quo quis diceret: Etiamſi frequenter ex incuria ſoleam pejerare, nolo tamen hanc conſuetudinem deponere.

ARTICULUS III.

De Inhoneſtate Juramenti Ficti, ejuſque obligatione.

SUMMARIUM.

55 *Si fictè iuratur falſum in materia gravi, eſt peccatum mortale, in materia levi eſt veniale: etiamſi fiat cum cauſa tunc, quando non licet æquivocatione, vel amphibologia uti, ut patet ex Innocentii XI. prohibitione propoſitionis 25.*

56 *Qui Juramento ficto promittit rem gravem ſine animo illam præſtandi, peccat mortaliter; ſi autem promittit rem levem, vel gravem quidem, ſed cum animo illam præſtandi, peccat venialiter. Non autem ex Religione, ſed ex iuſtitia tenetur illam præſtare, quando Iuramentum fuit doloſum, ſeu iniuſtum.*

Circa veritatem Juramenti quæri adhuc poteſt, an ſicut peccatum eſt, falsò jurare ſic etiam peccatum ſit jurare fictè, id eſt, abſque animo jurandi. P. Suar. *to. 2. lib.3. c.17.* ait communem, Palao *tract.14. diſp.1. pun.8.* inquit omnium, quos ipſe viderit, ſenſum eſſe, peccatum committi ex genere ſuo mortale, ſi fictè juretur falſum, ſaltem in materia gravi: Nam in levi materia negat cit. Suar. ſe legiſſe, quæſtionem hanc eſſe diſputatam, in qua ille tantùm venialem culpam agnoſcit; ſi autem verum animo ficto juratur, cit. AA. cum Leſſ. Sanch. Bonac. Tamb. docent, peccatum ſolùm veniale eſſe contra Religionem, licèt contra aliam virtutem mortale fieri poſſit, ſcilicet contra Obedientiam, aut Fidelitatem, ſi in judicio, vel in contractu animo graviter nocendi, fictum juramentum emittatur, ubi verum exigitur. 55

Ratio totius reſponſionis eſt: quia tantò major irreverentia Divinæ auctoritati irrogatur, quando fictè adhibetur, quantò poteſt eſſe damnoſior hujuſmodi licentia commercio, & ſocietati humanæ: ſed licentia fictè jurandi rem falſam gravis momenti eſſet graviter damnoſa, rem falſam verò levis momenti, aut veram (ſaltem ſine juſta cauſa) eſſet leviter damnoſa: ergo fictè jurare eſt dicto modo grave, vel leve peccatum. Dixi: *ſaltem ſine Iuſta Cauſa*: Nam etiam hæc 25. Propoſitio ab Innoc. XI. prohibita eſt: *Cum cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.* Quoties enim non licet amphibologicè jurare, toties neque licet fictè jurare. De quo dixi *quæſt.1. de Iuſt. ar 6. §. 3.*

Atque hoc quod de juramento aſſertorio ficto dictum eſt, etiam de promiſſorio in quantum aſſertorium eſt, accipi debet, ſi quis animo non jurandi dicat: Juro me hoc facturum: ſi enim res ficto juramento promiſſa eſt gravis, & ſic jurans nolit eam præſtare, graviter peccatur, ſi verò eſt levis, aut ſi velit eam quidem præſtare, ſed non verè jurare, peccatur leviter contra Religionem. 56

In quantum verò Juramentum eſt promiſſorium, Palao *tract.14. diſp.2. punct.2. num.2.* Tanner. *tom.3. diſput.5. num.12.* Dicaſtillo *tractat de iuramento diſp. 3. dub.16. num.239.* & apud hunc Leſſ. Rodriq. Suar. Thom. Sanchez, Sayrus, Azor, Bonacina dicunt, ex tali Juramento ficto, & peccaminoſo, non oriri obligationem Religionis, præſtandi rem fictè juratam: quia hoc ipſo, quòd non habeat omnia requiſita ad verum Juramentum, etiam non habet omnia requiſita ad inducendam obligationem veri Juramenti: ſicut hoc ipſo, quòd deſit aliquid ad valorem contractus, deeſt etiam vis inducendi obligationem ad ſervandum contractum.

Ut verò clariùs cognoſcatur, qualem Juramentum fictum, ſine intentione jurandi editum, vel amphibologicum, in alio ſenſu verborum prolatum, obligationem pariat, cum S. Thoma 2. 2. *qu.89. ar.7. ad 4.* Diſtinguendum eſt inter Juramentum fictum cum dolo, & ſine dolo. Fictum cum dolo illud eſt, cujus fictio opponitur Juri ejus, qui onus aliquod ſubit, ratione cujus habet Jus, ne alter faciat Juramentum ſolummodo fictum, vel ſolummodo amphibologicum; ſic ſi quis puellæ fictè juraret, quòd illam vellet ducere uxorem ſi uſum corporis ſui concederet, diceretur hoc juramentum eſſe doloſum, ſeu factum cum dolo, eò quòd puella concedens ob promiſſionem juratam uſum ſui corporis, habeat Jus, ut alter ſeriò, & cum vero Juramento ſe obliget ad futurum matrimonium; ideò enim ſubivit hoc onus, & poſuit ex parte ſua id, quod procus requirebat, & pro quo obligavit illum, ad ſe reddendam ſecuram, ac certam de futuris nuptiis. Si autem puella nullum onus ſubiviſſet, c. g. ſi ei aliquis apparenter, & ſimulatè juraſſet, quòd vellet illam dotare, abſque animo verè jurandi, & verè promittendi, Juramentum iſtud eſſet fictum, ſed ſine dolo; quia dolus non eſt qualiſcunque fictio, vel mendacium, ſed eſt fictio injuſta: hoc ipſo ergo, quòd puella nullum habuerit Jus ad promittendam ſibi dotem, & multò minùs ad eam ſibi Juramento confirmandam, ideò neque fictio promiſſionis, neque fictio Juramenti eſt injuſta, modò nullum aliud damnum ex hujuſmodi fictione illi oriatur, aliàs reſpectu hujus pateretur injuriam, ſi c. g. intuitu hujus fictæ promiſſionis

fuiſſet

fuiſſet impedita, quò minùs ab alio dotem, vel legatum acciperet, tunc enim compenſandum eſſet ipſi damnum: ſaltem ſi prudenter potuit, & debuit prævideri. Hoc diſcrimine ſuppoſito

Dicendum eſt cum S. Thom. *loc. cit.* ex Juramento ſive ficto, ſive amphibologico, ſi ſit doloſum oriri obligationem, ſervandi Juramentum non quidem ex virtute religionis, ut exiſtimat Valentia 2.2. *d.6.q.7.pun.2. circa fin.* cujus ratio potiùs probat obligationem charitatis ad evitandum ſcandalum ſecuturum ex violatione Juramenti ſimulati; ut contra hunc Authorem rectè advertit Palao *loc. cit.* evincens contrarium ſuprà relato argumento: ſed ex virtute juſtitiæ, ratione doli commiſſi; qui aliter compenſari, & reparari non poteſt, quàm ut præſtetur id propter Juramentum fictum, aut amphibologicum, quod præſtandum fuiſſet propter Juramentum verum, & ſincerum: ut adeòque doloſum Juramentum, & doloſa promiſſio ad idem obliget, ad quod obligat verum ac ſincerum Juramentum, & vera ac ſincera promiſſio, ſed ex virtute diverſa. Primùm quidem ex ſola juſtitia, ſecundùm autem ex juſtitia, & Religione. Quòd ſi tamen Juramentum fictum non ſit doloſum, tunc niſi jurans in foro externo ex præſumptione veri Juramenti, vel in pœnam fictionis, graviter peccaminoſæ contra reverentiam Divinæ Authoritati debitam, in foro externo condemnetur, ad ſtandum promiſſione jurata, per ſe loquendo, & ſecluſo alio damno emergente, ad nihil tenetur, ſi etiam promiſſio fuit ficta, vel ſi promiſſio non fuit ficta, ſed ſolum juramentum, tunc quidem non ratione Juramenti, ſed ratione promiſſionis datur obligatio illam exequendi: cùm enim Juramentum verum non fuerit ex juſtitia debitum, ideò fictum non fuit contra juſtitiam, nec illo oritur obligatio reparandi juris læſi. Hinc ergo in prædictis duobus exemplis, prior ficto Juramento, & promiſſione matrimonii ſeducens virginem ad concedendum uſum ſui corporis, tenetur illam ducere; ut etiam dixi in *tra 4.diſp.3.num.94.* propter obligationem juſtitiæ *loc. cit.* demonſtratam: poſterior autem, ſi puellæ, nullum penitus onus ſubeunti ex mera animi levitate, fictè juravit, & fictè promiſit dotem, ad nihil tenetur, ſi autem fictè quidem juraſſet, ſed verè promiſiſſet dotem, teneretur illam quidem præſtare ratione promiſſionis veræ, ſed non ratione Juramenti; quia enim non contineret valorem, & eſſentiam Juramenti, neque contineret vim obligandi ex Religione; & quia non eſſet doloſum, ac injuſtum, non obligaret ad reſtituendum damnum.

Confirmo hanc reſolutionem expreſſo teſtimonio S. Thomæ ſuprà citati, quo in Juramento doloſo aſſerit obligationem, non quidem exprimens, & determinans illam virtutem, à qua imponatur, attamen adſcribens obligationem non ſoli promiſſioni, ſed ipſi etiam Juramento doloſo. In Juramento non doloſo autem, ſed merè ficto, vel amphibologico, nullam aſſerit obligationem. Sic ergo inquit. *Dicendum, quod quando non eſt eadem iurantis intentio, & eius cui iurat, ſi hoc provenit ex dolo iurantis, debet Iuramentum ſervari ſecundùm ſuum intellectum eius, cui iuramentum præſtatur, unde Iſidorus dicit* (citatur in margine *lib.2. de ſummo Bono cap.31* & refertur etiam in *cap. Quacunque 22. qu. 5.*) *Quacunque arte Verborum quis iuret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita accipit, ſicut, cui iuratur, intelligit. Et quod hoc intelligatur de doloſo Iuramento, patet per id, quod ſubditur, dupliciter reus fit, qui & nomen Dei in vanum aſſumit, & proximum dolo capit.* (quibus verbis indicatur quidem duplex peccatum, ſed non duplex obligatio, ut ex Suarez *lib.2. de Iuram.c.8. num.10.* & Sanchez *lib.3.c.10. num.13.* explicat Palao *loc. cit.*) *Si autem iurans dolum non adhibeat, obligatur ſecundum intentionem iurantis. Unde Gregorius dicit 27. Moralium c.7. Humanæ aures talia verba noſtra iudicant, qualia foris ſonant. Divina verò iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* Quibus verbis *in cap.11. cauſa 22. quæſt.5.* relatis adhuc adduntur ſequentia. *Quia non debet aliquis verba conſiderare, ed voluntatem, & intentionem: quia non debet intentio verbis deſervire, ſed verba intentioni.*

Clariùs adhuc, & conformiter noſtræ Reſolutioni, expreſſit ſuam mentem Angel. Doctor 3.*diſt.39.q.1.ar.3. q.3.* ubi ita loquitur. *Diſtinguendum eſt ergo in eo, qui iurat; aut enim ſimpliciter, aut doloſè iurat. Si iurat doloſè, ex duabus partibus poteſt culpa ſequi, ſcilicet ex fractione juramenti* (puto legendum eſſe *ex fictione iuramenti*) *& ex dolo. Quamvis ergo ex ipſa ratione iuramenti, in quantum iuramentum* (ſcilicet ex Religione Juramenti) *non obligetur ad ſervandum ipſum, niſi ſecundum ſuam intentionem, tamen ex neceſſitate iuramenti, in quantum fuit doloſum, obligatur ad obſervandum taliter, quod ex dolo alius non lædatur, & hoc eſt, quando ſecundùm intentionem recipientis implet iuramentum. Si autem ſimpliciter iuret abſque dolo, tunc in foro conſcientiæ non obligatur, niſi ſecundùm ſuam intentionem: ſed in foro contentioſo, ubi intentio ignoratur, obligatur, ſecundùm quod verba communiter accipi ſolent.* Ita S. Doctor. Et videntur ſic etiam de Juramento doloſo intelligi poſſe plerique alii Doctores, ut non obligationem Religionis, ſed juſtitiæ eidem imponant, quando ajunt, ipſum ſervandum eſſe ſecundùm int entionem recipientis.

ARTICULUS IV.

De Obligatione Juramenti promiſſorii.

CUm obligatio Juramenti promiſſorii ſit oneroſa, ideò ſignificatio verborum non extendenda, ſed ſtrictè accipienda eſt. Ut autem meliùs vis obligationis hujus intelligatur, duo obſervanda ſunt, ſcilicet materia, circa quam editur Juramentum: & conditiones, quæ in juramento implicitè involvuntur, quibus proindè non impletis Juramentum non obligat, quia promiſſio conditionata nullam habet vim, quamdiu ex defectu conditionis requiſitæ non tranſit in abſolutam.

§. I.

Circa quam materiam verſetur obligatio Iuramenti promiſſorii.

SUMMARIUM.

57 *Iuramentum promiſſorium de re inhoneſta non obligat.*
58 *Etiam factum de opere merè indifferente non obligat.*
59 *Etiam de Opere minus bono, quam eſt oppoſitum, non in alterius utilitatem facto, non obligat.*
60 *Iuramentum de re, vel opere in alterius utilitatem præſtando obligat, modo id ſine peccato præſtari poſſit.*
61 *Dicta obligatio vera eſt, etiamſi res iurata ab altero ſine peccato acceptari non poſſit.*
62 *Hinc tenetur iurans ſolvere iniuſtas uſuras, latroni lytrum, reditum ad captivitatem iniuſtam.*
63 *Nec obſtat error accidentalis circa rem, vel cauſam impulſivam.*

DIcendum eſt; Juramentum de opere aut mortaliter, aut venialiter peccaminoſo, nullam parere obligationem, ut priori articulo ex omnium DD. conſenſu ſtatutum eſt. 57

Probatur ex variis *cap.* Juris Canonici: nam ut habet *cap. quanto de iureiurando*, Juramentum inſtitutum non fuit, ut eſſet vinculum iniquitatis. Conſentit *Regula 58. in 6.* & *cap. ſi vero cap. cum contingat de iureiurando, cap. quamvis de pactis in 6.* Quibus cùm dicitur, Juramentum ſervandum non eſſe, ſi vergat ad interitum ſalutis æternæ, etiam de re venialiter mala, & ad mortale peccatum diſponente, intelligendum eſt, adeòque nullum Juramentum illicitum, ut inquit Gratianus, vel, meliùs loquendo, nullum Juramentum de re illicita ſervandum eſt: quia ex terminis repugnat, ut detur obligatio faciendi rem vetitam.

Dicendum 2. Juramentum de opere indifferente, ſpe- 58
ctato ſecundùm ſe, & à jurante ad nullum honeſtum finem, nec ad ullius hominis utilitatem relato, non obligare ad ejus executionem. Ita Suarez *lib.2.cap.16.* Vaſq. *Opuſc. de Teſtamentis c.3.dub.2.nu.38.* Palao *d.2.pun.6. nu.3.* Dicaſtillo *tra. de Iuram. diſp.2. dub.3 num.40.* Tambur. *lib.3. in Decal.c.3. §.3.* Prob. ex P. Suar. *loc. cit.* Opus merè indiffe-

indifferens, & ad nullum finem honeſtum relatum, probabiliter eſt actus inhoneſtus in individuo, & ſæpè eſt impeditivum actus honeſti pro eodem tempore elicibilis: ſed ad actum probabiliter inhoneſtum, & ſæpè etiam impeditivum actus honeſti, pro eodem tempore eidem ſubſtituendi, non datur obligatio, ergo &c. Dicaſtillo independenter ab hoc principio ſolùm probabili eandem concluſionem rectè etiam probat ex hoc, quòd Deus rem ſibi juratam, ad ſuum cultum non ſervientem non acceptet, conſequenter Juramentum de illa præſtanda non obliget.

Neque dicas. Opus indifferens poteſt fieri ex fine honeſto, & ſi fiat propter obligationem juramenti, hoc ipſo fit ex fine honeſto: ergo licèt non detur obligatio ad opus, ut manens indifferens, datur tamen ad illud, ut cohoneſtatum ab obligatione juramenti, vel alio fine honeſto.

Negatur enim conſ. quia ut detur obligatio ad ponendum opus aliquod, non debet ipſum conſiderari ſecundùm bonitatem, quam poteſt acquirere, ſed quam habet ſecundùm intentionem jurantis: ſi ergo jurans nullam intendit in eo bonitatem, ad illud non obligatur. Hinc etiam non obligatur juramento, ſi ipſum opus juratum tempore juramenti illicitum, vel indifferens, ſucceſſu temporis ex mutatione circumſtantiæ fiat honeſtum: quia juxta 18. *Regul. juris in 6. Non firmatur tractu temporis, quod de Iure ab initio non ſubſiſtit*. Propterea qui voto caſtitatis obſtrictus alicui cum juramento promitteret abſolutè matrimonium, is impetrata diſpenſatione voti non teneretur ad ineundum matrimonium: quia promiſſio illa initio fuit irrita juxta *cap. Rurſus qui Clerici vel voventes*. Aliud eſſet, ſi promiſſio initio tantùm fuiſſet conditionata, hæc enim cùm facta eſſet pro eo tempore, pro quo impleretur conditio, ea impleta planè obligaret.

59 Dicendum 3. Juramentum de opere honeſto quidem, ſed minùs bono, in DEI præcisè honorem, & non in utilitatem hominis, cum vel ſine voto editum, non inducere obligationem executionis, ſi oppoſitum rei juratæ ſit melius, vel ſi aliud opus melius eidem ſubſtituatur. Ita præcipui DD. communiter cum S. Thoma 2.2. *qu.* 89. *ar* 7. *ad* 2. Ratio eſt: quia Juramentum vel ſequitur naturam voti, quando ei apponitur, vel illam imitatur, quando ſimplici aſſertioni adjungitur: atqui votum de opere, cujus contrariè oppoſitum eſt meliùs, vel quod ſaltem in melius opus commutatur, non obligat, vel ſaltem DEUS remittit ejus obligationem: quia non pertinet ad DEI reverentiam, ut fiat opus minus bonum, omiſſo meliore: ergo &c.

Confirmatur. Votum, & Juramentum de opere in DEI præcisè honorem faciendo, cenſetur eſſe conditionatum, ſcilicet niſi melius opus operi jurato ſubſtituatur: ergo ſi melius ſubſtituitur, non obligat.

60 Dicendum 4. Juramento teneri, nec in aliud melius commutari poſſe, qui qualecunque opus, modò non ſit inhoneſtum, in alterius hominis, Eccleſiæ, vel totius communitatis gratiam, cum vel ſine promiſſione juravit, licèt id Lege civili nullam tamen culpam moralem, ſeu Theologicam inducente, prohibitum ſit: niſi ille in cujus gratiam juramentum vergit, ipſum ſponte remittat. Eſt communis DD. & prob. ex recepta Juris Regula *c. Quamvis pactum de pactis in 6. cap. cum contingat de Iurejurando*: quæ ita habet: *Omne juramentum editum in alterius utilitatem ſervandum eſt, ſi ſine ſalutis diſpendio ſervari poteſt*: quòd autem opus DEO juratum in meliùs commutari poſſit, non poſſit autem homini juratum, hoc non provenit ex arctiore obligatione, ſed inde, quia Deus ſupponitur remittere obligationem intuitu operis melioris, & magis ipſi complacentis: homo autem non meritò ſupponitur eſſe contentus, ſi pro opere ſibi utili magis in ſe honeſtum præſtetur.

Dixi: *Etiamſi id Lege nullam culpam Theologicam inducente prohibitum ſit*: quia tunc ſine ſalutis diſpendio juramentum adhuc ſervari poteſt, cujuſmodi caſus Civili Lege abſque culpa Theologica prohibitos, & juramenti Religione accedente obſervandos, omninò 14. recenſet P. Laym. *lib.* 4. *tract.* 3. *ca.* 6. *a num.* 7. qui hanc regulam cognoſcendi, utrum Lex Civilis culpam Theologicam inducat, nec ne, ex communi doctrina ſubjungit: nempè quòd Leges prohibentes, vel infirmantes aliquam promiſſionem, ſeu pactionem, quarum finis proximus eſt commodum ipſorum paciſcentium, aut promittentium, ne detrimentum patiantur, non obligent ſub culpa, obligent verò, ſi finis proximus ſit commune bonum, vel alterius, quàm paciſcentis, aut promittentis.

Dicendum 5. Juramentum de re non ita intrinſecè inhoneſta, quin accedente certo fine, & cauſa, cohoneſtari poſſit, in alterius commodum, & utilitatem editum (excepto eo, quod eſt de matrimonii actuali contractu, propter metum injuſtum inito, & hoc ipſo irrito) obſtringere jurantem, licèt ab altero, cui factum eſt, injuſtè res jurata acceptetur, & per injuriam, aut metum injuſtum, aut dolum non inductivum erroris ſubſtantialis, ſed tantùm accidentalis, extortum ſit. Hinc quando *in cap. Cùm contingat de Iurejurando, & cap. 2. de Pactis in 6.* dicitur: Juramentum, quod nec vi, nec dolo, præſtitum eſt ſponte, omninò ſervandum eſſe, per hoc non indicatur oppoſitum, quòd vi, aut dolo expreſſum, non ſervandum ſit, ſed tantùm, ut expreſsè dicitur *in cap. ſi verò, & cap. Verum, de Iurejurando*, & à S. Thoma 2.2. q. 98. *art.* 3. *ad* 1. quòd tunc faciliùs ſit relaxandum, vel ab eo, cui factum eſt, vel à Judice, ac legitimo magiſtratu, apud quem contra jurantem actio inſtitui non poteſt de ſervando juramento, ſicut in aliis contractibus, qui aliàs ſecundùm Jus Civile de ſe invalidi, juramenti acceſſione ſæpè firmantur, niſi ex parte acceptantis, vel exigentis juramentum, cujuſmodi turpitudo, aut iniquitas interveniat. 61

Concluſio quoad omnes partes eſt communis AA. ut videre eſt apud Laym. *lib.* 4. *tract.* 3. *c.* 7. Probatur eadem ratione, qua prior concluſio, quia omne juramentum editum in alterius gratiam ſervandum eſt, ſi ſine propriæ ſalutis diſpendio ſervari poteſt: ſed juramentum dicto modo præſtitum ſine propriæ ſalutis diſpendio ſervari poteſt: ergo &c.

Hinc colligitur 1. Juramentum ſolvendi uſuras injuſto mutuatori parere obligationem, ut habetur *in cap. Debitores de Iurejurando*. 62

Colligitur 2. Teneri pecunias ſolvere latroni, qui eas daturum ſe, metu coactus, promiſit cum juramento. Ut expreſſum eſt *in cap. ſi vero de Iurejurando, & cap. ad audientiam de iis, quæ vi*. Etiamſi enim in neutro caſu alter acquirat jus firmum ad accipiendum, jurans tamen acquirit obligationem Religionis ad dandum; quia ſolutio non eſt res inhoneſta, aliàs juramentum fuiſſet illicitum, etiamſi factum ſit in neceſſitate, quod nemo dicit. Facta tamen ſolutione (ſi jurans non priùs petivit à Judice juramenti relaxationem, alteri parti imponendam, vel ea invita concedendam) non prohibetur quis juramenti Religione, ut in utroque caſu coram Judice repetat injuſtè acceptatam ſolutionem. Quòd ſi etiam juravit, ſe illam in judicio non repetiturum, permiſſum eſt ei adhuc de crimine alterum accuſare ad vindictam, & punitionem: ſi inſuper illud juramento ſibi interdixit, poterit tamen denuntiare, & reſtitutionem alteri imperatam acceptare.

Colligitur 3. Id, quod contra multos ex poſito, & ab ipſis conceſſo fundamento, rectè deducitur à Laym. & pluribus aliis: juramentum redeundi ad carcerem, tyranno, vel latroni injuſto detentori præſtitum, etiam cum certo vitæ periculo obligare ad reditum: cùm enim juramentum non fuerit illicitum, propriæ vitæ expoſitio debuit fuiſſe amore Fidelitatis, & Religionis cohoneſtabilis, & ſic ſub obligatione juramenti promiſſibilis. Imò, ut notat Tannerus *tom.* 3. *diſput.* 5. *num.* 17. *ex Valent. pun.* 3. Quamvis Juramentum Chriſtiani, quo ſe turcis obligavit ad redeundum in captivitatem, poſſet propter vim injuſtè illatam, per ſe loquendo, remitti, communiter tamen ob ſcandalum, & probrum Chriſtianæ Religionis, aliaque majora mala devitanda, id neque ſolet fieri, neque licet.

Colligitur 4. Qui juravit ſe daturum alteri lapillum, quem ſcivit eſſe pretioſam gemmam, obligari ad dandum, etiamſi per errorem putaverit, alterum eſſe pauperem, idque dolo fortè ſimulaverit, modò donans ſublevationem pauperis non intenderit, ut finem, ſed reſpexerit ad illam tanquam ad removens prohibens, eò quòd diviti noluiſſet talem liberalitatem exhibere. Ratio eſt, quia iſte eſt error tantùm accidentalis, ſubſtantialis ve- 63

lis verò eſſet, ſi promittens lapillum neſcivlſſet eſſe gemmam; vel ſi donatio fuiſſet intenta, ut formalis ſublevatio paupertatis. In ſimilibus tamen caſibus attendenda eſt intentio jurantis; ſi enim circumſtantia aliqua, circa quam jurans errore deceptus fuit, habuerit ſe per modum conditionis principaliter intentæ, ſub qua cum juramento aliquid promiſſum eſt, tunc ſicuti promiſſio eſt tantùm virtualiter, aut formaliter conditionata, ita juramentum non aliter, quàm ſub conditione obligabat; adeòque conditione illa non poſita, ut putabatur, nulla erit obligatio.

§. II.

Quæ conditiones in Promiſſorio Juramento tacitè ſubintelligantur, obligationem impedientes?

SUMMARIUM.

64 *Omne Juramentum ſequitur naturam actus, ſuper quem cadit. Explicatur hac Regula.*

65 *In omni actu jurato ſubintelligitur hac conditio.* Si potuero licitè.

66 *Eaſdem Conditiones, quas Votum DEO factum, aut promiſsio homini facta involvit, ut obliget, vel non obliget, etiam involvit Juramentum adjectum.*

67 *Juramentum non ſe extendit ultra promiſsionem, quæ per ipſum confirmatur, & pari modo interpretandum eſt.*

68 *Sicut notabiliter mutatis circumſtantiis ceſſat obligatio promiſsionis, ita etiam obligatio Juramenti.*

64 Etiamſi Juramentum quoad explicitam formam ſit abſolutum, implicitè tamen ſemper certas conditiones, quaſi ex natura rei adjectas continet, ſicut docet Gloſſa, & Abbas *in cap. quemadmodum de Jureiurando*, & DD. communiter. Ejuſmodi autem Conditiones omnes ferè ex ſequenti regula deducuntur: regula autem eſt hęc: *Omne Juramentum ſequitur naturam actus, ſuper quem cadit*, & cujus obligationem confirmat, eam non extendendo, ſed intendendo adjecta nova obligatione, proveniente ex titulo Religionis, ipſi titulo fidelitatis ſuperaddito. Cùm enim Juramentum ſit acceſſorium actui promiſſionis, aut propoſiti, ideò valet hic recepta Juris Regula 42. *in 6. Acceſſorium naturam ſequi, congruit principalis.*

Neque obſtat, actum de ſe invalidum Juramenti acceſſione ſæpè convaleſcere, ſi non ſit invalidus jure naturali, ſed tantùm poſitivo, & non in publicam utilitatem, ſed tantùm privatam contrahentis contractum invalidante, ut habetur *in cap. cum contingat de Iurejurando, cap. licet mulieres eodem tit. in 6. & cap. Quamvis pactum de pactis in eodem libro.* E.g. aſſerunt AA. valdè communiter contractum Minoris ſine Tutoris auctoritate celebratum accedente Juramento fieri validum, ut dicitur *in Authent. Sacramenta puberum Cod. Si adverſus venditionem.* Mutuationem filiifamilias, Fidejuſſionem mulieris, Renuntiationem filiæ de non ſuccedendo, Alienationem fundi dotalis &c. acceſſione juramenti confirmari. Undè tale juramentum confirmativum dicitur, & transfundere jus in eum, cui fit juramentum (modò is in contractu ſuo nullam turpitudinem, id eſt, iniquitatem committat quia Leges Civiles in favorem, & reverentiam juramenti ita conſtituerunt, quod proindè jus impedit, ne juramentum ab alio, quàm ab ipſo, cui jus acquiſitum eſt, relaxari poſſit, & facit, ut hæredes jurantis non quidem virtute Religionis, ſed Juſtitiæ etiam obligentur ad illi ſatisfaciendum (quo ſenſu juramentum dicitur ad hæredes tranſire) non, inquam, hoc obſtat, quò minùs juramentum dicatur ſequi naturam actus, ſuper quem cadit: partim quia etiam oppoſita ſententia nobis quidem contraria, eſt probabilis, ſcilicet nullum contractum jure invalidum firmari juramento, ut plures docent apud Sanchez *lib. 3. in Decal. c. 12. a num.* 8. quam ſententiam ſequitur Tamb. *lib. 3. in Decal. cap.* 3. §. 6. & probabilem dicit Suar. *tom. 2. de Relig. l. 2. de Juram. c. 29. num.* 1. in eamque inclinat Palao *par. 3. d. 2. pun.* 9. §. 3. ubi ſolam Alienationem dotis, & Renuntiationem Legitimæ jure poſitivo invalidum concedit, juramento validari: partim quia ut cit. Palao *punct.* 14. ex Covar. docet: axiomatis hujus ſenſus eſt, quòd juramentum ſequatur naturam actus quoad Valorem illius Intrinſecum, id eſt, quoad omnes reſtrictiones, & conditiones, quas propoſitum, vel promiſſio ex jure, vel ex recepta conſuetudine cenſetur in ſe continere, licèt per accidens, & extrinſecè actus quidam per leges Civiles invalidentur, & per alias acceſſione juramenti iterum confirmentur.

Opponi tamen poſſet prædictæ Regulæ *cap. commiſſum de Sponſalibus.* Ubi licet Sponſalia de futuro includant hanc conditionem: *Niſi ingreſſus fuero Religionem*: & conſequenter non obligent abſolutè, neque impediant liberum ingreſſum Religionis, Pontifex tamen de eo, qui Sponſalia confirmavit juramento, intra biennium contrahendi Matrimonium de præſenti, reſpondit: *Tutius eſt ei (religione juramenti ſervata) prius contrahere, & poſtea, ſi elegerit, ad Religionem migrare, ſi tamen poſt deſponſationem copula non cognoſcitur interveniſſe carnalis.* Reſpondetur dictum Sponſum nondum omninò firmiter conſtituiſſe, Religionem ingredi, ut patet ex verbis: *ſi elegerit*: interea tamen terminum Biennii Juramento præfixum appropinquaſſe ad finem: propterea reſpondit Pontifex, tutius eſſe, priùs contrahere, ne ſi deinde non elegiſſet Religionem, prævaricatorem juramenti ſe conſtituiſſet, cùm tamen expleto juramento adhuc trimeſtre pro deliberatione concedatur, ut poſſit Religionem eligere. Ita reſpondent Innocentius, Covar. Caniſius, Baſilius Legianenſis apud Palao *pun. 6. num.* 5.

65 Ex allata Regula infertur; Juramento cuivis appoſitam eſſe hanc conditionem, quæ cuivis promiſſioni adjecta eſt: *Si potuero, & quidem licitè.* Ratione impotentiæ enim excuſatur quis ab obligatione vel totius rei juratæ, ſi eſt individua, aut ſi datur omnimoda impotentia, vel ſaltem excuſatur à parte rei præſtandæ, ſi res diviſibilis eſt, & ſi tantùm quoad partem detur impotentia; tunc enim locum habet *Regul. Juris 37. in 6. Utile per inutile non vitiatur.* Hinc qui juravit ſe daturum 100. flor. pauperibus, ſi non omnes poteſt dare, debet ſaltem, quot poteſt, dare.

66 Infertur 2. Quòd, ſicuti omnis promiſſio eſt virtualiter conditionata, ut obliget, ſi non diſpenſetur, vel non commutetur à Superiore, aut propria auctoritate non in melius convertatur, quando DEO eſt facta, non in utilitatem certi hominis, aut ſi ab homine, quando illi principaliter facta eſt, non remittatur, aut niſi iſte pridem fidem ſuę promiſſionis, etiam non intuitu juramenti promiſſivi factæ, fregerit, aut niſi gravis ingratitudinis crimen admiſerit (ſcilicet de capitali crimine te accuſaverit, vel de quo, ſi probaretur, penderet major pars tuorum bonorum, aut fama, aut ſi te percutere tentaverit, aut magnum in bonis tuis damnum intulerit, aut tuam mortem captaverit) ſic etiam juramentum ſolùm ſub iiſdem conditionibus obligationem pariat. Hinc ſi promiſſio DEO præſtita, ſeu votum juratum, à Superiore diſpenſetur, hoc ipſo tollitur obligatio etiam ipſius juramenti, & ſi in congreſſu alter honoratiorem locum tibi priùs cum juramento eum recuſanti denuo offerat, tollitur obligatio juramenti; quia is promiſſionem, vel non acceptat, vel remittit. Pariter ſi duo ſponſalia jurata contraxerunt, mutuo conſenſu promiſſionem ſibi remittentes, etiam ab obligatione juramenti ſunt liberi.

67 Infertur 3. Juramentum præſtitum circa materiam Juris interpretandum eſſe ſecundùm limites Juris, neque ultrà extendendum, ſicuti non extenditur ultrà ipſe actus promiſſionis, cui adjectum eſt. Iſtud corollarium variis exemplis declarari ſolet, v.g. ſi Clericus juravit Reſidentiam, poteſt tamen abeſſe in Caſibus Jure exceptis. Qui Capitulo, vel Concilio juravit ſecretum, non magis tenetur ſervare, quàm materia exigat, ita ut ſi multum interſit ſervari, ejus violatio ſit grave peccatum contra Religionem, ſi parum, leve, ſi nihil, nullum ſit peccatum. Qui juravit, ſe pariturum mandatis Eccleſiæ, vel Judicis, Jure ipſi conceſſum eſt, etiam à lata ſententia appellare. Miniſtri publici, & Mercatores, jurantes, ſe contentos fore ſtipendio, vel pretio per legem taxato, non tenentur ampliùs, ſi taxatio injuſta fuerit. Qui jurat aliquid, ſub disjunctione præſtandum, ſatisfacit juramento per alterutrum, quod eligere voluerit; hinc

hinc emittens juramentum, ſe ſtaturum arbitri ſententia ſub certa pœna, vel ſervaturum legem, pœnalem, non obligantem ſub culpa Theologica, poteſt pœnam ſolvere, & ſtatutum aut legem tranſgredi ſalvo juramento. Jurans non expellere conductorem domns, vel agri, poteſt illum expellere, ſi biennio conductionis penſionem non ſolverit.

68 Infertur 4. Sicut in quovis actu promiſſionis, ſic etiam in juramento illi adiecto, implicitè contineri hanc conditionem: ſcilicet: *ſi circumſtantiæ objecti non notabiliter mutentur*: propter harum enim mutationem notabilem (cujus quidem certa regula alia dari non poteſt, quàm prudens rerum æſtimatio) cenſetur obiectum quaſi aliud fieri, ita ut ad illud intentio jurantis non ſupponatur ſe extendere. Quòd iterum pluribus exemplis explicatur. Sponſus poſt jurata ſponſalia poteſt reſilire propter ſubſequentem fornicationem cum alio, aut propter gravem deformationen ſponſæ. Jurans non nocere inimico, deobligatur, ſi de novo graviter ab eo ſit offenſus. Jurans ſe non alienaturum Bona Eccleſiæ, oborta neceſſitate & utilitate ſolvitur juramento. Jurans ſe caſtigaturum filium, aut ſervum, poteſt parcere, ſi veniam roget, aut ſe emendaverit. Jurans ſe honoris cauſa non præceſſurum, ad alterius pertinacem inſtantiam poteſt tandem præcedere, aliàs etiam inſtans, & urgens peccaret peccato ſcandali: pro quo exemplo Tannerus *to. 3. diſp. 5. n. 16.* refert etiam Cajetanum, Sotum, Armillam: Notans etiam aliam rationem agendi contra Juramentum, quia ſcilicet alter, in cujus honorem & gratiam eſt editum, inſtando, vel non acceptando præcedentiam, illud relaxat.

ARTICULUS V.

Quot modis juramenti obligatio tolli poſſit?

SUMMARIUM.

69 *Obligatio Iuramenti 4. modis tolli poteſt. Irritatione, Diſpenſatione, Relaxatione, & Commutatione. Explicantur ſinguli: deinde declaratur, quibus & in ordine ad quæ Iuramenta competat poteſtas irritandi.*

70 *Poteſtas diſpenſandi & commutandi Iuramenta, non edita in utilitatem hominis, vel Communitatis, competit omni ei, qui habet poteſtatem ordinariam, vel delegatam, diſpenſandi, & commutandi Vota.*

71 *Iuramenta promiſſoria edita in utilitatem hominis, vel communitatis, tolli poſſunt ſolùm per Relaxatione, directè & per ſe competentem ei, in cujus utilitatem ſunt edita: Per accidens autem, & propter certas cauſas, etiam Papæ vel Epiſcopo.*

72 *Iuramentum editum quidem in utilitatem alterius, ſed abſque promiſſione, vel cum promiſſione Iure poſitivo invalida, nec per Iuramentum convaleſcente, poteſt ſummus Pontifex vel Epiſcopus relaxari poteſtate ordinaria.*

73 *Iuramentum ſine promiſſione in utilitatem hominis determinati editum non poteſt quidem directè relaxari, poteſt tamen indirectè per non acceptationem rei promiſſæ.*

74 *In propiam artem utilitatem editum Iuramentum non perinde poteſt Iurans ſibi ipſi remittere.*

69 QUatuor communiter recenſentur. Irritatio, Diſpenſatio, Relaxatio, & Commutatio. Irritatio eſt actus poteſtatis dominativæ, qua impeditur obligatio à ſubdito contracta, tanquam præjudicans dominio Superioris. Diſpenſatio eſt actus Juriſdictionis, quo obligatio operis, principaliter in honorem DEI præſtandi, ſive præjudicio alterius dominii contracta penitus extinguitur: à qua Relaxatio in hoc ſolummodo differt, quòd ſit operis præſtandi in utilitatem hominis, vel Communitatis ab his ipſis facta remiſſio.

Commutatio eſt actus Juriſdictionis, qua obligatio alicujus mutatur in æquivalens. Circa hos 4. modos aliquot concluſiones ponendæ ſunt.

Dicendum primò de Jrritatione. Illis, quorum voluntas ſimpliciter, & quoad omnia, Superioris poteſtati ſubjecta eſt, v. g. voluntas Religioſorum (non autem novitiorum) poteſtati; & liberorum impuberum poteſtati parentum, aut tutorum, poſſunt omnia juramenta ab ejuſmodi Superiore irritari, excepto eo in Religioſus, quod adiicieretur voto tranſeundi ad Ordinem ſtrictiorem, vel votis propriæ Religionis. Is verò, quorum voluntas tantùm ſecundùm quid, & in certa materia ſubdita eſt, poteſt irritari juramentum editum circa eam materiam, circa quam datur ſubjectio v. g. à marito poteſt irritari juramentum uxoris, & à domino juramentum ſervi circa bona fortunæ, vel corporis, quatenus illud præjudicat eorum poteſtati, nimirum quatenus eſt editum, ipſis inſciis, circa materiam ſubjectam. Ratio eſt; quia omne juramentum hoc ipſo, quòd ſequatur naturam promiſſionis, eſt conditionatum, ſi ſcilicet ſalvo jure Superioris ſervare poſſit: ergo deficiente conditione, nempe conſenſu ſeu ratificatione Superioris, nullum eſt, & irritum, ſive in honorem DEI, ſive in utilitatem hominis ſit editum. Plura ad hanc concluſionem ſpectantia dicam in ſequenti Quæſtione de Voto.

70 Dicendum ſecundò de Commutatione ac Diſpenſatione. Qualem enim ac quantam poteſtatem quis habet diſpenſandi vel commutandi Vota, talem ac tantam (ſaltem non minorem) etiam habet diſpenſandi aut commutandi Juramenta, non directè in hominis utilitatem cedentia, & ab illo acceptata, ſive ſint adjecta voto, adeoque eorum obligatio ſit tantùm acceſſoria, ſive ſint adjecta ſimplici propoſito, adeoque obligatio ſit ſola, & per ſe ſtans. Concluſio quoad eos, qui habent poteſtatem ordinariam circa vota, ut ſummus Pont. in tota Eccleſia, Epiſcopus in ſua Diœceſi exceptis votis reſervatis, ex DD. conſenſu eſt certa, quoad eos verò, qui habent tantùm poteſtatem delegatam, licèt Thomas Sanchez, Leſſius, Tannerus, & plures alii, aliter, vel cum diſtinctione loquantur, conceditur à Suar. *to. 2. de Relig. tract. de voto l. 6. c. 14.* Ludovico Lopez *part. 2.* Inſtructorii de Clavibus *cap. 9.* Aragonio *2. 2. q. 89. a. 9.* Dicaſtillo *tr. de Iuram. diſp. 4. n. 86.* item ab Emanuele Saa *Verbo Votum de Voti irritatione n. 16.* Baſilio Legionenſi *lib. 8. de Matr. cap. 11. àn. 4.* Laymann. *libro 4. tract. 3. cap. 11. num. 8.* Henriq. *lib. 7. cap. 30. num. 5.* Coninck. *tom. 2. diſp. 33. dub. 2. n. 17.* Franciſco, Bardi, *de Bulla Cruciata part 2 tr. 7. c. 1. ſect. 10.* Tamb. *lib. 3. c. 7. §. 4. num. 4.* Sayro *in Clav. Reg. lib. 5. c. 8. n. 9.* aſſentiuntur ut probabili Leſſius *lib. 2. cap. 42. num. 59.* Tannerus *tom. 3. diſp. 5. num. 36.* Thomas Sanchez *in ſumma lib. 4. c. 53. n. 20.*

De Diſpenſatione aut Commutatione Juramenti appoſiti Voto, patet ex ſupra dictis: de Juramento autem per ſe ſtante probatur. Quia Votum, ac Juramentum pium, & per ſe ſtans, in Jure, & apud DD. æquiparantur, & licèt utrumque inducat obligationem Religionis erga Deum, tamen juxta Communem doctrinam ex S. Thom. *2. 2. q. 89. art. 8.* deſumptam, minor eſt obligatio Juramenti, quàm Voti, licèt utraque ſit gravis; quia in Voto frangitur fides Deo, in Juramento autem non frangitur Deo, ſed tantùm obligatio ex reverentia erga Deum inducta violatur. Gravius autem eſt, non ſervare fidem v. gr. Regi, quàm alteri homini etiamſi illa firmata ſit auctoritate Regis: ergo, ut etiam infert Angel Doctor *l. c. a. 9. in argumento ſed contra*, poteſtas, quam quis habet circa Diſpenſationem & commutationem Votorum, cùm ſit obligationis majoris, ſed tamen ejuſdem generis, & quoad æſtimationem hominum ferè ejuſdem rationis, ſe extendit etiam ad Diſpenſationem, & commutationem Juramentorum, quam licèt Gregorius XIII. in privilegio noſtræ ſocietati conceſſo ſpecialiter extenderit ad Juramenta adjecta votis, ſolùm fecit majoris ſecuritatis gratia ad omnem controverſiam tollendam.

Dixi: *Saltem non minorem*; Nam Sanchez *lib. 3. de matrimonio diſ. 13.* & *l. 3. Moral. c. 19. n. 7.* aliique apud hunc relati teſte Laym. *lib. 4. tr. 3. c. 11. num. 4.* docent, eſſe majorem, & potentes diſpenſare, vel commutare uota non reſeruata Papæ, poſſe diſpenſare, uel commutare Juramenta per ſe ſtantia, edita circa illam materiam, cujus Votum aliàs eſſet reſeruatum Papæ: eo quòd reſeruatio ſit odioſa, proinde cùm reſeruatio uoti ſit ſaltem ſpecie diuerſa à reſeruatione Juramenti, & illa ſit majoris obligationis, quàm iſta, inquit, reſer-

va-

vationem voti non trahere reſervationem juramenti per ſe ſtantis, ſicut tamen poteſtas diſpenſandi,& commutandi vota includit poteſtatem diſpenſandi, & commutandi juramenta. Cui diſcurſui, quem Tamb.*lib.3.ca.7.§.3.nu.7.* probabilem, & tutum dicit, tamen opponitur à Laym. conſuetudo Eccleſiæ, & Juris, vota, & Juramenta quoad omnia ferè æquiparantis.

71 Dicendum tertiò circa relaxationem. Juramentum promiſſionis validæ erga hominem poſt acceptationem, per ſe loquendo, ab eo ſolùm relaxari poteſt, cui factum eſt. Per accidens verò ſcilicet propter bonum commune, vel delictum hominis, cui juratum eſt, vel injuſtum metum, aut injuriam juranti illatam, aut incertitudinem, utrùm res jurata ſit licita, etiam à Papa, vel Epiſcopo poteſt relaxari. Ratio primæ partis eſt; quia per promiſſionem ſibi factam homo acquirit jus ad rem juratam, quo abſque juſta cauſa ſpoliari non debet.

Ratio ſecundæ partis eſt: quia bonum privatum debet cedere bono communi: ergo ab illo, cujus eſt procurare bonum commune, & qui etiam in foro interno Juriſdictionem habet, poteſt relaxari Juramentum, quæ poteſtas maximè ad Pontificem tanquam ſupremum dominum ſpectat, & in certis etiam caſibus Epiſcopo conceditur.

Ratio tertiæ partis eſt: quia, ſicut crimen poteſt pœna pecuniaria plecti, ſic pœnæ loco poteſt ademptio juris crimine acquiſiti infligi.

Ratio quartæ partis eſt: quia Juramenti per metum injuſtum, aut per injuriam extorti obligationem Deus libenter creditur remittere: ergo Epiſcopus Dei locum agens poteſt tale Juramentum relaxare: quam poteſtatem ſaltem indirectè relaxandi Juramentum, remittendo ſcilicet rem juratam, quoad hanc, & priorem partem concluſionis, probabilis ſententia concedit etiam Judici ſæculari.

Ratio ultimæ partis iterum in Epiſcoporum officio fundatur, quorum eſt declarare, quid licitum, & quid illicitum ſit.

72 Dicendum 4. Juramentum principaliter in hominis utilitatem editum cum promiſſione, non quidem ex natura ſua, ſed Jure poſitivo irrita, nec per Juramentum convaleſcente, vel abſque omni promiſſione, poteſt ab Epiſcopo, vel Prælato, poteſtate ordinaria relaxari, non obſtante, quòd promiſſio, cujus naturam ſequitur Juramentum, ſecluſo Jure poſitivo, eſſet valida; & propterea Juramentum relaxatione indigeat.

Primam partem concluſionis AA. *ex cap.1. & cap. debitores de Jurejurando* indubitanter deducunt. Eadem ulteriùs, ſicut & ſecunda pars, quæ etiam communior eſt, probatur. Quando præcisè datur obligatio Religionis, ſine obligatione Juſtitiæ, in Jure alterius fundata, Epiſcopus poteſt ex Juſta cauſa illam remittere: quia agit perſonam Dei, facilè remittentis obligationem, urgente juſta cauſa: ſed ex Juramento nulli promiſſioni, vel non validæ, adjecto præcisè oritur obligatio Religionis, & illa poteſtas implorandi Judicem Eccleſiaſticum (ad cujus tribunal pertinet obligatio voti, & Juramenti per ſe ſtantis, teſte Laym.*lib 4.tra.3.c.11.num.10.*) ut Jurans ad executionem ſui Juramenti compellatur, in qua adverſarii fundant ſuam opinionem contrariam, nullum arguit jus, niſi præcisè denunciandi, quod quilibet alius homo facere poſſet, in cujus utilitatem non fuit emiſſum Juramentum: Ergo Epiſcopus poteſt obligationem hujus Juramenti remittere: imò etiam quemcunque alium, qui habet poteſtatem delegatam diſpenſandi in votis, poſſe quoque relaxare hujuſmodi Juramentum, docet Tamb. *lib.3. in Decal. c.7.§.2.num.11.* item Ledeſma, Rodriquez, Eman. Saa apud Palao *p.3.diſp.3.pun.7.num.9.* qui hanc opinionem probabilem judicat, licèt oppoſitam judicet longè probabiliorem, eò quòd Juramentum in hominis utilitatem editum, poſt acceptationem illius, licèt ſit per ſe ſtans, nullum gignens jus, non ampliùs æquiparetur voto; ut etiam docet Laym.*l.4.tract.3.c.11.num.8.* Undè ambo AA. citati ajunt, materiam talis Juramenti non poſſe arbitrio jurantis in meliorem mutari, ſicut poſſunt mutari vota, & alia Juramenta pia.

73 Dicendum quintò. Juramentum editum in utilitatem hominis determinati, ſive principaliter ſpectetur utilitas hominis, ſive honor Dei, etiam nulla promiſſione interveniente, poteſt relaxari ab homine, ſi nolit rem juratam acceptare. Ita Laym. Palao, Tamb. & alii. Ratio eſt: quia omne juramentum in hominis utilitatem editum eſt conditionatum, neque enim jurans invito vult obtrudere beneficium; ergo ſi alter nolit acceptare, Juramenti obligatio ceſſat.

Dixi 1. *In utilitatem hominis determinati:* Nam ſi Juramentum ſit editum in utilitatem hominis indeterminati v.g. ſi quis juret, ſe in honorem Dei alicui pauperi daturum eleemoſynam, non propterea tollitur obligatio Juramenti. Ratio hujus non quidem rectè aſſignatur à Tãb. *l.3.c.17.§.2.* quòd ideò non poſſit ullus pauper remittere obligationem Juramenti: quia per Juramentum editum in utilitatem hominis indeterminati nullum acquirit jus in rem juratam; nam hæc ratio probaret, quòd neque poſſet relaxari Juramentum editum in utilitatem hominis determinati, ſi illud nulli promiſſioni eſſet adjectum, ſed eſſet per ſe ſtans. Melior ergo ratio eſt, quòd quia Juramentum vergit in utilitatem hominis indeterminati, ideò non dependeat ab acceptatione determinati hominis, tanquam à conditione ad obligationem requiſita, ſed ſufficiat, ſi ab aliquo homine acceptetur.

Dixi 2. *Si nolit rem juratam acceptare:* Nam ſi paratus ſit acceptare, non poteſt obligationem Juramenti directè remittere, ut rectè docet Palao, & hoc unicè probat etiam ratio Tamb. quia per voluntatem acceptandi impletur conditio, ſub qua antè diximus, quòd Juramentum cenſeatur editum.

Dicendum ſextò. Contra Tamb. *loc. cit.* Edens Juramentum principaliter in ſuam utilitatem, non poteſt per- 74
inde illud ſibi ipſi remittere, ſicut poteſt alius remittere ipſi, ſi in illius utilitatem ſit emiſſum, Prob. Vel enim res jurata eſt inhoneſta, aut indifferens, ut ſi quis mercator juret, ſe nolle dare mercem pretio viliore, & tunc Juramentum non eget relaxatione, cùm aliàs non obliget: vel eſt res honeſta, & tunc nego jurantem poſſe ſibi remittere Juramentum: ſi v.g. juravit, dare eleemoſynam pro aliqua gratia à Deo ſibi impetranda: quia Juramenta ſunt quidem conditionata, ſi in alterius utilitatem emittantur, cui invito nemo videtur velle obtrudere beneficium juratum: ſed dicere, quòd etiam ſint conditionata in propriam utilitatem edita, eſt illa facere nugatoria: veluti ſi jurans diceret: teſtor Deum, me hoc in utilitatem meam facturum, niſi poſtea nolens voluntatem meam immutem: quod eſt contra finem Juramenti: quia ejus emiſſione quivis vult ſtabilire ſuam voluntatem, ut propter Juramentum non liceat ſibi pro libitu ſuo velle oppoſitum. Si tamen finis ille deficeret, & res jurata deſineret eſſe utilis, vel ſi oppoſitum eſſet utilius, tunc & ego conſentirem Palao *diſp.2. punct.9. §.7. num. 4.* referenti Sanchezium, & Antonium Gomez, quòd ſcilicet obligatio Juramenti ſe ipſa deſinat, eò quòd ſub hac conditione Juramentum videatur fuiſſe emiſſum: *Si ſcilicet ejus executio ſit utilis ad finem intentum, vel omiſſio non ſit utilior.*

QUÆSTIO III.

De Cultu Religionis, qui Deo exhibetur per Votum,

ARTICULUS I.

Definitio Voti.

Communiter ex S. Thom. 2.2.q.88.ar.1. definitur votum, quòd ſit *Promiſſio libera facta Deo de meliori bono.* Hujus definitionis partes variis §§. ſunt declarandæ.

§. I.

An ad Rationem Voti requiratur voluntas ſe obligandi?

SUMMARIUM.

75 *Ad votum requiritur voluntas ſe obligandi validum tamen, ſed non licitũ eſt, ſi deſit volũtas illud exequendi.*

Reſp.

75 RESp. affirmativè; ideò enim in definitione primò dicitur, quòd ſit promiſſio: quæ generis loco ponitur, in quo convenit cum promiſſione facta homini. Promiſſio autem eſt æquivalenter duplex actus; quia ſimul eſt propoſitum (niſi animo perverſo edatur) faciendi rem promiſſam, & voluntas Deo ſe ad illam rem obligandi. Solum enim propoſitum non habet vim inducendi obligationem voti, aliàs ſi eſſet circa materiam gravem v. g. liberalem eleemoſynam dandam pauperibus, ingrediendam Religionem &c. ejus intermiſſio eſſet peccatum mortale, quod nemo dicit. Nam licèt Greg. Mag. *in cap. Qui bona* 17. *q.* 1. ita dicat: *Qui bona agunt, ſi meliora agere deliberent, & poſt deliberata non faciunt, licèt in prioribus bonis perſeverent, in conſpectu tamen Dei ceciderunt ex deliberatione*. Hæc tamen verba non ſunt intelligenda de caſu continente culpam, ſed de caſu relinquente perfectionis viam. Præterea dum Innoc. III. *in cap. Conſulti de Regularibus* reſpondet, quòd, qui abſolutè propoſuit aſſumpto habitu regulari vitam mutare, & non tantùm conditionaliter experiri obſervantiam regularem, debeat in propoſito perſeverare; loquitur ibidem de propoſito habente Rationem voti: quia antiquitus aſſumens habitum novitiorum cenſebatur vovere perſeverantiam in Religione: qui mos nunc ſublatus eſt, ut ex Leſſ. advertit Palao *par.* 3. *tract.* 15. *diſp.* 1. *punct.* 2. ubi etiam oſtendit, verba Chriſti Lucæ 9. negantis eum, qui miſit manum ad aratrum, & reſpexerit retrò, aptum eſſe regno Dei, non debere univerſaliter accipi de quocunque bono propoſito, quaſi habeat vim voti: Requiritur etiam ad eſſentiam voti vera, & non tantùm ſimulata voluntas, Deo ſe obligandi ad rem, ſeu omiſſionem rei, ponendam; hinc ſi quis tantùm verbotenus ſine animo ſe obligandi aliquid promitteret, talis non verè, ſed ſolùm apparenter voveret: quòd ſi autem haberet animum ſe obligandi, ſed non exequendi obligationem, verum quidem votum emitteret, ut contra Valentiam teſtante Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 1. *de voto c.* 4. *num.* 3. omnes fatentur: ſed illud emittendo perversè ageret, ideò dixi promiſſionem, *niſi animo perverſo edatur*, eſſe æquivalenter duplicem actum, ita ut niſi etiam adſit propoſitum exequendi rem promiſſam, votum quidem ſit validum, ſed illicitum, graviter, vel leviter, juxta gravitatem, aut levitatem materiæ e. g. ſi quis Ordines majores animo non ſervandi caſtitatem ſuſcipiat, contrahit verum votum caſtitatis graviter obligans; quia voluntaria ſuſceptio ordinis ſacri procedit à volitione ſubiiciendi ſe omnibus oneribus, quæ cognoſcuntur annexa tali ordini; adeòque etiam à promiſſione, ſaltem implicita caſtitatis, quæ ſufficit ad rationem voti: ſed voluntas non ſatisfaciendi huic obligationi, eſt grave peccatum, non tantùm contra caſtitatem, ſed etiam religionem, niſi ſuſcipiens Ordinem ſacrum habuiſſet actum poſitivum, non ſe obligandi obligatione voti; & tunc ſaltem eſſet peccatum mortale contra obedientiam: quia ordinatus ſubeſſet præcepto Eccleſiaſtico ſervandæ caſtitatis, & hoc ipſo etiam peccaret contra Religionem, quia in ſtatu peccati mortalis ſuſciperet ſacrum ordinem.

§. II.

An voluntas ſe obligandi debeat eſſe plenè deliberata.

S V M M A R I V M.

76 *Ad eſſentiam voti requiritur actus, liberè conſentiens in obligationem, ſaltem virtualiter perſeverans.*

77 *Debet autem conſenſus eſſe plenè liber, ea libertate, quæ requiritur, & ſufficit ad peccatum mortale: ſine hac libertate autem nec validè, nec licitè editur.*

76 RESponſio affirmativa indicatur in definitione allata per particulam *Libera*. Quia promiſſio eſt actus, quo quis ſibi quaſi legem ponit, adeòque debet fieri more humano, ac libero libertate ſaltem virtuali, id eſt, ut actus liber perſeveret in ſuo effectu, uti ſi quis liberè priùs decrevit Deo ſe obſtringere, deinde vi illius actus verba profert animo interim ad alia diſtracto, qualis operandi modus etiam ad conficienda Sacramenta ſufficit, atque omnes fatentur; controverſum tamen eſt, quanta libertas ſit neceſſaria.

Ad hoc communiter & rectè reſpondetur, ut vi- 77
dere eſt apud Palao *punct.* 4. eam libertatem ſpectato jure naturali requiri, ac ſufficere, quæ ſufficit, & requiritur ad malitiam peccati mortalis: quòd enim hæc ſufficiat, Prob. 1. Quia videtur per ſe clarum, & habetur expreſsè in Gloſſa *in cap. Mulier* 32. *q.* 2. quòd libertas ſufficiens, ut diabolo devincti ſimus, ſufficiat etiam, ut Deo obſtringamur. 2. Prob. Quia ſi major deliberatio, & circumſtantiarum ponderatio requireretur, plurimùm valori votorum, & fidelitati Deo debitæ præjudicaretur; quia ſemper ferè prætendi poſſent quædam circumſtantiæ, non ſufficienter prævisæ. Quod autem communiter AA. & nominatim Suar. Sanch. Leſſ. Palao, Tamb. Azor. Trull. Buſemb. requirant tantam libertatem, & non ſufficiat minor aliqua, aut ſemiplena, conſtat inde; quia obligatio voti (idem eſt dicendum de obligatione Juramenti) gravis, aut levis, deſumitur tantùm à gravitate, vel levitate materiæ, non autem à majori, vel minori libertate, adeòque æqualis libertas, quæ eſt de eſſentia voti gravis, eſt etiam de eſſentia voti propter parvitatem materiæ levis: ergò cùm obligatio voti ſæpè ſit valdè gravis, & oneroſa, ut patet in votis religionis, meritò requiritur plena libertas, nec ſufficit ſemiplena: cum qua ſi quis votum, licèt invalidum, emittat, peccatur ad ſummum venialiter contra prudentiam, & vix videtur poſſe aſſignari caſus, niſi planè rarus, ut rectè oſtendit Tamb. *lib.* 3. *in decalog. cap.* 3. §. 1. *n.* 3. in quo peccetur mortaliter indeliberata emiſſione voti: quòd enim Sanch. & Suar. dicant, tunc peccari mortaliter, ſi quis ſe exponit periculo tranſgrediendi votum grave, verum hoc in ipſorum etiam principiis eſſe non poteſt, quia fatentur, voto indeliberato nullam induci obligationem, conſequenter non poteſt eſſe periculum ejuſdem tranſgrediendæ, & quòd Palao dicat peccari mortaliter, ſi quis ex ſemiplena advertentia vovendo exponit ſe periculo faciendi rem graviter peccaminoſam, etiam vix, aut rarò videtur contingere: cùm enim ad peccatum mortale requiratur plena advertentia, hoc ipſo votum ex ſemiplena advertentia editum, non erit peccatum mortale, niſi fiat cum plena advertentia ad periculum, & cum ſemiplena ad rem promiſſam graviter peccaminoſam.

§. III.

An voluntas ſe obligandi debeat eſſe libera à metu?

S V M M A R I V M.

78 *Metus levis, etiam ad extorquendum votum incuſſus, & gravis non ad extorquendum votum incuſſus, non impedit libertatem, aut valorem voti.*

79 *Aliis ſententiis præferenda eſt, quæ aſſerit, ſolo metu gravi injuſto extorta vota eſſe Iure non naturali, ſed Eccleſiaſtico, irrita. Probatur prior pars de valore ex iure naturali.*

80 *Idem probatur ſpecialiter de valore ex metu iniuſto.*

81 *Probatur etiam poſterior pars de irritatione Eccleſiæ: & oſtenditur diſparitas inter juramenta, & vota, iniuſto metu extorta.*

DE metu levi, vel non in ordine ad emittendum vo- 78
tum, ſive juſtè ſive injuſtè injecto, conveniunt AA. cum nulla ratione voto obſtare: quia levis metus ob levitatem injuriæ, & violentiæ pro nihilo habetur; gravis autem metus aliundè proveniens, quàm ex intentione voti, non adhibetur, ut medium ad extorquendum votum, & hinc votum non eſt finis illatæ injuriæ, licèt metus ſit injuſtè injectus: ſed votum potiùs ſpontaneè eligitur, tanquam medium ad evitandum imminens malum, quod metuitur, & ideò non habetur ſufficiens cauſa, ut votum propter talem metum Jure naturali, vel poſitivo irritetur. Controverſia ergo eſt tantùm de metu, qui vel juſtè, vel injuſtè incutitur ad extorquendum

dum votum v. g. ſi quis homini gravi ſcelere obſtricto minetur, quòd velit illum deferre ad Judicem, niſi Religionem voveat, eſt metus juſtè incuſſus: quia quivis habet Jus accuſandi delinquentem: ſi autem homini innoxio minetur, quòd velit illum occidere, niſi Religionem voveat, & hæreditatem ſibi tranſcribat, eſt metus iniuſtè incuſſus.

79 Ad hanc controverſiam variæ ſunt reſponſiones, ut videre eſt apud Palao punct. 5. ubi aliqui omnia vota, ſive juſto ſive iniuſto metu extorta, Jure naturæ irrita eſſe volunt. Ita Eman. Rodriq. Ludovicus Lopez, Vega, & probabile judicat Sanchez. Alii hoc ipſum affirmant, ſed ſolùm de metu injuſtè incuſſo. Alii prioribus extremè oppoſiti, negant ullo jure, ſive naturali, ſive poſitivo, vota per metum juſtum, aut iniuſtum irritari: à quorum univerſali ſententia Palao excipit vota Religionis, & votum ejuſdem ingrediendæ. Alii, quorum ſententia eſt omnium communiſſima, & ut arbitror cęteris præferenda, negant quidem vota gravi & injuſto metu extorta jure naturæ irritata eſſe, affirmant tamen eſſe irrita jure Eccleſiaſtico: quod ſic contra priores quoad utrumque membrum, & in primis quoad præcedens probari poteſt. Ut votum jure naturali ſit validum, niſi ob ſuam remiſſibilitatem, ut etiam in contractibus fieri ſolet, Lege poſitiva irritetur, plus non requiritur, quàm ut ſit factum DEO de meliori bono, libertate ſufficiente ad peccatum mortale, ut patet ex dictis: ſed votum extortum metu, ſive juſto, ſiue injuſto (qui non majorem vim habet ad tollendam libertatatem voluntatis, quàm juſtus) eſt factum de meliori bono, ut hic ob omnibus ſupponitur, cum libertate ſufficiente ad mortale: pono enim metum non turbaſſe rationem, ſed uotum fuiſſe deliberatè electum ad euitandum malum, graui ſuo timore impellens voluntatem ad vouendum: ergo uotum quocunque metu extortum eſt jure naturali validum.

80 Confirmo contra eos, qui ſaltem votum injuſto metu expreſſum, jure naturali inualidum putant: ſi enim ſaltem iſtud jure naturæ eſſet inualidum, hoc oriretur ex injuria illata, quod lex naturalis, & Deus, ut auctor naturæ, nolit patrocinari injuriæ: ſed hæc ratio nulla eſt: ergo &c. Min. prob Illata injuria non reddit inualidum juramentum naturali jure, ut ſuperiori quæſtione oſtenſum eſt: ergo neque reddit inualidum votum, cujus obſeruatio non minùs ſpectat ad reuerentiam DEI, quàm obſeruatio juramenti. Neque tamen DEUS propterea patrocinatur injuriæ, quaſi illam approbet: ſed ea ſuppoſita, quam in inferente condignis pœnis vindicabit, acceptat obligationem voti, debito præmio olim remunerandam; niſi Eccleſia Lege poſitiua illud votum irritum efficiat, quam poteſtatem eidem DEUS meritò dedit ad impediendum uiolentiam injuſtam, ſicut dedit irritandi quoſdam contractus e. g. Matrimoniales, & alios, & inualidandi vota Religionis initæ, vel ineundæ, ſecundum pleroſque.

Dices. DEUS non acceptat ſacrificia coacta; ſed ſpontanea: neque ſeruum coactum, ſed ſpontaneum requirit. Deinde metus grauis, ſuperueniens voto, à qualibet obſeruantia voti excuſat: ergo extorquens votum excuſat ab obligatione. Reſp. ad 1. illud nimium probare, quòd ſcilicet etiam metus juſtè, & non ad extorquendum votum incuſſus impediret acceptationem voti. Itaque diſtinguo primum aſſumptum: Deus non acceptat ſacrificia, ſi ſint, coacta ſimpliciter, & omnino involuntaria concedo, ſi tàntùm ſecundùm quid, ut contingit ratione metus, nego. Ad 2. Conced. ant. quia vouens ſupponitur non voluiſſe ſe obligare pro iis circumſtantiis, in quibus ex obſeruatione votorum ſibi graue malum immineret, cujus proinde metus meritò excuſat. Neg. conſ. quia in præſenti controuerſia ſupponitur, quòd vouens verè habuerit uoluntatem ſe obligandi, adeoque attendenda eſt diuerſitas metus, cujus in antec. & conſeq. fit mentio. In antec. enim ponitur metus abſterrens ab obſeruatione voti, in conſeq. verò ponitur impellens ad ſe obligandum per votum, conſequenter prior excuſat, non item poſterior.

81 Prob. nunc etiam 2. membrum noſtræ ſententiæ: quòd omnia vota injuſto metu exorta jure Eccleſiaſtico ſint irrita. Nam *in cap. Perlatum de iis, quæ vi metuve* Pontifex puellam, metu injuſto coactam ad vota religioſa, ab eis liberam pronuntiat. Et Eugenius II. in Synodo General. *cap. Sicut qui monaſteria 2 . q. 1.* coactos ad monaſteria à votis ſuis deobligat, addens rationem: *Quia quod non petunt*, inquit, *non obſervant*. Præterea *in c. Præſens 20. q. 3.* Nicol. Papa Lambertum, à Patre ad monaſticæ vitæ profeſſionem coactum, negat ſub tali violentia ad illam adſtringendū eſſe; *Quod enim*, inquit, *quis non eligit, nec optat, profectò non diligit, quod autem non diligit, facilè contemnit, nullum quippe bonum, niſi voluntarium*. Ex qua ratione etiam patet, Pontificem non præcisè ſupponere votum fictè fuiſſe editum, ſed illud irritare, modò fuerit invitè emiſſum. Licèt autem hæc teſtimonia tantùm præbent vota Religionis, injuſto metu extorta, irrita eſſe, AA. tamen, excepto Suar. Baſil. Leg. & Palao, ob paritatem rationis etiam ad alia extendunt; & meritò hæc mens Eccleſiæ præſumitur, quòd cùm poſſit ejuſmodi vota penitus irritare, ad avertendam injuſtam violentiam, etiam velit. Videatur Leſſ. *l. 2. c. 40. n. 14. & 18.*

Neque obſtat quòd juramenta injuſtè extorta non irritaverit, cùm enim iſta plerumque in utilitatem hominis emittantur, ut quando quis jurat, ſe uſuras, vel pecunias latroni ſoluturum, poteſt injuriam paſſus actione coram Judice ſe indemnem facere; contra DEUM autem nulla conceditur actio ob votum injuſtè ab homine extorum, quare Eccleſia meritò illud initio ſtatim irritavit, ob cujus irritationem particula: *Libera*, in definitione voti poſita, quæ ſpectato iure naturali in ſenſu explicatio fuiſset accipienda, nunc reſtringenda eſt ad libertatem excluſivam non ſolùm neceſſitatis, ſed etiam coactionis, ſive violentiæ, qualis per metum injuſtum infertur, ad extorquendum Votum.

§. IV.

An Voluntas ſe obligandi debeat eſſe libera ab errore.

S U M M A R I U M.

82 *Error, vel ignorantia ejus, quod ſpectat ad ſubſtantiam Voti, & quo cognito, non fuiſſet emiſſum Votum, reddit id ipſum invalidum.*

83 *Ad ſubſtantiam Voti ſpectat ipſa ejus obligatio, & res promiſſa, ejuſque conducentia ad finem intentum.*

84 *Error circa cauſam moralem non irritat votum, ſicut tamen irritat error circa cauſam finalem.*

85 *Error ſubſtantialis irritat votum propter defectum libertatis ſolius, ſed potius propter defectum abſolute verificatæ intentionis.*

Quæritur itaque, an & qualis error impediat promiſſionem liberam. Reſp. Ad 1. certum eſſe, aliquem impedire, quò minus promiſſio ſit libera: quia volitio libera dependet, & dirigitur à cognitione proponente motiua allicientia, & abſterrentia: hinc ſi deſit ſufficiens cognitio, ut præſente errore deeſt, deficit etiam volitio, ſeu promiſſio libera objecti, ſub ratione liberè, & abſolutè volentis tale objectum. 82

Reſp. ergo ad 2. Quando intervenit error, ſive poſitivus, qui eſt judicium falſum, ſive negativus, qui eſt ignorantia, & ſi is verſatur circa aliquid notabile, ſpectans ad ſubſtantiam voti, talis error impedit promiſſionem liberam, ſi autem verſetur circa accidentalem quamdam circumſtantiam, licèt ea cognita votum non emitteretur, non impedit libertatem.

Ad ſubſtantiam autem voti ſpectat in primis obligatio, qui enim ignoraret voto induci obligationem executionis, niſi his habeat voluntatem eo modo vovendi, quo alii vovent, adeoque niſi implicitè ſaltem in obligationem conſentiret (uti, niſi poſitivè conſtet contrarium, ſupponendum eſt conſentire) is votum nullum, & irritum emitteret. Deinde etiam ad ſubſtantiam ſpectat materia voti. Hinc ſi quis neſciret circumſtiam, notabiliter mutantem materiam uoti, is iterum inualidè uoueret e.g. ſi uoueret Religionem Certuſianorū, neſciens ſtatutam ipſi obſeruantiam abſtinendi à car- 83

nibus, vel vovens ad limina Apoſtolorum peregrinationem, putans facilem, & exiguam eò eſſe viam, talis immunis eſſet à voto.

Denique ad ſubſtantiam voti etiam ſpectat finis rei promiſſæ, ad quem ipſa ex intentione voventis ordinatur: quia enim hæc amatur, ut medium ad finem; hinc ſi ad eundem, prout intendebatur, non deſerviat, aut utilis ſit, hoc ipſo mutatur bonitas rei amatæ, & intentæ per promiſſionem, adeoque deficit ipſa promiſſio.

Ob hanc cauſam irritum eſt votum, nullamque obligationem pariens, quo quis vovit dare Petro eleemoſynam ad ſublevandam illius miſeriam, ſi Petrus per errorem putatur eſſe pauper, & indigens eleemoſyna. Vel ſi quis per illam intendebat impetrare ſanitatem alicui amico, qui per errorem credebatur eſſe infirmus.

84 Ex quo colligitur, accidentalem illam circumſtantiam cenſeri in promiſſionibus, & donationibus, qua neque materia, ſeu res promiſſa immutatur, neque finis intentus tollitur (finis enim in contractibus liberalibus ad eorum ſubſtantiam ſpectat) hinc ſi in proximè allato exemplo poneretur, Petrum verè eſſe pauperem, ſed non eſſe amicum voventis, qui ſi hoc ſciviſſet, non voviſſet illi dare eleemoſynam, votum adhuc obligat ad dandam eleemoſynam, quia in tali caſu amicitia Petri eſt tantùm motivum, in genere cauſæ moralis illiciens, & finis eleemoſynæ per hoc, quòd Petrus non ſit amicus, nequaquam tollitur, ſicut tamen tolleretur, ſi non eſſet pauper. Quòd ſi tamen vovens non ſolùm intendiſſet ſublevare Petri inopiam, ſed principaliter etiam, & inſeparabiliter exhibere ſignum mutuæ amicitiæ, tunc ille non teneretur voto: quia amicitia non eſt mutua, Petro non exiſtente amico. Itaque ex intentione voventis potiſſimùm colligi debet, an circumſtantia aliqua ſit præcisè accidentalis, vel an in materiam aut finem voventis redundet, quæ ſi ad finem valde allectivum deſerviat, rationabiliter præſumitur illum finem fuiſſe principaliter etiam intentum, & circumſtantiam non fuiſſe merè accidentalem, e. g. ſi quis puellæ, arbitratus eſſe ſuam cognatam, voveat dare dotem, non obligatur dare, ſi reſciat non eſſe cognatam, quia finis intentus ſupponitur fuiſſe non ſola miſericordia in pauperem, ſed etiam pietas in cognatam, adeoque honeſta elocatio pauperis, non qualiſcunque, ſed cognatæ. Et hoc quod dictum eſt de errore, interveniente in voto, eadem ratione applicari debet errori in juramento promiſſorio intercedente; ut ſuprà inſinuavimus.

Objicitur: Ea libertas juxta priùs dicta ſufficit ad obli-
85 gationem voti, quæ ſufficit ad peccatum mortale: atqui ad peccatum mortale, diabolo hominem obſtringens, non requiritur libertas, ab errore ſubſtantialis independens, quia ſi quis per errorem putat aliquid eſſe peccatum, & id faciat verè peccat: ergo etiam ad votum, DEO hominem obſtringens, non requiritur libertas ab errore ſubſtantiali independens. Reſp. diſting. maj. Ea libertas ſufficit ad obligationem voti, quæ ſufficit ad peccatum mortale, ſi afficiat volitionem, verè & abſolutè intendentem inducere obligationem conced. maj. ſi afficiat volitionem, tantùm conditionatè intendentem inducere obligationem, ſcilicet niſi ipſa volitio dependeat ab errore ſubſtantiali neg. maj. & eodem modo diſting. conſ. ergo etiam ad votum DEO hominem adſtringens non requiritur libertas ab errore ſubſtantiali independens, niſi illa afficiat volitionem præcisè conditionatè intendentem inducere obligationem voti conced. conſ. ſi verò afficiat volitionem præcisè conditionatè intendentem inducere obligationem neg. conſ. Itaque non qualiſcunque volitio libera & inhoneſta obſtringit DEO hominem, ſicut tamen omnis volitio libera, & graviter inhoneſta obſtringit diabolo, ſed debet eſſe volitio libera abſolutè, vel ſub conditione impleta, volens obligationem præſtandi aliquid ad honorem DEI, qualis non eſt volitio ſupponens errorem ſubſtantialem: quia eo interveniente volitio non vult obligationem abſolutè.

§. V.

An Voluntas ſe obligandi, mediatè & radicaliter libera, ſufficiat ad votum.

SUMMARIUM.

86 *Ad votum non ſufficit, ſi actus promiſſionis non ſit immediatè liber, libertate formaliter, vel virtualiter exiſtente.*

87 *Reſpondetur ad rationes contrarias.*

QUæritur: An votum ad promiſſionem liberam ſuf- 86
ficiat, ſi ſit libera in ſua cauſa id eſt ſi quis liberè velit cauſam, determinantem ad actum promiſſionis e. g. ſi quis certò prævideret, quòd in ebrietate eſſet editurus votum dandæ eleemoſynæ, an volitio libera volens ebrietatem, ſufficientem refundat libertatem in ipſum votum, ſeu promiſſionem eleemoſynæ.

Affirmativa videtur iterum probari à paritate. 1. Quia talis libertas ſufficit ad rationem peccati e. g. occiſionis, ſi quis prævideret, quòd in ebrietate eſſet occiſurus ſuum inimicum. 2. Quia liberè ſuſcipiens Ordines majores, quos cognoſcit neceſſariò eſſe connexos cum voto caſtitatis, hoc ipſo cenſetur liberè vovere caſtitatem 3. Quia qui animo omnino diſtracto emittit votum, liberè & validè cenſetur vovere, eò quòd priùs habuerit actum voluntatis liberum, qui in ſuo effectu dicitur adhuc perſeverare.

Reſp. tamen cum Suar. *lib.* 1. *de Voto c.* 10. Sanchez *lib.* 1. *de Mat. diſp.* 8. *n.* 20. Laym. *lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 1. *num.* 4. & hoc teſte communi ſententia, non ſufficere, quòd promiſſio ſit ſolummodo libera in ſua cauſa. Prob. votum debet eſſe promiſſio verè, & non tantùm denominativè libera, formaliter, vel ſaltem virtualiter, intendens operis melioris obligationem: ſed volitio libera ebrietatis, neque formaliter, neque virtualiter intendit obligationem operis melioris; promiſſio verò in ebrietate facta, etſi forſan intendat obligationem, tamen intentio ipſa non eſt verè, & formaliter vel ſaltem virtualiter libera, hoc ipſo, quòd nunquam fuerit actualiter libera omnis autem virtualis perſeverantia libertatis ſupponat actualem præteritam. Ergo promiſſio facta in ebrietate non eſt verum votum.

Ad primam rationem in contrarium nego paritatem: 87
nam licèt actus, quo quis vult ebrietatem, ſive ex præviſione emittendi voti, ſive committendæ necis, non velit directè aut votum, aut occiſionem inimici, neque etiam majorem libertatem in alterutram transfundat, tamen in hoc eſt diſparitas, quòd actus, volens ebrietatem ex præviſione necis inferendæ, jam contrahat inhoneſtatem contra juſtitiam ratione præcepti, quo quis prohibetur ponere cauſam moraliter certò connexam cum interfectione hominis, non autem contrahat obligationem voti, quia ad hoc requiritur, ut obligatio ſit formaliter, vel ſaltem virtualiter, & implicitè volita: hinc licèt in ebrietate interfectio ante moraliter certò præviſa non poneretur, tota tamen malitia peccati formalis jam eſſet commiſſa: è contrario nemo diceret, obligationem voti jam eſſe inductam, ſi in ebrietate votum non poneretur: adeoque quoad actum in ebrietate poſitum in hoc eſt paritas, quòd occiſio hominis ob defectum propriæ libertatis non inducat ſpecialem reatum culpæ, & votum non inducat reatum obligationis: in actu autem decernente ebrietatem in hoc eſt diſparitas, quòd illa jam contineat inhoneſtatem injuſtitiæ, non autem contineat rationem volitionis, explicitè vel implicitè volentis obligationem voti: & ſic ſi res bene conſideretur, non eſt defectus aut diſparitas in libertate, ſed in ratione volitionis ut ſic, quòd volitio ebrietatis ſit quidem ſufficienter libera, ſed non ſit volitio illius objecti, cujus deberet eſſe, ut haberet vim obligandi.

Ad 2. rationem in contrarium aſſigno hanc diſparitatem, quòd volens ſuſcipere ordines cum cognitione præcepti, imponentis obligationem caſtitatis, implicitè ſaltem cenſeatur illam velle ſubire, non autem vel it ſubire obligationem voti, cum ebrietate per ſe non connexi, ſed ſolùm ex imprudentia & indeliberatione emittendi.

Ad 3.

Ad 3. Manifeſta eſt diſparitas: quia qui animo emittendi votum accedit v. g. aram, & pronuntiat verba ſignificantia obligationem mente interim abſtracta ad aliud objectum, cenſetur vi præcedentis actus velle id, quod verba de ſe ſignificant, adeoque prior actus eſt ſaltem virtualiter volitio conditionata obligationis abſolutè contrahendæ, ſi verba ſignificantia promiſſionem fuerint à vovente prolata, talis actus non eſt ille, qui ebrietatem præcedit, quique dictam obligationem ſæpe etiam averſatur.

§. VI.

An Votum ſoli DEO fiat?

S V M M A R I V M.

88 *Votum poteſt fieri ſoli DEO.*
89 *Promiſſio facta ſanctis non eſt Votum, nec cultus Latriæ, ſed Duliæ.*

88 Tertia particula in definitione voti ſuprà poſita ſcilicet: *DEO*, nulla ferè interpretatione indiget: diſtinguitur enim votum à promiſſione humana per hoc, quòd illud ſit promiſſio, tendens ad cultum & atteſtationem Divinæ Excellentiæ (unde ſoli DEO, in rigore loquendo fieri poteſt: ſi verò in quibuſdam vovendi formulis exprimitur etiam nomen Beatiſſimæ Virginis, aut Sancti alicujus, aut nomen ſuſcipientis votum, illis tamen propterea non emittitur votum, quia non fit in cultum & atteſtationem Divinæ cujuſdam Excellentiæ in illis, ſed in ſolo DEO reſidentis. Significatur ergo ſolùm prædicta nominum additione, quòd Sancti in mediatores, teſtes, Patronos adhibeatur, ut DEO offerant, teſtentur, & impetrent fidelem emiſſionem & executionem voti: nomen autem ſuſcipientis votum in formulis Religioſorum ſubinde exprimitur etiam ut teſtis, vel ut Superioris, aut agentis vicem Superioris, cui obedientia DEO devota præſtanda eſt.

89 Ex hoc colligitur, quorundam imperitorum loquendi modum, quo dicunt ſe hoc vel illud voviſſe tali Sancto, iſtum continere ſenſum, quòd votum factum DEO obtulerint in honorem Sancti, ſicuti Orationem Dominicam, vel ſalutationem Angelicam, quæ ad DEUM, & Beatiſſimam Virginem ſolùm diriguntur, ſolemus offerre, & recitare in honorem Sanctorum, quatenus ſcimus hunc cultum Divini Numinis, & ſanctiſſimę ejus Matris, placere etiam Sanctis, quos volumus colere exequendo illorum beneplacitum.

Si verò ſingularis eſſet intentio offerentis, non Deo, ſed Sancto alicui aliquid promittendi ad ipſius ſanctitatem & excellentiam conteſtandam: hæc quidem eſſet vera, & honeſta promiſſio, ſed abuſivè & impropriè votum appellaretur, & ejus violatio non eſſet immediatè contra Religionem & cultum DEO debitum ſeu latriam, ſed eſſet contra duliam ſeu cultum Sanctis debitum.

§. VII.

Quomodo Voluntas ſe obligandi debeat eſſe de meliori bono.

S V M M A R I V M.

90 *Si principalis materia Voti totaliter, vel quoad partem à cæteris realiter, vel juxta intentionem voventis inſeparabilem, ſit quoad ſubſtantiam, vel quoad modum non aggravantem, ſed relevantem, reddita impoſſibilis, non datur obligatio voti.*
91 *Circa materiam honeſtam, & indifferentem, non ordinatam ad finem honeſtum, votum invalidè emittitur.*
92 *Neque valet votum circa materiam honeſtam, ordinatam ad finem inhoneſtum.*
93 *Neque circa materiam honeſtam propter finem merè indifferentem, ſi ad hunc non conducat ratione ſuæ honeſtatis.*

Ultimis particulis in definitione voti poſitis deſignatur materia, circa quam Deus promiſſionem voventis ſolet acceptare; cùm enim votum ſit in reverentiam DEI editum, ad hanc autem pertinere non poſſit, ut fiat opus minùs bonum, omiſſo & excluſo meliore, ideo materia apta voto ſemper debet continere majorem bonitatem, quàm ſit ea, quæ ab ipſa excluditur. Ex quo ſequentes concluſiones deducuntur. 90

Dico 1. Cum illud, quod vel abſolutè, vel reſpectu voventis eſt impoſſibile, hoc ipſo in talibus circumſtantiis, & cum tali reſpectu, non poſſit eſſe bonum, ideo nullum votum poteſt valere, ſi objectum & materia principalis illius totaliter, vel quoad partem à cęteris inſeparabilem, ſit quid impoſſibile quoad ſubſtantiam, vel quoad modum non aggravantem, ſed relevantem objectum promiſſum. Poſui primò. *Objectum & materia principalis*: Nam licèt objectum ſecundarium, & minùs principale ſit poſſibile, tamen non eſt validum votum: quia acceſſorium ſequitur principale. Hinc ſi in privilegio alicujus Sancti voviſti jejunare, & ob infirmitatem non potes ſervare jejunium, etiam non teneris abſtinere à carnibus; quia hanc abſtinentiam non cenſeris voviſſe, niſi in ordine ad jejuninm: item ſi voviſti cilicio indutus ire Romam, peregrinatione Romana reddita impoſſibili, etiam non teneris ferre cilicium, quia hoc tantùm ad iter difficilius reddendum cenſeris voviſſe. Secus ſi voviſſes per ſe, ita ut hoc non haberet rationem objecti acceſſorii, ſed partialis principaliter intenti. Sicut abſtinentia à carnibus partialiter intenditur à Lege jejunii Eccleſiaſtici, & ideo qui excuſatur à jejunio, non hoc ipſo excuſatur ab abſtinentia carnium, quod idem de voto jejunii, ſi foret ſimili modo editum, dicendum eſſet.

Poſui ſecundò: *Vel quoad partem à cæteris inſeparabilem*: Nam ſi ſint ſeparabiles, tunc valet votum quoad eam partem, quæ ſeorſim ſumpta non eſt reddita impoſſibilis: v. g. Voviſti dare 2. florenos pauperibus, vel 2. dies jejunare, & potes tantùm quoad unum florenum, aut diem ſatisfacere voto, teneris. Sicut etiam ſi ex alia ratione, quàm ratione impoſſibilitatis excuſaris quoad unam partem voti, obligaris tamen quoad alteram: ſic ſi conjux inconſulto marito vovit caſtitatem, votum quidem eſt irritum, quatenus eſt præjudicioſum marito, & ideo tenetur reddere debitum petenti, non verò licet ipſi à marito petere. Cęterùm tunc una pars eſt inſeparabilis ab altera, ſi vel juxta intentionem voventis eſt talis, vel ſi non ſolet una ab altera ſeparari, vel ſi ratio bonitatis per votum intenta in illa non ampliùs reperitur: hinc ſi peregrinationem & oblationem templo faciendam intendiſſes indiviſim, ut ad neutrum ſeorſim te voluiſſes obligare, reddita una parte impoſſibili, neque ad alteram tenereris. Si voviſſes recitare unam horam Canonicam, & non poſſes totam recitare neque obligareris recitare mediam, quia partes horæ non ſolent ſeparari, ſicut tamen ſolent ſeparari partes officii totius. Si voviſſes jejunium, & non poſſes abſtinere à carne, neque tenereris una tantùm refectione contentus eſſe: quia ratio jejunii intenta ſine abſtinentia à carne nequit ſubſiſtere.

Poſui tertiò. *Vel quoad modum non aggravantem, ſed relevantem*, quam modi diverſitatem rectè obſervavit Palao *tr.* 15. *diſp.* 1. *pun.* 8. *n.* 10. & Suar. *lib.* 2 *de Voto c.* 2. *n.* 11. Hinc ſi unus voviſſet ire Romam genibus flexis, & alter ire equo, prior teneretur ſaltem modo faciliori ire, ſi illo difficiliori non poſſit; poſterior tamen non teneretur ire modo difficiliori, ſcilicet pedes, ſi nequeat ob inopiam equo proficiſci, quia ad hoc non videtur ſe obligaſſe.

Dico 2. Materia inhoneſta & indifferens, quà talis, ſive non intenta ad finem honeſtum, ſicut non eſt apta ad obligationem juramenti, ſic neque ad obligationem voti inducendam: ut cum S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 2. conveniunt A. A. unanimiter, quia id quod Deo diſplicet, vel quod ſaltem non placet, Deus non acceptat. 91

Dico 3. Materia in ſe quidem honeſta, ſed à vovente relata ad finem inhoneſtum, etiam nequit eſſe objectum validi voti. Prob. ex præcedenti concluſione: quia materia honeſta in ſe, amata propter finem inhoneſtum, ſeu quatenus eſt medium finis inhoneſti, eſt objectū 92

inhoneſtum: ſed votum de objecto inhoneſto non eſt validum ergo &c. Hinc invalidum eſſet votum dandæ eleemoſynæ ad obtinendam vindictam de inimico, vel ad pretioſum ſpolium furto acquirendum.

93 Dico 4. Materia in ſe honeſta, amata tamen præciſè propter finem indifferentem, ad quem ratione ſuæ honeſtatis non ſpecialem habet conducentiam, nequit eſſe objectum voti validi. Ita Laym. *lib. 4. c. 2. num.* 10. Suar. *l. 2. de Voto c. 4. n.* 5. Sanch. *l. 4. de Voto c. 7. nu:* 25. Palao *tr. 15. pun. 8. §. 3. n.* 2. Probatur. Votum materiæ honeſtæ non acceptatur à Deo, niſi per illud voveatur res, ut honeſta eſt: ſed res præciſè amata propter finem indifferentem, ad quem ratione ſuæ honeſtatis non ſpecialem habet conducentiam, non vovetur DEO, ut honeſta eſt, honeſtas enim tantùm per accidens ſe habet, & materialiter, non autem formaliter ſpectatur: ergo tale votum non acceptatur à DEO; hinc ſi quis voveret jejunium præciſè ad parcendum ſumptibus in comeſtionem expendendis, vel eleemoſynam, præciſè ad avaritiæ infamiam abolendam, votum eſſet invalidum: validum tamen eſſet, ſi eadem objecta voverentur DEO ad impetrandum ab ipſo divitias, bonam famam &c. Quia ut ſic jam voverentur, ut honeſta ſunt: nam vim impetratoriam non habent aliunde, quàm ratione ſuæ honeſtatis.

ARTICULUS II.

Diviſio voti.

SUMMARIUM.

94 *Dividitur votum in Abſolutum, & Conditionatum, in quo conditio non debet tantùm affigi executioni, ſed ipſi obligationi Voti, quod fit, quandò Conditio habet rationem finis, per Votum intenti.*

95 *Dividitur etiam Votum in ſolemne, & ſimplex; & declaratur ſolemnitas Voti.*

96 *Aliæ Diviſiones Voti uſque ad n.* 101.

94 EXplicata natura & eſſentia voti, quæ per definitionem habetur, aliquas ejuſdem diviſiones indicabimus, quæ vel ex actu promiſſionis, vel ex re promiſſa oriuntur. Ratione actus promiſſionis dividitur votum primò in Abſolutum, & Conditionatum. Abſolutum eſt actus, quo quis nulla alia conditione requiſita vult obligationem executionis, ſive à certis circumſtantiis aut conditionibus independentis, ſive etiam dependentis; quia votum dicitur abſolutum propter obligationem abſolutè volitam, ſive executio ſit abſolutè, ſive conditionatè volita. Conditionatum eſt actus, quo quis vult obligationem executionis ſub conditione: quia autem hoc votum difficulter diſcernitur à voto abſoluto, ſed quoad executionem ſuam ſuſpenſo, ſeu à certa conditione pendente, ideo hoc poteſt dari indicium utriuſque diverſi modi tendendi, quorum altero quis vult obligationem ſub conditione contrahendam, & altero executionem obligationis, ſub conditione tantùm ponendam: ſi ſcilicet conditio eſt id, quod intenditur ut finis obtinendus, aut evitandus, ſignum eſt votum eſſe tantùm conditionatum, & ipſam obligationem eſſe objectum conditionatè volitum; ſi autem conditio non ſit dicto modo finis, colligitur votum eſſe abſolutum, & executionem ſolùm, ſed ſub conditione volitam e. g. Petrus vovet ſe religionem ingreſſurum, ſi ſuus parens convaluerit. In tali caſu poteſt conditio afficere vel obligationem, vel executionem obligationis: obligationem afficit, ſi ſanitas Patris intendatur obtinenda & impetranda per votum: executionem verò afficit, ſi non intendatur obtinenda, ſed ſit terminus, quo poſito Petrus vult ingredi Religionem, cujus ingreſſum uſque ad tempus recuperatæ ſanitatis paternæ vult differre, forſitan ut patri interim inſerviat in morbo, quo in caſu quia votum quoad obligationem fuit abſolutum, Petrus non convaleſcente patre, attamen mortuo, & proinde impedimento executionis ſublato, tenetur ingredi religionem: non autem in priori caſu.

95 Dividitur ſecundò Votum in ſimplex & ſolemne; de qua diviſione fuſè diſputat P. Thomas Sanchez *lib. 7. de Mat. diſ.* 25. Ubi tres circa illam Authorum ſententias refert. Breviter cum Palao *tr. 15. diſp. 1. pun. 10. num.* 2. dici poteſt, votum ſolemne illud eſſe, quod non tantùm ex intentione voventis, ſed ex ſpeciali etiam Eccleſiæ acceptione perpetuitatem, & maximam firmitatem habet. Cujuſmodi de facto ſolummodo eſt votum caſtitatis, annexum Ordini ſacro Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, & Vota Profeſſionis in ſtatu Religioſo. Unde Eccleſia per diverſos Canones, talibus Votis obſtrictos ad contrahendum matrimonium inhabiles reddidit, qui quidem effectus eſt Votorum ſolemnium, ſed per hunc non rectè explicaretur ſolemnitas Votorum; quia juxta Bullam Gregorii XIII. quæ incipit *Aſcendente* etiam Vota ſimplicia, publica, & privata, à Religioſis noſtræ Societatis emiſſa, eundem effectum pariunt, & matrimonium contrahendum dirimunt. Votum ſimplex eſt, quod non ex ſpeciali Eccleſiæ acceptatione perpetuitatem, & ſummam firmitatem habet, etiamſi aliquibus cæremoniis, & ſolemnitatibus Eccleſiaſticis fiat.

Huic diſcrimini fundato in firmitate favet etiam S. Thomas 4. *diſt.* 38. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 2. ubi ait. *Votum ſolemne nullo caſu irritari poteſt* (Illimita tamen contra eundem S. Doctorem *art.* 3. *queſtiunc.* 3. propter contrariam praxin SS. Pontificum: imò etiam cum S. Thoma *ſequente art.* 4. *quæſtiunc.* 2. priorem ſuam aſſertionem mitigante: Niſi in caſu rariſſimo, & graviſſimo ex Summi Pontificis diſpenſatione) *in voto privato obligatio aliquo caſu irritatur*. Eandem arctitudinem obligationis etiam declaravit S. Doctor in 2. 2. *q.* 88. *art.* 7. *ad* 1. Ubi inquit *Votum ſolemne habet fortiorem obligationem apud DEUM quàm Votum ſimplex, & gravius peccat, qui illud tranſgreditur. Quod autem dicitur in cap. Rurſus. Qui Clerici vel voventes, quòd Votum ſimplex non minus obligat apud DEUM, quam ſolemne, intelligendum eſt quantum ad hoc quòd utriuſque tranſgreſſor peccat mortaliter.* Quibus verbis indicat, ſolemnitatem Voti addere tranſgreſſioni circumſtantiam aggravantem majoris obligationis; quam quidem ſuprà citata *quæſtiunc.* 3. exiſtimat eſſe Juris Divini, neque à Summo Pontif. diſpenſabilis, atque etiam Jure Divino dirimere matrimonium; verum hoc eſt contra *capitulum unicum de Voto in* 6. proximè citandum.

In prædicto diſcrimine fundatur etiam iſta differentia Voti ſimplicis & ſolemnis, quam indicat S. Thomas in libris ſententiarum *loc. art.* 2. *quæſt.* 3. *in corp. & ad* 1. *& ibid. art.* 3. *q.* 3. *in C.* aſſerens, quòd Votum ſolemne ſit actualis ſui ipſius, à quo fit, ad ſervitium & ad Cultum Divinum traditio, ita firma ac ſtabilis, ut etiam Contractum matrimonialem ipſi contrarium, ſubſequentem impediat, ac dirimat: ſuppoſito nimirum, quòd ab Eccleſia ſub obligatione ſummæ, & propemodum indiſſolubilis firmitatis ſit acceptatum: ſine hoc enim ſuppoſito nondum differret à Votis ſimplicibus noſtræ Religionis, quibus emiſſis vovens fit verus Religioſus, & ad ſervitium Cultumque Divinum perpetuò, ſed non ita indiſſolubiliter, neque cum ſimili Eccleſiæ acceptatione, conſecratur: ſicut conſecratur, quicunque emittit Vota Profeſſionis in Societate noſtra, vel in alia quacunque Religione, vel qui vovet caſtitatem per aſſumptionem ſacri Ordinis, per quem ad Miniſterium Divinum ſtabiliter à Chriſto, & ab Eccleſia deputatur. Unde Votum ſimplex eſt, quod vel ſine tali ſui ipſius traditione, vel ſine tali acceptatione Eccleſiæ emittitur. Et ſic intelligenda, atque admittenda eſt tertia & communis ſententia de differentia Voti ſimplicis & ſolemnis apud Sanch. *l. c. n.* 7. Fundata *in cap. Unico de Voto in* 6. ubi Bonifacius VIII. Biteren. Epiſcopo ita reſpondet. *Nos itaque attendentes, quod Voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa &c. Præſentis declarandum duximus oraculo ſanctionis, illud ſolum Votum debere dici ſolemne; quantum ad poſt contractum matrimonium dirimendum, quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem ſacri Ordinis, aut per profeſſionem expreſſam, vel tacitam, factam alicui de Religionibus, per Sedem Apoſtolicam approbatis. Reliqua verò Vota, etſi quandoque Matrimonium impediant contrahendum: & quantò manifeſtius ſunt emiſſa, tantò propter plurimum ſcandalum & exemplum durior pœnitentia tranſgreſſoribus debeatur, non tamen reſcindere poſſunt matrimonia.* Excipe tamen, ut ſuprà dixi, Jure novo Gregorii XIII. Vota ſimplicia noſtræ Religionis,

quæ

quæ licet cęteroquin ad æqualem irrelaxabilitatem votorum ſolemnium non pertingant, tamen per ſubſequens matrimonium, hoc ipſo invalidum, diſſolvi nequeunt.

96 Dividitur 3. Votum, in Externum, id eſt, ſignis quibuſdam externis expreſſum, & in Internum ſola mente conceptum. Quorum prius iterum ſubdividitur in publicum, id eſt, coram teſtibus extraneis, ſed ad ſummum inter domeſticos emiſſum eſt.

97 Dividitur 4. In perpetuum, & Temporale, illo obligatio toto vitæ curſu, iſto verò tantùm ad certum tempus ſuſcipitur. Ratione rei promiſſæ.

98 Dividitur 5. In Neceſſarium, quod etiam Commune vocatur, editum ſcilicet circa materiam præceptam, ac propterea neceſſariam, omnibuſque communi Lege ſervandam. Et in Liberum ſeu Singulare, verſans circa materiam non præceptam, & omnibus ad ſalutem conſequendam communiter non neceſſariam, ſed præciſè Conſilio ſubjacentem.

99 Dividitur 6. In reale, quo res externa v.g. pecunia, & in perſonale, quo actio emanans à perſona vovente, ac in mixtum, quo res & actio promittitur.

Dividitur 7. In Affirmativum, quo aliquid faciendum, & negativum, quo aliquid omittendum vovetur.

100 Divid. 8. Et, ut alias levioris momenti diviſiones omittamus, ultimò in reſervatum, in quo ſolus ſummus Pontifex diſpenſare poteſt, & in reſervatum, in quo etiam aliis diſpenſandi poteſtatem habent.

ARTICULUS III.

De Obligatione Voti.

§.

Quanta ſit obligatio Voti.

SUMMARIUM.

101 *Poteſt vovens ad rem de ſe gravem ſe obligare ſub culpa levi.*
102 *Solvuntur quinque Rationes in contrarium.*
103 *Quænam materia voti ſit ex natura ſua levis.*
104 *Quænam materia ſit ex natura ſua gravis.*
105 *Votum in quacunque materia honeſta non inducit aliam obligationem, quàm Religionis.*
106 *Unde in confeſſione voti violati non eſt neceſſariò explicanda materia, niſi ea aliunde independenter à voto ſit præcepta, vel prohibita.*

CUm ex fide certum ſit, ſuppoſita emiſſione voti ſecundùm dictamen rationis, & legem divinam vetantem frangere fidem Deo, ſicut vetat frangere fidem homini, induci obligationem exequendi votum; cumque ea ex ſuo genere gravis ſit, ut DD. communiter colligunt ex his verbis S. Pauli 1. ad Tim. 5. *Habentes damnationem; quia primam fidem irritam fecerunt:* utque etiam decrevit Innoc. III. *in cap. Licet de voto* Ideo oritur quæſtio, unde obligatio, ex genere ſuo gravis, limitari ac levis reddi poſſit: Pro cujus reſolutione

101 Dico 1. Obligatio poteſt limitari ab ipſo actu promiſſionis, quando vovens non vult ſe obligare gravi obligatione, etiamſi res de ſe ſit gravis momenti, & capax obligationis gravis. Ita contra Sotum Vaſq. Baſſil. Legionenſem apud Palao docent Sanch. *lib. 1. de Sponſal. diſp. 9. num. 6.* Suar. *to. 2. de Relig. libr. 4. de Voto cap. 4. n. 7.* Palao *tr. 15. diſp. 1. pun. 11. n. 4.* Tamb. *lib. 3. Decal. c. 12. §. 2. n. 3.* & alii. Præſertim omnes illi, quos *in tra. 2. diſp. 2. art. 2. n. 17.* retuli pro poteſtate Legiſlatoris, præcipiendi rem gravem ſub obligatione culpæ levis; cujus doctrinæ ſufficienter confirmatæ paritate probatur primò præſens Concluſio. Probatur Secundò. Votum conſiſtit in actu libero, quo quis vult obligationem factam Deo de meliori bono: ergo ſi actus ille non vult gravem obligationem, hoc ipſo non inducit, ſicut propoſitum, licet ſit aſſertio rei alioquin gravis præſtandæ, nullam inducit obligationem, quia nullam vult.

Obiici tamen poteſt 1. Lex Naturalis & Divina ſemper obligat ſecundùm capacitatem materiæ: ſed ad obſervationem voti obligat lex naturalis, ac Divina, & ſi res eſt gravis momenti, hoc ipſo eſt capax obligationis gravis: ergo graviter obligat. 102

Secundò. Levis materia voti non eſt capax obligationis gravis: ergo etiam gravis materia non eſt capax obligationis levis.

Tertiò. Homo homini non poteſt donare rem magis pretii ſub obligatione levi, actu eam conferendi poſt factam donationem: ergo multò minùs poteſt per votum rem gravem donare Deo ſub obligatione levi. Quartò. Obligatio præſtandi rem gravem ſub juramento non poteſt limitari à jurante, ut ad illam tantùm leviter ſe obliget: ergo etiam obligatio præſtandi rem gravem ratione voti non poteſt limitari à vovente, ut ad illam tantùm leviter ſe obliget. Quintò. Si juxta intentionem voventis poteſt minui obligatio, ſequitur, Clericum poſſe voto caſtitatis, & Religioſum votis Religionis ſe leviter obligare: conſequens eſt contra omnium ſenſum, ergo &c.

Reſp. ad 1. Diſting. major. Lex Naturalis & Divina obligat ſecundùm capacitatem materiæ, niſi quoad vim obligandi dependeat ab humana voluntate, & obligatio eatenus inducatur, quatenus homo liberè vult, ſe obligari conced. major. ſi dependeat neg. major. & ſub eadem diſtinctione minoris nego conſeq.

Ad 2. Conced. ant. neg. conſeq. & paritatem: cùm enim non ſit utile hominem ad materiam levem graviter obligari, ideo Deus non acceptat votum rei levis ſub obligatione gravi, licet velit ſe graviter obligari: quia autem ad rem gravem, ad quam poteſt dari nulla obligatio, ſi detur obligatio levis, homini eſt utile, ideo hæc dabitur, ſi ad hanc, & non ad majorem voto ſe velit obſtringere.

Ad 3. Conced. ant. ſi ſermo ſit de propriè dicta donatione: nego tamen conſeq. & ſuppoſitum illius, quòd homo per votum Deo propriè aliquid donet, & in eum transferat dominium, quod antè non habuit. Diſparitas ergo eſt, quòd per donationem propriè dictam homo transferat dominium rei in alterum, & tribuat ipſi poteſtatem obligandi alios ac ſe donatorem; ne liceat uſum, & diſpoſitionem liberam rei donatæ, ullo modo impedire, quî deinde cenſetur obligare juxta gravitatem rei: in voto autem homo non transfert Dominium in Deum, ſed rei, quam Deus in libero hominis arbitrio poſuit, ut illam præſtaret vel non præſtaret (quamvis pro Jure ſuo potuiſſet illam ab eo exigere) ſponte levem obligationem ſubit, quam voluntatem Deus eatenus acceptat, quatenus liberè ſe homo vult obligari.

Ad 4. Nego iterum conſeq. & paritatem: quia Juramentum non eſt quaſi reflexa volitio obligationis, quam quivis ſibi poſſit per liberam electionem determinare, ut ea vel ſit gravis vel levis, ſed eſt interpoſitio Divinæ Auctoritatis, ex qua oritur obligatio gravitati rei proportionata, ut etiamſi jurans nollet ſe obligare ad exequendum Juramentum promiſſorium, adhuc obligaretur, modò verè Deum adduceret in teſtem ſuæ aſſertionis, & ejus beneplacito ſe vellet ſtabilire in propoſito verificandi ſuum Juramentum.

Ad 5. Reſp. diſt. maj. Si in qualicunque voto juxta intentionem voventis poteſt minui obligatio conced. maj. Si tantùm in votis, ad quorum valorem Eccleſia non requiſivit voluntatem graviter ſe obligandi neg. maj. Jam autem ad prædicta vota, quæ fiunt ſuſceptione Majorum Ordinum, vel ſtatus religioſi, Eccleſia conſtituit, ut cum voluntate graviter ſe obligandi ederentur, ita ut aliàs ſint omnino irrita, & Clericus præcepto vovendi caſtitatem non ſatisfeciſſe cenſeatur, ſi habuerit poſitivam voluntatem non ſe obligandi, niſi leviter; & novitius ſtatum Religioſum non verè ſuſcipiat, niſi habeat animum ſe graviter obſtringendi.

Dico 2. Obligatio voti poteſt limitari ob levitatem materiæ. Ita DD. communiter. Prob. ex regula univerſaliter oſtendere, qualis obligatio non recipiat parvitatem materiæ, quam Regulam tradidi, & declaravi *in tr. 2. diſp. 2. à n. 9.* Illa enim obligatio in quavis 103

materia eſt gravis, cujus tranſgreſſio immediatè & directè Deo imperfectionem, vel defectum perfectioni attribuit, vel ex qua generi humano maximum peccandi illicium, adeoque damnum inferretur; niſi illius violatio in quavis materia eſſet gravis: vel denique cujus tranſgreſſio in quacunque materia æqualiter præjudicat fini, à Lege ſub gravi peccato intento.

Atqui (ſubſumo nunc) tranſgreſſio voti, quà talis, non immediatè Deo attribuit aliquam imperfectionem, ſed ſolùm non ſervat promiſſum, ſicut inobedientia non ſervat mandatum; neque ſi in obligatione voti detur parvitas materiæ, inde generi humano maximum peccandi illicium præbetur, neque violatio voti in qualibet materia æqualiter opponitur fini illius, ſicut in magna materia, & plùs ſerviente ad cultum Dei: ergo obligatio voti non eſt in quavis materia gravis.

104 Cæterùm quænam materia ſit capax obligationis gravis, adeoque ſit gravis materia voti, hujus difficile eſt dare regulam ſufficientem; dicendum tamen cum Sanch. *lib. 4. in ſumma. c. 12. à nu. 12.* & Palao *diſp. 1. punct. 11.* illam eſſe gravem, qua magnus cultus ac honor Deo aſſertur, qui, conſideratis omnibus circumſtantiis, prudenti judicio, ad quòd in rebus moralibus ſæpe confugitur, penſandus eſt. Non rarò quidem utiliter attendi poteſt quantitas, quæ reſpectu aliorum præceptorum ſufficit ad gravem obligationem terminandam, illa enim, niſi circumſtantiæ mutentur, hoc ipſo videtur ſufficere ad gravem obligationem voti, & eſſe apta ad magnum cultum, ſui exhibitione Deo afferendum. Unde quia unum Sacrum, una Communio, una Confeſſio ſuorum peccatorum, eſt ſufficiens materia Præceptorum Eccleſiæ graviter obligantium, per ſe loquendo videntur etiam eſſe gravis materia voti, ſicut etiam ea quantitas furti, quæ ſufficit ad peccatum mortale contra Juſtitiam, ſufficit etiam, ut quis contra votum paupertatis graviter peccaſſe cenſeatur.

105 Dico 3. Votum in materia non neceſſaria, ſeu aliunde non præcepta, adeoque liberum, ſolam obligationem fidelitatis Religioſæ, non verò illius virtutis inducit, ad quam ſpectat materia promiſſa, licèt ejus honeſtas à vovente ſpecialiter fuerit intenta. Hinc non obſervando jejunium liberum, non dando eleemoſynam, non abſtinendo à petitione debiti conjugalis, ſolū peccatur contra Religionem, non autem (ſaltem non graviter) contra temperantiam, Liberalitatem, Caſtitatem. Ita Palao *cit. diſp. 1. punct. 11. n. 8.* Tamb. *lib. 3. in Decalog. cap. 12. §. 2. n. 3.* & ante hos Suar. *lib. 5. de Voto c. 3. n. 11.* eoque teſte omnes AA. ſui temporis. Contrarium tamen docuerunt Sanch. *lib. 4. de Voto c. 11. n. 6.* & Valentia 2. 2. *diſp. 6. q. 6. punct. 4.* ſuppoſito, quòd vovens intenderit ſibi imponere obligationem illius virtutis, ad quam ſpectat honeſtas rei promiſſæ. Prob. Concluſio. Licèt homo per votum velit obligationem rei, continentem honeſtatem certæ virtutis eamque ſpecialiter intendat, ille tamen ſibimet propriè non ponit legem, ut oſtendit Suar. *lib. 1. de Voto cap. 13. num. 13.* ſed vovendo ponit talem actum voluntatis, ex quo oritur Lex naturalis, ac Divina intendens præcisè fidelitatem, non autem honeſtatem rei promiſſæ per modum finis, licèt hæc requiratur per modum conditionis (quia omne votum, ut obligationem inducat, debet eſſe de re honeſta) ſed nulla lex inducit obligationem alterius virtutis, quàm cujus honeſtatem intendit: ergo lex naturalis, & Divina, orta ex emiſſione voti, non inducit aliam obligationem quàm fidelitatis erga Deum, quæ eſt honeſtas ſolius Religionis. Ex hac probatione patet ſolutio principalis argumenti adverſariorum, cur aliæ Leges præcipientes actum virtuoſum pariant obligationem illius virtutis, cujus actum præcipiunt v. g. præceptum jejunii obligationem temperantiæ, votum autem non pariat, diſparitas eſt, quòd illæ per modum finis intendant talem honeſtatem, lex autem ex voto orta intendat propriam & ſpecialem honeſtatem ſolius fidelitatis Religioſæ.

106 Hinc colligitur in tranſgreſſione voti liberi, verſantis circa materiam gravem (ſumitur autem liberum in ſenſu prædicto, & ſuprà in diviſione Voti explicato) non eſſe neceſſariò in confeſſione explicandam materiam voti, ſed ſufficere, ſi quis dicat, ſe peccaſſe contra votum in materia gravi. In tranſgreſſione voti neceſſarii verò explicandam eſſe materiam; quia præter peccatum contra Religionem, commiſſum eſt etiam peccatum oppoſitum honeſtati rei promiſſæ, ac ſimul aliunde præceptæ v. g. ſi conjungatus poſt votum caſtitatis petat debitum conjugale, & ſolutus contra votum fornicetur, prior tantùm peccat graviter contra Religionem, poſterior verò duplex peccatum perpetrat, adeoque ille poteſt dicere ſe graviter peccaſſe contra votum, iſte autem debet dicere, ſe peccaſſe contra votum caſtitatis fornicatione. Fateor tamen etiam conjugatum contra caſtitatem leviter peccare, quia quando inordinatus eſt appetitus objecti alioquin liciti, uti eſt ſtante prohibitione voti, ſaltem ſub veniali interdicitur ab illa virtute, quæ reſpicit talem materiam, & ſic violatio jejunii, voto libero promiſſi, contra Religionem eſt peccatum grave, contra temperantiam verò tantùm peccatum leve.

§. II.

Qualis ſit Obligatio Voti abſoluti.

SUMMARIUM.

107 *Pro interpretatione voti ſtatuuntur tres Regulæ.*
108 *Ex his colligitur, quomodo intelligendum ſit votum, dicendi Roſarium, virginitatem ſervandi, peregrinandi, jejunandi ſimpliciter, vel in pane & aqua.*
109 *Hinc etiam exponitur legitimus ſenſus voti indeterminati quoad durationem, quantitatem objecti; & quoad individuationem.*

HOc ex legitima ejus interpretatione colligendum eſt, ea autem ſequentibus ferè fundamentis ſeu regulis innititur. Regula prima. Votum non debet extendi ultra expreſſam, vel præſumptam intentionem voventis: cùm enim voti obligatio ſit voluntaria, in tantum quis obligatur, in quantum voluit, & intendit ſe obligare. 107

Regula Secunda. Niſi de mente voventis aliud conſtet, præſumendum eſt, voviſſe ſecundùm communem ſenſum, & interpretationem verborum, & rem velle exequi, prout ejus natura, & communis hominum, aut Eccleſiæ conſuetudo exigit: quia qui nihil excipit, cenſetur ſe communi uſui accommodare.

Regula Tertia. Obligatio voti, quantùm retenta propria & uſitata ſignificatione verborum, & expreſſa voventis intentione fieri poteſt, ſemper magis reſtringenda, quàm extendenda eſt; quia quando non conſtat de majoris obligationis voluntaria ſuſceptione, quivis relinquendus eſt in poſſeſſione ſuæ libertatis.

Unde reſolves ſequentes caſus. Primò. Qui vovit recitare Roſarium, non ad integrum Pſalterium, ſed ad tertiam partem ſe obligavit; quia hæc nomine Roſarii communiter intelligitur, & ſatisfacit voto, ſi cum ea attentione recitet, quam ad Horas Canonicas diximus ſufficere: poteſt etiam cum ſocio illud alternatim recitare, ut contra Palao *tr. 15. diſp. 1. pun. 12. n. 5.* referentem pro ſe Nav. & Sanch. probabiliùs docent Azor Bonac. Tamb. partim quia talis ſatisfacit quoad ſubſtantiam ſicut in Horis Canonicis id, quod dicitur à ſocio, attribuitur etiam alternanti cum illo: modus autem recitandi non cadit ſub votum: partim quia etiam iſte in Eccleſia jam eſt uſitatus. 108

Secundò. Vovens virginitatem perpetuam, ea per primum actum amiſſa, tenetur tamen deinceps ab omni ejuſmodi delectatione abſtinere; quia ſecundùm communem, & uſitatam interpretationem verborum, cenſetur promiſiſſe, nullam unquam admittere delectationem, qua integritatem ſui corporis, vel animæ amittere poſſit, adeoque votum virginitatis ſumitur pro eodem cum voto perpetuæ caſtitatis, ſaltem imperfectæ, excludentis omnem voluptatem veneream corporalem, niſi manifeſtè fuerit alia mens voventis. Hanc obligationem aſſerit S. Thom *2. 2. q. 88. art. 3. ad 2. & 4. diſt. 38. q. 1. art. 3. q. 3. ad 1.* Sanch. Valentia, Palao, Tamb. imò Suar. *lib. 4. de Voto c. 7. n. 7.* ait, hunc eſſe omnium hominum ſenſum.

Tertiò. Votum peregrinationis ad aliquem locum, ſecundùm uſitatum ſenſum, & rigorem verborum, non obligat ad peregrinationem pedeſtrem, eiq; ſatisfit, etſi ob alios

alios partiales fines, ſcilicet curioſitatem, negotiationem, imò etiam mercedis ſolutionem ſuſcipiatur, uti ſatisfacit voto quotidie legendi Sacrum, qui pro eo ſtipendium accipit, quia omnes iſti fines non impediunt: quò minùs tale iter per alium pium actum internum, rationem piæ peregrinationis acquirere poſſit, ut docent Palao & Tamb. contra Sanch.

Quartò. Votum jejunii v. g. in privilegio alicujus Sancti obligat ad illud ſervandum eo modo, quo modo obligaret præceptum Eccleſiæ, ſi illa jejenium pro eo die inſtituiſſet. Unde ſi privilegium incidat in diem Dominicam, licitum imò teſte Tamb. *lib. 3. c. 15. §. 6. n. 11.* convenientius eſt, perſolvere die Sabbati: quia etiam Eccleſia ſolet legem jejunii à die Dominica in antecedentem transferre. Ex quo Tamb. ulterius deducit, ſi quis v. g. per menſem voviſſet quotidie jejunare, eum non teneri ad jejunium diebus dominicis, & die nativitatis Domini, ſi intra illud tempus celebretur, uti etiam docuerunt Sanchez *lib. 2. Sum. c. 37. n. 20.* Palao *tr. 15. diſp. 1. pun. 12. n. 11.* addens Bonacinam. Niſi vovens intenderit etiam his diebus ſe obligare ad jejunium. Hinc *in cap. ultimo de Obſervatione jejuniorum*, ubi conceditur eſus carnium die Nativitatis Domini in feriam ſextam incidente, expreſsè excipiuntur illi, qui voto, aut regulari obſervantia ſunt obſtricti: quod de illis voto obſtrictis intelligendum eſt, qui expreſsè etiam prædictos dies in voto ſuo incluſerunt.

Quintò. Votum jejunandi in pane & aqua duo dicit, & ſubſtantiam jejunii, & modum jejunandi: Hinc etſi quis peccaverit contra votum, bibendo vinum, aut comedendo piſces, ſine damno jejunii quoad ejus ſubſtantiam, tenetur eodem die pergere in jejunio.

109 Sextò. Votum indeterminatum quoad temporis durationem, id eſt, quando obligationi nullus eſt præfixus terminus ſeu finis, juxta communem interpretationem ſumitur pro voto perpetuo v. g. ſi voviſti ſervare deinceps caſtitatem, jejunare diebus Veneris &c. teneris ſervare caſtitatem, jejunium &c. per totam vitam. Votum verò quoad quantitatem objecti indeterminatum, niſi ex recepta Conſuetudine, vel aliis circumſtantiis, contraria mens voventis colligatur, explicandum eſt quoad quantitatem minimam, aptam adhuc verificare votum, ſi voviſti dare eleemoſynam, quavis minima ſumma ſatisfacis voto. Colligitur hoc ex ultima regula noſtra, & manifeſtè *ex cap. Ex parte Compoſtellani de Cenſibus* Neque obſtat, quod *in Lege Qui triticum & in Lege Qui inſulam 95. ff. de verborum obligationibus*, ob incertitudinem rei promiſſæ promiſſio vitietur: nam ut teſtatur Abbas *in cit. cap. Ex parte* ſolum legata profana, non autem pia vitiantur: imo nec illa ſemper, ſed ſolùm tunc, quando eo reducitur incertitudo, ut nullius momenti ſit res oblata, ut notat Suarez. *lib. 4. de Voto c. 7.*

Dixi tamen: *Niſi ex recepta conſuetudine, vel ex aliis circumſtantiis contraria mens voventis intelligatur*: ſi quis enim minimè pauper templo calicem daturum ſe, voviſſet, argenteum certè, & non ſtanneum perſolvere deberet; quia conſuetudo, niſi magna urgeat paupertas, non ex inferiori metallo, quàm ex argento calicem conficit. Hinc Tamb. in ſimili reſpondit hæredibus illis, qui vinum ex voto teſtatoris pro Sacrificio Miſſæ R. R. P. P. Capucinis debitum ſolverent viliſſimum, admonens illos pretioſius teneri offerre; eò quòd tale communiter in Sacrificio adhiberi ſoleat.

Votum denique quoad individuationem indeterminatum ſic interpretandum eſt, ut non obliget, niſi ad aliquod individuum rei promiſſæ, quodcunque voventi libuerit, ut in ſimili dicitur *l. Qui ex pluribus 106. ff. de Verborum oblig.* quòd ſi tamen cętera uſque ad unum furto eſſent ſubducta, per ſe loquendo probabilius videtur, illud totum, quod remanet, ex voto tradendum eſſe e. g. ſi quis plures Calicis habuiſſet, & unum ex his alicui templo ſe oblaturum voviſſet, reliquis à fure ereptis, reſiduum dare, & non tantum medietatem pretii tenetur; quia votum fuit æquivalenter ex parte objecti conditionatum, atque ſic exponendum: *Volo dare hunc calicem, ſi non dedero alium*: quę conditio, cum in aſſignato caſu impleatur, votum obligat,

& propter damnum injuſtè illatum non diminuitur obligatio voti; ſicut non minueretur, ſi nullo calice oblato, in aliis bonis illatum eſſet. Ita poſt Bonacinam *diſp. 4. q. 2. pun. 6. n. 34.* Palao *pun. 12. n. 26.* contra Sanch. *lib. 4. c. 13. n. 19.* & Molina *to. 2. de Juſt. diſp. 270. column. 3. verſ. Quando res una*: qui duo putant rei remanentis dimidium, vel ejus æſtimationem dandam eſſe.

§. III.

Qualis ſit Obligatio Voti conditionati.

SUMMARIUM.

110 *Votum quoad modum tendendi conditionatum, quoad vim obligandi eſt abſolutum, ſi conditio de præſenti vel de præterito jam eſt impleta, vel phyſica neceſſitate eſt implenda. Si autem conditio eſt impoſſibilis, Votum eſt nullum. Si denique eſt editum ſub conditione contingenter futura, ejus obligatio ſuſpenditur uſque ad eventum conditionis.*

111 *Quæritur, an in Voto ſub conditione ab altero præſtandi conſenſus, ſufficiat conſenſus negativus, ſive negatio diſſenſus. Et an ſufficiat in Voto Conditionato, ſi conditio non formaliter, ſed æquivalenter impleta fuerit.*

112 *Ad priorem quæſtionem reſpondetur, ſufficere conſenſum negativum, ſive negationem diſſenſus.*

113 *Ad poſteriorem quæſtionem reſponſio negativa præfertur.*

114 *Quomodo liceat voventi ſub conditione, eventum conditionis impedire.*

115 *Qui impedit eventum Conditionis per actionem aliunde illicitam, ex intentione impediendi obligationem Voti, peccat etiam contra Religionem, & obligatur tollere illud impedimentum, ſi poteſt.*

116 *Vovens ſub conditione, ſe hoc ipſo obligat ad conditionis eventum expectandum. Non tamen ſe obligat ad executionem Voti, conditione malitioſè impedita.*

CIrca hoc duo quæruntur. Primum, quomodo 110
obliget ad ſui executionem, alterum quomodo ad conditionem non impediendam. Prima Quæſtio nullam difficultatem, ſecunda neque locum habet, niſi in voto pendente à conditione contingenter futura. Nam ſi votum quoad modum tendendi eſt conditionatum, & ſi conditio vel eſt præſens, vel præterita, vel neceſſariò futura, tunc votum quoad vim obligandi jam tranſivit in abſolutum: ut docent Azor Sanch. Palao & alii. Hinc ſi voviſti dare eleemoſynam ſub conditione impleta, ſi Pater convaluerit, ſi vivat, vel ſub conditione neceſſario implenda, quæ propterea æquivalet præſenti v. g. ſi cras orietur ſol, jam hodie datur abſolutè obligatio tribuendi eleemoſynam, ſi verò conditio, ſub qua emiſſum eſt votum, eſt impoſſibilis, hoc ipſo votum de facto eſt nullum; quia de facto datur impoſſibilitas conditionis, à qua obligatio voti dependet: nec aliunde lege poſitiva, quemadmodum in contractu matrimonii ſancitum eſt, ut conditio impoſſibilis pro non adjecta habeatur, & perinde obliget, velut abſolutè promiſſio facta eſſet. De voto etiam ſub conditione contingenter futura edito certum eſt, illud non obligare ante impletam conditionem, & immediatè obligare, ea impleta; quia hæc eſt voluntas voventis.

Itaque quoad primam quæſtionem ſolummodo con- 111
trovertitur, quomodo ejuſmodi votum ſit interpretandum, ut conditio cenſeatur eſſe impleta. In primis verò dubitatur de voto, in quo alterius conſenſus per modum conditionis requiritur; quale eſt votum filii promittentis, ſe ingreſſurum Religionem, ſi Pater conſenſerit: an ſcilicet ſufficiat, ſi Pater tantùm conſenſum negativum, id eſt, nullum diſſenſum præbuerit. Deinde dubitatur, an conditio voti ſufficienter impleta ſit, ſi non formaliter, attamen æquivalenter exiſtat, ratione aliunde obtenti finis, in ordine ad quem requirebatur con-

116 Dicendum 5. Poſtquam eventus conditionis culpabiliter à vovente eſt impeditus, licèt obligationem illud nihilominus ſervandi affirment Navar. *cap. 12. numer.* 42. Azor *lib.* 11. *cap.* 20. *q. ult.* Sanchez *lib.* 4. *ſum. cap.* 23. *num.* 47. & alii non pauci, probabiliùs tamen id negari à Suar. *lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 20. Palao *diſp.* 1. *p.* 17. Laym. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 4. & alii, niſi alia mens fuerit voventis. Quod hac ratione oſtendo. Quamdiu impeditur conditio, votum non tranſit in abſolutum ſed quamdiu Votum non tranſit in abſolutum, impeditur obligatio voti: ergo &c.

Confirmatur. Eo modo obligat votum, quo modò quis voluit ſe obligari: ſed conditionatè vovens, ut ſuppono, noluit ſe obligare ſub disjunctione, ſi vel conditio impleatur, vel ſi ea malitioſè à ſe impediatur: ergo votum non obligat ſub tali disjunctione: & licèt propter peccatum teneatur quis ad pœnitentiam, & ſatisfactionem, nulla tamen Lege in pœnam determinatam ſtatuta eſt executio voti. Et poteſt hìc iterum inſtitui paritas inter Voum, & Juramentum. Sicut enim ſupra diximus peccari quidem contra Religionem per fictionem Juramenti, nec tamen propterea induci obligationem Religionis ſervandi ſive exequendi Juramentum fictum, ac invalidum; ſic peccatur quidem per fraudulentam impeditionem Conditionis, ne Votum tranſeat in abſolutum, & validum, nec tamen propterea inducitur obligatio exequendi Votum.

Neque obſtat, quòd ſic malitioſè impediens obligationem voti, ex culpa ſua aliquod commodum referat, cùm enim obligatio voti pendeat à voluntate voventis, potuit ſe nolle obligare ad incommodum ex culpa ſua ferendum, vel ad omne penitus illicium; aliunde etiam ſatis prohibiti impedimenti, circa eventum conditionis removendum: quia vovens voluntatem ſuam ſatis cenſetur obfirmaſſe ipſa Religione voti, impedimenti prohibitioni ſuperaddita: Unde licèt magis abſterreretur ab illicita impeditione conditionis, ſi obligatio Voti tranſiret hoc ipſo in abſolutam, quia tamem non conſtat, hanc fuiſſe mentem voventis, ideò etiam hæc obligatio non eſt imponenda. Quòd ſi obiicies paritatem cum promiſſione, homini ſub conditione facta: de qua *l. In executione §. ult. ff. de Verbor. oblig.* dicitur. *Quicunque ſub conditione obligatus curaverit, ne conditio exiſteret, nihilominus obligatur.* Et *Reg. 66. in 6.* Ubi pariter dicitur. *Cùm non ſtat per eum, ad quem pertinet, quò minùs conditio impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta fuiſſet.* Reſpondetur diſparitatem eſſe, quia promiſſio homini facta parit obligationem Juſtitiæ, cujus violatio parit obligationem ſervandi alterum indemnem impletione promiſſionis fruſtratæ, contra alterius Jus. Promiſſio autem Deo facta parit obligationem Religionis, quæ tantùm obligat ad ſtandum promiſſis abſolutè, quando conditio eorum eſt impleta. In his enim nec lucrum, nec damnum ad quod DEI ſpectatur, ſed præciſè ne lædatur honor DEI, fallendo fidem promiſſionis, quando ea abſolutè obligat.

§. IV.

Qualis ſit Obligatio Voti pœnali.

S U M M A R I U M.

117 *Votum pœnale triplici modo emitti poteſt.*
118 *De hoc proponuntur tres quæſtiones.*
119 *Diſpenſato Voto vitandi culpam, diſpenſatur etiam Votum ſolvendi pœnam, neque hujus poſterioris neceſſario facienda eſt mentio in petita diſpenſatione prioris.*
120 *Inadvertentia ad pœnam excuſat ab obligatione Voti pœnalis.*
121 *In dubio, an promiſſa ſit pœna pro culpæ repetitione repetenda, id colligi poteſt ex gravitate, vel levitate pœnæ.*

HOc Votum quoad modum tendendi etiam conditionatum eſt: ſed quia ex parte conditionis ponitur culpa, quam ſub perſolvenda pœna deteſtatur, ideò pœnale dicitur, & non purè conditionatum, propter hunc modum tendendi differentialem ſuperadditum.

Triplici modo ejuſmodi votum emitti poteſt. Primò. Ut non voveatur evitatio culpæ, ſed ſola pœnæ ſolutio, ſi committatur culpa. Unde talis committendo culpam non peccat contra votum, nec in confeſſione tenetur facere mentionem voti, ſed tantùm tenetur ſolvere pœnam; quòd ſi deinde ſolutionem intermittat, non obligatur confiteri culpam, cui pœna ratione voti fuit annexa, ſed ſufficit dicere, ſe omiſiſſe perſolvere votum, ſuppoſito, quòd culpam jam aliàs confeſſus ſit, vel tantùm venialis fuerit. Secundò. Poteſt emitti votum pœnale promittendo collectivè evitationem culpæ, & ſolutionem pœnæ admiſſa culpa: atque tunc votum de evitanda culpa eſt abſolutum, & violatio illius in confeſſione explicanda: de ſolvenda pœna verò eſt conditionatum e. g. voves te non blaſphematurum, &, ſi blaſphemaveris, recitaturum Roſarium. Tertiò. Poteſt votum pœnale ſic formari, ut ſub disjunctione promittas utrumque, vel evitationem culpæ, vel ſolutionem pœnæ: Si v. g. voveres, te vel non blaſphematurum, vel ſi blaſphemaveris, dicturum Roſarium: & hac ratione non ageres contra votum, ſi alterutrum præſtares, niſi tunc, cùm blaſphemares, ſimul haberes animum etiam non recitandi Roſarium; in tali enim caſu blaſphemia ſpecialem contraheret malitiam contra Religionem voti, explicandam in confeſſione, quòd ſimul blaſphmaveris contra votum pœnale disjunctivum cum animo non ſolvendi pœnam gravem, ſi ſcilicet iſta fuerit promiſſa. His ſuppoſitis 117

Tria quæruntur. Primò. An diſpenſato voto de culpa evitanda, diſpenſetur etiam votum ſolvendæ pœnæ, & utrùm in petitione diſpenſationis, utriuſque voti ſit facienda mentio. Secundò. An obligatio ſolvendæ pœnæ contrahatur, ſi quis, dum peccaret, neſcivit, vel non recordatus eſt, quòd ejuſdem ſolvendæ votum emiſerit. Tertiò. An, niſi quis ſpecialiter hoc expreſſerit, obligatio ſolvendi pœnam ſe extendat ultra primam admiſſionem culpæ. 118

Dico primò cum Layman. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 5. Palao *tract.* 15. *diſp.* 1. *punct.* 18. Sanchez *lib.* 4. *Summ cap.* 2:. *nu.* 9. Sublato voto de evitanda culpa, tollitur etiam votum ſolvendi pœnam, propter culpam futuram, neque hoc ſpecialiter in petitione diſpenſationis exprimendum eſt. Probatur prima pars. Votum ſolvendi pœnam eſt editum ad confirmandam voluntatem non in ſolo propoſito evitandi culpam, ſed in voto evitandi culpam, adeòque eſt acceſſorium alteri voto: atqui ſublato principali tollitur acceſſorium, ergo &c. Probatur etiam ſecunda pars. Executio pœnæ, & hujus obligatio, ſeu votum, non meliorat executionem voti principalis; ſed illius executioni quodamodo ſubſtituitur, & tantùm ad ſtabiliendam voluntatem in obſervatione voti principalis promittitur; ſed in petitione diſpenſationis non ſunt explicandæ circumſtantiæ, non meliorantes executionem voti diſpenſandi, non ſervientes ad rei promiſſæ dignitatem, licèt ſint allicientes, modò adhuc proponatur ſufficiens cauſa petendæ diſpenſationis; ergo in petitione diſpenſationis voti principalis non eſt explicanda obligatio ſolvendi pœnam. 119

Quòd ſi dicas, majorem requiri cauſam diſpenſandi in duplici voto, quàm in ſimplici, & ideò utrumque eſſe indicandum, ut judicari poſſit, an cauſa pro utroque ſufficiens ſit; verum dicis, ſi vota ſint diſparata, non verò ſi unum ſit editum præciſè ad confirmandam voluntatem in obſervatione alterius, ſi enim hujus obſervatio ex juſta cauſa poteſt remittit, hoc ipſo poteſt remitti obſervatio alterius, quod erat propter illud.

Dico Secundò. Cum citatis AA. excepto Sanchez *n.* 19. non contrahitur obligatio ex voto ſolvendæ pœnæ, ſi obligatio inter peccandum fuit incognita. Prob Quia homo eatenus voluit ſubire obligationem exſolvendæ pœnæ, quatenus eà potuit ſibi eſſe utilis ad abſterrendum à culpa: ſed obligatio propter ignorantiam, vel obliviomem 120

nem incognita non potuit eſſe utilis &c. ergo non voluit illam ſubire.

Confirmatur à pari. Votum pœnæ perſolvendæ habet ſe, ſicut lex poſitiva ſtatuens pœnam temporalem: quia in hoc aliquis quodammodo ſibi ipſi legem facit, & pœnam decernit, ex acceptatione, & ratificatione Dei: ſed pœna Legis ordinariè non incurritur ſine advertentia ad illam; ergo neque pœna voti.

121 Dico Tertiò cum Sanch. *num*.21. & Palao *num*. 6. Niſi aliundè conſtet de contraria intentione voventis, ſi culpæ, quam quis conſtanter vitare intendit, pœna ſit valde magna, probabiliter tantùm ſemel contrahit reatum ejus exſolvendæ: ſi autem non ſit adeò magna, eaque ſæpius poſſit ac ſoleat peragi, probabiliter toties contrahit reatum pœnæ, quoties committitur culpa. Probatur prima pars. Quia ſub una pœna ſemel exſolvenda poteſt quis omnes tranſgreſſiones, & culpas contra aliquam virtutem ſibi interdicere. V.g. poteſt quis vovendo Religionem, ſi fornicatus fuerit (quæ pœna tantùm ſemel perſolvi poteſt) omnes fornicationes velle vitare: ergo ſi pœna ſit valde magna, uti eſt difficilis peregrinatio, gravis ſumma eleemoſynæ, non præſumendum eſt voventem ad ſæpius eandem ſubeundam ſe voluiſſe obligare. Prob. etiam ſecunda pars. Eo modo pœnam non adeò magnam cenſetur quis vovere, quo magis eſt apta ad ſingulas culpas evitandas: ſed ſi per ſubſequentes culpas incurritur obligatio de novo ſolvendi pœnam, tunc iſta magis eſt apta ad culpas ſubſequentes evitandas: ergo &c.

ARTICULUS IV.

De Votorum Irritatione.

Dictum eſt hactenus de eſſentia, & obligatione Voti, deinceps de ejus deobligatione, & præſenti quidem articulo de irritatione voti dicendum erit; in reliquis duobus de diſpenſatione, & commutatione voti.

§. I.

An, & à quibus vota irritari poſſint.

SUMMARIUM.

122 *Poteſtas irritandi vota convenit cum poteſtate irritandi Juramenta pro qualitate Dominii, quod quis habet vel in ipſam voluntatem voventis, vel in res, & actiones illius.*

123 *Pater poteſt omnia vota Filii impuberis irritare; & ejus loco avus paternus: hujus autem vice Tutor: reſpectu quorum ſubiectio filii aut filiæ durat uſque ad obtentam pubertatem: eâ deinde obtentâ tollitur quidem dominium in voluntatem, non tamen dominium in Bona, & actiones filiorum, quod Curator retinet uſque ad finem anni XXV. Pater autem retinet ſemper, niſi uno ex ſeptem modis tollatur.*

124 *Pater, & in eius defectu quilibet Curator, vel Mater, ſi curatrix eſt, poteſt omnia, & ſola vota irritare, quæ edita ſunt circa materiam, eius dominio gubernativo ſubiectam, quamdiu ſubiecta eſt.*

125 *Superiores Religionum immediati, & mediati uſque ad ſummum Pontificem poſſunt omnia vota Religioſorum ſuorum irritare, à votis Religionis, & à voto ingrediendi Religionem ſtrictiorem diverſa.*

126 *Probabilius eſt, Marito non competere Dominium in voluntatem Vxoris, ſed tantum in actiones ad finem Matrimonii ſervientes, & hoc viciſſim eodem contractu Matrimonii acquiri uxori, reſpectu Mariti, adeoque poſſe tantùm ſibi mutuo irritare vota circa materiam ſubiectam.*

127 *Hinc maritus tantùm poteſt ſuſpendere vota uxoris ante Matrimonium edita, & fini Matrimonii præjudicantia. Inter hæc præiudicantia etiam eſt votum non petendi debitum coniugale.*

128 *Domini vota ſervorum propriè dictorum, & famulorum poſſunt eatenus irritare, vel ſuſpendere, quatenus illorum dominio ad exigenda ſervitia præiudicant.*

Id quod ſuperiori quæſt. de irritatione Juramenti dictum eſt, cum proportione applicari etiam debet Irritationi Voti, quæ propter diverſitatem Dominii, quod aliquis habet, vel in voluntatem, vel in res, & actiones voventis, aut eſt directa, & propriè dicta, ſi ſcilicet eſt actus poteſtatis dominativæ in voluntatem voventis, tollens obligationem voti in perpetuum: aut eſt indirecta, & minùs propriè dicta, quæ ratione dominii, aut Juriſdictionis in res, vel actiones voventis, eatenus, & tamdiu ſuſpendit, aut impedit obligationem, vel ſaltem executionem voti, illam prohibendo, vel imperando aliquid cum executione voti incompoſſibile, quatenus & quamdiu obligatio, aut executio voti præjudicat Dominio, vel Juriſdictioni alterius. De utraque iſta irritatione voti duæ potiſſimum quæſtiones in præſenti notandæ ſunt. Prima eſt, quæ in titulo hujus §. eſt propoſita. Secunda in ſequenti §. proponetur. Quoad priorem quæſtionem in controverſiam veniunt parentes, Superiores Regulares, conjuges, Domini ſervorum. 122

Dico Primò, Poſſe patrem omnia vota abſque ulla exceptione, ſive realia ſive perſonalia filii impuberis, quantumvis doli capacis, irritare. Colligitur *ex cap.* 1. *& ſequent.* 20. *quæſt.* 2. & clarè deciditur *in cap. Mulier* 32. *quæſt.* 2. conſentiuntque ferè omnes DD. cum S. Thom. 2.2. *quæſt.*88. *art.*8. *in corp. & ad* 3. Ratio eſt: quia ob imbecillem uſum rationis, jure ſic diſponente, conveniebat, votum filii aut filiæ impuberis, ſubdi voluntati parentis, maximè autem in obligationibus contrahendis, ne ex imprudentia iiſdem ſe cum ſera aliquando pœnitudine gravarent. Unde quia hoc jus, & dominium ob ordinariam rationis imbecillitatem patri in liberos conceſſum eſt, illi ipſi non adimitur, licèt per accidens ante conſuetum tempus perfecto rationis uſu potiantur. 123

Ut autem hæc, & ſequens Concluſio meliùs intelligatur, dicendum eſt, liberos à tempore nativitatis uſque ad ſeptimum annum ætatis completum appellari infantes. Deinde appellari impuberes, mares quidem uſque ad completionem anni decimi quarti; fœminæ autem uſque ad exitum anni duodecimi, cui termino, quando incipiunt fieri propinquiores; quàm ſint initio ſuæ impubertatis, mares ſcilic. completo decimò anno cum dimidio, fœminæ completo nono cum dimidio, incipiunt dici proximi pubertati (& tunc jam poſſunt contractum inire in ſuum commodum, non autem in ſuum incommodum, invito vel ſine authoritate Tutoris contrahentes, ut habetur *in Inſtitutionibus de Auctoritate Tutoris ſtatim in Principio, & in Inſtitutionibus de Inutili ſtipulatione* §. *Pupillus*) ad quam tamen quamdiu non pervenerunt, voluntas eorum ex diſpoſitione Juris ſubjecta eſt dominio Patris, & in hujus defectu dominio avi paterni, quo etiam deficiente, ſi illis datus eſt Tutor, voluntas eorum, adminiſtratio bonorum, eſt penes tutorem; ſi verò nullus datus eſt tutor, neque ſuperſtes avus paternus, matri jure naturali competit dominium in liberos, etiamſi morte mariti non hoc ipſo in illam transferatur munus tutricis, eſto illud petere poſſit: ut habetur *in Authent. Matri & Aviæ Cod. Quando mulier tutelæ officio fungi poſſit*, hoc ordine, & tanto ætatis tempore voluntas liberorum eſt ſubjecta Dominio alieno, cui proinde competit poteſtas irritandi omnia vota tam perſonalia, quam realia. Completo autem impubertatis termino exſpirat jus in voluntatem filii aut filiæ, & conſequenter etiam jus tutoris: quia ſecundùm Inſtitutiones. *Quibus modis tutela finiatur*, pupilli, pupillæque, cùm puberes eſſe cœperint, à tutela liberantur, & tunc uſque ad completum annum vigeſimum quintum vocantur minores, quo tempore quoad bonorum adminiſtrationem ſubiiciuntur Curatori, ſi Patri, & Avo Paterno deficientibus, talis ſubrogatus eſt, cujus poteſtati, niſi ab ea beneficio Principis, ætatis veniam concedentis, prius exemptio impetretur, neque per contractum Matrimonii ſubducuntur, donec impleto anno vigeſimo quinto per ſe finiatur. Patris poteſtas autem in adminiſtrationem bonorum filii, nec finitur ratione ætatis, nec ratione Ordinis Sacri, etiam Preſbytera-

teratus, nec ratione matrimonii jure communi. Quæ taliàs ſeptem tantùm modis evitari poteſt. Primò. Si Religionem Pater, vel filius profiteatur. Secundò. Si filius in Epiſcopum eligatur. Tertiò. Si filio committatur adminiſtratio alicujus dignitatis. Quartò. Si & quamdiu filius vel parens ſervus efficitur. Quintò. Si pater morte naturali, vel civili obeat. Sextò. Si pater aut filius in hæreſim incidat. Septimò. Si filius emancipetur.

124 Dicendum Secundò. Patrem, quamdiu filius ab ejus poteſtate non egreditur, vel ejus loco avum paternum, vel Curatorem, quamdiu ejus officium durat, licèt non ſolus, ſed plures curatores ſint, vel matrem ſi curatrix ſit, poſſe ea tantùm vota liberorum puberum irritare, quæ gubernationi domeſticæ, & adminiſtrationi præjudicaverint, & non fuerint circa materiam à patria poteſtate exemptam. Ratio eſt: quia voluntas puberum non eſt ampliùs alieni juris: ergo tantùm poteſt dari poteſtas irritandi votum ratione objecti, ſeu materiæ non exemptæ, circa quam editum votum præjudicat adminiſtrationi, & gubernationi domeſticæ: quale, teſte Palao, etiam eſt votum jejunii, ex quo timeretur morbi periculum, vel defectus virium pro laboribus ordinariis, vel moleſtia in diverſis cibis parandis. Hinc patet votum Religionis, caſtitatis, ordinis ſuſcipiendi, in quibus filius eſt ſui juris, item dandi eleemoſynam ex bonis Caſtrenſibus, vel ex iis bonis adventitiis, quorum filius, & non pater, adminiſtrationem habet; & denique omnia ea, quæ poſt egreſſum ex poteſtate patris, aut Curatorum, aut matris curatricis (nam hoc tit. filius pubes ſubeſt poteſtati Matris) emittuntur, irritari ampliùs non poſſe.

125 Dicendum Tertiò cum longè communiori ſententia S. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 8. *ad* 3. Soti, Navarr. Medinæ Suar. Sanchez & aliorum quos referunt, & ſequuntur Laym. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 6. & Palao *tractat.* 15. *diſp.* 2. *p.* 8. poſſe Prælatum Religionis omnia vota Religioſi ſibi ſubditi, etiam quorum materiam aliàs ratione præcepti prohibere non poteſt, quoad obligationem voto contrahendam, irritare, exceptis votis ad Religioſum ſtatum pertinentibus, & voto ingrediendi Religionem ſtrictiorem, cujus ſicut invito etiam Superiore ingrediendi, ſic etiam vovendi voluntatem ab aliena poteſtate independentem, Pontifex communiter cenſetur reliquiſſe: eò quòd tale votum verſetur circa tale objectum, cujus executio eximit Religioſum à Juriſdictione Superioris: unde neque propter meliorem gubernationem conveniebat Superiori concedi poteſtatem tollendi obligationem; ſicut conceſſa eſt reſpectu aliorum objectorum, alioquin præceptorum, & quidem etiam à Superiore inimpedibilium. Quoad reliqua ergo vota probatur concluſio. Quia ſicut Magiſtratus poteſt ponere certas leges, & conditiones contrahendi, ſic Pontifex propter majorem perfectionem Religioſi, ejuſque faciliorem gubernationem poteſt ſtatuere legem vovendi Religioſam obedientiam non aliter, quàm cum perfecta abdicatione propriæ voluntatis; quam legem de facto ſanxiſſe ex praxi, & uſu Religionum probant Leſſ. Sanch. Vaſq. Suar. Bonac. Laym. Palao, & ſupponit Angelicus Doctor *l. c.* & S. Auguſtinus relatus *in cap. Non dicatis* 12. *quæſt.* 1. ideò etiam *cap. Si Religioſus de Electione in* 6. dicitur *Cum velle & nolle non habeat, ſed ex illius, quem Dñi vice ſuper caput ſuum poſuit, & cujus imperio ſe ſubjecit, voluntate dependeat &c.* Hujus nomine intelliguntur omnes Superiores mediati, & immediati atq; etiam Sum. Pontifex, quatenus ut ſupremo omnium Religionum prælato ſe quis eidem per votum obedientiæ dicto modo ſubiicit, licèt independenter à voto, & abdicatione propriæ voluntatis Pontifex non habeat poteſtatem, directè irritandi vota, ut apud Palao *diſp.* 2. *puncto* 2. *num.* 2. docent præcipui AA. cum S. Thoma 2. 2. *quæſt.* 88 *artic.* 12. *ad* 2. quia nullibi habetur, hanc poteſtatem ſuo Vicario à Chriſto datam eſſe, cùm ad gubernationis munus rectè obeundum, ſufficiat poteſtas irritandi indirectè, prohibendo ſcilic. rem promiſſam, vel mandando rem incompoſſibilem cum executione voti, vel ſtatuendo certas conditiones, ſub quibus validè vota emittantur.

126 Dicendum Quartò. Etiamſi teſte Leſſ. Bon. Lop. Palao probabilis ſit ſententia Soti, Sanch. Tamb. eique faveat S. Thom. *l. c. art.* 8. *in argum. ſed contra & ad* 3. quòd ſcil. Maritus omnia vota uxoris directè irritare poſſit, ejuſque voluntas plenè dominio mariti ſubdita ſit, ſicut voluntas Religioſi prælato. Cùm ad *Eph.* 5. Uxor dicatur ſubjecta viro, ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto; probabilior tamen, & longè communior eſt ſententia oppoſita Navarri, Valentiæ, Azor, Sayr. Leſſ. Suar. Bonac. quos refert, & ſequitur Palao *l. c. punct.* 6. Innocentii, S. Anton. Philiarchi, Lopez, quos refert, & ſequitur Laym. *l. c. num.* 12. quòd tam maritus vota uxoris, quàm Uxor vota mariti, eatenus tantùm irritare poſſint, quatenus præjudicant uſui matrimonii, educationi prolis, & adminiſtrationi familiæ: quia S. Paulus videtur paritatem tantùm inſtituiſſe inter ſubjectionem Eccleſiæ erga Chriſtum, & Uxoris erga maritum in rebus ad predictos matrimonii fines ſpectantibus. Et ita etiam reſponderi poteſt ad legem Moyſi datam in Numerorum libro *cap.* 30. *v.* 11. ut patet ex *v.* 14. ubi per votum jejunii, & abſtinentię, quaſi per exemplum declaratur poteſtas viri ad irritandum vota uxoris, ſcilicet in materia ipſi ſubjecta. Et ſic etiam intelligi poteſt S. Thom. *l. c.* ut Uxoris cum filiis naturalibus, & Religioſis tantùm paritatem reſpectivam ad materiam ſubjectam marito inſtituat. Quòd ſi tamen ibi conceſſa eſſet univerſalis poteſtas irritandi Vota Uxoris, ajunt Palao & Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 89. in novo teſtamento ceſſaſſe illam conceſſionem, quę ſolùm erat cęremonialis conſtitutio, unde etiam non valebat irritatio voti, niſi ſervata forma pręſcripta. Itaque noſtram concluſionem ſic probo. Subjectio Uxoris erga Maritum fundatur ſolùm in contractu matrimonii: ergo hęc eatenus ſuſcipitur, quatenus ſervit ad finem matrimonii, E contrariò licèt Uxor debeat parere in iis viro, quę ſpectant ad recenſitos fines matrimonii, acquirit tamen etiam ipſa jus obligandi maritum, ut eoſdem fines procuret: ergo vota obſtantia huic fini poteſt etiam ipſa irritare. Hinc autem quia poteſtas vota irritandi tantùm ſe extendit ad materiam, juri conjugum ſubjectam, & non ulterius, rectè

Infertur primò, maritum non poſſe irritare omnia vota uxoris, ab ea ante matrimonium, & ante pubertatem edita, neque vota realia poſt pubertatem emiſſa, niſi pręjudicent illius Juri matrimoniali, quamvis Sanch. *lib.* 9. *de Matrimon. diſp.* 41. putet probabiliter dici poſſe, quòd maritus ſuccedat loco parentis, tutoris, vel curatoris, & ea dem in ipſum transferatur poteſtas, quam illi habebant. Verùm cùm maritus neque ex Jure naturali, neque poſitivo, neque ex contractu hujuſmodi poteſtatem in uxorem acquiſiverit, meritò hęc ipſi negatur. 127

Infertur ſecundò. Neutrum conjugem poſſe irritare alterius votum, non petendi debitum conjugale, cum neuter habeat jus obligandi ad petendum, ſed ſolùm ad reddendum. Fateor tamen oppoſitum etiam eſſe probabile: & in praxi tutum, quòd, licèt neuter conjux poſſit alterum obligare ad petendum debitum, poſſit illum tamen obligare, ne ſe inhabilem reddat ad petendum; quia hoc jus per contractum matrimonii ſibi mutuò videntur communicare, tamquam valdè conducens ad ſtatum matrimonii leviorem, & amabiliorem ſibi mutuò reddendum (debere enim petere, eſſet oneroſum, poſſe autem petere, ſi placuerit, eſt favorabile ſtatui matrimonii) quia, pręſertim uxori ob innatam fœminis verecundiam, eſſet valdè moleſtum, ſi ipſa ſemper deberet petere debitum, ut docent plures relati à Sanch. *lib.* 9. *diſp.* 42. *num.* 7. à quibus quidem ipſe diſſentit, ſed in eodem *libr. diſp.* 7. ſuggerit aliud remedium verecundiæ mulierum, nempè licere marito, ut uxori non petenti ſe inſinuet, & offerat ad reddendum debitum, quod nec improbat S. Thom. 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 2. *qu.* 2. *ad* 4. ubi ait de marito continentię voto obſtricto. *Quidam tamen dicunt, quòd poteſt & petere, & reddere, ne nimis oneroſum reddatur matrimonium uxori, ſemper exigenti. Sed hoc, ſi rectè inſpiciatur, eſt exigere interpretativè.* Dicit itaque S. D. quòd maritus ideò licitè petat debitum, quia prudenter interpretatur voluntatem uxoris.

Dicendum Quintò. Domini poſſunt vota ſervorum, 128
ſive propriè dictorum, ſive tantùm famulorum, ante aut intra tempus ſervitutis emiſſa, eatenus irritare, vel po-

potiùs ſuſpendere, quatenus obſequio illorum prejudicant. Ratio eſt, quia Domini habent tantùm dominium utile in ſervum, ergo ea tantùm vota, & pro eo dumtaxat tempore poteſt irritare, quę, & quamdiu eorum dominio utili, nempe debito obſequio prejudicant.

§. II.

Quænam Vota irritari poſſint.

S V M M A R I V M.

129 *Poſſunt etiam merè interna vota irritari.*

130 *Vota ex conſenſu Superioris emiſſa, ab ejus ſuperiore, non tamen ab inferiore, poſſunt irritari.*

131 *Superior dans conſenſum poteſt, revocato conſenſu, iterum irritare votum propter retentum Dominium in ſubditi voluntatem.*

132 *Hoc tamen non poteſt, habens tantùm dominium in rem voto ſubjectam, quando datione conſenſus dominio renunciavit: poteſt autem, ſi non renunciavit.*

133 *Utrum autem ſine iuſta cauſa revocans conſenſum peccet, cum diſtinctione reſpondendum eſt.*

134 *Vota emiſſa tempore ſubjectionis, non fundatæ in naturali Intellectus, & voluntatis imbecillitate, nimirum emiſſa poſt pubertatem obtentam, ſublata, aut ſuſpenſa ſubjectione, non poſſunt ampliùs irritari, quamdiu durat exemptio à ſubjectione.*

135 *Votum editum tempore ſubiectionis, implendum tempore libertatis non irritari poteſt niſi ab habente dominium in voluntatem voventis.*

136 *Vota emiſſa ante ſubiectionem, tempore ſubiectionis non poſſunt directè irritari, ſed tantùm ſuſpendi quoad executionem, niſi vovens fuerit impubes.*

137 *Vota valida, executioni data, non poſſunt irritari.*

138 *Vota edità cum conſenſu ſuperioris in utilitatem tertii, abſque vera promiſſione homini facta, ante executionem irritari poſſunt.*

139 *Vota realia, cum conſenſu Superioris edita, & ad heredem translata, nequeunt irritari.*

140 *Quid requiratur ad hoc, ut irritatio votorum ſit valida ac licita.*

141 *Habens poteſtatem irritandi votum certò irritabile, idem poteſt circa votum probabiliter irritabile.*

129 DIcendum Primò. Vota merè interna irritari poſſe. Probatur. Quia ad irritationem plus non requiritur, quàm negatio conſenſus, à quo pendent vota voluntatis ſubjectæ dominio alterius. Quòd ſi verò non etiam Lege humana poſſit imponi obligatio actus merè interni, ſicut poteſt poni deobligatio, hoc inde provenit: quia ad rem præceptam præmiis, & pœnis Legislator debet poſſe ſubditum compellere, quod fieri nequit, ſi executio, & neglectus executionis, neque per ſe, neque per aliud externum, cum interno connexum, medium Legislatori poſſit innoteſcere.

130 Dicendum Secundò. Vota emiſſa ex licentia Superioris ſubordinati poſſe ab altiore irritari, non tamen à ſubordinato, quæ ex altioris licentia emiſſa ſunt. Ita Suar. Sanch. Palao, & alii. Ratio eſt: quia ſubditus dependet a ſubordinati Superioris poteſtate, quatenus ea eſt conformis altiori poteſtati: ergo ſi hæc eſt difformis, ſubditi voluntas debet altiori ſe accommodare.

131 Dico Tertiò. Cum communi ſententia, quam tenet Laym. *l 4. tract. 4. cap. 7. num.* 14. Leſſius *lib. 2. capit.* 40. *num.* 76. referens Panorm. Navarr. Cajet. Sylv. Sotum Fumum, ipſumque S. Auguſtinum quibus Laym. addit Aragonium Suarez, Sanchez, Valent. Richardum, conſentit etiam Palao *tract. 15. diſp. 2. punct. 3. §. 2. num.* 3. allegans etiam Cajetanum, Azor, Emanuelem Saà, quòd vota edita cum licentia Superioris, cui voluntas voventis ſubjecta eſt, poſſint ab eodem Superiore, vel etiam ab æquali v. g. ſi pupillus pluribus tutoribus ſubjectus ſit, vel à ſucceſſore per retractationem licentiæ, etiam cum promiſſione non retractandi datæ, rurſum irritari; quia talis Superior adhuc uteretur Jure ſuo: cùm poſt datam licentiam retineat integrum ſuum dominium in ſubditum v. g. Prælatus in Religioſum, & Pater in filium impuberem.

Dicendum Quartò. Vota ſubditorum non ratione vo- 132
luntatis, ſed ratione rei promiſſæ, poſt datam licentiam vovendi cum reſervatione juris, poſſunt adhuc irritari; non autem ſi licentia data ſit cum renunciatione juris. Ratio eſt manifeſta; quia quando vota dependent à jure alterius, iſto non cedente jure ſuo, Deus non acceptat vota, niſi in quantum ſalvo jure alieno præſtari poteſt eorum executio. Poſtquam verò alter ceſſit jure ſuo, ipſum jus non ampliùs redit: ergo neque habet jus votum irritandi.

Utrum autem, & quomodo in caſu hujus, & præce- 133
dentis concluſionis, Superior peccet, ſi datam vovendi licentiam abſque juſta cauſa per ſuam poteſtatem dominativam in voluntatem perſonæ voventis, vel per reſervationem Juris in rem voto promiſſam revocet, non conveniunt AA. aliqui dicunt peccari tantùm venialiter, ut Sotus, Suar. Roſella relati, & approbati à Palao *loc. cit. nu.* 9. quorum ſententiam probabilem fatentur Laym. *loc. cit. num.* 18. Sanchez *lib. 4. de Voto cap.* 27. *num.* 32. Alii verò, & communiter dicunt peccari mortaliter in materia gravi, eò quòd videatur cedere in grave præjudicium Religionis, & cultus divini, abſque juſta cauſa impedire executionem voti validi. Verùm quia per revocationem licentiæ, & conſenſus prioris, votum deſinit vel potiùs impeditur, ne incipiat perfectè, & firmiter eſſe validum, ac obligatorium, & quia revocans utitur jure ſuo, non video quomodo iſte peccet mortaliter, venialiter tamen peccare facilè concedo; quia alterius opus bonum, præſertim jam actu debitum, ſine juſta cauſa impedire, faciendo quidem indebitum, ac omiſſionem illius licitam reddendo, eſt quidam venialis abuſus ſuæ poteſtatis, ac juris. Imò ſi quis dando licentiam etiam promiſiſſet, quod non eſſet eam revocaturus poſſet ipſa promiſſio in alterum transferre jus, cujus violatio in materia gravi, & valde utili, aut ad ſalutem neceſſaria voventi e. g. in voto ingrediendi Religionem, etiam grave eſſet peccatum: & ſic poterunt forſitan conciliari oppoſitæ ſententiæ.

Obiici tamen adhuc ſolet à communiore ſententia, univerſaliter revocationem conſenſus in votum materiæ gravis damnante peccati mortalis, quòd in *lib. num. cap.* 30. *v.* 16. de Marito irritante votum uxoris dicatur: *Portabit ipſe iniquitatem ejus*. Subſumunt AA. hujus ſententiæ. Atqui iniquitas uxoris violantis obligationem voti in materia gravi eſſet peccatum mortale: Ergo maritus portabit, ſive transferet in ſe peccatum mortale: Reſpondetur, quòd ex hoc textu, ſi quid probaretur, nimium probaretur: cùm enim univerſaliter loquatur, non excipiendo irritationem voti, factam ex juſta cauſa, & non tantùm de revocatione conſenſus, ſive datæ licentiæ, ſed de prima, & immediata Irritatione, ac contradictione mariti, idem ſtatuat, inferri deberet, quòd etiam per juſtam, ac primam irritationem voti maritus transferat in ſe iniquitatem culpæ mortalis. Itaque dictorum verborum ſenſus ſolùm eſt iſte, quo cum aliquem volumus declarare liberum ab obligatione, ſolemus dicere: ego ſuſcipio in me culpam tuam, ego illam portabo, ego pro te reddam rationem &c. Simili ergo modo maritus portabit iniquitatem uxoris, id eſt, immunem reddet uxorem, & auferet ab ea iniquitatem ejus. Vel dici poteſt, illius propoſitionis ſenſum eſſe conditionatum, aut disjunctivum: quòd ſcilicet contradicente marito promiſſioni uxoris, vel nulla ex omiſſione executionis ſit oritura iniquitas, vel ſi quæ eſt oritura, illa non ab uxore, ſed à marito ſit committenda. Quo tamen non aſſeritur, quòd eadem iniquitas ſit committenda, quæ committeretur ab uxore violatione voti. Quia maritus non poteſt teneri voto, in quod neque ratione uxoris, neque ratione ſuæ perſonæ conſenſit, & cujus non fuit cauſa violandi, ſed tollendi: unde neque peccato ſcandali, aut communicationis in crimine ſe obſtrinxit.

Se-

Secundò objici tamen adhuc poſſet. Qui ſine juſta cauſa diſpenſat in voto jam abſolutè obligante ſub culpa mortali, peccat mortaliter: ergo etiam qui ſine juſta cauſa irritat votum, ratione prioris conſenſus jam abſolutè obligans, peccat mortaliter. Reſp. 1. Si eſſet paritas inter diſpenſantem, & irritantem votum, ſequeretur, quòd uterque non tantùm illicitè, ſed etiam invalidè remitteret obligationem voti. Reſp. Ergo ſecundò negando paritatem, quia diſpenſans ſine juſta cauſa impedit executionem voti, manente ejus obligatione, & arrogat ſibi poteſtatem, quam non habet. Irritans autem votum, impedit ejus executionem tollendo obligationem, & utitur poteſtate, quam habet. Unde irritans votum per revocationem conſenſus præſtiti potiùs ſe habet ſicut Legiſlator diſpenſans cum ſubdito ſine juſta cauſa in propria Lege, quem ſecluſo gravi Scandalo, vel alio gravi damno *in tract.* 1. *diſp.* 2. *nu.* 52. diximus ſolùm peccare venialiter.

134 Dicendum quintò. Vota emiſſa tempore ſubjectionis, non fundatæ in naturali voluntatis, & intellectus imbecillitate, poſt perfectè ſublatam, aut ſuſpenſam ſubjectionem, non poſſunt irritari ab eo Superiore, à cujus ſubjectione, & pro quo tempore vovens exemptus eſt, etiamſi non de novo ſint confirmata. Ratio eſt: quia irritatio eſt actus poteſtatis dominativæ, quam cùm ſubdito, nec licitum, nec validum ſit, violare per emiſſionem voti, ideò ſemper cenſetur illud emittere hac implicita conditione: ſi ſcilicet non præjudicaverit juri Superioris: atqui etiamſi Superior ſublata, vel ſuſpenſa ſubjectione deneget conſenſum, votum pro illo tempore non præjudicat Juri Superioris: ergo etiamſi deneget conſenſum, votum non redditur irritum.

Addidi tamen primò. *Non fundatæ in naturali voluntatis, & intellectus imbecillitate*: Quia contra aliquos relatos à Palao *diſp.* 2. *punct.* 3. §. 3. *num.* 5. apud eundem communiſſima ſententia docet, Patrem (& hujus loco curatorem, qui teſte Sanch. Leſſ. Laym. Palao, Tambur. Patris poteſtati uſque ad vigeſimum quintum annum ſuccedit, non tantùm in adminiſtratione bonorum ſed ſecundariò etiam in omnibus aliis, ad quæ ejus poteſtas ſi adhuc viveret, ſe extendiſſet) poſſe vota filii ab impubere edita poſt ejus pubertatem irritare, quia vota in ætate debili ac infirma contracta, conſenſum patris non tantùm propter ejus dominium, ſed propter voventis immaturitatem involvunt, propter quam Patri dominium conceſſum eſt in omnes actus filii impuberis, ita ut iſti ratione ſuæ immaturitatis dependeant à conſenſu patris, licèt vovens deinde ad maturitatem, aut pubertatem pervenerit.

Addidi ſecundò. *Poſt perfectè ſublatam, aut ſuſpenſam ſubjectionem*; quo modo non auferretur, nec ſuſpenderetur, ſi v.g. Religioſus ad novitiatum ordinis ſtrictioris accederet, vel per aliquod tempus ad triremes damnaretur; quia talis non perfectè ſepararetur à ſua Religione, aut monaſterio. Auferretur tamen per profeſſionem in alio ordine, vel per electionem ex monaſterio, vel per electionem in Epiſcopum. Quòd ſi deinde is depoſita dignitate Epiſcopali rediret, vel ejectus iterum reciperetur in ſuum monaſterium, hoc ipſo Prælatus acquireret rurſum Jus irritandi omnia vota hujus Religioſi non tantùm ea, quæ tempore ſubjectionis, ſed etiam, quæ tempore exemptionis fuiſſent emiſſa: quia vovens permanſiſſet Religioſus, & ſubjectus ſaltem Pontifici, ut ſupremo omnium Religioſorum Prælato, adeòque vota ſua emiſiſſet ſub beneplacito ſui Superioris, ut quocumque vitæ tempore ſuus Superior, quem aut quos eſſet habiturus, ea irritare poſſet. Imò etiamſi non manſiſſet Religioſus, ſi tamen iterum fieret Religioſus, poſſet ejus Superior ſaltem ſuſpendere illorum executionem ut dixi in concl. 7.

Addidi tertiò. *Etiamſi non de novo ſint confirmata*. Tunc enim quoad ipſam confirmationem irritandam omninò nulla eſſet controverſia: cenſeretur autem confirmare votum, non ſi qualicunque modo priorem actum voti ratificaret, prout vota jam contracta renovari ſolent; ſed ſi ita vellet de novo ſe obſtringere, ut ſi priùs votum non valuiſſet, ſe novo hoc actu obſtrictum cuperet.

135 Dicendum ſextò. Votum editum tempore ſubjectionis, implendum tempore libertatis, irritari poteſt ab habente dominium in ipſam voluntatem, non verò ab habente nunc dominium in rem promiſſam, poteſt pro eo tempore, pro quo ceſſabit ejus dominium. Ratio eſt: quia prior ratione dominii in voluntatem poteſt directè irritare, & annullare ipſum actum, ex quo deberet oriri obligatio voti: poſterior verò ratione dominii in ſolam rem non poteſt irritare actum, ſed tantùm poteſt inhibere executionem, eo tamen dominio ceſſante, cùm obligatio actus adhuc perſeveret, neque executionem inhibere poteſt. Hinc curator non poteſt irritare vota filii puberis, nec maritus uxoris, nec Dominus ſervi, implenda poſt minoratum filii, mortem aut divortium mariti, & ſubjectionem ſervi; licèt hi omnes ſuſpendere poſſint executionem, ſi ea vi voti tempore ſubjectionis inchoanda, & deinde continuanda eſſet: quia materia voto ſubjecta afficit tempus diviſibiliter.

136 Dicendum ſeptimò. Vota emiſſa ante ſubjectionem, deinde tempore ſubjectionis non poſſunt directè irritari, ſed tantùm ſuſpendi quoad executionem, niſi vovens, etiam cùm emitteret vota fuerit in ſtatu exigente actualem ſubjectionem, eaque per accidens fuerit impedita. Probo. Quia votum eatenus poteſt irritari, quatenus emittitur ſub beneplacito ſuperioris, id eſt, ſub hac conditione, ſi ſuperiori placeat, illeque conſentiat: ſed quando aliquis, nec habet ſuperiorem, nec eſt in ſtatu exigente ſubjectionem erga ſuperiorem, non poteſt ſub illius beneplacito emitti, neque ex ulla interpretatione juris habetur, quòd Votum editum à tali homine, involvat quaſi duplicem hanc conditionem, ut vovens dicat: Volo obligationem iſtud faciendi, Si non ſim habiturus ſuperiorem, vel ſi quem ſim habiturus, ſi illi placeat: ergo votum dicto modo emiſſum ante ſubjectionem non poteſt directè irritari ſequenti tempore ſubjectionis: ſed tantùm ſuſpendi quoad executionem, quatenus hæc deinde præjudicat dominio ſuperioris, quod per ſubjectionem voluntatis acquirit in omnes actus, vel ratione materiæ in eos, qui eidem materiæ præjudicant. Hinc etiamſi maritus juxta multorum ſententiam per matrimonium dominium in voluntatem uxoris habeat; nequit tamen ille, ut ſupra *numer.* 127. dixit, irritare ejus vota priùs emiſſa, neque Prælatus poteſt irritare vota ante profeſſionem à ſubdito Religioſa jam pubere edita (de editis verò ab impubere concedit Sanch. *lib.* 9. *de Matrim. diſput.* 41. poteſtatem irritandi, ſicut, & marito quoad vota ab uxore impubere facta) quamvis vota Religioſorum, ut inquit ex communi Palao *diſput.* 2. *punct.* 3. §. 5. profeſſione Religionis, tanquam ſolutione illorum perfectiſſima, aliàs extinguantur, & per vota ſimplicia noſtræ Religionis pro tempore perſeverantiæ in eadem ſuſpendantur, ut conceſſit Gregorius XIII. in Bulla *Aſcendente Domino*. E contrario vota filii impuberis edita poſt mortem utriuſque parentis, antequam ipſi aſſignaretur tutor, poſſunt ab eodem deinde aſſignato, vel denique etiam à Curatore irritari: ut ea neque tempore pubertatis, neque tempore majoratus, quando neque tutoris, neque curatoris dominio præjudicant, obſervare teneatur: quia tutor, & curator (non autem maritus) ſuccedunt in omnia jura parentis, & per accidens eſt, quòd filius impubes, cùm voveret, non habuerit actualem Superiorem: unde quantum fieri poteſt, debent vota in imbecilli ætate edita, ex præſumpta interpretatione Juris, ita explicari, ut imprudentiæ voventis conſulatur, ne ſcilicet obligationem ſubeat invito Superiore, quem ratione ſui ſtatus, & conditionis exigit aliquando habere, licèt actu, cùm voveret, eum nondum habuerit. Et propter hunc caſum in concluſione addidi: Niſi vovens &c. Hujus enim votum cenſetur habere hunc ſenſum. *Voveo me hoc facturum, ſi ſuperiori, quem neceſſario ſum habiturus, placuerit*.

137 Dicendum octavò. Vota cum licentia Superioris edita, non poſſunt per illius revocationem poſt executionem factam irritari ad rem alienam repetendam. Ratio eſt clara: quia per traditionem Res facta eſt juris alterius: ergo non poteſt repeti.

138 Dicendum nonò. Vota edita cum conſenſu Superioris in utilitatem alterius hominis, vel communitatis, abſque vera promiſſione illis facta, per revocationem con-

conſenſus ante executionem, irritari adhuc poſſunt, non tamen ſi veram promiſſionem homini vel communitati factam contineant. Ratio prioris partis eſt: quia tunc nulla obligatio Juſtitiæ intervenit, ut in priore quæſtione art. 4. concluſ. 4. dictum eſt: ergo Superior poteſt uti poteſtate ſua dominativa. Ratio ſecundæ partis eſt: quia per promiſſionem, cum Superioris conſenſu factam, alteri abſolutè acquiritur Jus ad rem voto ſubjectam: ergo Superior neque actum ampliùs poteſt irritare: aliàs nemo cum Religioſis auderet contrahere, ſi promiſſiones cum conſenſu Superioris factæ firmæ non eſſent, ſed ad nutum ejuſdem revocabiles. Unde ex utriuſque partis probatione patet diſparitas, cur promiſſio Deo cum conſenſu Superioris facta, ſit revocabilis, non autem homini facta: DEUS enim non acceptat promiſſionem ſibi ſoli factam, niſi cum ſtabili conſenſu Superioris, cui voluit voventem eſſe conſtanter ſubjectum.

139 Dicendum decimò. Vota realia cum conſenſu Superioris edita, & ad hæredem tranſlata, non poteſt Superior irritare, ut docet Sanchez, Palao & alii. Ratio eſt: quia poſt mortem voventis neque perſona vovens, neque res voto promiſſa, manet in dominio Superioris, ergo non poteſt exercere actum poteſtatis dominativæ, qualis eſt irritatio.

140 Pro coronide totius de irritatione votorum traditæ doctrinæ quæritur, quid requiratur ad hoc, ut irritatio voti valida & licita cenſeatur. Reſp. cum Palao *diſp.* 2. *pun.* 4 *n.* 8. ad validam, & propriè dictam irritationem, prout a ſuſpenſione diſtinguitur, plus non requiri, quàm poteſtatem dominativam, actu poſſeſſam, & ſaltem probabiliter competentem, ut e. g. probabiliter quis judicetur eſſe legitimus Parens, Prælatus, conjux Dominus: ac præterea actualem diſſenſum in perpetuum, vel indefinitè, & non tantum ad certum tempus præſtitum: etiamſi ſubditus neque irritationem acceptet, ſed invitus ſit, neque certò de voti irritabilitate conſtet, neque juſta cauſa voti irritandi interveniat: hæc enim ſolummodo ad indirectam irritationem, ſeu potiùs ad ſuſpenſionem, non à poteſtate Dominativa, ſed à Jurisdictione prohibendi, vel impediendi executionem voti, provenientem neceſſaria eſt. Ratio iſtius hæc redditur. Quia non impleta conditione quam votum involuit, votum eſt nullum ac irritum; ſed ſolo diſſenſu perpetuo ac indefinito legitimi Superioris poſito, non impletur conditio, quam involuit votum, vel certè ſupponitur non impleri, quamdiu præbens diſſenſum probabiliter creditur legitimus Superior perſiſtens in poſſeſſione ſui Juris: ergo votum eſt nullum ac irritum, vel certè meritò ſupponitur tale quamdiu non conſtat de errore juris Superioris: de quo tamen ſi ſubſequenti tempore conſtaret, irritatio facta, fuiſſet invalida: quia error, eſtò ſuppleat jurisdictionem, non poteſt ſupplere dominationem, de hac enim jura nihil diſpoſuerunt.

Quod autem ea, quæ recenſui, irritationem non impediant, Ratio ſingulorum eſt: quia in primis Superior propter ſuum abſolutum dominium poteſt ponere diſſenſum invito ſubdito, irritatio voti per diſſenſum non eſt uſus alicujus privilegii, exercitus à ſubdito, ſed exercitus inimpedibiliter à Superiore, licèt forſan in ſubditi utilitatem dirigatur. Unde nihil obſtat commune illud effatum, quod nemo teneatur uti priuilegio.

141 Alterum deinde quòd incertitudo de irritabilitate uoti non obſtet irritationi, hac ratione nititur, quia ex uniuerſali poteſtate & dominio Superioris nullum uotum eſt extrahendum; utpote in poſſeſſione ſui Juris permanentis, quamdiu non conſtat certò eſſe extrahendum, hinc ſi dubitatur, an non votum ſit emiſſum, vel de nouo confirmatum tempore exemptionis, poteſt irritari votum ab eo Superiore, qui illud poſſet, ſi conſtaret emiſſum eſſe tempore ſubjectionis. Idem dicendum eſt, ſi dubitatur, an non executio ſit deſtinata in tempus libertatis: quia præſumi debet, voventem non intendiſſe talem dilationem. Deinde opus non eſſe juſta cauſa ad irritationem, patet inde, quòd quocunque modo non ponatur conſenſus, hoc ipſo non ponatur conditio, à qua votum dependet.

Ad licitam autem irritationem ſeu denegationem conſenſus Reſp. ſufficere leuem cauſam; quia nemo tenetur cedere Jure ſuo licèt ex tali ceſſione alteri magnum commodum, vel honor Deo enaſceretur; quamuis deficiente omni cauſa à veniali culpa conſenſus denegatio non ſit excuſanda, teſte Leſſ. Suar. Sanch. Vaſq. Laym. Palao *diſp.* 2. *pun.* 4. *n.* 5. quia ſine cauſa nemo debet alteri impedimento eſſe, ad virtutem, vel ad bonum aliquod ſpirituale conſequendum.

ARTICULUS V.

De diſpenſatione Voti.

SUMMARIUM.

142 *Datur in Eccleſia poteſtas diſpenſandi in votis ex cauſa ſaltem apparenter juſta.*
143 *Quæ ſit juſta cauſa diſpenſandi in votis.*
144 *Quibus competat poteſtas diſpenſandi in votis.*
145 *Quinque vota ſunt reſervata ſummo Pontifici, niſi ſint pœnalia, vel conditionalia.*
146 *Probatur exceptio votorum pœnalium & conditionalium, & additur exceptio votorum disjunctivorum ac commutatorum à Pontifice.*
147 *In caſu neceſſitatis poteſt Epiſcopus diſpenſare in votis reſervatis, quantum neceſſe eſt.*

Diſpenſatio eſt *actus Jurisdictionis externæ Spiritualis ſeu Eccleſiaſticæ, propria aut delegata, quo obligatio voti DEI nomine remittitur.* Vices enim ſuas DEUM 142 etiam quoad voti vinculum Eccleſiæ gubernatoribus commiſiſſe, Doctores, & SS. PP. collegerunt ex verbis: *Tibi dabo Claves Regni Cælorum, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis. Matt.* 16. Item 18. *Amen dico vobis quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælis.* Quibus verbis à DEO uniuerſalis poteſtas collata eſt, omne vinculum, cujus ſolutio ad ſalutem Animarum, & Eccleſiæ rectam gubernationem pertinet, relaxandi. At quia, qui ſine juſta cauſa, ſaltem apparente, debita ac jura Domini ſui remittit, bona illius non legitimè diſpenſat, ſed diſſipat; ideo Theologi omnes cum S. Tho. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 2. & Juriſtæ cum Gloſſa *in cap. Non eſt, verbo Adimplere, de voto,* ad validam diſpenſationem cauſam ſaltem apparenter Juſtam requirunt.

Dixi: *Saltem apparenter juſtam.* Nam Leſſ. *lib.* 2. *c.* 40. *n.* 119. Sanch. *lib.* 4. *c.* 44. *n.* 10. & apertiùs *lib.* 8. *de Mat. diſp.* 17. *n.* 8. Azor *lib.* 7. *c.* 29. *q.* 6. Tam. *lib.* 3. *c.* 16. §. 4. *n.* 3. probabile putant, quòd ſicut DEUS ſecundùm plurium doctrinam dedit poteſtatem diſpenſandi cum cauſa dubia, ſic dederit cum cauſa apparenter juſta, ita ut propter illam votum non tantum ſuſpendatur, ſed omnino remittatur. Et quamuis deinde certò conſtet de nullitate cauſæ, tamen vouens ad executionem non teneatur, modò non expreſſione falſi, vel ſupreſſione veri, quod in petitione diſpenſationis de Jure, vel juxta ſtylum aut conſuetudinem communem indicandum erat, cauſa falſificetur. Cujus quidem doctrinæ fundamentum, quòd ſcil. ſcrupulorum euitatio id exigit. Palao *diſp.* 2. *pun.* 9. *n.* 4. cum Salas & Baſilio Legionenſi rectè notant, eſſe inualidum, eò quòd nulli ſcrupulo locus ſit, modò votum validè ſuſpenſum maneat, donec de nullitate cauſæ certò & indubitanter conſtet. Fortiores, ut opinor, rationes ego attuali pro valore diſpenſationis in lege ex cauſa apparenter juſta *tr.* 2. *diſp.* 2. *n.* 54. ubi pro eadem ſententia adduxi Joannem Azor & Hermann. Buſembaum, quorum Rationum vis, & DD. authoritates ob paritatem Doctrinæ etiam pro valore diſpenſationis in voto pugnant.

Cæterùm tria circa diſpenſationem ſunt examinanda. Primum. Quænam cauſæ ſint ſufficientes 143 ad diſpenſationem voti, ſaltem commutatione mixtam. Secundum. Quinam habeant poteſtatem diſpenſandi. Tertium. Ad qualia vota ſingulorum poteſtas ſe extendat.

Ad Primum. dicendum. Cauſam, quæ ad diſpenſationem voti concedendam inducere, & ſubinde etiam ſub graui peccato obligare poteſt, non quidem debere

re eſſe tantam, ut per ſe obligationem annullet, ſed vel rationem voluntarii ex parte actus, vel exequibilitatem ex parte objecti notabiliter diminuat. Ratio primæ partis eſt, quia ſi cauſa ſit tanta, ut obligationem voti annullet, non opus eſt diſpenſatione. Talis autem cauſa communiter eſſe cenſetur vel defectio finis totalis, vel ſaltem partialis, ſine quo alter finis partialis non habuiſſet ſufficientem virtutem movendi. Item notabilis, mutatio materiæ, vel in re vel in prudenti hominum æſtimatione: ut fit, ſi materia moraliter impoſſibilis, aut independenter à deprauata voluntate voventis longè difficilior redditur, ut jejunium adveniente gravi ætate, vel perpetua infirmitate: Nam ſi infirmitas, vel cauſa excuſans ab executione voti eſt tantùm temporalis, votum per ſe tantum ſuſpendtur; non autem tollitur, ſed ceſsante cauſa redit obligatio.

Ratio ſecundæ partis eſt: quia cum tali cauſa adhuc poteſt conſiſtere obligatio voti, conſequenter ad eam tollendam diſpenſatio eſt neceſſaria. Si verò eadem Dei nomine concedatur, manifeſtatur inde Divina Clementia, quæ in bonum vouentis obligationem voti remittit, & procuratur vouentis utilitas; qui ob defectum perfectæ deliberationis, minuentis rationem voluntarii, vel ob augmentum difficultatis poſſet ſubire periculum transgrediendi vòtum: ergo ob talem cauſam rationabiliter præſumitur, votum, Dei nomine, validè diſpenſari. Cauſæ autem, rationem voluntarii diminuentes, ſunt, debilitas ætatis, vehementia affectus inordinati ad votum impellentis, error vel ceſſatio cauſæ moraliter impulſiuæ, quæ rationes ad diſpenſationem, ſaltem commutatione mixtam, ſufficiunt teſte Sanch. Palao, & licèt non conjungantur cum ſpeciali difficultate exequendi votum. Cauſæ executionem voti difficilem reddentes ſunt, humana fragilitas, & ſpiritualis indiſpoſitio vouentis, parvus habitus ex frequenti transgreſſione contractus, damnum ex voti executione Reipublicę, uel priuatę familię emergens.

144 Ad ſecundum dicendum. Omnes Prælatos Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes gaudere poteſtate ordinaria diſpenſandi in votis ſuorum ſubditorum, ſummo Pontifici non ſpecialiter reſervatis, ut docent AA. unanimi conſenſu. Poteſtate autem delegata uti eos poſſe, quibus & in quæ vota commiſerunt vices ſuas poteſtatem ordinariam habentes. Ratio eſt, quia talis poteſtas diſpenſandi; vel delegandi poteſtatem ad impertiendam diſpenſationem rectę ſubditorum in foro externo gubernationi convenit.

Hinc colligitur, præter ſummum Pontificem, vel ejus ſede vacante, præter Capitulum Generale, poteſtate ordinaria diſpenſandi omnia vota non reſervata præditos eſſe (reſpectu ſuorum tamen dumtaxat ſubditorum) Epiſcopos & Archiepiſcopos (qui etiam diſpenſare poſſunt in votis ſuorum ſuffraganeorum Epiſcoporum, non tamen in votis ipſis ſuffraganeis ſubditorum, quamvis actu viſitent eorum diœceſes, ut contra Sanch. communiter ſentiunt AA. apud Laym. *c.* 8. *n.* 7. Abbates, habentes propriam diœceſin, Prælatos Regulares exemptos, non tantùm reſpectu ſuorum Religioſorum, ſed etiam Nouitiorum (ut contra Azor. Sayr. in Clavi Regia & Suarez *lib. 6. de Voto c.* 11. *n.* 9. docent Agel. Sylu. Henriquez, Rodriq. apud Palao *diſp. 2. pun.* 10. *n.* 3. Tamb. *lib.* 3. *Decal. c* 16. §. 4. *n.* 7. & alter Tamb. *to.* 2. *de Jure Abbat. diſp.* 18. *q.* 3. *n.* 2. Leſſius Sanchez, Portell. Vechius Fauſtus Miranda quos refert & ſequitur Diana *p.* 3. *tr.* 2. *R.* 71.) in quos etſi nondum habeant dominium, habent temen Juriſdictionem ſimul cum Epiſcopo, quibus ratione domicilii, quamdiu vota Religionis non emittunt, ſubditi ſunt. Abbatiſſæ tamen non tantùm ſuarum novitiarum, ſed neq; Religioſarum vota diſpēſatione tollere poſſunt, quamvis poſſint ſuarum Religioſarum vota irritare quia illis nulla Juriſdictio, attamen dominium, competit, & poteſtas irritandi; & quamvis teſte Tamb. hæc ſit major, quàm diſpenſandi vota, eſt tamen diverſi generis, non includens minorem. Denique Penitentiarius Summi Pontificis, & Legatus à latere, in ſua provincia, non obſtante quod ex commiſſione Papę facultatem diſpenſandi acceperint, nihilominus ordinariā, teſte Suar. Sanch. Laym. dicūtur habere; quia officio annexa eſt. Delegata autem poteſtate ſoli ferè Religioſi gaudent, & quidē ex conceſſione Innoc. VIII. omnes Mendicantes poſſunt diſpenſare in votis, in quibus poteſtate ordinaria poſſunt Epiſcopi, excepto voto peregrinationis ultra duas dietas, hoc eſt, ultra viginti leucas, & ex conceſſione Martini V. poſſunt RR. PP. Benedictini, & qui eorum privilegia participant, diſpenſare in omnibus votis, exceptis reſervatis Summo Pontifici.

Ad tertium dicendum eſt, Poteſtatem ordinariam, 145
vel delegatam ad omnia vota, non continentia ſpecialem promiſſionem homini, vel communitati, vel Eccleſiæ factam, & acceptatam, ſe extendere, quinque dumtaxat exceptis, ſcil. voto Religionis approbatæ, Caſtitatis perpetuæ, triplic s peregrinationis ſcilicet Jeroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ (ſi ex ſpeciali devotione erga hujuſmodi loca eſt editum) hęc enim ſoli Papæ reſervata eſſe colligunt AA. communiter ex Extravag. Sixti IV. *Etſi Dominici cap.* 2. *de Pœnitentiis & remiſſionibus*. Præter quinque illa vota nulla alia, licèt prædictis ſimilia, ſunt reſervata, nempe neque Caſtitatis temporalis, neque conjugalis, neque abſtinentiæ à petendo debito, neque cœlibatus neque ſornicationis evitandæ, neque Sacros ordines ſuſcipiendi (hoc enim nondum eſt votum caſtitatis, ſed rei, cui debebit poſtea conjungi votum caſtitatis) neque Religionem ſtrictiorem ingrediendi. Hinc licèt votum Religionis determinatæ communiter diſpenſari non poſſit quoad ſubſtantiam, quoad modum tamen, ut ſcil. minùs rigoroſam quis ingrediatur, quàm illam determinatam, juxta communem Doctrinam diſpenſari poteſt, uti etiam vota peregrinationis quoad modum illius peragendæ, e. g. profectionem pedeſtrem, diſpenſari poſſunt.

Imò etiam probabile eſt, prædicta quinque vota re- 146
ſervata non eſſe, ſi non ex affectu abſoluto, & determinato, ac libero ab omni metu, etiam ad extorquenda ea tantùm leviter incuſſo, ſint edita. Adeoque ab inferiore poteſtate, ordinaria vel delegata, diſpenſari poſſunt, ſi ſint tantùm pœnalia, ut apud Laym. docet communior ſententia, vel ſi etiam ſint purè conditionata, non tantùm ante impletam conditionem, ut iterum apud eundem plures conſentiunt, ſed etiam poſt impletam conditionem; quia licèt quoad vim obligandi jam tranſierint in abſoluta, tamen ſicut actus voti pœnalis potiùs vult deteſtationem culpæ, quàm executionem materiæ reſeruatæ, ſic actus voti conditionati potiùs vult conſecutionem boni, ex parte conditionis intenti, quàm executionem voti, & ita ſentiunt Palao *punct.* 12. *n.* 15 Tambur. *in Decal. lib.* 3. *c.* 16. §. 4. *n.* 32. ArsdecKin. *t.* 2. *p.* 2. *cap.* 5. §. 7. Toletus. *lib.* 4. *c.* 18. *ad Finem* citans Victoriam Thomas Sanchez *lib.* 4. *Sum. c.* 40. *n.* 99. & *lib.* 8. *de Matr. diſp.* 10. *n.* 13. Diana *p.* 3. *tr.* 5. *R.* 25. *in fine*. P. Gob. *tract.* 3. *de Jubilæo n.* 515. *& ſeq.* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *n.* 131. Layman. lib. 4. *tr.* 4. *c.* 8. *num.* 10. Sed hi duo putant oppoſitam ſententiam poſt impletam conditionem eſſe probabiliorem. Præterea diſpenſari poſſunt; ſi ſint disjunctiua, ex altera parte continentia materiam non reſeruatam, licèt hęc ante executionem impoſſibilis reddatur, aut per liberam voluntatis determinationem abſque nouo tamen voto materia reſeruata fuerit præelecta: quod etiam dicendum eſt, ſi vota, priùs determinata ad materiam reſeruatam, à Pontifice in non reſeruatam ſint commutata. Quando enim dicitur, quòd ſubrogatum ſapiat naturam ejus, cui ſubrogatur, id in fauorabilibus, non in odioſis verum eſt. Ratio horum omnium eſt: quia reſeruatio vouenti eſt oneroſa: ergo debet eſſe ſtrictæ interpretationis, ut tantùm ad vota certa) in quibus enim dubium ſiue juris, ſiue facti interuenit, omnia diſpenſari poſſunt) & perfectè proſequentia tam grauem obligationem extendatur: qualia neque ſunt vota qualicunque metu extorta, neque vota pœnalia, & conditionata, quæ magis in deteſtationem mali, aut conſecutionem alicujus boni, quàm in contrahendam obligationem rei præſtandæ feruntur: neque vota disjunctiua, quæ ex ſe ſunt indeterminata ad eandem quoad vim obligandi determinentur, vota autem commutata, quæ verſabantur circa materiam Pontifici reſeruatam, per commutationem induunt naturam voti circa materiam non reſeruatam editi, adeoq; tollitur eorum reſeruatio. Confirmari poteſt prędicta Ratio exemplo vinculi Matrimonialis, cujus diſpenſabilitatē etiamſi DEUS ſibi ſoli reſeruaverit, verbis illis: *Quod*

DEUS

DEUS conjunxit, homo non ſeparet: quia tamen hæc Reſervatio coniugibus ſeparari,& de obligari cupientibus, & ipſi Poteſtati univerſali ſolvendi, atque ligandi, Summorum Pontificum eſt onerofa, ideò reſervatio illa reſtringitur communiter ad Matrimonii vinculum perſectum, & uſu Matrimonii per actualem, & realem traditionem, & receptionem corporum conſummatum: ut Matrimonium ſolummodò tunc ſit indiſpenſabile, & inſolubile à Summo Pont. Ergo ſimili modo Reſervatio dictorum votorum non improbabiliter reſtringitur à perfecto conſenſu, & principali intentione honeſtatis promiſſæ edita.

147 Quoad vota Summo Pontifici reſervata illud adhuc addendum eſt, ſcil. in caſu neceſſitatis, qualis eſt periculum lapſus ſpiritualis, vel gravis infamiæ, vel altetius damni, quando Pontificis diſpenſatio expectari non poteſt, nec alius adeſt, qui habeat, & ſpeciali privilegio poteſtatem delegatam in caſibus reſervatis diſpenſandi (quam conditionem communiter, & probabilior ſententia contra Henriq. & Avilam meritò requirit) poſſe Epiſcopum eatenus diſpenſare in voto reſervato, quatenus id exigit neceſſitas, ſecundùm quam limitationem caſus Papalis dicitur fieri Epiſcopalis, ita tamen, ut hęc poteſtas non communicetur aliis habentibus poteſtatem delegatam, in caſibus propriè, & directè Epiſcopalibus diſpenſandi. Ita AA. communiter. Cur autem talis extraordinaria poteſtas concedatur Epiſcopis, Ratio eſt: quia ad rectam ſubditorum gubernationem ſpecialiter conducit, unde meritò ſupponitur Summum Pontificem in caſu neceſſitatis non eſſe invitum, modò non conferatur amplior diſpenſatio, quàm exigat neceſſitas, ut ſi voto caſtitatis obſtrictus liberetur quidem ab obligatione non contrahendi matrimonium, quando v. g. ad legitimandam prolem, vel defendendam famam defloratæ virginis ſine mora contrahendum eſt, non tamen liberetur ab obligatione voti circa evitanda peccata contra caſtitatem. Ita Suar. *lib. 6. de Voto cap. 26.* Sanchez *lib. 8. de Matrimon. diſput. 9. & lib. 4. Sum. cap. 40.* Aug. Barboſa, Baſil. Legion. quos ſequitur Palao *diſp. 2. punct. 12.* Laym. *lib. 4. tract. 4. cap. 8.* Tamb. *lib. 3. cap. 16. num. 37.*

ARTICULUS VI.

De Commutatione Voti.

SUMMARIUM.

148 *Vovens poteſt rem ſoli DEO promiſſam, & nulla Lege exceptam, mutare in meliorem.*

149 *Inter res exceptas illæ ſunt, quarum vota ſunt Summo Pontifici reſervata. Sic etiam mutari non poſſunt, quarum Ius eſt alteri acquiſitum, & quarum mutatio non eſt in rem probabiliter meliorem, & ad minimum æqualem.*

150 *Si autem res ſubſtituta eſt probabiliter melior, valet mutatio.*

151 *Poteſtatem commutandi vota habent omnes, quotquot poſſunt in illis diſpenſare, & quibus hi ſuas vices commiſerit.*

152 *Ad commutandum votum in rem æqualem requiritur iuſta cauſa.*

153 *Sufficit rem eſſe moraliter æqualem.*

148 COmmunis ferè omnium AA. eſt ſententia, quemlibet propria auctoritate poſſe rem Deo promiſſam (niſi ſpeciali Lege prohibeatur, vel niſi promiſſio in alterius hominis, vel communitatis utilitatem facta, & à tali acceptata ſit) in aliam evidenter meliorem commutare, & à tali acceptata ſit) in aliam evidenter meliorem commutare, & hunc ipſum ſubrogatæ bonitatis exceſſum, ſecluſa omni alia cauſa ſufficere ad legitimam commutationem. Ratio eſt, partim quia in omni voto tacitè, vel interpretativè includitur hæc conditio, quòd vovens ſe velit obligare ad præſtandam rem, niſi abſque præjudicio Legis, aut juris alieni eidem ſubſtituerit meliorem, id eſt, DEO gratiorem, & ſibi ad animæ ſalutem utiliorem, cui fini generaliter omne votum debet accomodari: partim quia DEUS non aliter acceptat votum, quàm ut voventi liberum ſit, ſalva Lege, & Jure alieno, ponere opus melius præ minùs bono, cùm hoc magis ad cultum DEI, & hominis utilitatem ſpectet, quem finem DEUS ſemper intendit. Hinc patet, hujuſmodi commutationem non eſſe unius obligationis in aliam, adeòque nullam requiri in hoc caſu Juriſdictionem, ſed tantùm eſſe commutationem unius rei in aliam, ſeu potiùs determinationem rei, ad quam ſub disjunctione ponendam vovens obligabatur.

Dixi tamen primò. *Niſi ſpeciali Lege prohibeatur.* 149
Nam ſicuti ex juſtitia, vel ex charitate, vel alia virtute, poteſt quis obligari ad opus de ſe minus bonum, præ meliori, ſic etiam ex fidelitate religioſa, ſi expediebat, certa objecta determinatè voveri, & à DEO acceptari, ſuppoſita Lege, & Pontificis conſtitutione, cujus eſt votis certas conditiones, ac Leges ſtatuere. Talia autem objecta ſunt omnia illa, quæ ſunt Pontifici reſervata: horum enim vota ita ſunt Pontifici reſervata, ut non tantùm non diſpenſari ab alio, ſed neque ipſa inter ſe, neque in alia vota, niſi Religionis commutari poſſint. Nam quia hæc vota verſantur circa objecta valdè ardua, ne hæc temerè emitterentur, & ſæpè violarentur, conveniens fuit, illis tanto incommutabilitatis rigore exiſtimationem, & prudentem horrorem facere, ut non in aliud opus, quàm ſolius ſtatus religioſi, commutari poſſint: qui cùm DEO ſit gratiſſimus, & utiliſſimus homini meritò pro cujuſcumque voti, tamquam pro abundantiſſima exſolutione, recipitur & approbatur in *cap. Scripturæ de Voto*: ubi continentur hæc verba: *Reus facti voti non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur Religionis obſervantiam commutare.*

Dixi ſecundò. *Niſi promiſſio humana in alterius utilitatem facta, & ab illo acceptata intervenerit*; per hanc enim abſolutè, & determinatè cenſetur ſe quis velle alteri obligare, qui deinde poſita acceptatione acquirit Jus, quod melioris objecti ſubrogatione violare non licet.

Dixi tertiò. *In aliam evidenter meliorem*: quibus verbis indicare volui id, quod magis certum eſt, neque tamen negare, poſſe materiam voti propria voluntate commutari etiam in aliam tantùm probabiliter meliorem, ſaltem ſi certum ſit, hanc ad minimum eſſe ęqualem; quam limitationem Suar. Sanch. Pal. putant neceſſariò apponendam eſſe.

Cęterùm etiam ſine ea probatur aſſertio. Præceptum Religionis ex voto ortum non aliter obligat, quàm alia præcepta: ſed alia præcepta ſolummodò obligant, ut ponatur id, quo eiſdem ſaltem probabiliter ſatisfit: ergo etiam præceptum Religionis ſolummodò obligat, ut ponatur id, quo eidem probabiliter ſatisfit: ſed per rem probabiliter meliorem re promiſſa probabiliter ſatisfit, ſicut per certò meliorem certò ſatisfit: ergo, &c. 150

Confirmatur. Votum conditionatum non obligat, quando probabile eſt, conditionem non eſſe impletam: ſed votum de quavis re honeſta, non reſervata alteri, & non obligata alteri eſt tam ex parte voventis, quàm Dei acceptantis, conditionatum, ſi non ſubrogetur res magis honeſta; & quando probabile eſt, rem ſubrogatoris eſſe magis honeſtam, hoc ipſo probabile eſt conditionem voti non eſſe impletam: ergo in tali caſu votum non obligat ad rem honeſtam, ſub tali conditione promiſſam. E contrario certum eſt apud omnes, in rem manifeſtè inferiorem neminem votum ſuum commutare poſſe, & probabiliùs neque in æqualem, ut contra Med. Eman. Saà & Rodriq. plerique alii docent apud Laym. & Probatur: Quicumque voto ſe obligat ad certam, & determinatam rem ponendam, non poteſt ſatisfacere per id, quod non eſt commenſuratum obligationi voti, determinantis ſibi objectum, illudque eligentis inter omnia alia inferiora, aut æqualia: ſed res inferior re promiſſa, vel in ſe quidem æqualis, propter honeſtatem objectivam tamen fidelitatis religioſæ ratione voti rei promiſſæ ſupervenientem reddita inæqualis, ac inferior, non eſt commenſurata obligationi: ergo quicumque voto ſe obligat ad certam, ac determinatam rem ponendam, non poteſt ſatisfacere per rem inferiorem aut ęqualem, conſequenter non poteſt in illam

pro-

propria auctoritate rem promiſſam commutare: aliàs certè vix unquam opus erit aliena poteſtate ad commutationem. Nam quando res promiſſa commutanda eſſet in inferiorem, jam non ſufficeret poteſtas præcisè commutandi, ſed deberet accedere poteſtas diſpenſandi. Itaque de illa commutatione, quæ aliena auctoritate fieri debet, & vera mutatio eſt unius obligationis in aliam obligationem, quæ proinde in actu jurisdictionis ordinariæ, vel delegatæ conſiſtit, quia eſt remiſſio prioris obligationis, non ſimpliciter & abſolutè conceſſa, ſed ſub onere ſubeundi alterius rei obligationem, de hac, inquam, commutatione tria hìc iterum quæruntur: Primum. Quis poſſit vota commutare. Secundum. Ex qua cauſa. Tertium. In quale opus.

151 Ad primum Reſp. licèt non hoc ipſo, quòd quis habeat poteſtatem commutandi vota, habeat etiam poteſtatem diſpenſandi, hoc ipſo tamen, quòd habeat poteſtatem diſpenſandi, habet etiam poteſtatem commutandi, ut contra Navar. Azor, Sanch. Valent. alii docent communiùs & veriùs. Prob. quia etiamſi commutatio, ac diſpenſatio ſint actus diverſi, ſicut venditio, & donatio, tamen in illo prædicato, ratione cujus ad illos exercendos requiritur ſpecialis poteſtas, aut juriſdictio, aliquo modo conveniunt, ita ut commutatio in eodem prædicato ſit quaſi minus quid, quàm diſpenſatio: utraque enim eſt remiſſio obligationis ſeu debiti, diſpenſatio quidem eſt remiſſio ſimpliciter, commutatio verò eſt remiſſio ſub onere præſtandi aliud opus, æquivalens in honeſtate rei promiſſæ: ergo qui habet poteſtatem diſpenſandi, hoc ipſo habet poteſtatem commutandi juxta *Regulam Iuris 35. in 6.* quæ ſic habet: *Plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus.* Præterea poteſtatem commmutandi vota habent omnes illi, quibus eam ordinaria poteſtate gaudentes delegaverint, quemadmodum ſummus Pontifex tempore Jubilæi delegare ſolet omnibus Sacerdotibus approbatis, & extra illud Paulus III. in Bulla *Dilectis filii.* Edita 5. Junii anno 1546. delegavit confeſſariis Societatis noſtræ in vota non reſervata Papæ, & conſequenter etiam Religioſis, quicunque gaudent privilegiorum communicatione.

Ad ſecundum Reſp. ſufficere ad licitè, & validè 152 commutandum vota, cauſam non adeò gravem: communiter admittitur hæc, ſi ſcil. petens commutationem ſperet, ſe materiam ſubrogatam majori cum fructu & alacritate DEO exhibiturum, ſine omni tamen cauſa nec licita, nec valida eſt votorum commutatio. Ratio primæ partis eſt: quia commutatione in materiam æqualem etiam hæc acquirit honeſtatem objectivam fidelitatis religioſæ: ergo cum DEO nihil decedat, accedente juſta cauſa commutandi, & ſpeciali utilitate, meritò ſupponitur priorem obligationem per Vicarium ſuum, cui ſcil. Juriſdictio ordinaria vel delegata competit, propter utilitatem voventis remittere. Ratio ſecundæ partis eſt: quia materia æqualis ante illius acceptationem nondum habet honeſtatem objectivam fidelitatis religioſæ; & defectu hujus eſt materiæ per votum promiſſæ inæqualis: ergo ſine omni cauſa DEUS non debet ſupponi hanc remittere, acceptando alteram, & honeſtatem fidelitatis religioſæ in illam transferre; ſicut paulò antè dixi, non poſſe voventem propria auctoritate commutationem inſtituere, niſi fiat acceptatio æqualis materiæ ab habente poteſtatem Juriſdictionis ordinariæ vel delegatæ.

Ad tertium Reſp. Opus in quod transfertur obligatio 153 voti, debere in probabili ſaltem æſtimatione prudentis judicii non quidem omnino Mathematicè, & perfectiſſimè, ſed moraliter æquale eſſe in aptitudine ad cultum divinum. Ratio eſt: quia major certitudo, & æqualitas ſæpe difficulter haberi poteſt; hinc quando aliqui dicunt, votum poſſe in paulò inferius opus commutari, intelligendi ſunt de opere, quod adhuc moralem æqualitatem continet. Ad opus verò inæquale, & multò inferius non extendit ſe poteſtas commutandi vota: quia commutatio, ſicut venditio, æqualitatem requirit, aliàs admiſcetur diſpenſatio, quæ majorem ſupponit poteſtatem.

DISPUTATIO II.

De Religionis erga Deum Cultu Mediato in Sanctis, & Perſonis Eccleſiaſticis ac Locis Sacris.

QUÆSTIO I.

De Cultu DEI in Sanctis per celebrationem Feſtorum.

Præter feſta Dominicalia, Sabbato Judæorum in memoriam Reſurrectionis Domini ſubſtituta, Eccleſia etiam alia feſta immediatè in honorem Sanctorum inſtituit, & ad agendas DEO gratias pro collatis tali, vel tali Sancto beneficiis, ejuſque virtutes cum imitatione recolendas, celebrari præcepit, quod præceptum partim eſt affirmativum, quatenus imperat actionem ponendam partim negativum, quatenus certas actiones vetat. Et utroque modo obligat ſub peccato mortali, niſi parvitas materiæ excuſet. Ideò Innocentius XI. prohibitis à ſe Propoſitionibus iſtam 52. accenſuit. *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſecluſo Scandalo, ſi abſit contemptus.*

Actio, quæ ab obligatione affirmativa ex vi hujus præcepti inducta reſpicitur, eſt ſola auditio integræ miſſæ juxta *c. Miſſas, c. Omnes fideles, c. Si quis etiam, de Conſecratione diſt.* 1. nam alterius actionis ob celebritatem feſti præſtandæ, nec divinum, nec humanum extat præceptum: obligationi verò audiendi concionem, donec ſcitu neceſſaria addiſcantur, etiam die feriali poteſt ſatisfieri.

ARTICULUS I.

De obligatione audiendi Miſſam die Feſto.

§. I.

Quæ ſit materia hujus præcepti.

SUMMARIUM.

154 *Ad obligationem audiendi Miſſam, die feſto explendam requiritur præſentia humana, & moralis.*

155 *Etiam extra templum exiſtens poteſt eſſe præſens moraliter.*

156 *Parva interruptio præſentiæ propter miniſterium altaris non impedit moralem præſentiam.*

157 *Per auditionem intelligitur advertentia ad Actiones Miſſæ, quocunque ſenſu percepta.*

158 *Quænam actiones externæ, quo modo ſint incompoſſibiles cum auditione Miſſæ.*

159 *Qualis Attentio ſit neceſſaria ad auditionem Miſſæ.*

Reſp. exigi præſentiam humanam, ac moralē, dum 154 Sacerdos Miſſę Sacrificium offert. Ut ſit humana, debet eſſe libera, ſaltē ſub ratione advertētiæ ad operatio-

nem Sacerdotis: hinc in loco aliquo, in quo legitur Miſſa; violenter detentus cenſetur, eandem audire, quatenus ſaltem ſuppoſita detentione liberè omittit actionem incompoſſibilem cum advertentia ad actionem Sacerdotis. Hujus tamen libertatis defectu, Ebrius, amens, dormiens; vel in extaſin raptus (Etiamſi hi duo poſtremi, ut advertit Tamb. *lib. 4. in Decal. c. 2. §. 1. n. 11.* primò liberè miſſam audire incępiſſent) non dicerentur humana præſentia Miſſæ interfuiſſe, quamvis corpore pręſentes adſtitiſſent.

Ut etiam ſit moralis præſentia, requiritur in primis, ut quis corpore ſit aliquo modo phyſicè præſens, & aliquo ſaltem ſenſu poſſit advertere actionem Sacerdotis ſaltem per conjecturam, nullamque exteriùs actionem ponat, qua meritò ſupponatur, nolle ad Sacrificium Miſſæ advertere.

155 Hinc infertur primò cum Tamb. *l. c. n. 12.* ſi quis propter anguſtias templi extra illud aſſiſtens, colligeret ex ſignis, & geſtis, quid in ara fieret, eum propter moralem unionem cum populo, intra templi parietes concluſo, præcepto audiendi Miſſam omninò ſatisfeciſſe; quia aliquo modo phyſicè, & moraliter præſens fuit, ſicut etiam ſecundùm plurimorum ſenſum, quos refert, & ſequitur P. Gobat in Alphabeto Sacri audiendi num. 172. ſufficienter præſens eſt, qui ex vicina domo Sacerdotem, in proximo templo ad aram facientem cernere poteſt.

156 Infertur ſecundò, miniſtrum inſervientem Miſſæ ex templo in alium locum ad campanas pulſandas, vel res ſacrificio neceſſarias afferendas, brevi mora recedentem adhuc integram Miſſam cenſendum eſſe audiviſſe; quia phyſicam præſentiam ſecundùm prudentem hominum æxiſtimationem propter temporis, quo abeſt, brevitatem, intentionem redeundi, & ad ſacrificium Miſſæ cooperationem, non creditur interrupiſſe, adeòque eandem ſaltem moraliter retinet.

157 Infertur tertiò, nomine auditionis Miſſæ non intelligi ſenſationem ab auditu elicitam, ut ſcilicet quis audiat Sacerdotem dicentem Sacrum; hinc etiam ſurdus Theologicè Miſſam audire poteſt, ſed ſufficere, ſi vel viſu, vel auditu immediatè, vel per conjecturas ex actionibus populi circumſtantis, advertere poſſit actionem Sacerdotis: quòd ſi tamen utroque ſenſu, viſus, & auditus aliquis careret, ait Palao in tomo de Sacramentis *tract. 22. diſp. unica puncto 16. num. 4.* ſe non videre, qua ratione humanam præſentiam exercere poſſit; unde talis hoc ipſo eſſet exemptus ab obligatione affirmativa celebrandi feſta.

158 Infertur quartò, ſi quis toto miſſæ tempore confabularetur, vel litteras, aut librum profanum legeret, aut ſcriberet, etiamſi per intervalla adverteret, quid in altari ageretur, meritò ex communi ſenſu non haberi pro audiente miſſam: quia talis actio externa continuata non cenſetur compoſſibilis cum morali præſentia; eò quòd de ſe animum abſtrahat ab advertentia ſive attentione, etiam virtuali ad miſſæ Sacrificium: quod idem ſentit Tamb. Bonac. (immeritò referens Suarium, & Azor) etiam de confeſſione facta, vel excepta tempore Sacrificii, quamvis non improbabiliter id neget Palao allegans Reginal. & Molfeſium: ſaltem ſi Confeſſio ſit brevis, & non cum tanta applicatione animi, ut etiam impediat virtualem attentionem. Quòd ſi tamen illæ actiones interruptim ponerentur, licèt per illas venialiter peccaretur contra reverentiam debitam rei divinæ, non obſtarent auditioni miſſæ quoad ejus ſubſtantiam, ut contra Palao videntur ſentire Navarrus, Azor, Suarez, Bonac. ab ipſo relati, & aſſerentes, circumſpectionibus, & confabulationibus inter audiendum Sacrum rarò graviter peccari, quod non niſi de brevibus, & interruptis actibus videtur intelligendum. Ratio eſt; quia prædictæ actiones interruptę non impediunt moralem præſentiam, ſeu aptitudinem ad ſenſibilem cognitionem eorum, quæ geruntur. Reverentia verò extranea, cui præjudicant, non ſpectat ad ſubſtantiam, ſed ad modum rei præceptæ. Rectè tamen etiam Tannerus *tom. 3. diſp. 5. de Relig. q. 6. dub. 2. in Fine* ait *ut minimum eſſe grave peccatum veniale, & facilè in mortale declinare poſſe, ut notavit Suarez ex Soto.*

159 Infertur quintò cum Cardinali de Lugo, Conink, Dicaſtillo, Comitolo, Sylveſtro relatis à P. Gobat *tract. 5. num. 231.* quorum ſententiam etiam fatetur probabilem, uti etiam Tambur. *l. c. num. 19.* referens S. Antoninum, Durandum, Medinam, idem fatetur Diana *p. 1. tract. 12. Reſol. 2.* allegans plures alios, & per neceſſariam conſequentiam aſſentiri debent omnes illi, qui negant, ſubſtantiam orationis vocalis tolli per voluntariam animi diſtractionem: infertur inquam, animi voluntariam diſtractionem inter audiendam miſſam, non obſtare ejus auditioni quoad ſubſtantiam, quod etiam fatetur Palao, quoties voluntaria diſtractio non impedit ſenſibilem advertẽtiam ad Sacrificium; aliàs etiam involuntariam, ait, obſtare auditioni; eò quòd putet, actualem advertentiam ad Sacrificium eſſe de eſſentia præſentiæ moralis. Non tamen rectè probabilis redditur præſens illatio ex eo, quòd Eccleſia attentionem internam non potuerit præcipere; ſed quia præcepto audiendi miſſam ſolùm præcipitur corporalis præſentia modo humano, & moraliter exhibita: ſed corporalis præſentia exhibetur humano modo, ſi ponatur liberè, & exhibetur moraliter, quando quis aliqua ratione eſt phyſicè præſens, & proximè potens advertere ad actionem Sacerdotis, etiamſi actu ad illam non advertat; aliàs quotieſcumque eſſet ſive voluntariè, ſive involuntariè diſtractus, non exhiberet debitam præſentiam, quod nemo aſſerit: ergo &c.

Confirmatur; ſola aſſiſtentia ad Sacrificium cum debita intentione ſuſcepta, nempè cum voluntate ſaltem implicita audiendi miſſam, vel colendi Deum, & cum negatione alterius actionis incompoſſibilis cum virtuali perſeverantia dictæ intentionis, jam eſt actio apta animum in DEUM attollendum, & agnoſcendum, ut ſupremum vitæ ac mortis Dominum: ad quod teſtandum omne Sacrificium ordinatur: ergo ab Eccleſia potuit per ſe intendi, ac præcipi in ordine ad illum finem, etiamſi finis non ſubſequatur: quia finis præcepti non cadit ſub præceptum, ut dicitur in legibus.

Confirmatur ulterius. Non magis eſt neceſſaria ad auditionem Miſſæ attentio actualis interna, quàm eſt neceſſaria ad orationem vocalem: ſed, ut inquit S. Thomas 2. 2. *quæſt. 83. artic. 13. in corp. non ex neceſſitate requiritur, quod attentio adſit orationi per totum: ſed vis primæ intentionis, qua aliquis ad orandum accedit, reddit totam orationem meritoriam.* Ergo etiam vis primæ intentionis, qua aliquis ad audiendam miſſam accedit, reddit totam auditionem meritoriam. Imò etiamſi intentio audiendi miſſam (quæ ut præſentia externa ſit actus religionis, omnino eſt neceſſaria, adeòque præcepta) non redderet auditionem meritoriam, ſufficeret quòd illam redderet idoneam ad cultum externum DEI: quia iſte ſolus eſt finis intrinſecus præcepti, vis meritoria autem eſt finis extrinſecus, qui ſub præceptum non cadit.

§. II.

Quanta ſit Obligatio præcepti Mandantis auditionem miſſæ, & quomodo illi ſatisfiat?

SUMMARIUM.

160 *Obligatio audiendi miſſam eſt gravis ex genere ſuo; poteſt tamen contra illam peccari venialiter in materia levi.*

161 *Partes diverſarum miſſarum nequeunt coaleſcere in unam miſſam; unde probabilius non ſatisfacit præcepto, qui partem neglectam prioris miſſæ compenſat per partem miſſæ poſterioris.*

162 *Multò minùs ſatisfacit, qui ſimul diverſas miſſarum partes audit; propterea Innoc. XI. meritò prohibuit propoſitionem 53.*

163 *Præcepto audiendi miſſam in quocunque loco publico ſatisfit, ſed non in oratoriis privatis, niſi ab iis, qui gaudent privilegio.*

Reſp. ad primum, cùm res, & finis præcepti ſit gravis momenti, ſecundùm communem, & certam atque ab Innocentio XI. in prohibitione propoſitionis 52. ſupra relatæ ſtatutam ſententiam etiam obligationem eſſe gravem, & ſub mortali, niſi levitas materiæ culpam 160

dimi-

diminuat. Levis autem materia à multis probabiliter cenſetur, ſi quis tantùm omittat ea, quæ offertorium præcedunt; vel tantùm ea, quæ communionem ſubſequuntur: nam ſi quis utraque omitteret; imò juxta multos, ſi quis poſt primum Evangelium veniens, ante ultimum Evangelium diſcederet, gravem diceretur materiam omiſiſſe: quia verò non tam quantitas, quàm qualitas partium Sacrificii quoad gravitatis æſtimationem ſpectatur, & ea, quæ infra canonem majorem fiunt, partes magis principales cenſentur (incipit autem canon major, qui & actio vocatur à verbis: *Qui pridie, quàm pateretur*, duratque nunc uſque ad communionem incluſivè, olim tamen ſolùm uſque ad Pater noſter excluſivè. Minor verò canon incipit ab Offertorio, ut ex Tannero docet P. Gobat in Alphabeto Sacrificantium *n.* 752. minoris editionis) ideò ſecundùm quantitatem levior pars ratione qualitatis gravis habetur. Unde non tantùm, ſi quis tempore conſecrationis, & communionis diſcederet, quamvis reliqua omnia audiviſſet, ſed etiam ſi alterutri parti ſe ſubduceret, gravem, arbitror, materiam omiſiſſet, ut contra Suarez *diſp.* 88. *de Euchariſt. Sect.* 2. Laym. *lib.* 4. *tr.* 7. *cap.* 3. *in Fine* Tamb. *loc. cit. n.* 3. etiam arbitratur Palao *n.* 6. ſecutus Nugnum, Bonacin. Coninck, Henriq. quia licèt dubium ſit, in quanam ex prædictis actionibus eſſentia Sacrificii conſiſtat, & quamcumque opinionem amplecti liberum ſit, certum tamen eſt, eam partem, quæ pro non eſſentiali haberetur, ſaltem inter integrales, eſſe præcipuam.

161 Circa ſecundam partem quęſtionis dubitatur 1. An ſeriùs veniens ad primum ſacrum, ſatisfaciat præcepto audiens ex ſecundo Sacro partem ſolummodò neglectam. Reſpondetur, quòd abſolutè, & ſecundùm rigorem præcepti loquendo non ſatisfaciat, quia diverſorum ſacrificiorum partes ſingulæ ad ſingula ſacrificia tamquam ad fines ſuos particulares, ac individuales per intentionem Miniſtri ita determinatè ordinatæ ſunt, ut nequeant in unum Sacrificium coaleſcere, ſicut nequeunt partes diverſorum officiorum canonicorum, diverſis diebus affixorum, coaleſcere in unum officium canonicum pro eadem die recitandum (Dixi: *Diverſorum Sacrificiorum partes*: nam ſi tantùm ſacrificantes ſint diverſi e. g. ſi unus Sacerdos morbo repentino impeditus nequeat abſolvere ſuum Sacrificium, & alius Sacerdos reliquam partem pro illo peragere debeat, utraque pars in unum Sacrificium coaleſcet; quia utraque ad idem ordinatur) Atque ita, ut probabilius, docent & reſpondent Suar. *to.* 3. *de Sacram. diſp.* 88. *Sect.* 2. *verſ. Sed nunc inquiri poteſt.* Fagundez *Præcept.* 1. *lib.* 2. *c.* 6. *num.* 12. Tamb. *lib.* 4. *Decal. c.* 2. *§.* 1. *n.* 10. Matthæus Stoz *lib.* 1. *Trib. Pœn. par.* 3. *n.* 247. Palao *tr.* 22. *diſp. Unica pun.* 16. *n.* 8. aſſerens tamen: Eſtò illæ partes independentes ſint, neque unum Sacrificium conſtituere poſſint, ideòque illis aſſiſtens nequaquam integro Sacrificio propriè, & in rigore aſſiſtat; attamen ex benigna Eccleſiæ interpretatione communi Doctorum judicio approbata, reputandæ ſunt partes, unum Sacrificium componentes quoad affectum audiendi Sacrum, & ſatisfaciendi Eccleſiæ præcepto. Et ita utrique parti tam noſtræ neganti, quàm oppoſitæ affirmanti patrocinantur Azor *lib.* 7. *c.* 3. *q.* 3. Toletus *lib.* 6. *c.* 7. *§. Dico tertio.* Conin. *q.* 83. *a.* 6. *dub. Un.* & determinatè contrariam nobis defendunt Laym. *lib.* 4. *tr.* 5. *c.* 3. *n.* 4. Tannerus *to.* 3. *diſp.* 5. *q.* 6. *dub.* 2. *n.* 17. Navar. *c.* 21. *n.* 2. Bonacina *diſp.* 4. *de Sacram. q. ult. punct.* 11. *n.* 13. Eman. Saà, Ægidius Bellanus, Major; Sotus, Henriq. Sandov. Medina relati à Fagundez, noſtram ſententiam ſolummodo ut probabiliorem defendente; imò Suar. *l. c.* fatetur, oppoſitam, ſcilicet affirmativam Satisfactionis, eſſe communiorem, nec poſſe practicè condemnari, & ideò eum, qui ex illa operatus fuerit, non peccare mortaliter. Ita Suar. qui *l. c.* cum Dicaſtillo *tr.* 5. *diſp.* 5. *n.* 4. addit, ſi pars miſſæ neglecta fuerit exigua, & ſine culpa propria fuerit omiſſa, neque ſub veniali obligatione eſſe ſupplendi. Quod ſi verum eſt, debet fundari in hoc principio, quòd ſcilicet iſte non teneatur aliud Sacrum audire, & nemo teneatur uti privilegio, quale eſſet permiſſio ſubſtituendi partem alterius miſſæ: & ſic etiam culpabiliter negligens exiguam partem, non teneretur ſub veniali illam ſupplere.

162 Quòd ſi verò partem neglectam non ſucceſſivè, ſed ſimul quis ſuppleret, audiendo ab uno ſacerdote partem poſteriorem, & ab altero priorem, etſi non pauci apud Dianam *pun.* 3. *tr.* 17. *R.* 18. adhuc concedant, talem ſatisfacere præcepto, longè communior tamen, etiam antehac, & hodie propter authoritatem Innocentii XI. in prohibitione propoſitionis 53. certa ſententia eſt, eum non ſatisfacere, prout aſſerebat hæc citata propoſitio. *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audienda miſſa, qui duas ejus partes, imò quatuor ſimul à diverſis celebrantibus audit.* Ratio prohibitionis, & oppoſitæ veræ ſententiæ eſt: quia partes diverſorum Sacrificiorum neque ex natura ſua poſſunt conſtituere unum integrum ſacrificium, neque conſtat de privilegio, vel indulgentia Eccleſiæ, partes diſparatas pro integro Sacrificio recipientis. Ex qua tamen ratione patet, ſatisfacturum obligationi triplicis miſſæ audiendæ, qui eas totas ſimul à tribus ſacerdotibus lectas audiret: quia auditio unius non impedit auditionem alterius, neque is, qui obligationem impoſuit, ut ſuppono, ſucceſſivam præſentiam manifeſtè exegit.

Dubitatur 2. An præcepto ſatisfaciat quocunque in loco audiens miſſam. Reſp. Etſi decens ſit, ut ſaltem aliquoties in anno miſſa in propria parochia audiatur: imò etiamſi illud ex multorum Canoniſtarum ſententia propter *cap. Ut Dominus de Parochiis, & cap. Si quis etiam de Conſecratione diſt.* 1. fuerit omninò neceſſarium ſingulis diebus dominicis ac feſtis, idq: adhuc contendat Marchantius in Candelabro Myſtico: jam tamen communis & certa ſententia eſt, propter conſuetudinis præſcriptionem, neque ab Epiſcopis particularibus revocabilem, ſatisfacere præcepto audiendi miſſam, qui quocumque in loco extra privata Oratoria eam audiverit. Propter dictam verò decentiam Trid. *Seſſ.* 22. *in Decreto de Obſervandis in Miſſa* hortatur Epiſcopos; dicens: *Moneant eundem Populum, ut frequenter ad ſuas parochias, ſaltem diebus Dominicis, & majoribus feſtis accedant.* Utrum tamen etiam in privatis Oratoriis Laicorum, vel Clericorum Sæcularium Epiſcopo inferiorum (de his enim teſte Diana proximè citando, & P. Gobat in Alphabeto Sacri audiendi *Caſu* 16. *n.* 358. eſt controverſia) ſatisfaciat, fuit aliquando diſſenſio inter Authores. Affirmabant Palao *tract.* 22 *puncto* 16. *num.* 18. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 4. *puncto* 12. *n.* 4. P. Stoz *in tribunali lib.* 1. *par.* 3. *nu.* 248. Buſenbaum *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 10. plurimos referens. Pellizarius, Homobonus apud P. Gobat. in Alphabeto ſacrificantium *Caſu* 8. *num.* 254. quorum ſententiam dixit probabilem, uſuque receptam; oppoſitam tamen tuetur cit. loco, & in Alphabeto Sacri audiendi *Caſu* 16. *num.* 356. ſecutus Dianam *part.* 9. *tract.* 1. *reſol.* 3. Tamburinum *lib.* 1. *opuſculo de Sacrificio cap.* 4. *§.* 4. *num.* 34. Baſſæum *tom.* 2. *Verbo Miſſa num.* 8. quibus adde *ex citat. Diana praxim Curiæ Rom. & ab illo citatos.* Horum autem ſententia nunc pro certa, & prior pro improbabili tenenda eſt, propter complures declarations Pontificias. Probatur etiam ex Bulla Innocentii X. relata à P. Gobat *cit. Caſu* 16. *num.* 347. in qua Pontifex concedens alicui poteſtatem in Oratorio privato quotidiè curandi unam miſſam fieri, expreſsè excipit, ut præter ipſum Nobilem Dominum, ejuſque familiam, ſervos neceſſarios, ac domus ſuæ hoſpites, nemo alius poſſit ſatisfacere præcepto audiendi miſſam die feſto: ſub qua exceptione, teſte Molfeſio, & Quaranta à Palao relatis, ex præſcripto Sacræ Congregationis debent de facto Ordinarii hujuſmodi privilegia oratoriorum privatorum concedere, eundemque eſſe ſtylum Curiæ Romanæ, teſtatur Diana *loc. cit.* Conſuetudo verò audiendi miſſam extra propriam parochiam non ſe extendit ad oratoria privata Laicorum, & Clericorum ſæcularium, in quorum conceſſione prædicta clauſula ſolet apponi, ſed tantùm ad oratoria privata Regularium, & Epiſcoporum, vel cum reſtrictione ad alias perſonas, quæ per Bullam eximuntur ab obligatione audiendi miſſam extra privata oratoria, ſic Diana putat pleroſque AA. explicari poſſe ad privata oratoria conſuetudinem extendentes. 163

Illſung Theol. Moral. X 2 §.III.

§. III.

Quæ cauſæ excuſent ab obligatione audiendi miſſam?

S V M M A R I V M.

164 *Cauſæ excuſantes ab auditione miſſæ.*
165 *Non hoc ipſo excuſatur à parte miſſæ, quòd quis nequeat audire totam.*

164 RESp. Quia hæc obligatio, ut teſte Palao ferè omnes DD. ſentiunt, eſt ſuavis, ac humana, cauſas mediocriter graves ab eadem excuſare. eæ verò ad ſequentia capita reducuntur; primò ad Impotentiam abſolutam animi, quando ſcilicet ratione Excommunicationis propriæ, vel Sacerdotis non tolerati, vel ratione Interdicti Eccleſiaſtici, vel ob aliam cauſam, Sacro ſine peccato intereſſe non poſſes. Secundò ad impotentiam abſolutam corporis, ut ſi ratione morbi lecto affixus, vel carceri incluſus detineris. Tertiò ad impotentiam moralem fundatam in gravi difficultate, vel incommodo, quod ex auditione miſſæ probabiliter ſubeundum eſſet, vel in corpore, vel in honore, vel in favore neceſſario hominum, vel in bonis fortunæ. Propter incommodum corporis excuſantur infirmi, quibus Palao mulieres etiam utero gravatas annumerat, & reconvaleſcentes, quando probabiliter timent, ex auditione miſſæ vires diminuendas, vel tardiùs reparandas eſſe. Item procul diſtantes à loco Sacrificii, quæ diſtantia æſtimari debet ex circumſtantiis perſonæ, validane, an debilis ſit, itineris præſertim, ſi pedibus ſit conficiendum, tempeſtatis, v. g. pluvia, nive, vel vento præpeditæ; unde regulariter diſtantia unius Leucæ, id eſt, unius horæ, & accedentibus prædictis circumſtantiis etiam minor cenſetur ſufficiens à Suarez, & Palao reſpectu peditum: ruſticas tamen perſonas corpore validas, & ſereno cœlo utentes, ob diſtantiam unius horæ P. Gobat in Alphabeto audiendi miſſam *Caſu* 20. *n.* 487. aliique ab ipſo relati DD. & ipſa etiam conſuetudo non excuſant ab auditione Sacri; imò nec Seſqui, aut duplicis horæ diſtantia videtur ordinariam, & ferè ſemper emanendi poteſtatem illis facere, ſaltem accedente publico Scandalo, quamvis non videantur graviter peccare, etiamſi crebrò emaneant.

. Propter incommodum honoris excipiuntur, non decenter, & vel ad frigus, vel ad notabilem pudorem pellendum ſufficienter veſtiti, mulieres veſtigia verberum in vultu gerentes, vel uterum ferentes ex crimine occulto, & auditione miſſæ aliàs manifeſtando.

Propter incommodum favoris, & amicitiæ deobligantur uxores, & famuli domeſtici, ſi propter auditionem miſſæ non ſine gravi maritorum, aut dominorum ira præpedirentur, à cibis debito tempore, & modo parandis, aut aliis obſequiis obeundis. Præterea illi, qui ratione præcedentiæ graves diſſenſiones orituras proſpicerent.

Propter incommodum in bonis fortunæ ſuſtinendum excuſantur cuſtodes ædium, paſtores pecorum, viatores, aliàs ſumptuum majores expenſas facturi, vel itineris Socios ad ſublevationem ſumptuum, oſtenſionem viæ, ſui, & rerum ſuarum defenſionem, vel etiam duntaxat ad ſolatium longi itineris neceſſarios amiſſuri; Quartò reducuntur cauſæ eximentes ab obligatione miſſæ ad officii neceſſarias functiones, eæ alioqui omitti, vel non niſi extraordinaria diligentia adhibita præſtari deberent: unde non tenetur quis de ſomno ordinario, & communiter neceſſario valde multum abripere, etiamſi functiones deinde peragendas miſſæ auditione ſic prævenire poſſet. Quintò ad charitatem; unde eximuntur inſervientes ægris, quando eorum opera ad medicinas debito tempore ſubminiſtrandas, vel ad alia obſequia, quibus ægri difficulter carerent, eſt neceſſari: item curam parvulorum infantium gerentes, quos non expedit in templum deportari, propter eorum clamores, & varia incommoda. Probabiliter etiam, quamvis diſſentiente Palao, excuſatur mulier prævidens ex ſuo in publicum progreſſu proximi ſpirituale, & voluntarium Scandalum; etiamſi probabiliùs ad id impediendum non teneatur. Sextò ad rationabilem, & legitimo tempore præſcriptam, ac toleratam conſuetudinem. Hinc mulieribus *in cap. Vnico de Purificatione poſt partum* ex generatione prolis jam perfectè ſibi etiam reſtitutis, in reverentiam Eccleſiæ conceditur, aliquamdiu ab ejus ingreſſu abſtinere: qui tamen mos nec introductus eſt, nec licitè introduceretur quoad mulieres fluxu menſtruo tantùm laborantes. Præterea perſonis nobilibus in ſignum funebris luctus pro loci conſuetudine, & ſtatus dignitate permittitur, ut ſe domi contineant, ita ut neque annalem conſuetudinem audeant damnare Navarrus, Henriq. Suarez, Palao. Verùm hæc conſuetudo non viget in noſtra Germania, & plerumque poſt confectas veſtes lugubres inferioris præſertim conditionis homines ſtatim ſolent domo exire.

Septimò putant aliqui, ſicut propter notabilem utilitatem temporalem, ſic etiam propter notabiliter majorem utilitatem ſpiritualem licitè omitti Sacrum. Verùm licèt opus bonum debitum ex obligatione voti poſſit pro libitu in melius mutari, id tamen non poteſt fieri circa opus debitum ex obligatione præcepti propter varia incommoda, ex tali licentia oritura, ut in materia de legibus dicitur: ſi tamen præter majorem honeſtatem aut vim meritoriam operis, facilè aliis bonis operibus compenſabilem, alia notabilis, & alio tempore non facilè obtinibilis, aut compenſabilis utilitas ſperaretur, concedo, tale opus miſſæ auditioni licitè præferri; quia pro tali caſu ceſſant incommoda licentiæ, & procedit paritas cum bonis temporalibus. Unde conſtitutus in peccato mortali, ſi non poſſet in templo, dum legitur miſſa, & nec antè nec poſteà eadem die confiteri, licitè præferret confeſſionem auditioni miſſæ propter conſcientiæ ſuæ aſſecurationem, ac tranquillitatem: & qui non poſſet alio tempore addiſcere ſcitu neceſſaria (qui tamen caſus videtur eſſe rarus) poſſet concionem auditioni miſſæ præponere, quando utrumque obtinere nequiret.

Pro Coronide quæres. An, qui excuſatur à majori 165
parte miſſæ, hoc ipſo etiam excuſetur à minori, ut neque teneatur minorem partem audire, quamvis impedimentum ad illam ſe non extendat. Affirmant aliqui, & confirmant id paritate rationis; quia ex omnium Doctrina non tenetur quis die Paraſceves intereſſe rei Divinę, in qua Sacerdos aliquam tantùm partem miſſę peragit, nempè ſumptionem, & alias quaſdam Cæremonias, quantumvis in illam diem incideret feſtum e. g. Beatiſſimę virginis: ergo ſimiliter, ſi quis fuit excuſatus à majori parte miſſę includente adhuc conſecrationem, neque tenetur aliquam partem minorem audire. Verùm hęc reſponſio videtur nunc ab Innocentio XI. eſſe prohibita, quia eſt ſimillima ſequenti propoſitioni, & fundatur ultimatè in eadem ratione, quę ab Innocentio improbatur in propoſitione 54. quę ſic habet: *Qui non poteſt recitare matutinum, & laudes: poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad ſe minorem.*

Ad Confirmationem ex paritate rei Divinæ die Paraſceves: nego ſuppoſitum, quòd res divina die Paraſceves ſit pars miſſę, licèt ſit ſimilis parti miſſę; non enim ſupponit, neque ordinatur ad aliam compartem, ſed eſt res divina, & ratio colendi Deum totalis, huic diei proportionata, & quia nec totalis, nec partialis miſſa eſt, ideo ad eam ratione feſti incidentis in Paraſcevem nemo tenetur: cùm, qui non poteſt audire miſſam, non tenetur alium cultum Dei ſubſtituere; quòd ſi tamen dubium eſſet; utrum ratio excuſans à majori parte miſſę non etiam ſe extendat ad minorem partem, tunc non improbabiliter poſſet ſuſtineri data reſponſio; quemadmodum Layman. *lib. 4. tract. 1 cap. 6. num. 2.* in ſimili caſu ait: *Si certum ſit te ob ægritudinem integrum Canonicum Officium recitare non poſſe, dubitas autem, an non aliquam horam poſſis, præſume, te omnino excuſatum; quia præcepta Eccleſiaſtica non tanto rigore obligant, ut materiam anxietatis, & ſcrupulorum pariant.*

ARTI-

ARTICULUS II.

De Actionibus prohibitis die feſto.

Actiones, quę ab obligatione negativa celebrandi feſta reſpiciuntur, ſunt triplicis generis; ſcilicet Actio ſervilis, Actio Judicialis, & Actio Emptionis, aut venditionis.

§. I.

De Actione Servili.

SUMMARIUM.

166 *Quid ſit actio ſervilis, & quænam actiones pro tali habendæ ſint. Et ancillas ponens per alios eodem modo peccat.*

167 *Quænam cauſæ licitam reddant actionem ſervilem.*

168 *Quæ temporis brevitas excuſet à peccato mortali.*

166 QUæritur 1. Quid ſit actio ſervilis prohibita *in cap. Licet de Feriis*? Reſp. cùm ſervitus, & ignobilitas operis, ut rectè advertit Tamb. *lib.* 4. *in Decalogum cap.*3. §.1. *num.*5. ab exiſtimatione hominum deſumi debeat, & circa eandem actionem non eadem apud omnes ſit exiſtimatio, ideò difficulter aliquam univerſalem, & propriè dictam definitionem actionis ſervilis, ſeu illiberalis, prout opponitur liberali, aſſignari poſſe: attendendo tamen ad eas actiones, quæ communiter pro ſervilibus habentur, ſic licebit communi Judicio illius deſcriptionem accommodare: nimirum quòd ſit *actio, quæ, quia vel immediatè in utilitatem corporis, vel corporis potiùs, quàm animi viribus efficitur, vulgaribus communiter hominibus committi ſolet*. In ſpecie autem inter actiones Serviles certò numerantur functiones artium mechanicarum, & propriæ ſervorum, ancillarum, ruſticorum: Viciſſim certò liberales actiones cenſentur, ſtudere, concionari, docere, diſcere, cantare, organa muſica pulſare &c. Dubiæ actiones, ſcilicet ab aliquibus ſerviles, ab aliquibus verò liberales exiſtimatæ, & conſequenter in praxi, ſaltem propter authoritatem extrinſecam licitæ ſunt, tranſcribere, collocare litteras typographicas, pingere (non tamen colores terere, miſcere, vel alias rudioris manus actiones exercere, ſicut nec tingere pannos, vel parietes dealbare licet) venari, piſcari, præliari, niſi alia opera ſervilia illis immiſceantur, vel valdè operoſo apparatu peragantur, iter facere, ſive pedibus, ſive equo, curru, navi, lectica geſtatoria, licèt ab hominibus portata, etſi ſervile, & illicitum non ſit, ſi tamen jumenta oneribus onuſta, vel onuſtos currus trahentia agantur, eaque onera ſæpè illis imponi, & ſæpè reponi debeant, propter hunc admixtum laborem opus ſervile reputatur, quamvis non facile ad gravem materiam prædictus labor videatur pervenire: Molere, etiam ſecluſa neceſſitate, quæ non rarò ſolet intervenire, in molendino, quod aquis, vel vento agitur, conſuetudo recepta permittit; quia ab homine exiguus labor conjungendus eſt; qua accedente ratione, ſi nimirum equus labori jam aſſuetus ſponte, vel ſolo clamore, ac hortatu ſervi gyretur, Tamb. etiam piſtrino, in quo ſcilicet mola à jumento rotatur, licitum aſſerit. Idem etiam excuſat partim ob conſuetudinem toleratam, ac præſcriptam, partim ob neceſſitatem, ne homines avertantur, præſertim ruſtici, diebus ferialibus venire impediti, quando barbi tonſores operam ſuam die feſto præſtant in capillis reſcindendis. Conſentit etiam Sanchez in Conſil. Moral. *lib.* 5.*c.*2.*dub.*21.

Ego cum eodem P. Thoma Sanch. admitto hujus aſſertionis probabilitatem, aliam verò Tamburini aſſertionem non exiſtimo probabilem, quando *lib.*4. *c.*3.§.1. *n.*16. dicit. *Tametſi infidelis* (e.g. Turca, vel alius non Baptizatus) *ex ſe ſive in ſuum, ſive in alienum commodum ſine peccato diebus feſtis valeat laborare, quia non eſt ſubditus præceptis Eccleſiaſticis, Fidelis tamen numquam eidem potuerit ſine culpa ejuſmodi laborem injungere*. Rationem duplicem aſſignat, quia qui per alios laborat, præcipiendo illis laborem, non ſanctificat more humano, & morali diem feſtum: & quia ſi videris, inquit, dominum præcipientem opus ſervile ſuis famulis, quamvis in pacatiſſima ſede quieſcat, diem feſtum ab eo coli, & ſanctificari nequaquam reputabis.

Ad hoc poſterius reſpondeo, ſi ſcivero famulos eſſe infideles, reputabo, ſi ſcivero fideles, non reputabo, quia qui directè inducit alterum ad agendum contra legem, cui iſte ſubeſt, peccat contra eandem virtutem, ad quam pertinet ipſa lex: non rectè tamen talis dominus confiteretur ſuum peccatum, dicendo, *laboravi die feſto*, ſicut is, qui alterum juberet fornicari, non rectè diceret: *fornicatus ſum*, ſed prior deberet dicere, meos famulos directè induxi ad agendum contra legem non laborandi die feſto, poſterior autem: induxi alterum ad agendum contra legem non fornicandi. At qui inducit alterum ad agendum contra legem, cui iſte non ſubeſt, non peccat contra legem: hinc etiamſi parentes ſuis filiis nondum ſeptemnibus die jejunii apponerent carnes, & juberent comedere, vel die feſto præciperent manere domi, nec audire ſacrum, non agerent contra legem.

Eodem modo reſpondeo ad primam rationem, qui per alios ſubjectos Legi laborat, non ſanctificat diem feſtum, concedo: qui per alios laborat non ſubjectos Legi, nego, quòd non ſanctificet diem feſtum, ſicut Tamburinus negat, ſi dominus per ſua jumenta die feſto onera ab uno loco in alium transferat, vel rotam molarem circumagat, clamore dirigens, ac impellens. Ratio à priori eſt, quia lex ſanctificandi diem feſtum imponit obligationem perſonalem, ſicut ergo non ſatisfaceret Legi, quia die feſto audiret ſacrum per alium, jubendo illum audire, ſic non facit contra legem, qui in propria perſona non laborat, etiamſi jubeat alium laborare non ſubjectum Legi. Et ideò Tamburinus citans pro ſe Antonium Fernandez apud Dianam *p.* 5. *tr.*14. *R.* 7. & contra ſe citans ipſum Dianam, & Laym. *lib.*1.*tr.*4. *c.*9.*n.*3. potiùs debuiſſet horum authoritate moveri.

Ex eodem fundamento infero cum Thoma Sanchez *lib.*1. *Moral. cap.*4. *num.*12. ſi dominus multis famulis injungat laborem pro breviori tempore quàm quod ſufficit ad peccatum mortale, eum tantùm peccaturum venialiter, ſed tantò graviùs, quantò pluribus, & quantò diutius Author eſſet ad agendum contra legem, cui ſubſunt, & quam tantùm venialiter ſinguli violant. Hìc enim neque actus neque objecta coaleſcunt, ſicut objecta levia coaleſcerent in furtis per alios factis. Quippè in labore famulorum non attenditur, quid commodi ex eo multiplicato Dominus accipiat, ſicut ſpectatur, quid & quantum lucri injuſtì accipiat ex minutis furtis; quia labor non prohibitus eſt propter commodum acceptum; unde ſive gratis, ſive pro pretio aut lucro temporali violetur præceptum, æqualiter violatur; & ex diverſorum pluribus venialibus omiſſionibus cultus Divini, non oritur ejuſdem magnum detrimentum, ſicut tamen ex multis levibus furtis oritur magnum damnum.

Quæritur ſecundò, quæ cauſæ obligationem præcepti, actionem ſervilem prohibentis, impediant, ac tollant? Reſp. Eſſe has quatuor: cultum Divinum, pietatem, neceſſitatem, diſpenſationem. Ratione cultus Divini enim actiones aliquæ ſerviles, immediatè tamen ad colendum DEUM præſtitæ, non habentur pro ſervilibus, cujuſmodi ſunt, campanarum pulſatio, circumgeſtatio vexillorum in publicis proceſſionibus: actiones verò diſpoſitivè ad cultum Dei tendentes, quamvis ſub obligatione peccati venialis die feriali præmitti debuiſſent, ſi fieri commodè potuiſſet, ſi id tamen factum non eſt, aut fieri per oblivionem, vel aliàs commodè non potuit, propter conjunctionem proximam cum divino cultu abſque nova culpa permittuntur. Tales actiones ſunt, verrere templum, purgare vias pro publica proceſſione, pinſere panem azimum pro hoſtiis, extruere tabulata, vel affigere tapetes pro aræ, vel templi ornatu: præter has tamen actiones ſine neceſſitate non conceduntur aliæ actiones, remotè tantùm ſervientes ad cultum Dei, & immediatè conducentes v.g. ad Eccleſiam ditandam vel extruendam. 167

Ratione pietatis permittitur foſſio ſepulchri pro ſepeliendo mortuo; vel teſte Tamb. quilibet alius labor pro gravi neceſſitate pauperis Eccleſiæ, vel determinati hominis pauperis, in eo ſtatu conſtituti, ratione cujus ipſi pauperi liceret pro ſua, vel aliorum ſuſtentatione laborare.

Ratione neceſſitatis privatæ, vel communis moraliter certæ, vel valdè probabilis, & mediocriter gravis, licita eſt quædam actio ſervilis, ſi dicto modo neceſſaria ſit vel ad ſalutem animæ, vel corporis, vel ad conſervationem bonorum fortunæ. Unde in primis ad evitandum otium, quando aliàs difficulter vinceretur gravis tentatio incitans ad peccatum, nec aliter quis utiliter occupari poſſet, liceret extra tempus miſſæ actioni ſervili privatim ad impediendum ſcandalum inſiſtere, teſte Palao, Tamb. & aliis. Secundò licet coquere, & parare ad menſam neceſſaria, & ex recepta conſuetudine; imò juxta Fagundez ex indulgentia ipſius Legis etiam ſuperflua, & ad delicias tantùm ordinata v. g. ad convivia: panes tamen pinſere ſolummodò licet, quando e. g. multi dies feſti concurrunt, ut apti, vel ſufficientes aliàs haberi non poſſent: quod de cibis, idem dicendum de medicinis neceſſariis. Tertiò licet laborare in agro, vel vinea, quando aliàs ratione tempeſtatis, & pluviarum in frugibus, & meſſe probabile damnum timeretur. Eadem eſt ratio de aliis damnis avertendis, quæ v. g. ſubirent ex interruptione cæpti laboris coquentes ſalem, tegulas, vitrum, vel intermittente piſcationem laborioſam eorum piſcium, qui è loco ſtatim dilabuntur, ut Tyrunnorum, Halecum &c. vel opifices, præſertim ſartores, & Sutores, quando opera ſua non expedientes pro deſtinatis temporibus e. g. veſtes pro temporibus ſolemnioribus inducendas, ab hominibus eorum operam petentibus deſererentur; quam laborandi facultatem Tambur. extendit etiam ad quodcumqne notabile, & extraordinarium lucrum acquirendum: eò quòd ejus amiſſio inter damna enumeretur, quæ tamen extenſio prudenter pro illo forſan caſu, quo rei magno pretio vendendæ occaſio dilaberetur, intelligenda eſt. Quartò licitè laborant, qui aliàs ſe, ſuamque familiam nequeunt ſufficienter alere, quod iterum cum diſcretione intelligendum eſt. Prætereà, qui res uſui ſuo neceſſarias conficere diebus ferialibus non permittuntur à Dominis ſuis. Quintò ſervi, & ancillæ juſſu dominorum laborare poſſunt, quando recuſantes ad iram, & gravem indignationem dominos ſuos commoverent. Sextò excuſantur laborantes pro publica, nec differibili neceſſitate, cogente v. g. reficere vias, fontes, vel conficere ad publicam lætitiam neceſſaria inſtrumenta, quia talium ſolemnitatum, & triumphorum inſtitutio etiam refertur in magnam utilitatem reipublicæ. De quarta cauſa, ſcilicet de diſpenſatione, dicitur in materia de legibus.

168 Quæritur Tertiò, quæ brevitas temporis à peccato mortali excuſet laborem ſervilem. Una hora continuatum opus ſervile eſſe materiam gravis peccati, docet Azor *tomo 2. Inſtitutionum moralium lib. 2. cap. 28. quæſt. 5.* Bonacina *diſp. 5. de tertio præcepto decalogi quæſtione unica punct. 3. num. 2.* Reginaldus *in praxi pœnit. lib. 19. cap. 3. numer. 33.* Fagundez de quinque præceptis Eccleſiæ *lib. 1. c. 14. num. 2.* addit adhuc medium, vel ad ſummum integram quadrantem. Plus quàm horam requirit Suarez *tomo 1. de Religione tractatu 2. lib. 2. de Feſtis cap. 31. n. 2.* Laym. *lib. 4. tr. 7. cap. 4. n. 1.* Thomas Sanchez *lib. 1. decal. cap. 4. num. 18.* ſed neuter indicat, quantò plus requirat. Duas horas pro gravi materia ſtatuunt Palao *tr. de Relig. diſp. 2. pun. 3. n. 4.* negans, ſe vidiſſe ullum Theologum Claſſicum, qui latius tempus concedat, & Trullenck de præceptis Decal. *lib. 3. c. 1. dub. 10.* has tamen levem adhuc materiam eſſe, ſimulque receptam hodie ſententiam appellat Tamb. *lib. 4. decal. cap. 3. §. 2. num. 1.* Idem tempus etiam admittit Diana *parte 2. tract. 10. reſol. 36. & part. 5. tract. 5. reſol. 6.* citans Filliucium, & probabile fatetur Trull. loco cit. tres horas pro mortali determinat Marchantius apud Dianam loco poſteriùs citato, qui omnium videtur liberaliſſimus: alii enim DD. Juris Canonici, qui tertiam partem diei exigunt, à Theologis communiter exploduntur; quia ſi, ut ſupponunt, tertia ſolummodò pars materiæ in quavis Lege pro gravi eſſet habenda, ſequeretur, ob materię parvitatem à mortali excuſatum fore, qui ex mille florenis ad pias cauſas voto promiſſis trecentos non ſolveret, quod eſt abſurdiſſimum.

Ego itaque in hac ſententiarum diverſitate puto, ſaltem non improbabilem eſſe ſententiam Tamb. qua id, quòd eſt tantùm duodecima pars alicujus totius, nec in qualitate, nec in quantitate exceſſivè magni, & æſtimabilis, non videtur eſſe pars valdè notabilis, adeòque materia gravis: ſed duæ horæ ſunt tantùm duodecima pars cultus unius diei, & ſolùm negativi, adeòque nec in quantitate, nec in qualitate exceſſivè magni: ergo &c.

Confirmatur: vacatio ab operibus ſervilibus per duas horas eſt cultus negativus, nec adeò magnus, nec multum conducens ad finem ab Eccleſia intentum, ne ſcilicet animus ſervili ſolicitudine, & abjectione avocetur à ſervitio divino: ergo labor oppoſitus non eſt materia gravis, in ordine ad tranſgreſſionem pręcepti exigentis ejuſmodi vacationem, niſi duas horas excedat exceſſu ſaltem adhuc modica: ut pręter citatos etiam conſentit Granado in *par. 2. S. Thom. contr. 6. tract. 2. diſp. 2. ſect. 6. num. 54.*

§. II.

De Actione mercatus, & Placiti.

S V M M A R I U M.

169 *Quænam actiones Judiciales die feſto ſint illicitæ.*
170 *Quæ cauſæ excuſent, & reddant licitas.*
171 *Qualis Mercatus die feſto ſit illicitus.*

PRæter actionem ſervilem duę tantùm liberales graviter (niſi objecti levitas excuſet) propter evitandas lites, & animi diſtractiones, cultum divinum plurimùm impedientes, prohibentur, *cap. 1. & ult. de Feriis, & Lege 1. 2. 3. ac ultima cod. eodem titulo.* Prima eſt Mercatus, altera dicitur placitum, quo vocabulo omnis actio, ſeu ſtrepitus judicialis, tam in cauſis civilibus, quàm criminalibus utriuſque fori, Civilis ſcilicet, & Canonici, ſignificatur, ac prohibetur: imò in *cap. ult. de Feriis* ipſo jure irritatur, quamvis jus civile *Lege Vt in die cod. de Feriis* tantùm irritandam non ipſo facto irritam ſtatuerit: De hac itaque poſteriore actione communis DD. conſenſus eſt, eam die feſto eſſe prohibitam tum quoad ſuum initium, tum quoad proceſſum, tum quoad finem ſuum, ac terminum. Ad initium actionis ſpectat citatio Rei, vel partis; hæc enim eſt Baſis, & fundamentum judicii. Proceſſus fit non quidem privata judicis informatione; hęc enim non eſt actus judicialis, ſed examinando teſtes, deponendo, & recipiendo eorum juramenta, quæ licèt in vocabulo placiti jam fuiſſent incluſa, ſicut etiam ſententia mortis: tamen *in cap. 1. de Feriis* claritatis gratia etiam ſpecialiter ſunt expreſſa, ex quo Panormitanus contra communem non rectè colligit, omnia juramenta etiam extrajudicialia, ſeu ad judicium non ordinata, univerſaliter prohiberi, ſed debuiſſet juxta ſubjectam materiam verba juramenti prohibitoria intelligere, referendo illa, vel ad utramque actionem præcedentem, nimirum, quòd ſicut, & quatenus mercatus, ac judicium fori ſunt prohibita, ita prohibitum ſit juramentum aſſumptum ad firmandam actionem prohibitam, quomodo cit. c. explicat Palao *tract. 9. diſp. Vn. punct. 8.* allegatis Fagundez, & Suarez, ſecutus P. Fagundez, vel ut Layman. *lib. 4. tract. 7. cap. 2. in Fine* Sanchez *in Conſil. lib. 5. cap. 2. dub. 30.* & alii ab ipſo relati idem exponunt, referendo illa verba ad ſolam actionem immediatè ante nominatam, ita ut Juramentum editum ad firmandum mercatum non ſit ſpecialiter, & ſeorſim à peccato mercatus in confeſſione exprimendum tamquam per ſe prohibitum. Finis denique, & terminus judicii conſiſtit in prolatione ſententiæ judicis, vel arbitri, niſi iſte, non ut judex, ſed ut amicabiliter componens partes, ſententiam ſuam dicat, qua ipſæ partes ſtare convenirent. Ad finem judicii probabiliter, contra Panormit. ab aliis quoque revocatur executio ſententię, etiam die non feſto latę, quia eſt complementum illius, adeòque ſicut ea, quę pręcedunt ſententiam, ſic executio à judice per miniſtros 169

ſtros

ſtros facta, quæ ſequitur, eodem jure videtur eſſe prohibita.

Ab hac tamen prohibitione judicialis actionis *cap. ult. de Feriis*, expreſsè caſus neceſſitatis, & pietatis excipitur. Unde ratione neceſſitatis Suar. apud Laym. teſtatur in parvis oppidis poſſe die feſto cauſas civiles agitari, ſi aliis diebus ruſticani homines adeſſe, vel commodè vocari nequeant: imò quotieſcumque actio judicialis ſine notabili incommodo privato, vel publico extra diem feſtum exerceri non poteſt, validè & licitè die feſto exercetur.

Ratione pietatis licita, & valida ſunt judicia in gratiam pupillorum, viduarum, & miſerabilium perſonarum celebrata, ne litis dilatione ſumptus facere, & alia incommoda ſuſtinere cogantur.

Denique advertendum eſt, præter actiones ad ſtrepitum judicialem ſpectantes nullam aliam eſſe interdictam. Unde permittuntur reliquæ omnes, etiamſi ſint actus Juriſdictionis fori externi; imò etiam juxta communem, & probabilem ſententiam, Excommunicatio, & multò magis abſolutio ab eadem die feſto inſtitui poteſt; eò quòd non neceſſariò requirant judicialem cognitionem cauſæ.

171 Mercatus, quo nomine intelliguntur tum celebriores annuæ, tum etiam ſingulis hebdomadis in urbibus conſuetæ nundinę, tum ipſa actio contractos, venditionis, emptionis, & ſecundùm aliquos etiam locationis, conductionis, permutationis &c. citato quidem Jure Canonico prohibitus, non tamen irritus eſt: Sed per conſuetudinem pleriſque in locis legitimè preſcripta ejus interdictio ut plurimis relatis teſtatur Sanch. in Conſil. Moral. *lib. 5. cap. 2. dub. 25. num. 5.* jam mitigata eſt propter varia ementium, & vendentium notabilia incommoda, ut teſte Palao, & Tambur. tantùm non liceat apertis officinis, & quaſi in publico extra dies anni deſignatos contractus celebrare, vel cum publica ſolemnitate eos inſtituere. Imò ipſis enim nundinarum diebus, monet Layman. curandum eſſe, ut nundinationes, & negotiationes non fiant ante rem divinam peractam.

Dixi, ſecundùm aliquos nomine Mercatus etiam intelligi quoſcumque contractus, pro quibus Sanchez *l. c. dub. 26.* refert Sylveſtrum, Angelum, Tabienam, quibus accedit noſter Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 2. de diebus feſtis cap. 20. num. 2.* & Fagundez *in primo præcepto Eccleſ. lib. 1. c. 12. num. 3.* ſed Sanchez *l. c.* inquit, dicto nomine ſolùm intelligi contractum Emptionis & Venditionis, & licèt in rigore intelligeretur quęlibet alia negotiatio, & contractus, ex conſuetudine communi, & timoratorum, & ſapientium licere etiam die feſto hujuſmodi contractum inire. Id verò probat non aliis exemplis, quàm quę fiunt ſine Inſtrumentis, & Judicis Authoritate. Unde videntur conciliari poſſe Authores, ſi priores Authores de talibus ſolemnibus contractibus, Sanchez autem de inſolemnibus accipiatur.

QUÆSTIO II.

De Cultu Religionis Deo in Perſonis Eccleſiaſticis, per Collationem & Inſtitutionem Beneficiorum exhibendo.

ARTICULUS I.

Definitio Eccleſiaſtici Beneficii.

SUMMARIUM.

172 *Definitur Beneficium, conſiſtens nec in ſolo Iure percipiendi redditus Eccleſiæ, nec in ſolo officio.*
173 *Quo ſenſu Beneficium ſit Ius perpetuum.*
174 *Quid per Bona Eccleſiæ intelligatur.*
175 *Quid ſit Officium ſpirituale.*
176 *Ad Beneficium requiritur Inſtitutio Canonica.*

172 Beneficium Eccleſiaſticum, quod in Tertio Decretalium *de Præbendis, & dignitatibus* etiam Prębendæ latiùs accepto vocabulo deſignatur, communiter definitur *Ius perpetuum percipiendi fructus ex Bonis Eccleſiæ propter officium aliquod ſpirituale, authoritate Eccleſiaſtica conſtitutum.*

Dicitur Primò. *Ius.* Ad cujus vocis intelligentiam duplex Jus diſtingui debet, unum eſt ſpirituale, Alterum temporale. Spirituale tribuit poteſtatem ad officium, vel ſervitium Eccleſiaſticum, ſeu ad exercendum munus ſpirituale, quod ſcilic. Miniſtro Eccleſię competit. Temporale, ſumptum, non prout opponitur perpetuò, ſed ſpirituali, eſt jus ad percipiendum redditus Eccleſiaſticos, quod quia in priori jure fundatur, & ex eo originem trahit, in ſe quidem temporale eſt, ſed propter connexionem cum jure ſpirituali ipſum quoque aliquam ſpiritualitatem contrahit, & denominativè ſpirituale dicitur, & ideò ipſum Beneficium, quod formaliter in iſto poſteriori jure conſiſtit, à Palao de Religione *tractat. 13. diſputat. 1. punct. 1. numer. 1.* plures referente, definitur *Ius ſpirituale percipiendi fructus ex Bonis Eccleſiæ.* Niſi enim iſtud jus annexum ſit priori juri, ſed ſi (ut fieri poteſt, & *iuxta capit. Cum M. Ferrarienſis de Conſtitutionibus*, factum fuiſſe conſtat) ambo jura ſeparatim in diverſis hominibus exiſtant, v. g. unus habeat Canonicam in aliqua Eccleſia, & nullos redditus (non enim Prębenda, ut inquit Abbas *in cap. Cum ſuper num. 3. de Conceſſ. Præbend.* Canonicum facit, ſed collatio juris ſpiritualis, facta ab eo, qui habet poteſtatem) Alter verò habeat jus percipiendi redditus; ſibi, ſive Clerico, ſive Laico aſſignatum, non ob ſpirituale munus, ſive Eccleſiaſticum Officium, ſed ob aliam cauſam, e. g. ad ſtudia, ad bellum contra infideles, vel propter pręcedentia merita, aut pręſtitam operam cantando, pulſando Organa &c. in tali caſu, ut bene advertit Layman. *lib 4. tr. 2. c. 2. num. 3.* neuter habet verè ac propriè dictum Beneficium. Nam prior non habet jus formale, ſed tantùm radicale percipiendi redditus, alter habet jus ſed non annexum officio alicui Eccleſiaſtico, Beneficium autem non eſt, niſi quòd datur propter officium *iuxta c. Fin. de Reſcriptis in 6.*

Dicitur Secundò. *Perpetuum.* Quod juxta Layman. 173
cap. 1. numer. 1. Palao *loc. citat. numer. 5.* relato Nicolao Garzia, Leſſio, Azor non eo rigore accipiendum eſt, quaſi non habeat unquam auferri poſſe Beneficium, niſi juſta cauſa poſtulante, aut illud ſponte reſignante Beneficiato, cùm etiam ea, quę ad nutum Pręlati ſunt auferibilia, atque Manualia vocantur, vera ſint beneficia. Itaque ajunt, perpetuum etiam illud dici, quod ita confertur, ut nullum tempus, in quo deſerendum ſit, determinetur; ſed perpetuò retineri queat. Unde inquit Palao, ſufficere perpetuitatem in ipſo Beneficio, tametſi non ſit in beneficiato, ita ut eo remoto Beneficium non omninò exſpiret, ſed ſolummodò vacet. Quod ipſum aliis verbis etiam dicit Vallenſis *§. 1. de Præbendis, & Dignitatibus num. 7.* ut oſtendat, quomodo Beneficiis Regularium non obſtet, quòd aliunde ratione obedientię debitę ad nutum Pręlati ſint amovibiles à Beneficiis non curatis, vel non Electivis, eò quòd illorum Beneficia in ſe, & ex Inſtitutione ſua ſint perpetua. Fatetur tamen citatus Palao *num. 6.* etiamſi in rigore loquendo ita ſit, nihilominus Jure Can. & ex communiori ac ſtrictiori acceptione Beneficii, neceſſariam eſſe prioris generis perpetuitatem, vi cujus Beneficium abſque gravi cauſa, vel libera reſignatione auferri non poſſit, ut colligitur *ex cap. Præcepta diſt. 55. cap. Satis per verſum diſt. 56. cap. Sanctorum diſt. 70.* Id ipſum fatetur Laym. *c. 4. n. 6.* inquiens: Id tamen fateri nos oportet, ſpectato jure communi, & ordinario, Beneficia ſęcularia cenſeri perpetua, Regularia verò Beneficia cenſeri Manualia, ſeu revocabilia. Defectu utriuſque tamen perpetuitatis prędictę à ratione Beneficii excluduntur commendę, & Vicarię Temporales. Commenda enim Temporalis eſt, quando aliquod munus ſpirituale alicui ad certum tempus commendatur, ſeu committitur, donec perſona apta inveniatur, cui cum Jure, ſeu titulo perpetuo concedatur; Si verò alicui jam ſit conceſſum, & ejus adminiſtratio, aſſignata certa portione redditeum alteri ad tempus demandetur, Vicaria Temporalis dicitur: neutra tamen habet Rationem veri Beneficii, ob defectum perpetuitatis.

Dicitur tertiò. *Percipiendi fructus ex Bonis Eccleſiæ.* 174

Qualia ſunt Bona immobilia Eccleſiarum particularium, & alia Dominia ac Jura, ex quibus certi redditus percipiuntur, atque Epiſcoporum, ac Ordinariorum adminiſtrationi ſubſunt. Unde ceſſante olim communi Clericorum vita, & cohabitatione annui proventus in quatuor partes ſunt diſtributi, quorum una Epiſcopo pro ſuſtentatione, altera Eccleſiæ pro Fabrica, tertia pauperibus in Eleemoſynam, quarta Clericis in neceſſarios uſus cedebat.

175 Dicitur quartò. *Propter Officium aliquod ſpirituale*, quod ſcilicet eſt ad cultum Divinum ordinatum, ut dicere, vel canere horas Canonicas, adminiſtrare Sacramenta, cuſtodire ſacram ſupellectilem &c. in quantum Clericis Jus vel obligatio ad hujuſmodi functiones committitur.

176 Dicitur quintò. *Authoritate Eccleſiaſtica conſtitutum.* Quia ſecundùm primam Reg. Juris in 6. *Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licite ſine Inſtitutione Canonica obtineri*; quæ ſcil. fit ab Eccleſiæ Prælato ſecundùm formam & modum à SS. Canonibus præſcriptum. Imò particulam *Licitè* ſumi hic pro *Validè* probat Zœſius *tit. de Præb. & Dignit. num.8. ex cap 2. de Judiciis*, quia conferre Beneficia eſt Licentia, ſive poteſtas ſpiritualis, quæ in Laicum cadere non poteſt. Ideò ad poteſtatem ſolius Eccleſiæ Prælati ſpectat, Officia ſpiritualia inſtituere, eiſque Eccleſiæ proventus annectere, & Perſonis Eccleſiaſticis conferre. Quando autem Reges, aliique Principes ſubinde aliqua Beneficia conferunt, & idoneum eligunt, uti advertit Azor *lib.6. cap. 25. quæſt.19.* id non faciunt jure ordinario, ac proprio, ſed ex privilegio, & quaſi à Pontifice delegati. Et quando *in cap. Dilecto 40. de Teſtib. & Atteſtationibus*. Comitiſſæ Flandriæ à Pontificibus Præbendæ Sacerdotales donatæ leguntur, id poteſt intelligi de donato Jure præſentandi, non conferendi, ut teſtatur Zœſius *tit. de Præbendis, & Dignit. num.7.*

ARTICULUS II.

Diviſio Eccleſiaſtici Beneficii.

SUMMARIUM.

177 *Beneficia alia ſunt ſecularia, alia Regularia, in dubio præſumuntur ſecularia.*

178 *Quænam Beneficia dicantur duplicia, & quæ ſimplicia.*

179 *Rurſum dividuntur Beneficia in Titularia, & Manualia.*

180 *Alia etiam ſunt Præſtimonialia; quamvis non omnia Præſtimonia ſint Beneficia.*

181 *Aliæ Beneficiorum diviſiones ſunt, in Electiva, Patronata, Libera, Collativa.*

177 PRimò. Beneficia alia ſunt Sæcularia, quæ Clericis Sæcularibus, alia Regularia, quæ Regularibus addicta, & debita ſunt, ita ut niſi juſta cauſa contrarium exigat, iſtis ſolummodò conferantur: in dubio verò præſumuntur Sæcularia. Cùm enim, ut inquit Vallenſis *lib. 1. de Beneficiis titul. 2. num.6.* Religioſi Contemplantis habeant officium *c. Monachis cap. Placuit 16. quæſt. 1.* non eſt præſumendum aliquod Beneficium fuiſſe erectum, quo ab hoc ſuo officio avocentur.

178 Secundò. Alia ſunt duplicia, alia ſimplicia. Duplicia aliquam Præeminentiam, vel Juriſdictionem, vel Adminiſtrationem rerum, aut ſpiritualium, v. g. Sacramentorum, aut Temporalium Eccleſiaſticarum, ſive ad Eccleſiam ſpectantium, annexam habent, ut Pontificatus, Cardinalatus, Epiſcopatus (quanquàm hi Beneficiorum Nomine, præſertim in Pœnalibus aliiſque ſtrictæ interpretationis Canonibus, comprehendi non ſoleant; aliàs Beneficia majora appellantur) Perſonatus, qui eſt Præeminentia quædam in Eccleſia e. g. ad locum honoratiorem in choro, Proceſſionibus, aut in dandi ſuffragiis capiendum, ſine Juriſdictione tamen fori Exterioris, per quod, in rigore loquendo, diſtinguitur à dignitate, quæ eſt Præeminentia cum Juriſdictione Fori Exterioris. Ad hæc Beneficia Duplicia etiam ſpectant Beneficia Parochorum, ſeu Plebanorum. In Regularibus Beneficia Duplicia cenſentur Abbatia, & Prioratus Conventualis, vel Clauſtralis. Simplicia verò ſunt, quæ neque Præeminentiam, neque Juriſdictionem, neque Adminiſtrationem habent. Unde omnia curata Beneficia inter duplicia numerantur, ſive habeant curam animarum propriè dictam, miniſtrandi ſcilicet Sacramenta, & verbum DEI, ſive impropriè dictam; nimirum exercendi Juriſdictionem in foro Externo, ut ex communi illam diſtinguit Vallenſis *lib. 1. tit.2. num.2.* adnotans, in dubio, utrum Beneficium ſit curatum, præſumi non curatum, donec probetur. Canonicatus verò, tam Sæculares, quàm Regulares, & Capellaniæ, nihil prædictorum habentes annexum, inter ſimplicia numerantur. Quamvis non omnes Capellaniæ Beneficia ſint: ſed illæ ſolùm, quæ Epiſcopi authoritate ſunt inſtitutæ: quæ verò à Fundatore, vel ejus hæredibus conceduntur, non Beneficia, ſed tantùm Temporalia ſtipendia Sacellanorum appellari merentur.

Tertiò Beneficia alia ſunt ſimpliciter Titularia, quæ ſcil. ad titulum perpetuum, & abſque juſta cauſa inauferibiliter conceduntur, à quibus commendæ perpetuæ aut omninò non, aut ferè nihil diſtinguuntur. Alia ſunt Manualia, ſeu auferibilia, quæ ſcilicet ad nutum Prælati auferri poſſunt, quamvis ad nullum determinatum tempus ſint conceſſa, ut in ſuperiore articulo dictum eſt. 179

Quartò. Beneficia dividi poſſunt in Præſtimonialia, & non præſtimonialia. Præſtimonialia ſunt portiones quædam deciſæ ab annuis proventibus intuitu alicujus ſervitii ſpiritualis, ſaltem Horariarum Precum, conceſſæ in titulum perpetuum: Si enim non in titulum perpetuum conferantur, ſed uſque dum e.g. abſolvantur Studia, aut aliquod Beneficium obtineatur; tunc ejuſmodi Præſtimonialia non ſunt vera Beneficia, neque differunt ab aliis ſtipendiis temporalibus. Et ſi non intuitu ſervitii cujuſdam ſpiritualis concedantur, licèt ex conſtitutione Pii II. annexam habeant obligationem recitandi officium B. V. tunc iterum à Ratione Beneficii deficiunt, & Penſiones vocantur, quarum quædam ſunt Laicę, quę Laicis hominibus ſolvuntur; quędam ſpirituales, ſive Temporales, ſive perpetuę, id eſt, quę ad certum tempus, vel uſque ad mortem Clericis tantùm hominibus, cum vel ſine titulo oneroſo penduntur, atque à Beneficio differunt, quòd non fundentur in Jure ſpirituali alicujus ſervitii Eccleſiaſtici, Clericis proprii. 180

Quintò. Ratione modi, quo Beneficia conferuntur, alia dicuntur Electiva, quæ conferuntur per Electionem ſubditorum, à Prælato, ſi viderit dignum electum eſſe, confirmatam, ut Papatus (qui quidem non aliam confirmationem, quàm receptionem ipſius electi exigit) Patriarchatus, Epiſcopatus, Collegiatarum Eccleſiarum Prępoſitura, niſi fundatio, vel conſuetudo, vel Privilegium aliud obtinuerit. Alia dicuntur Patronata, quę conceduntur per pręſentationem, à Pręlato, ſi viderit, pręſentatum eſſe dignum, approbatam: qui proinde tenetur apponere ſuam approbationem, juxta *cap. Decernimus 16. quæſt. 7.* eaque approbatio propriè Inſtitutio vocatur. Alia denique dicuntur Libera, quę ſcilicet cuique digno ab habente poteſtatem liberè tribuuntur. Utraque prout opponuntur Electivis, etiam collativa vocantur: iſta enim ſunt, teſte Vallenſe *n.8.* quę collatione, aut alio, quàm Electionis, à Superiore confirmatę, modo acquiruntur: unde etiam quę per Electionem quidem providentur, ſed Confirmatione Superioris non indigent, modò Papatu inferiora ſint, Collativa dicuntur, & Electio potiùs proviſio nominatur, eò quòd per ipſam immediatè conferatur Beneficium Electo. 181

ARTICULUS III.

A quo, & quo Jure Beneficium Eccleſiaſticum conferri poſſit.

§. I.

De poteſtate conferendi Beneficium competente ſupremo Pontifici Iure Præventionis, & Iure Concurſus.

SUMMARIUM.

182 *Summo Pontifici ſoli competit Ius præventionis, & Ius dandi Expectativam gratiam ad Beneficium Vacaturum. Imperatori Roman. convenit Ius primarum precum ad Beneficium vacans, vel proximè vacaturum.*

183 *Eidem Sum. Pontif. competit etiam Ius concurſus. In Germania tamen ſecundum concordata confert Beneficia alternis menſibus, niſi ſint Patronata.*

182 Certum eſt, Collatorem ſupremum, & Univerſalem Beneficii cujuſcumque, ſive Electivi ſive patronati, ſive Liberi, eſſe Summum Pontificem, ut habetur *cap. 2. de Præbendis in 6. & c. 1. de Lite pendente in Clementinis*. In primis gaudet proprio, ac ſpeciali *Iure, Præventionis* dicto, quo poteſt concedere Gratiam Expectativam ad Beneficium proximè vacaturum juxta *c. Dudum de Præb. in 6.* Hoc jus certum iterum eſt, ſoli Summo Pont. competere, ſicut ex Pontificio Privilegio & antiquiſſima conſuetudine ſoli Imperatori Rom. competit, ut in quavis Eccleſia poſſit ſemel offerre preces primarias, ob quas Beneficium vacans, vel proximè vacaturum (niſi ſit inter excepta apud P. Pirhing. *lib. 3. tit. de Præb. & Dignitat. Sect. 9. §. 6. & 7.*) conferri ſuo tempore debet Perſonæ dignæ ab ipſo nominatæ, ſeu præſentatę. Alios Collatores verò omnes ad nullum Beneficium, etiamſi proximè ſit vacaturum, niſi actualiter de facto, vel de Jure certè cognito vacet, dare promiſſionem, vel Patronos præſentationem offerre, aut promittere poſſe, & ſi ſecus fiat, actionem irritam eſſe, conſtat *ex c. Dilectus 1. de Præb. & dignit. c. Relatum de Conceſſ. præbendæ*, atque ex Trid *Seſſ. 24. c. 19.* ex quo loco colligunt Cardinales (quod etiam *cit. c. Dilectus* indicatur) non poſſe erigi canonicatum ſupernumerarium ad futuram præbendam, nec Capitula Eccleſiarum poſſe Canonicos ſupernumerarios creare ſuper futura præbenda, niſi conſuetudo aliter præſcripſerit in quibuſdam Eccleſiis, ex qua tamen deſignatus Canonicus tantùm acquirit jus ad rem, non in re quoad præbendam vacaturam: unde ſi ea deinde vacante alius, vel à Pontifice vel ab ipſo capitulo ſuperinduceretur, prior cedere deberet.

183 Alterum Jus Summi Pont. conferendi Beneficia dicitur *Ius Concurſus juxta c. Dudum §. Nos igitur.* Papa enim concurrit cum quolibet Ordinario in poteſtate, ita ut qui prior contulerit Beneficium, ejus collatio rata ſit: ſi autem ſimul idem Beneficium diverſis fuerit collatum, is, qui in poſſeſſione eſt, præferatur; ſi etiam neuter ſit in poſſeſſione, Papæ collatio, utpotè dignioris, prævaleat, ut dicitur *in c. Si à Sede 31. de Præb. in 6.* Ad vitandam tamen confuſionem in Concordatis Germaniæ inter Sedem Apoſtolicam, & Fridericum III. Imperatorem edita conſtitutione à Nicolao V. quæ incipit *ad Sacram* anno 1447. Kal. Aprilis conventum eſt, ut Beneficia, quæ à Januario alternis menſibus vacare inceperunt, à Pont. conferantur (niſi Jus præſentandi ad Patronum Laicum ex Conſtructione, Fundatione, vel Dotatione Beneficii pertineat; vel niſi Pontifex intra tres menſes à die cognitæ vacantiæ nihil de beneficio diſponens, hoc ipſo Jus ſuum Ordinario tranſmiſerit, vel denique niſi Sedes Apoſtolica vacaverit) quæ verò menſibus intermediis vacare cœperunt, ab Ordinario, vel ab alio, eandem poteſtatem habente, concedantur, niſi Pontifex, prout non ſolet, pro plenitudine poteſtatis ſuæ Jus Ordinarii ex juſta tamen cauſa ad ſe revocaret.

§. II.

De Poteſtate Summi Pont. Iure Reſervationis.

SUMMARIUM.

184 *Quid ſit Reſervatio Beneficiorum, & quænam Beneficia ab illa ſint immunia.*

185 *Quid ſit Patronatus Laicus, & quid Eccleſiaſticus.*

186 *Qualia Beneficia ſoleant reſervari.*

De reſervatione Beneficiorum, *quæ eſt Beneficii Eccleſiaſtici vacaturi per habentem ad id poteſtatem, ad ſe facta avocatio*, ſciendum eſt, Pontificem ſibi neque reſervare Beneficia manualia, neque Beneficia Eccleſiæ non numeratæ, ſeu receptivę, ut vocant, in qua ſcil. Beneficiati ſub nullo certo numero recipi debent (hoc ipſo enim quòd nullus numerus Beneficiatorum ſit determinatus, eo, qui priùs erat, imminuto, non propterea cenſetur Beneficium vacare) neque Beneficia reſignata ex cauſa permutationis, vel juxta probabilem ſententiam, ex quacumque alia cauſa (nam permutatio Beneficiorum non inducit eorum vacationem) neque Beneficia patronata Laicorum. 184

Duplex enim eſt Patronatus, Laicus, & Eccleſiaſticus. Laicus eſt, qui Perſonæ ſive Laicę, ſive Eccleſiaſticæ competit, vel quia fundum Eccleſiæ ædificandæ conceſſit, vel quia propriis ſumptibus ad profanas res applicabilibus Eccleſiam ædificaverit, ſeu conſtruxit, vel quia ex ejuſmodi ſumptibus eam ſufficienter dotavit pro conſervandis Miniſtris, luminibus &c. ſufficientes redditus ſubminiſtrans. Unde is Patronus Laicus dicitur, quia ex aliquo hujuſmodi titulo, per ſe etiam Laico competente, Jus præſentandi Beneficiatum acquiſivit: quod proinde vel uni tantùm debetur, ſi omnes tituli in eundem concurrunt, vel pluribus; quotquot nim. aliquem ex prędictis titulis, licèt tantùm partialiter, & inęqualiter concurrendo, ſibi acquiſiverunt. Patronatus Eccleſiaſticus eſt, qui debetur Perſonę Eccleſiaſticę ratione dignitatis. E. g. ratione Epiſcopatus, Prępoſiturę, Decanatus &c. Vel ratione alterius Beneficii, vel ratione Fundationis, Conſtructionis, aut Dotationis ex bonis Eccleſiaſticis ſuperfluis, & alioquin ad alias pias cauſas applicandis. Vel denique ratione translationis Juris Laici, factæ Monaſterio, Eccleſiæ, vel Beneficio per donationem, teſtamentum &c. 185

Reſervari autem Summo Pont. ſolent primò, Beneficia vacantia menſibus Papalibus; de quibus tamen ſi Pontifex non provideat intra tres menſes à cognita vacantia in loco Beneficii, Ordinario conceditur Jus præventionis. Secundò dignitates, quæ poſt Epiſcopatum Majores ſunt in Eccleſiis Cathedralibus, ut apud nos eſt Præpoſitura, vel quæ in Eccleſiis Collegiatis ſunt Principales, uti etiam eſt præpoſitura, & in quibuſdam Decanatus. Cęterùm aliquæ Eccleſiæ, & noſtra etiam Auguſtana Cathedralis ab hac Reſervatione ſunt privilegiatæ. Tertiò Beneficia promovendorum, vel promotorum à Papa ad aliud Beneficium incompatibile, ſive liberè, ſive per approbationem electionis ſit collatum. Quartò Beneficia Cardinalium: & Curialium, ſeu Familiarium Papæ; imò etiam Familiarium alicujus Cardinalis, etiamſi Beneficium Curiale non retinuerint uſque ad tempus vacantiæ: quia Beneficia affecta ſemel Reſervatione Papali, manent affecta. Quintò Beneficia Legatorum, & Curſorum Pontificiorum, ac quorumcumque ad Curiam Rom. accedentium, vel inde redeuntium, ſi in locis non ultra duas dietas diſtantibus moriantur. Sextò Beneficia omnia per depoſitionem, privationem, translationem, electionem aut poſtulationem caſſatam, vel renuntiatam authoritate Pontificis vacantia: atque hæc ſexto & quinto loco relata Beneficia *in Curia vacare* dicuntur; quorum tamen Reſervatione non obſtante, ſi Curata, ſeu Parochialia ſint, ab Ordinario conferri poſſunt, Sede Apoſtolica vacante, vel de iis non priùs diſponente, idque ſpecialiter indultum eſt, ne cura animarum diu debeat vacare. 186

§. III.

§. III.

De Poteſtate Summi Pontificis Iure Devolutionis.

SUMMARIUM.

187 *Quid ſit Ius Devolutionis, & quando id pertineat ad Papam, & quando ad alios.*

188 *Per quanti temporis negligentiam in proviſione Beneficiorum commiſſam, & quibus contingat Ius Devolutionis.*

187 DEvolutio à Vallenſi *lib. 2. tit. 20.* definitur, *Collationis ſeu Proviſionis Beneficii ab una Perſona ad aliam translatio.* Circa hujus itaque poteſtatem diſcrimen faciendum eſt inter Eccleſias Cathedrales, & alias inferiores, ſive Regulares ſint, ſive Seculares: in his enim ſi Capitulum quacunque ex cauſa eligendi facultate privatum ſit, eligendi poteſtas ad proximum Superiorem, cui aliàs Jus approbandi electionem competeret, devolvitur, ut patet *ex cap. Licèt de ſupplenda negligentia, & ex cap. Ne pro defectu de Electione.* In illis verò, nempè in Cathedralibus Eccleſiis rurſum diſtingui debet, utrùm privatio accidat propter eligendi negligentiam ultra elapſum trium menſium ſpatium à die cognitæ vacantiæ computandum; & tunc electio etiam devolvitur ad proximum Superiorem ejus Eccleſiæ, videl. ad Metropolitanum, niſi ad illum Jus electionem confirmandi non pertineat, uti in Germania propter Concordata in plerisque Epiſcopatibus Salisburgenſi Archiepiſcopatui non ſubjectis, hoc ipſum Jus Summo Pontifici reſervatum eſt. Si verò privatio ex alia cauſa proveniat, e. g. quia indignus electus eſt (quæ electio eſt ipſo Jure irrita) vel quia præſcripta forma ſervata non eſt (quæ electio eſt irritanda, & privat Electores poteſtate, niſi priùs aliam formatam faciant) tunc devolutio fit ad Papam. Ita expreſsè diſtinguitur, & ſtatuitur *in cap. Quamquam de Electione, & electi poteſtate in 6.* Ubi fatetur Pontifex, quòd licèt in caſu negligentiæ Jus antiquius *Capituli Dilectus 12. de Conceſſione prabendæ* poteſtatem eligendi Epiſcopum immediatè ad Summum Pontificem devolverit, deinde autem *cap. Ne pro defectu de Electione* ad proximum Superiorem eadem poteſtas ſit devoluta, in cęteris tamen Caſibus privationis eligendi Epiſcopum nihil ſit immutatum; unde ſi Capitulum quacunque alia de cauſa poteſtate ſua privetur, Jus eligendi redeat ad Pontificem, ad quem antiquo Eccleſiæ more Proviſio Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum ſpectabat. Quòd ſi tamen cauſa privationis non fuiſſet communis omnium Capitularium, ſed ſi e. g. aliqui in electionem Indigni non conſenſiſſent, tunc poteſtas eligendi non devolveretur ulterius, ſed remaneret penès innocentes, etiam pauciores juxta *cap. de Poſtulatione Prælatorum.*

188 Præterea in cauſa privationis ex negligentia Electorum etiam faciendum eſt diſcrimen quoad tempus cognitę vacantiæ, quando enim electio Epiſcopi, aut Prælati Regularis ſine gravi ac juſta cauſa, aut impedimento excuſante differtur, ubi propter gubernationem ſubditorium longior mora magis eſt damnoſa, ſufficit trimeſtre, ut habetur *in cap. Ne pro defectu de electione.* Quando autem neque Epiſcopi, neque alterius Prælati, ſimilem ſeu quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habentis, neque Prælati Regularis electio differtur, ſemeſtre ſtatuitur in *cap. Licèt de Supplenda negligentia, & cap. Nulla Eccleſiaſtica de Conceſſione prabendæ.* Et quidem ſi negligentia committitur ab ipſo Epiſcopo in Beneficii Jure proprio conferendis (niſi ſint tantùm Beneficia ſimplicia, in quibus teſte Laym. *capitulo proximè citando §. Clerici ſanè num. 9* per negligentiam non incurritur privatio) Jus devolvitur ad Capitulares, ut habetur *cap. Cùm in cunctis de Electione & cap. 2. de Conceſſione prabendæ*: in Beneficiis verò ex devolutione vel delegatione, vel privilegio conferendis, quando v. g. ex negligentia, vel delicto Capituli, aut Prælatorum Regularium non Exemptorum Jus conferendi Beneficium, ſive Sæculare, ſive Regulare ad Epiſcopum devolvitur, eo negligentiam vel delictum committente, defertur Jus ad Metropolitanum, & ab hoc ad Papam, ad quem etiam devolvitur Jus Prælatorum Regularium Exemptorum. *Cap. Unico de ſupplenda negligentia Prælatorum in Clementinis.*

§. IV.

De Poteſtate aliorum Pontifice Supremo Inferiorum.

SUMMARIUM.

189 *Qualis poteſtas conferendi Beneficia competat Epiſcopo diœceſano.*

190 *Qualis competat poteſtas Capitulo, Sede vacante.*

191 *Qualis Legatis Apoſtolicis.*

POſt Papam Jus conferendi Beneficia libera, vel in- 189
ſtituendi ad præſentata, competit Epiſcopo Diœceſis, vel Abbati Epiſcopali poteſtate etiam quoad ſubjectum populum gaudenti, ut conſtat ex *cap. 1. de Capellis Monachorum*, & pluribus aliis capitulis. Nihilominus adhibere debet conſenſum, vel conſilium capitularium, niſi ex Privilegio, vel conſuetudine præſcripta ab hoc ſit independens. Ait quidem Layman *in cap. Ne pro defectu de Electione n. 7.* dictum conſenſum capitularium neceſſarium non eſſe, quando ex Jure Devolutionis confertur Beneficium; in iis verò Caſibus, in quibus ille requiritur, tantùm requiri ex æquitate, non ex neceſſitate pręcepti, ſed priori limitationi videtur repugnare Capitulum *Ne pro defectu de Electione.* Poſteriori autem *capit. Novit. de his, quæ fiunt à Prælatis.*

Epiſcopi Sede vacante Capitulum, etſi non poſſit con- 190
ferre Beneficia libera Juris Epiſcopalis; cùm hoc ſit ſpecies donationis, nemo autem poſſit alterius nomine ſine ſpeciali mandato donare, poteſt tamen inſtituere Præſentatos, vel ratificare legitimè Electos. Idem dicendum de Vicario Generali: cui tamen Epiſcopus poteſt ſpeciali mandato concedere etiam facultatem conferendi Beneficia libera, vel præſentandi ad ea, quorum ipſe ſolum Jus præſentandi, & non conferendi habet.

Legati ſeu Nuncii Apoſtolici, niſi ſint à Latere, id eſt, 191
niſi ſimul ſint Cardinales, vel niſi cum eadem poteſtate ſpecialiter miſſi ſint, nequeunt ſine ſingulari conceſſione Papæ conferre Beneficia, ſive ſint ſolùm Nuncii, ſeu Miſſi, nimirum non ex gremio Cardinalium deſtinati in Provinciam ad gerenda quædam negotia, ſive ſint Legati Nati, ut vocant: qui ſcil. ratione Eccleſiarum, quibus præſunt, hanc dignitatem habent annexam, & ſic cum munere Legati naſcuntur: quia ſic expreſsè ſtatutum eſt *cap. 1. de Officio Legati in 6.* Legati à Latere verò, vel cum eadem poteſtate miſſi, concurrunt cum Ordinario Jure Præventionis, juxta cit. cap. & cum Exemptis à Jure Ordinarii, ut ex eodem capitulo colligitur loquendo de Jure communi. Nam juxta concordata Germaniæ Nicolai V. cum Friderico III. ſuprà jam dixi, Beneficia non per concurſum, ſed per varium occurſum Menſium, quibus vacare cęperunt, in Germania noſtra conferri ſolere. Et ita etiam ſenſiſſe Rotam Romanam teſtatur Layman. *cap. Dilectis 6 de Officio Legati n. 2.* Cęterùm prædicti Legati à Latere in hoc etiam circa Beneficia poteſtatem ampliorem habent, quàm alii Legati Miſſi, quòd iſtis Electionem Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectorum, ſolùm permittatur examinare, eamque Sedi Apoſtolicæ tranſmittere, atque deinde circa eam nullam ampliùs habeant poteſtatem, ut expreſsè dicitur *in cap. Licet 5. de Officio Legat.*: illi verò Epiſcoporum, & Abbatum Exemptorum electionem confirmare poſſunt, & his in Epiſcopos electis licentiam dare, Monaſterio egrediendi. *Capit. S. Abbatem de Electione in 6.* Omniaque Beneficia ad Papam devoluta, niſi eidem ſint ſpecialiter reſervata, conferendi poteſtatem habent, etiamſi (ut dicitur in cit. *cap. Dilectus*) ſint Patronata, modò non ſint Patronorum Laicorum, vel propter horum in præſentando negligentiam ſint devoluta ad Epiſcopum. Excipiuntur etiam Beneficia ob negligentiam Prælatorum Regularium Exemptorum, intra tempus præſcri-

ptum

ptum necdum collata, & ad menſam illorum non pertinentia: quia pro his authoritate Pontificis conferendis ſpecialiter deputati ſunt Ordinarii locorum *in Clement. cap. Unico de ſupplenda negligentia Prælatorum*. Præterea habent Legati à Latere Jus in Provincia ſuæ Legationis, ut poſſint Beneficia, necdum vacantia, ſuæ Collationi, etiam in favorem certæ perſonæ, reſervare, modò una Reſervatione pendente non reſervent aliud in eadem Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata, vel ejuſdem Collatoris *juxta cap. 3. de Officio Legati in 6.* & modò Beneficia illa non ſint electiva in Eccleſiis Cathedralibus, Regularibus, aut Collegiatis, ut habetur *in cap. 4. ibid.* in quo cùm etiam dicitur, memoratas Eccleſias non poſſe Legatum à Latere reſervare, id juxta Gloſſam non eſt intelligendum de Canonicatibus in illis Eccleſiis, ſed de primaria earum dignitate, & gubernandi Jure, puta Epiſcopatum, Plebaniam, Abbatiam, Prioratum. Quòd ſi verò Legatus à Latere in Eccleſiis ſuę Legationis aliqua Beneficia ſibi reſervavit, & ſi ea primùm poſt finitam Legationem vacaverint, cum Legatione etiam reſervatio dicitur eſſe finita *in cit. cap. 3. de Officio Legati in 6.*

ARTICULUS IV.

Cui Beneficium Eccleſiaſticum poſſit conferri.

SUMMARIUM.

192 *Quomodo requiritur certa ætas ad accipiendum Beneficium.*
193 *Ad accipiendum Beneficium requiritur Clericatus, & ſpecialis Ordo pro diverſitate Beneficiorum, qui ſaltem intra tempus præſcriptum recipiendus eſt, juſta cauſa, vel diſpenſatione, non excuſante.*
194 *Quomodo requirantur, vel diſpenſentur legitimi Natales.*
195 *Quomodo Cælibatus ſit neceſſarius.*
196 *Qualis morum probitas exigatur.*
197 *Qualis ſcientia.*
198 *Quomodo immunitas à Cenſura & Irregularitate neceſſaria ſit.*
199 *Beneficia Regularia vel Sæcularia ejuſmodi Perſonis conferenda ſunt.*
200 *Quomodo pluralitas Beneficiorum prohibita, vel permiſſa ſit.*
201 *Quomodo requiratur animus, intra præſcriptum tempus recipiendi Ordinem ſacrum, ad Beneficium neceſſarium.*

UT quis ſit habilis ad accipiendum Beneficium Eccleſiaſticum, ſequentibus verſibus comprehenſas Conditiones habere debet.

Ætas, Sors, Ortus, Cælebriſque, Probuſque, Scienſque,
Nec Canon impediat, nec Regula, Munus, & Ordo.

192 Prima Conditio eſt Ætas legitima, ſine qua ſecundùm communem ſententiam teſte Vallenſe *lib. 1. tit. 15. in principio*, & Abbate *in capit. Ex ratione de Ætate & Qualitate* impetratio Beneficii ipſo facto irrita eſt, & fructus percepti tam extantes, quàm mala fide conſumpti reſtitui debent. Requiritur autem ad ſimplex Beneficium Jure novo Tridentini *Seſſ. 23. cap. 6.* ut quis annum decimum quartum ſaltem inchoaverit, quamvis Jure antiquo ſatis fuerit complevisse ſeptimum annum. Ad Beneficium duplex non Curatum, v. g. Dignitatem, vel Perſonatum cujuſcunque Eccleſiæ, ſive Collegiatæ, ſive Cathedralis, exiguntur anni 22. & juxta communem contra Saa quidem completi, eò quòd Trid. *Seſſ. 24. cap. 12.* dicat, Beneficiatum non debere eſſe *Minorem 22. annis*, qua loquendi forma anni completi in Jure intelliguntur. Ad curatum verò Beneficium poſtulat Trid. *l. c.* & Jus etiam antiquum, vigeſimum quintum annum inchoatum: ad Epiſcopatum denique neceſſe eſt, annum trigeſimum abſolviſſe. Neque in hac conditione ætatis ullus diſpenſare poteſt præter Summum Pont. ſecundùm univerſalem Regulam, vi cujus nulli inferiori conceditur, diſpenſare in Lege Superioris ſine ſpeciali commiſſione, aut privilegio, cujuſmodi Epiſcopis datum non eſt poſt Tridentinum, licèt olim diſpenſare potuerint cum Beneficiatis non curatis, complentibus vigeſimum annum. *Cap. Permittimus de Ætate & qualitate in 6.*

Secunda conditio eſt Clericatus, ut ſcil. promovendus ad Beneficium ſaltem prima Tonſura initiatus ſit, 193
ut colligitur *ex cap. Cùm adeo de Reſcriptis:* imò nec præſentatio abſolutè facta valida eſt ſi præſentatus necdum primam tonſuram acceperit. Dixi. *Saltem.* Nam qui eligitur in Epiſcopum, etiam Subdiaconus eſſe debet, ut habetur *in cap. A multis de Ætate & qualitate:* & ſi aliquod Beneficium determinatum Ordinem exigat, ſicut Canonicatus Cathedralis exigit Subdiaconatum, debet legitimo impedimento ceſſante is ſaltem intra annum recipi, ut conſtat ex Clementinis *c. 2. de Ætate & qualitate*, & Trid. *Seſſ. 22. cap. 4.* Unde ad Canonicatum Cathedralem promovendus debet ſaltem inchoaſſe 21. annum ætatis ſuæ, niſi cum illo quoad obligationem ſuſcipiendi Ordinis fuerit diſpenſatum, uti de facto fit cum iis, qui anno 13. completo in Canonicos admittuntur cùm obligatione recitandi horas Can. vacaturi interim ſtudiis: ob quam cauſam per ſeptennium etiam diſpenſatur cum obtinentibus Beneficium Parochiale, ne ſacerdotalem Ordinem, ſed ſolum Subdiaconatum intra annum recipere teneantur juxta *cap. Cùm ex eo de Electione 6.* Quòd ſi tamen Beneficium per Vicarium providere liceat, ut ſi Fundator Capellaniæ tantùm exigat certum numerum Miſſarum, poteſt quis defectum requiſiti Ordinis per Vicarium ſupplere.

Tertia conditio eſt Nativitas legitima: in qua tamen 194
ad Minores Ordines recipiendos, & ad Beneficia ſimplicia, non habentia annexum Ordinem ſacrum Epiſcopus poteſt diſpenſare; uti etiam cum diſpenſato à Papa ad Ordines ſacros poteſt deinde diſpenſare ad quævis ſimplicia Beneficia, etiam Canonicatum Cathedralem, niſi ſpecialis conſuetudo repugnet. Quòd ſi à Papa obtineatur diſpenſatio ad Beneficia, abſolutè conceſsa, ea ſolùm ad Beneficia ſimplicia extenditur, juxta *cap. Cum illi de Præbendis in 6.* & ex his excipitur adhuc Canonicatus Eccleſiæ Cathedralis *Cap. Quamvis 1. de Præbendis in 6.* Cujus hæc redditur ratio. Quòd promotio illegitimi ad Beneficium Eccleſię ſit dedecoroſa, Cathedrali autē Eccleſiæ ea habetur reverentia, ut in odioſis nomine Eccleſiæ propter ſuam eminentiam non comprehendatur. Si verò diſpenſatio non tantùm abſolutè & generaliter, ſed expreſsè & ſpecialiter ſit facta ad Beneficia quoque duplicia, imò etiam ad dignitates, nondum propterea extenditur ad Prælaturam. *cap. cit. Cum illis de Præbendis in 6.* neque ad dignitatem in Eccleſia principalem. Cęterùm ex Garcia obſervat Layman. *lib. 4. tr. 2. cap. 14. num. 4.* Rom. Curiæ praxim eſse, ut cum illegitimis diſpenſet ad Beneficia quæcunque, excepto Canonicatu, & dignitate in quacunque Eccleſia Cathedrali, & Principali in collegiata.

Quarta Conditio eſt cælibatus. Unde conjugatus 165
eſt incapax Beneficii, niſi caſtitatem voveat perpetuam, & unicam, eamque Virginem uxorem duxerit. *Cap. 2. de Clericis conjugatis:* & ſi obtento Beneficio matrimonium validè contrahat, fit incapax ipſo Jure, ut colligitur *ex cap. 1. & cap. Diverſis eod. tit.* Si verò invalidè contrahat, probabiliùs eſt, non ipſo facto eſse Beneficio privatum, ſed privandum, adeoque poſse ante ſententiam latam Beneficium alteri reſignare (niſi ratione intervenientis criminis per ſententiam Judicis retractam indiem, quo crimen eſt commiſſum, Beneficium tollatur) quia cit. *cap. 1. de Clericis conjugatis* loquitur de matrimonio valido, cùm dicat, contrahentem cogendum eſse ad retinendam uxorem. Neque poteſt dici, invalidè contrahentem tacitè reſignare Beneficium, quia nulla reſignatio valet, niſi fiat in manus Epiſcopi.

Quinta Conditio eſt morum probitas. *Cap. Cùm in* 196
cunctis de Electione. Cap. Grave nimis de Præbendis. Cap. 1. de Ætate & qualitate in Clementinis. Ut hujus defectus irritam reddat collationem, neceſse eſt, ut propter crimina præcedentia, ac notoria irregularitatem infamiæ quis contraxerit, qualia enumerantur *cap. Conſtituimus 3. q. 5. & cap. Infames 6. q. 1.*

Sexta

197 Sexta Conditio eſt ſcientia proportionata qualitati Beneficii, ut conſtat ex Capitulis, pro Morum probitate citatis; & ex Trid. *Seſſ.* 24. *cap.* 18. *de Reform.* Quòd ſi itaque Promotus penitus ſit illiteratus, id eſt, ſi neque legere, & ſcribere latinè noverit, collatio Beneficii ipſo Jure eſt irrita, ut communis ſententia colligit *ex capit. Litteratos diſp.* 36. *& ex cap. Dudum* 1. *de Electione*. Si autem aliquam, ſed non ſufficientem Litteraturam habuerit, collatio venit irritanda juxta Trid. *Seſſ.* 7. *cap.* 3. Unde quando idem Concil. *Seſſ.* 22. *cap.* 2. & alibi omnibus conditionbus requiſitis *plenè* præditum exigit, ad valorem Collationis ea *Plenitudo* requiritur, quæ à Jure eſt determinata, uti in ætate eſt: in Doctrina autem, & Pietate nulla eſt determinata.

198 Septima Conditio eſt carentia irregularitatis, vel cenſuræ, reddentis inhabilem ad Officium, Beneficio annexum. Cùm enim Beneficium detur propter Officium, juxta *cap. ult. de Reſcriptis*, ideo qui eſt inhabilis ad Officium, eſt etiam inhabilis ad Beneficium, ſaltem ut ad illud promoveatur licitè.

199 Octava Conditio requirit, ut Beneficium regulare non conferatur ſæculari, niſi ejuſdem Ordinis habitu ſuſcepto promittat, ſe intra certum tempus in eo Profeſsionem editurum: juxta conſtitutionem Tridentini *Seſſ.* 14. *cap.* 10. *de Reform.* Neque Beneficium ſæculare conferatur regulari, excepto Epiſcopatu, & juxta multos quavis alia Prælatura Curata. Imò Jure antiquo *cap. Quod DEI timorem de Statu Monachorum* quolibet Beneficio curato, etiam reſpectu Regularium Monaſtici Ordinis, quæ exceptio tamen Jure novo Tridentini ſublata eſt propter concord. Concil. Later. ut Cardinales teſtantur, *in Declarationib. ſeſſ.* 14. *cap.* 10. *de Ref.*

200 Nona Conditio ad licitam Collationem, & Receptationem Beneficii ordinariè, ac niſi Eccleſiæ neceſſitas, vel utilitas, vel meritorum eidem à promovendo præſtitorum prærogativa circumſtantias mutet, ex Jure naturæ requiſita, neque à Papa ſecluſis immediatè dictis circumſtantiis diſpenſabilis exigit, ne promovendus ad Beneficium alio ad honeſtam ſuſtentationem ſufficiente, quod dimittere nolit, inſtructus ſit. Quia pluralitas Beneficiorum, quorum unum honeſtæ ſuſtentationi ſufficit, repugnat partim Cultui Divino, propter imminutionem Miniſtrorum, partim, voluntati Fundatorum, partim Eccleſiaſticorũ reddituum ſecundùm dignitatem promovendorum ordinatæ diſtributioni. Imò ex conſtitutione capituli *de Multa*, *de Præbendis* prius obtentum beneficium Parochiale dignitatem, vel perſonatum ipſo facto amittit, quicunque alterius Beneficii Parochialis, Dignitatis, vel Perſonatus pacificam, & proventuum feracem poſseſſionem in titulum perpetuum acceptat, neque intra breve tempus eidem renunciat: quas limitationes, etſi incit. cap. non ſint expreſsæ, oportet addere, eò quòd conſtitutio odioſa ſtrictè debeat explicari, ſcil. de perfecta poſseſſione ſecundi Beneficii: neq; extendenda eſt ad alia Beneficia, modò non ambo, ſicut prædicta Beneficia ſint incompatibilia primi generis, etiamſi & ipſa ſint incompatibilia, qualia dicuntur eſse omnia alia, quæ continuam, vel ſaltem majori parte anni reſidentiam exigunt, ut juxta Trid. *Seſſ.* 24. *cap.* 12. duo Canonicatus (quanquàm in noſtra Germania ex immemoriali conſuetudine quarundam Eccleſiarum Cathedralium dentur etiam compatibiles, exigentes reſidentiam tantùm, ſex, vel trium menſium) in his enim omnibus per obtentionem ſecundi Beneficii primum nondum vacat ipſo jure; ſed data optione alterutrum quis deſerere cogendus eſt, niſi ſint Beneficia uniformia ſub eodem tecto, id eſt, in eadem Eccleſia idem onus exigentia, e. g. duo Canonicatus: hæc enim omnium maximè ſunt incompatibilia juxta *Clement. cap. Ult. de Præbendis*, & communem DD. ſenſum. Imò neque Epiſcopalis dignitas alterius Beneficii ſuſceptione aufertur, ſed illa potiùs tum ad præcedens Beneficium retinendum, tum ad novum conſequendum inhabilem reddit, niſi tantùm fuerit Titularis, prout ſunt Epiſcopatus in ordine ad terras infidelium ſine poſseſſione, & adminiſtratione collati, vel niſi paupertas, aut debitorum gravitas, aliud Beneficium compatibile, & ex diſpenſatione Papæ etiam incompatibile retinere, vel recipere cogat. Quæ Exceptio etiam in aliis Beneficiatis locum habet, ut ſcilicet propter defectum ſufficientis ſuſtentationis ſimul recipere liceat plura Beneficia ſæcularia compatibilia, in quo opus non eſt diſpenſatione, ſed conceditur à Trid. *Seſs.* 24. *cap.* 17. *de Reform.* Quoad incompatibilia autem ex Jure Communi, & ſecluſis particularibus privilegiis, aut conſuetudine, petenda ſit diſpenſatio à Summo Pont. cujus eſt in Jure Pontificio diſpenſare ſuppoſita neceſſitate, obligationem juris naturalis quoad pluralitatem Beneficiorum impediente.

Decima conditio, ut citra culpam mortalem acceptes 201
Beneficium, habens annexam obligationem, intra annum pacificæ poſſeſſionis recipiendi ordinem Sacrum, niſi circumſtantiæ ex rationabili cauſa mutentur, requirit intentionem conditionatam ſatisfaciendi obligationi initæ, ut per ſe patet, & ea intentione omiſſa, ſi Beneficium ſit Parochiale, teneris perceptos fructus, quos tuos quidem effeciſti, deductis expenſis in vicarium, iterum reſtituere niſi mente mutata debitum ordinem ſuſceperis: quòd ſi autem prædictam intentionem initio habuiſti, ſed deinde obligationem nullo legitimo impedimento, vel Pontificis diſpenſatione interveniente, non ſatisfeciſti, fructus quidem receptos reſtituere non teneris, Beneficium tamen, ſaltem poſt ſententiam declaratoriam criminis (quam Palao requirit contra communiorem DD. ſententiam propter capitulum mox citandum, rectiùs aſſerentium, ſuſceptionem ordinis debiti exigi per modum conditionis modalis ad ſtabilem poſſeſſionem Beneficii Parochialis, adeoque vacationem non ad modum puræ pœnæ infligi) ipſo Jure vacat, nec de novo ad illud poteris promoveri. Ita ſtatutum eſt in *cap. Commiſſa de Electione in* 6. Prædicta verò conditio ad ſimplicis Beneficii, nullam obligationem Ordinis Sacri habentis, acceptationem neceſsaria non eſt. Cùm enim hujuſmodi Beneficiato *in cap. Diverſis de Clericis Conjugatis* tranſitus ad nuptias permittatur, & nulla poſitiva Lege intentio perſiſtendi in clericatu exigatur, hinc ad ſummum indecentiam aliquam venialem ſuſceptio Beneficii animo deſerendi ſtatum clericalem videtur continere, ut relato Sanchez, Vaſq. Garcia, docet Laym. *lib.* 4. *tr.* 2. *c.* 14. *ad Finem*.

ARTICULUS V.

Quo modo Beneficium Eccleſiaſticum conferri poſſit.

SUMMARIUM.

202 *Quid ſit Electio ad Beneficium partim latiùs partim ſtrictiùs accepta.*

203 *Ad Canonicam Electionem requiritur primò poteſtas eligendi non impedita: hæc quippe impeditur quatuor modis.*

204 *Requiritur ſecundò, ut, ſi commodè fieri poteſt omnes Jus eligendi habentes vocentur.*

205 *Electio poteſt fieri tribus modis.* 1. *Per Scrutinium.* 2. *Per compromiſſum, quod etiam ſit duplici modo* 3. *Per inſpirationem.*

206 *Quid ſit poſtulatio, & in quibus conveniat cum Electione.*

207 *In quibus Poſtulatio Electioni diſconveniat.*

208 *Quomodo, & à quibus conferatur Beneficium per præſentationem, & in quo hæc differat ab Electione.*

Triplicem hìc modum conſiderabimus, qui ſcilicet ſit vel per Electionem, vel per Poſtulationem, vel per præſentationem à Patrono.

Electio, à qua Beneficia Electiva dicuntur, latiùs 202
loquendo, eſt *Collatio ſuffragiorum ad conferendum alteri Beneficium, etiam inferius Paſtorali*, quale e. g. eſt Decanatus: in rigore tamen, ut colligitur *ex cap. Quia propter de Electione* debet Beneficium eſſe paſtorale, quo quis alicui Eccleſiæ, ſive Sæculari, ſive Regulari, ut caput præficitur; & ſic definitur Electio ſtrictè dicta. *Alicujus perſonæ ad Eccleſiæ vacantis Paſtoralem Dignitatem Canonica vocatio.* Dicitur *Vocatio*: quia electio nondum eſt Inſtitutio, antequam confirmatio Superioris

rioris accedat: unde nondum tribuit *Jus in re*, ſed tantùm *ad rem*: neque Electus Beneficii adminiſtrationem ſibi uſurpare valet: aliàs *juxta Extrav. Communem cap. 1. de Electione* privatur fructuum perceptione, & acta ejus ſunt irrita. Debet autem Electus intra menſem à tempore ſignificatæ ſibi Electionis præſtare conſenſum, & poſt hunc intra trimeſtre petere approbationem; alioquin Electio fit irrita *cap. 6. de Elect. in 6.*

203 Ut verò Electio fuerit *Canonica*, debet à SS. Canonibus præſcripta forma fuiſſe ritè obſervata. Itaque primò debent Eligentes habuiſſe poteſtatem non impeditam: nimirum debent fuiſſe Membra capituli eligentis, quod etiam in duobus vel tribus conſiſtere poteſt: imò juxta Gl. communiter receptam *in cap. Gratum 2. de Poſtulatione Prælatorum verb. Pauciores* etiam in uno, etiamſi Collegium non faciat, qui tamen ſeipſum nequit eligere, ob turpitudinem ambitionis evitandam: quamvis poſsit in ſui Electionem conſentire, & ſuo conſenſu pluralitatem votorum facere, quando Electio fit per compromiſſarios, & ipſe unus ex iis à cęteris medietatem ſuffragiorum præ ſe obtinuit. Hæc tamen poteſtas eligendi ex conſuetudine, vel Privilegio poteſt etiam competere alicui, qui non eſt membrum Capituli.

Ne autem ſit impedita, debet Elector eſſe liber ab Excommunicatione, ſuſpenſione, perſonali Interdicto (quamvis ſi talis denunciatus non ſit, ſed toleratus, valeat Electio, niſi contra ipſum excipiatur, & repellatur, juxta Extravag. Concilii Conſtantienſis *Ad evitanda* allegatam à Laym. *in cap. Cum dilectus de Conſuetudine n. 6.*) Irregularitate, Privatione Juris, quæ contingit ex diverſis cauſis. Primò propter Electionem indigni, ſive inhabilis e. g. ex defectu ætatis, aut alterius Conditionis neceſſariæ. Secundò propter negligentiam, quòd Electio Epiſcopi, vel Prælati Regularis ultra trimeſtre, aut alterius inferioris & ſæcularis Prælati ultra ſemeſtre abſque juſta cauſa dilata ſit. Tertiò propter abuſum admiſſæ ſæcularis poteſtatis, ob quem poteſtas eligendi amittitur ab Electoribus, permittentibus ſibi à Laicis reſtringi libertatem Electionis, cui iſti neque per conſuetudinis Immemoralis præſcriptionem, utpote incapaces functionis ſpiritualis abſque expreſso Privilegio Pontificis ſe immiſcere poſsunt, ut habetur *in cap. Quiſquis de Electione*. Quartò propter defectum Ordinis Sacri, ſaltem ſubdiaconatus, qui in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, ad Jus eligendi requiritur.

204 Altera ad legitimam formam eligendi præſcripta conditio eſt; ut omnes jus eligendi habentes, ſi commodè fieri potuit, fuerint vocati ad electionem, juxta *cap. Quia propter cap. Quod ſicut de Electione*: aliàs poterit ſecundùm *cit. Cap. & cap. Bonæ 2. eod. tit. & cap. Bonæ 2. de Poſtulatione Prælatorum* injuſtè neglectus contemptum ſuum proſequi invalidando Electionem. Quòd ſi vocatus per juſtum impedimentum detentus conſtituto tempore venire non potuerit, poteſt alium ex eodem Capitulo ſibi ſubſtituere, ut conceditur in *cit. cap. Quia propter*. Vel in loco præſens, ſed Electioni impeditus intereſse, à Scrutatoribus de ſuffragio ſuo requirendus eſt.

205 Tertia conditio exigit, ut Electio ſit facta uno ex his tribus modis: nimirum vel per Scrutinium, ſive Collectionem ſuffragiorum, quæ debent eſſe majoris ac ſanioris partis, ut ſaltem ſuperent medietatem; aliàs ad novam Electionem procedendum erit. *cap. Eccleſia veſtra 1 & 2. de Electione*. Vel per compromiſsum, ſi nempè omnes de capitulo præſente compromittant in eum, pro Paſtore habendum, quem unus vel plures viri Boni, modò hi Clerici ſint, ſibi denominaverint juxta *cap. In cauſis. cap. Cauſam, quæ de Elect.* Quæ denominatio duplici modo fieri poteſt, primò ut compromiſsarii ſolummodo colligant ſecreta ſuffragia jus eligendi habentium, & deinde denominent eum, quem major & ſanior pars elegerint *cap. Cum expediat de Electione in 6. cap. In Cauſis* proximè cit. ſecundò. Ut conſtitutus vel conſtituti compromiſsarii abſolutè per propria ſuffragia eligant, & denominent eum, quem conſtitutus, vel ex conſtitutis major pars voluerit. *cap. Cauſam, quæ de Electione*. Vel denique debet Electio fuiſse facta per inſpirationem divinam, per quam cenſetur fuiſse facta, quando omnes Electores uno ore & corde abſque vitio inhabilitatis aliquem denominant *capit. Quia propter de Electione*.

206 Secundus modus conferendi Beneficia eſt Poſtulatio, quę definitur: *Alicujus Perſonæ ad Prælaturam, ſeu Dignitatem Eccleſiaſticam erga Superiorem directa petitio, ut eam diſpenſativè admittere velit*. Hæc Electioni in multis eſt ſimilis, in multis diſſimilis. Similis eſt primò, quòd ab iiſdem, à quibus poteſt fieri Electio, etiam poſſit fieri poſtulatio, *cap. Bonæ 2. de Poſtulatione Prælatorum. cap. Innotuit de Electione*. Secundò. Quòd ſicut Electio, ita & poſtulatio indigeat approbatione, qua Electio dicitur confirmari, poſtulatio autem dicitur admitti: & quia in admiſſione poſtulationis opus eſt diſpenſatione in aliquo defectu obſtante Electioni, ut patet ex dicta definitione, ideo ipſa admiſſio petenda eſt, ac præſtanda à tali Superiore Eccleſiæ vacantis, qui ſuper defectu poſtulati valet diſpenſare, dummodo is poſtulatum non reddat omnino inhabilem, ut colligitur ex proximè cit. *cap. Innotuit*. Reddunt enim tali modo inhabilem infamia Juris, ignorantia litteraturæ: imò etiam diſpenſari non ſolet cum ſpuriis, & cum Bigamis. *cap. Niſi 10. de Renunciatione & cap. Un. de Bigamis in 6.* Tertiò. Quòd eligentes, & poſtulantes omnino inhabilem eandem pœnam privationis alium eligendi aut poſtulandi incurrant *cap. Cum in cunctis §. Clerici ſanè. cap. Cum Vuintonienſis cap. Scriptum 40. in fine de Electione. cap. 2. de Poſtulatione Prælatorum*.

207 Diſſimilis tamen eſt poſtulatio electioni primò, quòd non omnis defectus impediens Electionem impediat etiam poſtulationem prælati, imò hæc ſupponat defectum eligibilitatis, & propterea opponatur, ac ſubſtituatur Electioni. Sunt autem à Superiore approbante poſtulationem, diſpenſabiles e.g. Defectus ætatis, modò poſtulatus in Epiſcopum annum 27. ſit ingreſſus, ut habetur *in Extravag. cap. Un. de Poſtulatione Prælatorum*. Defectus Ordinis Sacri ſtatutus in *cap. Dudum 22. de Electione* defectus natalium. Nam illegitimus, ſi non ſit ſpurius, & ſi ad Epiſcopatum idoneus ſit, poſtulari poteſt, quamvis eligi non poſſit, ut dicitur *in cap. Innotuit: de Electione*: ſic etiam poſtulari, & tamen eligi non poteſt alterius Eccleſiæ Epiſcopus. *cap. ult. de Poſtulatione Prælatorum*. Secundò diſſimilis eſt poſtulatio Electioni, quòd electus etiam ante acceptationem acquirat jus inchoatum ad prælaturam, ut niſi poſteà innoteſcat aliquis defectus legitimæ Electionis, nec Electores reſilire, nec Superior negare poſſit confirmationem, ut colligitur *ex Reg. 33. Juris in 6. & ex cap. Si tibi abſenti de Præbendis in 6.* Attamen poſtulatus non acquirit tale Jus, quin Electores ante præſentationem poſtulati reſilire, & Superior præſentationi diſſentire poſſit. *cap. Bonæ 2. cap. Poſtulationem de Poſtulatione prælatorum*. Quamvis ſi poſtulatio à toto Capitulo, vel à duabus partibus ſit facta, Superior ex officio teneatur, & à Papa cogi poſſit ad poſtulationem admittendam, ut notavit Gloſſa in cit. cap. Tertiò diſſimilis eſt poſtulatio, quia ad eam plus requiritur, quàm ad Electionem. Ad electionem enim ſufficit, ſi major pars capituli in Electum conſenſerit, etiamſi alius reliquorum omnium ſuffragia habeat, ad poſtulationem autem conſenſus majoris partis tantùm ſufficit, quando non concurrit Electio alterius, ut conſtat ex *cap. Poſtulationem 5. de Poſtulat. Prælat. & cap. 1. de Iis, quæ fiunt à majore parte capituli. & l. Quod major ff. ad Municipalem* ſi verò concurrat Electio alterius, etiamſi ob defectum ſufficientium ſuffragiorum nullum acquiſiverit Jus ad confirmationem, & poſſit non confirmari, ſolet tamen Electus præferri Poſtulatio, ſi prior ſaltem habet plura ſuffragio, quàm tertiam partem, & poſtulatus non habet duas tertias, ut colligitur *ex cap. Scriptum 40. de Electione* quòd ſi tamen Poſtulatus haberet duas tertias, hic præferretur Electio, non habent plus, quàm unam tertiam, ut colligitur *ex eod. cap.*

208 Tertius modus conferendi Beneficium fit per Denominationem ſive Præſentationem Perſonæ idoneæ ad Beneficium vacans, aliàs nondum valet, & debet fieri intra quatuor menſes à die cognitæ vacantiæ, ſi Patronus eſt Laicus, vel intra ſex menſes, ſi Patronus eſt Eccleſiaſticus, ut ſtatuitur *in capit. un. §. verum de Jure Patronatus in 6.* Hanc præſentationem Superior Eccleſiaſticus, ſi præſentatum idoneum cognoverit, approbare debet propter Jus præſentantis, quod habet ex ti-

tulo

tulo Patronatus Laici, vel Eccleſiaſtici, vel ex Privilegio à Pontifice conceſſo, ipſaque approbatio, ſive actualis conceſſio Beneficii vocatur *Inſtitutio*, & per hoc Jus diſtinguitur à gratuita collatione Beneficii, atque à confirmatione electionis. Sic Regibus Hiſpaniæ, & Galliæ in Delphinatu conceſſum eſſe privilegium præſentandi Epiſcopos refert Laym. *in cap. Nullus de Electione num.* 14. Allegans Concilium Toletanum & Lateranenſe. Imò *in cap. Si Archiepiſcopus* §. *Reliqui de temporibus Ordinationum n.* 3. teſtatur in ſola Germania ſervari antiquum morem eligendi Epiſcopos, in aliis Regnis autem præſentari, ac nominari à Regibus. Convenit hæc Præſentatio cum Electione, quòd ſimiliter indigeat acceptatione, & inſtitutione, à Superiore Eccleſiaſtico præſtanda, & quòd facta ab eo, qui bona fide eſt in poſſeſſione Juris præſentandi, ſit valida, etiamſi poſteà appareat, Jus præſentandi ad alium pertinere. Colligitur *ex cap. Querelam de Electione, & ex cap. Conſultationibus* 19. *de Jure Patronatus junctis Gloſſis*. Differt verò ab Electione non tantùm in modo, quo fit Electio, ſed etiam primò, quòd licèt Jus præſentadi ſit Spirituale illius, tamen ex conceſſione Pontificis etiam Laici ſint capaces, & illud præſcribere poſſint, non autem Juris eligendi. Secundò quòd per Electionem publicatam Electus ſtatim acquirat aliquod Jus remotum ad Beneficium, ita ut Electores reſilire non poſſint, ut ſuprà oſtenſum eſt, Præſentato autem non acquiritur tale Jus adverſus Patronum Laicum, ut patet *ex cap. Cum autem* 24. *de Jure Patronatus*: & ideo etiam quando Capitulum, habens Jus Patronatus Eccleſiaſtici, communi Nomine præſentandum per ſuffragia eligit, poteſt ſaltem ante præſentationem reſilire, & alium eligere (ſi autem Patronus eſſet perſona Laica, poſſet etiam poſt præſentationem reſilire, modò id faceret ante acceptationem, ut patet *ex cit. cap. Cum autem*) quod non poſſet facta & publicata Electione Beneficati, præſentandi non titulo Patronatus, ſed titulo immediatæ Electionis.

Cæterùm licèt Electus v. g. in Epiſcopum acquirat Jus ante confirmationem Electionis, tamen *juxta cap. Noſtri* 9. *& cap. Qualiter* 17. *de Electione* imò ante eandem in litteris acceptam, *juxta extravagantem primam inter communes cap. Injunctæ de Electione*, illicita & irrita eſt adminiſtratio Beneficii vel prælaturæ, noviter Electi: & in pœnam Electio caſſari debet, actaque omnia reſcindi, niſi ab expectanda confirmatione excuſet diſtantia, quanta eſt ab urbe extra fines Italiæ ut habetur *in cap. Nihil*. 44. *de Electione*. Et hìc notavit Laym. *n.* 3. Alia verò, ut iterum notavit Layman. in *cit cap. Qualiter n.* 3. eſt Ratio, ſi Epiſcopo vel alteri Prælato Confirmationis aut Inſtitutionis titulus ob vitium aliquod occultum invalidus collatus fuit: tunc enim, quæ ab eo ratione Officii geſta ſunt, valida judicari debent. *Argum. Barbatius ff. de Officio Prætoris*.

ARTICULUS VI.

Sub quo Onere & obligatione Beneficia Eccleſiaſtica conferantur.

SUMMARIUM.

209 *Quomodo Beneficiati non Curati ad Reſidentiam obligentur.*

210 *Quomodo Curati ad eandam adſtringantur, & ſub quibus pœnis.*

211 *Ex Jure poſitivo, ſecluſa locorum conſuetudine, tenentur Beneficiati aſſiſtere choro, ita ut ſaltem frequens abſentia, in conſuetudinem deducta, ſit peccatum mortale.*

212 *Quo tempore, & ſub qua pœna recipiendus ſit ſacer Ordo, ad Beneficium neceſſarius.*

209 PRimum Onus, ſive obligatio Beneficiati eſt Reſidentia in loco Beneficii, quæ definitur *Aſſiduitas Commorationis in loco Beneficii cauſa ſervitii Eccleſiaſtici perſonaliter præſtandi.* Gravabantur autem hac obligatione ex Jure antiquo Beneficati omnes; ſed per conſuetudinem generalem nunc eadem ſublevati ſunt habentes Beneficium ſimplex, diverſum à Canonicatu Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ Inſignis, qui juxta conſtitutionem *Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* adhuc habet annexam obligationem, non ultra tres menſes extra locum Beneficii commorandi ſub pœna privationis mediæ partis fructuum, & ſi altero anno eandem abſentiam quis repetiverit, omnium fructuum, quos per tempus reſidentiæ fecerit ſuos. Quæ tamen Conſtitutio in multis Eccleſiis, præſertim Germaniæ recepta non eſt, cùm in aliquibus ſex, in aliquibus tres Menſes, & in aliquibus deſignati quidam dies Reſidentiæ ſufficiant ad totius anni reditus, etiam reliquo tempori abſentiæ correſpondentes lucrandos.

Major eſt obligatio Reſidentiæ ratione Beneficii Curati, quæ quidem, ut ſaltem per Vicarium æque idoneum ad Curam Animarum gerendam præſtetur, eſt Juris Divini Naturalis; ut autem neque per Vicarium, ſed à propria Perſona fiat, DD. communiter ex Tridentini declaratione *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. aſſerunt, adhuc Juris Divini eſſe, niſi Chriſtiana Charitas, urgens Neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ vel Reipub. utilitas, longiorem, quàm trimeſtrem abſentiam reſpectu Epiſcoporum, vel bimeſtrem reſpectu Parochorum exigat, cujuſmodi cauſa interveniente *Trid. l. c.* ſtatuit, ut ejus approbationem à ſuperiore immediato ſcilicet Epiſcopus à Metropolitano, Parochus ab Ordinario priùs in ſcriptis petere, & obtinere debeat, niſi, ut excipit ipſum Trid. l. c. *propter aliquod munus, & Reipb. officium Epiſcopatibus adjunctum abſentia inciderit*. Si autem prædictum tempus, quod ibidem à Trid. pro brevi habetur, per abſentiam non traſcenderetur, permiſit Concilium, ut cauſæ, quæ honeſta ſaltem, & rationabilis, (licèt non ita gravis) eſſe debet, ut etiam à veniali obligatione Juris Divini excuſet, recognitionem non tantùm Epiſcopus, ſed probabiliter, quamvis id multi quos refert & ſequitur Palao *tr.* 13. *de Beneficiis diſp.* 5. *pun.* 5. *n.* 2. negent, neque Parochus à ſuo ſuperiore petere teneatur (niſi diœceſana conſuetudo ſit alia) modo Vicarium idoneum, ſi ultra unum, vel alterum diem abſit, vel, infirmorum periculum exigat, ſuo loco conſtituat, ut docent Navar. Salzedo, Azor, Saa. Cenedo, Zerola, Rodrig. apud cit. Palao, id ſaltem probabile aſſerente & alii allegati à Garcia *part.* 3. *de Beneficiis cap.* 2. *n.* 19. Nam Tridentinum expreſsè ait, quæ de Epiſcopis dicta ſunt, eadem omnino etiam de Inferioribus Curatis eſſe intelligenda; quibus eaſdem quippe pœnas, ſi præſcriptum tempus tranſgrediantur, infligit: nempe præter peccatum mortale, quod declarat committi, ſtatuit inhabilitatem lucrandi fructus, temporis abſentiæ correſpondentes, quos proinde ante ſententiam, vel declarationem judicis (quia non ut mera pœna, ſed ut res aliena debentur) Eccleſiæ Beneficii, vel pauperibus illius loci reddendos præcipit: præterea privationem Beneficii, olim Parochis non reſidentibus, *in cap. Extirpandæ* §. *Qui verò de Præbendis* ipſo ure latam, contumacibus inferri poſſe decernit; ſicut etiam aliis Beneficiatis, ultra ſex menſes abſentibus, nec poſt admonitionem redire curantibus, eadem pœna, non ipſo Jure lata, ſed inferenda, ſtatuebatur *in capit. Ex tuæ. Cap. Inter quatuor. Cap. Clericos de Clericis non reſidentibus*. Denique per cenſuras, & fructuum temporis reſidentiæ debitorum ſubtractionem, aliaque Juris remedia inobedientes compellit. 210

Secundum Onus eſt aſſiſtentia in Choro, quæ tamen obligatio hoc tẽpore pluribus in locis valde limitata eſt. Nam licèt *cap.* 1. *de Celebratione Miſſarum in Clement.* Præcipiatur, ut in Eccleſiis Cathedralibus, Regularibus, & collegiatis devotè pſallatur, ſpectanda tamen eſt particularium Eccleſiarum conſuetudo. Unde Prælati quidem, tam Sæculares, quàm Regulares, juxta dictum decretum obligantur, ut ſecundùm receptam ſuarum Eccleſiarum conſuetudinem rem Divinam peragi curent, uti etiam Parochi, de quorum Eccleſiis intelligenda ſunt iſta Decreti verba: *In aliis vero* (id eſt Eccleſiis præter prædictas) *convenienter & debite celebretur Officium, Divinum pariter & nocturnum*: ipſa tamen conſuetudo propter paucitatem Miniſtrorum, & redditùum in multis Eccleſiis, præſertim Parochialibus, vel omnino ſublata, vel ad dies ſolummodo feſtos, eoſque non omnes, neque ad totum Officium redacta eſt: & licèt quoad privatam horarum Canonicarum recitatio- 211

tionem obligatio vigorem ſuum retineat, ad aſſiſtentiam tamen in Choro, vel etiam ad ibidem pſallendum, juxta Eccleſiæ cujuſque morem, particulares Beneficiatos, ſi diſtributiones non recipiant, plurium locorum conſuetudo ſub mortali peccato probabiliter non abſtringit, ſaltem niſi ipſa abſentia in conſuetudinem, vel ſcandalum deducatur, vel res divina ab aliis debito modo peragi ampliùs non poſſit. Ratio eſt, quia videmus etiam timoratæ conſcientiæ Canonicos ex levi cauſa frequenter à Choro abeſſe, & diſtributionibus renunciare: neque propterea ab Ordinario reprehendi, modò privatim Officium recitent, propter quod proventus annuos recipiunt: ergo ſaltem ex conſuetudine pluribus in locis legitimè præſcripta excuſatur abſentia frequens à Choro. Quia tamen *juxta cap. Si quis Presbyter diſt.* 92. Clerico propter abſentiam ab Officiis celebratis in Eccleſia pœna depoſitionis infligi poteſt, quæ proinde grave delictum ſupponit, & propterea non niſi propter conſuetudinem abſentiæ infligitur, ad quam impediendam Tridentinum diverſis in locis, ſub comminatione peccati mortalis, & gravium pœnarum Reſidentiam in loco Beneficii continuò urget; hinc ſaltem colligitur cum Layman. *libr.* 4. *tr.* 2. *c.* 7. *n.* 7. referente Sylveſtrum & Armillam & cum Suar. Vaſq. Bonac. Garcia relatis & approbatis à Palao *tr.* 7. *diſp.* 3. *pun.* 2. *n.* 3. conſuetudinem abſentiæ à Choro, notabiliter excedentem ſpatium temporis, quo quis citra culpam mortalem poſſet non reſidere in loco Beneficii, eſſe peccatum mortale. Ut dixi in hoc *tr.* 5. *diſp.* 3. *n.* 14. Ubi quidem conſuetudinem excuſantem ex Diana allegatam nec approbavi, nec improbavi; ſed quid ea ſecluſa, ex Jure poſitivo dicendum ſit, declaravi.

212 Tertium Onus eſt obligatio recipiendi Ordinem debitum, ſeu Beneficio annexum: debet is autem recipi intra annum à die, qua quis adivit, vel adire potuiſſet pacificam Beneficii poſſeſſionem: quod ſi Parochiale ſit, abſque legitima cauſa non expleta obligatione ipſo Jure vacat *juxta cap. Licèt Canon de Electione in* 6. Non per modum pœnæ tantùm, quæ ante ſententiam judicis non incurretur, ſed propter defectum conditionis ſeu modi revocatorii, ſub quo Beneficium Parochiale eſt commiſſum, ut teſtantur Navar. Leſſ. Palao & alii. Si verò non ſit parochiale, licèt ratione Decanus, Præpoſituræ, vel alterius dignitatis habeat annexam curam Animarum, poſt monitionem factam poteſt inobediens privari Beneficio: interim autem quis intra annum non ſuſceperit Ordinem ſubdiaconatus, vel ſi eo ſuſcepto poſt elapſum annum non ſuſceperit etiam Sacerdotium, quando id Beneficio eſt debitum, tamdiu quis in Capitulo Eccleſiæ ſive Sæcularis ſive Regularis, exiit privatus voce ſaltem Activa & dimidia parte Diſtributionum, propter Aſſiſtentiam in Choro obtinendarum, quemadmodum ſtatuitur *in Clement. cap. Ut ij de Ætate & Qualitate;* & in Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 4.

ARTICULUS VII.

Cum quo commodo ſeu fructu Beneficia Eccleſiaſtica conferantur.

SUMMARIUM.

213 *Quales Diſtributiones, & quibus pendendæ ſint propter præſentiam in Choro.*

214 *Quinam pro præſentibus habendi, & an etiam ille, qui, cum ſanus eſſet, continuò ſolitus eſt abeſſe.*

215 *Quæ corporalis neceſſitas, vel utilitas, præſentiæ æquiparetur.*

216 *Qui in eadem Eccleſia duplex habet Beneficium, probabiliter duplicem portionem diſtributionum accipere debet.*

213 Commodum, quod Beneficatus ex prædicto triplici Onere præter annuos proventus reportat, ſunt Diſtributiones quotidianæ, quæ ad promovendum Divinum Cultum, & Canonicorum diligentiam ſtimulandam in Choro duntaxat præſentibus, vel qui ob legitimum impedimentum pro præſentibus habentur, juxta cujuſque Eccleſiæ conſuetudinem, & Concilii Tridentini, non ubique tamen præſcripto modo receptam conſtitutionem conferri ſolent. Nam *ſeſſ.* 21. *cap.* 3. Statuit ſacra Synodus, in Eccleſiis tam Cathedralibus, quàm Collegiatis, in quibus nullæ ſunt Diſtributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut probabiliter negligantur, tertiam partem fructuum, & quorumcunque proventuum & obventionum, tam Dignitatum, quàm Canonicatuum &c. ſeparari debere, & inter Diſtributiones quotidianas reponi. Harum itaque Diſtributionum Jus, ac Dominium *Cap. Unico de Clericis non Reſidentibus in* 6. & *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 12. Solummodo conceditur, ſtatis horis in Choro aſſiſtentibus, & (quando ipſi obligationem canendi ex conſuetudine non habent, prout communiter non habere cenſentur, cùm res divina cantu figurato peragitur) ſaltem nullam Actionem externam, cum attentione moraliter incompoſſibilem ponentibus; quamvis hoc ipſum non omnes requirant, ſed ſolam præſentiam dicant ſufficere. Qui verò etiam ad cantum citati Juris conſtitutione, per contrariam conſuetudinem non abrogata tenentur, ii ſecundùm communem ſententiam DD. Medinę, Rodriq. Suar. Laym. Petri Navarrę, Bonacinæ per ſolam aſſiſtentiam, & occultam recitationem horarum, ſaltem dimidiam partem Diſtributionum ſuam non faciunt: nam Palao, qui integras Diſtributiones illis propter aſſiſtentiam non debito modo, neque in ordine ad finem à lege intentum, nempè ad cantum poſitam denegat, is nimis videtur ſeverus; etiamſi enim omittens cantum, recitans tamen privatim in Choro, vel domi ſuæ horas canonicas, non præſtet rem præceptam, & obtineat finem adæquatè, præſtat tamen & obtinet inadæquatè, modò non ponat actionem incompoſſibilem cum attentione, & aſſiſtentia morali.

Cęterùm pro præſentibus in Choro *juxta cap. Un. de Clericis non reſidentibus in* 6. habentur, quos Infirmitas, ſeu juſta & rationabilis corporis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſat; modò tamen, prout expreſsè requiri videtur *in cap. Cùm non deceat de Electione in* 6. à loco Beneficii, etiam juſta de cauſa, non abſint: quam conditionem Vaſq. Covar. Garzias, Gutierez, Laym. contra Palao, Barboſam, Bonac. ex cit. textu rectè colligunt, cùm expreſsè ibi dicatur, in Eccleſiæ ſuæ utilitatem, & negotiorum illius geſtionem, abſentes pro præſentibus habendos eſſe in ordine ad recipiendos annuos proventus, non autem ad recipiendas Diſtributiones (niſi in his ſolis omnes annui proventus conſiſterent, nullique alii ſolverentur) quod intelligendum ſaltem eſt, quòd de Jure non habeantur, licèt ex gratia, vel ſtatuto ſpeciali Eccleſiæ, ut de factò in certis caſibus fit, pro præſentibus haberi poſſint. Intelligitur verò per Infirmitatem non omnino levis, ſed talis, qualis à miſſa audienda die feſto excuſat, etiamſi propria culpa eadem fuerit contracta, modò infirmus aliàs ſolitus ſit Choro aſſiſtere: quam tamen communem limitationem Palao ex Petro Navarra minùs probabiliter aſſerit, neceſſariam non eſſe, motus ea ratione, quòd ſufficiat infirmitatem eſſe cauſam abſentiæ, quamvis ea ſublata Beneficiatus ex propria negligentia adhuc continuaturus fuiſſet ſuam abſentiam. Verùm negatur ſuppoſitum quòd reſpectu talis, aliàs continuò abſentis, infirmitas ſit cauſa abſentiæ: potiùs enim ſupponitur eſſe motivum neglectum, quòd quidem poſſet eſſe cauſa ſufficienter movens, ſed non eſt. Vel etiamſi & ipſa partialiter moveret, quia tamen ex una parte eſſet tantùm motivum ſecundarium ſive acceſſorium, & quia præcedens continua abſentia indignum reddit, ut pro præſenti habeatur, ideo talis infirmus non eſt habendus pro præſenti, & potiùs rideretur, ſi talis vellet pro præſenti haberi, quando nequit eſſe præſens, qui nunquam fuit præſens, quando potuit eſſe. 214

Per corporalem neceſſitatem denotatur ſecundùm citatum Palao quævis impotentia, vel ex parte corporis ſe tenens ratione Senii, injuſtæ incarcerationis, vel etiam cenſuræ immeritæ (ſi autem juſtè illata eſt, tunc impedimentum aſſiſtentiæ non cenſetur ſe habere per modum effectus peccati, ſicut infirmitas ex propria culpa contracta, ſed per modum pœnæ trahentis ſecum privationem Diſtributionum) vel ex parte illorum Bonorum, quæ utpote temporalia ad corpus referuntur, ut Bona famæ & fortunæ, quia cùm etiam hæc præbeant juſtam cauſam abſentiæ, videtur Eccleſia tanquam benigna mater nolle 215

ſe privare emolumentis aſſiſtentiæ, legitimè impeditæ.

Evidentis Utilitatis nomine intelligitur utilitas moraliter certa propriæ vel univerſalis Eccleſiæ, qualis jam cenſetur, ſi negotium aliquod hujuſmodi Eccleſiæ juſſione, ſeu auctoritate Capituli ſuſcipiatur.

216 Circa prædictas Diſtributiones obſervandum adhuc eſt, quòd qui in eadem Eccleſia duplex Beneficium legitimè poſſident, v.g. Dignitatem, & ſimplicem Canonicatum, probabiliter etiam duplices Diſtributiones recipiant, ut docent Abbas, Vaſq. Cavar. & probabile judicat Layman. præſertim ſi juxta Tridentinum *ſeſſ. 22. cap. 3. de Reform.* ex detracta tertia parte fructuum Beneficii colatæ ſint, quo in caſu quando propter abſentiam Beneficiatus earum dominium ſibi non comparat, Eccleſiæ fabricæ, aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicari debent, ut ibid. Sacra Synodus decernit: aliæ vero Diſtributiones ex fundatione provenientes in aliorum abſentia præſentibus accreſcunt ſecundùm communem Sententiam Doctorum, & Gloſſę *in Clementinis cap. Vt ii, de Ætate & Qualitate.*

ARTICULUS VIII.

Quibus modis Beneficia amittantur & vacent.

SUMMARIUM.

217 *Beneficium vacat primò morte naturali perfectè prius poſſidentis Beneficium.*
218 *Secundò Iuris Diſpoſitione.*
219 *Tertiò per ſententiam Iudicis.*
220 *Quartò per expreſſam Reſignationem.*
221 *Ceſſio Iuris ad Beneficium nondum perfectè poſſeſſum non eſt Reſignatio, & poteſt fieri ſine auctoritate Iudicis Eccleſiaſtici: neque tale Beneficium de novo vacat.*
222 *Reſignatio ſimplex ſive abſoluta ab omni conditione, vel quæ fit cauſa permutationis, ſuſcipi poteſt ab ordinario: conditionata autem à ſolo ſummo Pontifice, niſi conſuetudine præſcripta alius etiam Ius obtinuerit.*
223 *Quænam ſint juſtæ cauſæ Reſignationis, vel permutationis Beneficiorum.*

217 PLuribus modis Beneficium vacare poteſt. Primò Morte naturali ejus, qui completum & reale Jus Beneficii habuit: morte enim illius, qui per Electionem, aut Præſentationem nondum legitimè approbatam, vel per collationem nondum acceptatam ſolum Jus ad rem obtinuit, Beneficium non cenſetur de novo vacare. Hinc quando Jus conferendi eſt alternativum, adhuc manet penès eum, quem immediatè ante contigerat.

218 Secundò vacat Beneficium ex Juris diſpoſitione, decernentis aliquam conditionem, qua non poſita deſinat habilitas ad continuationem Juris in retinendo Beneficio ante omnem ſententiam Judicis: ut ſi quis recipiat novum Beneficium parochiale, incompatibile cum alio parochiali, aut ſi Beneficatus in Epiſcopum aſſumatur, aut Profeſſionem emittat, aut matrimonium contrahat, aut militiæ adſcribatur: unde qui tale quid facit, ex quo ſequitur Vacatio Beneficii, dicitur tacitè reſignare Beneficium; quamvis aliàs, manente habilitate actuali Beneficiati, nulla valeat reſignatio tacita, non facta in alterius manus, habentis poteſtatem eam ſuſcipiendi.

219 Tertio vacat per ſententiam Judicis, vel privationem Beneficii inferentis, vel crimen declarantis: nam quando negatio criminis non requiritur tanquam pars habilitatis ad retinendum Beneficium, uti plerumque non tali modo requiritur, tunc licèt privatio Beneficii ſit ipſo Jure propter aliquod crimen ſtatuta, ſemper debet accedere Judicis ſententia, ut in materia de legibus dicatur, ea tamen accedente privatio Beneficii retrahitur ad tempus commiſſi criminis, ita ut Jus interea collectorum, & adhuc extantium fructuum, omniſque circa Beneficium Diſpoſitio v.g. Permutatio, vel Reſignatio in alterius gratiam facta, penitùs annulletur.

Quartò vacat per Reſignationem expreſſam, quæ eſt 220 Beneficii perfectè obtenti dimiſſio, facta coram legitimo Superirore, illam acceptante. Laym. *cap. 17. n. 3.* addit etiam particulam: *Spontanea*; Verùm rectiùs videtur omitti: quia licèt dimiſſio non ſpontanea, ſed metu, aut fraude extorta irritanda ſit *juxta cap. Super hoc, de Renunciatione & cap. Ad audentiam de His, quæ vi, metuſve cauſa*: probabiliùs tamen, teſte Palao, & aliis ab ipſo relatis *punct. 2. §. 5.* irrita non eſt, ea excepta, quæ propter injurioſam incarcerationem talis fuit declarata *in Clemen. cap. Multorum de Pœnis*: quæque proinde ſufficienter excluditur per particulas: *illam acceptante*: cùm à ſummo Pontifice, hujus acceptationem ſibi reſervante, expreſſo textu repellatur.

Dicitur autem Reſignatio *Dimiſſio Beneficii perfectè* 221 *obtenti*. Nam quando quis tantùm non acceptat oblationem Beneficii, vel quando renunciat Juri, quod habet ad rem, & non in re per Electionem, aut præſentationem nondum ratificatam, non propriè reſignat Beneficium; ſed tantùm non comparat ſibi beneficium: Sic etiam quando quis Jure ſuo litigioſo Beneficii cedit alteri parti litem moventi (huic enim ſoli abſque authoritate Superioris cedere poteſt) potiùs non proſequi Jus ſuum, quàm reſignare cenſetur. Unde in his eventibus Beneficium dimitti poteſt, irrequiſito legitimi Superioris conſenſu.

Quis verò legitimus ſit Superior, & cujus manus Be- 222 neficium reſignari debeat, cum diſtinctione reſpondendum eſt. Si Reſignatio eſt ſimplex, ſeu abſoluta ab omni conditione, Pontifex vel Epiſcopus Ordinarius eam ſuſcipere poteſt, etiamſi Beneficium quoad ſui collationem ſit ſummo Pontifici reſervatum, modò ſit inferius Epiſcopatu, aut Prælatura Regulari. Nam ſicut Ordinarius Clericos delinquentes à Beneficio reſervato, inconſulto Pontifice, vel etiam Patrono, deponere poteſt, ſic nullo Jure prohibetur, eorum Reſignationes acceptare, teſte Flaminio, Auguſtino Barboſa, Azor, Palao *diſp. 6. pu. 3. num. 5.* Viciſſim notante, quòd quia alius inferior Epiſcopo, delinquentes Beneficio nō hoc ipſo privare poteſt, quòd eamdem conferendi poteſtatem habeat, ideo nequeat Reſignationes acceptare; quamvis Laym. *Cap. 17. n. 4.* aſſerat, ex ſpeciali commiſſione communiter permitti. Si autem Reſignatio eſt conditionata (niſi fiat cauſa permutationis) v.g. ſi fiat ſub hujuſmodi conditione, ut Beneficium tali vel tali conferatur, vel ut regreſſus ad illud relinquatur, vel ut fructus, aut pars fructuum Reſignanti concedatur, ſoli ſummo Pontifici reſervata eſt poteſtas Reſignationem acceptandi, ut conſtat ex Bulla Pii V. quinquageſima Octava: quæ incipit: *Quanta Eccleſia DEI* edita Kal. Aprilis Anno 1568. Ea tamen Reſignatio, quæ inſtituitur ſub conditione Permutationis Beneficiorum acceptari, & Permutatio concedi poteſt ab Ordinario *juxta cap. Quæſitum de Rerum permutatione*, non verò ab alio inferiore Beneficiorum collatore, niſi per conſuetudinem hanc poteſtatem præſcripſerit, ut videre eſt apud Laym. *n. 6.*

Ceterùm ad eſſentiam & valorem Reſignationis re- 223 quiſivimus etiam acceptationem illius, quæ ſicut ab Ordinario præſtari debet, quando juſta cauſa affertur, & Beneficiatus Sacro ordine initiatus aliundè habet, unde vivat; ut adeoque contra injuſtè renitentem actio inſtitui poſſit, ſic ſi abſque juſta cauſa præſtetur, nullius eſt valoris: juſtæ autem cauſæ ad ſimplicem, ſeu abſolutam Reſignationem requiſitæ enumerantur in citata Bulla Pii V. ſequentes: videlicet ſenium, afflicta Valetudo, morbus Contagioſus, notabilis defectus corporis, crimen dignum privatione Beneficii, cenſura Eccleſiaſtica difficulter remiſſibilis, irregularitas indiſpenſabilis, pluralitas Beneficiorum ſufficientium ad ſuſtentationem commodam, vel ad aliud Beneficium promoti, voluntas contrahendi Matrimonium, aut emittendi Profeſſionem in Religione, ſubſecuta mox ejus ſuſceptione, inimicitiæ reddentes difficilem reſidentiam in loco Beneficii; quibus omnibus adhuc aliæ cauſæ adduntur, & aliquæ ex his referuntur *in c. Niſi cum pridem de Renunciatione*.

Præterea requiritur, ut qui ad Beneficium tanquam ad Titulum Sacris ordinibus eſt initiatus, in hujus reſignatione expreſsam mentionem faciat, etiam aliunde ſufficientem victum habeat, ut ſtatutum eſt in Trid. *ſeſſ. 21. cap. 2. de Reform.* Ad Reſignationem verò conditionatam, in favorem alterius factam, ſufficiens cauſa eſt favor, ſeu Charitas erga illam perſonam. Denique ad Permutationem Beneficiorum requiritur ſpecialis utilitas, ſaltem alterutrius Beneficiati cum excluſione damni alterius. Quia damnum & commodum Beneficiati redundat etiam in ipſam Eccleſiam, in cujus proinde Bonum Permutatio, quando non fit inter plures, quàm duos, conceſſa eſt in Bulla Pii V. Quòd ſi hęc, quæ de Beneficiis dicta ſunt ſecundùm Juris communis conſtitutiones, non omnia in Eccleſiis particularibus ita obſerventur, inde provenit, quòd non ſint in illis recepta, vel ſint iterum per contrariam conſuetudinem abrogata.

QUÆSTIO III.

De Cultu Religionis erga DEUM præſtando Decimas & Oblationes Perſonis Eccleſiaſticis.

SIcut Beneficium Eccleſiaſticum tribuit Jus ad redditus ex Bonis Eccleſiæ percipiendos, ita etiam fundat Jus recipiendi decimas ex Bonis Fidelium, & participandi de oblationibus, pia eorundem Fidelium liberalitate DEO factis. Idcirco priori qnæſtioni de Beneficiis Eccleſiaſticis ordine ſubjungimus quæſtionem de Decimis, & oblationibus, quam in præſenti breviter expediemus.

ARTICULUS I.

Deſcriptio & Diviſio Decimarum.

SUMMARIUM.

224 *Quid ſint Decimæ, & quare meritò ſit impoſita obligatio eas præſtandi.*

225 *De quibus Bonis, & an etiam de illicitè acquiſitis ſint præſtandæ.*

226 *Diviſio Decimarum in Prædiales, Indudriales, & Mixtas, quod tertium membrum ad primum poteſt revocari, unde in Iure notabile aſſignatur diſcrimen inter fructus Prædiales & Induſtriales.*

227 *Alia diviſio Decimarum in Majores, & Minores.*

228 *Rurſum alia Diviſio ratione tituli, Clericalis &, Laicalis, & quomodo iſte poſſit competere Laicis per præſcriptionem, aut privilegium, & à quo poſſit ac quomodo poſſit conferri.*

224 QUia *in cap. Ex tranſmiſſa 23. de Decimis* dicitur. *Fidelis homo de omnibus, quæ licitè poteſt acquirere, decimas erogare tenetur*; patet, quid nomine Decimarum intelligatur; hinc etiam communiter recepta eſt hæc deſcriptio: *Decima pars bonorum mobilium licitè quæſitorum, Eccleſiæ Miniſtris exſolvenda.* Quæ in formam definitioni ſimiliorem ſic poſſet redigi. *Pars omnium fructuum, in decem æquales, diviſorum, Miniſtro Eccleſiæ propter miniſterium ſpirituale, ſalva erga quemcunq; alium juſtitia, ex obligatione relinquenda in ſuſtentationem.* Hujus explicatio patebit ex declaratione prioris deſcriptionis.

Dicitur primò. *Decima Pars.* Quæ ab Eccleſia prudenter & juſtè eſt determinata ob multas cauſas. Primò. Quia DEUS hanc ipſam Populo Iſraelitico in veteri Teſtamento determinavit *Exod. 22. Levit. 27. Numer.* 28. & divino inſtinctu Abraham *Gen. 14.* & Jacob. *Gen.* 28. hanc partem Bonorum ſuorum DEO dedicarunt: cùm enim decimus numerus omnes numeros ſimplices in ſe contineat, ideo cenſetur numerus perfectus, & ad Dominii Divini perfectionem conteſtandam magis idoneus, ad quem finem decimæ DEO in ſuis Miniſtris ſolvuntur *juxta cap. Tua nobis 26. de Decimis.* Secundò. Indecens eſſet, ſi Miniſtris novi Teſtamenti, qui longè ſunt digniores, & Superioris ordinis, longè etiam majores labores pro Fideli populo in verbi Divini prędicatione, & Sacramentorum adminiſtratione ſubeunt, minores decimæ penderentur, quàm Miniſtris veteris Synagogæ Levitici Ordinis. Tertiò propter decentiam ſui ſtatus conſervandam, & ut etiam indicat S. Thom. 2. 2. *q. 87. art. 2. ad. 1.* ex S. Paulo 2. *Timot.* 2. propter eximendam curam rerum temporalium per negotiationes, & alios lucri faciendi modos, quibus à miniſteriis Spiritualibus plurimùm impedirentur, & diſtraherentur, & propter multitudinem Miniſtrorum Eccleſiæ, indigent ipſi tanta portione. Quartò. Quia ut iterum indicat S. Thom. *l. c. art. 3. ad* 1. ſpecialiter obligantur Clerici ad dandum Fidelibus bonum exemplum charitatis ac liberalitatis erga pauperes, ideo, ut hoc poſſint præſtare, & inexcuſabiles reddantur, ſi non præſtent, decima pars ab Eccleſia eſt illis aſſignata; idque factum eſſe prudenter & juſtè patet ex rationibus modò allatis, quarum ſimiles apud Theologos & Canoniſtas plures reperiuntur.

Dicitur ſecundò. *De omnibus, quæ licitè poteſt acquirere.* Multi pro adverbio *licitè* ponunt adverbium *juſtè*; cenſui tamen retinendum vocabulum, quod habetur in Canone, *Ex tranſmiſſa*, unde definitio tranſumpta eſt: nam utrumque vocabulum indiget eadem explicatione, ideo enim ex Bonis, quæ injuſtè poſſidentur, quæ proinde ſuis Dominis integrè reſtituenda, & non decimanda ſunt, non debentur decimæ, quia licitè non poſſunt acquiri, ſeu appropriari: ex bonis verò non injuſtè attamen illicitè acquiſitis e. g. per queſtum meretricium, per ſe loquendo ideo debentur decimæ, ut cum S. Thoma 2. 2. *q. 87. art. 2. ad* 2. communiter tradunt DD. qui ex ſuppoſita culpa, ante quam nulla debatur obligatio abſoluta, deinde poſſunt licitè acquiri; poteſt enim meretrix pro jam conceſſo uſu corporis licitè exigere, & retinere promiſſam ſibi i pecuniam. imò etiam, ut tradit S. Thomas *l. c.* ex prædiis per lucrum Uſurarium emptis debentur decimæ prædiales, quia licèt ſupponant culpam injuſtæ uſuræ, ipſi fructus tamen horum prædiorum non ſunt lucrum uſurarium ex quo, utpote integrè reſtituendo, decimæ ſolvendæ non eſſent, ſed ſunt effectus lucri uſurarii, ſive ut inquit S. D. *Non ſunt ex uſura, ſed ex DEI munere.* Quatenus ſcilicet DEUS dedit fertilitatem prædio, ex quo etſi illicitè acquiſito, debentur decimæ reales, ſive prędiales, reliqui fructus licitè poſſidentur, modò iis, qui uſuras dederunt, fiat integra earum, & lucri ceſſantis ac damni emergentis reſtitutio. Idem dicit Gloſſa *in cit. cap.* aſſerens deberi decimas prędiales, etiamſi prædium ſit emptum non præcisè ex lucro uſurario, cujus emptor dominium revocabile acquiſivit, ſed etiam, ſi ſit emptum ex pecuniis furtivis, & Fur nec prędii nec fructuum dominium habeat. Verùm in hoc poſteriori caſu decimæ quidem debentur, ſed à poſſeſſore injuſto non debentur proprio nomine; iſte enim tantùm tenetur, ut non detineat decimas, debitas à legitime Domino, ad quem prædium & fructus prædiales de Jure ſpectant: Unde ſi Fur prædium & fructus integros reſtitueret legitimo domino, ad nihil teneretur: Dominus tamen teneretur ex receptis fructibus decimas perſolvere. Ex his ergo patet, particularum *licitè*, vel *juſtè* hunc eſſe ſenſum, quòd ex fructibus ſive prædialibus, ſive induſtrialibus ille per ſe loquendo teneatur proprio nomine decimas ſolvere, qui eos fructus poteſt ſine peccato actuali injuſtitiæ proprio nomine poſſidere: etiamſi forſan peccatum, etiam injuſtitiæ præſupponant. 225

Dixi: *Per ſe loquendo*: Quia Eccleſia ex fructibus Induſtrialibus turpi queſtu, ac ſcelerata induſtria acquiſitis, & appropriatis, non ſolet decimas acceptare, ſaltem, ut limitat Palao *tr. 10. de Decimis pun. 6. n. 5.* Si notorium ſit crimen: ne, ut inquit S. Thomas *l. c. videatur eorum*, ſcilicet, crimino ſorum *peccatis communicare. Sed poſtquam pœnituerint, poſſunt ab eis de his recipi decimæ.* Deinde, ut rectè notavit Tannerus *to. 3. diſp. 5. de Religione q. 3. dub. 2. num. 32.* Perſonales, ſive Induſtriales decimę hodie nuſquam fere ſunt in uſu: Itaque etiam ex turpi lucro quæſitæ tantùm per ſe loquendo, non autem poſtquam earum uſus ſublatus eſt, ſolvendæ ſunt: Imò etiam in prædialibus fructibus

230 Dicendum ſecundò. Ut prædictæ obligationi naturali, tali modo, nempe decimæ partis ex omnibus fructibus penſione ſatisfiat, in Nova Lege neque Jure Divino naturali, neque poſitivo, ſed tantùm Jure Eccleſiaſtico determinatum, atque ſancitum eſt, ut contra ferè omnes Antiquiores Canoniſtas teſte Leſſio communi conſenſu ex S. Thoma *l. c.* tradunt Theologi cum recentioribus Canoniſtis. Prima pars de Jure naturali probatur. Lumen enim naturale tantùm dictat DEUM colendum eſſe, & Miniſtrantibus nobis Bona Spiritualia, ex noſtris temporalibus bonis privatis, vel communibus ſuſtentationem eſſe ſubminiſtrandam: aliàs ſi decimarum ſolutio determinatè & reſpectu ſingulorum privatorum Bonorum Jure naturali eſſet debita, Eccleſia immeritò quoſdam per privilegium conceſſum, vel per conſuetudinis præſcriptionem toleratam eximeret: quia contra Jus Naturale nulla poteſt dari præſcriptio. Confirmatur, vel magis declaratur dicta Ratio. Quandocunque finis, Jure naturali debitus, poteſt æqualiter obtineri diverſis mediis, Jure naturali non præcipitur unum medium magis, quàm aliud, niſi ipſum medium ſit determinatè neceſſarium ad alium finem, à natura præceptum. Sed finis jure naturali debitus, & paulò antè aſſignatus, poſſet obtineri aliis mediis, quàm penſione decimarum, & hæc non eſt determinatè neceſſaria ad alium ſpecialem finem, à natura præceptum, & ab Adverſariis aſſignabilem. Ergo &c.

231 Quòd autem neque Jure Divino poſitivo in Nova Lege decimę debeantur, probatur. Lex Divina ſolvendi decimas in Antiquo Teſtamento tantùm fuit lex poſitiva, & non naturalis, ut patet ex præcedenti concluſione. Sed ſublato toto Antiquo Teſtamento nulla lex Divina poſitiva ampliùs obligat, authoritate Antiqui Teſtamenti: ergo neque lex Divina ſolvendi decimas. Confirmatur cum S. Thom. *l.c.* Leges poſitivæ veteris Teſtamenti vel fuerunt judiciales, circa pertinentia ad juſtitiam erga homines, vel cæremoniales circa pertinentia ad cultum DEI ſecundùm certos ritus proprios & ad Eccleſiam Chriſti venturi prȩfigurandam, inſtitutos: ac ideo inter iſtas Leges hęc eſt differentia juxta S. D. quòd Cęremoniales illicitum ſit obſervare tempore Legis Novæ, quia id eſſet judaizare, ſive profiteri Judaiſmum: judiciales verò, etſi non obligent tempore gratiæ: tamen poſſint obſervari abſque peccato, & ad earum obſervantiam fideles obligentur, ſi ſtatuatur Authoritate eorum, quorum eſt condere legem. Hinc autem ſubſumo cum S. D. Atqui lex decimarum fuit judicialis (finis enim immediatus illius erat obligatio juſtitiæ, cultus DEI verò erat ultimatus, nec erat ritualis) & non legitur in ullo libro Canonico fuiſſe determinatè ſtatuta à Chriſto, cujus ſolius, & non Eccleſiæ eſt, condere Legem Divinam; Omnes enim poſitivæ leges, ut iterum S. Thomas 1. 2. *q.* 108. *art.* 2. & *Quodlib.* 4. *art.* 13. notavit à Chriſto conditæ, tantùm ſunt de fide, vel de Sacramentis. Ergo lex Decimarum non eſt Divina. Quando igitur *in cap. Parochianos* 14. *de Decimis* dicitur. *Cum decimæ non ab homine, ſed ab ipſo Domino ſint inſtitutæ: quaſi debitum exigi poſſunt*: tantùm indicatur eas juſtè ut debitum exigi, eò quòd non ab homine ſint excogitatæ, ſed primitus & originaliter jam in Antiquo Teſtamento ſint injunctæ: ut proinde Eccleſia ad imitationem prioris Inſtitutionis Divinæ, eaſdem etiam in Nova Lege juſtè ſtatuerit, & jam à Clericis non per modum eleemoſynæ, ut wiceffus in concil. Conſtant. *Seſſ.* 8. *art.* 18. *n.* 10. etiam de hoc damnatus, & Thomas waldenſis *lib.* 2. *doctrinæ fidei antiq. cap.* 64. & 65. aliique hæreticorum Sectatores docuerant, ſed Jure exigi valeant. Et ita etiam intelligendum eſt *capit. Tua nobis* 26. *de Decimis*.

Obiicies. Obligatio ſolvendi Decimas jam eſt à temporibus Apoſtolorum, ut patet ex conſtit. Clementis *lib.* 2. *cap* 29. 38. & 39. *atque ex lib.* 8. *cap.* 36. Ergo prędicta capitula de ipſa Chriſti inſtitutione intelligenda ſunt. Reſp. negando conſequentiam. Quia enim in primitiva Eccleſia Fideles omnia Bona ſua habebant communia, non eſt credibile etiam Chriſti adhuc in terris converſantis tempore Legem decimarum jam fuiſſe ſtatutam. Ratio ulterior eſt, quia lex ſolvendi decimas non ſpectat ad ſubſtantialia Eccleſiæ: qualia ſunt ea, quæ ad fidem, Sacrificium, & ad Sacramenta ſpectant. Ergo potiùs ſupponendum eſt, eam prudenti Gubernationi ſuorum Vicariorum à Chriſto relictam fuiſſe.

Dicendum tertiò. Decimæ debentur ſolo Jure Eccleſiaſtico, inducente tamen obligationem Juſtitię, & Religionis. Unde ſuppoſito præcepto Eccleſiæ, decimæ debentur quidem Jure Divino naturali, utraque enim obligatio, tam juſtitiæ, quàm Religionis eſt Juris naturalis, ſicut obligatio Voti, quæ etiamſi ſupponat voluntatem voventis, ea tamen poſita eſt Juris Divini: verùm in hoc ſenſu quæſtio in titulo propoſita non ſolet inſtitui, ſed potiùs de ipſo ſuppoſito præcepto, an iſtud ſit Divinum, vel tantùm humanum. Probatur nunc concluſio quoad obligationem juſtitiæ. Quandocunque aliquid debetur ex juſtita conditionatè, tunc poſita, & impleta conditione obligatio tranſit in abſolutam. Atqui hoc ipſo, quòd miniſtrantibus Bona Spiritualia debeatur ex Juſtitia ſuſtentatio per medium ab Eccleſia determinabile, obligatio illa Juſtitæ eſt conditionata ad quodvis medium, ſi nempè illud ab Eccleſia determinetur: & qua Eccleſia determinavit hoc medium, nempè decimam partem fructuum; conditio jam eſt poſita & impleta, ergo obligatio Juſtitiæ ad decimam partem fructuum tranſivit in abſolutam. Hæc Ratio confirmari poteſt paritate tributorum; facta enim determinatione à Principe quantum quiſque ſubditus debeat contribuere ad bellum vel ad alium finem neceſſarium Reipub. ſinguli ſubditi obligantur ex Juſtitia ad contribuendam ſuam portionem, ſed ſimili modo ſe habet determinatio Principis Eccleſiaſtici ad portionem contribuendam in ſuſtentationem Miniſtrorum Eccleſię. Ergo &c. Accedit allatę rationi manifeſta Authoritas Concilii Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. *de Reform.* Ubi ait. *Qui vero decimas ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſolvantur.* Subſumo. Atqui id, cujus facienda eſt reſtitutio; erat debitum ex Juſtitia; ergo juxta Trid. Decimæ debentur ex juſtitia. Idem conſtat ex pluribus Capitulis in libris Decretalium de Decimis. 232

Probatur concluſio etiam quoad obligationem Religionis, quàm Palao *pun.* 2. *num.* 10. ait eſſe nimis probabilem, & eandem etiam aſſerit Leſſius *lib.* 2. *cap.* 39. *dub.* 1. *num.* 8. Layman. verò *lib.* 4. *tr.* 6. *cap.* 2. *num.* 3. aſſerit Fraudatorem decimarum eſſe quodammodo Sacrilegum. Ex illa virtute debetur quęlibet materia prȩcepta, cujus honeſtatem Legiſlator intendit: ſic Celebratio feſtorum debetur ex Religione, jejunium Quadrageſimale ex Temperantia. Jejunium naturale ante ſumptam Euchariſtiam iterum ex Religione. Sed Legiſlator decimarum, nempè ſum. Pont. & Eccleſia intendit honeſtatem Juſtitię & Religionis: intendit enim eundem finem, quem DEUS intendebat in veteri teſtamento, & quem nunc etiam DEUS intendit ex ſuppoſitione prȩcepti Eccleſiaſtici, ut de fine Juſtitię patet ex dictis, de fine autem Religionis expreſsè conſtat *ex cap. Tua nobis* 26. & *ex cap. Cùm non ſit* 33. *de Decimis*. In priori enim dicitur. *Quas* (ſcilicet, decimas) *DEUS in ſignum Univerſalis Dominii ſibi reddi præcipit, ſuas eſſe decimas, & primitias aſſeverans.* Et paulò poſt. *Cùm DEO debita ſit ſolutio decimarum, in tantum, ut adeas Clericis exhibendas, quibus eas ipſe pro ſuo cultu conceſſit &c.* In poſteriori capitulo ſimiliter dicitur. *Cùm autem in ſignum Univerſalis Domini, quaſi quodam titulo ſpeciali, ſibi Dominus decimas reſervaverit.* 233

Obiicies. Fur, qui Parocho ſolutas decimas furaretur, non peccaret contra Religionem; ſed tantùm contra juſtitiam, ergo idem dicendum eſt de non ſolvente decimas: quia hinc colligitur, decimas non eſſe rem Sacram, ſive non eſſe Bona DEI. Reſp. primò retorquendo. Clerici enim, tu *tr.* 4. *diſp.* 2. *art.* 5. *n.* 171. Oſtendimus, ex Religione tenentur, redditus ſuperfluos dare pauperibus, vel alteri pię cauſę applicare, & qui vovit pauperi alicui erogare eleemoſynam, tenetur ex Religione erogare, quamvis Fur non peccaret contra Religionem, qui pauperi à Beneficiato traditos redditus, vel eleemoſynam ex voto donatam, furto auferret.

Reſp. ergo ſecundò, negando conſequentiam. Quia etiamſi redditus Eccleſiaſtici, Eleemoſyna, & Decimæ, deſinant eſſe res DEO debita, poſtquam obligationi Religionis eſt ſatisfactum, non tamen ſequitur, quòd priùs non fuerint res DEO ex Religione debita: ſi autem Fur hujuſmodi rem DEO debitam priùs ſuſtuliſſet, antequàm obligationi ſatisfieret, etiam ipſe peccaſſet contra Religionem. Quia qui alterum vi aut fraude impedit ab executione alicujus obligationis, is peccat contra eandem virtutem, à cujus executione alterum impedit, ut alibi diximus.

Urgebis. Ex data reſponſione ſaltem hoc videtur ſequi, quòd ſi Jus decimarum privilegio ſummi Pont. transferatur in Laicum, & ſic ipſæ deſinant eſſe DEO debitæ ex titulo Spirituali, non ſolvens decimas tantùm peccet contra juſtitiam. Reſp. iterum negando ſequelam: quia etiamſi Jus accipiendi in Laicum transferatur, obligatio tamen dandi nec ceſſat, nec mutatur, finiſque in ſupra citatis capitulis expreſſus manet idem: & perinde eſt, ſive Eccleſiæ, vel parocho, ſive Laico juſſu Eccleſiæ ſolvantur decimæ: ſicut ſolvens creditori tui creditoris, eo ſic jubente, tuo creditori cenſeris ſolviſſe. Quòd ſi tamen obligatio Juſtitiæ non ſolùm transferretur in alium decimatorem, cui decimæ ſolvantur, ſed ſi omninò tolleretur, e. g. ſi decimæ omninò remitterentur ab habente Jus, tunc fateor, etiam obligationem Religionis deſituram; quia hæc ſupponit Jus Juſtitiæ, & lex ſolvendi decimas eatenus ordinat illas ad conteſtandum univerſale Dominium DEI, quatenus per illas immediatè, vel ſaltem mediatè ſatisfit juri exigendi decimas Curatorum animarum, ſive obligationi, in Cura animarum originaliter fundatæ.

234 Dicendum quartò. Etiamſi Miniſter Eccleſiæ, cui decimæ debentur, ſecundùm probabiliorem, & communiorem ſententiam nondum habeat plenum, & perfectum Dominium decimæ partis fructuum ante eius traditionem, vel ſaltem deſignationem, ac determinationem, habet tamen Dominium utile, quale haberet Legatarius, ſi cui uſusfructus decimæ partis de Bonis hæreditariis legatus eſſet: unde non tantùm habet Jus perſonale, ſive ad rem, ſed Jus reale, & ſi fructus indecimati ad quemcumque poſſeſſorem perveniſſent, poteſt eorum decimam partem ſive ab alienante, ſive à poſſeſſore vindicare, ut cum S. Thoma *quæſt. 87. art. 2. ad 4.* probant Doctores univerſim ex manifeſtis capitulis. *Cap. Tua nobis 26. cap. Paſtoralis 28. cap. Cum non ſit 33. de Decimis.* Unde ſive apud debitorem decimarum eædem adhuc extent, ſive alienatæ ſive deſtructæ ſint, conceditur Decimatori actio perſonalis, quæ dicitur condictio ex Lege, ſive ex Canone, *iuxta legem Vn. ff. de Condictione ex Lege.* Et ſi opus eſt, etiam actio Realis in rem, ſive Vindicatio adverſus poſſeſſorem fructuum indecimatorum juxta *L. In rem ff. de Rei vindicatione.* Neque enim repugnat, quòd debitor parochianus habeat dominium directum omnium fructuum indecimatorum, & Parochus habeat Dominium utile, & ut huic tamen competat utraque actio, ut oſtendit Palao *pun. 2. n. 5. ex §. ſi quis in aliena verbo Vtilis actio. Inſtitut. de Rerum diviſione.*

235 Rectè tamen adverſus Abbatem *in cap. Cùm homines num. 6. de Decimis* advertit Laym. *lib. 4. tract. 6. c. 2. num. 5.* quòd, licèt Parochus poſſit vindicare decimas, ad quemcumque fructus indecimati pervenerint, non tamen poſſit vindicare decimas extantes ab eo, ad quemcumque fundus ſive prædium decimale pervenerit, quia Jus ad decimas extantes ſeu nondum ex præteritis annis ſolutas annexum erat fructibus fundi, non fundo. Unde non licet argumentari à pari ex *L. Imperatores 7. ff. de Publicanis.* Ubi novus poſſeſſor fundi vectigalis, ſive tributarii, jubetur ſolvere extantia tributa: hæc quippè immediatè ſunt annexa fundo; non autem decimæ, quæ etiam tantùm impropriè *in cap. Tua nobis ſupra citat. & cap. Decimæ 16. q. 1.* dicuntur *tributa egentium animarum* in re tamen differunt: hinc tributa non poſſunt ſicut decimæ vindicari actione reali, ſed tantùm perſonali, quia ad illa non datur Jus in re, ſed præciſè ad rem: ut hoc diſcrimen optimè notavit Palao *punct. 2. numer. 4.*

236 Quæres tandem, cùm Decimæ condici, & vindicari queant, coram quo Judice, an Eccleſiaſtico, an etiam Laico, cauſa decimarum agitanda ſit? Palao *punct. 15. num. 5.* relatis Petro Rebuffo Covar. Suar. Fagundez cenſet, ſi quæſtio ſit facti, an e. g. Decima ſit ſoluta, vel non ſoluta, poſſe apud quemlibet Judicem cauſam agi, ſi Reus ſit Laicus: at ſi quæſtio ſit Juris, agi tantùm poſſe coram Judice Eccleſiaſtico: ita etiam ſentit Diana *p. 1. tract. 2. R. 90.* referens etiam Monetam Guttierez. Sed Azor *tom. 1. lib. 7. cap. 36. qu. 7.* & Tannerus *to. 3. de Relig. diſp. 5. quæſt. 3. dub. 2. num. 41.* docent, ſive quæſtio ſit facti ſive Juris, eam coram Judice Eccleſiaſtico inſtituendam eſſe. Quia Jus decimarum ſaltem prima Origine etiam quando Laico in feudum perpetuum conceditur à Pontifice, ſpirituale eſt: & communi Jure, extra quoſdam caſus particulares, quorum quinque refert Covarruvias, & eoſdem omnes Azor, & Tannerus locis cit. improbant, abſque controverſia ad forum Eccleſiaſticum ſpectat. Ut colligitur *ex cap. Parochianos 14. de Decimis. Cap. Quando Cap. Decernimus de Judiciis & in Clement. cap. Diſpendioſam titul. eod.* Verum hæc omnia tantùm probant in quæſtione Juris ſolum Eccleſiaſticum Judicem competentem eſſe, & probabiliter etiam, quantumvis Proximum Jus non ſit ſpirituale, eò quòd iſtud ſubſiſtere nequeat, niſi radicetur in ſpirituali: & obligatio ſolvendi decimas adhuc referatur ad finem primævum Spiritualem, ſcil. in ſignum ſupremi Dominii Divini, & DEI ut Authoris omnium fructuum. Verùm in hoc & aliis caſibus à Covar. relatis, & de quibus inter Doctores in utramque partem probabiliter diſputatur, conſuetudo à ſummo Pontifice tolerata, vel per certa concordata in aliquibus territoriis conceſſa, ut etiam notat Tan. litem dirimere debet, an Eccleſiæ ſoli, & privativè, an verò cumulativè conveniat etiam Judici Laico poteſtas judicandi. Caſus autem quos Covar. *pract. quæſt. cap. 35.* putat eſſe fori mixti, ſunt ſequentes. *Primus.* Quando Decima eſt in Feudum perpetuum legitima authoritate tradita: de quo immediatè dictum eſt. *Secundus.* Quando Laici à Clericis coguntur ſolvere decimam contra præſcriptionem, vel conſuetudinem, cujus initium non extat. Quem caſum Palao *loc. cit. num. 7.* ſub hac diſtinctione admittit, nempè ſi quæſtio tantùm eſt de exiſtentia hujuſmodi præſcriptæ conſuetudinis concedit, cum Gutierez & Joanne Garcia: quia eſt quæſtio facti: at ſi quæſtio eſt de Valore præſcriptionis, negat; quia eſt quæſtio Juris. *Tertius.* Quando quæſtio eſt facti, & non Juris: de quo jam etiam dictum eſt. *Quartus.* Quando Laicus conductor decimæ init cum Clerico pactum, ut coram civili Judice conveniri poſſit. Quem caſum cum Rebuffo, Azor, Fagundez, negat etiam Palao *num. 6.* Quia Decima nondum eſt perfectè alienata, ſed Jus Clerici eſt adhuc Spirituale. Si tamen actio tantùm eſt de non ſoluto pretio conductionis, non de ipſis decimis: tunc etiam contra Fagundez cenſet Palao neceſſariò coram Judice Laico Laicum conductorem conveniendum eſſe: eadem eſt ratio de emptore, non ſolvente pretium. *Quintus.* Quando cauſa agitur contra Laicos fures de fructibus decimæ ſolvendis, reddendiſve, non de ipſo decimæ Jure ſervando, & tuendo. Ad hunc caſum, qui quidem non eſt in cauſa petitoria, quæ certò eſſet Judicis Eccleſiaſtici, ſed in poſſeſſoria, reſpondet Palao *numer. 8. Tametſi plures Doctores cenſeant, ſi lis agitetur contra Laicum, conveniendum eſſe coram Judice ſæculari, certiſſimè tenendum eſt, cauſam agitandam eſſe coram Judice Eccleſiaſtico: quia cauſa poſſeſſoria, etiamſi nihil proprietatis mixtum habeat, Eccleſiaſtica eſt, non temporalis; ut colligitur ex Clementin. Unic. de ſequeſtrat. poſſeſſ. & fructuum: & Clementin. Vnic. de cauſa poſſeſſ. & propriet.* Verum ex his Juribus tantùm probatur, poſſe ſpoliatorem conveniri coram Judice Eccleſiaſtico, non autem probatur, eſſe certiſſimum, debere, ita ut nequeat coram Judice Laico conveniri. Quia ordinariè, & maximè in hoc caſu, in quo eſt præſumptio Juris contra ſpoliatorem circa titulum poſſeſſionis, ſpoliatus priùs debet reſtitui, quàm de cauſa, & titulo poſſeſſionis agatur *juxta cap. In litteris de Reſtitution. ſpoliat.* Unde ſi præciſè inſtituatur quæſtio facti, an decimæ ſint ablatæ, ſive ante, ſive poſt ſolutionem (in quo poſteriori caſu minus eſt dubium) & non, an

an Juſtè ſint ablatæ, dicent contrarii Authores, æquè poſſe coram Judice Laico agitari hanc quæſtionem de facto, quàm ſi Fur Clerico abſtuliſſet centum aureos, quos acquiſivit ex Beneficio Eccleſiaſtico; cùm inter pecuniam ablatam non ſit faciendum diſcrimen, an titulo Spirituali, vel an ex bonis patrimonialibus ſit acquiſita à Clerico. Certè cùm concedat Palao, poſſe cauſam de decima non ſoluta, agi apud Judicem Laicum contra eum, qui ex titulo Spirituali eſt obligatus, poterit etiam agi de decima ablata contra eum, qui non ex titulo Spirituali, ſed actione furti tenetur. Sed hęc priori reſponſioni meę addere volui dubitandi cauſa; cùm in hac materia Spirituali teſte Suar. Azor, Tannero valde cautè ſit procedendum & aliqui Authores nimiùm videantur favere principibus ſęcularibus.

ARTICULUS III.

Qui teneantur decimas dare.

SUMMARIUM.

237 *Obligatio ſolvendi decimas alia eſt perſonalis, alia realis, ſive prædialis.*
238 *Per ſe loquendo ad ſolvendas decimas tenentur omnes & ſoli Chriſtiani, alicui in rebus ſpiritualibus ſubditi.*
239 *Hinc patet, quid de non Baptizatis, quid de ſummo Pontifice quid de Epiſcopis, quid de Parochis ſit dicendum.*
240 *Quomodo Clerici non Beneficiati teneantur dare decimas ex obligatione Perſonali.*
241 *Quomodo iidem teneantur obligatione Reali.*
242 *Quomodo Religioſi teneantur dare decimas.*
243 *An & quanto tempore poſſit præſcribi exemptio ab obligatione.*
244 *Quomodo per compoſitionem, tranſactionem, vel remiſſionem poſſit obtineri exemptio temporalis, vel perpetua.*
245 *Quomodo Pauperes eximantur.*

237 PRo reſolutione hujus quęſtionis duplex obligatio diſtinguenda eſt; una eſt Perſonalis, altera Realis: prior immediatè annexa eſt perſonę, ut hæc ratione proprię ſubjectionis in Spiritualibus teneatur decimas dare tam de fructibus perſonalibus, quàm de prędialibus, quamvis iſti proveniant ex prędio noviter culto, quod Novale appellatur, cui adhuc nunquam annexum erat onus decimarum. Altera, nempè Realis obligatio affixa eſt prędio, ſive fundo, quę tranſit cum ipſo ad quemcunque poſſeſſorem Chriſtianum, legi Eccleſiaſticę ſubditum; imò *in cap. De terris 16. de Decimis* præcipitur, ut Fideles non niſi cum pacto ſolvendi decimas Judęis ſua prędia excolenda concedant, & aliter conceſſa revocent. Hac diverſa obligatione ſuppoſita

238 Dicendum primò. Omnes & ſoli, per ſe loquendo in Spiritualibus ſubditi, qui de manu ſacerdotis Sacramenta ſuſcipere debent, vel deberent, ad dandas decimas perſonali obligatione tenentur, niſi ſummi Pontificis authoritate excipiantur. Ita cum S. Thoma 2. 2. q. 87. *art.* 1. & 4. habet communis & certa ſententia. Et expreſsè ſtatuitur, *in cap. Ex tranſmiſſa* 23. *de Decimis*, & in multis aliis SS. Canonibus, patetque ex dictis pręcedenti articulo.

239 Hinc colligitur 1. ſolos Baptizatos perſonaliter obligari, qui hi ſoli ſubſunt Legibus Eccleſię. 2. Summum Pontificem nemini teneri obligatione perſonali decimas dare. 3. Epiſcopos potuiſſe obligari ad dandas ſummo Paſtori decimas, quia & ipſi ſunt oves, ab illo paſcendę: verùm de facto non eſt ipſis *ordinaria* lex ſtatuta. 3. Epiſcopos non teneri obligatione perſonali ulli Parocho prętare decimas; quia non ipſi Parochis, ſed Parochi ipſis ſubditi ſunt; & Jure antiquo parochi debebant illis omnium ſuarum decimarum quartam partem dare ex Lege diœceſana *cap. De quarta de Præſcriptionibus*. Sed nunc ubique ferè contraria conſuetudo eſt legitimè prę-ſcripta (ad cujus pręſcriptionem *in cit. cap.* requirebantur 40. anni) & alio modo eſt Epiſcopis proviſum: aliàs plurimi Parochi non haberent ampliùs ſufficientem ſuſtentationem, ſi quartam partem deberent Epiſcopis cedere.

Quartò colligitur, etiam Clericos Eccleſiæ Parochiali ſubditos perſonali obligatione obſtringi ad dandas decimas *juxta cap. Novum genus* 2. *de Decimis*, Quod cum Gloſſa non tantùm intelligendum eſt de Clericis conjugatis, ſed etiam de non conjugatis, quia & ipſi tenentur Sacramenta confeſſionis, Euchariſtię, ſaltem ſi Sacerdotes non ſint, præſertim in Paſchate, & Extremæ Unctionis ſuſcipere à proprio Sacerdote. Verùm ne citatum capitulum in fine contradicat ſuo principio, quod ita habet: *Novum genus exactionis eſt, ut Clerici à Clericis decimas exigant: cùm nuſquam in Lege Domini hoc legamus; non enim Levitæ à Levitis decimas accepiſſe leguntur*. Ideo S. Thomas a. 4. & cit. Gloſſa, aliique Doctores communiter diſtinguunt inter fructus, quos ut Clerici ex functionibus Eccleſiaſticis, & ex redditibus Eccleſiaſticis accipiunt, atque inter fructus, quos colligunt ex Bonis Patrimonialibus, vel alio titulo Laicis communi. Unde hi obligatione perſonali tantùm tenentur dare decimas prædiales ex prædiis hæreditate, legato, donatione, emptione, conductione &c. obtentis, non ſolùm, ſi iſta onere reali præſtandi decimas priùs gravata fuerunt, ſed etiam de Novalibus. Nam de fructibus merè induſtrialibus non tantùm Clerici, ſed etiam Laici, ut in art. 1. ex Tannero & communiſſima DD. ſententia notavi, ubique ferè contra obligationem dandi decimas præſcripſerunt. Licèt enim S. Thomas *art.* 2. *ad* 1. Sapienter notaverit ſpecialem rationem, quare Eccleſia præceperit etiam Induſtriales decimas, quales in antiqua Lege non fuerunt à DEO præceptæ, meritò tamen etiam Eccleſia permiſit per contrariam Conſuetudinem abrogari decimas merè Induſtriales, ne illarum decimarum occultatione plurimis conſcientiis iniquitatum laquei iniicerentur, quale periculum non eſt in prædialibus Decimis, quæ magis patentes ſunt, nec ita facilè occultari poſſunt. 240

241 De prędialibus tamen decimis adhuc controverſia eſt, an ſi prædia non perſonæ Clerici, ſed officio, ſive Beneficio illius, vel ipſi Eccleſiæ, cui Clericus ſervit donatione, vel emptione, præſertim ex redditibus Eccleſiaſticis, vel alio quocunque titulo obveniant, ita ut fiunt Eccleſiaſtica, Parocho ex illis decimæ perſolvendæ ſint. Negativam ſententiam probabilem putat Palao *pun.* 11. *numer. ult.* & apud ipſum Suarez, Cajetanus, Sotus, Aragonius, quia, ut etiam inquit S. Thomas *cit. art.* 4. Clericus, quà Clericus, ex illis redditibus, quos ut Clericus accipit, non tenetur decimas dare, ſed illos redditus, quos ex prædio, ſuo Beneficio, vel ſuæ Eccleſiæ adjecto, percipit, jam accipit ut Clericus, illique redditus percepti, ſunt verè Eccleſiaſtici: ergo ex illis non tenetur decimas dare.

Dicendum tamen ſecundò. Si illud prædium, quod Beneficio, vel Eccleſiæ accepit, priùs habuit annexum onus decimarum, ſive exiſtat in eadem Parochia, ſive in diverſa, adhuc decimas præſtandas eſſe illi Parocho, vel Decimatori, cui priùs dabantur. Ita alii DD. communiter tradunt. Quia res affecta onere, cum eodem tranſit ad Dominum, niſi illud ſpeciali privilegio tollatur: ut patet *ex capit. Si quis Laicus capit. Eccleſiæ cap. Quinque* 16. *q.* 1. Quod Layman. *lib.* 4. *tr.* 6. *cap.* 3. *n.* 5 pluribus relatis ait: adeò univerſaliter verum eſſe, ut omnes omnino cujuſcunque Ordinis, & Religionis, ſtatus, ac Dignitatis, perſonæ, etiam ipſe ſummus Pontifex, Epiſcopi, Religioſi, obligentur decimas dare ex prædiis priùs affectis hujuſmodi onere niſi vel præſcripta conſuetudine, vel Pontificia diſpenſatione, aut privilegio ob juſtam cauſam eximantur. Et ita inquit, fieri poſſe, ut ſi prædia, decimarum nomine alicui Parochiæ obligata, ad aliam Parochiam titulo fundationis, donationis, legati &c. perveniant; hæc priori Eccleſiæ, intra cujus fines prædia conſtituta ſunt, decimas præſtare cogantur, niſi conſuetudine aliud obtentum ſit. Sicut ex communi docent Abbas, Covar. Guttier. Rebu.

Nec habet hìc locum aſſignata ratio dubitandi ex S. Thoma: qui tantùm locutus eſt de obligatione perſonali, & de prædiis Eccleſiaſticis non priùs oneratis

obligatione reali: de oneratis verò Clericus debet dare decimas non ut Clericus, neque ut ſubditus in Spiritualibus, ſed ut poſſeſſor prædii obligati. Itaque Ratio concluſionis eſt. Quia poſtquam diœceſes in Parochias diviſæ ſunt, prædia Parochianorum intra quamlibet parochiam ſita, obligationem acquiſiverunt decimæ, partis fructuum Eccleſiæ parochiali inſerendę, cum quo onere ad quemcunque poſſeſſorem tranſeunt ſummorum Pontificum conſtitutionibus; qui tamen id Juris ſibi reſervarunt, ut ob juſtam cauſam diſpenſare, vel privilegium exemptionis concedere poſſint. Neceſſitas autem hujus conſtitutionis ex eo patet, quia aliàs facilè contingeret, ut tranſlatione, Jurium parochialium aliæ plus juſto diteſcerent, & aliæ depauperarentur. Ob quam cauſam ne Parochis de Juribus ſuis aliquid decedat *in cap. Dilecti filii 8. de Decimis* Statutum eſt, ut etiam privilegiati à decimis, de prædiis parochianorum conductis decimas dare teneantur: & *in cap. De terris 16. & cap. In aliquibus regionib. 32. eod. tit.* cautum eſt, ne prædia, onerata decimis, talibus perſonis elocarentur, à quibus nullæ decimæ reciperentur.

242 Dicendum tertiò. Idem quod de Clericis Eccleſiæ Parochiali ſubditis in concluſ. 2. ſtatutum eſt, ſecluſis ſpecialibus privilegiis, ab rationis paritatem ad Religioſos extendendum eſſe: ut ſpeciatim de prædialibus decimis patet *ex capit. Commiſſum 4. de Decimis*. Ex privilegio tamen omnes Religioſi à Paſchale II. *in capit. Decimas 16. q. 1.* olim eximebantur ab Induſtrialibus & prædialibus decimis eorum prædiorum, quæ ipſi ſuis impenſis excolebant: quod privilegium ab Hadriano IV. Alexandro III. *in capit. Ex parte 10. de Decimis.* ad ſolos Ciſtercienſes, Templarios, & Hoſpitalarios eſt reſtrictum, ceteris verò Religioſis ſolùm eſt conceſſum; ut de Novalibus ſuis, quæ propriis manibus vel ſumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium ſuorum, & de hortis ſuis decimas non perſolvant. Denique ab Innocentio III. *in capit. Nuper 34. de Decimis* etiam prædictis tribus Religioſis Familiis privilegium ſic eſt limitatum, ut de prædiis ante Concilium Lateranenſe acquiſitis manerent privilegiati, ſed de acquiſitis & acquirendis poſt Concilium, etiamſi illa ipſi excolerent, decimas darent illis Eccleſiis, quibus ratione eorundem prædiorum antè ſolvebantur. Quam limitationem idem Pontifex extendit ad omnes alios Religioſos ſimili privilegio gaudentes. Itaque ſecluſis aliis recentioribus privilegiis, Religioſi non gaudent alia exemptione, quàm *in capit. Ex parte cit. & capit. Nuper* memorati Pontifices conceſſerunt. Unde ſaltem liberati ſunt ab obligatione Perſonali, quæ etiam reſpectu prædialium fructuum ex Novalibus ſublata eſt, quando ea ipſi excolunt: ſed ſi ea aliis excolenda elocant, tunc iſti Conductores non gaudent eodem privilegio: ut expreſſè habetur *in cit. cap. Ex parte 10.* & *cap. Licet 11. & cap. A nobis 24. de Decimis.* Quia verò Immunitate à Decimis nunc fruantur Religioſi, quivis ſua recentiora privilegia conſulant. Pro acquirenda etiam Immunitate

243 Quæres primò: quomodò per præſcriptionem ab obligatione Decimarum, quis eximi poſſit. De hoc dixi *in tr. 4. diſp. 2. num.* 276. & 327. ubi quadraginta annos requiſivi ex communi ſententia, ad finiendam præſcriptionem cum titulo, quale tempus etiam requiritur *in cap. De quarta 4. de Præſcriptionib.*: ſine titulo autem, quia etiam Juris præſumptio obſiſtit, non præſcribitur exemptio à decimis, niſi tempore Immemorali, ut clarè expreſſum eſt *in capit. Epiſcopum 1. de Præſcriptionib. in 6.*

244 Quæres ſecundò: quomodò per compoſitionem, tranſactionem, remiſſionem obtineri poſſit exemptio. Reſpondetur, quamvis, ut ſuprà *art.* 1. dictum eſt, Jus colligendi decimas ſuas Laico non, niſi ad deſignatum tempus, Epiſcopus vel Parochus concedere poſſit, quemvis tamen tam de extantibus, quàm de futuris decimis poſſe cum ſibi obligatis tranſigere, vel eas etiam gratis remittere pro tempore vitæ ſuæ; quia nullo Jure prohibetur: ſed potiùs id conceditur *in cap. Ex multiplici 3.* & *in cap. Nuper 34. de Decimis.* Ut tamen acta etiam ad ſucceſſores extendantur, requiritur conſenſus Epiſcopi, vel ſummi Pontificis. *Juxta cap. Statuimus 2. & cap. Veniens 8. de Tranſactionib.*

Quæres tertiò: quomodo pauperes à præſtandis decimis 245 excipiantur. Reſp. poſtquam decimæ Induſtriales ubique ferè abolitæ ſunt, vix locum eſſe quæſtioni, cùm dicti pauperes prædia non habeant, ex quibus decimas prædiales ſolvere teneantur: habentes verò prædia impotentia phyſica, vel morali, eo modo excuſantur, qui alii debitores.

ARTICULUS IV.

Quibus debeant decimæ dari & qualis modus in iis tenendus.

SUMMARIUM.

246 *Decimæ præſtari debent Eccleſiæ parochiali, vel Baptiſmali, ſi hæc eſt eadem.*

247 *Prædiales decimæ Eccleſiæ ejuſdem territorii ſolvendæ ſunt.*

248 *Decimæ pecorum proportionaliter diſtribuendæ ſunt pro tempore quo pluribus in parochiis paſcuntur.*

249 *Clericis, Religioſis, & Laicis, poſſunt deberi decimæ vario Jure extraordinario, titulo etiam non Spirituali.*

250 *De circumſtantia temporis, loci quoad ſolvendas decimas obſervanda.*

PRimam concluſionem pono verbis S. Thomæ 2. 2. *q.* 87. *art.* 3. *ad* 2. Dicendum, quòd decimæ Perſonales 246 debentur Eccleſiæ, in cujus parochia homo habitat: decimæ verò prædiales rationabiliter magis videntur pertinere ad Eccleſiam, in cujus terminis prædia ſita ſunt. Tamen Jura determinant, quòd in hoc ſervetur conſuetudo diu obtenta. Paſtor autem, qui diverſis temporibus in duabus Parochiis gregem paſcit, debet proportionaliter utrique Eccleſiæ decimas ſolvere, (id eſt, decimam partem proportionaliter partiri) & quia ex paſcuis fructus gregis perveniunt, magis debetur decima gregis Eccleſiæ, in cujus territorio Grex paſcitur, quàm illi, in cujus territorio ovile locatur, ita S. Doctor, quem alii communiter ſequuntur. Quæ concluſio videtur quatuor membra continere. Primum circa ipſas decimas perſonales, ſive induſtriales, nunc quidem, ut ſuprà dixi, plurimis in locis exiguum uſum habet: indicat tamen decimas, per ſe loquendo, deberi Eccleſiæ Parochiali, vel Parocho, ex quibus aliis, qui Parochum juvant in Cura animarum, vel ad Divina ibi officia celebranda & preces pro earum ſalute fundendas ſpecialiter deputatis, provideri poterit. Quando verò *in cap. de Decimis & cap. Statuimus 16. q. 1.* dicitur, decimas Baptiſmali Eccleſiæ inferendas eſſe, ibi ſupponitur, Baptiſmum in Parochiali Eccleſia conferri, ut patet *ex cap. ſeq.* vel ſaltem pro eadem ſumitur, etjamſi in alia filiali Eccleſia conferatur. Præſertim quia Jus conferendi Baptiſmum immediatè competit Parocho, ubicunque illum conferat.

Ex primo membro, quia ex decimis Induſtrialibus ſuſtentatio ampliùs haberi non poteſt, firmatur etiam ſe- 247 cundum membrum. Ut nempè ex fructibus prædiorum, in eadem Parochia ſitorum, decimæ ſolvantur: etiamſi enim Dominus prædii forſan in alia Parochia habitet, & Sacramenta ſuſcipiat, ibique etiam nullum prędium habeat, & conſequenter proprio Parocho nullas decimas ſolvat; quia tamen iſte Parochus eodem Jure fruitur, ut & ipſe poſſit recipere decimas omnium prædiorum in ſua Parochia ſitorum, etiamſi dominis eorum, ſibi in Spiritualibus ſubditi non ſint, ideo labores talibus ſtabilibus juribus ſatis compenſatur, & eſt meliùs ſingulis Parochis proviſum, quàm ſi eorum Parochianis aliò migrantibus etiam decimæ prædiorum immobilium ex ſua Parochia aliò transferrentur.

Unde licèt *capitulum Cum ſint homines 18. & cap. Ad Apoſtolica 20. de Decimis* locorum conſuetudinem attendi velint (quod tertium membrum erat concluſionis) ubiq; tamen ferè hæc conſuetudo recepta eſt, ut onus decimarum adhæreat prędiis, & quemcunque poſſeſſorem ubicunque degentem (niſi privilegiatus ſit) gravet, quod etiam *in Capit.* 18. convenientiùs judicatur. Hoc autem poſito, quòd decimæ prædiales adhæreant ſolo prædiorum, Parocho competit Jus omnium decimarum prædialium, & ſi novalia erigantur, de

illis

illis quoque prǽſtandǽ ſunt decimǽ, ut expreſſum eſt *in cap. Quoniam* 13. *de Decimis, & cap. Ex parte* 27. *eod.* Imò licèt alius titulo laicali acquiſiviſſet Jus accipiendi decimas à certo prǽdio, ex Novali tamen in eodem erecto, Parocho deberentur decimǽ, niſi alter extenſionem privilegii probare poſſet. *Cap. Cum contingat tit. eod.*

248 Quartum membrum concluſionis erat de pecorum decimis; cujuſmodi ſunt Fœtus, lana, lac, caſeus, butirum (videtur tamen, quòd, ſi lac decimatur, non debeatur caſeus & butirum, ſicut ſi frumentum decimatur, non debetur decimus panis: ſed de hoc non vidi moveri controverſiam, proinde conſuetudo illam decidat) ſatis verò à S. D. videtur probata aſſertio communiter recepta. Quia tamen pecora hyeme non paſcuntur in pratis, ideo S. D. non omnino excluſit Parochiam, in cujus territorio ovile locatur, ſed tantùm dixit magis, ſive proportionaliter majorem partem portionis decimarum deberi Parochiǽ, in cujus territorio grex paſcitur: & licèt etiam alimenta ex eodem territorio ad Ovile tranſportantur, quia tamen fructus pecorũ ad mixtos ſpectant ipſaque Induſtria in loco ovilis adhibetur, hinc videtur ratione hujus mixturǽ etiam Parochiǽ, ubi grex hybernat, pars proportionata deberi, ſicut paſtor debet proportionaliter utrique Eccleſiǽ decimas ſolvere, ſi diverſis temporibus in duabus Parochiis gregem paſcit. Unde hanc ſententiam Navarri *conſ.* 1. *de Decimis num.* 10. meritò ut probabilem approbat Palao *pun.* 8. *n.* 9. imò juxta *n.* 8. prǽcedentem debet concedere ut probabiliorem, in fœtibus animalium, quia fatetur loco, ubi pecora accubant, deberi portionem decimǽ: atqui non eſt dubium, ibi accubare etiam ubi hybernant.

Quod dictum eſt de decima Parochiis ſolvenda, pari ratione intelligendum eſt de ſolvenda Epiſcopo, ſi ipſe ſit immediatus curatus ſuǽ Eccleſiǽ Cathedralis: vel ſi aliqua prǽdia in ejus diœceſi nulli Parochiǽ ſint inſerta, ut indicatur *in cit. cap. Quoniam.*

249 Concluſio ſecunda. Etiamſi Jure communi Clericis non Beneficiatis, & Religioſis, nullæ decimæ debeantur, & Laici titulo Spirituali earum etiam ſint incapaces, frequenter tamen, præſertim Religioſis debentur ex privilegio Pontificis, vel ex titulo Laicali per contractum, vel per præſcriptionem immemoralem ſine titulo, aut 40. annorum cum titulo, ut *art.* 1. dixi. Semper tamen in dubio Parochus loci contra quemcunque poſſeſſorem Juris decimarum, etiam contra Epiſcopum, habet intentionem ſuam fundatam ex communi Jure, ut notavit Layman. *lib.* 4. *tr.* 6. *cap.* 4. *n.* 3. ut proinde non teneatur aliter probare, quòd Jus ad ſe pertineat, ut colligitur *ex cap. In Sacris Canonibus* 16 *q.* 1. *cap. A nobis de Decimis,* & *cap. Ult. de Parochiis.* Imò *in cap.* 2. *de Reſtitutione Spoliatorum in* 6. Bonifacius VIII. Canonicis, qui à Parocho Jure decimarum ſe ſpoliatos querebantur, reſpondit, illas *nequaquam debere reſtitui, niſi evidenter docuerint, quod earum poſſeſſionem legitimè aſſecuti fuiſſent.*

250 Concluſio tertia. Decimæ Parochiales majores, quæ ex ſolo oriuntur, ſtatim atque à ſolo ſeparatæ ſunt, offerri debent, monito ſcilicet Parocho, ut eas quando libuerit, auferat (communi enim uſu receptum eſt, ut non ipſi Parochiani Parochi horreo inferre teneantur) ita expreſsè habetur *in cap. Cum homines* 7. *de Decimis.* Ubi Gloſſa addit: Si Parochianus in mora eſt, periculum decimarum ipſius eſſe, ſi autem Parochus, ipſum parochianum à periculo liberum eſſe. Idem de aliis frugibus dicendum; neque enim inter hos citatum capitulum diſtinguit. Fœtus animalium, quando non ampliùs indigent lacte matris, aliæ verò decimæ tempore conſueto, vel per conventionem conſtitutio præſtentur, pro quibus vix univerſalior & melior Regula dari poteſt, quàm ut cavetur, ne mora ſit damnoſa Paracho, aliàs periculum ejus erit, qui illius cauſa fuerit, & damnum ex culpa ortum reparandum erit.

ARTICULUS V.

An præter Decimas etiam debeantur primitiæ & oblationes.

SUMMARIUM.

251 *Primitiæ nunquam Lege naturali fuerunt debitæ.*

252 *Lege poſitiva tamen Divina fuerunt ſtatutæ in V. T. & Lege Eccleſiaſtica in N. T. Nunc autem neutra Lege amplius debentur, niſi fortè alicubi eſſent adhuc in uſu, vel neceſſariæ ad ſuſtentationem Miniſtrorum Eccleſiæ.*

253 *Quid ſint oblationes: & qualis ſit earum obligatio.*

254 *Oblationes, in territorio Parochi factæ ad ipſum pertinent, extra quoſdam caſus exceptos.*

Primitiæ hìc dicuntur primi fructus rerum frugiferarum, & primi partus animalium: de his quæritur, an aliquo Jure debeantur. De Oblationibus ſecundo loco dicemus. 251

Concluſio prima. Primitiæ non debentur Jure naturæ. Ita cum S. Thoma 2. 2. *q.* 86. *art.* 4. *in c.* Theologi & Canoniſtæ communiter: quamvis videatur diſſentire Rebuffus, *q.* 1. *n.* 21. Rationem eandem, quam ſuprà contra obligationem naturalem Decimarum attulimus expreſſit S. D. his verbis. *Pertinet autem ad ius naturale, ut homo ex rebus ſibi datis à DEO aliquid exhibeat ad ejus honorem. Sed quòd talibus perſonis exhibeatur, aut de primis fructibus, aut in tali quantitate, hoc quidem fuit in veteri Lege Iure Divino determinatum, in Nova autem Lege definitur per determinationem Eccleſiæ, ex qua homines obligantur, ut primitias ſolvant ſecundùm conſuetudinem patriæ, & indigentiam Miniſtrorum Eccleſiæ.*

Concluſio ſecunda. Quemadmodum in V. L. Primitiarum oblatio fuit immediatè ſtatuta à DEO *Exod.* 23. *Num.* 18. *Deut.* 16. quarum quantitas quidem à Lege non definiebatur modò ex recepta conſuetudine non eſſet minor, quàm pars ſexageſima, ſicut non ſolebat etiam eſſe major, quàm quadrageſima: ut refertur *in Cap.* 1. *de Decimis:* Ita etiam in Nova Lege olim fuit quoad ſubſtantiam ab Eccleſia præcepta, licèt non idem modus offerendi præciperetur, ut patet *ex cap. Præter* 6. *diſt.* 32. *cap. Revertimus* 65. *cauſa* 16. *q.* 1. & *cap.* 1. *cauſ. ead. q.* 7. hoc tempore tamen non aliter obligantur Fideles, quàm ut dictum eſt ex S. Thoma. Unde vix ullibi ampliùs obligantur; quia fortè aut ferè ubique conſuetudine contraria, & facta Miniſtris Eccleſiæ alia proviſione, deſiit obligatio. 252

Circa oblationes priùs notandum eſt, hìc oblationis vocabulum non accipi generaliter, prout cujuſcunque rei temporalis exhibitionem factam Eccleſiæ, vel ejus Miniſtris in honorem DEI, ſignificat, vel prout etiam oblationi primitiarum, decimarum, ac Sacrificii, tribuitur; ſed denotari illas tantùm oblationes, quæ à communitate Fidelium pia liberalitate, quandoque præſertim autem certis diebus feſtis ad Aram fieri ſolent. De his ſit 253

Concluſio tertia. Etiamſi Fideles in particulari, & ſinguli ad præſtandas hujuſmodi oblationes in feſtis ſolemnioribus non obligentur, eſt tamen obligatio retinendi conſuetudinem, ut fiant hujuſmodi oblationes, eæque deberent fieri ſaltem à majori parte Fidelium in ſingulis Parochiis. Ita videtur tradere S. Thomas *l. c. art.* 1. ubi ait. *Tenentur Fideles in aliquibus ſolemnitatibus ad aliquas Oblationes faciendas.* Et ita etiam uſu receptum eſt *capitulum Statuimus* 55. *cauſ.* 16. *q.* 1. & *c. Omnis Chriſtianus* 69. *diſt.* 1. *de Conſecrat.* Quibus non quidem continetur expreſſum præceptum harum oblationum, in poſteriori tamen capitulo de his allegatur exemplum SS. Patrum, & Gregorii VII. adhortatio. Et probatur obligatio in ſenſu explicato *ex cap. Ad Apoſtolicam de Simonia.* Ubi dicit Pontifex. *Pravam exactionem fieri prohibemus, & pias conſuetudines præcipimus obſervari.* Ex quo colligunt Doctores nominatim Leſſ. Suar. Azor, Guttier. Covar. Fagundez. Panorm. Hoſtienſ. relati & propter eorum Authoritatem approbari à Palao *pun.* 17. *n.* 4. & aſſentiuntur Sylveſter *verb. Decimæ* Tannerus *to.* 3. *diſp.* 5. *q.* 3. *dub.* 2. *n.* 18. quòd ſive conſuetudo inducta ſit ex intẽtione obliga-

tionis, ſive ſine tali intentione, illa comprehendatur ſub verbo *præcipimus*. Unde Angel. Doctor. *l. c. ad* 3. ait. *Quod illi qui oblationes debitas* (dixerat autem ſuprà, ſuppoſitâ conſuetudine, eſſe debitas) *non reddunt, poſſunt puniri per ſubtractionem Sacramentorum, non per ipſum Sacerdotem, cui ſunt oblationes faciendæ, ne videatur per Sacramentorum exhibitionem aliquid exigere, ſed per ſuperiorem aliquem*.

Quibus verbis voluit indicare S. D. quod etiam *art.* 4. de Primitiis aſſerit, Oblationes non quidem deberi eo modo, ſicut decimas (niſi eſſent neceſſariæ pro ſuſtentatione) ita ut Jure exigi poſſint, & ex Juſtitia præſtandæ ſint (quam obligationem etiam Palao l. c. ait, non potuiſſe præſcribi ex defectu tituli, ad præſcriptionem Juris proprietatis neceſſarii) deberi tamen ex Religione, in Cultum Divinum immediatè & principaliter: licèt deinde in Miniſtrorum utilitatem convertantur: quia ut *cit. art.* 4. *in C.* dixit: *Sacerdos conſtituitur pro populo in his, quæ ſunt ad DEUM: ideo Primitiæ oblatæ à populo in uſum Sacerdotum cedebant*: & eadem eſt ratio de oblationibus. Nec tamen propterea lex Primitiarum & Oblationum fuit cæremonialis tantùm: nam ut *in eod. art. ad* 1. ait. *Cæremonialia propriè erant in ſignum futuri, & ideo ad præſentiam veritatis ſignificata ceſſaverunt. Oblatio autem Primitiarum (& ſimiliter Oblationum) fuit in ſignum præteriti beneficii*. Unde juxtà S. D. lex Primitiarum, & Oblationum ratione ejuſmodi finis, ſeparati à ſignificatione futurorum Myſteriorum, non fuit ordinata ad profitendam fidem in Chriſtum venturum, & ideo potuit etiam ab Eccleſia, vel per ſtatutum, vel per conſuetudinem recipi.

Ex dictis verò colligitur: quia obligatio faciendi Oblationes in tantum datur, in quantum eſt per conſuetudinem recepta, & quia conſuetudo non eſt, ut oblationes à ſingulis fidelibus fiant, ſed tantùm ut à majore parte, non tam hominum, quàm familiarum (quia patresfam. offerunt nomine ſuæ familiæ) ideo inquam colligitur, obligationem Oblationum tantùm dicto modo dari, & ad earum conſuetudinem conſervandam illos ſpecialiter obligari, quorum eſt manu tenere leges, & pias conſuetudines Eccleſiæ: quod Parochi debent præſtare adhortando, Ordinari autem, qui etiam Juriſdictionem in foro externo habent, ſi opus eſt, etiam cogendo: ut S. Thomas l. c. inſinuavit.

254 Concluſio Quarta Oblationes qualiumcunque rerum ad manus Sacerdotis, vel ad Aram fieri ſolitæ à Fidelibus, Jure ordinario omnes cedunt Parocho, in cujus territorio, ſive Parochia factæ ſunt. Eſt communis ſententia Doctorum, de hac quęſtione facientium mentionem: quamvis multi illam non faciunt. Ita in primis docet S. Thomas *cit. q.* 86. *art.* 1. *ad* 3. & *art.* 2. *in corp. ac ad* 2. cujus verba paulò antè retuli. Azor *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 27. *q.* 13. Tannerus *to.* 3. *diſp.* 5. *de Relig. q.* 3. *dub.* 2. *num.* 19. Emanuel Sua. *verbo Oblatio*, & ex illo Joannes Alloza *eod. verbo*. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 3. Pirhing. *à n.* 179. *tit. de Decimis*, Barboſa *de Officio Parochi cap.* 24. *à n.* 22. Abbas *in cap. Paſtoralis* 9. *n.* 2. *de his, quæ fiunt à Prælat.* Ex quibus duobus egregiis SS. Canonum Interpretibus citatus P. Pirhing. præſentem concluſionem ampliùs declarat & extendit ad Oblationes non ſolùm in templo Parochiali factas, ſed etiam in Capellis, ſpectantibus ad Parochiale territorium, niſi aliunde conſtet (quod tamen in dubio non præſumitur) intentionem offerentium fuiſſe, ut res oblata Capellæ relinqueretur. Idem dicit cit. Author de Oratoriis in eadem Parochia, & de Sacris Imaginibus, etiam in locis profanis proſtantibus, vel ad parietem depictis, ſi illis Oblationes fiant; eas ad Parochum pertinere, cumque etiam contra Epiſcopum Jure communi fundatam intentionem habere, ſicut habet in Decimis intra fines Parochiæ, ut docet Abbas *in cap. Quoniam* 13. *n.* 1. *de Decimis*. Idem aſſerit cum Azor l. c. de Obligationibus in templis Religioſorum factis, niſi hi vel privilegium Exemptionis, vel legitimam præſcriptionem illius, vel intentionem offerentium opponere poſſint, quod credo illos plerumque poſſe. Sic etiam per intentionem offerentium excipiuntur Oblationes factę in Neomyſtarum Primitiis, quę ipſis relinquendę ſunt, quamvis aliàs Oblationes non debeantur facienti Sacrificium; ſed Parocho. Et univerſim quoties certò conſtat de intentione offerentium, illa etiam exequenda eſt per ipſos Parochos ad hoc deputatos: & ideo, S. Thomas *cit. art.* 2. dicit: *Oblationes, quæ à populo DEO exhibentur, ad Sacerdotes pertinent, non ſolùm ut eas in ſuos uſus convertant, verùm etiam ut fideliter eas diſpenſent*. Quod autem ad ſuos uſus Sacerdotes, quibus cura Parochialis commiſſa eſt, & qui proinde Rectores parochiarum vocantur, Oblationes non ad alium ſpecialem finem intentas convertere licitè poſſint, probat ibid. S. Doctor. *Quia qui altari deſerviunt, cum altari participant. Ut dicitur* 1. *Cor.* 9. Quod intelligendum eſt de illis, qui ex officio Parochiali id faciunt: iſti enim ſicut immediatam obligationem habent, ſic etiam fructum recipiendi fundatum Jus habent.

QUÆSTIO V.

De Cultu mediato Religionis, qui DEO exhibetur per Reverentiam loci Sacri ex immunitate Aſyli Eccleſiaſtici.

ARTICULUS I.

Quid ſit Immunitas Aſyli Eccleſiaſtici: Et quibus Locis debeatur.

SUMMARIUM.

255 *Immunitas Sacri Aſyli in V. T. Lege Divina, in N. T. Lege humana Civili & Eccleſiaſtica eſt ſtatuta.*

256 *Debetur hæc immunitas omnibus locis Sacris, Divino cultui Epiſcopi authoritate deſtinatis.*

257 *Et locis piis, tum hoſpitalium, Epiſcopi authoritate erectorum, tum habitationum Religioſorum.*

258 *Item Palatio Epiſcopi, non autem Cardinalium, ſi Epiſcopi non ſint. Rationabili conſuetudine conceditur eadem immunitas confugiendi ad Sacerdotem ferentem ferculum Euchariſticum.*

HÆc Immunitas ad Imitationem Legis Divinę, 255
conſtituentis in V. T. civitates confugii, *Joſue c.* 21. introducta eſt tum Jure Civili *L. Præſens C. de His, qui ad Eccleſiam confugiunt*. Ubi violatoribus pœna mortis ſtatuta, nunc tamen per conſuetudinem abrogata eſt, tum Jure Canonico *cap. Inter alia de Immunitate Eccleſiarum*, & pluribus aliis capitulis: quibus accedit Gregorii XIV. conſtitutio *edita* 28. *Maii anno* 1591. quę incipit: *Cùm alias nonnulli noſtri præceſſores &c.* quam conſtitutionem teſte Palao ſolus Joannes Guttierez contra alios omnes negat, ubique vim habere: eſt autem prędicta immunitas nihil aliud, quàm prohibitio, qua graviter, adeoque ſub peccato mortali cavetur, ne propter reverentiam loci ad DEI cultum ordinati, quiſquam violenter ab Eccleſia, nempè vi, & probabiliter etiam, ne fraudulenter, promiſſione indemnitatis extrahatur, quantumcunque gravia maleficia, ut inquit *citatum cap. Inter alia*, perpetraverit: Ei verò, qui contrarium attentaverint, ſaltem efficaciter, id eſt, effectu ſecuto, ſive per mandatum, ſive per executionem, pręter pœnam pecuniariam 900. Solidorum latam in *capit. Si quis contumax* 17. *q.* 4. ſtatuitur *in cap. Sicut antiquitas. Cap. Frater. Cap. Definivit. cit.* 17. *q.* 4. pœna Excommunicationis, quam Gregorius in citata conſtitutione ipſo facto incurri decurri decrevit, ſicut incurritur à Violatoribus Libertatis Eccleſiaſticę, ſeu Immunitatis perſonalis juxta conſtitutionem Bullę Cęnę Domini: quia tamen paritas tantùm inſtituitur quoad qualitatem Cenſurę, non verò quoad Reſervationem illius, ideo teſte Palao, & Bonacina eſt probabilius, abſolutionem à violatione Immunitatis Localis non eſſe ſimiliter reſervatam ſummo Pontifici.

Debetur prędicta Immunitas in primis omnibus Ec- 256
cleſiis Epiſcopi Authoritate ſtabiliter Divino cultui deſtinatis, etiamſi (ut longè probabilior eſt ſententia) nec Euchariſtia ibidem ſervetur, nec res divina aliquando ibi celebrata fuerit; imò etiamſi necdum conſecratę, vel necdum perfectè ędificatę, vel cum intentione reędificandi deſtructę, aut pollutę, aut interdictę fuerint. Ratio eſt; quia modò aliquis locus ſit divino cultui

autho-

authoritate Epiſcopi ſtabiliter deputatus, jam dicitur Locus ſacer, qui ſcilicet ad profanos uſus privata authoritate ampliùs adhiberi nequeat: atqui omnibus hujuſmodi locis debetur immunitas juxta cap. *Eccleſiæ de Immunitate Eccleſiarum*, ubi dicitur. *Eccleſiæ obſequiis divinis dedicata nullius eſt temerariis auſibus profananda*: ergo &c. Unde colligitur viciſſim, Oratoria privata, etiamſi in illis ex conceſſione Epiſcopi ſacrificium miſſæ offeratur, non gaudere privilegio immunitatis, eò quòd privata authoritate poſſint rurſus ad profanos uſus redire; adeòque ſacra non ſint.

Ad prædictarum autem Eccleſiarum Immunitatem pertinet non ſolùm interior earundem ambitus, ſed etiam parietes (non quidem præciſè exteriùs contrectati manu, ſed conſcenſi, quamvis Riccius, & Navarrus putent, etiam ſolam adhæſionem ſufficere) tectum, ſcalæ, porta manu apprehenſa, ob quam quis cenſetur eſſe in limine, vel in aditu templi, licèt ſit clauſa; ſacriſtia, turris, cœmeterium, quia hoc privilegio templi gaudet; hæc enim omnia in ampla ſignificatione, prout privilegium Immunitatis explicari debet, talia ſunt, ut ad ea confugiens ad Eccleſiam confugiſſe cenſeatur: id verò, quod conceſſum fuerat à *c. Sicut antiquitus* 17. *q.* 4. ut liceret ad ſatisfaciendum neceſſitati naturæ progredi, ad 40. paſſus: in ambitu ad Eccleſiam Cathedralem pertinente, vel ad 30. in ambitu ad aliam Eccleſiam ſpectante; nunc per contrariam conſuetudinem abrogatum videtur.

257 Secundò. Debetur eadem immunitatis reverentia hoſpitalibus Epiſcopi authoritate erectis juxta cap. *Ad hæc de Religioſis domibus*. Tertiò domiciliis Religioſorum, comprehendendo omnia loca quæ intra eorum ſepta continentur; hoc enim privilegium tum ex recepta conſuetudine, tum ex rationis paritate illis competit, eò quòd hujuſmodi domicilia pro locis Sacris habeantur ſumpto argumento *ex cap. Signa diſtinct.* 1. *de Conſecratione*.

258 Quartò Palatio Epiſcopi etiam abſentis, vel mortui, modò non ſit alteri locatum, quod privilegium, licèt aliqui allegantes conſuetudinem, tantùm concedant, ſi palatium non ultra 40. paſſus diſtet ab Eccleſia principali, vel Capellam, aut privatum auditorium habeat; abſque tamen hujuſmodi limitatione conceditur *in c. Id conſtituimus* 17. *q.* 4. quod aliqui etiam ad Palatium Cardinalis extendunt, ſed immeritò, quia de hoc nec Jure quidquam ſtatuitur, nec conſuetudine, vel ſi hæc aliquando fuit teſte Farinacio apud Palao, à Gregor. XIII. & Sixto V. ſublata eſt.

Quintò communiter tribuitur privilegium immunitatis ſacerdoti tenenti Euchariſtiam ſacram, ut ad eum confugiens ab ipſo avelli non poſſit, quod quidem nullo Jure poſitivo, ſed rationabili conſuetudine permiſſum eſſe; ex communi DD. conſenſu colligitur.

ARTICULUS II.

Qui homines frui poſſint Privilegio immunitatis Eccleſiaſticæ localis?

SUMMARIUM.

259 *Immunitate Aſyli gaudere poſſunt contra Judicem Laicum omnes Baptizati, niſi in criminibus exceptis.*
260 *Contra Judicem Eccleſiaſticum nemo, ſive Laicus, ſive Clericus, poteſt illa gaudere.*
261 *Rationes prioris aſſertionis.*

259 OMnes homines, Sacro fonte abluti, niſi commiſerint unum ex poſteà excipiendis delictis, Immunitate Aſyli Eccleſiaſtici reſpectu Judicis Laici frui poſſunt, ut conceditur in Conſtitutione Gregoriana, &, *in cap. Inter alia de Immunit. Eccleſiaſt. & in cap. Si quis contumax* 17. *q.* 4. etiamſi, ut vult communis, & vera ſententia, ſint aliàs Eccleſia interdicti, vel Excommunicati; quia ab hujus ingreſſu tantùm in ordine ad uſum ſpiritualem prohibentur, & quando non urget eos gravis neceſſitas, qualis utique eſſet ſecuritatis procuratio; imò etiamſi ſint hæretici, quando non ratione ipſius hæreſis, ſed ratione alterius criminis ad judicem pertrahendi eſſent; hi enim tantùm ut hæretici, non ut criminoſi privilegio Immunitatis privantur: nam quamvis ipſi Eccleſiæ protectione ſint indigni, ſanctitas tamen loci immunitatis reverentia digna eſt: privilegium ergo non perſonæ, ſed loco conceditur. Propterea etiam probabilis eſt opinio, ipſam etiam non Baptizatis prodeſſe poſſe, cùm quatenus eſt prohibitio violentiæ extractionis, non tam reum, quàm judicem reſpiciat, ne ille tamquam fidelis, & ſubditus Eccleſiæ, contra eandem aliquid attentare præſumat; quia tamen *cap. Inter alia de Immunitate Eccleſiarum*, & alii Canones ſecundùm communiorem ſententiam non ampliarunt, ſed confirmarunt conceſſionem *Legis primæ Cod. de His, qui ad Eccleſiam confugiunt*, & quia licèt univerſaliter, tamen relativè ad hanc Juris conſtitutionem, loquuntur, ideò probabiliùs dicitur, non baptizatos (quando non niſi fictè Chriſtiani fieri vellent, ſi e. g. anteà numquam baptiſmum petiiſſent, nec poſteà ſufficientia ſigna præberent, eundem ab ipſis ſeriò peti) Immunitatis privilegio excludi, ſicut expreſsè citata Lege civili excluduntur.

Magis dubium eſt, utrum Clerici non tantùm reſpectu Judicum Laicorum, contra quos perſonali etiam immunitatis privilegio ſe tueri poſſunt, ſed reſpectu quoque Eccleſiaſticorum judicum loci Sacri Immunitate gaudeant in criminibus non exceptis. Affirmant Joan. Andreas, Barboſa, Fagnanus, quos refert & ſequitur noſter P. Enricus Pirhing. *tit. de Eccleſiaſtica Immunitate num.*35. Item Farinacius, Covar. Diaz, Clarus, Tuſchus, Ambroſinus Mariana, Guttierez apud Palao *tract.* 11. *de Relig. pun.* 7. *num.* 10. qui pro negativa refert, & ſequitur Abbatem, Sylveſtrum, Armillam, Roſellam, Navarrum, Suar. Bonacinam: quibus accedit Azor *to.* 2. *lib.* 9. *c.* 9. *qu.* 9. §. *Quia de Pagano*. Layman. *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 10 11. ubi ait de conſuetudine etiam teſtari Abbatem, Sylv. Navarrum, Remigium de Gony: de eadem etiam teſtatur Palao *l. c.* & ex Adverſariis Clarus *q.* 30. *n.* 16. P. Pirhing. *l. c.* qui pro affirmativa tamen ſententia affert ſequentes rationes, & fundamenta. 260

Primum ac præcipuum fundamentum dicit eſſe; quia hoc privilegium immunitatis conceſſum eſt loco ipſius Eccleſiæ, ſeu perſonis propter reverentiam, quæ debetur locis Deo ſacratis. Privilegium autem conceſſum loco extenditur ad omnes perſonas ibi exiſtentes. Secundò. Quia Canones prohibentes extrahi reos ex Eccleſiis non diſtinguunt inter Reum laicum, & Clericum. Tertiò. Quia Eccleſia eſt quodammodo propria domus Clerici. Nemo autem in propria domo capi licitè poteſt. *L. Nemo* 103. *ff. de R. I.* Quartò. Quia Prælati Eccleſiaſtici potiùs defendere debent Clericos contra Laicos. Neque enim impugnare debet, qui defendere debet *cap. Conquerente* 7. *de Reſtit. Spoliat.* Quintò. Quia Clerici ante aſſumptum habitum Clericalem gaudebant privilegio hujus immunitatis, ob quem proinde non debent privari. Sextò. Quia quod Eccleſia prohibuit Judicibus Laicis, ne extrahant Reos ex Eccleſiis, debet idem pati in ſuis Clericis, ne ſibi liceat eos extrahere *c. Cum omnes* 6 *de Conſt.* ubi dicitur. *Patere Legem, quam tu ipſe tuliſti*. Septimò. Quia aliàs Clerici eſſent deterioris conditionis.

Reſpondebunt tamen Authores, & Patroni contrariæ ſententiæ. Ad primum & ſecundum concedent, privilegium immunitatis eſſe univerſaliter conceſſum locis ſacris ad omnes perſonas Laicas & Clericas, ſed non adverſus omnem Judicem. Quia illud primitus eſt conceſſum à Jure Civili, quod nihil potuit diſponere de Judice Eccleſiaſtico, neque ipſi ſuam poteſtatem reſtringere. Jus Canonicum autem & conſtitutio Gregoriana non ampliavit privilegium, neque extendit illud adverſus Judicem Eccleſiaſticum, ſed tantùm acceptavit, ratificavit, & illud inviolatum ſervari ſub graviſſima pœna Eccleſiaſtica ſancivit.

Ad tertium reſpondebunt cum Gloſſa in cit. legem, eam intelligendam eſſe in cauſis Civilibus, non in criminalibus: in his enim procedendum eſt juxta univerſalem conſtit. *in Auth. Ut nulli judicum* §. *Quoniam*. Reſpondere poterunt ſecundò, citatam legem tantum eſſe civilem, quæ nequit quidquam ſtatuere circa Judicem Eccleſiaſticum. Aliàs certè ſi Clericus neque ex ſua domo

mo neque ex locis ſacris extrahi ad judicium poſſet, vix unquam Clericus, aut Religioſus judicialiter puniri poſſet: ut prudenter argumentatur Palao.

Ad quartum Reſp. id nimium probare: quia Prælatus Eccleſiaſticus etiam defendere debet Clericum, ut etiam ex loco profano non trahatur ad judicem Laicum: an propterea neque licet, Clericum ad ſuum judicium trahere? ſic enim manebunt crimina Clericorum omninò impunita. Eadem retorſio velat etiam contra ſextum fundamentum. Ex cap. autem cit. tantùm probatur, quòd, qui defendere debet, non debeat injuſtè oppugnare, ſicut ibid. fecit Epiſcopus erga ſuum Beneficiatum, quem privavit Beneficio nondum convictum Reum.

Ad quintum Reſpond. Clericum etiam in ſtatu Laicali non habuiſſe privilegium immunitatis localis adverſus Judicem Eccleſiaſticum in cauſa ad ejus forum ſpectante. Cùm enim Judex Eccleſiaſticus potuiſſet dare licentiam ſi neceſſe fuiſſet, ut extraheretur Reus ex loco Sacro, patet eum non habuiſſe ullum privilegium contra Iudicem Eccleſiaſticum.

Ad ſextum jam data eſt ſupra retorſio, & addi poteſt alia, nempè quòd ſicut Eccleſia prohibet judici Laico, ne ullum Clericum ad ſuum tribunal vocet, ita etiam debeat pati Eccleſia eandem ſuam legem, ne ipſa ullum Clericum citet ad ſuum tribunal, quod eſſet dare omnium criminum impunitatem. Ad cit. cap. dicendum eſt, per legem ibi non intelligi ordinationem Legislatoris Civilis, vel Eccleſiaſtici, ſed conventionem, & pactionem inter partes in illarum commodum initam, per quam non eſt æquum, unam in alterius commodum gravari, & alteram eſſe immunem ab ejuſmodi gravamine. Hinc etiam Principes, quando cum ſubditis ſuis contrahunt, tenentur ſervare Leges contractuum à ſe ſtatutas.

Ad ſeptimum negatur ſequela. Clerici enim contra eoſdem Judices gaudent, & non gaudent immunitate locali, contra quos Laici gaudent, & non gaudent, ut dictum eſt in reſponſione ad quintum. Clerici tamen contra Judices Laicos gaudent duplici privilegio Locali, & Perſonali, niſi à poſteriori excipiantur aliqui, de quibus agetur in ſequenti quæſtione hujus diſp.

261 Ex datis reſponſionibus ad privilegium Clerici contra Judicem Eccleſiaſticum nulla ratione efficaciter ſtabilitum, firmatur negativa ſententia, & conſuetudo, ſive praxis, ab utriuſque ſententiæ Patronis ſupra conteſtata. Et in primis probatur ex reſponſione ad primum ac præcipuum fundamentum Affirmativæ ſententiæ.

Probatur ſecundò ex ipſa prohibitione violentæ extractionis Rei ex loco Sacro, quæ ſolummodò eſt conditionata, niſi ſcilicet Ordinarius, ſive Judex Eccleſiaſticus conſenſum, ac licentiam dederit. Sed hæc prohibitio conditionata non poteſt extendi ad Judicem Eccleſiaſticum, qui hoc ipſo, quòd juberet Reum extrahi, daret conſenſum, & faceret, ne prohibitio ampliùs obligaret.

Probatur tertiò ex fine. Finis enim immunitatis contra Judicem Laicum eſt Reverentia loci Sacri, ne per actum Jurisdictionis Laicæ, in loco Sacro exercitæ, minuatur Jus Jurisdictionis Eccleſiaſticæ, ut conſtanter inſinuant SS. Canones, & Conſtitutio Gregorii XIV. Unicè & continuò faciens mentionem Judicis, ac Magiſtratus Laici, & conquerens de gravi præjudicio, quod ab illo infertur Jurisdictioni ac immunitati Eccleſiaſticæ. Sicut enim nullus Princeps ſæcularis poteſt, ſine violatione Jurisdictionis alienæ, comprehendere Reum in territorio alterius Principis, ſic nullus Laicus Judex poteſt ſine violatione Jurisdictionis Eccleſiaſticæ comprehendere Reum in loco Sacro, quia iſte eſt territorium Dei, ac proinde Judicis Eccleſiaſtici. Sed iſte finis ceſſat in Judice Eccleſiaſtico. Ergo. Aliter oſtenditur ceſſatio Finis. Sicut eſt contra reverentiam perſonæ Eccleſiaſticæ, ſi Judex Laicus exerceat in illam actum Jurisdictionis, non autem, ſi Judex Eccleſiaſticus, ita eſt contra Reverentiam loci Sacri, ſi Judex Laicus in illo exerceat actum Jurisdictionis, nō verò, ſi Judex Eccleſiaſticus: iſte enim poteſt ipſum Judicium inſtituere in loco Sacro, e. g. proferre ſententiā excommunicationis, vel abſolutionis ab Excommunicatione. Ergo etiamſi Eccleſiaſticus extrahat Clericum Reum ex loco Sacro; non facit cōtra reverentiam loci Sacri: ſi enim poteſt ipſum proceſſum judicialem inſtituere in loco ſacro, poterit etiam inſtituere initium proceſſus, uti eſt comprehenſio Rei.

ARTICULUS III.

In ordine ad quas cauſas tum Civiles, tum Criminales Immunitas Eccleſiaſtica Localis ſit conceſſa, & quæ ab hoc privilegio excipiantur.

SUMMARIUM.

162 *Unica neceſſitas, & utilitas aſyli, in cauſa Civili datur reſpectu gravatorum onere debitorum.*
263 *Octo tantum crimina à privilegio aſyli excipiuntur.*

Cum nulla alia cauſa civilis ſit, ob quam etiam ſecluſa præcedenti culpa incarcerari quis poſſit, quàm obligatio ſolvendi debita; his autem gravato *l. Præſenti, C. de His, qui ad Eccleſiam confugiunt, & Lege penultima eodem titulo*, immunitas concedatur, ſequitur, eandem ex communi DD. ſenſu Jure Canonico ratam haberi: etiamſi enim iſtud ſolùm de Criminoſis loquatur, hoc ipſo tamen, quòd horum immunitatem expreſsè approbet, cenſetur multò magis approbare immunitatem debitorum non criminoſorum, adeòque utrorumque, non obſtante, prout aliqui obſtare immeritò putabant, quòd quidam omnimoda fuga creditorum injuſtam fruſtrationem meditentur, cùm per immunitatem non ita foveatur eorum meditatum crimen, quin vigilantia impediri poſſit, nec obſtante etiam, quòd debitoribus tributorum Jus Civile non patrocinetur; quia ex communi DD. ſententia colligitur, ſaltem conſuetudinem illis patrocinari: & præterea non eſt paritas inter debita ex titulo communi, ex quo debentur tributa, & inter debita titulo privato; & denique non obſtat, quòd debitor non criminoſus non indigeat protectione aſyli ad evitandum ſupplicium, ſed tantùm compellendus ſit ad ſolvendum debitum, ſicut ſervus ex aſylo traditur domino ad ſolvendum ipſi laborem, modò Dominus præſtet cautionem evitandæ ſævitiæ: nam & debitor indiget protectione à carcere, vinculis &c. poteſtque contra abſentem inſtitui judicium, ut proinde neceſſe non ſit, illum tradi creditori, vel judici, & Creditor nullum habet jus in debitorem, ſicut tamen dominus in ſervum propriè dictum. 262

In ordine ad cauſas criminales autem conceditur univerſim Immunitas, ſequentibus criminibus exceptis, quæ partim in cap. *Inter alia, cap. ult. de Immunitate Eccleſiarum, & cap. 1. de Homicidio*, partim, ac multò ampliùs in conſtitutione Gregorii XIV. his verbis enumerantur; *Ad unam formam reducimus, & moderamur, ut Laicis ad Eccleſias, locaque Sacra confugientibus, ſi fuerint publici latrones, viarumque graſſatores, qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur, vel depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, earumque cœmeteriis, committere non verentur, aut qui proditione proximum ſuum occiderint, aut aſſaſinii, aut hæreſis vel Majeſtatis rei in perſona ipſius Principis, Immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur.* 263

Primum itaque crimen exceptum eſt publicum Latrocinium, quod ſignificat publicam aut notoriam deprædationem violenter factam, & præſertim crebriùs iteratam; unde ſimplices fures jure immunitatis gaudent, niſi alicubi, ut ſuo tempore putabant Covarruvias & Clarus, propter frequentiam furtorum, contra illos conſuetudine, alioquin per Gregorii Conſtitutionem irritata, de novo præſcriptum ſit.

Secundum crimen eſt Graſſatio in via publica id eſt, violenta, & ſimul inſidioſa machinatio necis, aut vulnerationis in loco publico.

Tertium eſt Depopulatio agrorum, quæ probabiliùs requiritur, ut ſit nocturna; quia hæc cōditio additur *in c. inter alia*: quamvis in Conſtitutione Gregorii, quæ videtur ſecundùm Jus antiquum intelligenda in favorem privilegii, non ſit expreſſa: quòd ſi tamen diuturna Depopulatio facta eſſet, ad primum crimen reduci poſſet.

Quar-

Quartum eſt Occiſio, vel membri (non autem ſolius digiti, qui pars membri cenſetur) mutilatio in loco aſyli vel in alia Eccleſia, aut cœmeterio facta, etiamſi, ut communior eſt ſententia, ſolus occidens, vel ſolus occiſus in Eccleſia extiterit, quia delictum verè, ac propriè ibi commiſſum dicitur, ubi ponitur effectus peccaminoſus, vel cauſa proximè, ac neceſſariò inferens effectum: unde aliqui etiam immeritò requirunt, ut crimen hoc fiducia aſyli commiſſum ſit, in quo quis exiſtit; quia licèt ipſum propterea privatum fuerit immunitatis privilegio, ne hac fiducia frequentetur, nihilominus conditio hæc à Pontifice, univerſaliter excipiente occiſionem, & mutilationem (non autem vulnerationem non ſecuta morte) non eſt requiſita. Probabilius tamen eſt, licèt id multi negent, non ſufficere, ſi quis ſolùm moraliter jubendo, vel ſuadendo, ad occiſionem, vel mutilationem concurrit; quamvis enim juxta Regulam 72. *de Reg. Juris in 6.* qui facit per alium, perinde eſt, ac ſi faciat per ſe ipſum, hoc tamen ſolùm interpretativè, non in ſenſu proprio, ac rigoroſo, quo Leges pœnales, vel odioſæ exponendæ ſunt, verum eſſe cenſetur. Unde quia exceptio criminis ab immunitate odioſa eſt tam Reo, quàm Eccleſiæ, propter limitationem privilegii, probabiliùs etiam non eſt extendenda ad alia crimina in Eccleſia perpetrata, licèt ob paritatem rationis in ipſa Lege ſcilicet *c. ult. de Immun. Eccleſiarum* indicatæ, ad ea extendi potuiſſet, & ita à non paucis extendatur. Neque ſufficit, ut aliqui volunt, ſi occiſio, vel mutilatio propè aſylum, & fiducia aſyli propinqui contigerit, quia per hoc non eſt illata irreverentia loco Sacro, ob quam Reus privatur privilegio aſyli.

Quintum eſt proditoria occiſio, qua probabilius non intelligitur occiſio merè attentata, ſed verè ſecuta, & quidem per inſidias, & rationabiliter nihil tale metuere potenti illata: unde ſi ex gravibus inimicitiis præcedentibus, & nondum remiſſis probabiliter machinatio necis timeri, & præcaveri debuiſſet, teſte Palao, alios DD. multis diſſentientibus opponente, proditoria, & ab immunitate excepta non eſt.

Sextum eſt Aſſaſinium, quod ab Aſſaſiniis hominibus infidelibus nomen, & malitiam habet; ſicut enim illi parati erant ad quoſcumque ſuorum principum juſſu interficiendos, ſic nunc illi ſive fideles, ſive infideles Aſſaſinii dicuntur, qui pretio, aut mercede qualicumque conducti hominem Chriſtianum incautè, ſeu nihil verentem occidunt, ut conſtat *ex cap. 1. de Homicidio in 6.* Et quamvis horum crimen in præcedenti, ſcilicet in proditoria occiſione ex parte occidentium jam ſit incluſum, nunc tamen & ipſi, & conductores eorum per Conſtitutionem Gregorii XIV. immunitate privantur, ſcilicet quocumque modo Rei, ut conſuetudo, & communis ſententia declarat: quia etiam conductores non præcisè mandando, ſed machinando, & mercede aut præmio promiſſo impellendo, interfectioni alterius cooperantur, modo interfector à mercede, vel præmio ſibi conſtituto efficaciter motus ſit, & effectus ſecutus, quamvis multi etiam ſolum conatum velint ſufficere.

Septimum eſt hæreſis, cui Gregorius motus criminis gravitate, & qualitate, Eccleſiæ, cui repugnat, protectionem meritò negavit.

Octavum ex Conſtitutione Gregorii XIV. eſt crimen læſæ Majeſtatis in perſonam (non verò in res, aut Conſanguineos) proprii Principis, id eſt, Pontificis, ſui Imperatoris, proprii Regis, & probabiliter etiam inferioris Principis, cui quis eſt ſubjectus.

Præter prædicta crimina, quidquid alii dicant in contrarium, non aliud exceptum eſt; quia in Jure Canonico nullum exprimitur: præter expreſſa autem reliqua omnia, quantumvis gravia, immunitate gaudent juxta ſæpius citatum *cap. Inter alia.*

ARTICULUS IV.

Quomodo cum confugientibus ad locum Sacrum ſit procedendum, tam in caſibus privilegiatis, quàm non privilegiatis.

SUMMARIUM.

264 *Effectus Eccleſiaſticæ Immunitatis referuntur.*
265 *Quomodo cum confugiente ad Eccleſiam, aſyli privilegio non gaudente procedendum ſit.*

Dicendum primò. Superior Eccleſiaſticus curare debet, ut immunitas loci Sacri hos aſſequatur effectus. Primò & principaliter, ne è loco Sacro quis extrahatur ſine conſenſu Superioris Eccleſiaſtici, & invitus (ſi non ſit ſervus domino ſuo ad debitum laborem reddendus præſtita cautione jurata impunitatis) Superior autem dans conſenſum exigat impunitatis promiſſionem à Judice Laico, & ejus Juramentum, ut ſtatuitur à Gelaſio Papa *in cap. Id conſtituimus 17. q. 4.* Secundò, ne in loco Sacro vinculis alligetur. Tertiò ne impediantur ipſi neceſſaria vitæ. Quartò ne bona ad Eccleſiam delata ipſi auferantur. Quintò ne ſententia mortis, vel alterius pœnæ corporalis, niſi pecuniariæ, in Reum feratur; quod tamen, ait Palao, conſuetudine ampliùs receptum non eſt, modò ſententia non detur executioni. Sextò ut violenter extractus eidem, vel alteri loco Sacro æque ſecuro reſtituatur. Septimò, ut poſt violentam extractionem omnia acta Judicii nulla ſint. Octavò, ut Judici Laico violentiam adhibenti Reus armis, Eccleſiaſticus autem Superior cenſuris, & aſyli occluſione reſiſtere poſſit. 264

Dicendum Secundò. Etiamſi Reus ante conſtitutionem Gregor. ex Conſuetudine recepta in criminibus certò exceptis, inconſulto Epiſcopo, à Judice ſæculari extrahi potuerit, hoc ipſo, quòd nulla fuerit loci Immunitas, & in caſibus dubiis deciſio eidem probabiliter fuerit permiſſa, poſt prædictam Conſtitutionem Judicium, utrum crimen verè ſit exceptum, ſpectat ad tribunal Eccleſiaſticum, neque ſine Epiſcopi conſenſu, vel officialis, ſive Vicarii Generalis, niſi ab his injuſtè negetur, etiam in caſibus certò exceptis à Judice Sæculari extrahi poteſt, cui proinde Reus per perſonam Eccleſiaſticam, ab Epiſcopo deputatam, eſt tradendus, niſi contra hanc formam quibuſdam in locis ob frequens periculum in mora per receptam conſuetudinem ſit præſcriptum. 265

QUÆSTIO V.

De Cultu Religionis mediato, qui DEO exhibetur per Reverentiam Perſonæ ſacræ ex Immunitate Eccleſiaſtica.

ARTICULUS I.

De Immunitate Eccleſiaſtica Perſonali per privilegium Canonis.

SUMMARIUM.

266 *Privilegio Canonis gaudent omnes Clerici, niſi qui ſpeciali Jure excipiuntur.*
267 *Similiter omnes Religioſi utriuſque ſexus, quibus etiam Novitii, & quidam alii comprehenduntur.*

Immunitas Perſonalis eſt duplex privilegium, Eccleſiaſticis Perſonis ratione ſui ſtatus, quem in Eccleſia profitentur, conceſſum, quorum unum dicitur privilegium Canonis, alterum Fori. Privilegium Canonis eſt ſecuritas contra violentam injectionem manuum, graviſſimè prohibitam ſub pœna excommunicationis ſummo Pontifici reſervatę in Canone *Si quis ſuadente 17. q. 4.* quando percuſſio enormis eſt, vel Epiſcopo, quando non eſt enormis, ut acturi de Cenſuris dicemus. Unde Canonis privilegium appellatur: quæſtio ergo eſt, quinam hoc privilegio gaudeant.

Reſp.

266 Reſp. Primò, Omnes Clerici, niſi ex ſpeciali Jure eodem priventur, iſto gaudent, etiamſi ſint Excommunicati, ſuſpenſi, Irregulares, aut verbaliter depoſiti. Clerici autem dicuntur, quicumque ſaltem primam tonſuram receperunt, ut conſtat *ex c. Cum contingat de Ætate, & qualitate*: Speciali tamen jure excipiuntur in primis Clerici conjugati, qui vel habitum clericalem, & tonſuram non ferunt, vel nulli Eccleſiæ deſerviunt, ut habetur in *c. Clerici de Clericis conjugatis in 6.* Prætereà dicto privilegio deſtituuntur clerici in minoribus conſtituti, qui vel per Bigamiam veram, mortua uxore prioris conſummati matrimonii, ſecundam ducunt, vel per Bigamiam interpretativam junguntur matrimonio cum uxore ab alio cognita, aut eandem adulteram recognoſcunt *c. Unico de Bigamis in 6.* Multi etiam putant, quoſcumque non initiatos Sacris Ordinibus, ſi habitu clericali non ſunt induti, nullique Eccleſiæ, nec ſtudiis operam locant *à Trid. ſeſſ. 23. cap. 6.* Canonis privilegio ſpoliari, eò quòd Fori privilegio ſpolientur: ſed probabilius eſt, Tridentinum his non præjudicare, quia tantùm de Clericis conjugatis innovat citatum Capitulum *Clerici*, qui utroque privilegio privantur, non conjugatis autem declaravit Congregatio Cardinalium, teſte Gonzalez apud Palaum *de Cenſuris diſp. 3. puncto 23. §. 1. num. 3.* ſolum privilegium Fori ademptum eſſe; cùm hoc ipſo, quòd de privilegio Canonis nihil diſpoſuerit, eos in antiquo jure reliquerit, utpotè, quòd ratione damni gravis avertendi magis ipſis neceſſarium eſt, & ſæculari poteſtati minùs præjudicioſum. Denique (probabiliùs tamen primùm poſt ſententiam Judicis) excluduntur Clerici, qui deſerto habitu clericali, vel gravibus criminibus ſe infames reddunt, *cap. Perpendimus*; *c. Cum non ab homine, de Sententia excommunicationis*, vel qui ab Epiſcopo ter moniti ab exercitio militiæ, vel ut AA. extendunt, ab exercitio vilium officiorum ut hiſtrionum non deſiſtunt, vel ad eadem redeunt *c. In audientia de Sent. excommun.*

267 Secundò. Gaudent privilegio Canonis omnes Religioſi utriuſque ſexus, ut colligitur *ex cap. De monialibus, & cap. Ex tenore de Sententia excommunicationis*, & qui in ampla acceptione hujus vocabuli, quomodo verba privilegiorum ſunt exponenda, Religioſi nomine intelliguntur, ut Novitii, Fratres tertii ordinis Divi Franciſci, & Divi Dominici, vitam in communitate ad modum Religioſæ Familiæ agentes; Eremitæ ex voto, vel ex pacto alicui Regulæ, vel Superiori obſtricti, & habitum, ſeu veſtitum ſacrum geſtantes, ſecùs tamen dicendum de aliis fratribus, qui etſi Religioſis veſtibus ſint induti, & ſe, ſuaque religioni obtulerint, privatas domus ſine obligatione ſtabili alicujus voti Religioſi incolunt.

ARTICULUS II.

De Immunitate Eccleſiaſtica Perſonali per privilegium Fori.

ALterum, quod Fori privilegium dicitur, eſt exemptio à Juriſdictione Laica, ſive tributa exigente, ſive cauſas tum civiles, tum criminales diſcutiente, ſive Leges ferente, ſaltem eas, quæ cum ſtatu Clericali non benè congruunt, aut quarum executio, ſi à clericis præſtetur, ad bonum totius communitatis, cujus ipſi etiam pars ſunt, neceſſaria non eſt.

§. I.

Quo Jure ejuſmodi exemptio, Eccleſiaſtica libertas, ſeu Immunitas dicta, introducta ſit?

S U M M A R I U M.

268 *Privilegium Fori, ſive Libertas Eccleſiaſtica, multi cenſent, quòd fundetur in Jure merè humano, civili, & Eccleſiaſtico.*

269 *Multi etiam putant, quòd fundetur in Jure Divino, ſed horum ſententia nobis videtur eſſe minùs probabilis.*

DE hoc inter AA. magna eſt contentio. De Juriſdictione tamen in cauſis Spiritualibus v. g. adminiſtratione Sacramentorum, & rerum ad finem ſupernaturalem ordinatarum, certum eſt, à Chriſto ſoli ſancto Petro, ac ejus ſucceſſoribus, aliiſque Miniſtris Eccleſiæ ritè ordinatis, nulli autem Laico, non tantùm erga clericos, ſed neque erga Laicos, conceſſam eſſe: ipſam verò Immunitatem à Juriſdictione in cauſis civilibus, & criminalibus multi Theologi, quos magno in numero refert, & impugnat Layman. *lib. 4. tract. 9. cap. 8.* ex Canoniſtis verò etiam Covarru. & in jure Canonico præclarè verſatus Palao docent, introductam eſſe in Eccleſiam novi Teſtamenti jure humano, fundato in divino propter ſimilitudinem cum Lege veteris Teſtamenti, & propter rationis naturalis ſaltem convenientiam; nempè cùm in principio Eccleſiæ nondum hæc immunitas exiſteret, ut patet ex multis legibus Codicis, primus Juſtianus *Conſtitutione* 83. conceſſit privilegium Fori in Civilibus tantùm, non item in Criminalibus, & Conſtantinus Imperator *in cap. Futuram 12. q. 1.* Clericos ſibi propter crimina ſua delatos, his verbis à tribunali Laico eximit, quæ quidem non naturali jure debitam exemptionem, ſed ſtatus clericalis ſolùm dignitatem denotant, nec ab omni tribunali humano, etiam Eccleſiaſtico, exemptionem conferre queunt, aut comprobare, quæ ſic ſonant: *Vos a nemine judicari poteſtis; quia ſolius DEI judicio reſervamini, Dii enim vocati eſtis, & idcircò non poteſtatis ab homini judicari*. Deinde Pontifices non tantùm approbarunt, & acceptarunt tam religioſa liberalitate ſublatam Immunitatem Perſonarum Clericalium, ſed pro poteſtate decernendi ea, quæ ad bonum Eccleſiæ regimen ſpectant, propriis legibus, Juri Canonico hinc inde inſertis confirmarunt, tamquam ad illud valde utilem, ut conſtat ex Concilio Laterano ſub Leone X. *ſeſſ. 9.* ubi dicitur. *Cum à Jure tam divino, quam humano Laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas Perſonas tributa ſit, & ex Concilio Trid. ſeſſ. 25. cap. 20. de Reformatione*, ubi ait. Eccleſiæ, & Perſonarum Eccleſiaſticarum Immunitatem DEI ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtitutam: quos textus tamen dicunt AA. relatæ ſententiæ non de Jure divino, ac DEI ordinatione naturali (contra quod aliàs nunquam Laicæ Juriſdictioni Clerici ſubiici potuiſſent, aut deinceps per degradationem poſſent) neque de poſitivo (cujus in Nova Lege nullus clarus textus oſtendi poteſt) à Chriſto lato, ſed tantùm à Pontificibus *ſtatuto ad ſimilitudinem antiqui Juris Divini* intelligendos eſſe.

Alii tamen DD. plurimi, quos refert, & ſequitur Layman. *loc. citat.* & potiſſimum Canoniſtæ aſſerunt. Jure Divino ab Eccleſia declarato, ſancitam eſſe clericorum Immunitatem, ſaltem manentibus debitis circumſtantiis, idque colligunt, tum ex prædictis, & aliis Juris Canonici textibus, tum ex ſententia Chriſti, Matthæi 17. ubi indicat, ſe, & Petrum ab exactione tributi aliàs immunem fore, ſed ad evitandum ſcandalum gratis abſque obligatione illud pendere; cùm verò non ſolus Petrus ſed etiam omnes Clerici, tamquam filii, & non ſervi ad Familiam Chriſti, utique divino Jure ab omni Juriſdictione exempti, ſpectent, videtur colligi, eodem Jure omnes Clericos exemptos eſſe. Addunt etiam hanc rationem: Clerici ſunt altioris ſtatus, quàm Laici, & tamquam res ſacra ſpectant ad finem ſupernaturalem, non verò naturalem: ergo Juri divino naturali repugnat, Clericos ſubiici poteſtati ſe inferiori, & ad finem naturalem, ac politicum tantùm ordinatæ. 269

Reſpondent tamen AA. prioris ſententiæ; textus allegatos modo prædicto intelligendos eſſe, ſicut ab Adverſariis etiam explicantur, qui de jure decimarum adducuntur. Ad Teſtimonium verò Math. 17. dicunt, Petrum ex ſpeciali Chriſti privilegio fuiſſe immunem tanquam deſignatum caput Eccleſiæ, quod non proinde ſtatim extenditur ad totam familiam; cùm citato loco nulla reliquorum Apoſtolorum mentio ſit facta; immò nec ipſe Petrus immunis eſt declaratus, ſed allegata cauſa immunitatis, & ſcandali evitandi per gratuitam ſolutionem tributi ad ſolum Chriſtum refertur.

Ad rationem reſpondent, Clericos non tantùm ad finē ſuper-

ſupernaturalem, ſed tanquam membra communitatis politicæ ad naturalem etiam ordinari, & ſic diverſo reſpectu poſſe eſſe Superiores, & inferiores, ſicuti Filius poteſt ſubiici Patri quoad poteſtatem paternam, & Pater filio, ſi is habeat gubernationem aliquam civilem.

Ex his patet, utramque ſententiam probabilem eſſe; prima tamen mihi videtur probabilior, eò quòd ſatis commodè reſpondeat ad rationes poſterioris ſententiæ, cui tamen incumbit onus probandi, quia Jure divino non probato, de Jure ſaltem humano non poteſt eſſe dubium propter expreſſas Leges, & conſtitutiones Juris Civilis, & Eccleſiaſtici. Nobis ſatis eſt oſtendiſſe, dari Eccleſiaſticam Libertatem, ex quocunque denique Jure originem trahat.

§. II.

Quinam privilegio Fori gaudeant.

270 *Quomodo Minores Clerici privilegio Fori careant ex defectu Beneficii Eccleſiaſtici.*

271 *Vel ex ratione Matrimonii, vel Bigamiæ, vel ex defectu habitus ac Tonſuræ.*

270 Dicendum Jure communi, & antiquo, prima tonſura initiatum, & Religioſum utriuſque ſexus, ut ſupra dictum eſt, Fori privilegio gaudere, ſed Jure novo Tridentini *ſeſſ. 23. cap. 6.* ab eo excludi Clericum in minoribus conſtitutum, niſi vel Beneficium habeat, per quod utpotè in Lege favorabili intelligi etiam probabiliùs poteſt, non tantùm præſtimonium perpetuum, quod verum beneficium eſt, ſed etiam penſio Spiritualis perpetua, idque Auguſt. Barboſa apud Palao teſtatur, à ſacra Congregatione deciſum; vel niſi habitum, & tonſuram ſtabiliter ac plerumque deferat, atque ex mandato Epiſcopi alicui Eccleſiæ actu inſerviat, aut ejus ſervitii loco in ſeminario Clericorum, aut in aliqua Schola, aut univerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores ordines ſuſcipiendos verſetur.

271 Secundò. Excluditur etiam Clericus conjugatus Bigamus, vel habitum clericalem, vel tonſuram non deferens juxta *cap. Unicum de Clericis conjugatis in 6.* renovatum à Trid. loco cit. quòd ſi tamen ex ſolius tonſuræ, vel veſtis clericalis defectu ſe quis privilegio privaret, probabilius eſt, imò à ſacra Congregatione deciſum, reaſſumpto habitu, & tonſura privilegium mox recuperari, quia nec verè ei renuntiatum eſt, utpote cui non poteſt renuntiari juxta *cap. Si diligenti de Foro competenti*, nec à Jure in pœnam fuit ademptum, ſed tantùm ex defectu requiſitæ conditionis non conceſſum: unde poſita conditione, quàm primùm obtinetur.

§. III.

Quomodo Clerici privilegio Fori gaudeant.

272 Dicendum, aliquos Clericos prædicto privilegio gaudere totaliter, quoad totam ſuam latitudinem, & quoad omnes cauſas: aliquos tantùm partialiter. Totaliter eo gaudent omnes Clerici ſoluti, qui conditiones à Trid. præſcriptas ſervant: hi ergo ſunt exempti à Foro Judicii Sæcularis tam in cauſis civilibus, quàm criminalibus, niſi quando in cauſis civilibus Juriſdictio debetur Judici Laico ratione ipſius rei, circa quam oritur controverſia, eò quòd ipſa res Eccleſiæ vel perſonæ Eccleſiaſticæ ſit data in feudum, circa quod dominus feudi ſibi ſolet reſervare Juriſdictionem, ita ut hujus ſubeundæ obligatio annexa ſit ipſi rei, ſive feudo: idem contingit, quando res donatur Eccleſiæ cum expreſſa reſervatione Juriſdictionis. In cæteris autem bonis etiam immobilibus, quæ nullam talem obligationem realem annexam habent, ratione ſolius territorii nulla competit Judici Laico Juriſdictio propter privilegium perſonæ Eccleſiaſticæ, tam quoad ſuam perſonam, quàm quoad ſua bona exempta. Conſtat *ex c. 2. de Foro compet.* & pluribus aliis; poſſunt tamen ipſi Clerici, ut actores, & non ut Rei, propter cauſam civilem coram Judice Sæculari comparere, quia Reus Laicus coram ſuo Judice conveniri debet.

Partialiter, nempè tantùm in cauſis criminalibus, ut ſcilicet neque criminaliter, ſeu ad inſtantiam accuſatoris, neque civiliter, ſine tali proceſſu, propter commiſſa crimina à Judice ſæculari condemnari poſſint, gaudent Clerici conjugati, prædictas etiam conditiones obſervantes: habetur *in cap. Unico de Clericis conjugatis in 6.* Ubi cùm in cauſis criminalibus exempti fuiſſent à poteſtate ſæculari propter reverentiam ſtatus, deinde ſubjungitur: *in cæteris autem eos gaudere nolumus privilegio*: & meritò hoc ipſis adimitur, aliàs in magnum præjudicium poteſtatis ſæcularis multi conjugati ſtatum clericalem ſuſciperent, tantùm, ut in cauſis civilibus etiam à judicio ſæculari liberarentur. Itaque ab hoc immunes non ſunt, & ad executionem ſententiæ Judicis Laici in cauſis civilibus probabiliùs etiam capi, & incarcerari poſſunt, non quidem per modum pœnæ, ſed per modum medii ad executionem ſententiæ neceſſarii; cùm poteſtas judicialis non ſit tantùm poteſtas directiva, ſed etiam coactiva. 273

In cauſis criminalibus autem omnibus (excepto forſan aſſaſinio, juxta *capitul. 1. de Homicidio in 6.* ſi illud per ſententiam Judicis Eccleſiaſtici declaratum eſt; ante ſententiam enim non incurritur pœnalis privatio privilegii) Judex Laicus prædictos Clericos, antequam ab Eccleſiaſtico Judice poteſtati illius fuerint traditi, non tantùm ad pœnam ſive corporalem, pecuniariam condemnare non poteſt ſed neque capere, vel incarcerare propria authoritate; quamvis ex licentia Judicis Eccleſiaſtici præſumpta capere poſſit, ut reum, quàm primùm ipſi tradat, ſi crimen ſit notorium, & ſit periculum im mora, ne Clericus aufugiat, antequam Judex Eccleſiaſticus moneatur. Ob ejuſmodi periculum etiam à Judice, vel Creditore capi, & ſuo Superiori tradi poteſt, per modum juſtæ defenſionis, in cauſa Civili ſolvendorum debitorum; ac denique, quando aliàs quandoque grave damnum tertii, vel Clerici grave crimen impediri non poteſt. Ex quibus omnibus hoc, & præcedentibus §§. dictis patet, quòd, etiamſi privilegium Fori eſſet Juris divini quoad ſubſtantiam, eſſet tamen ſaltem quoad modum Juris humani. 274

§. IV.

An, & qui Clerici à Gabellis, & Tributis ſolvendis, & à Legibus Civilibus exempti ſint?

SUMMARIUM.

275 *Clerici non conjugati, & Religioſi Jure communi eximuntur à Gabellis, & Tributis quæ titulo Juriſdictionis exiguntur.*

276 *Non autem eximuntur ab aliis contributionibus, non titulo Juriſdictionis debitis.*

Dicendum, cùm exemptio à Gabellis, & Tributis etiam in privilegio Fori comprehendatur, omnes Clericos, non conjugatos, jure communi exemptos eſſe à Gabellis, & Tributis, aliiſque ejuſmodi oneribus quæ titulo Juriſdictionis exiguntur: habetur *in c. Non minus, & cap. Adverſus de Immunitate Eccleſiarum cap. Clerici eodem tit. in 6.* ac in Trid. *ſeſſ. 25. cap. 20. de Reformatione.* 275

Dixi primò, *Clericos non conjugatos*, nam conjugati, ut ex dictis conſtat, non gaudent privilegio Fori, niſi in criminalibus. Non conjugatis Clericis accenſentur etiam Religioſi, ac Novitii, ut dictum eſt, & *ex cap. Religioſo de Sententia Excommunicationis in 6.* conſtat.

Dixi ſecundo. *Jure communi*: nam Jure particulari regni Luſitaniæ, & Caſtellæ ex Pontificis tacito, vel expreſſo conſenſu Clerici Minores non Beneficiati immunes non ſunt à prædicto onere. Et Clerici negotiatores ex bonis negotiatione acquiſitis tenentur dare tributa

buta juxta *cap Quamquam de Cenſibus in 6.* Imò ſi poſt trinam monitionem non deſiſtant, etiam ex aliis bonis, ut dicitur *in c. Vl. de Vita, & honeſt. Clericor.* Præterea à caſu urgentis neceſſitatis, quando laicorum facultates non ſufficiunt, tenetur Pontifex, vel quando is adiri non poteſt, Epiſcopus cum Clero, nempè cum Capitulo conſenſum præbere, ut etiam Clerici contribuant; eo autem obtento, pro illo tempore obligantur ad contributionem.

Dixi tertiò, *quæ titulo Iuriſdictionis exiguntur*; hoc ipſo enim, quòd Clerici exempti ſint à Juriſdictione Laica, etiam ipſorum bona ſunt exempta ab exactionibus Principum Laicorum, ratione Juriſdictionis de bonis ſuorum ſubditorum exigentium contributiones, ac penſiones pro ſua, & communitatis neceſſitate; atque hæc exemptio ſe extendit non tantùm ad omnia bona titulo ſpirituali obtenta ratione Beneficii Eccleſiaſtici, ſed etiam ad patrimonialia, & quocunque titulo acquiſita, modò obligatio contributionis non adhæreat Bonis, ſed de illis præſtanda eſſet vi Juris, quod Princeps habet in poſſeſſorem Laicum ratione Juriſdictionis.

276 Quando verò non in bonum totius communitatis, pro qua Superior ex Juriſdictionis ſuæ poteſtate contributiones exigit ad reficiendos pontes, muros, vias &c. ſed quando in particulare bonum aliquorum prædiorum, inter quæ ſunt etiam Eccleſiaſtica, v. g. ad cohibendam vim fluminis, agros depopulantis, contributio neceſſaria eſt, tunc etiam Clerici portionem ſuam titulo æquitatis naturalis conferre debent, ut etiam tenentur titulo juſtitiæ illa tributa ſolvere, quæ Bonis immobilibus jure quodam reali independenter à Jure Juriſdictionis e.g. Jure Feudali, vel Emphyteutico annexa ſunt, vel quæ cum tali onere, ſive obligatione ſolvendæ penſionis donata fuerunt. Ad alteram partem quæſtionis in titulo propoſitæ vide reſponſionem noſtram ſupra *in tr. 1. diſp. 2. art. 2. §. 3. n. 28. & 29.*

§. V.

Vtrùm Eccleſiaſtica Immunitas per contrariam conſuetudinem tolli, aut imminui poſſit?

RESp. Cum communiſſima Sententia, nec tolli, nec abſque interventu privilegii Pontificii expreſſi, vel propter immemorialem conſuetudinem præſumpti, ulla ratione imminui poſſe. Ratio eſt, cur neque per privilegium Pontificis omninò tolli poſſit, quia nulla poteſt evenire tam gravis neceſſitas, quæ hujuſmodi ſublationem exigat: atqui Pontifex non poteſt tollere Jus Eccleſiaſticis, ſive ex divina conceſſione, ſive ex humana liberalitate Principum ſæcularium, aut ſedis Pontificiæ acquiſitum abſque urgente neceſſitate tollere, ut in tractatu de privilegiis communiter dicitur: ergo &c. Ratio autem, cur abſque interventu privilegii Pontificis neque imminui queat, hæc convincit. Si per contrariam conſuetudinem Eccleſiaſtica Immunitas imminueretur, vel hoc fieret ſciente, & tacitè annuente Pontifice, adeòque per renuntiationem: vel ignorante, adeòque per præſcriptionem: non primum: quia Pontifex ſingulis annis in Bulla, quæ legitur die Cœnæ Domini, clauſula 14. & ſequentibus expreſsè abrogat omnes conſuetudines Immunitati Eccleſiaſticæ derogantes, & licèt in particulari aliquas diſſimulet, propter periculum majoris mali eventuri, ſatis conſtat ex univerſali abrogatione, eum nullo modo eis annuere. Non ſecundum; quia etiam ad præſcriptionem complendam requiritur tacitus, & rationabiliter etiam ſaltem ſuppoſitus conſenſus Pontificis neque enim inferiores Eccleſiaſtici validè renunciare, aut conſentire poſſunt in Immunitatis ſuæ diminutionem, utpotè non perſonis, ſed ſtatui conceſſæ: atqui Pontifex, ut vidimus, expreſsè denegat ſuum conſenſum: ergo neque per præſcriptionem poteſt imminui Eccleſiaſtica Immunitas abſque interventu privilegii, quod Pontifex propter graves cauſas ſæcularibus Principibus concedere potuiſſet, & propter conſuetudinem immemorabilem in regno Luſitaniæ, Caſtellæ, & Galliæ, in quibuſdam cauſis civilibus, à ſæculari Judice diſcernendis, ſupponitur conceſſiſſe. 277

DISPUTATIO III.

De Vitiis oppoſitis Religioni.

QUia ex vulgato adagio in medio conſiſtit virtus, ſcilicet inter duo extrema, exceſſum, & defectum, quemadmodum in liberalitate conſpicitur, quæ inter prodigalitatem, & avaritiam medium tenet, ideò Religioni etiam aliqua vitia opponuntur per exceſſum, ut adnotavit S. Thomas 2. 2. *q. 92. a. 1.* quibus DEO cultus non quidem nimius, ſed indebitus, id eſt illicitus, vel DEO debitus creaturis exhibetur: aliqua per defectum, quibus cultus debitus DEO denegatur: prioris generis ſunt, Superſtitio, Idololatria, Divinatio, Vana obſervantia: poſterioris, Tentatio DEI, Blaſphemia, Sacrilegium, Perjurium, Infidelitas in promiſſis, de quorum poſtremis duobus jam egimus, de reliquis breviter tantùm agemus.

ARTICULUS I.

De Vitiis Religioni oppoſitis per exceſſum ſuperſtitioſum, Falſi, aut Vani Cultus, Divinationis, Idololatriæ, Magiæ &c.

SVMMARIVM.

278 *Quid, & quotuplex ſit ſuperſtitio.*
279 *Quomodo cultus falſus, & quomodo Vanus, ſeu ſuperfluus DEO tribui poſſit.*
280 *Quid & quale peccatum ſit Divinatio.*
281 *Quæ ſint Divinationis diverſæ ſpecies.*
282 *Quid & quale peccatum ſit Idololatria.*
283 *Quid & quotuplex ſit Vana Obſervantia.*
284 *Objectiones contra prædicti Vitii malitiam ſolvuntur.*

OMnia vitia, Religioni propter Exceſſum oppoſita, 278 voce *ſuperſtitio* generaliter ſumpta denotari ſolent; unde hæc definiri poteſt, quod ſit *Cultus vitioſus veri vel falſi Numinis, ſeu cultus Divinus indebitus.* Ex quo juxta S. Thom. *l. c. art.* 2. oritur immediata diviſio Superſtitionis, in cultum indebitum, impenſum vero DEO, qui duplici ratione eſſe poteſt indebitus, vel quia falſus eſt, vel quia vanus, exprimiturq; vocabulo *Superſtitio* ſpecialiter accepto. Et in cultum indebitum impenſum creaturæ, quando nimirum ipſa cultu ſoli DEO debito afficitur qui iterum ſubdividitur in Idololatriam, Divinationem, & Vanam Obſervantiam, quæ omnia per aliquot quæſtiunculas magis declarabimus.

Quæritur 1. Quomodo cultus falſus, & quomodo Vanus ſeu ſuperfluus DEO tribui poteſt? Reſp. Ad primum 279 cum S. Thoma *q. 93. a. 1.* cultum falſum eſſe eum, qui aſſumitur ad aliud objectum falſum conteſtandum, quod dupliciter fieri poteſt. Primò ſi falſitas ſe teneat ex parte perſonæ colentis, quando v. g. cultum à ſolis Clericis DEO exhibendum, Laicus ſe Clericum fingendo exhiberet, ut ſi Sacramenta fictè adminiſtraret. Secundò ſi falſitas ſe teneat non ex parte perſonæ, ſed ex parte objecti, quod vel per cultum ſignificatur, ut ſi quis Sacramenta, aut Sacrificia antiquæ Legis etiamnum uſurparet, quæ ſunt ſigna Chriſti non jam præſentis, ſed venturi: vel quod immediatè cultu afficitur, ut ſi quis falſas reliquias colendas proponeret, aut mendacia pro verbo DEI, aut veris miraculis venderet. Quorum pec-

peccatorum gravitas in ratione cultus ſuperſtitioſi ſecluſo etiam gravi damno proximi, deſumitur ab advertentia ad contemptum objectivum DEI, ex qua fit, ut actus internus, ad externum determinans, ſit formalis contemptus, non rarò cum infidelitate conjunctus.

Ad ſecundum Reſp. iterum cum S. Th. *l. c. a.* 2. Cultum vanum eſſe, qui ſaltem in talibus circumſtantiis ineptus eſt ad Divini Numinis venerationem, ut ſi quis in miſſa, vel Sacramentorum adminiſtratione novas ceremonias exerceret, à præſcriptis alienas, vel alias circumſtantias impertinentes in cujuſcumque pii operis exhibitione obſervaret, v.g. potiùs albam, quàm nigram gallinam offerret, manè priùs dextro pede, quàm ſiniſtro è ſtrato exſcendendum putaret &c. quæ omnia pro diverſitate materiæ, ſi nempè in gravem, vel levem irreverentiam DEI, aut rerum Divinarum cedat, gravia quoque, vel levia peccata forent, ſi cum tali advertentia fierent.

280 Quæritur 2. Quid, & quale peccatum eſt Divinatio, Reſp. juxta S. Thomam *q.95. a.2. in c. & ad* 2. Divinationem eſſe tacitam, vel expreſſam invocationem diaboli, ut rés occultas ſibi manifeſtet, v.g. objecta liberè, aut contingenter futura, quod quia teſte Aug. Doctore ad cultum dæmonum pertinet, & ut *in a.*4. dicit, ad dæmonum invocationem, quæ ſemper eſt gravis contemptus DEI, niſi ob imperfectionem, & indeliberationem actus excuſetur, ſemper grave peccatum eſt, præſertim expreſſo pacto cum diabolo interveniente, intervenit autem ſemper expreſſum, vel tacitum ſeu interpretativum pactum, quotieſcumque media improportionata, ut auguria, imagines aſtronomicæ, aliaque ſimilia ad acquirendam occultorum notitiam adhibentur, etiamſi quis proteſtetur, nihil ſibi velle eſſe commercii cum dæmone: hæc enim eſt proteſtatio contraria facto.

281 Ratione autem prædictorum mediorum dividitur Divinatio in varias ſpecies, ſaltem materialiter diverſas, prout diabolus variis ſignis reſpondet, & variis modis conſulitur. Prout enim conſulitur per exta animalium, dicitur *haruſpicium*, prout per idola, dicitur *Oraculum*, prout conſulitur, & reſpondet per repræſentationem mortuorum, ut à pythoniſſa 1. Reg. 28. Saul petiit ſibi repræſentari Samuelem, dicitur *Necromantia*; prout per volatum, motum, vocem avium: dicitur *augurium*; prout per varium aſpectum ſiderum, dicitur *Aſtrologia Iudiciaria*, & quatenus ipſis ſideribus tribuitur influxus in humanam voluntatem, præjudicans libertati, dicitur *fatum*, quòd etiam errorem in fide continet, & proptereà meritò SS Patres in illud graviter invehuntur: prout per ſortes divinatorias dicitur *Sortilegium*; quod damnatur *in c. ſi quis Epiſcopus & c. Sortes* 26. *q.*5. Hæc tamen omnia enucleatius explicare parùm juvat ad praxim, cùm eorum inhoneſtas, & gravitas malitiæ, ex conceptu univerſali Divinationis ſatis pateat, & clariùs adhuc colligi poſſit ex ſolutione objectionum.

282 Quæritur. 3. Quid, & quale peccatum eſt Idoolatria? Reſp. ex S. Thoma *q.94. art.*1. eſſe cultum creaturæ exhibitum ad divinam in ea excellentiam conteſtandam, eſſeque grave peccatum, ſive per actum infidelitatis creaturam pro Deo habeat, & ſic formalem, ſeu mentalem idololatriam committat ſive ſolummodo exteriùs fingat, & materialem idololatriam præſtet cum gravi Religionis ludibrio. Hoc peccatum ex parte objecti Angelicus Doctor *a.*3. *in c.* probat omnium eſſe graviſſimum hac paritate. *Sicut enim in terrena repub. graviſſimum eſſe videtur, quòd aliquis honorem regium alteri impendat, quàm verò Regi, ita in peccatis, quæ contra DEUM committuntur, quæ tamen ſunt maxima, graviſſimum eſſe videtur, quòd aliquis honorem Divinum creaturæ impendat: quia quantum eſt in ſe, facit alium DEUM in mundo, minuens principatum Divinum.*

283 Quæritur. 4. Quid, & quotuplex eſt vana Obſervantia? Reſp. Eſſe tacitam, vel expreſſam invocationem diaboli, ut ad poſitionem mediorum improportionatorum quicunque effectus ab occultorum manifeſtatione diverſus efficiatur: illa autem media cenſenda ſunt improportionata, quæ neque virtute naturali, neque divina ad effectum intentum conducunt, ex quo patet, vanam obſervantiam, quæ generali vocabulo etiam *Magia* dicitur, tantùm materialiter à divinatione ratione effectus intenti differre, ratione cujus etiam in alias ſpecies materialiter diverſas ſubdividitur, ſcil. in artem Notoriam, quæ ad ſcientias ſine labore ſubitò acquirendas ordinatur: cùm tamen, ut notat S. Thomas *q.96. a.*1. Illuminatio intellectus ſit DEI, non diaboli donum: Et in Magiam ſpecialiter ſumptam, quæ ad bona fortunæ, honorum, ſanitatis conferenda dirigitur, & in Maleficium, quo hominibus in corpore, vel rebus eorum, damna inferuntur, quod quidem impediendo, vel tollendo conditiones à diabolo requiſitas, nullo novo maleficio interveniente abſque peccato auferri, inferri tamen ſine peccato mortali nunquam poteſt; ſicut neque aliæ ſpecies vanæ obſervantiæ ob parvitatem materiæ à culpa lethali excuſari poſſunt, eò quòd, ſicut etiam in divinatione, in gravem Divinæ excellentiæ contemptum cedat, quemcunque effectum ex commercio cum infenſiſſimo Dei hoſte, Divina omnipotentia, & bonitate ſepoſita, petere, aut ſperare.

Obiicies Primò. Petere inſtrui in ſcientiis, vel in notitia rerum præteritarum, aut futurarum, ab homine etiam ſcelerato, ac inimico DEI, non eſt peccatum, & petere medicinam pro obtinenda ſanitate à Medico impio, non eſt peccatum, & petere auxilia etiam ab hereticis ad nocendum Turcæ, eumque debellandum non eſt peccatum. Ergo ars notoria, Divinatio, Magia ſpecialiter ſumpta, Maleficium (ſi per illud non inferatur damnum injuſtum) non eſt peccatum, etiamſi iſta omnia, quæ licet petere, & facere ope malorum hominum, immediatè vel mediatè per homines, habentes ejuſmodi commercia cum diabolo, petantur, & fiant ope dæmonis ob expreſſum, vel implicitum cum illo pactum, merè gratuitum, quo quis non viciſſim promittit dæmoni, facere aliquod opus, per ſe illicitum. Reſp. Conceſſo antec. nego conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt, quia petere opem ab homine, ſive bono, ſive malo, eſt medium à DEO ordinatum, & non dirigitur in odium, & contemptum DEI. Sed invocatio, & auxiliatio dæmonis non tantùm non eſt medium à DEO ordinatum, ſed directè tendit in odium & contemptum Dei: quia dæmon, qui eſt infenſiſſimus hoſtis Dei & hominum, quidquid facit, etiamſi ſit apparenter bonum, & utile homini, facit, ut Dei honorem imminuat, & homini immediatè, vel ſaltem mediatè noceat; ergo invocatio dæmonis eſt medium Jure, & lumine naturæ prohibitum: & quia in formali contemptu Dei, qui re ipſa includitur in quacunque tali invocatione, non poteſt dari parvitas materiæ, ideò ſive pacto gratuito, ſive oneroſo, ſive explicito, ſive implicito, ſive mediatè per dæmonis familiares, ſive immediatè invocetur auxilium dæmonis, ſemper eſt unum ex graviſſimis peccatis mortalibus in quacumque materia. 284

Et confirmatur ulteriùs. Invocans dæmonem, vel imploravit priùs opem Divinam, & adhibuit media à Deo, & ab Authore Naturæ ordinata ad talem effectum, vel ſimul id facit, vel nec priùs id fecit nec ſimul id facit. Quidquid dicatur, talis re ipſa oſtendit, quòd Deum habeat vel pro impotente per ſe, aut per media ab ipſo ordinata, uvare, vel pro malevolo, duro, immiſericordi, ut faciliùs credat, ſe poſſe impetrare opem à diabolo infenſiſſimo humani Generis hoſte, quam à Deo. Quod certè in quacunque materia non poteſt non gravis contempus realis, directè oppoſitus cultui Divino, contra virtutem Religionis eſſe.

Obiicies ſecundò. Conſtat ex multis hiſtoriis, etiam Sanctos viros uſos eſſe opera diaboli, vel ad ferẽdam ſarcinam ipſi impoſitam, vel ad apportandos lapides pro ſtruendo templo, vel ad manifeſtandas quaſdam veritates, prout etiam in exorciſmis non rarò eſt factitatum, vel ad aliquod aliud ſervitium. Ergo conſulere dæmonem, vel interrogare, vel ejus opera uti, quando v.g. Sagæ ſe curant à dæmone per aera ferri, non eſt peccatum mortale. Reſp. Antecedens verum eſſe in iis caſibus, qui cedebant in contemptum & ignominiam diaboli, & in honorem Dei, cogentis illum obſequi, & obedire, ſervire homini in viliſſimis rebus ad deprimendam ejus ſuperbiam, & ad manifeſtandam veritatem contra ſuam mendacitatem, & in ſuum proprium damnum, contrà verò ad extollendam Gloriam Dei ad animarum ſalutem. Iſti autem caſus longè ſunt diverſi his, quibus invo-

Invocatur dæmon in auxilium cum implicito, vel explicito contemptu formali DEI.

Obiicies tertiò. Dictum eſt in explicatione vanæ obſervantiæ, quòd illa media ſint proportionata, & adhiberi per unam obſervantiam, quæ neque virtute naturali, neque Divina ad effectum intentum conducunt: ergo ſi conducentia adhibentur, quæ ſaltem probabiliter habent connexionem naturalem, vel ſi piæ precatiunculæ, aut Sacra verba, aut aliæ res Sacræ admiſceantur, non committitur peccatum vanæ obſervantiæ. Reſp. Si hæc ſola adhibeantur, & neque corrumpantur, neque addantur aliæ cæremoniæ impertinentes, vel alia verba, etiam in ſe non mala, ſed neque ad precandum, vel colendum Deum idonea, concedo illatum, ſi autem aliquid aliud hujuſmodi addatur, nego illatum. Quia diabolus pias precatiunculas, & res, aut verba Sacra, vult ſæpè adhiberi ad deludendos ſimplices ſub ſpecie Boni, & ad mitigandum horrorem medii ſuperſtitioſi, atque etiam in contemptum rei ſacræ, aut Verborum Sacrorum. Unde hujuſmodi media, apparenter pia, tantò magis impiè adhibentur, quantò magis vertuntur in contemptum Dei. Vel enim creduntur ſe ſolis ſufficere ad conſequendum intentum effectum, & tunc fruſtra adhibentur aliæ cæremoniæ, & verba ſuperſtitioſa, vel creduntur non ſufficere, ſed eſſe neceſſarias alias cęremonias, & ſuperſtitioſa verba; & hoc ipſo creditur, Deum per ſe, & per media à ſe ordinata, vel non poſſe producere intentum effectum, niſi adjuvetur cooperatione diaboli, qui eſt graviſſimus contemptus omnipotentiæ Divinæ, vel non velle, niſi vel à diabolo perſuadeatur, vel precibus illius permoveatur, vel cogatur, vel niſi effectus etiam Deo nolente à dæmone producatur: unde ſi effectus deinde fuerit ſecutus, DEUS debebit honorem, gloriam, gratiarum actionem vel diabolo cedere, vel partiri.

ARTICULUS II.

De Vitiis Religioni oppoſitis per defectum ſcilicet Tentatione Dei, Blaſphemia, Sacrilegio.

§. I.

De Tentatione DEI.

SUMMARIUM.

285 *Quid ſit Tentatio DEI Formalis, & in quo conſiſtat eius malitia.*

286 *Quid ſit Tentatio DEI Interpretativa, & quomodo ea committatur.*

287 *Etiam Interpretativa Tentatio DEI eſt ex genere ſuo peccatum mortale.*

288 *Tentatio DEI formalis oritur ex imperfectione Fidei, Interpretativa ex præſumptione.*

PLura ſunt vitia, Religioni per defectum cultus Divini oppoſita: hoc verò articulo quatuor breviter declarabimus, inter quæ primò occurrit Tentatio DEI hoc paragrapho explicanda.

285 Tentatio ex S. Thoma 2. 2. *q.97. a.1.* & aliis Doctoribus communiter definitur, quòd ſit *exploratio alicuius perfectionis Divinæ mediis inordinatis*, in quo verò ejuſmodi inordinatio mediorum conſiſtat:, patebit ex diviſione Tentationis. Eſt enim alia Tentatio formalis, magis propriè dicta, &; magis etiam graviuſque peccaminoſa, quæ ſcil. ex actuali intentione explorandi, & certiùs cognoſcendi perfectionem aliquam Divinam, procedit dependenter à culpabili Ignorantia, vel infidelitate, aut dubitatione de illa. De hac Tentatione ita loquitur Angel. Doctor. *l. c. a. 2. Omnis tentatio ex aliqua ignorantia, vel dubitatione procedit, vel eius, qui tentat; ſicut cum quis experimentum de aliqua re ſumit, ut eius qualitatem cognoſcat, vel aliorum: ſicut cùm quis experimentum de aliquo ſumit, ut aliis oſtendat: per quem DEUS dicitur nos tentare. Ignorare autem, vel dubitare de his, quæ pertinent ad Dei perfectionem, eſt peccatum. Unde manifeſtum eſt, quod tentare DEUM ad hoc, quòd ipſe tentans cognoſcat DEI virtutem, eſt peccatum.*

Pro quorum tamen verborum legitimo ſenſu diligenter diſtinguendum eſt inter actum intellectus, qui ſupponitur ad Tentationem, & inter actum voluntatis, ejuſque ſubſequentem actum externum, quo ponuntur ipſa media explorativa Perfectionis Divinæ. Nam. S. D. Rationem formalem peccati, & malitiæ tentationis non ponit in actu intellectus, in quo vel reſidet aliqua ignorantia, vel dubitatio: Sed quia ex hac ignorantia, vel dubitatione procedit aliquis actus voluntatis, qui ad illam depellendam determinat potentiam aliquam executivam ad adhibenda media parientia majorem certitudinem de perfectione aliqua Divina, ſimulque excludit aſſenſum intellectus præſtandum independenter ab his mediis non neceſſariis, eò quòd ſuperant alia motiva ſufficientia ad præſtandum indubitatum aſſenſum de Divina perfectione; ideò inquit S. D. Tentationem conſiſtentem in actu voluntatis, & in actu externo potentiæ executivæ eſſe peccatum ratione Ignorantię vel dubitationis, quia ſcil. illam non deponit, imperando intellectui aſſenſum indubitatum, ſed potiùs eum excludit, pro illo adhibens alia media indebita, repulſis motivis ſufficientibus ad indubitatum aſſenſum. Unde in tentatione formali partim includitur inhoneſtas infidelitatis, oppoſita Fidei, ſicut etiam in Idololatria ejuſmodi inhoneſtas involvitur: partim inhoneſtas oppoſita religioni, conſiſtens in imperio voluntatis, determinantis potentiam executivam ad adhibendum talia media in neceſſaria ad hunc finem, utpote aliunde debitum, & obtinibilem, ut ſcil. ſine dubitatione perfectio Divina cognoſcatur: ob quam cauſam media dicuntur inordinata, & adhiberi in contemptum Divinæ perfectionis, de qua per illa experimentum capitur cum dubitatione. Sicut cenſeretur contemnere Principem, qui primùm de illius excellentia experimentum ſumere vellet, quando non dubitare, ſed revereri deberet.

Hinc S. D. *l. c.* ulteriùs pergit ita loqui. *Si autem ad hoc experimentum ſumat eorum, quæ ad Divinam perfectionem pertinent, non ut ipſe cognoſcat, ſed ut aliis demonſtret, hoc non eſt tentare DEUM; cum ſubſit juſta neceſſitas, ſeu pia utilitas, & alia, quæ ad hoc concurrere debent. Si enim Apoſtoli petierunt à Domino, ut in nomine IESU Chriſti fierent ſigna: ut dicitur act.4. Ad hoc ſcilicet, quod virtus Chriſti infidelibus manifeſtaretur.* Quibus verbis tamen non negat S. D. imò potiùs indicat, quòd quando non ſubeſt juſta neceſſitas, ſeu pia utilitas ad petenda ſigna, ut etiam aliis demonſtrentur ea, quæ ad Divinam perfectionem pertinent, petere tamen ſigna ſit tentare DEUM; ſed tantùm dicit non eſſe formaliter tentare.

Itaque alia tentatio eſt, quæ quidem non eſt formalis 286
ſed interpretativa tentatio: quam deſcribit S. D. in *art.* 1. his verbis. *Quaſi interpretativè DEUM tentat, qui etſi non intendit, experimentum de DEO ſumere* (ut ſcilic. ipſe cognoſcat perfectionem DEI) *aliquid tamen petit, vel facit, quod ad nihil aliud eſt utile, niſi ad probandam DEI poteſtatem, vel Bonitatem, vel cognitionem &c.* Ex quo paulò poſt S. D. etiam infert, quando ſine peccato tentationis liceat tale quid petere, vel facere: dum ait. *Quando ergo propter aliquam neceſſitatem, vel utilitatem committit ſe aliquis Divino auxilio, in ſuis petitionibus vel factis, hoc non eſt Deum tentare: dicitur enim 2. paralip. 20. Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te. Quando verò hoc agitur abſque utilitate, & neceſſitate, hoc eſt interpretativè DEUM tentare. Unde ſuper illud Deuter. 6. Non tentabis Dominum DEUM tuum: dicit Gloſſa. DEUM tentat, qui habens, quod faciat, ſine ratione committit ſe periculo: experiens, utrum poſſit liberari à Deo.*

Ex his verbis patet primò alterum genus tentationis nempè tentationis interpretativæ. Patet ſecundò, quomodo iterum intelligendæ ſint particulæ *mediis inordinatis*. Patet tertiò non eſſe univerſaliter illicitum petere à DEO miracula, ſed petere abſque neceſſitate, vel utilitate: tunc autem peti abſque neceſſitate, vel utilitate, quando ea quidem eſſent utilia ad aliquem finem, etiam gravem ac pium, ſed pro illo fine ſuppetunt alia media magis ordinaria. Quia juxta conſuetum Ordinem Divinę Providentiæ non ſolet DEUS facere miracula, niſi deficientibus mediis ordinariis. Quamvis verò ſola petitione mira-

miraculi, vel extraordinarii auxilii Divini, non ſtatim peccetur mortaliter contra Religionem, ut ſi quis vellet obtinere aliquem finem, non adhibendo media ad illum ordinata, e. g. ſanitatem ſine medicinis, felicem ſucceſſum Concionis ſine prævio ſtudio, devotam orationem ſine præparatione animi; eſt tamen hoc interpretativè tentare DEUM; ideò Eccleſiaſticus *c.18. verſ.* 23. dicit. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe, quaſi homo, qui tentat DEUM.*

287 Eſt verò etiam hìc modus Interpretativæ Tentationis ex genere ſuo peccatum mortale: quia poteſt DEO gravis irreverentia inferri. Hinc niſi per Zelum ſecundùm ſcientiam exercitum excuſaretur Prædicator ille Evangelicus, qui ut fidem Chriſtianam infideli populo perſuaderet, eo inſpectante ſuper aquas ſicco pede in ejus teſtimonium ambulare tentavit, ſed navigio liberari debuit, ne undis hauriretur, is certè DEUM graviter tentaſſe dicendus eſſet: quia ſicut magnam irreverentiam Principi inferret, qui eum à ſapienter decretis ſine neceſſitate recedere quodammodò cogeret, aut recuſantem contemptui exponeret, ita gravem irreverentiam Deo irogavit, qui Deum vel ab Ordine ſuæ Providentiæ dimovere volebat ad faciendum miraculum ſine neceſſitate, vel ipſum apud populum infidelem in ſuſpicionem trahere alicujus impotentiæ, aut malevolentiæ, quòd ſcil. DEUS vel non poſſet, vel non vellet patrare miraculum, ab altero præſumptuoſè promiſſum in fidei conteſtationem. Nec obſtat, quòd etiam Sancti Viri ſæpè videantur petiviſſe, vel egiſſe, ut DEUM ad miraculum non neceſſarium faciendum impellerent, ut quando S. Petrus bis tentavit ſuper aquas ad Chriſtum venire, cùm ſicut alii Apoſtoli navigio venire potuiſſet. Et quando Elias 3. *Reg.*18. contra Sacerdotes Baal evocavit ignem è cœlo pro conſumendo immolato bove ad probandum verum DEUM. Nam quotieſcunque DEUS ſcitur hujuſmodi miracula patraſſe, inde velut à poſteriori certò colligitur, ea ex Divino inſtinctu petita, atque à Deo ad ſpeciales fines ordinata fuiſſe.

288 Cæterum inter Tentationem DEI Formalem, ac Interpretativam illud adverto diſcrimen, quòd prior procedat ex defectu indubitatæ fidei de Perfectione Divina; poſterior autem ex imprudenti præſumptione de Perfectione Divina. Gravius autem peccatum eſt; deflectere à veritate & firmitate fidei, quàm à moderamine prudentiæ: unde tentatio interpretativa ſæpè tantùm peccatum veniale eſt, ut patet ex omittente præparationem ad Orationem, Concionem &c. Tentatio autem formalis ſemper eſt peccatum mortale, nec admittit parvitatem materiæ, ratione contemptus Divini formalis: niſi per inadvertentiam aut indeliberationem excuſetur.

§. II.

De Blaſphemia.

SUMMARIUM.

289 *Definitio blaſphemiæ.*
290 *Omnis blaſphemia opponitur confeſſioni Fidei.*
291 *Opponitur tamen etiam Religioni.*
292 *Quo modo contingat implicita blaſphemia.*
293 *Diviſio blaſphemiæ.*
294 *Quomodo blaſphemiæ differant, & in confeſſione explicari debeant.*
295 *Quomodo blaſphemia à peccato mortali ſubinde excuſari poſſit.*

289 Blaſphemia communiter definitur, quòd ſit *Contumelia, vel Maledictio DEI* (intellige Formalis, vel Interpretativa) quam Sanctus Thomas 2.2. *quæſt.*13. *a.*1. *in Concluſ.* ſic explicat. *Blaſphemia vitium eſt, per quod homo corde, vel ore, ſecundùm intellectum, vel affectum DEO tribuit, quæ ei non conveniunt, vel negat, quæ ei conveniunt.* Ex quibus verbis patet, rectè Sanctum Doctorem *loc. cit.* & tota illa quæſtione blaſphemiam opponere Confeſſioni Fidei, & per oppoſitionem cum obligatione Fidei declarare ejus malitiam, & gravitatem peccati, tanquam per Violationem obligationis gravioris, & principalioris, ac propterea in *artic.* 3. meritò etiam aſſerere, quòd blaſphemia ſit unum ex peccatis maximis, præſertim quando continet totam ſuam malitiam, ut fiat corde, ore, & affectu deteſtativo DEI, aut Divinæ perfectionis; iſte enim affectus, ut inquit S. D. ita conſummat malitiam infidelitatis oppoſitæ fidei, in blaſphemia incluſam, ſicut dilectio DEI conſummat & perficit Fidem. Nam ſive homo DEO tribuat, quæ ei non conveniunt, ſive DEO abneget ea, quæ ei conveniunt, ſemper hoc repugnat veritati Fidei: & licèt ipſe blaſphemans in corde ſuo non ita ſentiat, quia tamen verba exteriùs ſignificant errorem & falſitatem oppoſitam veritati fidei, blaſphemia tamen opponitur Confeſſioni Fidei: ſicut ſi quis metu tormentorum exteriùs abnegaret fidem, quantumvis eam animo retineret, talis tamen peccaret contra obligationem fidei, quam quivis tenetur confiteri corde & ore.

Unde menti S. Thomæ non convenit communis diviſio blaſphemiæ in hæreticalem, & non hæreticalem, quam ejus patroni dicunt eſſe illam, quæ non procedit ex interna infidelitate: per hanc enim accederet blaſphemiæ nova quidem ſpecies peccati contra Fidem, in Confeſſione ſpecialiter exprimenda, eò quòd actus externus blaſphemiæ non eam neceſſariò præſupponat, atque ſignificet, ſicut viciſſim cum actu interno exprimendus etiam eſt actus externus, eò quòd iſte etiam non ſemper ſit conjunctus, nec per interni actus confeſſionem ſufficienter expreſſus: Verùm non ideò ſolo ore prolata blaſphemia neganda eſt, eſſe hæreticalis aſſertio, ſive hæreſis, aut infidelitas externa: adeòque etiam Sanctum Thomam non ſatis benè explicat, vel impugnat Leſſius *lib.*2. *cap.*45. *n.*26. negans, quòd omnis blaſphemia opponatur Confeſſioni Fidei. 290

Illud tamen concedendum eſt Leſſio, & communi ſententiæ, quod neque Sanct. Thomas poſitivè negat, quòd blaſphemia non ſoli Fidei, verùm etiam Religioni opponatur, ſicut idem de Idololatria, & Formali tentatione DEI ſuprà aſſeruimus Unde ſicut Laus DEI pertinet ad virtutem Religionis, ita Vituperium, Contumelia, Maledictio, blaſphemia DEI (quæ omnia hìc ſunt Synonima) opponitur virtuti Religionis, quia etiamſi non ſemper proveniat ex interna infidelitate, ſemper tamen procedit ex formali contemptu explicito, vel implicito ipſius DEI, ob quam cauſam confitens blaſphemiam non ſatisfaceret dicendo, protuli externam hæreſim, vel locutus ſum aliquid contra fidem, ſed dicere deberet, protuli, ſive locutus ſum blaſphemiam. In quo peccato proinde etiam ob duplicem rationem non datur parvitas materiæ, quia ſcilicet continet malitiam infidelitatis externæ, vel internæ, & malitiam formalis contemptus, expliciti, vel impliciti. 291

Implicitus autem contemptus DEI per blaſphemiam etiam implicitam, contingit primò, ut pariter notavit S. Thomas *l.c. a.*1. *ad* 3. Quando creaturæ aliquid DEO proprium attribuitur. *Quidquid enim*, inquit S. Doct. *eſt DEO proprium, eſt ipſe DEUS. Attribuere autem id, quod eſt DEI proprium, alicui creaturæ, eſt ipſum DEUM dicere idem creaturæ.* Secundò. Quando dicitur contumelia de aliquo Sancto. Quia, ut iterum inquit S. Doct. *l.c. ad* 2. *Sicut DEUS in ſanctis ſuis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ DEUS in ſanctis ſuis efficit: ita & blaſphemia, quæ fit in Sanctos, ex conſequenti in DEUM redundat.* Tertiò. Quando blaſphemantur membra, vel Sanguis Chriſti, vel myſteria ad ſalutem humani generis à Chriſto inſtituta, vel quæcunque creatura, quatenus eſt opus DEI. Sicut enim per creaturas poteſt jurari, ut aſſerit ipſe Chriſtus apud Matth. *cap.*23.*v.*16. *& ſeqq.* Ita per eas poteſt DEUS blaſphemari, qui modus blaſphemandi, nominando Sanguinem Chriſti, vel Sacramenta, proh dolor! nimis uſitatus eſt: & unica hujuſmodi Vox *Sacramentum* ex communi hominum acceptione, certo modo, & in certis circumſtantiis v. g. in fervore Iræ prolata; integrum ſenſum parit, quo homines moleſtia & adverſis caſibus affecti, vituperando res ſignificatas; eum volunt vituperare, ad quem ipſæ per connexio- 292

nem vel dependentiam referuntur : ut, cùm opere de DEO, ut adverſorum caſuum Authore, ſe vindicare nequeant, verbis ſaltem, & eo modo, quo poſſunt, ſeſe vindicent.

293 Ratione diverſi modi, DEUM blaſphemandi, dividitur blaſphemia primò in blaſphemiam *Cordis* & *Oris*, aliqui etiam addunt tertium membrum *Operis*: prout ſcilicet vel ſolo corde, vel etiam ore, vel opere DEUS maledicitur. Sed tertium membrum fruſtra aſſeritur. Quia vel ipſum opus adhibetur, ut ſignum animi maledicentis DEO, ut ſi quis pro contemptu DEI in Cœlum ſpuat, vel dentibus fremat, vel pugnum, aut medium digitum illuc protendat, tunc ſpectat ad blaſphemiam Oris, quatenus non tantùm per ſonum vocis, ſed etiam per Scripturam, & alia ſigna externa DEI contumeliam loqui poſſumus. Vel ipſum Opus non adhibetur, ut ſignum; ſed re ipſa DEUS inhonoratur; & tunc non eſt propriè dicta blaſphemia, ſicut non omnis honor DEI eſt propriè dicta Laus DEI.

Dividitur ſecundò blaſphemia in Formalem, ac Interpretativam; quæ diviſio coincidit cum blaſphemia explicita, ac implicita, paulò antè explicata.

Dividitur tertiò, ut ex textu S. Thomæ in principio hujus articuli relato patet, in blaſphemiam ſecundùm Intellectum, & blaſphemiam ſecundùm affectum. Quanquam enim omnis blaſphemia ſupponat actum intellectus, illa tamen dicitur blaſphemia ſecundùm intellectum, quæ tantùm ſignificat ſiniſtrum de DEO conceptum: illa verò dicitur blaſphemia ſecundùm affectum, quæ manifeſtat odium, aut deteſtationem DEI, ut ſi quis optaret DEUM non eſſe, vel non eſſe juſtum &c.

294 Ex dictis pro Confeſſione blaſphemiæ, ritè inſtituenda, quæſtio oritur primò: An omnes blaſphemiæ ſint ejuſdem ſpeciei; ita ut in Confeſſione non ſit exprimenda formula, aut modus blaſphemiæ: ſicut quando dicitur contumelia, an verba detractoria de homine, non eſt neceſſe explicare, quid de eo dictum ſit. Affirmativè reſpondet Cajetanus 22. *quæſt.* 13. *a.* 1. ubi ait: *Adverte, quòd quia ſpecies blaſphemiæ non diverſificantur per DEUM & Sanctos, nec per tria illa in littera numerata* (quæ ſcilicet S. Tho. *cit. quæſt.* 13. *a.* 1. *ad* 3. refert, & reſpondet, eſſe ejuſdem ſpeciei blaſphemiam) *nec per enunciationem, & deſiderium, nec per honorem, famam, & hujuſmodi; in una & eadem ſpecie eſt blaſphemia DEI, & Sanctorum, ſive id fiat per modum maledictionis, ſive contumeliæ, ſive irriſionis, ſive detractionis.* Et poſt intervallum rurſum inquit cit. Author. *Hinc habes Confeſſor, quòd varietas blaſphemiarum pro diverſitate ſpecifica non eſt inquirenda, ſed pro majore gravitate judicanda.*

Verùm etiamſi libenter fatear cum S. Thoma proximè citato, quòd omnes blaſphemiæ in ratione blaſphemiæ non differant ſpecie, ſive de DEO afferatur aliqua imperfectio, vel negetur aliqua perfectio, ſive creaturæ attribuatur aliquid, quod eſt proprium ſoli DEO, adeòque prædicatum Divinum, quod realiter eſt ipſe DEUS; dicatur eſſe identificatum cum creatura, & conſequenter DEUM eſſe creaturam; nego tamen quod blaſphemiæ in Confeſſione non ſint explicandæ; quando habent aliam ſpecificam malitiam ſibi adjunctam, & quòd à Confeſſario hujuſmodi varietas non ſit inquirenda, niſi propter ſolum judicium de gravitate blaſphemiarum intra eandem ſpeciem. Nam propter hoc ſolum varietas ne quidem inquirenda eſſet: quia acturi de integritate Confeſſionis Sacramentalis cum S. Thoma oſtendemus, circumſtantias merè aggravantes intra eandem ſpeciem peccati mortalis, non eſſe materiam neceſſariam. Quòd autem blaſphemiæ ſæpè habeant aliam malitiam ſpecificam ſibi adjunctam, neque S. Thomas negat, & patet ex ſuprà poſitis exemplis, quando ſcilicet creaturæ attribuitur aliqua perfectio Divina, propria ſoli DEO, quo non ſolùm committitur peccatum blaſphemiæ, ſed etiam idololatriæ. Et quando DEUS blaſphematur in Sanctis, directè & immediatè committitur peccatum contra Religionem Duliæ, vel Hyperduliæ, ſi nempè in Beatiſſima Matre ſua DEUS blaſphemetur. Sicut enim violatio voti, conjuncti cum promiſſione homini facta, & ab illo acceptata, e. g. cum promiſſione liberalis eleemoſynæ certo pauperi præbendæ, non ſufficienter explicaretur in Confeſſione, dicendo violavi votum in materia gravi, etiamſi hæc violatio voti non differat ſpecie in ratione infidelitatis erga DEUM à quacunque alia violatione voti, habet ſibi tamen annexam, vel identificatam rationem infidelitatis, vel injuſtitiæ erga hominem: & ita etiam blaſphematio DEI in Sanctis habet ſibi conjunctam maledictionem ſive contumeliam oppoſitam Juri ac honori ipſis Sanctis debito per cultum Duliæ, ſaltem non violando per poſitivum contemptum. Item blaſphemia DEI, quæ non tantùm fit ſecundùm intellectum, ſed etiam ſecundùm affectum, quo v. g. aliquis optat, non eſſe Deum, vel Deum non eſſe juſtum, etiamſi juxtà S. Thom. non differat ſpecie adæquata à blaſphemia ſecundùm intellectum, ſed ex utroque modo blaſphemandi compleatur blaſphemia perfecta; differt tamen ſpecie inadæquata, quatenus ſuperaddit ultimum complementum perfectæ malitiæ, continens etiam differentiam ſpecificam odii formalis erga DEUM. Et quemadmodum aliter explicandum eſt peccatum contra caſtitatem, quòd tantùm fit per turpes tactus, & aliter, quod fit per conſummatam malitiam fornicationis, ſic aliter explicanda eſt blaſphemia per intellectum, & aliter blaſphemia per affectum. Denique quis dicat blaſphemiam cordis tantùm, & blaſphemiam oris, non eſſe diverſæ ſpeciei infimæ, ſaltem inadæquatæ, quamvis ordinentur ad unam ſpeciem adæquatam integrandam? & propterea in Confeſſione exprimendum eſt, an blaſphemia fuerit cordis tantùm, vel oris tantùm, vel utriuſque ſimul. Ideò S. Thomas in ordine ad Confeſſionem l. c. locutus non eſt, ſed tantùm de blaſphemia qua tali, quatenus omnes modi blaſphemandi referuntur ad unam ſpeciem adæquatam, & perfectam in ratione blaſphemiæ, præſcindendo ab aliis prædicatis ſpecificis conjunctis, & in Confeſſione manifeſtandis.

Quæritur ſecundò. An ſi quis verba blaſphemiæ pro- 295
ferat non ex intentione blaſphemandi Deum, ſed ad demonſtrandam iram ſuam, vel ad terrendum ſubditos, ut promptiùs obediant, vel ad alium ejuſmodi finem, ita ut ipſa verba velit tantùm materialiter prolata, non cum virtute ſua ſignificandi; an, inquam, talis adhuc peccet mortaliter. Reſpondeo, ſi adhuc cæteræ circumſtantiæ omnes ponantur, ex quibus prudenter judicari poſſit, verba blaſphemiæ non accipi merè materialiter, talem proferentem verba blaſphemiæ adhuc peccare mortaliter, & committere blaſphemiam oris: ſicut peccaret mortaliter contra fidem, qui eam negaret coram tyranno ad ſalvandam vitam ſuam, etiamſi haberet intentionem verba tantùm proferendi materialiter. Quia Fides & Religio obligat ad non proferendum hujuſmodi verba, quæ de ſe, & in his circumſtantiis extrinſecis ſunt apta ad pariendum ſenſum apud auditorem, quem ex communi uſu, & conſuetudine hominum habent: interna autem proteſtatio eſt contraria facto.

Quæritur tertiò. An per vehementem iræ vel triſtitiæ paſſionem, vel per conſuetudinem blaſphemandi, excuſari poſſit blaſphemia à peccato mortali. Reſpondetur. Si non occurrat memoria, ſive advertentia ad malitiam peccati mortalis, neque ad vim ſignificandi gravem DEI contemptum, & contumeliam, poſſe, ſicut alia peccata abſque ſufficienti advertentia, & deliberatione facta, ejuſmodi verbalem blaſphemiam excuſari à peccato mortali, dari tamen obligationem adhibendi diligentiam, ac curam ſpecialem, deponendi, ac emendandi tam perverſam conſuetudinem. Cæterùm ſi blaſphemiæ fiant formulis exquiſitis, & valdè maledicis, ſignum eſt, non tantùm dictam excuſationem inadvertentiæ ad malitiam, & ad contemptum DEI locum non habere, ſed etiam eſſe blaſphemiam ſecundùm affectum, adeòque cordis, & oris.

§. III.

De Sacrilegio.

S V M M A R I V M.

296 *Sacrilegium eſt Violatio rei ſacræ.*
297 *Dividitur in Perſonale, Locale, Reale, Perſonale eſt Violatio Perſonæ ſacræ: committitur tribus modis.*
298 *Quid ſit, & quomodo committatur Sacrilegium Locale.*
299 *Quid ſit, & quomodo committatur Sacrilegium Reale.*
300 *Quantum ſit peccatum actus Sacrilegii.*

296 QVæritur primò. Quid eſt Sacrilegium? Reſp. ex mente omnium TT. cum S. Thoma 2.2. *q.99.a.1.* definiri: quòd ſit *Violatio rei ſacræ*: per ultimas particulas diſtinguitur à tentatione Dei, blaſphemia, & aliis peccatis, quibus Deus immediatè in ſe ipſo, & non in re cultui ſuo dicata læditur. Prima autem particula *Violatio* non denotat qualemcunque actum generaliter repugnantem rei ſacræ, uti omne peccatum commiſſum à perſona ſacra, vel in loco ſacro, generatim illius ſanctitati aliquo modo repugnat; ſed deſignat actum ſpecialiter repugnantem, ſcilicet propter reverentiam rei ſacræ ſpeciali præcepto vetitum, ut ex proximè dicendis patebit.

297 Quæritur ſecundò. Quotuplex eſt Sacrilegium? Reſpondetur iterum ex conſenſu communi Theologorum cum Angel. Doctore *l.c. a.3. in c.* Sacrilegium in tria genera diverſas ſpecies ſub ſe continentia dividi, ſcilicet in *Perſonale*, *Locale*, & *Reale*.

Perſonale eſt Violatio perſonæ ſacræ, id eſt Eccleſiaſticæ, vel Religioſæ, cujus veneratio, ſicut eſt actus Religionis, ſi eidem quatenus perſona Deo ſacra eſt, exhibetur ſic ejuſdem inhonoratio Religioni opponitur; hæc autem conſiſtit in ſequentibus actibus ob reverentiam perſonæ Eccleſiaſticæ vetitis. *Primus* eſt Percuſſio. *Secundus* Violatio immunitatis à judicio ſæculari, vel tributis pendendis: his communiter & expreſsè etiam à Sanct. Thom. *loc. cit. ad 3. & quæſt. 154. a.10.* additur *Tertius* actus luxuriæ poſitus à perſona vel cum perſona per ſacrum aliquem Ordinem, vel per Vota Religionis approbatæ Summi Pontificis authoritate ad cultum, luxuriæ oppoſitum DEO dicata. Sicut enim hujuſmodi perſona Lege Eccleſiaſtica prohibetur, & inhabilis reddita eſt ad validè contrahendum matrimonium, & ad corpus ſuum Divino cultui ſacratum luxuria inquinandum, ita ſub peccato ſpecialis ſacrilegii, & non tantùm infidelitatis irreligioſæ vetitum eſt peccatum luxuriæ, à perſona ſic DEO ſacrata, vel cum tali perſona commiſſum, ut colligitur etiam ex Concil. Toletan. 2. *cap.1.* & habetur *in cap. Virginibus 14. cauſ.27. quæſt.1.* ſtatuto à Gelaſio Papa. Diſſentiunt quidem, & de Sacrilegio generaliter, ac impropriè ſumpto citatum capitulum explicant Suar. *tract.3. lib.3. de Sacrilegio cap.3. num.5.* Sanchez *lib.7. de Matrimon. diſp.27. num.27.* Palao *diſput.2. punct.3. §.2. n.2.* aſſerentes, luxuriam non eſſe actum Sacrilegii, niſi generaliter accepti pro omni actu quomodocunque Religioni oppoſito, cui pariter opponitur luxuria perſonæ, vel cum perſona voto caſtitatis obſtricta, neque ullum aliud præceptum poſitivum Religionis, cui opponatur, aſſignari poſſe, quod tamen requiritur ad Sacrilegium. Verùm jam oſtendi aliud præceptum. Id tamen concedi poteſt citatis Authoribus, quod etiam concedit Laymann *lib.4. tr.10. cap.7. num.4.* Violatione Voti caſtitatis privati, non ita ab Eccleſia acceptati, ut per illud perſona dicatur à Summo Pontifice DEO ſacrata, non committi Sacrilegium propriè dictum, prout hìc accipitur pro Violatione rei ſacræ, Lege Eccleſiaſtica prohibita propter ejus reverentiam.

Neque hinc ſequitur, quòd qui luxuriam exerceret cum perſona voto caſtitatis obſtricta, illam violenter opprimendo, vel in ſomno, aut amentia eandem violando, is non deberet circumſtantiam voti alieni explicare: quia etiamſi is non peccet contra proprium votum, neque ſit cauſa, ut altera perſona peccet, utpotè non voluntariè operans, nihilominus adſcribitur ipſi illa actio, quæ reſpectu voventis eſt materialis læſio voti, quaſi contra proprium votum caſtitatis peccaſſet: ſicuti qui amentem ad blaſphemandum ſolicitat, ſe reum facit alienæ blaſphemiæ: vel ſicut qui furaretur argenteum calicem alicui templo ex voto promiſſum, peccaret etiam contra Religionem, nec tamen committeret Sacrilegium Reale, vel Locale propriè dictum, quia res votiva ante traditionem, & acceptationem nondum eſt propriè ſacra, neque in loco ſacro.

Sacrilegium locale eſt violatio loci ſacri pro diverſitate præceptorum, in reverentiam loci ſacri ſequentes actiones prohibentium, in ratione Sacrilegii ſpecie diverſa. Prima eſt Occiſio hominis, vel ſaltem violenta effuſio ſanguinis humani. Secunda, voluntaria Pollutio, etiamſi ſit occulta; quia per publicationem non ponitur nova malitia Sacrilegii: quamvis probabiliter ſine illa non ponatur profanatio loci ſacri: hinc etiam tactus cum tali pollutione, vel cum probabiliter præviſo periculo connexi, in Eccleſia cauſant ſpeciem Sacrilegii. Quia SS. Canones *cap. ultim. de Conſecratione Eccleſiæ*, & *cap. Eccleſiis diſtinct.1.* qui ob reverentiam loci Divino Cultui ab Epiſcopo ſtabiliter deputati, etiam nondum conſecrati, humani ſeminis effuſionem, (quamvis per copulam conjugalem, abſque neceſſitate propter periculum incontinentiæ in caſu longæ ibidem cohabitationis, factam) ſub mortali culpa prohibuerunt, hoc ipſo etiam prohibuerunt cauſam proximè, & per ſe cum illa connexam, ac probabiliter præviſam: ſaltem quando etiam publicatio ſecutura probabiliter prævidetur, ſine qua præviſione probabiliter neque ipſa effuſio ſeminis contrahit ſpeciem ſacrilegii. Tertia eſt furtum, ut ſtatuit Joann. VIII. *in c. Quiſquis 17.q.4.* aſſerendo *ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro* (ſi illud non ſacrum cuſtodiæ cauſa in templo eſt depoſitum) *vel ſacrum de non ſacro*, id eſt, rei ſacræ de loco non ſacro. Licèt autem *in l. Divi. & l. Sacrilegii ff. ad l. Julian. pecul.* requiratur ad propriè dictum Sacrilegium, ut res ſacra ablata ſit è loco ſacro, ut adeòque ſit duplex violatio rei ſacræ, hoc tamen Iure Canon non eſt receptum. Quarta eſt negotiatio juxta *cap. Decet de Immunitate Eccleſiarum in 6.* quod teſte Laymann. *num.9.* referente Cajetanum, Sotum, Angelum, Medinam, Molinam intelligendum eſt, ſi ipſæ merces venales in loco ſacro exiſtant, non autem ſi alibi, vel ſi tantùm in cœmeterio, ubi irreverentia minor eſt, vel etiam nulla, ſi res venales ad cultum Divinum deſerviant. Unde dicta limitatio tollit ſaltem malitiam mortalem. Quinta. Cauſarum forenſium pertractatio juxta *cit. cap.* Sexta. Extractio rei ex aſylo extra caſus jure permiſſos, de quibus poſtremis duabus actionibus priori diſput. dixi. 298

Sacrilegium Reale, quod per antonomaſiam dicitur Reale, cùm aliàs omne Sacrilegium ſit violatio rei ſacræ, hìc ſumitur pro violatione rei, à perſona, & loco ſacro diſtinctæ ſcilicet pro indigna tractatione Sacramentorum, adminiſtrando, vel ſuſcipiendo illa in ſtatu peccati mortalis: item pro vaſorum, & inſtrumentorum ſacrorum profanatione, irreverenti tractatione imaginum, ac reliquiarum, ultimatè in Deum refuſa, depravatione S. Scripturæ, bonorum, & jurium Eccleſiaſticorum, actu poſſeſſorum, defraudatione &c. 299

Quæritur tertiò. Quantum peccatum eſt Sacrilegium? Reſpondetur, Sacrilegium ex genere ſuo eſſe peccatum mortale: ſi tamen non fiat cum formali, ſed tantùm materiali contemptu propter levitatem materiæ, veniale fieri poteſt, quale eſt levis percuſſio Clerici, furtum rei exiguæ, levis irreverentia ſacrorum inſtrumentorum, v.g. nudus, & non neceſſarius attactus eorum, quæ S. Euchariſtiam immediatè attingunt, ut calicis, patenæ, &c. Notandum etiam eſt cum Suar. ſuprà *cit. c.7. n.2.* & Laym. *n.14.* etſi Sacrilegium plerumque ſit peccatum commiſſionis, poſſe tamen etiam eſſe omiſſionis; v.g. ſi Eccleſiæ Miniſtri ſacrum fontem baptiſmalem non ſervent mundum à ſordibus, ſi ſacra vaſa, & inſtrumenta ad ſacrificium neceſſaria non purgent, lavent, &c. *juxta cap.2. de Cuſtodia Euchariſtiæ.* Ubi dicitur. *Sunt, qui non ſolùm Eccleſias dimittunt incultas, verùm etiam vaſa miniſterii, & veſtimenta Miniſtrorum, ac pallas altaris, nec non & ipſa corporalia tam immunda relinquunt, quòd interdum aliquibus ſunt horrori.* Cæterùm tribus actibus Sacrilegii etiam pœna Excommunicationis annexa eſt. Primò, ſpoliationi rerum 300

rum ſacrarum cum effractione templi juxta *cap. Conqueſti 22. de ſentent. Excommunicat.* Secundò percuſſioni Clerici ſuadente diabolo. *cap. ſi quis Suadente diabolo 17. q. 4.* Tertiò Violationi immunitatis Eccleſiaſticæ, præſertim exactioni tributorum ſecundùm Bullam Cœnæ Domini.

§. IV.

De Simonia.

SVMMARIVM.

301 *Quid ſit Simonia.*
302 *Quid intelligatur per emptionem, venditionem, & per pretium, in definitione Simoniæ.*
303 *Quomodo etiam titulo gratitudinis pro re ſpirituali nequeat exigi aliquid temporale juxta propoſit. 45. & 46. in Innocentio XI. prohibita.*
304 *Pro re ſpirituali poteſt etiam ex pacto dari aliquid temporale titulo ſuſtentationis.*
305 *In Emptione & Venditione Simoniaca non eſt neceſſaria intentio æqualitatis inter datum & acceptum.*
306 *Res annexa ſpirituali jam eſt materia Simoniæ.*
307 *Nomine rei ſpiritualis non venit inſtructio in ſcientiis Theologicis, nec gradus doctorales.*
308 *Neque Reſponſa Moralia, neque Inſtructio Catechetica Ludimagiſtrorum.*
309 *Quæ actiones ſint ſpirituales ac invendibiles.*
310 *Quomodo poſſit res materialis ſpectari ſecundùm æſtimabilitatem merè materialem, & ſecundùm æſtimabilitatem ſpiritualem, & quomodo proinde poſſint vendi ſacra vaſa, & aliquid temporale accipi pro loco ſepulturæ, & pro loco certæ ſtationis in templo.*
311 *Diviſio Simoniæ in naturalem, & poſitivam.*
312 *Et in mentalem, conventionalem, ac realem.*
313 *Quantum Simonia ſit peccatum.*

VAldè celebre eſt hoc crimen, & pro evitando multa traduntur in Jure Canonico; nos autem ea, quæ ſcitu neceſſaria videbuntur, in aliquot quæſtiones reducemus.

301 Quæritur primò: Quid ſit Simonia. Reſpondetur, Simonia, quæ, ut contra Cajetanum rectè advertit Palao *tract. 17. de Vitiis oppoſitis Religioni diſp. 2. punct 3. §. 1. num. 3.* eſt vera ſpecies Sacrilegii, cùm ſit indigna tractatio rei ſacræ, in hoc ab aliis ſpeciebus Sacrilegii diſtincta, quòd fiat per mutuam commutationem, ſeu contractum. Communiter, & rectè definitur, *ex cap. Qui ſtudet 1. q. 1. Studioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum.*

Dicitur primò, *Studioſa*, id eſt, deliberata voluntas. Eſt verò Simonia actus voluntatis, quamvis in Simone Mago, primo ejus Authore, à quo etiam nomen accepit, ſuppoſuerit actum infidelitatis, & ſit interpretativè realis quædam alicujus veritatis Fidei abnegatio. Ideò Gregorius Papa *cap. 20. cauſ. 1. quæſt. 1.* dixit. *Cùm omnis avaritia idolorum ſit ſervitus, quiſquis hanc, & maximè in dandis Eccleſiaſticis honoribus vigilanter non præcavet, infidelitatis perditioni ſubiicitur, etiam ſi tenere fidem, quam negligit, videatur.* Et *cap. ſeq.* Idem S. Papa Macedonii hæreſin, aſſerentis Spiritum ſanctum eſſe creaturam, adhuc tolerabiliorem hæreſin appellavit. Quia per Simoniam Spiritus ſanctus, in ipſa re ſpirituali, non tantùm ut creatura ſed ut res nobis ſerviens, venditur.

302 Dicitur, ſecundò. *Emendi vel vendendi*: quia tam ab emente, quàm vendente Simonia committitur: per emptionem autem, & venditionem ab omnibus Doctoribus cum S. Thoma *2. 2. quæſt. 100. a. 1. ad 5.* intelligitur quivis contractus non gratuitus interveniente mutuo pacto, cum intentione commenſurandi, ſeu ſervandi aliquo modo æqualitatem Dati cum accepto: vel ſaltem intelligitur talis contractus, qui ſecundùm prohibitionem Legis Eccleſiaſticæ æquivalet contractui antè deſcripto. Prætereà ſubintelliguntur pro Simonia, propriè dicta, hæ particulæ: *Pretio temporali*: quia in hoc conſiſtit malitia Simoniæ, quòd res ſpiritualis temporali indignè comparetur: omiſſæ tamen ſunt fortaſſis proptereà, quod etiam commutatio rei ſpiritualis cum ſpirituali in materia Beneficiorum, ſi v. g. unum Beneficium Eccleſiaſticum cum altero commutetur, ſine Pontificis conſenſu, propter ſimilitudinem cum vera Simonia prohibita ſit, & iiſdem pœnis frequenter puniri ſoleat, ut ſtatuitur in Canonibus proximè citandis. Pretio autem temporali non tantùm pecunia, ſed quidvis pretio æſtimabile intelligi debet; unde etiam quodvis obſequium, quod facto, vel verbo v. g. patrocinio præſtatur, pretii temporalis nomine comprehenditur, ut expreſſè declaravit Vrbanus II. *cap. Salvator, 8. cauſ. 1. q. 1.* Spirituale verò non accipitur hìc pro incorporeo, ſed pro ſupernaturali, id eſt, ex natura ſua ordinato ad finem ſupernaturalem: ut Sacramenta, & Sacramentalia, actus virtutum, Verbi DEI adminiſtratio &c.

Ex hac declaratione colligitur primò, inſervientem 303
Epiſcopo gratis abſque ſtipendio, ut illum ſibi obliget ex titulo gratitudinis, non verò ex pacto ad conferendum Beneficium, non committere Simoniam, etiamſi intentionem, ac ſpem ſuam, aut præſtita obſequia Epiſcopo ſignificet; idemque verum eſſe, quotieſcunque temporale pro ſpirituali, vel ſpirituale pro temporali titulo gratitudinis exhibetur, niſi propter periculum affectus Simoniaci, ſpecialis prohibitio, Eccleſiæ in quibuſdam objectis, ut ſunt Beneficia Eccleſiaſtica, vel explicita, aut ſaltem implicita, ſive tacita promiſſio, aut conventio de gratitudinis executione intervenerit: ob quam ab Innocentio XI. inter prohibitas propoſitiones locum quadrageſimum quintum, & ſextum, obtinuere hæ duæ propoſitiones. *Dare temporale pro ſpirituali non eſt Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed tantùm tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam, quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; imò etiamſi ſit finis rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis.* Neque dicas, quòd ſi hac prohibitione non tollitur naturalis obligatio gratitudinis, quam ſubit, quicunque ab altero Beneficium, aut obſequium gratuitum accepit, quamque etiam exequi poteſt, conferendo Beneficium ſpirituale omninò gratis, ſine omni pacto tacito, quale eſt in Simonia confidentiali, vel expreſſo interveniente, tunc illum modum gratitudinis poteſt aliquis etiam licitè promittere, & alter poteſt promiſſionem licitè acceptare: quia eſt de objecto prorſus gratuito, & honeſto honeſtate meræ gratitudinis. Nam hac ipſa promiſſione tolleretur honeſtas objecti, quæ ſit meræ & ſolius gratitudinis, quia ſubiretur nova obligatio promiſſionis, ſive fidelitatis: quæ ſicut in rebus temporalibus ratione mutui ultra ſortem promiſſis pareret uſuram, ſic in rebus ſpiritualibus ob ſpecialem prohibitionem Eccleſiæ parit Simoniam. Et ideò ad hæc verba S. Gregorii *in Regiſt. lib. 2. cap 57. in princ. Eccleſiaſticis utilitatibus deſervientes Eccleſiaſtica dignum eſt remuneratione gaudere.* Reſpondet S. Thom. *a. 5. ad 1. Dicendum, quòd ſi aliquis Clericus Prælato impendit obſequium honeſtum, ad ſpiritualia ordinatum (puta ad Eccleſiæ utilitatem, vel Miniſtrorum ejus auxilium) ex ipſa devotione obſequii redditur dignus Eccleſiaſtico Beneficio, ſicut & propter alia bona opera. Vnde non intelligitur munus ab obſequio. Et in hoc caſu loquitur Greg. Si verò ſit inhoneſtum obſequium, vel ad carnalia ordinatum (puta quia ſervivit Prælato ad utilitatem conſanguineorum ſuorum, vel patrimonii ſui, vel ad aliquid hujuſmodi) erit munus ab obſequio, & Simoniacum.*

Colligitur ſecundò. Etiamſi Beneficiato promiſſis 304
dicendis, & Sacramentis adminiſtrandis, ſtipendium, decimæ, annui redditus v. g. pro anniverſariis &c. ex pacto ſolvantur, Simoniam non eſſe; quia bonum temporale pro ſpirituali datur quidem ex pacto, ſed non animo unum alteri commenſurandi, ſeu ſervandi æqualitatem juſtitiæ commutativæ, quæ ad emptionem; vel venditionem ex natura rei requiritur: neque datur ut pretium, ſed ut ſtipendium pro ſuſtentatione.

Dixi *ex natura rei*; quia ex jure Eccleſiaſtico in mate- 305
ria Beneficiorum quælibet donatio cum pacto implicito, vel explicito Simoniam conſtituit; *c. Quæſitum 5. de Rerum permutatione*; & *cap. Cùm olim 7. tit. eod.* & ideò in explicatione particularum *emendi* vel *vendendi* addidi hæc

hæc verba: *vel ſaltem intelligitur talis contractus, qui ſecundùm probibitionem Legis Eccleſiaſticæ æquivalet contractui deſcripto.*

305 Dicitur tertiò: *Aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum:* Quia ex Lege Eccleſiaſtica pro Simoniaco habetur, qui pretio temporali emit, aut vendit aliquid connexum cum re per ſe ſpirituali, ſive ſit connexum antecedenter, ut Jus Patronatus, Electio, Præſentatio, Collatio, quæ habent connexionem antecedentem cum Beneficio Eccleſiaſtico: ſive concomitanter, ut labor in adminiſtratione Sacramentorum per ſe neceſſarius, ut habet communis ſententia cum S. Thom. 4. *diſtinct.* 25. *quæſt.* 3. *a.* 1. *quæſt.* 2.) ſive conſequenter, ut jura recipiendi redditus Eccleſiaſticos ex Beneficio ſpirituali. Ita enim *c. Si quis objecerit 7. cauſ.* 1. *quæſt.* 1. expreſsè ſtatuit Paſchalis Papa, ubi ait: *Quiſquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

307 Ut tamen quid nomine rei ſpiritualis, aut ſpirituali annexæ veniat, meliùs intelligatur, id magis in particulari declarandum eſt. Et quia hìc ſpirituale non ſumitur prout diſtinguitur à corporali; certum in primis eſt, ut etiam tradit Angel. Doctor *cit. quæſt.* 100. *a.* 3. *ad* 3. & *ſuperiori quæſt.* 71. *a.* 4. *ad* 2. Nomine rei ſpiritualis non intelligi ſcientias naturales, neque ſcientiam Juris, adeòque non eſſe Simoniacum pro officio Magiſtri minerval exigere, quamvis ut idem S. Doct. *cit. Reſponſ. ad* 3. notavit contra Juſtitiam peccare, cui pro hoc Officio ex Beneficio Eccleſiaſtico, eidem annexo annuum ſtipendium ſolveretur, eo pacto, ut gratis doceret. Imò ut cum Laymann *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. ultim.* §. 4. *num.* 3. ab ipſo relati Hadrian. Cajetan. Victor, Sotus, Leſſ. Suar. Palud. Sylveſter tradunt, neque Simoniacum eſt, pro doctrina Theologiæ Scholaſticæ, vel Moralis, vel Interpretationis Scripturæ Sacræ, mercedem accipere, quia etiamſi iſtæ ſcientiæ verſentur circa objecta ſpiritualia, & etiam ſupernaturalia, ſola tamen Inſtructio diſcurſiva Magiſtri per ſe, & ex fine intrinſeco, non ordinatur ad felicitatem ſupernaturalem; neque immediatè, aut principaliter dirigitur ad commovendam voluntatem, ſed dumtaxat ad illuminandum intellectum. Intentio autem particularis Magiſtri & diſcentium, referentium operam ſuam ad finem ſupernaturalem, ad quem omnes actiones noſtræ referri debent, non facit, ut ea in ſe, & ex natura ſua ſit ſpiritualis, & pretio inæſtimabilis

Unde etiam Collatio Graduum Doctoralium ex his ſcientiis non eſt res ſpiritualis, ac inæſtimabilis pretio: quamvis Prælati Eccleſiarum, qui ex officio tenentur procurare idoneos Magiſtros, qui pro aſſignato ſibi annuo ſalario ex redditibus Eccleſiaſticis Clericos & pauperes ſine alia mercedis exactione doceant, ſub graviſſima pœna prohibeantur pro Collatione Officii & Licentiæ ad docendum aliquid exigere, vel exactum & receptum retinere, utpotè injuſtum, & Eccleſiaſtici profectus ipſorum Clericorum valdè impeditivum, ut habetur *cap.* 1. 2. & 3. *de Magiſtris*.

Pari ratione teſtatur Suarez *lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 21. & Laymann *num.* 32. Pro Reſponſo, ſeu Conſilio Morali mercedem accipi poſſe; quia per ſe & directè doctoralis aliqua inſtructio eſt, licèt à petentibus recipiatur pro conſcientia ſua tranquillanda, & ſalute ſua aſſecuranda. Idem aſſerunt citati DD. de Ludimagiſtris pro ſimplici doctrina Chriſtiana pueris tradenda mercedem licitè exigentibus, quia non tradunt eam modo exhortatorio, & tanquam Miniſtri Verbi Divini, & quaſi nomine DEI; ideò hujuſmodi Inſtructio non ſe habet, ut Verbum DEI, ſed præcisè ut humana quædam eruditio, vel admonitio paterna, aut doctrinalis.

309 Verùm pro concione, exhortatione, Evangelii qualicunque prædicatione, directè & ex natura ſua ordinata ad intellectum, tanquam Verbo DEI illuminandum, & voluntatem inflammandam, Oratione privata, vel publica, Officii Divini celebratione, proceſſione, ſive ſupplicatione publica Fidelium, nihil, niſi per modum ſtipendii pro ſuſtentatione licet accipere, ut cum Sanctus Thom. *a.* 3. *ad* 2. communiter conſentiunt Doctores. Idem cum eodem S. Doct. *a.* 2. *ad* 3. aſſerunt vigore *capituli Ad noſtram de Simonia* & *cap. Conſulere ibid.* dicendum de Adminiſtratione Sacramentorum, & Sacramentalium, de Adminiſtratione Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ſive voluntariæ, ſive contentioſæ, collatione, electione, præſentatione ad Beneficia Eccleſiaſtica, diſpenſatione in irregularitate, in natalibus, in impedimentis dirimentibus matrimonium, legibus Eccleſiaſticis. Collatione Ordinum, etiam primæ Tonſuræ, ſuſceptione ad Religionem. In matrimonio autem diſtinguenda eſt ratio Sacramenti, & ratio contractus naturalis, quam S. Thom. *a.* 2. *ad* 6. vocat naturæ Officium. *Et ideò*, inquit, *dare pecuniam pro Matrimonio, in quantum eſt naturæ Officium, licitum eſt. In quantum verò eſt Eccleſiæ Sacramentum, eſt illicitum. Et ideò ſecundùm Iura probibetur, ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur.*

Loquendo nunc etiam de rebus per conjunctionem ſive connexionem ſpiritualibus, uti ſunt locus ſacer, ut ver. gr. in eo quis poſſit ſepeliri, vel certam ac ſtabilem in templo ſtationem obtinere, vaſa ſacra, veſtimenta ſacra &c. In his cum S. Thoma *a.* 4. iterum diſtinguenda eſt duplex æſtimabilitas, una materialis, quam habent ratione materiæ pretio æſtimabilis independenter à connexione cum aliquo ſpirituali, ita ut hoc non veniat in partem æſtimationis. Altera eſt æſtimabilitas ſpiritualis, quæ habetur à conſecratione, benedictione, vel à fine, ad quem res materialis ordinata ac deputata eſt. Hac diſtinctione ſuppoſita ait Sanctus Thom. *ad* 2. Vaſa ſacra ſunt ſpiritualibus annexa, ſicut fini: & ideò eorum conſecratio vendi non debet. Tamen pro neceſſitate Eccleſiæ & pauperum eorum materia vendi poteſt; dummodo præmiſſa oratione prius confringantur: quia poſt confractionem non intelliguntur vaſa Sacra, ſed purum metallum. Unde ſi ex eadem materia ſimilia vaſa iterum integrarentur, indigerent iterum conſecrari. Ita S. D. Similem ferè diſtinctionem inſinuat de loco Sacro pro fidelium ſepultura, quem qua talem certum eſt, non poſſe pretio vendi; ait tamen, etiamſi Abrahamo *Geneſ.* 23. locus ſepulturæ ut ſacer vendi non potuiſſet, *Abraham non peccaverit emens, quia non intendebat emere, niſi terram communem.* Et hoc titulo videtur excuſanda quorundam locorum conſuetudo, qua non tantùm admittitur, ſi quid pro loco ſepulturæ ſponte offeratur juxta *c. Ad Apoſtolicam de Simonia* & Gloſſ. *in c. Abolendæ de Sepult.* ſed etiam exigitur. Et ſic excuſat Laymann. *num.* 37. ubi inquit. Si quis certum locum Eccleſiæ vel cœmeterii ſibi, ſuæque familiæ tanquam proprium vendicare velit, non videtur eſſe prohibitum pro tali jure aliquid exigere, præſertim ubi conſuetudo viget. Quia talis obligatio incumbens Clericis, quòd alium in eo loco ſepelire non poſſint, videtur eſſe pretio æſtimabilis; ſicuti notavit Suar. *cap.* 12. *num.* 22. nec diſſentit Arragon. *quæſt.* 100. *a.* 4. *ad* 3. Binsfeld. *concluſ.* 3. *in fine*. Ubi notat eandem rationem eſſe de locis, quæ in Eccleſia certæ familiæ ad ſedendum jure proprio deſtinantur, & quaſi locantur; atque pecunia his titulis accepta ad Eccleſiæ fabricam deputatur. Ita refert & ſentit Laymann. conſentit etiam Palao *diſput.* 3. *de Simon. punct.* 8. *num.* 4. 310

Quæritur ſecundò: quomodò Simoniæ vitium dividatur. Reſpondetur, Simoniam dividi primò in eam, quæ eſt Juris Divini, ſive naturalis, & in eam, quæ eſt juris poſitivi ſeu Eccleſiaſtici. Simonia naturalis eſt, qua res de ſe ſpiritualis pretio temporali cum intentione aliquo modo ſervandi æqualitatem emitur, aut venditur. Simonia Poſitiva eſt, qua vel res ſolummodò connexa cum ſpirituali, vel non ex vero pacto, æqualitatem aliquo modo intendente, commutatur pretio temporali. Hinc *in cap. Si quis Epiſcopus* 1. *quæſt.* 1. & *cap. Salvator* 1. *quæſt.* 3. dicitur, eſſe Simoniam, vendere Officium *Oeconomi* qui res Eccleſiæ, & Canonicorum gubernat, *Vice Domini*, qui rebus Epiſcopi præeſt, *Advocati*, qui cauſas Eccleſiæ tractat, *Sacriſtæ*, cui ſupellectilis Eccleſiaſticæ cura eſt, *Caſtaldi*, qui *Major domus* dicitur. Quæ tamen officia omnia ſunt tantùm temporalia, & ad temporalium ſolummodò adminiſtrationem ordinata, remotè verò, & mediatè cum re ſpirituali connectuntur. 311

312 Dividitur ſecundò Simonia in mentalem, conventionalem, & realem. Mentalis eſt, qua aliqnid temporale datur animo alterum ex implicito pacto obligandi ad dandum aliquid ſpirituale; vel viciſſim; quæ tamen intentio, quia mente tegitur, ideò Simoniæ mentali nomen fecit. Conventionalis eſt, qua ex pacto manifeſto convenitur inter contrahentes de commutanda re ſpirituali pretio temporali, vel è contrà: contractus tamen vel neutrius, vel non utriuſque rei mutua traditione completur, quò etiam revocatur Simonia confidentialis, cùm quis alteri confert Beneficium, ut illud ſibi, vel alteri ſuo amico reſignet, vel penſionem ſolvat, de qua plura *num.* 232. Denique realis eſt, qua contractus mutua traditione etiam completur.

313 Quæritur tertiò: quantum peccatum ſit Simonia: Reſpond. Simoniam, præſertim naturalem, eſſe ex genere ſuo peccatum mortale; neque poſſe in ea dari parvitatem materiæ; quia in quacunque materia reperitur illa gravitas malitiæ, quæ conſiſtit in eo, quòd res ſpiritualis, ordinata ſcilicet ad poſſeſſionem Dei ſupernaturalem, tanquam ultimi finis, æquiparetur rei temporali, ordinatæ ad finem naturalem infinities inferiorem.

Circa Simoniam inductam Jure Eccleſiaſtico notandum eſt, eam, ſicut Summi Pontificis poteſtate inducta eſt, ita etiam per diſpenſationem impediri poſſe. Præterea notandum eſt, in collatione Beneficiorum ſæpè accipienti beneficium imponi aliquod onus non per modum pretii, vel remunerationis, ſed propter alium finem Eccleſiæ utilem. Unde ſi ipſum onus non ſubitur pro re ſpirituali accipienda, ſed ſi ipſum annectitur ſolummodò e. g. Beneficio accipiendo, uti contingit in capitulationibus ante electionem, quæ potiùs rationem Legis Conventionalis, ab electo obſervandæ, quàm commutationis habent, in his neque poſitiva Simonia, vel peccatum contra Religionem per ſe loquendo, & ſecluſo alio pacto Simoniaco committitur. Ideò inquit Angel. D. *a.4. in fin. Circa collationem beneficiorum ſciendum eſt. Quòd ſi Epiſcopus antequam Beneficium alicui conferat, ob aliquam cauſam ordinaverit, aliquid ſubtrahendum de fructibus Beneficii conferendi, & in pios uſus expendendum: non eſt illicitum. Si verò ab eo, cui Beneficium confert, requirat aliquid ſibi exhiberi de fructibus illius Beneficii, idem eſt, ac ſi aliquod munus ab eo exigeret, & non caret vitio Simoniæ.*

§. V.

De Pœnis Simoniæ.

S V M M A R I V M.

314 *Ex qua Simonia ipſo facto pœna incurratur. Et an exactio rei temporalis pro ſuſceptione ad Religionem aliquando excuſetur à Simonia.*
315 *Ut pœna Simoniæ incurratur, in non confidentiali requiritur, ut ſit ex utraque parte completa.*
316 *Levitas muneris aliquando poteſt excuſari ab affectu Simoniaco.*
317 *Pœna pro Simoniaco Ingreſſu in Religionem.*
318 *Pœna pro ſimoniacè accepto Ordine.*
319 *Pœna ſuſpenſionis pro ſimoniacè dato Ordine.*
320 *Pœna pro Beneficio ſimoniacè collato.*
321 *Ad quid teneatur Beneficiatus, quando ipſe non eſt complexus ſimoniaci criminis.*
322 *Qualis pœna ſimoniæ per Judicem inferenda.*
323 *Quomodo ſimonia confidentialis pœna mereatur.*
324 *Quales pœnæ pro ſimonia confidentiali ſtatutæ ſint.*

314 RESTAT, ut qualis pœna pro crimine Simoniæ ſtatuta ſit, diſcutiamus. In primis autem notandum eſt, non pro omni Simonia pœnam à Jure ſtatutam ipſo facto incurri; ſed ſolùm pro Simonia, quæ committitur Religionis ingreſſu, Ordine, & Beneficio Eccleſiaſtico. Imò etiam quoad Religionis ingreſſum, etiamſi pro admiſſione ad Religionem tam à dantibus, quàm ab accipientibus, etiam profeſſione non ſecuta, committatur Simonia, ſi id quod datur, non ſpontè offeratur, ſed exigatur ſine titulo neceſſariæ ſuſtentationis propter indigentiam Monaſterii, (nam hic titulus excuſaret à vitio Simoniæ, teſte S. Thom. *quæſt.* 100. *a.* 3. *ad* 4. ſicut excuſat, ut in ordine ad Sacramentum Matrimonii contrahendum poſſit exigi dos uxoris, ut concedunt Doctores communiter) tamen non incurritur pœna Simoniæ, niſi profeſſione votorum actualiter ſecuta, & Simoniaca exactione non priùs retractata: vel niſi per conſuetudinem præſcriptam ac toleratam deſierit obligatio nihil exigendi ab admittendis ad Religionem, de qua conſuetudine reſpectu Monialium jam vigente, teſtatur Laymann. *tract.* 10. *cap. ultim.* §. 4. *num.* 39. cum Philiarcho Binsfeld, Suar. Leſſio, aitque Summos Pontifices declaraſſe, nolle ſe, ut Moniales cenſuram aliquam incurrant, eò quòd in ingreſſu aut profeſſione ſuarum aliquid exigant. Ratio, quæ illos movit, erat ſpecialis utilitas, ut magis removeretur occaſio extra clauſtra, vel cum viris agendi propter tenuitatem rei familiaris. Imò apud eundem Laymann §. 7. *num.* 69. & Palao *punct.* 23. in fine, neutro diſſentiente exiſtimat Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 131. Extravagantem I. de Simonia, in qua Urbanus IV. ſtatuit pœnam Excommunicationis pro Simoniaco ingreſſu in Religionem, quoad hanc pœnam non eſſe receptam; unde Navarr. *Conſil.* 85. & 87. *de Simon. edit.* 2. & *in Manual. cap.* 23. *num.* 103. reſpondit: non incurri excommunicationem, niſi propter Simoniam in ordine, & Beneficio. Certè etiam in Religionibus virorum rarò hanc pœnam ſubigi, teſtatur Suar. *cap.* 56. *num.* 7. & Laymann. *num.* 7. eò quòd tenuitas reddituum Monaſterii, & conſuetudo, talem exactionem cohoneſtare poſſit. Imò credo ego rarò opus eſſe hac exactione, eò quòd ſe ipſos tradentes Religioni communiter ſpontè etiam ſua omnia, vel quoad magnam partem, tradant. De alia verò adhuc pœna, quæ *in cap. De Regularibus, cap. Quoniam, cap. Dilectus* 2. *de Simon. juncta Extrav.* 1. ſtatuta eſt, ut qui profeſſionem validè quidem, ſed ſimoniacè emiſit, pro pœna expellatur, & in aliud arctiùs monaſterium includatur, certum eſt, ante ſententiam judicis illam non incurri.

315 Secundò notandum eſt *juxta cap. Mandato de Simonia* per Simoniam ſolùm mentalem nullam pœnam incurri, excepta Simonia confidentiali. Quia, ut patet *ex cit. Extrav.* 1. & 2 *de Simonia* aliiſque SS. Canonibus, ſemper hæc pœna ſtatuitur in externam pactionem Simoniacam. Et quidem niſi executio facta ſit ex parte dantis rem ſpiritualem, adhuc communiter tradunt Doctores, pœnam nondum incurri: Imò quamvis plures DD. putent, talem executionem ſufficere ad dictam pœnam, ut Cajetan. Sotus, Toletus, Garzias, Valent. Palao, oppoſitam tamen ſententiam communem & ſecuram eſſe fatetur idem Palao, multos citans, & Laymann etiam multos referens qui negant, pœnam excommunicationis incurri, antequam etiam pretium temporale ſit perſolutum, adeòque antequam Simonia utrinque ſit completa, & conſummata: tum quia pœnæ temporales non aliter ſolent infligi, niſi quando crimen perfectè conſummatum eſt: tum quia in citatis Extrav. dicitur *dantes vel accipientes* temporale excommunicationi ſubjacere: ergo antequam dent, vel accipiant, nondum ſubjacent, ſicut non ſubjacent, antequam Religioſus Simoniacè ſuſceptus profeſſionem emittat, quamvis Simonia jam in ipſa ſuſceptione ſit commiſſa. Neque obſtat: quòd Gregorius VII. *cap. Ea, quæ* 1. *quæſt.* 3. dicat *Quidquid in Sacris Ordinibus, vel Eccleſiaſticis rebus, vel data, vel promiſſa pecunia acquiſitum eſt, nos irritum eſſe, & nullas unquam vires habere cenſemus.* Nam hic loquitur Pontifex non de pœna excommunicationis; ſed de acquirendis emolumentis, quorum acquiſitionem irritam reddit etiam propter ſolam promiſſionem rei temporalis, eò quòd ſuppoſita tali promiſſione non quidem compleatur culpa ad pœnam excommunicationis, ſed impediatur conditio, nempè negatio Simoniæ requiſita ad acquirendum Jus in emolumenta commiſſi criminis Simoniæ.

Aliorum verò emolumentorum, à crimine Simoniæ non dependentium Jure, talis Simoniacus neque per illam Gregorii conſtitutionem privatur, etiamſi talia forent, quorum ſuppoſita excommunicatione acqui-

rendo-

rendorum eſſet incapax; quia enim excommunicationem nondum incurriſſet, ideò neque ſuiſſet redditus incapax aliorum emolumentorum, v. g. ex alio Beneficio intereà obtento perceptorum; unde etiam ea neque reſtituere teneretur, etiamſi poſtea propter ſubſequentem ſolutionem pretii Simoniaci pro priori Beneficio Excommunicationem incurriſſet; quia hæc pęna, ſecluſo ſpeciali Judicis decreto, non retrahitur in tempus præcedens, quando primum Beneficium Simoniacè acquiſitum eſt.

316 Notandum denique etiam eſt id, quod dicitur *in cap. Etſi quæſtiones 18. de Simonia*. Ubi Pontiſex Strigonienſi Archiepiſcopo, de levi quodam munere temporali, an fuiſſet Simoniacum, dubitanti, reſcripſit in hæc verba. *Quod autem ſcriptum eſt: Beatus, qui excutit manus ab omni munere: de illis donis dictum eſt, quæ accipientis animum allicere, vel pervertere ſolent: quoniam ſi ipſa etiam perſona electa offerat Ordinatori, vel Conſecratori ſuo electuarium, aut de vino, ſive de aliis hujuſmodi, quæ modici pretii fuerint, & quæ voluntatem recipientis inclinare, vel movere non debeant: non tamen Eccleſia Romana interpretari conſuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem*. Unde autem levitas muneris colligi debeat, indicavit Pontiſex *in eodem capit.* ubi dixit: *In accipiendis, vel dandis muneribus tria maximè ſunt attendenda: perſonæ ſcilicet dantis, & accipientis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus:* quæ ſingula ibid. explicat Pontiſex. Nihilominus idem Pontiſex *in cap. Ex tuæ 20. eodem titul.* quendam qui pro præſentatione ad Ordinem ſolverat Archidiacono exigenti, ſex ſolidos, ab officio ſuſcepti ordinis perpetuò abſtinere juſſit. Ex quibus duobus capitulis inter ſe comparatis, colligitur, attendendum eſse, utrum id leve munus, quod datur, ſit cauſa movens ad reddendum ſpirituale, uti fuerunt petiti ſex ſolidi, hoc ipſo, quia petiti ſunt, & Archidiaconus aliter noluit præſentare ordinandum. Si verò non ſit cauſa movens, conſequenter nec Simoniam nec pœnam Simoniæ eſt inducens, quia omninò gratis datur. His prænotatis, contra Simoniam in Religionis ingreſſu, ordine collato, & Beneficiis Eccleſiaſticis commiſſam, decretas pœnas ſingulatim refero.

317 Primò. Ob ingreſsum Simoniacum in Religionem *in Extrav. 1. de Simonia* hæ pœnæ ſunt ſtatutæ. Perſonæ ſingulares dantis & accipientis non titulo ſuſtentationis, nec liberalitatis gratuitæ, ipſo facto incurrunt excommunicationem: Capitulum autem in Simoniam conſentiens ſuſpenditur ab officio capitulari quoad adminiſtrationem, Juriſdictionem, aliaque munia, & utraque pœna eſt reſervata Summ. Pont. Ipſe etiam Simoniacè profeſsus Religionem, niſi ab Epiſcopo diſpenſetur, debet, ſine ſpe reſtitutionis, in aliud ſtrictioris obſervantiæ Monaſterium includi. Cui pœnæ adſtipulantur *cap. Quoniam, & cap. de Regularib. de Simonia*.

318 Secundò. Ratione Ordinis Simoniacè collati (quo tamen Leſſ. & Palao nolunt comprehendi primam Tonſuram, Suarez autem & Laymann volunt comprehendi: mihi poſteriùs eſt probabilius; quia etiamſi in odioſis inſiſtendum ſit verbis propriè & rigoroſè acceptis, hìc tamen colligitur ex altera pœna, de qua mox dicam, Tonſuram includi tanquam aliquid pertinens ad Ordinem) ipſo facto incurrunt excommunicationem reſervatam Pontifici, quicunque vel dantis per directam cooperationem, vel accipientis nomine comprehenduntur. Ipſi verò ordinati ſunt ſuſpenſi ab omni Ordine, non tantùm, quem Simoniacè ſuſceperunt, ſed probabilius etiam ab omni præcedenti, quamvis de hoc à pluribus non immeritò dubitetur: uti etiam dubitant, quando non ipſe ordinatus, ſed alius pro ipſo, & ipſo inſcio munus Simoniacum dedit, an tunc non quidem ratione propriæ culpæ, qua caret, ſed propter culpam Simoniacè ordinantis, id eſt validè quidem, ſed inutiliter ad uſum Ordinem conferentis, ſuſpendendus ſit. Affirmat S. Thom. *quæſt. 100. art. ult. ad 3.* Abbas Sylveſt. Avila apud Laymann & Felinus apud Pal. ait: eſſe communem ſenſum, poteſtque probari a pari. Nam tali modo promotus ad Beneficium per Simoniam alienam, ſibi occultam, tenetur illa cognita renunciare Beneficio, & reſtituere fructus perceptos & nondum abſumptos, ut patet *ex cap. Nobis fuit de Simonia & cap. penultim. de Electione*. Sed alii negant paritatem: quia Ordo Simoniacè collatus, eſt validè collatus: at Beneficium Simoniacè collatum, non tantùm eſt illicitè, ſed etiam invalidè collatum; etiamſi promotus fuerit ignarus alieni criminis. Propterea per Simoniam alienam ignoratam ordinatum incurrrere ſuſpenſionem, negant Navarr. Henriq. Suar. Leſſius, Saa, Laymann, Palao. Quia *in capit. de Simoniacè tit. de Simonia*, dicitur. *Cùm quidam ipſis ignorantibus Simoniacè ordinentur, poſſunt (quia Simoniaci non ſunt) in ſuis Ordinibus remanere*. Quæ verba Gloſſa immeritò videtur limitare, aſſerens ſub *poſſe* ſubintelligi particulam *diſpenſativè*.

De ordinante tamen Simoniacè ſtatuit Sixtus V.
in Bulla quæ incipit *Sanctum & ſalutare* ut ſuſpenſus 319
ſit *à collatione quoruncunque Ordinum, atque adeò ipſius
Tonſuræ* (ecce! quod ſuprà monui, etiam Tonſura hic comprehendi debet ſub Ordine tam quoad culpam Simoniacæ collationis, quàm quoad pœnam ſuſpenſionis) *& ab executione omnium munerum Pontificalium*. Quam Bullam etiamſi teſte Palao *punct. 28.* Clemens VIII. anno 1595. revocaverit, & ad Jus commune reduxerit, tamen pęnas Simoniacorum voluit in ſuo robore permanere.

Tertiò. Ob Beneficium propriè dictum, ſive ſæcu- 320
lare (ſive regulare, cui ſcilicet verè convenit definitio Beneficii,) lex enim pęnalis non ultra rigorem verborum extendenda eſt) & propter quamcunque Prælaturam regularem, ſive vocetur Beneficium, ſive quaſi Beneficium, ſi Simonia realis, & omni ex parte completa interceſſit, pęnam excommunicationis Summo Pontiſ. reſervatæ incurrunt, quicunque criminis Simoniaci ſe participes effecerunt per electionem, præſentationem, poſtulationem, inſtitutionem, confirmationem, commendationem, procurationem (à cujuſcunque ſtatus vel conditiomis hominibus interpoſitam) vel alio ſimili modo, item per acceptationem Simoniacæ electionis receptionem Beneficii &c. Ita habetur *in Extrav. 2. de Simonia*.

Prætereà quidquid per Simoniam actum eſt, id nullum, irritum, & inane eſt, ipſeque Beneficiatus Beneficii poſſeſſione cedere, fructuſque perceptos reſtituere, vel ſi injuſtè abſumpſit; compenſare tenetur. Ut *in cit. Extravag.* decretum eſt. Imò etiamſi Simoniam alius in gratiam Beneficiati, eo penitus inſcio & innocente, commiſiſſet, hac cognita, Beneficiatus tamen beneficium, tanquam irritè obtentum, relinquere teneretur, nec poſſet ad idem beneficium promoveri, niſi fuiſſet tantùm beneficium ſimplex, ac eidem beneficio ſpontè, & ante ſententiam Judicis renunciaſſet, & poſteà Epiſcopus cum illo diſpenſaſſet: ut conſtitutum eſt *in cap. Nobis fuit 27. de Simonia & cap. penultim. de Electione*. Impetrata verò Epiſcopi diſpenſatione, poſſent ea, quæ ante Simoniæ crimen acta ſunt, adhuc ſervire ad obtinendum illud beneficium: ſi e. g. Electio ad beneficium non fuiſſet Simoniaca, ſed ſi Simonia tantùm fuiſſet commiſſa pro confirmatione electionis, vel aliqua alia actione poſteriore: quia actiones ante Simoniam commiſſam non irritantur ut *ex cap. Si Confirmationem de Electione in 6.* docent Leſſ. & Suar. quos ſequitur Palao *punct. 25. num. 6.*

Dixi tamen ſi Beneficiato inſcio, alius *in ejus gra-* 321
tiam Simoniam commiſiſſet. Nam ſi *in ejus odium* commiſiſſet, dando munus temporale, ut collationem beneficii irritam redderet, in hoc caſu innocenti crimen Simoniæ non obeſſet: juxta *cit. cap. Nobis fuit, & cap. Sicut tuis litteris de Simonia*. Item non obeſset, ſi promotus ad beneficium, ſciviſſet quidem alium velle in ſuam gratiam committere Simoniam, & dare munus temporale, ipſe tamen contradixiſſet, & prohibuiſſet dare: etiamſi ille alter deinde tamen clàm & inſcio beneficiato dediſſet: patet *ex cit. cap. Sicut tuis*. Quòd ſi verò recipiens Beneficium illam ipſam dationem à ſe prohibitam priùs recognoviſſet, hoc ipſo nec validè nec licitè poſſet acceptare Beneficium, ut iterum patet *ex cap. penult. de Elect. & c. ſicut tuis*.

322 Præter prædictas pœnas, quas ipſo facto incurrit per commiſſam à ſe Simoniam accipiens Beneficium, alia adhuc pœna per Judicis ſententiam illi inferenda eſt; nempè debet privari Beneficio, vel Beneficiis, quæ priùs legitimè obtinuit: ut colligitur *ex cap Presbyter 1. quæſt. 1. cap. Sicut Simoniaca. cap. De hoc de Simon.* Ad alia verò Beneficia de nova acquirenda per Bullam Pij V. quæ incipit *Cùm primùm*, & eſt quinta in Bullario ejuſdem Pontif. omninò inhabilis redditus eſt, ſed quoad hanc pœnam teſte Laymann, Suarez, Navarr. Leſſio, Palao non eſt uſu recepta, ſaltem in pleriſque locis. Unde etiam hæc pœna nonincurritur ante ſententiam, ſaltem declaratoriam Judicis.

323 Quod de pœnis Simoniæ realis conſtitutum eſt in citatis Extravagantibus, & Capitulis, id ipſum ferè decretum eſt à Pio IV. in Bulla, quæ incipit *Romanum* Ordine 109. in Bullario, & à Pio V. in Bulla, quæ incipit *Intolerabilis* Ordine 87. adverſus Simoniam Confidentialem, ſive ea committatur per *Acceſſum*, ſive per *Regreſſum*, ſive per *Ingreſſum*, ſive per *Pactionem penſionis alteri ſolvendæ*. Dicitur autem Simonia confidentialis committi per Acceſſum, cùm quis alicui procurat Beneficium vacans, ea conditione, & pacto implicito, vel explicito, ut accipiens Beneficium aliquando ipſum reſignet illi procuranti, vel alteri ab eo deſignato aut deſignando. Per Regreſſum dicitur committi, quando quis ſuum Beneficium alteri reſignat tali pacto providentiali, vel confidentiali, ut iſte rurſum aliquando per reſignationem det Regreſſum ipſi reſignanti, vel alteri ab ipſo deſignato, vel deſignando. Per Ingreſſum committitur Simonia, quando quis Beneficium jam quidem ſibi collatum, ante aditam poſſeſſionem reſignat alicui cum pactione, ut iſte aliquando per reſignationem ſibi vel alteri deſignato aut deſignando aperiat ingreſſum, ut rurſum poſſit adire poſſeſſionem ejuſdem Beneficii.

Ultimus denique modus Simoniæ confidentialis eſt, cùm quis procurat, vel renuntiat alicui Beneficium, cum pacto explicito vel implicito, partem fructuum vel penſionem ſibi vel alteri præſtandi: quanquam Navarrus, Menochius, Garcias, Leſſius, quos refert nec improbat Laymann *tract. 10. cap. ult.* §. 8. putent, ſi aliquis dictam partem fructuum, vel penſionem, ſibi ipſi præſtandam paciſcatur, id potiùs Simoniam Conventionalem, non Confidentialem eſſe: eò quòd verba Pii V. in rigore accipienda, neque ultra eorum rigorem extendenda, ita ſonent. *Ut Beneficium in eventum regreſſus, vel acceſſus eidem dimittendi, vel alteri poſtea conferatur: aut illius fructus, vel eorum pars alii, vel aliis concedantur, vel penſiones ſolvantur ex iiſdem, hæc Confidentia cenſeatur.* Quæ differentia non eſt quæſtio de nomine: nam ſi non committitur Simonia confidentialis, tunc pœnæ Simoniacis ſtatutæ non incurruntur, niſi quando Simonia ex utraque parte, ſcilicet per receptionem rei ſpiritualis, & dationem rei temporalis, nempè fructuum vel penſionis, completa eſt. At pœnæ pro Simonia Confidentiali incurruntur, quamprimùm executioni data eſt ex parte rei ſpiritualis, nempè Beneficii collati. Cùm enim Conditio Simoniaca pendeat ſæpè in tempus longum futurum, neceſſe fuit ad hoc crimen Simoniæ Confidentialis impediendum, ut ejus executio non expectaretur in ordine ad infligendam pœnam. Et quia pro hujus conditionis poſt longum tempus obtinendæ certitudine neceſſe eſt, pactum aliquod ſaltem implicitum, vel tacitum interveniſſe; hinc pro Simonia Confidentiali ſtatutæ pœnæ incurruntur, etiamſi pactum non fuerit expreſſum: quæ ratio, quia locum non habet in Simonia Mentali, ideò ſuprà aſſerens, pœnas ſtatutas non incurri per Simoniam mentalem, excepi, ex omnium Doctorum conſenſu, Simoniam Confidentialem.

Ut verò pateat, quod paulò antè dixi pœnas Simo- 324
niæ Confidentialis ferè eaſdem eſſe, cum pœnis Simoniæ Realis, refero eas in compendio. Prima eſt Excommunicatio reſervata Papæ, tam probantibus, quàm accipientibus, conſtituta. Secunda Reſignatio & Collatio Beneficii eſt nulla. Tertia eſt inhabilitas ad alia Beneficia obtinenda, quæ tamen etiam non datur ante ſententiam, ſaltem declaratoriam criminis. Quarta ſimiliter poſt ſententiam ſubeunda privatio omnium Beneficiorum antè legitimè poſſeſſorum. Illud verò Beneficium quod per Simoniam Confidentialem acquiſitum eſt, reſervatur Collationi Sedis Apoſtolicæ, & ex eo percepti fructus omnes ſunt reſtituendi, & Cameræ Apoſtolicæ applicandi. Mitior tamen eſt pœna Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum, qui conſcii Simoniæ alienæ ad eam cooperati ſunt; hi enim non Excommunicationem, ſed Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ incurrunt. De aliis Mediatoribus & Cooperatoribus in Pii IV. & V. Bullis nihil expreſſum eſt: ideò iſti ſaltem incurrunt pœnam Simoniæ Realis, poſtquam Simonia Confidentialis ex utraque parte completa eſt, & in naturam Simoniæ Realis tranſiit reſpectu Mediatorum.

TRA-

TRACTATUS VI.

DE SACRAMENTIS IN GENERE, ET IN SPECIE.

DISPUTATIO I.

De Sacramentis in Genere.

OMne Sacramentum Novæ Legis triplici modo ſpectari poteſt, nempè prout eſt totum Metaphyſicum, Phyſicum, & Morale. Ad primam conſiderationem pertinet Definitio Sacramenti: Ad Secundam conſiderationem ſervit deſignatio, ac declaratio Materiæ, & Formæ, quarum comprehenſione, ac incluſione imitantur Sacramenta Phyſicam compoſitionem corporis naturalis, & habent ſe, ut totum Phyſicum. Ad tertiam denique conſiderationem attinent omnia, quæ ad integritatem, ac valorem Sacramenti, ita ſunt neceſſaria, ut ſine aliquo eorum non conſiſteret ratio Sacramenti, quæ ſicut non habent Phyſicam, ſed tantum Moralem unionem, ſic etiam totum dumtaxat Morale conſtituunt (ſicut Civitas, Reſpublica, Eccleſia, & alia ejuſmodi tota, quæ per aggregationem partium conſtituuntur) & ſub ratione talis totius Sacramenta per genus, & differentiam definiri, atque ad imitationem totius Phyſici pariter explicari poſſunt. Quæ omnia ſequentibus Articulis aliquot quæſtionum Reſolutione præſtabimus.

ARTICULUS I.

Quid ſecundùm Conceptum Metaphyſicum ſit Sacramentum Novæ Legis.

SUMMARIUM.

1 *DEfinitio Sacramentorum N. L.*
2 *Declaratio definitionis.*
3 *Numerus Sacramentorum N. L.*

1 DE Sacramentis antiquæ Legis, cùm à S. Paulo *ad Gal.4. verſ.9.* Infirma, & Egena Elementa dicantur, & huic ſtatui, ac perfectioni Eccleſiæ minimè ſint proportionata, noſtrum non eſt, definitionem aliquam communem laborioſè excogitare, & utrùm ea univocè utriſque Sacramentis conveniat, diſputare; quia hoc ipſo, quòd etiam Antiquis Sacramentis competeret, dignitatem, ac perfectionem Novorum Sacramentorum, de quibus nobis ſermo eſt, non adæquaret, nec ſatis exprimeret. Reſp. Itaque Sacramentum novæ Legis in Catechiſmo Romano Authoritate Concilii Tridentini, & juſſu Pii V. per Doctiſſimos Theologos, ad hoc opus delectos, Romæ edito, ac approbato, in tit. de Sacram. in Genere, & ex S. Auguſtino, clarioribus verbis explicato, rectè ſic definiri: Sacramentum eſt *Inviſibilis gratiæ viſibile Signum ad noſtram ſanctificationem inſtitutum*. Quem ſenſum etiam continent verba ipſius Concilii Tridentini Seſſ. 13. c. 3. ubi ait: *Symbolum eſſe rei Sacræ, & inviſibilis Gratiæ formam viſibilem*. Eodem ſenſu S. Thom. 3. *par. q.60. ar. 2. in c.* inquit: Sacramentum, ſecundùm quod nunc de Sacramentis loquimur, eſſe *ſignum rei Sacræ, inquantum eſt ſanctificans homines*, id eſt, in quantum illa res Sacra vi illius ſigni datur (niſi ei ponatur obex) & hæc actu ſanctificat homines.

2 Ex quibus omnibus verbis colligitur, duo ad Metaphyſicam eſſentiam Sacramenti requiri; in primis, ut ſit ſignum Gratiæ Juſtificantis, ſive Sanctificantis, quæ eſt ipſa res Sacra. Deindè ut eam gratiam etiam uſu ſuo cauſet; ideò enim dicitur Sacramentum inſtitutum ad noſtram Sanctificationem, ut eam uſu ſuo conferat, & eſſe inviſibilis Gratiæ formam viſibilem, ſive ſenſibilem, quia eſt cauſa, & motivum, ut Deus ſuſcipienti Sacramentum inviſibilem Gratiam infundat, præſtantem id, & ſimile quid in anima Hominis, cujus ipſum Sacramentum eſt quædam ſenſibilis Imago, ac forma, ſive Symbolum, & ſimilitudo ſenſibilis. e.g. Baptiſmus ſignificat, & cauſat gratiam Juſtificantem, ſive ſanctificantem, quia ſicut corpus per Baptiſmum exteriùs ſenſibiliter abluitur, ſic anima interiùs, & inviſibiliter purgatur, & lavatur à macula peccati originalis: & ſic de aliis Sacramentis loquendo. Nam Confirmatio per Unctionem chriſmatis ſignificat, & cauſat Gratiam roborantem ad fortiter propugnandam fidem in Chriſtum. Euchariſtia per modum cibi, & potus ſumpta ſignificat, & cauſat Gratiam reficientem, & confirmantem vires animæ, ſicut cibo, & potu reficitur corpus. Pœnitentiæ Sacramentum externa Accuſatione, & abſolutione ſignificat, & cauſat Gratiam, liberantem à reatu peccati, & pœnæ æternæ. Extrema Unctio ſignificat, & cauſat Gratiam conſortantem ad ultimam luctam. Ordo per impoſitionem manuum Epiſcopalem, & per traditionem inſtrumentorum, ad Sacrificium Miſſæ ſervientium, ſignificat & cauſat Gratiam fungendi Sacra quadam poteſtate, ad Sacrificium Miſſæ ordinata. Matrimonium per externum contractum ſponſorum ſignificat, & cauſat Gratiam, ad indiſſolubilem vitæ Societatem, & fidem conjugalem ſervandam.

Et quia tantùm hæc 7. ſigna ſenſibilia, Symbolica, ſtabilia, ſive ad deſignandam ſtabilitatem Eccleſiæ conſtanter uſurpata, Gratiæ juſtificantis ſuo uſu cauſativa, à Chriſto ſunt inſtituta, ideò nec plura nec pauciora dantur Sacramenta, quàm ſeptem: ipſa verò, quæ dantur, & eo modo quo de facto dantur, per dicta vocabula ſecundùm communem rationem Sacramenti Novæ Legis definiri poſſunt, dicendo: *Sacramentum Novæ Legis eſt ſignum ſenſibile, Symbolicum, ſtabile, cauſativum Gratiæ Sanctificantis, à Chriſto Domino inſtitutum*. Undè quia Sacramenta Antiquæ Legis ſignificabant quidem, ſed non per ſe ipſa, ſive ex opere operato, ut Theologi loquuntur, cauſabant gratiam, ab Apoſtolo meritò dicta ſunt, infirma & egena elementa. Et quia in Nova Lege dantur multæ res ſenſibiles, ſignificantes Gratiam Sanctificantem, ſed eam non cauſantes ex opere operato, & ex Chriſti inſtitutione, ut aqua luſtralis, & aliæ res ab Eccleſia benedictæ, vel conſecratæ; hinc non ſunt Sacramenta; dicuntur tamen Sacramentalia, vel propter vim ex uſu Eccleſiæ ſignificandi Gratiam inviſibilem, vel propter quandam ſimilitudinem externam cum Sacramentis, vel propter ordinem aliquem, ad Sacramentorum perceptionem cum conſueta ſolemnitate, ac cæremoniis. 3

AR-

In Confirmatione Latini utuntur hac forma: *Signo te ſigno Crucis & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, &c.* ut conſtat ex Concil. Florent. in Decreto fidei ſub Eugenio IV. & ex S. Thom. *3. par. quæſt. 72. ar. 4.* ſed in Ordine Romano, qui eſt antiquiſſimus Liber, cùm jam ab Alcuino & Amalario 900. ab hinc annis fuerit citatus, his verbis exprimitur forma: *Signa eos Domine ſigno crucis* (& dum frontem inungit Epiſcopus, addit) *ego te confirmo in nomine Patris, &c.* Imò Franc. Amicus *diſp. 13. ſect. 3. à num. 71.* ex Synodo VI. Generali *can. 95.* refert, & teſtatur, annis circitèr 750. ante Concil. Florent. in Græca Eccleſia hæc ſolummodò verba pro forma Confirmationis fuiſſe uſitata, quæ à cit. Synodo ſunt expreſſa, dum ait: *Sancto primùm Chriſmate inungentes, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures conſignantes autem dicimus: ſignaculum doni Spiritus Sancti.* Quæ forma ultimis quatuor verbis comprehenſa, neque ab ipſa Synodo, quantumvis congregata propter uniendam Eccleſiam Græcam cum Latina, neque ab Innocent. IV. & Clement. VIII. in peculiaribus Bullis de eadem unione utriuſque Eccleſiæ improbata eſt, eaque adhuc in Græcis ritualibus habetur, & illius expreſſam mentionem fecit præfatus Clem. VIII. *In Bulla de Inſtructione Græcorum*, ipſamque etiam citati Authoris tempore nova Congregatio ab Vrban. VIII. erecta approbavit. Ex hac tamen varietate formarum non rectè infertur mutatio ſubſtantialis, ſed hoc ſolum colligitur, ſenſum formæ in his Sacramentis à Chriſto intentum, tantum eſſe illum, qui omnibus iſtis formis eſt communis, reliqua autem verba, quæ communem ſenſum non immutant, ab utraque Eccleſia adhibita & ſtatuta eſſe, ut eſſent de neceſſitate præcepti, non de neceſſitate Sacramenti.

Idem dicendum de diverſis formis in Sacramento Ordinis, quando Eccleſia latina confert Presbyteratum hac forma: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium miſſamque celebrare pro vivis & defunctis.* Græca autem hac: *Divina Gratia creat ſeu promovet* (v. g.) *Petrum venerabilem in Presbyterum.*

Cæterum licèt formæ in Sacramento Confirmationis & ordinis quoad modum explicitè vel implicitè, clarè aut obſcurè ſignificandi, valdè differant, in Sacramento Baptiſmi tamen Græca & Latina forma etiam quoad modum explicitè & clarè idem ſignificandi conveniunt; unde colligitur etiam hunc à Chriſto in hoc Sacramento intentum eſſe, utpote in adultis clariorem cognitionem myſteriorum fidei, quam quis per Baptiſmum profiteri incipit, præſupponente, quemadmodum Chriſtus Apoſtolis ſuis præcepit, ut priùs docerent; deinde baptizarent gentes, & Philippus Eunucho baptiſmum poſtulanti, reſpondit; *ſi credis, licet*, id eſt, nihil te prohibet baptizari, ſuppoſita fide.

8 Tenendum ſecundò. Mutationem formæ, etiam privatam abſque Eccleſiæ authoritate factam, ſubſtantialem non eſſe, quamdiu verba retinent ſenſum, & modum ſignificandi à Chriſto intentum; retinent autem illum, ſaltem ex accomodatione uſus, vel ex acceſſione certarum circumſtantiarum, etiamſi verba nonnihil corrumpantur, vel propter ruditatem perſonæ proferentis, ob quam Zacharias Pontifex *in cap. Retulerunt de Conſecratione diſtinct. 4.* approbavit baptiſmum à Sacerdote ignaro idiomatis Latini hac forma collatum: *Ego te Baptizo in nomine Patria & Filia & Spiritu Sancta.* vel propter balbutiem linguæ, aliquas ſyllabas aut litteras minùs rectè pronuntiantis, ut ſi in voce *corpus* quis nequeat pronuntiare, R. vel propter dialectum unam vocalem pro altera enuntiet, *a. pro o. e. pro.* i. vel viciſſim, aut ſi aliquam addat, ut Chinenſes pro *Baptizo* dicunt: *Bapetizo.*

9 Retinetur etiam ſenſus intentus quoad ſubſtantiam, quando per additionem aliorum verborum non mutatur res ſignificata per verba neceſſaria ad formam, ut ſi in forma Baptiſmi diceres: In nomine Patris *omnipotentis*, Filii *ſapientis*, Spiritus ſancti *clementis*. At ſi diceres Patris *majoris*, & Filii & Spiritus Sancti *minoris* jam mutares ſignificatum perſonarum, quia tales perſonæ inæquales non dantur in Trinitate. Sic ſi verbis conſecrationis. *Hoc eſt corpus meum*: adderes: *aereum*, iterum mutares rem ſignificatam, quia Chriſtus habuit, & voluit ſignificari corpus verum, non aereum: quòd ſi autem addidamentum eſſet quidem falſum, ſed non tolleret veritatem rei ſignificatæ per verba neceſſaria, nondum eſſet mutatio ſubſtantialis: ut ſi diceres: *hoc eſt corpus meum non tradendum in mortem, non ex virgine natum.* Quia ſic affirmas verum corpus Chriſti, ſed de vero corpore affirmas falſum, manente proinde ſenſu à Chriſto intento. illaque adjecta verba non ampliùs profers in perſona & nomine Chriſti; ſed tuo.

Pari modo ſi per ſubtractionem alicujus verbi non immutas, nec imminuis ſenſum à Chriſto intentum, 10
e. g. ſi in forma Baptiſmi omittas particulam *Ego* ſicut Græci, vel in forma conſecrationis particulam *enim* non eſt mutatio ſubſtantialis: peccares tamen ſaltem venialiter hujuſmodi omiſſione; ſicut etiam non præſcripti verbi additione. Imò propter irreverentiam, vel contemptum facilè peccares graviter, ſi quod additum eſt, ſive verè, ſive falsò, vel omiſſum eſt, eſſet notabile: ut ſi formæ baptiſmi adderes: & *in nomine Beatiſſimæ Virginis*, etiamſi per τὸ *in nomine* non velles ſignificare æqualem authoritatem cum divina (nam tunc additamentum omninò falſificaret ſubſtantiam totius formæ præcedentis, teſte S. Thom. *quæſt. 6. a. 8.*) vel ſi in conſecratione Calicis omitteres: *novi & æterni Teſtamenti &c.* etiamſi tibi certum eſſet, illa verba non eſſe eſſentialia.

Tenendum Tertiò. Etiamſi verba à Chriſto deter- 11
minata, ſenſum, & modum ſignificandi determinatum continentia, ſine ulla mutatione, corruptione, additione, ſubtractione proferantur, ſi illa tamen per reſtrictionem mentalem efferantur ſolùm materialiter & fictè, ex intentione per illa nihil ſignificandi, vel aliquid aliud ſignificandi, ſubintelligendo quædam verba, mutantia ſenſum intentum à Chriſto; vel uſurpando illa in alio ſenſu, ſi alium etiam ex primæva ſua inſtitutione, vel ex recepto uſu contineant, in tali inquam caſu, formam Sacramenti mutari implicitè & ſubſtantialiter, niſi reſtrictio mentalis per aliam intentionem generalem, utendi verbis in ſenſu legitimo, à Chriſto vel ab Eccleſia intento, corrigatur. Hinc ſi Arrianus in forma Baptiſmi per naturam divinarum perſonarum vellet ſignificare perſonas inæquales, nempè Patrem majorem, Filium & Spiritum Sanctum minorem, vel ſi Sacerdos in Conſecratione Calicis particulam *Hic* ſumeret adverbialiter, cùm tamen ſit ſumenda adjectivè: Hic eſt enim Calix ſanguinis mei &c. In utroque caſu mutatio hujuſmodi tacita, ſive mentalis, dicenda eſt ſubſtantialis, reddens formam Sacramenti invalidam.

Niſi dictus Arrianus vel Sacerdos conſecrans, ſuam 12
reſtrictionem mentis corrigat per intentionem hanc generalem, uſurpandi verba in ſenſu vero, & legitimo, quicunque ille ſit, ſi is à ſenſu per reſtrictionem mentalem intento ſit alienus. Et hæc intentio corrigens privatum errorem circa legitimum ſenſum teſte Lugo etiam in hæreticis præſumenda eſt, niſi conſtet de contraria malitia, ac pervicacia. Ratio autem quare abſque hujuſmodi intentione corrigente, forma per mentalem reſtrictionem reddatur invalida ac ſubſtantialiter diverſa, eſt hæc: Quia licèt privata authoritate nemo poſſit mutare vim ſignificandi verborum, quam habent ex communi uſu & inſtitutione, ut tamen verba vim ſuam ſignificandi in actu ſecundo habeant completam, debent non tantùm materialiter proferri, nec per enuntiationes inadæquatas, ſive imperfectas, ita ut in mente reſerventur alia verba, quæ ſenſum externæ enuntiationis alienant, vel ſi ſenſus verborum eſt æquivocus, ac quoad vim ſignificandi indeterminatus, non debent determinari ad alium ſenſum; diverſum ab eo, in quo à Chriſto & ab Eccleſia accipiuntur, ac proferenda præcipiuntur. Ab intentione enim loquentis dependet vis ſignificandi verborum in actu ſecundo: quamvis non dependeat vis ſignificandi in actu primo: quæ ſola privatam Authoritatem excedit.

ARTI-

ARTICULUS III.

Quid ſit Sacramentum, ſpectatum ut totum morale.

QUia multa ſunt, quæ ad integritatem, & valorem Sacramenti ita requiruntur, ut uno eorum non poſito non ponatur integrum, & validum Sacramentum, & quia tamen illa neque opus eſt phyſicè inter ſe uniri, neque eodem loco, aut tempore exiſtere, modò partim per ſimultaneam, partim ſucceſſivam exiſtentiam, & ordinem ad eundem finem moraliter uniantur, unione non informationis, ſed aggregationis, ideò Sacramentum eſt totum aliquod morale, cujus nunc ſingula conſtitutiva indagamus præter materiam, & formam, de quibus præcedenti articulo diximus.

§. I.

An & qualis intentio Miniſtri ad Sacramentum requiratur.

SUMMARIUM.

13 *Qualis intentio Miniſtri requiratur, & ſufficiat ad validam adminiſtrationem Sacramenti.*

14 *Intentio Miniſtri debet coexiſtere adminiſtrationi Sacramenti, vel actualiter, vel virtualiter, nec ſufficit habitualis coexiſtentia.*

15 *Intentio Sacramenti extra Matrimonium debet, vel eſſe, vel tranſiiſſe in abſolutam, quando ponitur materia, & forma.*

16 *In ſolo Matrimonio dicta intentio abſoluta non requiritur.*

17 *Non nunquam neceſſe eſt, ut Intentio Miniſtri ſit quoad modum tendendi conditionata.*

13 DIcendum primò, ad integritatem Sacramenti eſſentialem requiri adhuc Intentionem Miniſtri, qua actionem ab ipſo ponendam non præcisè vult phyſicè, & abſolutè, ſecundùm ſe ſpectatam ponere (quam voluntatem neque Hæretici negant, eſſe neceſſariam ad operandum) ſed qua vult ponere ad eum finem, ad quem à Chriſto, vel ab Eccleſia intenditur, & ad quem ejuſmodi actio in Eccleſia fieri ſolet; nempè ad conficiendum Sacramentum, vel ad cauſandam gratiam. Quem quidem finem non eſt neceſſe, intendi ſemper explicitè; cùm etiam hæretici validè adminiſtrent Sacramentum Baptiſmi, & Matrimonii, quamvis putent, per neutrum cauſari gratiam, & Matrimonium neque eſſe Sacramentum; eſt tamen neceſſe, & ſufficit, intendi ſaltem implicitè; in quantum quis vult ponere ſuam actionem ſimili modo, quo ab aliis in Eccleſia poni ſolet, adeòque in quantum vult facere, quod facit Eccleſia. Quæ intentio quia prævalet, & prædominatur errori privato hæreticorum, eumque emendat, & implicitè retractat, hinc ſufficiens eſt, ut etiam ipſi validè adminiſtrent Sacramentum Baptiſmi, ut definitum eſt à Concil. Trident. *Seſſ.7. Can.* 4. & in *cap. ſi qui apud illos diſt.* 4. Sic etiam approbatur ab Eccleſia Baptiſmus, ab Athanaſio adhuc puero ludente quibuſdam pueris catechumenis adminiſtratus; quia ut ipſe deinde faſſus eſt, verè intendit facere id, quod vidit Alexandrinum Patriarcham facientem. Pari ratione quidam cum Bellarm. putant: Geneſium Mimum coram Diocletiano in ludibrium Catholicorum Baptiſmum petentem, & recipientem, ſubitò divina illuſtratione fuiſſe permotum, ut illum ſeriò peteret, & Miniſtrum habuiſſe intentionem id præſtandi, quod vidit ſeriò peti, adeòque faciendi, quod facit Eccleſia, Quamvis alii Doctores non pauci ſentiant, Geneſium ab Angelo edoctum de efficacia Baptiſmi, ſeria ac perfecta contritione de ſua infidelitate, & aliis peccatis juſtificatum, ac deinde per Martyrium ſanguine ſuo baptizatum eſſe.

Ratio autem Concluſionis de neceſſitate prædictæ Intentionis partim deſumitur ab Authoritate Concil. Trident. *Seſſ.7. Can.* 11. de Sacramentis in genere, ubi ait: *Si quis dixerit in Miniſtris dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit.* Partim deſumitur à paritate aliarum actionum, à procuratore, Miniſtro, vel Legato alterius principalis nomine poſitarum, quæ utique non valerent ad efficiendum verum contractum, ſtipulationem &c. ſi quis illa poneret tantùm phyſicè, & materialiter, abſque intentione faciendi id, quod ipſe Principalis voluit fieri, & ſignificandi id per verba prolata, ad quod ſignificandum ſunt inſtituta, & à principali intenta: cùm ſigna, abſque intentione ſignificandi prolata, non ſint verè ſigna, & ſic neque Sacramenta, de quorum eſſentia eſt, eſſe ſignum, & eſſe actionem nomine Chriſti, tanquam cauſæ principalis, eatenus præſtitam, quatenus ipſe per illam à Patre Cœleſti petit conferri gratiam ſanctificantem ei, qui ſuſcipit Sacramentum.

Hinc dicendum ſecundò juxta communem, & certam ſententiam, intentionem priùs requiſitam, vel debere eſſe actualem, vel virtualem, nec ſufficere merè habitualem, nec interpretativam, nec indirectam. 14 Actualis intentio eſt, quæ actu, & per ſe ipſam exiſtit. Virtualis eſt quædam ſaltem remiſſa reminiſcentia præteritæ intentionis non retractatæ, vel remiſſa proſecutio ejuſdem objecti, ex præcedenti intentione actuali orta, ideò actualis intentio, quatenus ut virtus aliquo modo cauſativa exiſtit in ſuo effectu, huic tribuit denominationem intentionis virtualis, & ipſa dicitur in ſuo effectu virtualiter exiſtere. Merè habitualis intentio autem eſt intentio præterita, nec in ſe, nec in dicto effectu ampliùs exiſtens, necdum tamen retractata, adeòque aliquo modo habitualiter exiſtens, quatenus is qui illam intentionem aliquando habuit, adhuc cenſetur ita eſſe comparatus, ut quaſi habitum contraxerit, idem volendi, ſi objectum intentum illi rurſum proponeretur, & priores circumſtantiæ redirent. Interpretativa intentio eſt negatio omnis actualis intentionis præteritę, & exiſtentis, ac ſimul diſpoſitio animi ad illam eliciendam, ſi objectum intendendum illi repræſentaretur. Intentio indirecta eſt intentio alicujus rei directa, cum qua altera res, quæ indirectè intendi dicitur, dicitur eſſe connexa, & conſequens: ut ſi quis vellet ſe inebriare prævidens, quòd in ebrietate hoc vel illud eſſet facturus e.g. occiſurus ſuum inimicum, blaſphematurus Deum, baptizaturus infantem &c.

Deducitur nunc ſtatuta concluſio ex præcedentis concluſionis ratione: talis enim requiritur intentio ad validè adminiſtrandum Sacramentum, qualis requiritur ad operandum nomine alterius; cujus quis Miniſtrum, Procuratorem, vel legatum, vel Commiſſarium agit: nam qui adminiſtrat Sacramentum, cum S. Paulo 1. *Cor.4.v.1.* dicere poteſt: *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores Myſteriorum Dei*: ſed ad operandum nomine alterius, ſi non datur intentio actualis, requiritur ſaltem, & tamen ſufficit intentio virtualis: ergo &c. Quòd enim alterutra requiratur, patet ex eo, quia reliquæ intentiones commemoratæ non poſſunt dirigere, movere, ac determinare ad operandum nomine alterius.

Habitualis namque, & interpretativa, neque in intellectu, neque in voluntate exiſtit, nulloque modo actionem ponendam repræſentat, ut voluntas ad ejus executionem influere, & illi exiſtentiam ad valorem tribuere poſſit. Indirecta autem tantùm intendit objectum directum, & propter hoc ſolum ponitur operatio: alterum verò objectum connexum prorſus eſt præter, & ſæpè contra intentionem operantis: ergo non poteſt ſufficere, ut ipſum objectum connexum cenſeatur poni nomine alterius; cum voluntas, & Authoritas iſtius non moveat, & non impellat, ac determinet ad ipſius objecti poſitionem. Undè Intentio habitualis, & interpretativa, & indirecta poſſunt quidem ſufficere ad alios caſus, in quibus intentio non debet influere, ac movere, vel dirigere actionem e. g. ut actio poſita poſſit adhuc dici habitualiter, interpretativè, vel indirectè voluntaria, non verò poſſunt ſufficere, quando deberent dicto modo concurrere.

Quòd verò intentio virtualis ſufficiat, conſtat ex eo, quia aliàs innumeri actus humani redderentur incerti, dubii, ac invalidi, qui ab omnibus habentur, & haberi debent, ut certi, & certò validi, tam in civilibus, quàm

quàm Eccleſiaſticis, & in ipſa adminiſtratione Sacramentorum. Actualis quippe intentio facilè impeditur per diſtractionem animi, vel fatigationem capitis, vel longiorem temporis moram, quæ proindè eſſet neceſſaria, plerique contractus, vota, Sacramentorum collatio, vel omninò invalidarentur, vel in dubium de ſuo valore revocarentur. At verò virtualis non ſic impeditur, ut patet ex pleriſque actionibus humanis, quæ etiam durantibus diſtractionibus animi rectè adhuc ponuntur, & ſine tamen reminiſcentia, aut remiſſa ſaltem proſecutione, ac intentione objecti, poni non poſſent, e. g. ſi Muſicus ſubitò amitteret artem canendi, ut nullam reminiſcentiam, aut reflexionem ad regulas elicere poſſet, vel ſi viator prorſus oblivisceretur termini, ad quem eundum eſt, tunc nec Muſicus ſuum cantum, nec viator ſuum iter proſequi poſſet. Quod ſi tamen cum intentione virtuali conjungeretur aliud impedimentum, quo minùs ſtabiliter, perfectè, & ſalva libertate voluntatis, ad operandum modo humano neceſſaria, ad actionem ponendam dirigere, & movere poſſet, cujuſmodi eſt ſomnus, ebrietas, fatendum eſt, etiam illam in tali caſu non ſufficere, etiamſi actio externa dependenter ab illa rectè poneretur: quia actio externa, quæ non fit modo humano, nihil valet, ideò etiam promiſſio, ſive Deo, ſive homini facta, nullam vim habet obligandi.

15 Dicendum Tertio. Intentio Miniſtri, quam ad integritatem, & valorem Sacramenti requiſitam diximus, debet tunc, quando poſita eſt materia, & forma Sacramenti, eſſe abſoluta ab omni conditione de futuro ponenda, excepto Matrimonio. Undè etiamſi quoad modum tendendi intentio, ſalvo valore Sacramenti, poſſit, & non nunquam ob reverentiam Sacramenti debeat eſſe conditionata, debet tamen, quando poſita eſt Materia, & forma, per impletionem conditionis jam tranſiiſſe in abſolutam: propterea niſi intentio affigatur conditioni præteritæ, vel exiſtenti, invalidè adminiſtratur Sacramentum. Ratio eſt; quia omnia Sacramenta, excepto Matrimonio, ita à Chriſto ſunt inſtituta, ut vi formæ, de præſenti proferendæ, ſignificent gratiam de præſenti collatam ex vi Sacramenti, niſi illi obſtet indiſpoſitio ſuſcipientis: ergo ſi intentio Miniſtri ad valorem Sacramenti requiſita penderet à conditione futura primùm implenda, & proindè ipſam vim ſignificandi abſolutam de præſenti falſificaret, hoc ipſo non poſſet eſſe validum Sacramentum: quia Chriſtus inſtituit Sacramentum, ut eſſet ſignum verum, & abſolutum Gratiæ, quantum eſt ex parte Sacramenti, quamvis ex parte ſuſcipientis poſſit dari obex. Idcircò ſive conditio de futuro in forma exprimeretur (quo in caſu mutaretur expreſsè eſſentia formæ) ſive in mente retineretur (quæ eſſet mentalis, & amphibologica mutatio formæ) Sacramentum non adminiſtraretur eo modo, quo à Chriſto eſt inſtitutum, adeòque invalidè.

16 Dixi tamen *Excepto Matrimonio*: quia in hoc Chriſtus non mutavit naturam contractus; undè quia contractus validè fit, etiam ſub conditione futura, & ea poſita mox tranſit in abſolutum, nulla nova actione, vel intentione contrahentium interveniente, ſed priori tantùm habitualiter propter negationem retractationis perſeverante, etiam Sacramentum Matrimonii ipſi contrahentes validè ſibi mutuò adminiſtrant. Quando verò ſuprà diximus, non ſufficere intentionem habitualem, ſed requiri ſaltem virtualem, iſtam ſolummodo requiſivimus ad ipſam actionem ponendam, qua Sacramentum adminiſtratur, non autem ad conditionem ponendam, quæ jam poſita actione dependenter ab intentione actuali, vel virtuali, adhuc expectatur ad complendum valorem Matrimonii, ut tranſeat in contractum abſolutum. Ob dictam rationem ex natura contractus petitam, ſolum Sacramentum Matrimonii validè adminiſtratur, etiamſi forma non fiat per verba formalia, ſed per ſcripturam, vel alia Signa, vel per Legatum inter abſentes ſponſos.

17 Dixi etiam Intentionem adminiſtrandi Sacramentum ob hujus reverentiam non nunquam debere quoad modum tendendi eſſe conditionatam; nam quando dubium eſt, an reliqua omnia ad eſſentiam Sacramenti requiſita adſint, & ipſum tamen Sacramentum adminiſtrandum eſt, reverentia Sacramenti ſaltem ſub veniali peccato obligat, ut Miniſter non aliter velit actionem ſuam externam, aut prolationem formæ ad conficiendum Sacramentum ponere, quàm ſi cætera omnia ad integritatem eſſentialem Sacramenti requiſita adſint. E. g. quando baptizandum eſſet monſtrum, de quo dubitaretur, an eſſet homo, vel quando in neceſſitate adhibenda eſſet Materia dubia, vel quando abſolvendus eſſet moribundus, qui tantùm dediſſet ſignum dubium vitæ ſuperſtitis, aut doloris de peccatis, deberet Miniſter conferre Baptiſmum, vel abſolutionem ſub hac conditione, ſi à parte rei detur id, de cujus ad Baptiſmi, & abſolutionis valorem requiſiti exiſtentia hìc, & nunc dubitatur: quamvis enim ipſum Sacramentum, & forma ſacramentalis, ex vi ſuæ inſtitutionis hujuſmodi conditionem eſſentialiter involvat, & reliqua conſtitutiva Sacramenti tantùm conditionatè, atque ex ſuppoſitione, quòd nullum requiſitum deſit, gratiam ſignificent: decet tamen, ut in dubio Miniſter etiam ſimilem intentionem conditionatam eliciat, eamque, velut Miniſter, intentioni inſtitutoris, & ſui principalis, conformet.

§. II.

An, & qualis Intentio in ſuſcipiente ad valorem Sacramenti requiratur.

SUMMARIUM.

18 *Qualis Intentio requiratur ex parte ſuſcipientis Sacramentum.*

19 *An, & quando infideli adulto adminiſtrari poſſit Baptiſmus in extrema neceſſitate, priùs non petitus.*

20 *In infantibus, & perpetuò amentibus, non requiritur Intentio ſuſcipiendi Sacramentum.*

21 *Explicatur* cap. Majores de Baptiſmo.

Dicendum. Præter intentionem Miniſtri actualem, vel virtualem, ad integritatem eſſentialem Sacramenti in adultis etiam neceſſaria eſt intentio ſuſcipiendi Sacramentum, ſaltem habitualis, & ſaltem implicita, vel generalis, prævalens intentioni particulari contrariæ, ſi quæ fortè ex ignorantia, vel errore orta adſit. Hæc aſſertio eſt communis omnium ferè Doctorum cùm S. Thoma *4. diſt. 6. q. 1. ar. 2. & 3. p. q. 68. ar. 7.* contra Cajet. & contra Gloſſam *in cap. Majores de Baptiſ. §. item quæritur. Verbo Perdurare*, aſſerentes ſufficere intentionem negativam, quæ ſecundùm Cajetanum conſiſtit in negatione diſſenſus interni. 18

Probatur concluſio partim authoritate, & communi ſenſu, ac praxi Eccleſiæ, fundata utique in continua, & certa traditione, patefaciente nobis voluntatem Inſtitutoris, partim congruentia, quòd ſic deceat Chriſtum, ut media noſtræ ſalutis liberaliter quidem nobis, & ſæpè non petentibus offerat; ſed non obtrudat, pro ut cenſeretur obtrudere gratiam ſanctificantem, ſi eam conferret ex medio ordinato ad illam obtinendam, in ordine ad quam tamen illud medium nullo modo referretur, ac intenderetur, cum potuiſſet, ac debuiſſet illuc referri.

Hinc etiam in Concil. Carthag. III. & Arauſ. I. atque in Rituali Romano Pauli V. *in rubricis de Bapt. Adultorum* prohibitum eſt, ne daretur Baptiſmus adulto uſu rationis deſtituto, ſi priùs durante uſu, eum nunquam petivit, adeòque ſi etiam neque habitualem intentionem, id eſt, præteritam non retractatam, cenſetur habere. In qua prohibitione nec expreſsè habetur, nec tacitè ſupponitur, quòd talis adultus etiam poſitivum diſſenſum internum, vel externum juxta ſententiam Cajetani, & Gloſſæ citatæ præſtiterit, quia prohibitio loquitur abſolutè, & univerſaliter. Intelligo tamen illam prohibitionem de caſu, quo nullo modo nec explicitè, nec implicitè, adultus adhuc ratione utens Baptiſmum petiit; nam ſi ſaltem implicitè petiiſſet, oſtendendo deſiderium ſalutis æternæ, ad quam Baptiſmus determinatè neceſſarius eſt neceſſitate medii, ſaltem in voto, cujus proindè intentio implicitè continetur in efficaci deſiderio ſalutis æternæ, tanquam in intentione univerſali omnium mediorum ſimpliciter neceſſariorum, & prævalente etiam particulari diſſenſui interno, 19

& ex-

& externo , in errore , vel ignorantia invincibili fundato , in tali inquam caſu , & quando nulla ſpes eſſet protrahendæ vitæ , & uſus rationis redituri , videtur non fuiſſe prohibita collatio Baptiſmi , aliundè ratione infidelitatis formalis , vel alterius peccati mortalis , non retractati , notoriè non indiſpoſito facienda : quia ad valorem Sacramenti ſufficit intentio implicita , ex cujus ſuppoſitione à communi praxi Eccleſiæ receptum eſt , ut fidelibus , uſu rationis per ſubitaneum morbum deſtitutis impertiatur Sacramentum extremæ Unctionis , etiamſi priùs petita non fuerit , quia deſiderium ſalutis , & moriendi cum mediis ad illam ordinatis , quod ex vita ante acta colligitur , habetur pro ſufficienti petitione , ac intentione Sacramenti . Si verò de dicto infideli adulto adhuc ſpes eſſet redituri uſus rationis, tunc utique ob allegatam prohibitionem , & propter periculum , ne is in contemptum Baptiſmi deinceps nolit vivere more Chriſtiano , & ſub Juriſdictione Eccleſiæ , Baptiſmus non conferretur licitè, & quoad hoc non eſſet paritas cum collatione extremæ Unctionis ; ex hoc verò non ſequitur , intentionem implicitam non ſufficere ad valorem , & neceſſitatem extremam , ſecluſa notoria indiſpoſitione , non ſufficiente ad licentiam .

20 Dixi autem intentionem ſuſcipiendi Sacramentum ſpectare ad integritatem eſſentialem in adultis ; nam in infantibus , & perpetuò amentibus , qui infantibus æquiparantur, ceſſat praxis requirendi intentionem, & ratio allata eſt . Quia enim hi non poſſunt habere intentionem , & tamen ob periculum præventuræ mortis habent neceſſitatem Baptiſmi , & quia in ordine ad alia Sacramenta , quorum capaces ſunt , eorum voluntas ſubjacet voluntati Eccleſiæ , ſupplentis intentionem propriam infantium , ſicut voluntas pupilli ſubjacet voluntati Magiſtratus , vel tutoris , in contractibus civilibus ſupplentis intentionem contrahendi , ideò in his neceſſaria non eſt intentio propria ; neque tamen proptereà Sacramentum , & gratia Sacramentalis obtruditur ; quia intentio , vel petitio eſt ipſis impoſſibilis , vel cenſentur habere intentionem interpretativam , ſufficientem in parvulis .

21 Obiici tamen etiam poſſet pro adultis *cap. Maiores de Baptiſmo . §. item quæritur* , ubi allegato etiam Concil. Tolet. approbatur Baptiſmus invito collatus , & proptereà habentur hæc verba : *Tunc characterem ſacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenerit* : ergo Sacramentum collatum adultis poteſt eſſe obtruſum , & ad illud ſufficit intentio negativa, nempè removens obicem contrariæ voluntatis .

Reſp. Negando ſuppoſitum , quòd Sacramentum invito collatum , conſentienti tamen propter incuſſum metum in illius receptionem , ſit obtruſum à Chriſto , quia vis non infertur à Miniſtro , ſaltem non ab eo qua tali , adeòque non à Chriſto : actio verò ſacramentalis , quæ ponitur nomine Chriſti , fit cum conſenſu , & intentione recipientis ad evitandum aliud malum : per verba autem relata , cùm Capitulum loquatur de Baptiſmo Catechumenorum , qui jam ſupponuntur habuiſſe intentionem actualem , tantùm requiritur negatio retractationis , ne ſcilicet intentioni præteritæ obex voluntatis contrariæ opponatur : ex quo confirmatur , quòd in recipiente Sacramentum ſufficiat intentio habitualis , qua fit , ne Sacramentum ſit obtruſum : & cùm ipſe tantùm paſſivè ſe habeat , neceſſaria ei non eſt intentio actualis , vel virtualis .

§. III.

An , & qualis perſona Miniſtri , & ſuſcipientis ad Sacramentum requiratur .

S V M M A R I V M.

22 *Perſona idonea Miniſtri neceſſaria eſt ad valorem Sacramenti : talis autem non poteſt eſſe, niſi homo .*

23 *Iſque debet adhuc eſſe Viator .*

24 *Nec quilibet homo cuiuſcunque ſexus poteſt quodlibet Sacramentum adminiſtrare .*

25 *Probitas, & Fides Miniſtri non ſpectat ad valorem Sacramenti .*

26 *Nemo eſt capax ullius Sacramenti , niſi homo Viator .*

27 *Sine præcedente Baptiſmo nullum Sacramentum poteſt fructuosè , & extra Euchariſtiam , neque validè recipi .*

28 *Beatiſſima Virgo ſuſcepit Sacramentum Baptiſmi .*

22 DIco primò . Ad quidditatem Sacramenti requiritur etiam perſona idonea Miniſtri , nempè homo Viator , per collatam ſibi poteſtatem à Chriſto ordinatus ad conferendum Sacramentum , etiamſi ipſe vera fide , aut probitate careat . Quoad ipſam perſonam Miniſtri probatur Concluſio hac ratione : Illud ſpectat ad quidditativum conceptum alicujus rei , quo ſimul cum aliis in intellectu poſito , ſeu directè affirmato, ponitur totum , & quo ſolo non poſito non ponitur totum , atqui ita ſe habet perſona Miniſtri comparatione Sacramenti , ut partim conſtat ex communi ſenſu fidelium , partim ex Concil. Flor. ejuſmodi verba , jam ſuprà relata , quaſi ex præmiſſa noſtra majore ſubſumente : *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur* (etſi non ſolis , vel aliis in illorum numero incluſis) *rebus , tanquam materia , verbis , tanquam forma , & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi , quod facit Eccleſia* (cujus intentionis expreſſa incluſione indicatur à pari , etiam alia requiſita in aliquo prædictorum incluſa , & ſubintelligenda eſſe) *quorum ſi aliquid deſit , non perficitur Sacramentum* : ergo perſona Miniſtri requiritur ad quidditativum conceptum Sacramenti .

Quoad ejus idoneitatem autem probatur prima pars , quæ à multis dicitur eſſe de fide , nempè , quòd , licèt extraordinariè , teſte Niceph. Amphilochius in Epiſcopum ab Angelo conſecratus ſit , & ab aliis Epiſcopis acceptatus , ex certis utique indiciis conjectantibus , Angelo bono à Chriſto factam eſſe extraordinariam poteſtatem , tamen ordinarius Miniſter cujuſvis Sacramenti tantùm eſſe poſſit homo , non autem Angelus , vel Anima ſeparata ; quia partim ex ſcriptura , partim ex Eccleſiæ traditione certum eſt , ſolum hominem à Chriſto in Sacramentorum inſtitutione eſſe Miniſtrum deſignatum ; hinc ſemper ſermonem direxit ad homines : *Euntes , docete , baptizantes &c. Hoc facite in meam commemorationem . Quorum remiſeritis peccata &c.* pro extrema Unctione : *Inducant Presbyteros* : Et hujus certitudinis convenientia magna indè habetur , quia Sacramenta , excepto matrimonio , quòd aliàs Angeli contrahere non poſſunt , conſtant ſenſibili , & vera locutione , quam imitari quidem poteſt Angelus , vel Anima ſeparata, ſed non vitaliter elicere , ſicut homo . Deindè cùm Sacramenta ſint cæremoniæ ſenſibiles , Eccleſiæ ſenſibilis , etiam Miniſtrum decet eſſe ſenſibilem , niſi Chriſtus tanquam agens Principale quoad hunc diſpenſet , qui quidem quoad ſe nulla indigebat diſpenſatione , ſed etiam in triduo mortis Sacramenta conferre potuiſſet .

23 Secunda pars , quæ eſt communis Doctorum contra Suar. *diſp. 13. ſect. 1.* Probatur ex Coninck. *q. 64. ar. 7.* & Lugo *diſp. 8. num. 2. & 3.* Quia Chriſtus etiam tantùm ad Viatores ſermonem ſuum direxit , & Sacramenta ſua tantùm tradidit cætui hominum militanti , ac ſenſibili per ſe , ac reſpectu noſtri , ut proindè tantùm à membris in ſtatu viæ inter ſe conjunctis in alia membra , ſicut cibus in eodem corpore diſpenſari poſſint . Neque obſtat S. Thom. *q. 64. ar. 7. ad 2.* quia ibi non concedit Beatis (etiamſi corpora ſua ad conſtituendam nobiſcum ſimilem naturam ſine ſtatu Viatoris reſumpſiſſent) poteſtatem adminiſtrandi Sacramenta , ſed permittit tranſire , & negat hinc poſſe idem inferri de Angelis : quamvis quotieſcunque boni Angeli viderentur adminiſtrare aliquod Sacramentum , rectè inferant Doctores , illud validè adminiſtrare , quia Angeli boni illud non attentarent , niſi DEUS extraordinariam ipſis dediſſet poteſtatem .

24 Tertia pars , quòd non omnis conditionis , & ſexus homines ſint Miniſtri idonei cujuſvis Sacramenti conficiendi , eſt de fide contra Lutherum , qui ſicut ex confuſione oritura , ſi quævis Sacramenta quilibet adminiſtret , fatetur non debere id quibuslibet licere , ſic etiam ex eadem confuſione , & officiorum diſtinctione , quæ in qualibet republica , & ſpecialiter in Eccleſia teſte Apoſtolo *ad Epheſ. 4.* reperitur , poterat colligere , Chriſtum

ſtum non dediſſe quibuslibet poteſtatem validè admini-ſtrandi Sacramenta, aliàs planè non eſſet ratio, cur multi ſine ſua culpa à tam ſancto opere prohiberentur, niſi eadem ratio probaret, non Lutheri, ſed noſtram aſſertionem definitam à Trid. *ſeſſ.7 cap.*10.

25 Quarta pars, nempè fidem, aut probitatem Miniſtri non pertinere ad valorem, & eſſentiam Sacramenti; definita eſt à variis Pontificibus, & Conciliis; atque etiam fundatur in ratione: Quia Sacrammenta ſecundùm inſtitutionem Chriſti habent virtutem promerendi gratiam ex opere operato per merita Chriſti, non autem ex ſanctitate Miniſtri, quæ ſi requireretur, omnia Sacramenta redderentur valdè dubia, cùm neſciremus, an Miniſtri fuerint in gratia, & ſæpiſſimè ad vitandam infamiam adminiſtrarent Sacramenta invalidè.

Neque obſtat authoritas S. Cypriani exiſtimantis, Baptiſmum ab hæreticis collatum non ſanctificare juxta Eccleſiaſtici *c.* 34. *v.* 4. *Ab immundo quid mundabitur?* &, ut Philoſophi loquuntur, quod aliquis non habet, non poteſt dare. Nam S. Cyprianus teſte S. Aug. *epiſt.* 48. *ad Vincentium*, & cæteri Epiſcopi Africani, ſecuti S. Cyprianum, ut etiam S. Hieronymus teſtatur apud Bellarm. *lib.*1. *c.* 26. ſententiam ſuam revocarunt, & noſtra tunc temporis nondum erat ab Eccleſia definita. Neque ratio contraria aliquid evincit. Quia tantùm de ſuo, & ex propria authoritate, nemo immundus poteſt mundare, & dare quod non habet, poteſt tamen ex alieno, & nomine ac authoritate Chriſti, niſi formam ſubſtantialiter immutet, vel intentionem, aliudve eſſentiale requiſitum ipſe aut ſuſcipiens Sacramentum intermittat.

26 Dico ſecundò. Ad quidditatem Sacramenti, in uſu conſiſtentis, ſpectat etiam perſona idonea ſuſcipientis, quæ in ordine ad quodcunque Sacramentum validè ſuſcipiendum, debet eſſe Viator, in ordine verò ad cætera Sacramenta à Baptiſmo diſtincta, debet etiam eſſe baptizata. De perſona ipſa ſecundùm ſe ſpectata patet ex dictis, & ex paritate cùm perſona Miniſtri: ſicut etiam de qualitate Viatoris, quæ ex parte ſuſcipientis ſpeciali inſuper ratione comprobatur eſſe neceſſaria: quia ille non eſt capax Sacramenti validè ſuſcipiendi, qui non tantùm eſt per accidens impeditus à conſecutione finis, in ordine ad quem Sacramenta ſunt inſtituta, nempè ad primam gratiam accipiendam, vel augendam: ſed qui etiam eſt extra ſtatum, ſeu extra claſſem illorum hominum ſtabiliter poſitus, quibus conceduntur à Deo media obtinendi gratiam juſtificantem: ſed qui non ampliùs eſt Viator, ita ſe habet, ergo &c.

27 De neceſſitate Baptiſmi ab omnibus agnita, & propterea Baptiſmum vocantibus januam ad alia Sacramenta, quæ ſoli Eccleſiæ data ſunt, ulteriùs probatur primò ex praxi Eccleſiæ, non tantùm non conferentis ullum Sacramentum non baptizato, ſed etiam conferre prohibentis *cap.* 1. *de Conſecrat. diſt.* 5. Probatur ſecundò ex *cap.* 1. *de Presbytero non baptizato*, & *cap. ult.* ubi Innocentius III. ſolos Baptizatos aſſerit capaces Ordinis. Eadem autem eſt ratio principalis de cæteris Sacramentis quoad eorum valorem: imò etiam de Euchariſtia, quoad ejus fructum, ut conſtat ex praxi Eccleſiæ, quæ etiamſi aliquando infantibus baptizatis præbuerit Euchariſtiam, nunquàm tamen præbuit Catechumenis.

28 Hinc etiam cùm valdè probabile ſit, beatam Virginem per frequentem, imò quotidianum uſum Euchariſtiæ auxiſſe gratiam, ſicut per alia bona opera: omnes Theologi ferè tenent fuiſſe baptizatam, ut prætereà teſtatur apud Bellarm. *lib.*1. *cap.* 9. Evodius Apoſtoli Petri Succeſſor in Antiocheno Epiſcopatu, & ex illo Niceph. *lib.*2. *hiſt. c.*3. & Euthymius *in cap.* 3. *Joan.* ubi ait: *Scribunt quidam Apoſtolorum temporibus proximi, quòd Chriſtus Petrum, & Virginem Matrem baptizaverit. Petrus vero reliquos Apoſtolos*. Quia Baptiſmus non eſt tantùm neceſſarius ad tollendum peccatum originale, cùm in adulto per actum charitatis perfectæ antecedenter potuerit eſſe ſublatum; ſed ut per illum quis adſcribatur ſpirituali familiæ Chriſti, & habilitetur ad ſuſcipienda Sacramenta. Et hunc effectum etiam B. Virgo recepit, cum gratia ſacramentali, quæ erat de ſe remiſſiva peccati, ſi quod adeſſet, ut etiam à pœnitentia non debet ſemper actualiter tolli peccatum, modò tollatur radicaliter. Quamvis in hoc ſit diſparitas, quòd Baptiſmus poſſit conferri, etiamſi non præceſſerit peccatum originale, non autem Sacramentum pœnitentiæ, ſine præcedenti actuali peccato: quia unicus principalis finis illius eſt reconciliatio cum Deo, vel reparatio offenſæ. Quando itaque S. Chryſoſt. *hom.*24. in acta ait, Apoſtolos non fuiſſe baptizatos ante diem Pentecoſtes, adeòque ex ſpeciali diſpenſatione Chriſti priùs factos eſſe Epiſcopos, quàm baptizatos, hoc, teſte Suar. *q.* 66. *ſect.* 1. eſt minùs veriſimile; præſertim quia ſic neque die Pentecoſtes Apoſtoli fuiſſent baptizati, cùm collatio Spiritus S. non fuerit ſacramentalis, & propriè dictus Baptiſmus.

ARTICULUS IV.

De Efficacia Sacramentorum Novæ Legis ad cauſandam gratiam ſanctificantem.

§. II.

An Sacramenta Novæ Legis cauſent gratiam ex opere operato.

SUMMARIUM.

29 *Diſcrimen inter virtutem cauſandi gratiam ex opere operantis, & ex opere operato.*

30 *Sacramenta V. L. non cauſabant gratiam ſanctificantem ex opere operato.*

31 *Sacramenta N. L. cauſant gratiam ex opere operato.*

32 *In quo conſiſtat Vis cauſandi gratiam per Sacramenta N. L.*

JAm ſuprà in primo Articulo ſuppoſuimus, à Sacramentis Novæ Legis ex opere operato cauſari gratiam ſanctificantem, à Sacramentis antiquæ Legis autem ſolùm cauſari ex opere operantis. Diſcrimen utriuſque modi in eo verſatur, quòd poſterior conſiſtat in virtute meritoria ipſius operationis, quatenus operantem laudabilem, & præmii ipſi, vel alteri, in cujus gratiam operatio ſit, conferendi dignum reddit. Prior autem modus cauſandi conſiſtat in aliqua alia aptitudine movendi Deum ad conferendam gratiam ſanctificantem. Sic Sacramenta Novæ Legis per ſuam materiam, & formam, ſuſcipienti applicatam, cauſant in illo gratiam, non quia ſunt actio meritoria Sacramentum adminiſtrantis, vel recipientis (talis enim actio, ſi etiam inſerviat ad promerendam gratiam, hanc qua meritoria eſt, cauſat ex opere operantis) ſed quia ſunt aliquod ſignum ſenſibile, à Chriſto inſtitutum ad ſignificandam, & à DEO conferendam gratiam, quam ipſe Chriſtus per hujuſmodi ſignum petit conferri à DEO, adeòque iſtud cauſat, & impetrat gratiam tanquam externa Chriſti petitio, non ut actio meritoria. Sic etiam Martyrium in infantibus, ab Herode occiſis, cauſabat gratiam non tanquam operatio meritoria, ſed tanquam damnum vitæ in odium Chriſti illatum, quod erat compenſabile, & Deus actu voluit compenſare per infuſionem gratiæ ſanctificantis in animas Infantium occiſorum. Simili modo ſecundùm multos Doctores, ut nos ipſi docuimus *tr.* 4. *diſp.*1 *num.*25. etiam in adultis martyrium cauſat gratiam ſanctificantem, diverſam ab ea, quam cauſat actus internus, voluntariè, & proindè meritoriè ſuſcipientis Martyrium. 29

Nunc itaque probandum eſt prædictum ſuppoſitum quoad Vetera, & Nova Sacramenta: quòd enim Veteris Legis Sacramenta non cauſaverint gratiam ex opere operato, quoad ea, quæ in Lege Moſaica primùm fuerunt inſtituta, adeoque ſola Circumciſione excepta, quæ jam in Lege Naturæ tempore Abrahami ante Moyſen dabatur, fatentur ferè omnes Theologi: & quòd neque Circumciſio ſit excipienda, nunc docent plerique cum S. Thom. 3. *p. q.* 62. *art.* 6. *ad* 3. & *q.* 70. *art.* 4. ubi retractat contrariam ſuam doctrinam, traditam *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 2. *art.* 4. Probatur primò Authoritate S. Scripturæ; quia aliàs Apoſtolus *ad Gal.* 4. *v.* 9. non rectè vocaſſet Sacramenta antiqua, *Infirma, & Egena elementa*. & *ab Hebr.* 7. *v.* 10. Legem antiquam immeritò dixiſſet reprobatam 30

probatam propter infirmitatem, & inutilitatem ejus, & *ad Rom.* 3. Primum (id eſt præcipuum juxta interpretationem Variorum apud Cornel. à Lapide.) Circumciſionis commodum non benè aſſeruiſſet, eſſe id, quòd Judæis credita ſint eloquia DEI, ſi Circumciſio ex opere operato cauſaſſet gratiam ſanctificantem. Sic enim neque eſſet egenum elementum, neque lex illam continens, eſſet infirma, ac inutilis, neque traditio eloquiorum Dei eſſet præcipuum commodum, quo Judæi ſuperabant gentiles ratione Circumciſionis: de qua etiam *Gen.* 17. ubi ejus inſtitutio, & officium manifeſtatur, aliud non dicitur, quàm hoc: *Circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit Signum fœderis inter me, & vos*. & S. Paulus juſtificationem Abrahami à peccato originali *ad Rom.* 4. *v.* 10. non tribuit Circumciſioni, ſed Fidei (utique etiam charitate DEI perfectâ formatæ,) dum ait: *Reputata eſt Abrahæ Fides ad Juſtitiam. Quomodo ergo reputata eſt? in Circumciſione an in præputio? non in Circumciſione, ſed in præputio, & Signum accepit Circumciſionis Signaculum Fidei*. Ecce! ſolùm aſſerit Apoſtolus, Circumciſionem fuiſſe Signum Juſtitiæ per Fidem acceptæ.

Probatur ſecundò Authoritate Concil. Florent. Quod ſine exceptione Circumciſionis (quæ etiam fuit Sacramentum antiquæ Legis, quamvis jam ante illam fuerit inſtituta à Deo in Lege Naturæ.) ita loquitur: *Novæ Legis 7. ſunt Sacramenta, ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium, quæ multùm à Sacramentis differunt antiquæ Legis; illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolùm per paſſionem Chriſti dandam figurabant. Hæc verò noſtra, & continent gratiam, & ipſam dignè ſuſcipientibus conferunt*. Ideò etiam Concil. Trid. *ſeſſ.* 7. *Can.* 2. anathema inflixit, noſtra Sacramenta ab antiquis per ſolas cæremonias diſtinguenti.

31 Altera itaque prædicti ſuppoſiti pars, quòd nimirum Sacramenta Novæ Legis ſaltem cauſent moraliter gratiam, tanquam ratio motiva, ad illam producendam à Deo (quidquid ſit, an etiam per potentiam obedientialem phyſicè concurrant, quod mihi minùs probabile eſt, & parum addit ad dignitatem illorum) expreſsè eſt definita à citatis Concil. Generalibus, & infertur ex prædicta comparatione S. Pauli cum Sacramentis Veteris Legis: quæ à Sacramentis Novæ Legis non ſuperarentur, tanquam infirma, & egena elementa, ſi neque illa cauſarent gratiam ex opere operato.

Eandem vim cauſandi gratiam colligit Eccleſia (cujus eſt textus S. Scripturæ infallibiliter interpretari) ex inductione divinorum Teſtimoniorum de ſingulis Sacramentis Novæ Legis, quibus per Baptiſmum dicitur conferri ſalus, regeneratio ad vitam, introitus in regnum Dei ad Titum *c.* 3. *v.* 5. *& apud Jo. c.* 3. *v.* 5. per Confirmationem, nomine Impoſitionis manuum in actis Apoſtolorum expreſſam, conferri Spiritum S. *act.* 8. *v.* 17. *& c.* 19. *v.* 6. qui ſcilicet per charitatem, & gratiam ſuam diffunditur in cordibus recipientium illam manuum Impoſitionem. Per S. Euchariſtiam ſervari, & dari vitam animæ, & excludi mortem æternam *Joan.* 6. *v.* 50. & ſequentibus, per pœnitentiæ Sacramentum, tanquam per Judicium, & ſententiam abſolutionis, remitti peccata *Jo.* 20. *v.* 23. quorum remiſſio eſt ipſa gratia; Eadem etiam remitti per Extremam Unctionem tanquam per deprecationem. *Jacob.* 5. *v.* 15. per Sacramentum Ordinis alia manuum Impoſitione à S. Paulo in diverſis Epiſtolis ſignificatum nempè *in* 2. *ad Timoth. c.* 1. *v.* 6. & 1. *ad Eundem c.* 4. *v.* 14. dari gratiam ad dignè fungendum poteſtate Presbyterii præſuppoſitam: per matrimonium ſuſcipi *Sacramentum magnum ad Epheſ.* 5. *v.* 32. quod proindè ſimilem effectum cauſat, qualem alia Sacramenta, de quibus oſtenſum eſt, à ſingulis cauſari gratiam juſtificantem, per quam in matrimonio ſimbolicè etiam ſignificatur diſpenſatio, & indiſſolubilis conjunctio amoris inter Chriſtum, & Eccleſiam, quemadmodum gratia ſponſis collata deſponſat, & conjungit animam Deo. Hinc cùm dixiſſet Apoſtolus: *Sacramentum hoc magnum eſt*: addidit: *Ego autem dico, in Chriſto, & Eccleſia*.

32 Dices. Principalis operans in adminiſtratione Sacramentorum eſt ipſe Chriſtus, & merita ipſius ſunt ratio formalis, qua Sacramenta Novæ Legis cauſant gratiam; ergo & ipſa cauſant gratiam tantùm ex opere operantis, & non ex opere operato, niſi denominativè, quomodo etiam circumciſio ab actu interno Miniſtri accipit denominationem cauſantis gratiam, & omnis actus externus e. g. datio Eleemoſynæ ab actu interno accipit denominationem. Reſp. diſtinguendo ſecundum membrum antecedentis. Merita Chriſti ſunt ratio formalis adæquata, qua Sacramenta Novæ Legis cauſant gratiam, nego antec. tantùm inadæquata, attamen neceſſaria, ita ut ſine ea non cauſarent gratiam, concedo antec. & nego conſequentiam, imò etiam ſuppoſitum conſequentis, quòd in eo ſenſu, in quo hìc ſumitur, meritum ex opere operato ſequatur, Sacramenta Novæ Legis cauſare gratiam ex opere operantis: per operantem enim hìc intelligitur Miniſter immediatus, & minùs principalis, qui nempè nomine Chriſti operatur. Dixi autem merita Chriſti eſſe tantùm rationem formalem inadæquatam: quia etiam ipſa Sacramenta habent propriam vim movendi ad gratiam, quamvis à meritis Chriſti dependentem. Sicut in humanis alicujus bene meriti Patroni preces apud Principem verè illum movent partialiter ad concedendum beneficium petitum, quamvis non moveant independenter à Meritis Patroni.

§. II.

An eadem Sacramenta in diverſis ſuſcipientibus cauſent gratiam æqualem, & diverſa Sacramenta inæqualem, atque etiam diſſimilem.

SUMMARIUM.

33 *Idem ſpecie Sacramentum in diverſis ſuſcipientibus, æqualiter diſpoſitis, æqualem cauſat gratiam.*

34 *Inæqualem verò, in diſpoſitis inæqualiter.*

35 *Diverſa Sacramenta, per ſe loquendo, cauſant gratiam inæqualem.*

36 *Subſtantialiter quidem ſimilem, ſed accidentaliter diſſimilem.*

Dico primò. Idem ſpecie Sacramentum in diverſis ſuſcipientibus æqualiter diſpoſitis cauſat æqualem gratiam. Ita cum S. Thom. 3. *p. q.* 69. *ar.* 8. Theologi, & SS. Patres relati à Suarez *diſp.* 7. *ſect.* 5. communiter. 33 Quia Sacramenta ſunt media univerſalia, omnibus fidelibus communia, non magis in unius bonum, quàm in alterius inſtituta, ergo ſicut ſol, inquit S. Cyprianus *lib.* 4. *epiſt.* 7. aliàs *epiſt.* 76. tanquam lumen univerſale æqualiter applicatos æqualiter illuminat, ſic eadem Sacramenta eodem modo diſpoſitos æqualiter ſanctificant, ut ſatis manifeſtè declaravit Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. ubi de prima gratia per Baptiſmum acquiſita ait, nos per illam juſtificari *juſtitiam* (id eſt gratiam juſtificantem) *in nobis recipientes unuſquiſque ſuam, ſecundum menſuram, quam Spiritus S. partitur ſingulis ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem, ac cooperationem*.

Confirmatur. Si eſſet aliqua ratio inæqualitatis præter dictam diſpoſitionem recipientis inæqualem, ea eſſet inæqualis Sanctitas, ac dignitas Miniſtri, tanquam cauſæ præſtantioris; atqui hæc non eſt, quia illius Trid. loco citato nullam facit mentionem, ſed ſolùm facit mentionem inæqualis diſpoſitionis in recipiente. Imò illam excludit S. Paulus 1. *ad Corinth.* 1. reprehendens illos, qui gloriabantur de recepto Baptiſmo à Sanctiore Miniſtro, eò quòd non alterius Miniſtri, ſed ſolius Chriſti meritis tribuenda ſit vis Sacramenti Baptiſmi, ad cauſandam gratiam juxta diſpoſitionem recipientis: aliàs certè non immeritò gloriarentur, & gratularentur ſibi fideles de Sanctitate Miniſtri, ſi hæc ad perfectiorem gratiam recipiendam aliquid contuliſſet; & ſi id non obſtaret, quod S. Paulus ipſis objcit, quòd nempè Miniſtri illis conferentes Baptiſmum pro ipſis crucifixi non ſint.

Dico ſecundò. Idem ſpecie Sacramentum in diverſis 34 recipientibus inæqualiter diſpoſitis inæqualem cauſat gratiam. Ita contra Alenſem, relatum à Franc. Amico *diſp.* 14. *n.* 17. rurſum Theologi communiter cum S. Thoma, qui priorem, & hanc concluſionem tenet 4. *diſt.* 4. q. 2.

q.2.a.3.& 3.p.q.69.a.8. Probatur primò ex Trid. loc. citat. ubi propriam diſpoſitionem, & cooperationem inæqualem recipientis, univerſaliter dicitur ſervire ad hoc, ut Sacramentum Baptiſmi in diverſis recipientibus cauſet inæqualem gratiam: quia verò hæc inæqualitas non poteſt univerſaliter tribui diſpoſitionis virtuti meritoriæ ex opere operantis (quando nimirum ipſa non ponitur in ſtatu gratiæ, neque eſt actus perfectæ charitatis, ex ſe habens vim merendi gratiam) & quia tamen Conc. dicit conferri inæqualem gratiam, rectè colligitur, eam cauſari ex opere operato ab ipſo Sacramento, & conſequenter, ſi illa eſt pars Sacramenti, ut in Sacramento Pœnitentiæ dolor ac propoſitum emendationis ſimul eſt diſpoſitio, & pars, eam etiam eſſe cauſam partialem: ſi autem non eſt pars, eam eſſe meram conditionem, ſine qua tamen non conferretur tam perfecta gratia, ſed minor, & minùs intenſa. Unde ulteriùs ſequitur, quòd quando etiam ipſa diſpoſitio ex ſe, ſive ex opere operantis, habet virtutem meritoriam gratiæ, quando nimirum vel ponitur in ſtatu gratiæ, vel quando eſt actus perfectæ charitatis potens etiam mereri primam gratiam, cauſari à Sacramento aliam diverſam gratiam ſecundùm inæqualitatem diſpoſitionis.

Confirmatur concluſio tum paritate agentium phyſicorum, ad quorum imitationem, ſicut in eſſendo Sacramenta conſtant materia & forma, ſic etiam in cauſando perfectiùs operantur, quo paſſum ſive recipiens effectum eſt meliùs diſpoſitum. Tum ex ſpeciali congruentia: quia ſi Chriſtus ita Sacramenta inſtituit, ut ex operato cauſent perfectiorem gratiam, quo recipiens eſt perfectiùs diſpoſitus, ingens datur hominibus illicium ac incitamentum, magis ſe diſponendi ad receptionem Sacramentorum, quod proinde Chriſtus meritò creditur dare voluiſſe, ut nempè majori fide, devotione, dolore de peccatis &c. Sacramenta ſumerentur.

35 Dico tertiò. Ex communi Theologorum ſenſu Sacramenta ſpecie diverſa, cæteris paribus, cauſant gratiam inæqualem. Probatur. Illa quæ potiſſimam ſuam æſtimabilitatem habent per comparationem ad ſuos effectus ſi ſunt in perfectione inæqualia, cauſant effectus inæquales, ſed Sacramenta Novæ Legis potiſſimam æſtimabilitatem ſuam habent per comparationem ad ſuos effectus, nempè ad gratiam, & ſunt in perfectione inæqualia: ergo cauſant effectus, ſive gratias inæquales. Major eſt per ſe clara. Minor quoad primam partem patet ex Concil. Flor. & Trid. æſtimabilitatem Sacramentorum Novæ Legis, ſecundùm quam excedunt æſtimabilitatem antiquorum, à virtute cauſandi gratiam præcipuè deſumentibus: ut ſuprà oſtenſum eſt. Quoad ſecundam probatur expreſſo Teſtimonio Concil. Trid. *Seſſ.7. Can.3.* de Sacramentis in genere, ubi ait. *Si quis dixerit, hæc 7. Sacramenta ita eſſe inter ſe paria, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius, anathema ſit.* Inter hæc autem Sacramenta S. Th. *3.p.q.60.a.3. in corp.* hunc ponit Ordinem dignitatis: primum locum tenet Sacramentum Euchariſtiæ ut colligitur ex Trid. *Seſſ.13.cap.1.& 2.* Cujus ratio eſt manifeſta; quia Euchariſtia continet ipſum Authorem gratiæ ex parte rei, quæ datur ſuſcipienti Euchariſtiam: deinde cætera hoc ordine enumerantur: Ordo, Confirmatio, Baptiſmus, extrema Unctio, Pœnitentia, Matrimonium.

36 Dico quartò cùm S. Thom. *4. diſt.1.q.1.a.4.qu.5.& 3.p. q.62.a.2.* contra quoſdam innominatos, ac impugnatos à S. Bon. *4. diſt.1.q.6.* Gratia, à diverſis Sacramentis cauſata eſt quidem eadem, adeòque ſimilis quoad eſſentiam, diverſa tamen, & accidentaliter diſſimilis quoad ſupernaturalia auxilia, ſive gratias actuales, in ordine ad quas ab ipſis Sacramentis, etiam ex opere operato, pro temporis opportunitate, & neceſſitate cauſandas tamquam forma dignificans, & veluti radix moralis omnium actuum & habituum ſupernaturalium connaturaliter, & per ſe loquendo præſupponitur. Probatur. Quia ex una parte nulla eſt neceſſitas, ob diverſitatem cauſarum Moralium, quales ſunt Sacramenta (imò etiam phyſicarum, ſi Sacramenta phyſicè etiam cauſarent gratiam) eſſentialiter diverſas gratias ſtatuendi: cùm etiam in naturalibus iidem ſpecie effectus à diverſis cauſis phyſicis, & moralibus oriri poſſint: & quælibet Gratia ad quoſcumque actus, & habitus ſupernaturales fundandos ſit proportionata. Ex altera parte, quia Sacramenta habent diverſam vim ſignificandi Symbolicam diverſorum effectuum, & ad illos cauſandos ſunt inſtituta, neceſſe eſt, auxilia & gratias actuales à Sacramentis cauſatas, eſſe diverſas, atque diſſimiles.

ARTICULUS V.

An aliqua diſpoſitio in Adminiſtrante Sacramenta ad cauſandam Gratiam requiratur.

§. I.

An in Miniſtro requiratur ſtatus Gratiæ.

SUMMARIUM.

37 *Ad validam adminiſtrationem Sacramentorum non requiritur ſtatus Gratiæ ex parte Miniſtri.*

38 *Requiritur tamen ad licitam, ſi Miniſter eſt per Sacramentum Ordinis deputatus, & ut talis adminiſtret Sacramentum.*

Dico primò. In adminiſtrante, ſive conficiente Sacramentum, præter aliàs dictam intentionem, & poteſtatem legitimam, nec fides, nec probitas, nec ſtatus gratiæ, nec alia ejuſmodi diſpoſitio requiritur ad hoc, ut Sacramentum validè conficiat, & per illud gratiam conferat. Eſt concluſio hæc definita à variis Summis Pontificibus, & Conciliis, atque noviſſimè à Concil. Trident. *Seſſ.7. Can.12.* atque etiam fundatur in prudenti ratione. Quia Sacramenta ſecundùm inſtitutionem Chriſti habent virtutem cauſandi gratiam ex opere operato, & per merita Chriſti, non autem ex Sanctitate Miniſtri, quæ ſi requireretur, omnia Sacramenta redderentur valdè dubia, cùm neſciremus, an Miniſtri fuerint in gratia, & ſæpiſſimè ad vitandam infamiam adminiſtrarent invalidè in ſtatu peccati mortalis, cùm longè difficiliùs ſit præmittere perfectam contritionem; aut confeſſionem Sacramentalem; aut recuſare adminiſtrationem Sacramenti cum periculo de ſe ſiniſtræ ſuſpicionis, quàm ſolùm habere intentionem conficiendi Sacramentum, de qua meritò, & rationabiliter non dubitatur. 37

Dico ſecundò. Qui ut Miniſter per Sacramentum Ordinis deputatus in ſtatu peccati mortalis conficit Sacramentum, etiamſi operetur validè, agit tamen illicitè, & peccat mortaliter, niſi in extrema neceſſitate conſtituto conferendum eſſet Sacramentum, e.g. danda abſolutio Sacramentalis, antequam Miniſter ad contritionem perfectam diſponere ſe poſſet: quem caſum ſapienter excipiunt Lugo & Dicaſtill. cum aliàs concluſio ſit communis ferè omnium Doctorum, contra paucos apud Tamb. *lib.1. de Sacramen. in genere cap.2. §.2. num.2.* & ſatis clarè ſit expreſſa *in cap. ult. de Temporibus ordinationum, & in cap. ult. de Cohabitatione Clericorum.* Ratio eſt: quia confectio Sacramenti eſt præcipua quædam actio, nomine & in perſona Chriſti præſtita: ergo meritò ſpecialis dignitas ac ſanctitas ab eo ex communi ſenſu Eccleſiæ tamquam divinæ voluntatis interprete, exigitur, qui ad talem actionem dignè & convenienter exercendam, ſpeciali Sacramento Ordinis, gratiam, & Sanctitatem ad hunc Finem conferente, à Deo eſt ordinatus, & ut talis illam efficit. Quemadmodum à Sacerdotibus Antiquæ Legis ad actiones longè inferiores deputatis, ſpecialis munditia & Sanctitas corporis, id eſt immunitas à macula, pollutione, & aliis quibuſdam corporis defectibus exigebatur. Unde longè magis Miniſtris Sacramentorum Novæ Legis convenit illud Levit. cap.22. *Omnis qui acceſſerit ad ea, quæ conſecrata ſunt in quo eſt immunditia, peribit coram Deo*, & Exod. 19. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos.* 38

§. II.

An ſtatus Gratiæ requiratur in Adminiſtratione Baptiſmi inſolemnis.

SUMMARIUM.

39 *Laicus Miniſter non peccat mortaliter, ſi non in ſtatu Gratiæ confert Baptiſmum.*
40 *Imò neque Sacerdos, ſecundùm multos, ſi more Laico baptizat.*
41 *Probabilior tamen eſt ſententia oppoſita.*
42 *Conjuges in ſtatu peccati mortalis tantùm peccant mortaliter recipiendo, non autem ſibi adminiſtrando Sacramentum Matrimonii.*

39 CUm noſtra Concluſione, & allata ratione in præcedenti paragrapho ſtat adhuc exceptio à culpa mortali: quando nimirum Laicus in abſentia Sacerdotis propter urgentem neceſſitatem confert Baptiſmum in ſtatu peccati mortalis: quia ipſe ad hunc actum non eſt deputatus per Sacramentum Ordinis, ut cum S. Thoma *4. diſtinct. 24. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 5. & in Summa 3. p. quæſt. 64. art. 6. ad 1.* docent Suar. *tom. 3. de Sacram. diſput. 16. ſect. 4. ad finem.* Valent. *diſp. 3. quæſt. 5. punct. 3. §. Sed notandum eſt.* Eman. Saà *Verbo Baptiſmus num. 1.* Bonacina *de Sacram. diſp. 1. qu. 3. punct. 2. §. 1. num. 11. & 12.* Thomas Sanch. *lib. 2. de Matr. diſp. 6. num. 3.* Tann. *diſp. 3. qu. 4. dub. 3. n. 63.* Joannes Præpoſ. *qu 64. art. 6. num. 36.* Coninck *quæſt. 64. art. 6. num. 37.* & alii communiter contra Lugo, & ab hoc relatos Baſilium, Navar. Vaſqu. Ledeſmam, Pontium, quibus Tanner. addit Durand. & Gabrielem, & ſubſcribit P. Aug. Bernal. *diſp. 17. ſect. 6. §. 1. & 2.*

40 Imò nec Sacerdotem in eo caſu, in quo liceret Laico, adminiſtrare Baptiſmum, ſimili modo ſine ſacris Cæremoniis, ſive ſolemnitate ſacra, Baptiſmum adminiſtrantem in ſtatu peccati mortalis, graviter peccaturum, docent locis citatis S. Thomas Suar. Valent. Præpoſitus Tannerus, Henriq. *lib. 1. cap. 29. num. 4.* Contra Palao, *diſp. un. de Sacram. in com. punct. 5 num. 10.* Coninck, *qu. 64. art. 6. num. 36.* Layman. *lib. 5. tract. 1. cap. 5. num. 8.* & ab eo relatos Palud. Adrian. Angelum Vaſq. Quia licèt etiam in Baptiſmo non ſolemni Sacerdos ſit decentię cauſa præferendus Laico, ſicut vir eſt præferendus mulieri, & licèt etiam ut miniſter, & nomine Chriſti agat, & gratiam ſacramentalem æquè ac in Baptiſmo ſolemni conferat, ſicut etiam Laicus Baptizans idem agit, & confert; hinc tamen non ſequitur, quòd Sacerdos vi Ordinis ſui ſit deputatus ad Baptiſmum inſolemnem, hoc ipſo autem, quòd ad hunc non ſit deputatus vi Ordinis, etiam vi ejuſdem non imponitur illi obligatio ſub mortali, ut ſit in ſtatu gratiæ, ſive illum Baptiſmum adminiſtret ſine debita ſolemnitate propter urgentem neceſſitatem, ſive ut extendit Suar. etiam extra neceſſitatem; quo in caſu tamen peccaret graviter propter omiſſionem ipſius ſolemnitatis, ſub gravi peccato debitæ, etiamſi non peccaret ex defectu ſtatus gratiæ. Atque hæc ſententia, maximè propter tantam authoritatem valdè eſt probabilis, & quando neceſſitas baptizandi tanta eſt, ut Miniſter nequeat per contritionem perfectam tam citò ſibi procurare ſtatum gratiæ, omninò eſt tenenda, pro quo caſu forſitan plerique ejus Patroni explicari poterunt.

41 Verùm licèt ex dicta ratione non ſequatur, Sacerdotem vi Ordinis ſui eſſe deputatum ad Baptiſmum inſolemnem, tamen etiam ex oppoſita ratione, quia nempè Laicus in neceſſitate poteſt adminiſtrare Baptiſmum inſolemnem, non ſequitur, Sacerdotem ad illum non eſſe deputatum vi Ordinis; ſicut ex eo, quòd Laicus poſſit per commune privilegium ſervire Sacerdoti ad Aram, non ſequitur, quòd neque qui quatuor Minoribus Ordinibus initiatus eſt, ad illud Officium ſit deputatus. Ex alia verò ratione videtur convinci, Sacerdotem etiam eſſe deputatum ad Baptiſmum inſolemnem vi Ordinis ſui. Nam deputatio Sacerdotis ex vi Ordinis, ad conferendum Baptiſmum, ab ipſo Chriſto Domino eſt annexa Ordini ſacerdotali, & in vicem abſentis, vel impediti Sacerdotis, etiam Ordini Diaconatus; atqui hæc eſt annexa, antequam ab Eccleſia eſt introducta ſolemnitas Baptiſmi, ergo eſt annexa etiam ad Baptiſmum inſolemnem.

Confirmatur. Solemnitas Baptiſmi non requirit ſtatum gratiæ; certum enim eſt, Sacerdotem poſt Baptiſmum, in neceſſitate ſine cæremoniis ab ipſo, vel ab alio collatum, deinde in ſtatu peccati mortalis ſupplentem cæremonias prætermiſſas, non peccare mortaliter, ut Doctores communiter fatentur, & patebit ex proximè dicendis; neque auget multùm rationem naturalis, ſive ex natura rei graviter prohibitæ dedecentiæ, commiſſæ ab eo, qui per Sacramentum Ordinis deputatus adminiſtrat Baptiſmum in ſtatu peccati mortalis; dedecentia enim illa conſiſtit in hoc, quòd Sacerdos per ſuſceptum Ordinem ſit conſtitutus à Chriſto (& non primùm ab Eccleſia) Miniſter Chriſti, & Diſpenſator Myſteriorum DEI, conſtitutione non qualicumque; nam etiam Laicus pro caſu neceſſitatis eſt conſtitutus tamquam Miniſter extraordinarius, hoc ipſo, quòd acceperit poteſtatem adminiſtrandi Baptiſmum; ſed tali conſtitutione, quæ de ſe eſt collativa gratiæ ad Miniſterium Chriſti cum tali gratiæ ornatu, & cultu ſpirituali obeundum, qualis ornatus & cultus corporalis requiritur in Legatis Principum aut Regum, quando horum Perſonas repræſentant, & eorum nomine magnum aliquod negotium gerunt: & præterea dicta dedecentia partialiter conſiſtit in hoc, quòd ipſa actio ſit ſacramentalis, de ſe & immediatè cauſativa gratiæ ex opere operato, nomine, & in perſona Chriſti poſita: & quòd à Miniſtro per ſtatum peccati mortalis, finis ſuſcepti Ordinis Sacerdotalis fruſtretur, & perſona Chriſti in actione tam ſancta, & Chriſto propria ac principali tam indignè & irreverenter, ac indiſpoſitè geratur: cui dedecentiæ, ſi ſine cæremoniarum merè accidentalium acceſſione gravis non eſſet, per hanc tantùm augmentum non adderetur, ut per eam primùm gravis, & mortalis evaderet. Neque excuſatur Sacerdos per neceſſitatem conferendi Baptiſmum. Nam poſtquam ſemel eſt deputatus ad hoc Officium, ſi illud quacumque ex cauſa facit ſuum Officium, nec poteſt ab hoc abſtrahere: unde ut per neceſſitatem excuſaretur, deberet hoc ita urgere, ut tam citò non poſſet elicere perfectam contritionem: quemadmodum ipſe S. Doctor eodem loco ubi videri poterat diſſentire dicit: *Ille, qui eſt in peccato mortali, non eſt perplexus ſimpliciter* (id eſt, non eſt poſitus in eo ſtatu, ut ſi Sacramentum non miniſtret neceſſitatem patienti, peccet, non faciendo ſuum Officium, ad quod vi Ordinis eſt deputatus, ſi verò miniſtret, peccet, quia eſt in ſtatu peccati mortalis) *quia poteſt pœnitere de peccato, & licitè miniſtrare.* Infero. Ergo tunc ſolùm excuſatur, quando non poteſt pœnitere. Enervatur hoc effugium argumento à pari. Etiamſi in neceſſitate poſſet quis in ſtatu peccati mortalis baptizare, & eſſe liber ab obligatione præmittendæ pœnitentiæ, is ipſe tamen factus Sacerdos ita obligatur, ſicut obligatur voto caſtitatis, à quo tamen fuiſſet liber, ſi non eſſet factus Sacerdos: ergo, ſicut per fornicationem poſteà peccaret contra obligationem voti, ita per omiſſionem pœnitentiæ peccaret contra obligationem S. Ordinis.

Et hoc quod dictum eſt de Sacerdote, ſive ſolemniter, ſive inſolemniter baptizante, id etiam eſt intelligendum de Diacono, in vicem Sacerdotis ab ipſo Chriſto vi ſui Ordinis deputato, & de Sacerdote deputato, ut Miniſtro extraordinario ad Sacramentum Confirmationis adminiſtrandum, ut ſuo loco dicam. Non tamen pariter peccant mortaliter conjuges per hoc, quòd ſibi adminiſtrent, benè tamen, quòd recipiant Sacramentum Matrimonii in ſtatu peccati mortalis; quia ad hoc Miniſterium non ſunt deputati per præcedens Sacramentum Baptiſmi, per hunc enim ſolùm redditi ſunt habiles ad Matrimonii Sacramentum recipiendum, ſicut etiam habiles reddimur ad alia Sacramenta recipienda, non autem adminiſtranda. Multò minùs peccant mortaliter contra Religionem Sacramenti in ſtatu peccati mortalis utentes Matrimonio, vel etiam per adulterium violantes Jura Matrimonii; quia licèt per hoc Sacramentum acceperint gratiam ad hunc finem, ut piè utantur Matrimonio, & in eo juſtè ac caſtè vivant, ſicut 42

etiam

etiam per Baptiſmum acquiritur gratia ad chriſtianè vivendum, & per Confirmationem accipitur gratia ad Chriſti fidem profitendam: tamen hujuſmodi finium fruſtratio non eſt ſpeciale peccatum mortale contra Religionem; quia reliqua deſunt, quæ complent gravem dedecentiam ſuprà explicatam in Miniſtro per Sacramentum Ordinis deputato ad actionem non qualemcunque, ſed ad immediatè, & ex opere operato cauſativam gratiæ, Chriſti nomine, & quaſi ab ejus perſona exercitam.

§. III.

An ſtatus gratiæ requiratur ad impertiendam Euchariſtiam.

S V M M A R I V M.

43 *Probabilius eſt, hoſtiam Euchariſticam, jam ante conſecratam, poſſe ſine peccato novo mortali præberi alteri, à Miniſtro non exiſtente in ſtatu gratiæ.*
44 *Reſpondetur ad textum ex S. Thoma oppoſitum.*
45 *Reſpondetur ad oppoſitum Capitulum Nicolai I.*

43 SEcunda Exceptio à culpa mortali quam in primo paragrapho dixi, incurrere eum, qui in ſtatu peccati mortalis Sacramenta adminiſtrat, probabiliter aſſeritur à Vaſq. *tom.2. in 3. par. diſp.*136. *cap.*3. *numer.* 38. Lugo *diſp.*8. *num.*155. Dicaſtillo *diſp.*3. *num.*229. (qui tamen hìc problematicus eſt) Sylvio, Cabrera, Petro de Reyna, Joanne de la Cruz, Ledeſma, Nugno, quos refert, & approbat Diana *par.*2. *tract.*14. *de Celebratione Miſſarum Reſol.*23. Auguſtino Bernal. *diſp.* 17. *ſect.* 6. *num.*123. Contra quidem oppoſitam ſententiam communiorem Granadi *tract.*5. *diſp.*5. *num.*12. (qui negat, præter Vaſqu. à ſe alium Doctorem diſſentientem lectum fuiſſe) Valentiæ, Suar. Villalobos, Filliucii, Coninck, ab ipſo Diana relatorum, Joannis Præpoſiti *qu.* 64. *a.*6. *num.*35. Joannes Bapt. Gonet *diſp.* 7. *num.* 109. Henriq. *lib.*1. *c.*29. & aliorum negantium hanc exceptionem: quòd nim. Sacerdos, vel ex hujus commiſſione Diaconus, vi Ordinis ſui ad diſtribuendam Euchariſtiam deputati, non peccent mortaliter, in peccato mortali illam diſtribuentes. Ratio hujus eſt. Quia miniſtrare Sacramentum Euchariſtiæ parit duplicem ſenſum, id eſt, facere illam, ſive conſecrare, ut Miniſter Chriſti, & miniſtrare, id eſt, dare & præbere illam. in priori ſenſu utique eſt peccatum mortale, ut patet ex dictis, in poſteriore aſſerunt citati Authores non eſſe: eò quòd hęc actio non contineat gravem dedecentiam; licèt enim ex Officio, & ex deputatione per ſacrum Ordinem prętetur, tamen ipſa non eſt actio ſacramentalis, nec cauſativa gratiæ ex opere operato, ſed eſt mera applicatio Sacramenti, ut mediante ipſo cauſetur gratia; ſicut ergo aliæ actiones, proximè referendæ, poſſunt præſtari, etiam ex Confeſſione Adverſariorum, ſine peccato mortali à Miniſtro ad eas vi Ordinis deputato, ita etiam poteſt iſta: præſertim cùm non ita neceſſariò & eſſentialiter præſupponat Miniſtrum deputatum per ſacrum Ordinem, qui olim etiam à Laicis præſtari potuerit, quando licebat illis ſacram Euchariſtiam domum deferre, præbere, ac ſumere.

Confirmatur ulteriùs. Si ſacerdos in ſtatu peccati mortalis Euchariſtiam ſolummodò manu attingeret, illam ex uno loco in alium transferret, vel populo per illam benediceret, nimis rigoroſum eſt, dicere, talem peccaturum mortaliter, ut quidem dicit Tannerus *diſp.*5. *qu.*8. *num.*188. & Joannes Bapt. Gonet, cui paulò poſt reſpondebo ad textum S. Thomæ ab illo allegatum. Atqui Sacerdos ſolummodò miniſtrans, & conſecrans S. Euchariſtiam aliud nihil facit, quàm ut illam manu attingat, ad communicantem deferat, in ore illius reponat, qui cùm devotè, & ad gloriam DEI animæque ſuæ ſalutem illam recipiat, Sacerdos minus indecentię videtur committere, quàm ſi quocunque alio in loco reponeret. Ergo miniſtrans tali modo Euchariſtiam non peccat mortaliter.

44 Obiicit Gonet l. c. textum S. Thomæ 4. *diſt.*24. *quæſt.* 1. *a.*3. *quæſt.*5. *ad*4. Qui ſic habet. *Quicunque exhibet ſe in aliquo actu ut Miniſtrum Eccleſiæ, mortaliter peccat* (intellige: ſi iſtum in ſtatu peccati mortalis eliciat) *& toties mortaliter peccat, quoties hunc actum facit. Quia, ut dicit Dionyſius, cap.*1. *Cœleſtis Hierarchiæ, immundis, nec ſymbola, id eſt, ſacra ſigna tangere fas eſt: unde qui tangunt res ſacras, quaſi ſuo Officio utentes, peccant mortaliter.* Quibus verbis, ſubſumit Gonet, S. Thomas aſſerit, corpus Chriſti ex Officio tangere in peccato mortali, peccatum eſſe mortale: ſed tangere corpus Chriſti illud diſpenſando fidelibus convenit ex Officio Sacerdoti, ut docet idem S. Doctor 3. *par. quæſt.*81. *art.* 3. Unde *quæſt.*64. *art.*6. ait. *Non eſt dubium, quin mali exhibentes ſe Miniſtros DEI & Eccleſiæ in diſpenſatione Sacramentorum peccent.* Reſp. Si verba S. Doctoris ſumantur, prout jacent, ſequitur Sacerdotem in eadem Miſſa toties peccare mortaliter, quoties in peccato mortali celebrans attingit, vel attollit ſacram hoſtiam, vel calicem, vel patenam, vel pallam, vel ſacram mappam &c. Quod eſt incredibile, ut apud cit. Tan. ait Suarez contra Sylv. & Angelum. Itaque S. Thomas & Dion. in eo ſenſu intelligendi ſunt, in quo Protoparens noſtra *Gen.*3. *v.*3. dixit, referens præceptum DEI *De fructu vero ligni, quod eſt in medio Paradiſi præcepit nobis DEVS; ne comederemus, & ne tangeremus illud.* Id eſt, tactu cum actu comeſtionis conjuncto, & quaſi integrante transgreſſionem præcepti: & ſic omnes illi actus, & attactus rerum ſacrarum ſunt peccatum mortale, quatenus includunt actionem principalem, quæ eſt ipſa confectio Sacramenti, quam S. Thomas in poſteriori textu diſpenſationem Sacramenti appellat; quoties tali modo multiplicatur actio principalis phyſicè, vel moraliter, toties multiplicatur peccatum vel phyſicè, vel moraliter.

Obiici ſolet etiam Reſponſum Nicolai I. *cap. ultim.* 15. 45
*quæſt.*8. ubi ad quæſtionem, an liceat S. Euchariſtiam à Sacerdote adultero accipere, reſpondet, Adulterum Sacerdotem miniſtrando hoc Sacramentum, *Non ſuſcipienti, ſed ſibi nocere. Quoniam mali bona adminiſtrando ſe tantummodo lædunt.* Reſpond. Veriſſimum eſſe, quòd tales ſibi noceant, & ſe ſuamque conſcientiam lædant; ſed ex his ipſis verbis generalibus colligi, nocumentum, & læſionem non ſemper eſſe gravem, aliàs Pontifex id ipſum ſignificaſſet: eſt ergo gravis, & levis ſecundùm proportionem culpæ; ſi enim adminiſtrant bona per actionem principalem, immediatè, & ex opere operato cauſativam gratiæ: conſiſtentem in ipſa confectione Sacramenti, lædunt ſe graviter, ſi verò per aliam qualemcumque, læſio eſt levis, ut mox dicam. Itaque

§. IV.

An ſtatus Gratiæ requiratur ad alias functiones ſacri Ordinis.

S V M M A R I V M.

46 *Probabilius ſola Confectio Sacramenti in ſtatu peccati mortalis, eſt peccatum mortale.*
47 *Reſpondetur ad oppoſitum Capitulum* ult. de temp. ord. *& ad exemplum Ozæ.*

DIcendum, quod omnes aliæ cujuſcumque Ordinis functiones, quæ non ſunt adminiſtratio, id 46
eſt, Confectio alicujus Sacramenti, ſcilicet Benedictiones rerum ſacramentalium, etiam Chriſmatis, & Olei infirmorum, Nuptiarum, Templorum, ſacrorum Vaſorum, Veſtium, &c. Item Miniſtrationes in Sacris, Collatio primæ Tonſuræ, & cæteræ ejuſmodi in ſtatu peccati mortalis exercitæ, non contineant gravem irreverentiam. Ita ſentiunt Henricus de Gandavo, Sotus, Paludanus, Suar. Valent. Coninck, Bonac. Vaſq. quos refert & ſequitur Palao *diſp. de Sacram. in communi punct.*6. *n.*2. Ledeſma, Victor. Henriqu. quos citat & approbat Tan. *diſp.*3. *quæſt.* 4. *n.*69. Auguſt. Bernal. *diſput.*17. *ſect.*7. §. 2. Joannes Præpoſitus *qu.* 64. *art.*6. & plures alii. Diſſentiunt tamen apud Vaſqu. *tom.*2. *in* 3. *part. diſput.* 136. *cap.*4. Joannes Medina, aſſerens Epiſ-

Epiſcopum conficientem Chriſma in mortali, aut benedicentem oleum, aut conſecrantem, aut benedicentem Eccleſiam peccare mortaliter, Sylveſter, Angelus, Cajetanus, aſſerentes Diaconum, & Subdiaconum peccare mortaliter ſolemniter cantantes Evangelium, aut Epiſtolam, idem docent Navar. *cap.25, num.72.* Sayrus pluribus relatis *lib. 2. de Sacram. cap.7. qu. 2, a. 1.* Gonet *diſp.6. num.* 110. Contra quos probatur prior ſententia in primis argumento negativo; quia nulla obligatio præſertim ſub culpa gravi eſt imponenda, quæ nequit ſufficienter probari; ſed obligatio non utendi poteſtate Ordinis, excepta confectione Sacramenti, nequit ſufficienter probari, ut ex dicendis patebit, ergo non eſt imponenda. Propterea Vaſqu. *l. c.* negat etiam obligationem ſub culpa veniali. Verùm alii, ut Suar. & Lugo, fatentur, ſaltem irreverentiam levem committi per uſum Ordinis in peccato mortali, ut colligitur partim ex capitulo proximè citando, partim quia per ſe videtur clarum, quòd quia per Ordinem confertur homini gratia ſanctificans ad omnes ejus functiones decenter obeundas, eæ autem minùs decenter obeuntur in ſtatu peccati mortalis, per illas ad minimum peccetur venialiter. Saltem, ut non improbabiliter relato Lugo *diſp.8. num.15.* diſtinguit Bernal. *cit. diſput.17. num.* 155. ſi illæ tantæ ſint ſanctitatis, ſive ſacræ dignitatis, ut ad eas neceſſarius ſit ſacer aliquis Ordo. Nam per cæteras Minorum Ordinum ait: neque venialiter peccari: Quòd autem non peccetur mortaliter argumento poſitivo probatur. Illæ functiones, quæ non ſunt adminiſtratio, ſive confectio alicujus Sacramenti, non habent vim conferendi & cauſandi gratiam immediatè, & per ſeipſas, ex opere operato, ergo etiam non eſt tam gravis dedecentia, ſi Miniſter per Sacramentum Ordinis ad illas deputatus, non ſit in ſtatu gratiæ; quæ ad Sacramenti adminiſtrationem ideò requiritur, ut habeat debitam proportionem cum ſuo effectu à Chriſto per talem deputationem Miniſtri, ſuam perſonam in Ordine ad talem actionem repræſentantis, ſub grave obligatione meritò intentam.

47 Opponitur huic ſententiæ communiter *cap. ult. de Temporibus Ordinationum.* Ubi cùm ex Gregorio IX. quæſitum eſſet de Sacerdotibus, vel aliis Clericis, qui per reatum adulterii, perjuriii, homicidii vel falſi teſtimonii bonum conſcientiæ rectè perdiderunt, ad quæſtionem relatis verbis propoſitam, inquit. *Reſpondemus, quod ſi propoſita crimina Ordine Judiciario comprobata, vel aliàs notoria non fuerint, non debent hi (præter reos homicidii) poſt pœnitentiam in jam ſuſceptis, vel ſuſcipiendis Ordinibus impediri: qui ſi non pœnituerint, monendi ſunt, & ſub interminatione Divini Judicii obteſtandi, ut in teſtimonium ſuæ damnationis etiam non miniſtrent.* Verùm à Doctoribus noſtris communiter reſpondetur, hæc verba eſſe intelligenda juxta ſubjectam materiam, & reſpectivè ad varium miniſterium. Nam etiam ex Adverſariis vix aliquis illa univerſaliter, & æqualiter de omni miniſterio intelligit, & accipit. Quis enim dicat, ſi Clericus in minoribus Ordinibus conſtitutus ex officio Ordinis ſui januam templi aperit, vel claudit, campana populum ad rem divinam convocat, vinum & aquam in urceolos infundit, luminaria accendit, populo pia prælegit, eum ſingulis vicibus peccare mortaliter? Itaque ſenſus verborum eſt iſte, quòd Clerici non pœnitentes monendi ſint, & ſi miniſterium tale ſit, quod etiam ſub culpa gravi ſit prohibitum (non enim hìc definit Pontifex, multò minùs per novam legem ſtatuit, omne miniſterium tale eſſe) etiam ſub interminatione Divini Judicii obteſtandi, ne in peccato mortali miniſtrando teſtentur, ſe tamquam impenitentes, & non curantes ſuum peccatum, ac indignitatem ad ſuum miniſterium in ſtatu damnationis eſſe propter ſuum peccatum præteritum, & negligentiam pœnitentiæ, ita obſtinatam, ut audeant adhuc adminiſtrare Officium ſui Ordinis, & tamen non priùs pœnitentiam agere. Imò hac ratione omnes interminatione Divini Judicii, æternùm illos damnaturi, dehortandi & monendi ſunt, ne miniſtrent impenitentes, alioquin à Deo damnandi ſaltem propter peccatum præteritum, in quo obſtinatè perſeverant, ſi non etiam propter novum, per adminiſtrationem alicujus Sacramenti commiſſum: in ordine ad quod proinde cit. capitulum reſpectivè intelligendum eſt.

Obiicitur ſecundò exemplum Ozæ 2. *Reg.* 6. qui propter ſolum indecentem attactum Arcæ morte punitus eſt. Ergo multò magis propter ſolum indecentem attactum corporis & ſanguinis Chriſti in ſtatu peccati mortalis peccat mortaliter Sacerdos, vel Diaconus Euchariſtiam transferendo, diſtribuendo &c. etiamſi Sacramentum non conficiat. Reſp. primò, morte temporali etiam peccatum veniale à DEO puniri poſſe, ſicut probabiliter uxor Loth non peccavit, niſi venialiter, in ſtatuam ſalis converſa. Reſpondetur ſecundò, Ozam non peccaſſe, quòd in ſtatu peccati mortalis Arcam tetigerit, ſed quòd contra expreſſam prohibitionem *n.4. v.15.* ſine ſufficiente cauſa illam tetigerit: qualem prohibitionem ex ſtatu peccati mortalis nondum oſtenderunt Adverſarii.

ARTICULUS VI.

An, & qualis diſpoſitio in ſuſcipiente Sacramenta requiratur ad accipiendam gratiam.

SUMMARIUM.

48 *Quæ dicantur Sacramenta Mortuorum, & quæ Vivorum.*
49 *Qualis requiratur diſpoſitio, ad Sacramenta Mortuorum fructuosè ſuſcipienda, in recipiente.*
50 *Qualis requiratur diſpoſitio in recipiente Sacramentum Vivorum, conſcio ſibi peccati mortalis.*
51 *Et qualis in non Conſcio.*
52 *An Sacramentum infructuosè, ſed validè ſuſceptum, remoto Obice conferat Gratiam ſanctificantem.*
53 *Quid in hoc caſu dicendum de Extr. Unctione, & Matrimonio.*
54 *Quid in eodem caſu de ſuſceptione ſacræ Euchariſtiæ.*

Notandum eſt primò inter ſeptem Sacramenta duo, 48
nempè Baptiſmum, & Pœnitentiam dici Sacramenta Mortuorum, reliqua 5. dici Vivorum, eò quòd priora duo licitè ſuſcipi poſſint cum notitia peccati mortalis, nondum per pœnitentiam, vel charitatem deleti, & ad vitam animæ, ſive ad primam gratiam conferendam, vel reddendam ſint per ſe ordinata; alia 5. autem cum notitia peccati mortalis licitè recipi non poſſint; ſed vitam animæ ejuſque ſaltem probabilem notitiam ſupponant; quia tantùm ad illam conſervandam, & augendam ſunt per ſe inſtituta, etiamſi per accidens ſuppoſita inculpabili ignorantia peccati mortalis, omnia vel aliqua ſervire poſſint etiam ad primam gratiam recipiendam. Hoc notato

Dico primò. Diſpoſitio ad ſuſcipienda Sacramenta 49
Mortuorum cum effectu gratiæ, ab ipſis cauſandæ, in adultis neceſſaria, ſunt actus fidei, ſpei, propoſiti ſervandorum omnium præceptorum, ſive numquam peccandi mortaliter, & denique etiam retractationis, ſi quod mortale commiſſum, & nondum retractatum, vel remiſſum eſt. Ita cum S. Thoma 4. *diſtinct.4. quæſt.3. art.2. & diſt.6. quæſt.1 art.3. & 3 part. quæſt.68. art.4. & 8.* communis, & certa Theologorum ſententia. Contra Cajetanum ſola intentione ſuſcipientis, eaque, ut ſuprà retulimus, negativa contentum apud Coninck *quæſt.62. num.24.* Imò Tannerus *diſp. 4. qu.2. num.44.* ait, prædictam diſpoſitionis neceſſitatem eſſe de fide. Probatur ex Trid. *ſeſſ.6. c.6.* ubi enumeratos actus pro diſpoſitione ad Baptiſmum expreſsè requirit. Et *ſeſſ.14. cap.4.* ubi eoſdem actus exigit ad Sacramentum pœnitentiæ, utrobique allegans teſtimonia S. Scripturæ.

Confirmatur etiam ratione: nam ad Sacramentum pœnitentiæ, ut videbimus, pro valore & parte ejus conſtitutiva requiritur dolor de peccato, per ſui accuſationem apud S. Judicem expoſito, & propoſitum id non reiterandi: & quia pœnitens accuſationem ſui ordinat ad obtinendam remiſſionem peccati, neceſſariò præſupponi debet ſpes obtinendæ remiſſionis, ſpes autem, & dolor de peccato, ut eſt offenſa DEI, & propoſitum eum

non rurſum offendendi, neceſſariò præſupponit fidem: ergo fides, & ſpes ſunt neceſſarii actus ad Sacramentum pœnitentiæ, tamquam diſpoſitio, ſine qua nec darentur alii actus requiſiti ad valorem Sacramenti: neque cauſaretur gratia ab ipſo Sacramento, debita cum intentione ſuſcepto. Eadem eſt ratio quoad Sacramentum Baptiſmi, quando ſuſcipitur ab aduito, tanquam Sacramentum Mortuorum, in ordine ad accipiendam primò vitam animæ (nam ſi jam antecedenter per actum perfectæ charitatis DEI ſuper omnia quis vivificatus fuiſſet, qui actus eſſet ſaltem virtuale propoſitum non ampliùs peccandi, & fidem, ac ſpem præſupponeret, hoc ipſo jam eſſet poſita prædicta noſtra diſpoſitio.) Vel enim tunc cum peccato originali daretur adhuc aliud peccatum mortale, per Baptiſmum infuſione gratiæ delendum, vel non daretur? ſi primum, hoc ipſo quia nullum peccatum perſonale dimittitur, niſi retractatum, prærequireretur illius peccati retractio, quæ ſaltem foret virtuale propoſitum ſervandi omnia mandata, & pariter fidem, ac ſpem præſupponit. Si ſecundum: tamen eſſent neceſſarii actus fidei, ſpei, propoſiti ſervandi omnia mandata, non quidem tamquam pars Sacramenti, neque tamquam partialis cauſa meritoria, ſed tamquam conditio, ac diſpoſitio, ideò à Chriſto requiſita ad cauſandam à baptiſmo primam gratiam; quia per Baptiſmum homo adſcribitur numero fidelium, & ſubiicitur Chriſto tamquam ſupremo Capiti Eccleſiæ, & acquirit jus, ac capacitatem ad ſalutem æternam (qui namque crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit) proinde meritò exigitur Fides in Chriſtum, propoſitum obediendi ejus mandatis, & ſpes obtinendæ ſalutis. Idcircò S. Paulus *ad Heb. 11. v. 6.* dicit: *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*, nempè ut per fidem illuminetur ad inquirendum, & per propoſitum ſervandi omnia mandata, accedat ad DEUM motu voluntatis, & ad ſperandam ſalutem à remuneratore eorum, qui obſervant omnia Dei mandata.

50 Dico ſecundò. Ad Sacramenta vivorum fructuosè ſuſcipienda, in peccatore conſcio ſibi peccati mortalis, per ſe loquendo requiritur perfecta contritio, vel Sacramentalis confeſſio, quæ ad S. Euchariſtiam, ſi præmitti poteſt, determinatè neceſſaria eſt, juxta Trid. *Seſſ. 13. cap. 7.* in juſto autem nulla alia diſpoſitio exigitur, præter partes neceſſarias ad valorem Sacramenti, cum debita intentione ſuſcepti, quæ etiam ad fructuoſam ſumptionem Euchariſtiæ (cujus tamen intentio ſuſcipiendi non eſt pars) ab adultis præmitti debet, ut ſuprà inſinuavimus, quando ad modum cibi ſpiritualis ſumendum diximus. Probatur quoad primam partem, cui quidem neminem ſcio refragari. Sacramenta vivorum ideò dicuntur Vivorum, quia à Chriſto principaliter ſunt inſtituta, non ad conferendam primam gratiam, ſed ad eam augendam, & perficiendam, & ad talem effectum in anima cauſandum, qui vitam animæ præſupponit: ergo qui ſuſcipiendo hujuſmodi Sacramentum in ſtatu peccati mortalis inſtitutioni ac intentioni Chriſti adverſatur, gravem irreverentiam, & Sacrilegium committit; ergo non poteſt accipere gratiam à Sacramento cauſandam, ſive non poteſt ſuſcipere Sacramentum fructuosè.

Probatur etiam ſecunda pars. Etiamſi melior diſpoſitio actualis conducat, & ſit conditio utilis, ut Sacramentum perfectiorem gratiam conferat ſuſcipienti; ſi tamen in iſto nullus detur obex, à virtute cauſativa Sacramenti non removibilis, non debet alia diſpoſitio requiri, & effectus Sacramenti ex defectu illius ſuſpendi, niſi de eo conſtet, vel ex S. Scriptura, vel ex Authoritate SS. Patrum, & Doctorum, vel ex ratione prudenter innegabili; ſed de hoc neutro modo conſtat; imò ferè ab omnibus negatur neceſſitas alterius diſpoſitionis, & non niſi à paucis, abſque tamen ſufficienti fundamento, aſſeritur in ſolo Sacramento Euchariſtiæ ergo &c.

51 Dico tertiò. Ad Sacramenta vivorum fructuosè ſuſcipienda, in peccatore ſibi non conſcio ſui peccati mortalis in quo habitualiter verſatur, vel conſcio quidem, ſed falsò exiſtimante, ſe ſatis eſſe contritum, vel non potente ſibi procurare veram, & perfectam contritionem, aut Sacramentum pœnitentiæ, nec ſine gravi incommodo potente abſtinere à perceptione Sacramentorum, vel aliàs bona fide ad illa accedente, per accidens ſufficere attritionem, ſine Confeſſione aut perfecta contritione. Ita longè communior & probabilior ſententia cum S. Thom. *3. p. quæſt. 72. art. 7. ad 2. & quæſt. 79. ar. 3. & in 4. diſt. 7. qu. 2. art. 2. quæſt. 2. & diſt. 9. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 2. & diſt. 12 qu. 2. art. 2. quæſt. 2. ad 1. & diſt. 23. qu. 1. art. 2. quæſt. 2.* Probatur. Sicut Sacramenta mortuorum, licèt principaliter ſint inſtituta ad conferendam primam gratiam, & ad delendum peccatum, per accidens poſſunt conferre augmentum gratiæ, atque peccati deletionem, per gratiam aliunde ex perfecta contritione, vel charitate obtentam ſupponere; ſic Sacramenta vivorum, licèt principaliter ſint inſtituta ad conferendum augmentum gratiæ, poſſunt per accidens conferre primam gratiam, hoc ipſo quòd in dicto caſu non detur obex peccati actualis, incompoſſibilis cum gratia, & peccatum habituale, ſuppoſita retratactione per attritionem, ſit removibile per virtutem cauſativam gratiæ inexiſtentem Sacramentis vivorum, validè perceptis: ergo non obſtante principali intentione Chriſti potiùs dicendum eſt, attritionem ſufficere ad hoc, ut Sacramenta vivorum validè percepta, cauſent ſuum effectum, nempe gratiam, etiamſi per accidens illa ſit prima, removens ipſum obicem peccati mortalis habitualis, quàm ut ſine neceſſitate negetur ipſis Sacramentis ſuus effectus, eò quòd neceſſitas præexiſtentis gratiæ neque poſſit ex inſtitutione Chriſti probari, neque oſtendi aliquod impedimentum, quòd à virtute cauſandi, & ab effectu ipſo, nempe à Gratia ſanctificante non ſit removibile. Sic neque cauſis Phyſicis negatur vis producendi novam formam ſubſtantialem, quia per hanc removetur prior forma ſubſtantialis, quæ aliàs impediret exiſtentiam novæ formæ in eodem ſubjecto.

Confirmatur concluſio ſatis clara authoritate Concil. Tridentin. *Seſſ. 13. Can. 5.* ſine diſcrimine, & exceptione peccatorum mortalium à venialibus ſupponentis, præter alios effectus gratiæ per Euchariſtiæ Sacramentum cauſari etiam remiſſionem peccatorum: quòd idem S. Jacobus in ſua epiſtol. Can. aſſerit de Sacramento Extremæ Unctionis: conceſſa autem virtute aliquando cauſandi primam gratiam in his duobus Sacramentis vivorum, non eſt ratio illam negandi in reliquis tribus.

Ex præmiſſis tribus Concluſionibus oritur quæſtio, magis ſpeculativa, quàm proinde ſufficit breviter expedire, nec tamen oportet, propter utilitatem ſuam, Spirituale ſolatium, omninò præterire. Quæritur itaque, an quando Sacramentum aliquod eſt validè ſuſceptum, attamen ſine ſuo effectu, ob intermiſſionem, ſive culpabilem ſive inculpabilem, alicujus diſpoſitionis ſuprà tamquam neceſſariæ conditionis requiſitæ ad hoc, ut Sacramentum validè ſuſceptum conferat gratiam, & ne ex illius diſpoſitionis defectu obex conferendæ gratiæ ponatur, ne adeòque ſolùm apparenter, & fictè, fructus ex uſu Sacramenti, quantumvis validi, percipiatur an inquam in tali caſu Sacramentum ſaltem deinde cauſet ſuum effectum, & conferat gratiam ex opere operato, ac veluti ex mortuis reviviſcat, quando intermiſſa conditio ſive diſpoſitio ponitur, & dictus obex, ſive fictio, nempè defectus neceſſariæ diſpoſitionis removetur, quando nimirum deinde poſt longum, vel breve tempus ponitur fides, ſpes, propoſitum ſervandi omnia præcepta juxta primam concluſionem, vel contritio, aut confeſſio Sacramentalis juxta ſecundam concluſionem, vel ſaltem attritio, ſive retractatio peccatorum mortalium, ſi juxta tertiam concluſionem antecedenter non eſt poſita, aut ſi aliqua eſt poſita circa unum peccatum mortale, ea tamen non fuit univerſalis, ad omnia peccata mortalia commiſſa ſe extendens, quæ à multis creditur ſufficere etiam ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, modò ſe extendat ad omnia peccata mortalia memoriæ occurrentia, atque in confeſſione expoſita, etiamſi pœnitens adhuc habeat aliud peccatum mortale inculpabiliter tamen ignoratum, quod antequam, & ipſum retractetur, neque alia peccata poſſunt vi abſolutionis remitti per gratiam, quia nequit unum peccatum mortale remitti ſine 52

altero mortali, alterum autem peccatum ponitur, non fuiſſe retractatum, adeòque de facto non remiſſibile, uſque dum retractetur.

Ad hanc quæſtionem negativè reſpondet Gloſſa *in cap. Tunc valere de Conſecratione diſt.* 4. & alii quidam Canoniſtæ, cum his Joannes Medina Alexander Gabriel, Scotus apud Vaſq. *diſp.* 159. *cap.* 1. *&* 4. quorum ſententiam etiam ipſe ut probabilem defendit. Affirmativè tamen reſpondent ſaltem de aliquibus Sacramentis plerique alii, & quidem de Baptiſmo expreſsè S. Auguſt. relatus *in cap. Tunc valere* S. Thom. 3. *par. quæſt.* 69. *art.* 10. S. Bonavent. 4. *diſt.* 4. *parte* 1. *art.* 2. *quæſt.* 3. & ferè omnes alii. Eadem autem eſt ratio de aliis duobus Sacramentis, non reiterabilibus, & imprimentibus characterem: quæ hoc ipſo, quòd reiterari non poſſint, ne eorum effectu præcipuo, qui eſt gratia ſanctificans, cum ſpecialibus quibuſdam auxiliis, poſt illorum receptionem homo perpetuò carere debeat, ſaltem tunc ſuum effectum cauſabunt, quàm primùm ſublatum eſt impedimentum, & poſita neceſſaria diſpoſitio.

53 Idem communiter aſſerunt de extrema Unctione, & Matrimonio; quia illa in eodem morbo lethali, iſtud inter eoſdem conjuges reiterari nequit. De Pœnitentiæ Sacramento, ſuppoſito, quòd ad ejus valorem ſufficiat attritio, non ſe extendens ad peccatum mortale, inculpabiliter in confeſſione omiſſum, etiam communiter conſentiunt Doctores ſecuti S. Thom. 4. *diſt.* 17. *qu.* 3. *art.* 4. *quæſt.* 1. qui quando *diſt.* 23. *quæſt.* 1. *art.* 4. *qu.* 2. ſuppoſitum videtur negare, non loquitur ibidem univerſaliter; ſed tantùm de eo caſu, quo Sacramentum Pœnitentiæ ſuſcipitur cum perfecta contritione conſtituente tunc valorem Sacramenti, quæ utique vi ſui moti vi univerſalis ſe extendit ad peccatum inculpabiliter oblitum ita ut etiam hoc per eandem abſolutionem indirectè remittatur; quæ tamen contritio, quia non determinatè eſt neceſſaria, ſed quia etiam ſufficit attritio, non ſemper nixa motivo univerſali, ideò conceſſo ſuppoſito pro eo caſu affirmativè Reſpondet in priori loco citato: ne aliàs reliqua peccata per confeſſionem perpetuò infructuoſam, & tamen validam propoſita, rurſum cum peccato deinde memoriæ occurrente, & in ſequenti confeſſione expoſito, ac retractato, iterum exponenda eſſent ut & ipſa per abſolutionem ſubſequentem directè remitterentur. Ideò de omnibus Sacramentis, excepta Euchariſtia, affirmativam reſponſionem tenent S. Thom. 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 3. *art.* 4. *quæſt.* 1. Suar. Coninck. Lugo, & plurimi alii.

54 De Euchariſtia tamen plerique negant cum S. Thom. 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 3. *art.* 2. *qu.* 3. *ad* 3. ſaltem quando ſumitur cum culpabili omiſſione diſpoſitionis in 2. Concluſione requiſitæ: quia tunc Euchariſtia non tam habet rationem cibi, quàm veneni, quo quis juxta S. Paul. mortem æternam, divino Judicio ſibi decernendam manducat, & bibit. Ratio autem pro cæteris Sacramentis (& forſan etiam pro Euchariſtia in caſu tertiæ concluſionis) univerſalis eſt; quia ita Chriſtus prudenter creditur inſtituiſſe Sacramenta, ut quàm minimè ſint infirma, & egena elementa, & infallibiliter cauſent gratiam ex opere operato, niſi obſtet aliquod impedimentum, ob quam cauſam graviter peccat, qui oppoſitione impedimenti remoratur vim cauſandi gratiam: ergo impedimento remoto, niſi adhuc obſtet ſpecialis ratio, qualis obſtat in Euchariſtia, ſacrilegè, & non inſtar Cibi ſpiritualis ſumpta, Sacramenta mox cauſant gratiam, ſicut, ut inquit S. Thom. 3. *par. q.* 69. *art.* 10. ſimul cùm corpus grave generatur, movetur deorſum, niſi ſit aliquid prohibens, quo remoto, ſtatim incipit moveri deorſum.

ARTICULUS VII.

De Efficacia Sacramentorum ad cauſandum characterem ſpiritualem.

SUMMARIUM.

55 *Tria Sacramenta præter Gratiam Sanctificantem pariunt characterem ſpiritualem in Anima recipientis.*

56 *Quid ſit iſte Character, & quare Sacramentum per illum reddatur irreiterabile.*

De hac Efficacia ſic ſtatuit Conc. Trid. *Seſſ.* 7. *Can.* 55
9. *ſi quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam Spirituale, & indelebile: unde ea iterari non poſſunt; anathema ſit.* Deſumpſit autem Concil. hunc articulum fidei ex continua traditione Eccleſiæ, qua ſuppoſita rectè hæc congruentia pro eodem aſſignatur. Triplex nempè in Eccleſia datur ſtatus fidelium, ſtabilis ac perpetuus, per Baptiſmum enim ſtabiliter quis aſſumitur in familiam Chriſti, & fit quaſi civis reipublicæ Eccleſiaſticæ, in qua Chriſto in ordine ad communicationem, & participationem bonorum ſpiritualium, ad ſalutem animæ neceſſariorum, perpetuò ſubjicitur. Per Confirmationem ſeligitur quis in militiam Chriſti, & acquirit ſtatum militarem ad propugnandam fidem Chriſti contra hoſtes viſibiles, & inviſibiles Eccleſiæ. Per Ordinem denique ſtabiliter quis deputatur ad Miniſterium altaris, & ponitur in ſtatu Miniſtrorum ac diſpenſatorum Myſteriorum Dei. Quicunque ergo hujuſmodi ſtatui per ſuſceptionem Baptiſmi, Confirmationis, vel Ordinis adſcribitur, in illius animam infunditur à Deo qualitas aliqua ſpiritualis, habens eſſentialem connexionem cum perceptione talis Sacramenti, & cum poteſtate illa, vi percepti Sacramenti ſtabiliter collata ut nimirum quamdiu quis eſt in ſtatu viæ, ſive in Eccleſia per communicationem Sacramentorum, & Meritorum Chriſti ac Sanctorum, aliorumque mediorum, tendente ad æternam felicitatem, ratione baptiſmi poſſit recipere Sacramenta, & alia auxilia ac media ſalutis, à Chriſto ſolis fidelibus communicanda: ratione Confirmationis habeat ſpecialem poteſtatem ac robur, pugnandi contra viſibiles ac inviſibiles hoſtes. Ratione Ordinis habeat facultatem peragendi certa Miniſteria ad cultum divinum, & ad miſſæ Sacrificium.

Unde qualitas illa infuſa, ratione prædictæ eſſentia- 56
lis connexionis eſt Signum, perpetuò inhærens animæ, ex quo in altera vita, quando etiam objecta merè ſpiritualia independenter à ſenſibus intuitivè cognoſcentur, quilibet cognoſcere poterit, quinam Sacramentum Baptiſmi, Confirmationis & Ordinis perceperint, idque Beatis erit ſpeciali ornamento, damnatis verò dedecori, ob indignè geſtam, & malè uſurpatam poteſtatem: ſicut etiam in Politica Republica dantur quædam Signa e. g. Vellus aureum æqueſtris Nobilitatis, quæ amicis Principum ſunt honori, reis autem læſæ Majeſtatis, & capite plectendis ſunt majori ignominiæ: quo enim perſona plectenda cognoſcitur fuiſſe ſublimior & nobilior, eò ſuppliciũ magis eſt dedecoroſum. Hoc ipſo autẽ quòd illa triplicis generis ſigna, quæ etiam characteres ſive figuræ in animam impreſſæ, dicuntur, denotent ſpecialem quendam ſtatum ac poteſtatem, neque etiam per peccatum mortale, vel per excommunicationem auferibilem (quamvis per hanc ejus uſus ſuſpendatur) rectè infert Concil. Trid. omnia & ſola Sacramenta, cauſantia characterem, eſſe initerabilia; quia finis illorum jam eſt ſtabiliter obtentus per primam eorumdem ſuſceptionem: alia autem Sacramenta ordinantur ad alios fines, non conſiſtentes in aliquo ſtatu, aut poteſtate ſtabili, & ideò iterari poſſunt.

DIS-

DISPUTATIO II.

De Sacramento Baptiſmi.

ARTICULUS I.

De Definitione, & Inſtitutione Baptiſmi.

SUMMARIUM.

1 *Definitio Baptiſmi.*
2 *Inſtitutus eſt à Chriſto ante ſuam mortem.*

1 DUæ Definitiones communiter ſunt receptæ. Prior traditur à Magiſtro ſententiarum 4. *diſt.* 3. *in principio*, & à S. Thom. 3. *par. qu.* 66. *art.* 1. Ubi Baptiſmus ſecundùm ſignificatum non præcisè Genericum, quo Græcum Vocabulum Latinè redditur *Ablutio*, ſed ſecundùm ſpecificam rationem Sacramenti dicitur eſſe *Ablutio corporis exterior, facta ſub præſcripta forma verborum.* Quæ definitio eſt potiùs Phyſica, exprimens materiam, & formam, quàm Metaphyſica, exprimens genus, & differentiam. Poſterior definitio utrumque præſtat; & his traditur in Catechiſmo Romano *parte* 2. *cap.* 2. *Sacramentum Regenerationis per Aquam in verbo vitæ.* Particula *Sacramentum* Generis loco ponitur, vis autem regenerandi, per quam à reliquis Sacramentis differt, ſignificatur per reliqua verba, quibus etiam effectus, & finis, & Materia remota, & forma denotatur, vocabulo quidem metaphorico, ſed quod hac ipſa metaphora, & ſimilitudine Generationis corporalis ſymbolicè declarat remiſſionem peccati originalis, & Actualium, ſi quæ adſunt, per collationem Gratiæ, quæ eſt poſitiva vita Animæ regeneratæ.

2 Hic Baptiſmus inſtitutus eſt ante Chriſti mortem, & antequam à mortuis reſurgens dixiſſet Apoſtolis, *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* Ut indicatur in *cap. Numquam de Conſecr. diſt.* 4. Et eſt communior inter Theologos, eandem docuerunt plerique SS. Patres, Cyrillus, Nazianz. Auguſt. Hug. de S. Vict. Thomas cum M. ſententiarum, & *in* 3. *part. q.* 66. *art.* 7.

Probatur 1. Conſtat, Chriſtum per Apoſtolos ſuos ante mortem multos baptizaſſe, ut legitur apud Joann. *cap.* 4. dicentem; *Ut ergo cognovit Jeſus, quia audierunt Phariſæi, quòd Jeſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quàm Joannes; quamquam Jeſus non baptizaret, ſed diſcipuli eius*; atqui nec dici poteſt, Apoſtolos uſos eſſe Baptiſmo Joannis, aliàs non Jeſus, ſed Joannes per illos baptizaſſe dicendus fuiſſet, nec uſos eſſe alio Baptiſmo ſimiliter non ſacramentali, quia Chriſti Baptiſmus, quem licèt non ipſe, ſed Apoſtoli ipſius, nomine ordinariè peregerint (quod ut plures Patres teſtantur, ſolùm indicare voluit S. Joannes, negans Chriſtum baptizaſſe) ſemper præfertur Baptiſmo Joannis, quòd non in ſola aqua, ſed etiam Spiritu ſancto fuerit collatus: ergo Baptiſmum ſacramentalem jam inſtituit ante ſuam mortem.

Probatur 2. Quia *Act.* 19. legitur, baptizatos à Joanne, rebaptizatos eſſe, nunquam autem legitur, ante Chriſti mortem à diſcipulis baptizatos poſteà iterum Baptiſmum recepiſſe: ergo prior Baptiſmus fuit Sacramentalis.

Probatur 3. Apoſtoli ante Chriſti mortem receperunt Sacramenta Euchariſtiæ, & Ordinis, ergo debuerunt priùs Baptiſmo, qui eſt janua cæterorum Sacramentorum, initiati eſſe, ne ſpeciali Chriſti diſpenſatione, de qua non conſtat, dubia redderetur neceſſitas recipiendi Baptiſmum ante omnia alia Sacramenta. Hinc S. Auguſt. *epiſt.* 108. *& lib.* 3. *de Anima, & ejus origine cap.* 9. relatus *in cap. Si eos* 248. *de Conſecr. diſtinct.* 4. teſtatur, Apoſtolos non niſi ante mortem Chriſti baptizatos eſſe, & S. Petrum quidem propria Chriſti manu fuiſſe ablutum, referunt Nicephorus, & Nazianzenus, apud Bellarm. verò SS. Patres communi conſenſu, & nominatim S. Hil. Ambr. Hiero. Nazianz. Beda cum S. Thoma loc. cit. docent, Chriſtum, cùm baptizaretur à Joanne, dediſſe aquis vim, deinceps homines ſanctificandi, quemadmodum comedens Agnum Paſchalem, Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum, cujus erat Symbolum; ante ſuam paſſionem inſtituit.

Neque obſtat, quòd Chriſtus formam Baptiſmi expreſſiſſe legatur, quando à mortuis reſurgens miſit Apoſtolos, docere omnes gentes, & baptizare in nomine SS. Trinitatis, non autem legatur eandem tradidiſſe, aut adhiberi juſſiſſe, quando eos ante mortem ſuam ad prædicandum emiſit: ex eo enim, quòd conſtet, Apoſtolos priùs juſſu, & nomine Chriſti baptizaſſe, ſatis indicatur, eoſdem omnem ritum baptizandi edoctos eſſe, eumque non propter illorum ignorantiam à Chriſto fuiſſe repetitum. Imò, ut advertit S. Thomas 4. *diſt.* 3. *art.* 5. *quæſtiunc.* 2. Verbalem expreſſionem SS. Trinitatis Baptiſmo adhibendam, in ipſa inſtitutione Sacramenti declaravit ſenſibilis præſentia Patris in voce, Filii in carne, Spiritus ſancti in ſpecie columbæ.

ARTICULUS II.

De Neceſſitate Baptiſmi.

SUMMARIUM.

3 *Errores hæreticorum breviter referuntur.*
4 *Baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem.*
5 *Reſpondetur ad objectiones hæreticorum.*
6 *Baptiſmi neceſſitas capit primùm poſt mortem Chriſti.*
7 *Et quidem non immediatè, ſed poſt ſufficientem promulgationem ejuſdem neceſſitatis.*
8 *Quæ præſtita eſt die Pentecoſtes.*
9 *Quomodo ſublata L. V. deſierint Legalia.*
10 *Sacramenta V. L. etiam antequam deſierunt eſſe neceſſaria, fuerunt infirma, & egena elementa.*

PElagiani teſte S. Auguſt. *lib. de Hæreſibus, cap.* 69. 3
olim docuerunt, Baptiſmum neceſſarium non eſſe ad remiſſionem peccati, ſed tantùm ad aſſecutionem regni cælorum, qui tamen facilè erroris convincuntur, eò quòd ſublato peccato hoc ipſo tollatur neceſſitas Baptiſmi ad ſalutem, ſi inculpabiliter non fuerit ſuſceptus. Itaque Calvinus *in Antidoto Concilii Trid. ad ſeſſ.* 6. *cap.* 5. *& lib.* 4. *Inſtit. cap.* 16. §. 24. *&* 25. docuit Baptiſmum etiam ad aſſecutionem regni cælorum neceſſarium non eſſe, reſpectu infantium ex fidelibus natorum, neceſſitate medii. quia, inquit ille, propter fidem parentum, peccatum originale iiſdem non quidem remittitur (cùm Hæreſiarcha iſte neget, ullum peccatum unquam remitti) ſed tamen non imputatur, idque arbitratur indicari Geneſis 17. *Ero Deus tuus, & ſeminis tui.* *Et* 1. ad Corinth. 7. *filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt.* Confirmat errorem ſuum partim exemplo circumciſionis, quæ non minùs neceſſaria erat in Veteri Teſtamento, quàm Baptiſmus in novo, & tamen ſine ea poterant infantes ante octavum diem ſalvari, partim ratione, quòd videatur Divinæ Miſericordiæ repugnare, fieri tot infantium ſine Baptiſmo obeuntium, & ſine propria culpa beatitudinis æternæ jacturam. Contra hunc, alioſque Sectarios

Dico 1. Baptiſmum ſaltem in voto de facto eſſe ne- 4
ceſſarium neceſſitate medii ad remiſſionem peccati originalis, & aſſecutionem regni cælorum, ita ut neque infantes fidelium ſine eo ſalvari poſſint. Eſt de fide, & in variis Conciliis Carthag. Milevit. Tridentino *ſeſſ.* 6. *cap.* 3. *& ſeſſ.* 7. *can.* 4. *de Sacram. in genere, & can.* 5. *de* Ba-

Baptiſmo definitum. Probatur *ex capit.* 3. Joan. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum DEI*: Quę verba non ſonant tantùm pręceptum, ſed medium neceſſarium à DEO requiſitum, ut quis ex Filio carnali Adami, peccato paterno infecto, renaſcatur Filius Spiritualis DEI: unde ſtatim exprimitur ratio prędictę neceſſitatis immediatè ſequentibus verbis. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex Spiritu, ſpiritus eſt.*

5 Probatur 2. Reſpondendo ad falſa fundamenta Calvini, ad textum Gen. enim reſpondetur: illum in ſenſu literali intelligendum eſſe de promiſſione protectionis, gubernationis, & fęlicitatis terrenæ, Abrahæ, & filiis ejus facta: in ſenſu myſtico verò, & ſpirituali eſſe intelligendum quidem de promiſſione fęlicitatis æternæ, Abrahæ facta & filiis ejus, natis illi, non quidem ſecundùm carnem, ſed natis illi in Chriſto, qui eſt filius Abrahæ, in aqua, & Spiritu ſancto, unde Joan. 2. dicitur, *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt*. Et c. 3. *Oportet vos naſci denuò*

Ad textum S. Pauli Reſp. illo textu nimium probari, nempè etiam conjugem infidelem ſine Fide, & Baptiſmo ſalvatum iri, quia ibidem Apoſtolus etiam dixit, ſanctificari conjugem infidelem per conjugem fidelem: itaque Apoſtolus ibidem intelligendus eſt non de ſanctitate dignificante ad æternam beatitudinem, & remiſſione peccati originalis, ſed de ſanctitate quadam legali; nempè de legitima nativitate filiorum, quòd ſcilicet, quia filii nati ex parentibus uno fideli, & altero infideli, Jure Divino non ſunt ſpurii, ideò Jure Divino neceſſe non ſit conjugem fidelem diſcedere ab infideli: ita S. Ambroſius, S. Thomas, & S. Anſelmus: alias explicationes hujus loci vide apud interpretes, & apud Bellarminum *de Sacram. Baptiſ. lib.* 1. *cap.* 8.

Ad exemplum ex paritate Baptiſmi cum circumciſione petitum; negatur paritas, quia Baptiſmus eſt medium longè facilius, & ſtatim ſine mora octiduana conferri poteſt; ſicut tamen olim ſine actuali fide parentum, vel aliorum ſubeuntium vices ipſorum, infantes abſque præjudicio miſericordiæ divinæ ſalvari non poterant, nulla propria culpa interveniente, ita nunc ſine Baptiſmo non poſſunt ex cauſis DEO notis. Ex quo patet etiam reſponſio ad ultimum Calvini argumentum, ipſi adverſario in filiis parentum infidelium ſolvendum.

6 Dico 2. Baptiſmum ante mortem Chriſti nondum fuiſſe neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medii, aut præcepti. Ita SS. PP. & Theologi communiter cum S. Thoma *quæſt.* 66 *art.* 2 Probatur. Quamdiu nec deſinebat lex antiqua, & illius remedium contra peccatum originale, nec lex nova incipiebat, tamdiu Baptiſmus non erat determinatè neceſſarius, etiamſi fuerit utilis; ſed uſque ad mortem Chriſti non deſinebat lex antiqua, ut patet ex S. Paulo *ad Rom.* 7. *& ad Hebr.* 9. & ex omnibus illis locis Scripturæ, in quibus exemplo, & verbo ad obſervationem Legis Moſaicæ Chriſtus populum hortatus eſt, ut quando, & ipſe fuit circumciſus, & Agnum Paſchalem ante mortem ſuam manducavit, & leproſum pro mundatione munus legale offerre juſſit, & negavit, ſe veniſſe ſolvere legem *Matth.* 5. Prætereà uſque ad mortem teſtatoris etiam nondum valuit Novum Teſtamentum, ut conſtat ex cc. ll. S. Pauli, ergo &c.

Unde licèt illud Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit, &c. non poteſt introire in regnum Dei* in præſenti dicatur, tamen teſte S. Bernardo *epiſt.* 77. & S. Thoma 3. *part. quæſt.* 66 *art.* 2 ad conſequens tempus referendum eſt: & quamvis Lucæ 16. *v.* 16. Matth. 11. *v.* 12. Lex & Prophetæ tantùm uſque ad Joannem fuiſſe dicantur, id intelligendum eſt, quòd Lex & Prophetæ tantùm annuntiaverint Chriſtum venturum, donec Joannes præſentem digito monſtraret, & annuntiaret.

7 Dico 3. Baptiſmum à morte Chriſti cœpiſſe eſſe neceſſarium neceſſitate medii, & præcepti, poſt ejuſdem neceſſitatis ſufficientem promulgationem. Ita S. Thomas l. c. Ubi non antè ait fuiſſe neceſſitatem Baptiſmi, quàm ea eſſet indicata, quod poſt Reſurrectionem dicit contigiſſe. S. Bernard. *loc. cit.* Scotus *in* 4. *diſt.* 3. *quæſt.* 4. Suarez *diſp.* 27. *ſect.* 4. Coninck *quæſt.* 68. *art.* 2. *dub.* 2. Bellarm. *lib.* 1. *de Baptiſ. cap.* 3. Andreas Vega *lib.* 5. *Super Tridentin. capit.* 3. Probatur authoritate Tridentini *ſeſſ.* 6. *c.* 4. expreſsè aſſerentis, poſt Evangelium promulgatum non potuiſſe fieri ſine lavacro regenerationis, translationem ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur Filius primi Adæ, in ſtatum Gratiæ, & Adoptionis Filiorum Dei per ſecundum Adam JESUM Chriſtum, ergo Tridentinum vel ſuppoſuit ante Evangelium promulgatum potuiſſe fieri translationem, vel ſi in neutram partem voluit quidpiam determinare, hoc ipſo ſine graviſſima ratione non eſt aſſerenda neceſſitas Baptiſmi ante Evangelium promulgatum.

Probatur 2. Si fuiſſet neceſſarius Baptiſmus neceſſitate medii ad ſalutem ante ſufficientem promulgationem, hoc inde proveniret, quòd in ipſo inſtanri mortis Chriſti ſtatim incepiſſet Lex nova, ſeu Teſtamentum novum morte Teſtatoris confirmatum, ut inquit S. Paulus *ad Hebr.* 9. & conſequenter, ne ſimul darentur duo Teſtamenta, deſiiſſet Lex antiqua. Sicut eodem S. Paulo teſte *ad Rom.* 7. lex mulieris, qua ſubiicitur viro, deſinit morte viri, & ſicut umbra deſinit ſuperveniente luce, & ſicut omnis lex tollitur ſublato ejus fine, qui per mortem Chriſti ſublatus eſt, in quantum Redemptio generis humani à lege antiqua pręfigurata, ut futura, non erat ampliùs futura, ſed jam extitit, ſicut etiam alia myſteria novę Legis. Sed hæc ratio nulla eſt, quia quando S. Auguſt. *epiſt.* 19. & S. Hier. *epiſt.* 11. quas ad ſe mutuò ſcripſerunt, & S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 103. *art.* 3. *ad* 2. *& art.* 4. *ad* 1. per mortem Chriſti dicunt antiquam legem fuiſſe abrogatam, & mortuam, neque citati PP. neque immediatè antè adducta argumenta, ſi rectè intelligantur, contendunt de extinctione, ſeu abrogatione in eodem momento, facta, uti quidem putaverant Vaſquez, Valent. & plures alii, quos refert, & ſequitur Tannerus *tom.* 2. *diſp.* 5. *quæſt.* 3. *num.* 76. Sed tantùm, quòd per mortem Chriſti cœperit valere novum Teſtamentum, & antiquo (quod non erat umbra privativè oppoſita, nec deſtitutum omni fine, aut virtute ſignificandi pro tempore præcedenti) ſit ablata vis, ut diu ampliùs perſeverare non poſſet, quod videtur indicare S. Paulus *ad Heb.* 8. *v.* 13. ubi de Chriſto per mortem ſuam novum Teſtamentum confirmante, inquit: *Dicendo novum veteravit prius, quod autem antiquatur, & ſeneſcit, propè interitum eſt*: & ſic etiam antiqua lex propè interitum erat; quia per mortem Chriſti myſteria, quæ ut futura præfigurabantur, jam excepta Reſurrectione; & Aſcenſione, & Spiritus ſancti miſſione completè reddita ſunt præſentia, & merita, ob quæ dabatur lex nova, jam ſunt perſoluta, ut adeò nihil deeſſet, excepta promulgatione Legis novæ; quam tamen conveniebat nondum poni, ut etiam teſtatur S. Thomas 3. *par. q.* 66. *art.* 2. *in corp.* antequam Chriſtus à mortuis reſurgeret, cui per Baptiſmum à morte peccati reſurgendo configuramur, & ad cœlos aſcenderet, ut tunc primùm daretur obligatio Baptiſmi, quando ipſe juxta aſſignatam in *c. Majores de Baptiſmo* differentiam à circumciſione in cælum homines poſſet inducere.

Neque ſciſſio Veli aliud, quàm proximè futuram abrogationem Legis antiquæ denotabat, ſicut & teſtimonium Chriſti Joan. 19. *v.* 30. exclamantis: *Conſummatum eſt* in ſenſu præterito prolatum, per proximè ſubſequentem mortem, & novæ Legis confirmationem, ac veteris futuram abrogationem ſufficienter verificatum eſt, etiamſi non de fine Paſſionis cum Scoto, ſed de fine Legis antiquæ explicandum ſit.

Vel ſi concedatur Adverſariis, quòd lex antiqua, ut ex *cap.* 7. *ad Roman.* potiſſimùm videtur probari, cum Chriſto, per ſe loquendo, immediatè expiraverit, & tantùm propria hominum ignorantia ac errore, eoſdem adhuc devinctos tenuerit, à parte rei verò, nova lex jam ſucceſſerit, & illius notitiam habentes obligaverit, non tamen teſte Suarez *l. c.* Soto, Capreolo, apud Vaſqu. 1. 2 *diſp.* 181. *cap.* 3. hinc ſequitur, ſtatim etiam reſpectu aliorum ceſſaſſe remedium Legis naturæ in fœmellis, vel circumciſionem, quatenus in ordine ad juſtificationem parvulorum retinuit officium conditionis ſine qua non, nimirum quatenus erat externa poſſeſſio fidei juſtificantis parvulos; quia aliàs cum Vaſquez *loc. cit.*

cit. concedi deberet, omnes parvulos interiiſſe; qui poſt mortem Chriſti nati, mortui fuiſſent, antequam potuiſſet Evangelium in illorum terris promulgari; ita ut non tantùm per accidens, ex defectu Evangalicorum præconum, ſed per ſe loquendo propter abſolutam impoſſibilitatem tam citò evulgandi Evangelium, fuiſſent destituti omni medio ſalutis, quod videtur à bonitate divina alienum; cujus etiamſi non ſit procurare proximam potentiam obtinendi medium ad ſalutem neceſſarium, cùm de facto plurimi infantes apud infideles, vel etiam apud fideles non habeant talem potentiam ad recipiendum Baptiſmum ante mortem, eſt tamen ipſius, non abrogare medium antea utile, & unicè neceſſarium ad ſalutem, illiuſque loco aliud exigere, antequam ſimpliciter illud potuerit obtineri in tota ferè hominum communitate, aliàs enim adſcriberetur DEO impotentia obtinendi ſalutem. Nec ſatis ſalvaretur, quomodo DEUS pro omnibus hominibus mortuus eſſet; ſi morte ſua multis reddidiſſet ſalutem per ſe inobtinibilem.

Neque dicas: non magis Baptiſmum, quàm Fidem fuiſſe ipſorum parvulorum parentibus impoſſibilem, ſi ea debeat eſſe de Chriſto, quia de illo, ut venturo non potuit ampliùs eſſe vera, & ſupernaturalis, de exiſtente autem non potuit notitia haberi. Reſp. enim ſufficere, ſi fides fuit aſſenſus revelationis præteritæ, credens exiſtentiam Chriſti aliquo tempore à facta revelatione futuram, abſtrahendo, an poſt tot annos jam poſita ſit, vel primùm ponenda. Neque etiam neceſſe eſt, ut proteſtatio fidei externa adhuc retinuerit rationem Sacramenti, ſi id ex eo in controverſiam trahas, quòd à morte Chriſti ſtatus Eccleſiæ unicè fuerit ſtatus gratiæ, quam tamen illud ſignum externum fidei ex opere operato non cauſabat, nec ad alium ſtatum Eccleſię deputabat.

8 Dico 4. Si Lex Nova non ſtatim à morte Chriſti fuit completa ſine omni promulgatione, probabiliter Baptiſmum per ſe, & ſpeculativè loquendo, cœpiſſe eſſe neceſſarium neceſſitate medii, ac precepti, à die Pentecoſtes, & ſic ſucceſſivè eandem neceſſitatem evulgatione Evangelii primùm propagatam eſſe. Ita quoad primam partem Scotus, Suarez, Coninck, Bellar. & videntur etiam conſentire S. Thomas 3. *part. loc. cit.* & S. Bern. quatenus poſt mortem Chriſti in ordine ad neceſſitatem Baptiſmi exigunt indictionem, & promulgationem illius, quam tamen conſtat non fuiſſe factam, uſque dum, ut in Actis Apoſt. *c.* 2. dicitur Petrus Hieroſolymis in urbe precipua, preſentibus omnium Nationum hominibus, tanquam precipuus præco, precipua totius Doctrinę Evangelicę capita promulgavit publicè, & veluti Moyſes Legem Veterem, tanquam figuram Novę, quinquageſimo die poſt primum paſcha Judęorum propoſuit, ita Petrus poſt primum Paſcha Chriſtianorum, poſtquam ſcilicet Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, quinquageſimo die Legem Chriſtianorum promulgavit, quando jam omnia myſteria Redemptoris noſtri in illius Aſcenſione ſunt impleta.

Probatur itaque quoad primam partem. Etiamſi Lex Divina ex natura ſua non indigeat ſolemni promulgatione, ſicut tamen de facto indigent Leges humanę, hoc ipſo tamen, quòd DEUS, ut homines magis redderentur inexcuſabiles, ſe accommodaverit modo condendi Leges humanas, & enarratas ſolemnis promulgationis conditiones obſervaverit, rationabiliter preſumitur, non aliter voluiſſe homines ſua Lege obligare, quàm juxta communem formam ſervatam; ſed juxta hanc Leges non obligant ante ſolemnem promulgationem. Ergo &c.

Dixi tamen: *Per ſe, & ſpeculativè loquendo*: Nam quia hæc noſtra aſſertio non eſt certa, ideo propter neceſſitatem aſſecurandi ſuam, vel parvulorum ſuorum ſalutem illi, Lege naturali, & practicè obligati fuiſſent recipere, vel conferre Baptiſmum in periculo mortis ante ſolemnem promulgationem eveniente, qui ſaltem privatam Baptiſmi notitiam habuiſſent ex Chriſti adhuc viventis prædicatione, vel ab Apoſtolis hauſtam.

Quoad ſecundam partem licèt Coninck exiſtimet, à die Pentecoſtes ſtatim ubique cœpiſſe neceſſitatem Baptiſmi, tamen eandem primùm ſucceſſiva evulgatione Evangelii per Apoſtolos in univerſo mundo fuiſſe propagatam, evincit eadem ratio, quæ eſt contra neceſſitatem ſtatim à die mortis Chriſti, & quæ ex prioris partis cum Lege humana paritate eruitur.

Dico 5. Etiam circumciſio, & alia legalia, per Chriſti mortem, vel ſaltem per promulgationem Novæ Legis (ut Theologi cum S. Thoma 1. 2. *quæſt.* 103. *art.* 4. *ad* 1. & cum S. Auguſtino ibidem relato loquuntur) mortua, id eſt, ad colendum Deum, vel ad juſtificationem ex fide parentum conferendam inutilia reddita fuerint, tamen non ſtatim etiam facta ſunt mortifera, id eſt, ſub mortali prohibita, modò non fuerint adhibita ad conteſtandam fidem de Redemptore, ut adhuc futuro. 9

Probatur ex ipſorum Apoſtolorum exemplo. Quia S. Paulus circumcidit Timotheum *act.* 16. ſe purificavit à macula legali *act.* 21. & *act.* 15. prohibuerunt Apoſtoli comedere de ſanguine & ſuffocato. Petrus etiam, ut ex Epiſtola ad Galatas *capit.* 2. patet, in multis ſe accommodavit Judæis. Unde aliqui (qui tamen meritò aliis videntur, tempus nimiùm prolongaſſe) omnino dixerunt, legalia primùm cœpiſſe, eſſe mortifera poſt devaſtationem urbis Jeroſolymitanæ, illatam à Tito poſt Chriſti paſsionem anno 38. vel 40. cùm etiam templum, in quo maximè cæremoniæ Judaicę erant celebrandæ, tunc fuerit deſtructum, & nulla ampliùs fuerit neceſſitas Judæis condeſcendendi.

Neque tamen dicas, conceſſo quocunque tempore, quo legalia neque fuerunt utilia, neque noxia, poſſe ad illud referri textus S. Pauli, quibus oſtendimus Sacramenta vetera non fuiſſe cauſativa gratiæ ex opere operato, quia ſatis patet ex toto contextu, S. Paulum etiam locutum eſſe de tempore antecedenti, in quo Sacramenta antiqua nec mortua, nec mortifera erant, ſed multùm profecerant ſupra omnem modum, ut tamen primum, & principale emolumentum Circumciſionis eſſet, quòd Judæis fuerint credita eloquia Dei. 10

ARTICULUS III.

De Materia Baptiſmi.

SUMMARIUM.

11 *Materia remota Baptiſmi eſt omnis & ſola aqua naturalis. Extra caſum neceſſitatis non licet uti aqua dubia.*

12 *Quinam humores ſint, vel non ſint aqua naturalis.*

13 *Materia proxima Baptiſmi eſt ablutio activè & paſſiva.*

14 *Qualis debeat eſſe ablutio.*

15 *Triplici modo poteſt ablutio eſſe dubia. Et ſi in neceſſitate talis adhibita eſt, debet Baptiſmus ſub conditione reiterari poſt neceſſitatem ſublatam.*

DIco 1. Omnem & ſolam aquam elementarem, ſeu naturalem, aptam ad abluendum, eſſe materiam remotam, ac validam Baptiſmi. Hæc concluſio eſt apud omnes certa, ac definita in Concilio Lateran. Florent. & Trident. Colligitur ex illo. Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Dubium tamen eſt, quænam aqua cenſenda ſit elementaris, & apta ad abluendum, quę non; & quia utens materia certò invalida, vel ſaltem dubia extra caſum neceſſitatis, peccat mortaliter contra reverentiam Sacramenti, ac contra charitatem proximi, valore, & fructu Sacramenti illum defraudando, vel defraudationis periculo illum exponendo; è contrario quia in caſu defectûs ob defectum materię certę aliquis tenetur, uti dubia, ſub conditione illam adhibendo, ſi ſcilicet per eam poſſit conficere Sacramentum, ideo primò referam, quęnam aqua certò, & quęnam probabiliter elementaris, & apta ad abluendum communiter cenſeatur. 11

Certò valida eſt aqua fontana, marina, fluvialis, pluvialis, item ex rore, pruina, nive, glacie, grandine eliquata, etiamſi accidentaliter immutata ſit, v. g. colore, ſapore, odore, vel admixtione non notabili alterius liquoris, aut corporis ſolidi v. g. ſulphuris, metalli, 12

li, luti, quamvis poſſit graviter peccare, ſi quis abſque neceſſitate v. g. aquam valdè lutoſam præ pura, ac clara adhibeat, quia vix abſque gravi contemptu, & irreverentia Sacramenti talis adhiberetur. Illum tamen Parochum, quem Bonacina peccati mortalis damnavit, quòd ob extraordinarium hyemis rigorem ad parcendum teneris artubus infantis calida aqua contra morem Eccleſiæ baptizaverit, rectè videtur Quintanadvena apud Tambur. *lib. 2. de Bapt. c. 1. §. 2.* excuſare à mortali peccato; imò aliqua Ritualia Diœceſana expreſsè monent, expedire in hyeme, cùm frigus eſt acrius, aquæ baptiſmali ſanctificatæ aliam calidam in pelvi immiſcere, & inde parvulos baptizare.

Materia aliquorum ſaltem opinione probabiliter valida, ſeu elementaris, & ad abluendum apta, vel potiùs non certò, & evidenter invalida, adeòque negativè probabilis, ſive non tam improbabilis, ut non in neceſſitate, & materiæ certę defectu licitè uſurpari queat eſt illa aqua, quæ ex liquoribus herbarum exprimitur, ut aqua roſacea, vel ex ſale concreto eliquatur, vel ad ignem coquitur, ut juſculum, cereviſia, lixivium, atramentum, vel ex arboribus, aut ligno vitis profluit.

Certò autem materia invalida eſt, & eſſentiam aquæ non participantes humores ſunt, adeòque nec in neceſſitate adhibendi. Vinum, lac, mel, oleum, ſaliva, quam Palao referens Ægidium, Coninck adhuc putat eſſe materiam dubiam. Verùm nec Coninck hoc docet, nec verum eſſe patet *ex cap. penult. de Baptiſ.* ubi Pontifex negat, dubitandum eſſe, quòd ſaliva baptizatus verum Baptiſmum non habeat. Eadem juxta communem ſenſum Doctorum eſt ratio, de urina, lachrymis, ſudore, quamvis nonnulli id negent, apud Dianam *part. 5. tract. 3. Reſolut. 1. 2. & 3. & part. 6. Reſolut.* 8. Nix, grando, glacies, vapor ſubſtantialiter quidem aqua ſunt, ſed certò inepta ad abluendum, quamdiu ſic manent.

13 Dico 2. Materiam proximam Baptiſmi eſſe ablutionem corporis, non ſolùm activam, quæ eſt applicatio aquæ ad corpus, vel corporis ad aquam, nec ſolùm paſſivam quæ eſt attactio, & quaſi receptio aquæ, ſed utramque ſimul. Quæ concluſio, iterum ex communi Doctorum ſenſu certa, probari poteſt primò verbis S. Pauli *ad Eph. 5. Mundans lavacro aquæ* intelligendo per *lavacrum* non materiam, ſed *lavationem*. Secundò ex Matth. *cap. ult. Baptizantes eos &c.* imò ex ipſa forma Baptiſmi: *Ego te baptizo*: ubi id, quod immediatè ſignificatur à verbo *Baptizo*, adeòque quod à forma immediatè determinatur ad ſignificandam ablutionem animæ, eſt externa, & ſenſibilis ablutio corporis, activè procedens à Miniſtro, & quaſi paſſivè, ſeu terminativè ſubſiſtens in corpore abluto. Sicut tamen ſuperiori concluſione declaravimus, quid nomine aquæ ablutivæ certò, aut probabiliter intelligatur, ita hic declarandum eſt, quid nomine ablutionis ſecundùm receptum loquendi modum denotetur.

14 Certum igitur eſt, cùm ablutio in contactu ſucceſſivo aquæ à baptizante applicatæ conſiſtat, tunc veram hominis ablutionem poni, quando vel aqua, ſaltem in notabili quantitate principali corporis parti, ſucceſſivo & immediato attactu affunditur, vel quando homo, quoad principalem ſui partem aquæ immergitur: ſufficit autem una merſio juxta *cap. Propter de Conſecr. diſt. 4.* licèt olim trina præcepta fuerit, *in cap. Multi ibidem*. Ubi non pari neceſſitate requiri ad valorem Baptiſmi trium perſonarum mentionem in forma, & triplicem merſionem in materia, colligi poteſt ex ratione ibi aſſignata, quòd ſcilicet Evangelicum præceptum id exigat, nam hoc præceptum loquitur tantùm de forma apud Matth. *cap. ult.*

15 Dubia tamen reddi poteſt ablutio, ex triplici capite, ſcilicet vel ex parte baptizantis, vel ex parte baptizati, vel ex parte aquæ. Ex parte baptizantis dubitatur, an vera ſit ablutio, ſi hominem neq; aquæ immergat, vel immergat quidem, ſed non extrahat, antequã moriatur (quã extractionem cum communiore opinione apud Palao, & Dicaſtillo, puto immeritò requiri à S. Antonino, Palud. Sylv. Scoto, Henriq. Tabiena, Armilla, Toleto, Soto, cùm vera videatur dari ablutio, etiamſi Baptizatus ex aquis non auferatur, ſicut datur, etiamſi aquæ aſperſæ non auferantur, aut diffluant à Baptizato) neque aquam affundat, aut aſpergat, ſed Baptizandum tantùm applicet aquis ex tecto, vel canali profluentibus. Ex parte baptizati dubitatur, an ſufficiens ſit ad valorem, ut homo dicatur ablutus, ſi tantùm pars ejus minùs principalis abluatur, v. g. digitus, aut ſola manus, aut capilli, ſive ſint animati, ſive ſint tantùm pars ad ornatum ſpectans, aut ſecundina, quæ, quamdiu infans eidem eſt involutus, pars ipſius integralis cenſetur. Etiamſi enim communiter judicent Doctores cum S. Thom. *4. diſt. 6. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 3.* probabiliter, imò multi, & meo quidem judicio cum Vaſquez, & Henriquez rectè doceant, probabiliùs ſufficere, ſi quæcumque pars, ſaltem certò vitalis, & informata ab anima baptizandi abluatur, multi tamen exiſtimant, ut Layman. Coninck, Bonacin. Palao, Tamb. probabiliùs non ſufficere, ſed debere ablui partem principalem, ut caput (quod juxta communem praxim potiùs, quàm quæcumque alia pars abluendum eſt) pectus, ſcapulas, brachium (de quo adhuc dubitat Dicaſtillo *diſp. 1. num. 27.* aſſerens Clementem VIII. Epiſcopo Patavino reſpondiſſe, infantem ex utero materno, porrecto Brachiolo ablutum ſub conditione rebaptizandum eſſe) vel integrum pedem, ſumptum cum femore, &, ſi in neceſſitate abluta ſit pars minùs principalis, repetendum eſſe: Baptiſmum ſub conditione, dicendo, *ſi non es Baptizatus, ego te baptizo &c.* Quod verum eſt etiam ſuppoſita majori probabilitate de valore Sacramenti, ut cum S. Thom. *loc. citat.* communiter conſentiunt Doctores. Ex parte aquæ dubia redditur ablutio, ſi ea nimis modica ſit, verbi gratia una tantùm alterave gutta, vel ſi ex linteo, aut glacie non exprimatur, ſed corpori præcisè imprimatur, donec ex liquefactione aliquid adhæreat.

ARTICULUS IV.

De Forma Baptiſmi.

SUMMARIUM.

16 *Quæ ſit Forma Baptiſmi.*
17 *Quæ objecta à Forma Baptiſmi explicitè ſignificanda ſint.*
18 *Ratio cur in Baptiſmi forma explicitè ſit exprimenda Trinitas perſonarum.*
19 *Solvitur objectio, ex actis Apoſtolorum deſumpta.*

Dico, formam Baptiſmi exprimi ſequentibus verbis: *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* (quibus ex conſuetudine vim præcepti habente, & juxta *cap. 1. de Baptiſmo*, ſubjungitur: *Amen.*) Sic enim à Chriſto jam antè Apoſtolis præſcriptam eſſe colligit Eccleſia ex illis verbis: *Baptizantes eos in nomine Patris* &c. quamvis verba ſecundùm ſe, & ſine declaratione Eccleſiæ, id non ſatis clarè demonſtrent. Deinde definitum eſt à Conc. Flor. in Decreto Eug. & à Trid. *Seſſ. 7. can. 4.* Neque alia probatio, quàm Eccleſiæ traditio in re ſummè neceſſaria ad ſalutem omnium requirenda eſt, ut Vaſquez, Suar. Coninck, Dicaſtill. advertunt. 16

Hinc ut forma Baptiſmi ſit legitima juxta cit. Florentinum, quando approbat formam Græcorum, quatuor objecta neceſſariò ſignificanda ſunt; primò *Perſona Baptizans*, non tantùm principalis, quæ exprimitur in compellatione SS. Trinitatis, ſed etiam minùs principalis, quam ſufficit ſignificari implicitè, ut ſignificatur in forma Græcorum *baptizetur ſervus Chriſti* (ſubintellige *à me* exteriori actione Verborum ſignificationem declarante) quam omnes Catholici fatentur eſſe legitimam; in forma Latinorum verò per verbum *Baptizo*, primò perſonale adhuc ſatis explicitè ſignificaretur perſona Baptizans, etiamſi particula *ego* omitteretur, quod ſecluſo contemptu, culpam venialem non excederet, teſte Soto, Vaſquez, Coninck, Palao: nec plus intendit dicere S. Th. 4. *diſt. 3. quæſt. 1. art. 2. quæſt. 1. ad 2.* ubi illam particulam *ego* requirit, non precisè propter neceſſitatem ſignificandi, ſed propter integritatem cauſæ inſtrumentalis efficientis gratiam, quod tamen de morali efficientia intelligendum eſt, cùm non coexiſtat effectui 17

ſecutivi gratiæ, quando hæc producitur. Secundò *Perſona Baptizata*: vel termino ſingulari, ut fit in forma Latina per particulam *Te*, vel termino magis communi, ut contingit in forma Græcorum dicendo, *ſervus Chriſti*: ad perſonam baptizatam autem dirigitur forma, ut determinans illam, etiamſi eam non intelligat, quemadmodum advertit Angelicus Doctor *loc. cit. ad* 5. Tertiò: *Actus ablutionis*: quæ tamquam materia proxima debet determinari ad ſignificandum ſimul cum forma ablutionem animæ, hinc invalida eſſet forma, ſi quis alio verbo ad diverſam actionem declarandam uteretur, ſi diceret v. g. *Ego te refrigero*; imò (ut habetur in Gloſſa *ad cap. multi de Conſecr. diſt.* 4.) etiamſi diceret, ego te *mergo*. Quia licèt immerſio ſit ſufficiens actio, tamen vox non exprimit finem, & effectum, qui confertur per immerſionem, nempè *Ablutionem*. Quartò ſignificanda eſt *Unitas naturæ, & Trinitas perſonarum Divinarum*. Unitas quidem naturæ ſignificatur per particulas *in nomine*, & non in nominibus, additas vocabulis, perſonarum in concreto poſitis, prout etiam naturam denotant. Unde non valeret, ſi ponerentur in abſtracto, ut dicit Gloſſator in *cap. Multi* proximè citato. Trinitas verò exprimitur prolatis trium perſonarum propriis nominibus. Et quamvis propter authoritatem S. Ambroſii, Nicolai I. *in cap. A quodam Iudæo de Conſecr. diſt.* 4. (quos Dicaſt. *d.* 1. *n.* 109. in bonum ſenſum ſatis violenter conatur trahere) S. Bernandi, *epiſt.* 340. *ad Henricum* Bedæ, Hugonis de S. Victore, Adriani, M. ſententiarum, Cajetani videri poſſet, ſufficere ad valorem formæ, ſi implicitè ſignificetur Unitas, & Trinitas, conferendo Baptiſmum ſolùm in Nomine Dei, vel Chriſti, vel ut S. Thom. 4. *diſt.* 3. *qu.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 2. *ad* 3. *&* 3. *part. quæſt.* 66. *art* 6. *ad* 1. & alii apud Vaſquez *diſput.* 143. *cap.* 1. *num.* 3. docent, ſaltem in primitiva Eccleſia per diſpenſationem ſuffeciſſe propter commendationem Nominis Chriſti, cùm in Actis Apoſtol. *cap.* 2. 8. *&* 10. fideles in Nomine Jeſu baptizati eſſe dicantur longè tamen probabiliùs eſt, non ſufficere, neque umquam ſuffeciſſe, ut colligitur ex pleriſque SS. Patribus relatis à Suarez, Vaſquez, Bellarm. quos Alii Doctores communiter ſequuntur, & expreſsè definiverunt duo Pontifices, Pelagius, & Zacharias in *cap. Si revera cap. Multi cap. In Synodo de Conſecr. diſt.* 4.

Neque obſtat Authoritas Nicolai *in cit. cap.* qui licèt ſententiam S. Ambroſii veram ſuppoſuerit, eam tamen ibidem non definivit. ſed tantùm id, de quo fuit interrogatus, nempè Baptiſmum collatum à Judæo ſub debita forma repetendum non eſſe, eò quòd cenſendus ſit habuiſſe debitam intentionem; formam autem implicitè tantùm ſignificantem ob,ectum exprimendum, exempli cauſa (ex falſa tamen privatæ opinionis ſuppoſitione) aſſignavit.

18 Congruentia, cur Chriſtus in Baptiſmi collatione requiſiverit expreſſam Unitatis, & Trinitatis mentionem, & ſimul diſparitatis ratio, cur in aliis formis, imò etiam in forma Baptiſmi alia objecta v. g. perſona Baptizantis, vel Baptizati ſufficienter implicitè ſignificentur, communiter hæc redditur: quia Baptiſmus eſt janua ad veram Eccleſiam, in qua præcipitur explicita fides myſterii SS. Trinitatis, quæ proinde intranti in Eccleſiam claris verbis proponenda eſt, retenta eadem ſemper forma, etiamſi Baptizatus ſit infans. Utrum autem ſatis claris verbis proponatur, adeòque ad valorem Sacramenti ſufficiat, ſi quodammodo æquipollentibus verbis quis dicat: Ego te baptizo in nomine Genitoris, & geniti, & procedentis ab utroque, vel in Nomine Dei Unius, & Trini, vel in Nomine Patris, & in Nomine Filii, & in Nomine Spiritus Sancti, (eò quòd repetitio in *Nomine* non videatur denotare multiplicitatem ſignificatam per plurale in nominibus, ſicut repetitio Dei non ſignificaret plures Deos, vel in nomine trium perſonarum, dubium eſt, & in utramque partem probabile: propterea graviter peccaret ſic baptizans, & ſub conditione Baptiſmus reiterandus eſſet. Imò S. Thom. *in lib. ſent. loc. cit. ad* 4. apertè negat ſufficere, ſi tantùm numerus, & non qualitas perſonarum exprimatur; & in reſponſione ad 5. ait, etiam nomen Genitoris, geniti, & ab utroque procedentis non poſſe ſubrogari Patri, Filio, & Spiritui Sancto; eò quòd quidem ſimiliter actionem, non autem ſubſiſtentiam denotent. Et hæc eſt communis Theologorum doctrina, à Dicaſtillo num. 120. copioſè relatorum contra Cajetanum, & alios quoſdam apud Suarez; quamvis ſententia Cajetani ſaltem ſpeculativè ſit probabilis, & ex accommodatione uſus, ſeu communi intelligentia prædicta vocabula pro verè ſynonimis haberi poſſint cum vocabulis communibus teſte Dicaſtillo.

Contra neceſſitatem explicitè Unitatem, & Trinitatem exprimendi communis objectio adhuc ſolvenda eſt: 19
nam quid ad alias mutationes formæ factas per additionem, vel tranſpoſitionem, vel æquipollentiam dicendum ſit, patet ex dictis de forma in genere. Itaque ſic argumentantur Adverſarii. In actis Apoſtolorum *cap.* 2. *v.* 38. *& cap.* 8. *verſ.* 12. *& cap.* 10. *v.* 48. legitur, Apoſtolos baptizaſſe in nomine Jeſu: ſed Apoſtoli contulerunt Baptiſmum validum, ergo Baptiſmus in nomine Jeſu ſine expreſſione aliarum perſonarum eſt validus, R. diſtinguo maj. legitur baptizaſſe ſine additione Patris, & Spiritus Sancti, nego major. cum additione concedo major. Ex eo autem, quòd loc. cit. non fiat mentio aliarum perſonarum, non rectè colligitur, eaſdem ab Apoſtolis in collatione Baptiſmi reticitas fuiſſe; ſicut ex 1. *Corinth. cap.* 12. non rectè infertur, Apoſtolos tantùm in nomine Spiritus Sancti baptizaſſe, quamvis S. Paulus dicat: *In uno Spiritu omnes baptizati ſumus*: Imò ex Actis Apoſtol. *cap.* 19. colligitur, Baptiſmum numquam ſolo Jeſu Nomine expreſſo fuiſſe collatum: aliàs S. Paulus interrogans quoſdam recens baptizatos Chriſtianos, an Spiritum Sanctum accepiſſent per impoſitionem manuum, reſpondentibus his *Neque ſi Spiritus Sanctus eſt, audivimus*, non rectè eos ſuæ ignorantiæ argueret, dicendo: *In quo ergo baptizati eſtis?*

ARTICULUS V.

De Miniſtro Baptiſmi.

SUMMARIUM.

20 *Miniſter validè conferens Baptiſmum poteſt eſſe quivis homo Viator, à Baptizante diſtinctus, etiamſi ipſe necdum ſit Baptizatus, & alius pro ipſo haberi poſſet.*

21 *Ad licitè conferendum Baptiſmum Ordo, & ſelectio Miniſtrorum obſervari debet ſub gravi obligatione extra caſum neceſſitatis: unde Ordinarius Miniſter præferendus eſt extraordinario, quantumvis vi Ordinis deputato.*

22 *Multò magis autem vi Ordinis Sacri deputatus præferendus eſt non deputato: quamvis inter non deputatos non ampliùs detur gravis obligatio ſelectus.*

Dico 1. Miniſter validè conferens Baptiſmum eſt 20
quivis homo Viator à Baptizato diſtinctus, (nam ſeipſum nemo poteſt baptizare, ſicut non poteſt generare, ut dicitur in *cap. Debitum de Baptiſmo*) Ita pro caſu neceſſitatis expreſsè definivit Concilium Florentinum inquiens *In caſu neceſſitatis non ſolum Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam Laicus, vel mulier, imo etiam Paganus, & Hæreticus baptizare poteſt*: extra caſum neceſſitatis verò licèt de non baptizato Miniſtro olim dubitaverit S. Auguſtinus *lib.* 2. *contra Epiſt. Parmeniani cap.* 13. *& lib.* 7. *de Bapt. c.* 53. negans, ſine Eccleſiæ Authoritate ſe quidquam certi poſſe conſtituere, tamen non perinde ad valorem Baptiſmi requiri ſtatum neceſſitatis, vel articuli mortis, ſicut requiritur ad valorem abſolutionis Sacramentalis impenſæ à Sacerdote, non habente Juriſdictionem ordinariam, certum nunc eſt, teſte Suarez *diſputat.* 23. *Sect.* 1. *§. At verò*. Quia Nicolaus Papa *in cap. A quodam Iudæo de Conſecr. diſt.* 4. definit, Baptiſmum à Judæo ſub legitima forma collatum, eſſe validum, nulla facta mentione neceſſitatis, & in *cap. Si quis per ignorantiam* 1. *quæſt.* 1. cùm ad modum interrogantis dictum eſſet, baptizatum ab eo, qui non eſt baptizatus, rebaptizandum eſſe, expreſsè reſpondetur, non eſſe rebaptizandum: idem conſtat ex approbatione

Ba-

ptiſmi collati à S. Athanaſio, antequam ipſe baptizatus eſſet. Quando autem in *cap. Quos à Paganis de Conſecr. diſtinct.4.* Gregorius à Paganis baptizatos juſſit rebaptizari juxta Gloſſam, & Suarez, ſtatutum eſt hoc de illis Paganis, qui, ut ex textu colligitur, non legitimè exprimebant SS. Trinitatem in collatione Baptiſmi. Similem defectum eſſentialem, ſi etiam ab hæretico commiſſum eſſe, prudens ſuſpicio eſt, quæ ex circumſtantiis variis colligi poteſt, & teſte Sylvio, ac Joanne Præpoſito apud Lugo ſæpè colligitur, vel circa, formam, vel circa intentionem, vel circa modum eſſentialem, dum non idem formam profert, & aquam aſfundit, licitè ſub conditione iteratur Baptiſmus, ut tradit Lugo *in Reſponſis Moral. lib.1. dub.2.* cum citatis duobus DD.

21 Dico 2. Miniſter licitè conferens Baptiſmum debet eſſe Sacerdos habens juriſdictionem ad baptizandum; cujus vices de ejus licentia (ſaltem præſumpta, quæ teſte Tamb. ſufficit) ſupplere poteſt quivis alius Sacerdos, vel inſtante neceſſitate, Diaconus, non tantùm privatim, ſed etiam publicè ac ſolemniter: quando verò eſt periculum: ne infans moriatur ſine omni Baptiſmo, eundem ſine ſolemnitate adminiſtrare non tantùm validè, ſed etiam licitè quivis homo Viator poteſt; modò ſervetur ordo dignitatis, ut inferior Clericus cedat Superiori v. g. Diaconus Presbytero, Laicus Clerico, viro mulier (niſi ipſa Baptiſmatis ritè conferendi peritior ſit, alias extra caſum neceſſitatis ſpecialiter prohibetur à Concilio Chartagin. IV. *Can.99. & 100.* & à Clemente *lib.3. Conſtit. cap.9. & in cap. Mulier de Conſecr. diſt.4.*) Chriſtiano, & fideli Hæreticus, non excommunicato excommunicatus. Ratio primæ partis eſt, quia in membrum Eccleſiæ aliquem aſſumere, quod per Baptiſmum præſtatur, per ſe loquendo partim eſt actus poteſtatis Eccleſiaſticæ, quæ in quantum eſt ordinaria per Presbyteratum, extraordinaria verò per Diaconatum conceditur; partim actus juriſdictionis, quæ officio Epiſcopi, ac etiam Parochi in ſua Diœceſi, aut Parochia, annexa eſt, non quòd ſit formalis juriſdictio, ſicut abſolutio à peccatis; ſed quòd ordinariè propter evitandam confuſionem non conveniat ejus exercitium concedi, niſi habenti juriſdictionem, ob quam cauſam etiam aſſiſtentia ad nuptias, & diſtributio Euchariſtiæ, & extrema Unctio dicuntur actus juriſdictionis; ergo etiamſi aſſumptio in membrum Eccleſiæ præſtita ab alio Sacerdote, quàm habente juriſdictionem, ex Chriſti ratificatione ſit valida, & in neceſſitate licita, extra tamen neceſſitatem eſt contra jus habentis juriſdictionem localem vi cujus poteſt alteri reddere illicitam adminiſtrationem Baptiſmi.

Unde ex communi ſenſu DD. ſi Sacerdos ſine juriſdictione propria, vel delegata per licentiam ſaltem præſumptam proprii Parochi, extra neceſſitatem Baptiſmum conferat, peccat mortaliter contra Juſtitiam, & contra Religionem, quia cum peccato mortali injuſtitiæ vult perficere Sacramentum: ſi autem baptizans neque Sacerdos ſit, ſed tantùm Diaconus, eatenus etiam contra Religionem peccat, quatenus ſine ordinaria poteſtate adminiſtrat Sacramentum, ad quod neque Sacerdos, ſi ſine neceſſitate, vel juſta cauſa cedat jure ſuo, facultatem, ſeu immunitatem à peccato contra Religionem concedere poteſt, eò quòd extraordinaria poteſtas à Chriſto ſit ſubſtituta ordinariæ, quando Miniſter ordinarius commodè haberi non poteſt, vel quando aliàs ex malitia ordinariam poteſtatem habentis baptizandus deberet carere Sacramento, in quo caſu Sacerdos non tam concederet poteſtatem, quàm malitioſè compleret circumſtantiam neceſſitatis, qua ſuppoſita Diaconus licitè baptizat. Quamvis enim, ut teſtatur Suarez. *diſp. 27.* certum ſit, quòd Diaconus non tantùm juriſdictione, ſed etiam poteſtate ordinaria careat ad dignè, & licitè conferendum Baptiſmum, eò quòd Florentinum ex traditione Chriſti pro ordinario Miniſtro Baptiſmi nominet ſolum Presbyterum, & Clemens Romanus *lib. 3. Conſt. cap.10. & lib.8. cap.52.* Diaconum expreſsè excludat, uti etiam declaratur *in cap. Diaconos diſt.93. & cap. Conſtat de Conſecr. diſtinct.4.* tamen certum eſt, Diacono vi Ordinis conferri poteſtatem extraordinariam, quia in Rituali Romano expreſsè dicitur, Diaconum debere baptizare, & prædicare, ſcilicet, ſi in abſentia Epiſcopi & Presbyteri urgeat extrema neceſſitas, ut dicitur in cit. duobus Capitulis, vel ſi propter juſtam cauſam v. g. impedimentum gravis negotii, infirmitatis, cenſuræ Presbyter ſuam functionem Diacono committat, uti Chriſtus commiſit Philippo, non illi, qui erat hujus nominis in Collegio duodecim Apoſtolor. ſed Diacono eodem nomine inſignito, qui in *Act.* Apoſtol. *cap.8.* Eunuchum baptizaſſe dicitur, quamvis ſi neque Diaconus fuiſſet, adhuc officium baptizandi convenienter illi commiſſum fuiſſet propter paucitatem Presbyterorum, & Diaconorum; unde etiam Ananias, qui fertur Laicus fuiſſe, juſſus eſt Paulum baptizare, & Apoſtoli, antequam eſſent Sacerdotes, ex commiſſione Chriſti Baptiſmum conferre ſolebant.

Quòd de peccato habentis tantùm extraordinariam poteſtatem dictum eſt, id multò magis intelligi debet de peccato, ne quidem extraordinariam poteſtatem ex vi Ordinis habentis, ſed qui tantùm habet extraordinariam poteſtatem, ut validè & licitè poſſit confere Baptiſmum, quando in abſentia Miniſtri per ordinem deputati eſt periculum, ne baptizandus moriatur ſine Baptiſmo: quæ poteſtas extraordinaria teſte Suarez *loc. cit.* in duobus differt, à poteſtate extraordinaria Diaconi, unum quidem habetur tantùm ex inſtitutione Eccleſiæ, alterum verò ex inſtitutione Chriſti, illud primum eſt, quòd Diaconus poſſit adhibere ſolemnitates ab Eccleſia inſtitutas, inferior autem Diacono non poſſit. Alterum eſt, quòd Diaconus à Chriſto vi ordinis ſit deputatus, ut Sacerdotem juvet, quando ipſe non commodè poteſt adminiſtrare Baptiſmum, inferior autem Laicus tantùm in ſumma neceſſitate, ſeu mortis periculo licitè baptizat. Unde ſi præſente Diacono alius inferior Clericus, vel Laicus baptizandi munus ſibi uſurparet, peccaret mortaliter, ſicut jam dictum eſt; abſente tamen Sacerdote, & Diacono, cùm inter reliquos dignitatis ordo ſolùm ex decentia, non autem ex deputatione ullius ſacri Ordinis ſervandus ſit, ejus tranſgreſſio ſecundùm communem doctrinam venialem culpam ſolummodò inducit, qnia poſtpoſito Miniſtro, qui ſolùm ex majori decentia aptior eſſet, exiguus cultus Sacramento decedit. 22

Ratio ſecundæ partis in concluſione poſitæ, quòd ſervato debito ordine Baptiſmus non ſolemnis in neceſſitate à quovis homine licitè conferatur, deducitur ex prima concluſione; quia ſuppoſita poteſtate validè baptizandi ex Lege naturali charitatis tenetur homo alterius ſalutem medio determinatè neceſſario procurare: & ideò Chriſtus, ſicut propter ſummam neceſſitatem Baptiſmi ad valorem requiſivit materiam maximè parabilem, ita etiam admiſit Miniſtrum maximè parabilem, quemvis nimirum hominem viatorem.

ARTICULUS VI.

De Cæremoniis in Baptiſmo adhibendis.

SUMMARIUM.

23 *Inter Cæremonias Baptiſmi neceſſarius eſt Patrinus, cujus etiam Officium declaratur.*

24 *Quis validè, & quis licitè Officium Patrini ſuſtinere poſſit; Et an peccet, ac pœnam incurrat, qui propriam ſobolem ex S. Fonte levat.*

25 *Qualem Cognationem ſpiritualem Patrinus contrahat.*

26 *Quot poſſint eſſe Patrini, & an ſi plures prolem baptizatam teneant, omnes cognitionem ſpiritualem contrahant.*

27 *Tres Conditiones requiruntur ad fungendum munere Patrini.*

28 *Immeritò tres aliæ Conditiones requiruntur.*

29 *Inter Cæremonias Baptiſmi etiam eſt, ut non, niſi gaudentibus privilegio, extra Eccleſiam conferatur, & non ſine aqua ſpecialiter benedicta.*

QUia Baptiſmus eſt Sacramentum maximè neceſſarium, & quaſi fundamentum cæterorum, eò quòd cæteris omnibus ſit præmittendum, diverſoſque effectus præſtet, extrinſecis cæremoniis, ac ritibus declarandos, ideò cætera Sacramenta cæremo- 23

remoniarum multitudine ac ſolemnitate ſuperat, quas utpote in omnibus Ritualibus ordine expreſſas, non tam referre, quàm quid de una, vel altera notandum ſit, admonere ſtatui. Inter alias itaque cæremonias ad eſſentiam Baptiſmi non neceſſarias, ſed ſub gravi peccato præceptas.

Prima ex antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine ſtatuta cæremonia eſt Patrini deſignatio, cujus meminit tempori Apoſtolorum coævus Dionyſius Areopagita *capit.* 2. *Eccleſ. Hierarch.* Tertullianus *libr. de Baptiſ. capit.* 3. & 18. S. Auguſt. *epiſt.* 23. & *ſerm.* 163. *de Tempore*, & *ſerm.* 215. ac alibi ſæpe, & à Jure Canonico pridem variis capitulis præceptam confirmat Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 2. *de Reformat.* quam etiam pulchra ratione illuſtravit S. Thomas *quæſt.* 67. *art.* 7. petita ex ſimilitudine Baptiſmi cum carnali generatione, in qua ſicut adhibentur obſtetrices, ac nutrices, ac velut deinde natus parvulus Pædagogis committitur, ſic in lavacro regenerationis opus eſt patrino, qui infantem baptizandum teneat, vel baptizatum immediatè ſuſcipiat à baptizante, eumque doctrina Chriſtiana enutriendi, atque bonis moribus inſtruendi, curam, ac obligatione ſubeat, & ſpondeat. Unde etiam variis nominibus *Patrini*, ſeu *Compatris ſpiritualis*, id eſt, cùm baptizante quodammodo ſimul generantis filium ſpiritualem, *Suſceptoris*, *Fidejuſſoris*, *Pædagogi*, *Doctoris* afficitur, quibus titulis officii ſui admonetur, de quo etiam oportet, ut à Parocho, ſeu conferente Baptiſmum priùs edoceatur, ut ſciat obligationem ſuam, qua ſub peccato mortali in defectum Parentum, vel aliorum infantis curam gerentium adſtringitur, ut colligitur *ex cap. Vos ante omnia de Conſecr. diſt.* 4. & ex Conſtit. Leonis III. in Concilio Moguntino, ubi ait, *Præcipimus, ut unuſquiſque Compater, vel proximi ſpiritualis filios ſuos Catholicos inſtruat.* Circa hanc itaque de patrino in ſolemni Baptiſmo adhibendo cæremoniam

24 Quæritur 1. Quis poſſit eſſe Patrinus. 2. Quot ſimul adhiberi poſſint. 3. Quomodo, ſeu quibus conditionibus aliquis conſtituatur Patrinus, & cognationem ſpiritualem cum baptizato ac parentibus baptizati contrahat; ita ut inter hos nullum Matrimonium validè contrahi poſſit.

Ad 1. Reſpondeo, quilibet baptizatus (non baptizati enim excluduntur à Concilio Moguntino, quod refertur *cap. in Baptiſmate de Conſecrat. diſt.* 4.) ſive vir, ſive fœmina (quamvis vix deceat mulierem, ſi baptizandus ſit vir, ſaltem adultus) modò ſit rationis compos (quam conditionem requirit Concilium Pariſienſe *lib.* 1. *cap.* 54.) Patrini officium validè ſuſcipere poteſt: quo minùs autem licitè ſuſcipiant, interdictum eſt in primis Monaſticæ vitæ ſanctitatem profeſſis, niſi ſint evecti in Epiſcopos *cap. Non licet Abbati* 203. *de Conſecr. diſt.* 4 *cap. Placuit* 16. *quæſt.* 1. Qui ob ſolitariam vitam, quam profitentur minùs idonei ſunt ad curam baptizatorum, ut bene inſtruantur, recipiendam. 2. A cit. Concil. Pariſienſi interdictum eſt pœnitentibus publicis, & propter mores infamibus. 3. Hæreticis, qui etſi poſſent doctrina Catholica infantem inſtruere, ſicut homines mali ad virtutem poſſent hortari, fidendum tamen illis non eſt; unde rectè dicit Palao in defectu Catholici Patrini potiùs neque Hæreticum adhibendum eſſe; cùm Eccleſia Patrini deſignationem non aliter videatur præcipere, quàm quatenus haberi poteſt idoneus; quamvis ſi ſine parentum magna offenſa, præſertim, ſi ipſi Hæretici ſint, repelli non poſſit, liceat Hæreticum admittere, prout praxi eſſe receptum à viris piis & doctis in Germania teſtatur Layman. *lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 9. *quæſtio.* 5. *in fine.* Denique *in capit. Pervenit.* 30. *q.* 1. olim prohibebatur parentibus ſub privatione licentiæ petendi debitum conjugale, ne propriam prolem ex ſacro fonte levare præſumerent; quòd ſi unus tantùm, illorum altero inſcio, aut invito prolem ſuam levaviſſet, debitum petendi facultatem amiſiſſet juxta *capit. Dictum eſt nobis*: ibid. Verùm etiamſi prohibitioni capituli *pervenit* derogatum non ſit, pœna prædicta ab Alexandro III. eſt ſublata *capit. Si vir de Cognatione ſpirituali*, Unde & petere & reddere poteſt debitum conjugale, qui ſive ex ignorantia, ſive ex malitia prolem ſuam ſacra unda ablutam tenuerit.

25 Ad ſecundum reſpondeo verbis Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 2. *de Refor.* ubi ita loquitur: Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in caſibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia, in quibus vel non ſine magno ſcandalo perſeveratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur; volens itaque S. Synodum huic incommodo providere, & à cognationis ſpiritualis impedimento incipiens ſtatuit, ut unus tantùm, ſive vir, ſive mulier juxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant: inter quos, ac baptizatum ipſum, & illius patrem, ac matrem, nec non inter baptizantem ac baptizatum, baptizatique matrem, ac patrem tantùm ſpiritualis cognatio contrahatur. Parochus antequam ad Baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de S. Fonte ſuſcipiant, & eum, vel eos tantùm ad illum ſuſcipiendum admittat, & in libro eorum nomina deſcribat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excuſari valeant; quòd ſi alii ultra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant. Ita Trident.

Ex quo conſtat, ſicut olim tantùm unus Patrinus licitè adhiberi potuit, *juxta cap. Non plures de Conſecr. diſt.* 4. *& cap. Quamvis de Cognat. ſpirit. in* 6. ita hodierno tempore ejuſdem ſexus non tantùm licitè non poſſint plures, quàm unus Patrinus deſignari, ſed ſi alii præter deſignatum, vel deſignatos duos diverſi ſexus infantem tangant, vel teneant, tamen Patrini non ſint, nec cognationem ſpiritualem contrahant; quòd ſi autem, & ipſi deſignati eſſent, adeoque plures, quàm duo, aliqui cum Suarez *diſp.* 23. *ſect.* 3. *art.* 8. §. *Sed quæres* nullum ex omnibus docent fore Patrinum, eò quòd ad eſſentiam Patrini requiratur, ut à parentibus, vel baptizante, vel ab alio infantis curam gerente, deſignetur legitimo modo, ſcilicet ſine conjunctione aliorum. Communior tamen, & probabilior eſt ſententia Palao, quam Suar. in praxi ſequendam ſuadet, ne ſaltem cum dubio impedimento ſpiritualis Cognationis matrimonium contrahatur, per Tridentinum tantùm excludi à ratione Patrini eum, qui præter deſignatos infantem tangeret, quòd ſi autem plures deſignati ſint, aut ſi nullus, tunc omnes deſignatos, vel eum, aut eos, qui nemine deſignato infantem ſuſciperent, veros Patrinos, & cognatione ſpirituali junctos fore, & ad multitudinem cognatorum evitandam Tridentinum ſolummodo prohibuiſſe, non autem irritaſſe deſignationem plurium, & eos tantùm excluſiſſe, qui præter deſignatos, non autem, qui in abſentia deſignatorum infantem ex Baptiſmo levarent; eò quòd videatur potiùs voluiſſe, ut ſervatis omnibus cæremoniis, adeoque præſente Patrino Baptiſmus adminiſtretur, quàm ut per irritationem actionis, qua non deſignatus infantem ſuſtinet, Baptiſmus ſine Patrino adminiſtretur; unde deſignatio non requiritur tanquam eſſentiale conſtitutivum Patrini, ſecundùm communiorem, & SS. Canonum inſtitutis conformiorem, imò teſte Rebello ac Baſilio apud Palao *punct.* 9. §. 2. *n.* 9. jam deciſam doctrinam, quamvis Sanchez Sayrus, & alii nonnulli putent, neminem Patrinum eſſe poſſe, niſi deſignatum.

Ad tertium Reſp. conditione eſſentialiter requiſita ut aliquis fiat verus Patrinus, & cognationem ſpiritualem contrahat, eſſe ſequentes. 1. Ut baptizatum, vel ipſe teneat, vel de manibus baptizantis immediatè per ſe, vel per ſuum vicarium ſuſcipiat. 2. Ut habeat intentionem ſuſcipiendi, unde ſi quis infantem ſolummodo teneat animo juvandi patrinum, vel ſi alterius nomine hoc faciat patrinus non eſt. 3. Ut Baptiſmus conferatur ſolemniter, quia enim adhibitio patrini eſt cæremonia Baptiſmi ſolemnis, privatus autem Baptiſmus ſine cæremoniis conferri ſolent hinc etſi quis teneat infantem, dum baptizatur, per hoc tamen non ſubit officium patrini, vel cognationem ſpiritualem. 27

Præter has conditiones, alii immeritò tres alias conditiones requirunt, nempe ut loco baptizati reſpondeat ad quæſtiones fidei in collatione Baptiſmi propoſitas. Verùm textus Juris Can. & Trid. cognationem ſpiritualem inducentem, nullius alterius actionis, quàm tentionis, ſeu ſuſceptionis meminerint. 2. Ut deſignatus ſit, quam conditionem univerſaliter requiſitam antè rejeci. 3. Ut per ſeipſum baptizatum levet de ſacro fonte. 28

te. Verùm contrarium in Congregatione Romana, & S. Rota ſæpe eſt deciſum, & in praxim præſertim in Baptiſmis Principum, qui per legatos levari, & alios levare ſolent, deductum; quod ſi non valeret, omnes ejuſmodi Baptiſmi conferrentur ſine Patrino, proinde Eccleſia hanc conſuetudinem abrogaret.

Accedit etiam ratio Juris, quo firmatum eſt, quemlibet medio procuratore præſtare poſſet, quod poteſt per ſeipſum, cùm aliàs prohibitus non eſt, ut habetur *l. 1. §. Vſus ff. de Procuratoribus*. Sed nullibi eſt prohibitum, munus Patrini exercere per procuratorem ergo &c. Licèt autem Generatio Spiritualis, & Carnalis *in cap. Debitum de Baptiſmo*, item Adoptio in filium, inter ſe coæquentur, neceſſe tamen non eſt, ut in omnibus ſibi mutuò proportionentur in cit. enim cap. paritas tantùm inſtituitur quoad hoc, quòd nemo poſſit eſſe ſui ipſius Pater ſpiritualis, ſicut nequit eſſe carnalis: attamen in hoc eſt diſparitas, quod nimirum ex natura rei repugnet aliquem fieri patrem naturalem, & Lege poſitiva, aliquem fieri patrem adoptantem, medio procuratore, fieri verò patrinum per alium delegatum, neque ex natura rei, neque ex Lege poſitiva, ullibi expreſsa repugnat.

29 De cæteris cæremoniis Baptiſmi, quas recenſere ſuperſedeo, cùm in quovis Rituali Diœceſano diſtinctè & ordine præſcribantur, & earum rationes ac cauſæ *cap.* 152. pluribuſque ſequentibus *de Conſecr. diſt.* 4. percenſeantur, non habeo, quod addam, niſi ut moneam ex Vaſquez, Layman. Coninck, Palao, & aliis, ab his relatis, mortaliter peccaturum, qui ſine neceſſitate illas in Baptiſmi collatione omitteret, ut colligitur *ex Clementia unica de Baptiſ.* adeoque Laico nunquam licere, baptizantis munus obire, niſi quando urget neceſſitas; cùm nequeat illud obire cum cæremoniis, Sacerdoti verò vel Diacono non licere, niſi cum cæremoniis: ex quo inferunt cit. Authores cum Suarez, & Saa, quia ad ſolemnitatem Baptiſmi ſpectat, ut in Eccleſia conferatur, prout expreſsè habetur *in cit. Clementina*, & ejus Gloſſa, abſque gravi peccato nulli (exceptis per ſpeciale privilegium filiis, & nepotibus Regum, ac Principum, modò aliæ cæremoniæ ſerventur) Baptiſmum conferri poſſe, domi, vel in privatis oratoriis: unde quorundam Parochorum mos domi ſuæ baptizantium videtur aliter excuſari non poſſe, quàm per ignorantiam, aut conſuetudinis Diœceſanæ præſcriptionem, qua etiam excuſare licebit extenſionem dicti privilegii, ut per filios Principum intelligantur Filii Nobilium, teſte P. Gobat in Alphabeto Baptizantium *Caſu* 16. *num.* 492. referente Riccium, & Quintanadvenam ac conſuetudinem diœceſis Conſtantienſis.

Ulterius infertur peccatum mortale fore, ſi extra urgentem neceſſitatem non adhiberetur aqua, quæ eſt ad hunc finem, pro dæmonis tentatonibus aliquando arcendis, vel ſuperandis ſpecialiter benedicta, prout benedici ſolet ſingulis annis in Sabbatho Sancto, & in vigilia Pentecoſtes, quemadmodum olim ipſe baptiſmus extra neceſſitatem ſolùm conferebatur die Paſchæ, & Pentecoſtes, ut conſtat *ex cap. Baptizandi cap. De catechum. cap. Duo tempora, cap. Si qui, cap. Non ratione de Conſecr. diſt.* 4.

ARTICULUS VII.

De ſpeciali Effectu Baptiſmi.

SUMMARIUM.

30 *Baptiſmus præter characterem, & gratiam remiſſivam peccati Originalis, & Actualis in adulto, confert etiam remiſſionem pœnæ temporalis.*

De effectibus Baptiſmi, cùm duo potiſſimi, ſcilicet gratia, & character ſuprà jam indicati ſint, nihil videtur addendum, niſi quòd præter remiſſionem omnis culpæ tum Originalis, tum Actualis, ex ſpeciali Chriſti inſtitutione liberet ab omni pœna temporali propriè dicta; nam fomes peccati, neceſſitas ſubeundæ mortis, excluſio à Paradiſo & humanæ miſeriæ hujus vitæ, propriè non ſunt pœna, ſed tantùm carentia privilegiorum, quæ Deus in ſtatu Innocentiæ fuiſset hominibus conceſſurus, & nunc ad augenda noſtra merita non conceſſit, neceſſariis tamen auxiliis, & gratiis ad iis bene utendnm ſubſtitutis. Colligitur autem hæc Chriſti inſtitutio ex Concil. Florent. decreto de Armentis ita loquente. *Hujus Sacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis, & actualis omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur; propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injugenda eſt ſatisfactio.* Idem declaravit Concilium Tridentinum, *Seſſ. 6. cap.* 14. Ratio hujus inſtitutionis ex natura Baptiſmi deſumi poteſt; quia primam gratiam, per quam efficimur Filii Dei, non confert per modum judicii, ſicut Sacramentum pœnitentiæ, pœnam æternam commutans in temporalem; unde hoc impropriè dicitur regeneratio; ſed confert per modum veræ regenerationis, homo autem regeneratus per rationabilem favorem in ordine ad demeritum habet ſe inſtar ejus, qui ante nunquam fuit, & nec quicquam demeritus eſt. 30

DISPUTATIO III.

De Sacramento Confirmationis.

ARTICULUS I.

De Materia Sacramenti Confirmationis.

SUMMARIUM.

31 *Materia remota Confirmationis non poteſt eſſe Oleum ſine Balſamo admixto.*
32 *Solvitur argumentum contrarium* ex cap. Paſtoralis.
33 *Confirmatio nunquam ſolo Oleo ſine Balſamo eſt collata: neque defuit unquam copia Balſami.*
34 *Benedictio Epiſcopi eſſentialiter requiritur ad valorem chriſmatis.*
35 *Probabile eſt, per impoſitionem manuum in Actis Apoſtol. ſignificari ſimul peractam chriſmatis Unctionem, eamque etiam à Concil. Florentino intellectam eſſe.*
36 *Quamvis etiam probabiliter dici poſſit, illam impoſitionem manuum loco Chriſmatis adhibitam fuiſſe ab Apoſtolis.*
37 *Etiamſi ſimplici Sacerdoti committi poſſit adminiſtratio Confirmationis, nequit tamen committi Benedictio Chriſmatis.*
38 *Materia proxima Confirmationis eſt Unctio chriſmatis in fronte ad modum Crucis facta.*

Dico I. Materiam remotam Confirmationis eſſe Chriſma, id eſt, oleum olivarum balſamo mixtum, & ab Epiſcopo conſecrato benedictum. Hæc concluſio quoad aſſignationem chriſmatis pro materia remota contra quoſdam Canoniſtas, eſt nunc de fide propter Authoritatem Concilii Florent. *in Decreto fidei* & Concilii Tridentini *Seſſ. 7. Can.* 2. Quòd autem nomine Chriſmatis, aliàs unctionem in genere apud Græcos ſignificantis, non intelligatur (quamvis aliquando per acceptionem partis, præſertim majoris, pro toto verbis ſolummodo exprimatur etiam à SS. Patribus) ſimplex oleum ex olivis collectum (nam quod ex aliis rebus exprimitur, propriè oleum non eſt, adeoque nec materia apta, ut tradit S. Thom. *quæſt. 72. art. 2. ad* 3. ab omnibus receptus) ſed quòd inſuper ad ſignificandum boni 31

exem-

exempli confortativi odorem debeat eſſe balſamo permixtum, non tantùm propter neceſſitatem præcepti, quod omnes agnoſcunt, ſed propter neceſſitatem, & eſſentiam ipſius Sacramenti, ita ut non conferretur Sacramentum Confirmationis, niſi oleo aliquid balſami eſſet admixtum, ſaltem in tanta quantitate, ut etſi non omnes partes olei pervaderet, ſaltem odorem in illas transſunderet, quæ fronti allinerentur, contra Covarr. Cajet. Sotum, Navarrum, Valent. victor. Em. Saa. Barboſam, Canum, Dicaſtill. docent reliqui ferè omnes nominatim S. Thom. *cit. art.* 2. & *lib.* 4. *contra Gentes capit.* 60. & 4. *diſt.* 7. *quæſt.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 2. S. Bonaventura 4. *diſt.* 7. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 1. Alenſis, Adrian. Palud. Richard. Scotus, Sylv. quos præter multos alios citat & ſequitur Tannerus, Suarez, Coninck, Bellar. Laym. Bonac. Amicus, Pal. Tamb. Eſparza.

Probatur 1. ex Florentino, quod ita loquitur. *Secundum Sacramentum, eſt Confirmatio, cujus materia eſt chriſma, confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ per Epiſcopum benedicto*: quæ verba bene notanda ſunt, non enim dicit Concilium, materiam Confirmationis eſſe oleum, cui admiſceri debet Balſamum, ſicut aſſignans materiam Calicis in Sacramento Euchariſtiæ, dixit eſſe vinum, cui admiſceri debet aqua, quæ utique tantùm eſt de præcepto, & non de eſſentia Sacramenti: ſed dixit, eſſe chriſma, deinde explicans hujus vocis ſignificatum, addit, confectum ex oleo & balſamo, quo ſenſu illud etiam accipit Catechiſmus Rom. *part.* 2. *cap.* 7. *num.* 6.

32 Et ſic etiam Innocentius III. *in c. Paſtoralis de Sacram. non iterandis* expreſsè diſtinguit oleum à Chriſmate, ubi ait, ſe eſſe interrogatum, an Sacramentum Confirmationis in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chriſmate, ſed oleo delinitus. Quamvis autem Adverſarii ex reſponſione citati Pontificis potiſſimùm conentur probare ſuam opinionem, eò quòd negaverit *iterandum*: per hoc tamen potiùs confirmatur neceſſitas chriſmatis, quia ex verbis immedi[a]tè ſubjectis: *Sed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum* patet Pontificem cenſuiſſe, Confirmationem conferendam eſſe per Chriſma, ac proinde negaſſe ſuppoſitum, quòd propterea Sacramentum reiteretur, eò quòd in priori Unctione per ſolum Oleum Sacramentum non fuerit validè collatum: aliàs certè non eſſet opus aliquid ſupplere, ſicut poſt conſecrationem vini non eſſet opus aliquid aquæ admiſcere, ſi priùs non fuiſſet admixta, quia ſine hac vinum eſt validè conſecratum. Vel ſi Pontifex aliud quid negavit eſſe iterandum, id ſolum de Cęremoniis & Solemnitate intelligendum eſt, ſicut Baptiſmo Solemni invalidè collato, non eſſent repetendæ Cæremoniæ. Sed ſupplendus valor per ſolam potionem partium eſſentialium ſine alia Solemnitate iterata.

33 Probatur 2. Illud intelligitur chriſmatis nomine & ad eſſentiam confirmationis ſpectat, quod ut tale à tempore Apoſtolorum in collatione hujus Sacramenti ſemper fuiſſe uſurpatum: à Pontificibus, & antiquis Patribus accepimus; ſed in collatione Sacramenti Confirmationis præter oleum ſemper fuiſſe uſurpatum Balſamum, vel hoc ipſo nomine, vel alio æquivalenti v. g. materiæ ſuaviter ſpirantis, olentis &c. expreſſum accepimus à variis Pontificibus, & antiquis PP. teſte Bellar. nimirum à S. Dionyſio, Clemente, Fabiano, Cypriano Greg. Turonenſi; ergo præter oleum etiam intelligitur Balſamum nomine Chriſmatis, ſive illud balſamum ſit Palæſtinum, ſive Syriacum, ſive Judicium; neque enim cum vaſtatione duorum hortorum Judææ, in quibus ſolis Balſamum creviſſe antiquis temporibus, Plinius aliorum tamen locorum ignarus, putabat, ita omne ex orbe terrarum balſamum ſublatum eſt, ut non ipſe Plinius teſtaretur, deinde ſuo tempore multas fuiſſe arbores balſami in palæſtina; & S. Hieronymus trecentis annis ante Plinium, & D. Gregorius ducentis annis poſt Hieronymum, atteſtarentur in finibus Engaddi balſamum gigni ſolitum. Quòd verò etiam Indicum balſamum ſufficiat, & ſit verum balſamum, aptumque ad conficiendum ex eo Chriſma Paulus III. Pius IV. Gregorius XIII. & Sixtus V. declaraverunt, unde Kemnitius ex Lutherana Secta immeritò criminatur Eccleſiam, quòd tale Sacramentum, & illi talem materiam aſſignet, quæ jam tota ex hoc rerum univerſo ſublata eſt. Catholici autem DD. ſuprà relati incredibile non debent putare, Sacramentum Confirmationis à Chriſto ſub materia non adeò difficulter comparabili fuiſſe inſtitutum; ſicut enim fateri debent, Eccleſiam prudenter potuiſſe admixtionem balſami imperare, ſic etiam incredibile non debet videri, Chriſtum ſic prudenter inſtituiſſe hoc Sacramentum ad faciendam majorem æſtimationem Sacramenti, quòd tantam plenitudinem gratiæ S. Spiritus confert, ut primùm poſt Chriſti in cœlos aſſumptionem, & Spiritus S. in corda fidelium effuſionem debuerit adminiſtrari. Unde etiam Epiſcopalis dignitas ad benedicendum Chriſma, & ad ipſum Sacramentum ordinariè adminiſtrandum requiritur.

Addidi in concluſione etiam has particulas *ab Epiſcopo Conſecrato benedictum*, Quia Chriſma non conficitur tantùm ex mixtione olei, & balſami, aliàs etiam pharmacopolæ illud conficere poſſent, & hujus confectio à diverſis Conciliis ſcilicet Romano, Carthaginenſi II. & III. Toletano I. Hiſpalenſi II. Bracarenſi I. Vormacenſi, Florentino nequaquam presbyteris prohibita, ſoliſque Epiſcopis conceſſa fuiſſet. Unde patet, quot Conciliis impudentes Hæretici illudant, quando benedictionem chriſmatis ſuperſtitioſam, & magicam, & ipſum chriſma oleum diaboli mendacio pollutum, veluti Calvinus, vel chriſma excantatum, ut Kemnitius, blaſphemis faucibus appellant. Cur autem benedictio Chriſmatis ad eſſentiam materiæ ſpectare dicatur, & non præcisè ſit adhibenda ex præcepto, ſicut benedictio aquæ, quam propter neceſſitatem baptiſmi, ſæpe ſine benedicta aqua ſtatim conferendi, non expediebat ad ejus eſſentiam requiri, colligitur ex traditione Eccleſię, à diverſis Pontificibus, & Conciliis comprobata, & à Patribus tempori Apoſtolorum coęvis, aut proximis accepta, videlicet Dionyſio Areopag. *cap.* 4. *Eccleſ. Hierarchiæ* (ubi etiam ait, benedictionem Chriſmatis ab Apoſtolis ſe didiciſſe) Theophilo Antiocheno, qui fuit ab Apoſtolo Petro Sextus Pontifex, Tertulliano, Cypriano, & aliis apud Bellarminum.

Neque obſtat, quòd in Actis Apoſt. *cap.* 8. *&* 19. ex 35
quibus probatur Sacramentum Confirmationis, nulla fiat mentio, aut benedictionis, aut olei, aut balſami, ſed ſolius impoſitionis manuum. Reſponderi enim poteſt 1. cum Thom. Waldenſi *tom.* 2. *de Sacramentis capit.* 113. Bellarm. *lib.* 2. *de Confirmatione c.* 9. Coninck. *q.* 72. *art.* 3. *dub.* 2. Palud. 4. *diſt.* 7. *q.* 1. *art.* 3. *concl.* 3. ex adductis locis non rectè colligi ſola manus impoſitione Sacramentum Confirmationis, vel ſaltem primarium effectum illius, nempe robur, & gratiam Spiritus Sancti unquam ab Apoſtolis collatum eſſe, ſed illius expreſſione, quandoquidem. Unctio, facta immediatè per manum impoſitam fronti, vel etiam vertici, erat impoſitio manus, S. Lucam in Actis Apoſt. omnia conplecti, quæ neceſſaria erant, ut per impoſitionem manu ungentis Chriſmate conferretur Spiritus S. ſicut antiqui SS. Patres, loquentes de hoc Sacramento, ſub inde illud denotant, nomine Unctionis, & iidē deinde aliis in locis nomine impoſitionis manuum, & aliquando utroque nomine; & iſte modus per expreſſionem unius comprehendendi reliqua paſſim in S. litteris reperitur. Sic idem S. Lucas loc. cit. dixit, Apoſtolos baptizaſſe in nomine [J]eſu, complectendo etiam nomen reliquarum Perſonarum, & S. Paulus *ad Titum* 3. ait, nos ſalvari per lavacrum regenerationis, ſubintelligendo reliqua omnia ad Baptiſmum neceſſaria, nempè formam, intentionem &c.

Ne autem huic reſponſioni opponatur Concil. Florentinum, quod ait, loco illius manus impoſitionis Apoſtolicæ dari nunc in Eccleſia Confirmationis Sacramentum. Reſpondet ulterius Bellarminus, Concilium neque definiendo hoc dicere, neque aſſerere ab Apoſtolis factam eſſe ſolam manus impoſitionem, neque particulam loco denotare ſubſtitutionem Chriſmatis, cùm Florentinum non dicat, loco manus impoſitionis dari nunc chriſma, ſed dari Sacramentum Confirmationis; neque verò eandem particulam deſignare ſubſtitutionem ipſius Sacramenti Confirmationis, cùm ipſa impoſitione omnium conſenſu Apoſtolis collatum ſit ipſum Sacramentum Confirmationis; adeoque ſenſum, in-

inquit, Concilii tantùm eſſe, quòd loco, id eſt nomine impoſitionis manus apoſtolicæ detur, & deſignetur nunc in Eccleſia Sacramentum Confirmationis, ſicut loco Apoſtolorum dantur nunc in Eccleſia Epiſcopi; quamvis enim, qui antè dabantur, etiam fuerint Epiſcopi, & idem munus, atque eandem Authoritatem habuerint, & qui nunc dantur, verè etiam ſint Apoſtoli, rectè tamen dicitur loco Apoſtolorum dari Epiſcopos; quia ſenſus eſt, Rectores Eccleſiæ ante deſignatos nomine Apoſtolorum, nunc eſſe tantùm individualiter alios, & deſignari nomine Epiſcoporum. Et ſic non in re, ſed tantùm in verbis diſcrimen, ac ſucceſſionem conſiſtere clarè teſtatur Innocentius III. *cap. Cum veniſſet de Sacra Unctione*, qui n. 10. ita loquitur: *Per frontis chriſmationem manus impoſitio deſignatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio*: atque hanc reſponſionem valde etiam probabilem judicat Suarez *diſp.* 33. *Sect.* 4. *in Fine*; quamvis propter Authoritatem Florentini, quod clariùs in ſenſu Adverſariorum de ſola manus impoſitione, & huic ſubſtituta Chriſmatione explicari exiſtimat, præferat ſubſequentem reſponſionem.

36 Reſponderi itaque poteſt 2. cum duobus recentioribus Conciliis, tantùm quidem Provincialibus, & nihil Pontificis Authoritate definientibus, magnam tamen ex ſe Auctoritatem habentibus, nempè Colonienſi *in doctrina de hoc Sacramento*, & Moguntino *in doctrina fidei cap.* 18. ſub Paulo III. celebrato anno 1549. & cum S. Thom. 4. *diſt.* 7. *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 2. & 3. *part. quæſt.* 72. *art.* 2. *ad* 1. & 4. *art. ad* 1. Tannero, Amico, Dicaſt. & pluribus aliis relatis à Suarez loc. cit. §. *Tertia, & media ſent.* quamvis fateatur eoſdem omnes dubiè loqui, & priori ſententiæ non parùm favere. Reſponderi, inquam, poteſt 2. citatis ſcripturæ textibus, & Conciliorum, ſecundùm ſenſum magis apparentem acceptorum, teſtimoniis indicari quidem, quòd in principio Eccleſiæ nuda manus impoſitione effectus præcipuus, vel ipſum Sacramentum Confirmationis fuerit collatum, ſicut in die Pentecoſtes Apoſtolis datum eſt robur Spiritus S. abſque Sacramento, non tamen hinc rectè deduci, quod Apoſtoli non etiam frequenter uſi ſint Chriſmate, ſaltem poſtquam ſublata neceſſitate ſenſibilis deſcenſus Spiritus Sancti in ſpecie viſibili, vel effectu miraculoſo, clarioribus ſignis materialibus opus ſuit ad denotandum effectum Confirmationis; cùm omnino conveniens, vel etiam pro inſtructione poſteriorum neceſſarium fuerit, ut Chriſmate, quod à Chriſto conficere Apoſtoli didicerant, & aliquando futurum erat unicè ac determinatè neceſſaria materia, etiam ipſi Confirmationis Sacramentum adminiſtrent. Imò mihi probabiliùs eſt, quòd licèt ſola impoſitio manus ab initio ſuffecerit ad collationem Spiritus S. ne Unctio Chriſmatis ſemper adhibenda gentilibus, riſui eſſet, vel ut Apoſtolis major Authoritas ex illo ſigno poteſtativo pro ſtabilienda Eccleſia conciliaretur, tamen eadem impoſitio manus ex inſtitutione Chriſti pro illo tempore fuerit disjunctivè, etſi non ſtabiliter (ſtabilitas enim ad ſummum requiritur in Sacramento, non verò in digno materialiter ſpectato) neceſſaria materia ad ipſum Sacramentum Confirmationis; quia niſi ea fuiſſet Sacramentalis collatio Spiritus S. ex allegatis textibus ſatis difficulter probaretur Sacramentum Confirmationis. Aliud eſt, quando in Actis Apoſt. *cap.* 10. *verſ.* 44. loquente Petro, etiam ſuper non Baptizatos cecidit Spiritus Sanctus, ſicut diximus die Pentecoſtes cecidiſſe ſuper Apoſtolos; tunc enim utique non fuit poſitum Sacramentum, ſed ex hac non ſacramentali, neque per ſignum, pro miniſtrorum uſu inſtitutum, exhibita collatione Spiritus Sancti etiam non probatur Sacramentum Confirmationis.

Ex his tamen duabus reſponſionibus mihi ferè præplacet prima, tum quia neque ex modo loquendi S. Scripturæ, neque Concilii Florentini, ſatis oſtenditur neceſſitas, ſoli impoſitioni manus tribuendi effectum Confirmationis, tum quia ex cc. textibus, de Sacramento Confirmationis, prout de facto adminiſtrari ſolet, intellectis, faciliùs ſtabilitur Sacramentum, & convenientiùs eſt, ſi Chriſtus non ſtatim ab initio in materia, ut alii loquuntur, cum Apoſtolis diſpenſavit, vel eandem variavit, exemplo non ſatis utili poſteris, ſicut hoc ipſum non fecit in materia Baptiſmi, abſque reſpectu ad auctoritatem apoſtolicam ampliandam, vel ad irriſionem evitandam.

Denique notandum eſt illas particulas *ab Epiſcopo conſecrato* non gratis eſſe poſitas; quia non ſufficit in Epiſcopum eſſe electum, vel à Pontifice confirmatum, ſed neceſſe etiam eſt, eſſe conſecratum. Quòd autem ad valorem materiæ, & non tantùm ratione præcepti requiratur Epiſcopalis benedictio, eaque ſimplici Sacerdoti, neque à Summo Pontifice committi poſſit, (licèt officium adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis queat concedi,) contra Barboſam & Greg. de Valentia docent teſte Suarez *diſp.* 33. *ſect.* 2. omnes ferè auctores, colligentes hoc ex cit. Conciliis, propter invaliditatem Presbyteris benedicendi actum vetantibus, præſertim ex textu Florentini, in aſſignatione materiæ exprimentis benedictionem Epiſcopi conſecrati, & ex uſu Eccleſiæ olim quidem Sacerdotibus committentis munus confirmandi, nunquam autem benedicendi chriſma; ſed quod Concilium Toletanum I. Can. 2. per abuſum in quibuſdam locis & provinciis factum fuiſſe meminit, ipſum non quidem expreſsè invalidum declaravit, abuſum tamen tollendo ſufficienter inſinuavit. 37

Ratio autem, cur Chriſtus in inſtitutione hujus Sacramenti id, quod eſt minus, & ordinatum ad præſtandum alterum, non permiſerit ſimplicibus Sacerdotibus & tamen permiſerit, quod eſt majus, nempè ipſam adminiſtrationem Sacramenti, hæc videtur eſſe, quòd in defectu Epiſcoporum, quando Presbyteris confirmandi officium committendum eſſet, chriſmate aliunde ab alio etiam Epiſcopatu advecto defectus materiæ, non autem Miniſtri facilè ſuppleri poſſit: cùm de facto abſente Epiſcopo vel ſede vacante, Chriſma à proximo Epiſcopo peti debeat, quia ſub gravi peccato præceptum eſt à Fabiano *epiſt.* 2. & Concil. Carthag. IV. *cap.* 56. & *cap. Litteris de Conſecr. diſt.* 3. ut in die Cœnæ Domini ſingulis annis novum Chriſma conſecretur, neque unquam ex veteri Confirmatio conferatur.

Dico 2. Materiam proximam eſſe Unctionem Chriſmatis in fronte ad modum Crucis factam. Concluſio quoad ſingulas partes, nempè ut Unctio fiat in fronte, & in figura crucis, iterum ab auctoribus communiter, colligitur ex perpetuo uſu & traditione Eccleſiæ ac SS. Patrum, cujus ex effectu per Confirmationem conferendo, & ſignificando Concilium Florent. his verbis rationem reddit, *Ideo in fronte, ubi verecundiæ ſedes eſt, confirmatus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipuè crucem ejus, quæ Judæis eſt ſcandalum, gentilibus autem ſtultitia ſecundùm Apoſtolum, propter quod crucis ſigno ſignatur.* Facienda eſt autem hæc inunctio ex uſu & præcepto Eccleſiæ, imò, juxta multos, etiam ex neceſſitate Sacramenti, immediatè dextro pollice, ob quam cauſam teſte Durando præcipuè conſecratur pollex Pontificis, qui ſi mediante inſtrumento frontem inungeret, ad minimum Sacramentum redderet dubium, & ſub conditione immediato attactu pollicis chriſmate tincti conferendum, ut manus impoſitio, qua Apoſtoli etiam utebantur, hac ratione exprimatur. 38

ARTICULUS II.

De Forma Confirmationis.

SUMMARIUM.

39 *Quæ ſit Forma Confirmationis.*
40 *Explicatio & Ratio ſingulorum verborum, ſaltem neceſſitate præcepti exprimendorum.*
41 *Ex Forma Græcorum oſtenditur, verba expreſſa in Forma Latinorum non eſſe omnia eſſentialia.*

Dico formam Confirmationis in Latina Eccleſia eſſe hanc: *Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti.* Quæ forma, licèt in S. Sciptura non ſit clarè expreſſa (neque enim omnia, quæ Chriſtus circa adminiſtrationem Sacramentorum Apoſtolos docuit, & ipſi Eccleſiæ tradi- 39

tradiderunt, in ſcriptura annotata ſunt, uti conſtat ex forma Baptiſmi, quoad particulas: *Ego te baptizo*, & ex forma Sacramenti Ordinis, quod etiam Calvinus concedit eſſe Sacramentum, pro quo nulla forma in Sacris literis eſt aſſignata) habetur tamen ex traditione Eccleſiæ in Concilio Florentino, & in Catechiſmo, ac Pontificali Romano, & ferè omnia illius verba eſſentialia eſſe, adducto Sancto Thoma 3. *par. q.* 72. *art.* 4. docent Theologi communiter, videturque ad illa alludere S. Paulus 2. *ad Corinth.* 1. inquiens. *Qui confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.*

40 Congruentia autem, cur hæc forma ſit præſcripta, communiter redditur iſta ex S. Tho. *loc. cit.* quòd per formam Confirmationis tria debeant ſignificari 1. Cauſa conferens hoc Sacramentum, ideò ad ſignificandam cauſam principalem exprimitur SS. Trinitas, cujus ſicut explicitam fidem homo in Baptiſmo ſuſcipit, ſic in Confirmatione eam recipit propugnandam, propterea communior requirit, non tantùm ex præcepto, ſed ex eſſentia Sacramenti Confirmationis, ut tota Trinitas, quoad ſingulas perſonas, ſicut in Baptiſmo, diſtinctè exprimatur. 2. Significari debet robur ſpirituale, quo ſcilicet Spiritus Sancti gratia quis roboratur, & velut athleta inungitur ad tuendam, & retinendam fidem, id quod denotatur verbis: *Confirmo te Chriſmate ſalutis*: quamvis autem Bellarminus particulas *Chriſmate ſalutis* tantùm ex præcepto, non verò ex eſſentia Sacramenti velit addendas eſſe, eaſque potuiſſe omitti, ſicut in forma Baptiſmi omittitur aqua; probabile tamen etiam eſt, imò ferè probabilius, quòd docet S. Thomas *loc. cit. ad* 3. Suarez, Coninck, & alii communiter, eas, vel ſaltem particulam Chriſmate eſſe de eſſentia Sacramenti; quia verbum *confirmo* ſignificans collationem roboris, quòd Chriſtus diverſiſſimis actionibus facere potuiſſet, non exprimit, niſi genericè actionem Unctionis, quæ tamen utpotè materia proxima magis in ſpecie videtur exprimi debere, prout exprimitur additis particulis, *Chriſmate ſalutis*. 3. Debet ipſum ſignum militare Ducis ſignificari, nempè *Crux* Chriſti, quæ etiam tanquam materia proxima, vel tanquam finis, ad cujus profeſſionem, & propugnationem Sacramentum confertur, explicanda eſt.

41 Verùm pleraque potiùs neceſſitate præcepti in Latina Eccleſia (de qua etiam intelligi poteſt ſanctus Thomas loc. cit.) quàm neceſſitate integrandi eſſentiam Sacramenti ſignificanda eſſe, patet ex forma Græcorum, quæ ut *in hoc tr. diſp.* 1. *ar.* 2. §. 2. *num.* 7. oſtendi, in his ſolis verbis conſiſtebat: *Signaculum doni Spiritus ſancti.* Ex qua clarè convincitur, latinam formam quoad expreſſionem SS. Trinitatis, & actionum materialium, tantùm eſſe de neceſſitate præcepti, quoad eſſentiam verò Sacramenti ſufficere, ſi verbis magis generalibus ſignificetur effectus Confirmationis, determinandus, & reſtringendus per ipſas actiones externas, ſicut fit in Sacramento Ordinis, nam certum eſt formam Græcorum neque ex accommodatione uſus, neque ex nova inſtitutione verborum æquivalere formæ Latinorum, quoad totum objectum ſignificandum. De prædicta autem Græcorum forma teſtatur Joannes Bapt. Gonet *diſp.* 6. *de Confirm. num.* 50. eam referri in omnibus Græcorum Euchologiis, & tradi expreſsè in ſecundo Concilio Oecumen. *Can.* 7. ut teſtatur Græcorum Rituum peritiſſimus Cardin. Beſſarion. *libro de Sacramento Euchar. tom.* 6. *Bibliothecæ ſacræ fol.* 482. Eandem formam prætereà conteſtantur Arcudius Græcus Author de Concordia Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ in Sacramentorum Adminiſtratione *lib.* 2. *cap.* 6. & 7. Baſilius Poncius *de Sacram. Confirm. cap.* 7. & Vericelli *de Miſſionib. Apoſtolicis tit.* 11. *ſect.* 2. Undè concludit cit. Gonet, Chriſtum non determinaſſe formam Confirmationis quoad ſpeciem, ſed ſolùm quoad genus, & inſtituiſſe ſolùm, quod hoc Sacramentum celebraretur per aliqua verba, quæ ejus effectum ſignificarent.

Alias adhuc formas refert, & reiicit Suar. *diſput.* 33. *ſect.* 5. negans, eas unquam adhibitas, aut à ſuis Authoribus integrè relatas eſſe, imò aſſerens etiam à Patribus de induſtria veram formam, ac integram ſæpè fuiſſe occultatam, uti & alia myſteria fidei, ne à gentilibus irriderentur. Undè Innocentius I. *epiſt.* 1. *cap.* 3. Cùm de Unctione Chriſmatis nonnulla tradidiſſet, ſubdit: *Verba verò dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quàm ad conſultationem reſpondere.*

ARTICULUS III.

De Miniſtro, Patrino, & Suſcipiente Confirmationem, eiuſque neceſſitate.

SUMMARIUM.

42 *Miniſter Ordinarius Confirmationis eſt ſolus Epiſcopus.*
43 *Extraordinarius per diſpenſationem Pontificis poteſt etiam eſſe ſimplex Sacerdos.*
44 *Eſt tamen dicta diſpenſatio neceſſaria etiam ad valorem adminiſtrationis extraordinariæ.*
45 *Quæ Conditiones obſervandæ in Confirmationis adminiſtratione, & in Patrino.*
46 *Confirmationis recipiendæ omnes & ſoli baptizati ſunt capaces; expedit tamen non ante uſum rationis conferri.*
47 *Per ſe loquendo nemo tenetur Confirmationis Sacramentum accipere.*
48 *Per accidens tamen poteſt dari obligatio, ſaltem ſub veniali culpa, ſub qua præcipitur, ut recipiatur ante acceptam primam Tonſuram.*

Dico 1. Miniſtrum Confirmationis ordinarium eſſe ſolum Epiſcopum conſecratum, extraordinarium verò ſuppoſita conceſſione Summi Pontificis, etiam Presbyterum eſſe poſſe, quemadmodum ſuprà diximus, Diaconum poſſe eſſe Miniſtrum extraordinarium Baptiſmi, quamvis ſoli Summo Pontifici, qui aliàs in eſſentialibus Sacramentorum diſpenſare non poteſt, poteſtas quaſi diſpenſandi, & complendi habilitatem extraordinariam, ex inſtitutione Chriſti per Presbyteratum incompletè collatum, ad Chriſmatis adminiſtrationem reſervata ſit; cùm & Sacramenti dignitas, & minor neceſſitas, quàm Baptiſmi, poſtulaverit, ut non tantùm non licitè, ſed neque validè ſacrum Chriſma à communi Presbytero impendi poſſet, niſi poteſtas extraordinaria Summi Pontificis conſenſu compleretur. 42

Prima pars eſt definita à Concilio Florentino, & à Tridentino *ſeſſ.* 7. *Can.* 3. *de Confirm.* & *ſeſſ.* 23. *Can.* 7. conſtatque ex continuo uſu, ac traditione Eccleſiæ, cùm nec Apoſtoli (quam rationem etiam aſſignat Euſebius Papa *cap. Manus de Conſecr. diſt.* 5.) legantur aliis munus confirmandi commiſiſſe, ſed vel ſemper ipſum Sacramentum, vel, ut aliqui, quibus conſentit Palao, & Eſparza, minùs tamen probabiliter, teſte Bellarmino, putant, effectum ſacramentalem primarium (nempè gratiam, & robur S. Spiritus non autem characterem) ſine Sacramento, tanquam cæremonia ſtabili, quandoque ſola manuum impoſitione ex ſpeciali propriæ ſuæ perſonæ privilegio contulerint, quemadmodum ſine Sacramento eundem ipſi *Act.* 2. & alii fideles *Act.* 10. *verſ.* 44. receperunt immediatè à Deo. 43

Secunda pars iterum certa eſt ferè apud omnes, pauculis apud Gonet *diſp.* 6. *de Sacr. Confir. nu.* 82. exceptis, ac rejectis, & practicata à Gregor. Mag. ut conſtat ex ejus epiſtola 26. *lib.* 3. relata *in cap. pervenit diſt.* 95. ubi Presbyteris Sardiniæ officium confirmandi permiſit, & traditur à Concilio Florent. quod ita loquitur. *Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili, & urgente admodum cauſa* (quibus verbis vult Concilium indicare, qualis cauſa requiratur, ut Pontifex licitè id concedat, nam validè etiam ſine cauſa, aliàs ad valorem propriè dictæ diſpenſationis in Lege ſuperioris requiſita, hoc concederet, ne ſicut de cauſæ ſufficientia, ita etiam de valore dubium eſſet, quod admitti non debet) *ſimplicem Sacerdotem Chriſmate per Epiſcopum confecto hic adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum.* Idem ſupponitur in Concilio Senonenſi *in Decretis morum cap.* 38. & in Trident. *ſeſſ.* 7. *Can.* 3. *de Confirm.* Imò pro Indis facultatem confirmandi conceſſerunt Fratribus Minoribus Joannes XXII. & Leo X. ut patet ex Roderico in ſuo Bullario Regularium in Bulla tertia Leonis X. Eandem conceſſit aliquibus Patribus noſtræ Societatis Gregorius XIII. ut teſtatur Suarez, & alii.

44 Tertia pars à Joan. Bapt. Gonet l.c. ex Vericelli *tra. de Miſſionib. Apoſtolicis tit. 7. qu.* 127. quinquaginta ſex Authoribus comprobata, & à S. Thom. *q. 72. ar. 11. ad 1.* inſinuata, quòd ſine conſenſu Pontificis invalidè adminiſtretur Confirmationis Sacramentum, non ut certa, ſed ut probabilis traditur à Clemente VIII. in Bulla peculiari de unione inter Græcos, & Latinos: ubi infantes à Presbyteris Græcis confirmatos jubet ſub conditione de novo confirmari. Quando autem *in cap. 219. & 220. de Conſecr. diſt. 4.* etiam Presbyteris præcipit, ut baptizatos ſtatim Chriſmate ungant, ſermo tantùm eſt de unctione cæremoniali in pectore, non de Sacramentali in fronte, ut dicitur ibidem.

45 Ut autem ſive ordinarius, ſive extraordinarius Miniſter Sacramentum Confirmationis licitè adminiſtret, requiritur, 1. Ut in loco propriæ juriſdictionis, & propriis tantùm ſubditis, vel (ut ex praxi conſtat, qua non eodem modo, ſicut in collatione ordinis, priùs inquiritur de Diœceſi petentis Confirmationem) etiam peregrinis eandem conferat, ſicut de collatione Baptiſmi diximus. 2. Ut ſit in gratia. 3. Ut ſervet omnes cæremonias (ut verò ſit jejunus, non eſt præceptum, ſed Conſilium, quia *cap. ut Epiſcopi de Conſecr. diſt. 5.* tantùm utitur verbo *convenit*, vel non eſt aliter receptum, & propter multitudinem confirmandorum ſæpè priùs ſumpto prandio vires roborandæ ſunt) inter quas, ſicut in Baptiſmo, una etiam eſt adhibitio Patrini, qui teneat confirmandum, quamvis P. Gobat *nu.* 780. teſtetur Epiſcopum Conſtantienſem multis ſine Patrino Confirmationis Sacramentum impertiiſſe, quando commodè haberi non potuit: neceſſe tamen eſt, ut tantùm ſit unus, & niſi contraria neceſſitas urgeat, diverſus à Patrino Baptiſmi, ut patet *ex cap. in Catechiſmo de Conſecr. diſt. 4.* neque poteſt eſſe unus, & una, cùm Tridentinum, quoad multitudinem Patrinorum ſolùm de Baptiſmo loquens, cenſendum non ſit abrogaſſe conſtitutionem antiquam *cap. ultim. de Cognatione ſpirituali in 6.* quamvis cognationem ſpiritualem eandem, ſicut in Baptiſmo, contrahi decernat: ad quam tamen contrahendam, & ut quis validè Patrinum agat, requiritur, ut ipſe priùs confirmatus ſit, quod colligitur *ex cap. In Baptiſmate de Conſecr. diſt. 4* quia utitur verbo, *non poteſt*, quod impotentiam, & incapacitatem ſignificat; ita enim loquitur: *In Baptiſmate, vel in Chriſmate, non poteſt alium ſuſcipere in filiolum, qui non eſt ipſe baptizatus, vel confirmatus.*

46 Dico 2. Sacramentum Confirmationis omnibus, & ſolis baptizatis validè miniſtrare poſſe, ante uſum rationis tamen, quamvis olim, cùm pauciores eſſent Epiſcopi, miniſtratum ſit, hodie communiter (niſi ſcilicet per accidens ſpecialis ratio, vel neceſſitas contrarium exigat) non expedit, quia cùm plures ſint Epiſcopi per Diœceſes diſtributi, qui ſubditis ſuis certis temporibus confirmationem poſſint impertire, convenit, rationis uſum ad Sacramentum majori cum fructu recipiendum non prævenire, quo etiam cavetur periculum ex oblivione, vel ignorantia confirmationem reiterandi; cùm non proinde quis ſupponeretur fuiſſe confirmatus, ſicut ſupponitur eſſe baptizatus, ſi inter Catholicos eſt educatus. Atque ita communiter ſentiunt DD. quibus accedit authoritas Pii V. in Catechiſmo Rom. *2. part. cap. 3. num. 14.* dicentis: *Illud etiam obſervandum eſt, omnibus quidem poſt Baptiſmum Confirmationis Sacramentum poſſe adminiſtrari, ſed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis uſum habuerint; quare ſi duodecimus annus expectandus non videatur, uſque ad ſeptennium certè hoc Sacramentum differre maximè convenit.* Nota, etiam perpetuò amentibus Confirmationem denegandam non eſſe, etiamſi per accidens, ſicut infantes, impediantur ab uſu gratiæ ipſis ad pugnandum collatæ; quia ſaltem conducit ad perfectionem, & augmentum gratiæ receptæ per Baptiſmum; ob quam cauſam extrema Unctio non redituris ad uſum rationis, adeòque incapacibus luctæ ſupremæ cum diabolo, etiam conferri ſolet, ſaltem ſi propter præcedentem uſum rationis credatur ſervire poſſe ad delendas reliquias peccati; quemadmodum etiam confirmatio inſuper ſervit ad imprimendum characterem, & ad conſtituendum aliquem in certo quodam ſtatu, ac ordine, ſcilicet militiæ Chriſti.

Dico 3. Per ſe loquendo nullam eſſe obligationem ſuſcipiendi Confirmationem ita S. Thomas *q. 65. art. 4.* & *quæſt. 72. art. 8. ad 4.* & *in 4. diſt. 7. quæſt. 3. ar. 2. quæſt. 1.* Suarez, Valent. Coninck, Laymann, Bonacina, Palao, Gonet, & alii multi. Probatur, quia nulla imponenda eſt obligatio, niſi de ea, vel ex Lege poſitiva, vel ex ratione naturali conſtet, ſed neque conſtat de hujuſmodi obligatione ex ratione naturali, etiamſi enim confirmatio conferat plenitudinem, id eſt magnum augmentum gratiæ, & perfectè Chriſtianum conſtituat, ſeu in ſtatu hominis Chriſtiani perficiat, juxtà *cap. ut jejuni de Conſecr. diſt. 5.* Nemo tamen tenetur ſecluſo contemptu ſibi procurare ejuſmodi augmentum gratiæ, vel poteſt aliis operibus meritoriis illud obtinere, neque etiam tenetur dictam perfectionem hominis Chriſtiani ſibi acquirere, quia non eſt eſſentialis, ſed tantùm accidentalis perfectio. Neque conſtat de prædicta obligatione ex Lege poſitiva: Capitulum enim *Spiritus S. de Conſecr. diſt. 5.* dicens; *quamvis continuò morituris ſufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen neceſſaria eſſe Confirmationis auxilia*, non loquitur de neceſſitate ſimpliciter dicta, ſed ut loquitur S. Tho. *q. 65. art. 4.* tantùm de neceſſitate *ſecundum quid*; & conditionata, niſi ſcilicet per alia media impetrentur à DEO auxilia ad reſiſtendum tentationibus, & piè vivendum. Et Capitulum *De his ibidem*, quando ait, Confirmationis Sacramentum non poſſe ſeparari à Sacramento Baptiſmi, niſi morte interveniente, tantùm declarat, quòd olim Baptiſmus non potuerit conferri, niſi immediatè etiam conferretur Confirmatio tanquam neceſſaria cæremonia Baptiſmo ſubjungenda, ea tamen omiſſa etiam tunc temporis nulla ampliùs fuiſſet obligatio recipiendi Confirmationem. Et quamvis in *cap. Omnes* quod *in cit. tit.* eſt primum, dicatur, *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum S. poſt Baptiſmum accipere debent, ut pleni Chriſtiani inveniantur*, vel iterum tantùm indicatur, prædicta cæremonia Baptiſmo ſtatim ſubjungendi Confirmationem, vel non de debito obligationis, ſed tantùm decentiæ, ac utilitatis, ſuppoſito, quòd quis velit obtinere dictum finem, accipiendum eſt. 47

Dixi per ſe loquendo, nullam eſſe obligationem ſuſcipiendæ Confirmationis, per accidens enim neglectus ejuſdem graviter poteſt dici peccaminoſus propter formalem contemptum, aut grave ſcandalum, leviter verò ejus negligenti omiſſione peccari poteſt propter æſtimationis ſaltem diminutionem, & nimiam incuriam, vel propter ſuſceptionem Ordinum: quia Trid. *ſeſſ. 23. c. 4. de Refor.* præcipiens, ne cuiquam conferatur prima Tonſura ante Confirmationem, hoc ipſo præcipit ſub peccato tamen veniali tantùm, teſte Lugo, Laym. Palao, & aliis, ut nemo eam abſque prævia Confirmatione recipiat. 48

DIS-

DISPUTATIO IV.

De SS. Euchariſtiæ Sacramento.

ARTICULUS I.

De Eſſentia, & Integritate hujus Sacramenti.

§. I.

De Conceptu Eſſentiali Euchariſtiæ.

SUMMARIUM.

49 *Sufficit corpus, & ſanguinem Chriſti eſſe partes Euchariſtiæ mediatè ſenſibiles per ſuas compartes.*
50 *Unde non in ſolis ſpeciebus accidentium conſiſtit Sacramentum Euchariſtiæ.*
51 *Nec in ſolo corpore, & ſanguine ſine ſpeciebus; ſed in utriſque ſimul.*
52 *Finis, & effectus Euchariſtiæ eſt refectio animæ, in ordine ad quem eſt neceſſaria ſumptio, tanquam conditio* ſine qua non.
53 *Etiamſi Euchariſtia ſit Sacramentum permanens, includit tamen etiam formam verborum, quantumvis hæc non ſit pars permanens, ſed tantùm pars totius permanentis.*

49 Euchariſtia definitur: *Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini ad ſpiritualem animarum refectionem divinitùs inſtitutum.* Dicitur 1. *Sacramentum.* Quæ particula generis loco ponitur; licèt autem omne Sacramentum debeat eſſe ſignum ſenſibile, & ipſum Corpus, & Sanguis Chriſti, quæ per hoc Sacramentum in recto importantur, pro ut in eo tanquam partes in ſuo toto continentur, non ſint immediatè ſenſibilia, ſicut nec ipſa ſubſtantia panis, aut vini eſt immediatè ſenſibilis, nihilominùs rectè ponitur prædicta particula, quia ſufficit Corpus, & Sanguinem Chriſti mediatè eſſe ſenſibilia, ratione ſpecierum panis, & vini, ac formæ Conſecrationis, adeòque ſimul ſumpta cum his ſignificare gratiam per uſum Sacramenti inſtar refectionis ſpiritualis animæ conferendam.

50 Dicitur 2. *Corporis, & Sanguinis Chriſti.* Quia Sacramentum Euchariſtiæ non conſiſtit in ſolis ſpeciebus, ut quidam putant, ſed inſuper, ut ex modis loquendi Conciliorum SS. Patrum, & communi conſenſu Theologorum conſtat, in Corpore, & Sanguine Chriſti: nam in primis ratione hujus Concil. Trident. *ſeſſ.* 7. *Can.* 3. anathemate damnat eum, qui dixerit, omnia Sacramenta dignitate paria eſſe, & *ſeſſ.* 13. *cap.* 3. hanc excellentiam in Euchariſtia præ cæteris Sacramentis agnoſcit, quòd iſta quidem gratiam, ac ſanctitatem uſu ſuo conferant, illa verò ipſum Authorem gratiæ, ac ſanctitatis, ante ejus uſum in ſe præcontineat: proptereà etiam *cap.* 5. probat, tantùm huic Sacramento adorationem latriæ deberi, quæ utique non ſpeciebus, niſi relativè, ſed Corpori, & Sanguini Chriſti propter unionem cum divinitate debetur, id ipſum quòd ſcilicet Corpus, & Sanguis Chriſti non tantùm debeat eſſe præſens, ſed etiam conſtituens hoc Sacramentum, probatur inſuper hac ratione: omne id eſt conſtitutivum hujus Sacramenti, quod ſignificat, & confert gratiam per modum nutrimenti, Corpus, & Sanguis Chriſti hoc faciunt juxta illud Joan. 6. *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus* ergo &c.

51 Dicitur 3. *Sub ſpeciebus panis, & vini*; has enim eſſe partes, ex quibus componitur Sacramentum Euchariſtiæ probatur primò. Illud eſt pars hujus Sacramenti, per quod Corpus, & Sanguis Chriſti redditur ſenſibilis per modum nutrimenti, ſeu per modum cibi, & potus, pars enim in ſe non ſenſibilis debet fieri ſenſibilis per compartem; atqui hoc fit per ſpecies panis, & vini, & per nihil aliud ſeorſim ergo &c. Probatur 2. Sacramentum Euchariſtiæ, ut eſt definitum in Concilio Tridentino fit per veram converſionem panis, & vini, in corpus, & Sanguinem Chriſti, ergo debet in hoc Sacramento dari aliquid tanquam in genito, quod priùs fuerat in corrupto. Probatur 3. *ex cap. cum Marthæ de Celebrat. Miſſarum*, ubi Innocentius III. Sicut etiam in aliis Sacramentis fieri ſolet, tria diſtinguit: unum vocatur *Sacramentum tantùm*, alterum *Res tantum*, tertium *Res, & Sacramentum*. *Sacramentum tantùm* dicitur id (ſumitur hìc Sacramentum latè pro Signo rei Sacræ, ſive cauſet aliquam Sanctitatem ſive non) quod, ut diximus, ſignificat, & non ſignificatur, ſic ſpecies panis, & vini, prout ſubſtant verbis conſecrationis, ſignificant corpus, & Sanguinem Chriſti, ipſæ tamen non ſignificantur, neque à corpore Chriſti, neque ab alio ſigno: Sic confeſſio in Sacramento pœnitentiæ, & ablutio in Sacramento Baptiſmi, & Unctio in Confirmatione, vel extrema Unctione ſignificant quidem, ſed non ſignificantur (ſaltem ſeorſim, & ſecundùm ſe, licèt ablutio, & Unctio Chriſmatis prout incluſa in Sacramento, ſignificentur à charactere totum Sacramentum ſignificante) E contra *Res tantùm* eſt id quod ſignificatur, ſed non ſignificat, uti eſt gratia, & hæc nunquam eſt pars Sacramenti: denique *Res & Sacramentum* eſt id, quod ſignificat, & ſignificatur, illudque ſubinde eſt pars Sacramenti, ſubinde non; nam character ſignificat, & ſignificatur, nec tamen eſt pars Sacramenti: Corpus Chriſti verò, dolor de peccatis &c. ſignificant, & ſignificantur, & etiam ſunt pars Sacramenti Euchariſtiæ, vel Pœnitentiæ, ut oſtendimus. Jam ſic. Inductione conſtat, id, quod eſt Sacramentum tantùm, nimirum, quod ſolùm ſignificat, nec ſignificatur in omnibus aliis Sacramentis ſemper eſſe partem conſtitutivam: atqui etiam Species teſte Innocentio, ſunt Sacramentum tantùm, ergo ſunt pars conſtitutiva Sacramenti propriè dicti, id eſt ipſius Euchariſtiæ.

Probatur 4. In hymno Euchariſtiæ S. Thomæ Sacramentum hoc dicitur *frangi*, ut autem iſtud verificetur, debet aliquid frangi, quod eſt de ratione hujus Sacramenti, atqui nihil frangitur, niſi ſpecies ergo &c. Ex his itaque patet, particulas *ſub ſpeciebus panis, & vini*, ideò in definitione Sacramenti Euchariſtiæ poſitas eſſe, quia eſſentialem, & objectivum ejus conceptum verè conſtituunt. Neque tamen hinc ſequitur, falſam eſſe hanc propoſitionem: Sacramentum Euchariſtiæ eſt Corpus, & Sanguis Chriſti: ſicut falſa eſt iſta: homo eſt materia prima, vel homo eſt anima rationalis. Reſp. enim negando ſequelam, quia ſi Euchariſtia cum aliis multis ita concipiatur, ut etiam ſpecies, & forma verborum in recto importentur, tunc niſi ſub dicta propoſitione ſubintelligatur particula *tantùm*, non eſt falſa, ſed ſolummodo non accommodata rigori logico, quem Scriptura, & SS. Patres, atque ipſi fideles hìc non attendunt, intendentes ſolùm exprimere veritatem fidei, quòd Sacramentum Euchariſtiæ ſaltem inadæquatè acceptum, ſit corpus, & Sanguis Chriſti, vel quòd contineat corpus, & ſanguinem Chriſti: ſi autem ſpecies, & forma verborum concipiantur in obliquo cum Card. de Lugo, eò quòd Euchariſtia, ut Sacramentum permanens, videatur ita poſſe importare ſpecies accidentales, & formam tranſeuntem, ut loco ſubſtantiæ panis, & Vini, in recto importatæ, ſolum corpus, & Sanguis Chriſti in recto importetur; tunc adductæ propoſitionis ſenſus eſt iſte: hoc quod ſubſtat ſpeciebus panis, & vini, eſt corpus Chriſti, quæ propoſitio, ſicut eſt expoſitio ipſius formæ à Chriſto prolatæ, tam vera eſt, quàm ſi de muro albo dicerem, hoc album eſt murus: licèt enim albedo etiam ſit pars albi, quia tamen ſolùm in obliquo importatur ex parte ſubjecti, ideò neceſſe non eſt, eam etiam ex parte prædicati poni; & ex hoc patet diſparitas cum propoſitione in objectione allata.

Dicitur 4. *Ad ſpiritualem animarum refectionem divi-* 52

nitus inſtitutum, quæ particulæ claritatis gratia ſunt additæ, quia natura cujuſque Sacramenti maximè innoteſcit ex declaratione ſigni, prioribus verbis exhibita, & ex fine, ad quem cauſandum eſt inſtitutum Sacramentum, qui proindè poſtremis his verbis exprimitur.

Ubi notandum tamen eſt, ad eſſentiam Euchariſtiæ non requiri, ut ſit actualis refectio animæ; cùm, antequam ſumatur, jam ſit integrum, & perfectum Sacramentum: ſumptio enim non tantùm non eſt Sacramentum ab Euchariſtia diverſum, & ad illam ſolummodo reducibile, ut quidem Gabriel immeritò putabat, quia hæc nec continet propriam formam verborum, nec confert gratiam diverſam ab effectu Euchariſtiæ, nec ſumens habet rationem Miniſtri, ſed neque eſt pars eſſentialis, neque integralis, ſed pura conditio applicans Sacramentum de ſe cauſativum, refectionis ſpiritualis per modum nutrimenti, quæ tamen ab applicatione cauſæ phyſicæ etiam in hoc differt, quod hæc debeat pro priori naturæ complere virtutem activam cauſæ, ut ab illius naturali conducentia Deus moveatur ad concurrendum cum cauſa: ſumptio autem Euchariſtiæ non habeat aliquam naturalem conducentiam ad complendam virtutem cauſativam gratiæ, neque moveat Deum, ſed tantùm Deus non velit propter Euchariſtiam ponere gratiam, quin concomitanter velit poni ſumptionem.

Quòd igitur ſumptio non ſit pars eſſentialis, conſtat partim ex Tridentino *ſeſſ. 13. can. 4. & 6.* Euchariſtiam extra uſum jam vocante Sacramentum, & hoſtiam conſecratam ante ejus ſumptionem vocante Euchariſtiam, partim ex conſenſu Patrum, & Doctorum, aſſerentium, Euchariſtiam eſſe Sacramentum permanens, adeòque pro materia proxima non requirens actionem tranſeuntem, ſicut alia Sacramenta: partim ex ratione, quia ſumptio non eſt ſimiliter actio nomine Chriſti per miniſtrum ab eo deputatum facta, ſicut eſt conſecratio, vel applicatio materiæ, & formæ in aliis Sacramentis, cum qua tamen applicatione Adverſarii potiſſimùm inſtituunt paritatem, nec includitur in conceptu eſſentiali convivii ſpiritualis, (ſicut comeſtio non includitur in conceptu convivii materialis) cujus tamen & non communicationis nomine, ac ratione Sacramentum Euchariſtiæ comprehenditur; quòd autem ſumptio non ſit pars integralis, ſicut ſatisfactio eſt pars integralis pœnitentiæ, inde conſtat, quia neque eſt partialis materia, neque partialis forma, neque ſpectat ad integritatem convivii ſpiritualis, ſicut tamen ſatisfactio ſpectat ad integritatem materiæ, quia eſt actus pœnitentis, pertinens ad perfectionem judicii, exigentis reum ſe ſubiicientem judici, quoad ſententiam non tantùm abſolutionis, ſed etiam condemnationis.

53 Cæterùm etiamſi in definitione nulla fiat explicita mentio verborum, quibus conficitur Sacramentum Euchariſtiæ, hinc contra S. Thom. 3. *part. quæſt. 60. art. 6. ad 2. & 4. diſt. 1. q. 1. ar. 3. in c. & ad 2. & q. 27. de Veritate ar. 4. ad 10.* Suarez, Valent. Tann. Lugo. Arriagam, Eſparzam P. Haunoldum, & contra communem ſententiam tamen non rectè infertur, quòd verba conſecrationis (ut apud cit. P. Haunoldum *num.* 763. Vaſquez, Bellar. Coninck, Compt. & alii quidam docuerunt, docentque recentiores Thomiſtæ cum Jo: Bapt. Gonet *diſp. 2. de Sacram. Euch. ar. 1. num. 11.*) ſint forma tantùm extrinſeca, & efficiens, non autem conſtituens Sacramentum Euchariſtiæ, & quòd hæc, utpote Sacramentum permanens nequeat verba tranſeuntia includere tanquam partem, & formam intrinſecam, quia Concil. Florentinum expreſsè teſtatur, quod vis Sacramentum tribus perfici rebus, tanquam materia, & verbis tanquam forma &c. per formam autem non intelligit virtutem effectivam Sacramenti, ut inductione omnium aliorum Sacramentorum conſtat, & ex ipſa intentione Concilii manifeſtum eſt, quia in prædictis verbis intendit Sacramentum explicare ad modum compoſiti Phyſici, conſtantis materia, & forma, hinc uſum etiam eſt verbo *perfici* non *effici*. Neque obſtat, quod Euchariſtia ſit Sacramentum permanens, quia ad hoc non requiritur, ut omnes ejus partes ſint permanentes, cùm intentio Miniſtri, & inſtitutio Chriſti ſint partes Euchariſtiæ, ſicut etiam aliorum Sacramentorum, & tamen non permaneant. Nam etiam circulus ſtramineus eſt ſignum permanens, etiamſi ejus inſtitutio ſit pars tranſiens, ad hanc enim denominationem ſufficit, ut ſubjectum denominationis ſeu materia proxima ſit aliquid permanens, uti in Euchariſtia ſunt ſpecies panis, & vini, & ipſum corpus, ac Sanguis Chriſti. Denique niſi verba conſecrationis eſſent pars Euchariſtiæ, corpus, & Sanguis Chriſti non redderentur ſufficienter ſenſibilia per ſuas comparteſ. Species panis, & vini enim non ducunt in cognitionem præſentiæ corporis, & ſanguinis, ergo ſicut ſpecies ſunt pars Sacramenti, quia per illas corpus, & ſanguis redduntur ſenſibilia in ratione cibi, & potus, ſic verba ſunt pars, quia per illa redduntur ſenſibilia quoad præſentiam, & rationem vicariam, loco panis, & vini ſubſtandi eorum accidentibus.

Undè patet etiam, quòd conſecratio Sacerdotalis, ſive activa prolatio verborum non ſe habeat reſpectu Euchariſtiæ, ſeu convivii ſpiritualis, ſicut ſe habet coctio reſpectu ciborum, & convivii materialis: quia convivium ſpirituale per hoc habet rationem convivii, quòd ad modum compoſiti ex rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma intrinſeca, habeat rationem ſigni ſenſibilis, ac Symbolici gratiæ nutrimentalis: & ideò etiamſi productio ſoni verbalis ſit realiter diſtincta à ſono, ſicut coctio eſt diſtincta à cibis, ipſa tamen ſimul cum ſono conſtituit ſermonem, ſeu locutionem vitalem Sacerdotis, quæ tanquam forma ſimul cum rebus perficit totum Sacramentum Euchariſtiæ in ratione Signi compoſiti ex materia, & forma: cujuſmodi tamen compoſitum non debet fieri ex cibis, & coctione illorum.

§. II.

De Conceptu integrali Euchariſtiæ, & virtutis illius ad cauſandam gratiam nutrimentalem animæ.

SUMMARIUM.

54 *Sacramentum Euchariſtiæ eſt unum ſpecie morali, etiamſi partes differant ſpecie phyſica.*
55 *Tota tamen eſſentia Sacramenti continetur tam ſub ſpeciebus panis, quàm ſub ſpeciebus vini, cum corpore, & Sanguine Chriſti.*
56 *Ideo Laici accipiunt eſſentialiter totum Sacramentum, & adæquatam virtutem cauſandi gratiam.*
57 *Et probabilius non cauſatur plus gratiæ, etiamſi Euchariſtia ſub duplici ſpecie accidentium ſumatur.*
58 *Probatur aſſertio.*
59 *Solvuntur objectiones.*
60 *Arguitur Lutherus de inconſequentia ſuorum verborum.*

Ex dictis præcedenti §. videtur inferri poſſe, quòd ſi 54
ſpecies panis, & vini conſtituant Sacramentum Euchariſtiæ, hoc ipſo ſicut panis, & vini ſunt diverſæ ſpecies, ſic diverſa ſint Sacramenta Euchariſtiæ, vel ſi unum totale, ac integrum Sacramentum conſtituunt, Laici non accipiunt totum, ac integrum Sacramentum, primum eſt contra numerum ſeptenarium Sacramentorum; ſecundum videtur eſſe contra præceptum Chriſti: qui utique totum Sacramentum voluit ſumi à fidelibus, & Laici meritò conquererentur contra diſpenſatores Myſteriorum Dei, quòd unam partem, nempè ſpecies vini ſibi denegarent.

Verùm Reſp. negando primam partem ſequelæ cum S. Thom. 4. *diſt. 8. q. 1. ar. 1. q. 2. & 3. p. quæſt. 73. art. 2.* quem cæteri Theologi ſequuntur, & Pius V. in Catechiſmo Rom. expreſsè dixit, *Euchariſtiam non plura, ſed unum tantùm Sacramentum Eccleſia auctoritate docti, confitemur*. Et licèt hæc in quadam collecta pluraliter dicat: *purificent nos Domine Sacramenta, quæ ſumpſimus*, id ſit, teſte S. Tho. propter pluralitatem ſignorum, parientium quamdam materialem, non formalem diverſitatem in hoc Sacramento. Undè poſtea ſingulariter ſubditur. *Hoc tuum Sacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam*. Ratio autem eſt, quia in totis moralibus, ſeu artificialibus, quale etiam eſt hoc Sacramentum, unitas deſumitur à fine, propter cujus unitatem plures homines conſtituunt unam rempubl. plures milites unum exercitum, plures parietes unam domum pro commoda habitatione, plura fercula unum convivium; atqui ſpecierum panis, & vini unus eſt finis, nempè ſignificare

gratiam

gratiam ad modum perfecti convivii, media connexione cùm diverſis auxiliis ſupernaturalibus nutrientem animam: ergo conſtituunt unum Sacramentum.

55 Ad alterum itaque membrum. Reſp. diſtinguendo ſequelam. Laici non ſumerent totum ac integrum Sacramentum, ita ut deeſſet aliqua pars eſſentialis, nego ſequelam: ut deeſſet aliqua pars integralis, ſubdiſtinguo, ſcilicet talis, quæ tantùm integret rationem ſigni extrinſeci, quoad modum ſymbolicum, quo ſignificatur idem effectus habens ſimul rationem cibi & potus, concedo ſequelam, quæ integret rationem ſigni extrinſeci, quoad ſubſtantiam ſigni, vel quoad ejus efficaciam in ordine ad ſimpliciter cauſandam gratiam (abſtraho enim hic ab intenſione) reficientem per modum cibi & potus, nego ſequelam. Et juxta hanc reſponſionem patet, ſicut plures partes aquæ conſtituunt unam aquam, & nihilominus ſingulæ partes ſeorſim ſumptæ ſunt una eſſentialis & integralis aqua, ita ſpecies panis & vini conſtituere unum Sacramentum, & nihilominus ſimul cum toto Chriſto, qui ſub qualibet ſpecie integer continetur, quamvis ſeorſim acceptam eſſe unum eſſentiale, & integrale Sacramentum, nequaquam mutilum, ſeu truncatum, ut definivit Trident. *ſeſſ.21. c.3.* quia autem ſub utralibet ſpecie confertur integrum Sacramentum, & gratia ſacramentalis, quæ ſimul reficit per modum cibi & potus, ſicut Matth. 5. eadem juſtitia dicitur eſuriri & ſitiri, & eadem Sapientia *Eccleſ.24. verſ.29.* de ſe ipſa dicit, *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient*; hinc ſub una ſpecie jam impletur illud comminatorium præceptum. Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, quòd autem per actionem externam, & per phyſicam bibitionem ſpecierum vini, debeat ſuſcipi ſanguis Chriſti, & quòd non ſufficiat ſpiritualis (conſiſtens tamen in reali perceptione ſanguinis Chriſti) ſine ſpeciebus vini, quæ ſolæ & non ſanguis ſub illis contentus propriè & phyſicè bibuntur, ſicut non bibitur corpus, quamvis & ipſum cum ſpeciebus potatis ſumatur, de hoc planè nullum extat præceptum Chriſti. Quando enim Chriſtus apud Matth. *cap.26. v.27.* dixit, *bibite ex hoc omnes*, tam parùm hoc dixit de Laicis, non creatis Sacerdotibus, quàm parùm hæc verba, *hoc facite in meam commemorationem*, etiam ad Laicos direxit; quippè ad Apoſtolos præſentes immediatè fuerunt prolata, mediatè verò ad eos, in quos per legitimam ſucceſſionem & propagationem poteſtas conſecrandi fuerit derivata.

56 Denique quòd Laici neque conqueri poſſint contra diſpenſatores Myſteriorum Dei, ex data reſponſione colligitur, etiamſi enim ad effectum formalem potus ſymbolicè ſignificandum, neceſſariæ ſint ſpecies vini, quia tamen Laici eum verè conſequuntur ſub ſpeciebus panis, ſicut ſub iiſdem confertur illis non tantùm corpus, ſed etiam ſanguis Chriſti, & ſic totum Sacramentum percipitur, ideò tam parùm poſſunt conqueri, ob unam partem integralem, nempè ſpecies vini ſibi denegatam, quàm ſi aliquis eodem convivio, & iiſdem ferculis, & eodem potu ab aliquo Domino fuiſſet refectus, & Dominus eum invitans rogaſſet ipſum, ut ſecum comederet panem, alterum verò ſimul invitans etiam addidiſſet hæc verba, ut ſecum biberet vinum: ipſæ enim ſpecies panis & vini, quatenus præciſè ſunt ſigna gratiæ, & quatenus eam ſeorſim tam benè cauſant, quàm ſimul acceptæ, non reddunt ſpirituale convivium æſtimabilius (ſaltem quoad ſubſtantiam, & qualitatem cibi cum potu, ſi non etiam quoad quantitatem) ſi ſub una ſpecie aliquis eodem modo totum convivium percipit, ſicut ſub duplici, quemadmodum non eſt æſtimabilius invitari verbis ſignificantibus non ſolùm cibum, quàm eundem ſolum ſignificantibus, ſi invitatio explicitè faciens mentionem ſolius comeſtionis tam benè eſt cauſa etiam compotationis, quàm invitatio utriuſque mentionem faciens.

57 Dixi tamen in reſponſione, me abſtrahere de intenſione, an ſcilicet Euchariſtia ſub utraque ſpecie cauſet intenſiorem gratiam, ita ut ſub utraque communicans ſimilis ſit homini fruenti quidem non alio convivio, quoad ſubſtantiam & qualitatem cibi ac potus, attamen quoad quantitatem ſumenti plus; quia volui reſponſionem accommodare utrique ſententiæ inter Catholicos DD. controverſæ affirmanti ſcilicet & neganti. Cæterùm ſentio contra Alex. Alenſem, Vaſquez, Lugo, Dicaſt. Præpoſ. Hurt. Palao, & alios nonnullos, probabilius eſſe non plus gratiæ cauſari ab utraque ſpecie, quàm ab una tantùm, ſicut non cauſatur plus à majori, quàm minori hoſtia, & ſicut in Sacramento ejuſdem ſpecie ordinis ac poteſtatis collatæ (nam hoc Sacramentum ſub unitate ſua generica, quæ in diviſione Sacramentorum attendebatur, plures ſpecies ad diverſos fines partiales ordinatas continet, ſecus, quàm Sacramentum Euchariſtiæ) non cauſat plus gratiæ, quando per diverſas materias v. g. in Subdiaconatu per traditionem calicis & libri epiſtolarum effectus Sacramenti ſignificatur, quam ſi ex Eccleſiæ uſu ſignificaretur per traditionem ſolius calicis, eſtque hæc ſententia longè communior tam apud veteres, quàm RR. Theologos, nam ita docet S. Thomas *Opuſculo 58. cap 29. in fine*, & *3. par. quæſt.80. art.12. ad 3.* S. Bonavent. Richard. Gabriel. Cajetan. uterque Sotus & reliqui Thomiſtæ communiter, quos ſequitur Suarez, Bellarm. Coninck, Henriq. Bonac. Valent. Salmeron, Arriaga, Compt. Eſparza, & hoc teſte ferè omnes, qui hoc tempore ſcripſerunt contra Hæreticos de communione ſub utraque ſpecie, teſte Tannero autem propè omnes alii Theologi, imò in Concilio Baſileenſi ea conditione olim conceſſus fuit calix Bohemis teſte Ruardo apud Bellarminum, ut crederent, non plus fructus ſumi ex duabus ſpeciebus, quàm ex una, cujus ſententiæ etiam fuit Concilium Moguntin. aſſerens, morem ſub una ſpecie communicandi æquè utilem, ac efficacem eſſe ſumenti ad ſalutem, quàm alterum de utraque, quæ duo Concilia, etſi non poteſtatem definitivam, magnam tamen habent authoritatem.

Unde quando Clemens VI. in Bulla ad Regem Galliæ dixit, ſe illi ſub utraque ſpecie communionem concedere, ut gratiæ augmentum percipiat, vel pro beneficii æſtimatione, contrariam ſententiam tantùm ſuppoſuit, ut probabilem, non autem ut probabiliorem, vel credidit, hoc privilegio majorem devotionem, & ſic meliorem diſpoſitionem ad copioſiorem gratiam recipiendam in animo Regis ſe excitaturum: quandoquidem Rex utriuſque ſpeciei ſingulare deſiderium, & cum adverſariis majoris etiam fructus opinionem habuit.

Ratio autem noſtræ ſententiæ eſt primò. Quia licèt 58
Laici defectum intenſioris gratiæ ob ſubtractam alteram ſpeciem partim compenſare poſſint frequentiori communione, partim ob vitandam irreverentiam ex frequenti & incautæ calicis effuſione orituram patienter tolerare debeant, & Sacerdotibus ob ſtatus eorum maximam dignitatem non invidere, ſicut non invident quotidianam communionem, in noſtra tamen ſententia longè meliùs omnis conquerendi ratio tollitur, & integritas Sacramenti ſub una ſpecie quoad vim cauſativam gratiæ perfectiùs ſalvatur, quod proinde Chriſtum in inſtitutione ſui Sacramenti obſervaſſe credibile eſt, eò quòd Eccleſiæ conſtitutionem de communione Laicorum ſub una ſpecie præviderit, & eidem ſuggerit.

Secundò. Concil. Trident. *ſeſſ.21. Can.3.* decernens totum Chriſtum ſub una ſpecie ſumi, ut incidenter eximeret utriuſque deſiderium, addidit has particulas, *omnium gratiarum fontem, & authorem*, atqui niſi ſub una ſpecie Chriſtus eſſet omnium illarum gratiarum fons, & author, quarum eſt ſub utraque, ad prædictum finem hæ particulæ inutiliter eſſent additæ, ergo &c. Idem Tridentinum *cap.3.* præter hoc, quòd ſub una ſpecie dicat ſumi verum Sacramentum, fruſtra etiam aſſumpſiſſet in antecedenti, quòd ſub ea ſumatur integer Chriſtus, ut ex hoc probaret, Laicos nulla gratia neceſſaria ad ſalutem defraudari, niſi ſupponeret in aſſumptione illius antecedentis, quia ſub ſpeciebus panis ſumitur etiam id, quod continetur ſub ſpeciebus vini, ideò Laicos non defraudari ſpeciali virtute cauſativa diverſæ gratiæ.

Tertiò. Illa gratia, quæ ſub ſpeciebus panis confertur, vel eſt tantùm ſpiritualis comeſtio, vel eſt etiam ſpiritualis potatio animæ, ſi primum, Laici non perciperent effectum convivii ſpiritualis, & daretur Hæreticis occaſio impudentis illius joci, quòd ſcilicet cœnarent, ſicut mures, qui comedunt, & ordinariè non bibunt, ſi ſecundum, ergo ſub ſpeciebus panis jam continetur

virtus cauſativa illius effectus, qui ſymbolicè ſignificatur per ſpecies vini, ergo ſi eadem virtus ſub ſpeciebus vini denuo ſumatur, perinde eſt, ſicut ſi continua comeſtione aliquis multas hoſtias per modum unius convivii ſpiritualis abſumeret, quo in caſu ſuper effectum ſacramentalem ſtatim in primæ hoſtiæ ſumptione collatum, ſecundùm communem etiam adverſariorum aſſenſum ex reliquarum ſumptione nullum conſequeretur gratiæ augmentum; ſi enim aliqua eſſet diſparitas, eſſet hæc, quòd ſpecies vini, & forma conſecrationis ſint quoad ſpeciem phyſicam, & vim ſignificandi ſymbolicam diverſæ rationis, quàm ſpecies panis, & conſecratio illarum, ſed non obſtante hac diverſitate ſpecies panis adhuc ſignificant, & cauſant effectum potus ſpiritualis quoad ſubſtantiam, & continent ſanguinem Chriſti, cui tribuitur adæquata ratio potus ſpiritualis, ergo ſpecies panis poſſunt eundem effectum etiam cauſare quoad intenſionem, undè aliud eſt ſignificare, & cauſare, tantundem, & aliud, ſignificare eodem modo, & æquè clarè, ac explicitè, quod non requiritur ad efficaciam Sacramenti.

59 Obiic. 1. Auctoritas Patrum Concil. Trident. de quibus Franciſcus Blancus Archiepiſcopus Compoſtellanus, qui Concilio interfuit apud Lug. *diſp.* 12. *num.* 68. teſtatur, unanimem illorum ſententiam fuiſſe noſtræ contrariam, ſed noluiſſe eam extra tempus definire, ne daretur Hæreticis occaſio vociferandi, eandem tamen ſatis inſinuarunt *ſeſſ.* 2. *cap.* 3. ubi dum dicunt, nulla gratia neceſſaria ad ſalutem eos defraudari, qui unam ſpeciem ſolam accipiunt, particula illa limitante tacitè innuunt, & ſupponunt, aliqua gratia ex præcepto Chriſti tamen non neceſſaria illos deſtitui. Certè ſicut nos ſupra ex verbis Trident. *ſeſſ.* 13. *Can.* 5. damnantis eum, qui dixerit, præcipuum fructum Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, intulimus à Concilio valdè probabile judicari remiſſionem peccatorum, de quibus Hæretici loquebantur, eſſe quidem fructum, ſed non præcipuum, aliàs hæreticis totaliter negandam fuiſſe ſuam propoſitionem, ita hìc inferri poteſt, ſub una ſpecie communicantes defraudari quidem aliqua gratia, ſed non neceſſaria, aliàs particula limitans omnino omittenda fuiſſet.

Reſp. Cùm veroſimile non ſit, quòd in contrariam ſententiam ante & poſt Tridentinum longè minùs communem tam unanimi conſenſu Patres conſpiraverint, eamque alii nec retulerint, nec ſecuti ſint, hinc meritò colligi, vel Patrum ſententiam à Franc. Blanco, vel Blanci atteſtationem privatæ ſuæ opinioni primùm accommodatam eſſe ab Adverſariis, eò quòd probabiliter Patres ſolummodo dixerint: præter gratiam, per modum cibi ſpiritualis confortativam animæ, ſymbolicè ſignificatam à ſpeciebus panis, dari aliam per modum potus ſpiritualis lætificantem animam, expreſſam ſymbolo ſpecierum vini; ut non tantùm fortiter, ſed etiam hilariter virtutum actiones peragantur, quem duplicem fructum Euchariſtiæ videtur indicare Eccleſia in hoc verſiculo, *dedit fragilibus corporis ferculum, dedit & triſtibus ſanguinis poculum*, & David *Pſal.* 103. *ut educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis, ut exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet*. Imò utrumque ex Chriſti præcepto neceſſarium eſſe, ipſe apud Joan. *cap.* 6. *verſ.* 54. his verbis teſtatus eſt. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Nego tamen Patres dixiſſe ſingulos fructus tantùm à ſingulis ſpeciebus, & non utrumque ab iiſdem ſpeciebus panis cauſari. Etiamſi enim forſan ſecluſo ſpeciali privilegio in triduo mortis ſuſceptione corporis ſine ſanguine non percepta fuiſſet gratia, habens ſe ad modum potus, vel ſaltem denegatus fuiſſet alter gradus intenſionis, ſi quævis gratia utrumque præſtet, ſimulque confirmet, ac lætificet, quia verò poſt reſurrectionem, quando Euchariſtia cœpit eſſe neceſſaria ex præcepto, etiam ſanguis ſub ſpeciebus panis concomitanter ponitur, & implicitè ſignificatur, ideò eædem ſpecies panis cum ſanguine concomitanter poſito cauſant etiam gratiam ſymbolicè ſignificatam à ſpeciebus vini, ut proindè particula *neceſſaria* non ad excipiendam gratiam non neceſſariam, ſed ad affirmandam duplicem gratiam neceſſariam à Tridentino appoſita ſit. Ex quo patet etiam reſponſio ad Confirmationem.

Obiic. 2. Sacramentum ſub ſpeciebus panis nullum effectum cauſat, quem non ſymbolicè ſignificat, & ad eum cauſandum non completur, nec adjuvatur ab illo, quod non eſt pars ipſius, ſed ſolùm per accidens, & concomitanter ponitur, atqui Sacramentum ſub ſpeciebus panis non ſignificat ſymbolicè potum animæ, & ſanguis Chriſti non eſt pars, ſed ſolùm per accidens ponitur, ergo &c. Reſp. diſtinguo maj. quoad utrumque membrum, quoad primum ſic: Sacramentum ſub ſpeciebus panis nullum effectum cauſat, quem non ſymbolicè ſignificat, vel explicitè, vel implicitè, & nec in his, nec in aliis circumſtantiis concedo maj. quem tantùm non ſignificat explicitè, ſignificat tamen implicitè, ſicut ſupra de invitante ad convivium per verbum comedendi ſine verbo bibendi dictum eſt, ob quem ſaltem in illis circumſtantiis ſignificat, in quibus concomitanter ponitur Sanguis Chriſti nego maj. cùm etiam alia Sacramenta multos effectus tantùm implicitè, & tantùm in certis circumſtantiis abſolutè ſignificent.

Quoad ſecundum membrum, ſic diſtinguo majorem, Sacramentum ſub ſpeciebus panis non completur, nec adjuvatur ab illo, quod non eſt pars neque eſſentialis, neque integralis, & ſolùm per accidens, & concomitanter ponitur, tanquam aliquid adæquatè diſtinctum, concedo maj. quod quidem non eſt pars eſſentialis, eſt tamen pars integralis reſpectu Sacramenti ſub ſolis ſpeciebus panis poſiti nego maj. etiamſi enim Sanguis ſub ſpeciebus panis non ponatur, formaliter & immediatè vi verborum, ita ut requiratur ad illorum verificationem, ponitur tamen ratione connexionis cum corpore vivo concomitanter, ita ut requiratur ad illius integritatem, & conſequenter etiam ad integritatem Sacramenti, non quidem quaſi eſſentia Sacramenti non eſſet integra ſine ſanguine, ſed quia Chriſtus voluit, ut ratione connexionis naturalis, quam partes inter ſe habent ad conſtituendum ipſum Chriſtum, vis ſignificandi, & moraliter cauſandi gratiam extenderetur etiam ad omnes ſuas partes, cum ea, quæ formaliter, & vi verborum ponitur, annexas, non verò ad ea, quæ Chriſti eſſentialiter, & integraliter ſumpti partes non ſunt. Undè etiamſi forma cadaverica, ſi qua dabatur, in triduo mortis, non cauſaſſet gratiam, quando per conſecrationem fuiſſet concomitanter poſita ſub ſpeciebus panis, eam tamen de facto cauſant ſanguis, & anima rationalis, & ipſa etiam ſubſiſtentia divina, quatenus ratione unionis hypoſtaticæ cum corpore eſt connexa, & conſtituens Chriſtum: præterquam quòd ratione ſuæ Omnipotentiæ etiam phyſicè producat gratiam in ſuſcipiente, & hæc eſt mens Concilii Trident. *loc. cit.* ac omnium fidelium, quando dicunt in Sacramento Euchariſtiæ ſub quavis ſpecie contineri totum Chriſtum, & ipſum Auctorem gratiæ, ſcilicet non tantùm, ut intimè præſentem, ſed in ipſo Sacramento intrinſecè incluſum. Undè Concilio, & communi fidelium ſenſui conformiter plerique Auctores noſtræ ſententiæ ex concomitanti poſitione omnium reliquarum partium, conſtituentium Chriſtum, probant ſub qualibet ſpecie ſeorſim cauſari eundem effectum, qui cauſatur ſub utraque ſimul, quam proindè probationem Amicus *diſp.* 25. *nu.* 60. & 64. aliàs noſtram ſententiam tenens immeritò reiicit.

Obiic. 3. Si ſanguis ſub ſpeciebus panis concomitanter ſumptus jam cauſat totum effectum potationis ſpiritualis, ſequitur, quòd Sacramentum Euchariſtiæ ſub ſpeciebus vini de facto nunquam cauſet ullum effectum, ſed quòd tota ejus utilitas unicè ſerviat ad effectum Sacramenti magis clarè, & explicitè ſignificandum, atque ad ſacrificium integrandum: conſequens videtur eſſe contra promiſſionem Chriſti Joan. 6. *verſ.* 55. ubi vitam æternam pollicetur, non tantùm ei, qui manducat, ſed etiam ei, qui bibit ſanguinem. Reſp. 1. Negando maj. ſi enim id, quod eſt tempore poſterius, poteſt altero eſſe prius natura, tunc ſpecies vini prout adhuc exiſtent pro tempore illo, quo ſumentur, poſſunt partialiter cauſare gratiam in ſumptione ſpecierum panis antecedenter collatam, quamvis, ut verum fateor, in ordine ad æſtimationem fructus perinde ſit, ſive à ſolo Sacramento ſub ſpeciebus panis, ſive etiam à ſpeciebus vini idem, & non major fructus proferatur. Si autem

tem nihil tempore poſteriùs poteſt eſſe priùs natura, tunc fortè cauſabunt aliquem exceſſum gratiæ, qui ratione novæ diſpoſitionis melioris, & de votionis actualis inter ſumptionem ſpecierum panis, & vini interpoſitæ ex opere operato conſeratur. Adde quòd etiam de facto contingere poſſit, ut poſt ſpecies panis cum obice ſumptas idem per prævìam contritionem primùm removeatur, ut inde ſpecies vini cum effectu Sacramenti ſumantur.

Reſp. 2. Tranſeat maj. nego min. quia ut ſuprà dixi, ſanguis Chriſti etiam bibitur, & cauſat gratiam in ſumptione ſpecierum panis, nec Chriſtus apud Joan. loc. cit. facit mentionem calicis, ſic ſi in eodem convivio ſpirituali plures hoſtiæ ſucceſſivè ſumantur, non propterea ſalſificantur verba, qui manducat meam carnem, habet vitam æternam, etiamſi poſteriores hoſtiæ non ampliùs cauſent vitam æternam, accedit quod ſicut poſteriores hoſtiæ, & ſpecies vini ſunt moraliter unum convivium cum hoſtia prius ſumpta, ſic etiam ipſæ in toto convivio integraliter accepto per ſuam compartem dicantur cauſare gratiam, quemadmodum totus homo dicitur videre, etiamſi ſeorſim ſolus oculus eliciat viſionem.

Obiic. 4. Gelaſius in *cap. Comperimus de Conſecr. diſt.* 2. quoſdam ſumpta tantummodo corporis ſacri portione à calice ſacrati cruoris abſtinentes juſſit, vel utrumque ſumere, vel ab utroque abſtinere, quia ut ibidem inquit, diviſio unius ejuſdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio provenire non poteſt. Atqui Pontifex hoc immeritò juſſiſſet, & dixiſſet, ſi diviſum myſterium eſſet ejuſdem efficaciæ, ergo &c. Reſp. cum S. Thom. 3. *p. quæſt.* 80. *art.* 12. *ad* 1. *&* 2. & cum Gloſſa citati cap. Gelaſium tantùm loqui de Sacerdotibus inter ſacrificium conſecrantibus utramque ſpeciem, & tamen ab altera abſtinentibus contra naturam ſacrificii, prout à Chriſto eſt inſtitutum, ad ſymbolicè ſignificandam ſeparationem corporis, & ſanguinis ſui in cruento ſacrificio pro toto humano genere peractam. Unde ſicut ſolus Sacerdos ſuo, & fidelis populi nomine ſacrificium offert, & conficit, conſiſtens quoad integritatem ſymbolicam in utriuſque ſpeciei conſecratione, ſic neceſsè quidem eſt, ut ipſe utramque ſuo, & fidelis populi nomine ſumat (quale enim inquit Concilium Tolet. *in cap. Relatum de Conſecr. diſt.* 2. erit ſacrificium, cujus nec ipſe ſacrificans particeps eſſe cognoſcitur) hoc tamen ſi fiat, obtinetur totus finis intentus à Chriſto, quatenus & ſymbolicè ſignificatur Paſſio Chriſti, & pro fideli populo ſacrificium incruentum ritè peragitur, & in ejus utilitatem offertur, ac ſumitur.

Obiic. 5. Major quantitas ſpecierum ratione diuturnioris præſentiæ Chriſti in ſtomacho tardiùs illas concoquente minimè otioſi, & ad modum cibi corporalis ſucceſſiva augmenta nutritionis ſpiritualis producentis in anima, ſecundùm menſuram actualis diſpoſitionis per frequentatos actus interea continuatæ cauſat intenſiorem gratiam, ergo etiam qualitas ſpecierum diverſarum cauſabit intenſiorem gratiam. Reſp. contra Cajetanum, Gabrielem, & alios, negando antec. & paritatem cum cibo corporali, quia Euchariſtia nòn ſimiliter indiget digeſtione ſpirituali, ſed poſita ſumptione in eodem inſtanti ſtatim cauſat totum effectum gratiæ ex virtute Sacramenti ad illum cauſandum ex opere operato jam completa, & nullum ampliùs inveniente obicem: diſpoſitio autem perfectior tantùm attenditur illa, quæ præcedit, aut comitatur Sacramenti ſumptionem, ſaltem adæquatam, neque ſuſpenditur Sacramenti virtus ad diſpoſitionem futuram, ſi ea non ſit ampliùs neceſſaria conditio ad ſubſtantiam gratiæ ponendam, & actualem perceptionem Sacramenti, cujus diſpoſitionem perfectiorem unicè voluit Chriſtus procurare, primùm ſubſequatur. Reſp. 2. diſtinguo conſequens, ergo etiam qualitas ſpecierum cauſat intenſiorem gratiam, eo modo, quo quantitas cauſat, ſcilicet non immediatè ratione ſui, ſed ratione longioris præſentiæ Chriſti, & actualis diſpoſitionis diutiùs continuatæ, tranſeat conſequentia, ratione ſui, quatenus diverſa eſt à ſpeciebus panis, nego conſequentiam.

60 Pro coronide totius doctrinæ in hoc ſecundo §. propoſitæ addo nunc contra Lutheranos, qui cùm Euchariſtiam ſub neutra ſpecie verè percipiant, utpotè deſtituti aptis Miniſtris ad eam conficiendam, Catholicis tamen exprobrare audent Communionem ſub una tantùm ſpecie, quid Magiſter illorum circa neceſſitatem ſub duplici ſpecie communicandi ſenſerit, & quam conſequenter, & quo veritatis ſtudio illam docuerit: Initio ſuæ apoſtaſiæ in quodam ſermone de Euchariſtia à ſe habito ita locutus eſt. *Neque conſului, nec eſt intentio mea, ut unus aut aliquot Epiſcopi propria auctoritate incipiant alicui utramque ſpeciem porrigere, niſi iſta conſtitueretur, ac preciperetur in aliquo Generali Concilio*. Deinde paulò pòſt *in aſſertione Articuli* 16. ita mutat ſententiam: *Conſultum mihi videtur nunc, ut non modo per Concilium, ſed per quamcunque Diœceſin quilibet Epiſcopus, etiam invito Papa, Chriſtum ſecutus in Evangelio rurſum utramque ſpeciem Laicis daret*: quàm ſeriò autem judicet hoc ad Chriſti ſequelam pertinere, patebit ex ſequentibus verbis: quando in formula Miſſæ ſic ſcribit: *Si quod Concilium ſtatueret, aut permitteret utramque ſpeciem, nos nequaquam utraque uti vellemus, maledicturi univerſos, qui ex poteſtate, aut ſtatuto Concilii utraque uterentur.* Hęc Lutherus.

ARTICULUS II.

De Materia proxima, & remota SS. Euchariſtiæ.

SUMMARIUM.

61 *Materia proxima SS. Euchariſtiæ ſunt ſpecies panis, & vini, ſimulque Corpus, & Sanguis Chriſti.*

62 *Materia remota Euchariſtiæ eſt ſubſtantia panis, & vini: quæ ob plures rationes eſt valdè convenienter aſſumpta.*

De materia proxima parum occurrit dicendum, ſuppoſito enim, quòd materia remota ſit ſubſtantia panis, & vini, proxima materia ſunt accidentia panis, & vini ſimul cum Corpore; & Sanguine Chriſti. Probatur, illud eſt materia proxima Euchariſtiæ, quod à forma, ſeu verbis Conſecrationis determinatur ad ſymbolicè ſignificandam, & conferendam gratiam per modum cibi, & potus, ſed illud ſunt accidentia panis, & vini, cum corpore, & ſanguine Chriſti; quia accidentia ſine corpore, & ſanguine non ſunt cibus, & potus ſpiritualis, corpus autem & ſanguis non ſit ſenſibilis per accidentia, niſi quatenus per formam denotatur, & cauſatur corporis, & ſanguinis præſentia, ut ſic ſimul cum accidentibus habeat vim ſymbolicè ſignificandi per modum cibi, & potus, ergo accidentia, & corpus, ac ſanguis Chriſti ſimul ſumpta ſunt materia proxima Euchariſtiæ. Undè Angel. Doctor 4. *diſt.* 8. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 2. ait: *In hoc Sacramento ſpecies non ſunt cauſa alicujus effectus in anima ſpiritualis, niſi mediante corpore Chriſti vero, ſecundùm quod ex ſpeciebus, & corpore Chriſti fit unum Sacramentum*. Cui conſonat S. Irenæus *lib.* 4. *cap.* 34. inquiens: *Euchariſtiam duabus rebus conſtare, terrena, & cœleſti*. Et paſſim à SS. Patribus, Theologis, ac cæteris fidelibus SS. Euchariſtia dicitur Corpus, & Sanguis Chriſti. Quod Gonet *diſp.* 2. *de Euch. num.* 32. non rectè concedit impropriè, & per metonomyam dici: ſic enim etiam reſpondent, & verba Conſecrationis, *Hoc eſt corpus meum* impropriè, ac per metonomyam verificari aſſerunt, qui realem præſentiam corporis Chriſti omninò negant, ſimiliter aſſerentes, affirmari corpus Chriſti, tanquam rem extrinſecè ſignificatam, & ut in ſigno contentam, ut ſenſus ſit: *Hoc ſignificat corpus meum*: quemadmodum Gonet loc. cit. ait: *Euchariſtiam à SS. Patribus appellari carnem, vel corpus Chriſti per metonomyam, tribuendo contento nomen continentis. Similiter cùm dicunt conſtare corpore Chriſti, ſolùm intendunt, eam conſtare corpore Chriſti, ut re per eam ſignificata, & in ipſa contenta, non verò ut parte intrinſeca cum conſtituente, & componente*. Itaque non tantùm realis præſentia corporis Chriſti concedenda eſt cum Catholicis, ſed ita concedenda, ut per modum loquendi non præbeatur hęreticis anſa tuendi ſuum errorem.

De materia remota certum eſt ex fide, illam eſſe panem, & vinum. Deſumitur *ex c.* 26. *Matth.* & 14. *Marci*, & 22. *Lucæ*, & *ex* 1. *ad Corinth. cap.* 11. atque definitum eſt à Concilio Lateran. *in cap. Firmiter de Summa Trinitate*, 62

& à Florent. *in Decreto fidei poſt ult. ſeſſ. §. Tertium eſt Sacramentum*: ac denique à Tridentino *ſeſſ. 13. cap. 1.* congruentias, cur Chriſtus hanc materiam pro iſto Sacramento aſſumpſerit, plures recenſet S. Thom. *qu. 74. ar. 1.* Prima deducitur ex uſu Sacramenti, qui conſiſtit in comeſtione, & potatione, cui maximè ſerviunt panis, & vinum. Secunda ex ſignificatione, quia hoc Sacramentum partim eſt ſignum cruenti ſacrificii, in quo ſicut ſanguis ſeparatus eſt à corpore, ſic ſpecies vini ſumuntur ſeparatæ à ſpeciebus panis. Partim unionis Chriſti cum Eccleſia, ad conſtituendum unum corpus, ſicut ex pluribus granis tritici conficitur unicus panis, & ex pluribus uvis unicum vinum; ut etiam advertit S. Auguſtinus, relatus *in cap. 36. de Conſecr. diſt. 2.* Tertia ex effectu itidem ſignificato, qui eſt refectio, & exhilaratio animæ, ſicut panis reficit, & vinum lætificat cor hominis. Cæterùm etiamſi concluſio certa ſit, pluribus tamen quæſtionibus declaranda eſt, quod, ut diſtinctiùs procedamus, duobus §§. præſtabimus.

§. I.

De Pane, ut eſt Materia remota Euchariſtiæ.

SUMMARIUM.

63 *Qualis panis ſit materia apta pro Conſecratione Euchariſtiæ.*
64 *Qualis panis ſit materia inepta.*
65 *Panis Azymus, & Fermentatus eſt æquè materia valida; ſed licita eſt ſolus Azymus in Eccleſia latina, & ſolus fermentatus in Eccleſia græca.*

63 Quæritur 1. Qualis panis ad valorem Sacramenti corporis Chriſti requiratur. Reſp. Secundùm traditionem Eccleſiæ, & expreſſam declarationem Concilii Florentini requiri panem triticeum, ita enim loquitur. *Tertium eſt Euchariſtia Sacramentum, cujus materia eſt panis triticeus, & vinum de vite.* Ratio eſt, quia materia hujus Sacramenti debet eſſe panis uſualis, ſolus panis triticeus eſt uſualis, ergo iſte ſolus eſt materia. Nomine triticei panis autem non intelligitur ille ſolum, qui fit ex tritico, ſtrictè accepto Germanicè *Waitzen*, ſed etiam ille, qui fit ex fare, ſeu zea, ſeu ſpelta, Germanicè *Kern*, ſeu *Dunckelkorn*; imò etiam, qui fit ex ſiligine, Germanicè *Roggen*, quæ teſte S. Thoma *q. 74. ar. 3. ad 2.* tantùm accidentaliter differt à bono tritico, & in terris ſaxoſis ex granis illius naſcitur, quando verò à diverſis Auctoribus ſubindè negatur far, aut ſiliginem eſſe materiam validam, (nam licitam materiam eſſe ſiliginem, cùm melior & decentior materia facilè haberi poteſt, neque nos diximus) illi dictis vocabulis aliud frumenti genus intelligunt; propterea ad tollendum dubium in noſtra patria Germanicum vocabulum eiſdem appoſuimus. Et ita etiam ad auctoritatem Angel. Doctoris reſpondendum eſt, qui *l. c. & 4. diſt. 11. q. 2. ar. 2. ad 3.* negat, Far eſſe materiam validam ad conſecrandam Euchariſtiam: quamvis fateatur, *quod inter omnia ſit grano tritici ſimilius.* Et deinde addat; *Similitudo autem figuræ in talibus magis videtur ſignificare propinquitatem, quàm identitatem ſpeciei? ſicut ex ſimilitudine figuræ manifeſtatur, quod canis & lupus ſunt propinquæ ſpeciei, non autem ejuſdem. Unde ex talibus frumentis, quæ nullo modo poſſunt ex ſemine tritici generari, non poteſt confici panis, qui ſit debita materia hujus Sacramenti.* Quòd ſi autem ex ſimilitudinis expreſſione videatur colligi, S. Doctorem idem frumenti genus intellexiſſe, quod nos aptam materiam diximus: dici poteſt, ipſum tantùm ex ſuppoſitione praxis contrariæ in ſuis regionibus, & ibi communis opinionis, & acceptionis vocum locutum eſſe. Nam in noſtris regionibus indubitatum eſt, ex fare panem uſualem, & longè meliorem, quàm ex ſiligine pinſi. Et licèt far non eſſet ejuſdem infimæ ſpeciei cum tritico ſtrictè, ſive magis ſpecificè ſumpto: continetur tamen ſub generica, & magis univerſali, ſed adhuc propria acceptione, & propterea de facto in Suevia, ubi hæc ſcribo, pinſuntur hoſtiæ ex fare. Magis enim dubitari poſſet, & de facto dubitat Gonet *diſp. 3. de Euch. ar. 1 §. 1.* de ſiligine: quæ quidem, cum S. Doctore etiam à nobis re, & nomine tritici, dicto modo ſumpti, comprehenditur, ſed ex aſſignata ratione, quòd ſcilicet ex bono tritico alicubi oriatur, non convincitur, eſſe ejuſdem infimæ ſpeciei cum ſuo ſemine, eò quòd acceſſione aliorum accedentium, quæ in communi ſententia Thomiſtarum ſola nomine ſubſtantiæ operantur, facilè in aliam ſpeciem infimam degenerare potuerit, ut immuneris effectibus ſic degenerantibus confirmari poſſet: magis autem huic loco propria inſtantia eſt, quòd etiam acetum ex vino oriatur, nec tamen maneat ejuſdem ſpeciei, ac aptitudinis ad conſecrationem.

Invalidas itaque materias ex communi conſenſu Doctorum, contra Gabrielem, eſſe declaramus, Hordeum (quod ob ſuam duritiem teſte S. Thoma *loc. cit. ad 1.* potiùs duritiem Legis antiquæ, quàm lenitatem Legis gratiæ denotare aptum eſt) millium, avenam, orizam, ex quibus ordinariè, & extra neceſſitatem (quæ ineptam materiam non poteſt reddere aptam) panis uſualis non conficitur, & multò minùs ex fabis, lentibus, ciceribus, caſtaneis, glandibus, nucibus, amygdalis: quòd ſi tamen, ut fieri ſolet, grana invalidæ materiæ in quantitate non immodica validæ permixta reperiantur, id, ut iterum obſervat S. Thomas *loc. cit. ad 3.* valori materiæ non obſtat, quia minus abſorbetur à majori, obſtaret autem, ſi permixtio tantæ quantitatis eſſet, quæ tolleret denominationem panis triticei, vel ſi quidem defectus non eſſet in farina, ſed in aqua naturali, ex qua confici ſolet panis (undè ea ferè certitudine, qua aqua roſacea naturalis non eſt, apta non eſt ad confectionem panis validi, immeritò enim Arriaga cum Cajetano aſſerit, panem etiam ex lacte confectum retinere rationem panis uſualis) vel in admixtione butyri, ſimiliſve materiæ, ex quibus non ampliùs uſualis panis, ſed potiùs placenta, vel aliud cibi genus oriretur; vel denique ſi in præparatione, quando nempè coagulum toſtum non eſſet, nam cruda adhuc maſſa nec re, nec nomine panis eſt. 64

Quæritur 2. An perinde ſit, ſive azymo, ſive fermentato pane Sacerdos utatur. Reſp. ex Florentino *in Decreto de Armenis §. 2.* ubi ita loquitur, *Definimus in azymo, ſive fermentato pane triticeo corpus Chriſti veraciter confici, Sacerdoteſque in alterutro ipſum Domini corpus conficere debere unumquemque juxta Eccleſiæ ſuæ, ſive occidentalis, ſive orientalis conſuetudinem*, quod, inquit Palao, adeò verum eſt, ut Sacerdos Latinus tranſiens per Eccleſiam Græcam, & Græcus per Eccleſiam Latinam retinere ſuæ Eccleſiæ conſuetudinem poſſit; conſultiùs tamen faceret, ſi illius Eccleſiæ, quà tranſit, ritus obſervaret, ſicut multis allegatis probant Bonacina, & Coninck. Ratio reſponſionis, quoad valorem materiæ patet ex eo, quia ſcilicet panis azymus, & fermentatus tantùm accidentaliter differunt, & ſubſtantialiter uterque eſt panis uſualis. Ratio præcepti eſt conſuetudo Eccleſiæ, nam Latina imitatur Chriſtum, qui conſecravit in pane azymo, cùm certò conſtet, eum decimo quarto die menſis primi ad veſperam Sacramenti Euchariſtiæ Inſtituiſſe, quo tempore jam incipiebat ſolemnitas Paſchæ ſequentis diei decimi quinti, & obligatio comedendi agnum Paſchalem ſine pane fermentato, ſed cum azymo, ut habetur in Levitico *c. 23. Menſe primo decimaquarta die menſis ad veſperam phaſe Domini eſt, & decimaquinta die menſis hujus ſolemnitas azymorum eſt.* Undè apud Matth. *cap. 26. verſ. 17.* hæc verba legimus. *Prima autem die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum dicentes, ubi vis paremus tibi comedere Paſcha*: & Lucæ 22. *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſè erat occidi Paſcha, & miſit Petrum &c.* Eccleſia Græca verò in fermentato pane conſecrare conſuevit, quia iſte magis eſt uſualis, & quia lex veſcendi azymis cum veteri teſtamento in ultima cœna ſublata eſt. Utraque igitur Eccleſia, ut etiam tradit S. Thomas *loc. cit. art. 4. in corp.* convenientem habet rationem ſuæ conſuetudinis: Latina tamen magis accedit ad exemplum Chriſti, clariùs implet figuram, qua Deus per comeſtionem panis azymi, quid in novo teſtamento fieri vellet, præfiguravit, & expreſsè denotat puritatem, qua homo purgatus à veteri fermento Sacramentum recipere debet; undè hoc præceptum conſecrandi in pane azymo à Theologis tanto rigore receptum eſſe traditur, ut nec propter extremam neceſſitatem moriendi aliàs ſine viatico in defectu azymi panem fermentatum conſecrare liceat. 65

§. II.

§. II.

De Vino, ut eſt Materia remota Euchariſtiæ.

SVMMARIVM.

66 Solum Vinum de Vite eſt materia apta pro valida Conſecratione Euchariſtiæ; hinc excluditur vinum artefactum, & ſubſtantialiter corruptum, & ex uvis nondum expreſſum. Muſtum autem nondum defæcatum, & vinum congelatum eſt materia illicita.

67 Admixtio aquæ ad vinum conſecrandum præcipitur ſub gravi peccato.

68 Non tamen requiritur ad valorem Conſecrationis.

69 Aqua admiſcenda modica eſſe debet.

70 Refertur ſententia negans, aquam admixtam vino converti in Sanguinem Chriſti, niſi priùs fuerit converſa in vinum.

71 Refertur etiam ſententia affirmans.

72 Poſterior ſententia eligitur propter tres rationes.

73 Reſpondetur ad fundamenta contraria.

66 QVæritur primò. Quale vinum ad Sacramentum Sanguinis Chriſti adhibendum ſit. Reſpond. ad valorem Sacramenti requiri vinum de vite, quale quoad ſubſtantiam etiam eſſet illud, quod miraculosè produceretur à ſolo Deo, uti in Cana Galilææ per converſionem aquæ factum eſt. Colligitur ex Matt. *cap.26.* & Luca *cap.22.* ex conſuetudine Eccleſiæ, & ex verbis Florentini ſuprà relatis: unde liquores ex frugibus expreſſi, vel quacunque arte facti, etiamſi colorem, & ſaporem vini imitentur, materia inepta ſunt, ſicut etiam illi, qui ex uvis immaturis, & nondum in ſubſtantiam vini excoctis, ut agreſta, vel ex fecibus, ut vinum aduſtum; extorti ſunt, de expreſſis autem ex uvis paſſis cum alterius vini admixtione adhuc dubitant Recentiores. Excluditur inſuper acetum, in quod vinum corruptione ſubſtantiali converſum eſt: unde Pius V. in rubrica de defectibus in miſſa occurrentibus præcepit Sacerdotibus, quando adverterint, ſe in aceto conſecraſſe, ut vinum apponant, & denuò conſecrent: & Gregor. XIII. imperavit deleri Gloſſam *in cap.2. de Conſecr. diſt.2.* affirmantem, acetum eſſe idoneam materiam conſecrationis; quod ſi corruptio nondum fuit ſubſtantialis, ſed per alterationem diſpoſitiones acetoſæ primùm cœperunt introduci (de quibus Iſidorus *lib.8. Etymol. cap.2.* & Innocent. III. *lib.4. de Sacrif. Miſſæ, cap.30.* aliique Doctores intelligendi ſunt, acetum admittentes) peccatum quidem grave eſt abſque neceſſitate eo uti, præſertim quando de ſubſtantia vini jam meritò dubitatur, valida tamen eſt materia. Quod etiam dicendum eſt de muſto vini, id eſt, de liquore ex uvis maturis expreſſo, ſed impuro adhuc, & nondum defecato; qui tamen, ſi adhuc in uvis, utpotè non tanquam liquor in vaſe, ſed tanquam pars in toto lateret, nec licitè nec validè conſecraretur, uti etiam indicat Julius Papa *in cap.7. de Conſecr. diſt.2. verſus finem*, dicens: *Quando botrus ſolus offertur, in quo vini tantùm efficientia deſignatur, Sacramentum noſtræ ſalutis negligatur.* Quamvis enim Pontifex hoc loco tantùm intendat præcepti neceſsitatem de admixtione aquæ ſtatuere, eamque ratione comprobare, relata verba tamen plus ſignificant, quàm quòd botrus tantùm non licita materia ſit propter incapacitatem aquæ admiſcendæ. Ratio ulterior eſt; quia liquor ex botro nondum expreſſus non haberet rationem vini, ſeu potus, ſed rationem uvæ, ſeu cibi, adeòque potiùs numeraretur inter ſubſtantias comeſtibiles, quàm potabiles per ſe, & ex natura.

Vinum congelatum verò, quia tantùm per accidens non eſſet proximè potabile, & verè naturam, & accidentia vini retineret, ut per diſſolutionem congelationis experimur, remaneret quidem materia valida, cùm ad verificationem verborum non requiratur proxima potabilitas, vel actualis potatio, ſicut in baptiſmo requiritur actualis ablutio: nihilominus ex communi Doctorum ſententia propter indecentiam materiæ ita indiſpoſitæ, vel etiam propter ejus aliqualem incertitudinem (cùm Ledeſma, Alanus, Armilla, Angles, Vaſquez omninò doceant, congelationem eſſe talem immutationem, quæ etſi præſentiam Chriſti poſt conſecrationem non tollat, eam tamen ante conſecrationem impediat) grave peccatum committeret, qui congelatum vinum conſecraret, ideòque neceſſe eſt, ante conſecrationem illud priùs calore liquefacere.

Quæritur 2. An, & quantum aquæ vino conſecrando 67
miſcendum ſit. Reſp. ad primum contra Lutheranos, & Calviniſtas apud Bellar. *lib.4. de Euchar. cap.10.* nihil aquæ affundentes vino ante ſuam putatitiam conſecrationem, non quidem neceſsitate Sacramenti, attamen neceſsitate præcepti vinum aqua miſcendum eſſe, ut ex perpetua traditione Eccleſiæ docuit Concilium Florentin. *in Decreto Vnionis*, & Tridentin. *ſeſſ.22. cap.7.* ubi tres hujus præcepti congruentias aſsignat, & ſic ait: *Monet deinde S. Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus* (ſive hoc ipſum etiam ſit præceptum à Chriſto, ut docet Alphonſus à Caſtro *Hæreſ.7. verbo Euchariſtia*. Valentia, Henriquez, & alii, ſive, ut communior & probabilior opinio ex cit. Tridentini verbis colligit, ſit tantùm præceptum Eccleſiæ, quod dominicum præceptum à S. Cypriano *Epiſt.63.* appellatur, eò quòd ſit conforme exemplo Chriſti Domini) *ut aquam vino in calice offerendo miſcerent* (intellige vel per ſeipſos, vel per Diaconum, aut Subdiaconum in Miſſa ſolemni, non autem ſufficit fuiſſe ab alio v.g. à caupone mixtum) *tum quòd Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur* (ut ex Liturgia S. Jacobi & SS. Patribus oſtendit Bellarminus *loc.cit.*) *tum etiam; quia è latere ejus aqua ſimul cum ſanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, & cum aquæ in Apocalypſi B. Joannis populi dicantur, ipſius populi fidelis cum capite Chriſti unio repræſentatur.* Atque hoc præceptum omnium ſenſu eſt ita rigidum, ut ſi quis foret oblitus ante oblationem Calicis affundere aquam, deinde memor teneretur adhuc affundere, niſi jam conſecraſſet.

Dixi tamen *non neceſſitate Sacramenti*, neque enim 68
ex ipſius Chriſti vinum aqua miſcentes exemplo ſequitur, aquæ affuſionem ad neceſſitatem Sacramenti ſpectare, cùm non omne, quod Chriſtus fecit, ad eſſentiam Sacramenti pertineat, aliàs conſecratio in pane fermentato etiam deberet eſſe invalida. Unde neque S. Cyprianus *Epiſt. cit.* paritatem, *quòd Calix Domini non ſit ſola aqua, aut vinum, ſicut corpus Chriſti non ſola farina, aut aqua*, non inſtituit in ordine ad valorem Sacramenti, ſed tantùm ad neceſſitatem ceremoniæ declarandam; cùm alioquin evidens eſſet diſparitas, ſcilicet quòd farina non ſit panis comeſtibilis, niſi ex aqua coaguletur, vinum autem ſit potabile abſque affuſione aquæ nec in alio ſenſu refertur cit. Doctor. *in cap.2. de Conſecr. diſt.2.* in quo, ut ſubnexa Gloſſa advertit, aliqua verba S. Cypriani etiam immutatur. Textus enim cap. ſic habet: *Si vinum tantùm quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine Chriſto:* S. Cypr. autem ſic: *Sanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis: ſi verò aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto:* quæ verba, ut ex cit. textu Tridentini patet, tantùm de repræſentatione unius ſine altero intelligenda ſunt.

Ad ſecundùm reſpondeo verbis Florentini, quod *in* 69
Decreto Eugenii §. Tertium autem Sacramentum ita loquitur. *Cui* (ſcilicet vino de vite) *ante Conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet.* Advertunt tamen Doctores, communiter teſte Palao *punct.5. num.6.* non eſſe hac in parte ſcrupulosè agendum, ſed ſufficere, ſi vinum copiam aquæ octo vel decem partibus ſuperat: imò neque tot univerſaliter requirunt Authores, ſed ad virtutem vini ajunt eſſe attendendum, num generoſum, aut debile ſit, adeòque plùs vel minùs capax aquæ: unde de valdè robuſto intelligendum eſt Concilium Tribturienſe, quod *Can.19.* permittit tertiam partem aquæ apponi, ſed hoc Concilium provinciale tantùm fuit, nec approbatum à Summo Pontifice.

Quæritur 3. an Aqua priùs debeat converti in vinum, quàm in Chriſti ſanguinem convertatur, affirmant apud P. Haunoldum *num.798.* valdè accuratè utriuſque ſententiæ fundamenta perpendentem, Thomiſtæ communiter, & S. Bonaventura, Scotus, Suarez, Vaſquez, Tannerus, Gaſpar, Hurtadus, Amicus, Arriaga: accedunt etiam Azor, Bonacina, Filliucius, Palao, & referuntur S. Thomas, M. Sentent. Alenſis, Albertus, Palud. Richardus, Major, Rabanus, Henriq. Valent. imò ſecundùm Tannerum *diſp.5. quæſt.2. dub.6. num.160.*

Theo-

Theologi communiter omnes, quibus addit teſtimonium Gabrielis aſſerentis, eſſe indubitatam ſententiam, quam omnes moderni Auctores ampleꝭuntur; & Catechiſmi Rom. *par.2. cap.4. n.16.* dicentis: omnium Eccleſiaſticorum Scriptorum ſententia & judicio aquam in vinum converti. Unde infertur, quòd ſi vinum ſit nimis debile, vel aqua nimis copioſa, vel paulò ante Conſecrationem fuerit affuſa (quando v. g. quis maturiùs eam affundere oblitus fuiſſet, vel tempore ſumptionis propter præcedentem errorem Miniſtri, meram aquam pro vino præbentis, de novo conſecrare debuiſſet) ut proptereà in vinum ante Conſecrationem converti non potuerit, ipſa neque in vinum, neque poſt Conſecrationem in ſanguinem convertatur, ſed vel maneat aqua, vel ſi deinde à ſpeciebus immutetur, convertatur in vinum, eò quòd verba Conſecrationis ad eam ſe non potuerint extendere, utpotè nondum deſignabilem, à ſigno demonſtrativo, ſicut ſi omninò non adfuiſſet, quando proferebatur forma.

70 Ratio hujus ſententiæ eſt 1. allegata auctoritas. 2. Adducitur etiam auctoritas Tridentini *Seſſ.13. Canon. 2.* ſtatuentis poſt Conſecrationem manere duntaxat, ſpecies panis, & vini, adeòque excludentis ſpecies aquæ: & *Canon. 3.* definientis, ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus ſeparatione facta totum Chriſtum contineri, quod non poſſet dici de ſpeciebus aquæ, facta per artem ſeparatione à ſpeciebus vini. 3. Allegatur auctoritas Innocentii III. *cap. cùm Marthæ. §. Quæſiviſti de Celebrat. Miſſarum*, ubi omiſſa ſententia admittente immediatam converſionem aquæ in ſanguinem, tres alias refert, & rejecta prima, aſſerente aquam converti in aliam aquam, quæ ex Chriſti latere cum ſanguine effluxit, cùm tamen verba Conſecrationis ſolius ſanguinis faciant mentionem, reprobata etiam tertia ſententia, negante aquam ullo modo converti, approbat ſecundam, quæ aquam priùs in vinum deinde in ſanguinem mutari affirmat. 4. Aſſumitur hæc ſententia pro reddenda ratione, quare ſolùm vinum, & non aqua aſſignetur pro materia calicis, & quare modiciſſima, id eſt, facilè convertibilis in vinum debeat affundi, & quare non etiam butyrum, mel, vel alius liquor ſeorſim non conſecrabilis, ſimul cum vino ſit conſecrabilis.

71 Oppoſitam tamen ſententiam de immediata converſione aquæ in ſanguinem, ſi ante Conſecrationem non potuit converti in vinum, tuentur quatuor Cardinales, Alanus, Toletus, Baronius, Lugo, præterea Janſenius Epiſcopus Gandavenſis, Paulus Areſius, Beſantius, Sotus, Canus, Diana, Salmeron, Conimbricenſes, Scortia, Præpoſitus, Laymann, ConincK, Dicaſtillo, quos refert & ſequitur P. Haunoldus, & magis in eandem ſententiam inclinat Eſparza, quibus omnibus duces præmitti poſſunt complures SS. Patres, & Pontifices, aſſerentes, vinum & aquam offerri, benedici, conſecrari, ſi etiam in ſenſu proprio, prout decet, quando fieri poteſt, eorum verba accipiantur, & non in ſenſu ampliativo duntaxat exponantur, ut ſenſus ſit, vinum & id, quod fuit aqua, offerri, benedici &c. Quomodo in nuptiis Canæ Galilææ apud Joan. *cap 2. verſ.9.* Architriclinus dicitur, guſtaſſe aquam vinum factam. Licèt enim, quando aqua priùs eſt converſa in vinum, in hoc ſenſu intelligi debeant, tamen non debent falſificari eorum locutiones, quando aqua non potuit ante Oblationem, Benedictionem, & Conſecrationem in vinum converti, quia univerſaliter, & abſque limitatione proferuntur, ſic enim loquitur S. Damaſcenus *lib.4. Orthodoxæ fidei c.14. Quid tandem afferri poteſt, quin ex pane corpus, ex vino & aqua ſanguinem ſuum efficere queat*: & infrà: *Panis autem, vinum, & aqua per Spiritus ſancti invocationem, & adventum mirabili modo in Chriſti Corpus & Sanguinem vertuntur*. Æquè clara verba ſunt S. Ambroſii *lib.4. de Sacramentis cap.4.* relata *in cap.55. de Conſecr. diſtinct.2. Ante verba Chriſti Calix eſt vini & aquæ plenus, ubi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur.* Algerius *lib. 1. de Sacram. cap.16.* inquit, *Cùm enim vinum pro Chriſto* (ſcilicet ſignificando) *aqua ſacrificetur pro populo* (iterum intellige ſignificando) *& utrumque unus ſanguis fiat &c.* Paſchaſius *lib.1. de Corpore Chriſti cap.11.* ait: *Propterea non inconvenienter etiam ob hoc ibidem aqua conſecratur, non quòd aqua permaneat, ſed vertatur in ſanguinē.*

72 Itaque hæc ſententia etiam mihi videtur probabilior, eaque ulteriùs probatur primò ex communi ſenſu Fidelium, non dubitantium, in Calice Chriſti juxta teſtimonium Tridentini *ſeſſ.22. cap.7.* vino aquam affundentis (quæ tam exigua interpoſita mora naturaliter non videtur potuiſſe ante Conſecrationem in vinum converti, ſupernaturaliter autem, ut Arriagæ effugium præcludam, æquè facilè potuit immediatè converti in ſanguinem, quàm in vinum) & in calice cujuſvis Sacerdotis poſt Conſecrationem nihil liquoris per modum unius contineri (quidquid ſit de guttis ſolummodò adhærentibus, an ipſe per modum unius ſumantur, & conſecrentur) quod non ſit converſum in ſanguinem Chriſti, & à ſe cultu latriæ adorandum: ſed ſi aqua in vinum non converſa, neque converteretur in ſanguinem, meritò dubitarent; quia multi Philoſophi negant converſionem aquæ in vinum, relati, nec improbati *in cit. cap. cùm Marthæ*, & experientia conſtat, illam poſſe ſeparari, & ſaltem in Chriſti Conſecratione, & caſibus prædictis, videtur propter moræ brevitatem non potuiſſe præcedere converſionem aquæ in vinum, ergo fideles judicant aquam converti in ſanguinem, ſive priùs fuerit converſa in vinum, ſive non.

Probatur 2. Chriſtus potuit Sacramentum calicis ita inſtituere, ut etiamſi aqua non ſit converſa in vinum, tamen immediatè converteretur in ſanguinem, tanquam pars integralis vini uſualis, ergo ſupponendum eſt ita inſtituiſſe, in primis ne ſæpè, quando etiam immediatè ante Conſecrationem ex præcepto affundenda eſt aqua, permiſceatur materia non conſecrabilis cum conſecrabili, cùm tamen extra Sacramentum pœnitentiæ (in quo licèt meras imperfectiones, neque venialiter peccaminoſas, & peccata negativè dubia, cum materia certa proponere propter ſpirituale bonum pœnitentis) nunquam permiſſum ſit, materiam ineptam admiſcere. Deinde ne, quando aqua immediatè antè affuſa non potuit tam citò converti in vinum, in Elevatione Calicis populus adorando quidquid liquoris continetur in calice, ſaltem materialem idololatriam committat, ob quam cauſam S. Thom. *4. diſt.11. q.2. art.4. quæſtiunc.1. ad 2. & 3. p. q.74. art.8.* noluit admittere aquam vino admixtam poſt Conſecrationem manere aquam. Quæ ratio cùm non ſerviat ad probandam naturalem vim & efficaciam vini, ut aquam immediatè affuſam ſtatim in ſuam ſubſtantiam convertat, à S. D. aſſumpta eſt, ut probet converſionem aquæ in ſanguinem, etiamſi non præceſſerit converſio aquæ in vinum. Præterea (ut priore loco citato argumentatur S. Thomas, oſtendens ſub ſpeciebus conſecratis non manere ſubſtantiam panis & vini) ne per primam ſumptionem calicis continentis aquam nondum in vinum converſam tollatur perfectio jejunii naturalis, quando die nativitatis Domini, vel aliis diebus feſtis propter Sacerdotum paucitatem plura ſacra in diverſis Parochiis ex conſenſu Epiſcopi forent facienda ab eodem Sacerdote. Denique ne, ſi etiam poſt Conſecrationem maneret aqua cum ſanguine Chriſti permixta, daretur hæreticis occaſio inſtitutioni Chriſti, & Eccleſiæ de miſcenda aqua cum vino obiiciendi illud Iſaiæ *cap. 1. Vinum tuum miſtum eſt aqua*, quæ verba, teſte Hieronymo in illum locum, ſignificant, Verbi Dei ſinceritatem corruptam fuiſſe à Phariſæis per admixtionem humanarum traditionum; ſi enim aqua per conſecrationem etiam in ſanguinem convertatur, & unius ſubſtantiæ efficiatur, ſimul ſignificatur per effuſionem ſanguinis cauſata perfectiſſima unio populi fidelis cum Chriſto tanquam capite juxta Tridentinum *ſeſſ.22. c.7.* & obiici non poteſt, quòd Catholici ſanguinem Chriſti impurum, ac mixtum, & ſimilem etiam doctrinam percipiant. Atque hæ & plures aliæ inconvenientiæ meritò ſupponuntur Chriſtum impuliſſe, ad ita inſtituendum Sacramentum calicis, ut aqua in vinum non converſa immediatè in ſanguinem converteretur. Adverſarii autem nullas poſſunt apponere inconvenientias, quibus etiam facilè reſpondebimus ad ſuam auctoritatem potiſſimùm objectam.

Probatur 3. In conſecratione calicis, etiamſi aqua immediatè ante fuerit infuſa, Sacerdotes communiter ſignum demonſtrativum *hic* ex intentione abſoluta, & univerſali proferunt omne id, quod nomine vini uſualis in calice continetur, & hujus nomine per converſionem moralem, ſeu intimam mixtionem, etiamſi nondum

dum interveniſſet phyſica converſio, ſupponunt contineri aquam modicè affuſam. Sicut juxta S. Thomam *3.p. q.74. a.3. ad 3.* nomine triticei panis continetur, & immediatè in corpus Chriſti convertitur, ſi parùm avenacei, vel hordacei panis ex granis tritico permixtis fuerit conjunctum, quam inſtantiam benè ſibi notent adverſarii. Nam S. D. *l. c.* expreſsè ita loquitur: *Dicendum, quòd modica permixtio non ſolvit ſpeciem, quia id quod eſt modicum quodammodò abſumitur à plurimo. Ideò ſi ſit modica admixtio alterius frumenti ad multò majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui eſt materia bujus Sacramenti.* Nempè quia licèt admixtum frumentum phyſicè non convertatur in triticum, & propterea S. D. addat particulam *quodammodo*, & pro verbo *convertitur*, utatur verbo *abſumitur*: convertitur tamen moraliter, quam converſionem moralem clarè indicat *in 4. diſt. 11. q.2. a.2. ad 1.* ubi ait. *Quanquam ſicca, dum integra manent, non amittant ſpeciem ex permixtione, tamen quando dividuntur, & conficiuntur, ſicut in pane accidit, poſſunt ſpeciem amittere.* Scilicet per converſionem moralem, qua admixtum frumentum redditur indiſcernibile, *& quodammodo abſumitur à plurimo.* Et hoc ſenſu, quia modicum frumentum quodammodo à tritici magna copia abſumitur, ut ab hoc ob comminutionem & confuſionem farinæ diſtingui ac diſcerni ampliùs non poſſit, idem S. D. *l.c. in corp.* etiam uſus eſt verbo *Convertatur*, quamvis aliàs unum frumentum non agat in alterum frumentum, ſicut tamen vinum agit in aquam, quando illam ob ejus modicam quantitatem, & temporis moram ſuperare valet. Ita enim ibidem etiam loquitur Angel. Doct. *Si autem adeò ſit parva admiſtio, quòd ſpecies panis triticea maneat, & illud, quod additur ad naturam tritici, convertatur, poteſt exinde confici Sacramentum.* Hac ergo paritate modicæ admixtæ aquæ, & ante Conſecrationem nondum phyſicè in vinum converſæ ſuppoſita ſubſumo. Atqui non eſt credibile, à Chriſto ita fuiſſe inſtitutum Sacramentum calicis, ut verba univerſaliter & abſolutè, atque ipſius nomine prolata, per contrariam intentionem implicitam ſint reſtringenda ad ſolam ſubſtantiam vini, ne etiam ad modicè admixtam aquam extenſa omninò falſificentur, quo modo tamen, ut ex S. Thoma oſtendimus, non eſt inſtitutum Sacramentum corporis Chriſti; ſed potiùs credendum eſt, & juxta primam noſtram probationem fideles communiter credunt, etiam ab adverſariis, non obſtante forſan explicita eorum intentione non conſecrandi aquam immixtam (cujus intentionis tamen puto plerumque ipſos obliviſci) aquam conſecrari propter intentionem implicitam, vel conditionatam conſecrandi, quidquid in calice eſt conſecrabile, quam habere omninò tenentur, ob ſententiæ noſtræ probabilitatem, ſicut viciſſim nos, ſaltem implicitè, & virtualiter debemus ita eſſe conſtitui, ut ſi advertamus ad materiam dubiam aquæ, nolimus illam conſecrare, ſi à parte rei conſecrabilis non ſit.

72 Ad adverſariorum argumenta nunc ordine reſpondeo. Ad primum dico, multos Auctores, quos allegant, præſertim verò S. Thomam locis à me in ſecunda probatione citatis, & Catechiſmum Rom. tantùm aſſerere contra quoſdam Philoſophos, relatos à Conimbricenſibus *lib. 1. de Generatione cap. 10. q. 1. a. 1.* aquam in vinum, & deinde in ſanguinem converti, quòd communiter fieri etiam nos affirmamus, vel ſaltem non negando tranſmittimus. Verùm in illis caſibus, in quibus aqua propter ſui copiam, vini debilitatem, vel temporis brevitatem, in vinum etiam ſecundùm Adverſariorum Confeſſionem converti non potuit, per Conſecrationem tamen converti in ſanguinem, neque S. Thomas, neque Catechiſmus Rom. neque alii antiquiores Doctores negant: imò potiùs videntur ſupponere, cùm univerſim negent, poſt Conſecrationem cum ſanguine Chriſti manere aquam, & ratio S. Thomæ in ſecunda probatione allata, ac paritas argumenti de admixtione modici panis avenacei, vel hordacei id omninò evincat. Unde ſi quæſtio de his poſtremis caſibus, de quibus ſolùm eſt controverſia non merè Philoſophica, ſed Theologica, prout deberet, ab Adverſariis inſtitueretur, multos amitterent ſuæ ſententiæ Patronos.

73 Ad ſecundum Reſp. Tridentinum in priori textu per ſpecies vini uſualis comprehendere etiam ſpecies aquæ in modica quantitate affuſæ; quia ſumpta denominatione à potiori, & majori parte moraliter unita, ante conſecrationem etiam aqua veniebat nomine vini uſualis, tanquam pars integralis illius, ſicut modicum panis avenacei, vel hordacei venit nomine panis triticei. In ſecundo textu, ut notat P. Haunoldus, Tridentinum tantùm dicit, ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, ſuppoſito, quòd ſpecies per ſeparationem non phyſicè vel moraliter corrumpantur; ſicut ergo aqua ante Conſecrationem ſeparata à vino perderet rationem vini uſualis, ſic poſt Conſecrationem ſeparatæ ſpecies à ſpeciebus vini perderent rationem ſpecierum vini uſualis, prout eandem probabiliter etiam perderet teſte S. Thoma *q.77. a.8.* gutta ſpecierum vini immixta magnæ quantitati aquæ, etiamſi phyſicè non ſtatim converteretur in aquam. Quòd ſi nolint Adverſarii admittere moralem corruptionem eſſe ſufficientem, ut id totum, quod Chriſtum ante ſeparationem in ſe continebat, deſinat continere, tunc ſaltem concedere debent cum Coninck *q.74. art.8. num.191.* non magis eſſe abſurdum, ſub ſpeciebus aquæ ſeparatis à vino perſeverare exiſtentiam Chriſti, quàm ſub ſpeciebus panis avenacei, vel hordacei ſeparatis à ſpeciebus panis triticei eandem perſeverare, ex qua inſtantia etiam contra illos convincitur, plus requiri, ut aliquid ſit materia apta, ſub qua primò ponatur Chriſtus, quàm ſub qua poſitus perſeveret; nam nec particulæ panis avenacei, aut hordacei, nec guttæ aquæ ſeorſim fuiſſent conſecrabiles, quia durante Conſecratione non habuiſſent rationem panis triticei, aut vini uſualis.

Ad tertium Reſp. *ex c. cap. cùm Marthæ, §. quæſiviſti*, noſtram ſententiam longè efficaciùs probari, quàm Adverſariorum: quia Innocentius non approbat ſecundam ſententiam totaliter, ſed ſolummodò, quatenus dicit, aquam converti in ſanguinem, rationem verò deſumptam ex immediata illius converſione in vinum improbat tanquam incertam, ac quibuſdam Philoſophis falſam, cui proinde, quidquid ſit de ejus veritate, ſententia Theologica tanquam magis certa non ſit inædificanda. Propterea aliam rationem ſubſtituit indubitatæ Veritati, quæ probet converſionem aquæ in ſanguinem, etiamſi non priùs fuerit phyſicè converſa in vinum; unde prorsùs tenet noſtram ſententiam, & fundat converſionem aquæ in ſanguinem in converſione morali aquæ in vinum uſuale propter unionem cum illo, per quam, ſicut per ipſam converſionem aquæ in ſanguinem Chriſti, denotatur mirabilis unio populi fidelis cum Chriſto, & mediante Chriſto cum Patre cœleſti.

Ad quartum Reſp. Omnium ibidem dictorum facillimè reddi rationem, nempè ideò vinum & panem triticeum aſſignari pro materia Euchariſtiæ, quia ſi quid alienæ materiæ admiſcetur, quæ communiter ſolet admiſceri, adhuc totum illud, ſumpta denominatione à potiori, vocatur, & eſt panis triticeus uſualis, vel vinum uſuale, ſi autem illa aliena materia non ſolet admiſceri, uti vino non ſolet admiſceri butyrum, aut mel, hoc ipſo non comprehenditur nomine & re panis triticei, ac vini uſualis; unde ſi hoſtiæ impinſeretur capillus, vel ſi vino immergeretur, non propterea conſecraretur; cur autem aqua debeat eſſe modica, non eſt hæc ratio, quia aliàs non converteretur priùs in vinum, ſed quia ſi quantitatem vini ſuperaret, vel propè æquaret, tolleretur ratio vini uſualis.

ARTICULUS III.

De Forma Euchariſtiæ.

§. I.

In quibus Verbis conſiſtat Eſſentia Conſecrationis.

SUMMARIUM.

74 *Referuntur Verba eſſentialia, & oſtenditur, à Græcis addita non eſſe eſſentialia.*

Cer-

74 CErtum eſt omnibus DD. Catholicis Latinis, formam Conſecrationis panis eſſe hæc verba. *Hoc eſt enim corpus meum*. Conſecrationis vini verò eſſe hæc: *Hic eſt enim calix ſanguinis mei, novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Sequentia autem verba, quæ Græci ſubjungenda putant, ut per illa primùm conficiatur corpus & ſanguis, cùm dicunt: *Fiat hic panis corpus Chriſti, & hoc vinum Sanguis Chriſti* ex mente totius Eccleſiæ Latinæ omninò non ſunt neceſſaria; licèt enim reperiantur in variis Liturgiis, ea tamen à Chriſto non fuerunt uſurpata; cùm neque ab ullo Evangeliſta, neque à S. Paulo, qui tamen actionem Chriſti, qua ipſe Euchariſtiam confecit, & Apoſtolos conficere juſſit, exactè deſcripſerunt, illorum ulla mentio ſit facta. Unde etiamſi poſt verba Conſecrationis à Chriſto prolata, deinde illa primùm legantur in Liturgiis S. Clementis, S. Jacobi, S. Baſilii, & S. Chryſoſtomi, eadem vel contra Auctorum ſuorum mentem librariorum, aliorumve vitio fuerunt poſtpoſita, cùm apud S. Ambroſium coætaneum S. Baſilio *lib.4. de Sacram. cap.5.* legantur antepoſita; & ſimilis oratio etiam in Liturgia Romana habeatur ante verba Domini, dicente Sacerdote: *Quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus, benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris; ut nobis corpus, & ſanguis fiat dilectiſſimi filii tui*. Vel (quæ ſolidiſſima eſt explicatio à Bellarmino obſervata) per ea non petatur abſolutè, ut panis fiat corpus Chriſti, ſed ut *nobis* fiat, id eſt, ut panis ille conſecratus, qui revera jam eſt in ſe corpus Domini, fiat per effectum nutritionis ſpiritualis etiam *nobis* corpus Domini. Atque iſte ſenſus verborum colligitur ex verbis Liturgiæ S. Clementis, & S. Baſilii, ubi non dicitur, *Fac panem iſtum corpus Chriſti*, ſed *Oſtende panem iſtum corpus Chriſti*. Unde etiamſi in Liturgia S. Jacobi, & S. Chryſoſtomi ponatur particula *Fac*: patet tamen, in qua ſignificatione accipienda ſit; cùm ſimilis oratio etiam à Latinis poſt Conſecrationem uſurpetur his verbis: *Iube hæc perferri per manus S. Angeli, in ſublime altare tuum* &c. Huic itaque orationi Latinorum æquivalere illam precationem Græcorum, quidam ab Eugenio IV. interrogati *in ſeſſ. ult.* Concilii Florentini faſſi ſunt, aſſerentes, ſe non dubitare, præcedentibus verbis Chriſti Domini Euchariſtiam verè confici, quod nunc hac ratione probatur.

Illa verba ſunt forma Euchariſtiæ, quæ & à Chriſto ipſo ſunt prolata, & per quæ ipſe panem in corpus, & vinum in ſanguinem ſuum convertit; ſed hæc ſunt illa à nobis prædicta. Ergo &c. Confirmatur, in aliis Sacramentis forma ſenſibiliter ſignificat effectum ſuum inviſibilem, & ſignificando cauſat: ergo forma Euchariſtiæ etiam eſt illa, quæ effectum tranſubſtantiationis inviſibilem ſenſibiliter ſignificat, & ſignificando cauſat, quatenus movet Deum, ut panem in corpus, & vinum in ſanguinem Chriſti convertat.

Neque dicat Calvinus, quòd Chriſtus inquiens: *Accipite, & manducate: hoc eſt corpus meum*, & ſimiliter in communicatione calicis verba non dirigat ad panem, & vinum, ſed ad Apoſtolos, conſequenter quòd verba non referantur ad conſecrandum, ſed ad inſtruendum in fide. Nam negatur conſequentia, quia verba non debent dirigi ad res ſignificatas, ſed ad homines, quibus ipſa ſignificant: ſufficit ergo illa eſſe dicta de rebus, ut circa eas ſint efficacia, ſicut quando *Joann.8.* Dominus regulo dixit, *Vade filius tuus vivit*: verba dicta ſunt ad regulum, & efficacia fuerunt circa filium. Conſtituta itaque Conſecrationis Euchariſtiæ forma, aliquot circa eam quæſtiones pro majori declaratione diſſolvendæ ſunt.

§. II.

Quid per demonſtrativa Hoc, Hic, *in utraque forma Conſecrationis deſignetur.*

SUMMARIUM.

75 *Oſtenditur deſignari ſolum Corpus, & Sanguinem Chriſti.*

QUæritur. Quid in Conſecratione panis per demonſtrativum *Hoc*, & in Conſecratione calicis per demonſtrativum *Hic* deſignetur. Reſp. Ex communi Theologorum ſenſu. Quia vis verborum ſignificandi in actu ſecundo intra conſtructionem, teſte S. Tho. *3.p.q.75.a.7.ad 3.* dependet ab ultimæ vocis prolatione, & uſque ad illam ſuſpenditur (hinc in forma Conſecrationis *hoc eſt Corpus meum*, nec ponitur, nec ſignificatur corpus Chriſti, antequam proferatur vox *Meum*: & ſi hæc non compleat totum & verum ſenſum, ſed ſi addatur particula *aerium*, eum corrumpens, nunquam ponitur, nec ſignificatur corpus Chriſti) & quia, ut Concil. Trident. *ſeſſ.13. cap.3.* loquitur. *Semper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt Conſecrationem verum Domini noſtri corpus, verumque ejus Sanguinem ſub panis, & vini ſpecie una cum ipſius anima & divinitate exiſtere; ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie ex vi verborum; ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub utraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit, non ampliùs moriturus, inter ſe copulantur, divinitatem porrò propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypoſtaticam unionem*, propter hanc, inquam, rationem, neque deſignatur ſubſtantia panis & vini, poſt ultimæ vocis prolationem jam deſtructa, neque etiam ipſæ ſpecies accidentales, & miraculosè exiſtentes, quia utraque forma conſecrationis eſſet falſa; cùm nec ſubſtantia nec ſpecies panis ſit corpus Chriſti, & ſimiliter nec ſubſtantia nec ſpecies vini ſit ſanguis Chriſti, per metonymiam, ponentem continens pro contento, ſignificatur his verbis: *Hic eſt calix ſanguinis mei*: ſed deſignatur per demonſtrativum *Hoc* corpus Chriſti, & per demonſtrativum *Hic* grammaticaliter quidem calix, realiter verò, ſeu juxta intentionem Chriſti loquentis, ſanguis in calice contentus, ut ſenſus ſit: hoc, quod continetur ſub ſpeciebus panis, eſt corpus meum, & hoc, quod continetur ſub ſpeciebus vini in calice, eſt ſanguis meus.

Neque propterea propoſitio eſt identica; nam licèt ex parte ſubjecti ponatur idem, quod ponitur ex parte prædicati, prout in omni propoſitione vera debet dari identitas inter prædicatum & ſubjectum; ponitur tamen alio modo cognitum; nempè ſub ratione ſubſtantis accidentibus panis & vini.

Confirmatur noſtra ſententia contra Aureolum *in 4. diſt.8.q.2.a.2.* exiſtimantem, ſpecies demonſtrari, & contra S. Bonavent. *in 4. diſt.8.p.2.a.1.q.1.* aſſerentem, demonſtrari ſubſtantiam panis & vini. Si in forma Conſecrationis particula *eſt* non denotet identitatem inter prædicatum, & ſubjectum, ſi nempe in ſententia Aureali ſumatur pro verbo *continet*, vel in ſententia S. Bonaventuræ pro verbo *fit*, timendum eſt, ne tali impropria acceptione verbi *eſt* ampliùs abutatur Calvinus ſumendo verbum *eſt* pro verbo *ſignificat*: ergo verbum *eſt* debet propriè accipi, ac proinde denotare identitatem. Atqui ut ſic non verificatur forma Conſecrationis in alia, quàm in noſtra ſententia, ergo &c.

§. III.

Quid requiratur ad Verificationem Signorum demonſtrativorum Hoc, Hic.

SUMMARIUM.

76 *Requiritur primò debita applicatio.*
77 *Requiritur ſecundò debita intentio.*

QUæritur. Qualis requiratur propinquitas panis, & vini ante Conſecrationem, & qualis intentio, ut ſub eorum ſpeciebus per verba Conſecrationis deſignetur corpus, & ſanguis Chriſti; adeòque quæritur, quouſque ſe extendat vis ſignificativa ſigni demonſtrativi *hoc* & *hic*. Reſp. ad primum, requiri non tantùm phyſicam, ſed etiam moralem præſentiam materiæ conſecrandæ, quia ſigna demonſtrativa ad hoc ſunt inſtituta, ut rem in morali hominum æſtimatione præſentem demonſtrent. Cæterùm quotnam paſſus ſalva præſentia phyſica inter conſecrantem, & rem conſecrandam intercedere poſſint, eſt incertiſſimum. Palao & alii 76

& alii putant, non poſſe intercedere viginti; ego exiſtimo, diſtantiam non ex numero paſſuum, ſed conſideratis circumſtantiis prudentum judicio menſurandum. Ad præſentiam moralem verò communiter requirunt Authores, ut materia conſecranda phyſicè præſens, & ſenſu externo, vel in ſe, vel in ſuo continente perceptibilis ſit, ſive à Conſecrante, ſive ab alio, ſi ipſe conſecrans ejuſmodi ſenſu deſtitutus ſit: hinc dicunt, hoſtiam poſt parietem, vel ſub corporali latentem non conſecratum iri; è contra parvas hoſtias in ciborio, vel linea vitta, etiam non detecta incluſas, & aræ impoſitas, prolatis verbis pro conſecratis habendas eſſe.

77 Ad 2. Ex dictis de Sacramentis in genere. Reſp. Intentionem certò debere eſſe, vel actualem vel virtualem: utrum autem quis talem habuerit circa hanc vel illam materiam conſecrabilem, hoc communiter colligi ex eo, quòd res fuerit cognita à conſecrãte, & debito modo applicata, quia intentio non poteſt ferri in incognitum: hinc ſi Sacerdote inſcio, vel non advertente, parvæ hoſtiæ pro communione Laicorum aræ imponerentur, ad eaſdem conſecrandas, & per ſignum demonſtrativum deſignandas, intentio illius ſe non extenderet; ſupponeretur tamen ſe extendere, ſi eas antè advertiſſet, &, uti fieri debuit, ſimul cum propria hoſtia Deo obtuliſſet, etiamſi deinde inter conſecrandum illarum non ampliùs eſſet explicitè recordatus. Quòd ſi Sacerdos duas hoſtias majores ſibi adhærentes manu teneret, putans eſſe tantùm unam, aliqui dicunt, ſolùm anteriorem conſecratum iri; alii verò communiùs, & probabiliùs cenſent utramque: quia poſteriorem, etiamſi non cognoſcat diſtinctè, cognoſcit tamen per modum unius, & Sacerdos ſupponitur velle conſecrare, quidquid conſecrabile manu tenet.

E contrà ſi in calice guttulæ vini diſperſæ, & à reliquo vino diſcontinuatæ exiſtant, quas quidem, ſi Sacerdos ante conſecrationem advertat, convenit abſtergere, vel in calice circumacto vino unire, communiùs exiſtimant Authores, eas non conſecrari, eò quòd non cognoſcantur, neque ſe habeant propter diſcontinuationem per modum unius cum reliqua materia conſecrabili, & modica aquæ admixtione temperata. Ita docent Suarez, Laymann, Reginaldus, Coninck, Gavantus, Diana, *p.3.tract.4.reſol.32.* Alii tamen, ut Tannerus, Dicaſtillo, Bonacina, & Palao (addens, ſi guttæ iſtæ non multùm diſtent à materia conſecrata) etiam illas conſecrari, eò quòd ut per modum unius ſe habeant, non requiratur phyſica, ſed moralis conjunctio, & niſi hæ conſecrarentur, facilè contingeret, ut hac ratione materia non conſecrata miſceretur conſecratæ, & cum illa adoraretur, quod non deceret. Verùm ex hac ratione ſequeretur, quòd qui concedunt, aquam admixtam vino converti immediatè in Sanguinem Chriſti, ſi priùs non potuit converti in vinum, etiam in hoc caſu, quo ſeorſim gutta aquæ adhæreret calici, immediatè in ſanguinem converteretur, quod non videtur verum. Præterea ſicut ſacerdotis conſecrantis intentio fuit reſtricta ad materiam per modum continui in calice ante conſecrationem contentam, ita & eodem modo eſt reſtricta intentio fidelium adorantium materiam conſecratam ſecundùm intentionem Sacerdotis.

§. IV.

An in Conſecratione Calicis omnia verba ſint eſſentialia.

S V M M A R I V M.

78 Refertur ſententia affirmativa.
79 Præfertur ſententia negativa.

78 QVæritur 3. An in Calicis conſecratione ſequentia verba, *Novi & æterni teſtamenti*, &c. ſint eſſentialia, vel tantùm ex ratione præcepti, ſub mortali quidem obligantis addenda ſint. Reſp. valdè probabiliter eſſentialia affirmari à S. Thom. *4.diſtinct.8. q.2. art.2. quæſtiunc.1.* Et *3. par. q.78. art.3.* quem fruſtra aliqui conantur explicare de neceſſitate ſolummodò præcepti, & à S. Antonin. *3.par. tit.13.cap.5. §.4.* Sylveſtro, Hervæo, Viguerio, Gerſone, Barth. Medina, qui hanc ſententiam per nimiam auxeſin de fide, & à Petro Soto, qui eam certam aſſerit, eandem nec rejicere nec approbare videntur, Scotus, Gabriel, Roſella, Angelus. Ratio S. Thomæ eſt 1. Quia ſubjuncta verba, tanquam determinantia ſignificationem priorum verborum, videntur ad integritatem totius conſtructionis ſpectare, neque fit genuflexio, & adoratio ſanguinis, antequam omnia pronuntiata ſint, cùm tamen fiat, antequam proferantur iſta verba: *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis*: ob quam rationem hæc non dicuntur eſſentialia, quamvis ſub gravi etiam obligatione ſint præcepta. 2. Quia S. Lucas *c.22.* verba *novum teſtamentum* prioribus ſtatim immiſcuit. 3. Videtur S. Doctor ſupponere ad eſſentiam formæ ſpectare, ut præter converſionem vini in ſanguinem ſignificetur etiam effectus ſanguinis. Verum ad 1. reſpondebitur in probatione oppoſitæ ſententiæ. Ad 2. Reſp. quòd ſicut particula *enim*, ſic etiam alia verba non eſſentialia poſſint eſſentialibus immiſceri. Ad 3. negatur ſuppoſitum, ſicut enim Euchariſtia non conſiſtit in uſu, ſic neque effectus illius debet per eſſentiam formæ ſignificari.

Itaque probabilius negatur, dicta verba eſſe eſſentialia. Secundùm communiorem ſententiam Alberti M. 79 S. Bonaventuræ, Majoris, Durandi, Aureoli, Carthuſiani, Alenſis, Innocentii, Marſilii, Victoriæ, Suarezii, Vaſquetii, Valentiæ, quos præter Thomiſtas antiquos, & recentiores refert, ac ſequitur Tannerus, *diſp. 5. q.3. n.12.* Bellarmini, Coninck, Laymann, Bonacinæ, Henriq. Tamburini, Lugo, Eſparza, Haunoldi, Palao, Amici, qui tamen *diſp.24. n.70.* abſque ſufficienti fundamento putat, ad eſſentiam formæ ſpectare verba ſignificantia effuſionem ſanguinis, eò quòd Euchariſtia habeat etiam rationem ſacrificii, & conſequenter etiam hæc per particulam *effundetur* ſignificanda ſit, quòd tamen huic auctori æquè facilè negatur, ſicut ab ipſo aſſeritur, & ſi ſignificanda eſſet, ſufficeret ſignificari ipſum Sacrificium objectivum, nempè rem ſacrificatam, prout de facto ab utraque forma ſignificatur.

Itaque probatur nunc concluſio primò contra prioris ſententiæ Authores. Non eſt credibile, quòd neque ullus Evangeliſtarum neque S. Paulus, qui ex inſtituto de Conſecratione Euchariſtiæ ſcripſerunt, totam formam calicis expreſſerit, quorum tamen nullus poſuit hæc verba, *æterni*, *myſterium fidei*, neque unus eadem habet, quæ alter. S. Matthæus enim *cap 26. v.28.* refert hæc, *Hic eſt enim ſanguis meus, novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. S. Marcus *c.14. v.24.* hæc, *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur*, S. Lucas *cap.22. verſ.20.* hæc: *Hic eſt Calix, novum teſtamentum, in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur*. S. Paulus *1. ad Corinth.11. verſ.25. Hic Calix, novum teſtamentum eſt in meo ſanguine*, quibus omnibus verbis integram eſſentiam formæ contineri noſtra ſententia concedere poteſt, plus non requirens, quàm ut exiſtentia ſanguinis modo demonſtrativo ſub ſpeciebus vini deſignetur; licèt autem S. Thom. reſpondeat, Evangeliſtas tantùm intendiſſe hiſtoriam inſtitutionis, non autem formam Euchariſtiæ referre; quia, ut *in cit art.3. ad 9.* inquit, formas Sacramentorum in primitiva Eccleſia, teſte S. Dionyſio, propter irriſionem gentilium oportebat eſſe occultas, à Catholicis verò ex diverſis Evangeliſtis integra forma Euchariſtiæ facilè colligi potuit: longè tamen veroſimilius eſt, cùm Evangeliſtæ, & S. Paulus hiſtoriam inſtitutionis diſtinctè retulerint, & formam expreſſerint, Chriſtique mandatum idem faciendi adduxerint, ab iiſdem præcipuam hiſtoriæ, & mandati partem, nempè veram & integram formam, qua fit Sacramentum, non fuiſſe unanimi conſenſu prætermiſſam: aliàs per exactam reliquorum commemorationem, & per verba: *Hoc facite in meam commemorationem*: mutilatis formis ſubjuncta, fideles facilè in errorem circa ſubſtantiam formæ fuiſſent inducti, Gentiles verò eodem modo myſterio fidei potuiſſent illudere.

Probatur 2. Argumento, quod Lugo *diſp.11. n.61.* putat eſſe præcipuum. In diverſis Liturgiis S. Joann. Evangeliſtæ, S. Marci, S. Matthæi, quibus Chriſtiani Maronitæ utebantur, omnia prædicta verba, de quibus controvertitur, ſunt omiſſa, in miſſa etiam Æthiopum, quæ creditur fuiſſe compoſita à S. Matthæo, & in miſſa Moza-

Mozarabum in Hiſpania aliqua non ſunt expreſſa; ſimiliter à S. Ambroſio, Euſebio, Juſtino, omnia, à ſancto Chryſoſtomo, & Damaſceno, aliqua in ſuis ſcriptis ſunt prætèrita, ſed non poteſt dici, tot fideles uſurpaſſe, & ab Apoſtolis & SS. Patribus edoctos fuiſſe formam eſſentialiter imperfectam, ergo &c.

Ad hoc argumentum reſpondet Joann. Bapt. Gonet *diſp.7. de Forma Sacram. Euchar.* § *n.*47. Quòd ſicut in Sacramento Confirmationis & Ordinis materia & forma eſſentialis non eſt à Chriſto determinata in individuo, ſed relicta eſt authoritati & libertati Eccleſiæ, quæ eſſentialiter aliam determinavit pro Latinis, & aliam pro Græcis, ſic idem contigiſſe circa formam conſecrandi Calicem; unde ex determinatione Eccleſiæ illo tempore & loco omnia verba formæ prædictæ ſunt eſſentialia, quo Eccleſia ſic determinavit. Sed hæc reſponſio tam ex parte aliorum Sacramentorum, quam ex parte Euchariſtiæ ſupponit falſum, quòd ſcil. Eccleſia determinando præceptivè hujuſmodi Sacramentorum formas in individuo, omnia illarum verba voluerit eſſe eſſentialia, ita ut aliquo, habente etiam ſpecialem vim ſignificandi, omiſſo, non conficeretur Sacramentum: modò enim ſervetur ſenſus à Chriſto intentus, reliqua mutatio aut ſignificatio eſt ſolummodò accidentalis, quia non eſt credibile Eccleſiam tam multipliciter variaſſe verba eſſentialia conſecrationis, aut plus voluiſſe requirere ad eſſentiam formæ, quàm Chriſtus ipſe & Apoſtoli requiſiverint; imò cum Chriſtus ipſe ſaltem quoad ſpeciem determinaverit ſenſum verborum formalium, quidquid ultra ab Eccleſia intenditur ſignificari, id omne eſt tantùm accidentale, tam in hoc, quàm in aliis Sacramentis.

Probatur 3. Quia licèt priora verba, *Hic eſt enim Calix ſanguinis mei*, non verificarentur, ſi proferrentur in ſenſu expreſſo per verba alienantia veram ſignificationem, ſubjungendo v.g. *aerei* vel *phantaſtici*, ut tamen verificentur, non indigent ſubſequentibus verbis, non tam determinantibus veram ſignificationem, quàm deſignantibus effectum conſecutum ex effuſione ſanguinis; ergo priora verba ante prolationem poſteriorum debent eſſe vera, & immediatè ponere ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus vini; quamvis poſteriora abſque interpoſitione genuflexionis, propter verborum, & conſtructionum continuationem meritò præcipiantur immediatè ſubjungenda, ad declarandum, ut inquit S. Thomas *loc.cit.* triplicem effectum, qui per Sacramentum ſanguinis clariùs, quàm per Sacramentum corporis, ſcriptura ipſa hinc inde inſinuante, exprimitur. Primus enim effectus eſt hæreditas æterna regni cœleſtis, ut dicitur ad Hebræos 10. *habentes fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti*, propterea additur: *novi & æterni teſtamenti*. Secundus effectus eſt gratia juſtificans, quæ radicaliter obtinetur per fidem ſecundùm illud *ad Rom.*3. *Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius*: propterea additur: *myſterium fidei*: Tertius effectus eſt remotio impedimentorum, nempè peccatorum, ut indicatur *ad Hebræos 9. Sanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis*, propterea additur: *qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*.

Ipſius autem argumenti conſequentia probatur à pari. Etiamſi Chriſtus poſt verba conſecratoria panis: *hoc eſt corpus meum:* addiderit, teſte S. Luca: *quod pro vobis datur:* vel: *tradetur* teſte S. Paulo 1. Cor. 11. tamen non ſuſpendit vim ſignificandi priorum verborum uſque ad prolationem poſteriorum: hinc ab Eccleſia omninò omittuntur: ergo etiamſi verbis ſignificantibus præſentiam ſanguinis ſub ſpeciebus vini, addiderit, *qui pro vobis, & pro multis effundetur &c.* tamen non dicendus eſt ſuſpendiſſe vim ſignificandi præcedentium verborum. Reſpondent Adverſarii negando paritatem, quia ratio ſacrificii & paſſionis magis ſignificatur per ſanguinem ſeorſim vi verborum expreſſum, & ſymbolicè fuſum, quàm per corpus, unde ipſi potiùs addenda ſunt verba ſignificantia effuſionem, & finalem cauſam effuſionis, pro clariùs exprimenda ratione Sacrificii, ipſaque paſſione, quorum utrumque denotari voluit Chriſtus per verba conſecrationis ponentia corpus & ſanguinem Chriſti non in ratione Sacramenti, ſed etiam Sacrificii & memnoſyni ſuæ paſſionis. Sed hæc diſparitas duo non ſatis probata ſupponit, nempè ſanguinem ſeparatum à corpore habere potionem vim ſignificandi, quàm corpus ſeparatum à ſanguine, cùm tamen ſeparatio, in quo ſacrificatio, ſive immolatio conſiſtit, utrumque terminum æqualiter afficiat ac reſpiciat. Deinde ſupponit, verba ſeorſim ſignificantia nunc ſolum corpus nunc ſolum ſanguinem non ſatis denotare ipſam ſeparationem ſive ſacrificationem ac paſſionem, quod donec probetur, manet noſtrum argumentum & inſtituta paritas in poſſeſſione: vel etiam inferemus, conſecrationi corporis addenda eſſe verba, immolationem ac paſſionem illius clariùs exprimentia.

Ex dictis patet tamen contra hæreticos, quare ab Eccleſia rectè addantur verbis eſſentialibus alia modò relata, & ab ipſo Chriſto uſurpata, ut dicitur in Canone Miſſæ, & conſtat ex traditione Eccleſiæ allegata in Catechiſmo Rom. *par.2.cap.4.num.20.* & *ex cap. cùm Marthæ de Celebratione Miſſarum*. Ob quam cauſam, & ob contrariæ ſententiæ probabilitatem, quòd etiam ſint eſſentialia, grave peccatum eſſet, iis omiſſis Sacramenti conſecrationem dubiam reddere: imò teſte Philippo à SS. Trinitate *diſp.6. dub.4.* ſi Sacerdos poſt prolata prima verba, quæ ſola eſſentialia diximus, moreretur, deberet alius deinde rurſum prolata tota forma reliquam miſſam perficere.

Probatur 4. tum *ex cap. Quia corpus de Conſecratione, diſt.2.* ubi his verbis: *Hic eſt ſanguis meus.* nullis aliis relatis, dicitur, vinum in ſanguinem converti: tum ex Catechiſmo Rom. *loc. cit.* juſſu Concil. Tridentini & Pii V. edito, ubi cùm omnia verba canonis retuliſſet, & iiſdem formam calicis comprehendi dixiſſet (id eſt in illis includi, vel ex illis omnibus, quantum ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti, non autem valoris conſtitui) paulò pòſt ſubjungit, *Conſtat enim iis verbis, quæ vini ſubſtantiam in ſanguinem Domini converti ſignificant, bujus elementi formam contineri, quare cùm illa verba hoc apertè declarent, perſpicuum eſt, aliam formam conſtituendam non eſſe*. Deinde reddens rationem: quare etiam alia verba ſubjuncta ſint, pergit ulteriùs catechiſmus: *exprimunt autem præterea quoſdam effectus effuſi ſanguinis*. Cùm ergo Pius V. in ſuo Catechiſmo expreſsè aſſerat formam calicis contineri in illis verbis: quæ converſionem in ſanguinem ſignificant, & ex horum veritate inferat, eam manifeſtè eſſe legitimam, & effectum paſſionis tantùm præterea ſignificari, hinc forſan ob reverentiam S. Thom. ne à proprio diſcipulo & interprete S. Magiſtri mens in dubium revocaretur, factum eſt, ut idem Pius V. juſſerit in Commentario Cajetani ex Romano exemplo deleri verba, doctrinæ S. Thomæ contraria.

§. V.

Quis ſit ſenſus verborum, conſecrationi Calicis annexorum.

SUMMARIUM.

80 *Explicantur dicta verba.*

Ad quæſtionem propoſitam Reſp. cum Bellarmino *de Sacramen. Euchar. lib.1. cap.11. in reſponſione ad argum.8. Calvini*, ſenſum verborum formæ calicis annexorum, *novi & æterni teſtamenti &c.* deſumi debere à duplici acceptione teſtamenti, nam aliquando nomine teſtamenti intelligitur voluntas teſtatoris, ſic *Exodi* 24. dicitur, *Hic eſt ſanguis fæderis*, vel ut Sanctus Paulus *ad Hebræos 9.* citat. *Hic eſt ſanguis teſtamenti*, nimirum hic ſanguis ex holocauſto ſumptus, & poſt recitationem divinarum promiſſionum in populum Iſraeliticum reſperſus, eſt ſignum voluntatis, ſeu pactionis aut promiſſionis divinæ factæ populo Iſraelitico, hoc ergo ſenſu accipitur teſtamentum apud S. Matthæum, & Marcum, quòd ſcilicet ſub ſpeciebus vini contineatur ſanguis novi teſtamenti ſeu novæ promiſſionis divinæ, propter merita Chriſti populo Chriſtiano factæ, quo veluti ſigno rememorativo, & teſtativo, ſuam voluntatem ac promiſſionem Chriſtus fidelibus ſuis declarat, & confirmat, atque etiam oppignorat. 80

Aliquando autem ſumitur teſtamentum pro authentico teſtamento, quo continetur voluntas teſtatoris deſcripta, vel ſignificata, quo ſenſu Biblia vocantur, teſtamentum

mentum vetus, & novum, quia in his continentur promiſſiones divinæ, quas Deus olim populo Iſraelitico & poſtea populo Chriſtiano fecerat. Hoc modo apud S. Lucam & Paulum accipitur teſtamentum, cùm dicitur: hic calix, ſeu hoc contentum in calice novum teſtamentum eſt in meo ſanguine, quod nimirum conſiſtit in meo ſanguine, ſeu quod eſt meus ſanguis, nam ſanguis Chriſti verè eſt tale authenticum inſtrumentum, cujus communicatione confertur nobis aliquo modo jus ad æternam hæreditatem, & ſimul eſt ſingulare arcanum, & myſterium noſtræ fidei, atque referendo verba ad illud tempus, quo à Chriſto prolata ſunt, pro nobis ſundetur in remiſſionem peccatorum. Hæc igitur eſt explicatio conſecrationis calicis.

§. VI.

Quo modo Forma conſecrationis ſit proferenda.

SUMMARIUM.

81 *An ſit peccatum mortale, ſi proferatur Forma alta voce.*
82 *Item ſi aliqua verba repetantur.*
83 *Item ſi cum voluntaria diſtractione proferatur.*

81 QUintò circa utramque formam, corporis ſcilicet, & ſanguinis Chriſti, pro praxi utiliter quæri poteſt, an & quale peccatum ſit, formam conſecrationis proferre ſine attentione inter ſacrificandum, vel voce nimis alta, vel cum reiteratione quorundam verborum. Eſſe peccatum mortale quoad primum; nimirum quoad defectum attentionis, ſi voluntarius ſit, affirmat Tamb. *lib. 1. de Sacram. in gen. c.2.§.1.n.4.* & cum illo P. Gobat *in Clavi alphabetico Sacramentali Sect.3. n.97.* eò quòd hæc ſit gravis negligentia reverentiæ debitæ tanto myſterio. Quoad ſecundum iterum mortale adſtruit P. Gobat *in Alphabeto ſacrif. caſu 3. n.69.* ſi forma tam alta voce proferatur, ut ad quadraginta paſſus audiri poſſit, veniale verò, ſi ad ſex vel octo audiri queat: quia in priori prolatione valdè notabiliter, inquit, in poſteriori verò utcunque ageretur contra ritum communiſſimum in actione omnium graviſſima, dareturque occaſio obmurmurationum, ſcandalorum, offenſionum. Quoad tertium P. Gobat *lib. proximè cit. n.94.* rurſum, ait, committi peccatum ex genere ſuo mortale, quia qui eadem verba in conſecratione bis, terve repetunt, inducunt novum ritum circa actionem omnium graviſſimam, mutant formulam ſacramentalem, repræſentant nobis Chriſtum ridiculè loquentem. Deinde tamen excuſat ſcrupuloſos, quòd hi non peccent coram Deo, quia ſcrupuli eos adigunt ad hanc parvam ſtultitiam, nihilominus velut clavum clavo, ita ſcrupulum ſanum pro inſano injiciendo, ſe pellere voluiſſe teſtatur.

82 Verùm ut à duobus poſtremis incipiam, puto P. Gobat immeritò receſſiſſe à ſuo, & aliorum recepto principio, negante, imponendam eſſe gravem obligationem, niſi ex ratione efficaci, vel expreſſa Lege, vel conſuetudine recepta ſit impoſita: etiamſi autem conſuetudo, & ratio ſuadeat, & ritualia præſcribant, ut verba tacitè, ac decenter, adeòque ſine repetitionibus proferantur, nullam tamen gravem obligationem imponunt: ex his enim ſuperlativis, quòd ritus ſit communiſſimus, actio ſit graviſſima, nondum additur tam grave pondus, quod poſſit ad infernum deprimere; quia non omnis violatio ritus, neque omnis defectus, quo nihil ad eſſentiam, vel integritatem Sacramenti vel ad vim ſignificandi ſpectans immutatur, ſtatim grave peccatum eſt, ut nec omnis occaſio ſcandali qualiſcunque, vel murmurationum; ſcandalum quippè, quod ex alta verborum prolatione oriretur, non eſſet pernicioſum, & murmurationes conſequentes non refundunt malitiam gravem in ſuum Authorem, quia hæ etiam ex miſſa nimis longa oriri poſſunt, quis tamen peccati mortalis talem, nimiùm protrahentem miſſam arguat?

Per repetitionem verborum verò non immutatur propriè ritus, aut forma ſacramentalis, aliàs nec ſcrupuloſi ea utentes à peccato excuſari deberent. Sed idem ritus, & eadem formula non debito modo, riſum quidem, aut vituperium, ſed non DEI iram merente, adhibetur, ad quem in ſcrupuloſis corrigendum, parum prodeſt, novi peccati metu illos perplexos reddere, ut inter duplicis peccati metum, velut intra ſacrum & ſaxum hæreant.

Ad 1. Contra Tamb. etiam dico, etiamſi myſterio Euchariſtiæ maxima debeatur reverentia, ſi tamen defectus attentionis non conjungatur, periculo illam conſecrandi invalidè, ſi nim. voluntaria animi diſtractio non impediat intentionem, & attentionem virtualem, ſed tantùm actualem, propterea non committi gravem irreverentiam, ſicut ipſe author fatetur in opuſculo de expedita communione *c.1.§.5.* per actualem diſtractionem inter communicandum admitti irreverentiam tantùm venialem, quòd enim conſecratio ſit actio nomine Chriſti exercita, parum vel nihil malitiæ ſuperaddit, cùm etiam reliquorum Sacramentorum confectio ſit actio, nomine Chriſti facta, nec tamen voluntaria in his adminiſtrandis diſtractio à cit. Auctore peccati mortalis damnetur. 83

§. VII.

An Verba Conſecrationis proferantur recitativè vel enunciativè.

SUMMARIUM.

84 *Reſpondetur utroque modo proferri ea, quæ ſunt eſſentialia.*
85 *Quæ autem non ſunt eſſentialia, tantùm proferri relativè.*

QUæritur 6. An verba Conſecrationis à ſacerdote tantùm proferantur recitativè, præciſè referendo, & narrando Chriſtum ita locutum eſſe, vel an enuntiativè aliquid ſcilicet per illa de novo affirmando & enuntiando. Reſp. neque tantùm proferri recitativè, ut tamen aſſerebant Innocent. III. *lib.4. de Myſt. miſſæ, c.17.* Catharinus, Major, Picus Mirand. Durandus, Rubius. OKam & noſter P. Salmeron *tom.9. in Evang. tract.13.* ut proinde immeritò Vaſquez tantorum Doctorum ſententiam cenſura erroris notet, quam Dicaſtillo & plures alii probabilem fatentur, quidni enim potuiſset Chriſtus ſic inſtituere Sacramentum Euchariſtiæ, ut quandocunque Sacerdos in præſentia panis & vini intenderet præciſè recitare verba Chriſti ad hunc finem, ut ipſe Chriſtus panem in corpus ſuum & vinum in ſanguinem converteret, ſtatim poneretur ejuſmodi converſio? neque etiam proferri tantùm enuntiativè, ut quidem S. Bonaventura, Marſilius, Gabriel, Amicus, Vaſquez, & aliquando Lugo exiſtimabant, & permitti poſset in ſenſu reduplicativo, quatenus conſecratoria ſunt, nam ut ſic eſt ipſis per accidens, quod etiam recitativè enarrentur, cùm nudè & ſeorſim prolata adhuc eſſent conſecratoria: ſed efferri de facto in miſſa, tum recitativè, tum (quod tamen de illis ſolis, quæ ad eſſentiam formæ ſpectant, intelligendum eſt) enuntiativè, ita expreſsè S. Thom. *3.p. q.78. art.5. in corp.* Sotus, Suarez, Nugnez, Bellarm. Valent. Bonac. Tanner. ConincK, Præpoſitus, Hurtadus, Lugo, Arriaga, P. Haunold. & quoad primum membrum auctores primæ, quoad ſecundum, authores ſecundæ ſententiæ. 84

Probatur in primis præcedens membrum. Quia Sacerdos incipiendo à verbis: *Qui pridie quàm pateretur:* narrat, quid Chriſtus fecerit in conſecratione Euchariſtiæ, & quid dixerit, & poſt particulam: *dicens:* ſtatim ſubjungit verba conſecrationis, quæ ſi non fuiſſent à Chriſto prolata, falſificaretur illa particula *dicens:* ergo ex illa rectè colligitur, recitari verba conſecrationis, ut dicta à Chriſto. Idem colligitur ex particula *enim*, quam quidem neque ex Evangeliſtis, neque ex S. Paulo, ſed ex traditione Eccleſiæ teſte S. Thoma *art.2. ad 5.* accepimus à Chriſto eſſe prolatam: hæc quippè particula, ſi verba Conſecrationis ſolùm enuntiativè proferrentur, non tantùm apponeretur impertinenter, ſed etiam falsò ad ſignificandam aliquam cauſalitatem, quæ non daretur, unde ipſa ſolùm relativè profertur, & inſpergitur verbis conſecrationis, quatenùs ſunt etiam relativè prolata, ſicut verba antecedentia, & conſequentia ad Apoſtolos directa: *hæc quotieſcunque feceritis* &c.

Probatur nunc etiam ſecundum membrum I. ratione indi-

indicata à S. Thoma. Sacerdos per verba conſecrationis non tantùm vult referre affirmationem exiſtentiæ Chriſti ſub præteritis ſpeciebus, ſed Chriſti nomine etiam vult affirmare ejus exiſtentiam ſub præſentibus ſpeciebus, & propterea requiritur earum præſentia, ut per particulam demonſtrativam *hic* & *hoc* deſignari poſſint, ergo profert enuntiativè.

Probatur 2. ſi Sacerdos per verba Conſecrationis tantùm refert, quid Chriſtus dixerit, non affirmat quidquam nomine Chriſti, etiamſi ipſam locutionem ſuam ponat nomine Chriſti hoc ſenſu, quatenus Chriſtus eadem utitur ad cauſandam ſuam præſentiam, vel collationem gratiæ, quomodo etiam aliæ formæ Sacramentorum ponuntur nomine Chriſti. Unde etiamſi per verba conſecrationis neque à Chriſto olim, neque à Sacerdote nunc efficeretur converſio in corpus & ſanguinem, verba Sacerdotis adhuc eſſent vera, quia verum eſſet, quòd Chriſtus ea dixiſſet, atqui juxta Concil. Florent. & Catechiſ. Rom. *p.*2. *c.*4. *n.*20. communemque SS. Patrum, ac Eccleſiæ ſenſum Sacerdos loquitur nomine Chriſti affirmando præſentiam corporis & ſanguinis, & ex veritate verborum colligunt præſentiam corporis & Sanguinis Chriſti, ergo &c.

Probatur 3. Etiamſi verba eſſentialia formæ Euchariſtiæ non proferrentur relativè, quod fieret, quando verba antecedentia canonis omitterentur, adhuc ſub ſpeciebus panis poneretur corpus, & ſub ſpeciebus vini poneretur Sanguis Chriſti, aliàs verba illa etiam eſſent eſſentialia, quod eſt contra Florentinum, ſtatuens eſſentiam formæ tantùm in illis verbis, quibus Salvator noſter hoc Sacramentum confecit; deinde, ſi tantùm relativè proferrentur hoc modo dicens: *hoc eſſe corpus ſuum*, non conſecraretur corpus Chriſti, ergo verba eſſentialia conſecrationis ſunt enuntiativa.

85 Hoc tamen ſolùm de eſſentialibus verbis dixi intelligendum eſſe: nam de antecedentibus, & conſequentibus ex toto contextu Canonis patet, ea ſolùm relativè proferri; unde de verbis *novi & æterni teſtamenti*, &c. ſecundùm relatas diverſas ſententias diſcurrendum eſt: ſi enim ad eſſentiam formæ non ſpectant, tantùm relativè proferuntur, ſi autem ſpectant ad eſſentiam, proferuntur quidem enuntiativè, ſed quia Sacerdos in perſona Chriſti ſimul vult referre actiones illius, & repræſentare tempus cœnæ, in qua prima conſecratio peracta eſt, ideò de præſenti enuntiant tantùm præſentiam Sanguinis Chriſti ſub his ſpeciebus, illius verò effuſionem enuntiant ponendam à tempore cœnæ, in qua prima conſecratio peracta fuit, ut ſenſus ſit, hoc, quod continetur ſub his ſpeciebus, eſt ſanguis meus, poſt ultimam cœnam effundendus.

Objici tamen adhuc ſolet contra concluſionem, eſſe imperceptibile, quomodo ex verbis una continua ſerie, & eodem modo ac recitativè prolatis, aliqua, & quidem ea, quæ in medio ponuntur, determinentur ad ſignificandum enuntiativè. Deinde, quomodo eadem verba efferantur in propria perſona, dum recitativè, & in aliena, dum enuntiativè proponuntur, cùm qui agit perſonam alienam, debeat ſeponere propriam. Reſp. utrumque facilè percipi poſſe, cùm enim ex toto canone tantum aliqua à Chriſto ſint inſtituta ad cauſandam converſionem materię ſenſibilis in corpus & ſanguinem Chriſti, & quidem eatenus, quatenus idem ſignificant, quod cauſant; hinc intentio faciendi Sacramentum Euchariſtiæ ſaltem implicitè determinat ad recitandum verba eſſentialia in ſenſu enuntiativo, etiamſi illa proferens teneat oppoſitam ſententiam, putans ac volens non recitare in ſenſu enuntiativo, ſic alibi de intentionibus contrariis oſtendimus, poſſe quempiam habere intentionem implicitam, ac prædominantem faciendi Sacramentum, & explicitam non faciendi. Alterum, quomodo eadem verba poſſint proferri recitativè, & ſimul enuntiativè, in propria & aliena perſona, iterum facilè declaratur; cùm plus non requiratur, quàm ut quis dicat, quid alter dixerit, & ut iiſdem verbis velit ſignificare idipſum audienti. Hac ratione Prophetæ paſſim in Sacris litteris referunt populo Iſraelitico, qualia verba Deus ad ipſos edixerit, & iiſdem verbis eorum ſignificata denuntiant: Sic Iſaias *cap.*1. *v.*2. inquit: *Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt, filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.*

ARTICULUS IV.

De effectu formæ prædictæ, ſeu de Converſione panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti.

QVia in omni converſione debet dari terminus à *quo*, & terminus ad *quem*, & aliquod *tertium utrique commune*, ideò ſingula aliquot quæſtionibus declarabo.

§. I.

De Converſionis termino à quo.

SUMMARIUM.

86 *Subſtantia panis & vini per conſecrationem verè convertitur, & tranſubſtantiatur in Corpus & Sanguinem Chriſti.*

87 *Dictaque ſubſtantia panis & vini omninò deſtruitur.*

QUæritur 1. An ſubſtantia panis & vini per veram converſionem ſubſtantialem (quam Catholica Eccleſia in Tridentino *Seſſ.*13. *Can.*2. tranſubſtantiationem appellat) tranſeat in corpus & Sanguinem Chriſti. 86

Reſp. hoc eſſe de fide. Probatur potiſſimùm hæc veritas à Trid. *Seſſ.*13. *cap.*4. ex verbis Chriſti, *hoc eſt corpus* & *hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti* &c. Si enim poſt conſecrationem remaneret ſubſtantia panis (eodem modo applicatur argumentum contra ſubſtantiam vini) per ſignum demonſtrativum deberet denotari panis, ut fatentur Adverſarii, & fateri debent, quia quando per accidentia demonſtratur ſubſtantia, tunc ſignum demonſtrativum afficit illam ſubſtantiam, intuitu cujus conſervantur accidentia; præſertim ſi illius per unionem ſunt propria, & talis eſſet ſubſtantia panis; unde non poſſet deſignari, ſaltem non ſolùm, neque tam principaliter ſubſtantia corporis Chriſti. Subſumo. Atqui ſi per ſignum demonſtrativum denotaretur panis, propoſitio eſſet falſa, quia prædicatum non identificaretur cum ſubjecto, ergo non poteſt remanere ſubſtantia panis.

Quæritur 2. An ſubſtantia panis & vini poſt conſecrationem omninò deſtruatur, vel an ſola unio ſubſtantiæ cum accidentibus. Reſp. Si non de fide, ſaltem ex communi Theologorum certum eſſe, & ex Tridentino colligi *loc. cit.* quòd ſubſtantia omninò, & non tantùm quoad partem materialem vel formalem deſtruatur. Ratio eſt, quia licèt ex veritate verborum conſecrationis pro præcedenti quæſtione allata non probetur immediatè deſtructio panis & vini, eò quòd utraque forma conſecrationis, & converſio adhuc vera eſſet, modò deſtrueretur unio ſubſtantiæ cum accidentibus: probatur tamen mediatè; quia ſuppoſita veritate verborum non poſſet ſubſtantia, niſi per novum miraculum conſervari ſine ſuis accidentibus, neque ſine miraculo in alium locum, cum vel ſine accidentibus motis, nec ampliùs unitis transferri, neque in eodem loco relinqui; quia exigeret propriam quantitatem, vi cujus vellet eſſe impenetrabilis cum corpore ſuccedente in locum, quando ſpecies conſecratæ moventur, ergo cùm miracula non ſint aſſerenda ſine neceſſitate, eorumque exiſtentiam vel negationem definire ad authoritatem Eccleſiæ pertineat, poteſt hæc ſuppoſitis hujuſmodi principiis ſolummodò phyſicè certis ſubſtantiæ panis & vini deſtructionem omninò definire, uti de facto videtur Tridentinum loc. cit. definiviſſe, vel ſaltem ut verum ſupponere, cùm ait, totam ſubſtantiam panis & vini converti in corpus & ſanguinem Chriſti, quæ proinde converſio connaturaliter trahit deſtructionem totius ſubſtantiæ. 87

§. II.

De Converſionis termino ad quem.

SUMMARIUM.

88 *Tam ſub ſpeciebus panis, quàm vini ponitur totus Chriſtus: ſub illis quidem vi verborum ponitur Corpus Chriſti, & cæteræ compartes concomitanter: ſub his verò*

vero vi verborum ponitur Sanguis Chriſti, & reliquæ partes concomitanter.

89 *Nomine* Corpus *non ſignificatur nuda materia prima: neque tamen etiam ſignificatur aliqua forma ſubſtantialis.*

90 *Sed ſignificatur materia prima cum Organis partium ſolidarum.*

91 *Voce* Sanguis *autem ſignificatur materia prima cum illa forma ſubſtantiali, vel accidentali, per quam diſtinguitur à corpore, & Anima.*

92 *Quidnam cum corpore vel Sanguine, vi verborum poſitis, ponatur concomitanter.*

93 *Subſiſtentia verbi & unio Hypoſtatica etiam tantùm ponuntur concomitanter, ſicut ipſa Divinitas.*

94 *Etiam ſubſtantia Patris & Spiritus Sancti ponuntur concomitanter.*

95 *Quando Corpus & Sanguis Chriſti deſinat exiſtere ſub ſpeciebus Euchariſticis.*

88 NOn eſt dubium, ſuppoſita expreſſa definitione Concilii Florentini & Tridentini poſt conſecrationem tam ſub ſpeciebus panis, quàm ſub ſpeciebus vini contineri, quidquid ſpectat ad ſubſtantiam, & integritatem totius Chriſti, adeoque terminum ad quem realiter loquendo eſſe totum ac integrum Chriſtum, unde *Joannis 9.* ipſe dixit: *ego ſum panis vivus, qui manducat me*, &c. Verùm, quia juxta Tridentinum *ſeſſ. 13. c. 3.* ſub ſpeciebus panis vi verborum ponitur ſolum corpus, id eſt, verba immediatè & formaliter ſignificant, & ad ſui verificationem ſolummodo requirunt, ut ponatur corpus, etſi non ponatur ſolum, & ſub ſpeciebus vini vi verborum ponitur ſolus ſanguis, cætera autem omnia ad ſubſtantiam ac integritatem Chriſti pertinentia ponuntur ſolùm concomitanter, ideo quæſtio partim philoſophica, partim Theologica exurgit, quid nomine corporis, & nomine ſanguinis intelligatur; & quidem certum eſt, corpus debere concipi prout diſtinctum ab anima Chriſti, ſaltem determinatè ſumpta, & à ſanguine, aliàs ſub ſpeciebus panis vi verborum poneretur etiam ſanguis & anima: quid verò in tali acceptione per illud ſignificetur, & vi verborum ponatur, hic ſolet inquiri.

89 Quæritur itaque primò, quis ſit formalis terminus *ad quem* converſionis, qua panis in corpus Chriſti convertitur. Reſp. terminum formalem, qui vi verborum ſub ſpeciebus panis ponitur, neque eſſe nudam materiam primam, ut putarunt Gabriel, Major, Marſil. Palud. Ægidius & quidam alii apud Suarez. *diſp. 51 ſect. 4.* Quia cùm ſola viventia dicantur conſtare corpore & anima, per illud aliquid ampliùs intelligitur, quàm ſola materia prima, quæ etiam in non viventibus reperitur, neque eſſe totum ſubſtantiale completum, prout in linea prædicamentali ponitur ſub gradu corporis, includentis formam ſub ratione formæ ſubſtantialis, præſcindendo ab illius differentiis, ut docent S. Thomas *3. part. quæſt. 75. art 6. ad 2.* & cum eo Thomiſtæ communiter, nec differunt, niſi in modo loquendi Suarez, Vaſquez, Præpoſitus, Dicaſtillo, aſſerentes: per corpus ſignificari formam ſubſtantialem ſub disjunctione viventem, aut non viventem, ita ut in triduo mortis cum materia æquè ſignificaretur forma cadaverica, quàm nunc ſignificetur anima rationalis.

Huic enim ſententiæ obſtare videtur Tridentinum definiens, animam tantùm poni concomitanter; nam ſi vi verborum poneretur totum corpus ſubſtantiale, tunc vi illorum poneretur ea forma, quæ hìc & nunc verificat totum corpus ſubſtantiale; illud enim eſt, hanc formam eſſe determinatè neceſſariam ad verificandum, & aliud eam in his circumſtantiis determinatè verificare corpus ſubſtantiale: & quia cum hac etiam eſt identificatus gradus differentialis, in ſenſu reali etiam iſte poneretur, adeòque vi verborum nunc poneretur anima rationalis, etiamſi illis per accidens eſſet, adeſſe illas circumſtantias, in quibus debeat anima poni vi verborum, & in triduo mortis æquè potuiſſet poni forma cadaverica, per accidens enim poni propter veritatem verborum eſt adhuc poni vi verborum 2. Si vi verborum ſub ſpeciebus poneretur ſola materia cum aliqua forma ſubſtantiali qualicumque, tunc etiam ſanguis, ſive informetur eadem anima rationali; ſive informetur alia forma ſubſtantiali, ſignificaretur per corpus, & conſequenter poneretur ſub ſpeciebus panis vi verborum.

90 Ideo ultimatè reſpondeo, & dico cum Arriaga, Comptomo, Haunoldo, & forſan conſentiunt plerique authores primæ ſententiæ, vi verborum ſub ſpeciebus panis poni materiam Chriſti, prout includentem organizationem partium ſolidarum ſive ſubſtantialem, ſive accidentalem (ſi negentur formæ partiales) carnis oſſis &c. vi cujus diſtinguitur ab organizatione ſanguinis, ſi etiam ipſe vivat, & conſequenter certa quædam organa habeat, vel ſaltem ab accidentibus ſanguinis. Ratio eſt, quia illud ponitur vi verborum, quod intelligitur nomine corporis, quando vivens dicitur conſtare corpore & anima, ſed ut ſic non intelligitur materia ſeorſim ſumpta, neque ſumpta cum aliqua forma ſubſtantiali totali, ut oſtenſum eſt, ergo vi verborum ponitur materia prout includens organizationem à qua etiam denominatur corpus organicum.

91 Quæritur 2. Quis ſit formalis terminus converſionis, qua vinum convertitur in Sanguinem Chriſti. Reſp. ſi ſanguis vivat, anima rationali non conſtituente ſanguinem in ratione ſanguinis, ſed in ratione hominis, terminum formalem ad *quem* eſſe materiam cum ſua ſpeciali organizatione accidentali, ſi autem habeat propriam formam ſubſtantialem, ab anima diverſam, hanc ſimul cum materia ſua poni vi verborum. Probatur, quia hoc eſt ſignificatum, verificativum vocis *ſanguis*. Cæterum licèt ad verificationem formæ conſecrationis tantùm videatur requiri, ut vi verborum ponatur ille ſanguis, qui effuſus eſt, probabiliùs tamen particulæ illæ, *qui pro vobis & pro multis effundetur*. non denotant ſolum ſanguinem formaliter effuſum, ſed etiam denominativè effuſum, totus enim ſanguis denominatur effuſus, etiamſi aliqua pars illius non eſſet effuſa: adeòque omnis ille ſanguis ponitur vi verborum, qui vel reſumptus, vel nunquam à corpore ſeparatus eſt; præſertim in noſtra ſententia negante reliqua verba: *qui pro vobis & pro multis effundetur &c.* eſſe de eſſentia formæ.

92 Quæritur 3. Quid cum ſolo corpore ſub ſpeciebus panis, & cum ſolo ſanguine ſub ſpeciebus vini, vi verborum immediate poſito, ſub ſingulis ſpeciebus ponatur, vel adſit concomitanter? Reſp conformiter Tridentino *ſeſſ. 13. cap. 3.* omnia ea, quæ cum parte vi verborum poſita habent aliquam mediatam, vel immediatam unionem phyſicam, aut quaſi phyſicam (qualem habet etiam ſanguis, etſi dicatur non eſſe animatus, & verè continuatus cum corpore, quia ita continetur in corpore, ut ad illius integritatem actu deſerviat, & mutua inter illum & corpus detur exigentia) poni, vel ſi ratione immenſitatis non acquirat novam præſentiam, ſaltem adeſſe ſub qualibet ſpecie, niſi ſit eſſentialiter ac immobiliter uni tantùm loco affixum, uti juxta communem Philoſophiam eſt ubicatio, quam Chriſtus habet in cœlo, vel in diverſis mundi partibus ſub ſpeciebus Euchariſticis. Ratio, quam etiam Tridentinum loc. cit. dignatum eſt, ex Philoſophia aſſignare, deſumitur ex natura unionis, quæ exigit, ut ubicunque exiſtit unus ſuus terminus, ibi etiam exiſtat ipſa, & quicunque alius ipſius terminus, niſi ſit incapax illius loci: unde ſi iſte terminus ulteriùs cum aliquo alio ſit unitus, vel, ut ſit in divinis, realiter ſit identificatus cum aliquo tertio, tunc vi hujus unionis, aut identitatis debet cum illo termino poni, vel exiſtere, quidquid ipſi modo dicto eſt connexum.

93 Ex quo infertur 1. Quòd licèt per verba corporis & ſanguinis non immediatè affirmetur ſub ſpeciebus panis & vini contineri unionem hypoſtaticam, & ſubſiſtentiam Verbi, quia tamen ſub illis affirmatur, & ponitur corpus & ſanguis, ideo etiam unio hypoſtatica exigit ibi poni, & ſubſiſtentiam Verbi eſſe ibi, quæ quia eſt identificata cum divinitate, propterea etiam ratione illius identitatis divinitas deberet ibidem poni, niſi ratione immenſitatis, ſicut & ſubſiſtentia Verbi jam concomitanter adeſſet: & ita Tridentinum *loc. citat.* expreſsè definit, ſub ſingulis ſpeciebus Euchariſticis concomitanter adeſſe Divinitatem, cujus nomine, cùm ſubſiſtentiæ Verbi nullam ſpecialem fecerit mentionem, & tamen de reliquis omnibus ad integritatē Chriſti ſpectan-

tibus ſpeciatim conſtituerit, quomodo in Euchariſtia contineantur, etiam ipſam ſubſiſtentiam Verbi ſecundùm communem ſententiam apud Lugo *diſp. 8. num.* 113. contra Bellarm. *lib. 4. cap. 23. in fine* propter realem identitatem comprehendiſſe dicendum eſt: Licèt enim corpus & ſanguis ſint nomina concreta, per ea tamen non deſignatur compoſitio ex ſubſiſtentia & natura, ut proinde etiam ſubſiſtentia vi verborum ponatur, ſed ſolummodo denotatur compoſitio ex ſubjecto, & forma, ſive ſubſtantiali, ſive accidentali juxta diverſas relatas ſententias.

94 Infertur 2. cum S. Thoma *Opuſculo 63. cap. 2. Principali tertio §. Deus pater, corpus & ſanguis*: mihi *pag. 99.* præter ſubſiſtentiam Verbi concomitanter, magis tamen mediatè, ſub ſpeciebus Euchariſticis exiſtere etiam ſubſiſtentiam Patris, & Spiritus ſancti ratione ſcilicet identitatis, cum divinitate habente identitatem cum ſubſiſtentia Verbi unita corpori, & ſanguini Chriſti; etiamſi enim talis mediata connexio non ſufficiat, ut Pater, vel S. Spiritus per communicationem idiomatum poſſit dici incarnatus, paſſus, mortuus &c. ſufficit tamen, ut dicatur exiſtens concomitanter, quia per hoc nihil aliud aſſeritur, quàm aliquid exiſtere ſub ſpeciebus, quod vi unionis ſuæ exigit, & Patrem, & S. Spiritum ſub illis exiſtere.

95 Quæritur 4. Quando corpus Chriſti deſinat exiſtere ſub ſpeciebus panis, & ſanguis ſub ſpeciebus vini. Reſp. cum S. Thom. 4. *diſt.* 21. *quæſt.* 1. *art.* 2. *quæſtiun.* 6. & 3. *part. quæſt.* 77. *art.* 4. & aliis Doctoribus communiter, non deſinere ſtatim, quando in lutum vel alium locum immundum proiicitur, ut putavit Alenſis & Bonaventura apud Amicum *diſp.* 22. *num.* 3. quorum ſententia teſte Vaſquez *diſp.* 195. *cap.* 5. correcta eſt à Gregorio XI. ſed quandò accidentia ita alternantur, ut adſit ſufficiens diſpoſitio pro alia ſubſtantia producenda, ad cujus poſitionem debuiſſet deſinere ſubſtantia panis, aut vini. Ratio eſt, quia Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum ſub ratione cibi & potus, ita, ut non ampliùs adſint illa accidentia, quæ ſufficerent ad illius conſervationem, deſint etiam Chriſtus ſub illis exiſtere, utpote tantùm ſupplens vices ſubſtantiæ panis & vini, non autem alterius ſubſtantiæ, quamdiu autem manent accidentia tanquam ſufficiens diſpoſitio ad converſionem panis & vini, tamdiu corpus & ſanguis Chriſti ſupplet utriuſque officium, quia ad immunditiem externam loci, uti patet ex S. Tho. 4. *diſt.* 9. *quæſt.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 1. *ad* 3. ſe habet impaſſibiliter, ſi verò ipſa inhonoratio fugaret Chriſtum, multò magis fugari deberet per ſuſceptionem indignam, quod tamen negat S. Paulus 1. *ad Corinth.* 11.

§. III.

De Accidentibus tanquam medio communi utrique termino Converſionis.

S V M M A R I V M.

96 *In Converſione Euchariſtica manent omnia accidentia abſoluta ſubſtantiæ panis & vini.*

97 *Manetque eorum vis activa & paſſiva, vis activa autem ſubſtantiæ deſtructæ in ordine ad certos effectus ſuppletur à Deo.*

96 QUæritur 1. An poſt Conſecrationem maneant omnia accidentia abſoluta, nempè ſubſtantiæ panis, aut vini, eſſentialiter non affixa. Reſp. ſaltem de immediatè ſenſibilibus affirmativam ſententiam eſſe definitam à Concilio Lateranenſi relato *in cap. Firmiter §. Una verò de Summa Trinit*: Conſtantienſi *ſeſſ. 8. in refut.* Wicleffi, Florentino *in Decret. Unionis in §. Tertium* & Tridentino *ſeſſ.* 13. *can.* 2. de aliis verò occultis accidentibus, ſi quæ dantur, aliqui cum Vaſquez & Lugo affirmant, aliqui cum Suarez, & Amico negant citata Concilia intelligenda eſſe, eò quòd illa de his non habuerint certum fundamentum; & licèt univerſaliter loquantur dicendo, manere accidentia panis, hujuſmodi locutiones ſint intelligendæ partim juxta neceſſitatem ſalvandi conceptum converſionis, ad quam requiritur, ut ſaltem aliqua tanquam medium commune maneant, partim juxta probabilem præſumptionem, quòd concilia nihil ſtatuerint, cujus nec dabatur neceſſitas, nec ſenſuum experientia. Quidquid ergo ſit de expreſſa definitione Conciliorum; conveniunt tamen Doctores, omnia accidentia abſoluta manere, quæ & quamdiu manſerint conjuncta cum ſubſtantia panis & vini; quia probabiliter omnia, ſaltem mediatè, & in ſuo effectu, ſunt ſenſibilia, & cùm juxta probabiliorem Philoſophiam ſubjectentur in quantitate, non habent cauſam ſui interitus.

Quæritur 2. Quid accidentia Euchariſtica naturaliter agere, vel pati poſſint. Reſp. Si omnia recipiantur immediatè in quantitate, prout ad evitationem miraculorum, & juxta communiorem, ac ſpectando etiam rationem, probabiliorem opinionem Philoſophorum rectius dicitur, ita naturaliter idem agere, & pati poſſunt, quod poterant, dum eſſent unita ſubſtantiæ; in ordine ad cæteros autem effectus neceſſarius influxus ſubſtantiæ ſuppletur à Deo ad tegendum myſterium fidei, quando v. g. ſpecies vini calefactæ reducuntur ad frigus connaturale vino. Ratio eſt, quia per oblationem ſolius ſubjecti mediati accidentium vires activæ & paſſivæ nec cum fundamento aſſeruntur imminutæ, nec auctæ. 97

ARTICULUS V.

De ſuſcipiente SS. Euchariſtiam.

§. I.

Quinam ſint capaces Euchariſtiæ.

S V M M A R I V M.

98 *Non baptizatis & peccatoribus notoriis neganda eſt Euchariſtia, ſi ſine gravi incommodo Miniſtri fieri poſſit.*

99 *Quiſnam cenſeatur peccator notorius, & qui talis eſt in uno loco, ei etiam in alio loco Euchariſtia neganda.*

100 *Etiam laboranti publica ſuſpicione violenta debet negari Euchariſtia; levior verò ſuſpicio non eſt ſufficiens cauſa negandi.*

101 *Neque coram uno licet peccatorem occultum infamare per denegationem Euchariſtiæ.*

102 *Infantibus & perpetuò amentibus nunquam eſt præbenda Euchariſtia.*

103 *Præbenda tamen eſt in articulo mortis, qui uſum rationis amiſerunt, & priùs capaces ac digni fuerunt.*

104 *Semifatuis in Paſchate præbenda eſt.*

105 *Energumenis per quietis ac capacitatis intervalla ſæpius eſt danda.*

106 *Surdis ſimul & mutis idem, vel etiam frequentior uſus Euchariſtiæ concedendus eſt, qui ſemifatuis.*

107 *Quando pueri teneantur ſumere Euchariſtiam.*

108 *Et quomodo legibus humanis teneantur.*

DUplex poteſt diſtingui capacitas, una ad S. Euchariſtiam fructuosè, altera ad eandem decenter & cum reverentia tanto Sacramento debita ſuſcipiendi, qui prima notoriè carent, nunquam, qui ſecunda, rarò vel ſolùm in caſu neceſſitatis, & juxta Eccleſiæ conſuetudinem divino hoc cibo reficiendi ſunt. Unde

Dico 1. Non baptizatis, & peccatoribus notoriis, 98 id eſt, notoriè impœnitentibus ſub obligatione peccati mortalis, nempè Sacrilegii (ſaltem ſi abſque gravi incommodo tollente indignam tractationem Sacramenti fieri poteſt) neganda eſt S. Euchariſtia, ut cum S. Thoma *quæſt.* 80. *art.* 6. teſtatur communis & certus Theologorum conſenſus apud Suarez *diſp.* 67. *ſect.* 1. & 2. ubi adducit etiam S. Chryſoſtomum, Cyprian. Auguſt. *cap. Tua nos, & c. Quæſitum de Cohabitat. Cleric.* Ratio eſt; quia hi incapaces ſunt fructus, ſeu gratiæ ex S. Euchariſtia recipiendæ, & ſine injuria illis denegatur;

tur; ergo debet illis denegari, ne Sacramentum abſque juſta cauſa fruſtratum ſuo effectu tractetur indignè, tùm aliter tractari poſſit, & ne Sancta dentur canibus, id eſt, iniuſtè petentibus, nec ex ulla cauſa irreverentiam excuſante, ſaltem ex parte miniſtri, admiſſibilibus, quod ſuppoſita inſtitutione hujus Sacramenti naturali obligationi religionis repugnat, ſicut etiam repugnaret, ſi quis Euchariſtiam in locum immundum proiiceret.

99 Dixi: *peccatoribus notoriis*: ut autem peccator cenſeatur notorius, requiritur, ut peccatum ſit publicum, jure vel facto, & ut præſumi non poſſit, eum de facto pœnitentiam egiſſe, peccatum publicum Jure tunc dicitur, quando peccator juridicè interrogatus ipſum fatetur, vel de eo convictus per ſententiam judicis condemnatur, ſive coram multis, ſive coram paucis. Publicum facti eſt, ſi criminis patratio nulla tergiverſatione celari poteſt, ita ut penſata qualitate loci, & perſonarum, quibus eſt peccatum notum, moraliter non poſſit in occulto retineri.

Alterutro itaque modo publicato peccato, & perſeverantia in eodem rationabiliter præſumpta (quæ tamen non facilè præſumi debet) neganda eſt Euchariſtia ſive publicè, ſive occultè petenti, niſi teſtari poſſit (quod maximè locum habet in peccatore habituato, & publicè de graviſſimis ſceleribus infami, v. g. ſcorto communi, uſurario &c.) eum per pœnitentiam peccatum ſuum expiaſſe, ut colligitur *ex cap. Scenicis de Conſecr. diſt.* 2. quod verum eſt, non tantùm ſi pecatum ſit publicum in eo loco, in quo ſacrilegè petitur Euchariſtia, ut omnes fatentur, ſed etiam, ut contra Vaſquez *diſp.* 209. *cap.* 2. *circa finem*, Henriq. *de Euch. c.* 57. Joan. Præpoſitum *q.* 80. *a.* 6. *dub.* 1. *n.* 26 & Fagund. *de Euchar. lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 7. *& ſeqq.* docent. Cajet. *to.* 1. *Opuſcul. tr.* 31. *Reſp.* 9. Palao *tr.* 21. *de Euch. punct.* 20. *n.* 11. Tamburinus *in opuſc. de Expedita commun. cap.* 6. §. 2. *n.* 16. Dicaſtill. *de Sacram. ingen. diſp.* 3. *n.* 287. Suar. *diſp.* 67. *ſect.* 5. *Concl.* 3. Laym. *lib.* 5. *tr.* 4. *c.* 6. *n.* 8. & communiter alii, ſi non ſit publicum, nec credatur publicandum in alio loco, niſi ut præſumi faciliùs, & plerumque poteſt, peccator interea pœnitentiam egerit, quia infamatus in uno loco perdidit jus famæ, ut deinde ſine peccato contra juſtitiam, & non improbabiliter ſine gravi peccato contra charitatem, ſaltem, ut in præſenti caſu ſit, quando rationabilis caſus urget, ſine omni peccato infamari poſſit in alio loco, ubi indignè Sacramenti communionem accedere præſumit, ergo cum talis S. Euchariſtia negari juſtè poſſit, ob reverentiam ejuſdem, & ut quis agat, tanquam fidelis Diſpenſator myſteriorum Dei, negari etiam debet, ſpeculativè loquendo: practicè utraque ſententia eſt probabilis: dum una aſſerit, Reverentia eſt probabilis dum una aſſerit, Reverentiam & Religionem Sacramenti eſſe præſentandam, altera, eſſe præferendam charitatem proximi, quod quidem in praxi fieret ſine minori perturbatione, & moleſtia Miniſtri, aliàs cogendi ad probationem criminis, in eo loco occulti.

100 Quod de peccatore notorio dictum eſt, communiter cum S. Thoma 4. *diſt.* 9. *quæſtiuncul.* 1. *art.* 5. *quæſtiunc.* 2. à Theologis ſaltem extra articulum mortis, non decretæ per ſententiam judicis, extenditur etiam ad ſuſpectum, non quidem ſuſpicione quamtumvis gravi, quæ non ſatis tollit probabilitatem innocentiæ, & jus famæ, ac Euchariſtiæ petendæ ab eo, qui ex officio ſuo alioqui Euchariſtiam ipſi adminiſtrare tenetur, ſed ad ſuſpectum ſuſpicione violenta, quæ, ut eam communiter explicant, innititur talibus ſignis, & indiciis, ut ex nulla probabili ratione id, quod ex illis enaſci videtur, depelli, vel obſervari valeat ſeu, quæ tales habet conjecturas, ut nihil appareat, quod contrarium ſuadere probabiliter poſſit. Hujuſmodi itaque ſuſpecto etiam Euchariſtia neganda eſt, & in praxi ſolet negari reo condemnato ex ſuſpicione violenta, ita ut neque mortis periculum, etiamſi cæteroquin ſigna contritionis præbeat, perſeverantem in negatione criminis à ſuſpicione violenta liberet, aliàs daretur occaſio, ut ſuſpecti de crimine contumaci negatione, & Euchariſtiæ petitione à criminis ſuſpicione, & conſequenter à morte ſe liberare conarentur, vel ſimul per ſententiam judicis ad mortem condemnandi, atque à ſuſpicione criminis collatione Euchariſtiæ abſolvendi eſſent, quòd valde foret inconveniens. Cæterùm extra hunc caſum, in quo ex ſuſpicione violenta crimen ſit ſimul publicum jure Suarez *ſect.* 6. §. *ſupereſt*, Henriquez, Fagundez probabiliter admittunt petitionem Euchariſtiæ pro ſuſpicionis probabili purgatione recipiendam, & exaudiendam eſſe, quamvis juxta *capitulum Ex tuarum de Purgatione canonica. Verbo, peregrina judicia* ſumptionem Euchariſtiç exigere per modum juramenti realis, nunquam liceat, ut conſuetudine etiam receptum eſt, ac ſimul derogatum, *capit. Sæpe*, & *capit. Si Epiſcopo* 2. *quæſt.* 5. ut dicitur in utriuſque Gloſſa, & conſentiunt Theologi communiter teſte Dicaſtillo *diſp.* 9. *n.* 248. contra Adrianum & Coninck ab ipſo relatos.

Quòd ſi autem delictum uno ex prædictis modis publicum non ſit, adeoque pro occulto habendum, ex omnium ferè ſententia certum eſt, Sacerdotem habentem privatam certitudinem de indignitate petentis Euchariſtiam, non audere cum illius infamia aliter commodè inimpedibili eandem derogare, etiamſi illius crimen uni tantùm adſtantium ignotum ſit, conſentit *cap. Si peccaverit* 2. *quæſt.* 1. *& capit. Si tantùm*, 6. *quæſt.* 2. & *cap. Si Sacerdos de Officio judicis ordinarii*: atque ex S. Auguſtino tradit S. Thomas *loc. cit.* quia, ut benè argumentatur Suarez *diſp.* 67. *ſect.* 4. licèt reverentia debita Sacramento videatur eſſe juſta cauſa, illius publica denegatione infamandi occultè indignum, & illicita petitione Euchariſtiæ, quaſi cogentem ad ſui infamationem, rectiùs tamen dicitur, ad commune bonum, & convenientem Eccleſiæ, vel cujuſcunque Reipubl. gubernationem pertinere, ut communia bona, quæ publicè diſpenſanda ſunt ſecundùm merita, & dignitatem ſingularum perſonarum, à publico miniſtro diſpenſentur, non juxta privatam ſcientiam, ſed publicam notitiam, ſicut propter ejuſmodi cauſam Judex debet ſententiam ferre, non ſecundùm privatam ſcientiam, ſed ſecundum allegata & probata; ſecus verò, ſi nimirum liceret occultè indignum repellendo à communione infamare etiam tantùm coram uno, plurima orirentur damna, ſcandala, pericula infamationum falſarum, aut verarum quidem, ſed jam ſufficienter diſpoſitorum ad fructum Sacramenti, propter quarum metum multi abſterrerentur à frequentia S. Communionis, ergo meritò univerſaliter prohibitum eſt, infamare occultè indignum. 101

Si verò omnes adſtantes privatam illius notitiam habere ſcirentur, vel ſi nullus alius homo eſſet præſens, indubitatum iterum eſt, & colligitur ex citatis capitulis, atque ex paritate rationis cum prima concluſione, indignè petentem debere repelli, niſi Sacerdos ex confeſſione tantùm, & negata abſolutione indignitatem agnoverit, de qua limitatione, an neceſſaria ſit, dicam *in diſp.* de Pœnitentia.

Dico 2. Etiamſi antiqua conſuetudine, cujus meminit Trident. *ſeſſ.* 21. *cap.* 4. parvulis ante uſum rationis Sacra Euchariſtia collata fuerit, ea tamen illis non tantùm non eſt neceſſaria ad ſalutem, ut ab eodem Tridentino *loc. cit.* definitum eſt; ſed laudabiliter ipſis, & perpetuò amentibus, ac fatuis juxta receptam Eccleſiæ conſuetudinem, quamdiu rationis impotentes manent, etiam uſque ad mortis articulum incluſivè denegatur. Ita Doctores communiter cum S. Thoma *quæſt.* 80. *art.* 9. Ratio eſt; quia licèt hi capaces ſint fructus Euchariſtiç, quoad augmentum gratiç, tamen incapaces ſunt ejuſdem cum debita reverentia recipiendæ. Ergo cùm illis neceſſaria non ſit ad ſalutem, neque ut in accepta gratia, ſeu vita animæ per hunc ſpiritualem cibum conſerventur, utpote impeccabiles, potiùs habenda eſt ratio reverentiæ, Sacramento debitæ, quàm augmenti gratiæ, quod ſuſceptione illius obtineri poſſet. 102

Dico 3. Poſt uſum rationis in amentiam aut ſtultitiam lapſis, niſi peccato mortali tunc temporis gravatos, neque attritos fuiſſe conſtet, aut gravis irreverentia Sacramento per ipſos inferenda valde probabiliter timeatur, in articulo mortis præbenda eſt Euchariſtia, quamvis hæc ob incapacitatem actualis devotionis, & ob aliqualem irreverentiæ metum, atque neceſſitatis diſtantiam, uſque ad illum articulum, recepta in Eccleſia conſuetudine meritò differatur. Ita S. Thomas *cit. quæſt.* 80. *art.* 9. quem iterum Doctores communiter ſequuntur, & habe- 103

habetur *in capit. Is qui pœnitentiam. 26. quæſt. 6.* & *capit. Qui recedunt, ibid.* quod juxta S. Thom. de his amentibus intelligi debet, quando dicit *amentibus, quæcunque pietatis ſunt conferenda eſſe.* Ratio eſt, quia hujuſmodi homines non modo fructus percipiendi capacitatem, ſed forſan etiam indigentiam habent, ut à peccatis ſuis occultis attritionis, præſenre adhuc uſu rationis elicitæ imperfectione ſuppleta, per Sacramentum ſuſceptum liberentur; & præterea, ut advertit S. Thomas, merentur communicationem S. Euchariſtiæ propter devotionem præteritam.

104 Dico 4. Juxta communem iterum ſententiam ſemiſatuis potentibus cibum ſacrum à profano, tanquam ſibi utilem, & neceſſarium ad ſalutem diſtinguere, non ſolùm in articulo mortis, ſed etiam tempore Paſchatis, non tamen extra illud Euchariſtia præbenda eſt. Ratio primæ partis eſt, tum quia aliqua ſaltem reverentia, ut etiam ratiocinatur S. Thomas *loc. cit.* hunc animæ cibum ſalutarem poſſunt percipere, tum quia etiam illi in præcepto capit. omnis utriuſque ſexus de pœnitentiis, & remiſſionibus videntur includi, ubi ſic dicitur: omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, ſemel ſaltem in anno confiteatur, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum. Ratio ſecundæ partis eſt, quia tales homines uſu rationis ad peccandum, & reverenter communicandum exiguo pollent, ideo neque indigentia majorem frequentiam ſuadere, neque incapacitas reverentiæ comptentis majorem permittere videtur. Et ita docent Layman. Bonac. Henriq. Palao & alii.

105 Dico 5. Energumenis, quando ſaltem per intervalla temporis uſu rationis, & corporis, ac animi quiete fruuntur, ut abſque irreverentia Euchariſtiam recipere poſſint, non tantùm in Paſchate, ſed ſæpius eadem concedenda eſt; quia ipſis valde eſt neceſſaria, & pro talibus intervallis temporis ſunt ſufficienter diſpoſiti; ita DD. communiter cum S. Thoma *loc. cit. ad* 2. & colligitur ex Concilio Libertino *cap.* 37. & Arauſicano I. *cap.* 34. Caſſianus *Collat.* 3. *cap.* 30. refert etiam quædam miracula, quibus ejuſmodi energumeni per Euchariſtiam, vel libertati, vel ſecundùm animam adjuti fuerunt.

106 Dico 6. De ſurdis, & mutis à nativitate, niſi ſimul etiam fuerint deſtituti ſenſu viſus, ut adeoque aliqua ſaltem ratione Euchariſticum panem à profano diſcernere, & æſtimationem illius percipere per ſigna potuerint, idem quod de ſemifatuis ſentiendum eſt: niſi ob ſpecialem judicii maturitatem, & ſacræ communionis æſtimationem frequentior etiam uſus concedendus ſit. Ita Laym. Palao & communiter alii.

107 Dico 7. Etiamſi pueris, quàm primùm ſunt capaces Sacramenti confeſſionis, etiam Euchariſtia licitè adminiſtrari poſſit, ut cum S. Thoma *loc. cit. ad* 3. advertit Tannerus *quæſt.* 8. *dub.* 5. *n.* 913. Palao, Tambur. & apud hos plerique alii; quia ſi annos diſcretionis ad peccandum, & pœnitendum habent, etiam panem cœleſtem à terreno ſufficienter queunt diſtinguere; ante decimum annum tamen ad S. menſam nec ipſi obligantur accedere, nec parentes, aut Parochi extra articulum mortis (quem cum Suarez expreſsè excipit Tannerus *num.* 116. contra Navarrum, *cap.* 21. *n.* 57. ſolummodo conſilium, non autem præceptum communicandi agnoſcentem) eos permittere propter conſuetudinem receptam; cùm enim perfectior uſus rationis ab illis ſperari poſſit ob reverentiam Sacramenti, & majorem æſtimationẽ ex dilatatione procurandam, ordinariè ſolent uſque ad illam ætatem, vel rudiores etiam ultra arceri, quamvis ſemifatui, in quibus non eſt ſpes majoris prudentiæ, immeritò S. Euchariſtia, vel perpetuò privarentur, vel à Lege communionis annuæ eximerentur.

Quòd autem pueri, & puellæ uſque ad annos pubertatis non obligentur præcepto communionis, imò quòd ad nullum præceptum Eccleſiaſticum, aut humanum ſub culpa obligentur, ut aliqui docuerunt, omnino improbabile eſt & expreſsè contra capitulum primum, mox citandum; eximens illos tantùm ab eis peccatis quæ defectu pubertatis nequeunt committere: licèt exemplis nonniſi legibus naturæ adverſantibus, tanquam certioribus utatur.

108 Rectè tamen Tamburinus *Opuſculo de Exped. commun. cap.* 4. §. 2. *n.* 12. *& ſeqq.* cum aliis communiter, docet, ante pubertatem nullas cenſuras, aut pœnas legales incurri, ut colligitur ex *cap.* 1. *&* 2. *de Delictis puerorum*: ubi pueri infra decimum quartum annum ab hujuſmodi pœnis adultorum ſimpliciter, & univerſaliter eximuntur, ea verò exemptio rurſum limitatur propter percuſſionem Clerici, ſuadente Diabolo, factam, ob quam excommunicationi ab Epiſcopo Diœceſis remiſſibili ſubiiciuntur, ut ſtatuitur *in cap. Pueris de Sent. excommun.* & ibidem declaratur *in Gloſſa. verſu Ætatis*, quam tamen Tamburinus vel non reſpexit, vel non curavit, negans etiam excommunicationem Epiſcopis reſervatam, eò quòd *in capitulo* tantùm dicatur, poſſe pueros incurrentes in Canonem excommunicationis abſolvi ab Epiſcopo Diœceſano, non autem dicatur, incurrere in excommunicationem, & debere immediatè ab Epiſcopo abſolvi. Verùm ſi non incurrerent, neque poſſent abſolvi; quia abſolutio ſupponit id, à quo debet fieri abſolutio. Præterea capitulum expreſsè dicit: *Pueris, qui in Canonem inciderunt ſententiæ promulgatæ, ſive poſt pubertatem poſtulent ſe abſolvi* (ſcilicet de incidentia ante pubertatem facta) *poteſt Epiſcopus abſolutionis Beneficium impertiri.*

§. II.

Quoties Fideles ſint capaces ſumendi more Laico Euchariſtiam.

S V M M A R I U M.

109 *Summatum eſt in titulo.*

QUid de Fidelibus adultis circa frequentiam S. Communionis ſentiendum ſit, id ſatis patet ex Eccleſiæ, SS. Patrum & Theologorum mox referendis teſtimoniis. Concilium enim Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 6. Sic ait: *Optaret quidem SS. Synodus, ut in ſingulis miſſis Fideles adſtantes non ſolùm ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quo ad eos hujus Sacrificii fructus uberior proveniret: nec tamen, ſi id non ſemper fiat, propterea Miſſas illas, in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, ſed probat, atque adeo commendat.* Sic etiam loquitur Congregatio Concilii Trident. in decreto juſſu Innocentii XI. edito & publicato 12. Feb. Anno 1679. relato à P. Cardenas in Criſi Theol. *p.* 3. *diſp.* 66. *cap.* 1. *Etſi frequens, quotidianuſque ſacroſanctæ Euchariſtiæ uſus à SS. Patribus fuerit ſemper in Eccleſia probatus; nunquam tamen aut ſæpius illam percipiendi, aut ab ea abſtinendi, certos ſingulis menſibus aut hebdomadis dies ſtatuerunt, quos nec Concil. Trid. præſcripſit, ſed quaſi humanam infirmitatem ſecum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet, tantùm indicavit. Optaret &c.* Poſt intervallum ſic rurſum pergit. *In hoc igitur Paſtorum indulgentia potiſſimùm invigilabit, non ut à frequenti, aut quotidiana Sacræ communionis ſumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur, ſed magis quid ſingulis permittendum, per ſe, aut Parochos, ſeu Confeſſarios ſibi decernendum putet: illudque omnino provideat, ut nemo à Sacro convivio, ſeu frequenter ſeu quotidie acceſſerit, repellatur; & nihilominus det operam, ut unuſquiſque dignè pro devotionis & præparationis modo rariùs aut crebriùs Domini corporis ſuavitatem deguſtet.* Catechiſmus Rom. *parte* 2. de Euch. *n.* 46. hæc habet. *Fideles non ſatis habeant, ſe hujus decreti authoritati obtemperantes ſemel tantummodo Corpus Domini quot annis accipere: utrum autem ſingulis menſibus, vel hebdomadis, vel diebus, id magis expediat, certa omnibus regula præſcribi non poteſt. Veruntamen illa eſt S. Auguſtini* (cui in latere additur S. Ambroſius) *norma certiſſima: Sic vive, ut quotidie poſſis ſumere. Quare Parochi partes erunt, fideles crebro adhortari, ut quemadmodum corpori in ſingulos dies alimenta ſubminiſtrare neceſſarium putant: ita etiam quotidie hoc Sacramento alendæ & nutriendæ animæ curam non abiiciant: neque enim minus ſpirituali cibo animam, quàm naturali corpus indigere, perſpicuum eſt.*

S Tho-

S. Thomas 3. *p. q.*80. *art.* 10. *in c.* ita ſcribit. Dicendum, quòd circa uſum hujus Sacramenti duo poſſunt conſiderari, unum quidem ex parte ipſius Sacramenti: cujus virtus eſt hominibus ſalutaris: & ideo utile eſt, quotidie ipſum ſumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat. Unde Ambroſius dicit *in lib. de Sacramentis*; ſi quotieſcunque effunditur Sanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur, debeo ſemper accipere: qui ſemper pecco, debeo ſemper habere medicinam. Alio modo poteſt conſiderari ex parte ſumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione & reverentia ad hoc Sacramentum accedat: & ideo ſi aliquis ſe quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile eſt, quòd quotidie ſumat. Unde Auguſtinus, cùm dixiſſet: Accipe quotidie, ut quotidie tibi proſit: ſubjungit: ſic vive, ut quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indiſpoſitionem, vel animæ, non eſt utile omnibus hominibus, quotidie ad hoc Sacramentum accedere; ſed quotieſcunque homo ſe ad illud invenerit præparatum. Unde in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus dicitur. Quotidie Euchariſtiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero. Hactenus Angelicus Doctor.

Theologi communiter ex præcedenti doctrina, & ex fragilitate ac indiſpoſitione humana deducunt, hominibus ſæcularibus ordinariè ſuadendum non eſſe, ut ſæpius, quàm octavo die conſtanter, & nulla ſpeciali cauſa, v.g. Feſtorum aut indulgentiarum concurſu urgente, ad Euchariſticam menſam accedant. Ita Suar. *tom.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 49. *ſect.* 4. Vaſq. etiam *to.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 214. *cap.* 3. *num.* 27. Adamus Tanner. *diſp.* 5. *de Euchar. quæſt.* 8. *dub.* 5. *num.* 129. Palao *tract.* 21. *punct.* 16. *num.* 2. ubi ait ex S. Thoma, S. Bonav. S. Antonino. S. Alberto, Alexandro, Alenſi, Richardo id colligi à Sylveſtro Coninck, Layman. Bonac. Fagundez. His accedunt Card. de Lugo *diſ.* 17. *de Euchar. n.* 15. *& ſeq.* Dicaſtillo *de Euch. tr.* 4. *diſp.* 9. *dub.* 18. P. Gobat. *tr.* 4. *Caſu* 4. *n.* 59. Diana *p.* 11. *tr.* 7. *Miſcel. Reſol.* 15. & apud hunc Ochogavia *tr. de Euch. q.* 16. *n.* 4. P. Joannes Cardenas in criſi Theol. *par.* 3. *diſp.* 66. *per totam.*

§. III.

Quænam in ſuſcipiente Euchariſtiam requiratur diſpoſitio ex parte Animæ.

S V M M A R I U M.

110 *Actualis devotio non eſt neceſſaria ex præcepto in ſumente Euchariſtiam.*

111 *Non eſt irreverentia mortaliter peccaminoſa, cum actuali peccato veniali ſumere Euchariſtiam.*

112 *Conſcius ſibi peccati mortalis non tantùm conteri, ſed etiam priùs directè abſolvi debet, antequàm Sacramentum Euchariſtiæ ſumat, niſi deſit copia Confeſſarii, & neceſſitas urgeat: qua tamen ſublata tenetur Sacerdos quàm primùm confiteri: ideo Alexander VII. propoſ. 38. & 39. contrarium aſſerentes merito damnavit.*

113 *Quando cenſeatur deeſſe copia Confeſſarii. Et quid faciendum, ſi quidem non deeſt Confeſſarius, ſed ſi Confeſſario deſit Juriſdictio in peccata reſervata.*

114 *Quando cenſeatur urgere neceſſitas, ſine præmiſſa Confeſſione celebrandi.*

115 *Obligatio proximè confitendi eſt ſub culpa mortali, & obſtringit ſolos Sacerdotes, ex neceſſitate cum ſola contritione in peccato mortali, nondum per abſolutionem Sacramentalem remiſſo, celebrantes.*

DE triplici diſpoſitione quæſtio communiter inſtituitur inter auctores 1. An ad primarium ſaltem effectum hujus Sacramenti quoad ſubſtantiam percipiendum, nempè gratiam nutritivam animæ neceſſaria ſit interior animi devotio, & reverentia actualis; nam ad intenſionem, & ad alios ſecundarios effectus ſpeciales ſcilicet Dei favores obtinendos non dubitatur eandem eſſe neceſſariam. 2. An etiam neceſſaria ſit immunitas ab omni peccato veniali, præſertim actuali, ne ſcilicet in ipſa ſumptione Euchariſtiæ ullum peccatum [illegible]le committatur. 3. An ſaltem immunitas ab omni [illegible]tali neceſſariò requiratur.

110 Ad 1. Reſp. Etſi magnopere doceat, & Durand. Paludanus, Sylv. Cajetanus apud Palao affirment, omnino neceſſarium eſſe cum actuali devotione & fervore S. Euchariſtiam recipere, id quod aliquibus etiam aſſerere videtur S. Thomas *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſtiunc.* 3. *in corp. & ad* 3. mihi tamen non videtur, idem aſſeri à S. Thoma, cùm expreſsè ibidem tantùm dicat, ad effectum plenè accipiendum requiri actualem devotionem, & ſine hac ſuſcipientem non eſſe ſimpliciter fictum, ſed tantùm ſecundùm aliquid, nempè ſecundùm exceſſum perfectionis, & intenſionis gratiæ, qui defectu devotionis actualis impeditur. Unde S. Doctor 3. *part. quæſt.* 79. *art.* 8. & cum eo alii ferè omnes, omnino & rectè negant ad primarium effectum ſimpliciter: & abſtrahendo à majori ejus intenſione, ac perfectione recipiendum, abſolutè neceſſariam eſſe devotionem actualem. 1. Quia Tridentinum *ſeſſ.* 13. *capit.* 7. aſſignans duplicem diſpoſitionem, unam, quæ deceat, alteram, quæ neceſſaria ſit, actualem devotionem priori, non poſteriori loco nominat. Unde jam ſpiritualiter manducare, adeoque gratiam recipere dicitur ille teſte S. Ambroſio & Auguſtino (quorum priorem refert. S. Thomas *c. l. Sententiarum object.* 3. poſteriorum *in c. l.* 3. *part. object.* 1.) qui Innocentiam ad altare apportat. 2. Quia non debuit hoc Sacramentum ita inſtitui à Chriſto, ut ea diſpoſitio requireretur, cujus defectu, (ſpectata fragilitate humana, ob quam cum exigua devotione, & magna cum diſtractione multi ad S. Communionem accedunt) ipſum ſæpe fruſtraretur ſuo effectu, quo plurimùm indigemus, & cujus fruſtratione voluntaria ſemper mortaliter peccaremus: cùm ſine ſacrilegio nunquam poſſimus ullum Sacramentum ſuſcipere, ponentes obicem primario ejus effectui.

111 Ad 2. Reſp. Nego actualem culpam venialem, etiamſi devotioni, & ſpecialibus favoribus multùm obſiſtat, primario effectui Euchariſtiæ, ut iterum cum S. Thoma *loc. cit.* communiter ſentiunt DD. rationes ferè ſunt eædem; nam neque Concilium citatum immunitatem à peccato veniali requiſivit, neque natura peccati venialis eſt, ut gratiæ repugnet, neque ullus concedit peccatum alioquin veniale, inter communicandum admiſsum eſse mortale, quale tamen deberet eſse, ſi per illud impediretur effectus primarius Sacramenti.

112 Tertium quæſitum majori declaratione indiget, circa quod certum eſt, vel Jure Divino, ſi non naturali, ſaltem poſitivo, & Apoſtolis tradito, ut apud Tannerum *quæſt.* 8. *num.* 20. & Palao *pun.* 12. *n.* 2. communior tenet ſententia, vel Jure Eccleſiaſtico à tempore Apoſtolorum ſtatutum eſse, ut confeſſio Sacramentalis communioni præmittatur ab iis, qui peccati mortalis ſe reos agnoſcunt, quod ex verbis S. Pauli 1. *Cor.* 11. (*probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*) Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 13. *c.* 7. colligit, & ita loquens definivit. *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad S. Euchariſtiam accedere debeat: quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc S. Synodus perpetuò ſervandum eſſe decrevit, modò non deſit copia confeſſionis, quod ſi neceſſitate urgente Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quàm primùm confiteatur.* Circa quæ poſtrema verba Alexander VII. duas propoſitiones illis adverſantes, prohibuit, inter alias locum 38. & 39. tenentes: prior eſt hæc: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti, ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quàm primùm, eſt conſilium, non præceptum.* Poſterior hæc. *Illa particula: quàm primùm: intelligitur, cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur.*

Ex dicto itaque ſtatuto colligunt AA. unanimi ferè conſenſu, ne Reginaldo quidem excepto, quem Palao in oppoſitum immeritò citavi, quòd ſi quis conſcius ſibi eſset peccati mortalis, à quo etiam indirectè fuiſset abſolutus: ſi v. g. recordaretur alicujus mortalis inculpabiliter per oblivionem, vel quacunque ex cauſa in confeſſione omiſſi, vel expreſſi quidem,

ſed altiori poteſtati reſervati, quamvis à cæteris omnibus per præcedentem confeſſionem directè abſolutus eſſet, tali nihilominus illicitum fore, ſecluſa gravi neceſſitate, Sacram Euchariſtiam more Laico, vel in ſacrificio Miſſę more ſacerdotali ſuſcipere, antequam per confeſſionem Sacramentalem directam abſolutionem à confeſſario habente poteſtatem impetraſſet, quia qui tenetur adhuc coram Judice ſe accuſare de peccato ſuo mortali cognito, eſt ſibi conſcius peccati mortalis: hinc Tridentinum verba illa; *Quantumvis ſibi contritus videatur*: non præcisè propter incertitudinem, utrùm contritio fuerit vera, & ſufficiens ad remiſſionem peccati appoſuit, ſed quia illa, uti & indirecta abſolutio non liberat ab onere, ſe Deo ut Judici ſiſtendi per confeſſionem ſacramentalem; cùm tamen finis intentus per legem præmittendæ confeſſionis ſit, ut caveatur indecentia conſiſtens in hoc, quòd quis accedat convivium, quo Deus ſummè amicum & reconciliatum ſe oſtendit, & tamen accedens adhuc obligationem habeat, illi ſe ut Judici ſubiiciendi, & cauſam ſuam coram eo dicendi, atque ſententiam reconciliationis à Sacerdote tanquam Dei Vicario expectandi.

113 Colligitur 2. Deficiente confeſſario, & ſimul urgente neceſſitate licere præmiſſa contritione perfecta, ſacram Euchariſtiam cum conſcientia peccati mortalis ſumere, tunc autem cenſetur deficere confeſſarius, quando non tantùm is, qui aliàs eſt proprius Sacerdos, vel cui cum majori devotione confeſſio fieri ſolet (uti ſufficere improbabiliter putabat Richardus apud Tannerum) ſed etiam nullus alius, vel propter diſtantiam loci teſte Suarez, Vaſquez, Tannero, Coninck, Palao, ſecundùm diverſas circumſtantias prudentis judicio metiendas, vel propter infirmitatem virium ſine magno incommodo, vel propter aliud grave damnum, aut periculum damni, v. g. fractionis ſigilli, infamiæ apud alios, gravis ſuſpicionis &c. adiri poteſt, vel quando is, aut non licitè propter Excommunicationem, vel ſuſpenſionem, aut non validè, ob defectum poteſtatis in mortalia, vel reſervata, abſolvere poſſet, quamvis ſi præter reſervata commiſſa ſint alia mortalia non reſervata, plurimi cum Suarez, Tannero, Palao, Lugo, Dicaſtillo dicant, ea ſaltem clavibus ſubiicienda eſſe, quod quidem etiam ego conſulendum, ſed non præcipiendum puto, ut probabile fatetur Suarez *diſp. 66. ſect.* 4. §. *quartus caſus eſt*, Palao *punct.* 12. *n. 6.* Tamb. *de Exped. commun. cap.* 1. §. 6. *n.* 25. imò Vaſquez *diſp.* 208. *c.* 2. *num.* 7. & *tom.* 41. *quæſt.* 91. *art.* 3. *dub.* 9. neque conſulendum ait, eò quòd contra aliorum communem doctrinam exiſtimet, non poſſe directè abſolvi à non reſervatis, qui ſimul habet reſervata. Ratio autem meæ aſſertionis eſt, quia per confeſſionem mortalium non reſervatorum non minuitur obligatio propter peccatum reſervatum ſe Deo ſiſtendi, ut Judici, quamvis per eam obtineatur major certitudo exiſtentiæ in gratia, quàm per contritionem, & proinde confeſſio, cùm non poſſit peragi talis, qualis ſervit ad finem prædictum, ac directè intentum, propter reverentiam Sacramenti ſub conſilium, ſed probabiliter ſub præceptum non cadit; ſicut ſi quis præter peccata reſervata nullum aliud habet mortale, ſecundùm Tamb. *num.* 20. apud omnes certum eſt, eum non teneri ad confeſſionem, quamvis pareret majorem certitudinem gratiæ, quàm ſola contritio, de cujus exiſtentia & perfectione meritò poteſt dubitari, adeoque etiam de remiſſione peccati, niſi ejus imperfectio per acceſſionem Sacramenti pœnitentiæ ſuppleatur.

Fateor tamen, per accidens poſse dari obligationem cum peccatis non reſervatis etiam exponendi reſervata: quando ſcilicet cognitio totius ſtatus pœnitentis eſset neceſsaria ad inſtructionem, & ſeriam emendationem Pœnitentis, & ad cognoſcendam obligationem ex peccato reſervato ortam, atque ad remotionem periculorum, & occaſionum relapſus. Pro tali ſaltem caſu expreſsè inquit S. Thomas 4. *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 4. *q.* 2. *ad* 4. *Dicendum, quod etiamſi Sacerdos non poſſit de omnibus abſolvere, tenetur ſibi omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ cognoſcat, & de illis, de quibus non poteſt abſolvere, ad Superiorem remittat.* Intereſt enim cognoſcere quantitatem totius culpæ, quando ea cognitio non quidem poteſt ſervire ad eam totam directè dimittendam, attamen ad alium finem, ex gravi obligatione procurandum, ſine auxilio Confeſsarii probabiliter non ſatis obtinibilem.

Tunc verò cenſetur urgere neceſſitas, quæ cum defectu Confeſsarii debet concurrere, quando ſine nota infamiæ, aut gravi detrimento proprio vel alieno; communio, aut celebratio miſsæ omitti non poteſt, ſi v. g. Laicus ad cancellos pro recipiendi communione jam flectens, aut Sacerdos aræ aſſiſtens ſuo receſsu internæ indiſpoſitionis ſuſpicionem præberet, vel ſi pro communicando infirmo ſacrum viaticum conſecrandum, aut aliàs die feſto populus ſine ſacro dimittendus foret, quod Tamburinus contra communiorem quidem, ſed tamen probabiliter ait, verum eſse, etiamſi Sacerdos non ex officio, ſeu ratione curæ animarum ſuſceptæ, celebrare teneatur, quia nec talis evitaret prædictam ſuſpicionem. 114

Colligitur 3. Si neceſſitate urgente Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, eum, quàm primùm poteſt, confiteri debere, quod quidem propter materiæ gravitatem rectè aſseritur, eſse præceptum ſub mortali obligans, & non tantùm ſub veniali, multò minùs tantùm per modum Conſilii. Quia Tridentinum modo præceptivo loquitur, & ſic contra Villalobos, Fagundez, Tamburinum poſtea definivit Alexander VII. ut ſuprà monui. Eſt tamen teſte Suarez, *diſp. 66. ſect.* 7. Vaſq. *diſp.* 208. *art. n.* 16. Tannero *d ſp.* 5. *quæſt.* 8. *n.* 27. Palao, Coninck, Bonac. Lugo, Dicaſtil. & apud hunc aliis Doctoribus, ſecundùm rigorem verborum reſtringendum ad ſolos Sacerdotes, cum actuali memoria peccati mortalis & neceſſitate celebrantes. 115

§. IV.

Quænam in ſuſcipiente Euchariſtiam requiratur diſpoſitio ex parte corporis, & maximè de obligatione jejunii naturalis.

SUMMARIUM.

116 *Actus Venereus inter conjuges licitus, & inter cælibes illicitus, ſed per Confeſſionem expiatus, non impedit ſequentis diei licitam ſumptionem Euchariſtiæ, decet tamen etiam pridie ab illo abſtinere.*

117 *Ante Communionem nec minimum cibi vel potus extra caſum neceſſitatis eadem die ſumere licet.*

118 *Quando incipiat obligatio jejunii ejuſdem diei.*

119 *An poſt ſumptam ablutionem liceat abſumere particulas Euchariſtiæ.*

120 *An liceat Euchariſtiam extra neceſſitatem ſumere cum cibo vel potu.*

121 *Quid per comeſtionem, vel potationem intelligatur.*

122 *An dubitanti de ſervato jejunio liceat communicare.*

116 SUb gravi obligatione nulla alia diſpoſitio corporis requiritur, quàm jejunium naturale ejuſdem diei, quo ſuſcipitur Euchariſtia: pollutio enim involuntaria, vel matrimonialis inter conjuges ex fine honeſto ſuſcepta non impedit Communionem, aut celebrationem miſſæ, & ſolùm perfectiùs, ſeu conſultiùs eſſet, teſte S. Thoma *quæſt.* 80. *art.* 7. & aliis DD. communiter, ſi quadam corporis commotione aut animi perturbatione adhuc perſeverante, & devotionem impediente, in ſequentem diem, niſi feſti celebritas, aut apud Sacerdotem pia conſuetudo quotidie celebrandi, vel aliud incommodum obſtet, pro majori devotione recuperanda differretur: quod idem à fortiori conſulendum eſt, ſi culpa venialis propter aliqualem negligentiam, aut datam occaſionem, vel etiam mortalis, licèt per confeſſionem iterum expiata, intervenit. Sic etiam propter reverentiam Sacramenti, & meliorem animi præparationem, ſi abſque majoris tentationis incommodo, vel alterius partis injuria fieri poſſit, docet, conjuges nocte præcedente abſtinere ab uſu matrimonii: cùm olim *in capit.* 2. *De Conſecr. diſt.* 2. omnino tres, aut quatuor,

aut

aut octo dies præſcripti fuerint, ſaltem per modum conſilii: Indicatur hæc decentia in decreto à Congregatione Concilii Tridentini juſſu Innocentii XI. edito & publicato 12. Feb. 1679. quod allegatur à Joanne Cardenas *in Criſi Theol. 3. p. diſp. 66. c. 1.*

Dixi: *Conſulendum*. Quia præceptum naturale nullum extat, ſi peccatum debito modo ſit expiatum, & ſi quod poſitivum contineretur *in cap. Teſtamentum diſt. 6.* prohibens celebrare pollutum ex crapula, vel more etiam Laico communicare pollutum ex præcedenti peccato mortali contra caſtitatem, illud per contrariam conſuetudinem eſt abrogatum. Quamvis verò S. Auguſtinus *ſerm. 244. de Temp.* & alii quidam dicant, pollutionem præcedentem etiam inculpabilem, ſub culpa veniali obſtare communioni, tamen de indevotione in prædictis caſibus, quibus communionem differendam conſuluimus, plerumque culpabiliter ſubſequente, intelligendi ſunt, qua pro viribus evitata S. Juſtinus Mart. *quæſt. 21. ad Gentes* ait: *Non eſt æquum propter hanc involuntariam paſſionem abſtinere à Myſteriis.*

117 De jejunio itaque naturali, (cujus præceptum non à Chriſto, uti putavit Sotus, ſed ab Eccleſia, jam olim hortante S. Paulo, ut dicitur in *cap. 54. de Conſecr. diſt. 2.* latum eſſe, ex diverſis Conciliis adductis à Suarez *diſp. 68. ſect. 7.* colligitur, ne, ut inquit Concilium Matiſconenſe II. *can. 6.* cœleſti & ſpirituali cibo terreſtris præponeretur quod licèt non poſitivam indecentiam, ejus oppoſitum tamen poſitivam decentiam graviter imperabilem, & ſub qualibet materia prædicto fini æqualiter ad verſantem importat) aliquot quæſtiones pro praxi ſitu neceſſariæ diſſolvendæ ſunt, quæ omnes ex ſequenti verborum, legem jejunii continentium declaratione dependent ut ſcilicet nullus eadem die naturali, ante ſumptionem SS. Euchariſtiæ ullam aliam comeſtionem, vel potationem ſe præmiſiſſe ſciat, niſi gravi neceſſitate urgente.

Quæritur 1. Quando lex jejunii naturalis pro die com-
118 munionis incipiat obligare. Reſpondet Diana cum pluribus aliis DD. ab ipſo relatis *par. 3. tract. 4. reſolut. 36.* incipere ad primum ictum unici, vel ſi, plura probabiliter non errantia adſint, ultimi horologii, quod *part. 6. tract. 6. reſolut. 34.* ſecutus Lugo *de Euchar. d. 15. ſect. 2. n. 37.* extendit omninò ad primum pulſum minorem quo horæ quadrantes deſignantur, idem tamen Diana *part. 10. tract. 13. reſolut. 54.* agnoſcit, probabilem, & approbat ſententiam Leandri, & hoc teſte aliquorum DD. complutenſium, ab ipſo conſultorum, ac noſtri P. Martini Preſſeri, Dicaſtillo & aliorum, aſſerentium, poſt ultimum ictum inciperet, quia licèt ſi exactè eſſent conſtructa horologia, deberent primùm poſt completè elapſam horam pulſu dare ſignum, tamen de facto ita exactè conſtructa non ſunt, & ſupponuntur eſſe adhuc ſatis accurata, ſi cùm finiunt ſonum, tempus ab illis deſignatum omninò præterierit, adeoque heſternus dies naturalis communiter & juxta conſuetudinem Eccleſiæ cenſetur elapſus, & novus incipere, quando media nocte ultimum ſignum horæ, quæ apud nos eſt duodecima, inſonuit, aut ultimæ horæ, ſecundùm proportionem noſtrarum dierum, ac noctium, Lege Eccleſiaſtica deſignandæ in illis locis, ubi longo tempore ſol nunquam oritur, vel occidit, ut notant Suarez & Tannerus, durat autem lex jejunii naturalis tantùm uſque ad ſumptam Euchariſtiam, etiamſi enim modica prorogatio jejunii cum S. Chryſoſtomo *tom. 27. in primam epiſtolam ad Corinthios* communiter ſuadeatur, tamen neque ex Concilijs, ſtatuentibus præcedens jejunium, neque ex conſuetudine Eccleſiæ, neque ex intentione Legis colligitur aliquod præceptum, & ſicut *capitulum Sacramenta de Conſecr. diſt. 1.* eſt abrogatum, quod in memoriam Euchariſtiæ ex ſpeciali ratione primùm poſt ſumptum cibum à Chriſto inſtitutæ & adminiſtratæ, conceſſit in die Cœnæ Domini ſumptionem cibi profani ante ſpiritualem; ita etiam abrogatum eſt, *Capitulum Tribus gradibus de Conſecr. diſtinct. 2.* ſtatuens prorogationem jejunii per aliquot horas.

119 Quærirur 2. An ſatisfaciat Legi jejunii, qui ante ſumptionem S. Euchariſtiæ inchoatam, non verò abſolutam, & completam, nullam comeſtionem aut potationem præmittit. Reſp. Satisfacere, cùm ſæpè hoſtia in ore adhuc hæreat ablutione in ſtomachum jam demiſſa, hinc poſt longam Euchariſtiæ diſtributionem peractam finito ſacro poſſe reliquias, imò etiam parvas hoſtias, in eodem conſecratas à Sacerdote adhuc in ara permanente abſumi, docent Suarez. Fagund. Lugo, quos ſequitur Diana *part. 10. tract. 13. in fine reſolut. 53.* quibus longè plures addi poſſunt, ut Vaſquez, Coninck, Tannerus, Layman. Dicaſtillo, Palao; ſi tamen in alio ſacro prædictæ reliquiæ ſint conſecratæ, & aſſervari commodè poſſint, Sacerdoti poſt ablutionem eas ſumere licitum eſſe negat Diana *part. 6. tr. 6. reſ. 23. citans* Suarez, Vaſq. Reginald. Fagund. Bonac. Coninck, Filliucium, Victoriam, quibus adde Tannerum, Amicum, Dicaſt. Admittit tamen Palao, nec improbabiliter, uti nec Dicaſt. *num. 389.* & Lugo *Diſp. 15. num 80.* improbant morem Sacerdotum, purificantium Sacram pyxidem poſt ablutionem, etiamſi reliquiæ fuerint alterius Sacrificii; quia etiamſi hoſtiæ ab alio Sacerdote conſecratæ non ſpectent ad complementum ſacrificii, hoc ipſo, quòd non ſint ejuſdem ſacrificii, ſpectant tamen ad complementum communionis: neque enim earum ſumptio eſt nova communio, ſed moraliter eadem, quam ſufficit ſuiſſe inchoatam à Sacerdote jejuno, ut teſtatur Vaſquez *diſp. 211. à n. 52.* Dicaſtillo *diſp. 9. num. 357. & 389.* citans Cajetanum.

Exemplum enim, quòd in contrarium affert Lugo 120
n. 77. de interpoſita comeſtione trium ficuum, non eſt ad rem, quia ablutio interpoſita ſpectans ad actionem communionis, non ſimpliciter tollit continuationem illius, ſicut comeſtio ficuum, neque ad rationem ſacrificii, neque communionis ſpectans, unitas autem Sacrificii, quòd nimirum omnes particulæ in eodem Sacrificio ſint conſecratæ, neque ſufficeret, niſi omnes ſumerentur per modum unius Communionis, neque requiritur, quia per ſimplicitatem Communionis, ſalvata integritate jejunii ſaltem tali modo, quo ſufficit ex permiſſu Eccleſiæ, datur ſufficiens jus abſumendi particulas in altero Sacrificio conſecratas, & immeritò Dicaſtillo *num. 364.* exigit aliud jus, unde probabile eſt, etiam in Sacriſtia ante depoſitas ſacras veſtes (quibus cum exuitur animus continuandi convivium, & finitur totum exercitum officium) eas particulas, quæ in patena remanent, & commodè ſervari non poſſunt, abſumere licere: ſicut de reliquiis proprii Sacrificii in patena repertis, plures concedunt apud Dianam, *part. 10. tract. 13. reſol. 54.* quod ipſum tamen negat *part. 3. tract. 4. reſolut. 45.* cum Layman. Coninck, Suarez & aliis ab ipſo relatis, licèt deinde *part. 5. tract. 14. reſolut. 43* cum Granado, Jo. Bapt. de Fabris & Megalio id rurſus fateatur probabile, & Dicaſtillo *num. 391.* oppoſitum, non niſi, ut probabiliùs judicet. Neque tamen hinc ſequitur, etiam Laico poſt ablutionem poſſe præberi alias particulas, niſi (ut excipiunt Lugo, & Dicaſtillo) ex viatico ad ægrum delato ſuperfuerint, & propter parvitatem commodè aſſervari, vel reportari non poſſint, quia hoc, vel non decet, cùm non ſit ipſius officii, reliquias abſumere, vel poſt ſumptam ablutionem jam cenſetur finita illius communio, præſertim ſi morula aliqua interceſſiſſet, quod non habet locum in Sacerdote, cujus eſt abſumere reliquas, neq; cenſetur diſcontinuare Communionem, quamdiu in eodem Sacrificio continua actione eſt occupatus.

Quæritur 3. An potationem v. g. liceat ſimul inchoare cum Communione? Reſp. per ſe loquendo non licere, infirmo tamen ſecundùm communem praxin licet Sacram Euchariſtiam in cochleari cum liquore ſumere, ſi ob ſiccitatem faucium aliàs ſumere nequeat, quia talis etiam non jejunus licentiam habet communicandi.

Quæritur 4. Quid per comeſtionem aut potationem 121
intelligatur? Reſp. ad hanc tria requiri, quantitatem, & qualitatem, & modum ſumendi: circa quantitatem certum eſt, ſi minimum actione directa, vel ſeparabiliter à ſaliva ſumatur, illud ſufficere ad comeſtionem, vel potationem, ut conſtat ex Concilio Toletano VII. *can. 2.* ubi ſic loquitur. *Nullus poſt cibum potumque quemlibet minimum ſumptum miſſas facere præſumat.* Hinc ergo communiter reſolvitur, ſi gutta aquæ, vel cibi guſtati, vel ſucci ex folio tabaci, dentibus contriti, ad detrahenda phlegmata ex capite, vel attrahenda ex ſtomacho, etiamſi non

priùs in ſalivam fuerit converſa (ut nimis ſcrupuloſè exigebant Durandus & Gabriel) præter intentionem, & inſeparabiliter à ſaliva, cum eadem traiiciatur, non ſolvi jejunium naturale, quòd ſi tamen cum intentione glutiendi ori ingereretur, & cum ſaliva glutiretur, ſolvi. Ita Lugo *in Reſp. Moral. lib.* 1. *dub.* 9. allegans Paſqualigum, & Judicium ac praxin Theologorum Neapolitanorum, ſine ſcrupulo utentium prædicta tabaci remedio, & caventium, ne quem ſuccum in ſtomachum traiiciant.

Circa qualitatem multi docent, non faciendum eſſe ullum diſcrimen, utrùm res ſumpta ad nutritionem ſervire poſſit, vel non poſſit; hinc dicunt ſumendo lignum, cretam &c. tolli jejunium naturale, ita Palao citans pro ſe Henriquez, Nonium Naldum, Layman. Bonac. Contrarium tamen docent Lugo, Dicaſt. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 52. & *part.* 3. *tract.* 4. *reſolut.* 38. pluribus relatis, neque adverſatur S. Thomas *quæſt.* 80. *art.* 8. *ad* 4. ubi licèt expreſsè dicat, *nec refert, utrùm aliquid hujuſmodi nutriat, aut per ſe, aut cum aliis, dummodo ſumatur per modum cibi, vel potus*: hoc ipſo ſupponit, aliquid ſumi poſſe, quod neque rationem cibi, vel potus habeat, quando itaque dicit, non referre, utrùm nutriat, hoc ait propter aquam, & quaſdam medicinas non nutritivas, ut expreſſit *in* 4. *diſt.* 8. *quæſt.* 1. *art.* 4. *quæſtiunc.* 2. quæ licèt non immediatè nutriant, ſolent ſervire ad nutritionem, & habere rationem cibi, ſaltem medicinalis, vel potus.

Ad modum ſumendi requiritur In primis vitalis deglutitio; hinc quia tabaci ad ſtomachum demiſſio fit tantùm per reſpirationem, nec eſt comeſtio, nec propriè dicta potatio, quamvis propter nonnullam ejus dedecentiam talis tam fœtidi fumi in os attractio ante communionem planè diſſuadenda ſit. 2. Requiritur ingeſtio in os, proveniens ab extrinſeco, hinc ex gingiva, vel capitis defluxione demiſſus ſanguis non dicitur comedi vel bibi, benè tamen is, qui admoto ore ex vulnere ſugitur teſte Dicaſtillo *diſp.* 9. *num.* 281. Requirunt etiam apud Dicaſtillo *tr.* 4. *de Sacram. diſp.* 9. *dub.* 17. *n.* 283. citati Barthol. ab Angelo & P. Stephanus Bauny, ut ingeſtio eadem die ſit facta, ideoque admittunt Saccharum pridie communionis ori ingeſtum, ad raucedinem pellendam non obeſſe jejunio, etiamſi poſt mediam noctem primùm totum reſolvatur, & abſumatur. Verùm alii id communi conſenſu & meritò negant, neque eſt probabile: quia ſucceſſiva deglutitio eſt continuata comeſtio: reliquiæ cibi tamen, dentibus inhærentes, & præter intentionem trajectæ non impediunt communionem; imò probabile eſt, etiamſi de induſtria fuerint trajectæ, ut patet ex aſſertione, & ratione univerſali S. Thomæ *cit. diſt.* 8. *quæſt.* 1. *art.* 4. *quæſtiunc.* 2. *ad* 3. & expreſsè docent Coninck, Palao, & ut videtur, etiam Suarez, qui tamen ait ſuadendum, ut hujuſmodi particulæ, quando animadvertentur, potiùs eiiciantur ex ore, diſparitas autem in re morali, & ab æſtimatione hominum pendente, ex intentione glutientis ſaccharum, & particulas cibi heſterni ſecundùm cit. A. A. eſt hæc: quia ſaccharum in ore aſſervatur cum intentione continuandi comeſtionem, donec totum diſſolvatur: reliquiæ cibi verò, cùm præter intentionem inter dentes hæſerint, & ſint particulæ cibi heſterni, ideo earum glutitio dependens ab ingeſtione heſterna, ſpectat tanquam complementum ad comeſtionem heſternam.

122 Quæritur 5. Qua certitudine quis ſcire debeat, ſe comeſtionem, aut potionem præmiſiſſe, quò minùs SS. Euchariſtiam ſuſcipere liceat. Reſp. Tali, quæ omne rationabile dubium de oppoſito excludat; quia præceptum, non niſi jejunè ad Euchariſtiam accedendi, non eſt impoſitum dubitanti, ſed certò ſcienti, ſe non eſſe jejunum, ut cum plurimis docet P. Gobat *in Alphabeto Communicantium num.* 280. quod hac ratione probari poteſt. Licèt enim præceptum jejunii ſit certum, obſervatio autem ſit dubia, & ſic præceptum videatur eſſe in poſſeſſione, tamen quia præceptum eſt negativum de non ponenda actione comeſtionis, vel potationis ante communionem, ideo communicans eſt potiùs in poſſeſſione ſui juris, ſeu licentiæ communicandi, quamdiu non probatur, poſitam eſſe actionem contrariam Legi jejunii, ut optimè diſcurrit Dicaſtillo *num.* 300. hinc ubi plura ſunt horologia, licet ſequi quodcunque, non certò errans: Item edens aut bibens in dubio, an ſit audita hora 12. nocturna, poteſt, niſi priùs utcunque certò conſtet, ſuiſſe auditam, communicare, uti etiam, qui inter abluendum os, dubitat, an aliquid demiſerit.

§. V.

De Cauſis excuſantibus ab obligatione jejunii naturalis.

SUMMARIUM.

123 *Quæ ſit urgens neceſſitas non jejunè communicandi.*

124 *An poſt ſumptam Euchariſtiam incidens in periculum mortis poſſit eadem die denuo communicare, vel an etiam debeat.*

125 *An durante eodem morbo lethali liceat ſæpius non jejuno communicare.*

126 *An Sacerdoti non jejuno liceat conſecrare propter neceſſitatem moribundi.*

Quæritur. Quænam ſit urgens neceſſitas non jejunè communicandi. Reſp. Ferè eſſe ſequentes. 1. 123
Eſt reverentia Sacramenti, aliàs ab hoſtibus diripiendi. 2. Perfectio Sacrificii, quando, ut ſtatuitur *in cap. Nihil* 7. *quæſt.* 1. & Concilio Toletano VII. Can. 2. Sacerdos poſt conſecrationem defectu virium miſſam abſolvere nequit, & in abſentia alterius Sacerdotis jejuni eam alius non jejunus ad exitum perducere debet, vel quando idem Sacerdos ſumpto calice advertit, per errorem meram aquam fuiſſe infuſam, quam, ut contra Angelum & Sylv. optimè advertunt Suarez, Tanner. Henriq. propter decentiam & reverentiam particulæ conſecratæ, non convenit, ex ore in calicem emittere, ſed potiùs glutire cum reliqua aqua, quæ eſt in calice, deinde ferè omnium contrà Paludanum conſenſu, debet Sacerdos vinum de novo infundere, conſecrare, & ſumere. Ratio hujus neceſſitatis hæc aſſeritur à S. Thoma, *quæſt.* 83. *art.* 3. quia in concurſu duorum præceptorum ſibi adverſantium illud eſt præferendum, quod minus habet periculi, uti in poſito caſu minus periculum eſt irreverentiæ in violatione jejunii, quàm in imperfectione Sacrificii, aut communionis, quæ imperfectio jure divino graviſſimè eſt prohibita. 3. Metus infamiæ, ut ſi Sacerdos in ara jam conſtitutus, vel etiam nondum conſtitutus, meritò timeret ſuſpicionem peccati mortalis. Ita Suarez & Tannerus. 4. Periculum publici Scandali aliàs inevitabilis, modò hujus evitationem non incurratur aliud ſcandalum majus, ut rectè notat Tanner. *diſp.* 5. *q.* 8. *num.* 94. 5. Periculum mortis, ſive naturalis, ſive violentæ, in quo recipiendum eſt viaticum, ſi aliter nequeat etiam à nō jejuno. Circa hanc ultimam cauſam neceſſitatis

Dubitatur 1. An incidens in morbum lethalem poſt 124
ſumptam Euchariſtiam poſſit eodem die rurſus accipere SS. Euchariſtiam per modum viatici. Reſp. Contra Joannem & Franc. de Lugo, Tabb. *Opuſc. de exped. commun. cap* 5. §. 6. Amicum, & alios ſatis multos, poſſe rurſus accipere: prout etiam practicatum eſſe in morte Adm. R. P. N. Generalis Claudii Aquavivæ teſtatur Amicus *diſp.* 27. *n.* 13. ita Diana *part.* 10. *tr.* 11. *reſolut.* 40. ubi pluri mos citat, & priùs illam tradidit *par.* 4. *tract.* 4. *reſolut.* 197. ſecutus Gab. Hurtado aſſerentem, quòd plures graviſſimi viri in Academia Complutenſi, & Salmanticenſi (addit Palao *punct.* 14. *n.* 8. etiam in Vallisoletana) docuerunt, teneri talem infirmum ſumere Euchariſtiam per modum viatici, ſi eo die credatur moriturus. Verùm non teneri patebit ex ſeq. art. aſſero tamen, id licitè poſſe, non obſtante S. Thoma *quæſt.* 80. *art.* 10. *ad* 4. & 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 3. *art.* 1. *quæſtiunc.* 4. ut tantùm negat, non loquendo de articulo mortis.

Probatur aſſertio partim ex auctoritate relata, partim ex ratione, quia prohibitio eodem die bis communicandi (quæ colligitur *ex cap. Conſuluiſti de Celeb. miſſæ & cap. Sufficit de Conſecr. diſt.* 1. ubi licèt de Sacerdote textus loquatur, transfertur tamen potiori jure ad communio-

nionem more Laico) non neceſſariò extenditur ad illum caſum, quo SS. Euchariſtia per modum Viatici reſumitur, ad gratiam ſpecialem fœlicis mortis obtinendam; ſicut neque lex jejunii ſe extendit, quæ magis tamen rigoroſa alioquin eſt, quàm lex ſemel tantùm communicandi, cùm in hac lòngè faciliùs diſpenſetur, ut fit cum Sacerdotibus die nativitatis Domini, & in amplis Parochiis, quando non eſt copia Sacerdotum; unde finis, qui eſt repræſentare ſimplicitatem paſſionis, non tam univerſaliter & rigoroſè intenditur.

125 Dubitatur; 2. An durante eodem periculo mortis actualis ſæpiùs præberi poſſit SS. Euchariſtia non jejuno. Ratio dubitandi eſt, quia videtur in tantum concedi licentia non jejuno communicandi, in quantum neceſſarium eſt ipſi S. viaticum; ergo ſi de hac neceſſitate eſt pro-viſum, tunc ratio excuſans à jejunio eſt ſublata. Nihilominus contra Vaſquez *diſput.*211. *à num.*37. rectè docent Suarez Fagund. Henriquez, Bonacin. Tamb. Armill. Tanner. Amicus, Saà, Lugo, Dicaſtillo, Bernal. Coninck, & probabile, ac tutum cenſet Joannes Præpoſitus, infirmo licere ſæpius ſaltem ſex, ſeptem, vel octo diebus interpoſitis, imò Palao *punct.* 13. *num.*13. Laym. Dicaſt. citans Armillam, & Hurtadum probabiliter docent, licere quotidiè non jejuno communicare: quia textus *cap. Si quis de corpore, & cap. De his vero* 26. *quæſt.*6. & Concilii Conſtantienſis *ſeſſ.* 13. abſolutè concedentes, conſtitutis in mortis periculo, ut ſuſcipiant Euchariſtiam, etiam poſt cibum, vel potum, cùm aliter ſuſcipere commodè non poſſunt, non limitant conceſſionem pro una tantùm vice, conſequenter non opus eſt alia cauſa excuſante à jejunio, quàm ipſo mortis periculo, in quo meritò frequentiorem communionem, tamquam valdè utilem videtur concedere Eccleſia. Unde teſte Tannero *diſputat.* 5. *quæſt.* 8. *numer.* 84. Diana, & communi praxi, infirmus non tenetur ſummo manè v.g. ante auroram curare afferri SS. Euchariſtiam, etiamſi eò uſque jejunium protrahere poſſet.

126 Dubitatur 3. An etiam alienum mortis periculum ſufficiat ad excuſandum à jejunio v.g. Sacerdos non jejunus poſſit legere ſacrum, & in eo conficere SS. Euchariſtiam ad communicandum infirmum; In primis non eſt dubium, Sacerdotem huic neceſſitati non proſpiciendo, atque longo tempore intermittendo aſſervare pro infirmis paratas hoſtias cum probabili periculo eventuræ neceſſitatis, graviter peccaturum contra *cap Preſbyter de Conſecrat. diſtinct.* 2. ea tamen neceſſitate evenien te licere non jejuno celebrare miſſam probabile judicant Suarez, Lugo, Dicaſtillo Tambur. Filliuc. Tann. Granad. Eſcob. Diana *part.*8. *tractat.*1. *reſolut.*78. referens *part.*2. *tractat.* 14. *de Celeb. miſſarum reſolut.* 66. Philiarchum, Fernandez de Geredia, quibus Dicaſt. *num.*344. addit Majorem (qui tamen propter nimiam indulgentiam in aliis legibus Eccleſiaſticis circa hoc myſterium minùs diſpenſabilibus communiter improbatur) Zanardum Zamranum, & in caſu neceſſitatis, ſi infirmus aliud Sacramentum ſuſcipere nequeat; concedit etiam Layman, ſine qua limitatione tamen ſententiam affirmativam probabilem cenſeo, ut ſusè & accuratè oſtendit Dicaſt. aſſignans ſolidam diſparitatem inter præceptum jejunii, quod, ut vidimus Eccleſia propter diverſas cauſas relaxat, & inter obligationem non celebrandi ſine altari, ſine ſacris veſtibus, ſine pane azymo, quia hanc numquam ſolet relaxare, uti etiam in aliis legibus poſitivis & merè humanis, una fortiùs & irremiſſibiliùs obligat, quàm altera. Cæterùm fateor oppoſitam ſententiam, ut probabiliorem communiter tradi à DD. eamque tenent Navarrus Gob. Sotus, Suar. Vaſqu. Tannerus, Coninck, Valent. Tolet. Henriq. Bon. Laym. Amicus, Palao, Gonet, Præpoſitus, Bernal. & alii quàmplurimi.

ARTICULUS VI.

De Obligatione ſumendi SS. Euchariſtiam.

§. I.

De obligatione in Articulo mortis.

SUMMARIUM.

127 *Ex precepto Divino, ab Eccleſia quoad tempus determinando, datur etiam extra articulum mortis obligatio ſumendi Euchariſtiam.*

128 *Ex eodem precepto Divino datur eadem obligatio pro articulo mortis.*

129 *Excipe. Niſi paulò ante articulum mortis illi obligationi eſſet ſatisfactum.*

Etiamſi aliqui apud Tannerum, *diſputat.* 5. *quæſt.* 8. *numer.* 105. & Palao *punct.* 14. *numer.* 1. negent 127
ex præcepto Divino, ſeu Chriſti Domini eſſe ullam obligationem ſumendi Euchariſtiam, plerique tamen DD. & SS. Patres (neque S. Thoma, ut aliqui putant 4. *diſtinct.* 9. *quæſt.* 1. *artic.* 1. *quæſtiunc.* 2. & *diſtinct.* 12. *quæſt.*3. *artic.*2. contradicente, ubi non negat, imò 3. *part. quæſt.* 80. *artic.*1. expreſsè affirmat, Euchariſtiam neceſſariam neceſſitate præcepti Divini ab Eccleſia quoad tempus determinandi; ſed tantùm negat, neceſſariam neceſſitate medii, ſeu ſalutis, & independenter à determinatione Eccleſiæ, abſtrahendo ab articulo mortis) affirmant, eſſe obligationem ex præcepto Divino, quod colligunt ex verbis Chriſti apud S. Joann. capit. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quæ verba, cùm non poſſint ſignificare neceſſitatem medii, ſicut illa, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* cùm gratia ad ſalutem neceſſaria jam in Baptiſmo recipiatur, & non niſi interveniente culpa perdatur, quæ in infantibus abſque communione morientibus locum non habet; ideò intelligenda ſunt de neceſſitate præcepti, non tantùm manducandi, & bibendi, ſpiritualiter per fidem in Chriſtum, ſed etiam ſacramentaliter, ſaltem ſub alterutra ſpecie, quia verba citata hunc ſenſum pariunt, *ſi nec manducaveritis, nec biberitis* &c. Sicut quando Actorum 3. Petrus dixit, *Argentum & aurum non eſt mihi*, ſenſus erat, nec argentum, nec aurum eſt mihi: quamvis enim non ſolùm Lutherani communiter, ſed etiam Catholici quidam putent, Chriſtum apud S. Joannem *toto cap.* 6. non loqui de S. Myſterio Euchariſtiæ, & Sacramentali manducatione; ac potatione, tamen reliqui Catholici ſummo conſenſu teſte Bellarmino *lib.*1. *de Euchariſt. cap.*5. adſtipulante etiam Tridentino *ſeſſ.*13. *cap.*2. docent, Chriſtum ibidem de S. Euchariſtia loqui, nec S. Auguſtino, & aliis quibuſdam Patribus, (ut cit. Bellarminus *cap.*7. oſtendit) prout quibuſdam videbatur, diſſentientibus, aliàs certè, ſi Chriſtus non de reali manducatione, & potatione Corporis, & Sanguinis intelligendus fuiſſet, non debuiſſet Judæos hoc verborum ſenſu ſcandalizatos, & quoſdam etiam diſcipulos propterea abeuntes, immò etiam permanentes, quibus ſermones ſuos malè intellectos interpretari ſolebat, in errore ipſis ſcandaloſo reliquiſſe, vel potiùs verbis omninò ſimilibus, quibus in Sacramenti hujus inſtitutione utebatur, & tam diſtinctè carnem, & ſanguinem, ut comeſtibilem, & potabilem exprimentibus, prout in Euchariſtia eſt, decepiſſe. Suppoſito itaque tali Divino præcepto

Dico, eos, quos ſuprà SS. Euchariſtiæ, & obligationis capaces diximus, obligari ex divino præcepto, 128
ut eandem in articulo mortis ſumant, niſi paulò ante ſumpſiſſent. Ita cum Angelico Doctore *quæſt.* 80. *artic.*11. teſte Palao *punct.* 14. *numer.* 4. docent ferè omnes, paucis exceptis, qui vel omninò negant Divinam obligationem, quamvis ex his S. Bonaventura 4. *diſtinctio.* 10. *articul.* 4. *quæſt.* 1. concedat adhuc obligationem

ex

ex præcepto humano, vel dicunt, ei ſatisfieri per communionem Paſchalem, quod ultimum noſter Em. Saà, Tolet. Cajet. Sylveſter, Armilla probabile reputant. Probatur communis ſententia in primis ex Concilio Nizæno canon. 22. relato *in capitul. De his 26. quæſt. 6.* ubi præcipitur, ut qui recedunt ex corpore, neceſſario vitæ ſuæ viatico non defraudentur. Atqui Concilium non vocaret illud neceſſarium viaticum, niſi pro illo articulo crederet, apud Joann. *c. 6.* fuiſſe prolata verba Chriſti Domini. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, &c. Ergo pro illo articulo datur obligatio ex Divino præcepto ſumendi Euchariſtiam.

Probatur ſecundò. Datur obligatio ſæpiùs ſumendi Euchariſtiam ex Divino præcepto, aliquo modo ſimili neceſſitati ſumendi cibum corporalem, quæ obligatio partim colligitur ex citatis Chriſti Verbis apud Joannem *capilul. ſexto* partim ex ſymbolis conſtituentibus hoc Sacramentum, ac ex fine ipſius Sacramenti, qui eſt reparatio virium ſpiritualium, multiplici fragilitate humana perditarum: ergo, vel maximè datur illo tempore, quod ob inſidias Diaboli eſt communiter omnibus hominibus periculoſiſſimum, & ex cujus momento pendet vita noſtra ęterna, etiamſi quoad reliqua tempora, quibus neceſſitas non eſt ita univerſaliter, & ex natura rei determinata, Eccleſia primùm debeat determinare.

129 Dixi: *Niſi paulo antè* verbi gratia ante octo dies, vel ut inquit Amicus, ante quindecim dies ſumpſiſſent, quam limitationem obligationis adhibent Palud. Sotus, Suarez, Tannerus (qui duo tamen ſuadent expreſsè, repetendam, etiamſi immediatè præcedenti die Euchariſtia percepta eſſet) Laymann, Coninck, Victoria, Henriquez, Amicus Bonacin. & alii contra Vaſquez, & Palao. Ratio eſt, quia licèt lex affixa certo tempori non poſſit impleri antecedenter e. g. præcepto audiendi miſſam, jejunandi, recitandi horas, non poſſit ſatisfieri die præcedenti, non eſt tamen credibile, legem ſacri viatici recipiendi affixam eſſe actuali periculo mortis, ſi finis ejuſdem eſt paulò antè procuratus, ita ut ad ſubſequens periculum virtus Sacramenti ſe facilè potuerit extendere. Quod confirmatur à pari: Cibus ille ſpiritualis ex præcepto Divino ita eſt redditus neceſſarius diſcedenti ex hac vita, quo modo ex naturali exigentia, & quaſi naturæ præcepto neceſſarius eſt cibus corporalis diſceſſuro ex uno loco in alium valdè diſtantem; ſed huic non eſt neceſsè ſumere cibum corporalem in ſuo diſceſſu, ſi eum ſumpſit paulò antè, ergo &c.

Hinc patet, cur eodem die poſt ſumptam Euchariſtiam incidens in mortis periculum, etſi poſſit juxta communem ſententiam, tamen non teneatur, recipere S. viaticum, prout tamen Adverſarii negantes per communionem non præceptam præcepto ſatisfieri poſſe, ſi conſequenter vellent loqui, dicere deberent: nam quòd dicant, talem infirmum excuſari ab obligatione ſua propter Eccleſiæ prohibitionem vetantem in reverentiam Sacramenti iteratam communionem, id immeritò ſupponunt, quia non videtur cedere in reverentiam Sacramenti, vitare id, ad quod quis aliàs ex præcepto Divino obligatur, & ſic Eccleſia poſt ſumptum cibum corporalem in mortis articulo non præcepit, in reverentiam Sacramenti abſtinentiam à viatico, multò minùs cenſendum eſt, eandem ab Eccleſia præcipi poſt ſumptum cibum ſpiritualem, qui nimirum ſpiritum ſacramentaliter reficiebat.

§. II.

De obligatione ſumendi Euchariſtiam tempore Paſchali.

S V M M A R I U M.

130 *Suppoſita determinatione Eccleſiæ ex præcepto Divino tenentur Fideles tempore Paſchali ſumere Euchariſtiam.*

131 *Evertitur ratio contraria juri Divino.*

Dico. Ex præcepto Divino, quoad tempus, & frequentiam percipiendæ Euchariſtiæ indeterminato, nunc autem ab Eccleſia determinato, & obligante, fideles teneri S. Euchariſtiam recipere, non quidem ter in anno, videlicet in Paſchate, Pentecoſte, & Nativitate Domini, ut olim vel præcepit, vel ſuaſit Fabianus Papa *Cap. 16. de Conſecr. diſt. 2. & Concilium* Agatenſe in *c. 19. ibidem*, negans ſecus facientem pro Catholico habendum, uti etiam dicitur *Cap. 21. ex Concilio Elibertano*, ſed ſaltem ſemel in anno, ſecundùm tenorem Legis Eccleſiaſticæ *in c. Omnis utriuſque ſexus de Pœnit. & remiſſ.* ſub Innocentio III. his verbis expreſſum. *Omnis utriuſque ſexus fidelis*, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, *omnia ſua ſolus peccata ſemel ſaltem in anno fideliter confiteatur proprio ſacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi fortè de proprii Sacerdotis conſilio aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum, alioquin & vivens ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, & moriens careat ſepultura.* Hæc concluſio quoad exiſtentiam præcepti Divini in ſe indeterminati patet ex dictis, quoad determinabilitatem ſuam patet ex poteſtate Eccleſiæ, à Chriſto Vicariis ſuis conceſſa; quoad actualem verò determinationem & obligationem abſolutam Lege Eccleſiaſtica introductam, quarundam particularum declaratione indiget, quam per reſponſiones ad aliquot quæſtiunculas ſequenti §. breviter dabimus. 130

Addo tamen contra Vaſq. *diſp. 214. Cap. 3. num. 20.* & Palao *punct. 14. num. 9.* Etiamſi Divinum hoc præceptum quoad tempus obligationis extra articulum mortis ſit indeterminatum, immeritò tamen ab illis aſſeri, quòd ſecluſa determinatione Eccleſiæ nullius peccati reus foret, qui toto vitæ tempore uſque ad mortis periculum omitteret communionem. Ratio enim, qua id probat Palao, nimiùm probat. Sic quippè argumentatur. Præcepta affirmativa determinatum tempus, & cognitum habere debent, in quo executioni mandentur. At ſecluſa determinatione Eccleſię nemini conſtat, nec conſtare poteſt, quod tempus Chriſtus pro præcepti executione ſignificaverit præter mortis articulum. Ergo &c. Sed facilè major negatur, quam Author nec probat, nec poteſt probare: Nam ſi hæc vera eſſet, ſequeretur, quòd præcepta Fidei, Spei, & Charitatis extra initium uſus rationis, & extra articulum mortis non obligarent directè, & per ſe, ne hujuſmodi actus per reliquum vitæ tempus continuò omitterentur, ſed ut ſaltem à libero arbitrio prudenter determinandis temporibus per intervalla non nimiùm diſtantia frequentarentur: quia præcepta hæc etiam ſunt affirmativa, & quoad tempus indeterminata. Sequela hæc eſt contra ipſum Palao, ut in tractatu de charitate vidimus, & eſt contra expreſſa Decreta ſummorum Pontificum Alexandri VII. Innocentii XI. poſterioribus temporibus edita. Itaque ex his in contrarium ſic licet argumentari. Datur Præceptum Divinum ſæpius ſumendi S. Euchariſtiam, ut in præcedenti Concluſione oſtenſum eſt; ſicut dantur præcepta ſæpius eliciendi actus Fidei, Spei, & charitatis: ergò ſicut iſta obligant extra articulum mortis, etiamſi non obligent pro tempore certo, & ab Eccleſia determinato, ſic etiam illud obligaret, etiamſi ab Eccleſia non fuiſſet determinatum ad tempus annuum Paſchale: de quo nunc aliquot Quæſtiones reſolvendæ ſunt. 131

§. III.

Præceptum communionis Paſchalis aliquot quæſtionum reſolutione declaratur.

SUMMARIUM.

132 *Meritò ab Innocentio XI. prohibita eſt propoſitio 55. aſſerens præcepto Communionis Paſchalis ſatisfieri per ſacrilegam Communionem.*
133 *Quomodo computandus ſit annus* capituli Omnis utriuſque de Pœnit. & remiſſ.
134 *Quis ſit proprius Sacerdos.*
135 *Quinam excuſentur, Sacramenta ſuſcipere à proprio Sacerdote.*
136 *Quid nomine temporis Paſchalis intelligatur.*
137 *An obligatio Communionis Paſchalis non expleta proximo tempore ſit ſupplenda.*
138 *Idem quæritur, & reſpondendum eſt quoad obligationem Confeſſionis annuæ. Supplens obligationem prioris anni, ſimul ſatisfacit obligationi anni currentis.*

132 Quæritur primò. An quemadmodum præcepto Eccleſiæ de audienda miſſa die feſto, & peragendo jejunio diebus ſtatutis, etiam in ſtatu peccati mortalis ſatisfieri poteſt, quia finis, & fructus per hujuſmodi legem Eccleſiaſticam intentus non cadit ſub legem: ita etiam ſatisfiat Legi Communionis annuæ, per eandem in ſtatu peccati mortalis peractam, ob rationis paritatem. Reſponſio negativa certa eſt, propter propoſitionis 55. expreſſam prohibitionem, qua Innocentius XI. falſam declaravit hanc affirmativam: *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per Sacrilegam Domini manducationem.* Rationis aſſignata paritas nulla eſt; Quia non præcipitur ſolummodò phyſica manducatio, ſed Moralis, Phyſicam Manducationem includens: Moralis autem Manducatio eſt ſumptio Corporis, & Sanguinis Domini per modum cibi, & potus, non autem per modum Veneni; quem modum tamen continet Sacrilega manducatio, ut patet ex verbis S. Pauli 1. *Cor. 11. v. 27. Quicumque manducaverit panem hunc, & biberit Calicem Domini indignè: reus erit Corporis & Sanguinis Domini* (de ratione cibi & potus vitalis, in mortiferum venenum mutati) *Probet autem ſeipſum homo* (quæ eſt pars dicti præcepti Eccleſiaſtici) *& ſic de pane illo edat, & de Calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat*, (quo mortis damnationem incurrit) *non dijudicans corpus Domini.* Nempe non diſcernens, quòd Chriſti Caro verè ſit cibus, & panis vivus, de cælo deſcendens, qui dat vitam mundo.

Confirmatur hæc reſponſio ex verbis Chriſti, apud S. Joan. *cap. 6. v. 50.* de ſe ipſo dicentis. *Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur: Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Infero per converſionem. Ergo ſi non vivet in æternum, ſi ſcilic. non ita manducaverit, ut per acceptam gratiam obtineat jus ad vitam æternam, ſed ſi potiùs ſacrilega comeſtione ſe æternæ mortis reum fecerit, hoc ipſo non moraliter manducavit panem vivum, & vivificantem. Atqui in peccato mortali audit miſſam, vel jejunat, ille phyſicè & moraliter exequitur præceptum, & honeſtè operatur; manet enim operatio etiam in ſtatu peccati mortalis poſita, in ſe honeſta, ac Lege præceptibilis: qualis non manet manducatio Sacrilega. Ergo eſt diſpar Ratio.

133 Quæritur ſecundò. Quomodo computandus ſit annus pro obligatione præcepti confeſſionis ſcilicet, an initium annuæ obligationis ſit faciendum à primo die Januarii, vel à tempore Paſchali, vel à die peractæ confeſſionis, vel à die lapſus in grave peccatum. Reſp. à die peractæ confeſſionis, vel à die gravis lapſus annum computandum non eſſe, ut optimè oſtendit Coninck ex cit. Lege, quæ omnes fideles ad eundem annum obligat. Atqui non eſſet idem annus, ſi à tam diverſis diebus, quibus fideles confiteri, vel peccare ſolent, initio facto computaretur, ergo &c. Itaque, vel à primo die Januarii computatio anni facienda eſt, ut Vaſquez, & Palao placet, vel à tempore Paſchali, ut malunt alii communiter cum Suarez, Coninck, Layman. Reginaldo, Bonac. quibus favet Trident. *ſeſſ. 14. cap. 5.* de confeſſione, ubi cùm memoratum præceptum Concilii Lateranenſis retuliſſet: ex eo infert. *Unde jam in univerſa Eccleſia, cum ingenti animarum fidelium fructu obſervatur mos ille ſalutaris confitendi ſacro illo maximè acceptabili tempore Quadrageſimæ, quem morem hæc Synodus maximè probat, & amplectitur, tamquam pium, & meritò retinendum:* quibus verbis etſi nihil ſtatuat, videtur tamen approbare morem computandi annum pro confeſſione à Paſchate (cui ultima hebdomas in Quadrageſima, imò etiam Sabbathum ante Dominicam Palmarum, ſi feſtum Annuntiationis B. Virgin. in eo celebretur, communiter annumeratur) in Paſcha peragenda. Unde etiam Parochi hoc tempore ſolent teſtimonium peractæ confeſſionis exigere, quamvis (niſi per accidens ratione communionis in ſtatu gratiæ ſuſcipiendæ) neceſſe non ſit, ut confeſſio hoc tempore Paſchali fuerit peracta.

Quæritur 3. Quis ſit cenſendus proprius Sacerdos pœnitentis, aut communicantis, & quinam ab hac parte 134
Legis, ſcilicet à proprio Sacerdote peccatorum ſuorum abſolutionem, & Euchariſtiam ſuſcipiendi excuſentur. Reſp. Proprium Sacerdotem eſſe Epiſcopum, vel Parochum, ejus Diœceſis vel loci, in quo quis ſtabiliter commoratur, vel ſaltem quoad hos actus, nempe confeſſionis & communionis eſſe quemcumque Sacerdotem approbatum, cui Summus Pontifex, vel Epiſcopus vel Parochus poteſtatem ſuam delegaverit; unde Parochiani obtenta, vel ſaltem rationabiliter præſumpta licentia alteri confitendi, & Euchariſtiam ſuſcipiendi, ſatisfaciunt præcepto, quoad prædictam partem, item qui etiam invito Parocho confitentur habentibus poteſtatem delegatam à Summo Pontifice, uti quoad confeſſionem annuam excipiendam, non autem quoad S. Communionem tempore Paſchatis, vel in articulo mortis impertiendam, omnibus Religioſis mendicantibus, habentibus approbationem ab Ordinario, & conſenſum ſuorum Prælatorum, delegarunt Paulus III. & Gregorius XIII.

Ad alterum membrum, qui nimirum ab acceſſu ad 135
proprium Sacerdotem excuſentur. Reſp. excuſari imprimis Sacerdotes, qui ubique celebrantes præcepto Communionis Paſchalis ſatisfaciunt, quia ſolus laicali more communicans obligatur, de manu proprii Sacerdotis S. Euchariſtiam recipere: ut ex Henriqu. & Em. Saà notavit Palao *punct. 15. num. 10.* Præterea excuſantur Religioſorum familiares intra eorum domum; non tamen extra habitantes, quibus religionis Prælatus loco Parochi eſt, item Vagi, Peregrini, & quilibet à proprio domicilio abſentes, qui juxta declarationem Eugenii IV. non tenentur propter Confeſſionem, & Communionem peragendam ad propria domicilia cum incommoditate ſua reverti, ſed ex præſumpta proprii Sacerdotis, aut dicti Pontificis conceſſa licentia poſſunt à quibuſcumque Sacerdotibus, poteſtatem Sacramenta conferendi habentibus, eadem accipere. Denique excuſantur à præcepto Confeſſionis, vel potiùs eodem, quoad hanc partem non comprehenduntur, qui nullo peccato mortali abſtricti ſunt; quia venialia neque Jure Divino, neque Eccleſiaſtico tenentur confiteri, ut conſtat ex Tridentino *ſeſſ. 14. c. 5. & can. 7.* & communiter docent Auctores.

Quær. 4. Quid nomine Paſchatis intelligatur, Re- 136
ſp. non tantùm prædicto vocabulo deſignari totum illud tempus, quod plerumque à die Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſivè S. Euchariſtiæ percipiendæ deſtinatur, ſed probabiliùs etiam in Bullis Pontificum extra diem, ſeu feſtum Reſurrectionis Domini concedentium Religioſis privilegium omnibus fidelibus S. Euchariſtiam impertiendi, nomine Feſti Reſurrectionis totum illud temporis intervallum comprehendi, quia hujuſmodi particulæ privilegio inſertæ *Feſto Reſurrectionis dumtaxat excepto* videntur ex mente Pontificum ideò appoſitæ, ut fideles ad proprii Paſtoris recognitionem conteſtandam ſaltem in Paſchate ab eodem S. Euchariſtiam, vel licentiam ab alio recipiendi petere cogantur: qui finis tamen non obtineretur, ſi aliis diebus Feſtum

ſtum Reſurrectionis præcedentibus , & ſubſequentibus, præcepto *Omnis utriuſque ſexus* ſatisfacere poſſent , percepta S. Communione à Religioſis privilegio tam illimitato gaudentibus , ut contra communiorem ad omnes anni dies uno Reſurrectionis excepto illud extendunt Navarrus , Henriquez , Azor, Saà apud Palao *tractat*. 21. *diſputat. unica* , *punct.* 19. *numer. ſecundo* , quibus accedit etiam Tamburin. quorum ſententia , etſi probabilis ſit , quia nititur fundamento communi , quòd in privilegiis verba reſtringentia ſtrictè , & ſecundùm proprietatem verborum ſint explicanda , ut favores conceſſi amplientur , tamen oppoſita ſicut eſt communior , ſic etiam eſt probabilior , & in praxi præferenda , niſi intra definitum tempus quis S. Euchariſtiam à proprio Sacerdote jam recepiſſet , vel adhuc recepturus eſſet , iſte enim nequaquam prohiberetur etiam die Reſurrectionis in templo Religioſorum communicare . Illud verò , quod Tamburinus advertit , ſi quis nimirum ſemel , vel iterum ab alio , quàm à proprio Sacerdote S. Euchariſtiam reciperet , ſecluſo ejuſdem contemptu , præſertim ſi extra tempus Paſchale actum recognitionis proprii Paſtoris præſtitiſſet , vel præſtiturus eſſet , eum ſatisfacturum præcepto ; credo verum eſſe , quia talis interpretativam , ſeu rationabiliter præſumptam licentiam videretur habere .

137 Quæritur 5. Si quis uſque ad elapſum tempus toto anno numquam communicaſſet , an deinde teneretur ſupplere . Negant multi apud Tannerum *quæſt.* 8. *numer.* 118. & Palao *punct.* 15. *numer.* 5. moti hoc probabili argumento ; quia etiam reliqua præcepta affirmativa audiendi Miſſam, jejunandi , recitandi horas , elapſo tempore non ampliùs obligant . Nihilominus Suarez , Vaſqu. Tanner. Amicus , Palao , & alii probabiliùs affirmant, eò quòd tempus Paſchale , ut colligitur ex verbis citat. cap. *ad minus in Paſcha* , & ex particulis *ſaltem in Paſchate* , & ex Tridentino *ſeſſ.* 13. *can.* 9. tantùm ſit objectum minùs principale præſcriptum propter reverentiam Feſti , & propter remmemorationem Dominicæ Cœnæ , vel Sacrificii cruenti in cruce , hoc tempore aliquando oblati; ita ut obligatio objecti principalis duret , quamdiu eidem non ſatisfit intra annum ; ceſſante enim acceſſorio , non ceſſat principale , ut colligitur *ex cap. Cùm dilecti filii* , *de Dolo* , *& Contumacia* , ubi deſignatus , ad comparendum certo tempore , ſi in illo non comparet, tenetur, cùm primùm poteſt, comparere, *& l. Celſus* §. *Sed ipſe ff. de Receptis arbitris* , obligatus certo die pecuniam ſolvere , ſi tunc omittit , obligatus manet, ut proximè ſolvat.

Colligitur dicta obligatio etiam ex uſu , & conſuetudine Eccleſiæ . Quia ferè in omnibus Diœceſibus Ordinarii , & Parochi cogunt ſuos ſubditos , vel non remittendo pœnas Eccleſiaſticas jam inflictas , vel de novo infligendo , ut qui obligationem ſtatuto tempore non expleverunt , eandem proximè expleant . Ergo ſupponunt , eandem adhuc perſeverare , & eidem adhuc ſatisfieri poſſe . Ob quam conſuetudinem , tamquam certam Legis interpretem , & confirmationem obligationis P. Joannes Cardenas *in Criſi Theol. part.* 1. *tractat.* 6 *diſputat.* 52. *cap.* 2. *à numer.* 6. Oppoſitam ſententiam aſſerit omninò improbabilem intrinſecè , & poſteriorem eſſe moraliter certam . Verùm ad hujus certitudinem oſtendi deberet , certum eſſe , quòd poteſtas exigendi ſuppletionem neglectæ obligationis fundetur in dicto ſuppoſito , quòd adhuc perſeveret obligatio neglecta , & quòd non imponatur nova obligatio in pœnam prioris tranſgreſſionis , vel in emendationem contumaciæ , requiſitæ ad inflictæ cenſuræ , aut pœnæ alterius Eccleſiaſticæ remiſſionem . Quod quia à P. Cardenas non oſtenditur , ut certum , licet ſit probabilius , præſertim quia Parochi non haberent poteſtatem , novam obligationem imponendi, ſi prior non perduraret , ideò prima ſententia manet etiam intrinſecè probabilis , & ſecunda ſolùm eſt probabilior .

Juxta hanc ſecundam ſententiam cum Amico, Palao , & Layman. etiam dicendum eſſet , ſi quis prævideret à Communione Paſchali utraque hebdomade ſe impeditum iri (ſi enim tantùm in ſecunda impedimentum oriturum præcognoſceretur , ſine dubio obligaretur quis , communicare in prima , ſicut qui die feſto non poſſet audire ultimum Sacrum , deberet audire unum ex præcedentibus) eum quidem non teneri prævenire , ſi ſaltem poſteà ſupplere poſſit , quia tempus præcedens , & ſubſequens , quorum neutrum eſt id , quod præſcribitur , videtur æqualiter reſpici à præcepto , quoad ſubſtantiam ſpectato , teneri tamen , ſi etiam ſubſequenti tempore ſe quis impediendum prævideret , vel ſi annus hujus præcepti Eccleſiaſtici ſupponeretur computari à Paſchate in Paſcha , ut adeòque iſtud ſit terminus anni .

Atque hoc , quod de Communione , idem etiam 138
de Confeſſione annua dicendum eſt : nimirum probabile eſſe , integro anno impeditum , vel negligentem confiteri , non teneri ad confeſſionem , proximo tempore ſequentis anni ſupplendam , ut poſt alios docuit Tamburin. *in Opuſcul. de Expedit. commun. capitul. quarto* , *Paragraph. tertio numer. vigeſimo octavo* , probabiliùs tamen teneri , ita ut ſi notabili tempore negligat , graviter peccet , eò quòd videatur tempus unius anni non deſignari ad finiendam obligationem , ſed ad eam non ulteriùs protrahendam . Unde qui propter culpabilem omiſſionem confeſſionis annuæ excommunicationem incurrit , quæ ferè in omnibus Diœceſibus in pœnam ſtatuitur , ab eadem non ſolet abſolvi , niſi neglectam confeſſionem velit ſupplere , qua tamen peracta probabiliùs ſatisfacit ſimul obligationi ex uno , vel pluribus , præcedentibus annis perſeveranti , & eodem anno de novo occurrenti , ita ut non teneatur eodem anno bis , aut ſæpius confiteri , quia eodem actu poteſt quis pluribus obligationibus ſatisfacere , niſi conſtet de contraria mente obligantis ; prout in caſu præſenti non conſtat , cùm qui ſupplet initio anni priorem negligentiam , omninò verificet præceptum præcisè imperans , ut intra totum illum annum ſemel inſtituatur confeſſio , quod fit etiam , quando confeſſio eſt aliunde debita ; unde ſi quis voveret eodem anno præter confeſſionem debitam aliam peragere , & deinde confiteretur animo ſatisfaciendi Voto , cum propoſito per aliam ſatisfaciendi præcepto , ea omiſſa non peccaret contra præceptum Eccleſiæ , quia per priorem ſatisfeciſſe ; ſed contra votum , quia per illud ſe obligavit ad confitendum bis in anno .

DIS-

DISPUTATIO V.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacrificio.

Ea, quæ de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacrificio expendenda ſunt, hoc verſiculo comprehenduntur.

Qui, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

ARTICULUS I.

Quis ſit Miniſter Sacrificii Euchariſtiæ.

SUMMARIUM.

139 *Solus Sacerdos poteſt validè ſacrificare.*
140 *Ex Eccleſiæ conſtitutione poſſunt plures Sacerdotes ſimul idem Sacrificium offerre.*
141 *Solvitur objectio.*
142 *Negatur paritas plurium Miniſtrorum in Sacramentis circa applicationem materiæ, & formæ.*
143 *Omnis Sacerdos poteſt validè conſecrare, & ſacrificare.*

139 Dico 1. Solos Sacerdotes eſſe Miniſtros validè offerentes Sacrificium illud conficiendo (de hoc enim nobis hic ſermo eſt) definitum eſt in Concilio Nicæno I. *canon.* 14. Lateranenſi, ſub Innocentio III. *cap.* 1. relato *in cap. Firmiter, de ſumma Trinitate*. Florentino, *Decreto de Armenis poſt ultim. ſeſſ.* §. *Tertium eſt*. Tridentino *ſeſſ.22.cap.* 1. ubi ex S. Scriptura his verbis id deducit: *Corpus & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit* (Chriſtus) *ac ſub earundem rerum Symbolis, Apoſtolis, quos tunc novi teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit, ac eiſdem eorumque in Sacerdotio Succeſſoribus, ut offerrent, præcepit. Per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem: ut ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit*. Ita Tridentinum de Miniſtro validè offerente. Idem definivit *ſeſſ.23.c.4.*

140 Dico 2. Plures Sacerdotes poſſe eſſe Miniſtros, validè offerentes idem Sacrificium, & ob certum finem, ab Eccleſia approbatum, etiam licitè. Ita cum S. Thoma 3. *part. quæſt.82. artic.2.* Theologi communiter: etiamſi enim Richardus, Angelus, & alii quidam apud Suarez putent, Neomyſtas ſimul cum Epiſcopo proferentes verba Conſecrationis, eadem tantùm proferre materialiter, ſine intentione conſecrandi, hoc tamen ab aliis communiter, & meritò negatur: quia illos habere intentionem verè conſecrandi conſtat ex eo, quòd non tantùm non prohibeantur illam habere, ſed potiùs jubeantur; quia in Pontificali dicuntur *concelebrare*, & monentur, ut ſtudeant cum Epiſcopo verba abſolvere, utique non ob alium finem, quàm ut ſimul conſecrent. Itaque probatur concluſio ex praxi Eccleſiæ, quæ ſervatur in ordinatione Sacerdotum, & Epiſcoporum, in qua recens ordinati concelebrant cum ordinante, quamvis cum hoc ſoli Epiſcopi, non autem Sacerdotes ſacrum Sanguinem ſumant. Finis autem hujus celebrationis eſt, ut ordinatio peragatur cum majori ſolemnitate, & ut oſtendatur, ab Epiſcopo Neomyſtis parem ad conſecrandum poteſtatem eſſe collatam. Imò ob ſolam ferè majorem ſolemnitatem olim cum Summo Pontifice publicè celebrante, teſte Vaſq. concelebrabant etiam Cardinales, Presbyteri, & de facto in Eccleſia cum Epiſcopo concelebrat Presbyter.

141 Contra ipſam tamen praxim obiici poteſt, quòd moraliter ſit impoſſibile, ut reliqui concelebrantes, præſertim ſi non ſit tantùm unus, vel alter, ſimul indiviſibiliter in eodem inſtanti Phyſico abſolvant verba utriuſque conſecrationis panis, & vini: hoc autem, ſi non fiat, ſed ſi vel unus præveniat Epiſcopum, ſequitur 1. eum, qui non conſecravit, deinde tamen ſumere S. Sanguinem, illum verò, qui ex Neomyſtis conſecravit, non ſumere. 2. Omnes eos, qui præveniuntur, proferre formam conſecrationis inutiliter, & ſine effectu, adeòque ſacrilegè. 3. Ab alio conſecrari ſolum panem, ab alio ſolum vinum, ſi unus in priori, & alter in poſteriori conſecratione præveniat cæteros. Reſp. Cùm in eodem Sacrificio omnes concelebrantes ſe habeant moraliter per modum unius Miniſtri, ex ipſius Eccleſiæ, & continuæ praxis teſtimonio propter prædictos fines, Pontificum auctoritate approbatos, ſufficere, ſi à Miniſtro moraliter eodem omnia ad integritatem Sacrificii ſpectantia præſtentur, quamvis deceat (ſi non omninò præceptum ſit) ut à Miniſtro in eodem Sacrificio principali, & cui alii tantùm adjunguntur, ſingula peragantur. Unde ut ex Suar. Henriquez, & aliis ſapienter monet Tannerus *diſp.5. quæſt.9. numer.65.* reliqui curent, ne in proferenda forma illum antevertant. Reſp. ſecundò, negando illatas ſequelas, eò quòd omnes concelebrantes vel implicitè, vel implicitè ſuam intentionem conſecrandi ita forment, vel tantùm in genere intendant, proferre verba conſecrationis modo meliori, quo poſſunt, juxta intentionem Eccleſiæ, vel in ſpecie illam affigant inſtanti, quo principalis Miniſter ſua verba abſolverit, ita ut ſi ipſum prævenîſſent, cùm aliàs eorum vim ſuſpendere non poſſent, nolint per ea conſecrare, quo modo, cùm omnes juxta mentem Eccleſiæ ſupponantur conſecrare velle, interpretanda eſt intentio cum Epiſcopo concelebrantium, ut Theologi communiter docent, cum S. Thoma loc. cit. allegante Innocentium Tertium.

Neque tamen ex hac reſponſione ſequitur, ſimili modo etiam in Sacramento Baptiſmi poſſe ex pluribus Miniſtris v. g. uno affundente aquam, & altero proferente formam, fieri moraliter unum. Poteſt enim in primis negari paritas inter confeſſionem Sacramenti, & inter oblationem Sacrificii, quia in Sacramentis ex contraria praxi, & traditione Eccleſiæ conſtat, actiones eſſentiales à Miniſtro ponendas, ſive ad rationem materiæ, ſive ad rationem formæ ſpectent, extra matrimonium (ubi neceſſariò debent eſſe duo) debere à Miniſtro phyſicè eodem præſtari. Unde etiam in Sacramento Euchariſtiæ invalida eſſet conſecratio, ſi non tota forma unius ſpeciei ab eodem Sacerdote proferretur. Deinde in noſtra ſententia admittente eſſentiam Sacrificii haberi per conſecrationem cujuſvis ſpeciei, alia aſſignari poteſt diſparitas, ex qua etiam confirmatur illa noſtra ſententia, nempè quòd in dicto caſu Baptiſmus ideò invalidè adminiſtraretur, quia actiones à phyſicè diverſis poſitæ ſpectant ad eſſentiam illius, actiones verò à diverſis Sacerdotibus præſtitæ ſpectant tantùm ad integritatem. 142

143 Dico 3. Quemvis Sacerdotem, etiam hæreticum, excommunicatum, depoſitum, degradatum, poſſe validè offerre Sacrificium. Concluſio quoad valorem conſecrationis, teſte Tannero *diſput.5. quæſt.9. num.59.* eſt de fide, & indicatur in cit. Conciliis, quoad valorem Sacrificii eſt ita certa, ut eodem Tannero, & Suarez atteſtantibus oppoſita ſit temeraria; cùm immeritò præter conſecrationem, & ſumptionem Sacramenti, & actiones in Miſſa fieri ſolitas, aliquid aliud requireretur.

Probatur concluſio ratione, quam indicat S. Th. 3. *p. qu.82. art.7. & 8.* Si quid obeſſet valori Sacrificii, eſſet defectus, vel Juriſdictionis; non primum, quia poteſtas confertur per Sacramentum Ordinis indelebiliter, & ſicut per peccatum mortale à Chriſto non tollitur, ſed tantùm reſtringitur, quoad licentiam, ſic neque ab Eccleſia tolli, ſed tantùm reſtringi poteſt per excommunicationem, ſuſpenſionem, depoſitionem, degradationem. Non ſecundum, quia Sacrificium non eſt actus juriſdictionis, neque illam eſſentialiter ſupponit, ergo nihil obeſt valori. Unde benè diſtinguendum eſt in-

inter Miniſtrum legitimum, quoad valorem, & legitimum, quoad licentiam offerendi, quam ſolam Eccleſia quandoque aufert in pœnam gravium criminum, etiam poſtquam eadem à Deo per pœnitentiam fuerunt dimiſſa.

ARTICULUS II.

Quid ſit Sacrificium Euchariſtiæ, eſſentialiter & integraliter ſumptum.

§. I.

Quid ſit Sacrificium in genere, & quid in ſpecie ſit Sacrificium Euchariſticum.

SUMMARIUM.

144 *Definitio Sacrificii in genere, & in ſpecie Sacrificii Euchariſtici.*

145 *Sacrificium objectivum debet eſſe res permanens, Sacrificium formale autem, id eſt, Sacrificatio debet eſſe actio, vel productiva, vel deſtructiva. Utraque hæc actio intervenit in Sacrificio Euchariſtico.*

146 *Unum in Eccleſia eſt Sacrificium, nec poſſunt eſſe plura.*

144 PLures quæſtiones ſub hoc titulo continentur. Primò. Quærit. quis ſit conceptus eſſentialis ac definitivus Sacrificii Euchariſtici, ſic dicti, appellatione ſumpta non à primo ac eſſentiali prædicato, ſed quòd huic Sacrificio maximè proprium ſit, ut Deo in gratiarum actionem omnium beneficiorum toti generi humano, ac cuilibet homini in particulari collatorum, digniſſimè offeratur. Euchariſtia enim ex Græco in Latinum vocabulum tranſlata gratiarum actionem ſignificat. Reſp. Sicut Sacrificium in genere rectè definitur: *Oblatio rei permanentis, cuius Immunitate à legitimo Miniſtro facta recognoſcitur Deus, ut ſupremus Dominus, vitaque ac mortis Author:* ita Sacrificium Euchariſtiæ eſt *Oblatio Corporis, & Sanguinis Chriſti, cuius quoad modum exiſtendi ſub ſpeciebus Panis & Vini à Sacerdote facta immutatione recognoſcitur Deus, ut ſupremus Dominus vitæque, ac mortis Author.*

145 Declaratur utraque definitio. Sacrificium enim propriè dictum, & formaliter pro actione ſacrificandi, non objectivè pro re ſacrificata acceptum, debet eſſe oblatio rei permanentis; licèt enim etiam actus tranſeuntes orationis vel aliarum virtutum Deo offerri poſſint, horum tamen oblatio non dicitur propriè Sacrificium, ut teſte Lugo *diſp. 19. n. 53.* omnes fatentur. Præterea ipſa res debet per obligationem immutari actione productiva, aut corruptiva, vel quoad rei ſubſtantiam, vel quoad modum exiſtendi, ut ſic Deus deſignetur vitæ ac mortis Author. Ideò omnia, quæ in Lege Moſaica dicebantur Sacrificia, deſtruenda erant, vel per occiſionem, ſi fuerunt animata, vel per combuſtionem, ſi inanimata & ſolida, ut ſimila, ſal, thus, vel per effuſionem, ſi liquida, ut vinum, ſanguinis, aqua &c. effuſio enim eatenus vocatur deſtructio, quatenus liquor à terra abſorptus redditur inutilis ad priſtinum uſum.

Hinc ergo oblatio Corporis, & Sanguinis Chriſti eſt propriè dictum Sacrificium, quia etiamſi ſecundùm probabiliorem ſententiam Chriſtus neque de novo producat, neque corrumpatur quoad ſuam ſubſtantiam, accipit tamen modum exiſtendi definitivè, qui modus eſſendi non ſervit ad eum finem, in quem ſervit modus eſſendi naturalis, ſed potiùs ſervit ſub ſpeciebus panis & vini ad rationem cibi & potus, veluti ſi in talem deſiiſſet, & ſic teſte Lugo *loc. cit. n. 65.* Sacrificium Euchariſtiæ, ſive Conſecratio Corporis & Sanguinis Chriſti, dici poteſt actio deſtructiva. Adde, quòd licèt ſub ſpeciebus panis concomitanter ponatur etiam Sanguis Chriſti, & ſub ſpeciebus vini corpus Chriſti, tamen vi verborum per Conſecrationem ſub ſpeciebus panis ponatur ſolum Corpus Chriſti, & ſub ſpeciebus vini ſolus Sanguis, quemadmodum per Sacrificium cruentum Chriſti in cruce Sanguis verè à corpore ſeparatus fuerat: hac itaque ratione directè, & immediatè vi verborum ponente ſeorſim Corpus & Sanguinem Chriſti, utraque Conſecratio poteſt dici actio corruptiva & Immolatio Chriſti, Chriſtus verò poteſt dici hoſtia immolata, quamvis non ita propriè: quia hoc ad propriè dictum Sacrificium non requiritur: atque ita S. Thom. 3. *p. q.* 83. *a.* 1. *in C.* inquit: *Celebratio hujus Sacramenti dicitur immolatio Chriſti, quia eſt imago quædam repræſentativa paſſionis Chriſti, quæ eſt vera ejus immolatio: Imagines enim ſicut dicit S. Aug. ad Simplicium, ſolent earum rerum nominibus appellari, quarum imagines ſunt.*

Alia tamen ratione, & ad mentem Suarezii, Leſſii, Coninck apud citatum Lugo *n.* 52. Conſecratio Corporis & Sanguinis Chriſti poteſt dici immutatio productiva, quia manente eodem eſſendi modo, quem Chriſtus per Euchariſticum Sacrificium oblatus priùs habuit, accipit novum modum eſſendi, quem non habuit. Itaque Sacrificium Euchariſticum quatenus eſt immutatio corruptiva magis repræſentat Deum, ut Authorem mortis: quatenus verò eſt immutatio productiva, ducit in cognitionem Dei, ut Authoris vitæ, & ſic etiam ultimę particulæ definitionis Sacrificio Euchariſtico perfectiſſimè conveniunt.

Quia verò neceſſe eſt, ut Sacrificium ſit Signum, à Deo ad hoc conceſſa poteſtate inſtitutum, ut facta à legitimo Miniſtro rei oblatæ immutatione repræſentet Deum ut Authorem vitæ ac mortis, patet in Eccleſia hujus ſtatus Gratiæ, nec dari, nec vi præſentis ordinationis divinæ dari poſſe aliud univerſale Sacrificium, quàm Corporis & Sanguinis Chriſti, quia nec datur, nec dari poteſt aliud ſignum, ad quod inſtituendum ac offerendum per legitimum Miniſtrum Chriſtus poteſtatem contulerit: ſicut nec datur, nec poteſt dari aliud Sacramentum præter ſeptem à Chriſto inſtituta. Cùm enim Sacramenta, & Sacrificium Corporis & Sanguinis Chriſti, conſtituant & compleant ſtatum Eccleſiæ, ex quorum ſtabilitate, ac immutabilitate vera Eccleſia à falſa diſcernitur, & quorum quoad numerum, vel quoad ſubſtantiam variatione ſtatus Eccleſiæ ſubſtantialiter mutaretur, quod, ut patet ex Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 1. eſt ſupra poteſtatem à Chriſto Eccleſiæ conceſſam, ideò etiam nequit Pontifex inſtituere tale ſignum univerſale, & ad illud Miniſtrum deputare, cujus oblatione Deo verum ac proprium Sacrificium offeratur, multò minùs poteſt quiſquam alius privata Authoritate Sacrificium vel inſtituere, vel offerre, ut indicat S. Paul. *ad Heb.* 5. illis verbis, quibus Miniſtrum legitimum Sacrificii declarat, inquiens: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron*: & ita in Lege naturæ poteſtatem inſtituendi, & ſuo ac totius familiæ nomine offerendi Deo Sacrificium tantùm habebant primogeniti ac Principes familiarum, vel qui per ſingularem Dei inſpirationem ab eo electi ſunt, ut Noe, & Abraham. In Lege Moſaica autem ſoli filii Aaron Sacrificia offerre valebant, & Rex Ozias hanc ſibi poteſtatem præſumens, *Paralip. l.* 2. *c.* 26. graviter ab Azaria Sacerdote reprehenſus eſt. 146

In Lege gratiæ denique à ſolis Sacerdotibus Sacrificium Corporis & Sanguinis Chriſti validè offerri poteſt. Crematio enim thuris, ceræ, olei &c. aſperſio aquæ benedictæ, Martyrium, Sacrificia non ſunt, etiamſi immutatione corruptiva rerum apta eſſent ducere in cognitionem Dei, ut Authoris vitæ, & mortis; quia ad hoc non ſunt inſtituta ex poteſtate à Chriſto Eccleſiæ collata qui, cùm nobis dederit Sacrificium unicum infiniti valoris ac dignitatis, omnem aliorum Sacrificiorum æſtimabilitatem eminentiſſimè continentis, meritò negavit poteſtatem aliud Sacrificium inſtituendi ad demonſtrandam illam Euchariſtiæ Sacrificii infinitam dignitatem, & valorem: quo proinde ſolo Deus vult coli, tanquam per Sacrificium propriè dictum, alii verò cultus ſubinde etiam in Sacris litteris dicuntur Sacrificium, ſed impropriè: ut quando Pſal. 50. dicitur; *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus.*

§. II.

§. II.

In quali actione conſiſtat adæquata Eſſentia Sacrificij Euchariſtici.

S V M M A R I V M.

147 *Eſſentia Sacrificii validè, ſed non licitè ponitur per Conſecrationem unius ſpeciei.*
148 *Nulla alia actio, quàm conſecratio ad eſſentiam Sacrificii Euchariſtici pertinet.*
149 *Die Paraſceves nullum fit Sacrificium.*

147 QUær. 2. Utrùm adæquata eſſentia Sacrificii Euchariſtiæ reperiatur etiam in Conſecratione unius tantùm ſpeciei, ſicut reperitur adæquata eſſentia Sacramenti Euchariſtiæ in qualibet ſpecie. Reſp. utramq; ſententiam, tam affirmativam, quàm negativam eſſe valdè probabilem, & magnorum A A. affirmativam tamen videri probabiliorem, etiamſi oppoſita videatur communior: ratio eſt, quia quælibet conſecratio, ſeorſim accepta, jam eſt oblatio rei permanentis, facta à Sacerdote illius quoad modum eſſendi immutativa actione, inſtituta & actualiter repræſentante Deum ut Authorem vitæ & mortis: ergo ſicut ſub utraque ſpecie ſeorſim datur adæquata eſſentia Sacramenti, quia hujus definitio ipſi convenit, ita in utraque conſecratione datur adæquata eſſentia Sacrificii: quamvis Sacerdos graviſſimè peccaret, ſi unam Conſecrationem poneret ſine altera, ſicut etiam, ſi unam ſpeciem in Sacrificio ſumeret ſine altera, non obſtante, quòd ſine omni ſumptione jam haberetur adæquata eſſentia Sacrificii per ſolam Conſecrationem.

Confirmatur noſtra reſponſio etiam ex alio communiſſimo, & probabiliſſimo ſuppoſito, nixo Authoritate S. Aug. Hier. Ven. Bedæ & aliorum DD. apud Cornel. à Lapide, quòd nempè panis benedictus & fractus, & porrectus à Chriſto duobus diſcipulis in Emmaus, ab eodem fuerit verè conſecratus, nec tamen legitur, ſimul conſecratum fuiſſe vinum, quod ob ſpecialem rationem e.g. ad approbandam communionem Laicorum ſub una ſpecie, potuit facere, ſalva Lege & inſtitutione Sacrificii, ab aliis Sacerdotibus non niſi ſub utraque ſpecie offerendi, ac ſumendi. Atqui iſta ſolitaria conſecratio fuit verè Sacrificium eſſentialiter ſumptum; quia conveniebat ei definitio generica Sacrificii, & ſimul ſpecifica, dempto vocabulo: *& Sanguinis*: quod additur, partim quia ſpectat ad integritatem Sacrificii, ob quam cauſam etiam additur, quando Euchariſtia definitur & dicitur eſſe Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti: partim quia Sacrificium non aliter debet peragi, quàm per oblationem, & conſecrationem Corporis, & Sanguinis Chriſti.

Neque obſtat ratio aliqua contrariæ ſententiæ, quæ plus non probat, quàm hoc, quod alterius ſpeciei conſecratio ſpectet ad integritatem Sacrificii, & ad neceſſitatem præcepti, atque etiam ad modum repræſentandi clariùs Immolationem Chriſti in Cruce, ſicut ſumptio Chriſti ſub utraque ſpecie etiam repræſentat clariùs refectionem ſpiritualem animæ; ſi enim per conſecrationem utriuſque ſpeciei vi verborum nunc ponatur ſolum corpus, nunc ſolus Sanguis, ſeparatio Corporis & Sanguinis Chriſti in Cruce manifeſtiùs proponitur; verùm modò vi verborum ponatur unum ſine altero, hoc ipſo etiam ſignificatur ſeparatio unius ab altero, & mors conſequens, & propterea hæc ratio ſignificandi non requiritur propter eſſentiam Sacrificii, ad quam tantùm ſpectat, ut Deus ex ipſo poſſit cognoſci, ut Author vitæ ac mortis; ſed requiritur propter finem quaſi extrinſecum, & acceſſorium, principaliter tamen intentum à Chriſto per inſtitutionem Sacrificii, tali modo peragendi.

148 Quær. 3. Utrùm præter Corporis & Sanguinis Chriſti conſecrationem adhuc alia actio ex iis, quæ in Sacrificio Miſſæ intervenire ſolent, eſſentiam Sacrificii in ſe contineat. Reſp. cum communiore ſententia negativè. Quia aliæ actiones vel non ſunt inſtitutæ à Chriſto, ſed tantùm præceptæ ab Eccleſia, ut Cæremoniæ, vel ſi ſunt inſtitutæ à Chriſto, ut eſt deſtructio panis & vini, & ſumptio Corporis & Sanguinis Chriſti, quæ iterum tendit ad deſtructionem illius modi eſſendi, quem accipit Chriſtus per Conſecrationem, tamen non ſunt inſtitutæ ad ſignificandum Deum, ut mortis & vitæ authorem; nam panis & vini ſubſtantia tantùm deſtruitur, ut illius loco ponatur Corpus & Sanguis Chriſti, adeòque Conſecratio non eſt Sacrificium, quatenus eſt deſtructiva prioris ſubſtantiæ, ſed quatenus eſt productiva illius modi eſſendi definitivi, quem habet Chriſtus ſub ſpeciebus Euchariſticis, & ideò panis & vinum non eſt Sacrificium objectivum, ſed quando Sacerdos in oblatione panis illum vocat *immaculatam hoſtiam*, & vinum vocat *calicem ſalutaris*, ſive Salvatoris, id intelligendum eſt relativè, ita ut non præſens ſubſtantia panis & vini, ſed proximè ſubſtituenda ſubſtantia Corporis & Sanguinis per dicta vocabula deſignetur, & Deo Patri offeratur, ut per illam, & non per ſubſtantiam panis & vini, petita beneficia obtineantur. Sumptio etiam Corporis, & Sanguinis Chriſti non eſt inſtituta à Chriſto ad hoc, ut per illam deſignetur Deus author vitæ & mortis, ſed ut Sacrificium Sacerdoti ſpecialiter applicetur, & debito ritu peragatur: cujus finis neceſſitatem ab ipſo Chriſto conſtitutam Concil. Toletanum *in cap. Relatum de Conſecratione diſt. 2.* unicè indicare voluit, quando reprehendens Sacerdotes, plura Sacrificia ex diſpenſatione eodem die offerentes; nec tamen in ſingulis Euchariſtiam ſumentes, inquit: *Quale enim Sacrificium, cujus neque ipſe ſacrificans particeps eſſe cognoſcitur*: quibus verbis ſumptio non dicitur partiale Sacrificium, ſed participatio Sacrificii.

Licèt autem die Paraſceves à Sacerdote Sacris operante ſumptio hoſtiæ, pridie conſecratæ, videatur Sacrificium appellari, quando ſolam peragens ſumptionem priùs ita precatur: *ſic fiat Sacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, ut placeat tibi Deus*, ac paulò poſt: *Orate fratres, ut meum ac veſtrum Sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem*: dicendum tamen per Sacrificium vel non intelligi ſumptionem, ſed ipſum Sacrificium Objectivum, quo per Sacerdotem communi fidelium nomine ſumpto, Sacerdos & cæteri fideles cupiunt Divinum beneplacitum, & Dei beneficentiam ſibi demereri: vel ſi de ſumptione intelligitur: non ſignificari Sacrificium formale propriè dictum, ſed impropriè: quo ſenſu S. Auguſt. *lib. 17. de Civitate Dei cap. 5.* dixit: *Quod manducare panem in novo teſtamento ſit Sacrificium Chriſtianorum.* Illa enim ſumptio, quæ fit die Paraſceves, neque poteſt dici propriè Sacrificium completum, ut omnes fatentur, aliàs darentur duo ſpecie diverſa Sacrificia formalia, Conſecratio præterita, & ſumptio: neque incompletum, quia non ordinatur ad illud Sacrificium, in quo hoſtia eſt conſecrata, integraliter complendum, eò quòd iſtud per propriam ſumptionem alterius hoſtiæ jam priùs fuerit completum, neque poſſet dici moraliter una ſumptio: quia prior Conſecratio, & ſumptio nimio intervallo temporis, nempè unius, vel etiam plurium dierum diſtaret, & ſæpè facta eſſet ab alio Sacerdote, non ab eo, qui hoſtiam, priùs conſecratam, die Paraſceves ſumeret: cujus ſolitaria ſumptio ſine conſecratione etiam non à Chriſto, ſed ab Eccleſia eſt inſtituta: adeòque non poteſt eſſe Sacrificium propriè dictum, ſed tantùm impropriè, ſicut quando Sacerdos more Laico communicat. Et ita docent Naldus, Molfeſius, Suar. Bellar. Bonac. Henriqu. Ledeſma, Scorzia, quos cum pluribus aliis refert, ac ſequitur Diana *par. 2. tractat. 14 Reſol. 62.* Ubi etiam contra Nugnum, & Vaſqu. cum Joanne Sanchez, & Gavanto infert, die feſto incidente in paraſcevem, non dari obligationem aſſiſtendi rei divinæ, idque ex cit. Gavanto ait declaratum à Sacra Cardinalium Congregatione *die 19. Feb. an. 1622.* 149

ARTI-

ARTICULUS III.

Ubi ſit offerendum Sacrificium.

SUMMARIUM.

150 *Sine diſpenſatione faciens Miſſam in loco, ad talem uſum non ſtabiliter ab Epiſcopo deputato, mortaliter peccat.*

151 *Limitatur tamen, niſi gravis neceſſitas urgeat, ob quam etiam in navi licet, abſente periculo.*

152 *Nec Epiſcopi poſſunt concedere poteſtatem in loco profano ſtabiliter celebrandi, poſſunt tamen concedere oratoria privata, ab aliis uſibus profanis libera, ad facienda ibidem Miſſæ Sacrificia.*

153 *Privilegium à Gregor. XIII. Societatis noſtræ Provincialibus conceſſum circa Oratoria pro Sacris faciendis.*

154 *Quomodo locus ſacer per pollutionem profanatus reconciliari poſſit.*

150 DIco 1. Jure ordinario, ſine diſpenſatione, aut neceſſitate nemini licet in loco non ſacro celebrare, conſtat hoc *ex cap. Conſecrationem 1. capit. Sicut 11. capit. Miſſarum 12. capit. Nullus 15. de Conſecratione diſtin. 1.* & Tridentino *ſeſſ. 22. Decreto de Obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ*. Nomine loci Sacri autem per conſuetudinem, antiquum Jus mitigantem, non ſolùm intelligitur locus conſecratus ab Epiſcopo, ſed etiam quivis alius, modò ſit benedictus: imò modò Epiſcopi auctoritate ſit erectus, & ad Miſſarum celebrationem deputatus, nec poſitivè profanatus, ſeu pollutus, ut tradit Abbas, Thom. Sanchez, Lugo; Layman, & alii: quamvis autem pœna in *cap. Nullus* tranſgreſſoribus ſtatuta ſine ſententia Judicis non incurratur, & per conſuetudinem fortè abrogata ſit, peccari tamen ab iis mortaliter, ex eadem pœna culpæ gravitatem metientes, & animum Legiſlatoris colligentes, docent Suarez, Vaſqu. Coninck, Dicaſtillo, Laymann, Palao, Barboſa, & plures ab his relati contra Sotum, Em. Saà, Ludov. Lopez.

151 Dico 2. Urgente neceſſitate (quæ juxta conſuetudinem, decretum capituli *Sicut* lenientem non ampliùs debet neceſſariò eſſe ſumma, ſed ſufficit magna) licitum eſt extra locum ſacrum etiam ſub die celebrare. Colligitur ex *cit. cap. Sicut*, & conſuetudine accedente. Exempla neceſſitatis ſunt, quando per loca infidelium iter facienti diu ſacro carendum foret: *cap. Concedimus, de Conſecr. diſtinct. 1.* vel ſi populus v. g. ob anguſtias templi, aut milites in campo aliàs Miſſam audire non poſſent. Hæc licentia contra multos quidem diſſentientes à Coninck, Palao, & aliis ab ipſo, & à Dicaſtillo relatis, extenditur etiam ad loca marina, quando mare eſt tranquillum, & navis ita ampla, ac firma, ut locus decens, & à periculo effundendi S. Sanguinem ſecurus pro conficiendo Sacrificio haberi poſſit, quod Fagundez *de Primo Eccleſ. præcepto lib. 3. cap. 10. num. 14. & 15.* teſtatur à Clemente VIII. & Paulo V. permiſſum eſſe; idque olim à S. Walfranio Senonenſi fuiſſe practicatum, recenſet Surius *tom. 2. ad diem 20. Martii* & Baronius *tom. 8. in annum 700.*

152 Dico 3. Etiamſi poteſtas Epiſcopis *in cap. Miſſarum de Conſecr. diſt. 1.* & in aliis capitulis conceſſa, ut ex rationabili cauſa liberam facultatem celebrandi Miſſam in loco profanis uſibus deſtinato concedere poſſent, per Tridentinum *ſeſſ. 22. decreto, de Obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ*, eatenus reſtricta ſit, ut nec ſæcularibus Sacerdotibus, nec regularibus, non obſtantibus ullis eorum ubique celebrandi privilegiis (quæ hoc ipſo illis abrogata cenſentur, ut alibi de abrogatione privilegiorum per Trident. dixi) permittere audeant, in locis profanis Miſſam liberè, & conſtanter celebrare; non tamen ibidem eis totaliter prædicta poteſtas eſt ſublata. quin aliquoties celebrandi in locis etiam profanis, & in locis non profanis ſed oratoriis privatis conſtanter celebrandi ex rationabili cauſa facultatem facere poſſint iis in caſibus, quibus neceſſitas tanta non eſſet, vel ſaltem dubia, ut propria auctoritate ſimplex Sacerdos in loco non ſacro ſacrum legere poſſet. Patet hæc concluſio ex verbis Tridentini, & conceditur à multis DD.

Imò etiam noſtræ Societati, & conſequenter omnibus regularibus ejus privilegia participiantibus à Gregorio XIII. in Bulla, quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem* edita anno 1575. redditum eſt Privilegium, ut Provinciales in ædibus, ubi noſtri ſtabiliter degunt, privata oratoria pro Miſſis liberè à quibuſvis celebrandis ad uſum ſtabilem, & per ſe ipſos (non autem per alium, quamvis loci aptitudinem per alium inſpici, & de ea Provincialem informari poſſe concedat Lugo *in Reſponſis Moral. lib. 1. dub. 14.*) deſignare, & approbare poſſent: & in alia Bulla, idem Gregorius conceſſit, ut ex conſenſu Provincialis Noſtri in miſſionibus etiam extra templa, & oratoria privata Miſſas in ſolo altari portatili celebrare auderent. Quod privilegium citat. Cardin. de Lugo *dub. 13.* rectè negavit extendi potuiſſe ad locum, ubi in Natalitiis ſtructum fuit præſepe, qui non erat pro oratorio ſtabili ad facienda Sacra deputatus, neque occaſione miſſionis neceſſarius.

Dico 4. Ut in loco ſacro, per pollutionem profanato, rurſum Deo Sacrificium offerri poſſit, neceſſe eſt locum priùs reconciliari, qui ſi ante conſecratus fuit, juxta *cap. Aqua, de Conſecr. Eccleſiæ*, reconciliari poteſt à ſolo Epiſcopo, vel ex privilegio, quod Leo X. Minoribus pro ſuis Eccleſiis & oratoriis, & pro ſuo uſu conceſſit, ab eorum vel aliorum Regularium, eodem privilegio gaudentium, Prælatis, per aquam ab Epiſcopo, aut ſi is per duas diætas, ſeu quatuordecim leucas abſit, ab ipſis Prælatis benedictam. Si verò locus non conſecratus, ſed tantummodò benedictus fuerat per ſimplicem Sacerdotem, ſola aſperſione aquæ, à quocumque benedictæ, & orationibus ab Eccleſia inſtitutis, atque in Manuali Romano expreſſis purificari poteſt: decet tamen, & fieri ſolet teſte Laym. & Dicaſt. ut priùs moneatur Epiſcopus. Etiamſi autem Epiſcopus diſpenſare poſſit, ut in loco polluto Sacrificium offeratur, non rectè tamen Em. Saà, Caſtro, & Avila contra opinionem communem affirmant, ejuſmodi Sacrificio locum iterum purificari, ſicut enim is in omnium ſententia nequit primò conſecrari per Sacrificii in eo oblationem, ſic nequit purificari, cùm neutrum in jure habeatur expreſſum. 153

ARTICULUS IV.

Quibus auxiliis, ſeu potiùs inſtrumentis, id eſt, quo aræ, vaſorum, & veſtium apparatu opus ſit ad Sacrificium Miſſæ celebrandum.

SUMMARIUM.

154 *Ad Sacrificium ſub peccato gravi requiritur altare lapideum, fixum, vel portatile, ab Epiſcopo, vel à ſimplici Sacerdote ex privilegio Summi Pontificis conſecratum.*

155 *Qualis requiratur ornatus Altaris.*

156 *Quanta rerum omnium munditiès ſub culpa Sacrilegii exigatur.*

157 *Requiritur etiam Lumen, & imago Chriſti Crucifixi.*

158 *Liber Miſſalis, Calix & patena conſecrata, quamvis pixidem conſecratarum hoſtiarum ſufficiat, eſſe benedictam.*

159 *Qualia etiam veſtimenta, ab Epiſcopo, vel habente ex privilegio poteſtatem, benedicta, ſint neceſſaria, & an ſit obligatio illis adjungendi certas preces.*

160 *Quando altare conſecrationem amittat, & an in eo debeant includi Reliquiæ Sanctorum.*

161 *Quando alia res conſecrata, vel benedicta eſſe deſinant.*

CUm ad omne Sacrificium, tam Antiquæ Legis, ut Adverſarii hæretici fatentur, quàm Novæ, ut Bellarmin. *lib. 1. De Miſſa c. 16.* oſtendit, ſemper aliquod alta- 15[illegible]

altare fuerit adhibitum, ad teſtandum, Conſecrationem Euchariſtiæ verum Sacrificium eſſe, ideò non in ſola menſa, ut Calvinus vult: *lib.4. Inſtitut. cap.18. num. 12.* ſed in altari ſub obligatione peccati mortalis Miſſæ Sacrificium offerendum eſt; quamvis nihil interſit, ſive altare fixum, immobileque ſit, ſive portatile, ſive viaticum, ut vocant; debet tamen eſſe lapideum, ut conſtat ex pluribus decretis relatis à Gratiano *de Conſecrat. diſt.1.* exciſum ex uno ſimplici lapide, ac tantæ ad minimum magnitudinis, ut pedem Calicis, ac patenam ſaltem ex majori parte continere poſſit. Denique debet eſſe ab Epiſcopo conſecratum, niſi ex ſpeciali Pontificis privilegio poteſtas hæc conſecrandi alteri conceſſa ſit, uti Gregorius XIV. Abbatibus Ciſtercienſibus conceſſit, & quando in remotiſſimis terræ partibus Epiſcopus facilè inveniri non poteſt, id etiam permiſit Paulus III. Religioſis Societatis noſtræ, & Honorius III. Minoribus eandem poteſtatem impertivit. Rectè etiam advertit Dicaſtillo *diſp.4. num.151.* extra Sacrificium non ampliùs neceſſe eſſe, ut Euchariſtia ſemper ponatur; vel aſſervetur in ara conſecrata; cùm de facto, quando ad ægros defertur, vel in ſacrario aſſervatur, ſæpè altari non inſiſtat.

155 Altare ex ea parte, qua Sacramentum ſuſtinet, ad minimum duplici linteo, etſi non benedicto, ut Palao, & Laymann ſecuti antiquiores Theologos, & probabiliter toleratam conſuetudinem, admittunt; ſecundùm Rubricam tamen Miſſalis *de præparatione Altaris*, utroque benedicto, vel uno duplicato contegendum eſt, addito deinde tertio ab Epiſcopo, vel de ejus licentia (quæ ferè ſemper conferri poteſt, quoties res ſacranda non eſt chriſmatis unctione) à ſimplici tantùm Sacerdote benedicto, quod corporale appellatur: quod ſi ita longum eſſet, ut Calicem ſimul tegere poſſet, liceret etiam loco pallæ adhibere; aliàs diverſa, qualis communiter in uſu eſt, ſimiliter benedicta, & ex parte, qua Calicem tangit, ſicut & ipſum corporale juxta *cap. Conſulto de Conſecr. diſtinct.1.* ex lino, non ex ſerico vel aliquo alio confecta, uſurpari debet: aliud verò linteum ex conſuetudinis præſcriptione pro ara tegenda neceſſitate præcepti nullum requiritur: quamvis *cap. Si per negligentiam de Conſecr. diſtinct.2.* & decretum Miſſalis reformati (quod omninò ſequi ſaltem conſultius eſſet) annumerato corporali prædicto, univerſim quatuor linteorum, vel trium, ſed unius ex illis duplicati, mentionem faciat: quòd ſi quis uno minus, quàm requiſita diximus, extra neceſſitatem adhiberet, venialiter, ſi nullum, mortaliter peccaturum teſtatur Dicaſtillo *n.153.* adducto Suarez, & Rodriquez; imò ſi quis ſolum Corporale omitteret, ex iiſdem aſſerit Dicaſtillo *num.159.*

156 Pro Calice purgando alio adhuc linteo opus eſt, quod proinde purificatorium appellatur, idque, etſi neceſſe non ſit, decet eſſe benedictum, & à ſordibus mundum, ſicut etiam Corporale, & pallam, quorum munditiem, qui ex officio curare negligeret eum peccati mortalis damnant, præcipui quidam DD. ut Sylveſter, Cajetanus, Rodriquez, Suarez, Bonac. Palao; Saà, & alii, qui tamen ſecundùm communem apud Dicaſtillo mitigandi ſunt, ſi nimirum immundities tanta ſit, ut non ſolùm negligentiam, verùm etiam gravem contemptum ſupponat, aut ſcandalum pariat, qualis utique foret enormis immundities, cui præſertim in templis ruralibus non ſemper videtur ſatis cautum, cùm tamen & Legi naturali, & poſitivæ Innocentii III. *cap.2. de Cuſtodia Euchariſtiæ* repugnet: ubi dicitur. *Præcipimus quoque, ut oratoria, vaſa, corporalia, & veſtimenta prædicta, munda, & nitida conſerventur. Nimis enim videtur abſurdum in Sacris ſordes negligere, quæ dedecent etiam in profanis*. Unde patet id, quod diximus *tract.5. diſp.3. n.300.* hujuſmodi immunditiam in rebus Sacris admittere, eſſe ſpeciem Sacrilegii.

157 Requiritur etiam ad Sacrificium ſub gravi peccato, ut colligitur *ex cap. ult. de Celebr. Miſſar.* & ex omnium aſſenſu, teſte Vaſquez, Lumen, ſaltem unum, quod non decet eſſe ex oleo, aut candela ſebacea, ſed ex cera, niſi hæc haberi non poſſit. Præterea requiritur, ſub veniali tamen culpa duntaxat, ut communiter mitigant DD. Imago Chriſti Crucifixi, niſi in ara ipſum venerabile Euchariſtiæ Sacramentum expoſitum proſtet, & hæc potiſſimùm de altari, & ejus ornatu.

Ad uſum verò Sacerdotis neceſſaria ſunt in primis, 158
liber Miſſalis, ſaltem in quo Canon contineatur, ſine quo, niſi Sacerdos ob memoriæ notam infallibilitatem moraliter ſecurus eſſet à periculo errandi graviter, Sacrum facere non liceret abſque peccato mortali; quòd ſi tamen integram Miſſam memoriter dicere poſſet, nihilominus deceret librum præſentem habere, alioquin ſecluſa neceſſitate ſaltem venialiter peccaturum ratione ſcandali, vel aliqualis periculi errandi, affirmat Dicaſtill. *num.161.* ex communi ſenſu.

Deinde neceſſarius eſt Calix cum patena ex auro, vel argento, vel propter inopiam ex ſtanno confectus juxta *cap. Calix, de Conſecr. diſt.1.* vel ex cupro inaurato ſecundùm conſuetudinem allegatam à Lugo. Imò ſunt, qui minus quidem probabiliter putent, Jure novo Miſſalis reformati, *Rubrica de præparatione Sacerdotis*, requiri non tantùm ex decentia, ſed ex præcepto, ut ſaltem cuppa ex auro vel argento inaurato confecta ſit. Debet autem tam Calix, quàm patena eſſe conſecrata ab Epiſcopo, vel ab aliis, ex privilegio ſpeciali poteſtatem conſecrandi habentibus, uti ex conſuetudine immemoriali habent quidam Abbates, & ex conceſſione Pauli III. *anno 1549.* noſtri Patres apud Indos.

De Pyxide, in qua Venerabile Sacramentum aſſervatur, etſi ex præcepto nihil certi ſtatutum ſit, decet tamen, imò ſecundùm Dicaſtillo *n.193.* contra Lugo, Bonacinam, Coninck, Jure novo Miſſalis reformati oportet eam ſaltem eſſe benedictam, & ex ſimili materia, qua Calix, conflatam.

Præter inſtrumenta mortua opus etiam eſt Miniſtro, iſque Vir eſſe debet, non fœmina, ita, ut urgente neceſſitate potiùs nullus, quàm hæc adhibenda ſit, quamvis extra neceſſitatem grave peccatum ſit, ſine Miniſtro ſacrificare, ut colligitur *ex cap. Propoſuit, de filiis Preſbyterorum*.

Denique ad ornatum Sacerdotis requiruntur Ami- 159
ctus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Caſula, ac ſingula quidem, ſub mortali peccato, ex communi DD. ſenſu, fundato *in cap. Veſtimenta, de Conſecr. diſt.1.* & *cap. Eccleſiaſtica, diſt.23.* ubi excommunicationis pœna ſtatuitur ſine ſtola ſacrificanti: quod etiam de aliis veſtimentis intelligendum eſt, ſaltem ſecluſa neceſſitate, quam Rodriquez, Canus, aliique Viri docti apud Suarez exiſtimant excuſare, ſi unum è minoribus v. g. cingulum, aut manipulus, deſit, & Miſſa ſine ſcandalo omitti non poſſit. Debent præterea omnia ab Epiſcopo, vel alio habente poteſtatem eſſe benedicta, & inter induendum accommodatæ illis orationes ſunt recitandæ, quarum omiſſio tamen contra Navarrum & Azor communius, & probabilius dicitur, culpam venialem non excedere, imò Tambur. *tract. de Sacrificio Miſſæ lib. 2. cap.5. §.1.* Dianæ *par.2. tract.14. reſol.41.* & aliis ibi relatis, neque ad eam videtur attingere ſecluſo contemptu, eò quòd neque per legem, neque per conſuetudinem recepta ſit ejuſmodi obligatio: quod de cantico puerorum & ſubjunctis precibus poſt Miſſam fatetur etiam Dicaſtillo *num.242.*

Quæres, quando hæc omnia, quæ ex requiſitis ad ſa- 160
crificandum conſecrata, aut benedicta eſſe debent, conſecrationem aut benedictionem amittunt. Reſp. Altare, ſive fixum, ſive portatile eandem amittere, ſi ita frangatur, ut pars, quæ integra remanet, Calicem cum patena commodè continere non poſſit. Idem exiſtimant Canoniſtæ propter *cap.1. de Conſecrat. Eccleſiæ*, aliique DD. ſi loculus, ſeu Sigillum, Reliquias Sanctorum continens frangatur, aut moveatur, à qua ſententia, utpotè communiſſima, recedendum non eſſe ait Palao, quamvis ipſe ſacras Reliquias altaribus includi decens quidem, ſed non neceſſarium exiſtimet, cum Panormit. Suarez, Vaſqu. ConincK, Laymann, quos refert & ſequitur *tr.22. punct.9. num.5.* & Dicaſtillo *num.146.* cùm illarum neceſſitas neque ſufficienter probetur per verba: *Quorum Reliquiæ hic ſunt*, orationi in introitu Miſſæ inſerta, utpotè, quæ vel tantùm ſunt conditionata, ſi quæ Reliquiæ adſint, vel conſuetudinem non præceptum ſupponunt: neque per *cap. Placuit, de Conſecrat. diſtinct.1.* quia hoc deſumptum tantùm eſt ex Conciliis Provincialibus, & ſolummodò præcipit everti aras, extructas in memoriam Martyrum, nullas tamen reliquias continentes, neque ex VII. Synodo Gen. *Can.7.*

quæ ad ſummum præcepit, ut nullum templum conſecraretur ſine Reliquiis Sanctorum, non autem ut nulla ara; ad hæc per conſuetudinem contrariam propter altarium multitudinem, & Reliquiarum inopiam, ſi quod præceptum extitiſſet, idem iam fuiſſet abrogatum. Ut autem Reliquiis Sanctorum ſubſtitueretur particula Euchariſtiæ, id à Durando, & Joanne Andrea aſſertum eſt ſine probabili fundamento, nec abſque præjudicio reverentiæ, Sacramento, ne periculo corruptionis exponatur, debitæ. Ex hoc tamen Coninck, & Dicaſtillo non improbabiliter inferunt, hoc ipſo, quòd Reliquiæ Sanctorum neceſſariæ non ſint, neque conſecrationem altaris iiſdem affixam eſſe: quia *cap. 1. de Conſecr. Eccleſiæ*, cui contraria & communis ſententia innititur, tantùm de fractione aræ, non ſignaculi continentis Reliquias, aſſerit ex illa conſecrationem tolli. Præterea altare fixum, & ut tale conſecratum, exſecratur etiam, quando ipſum templum polluitur: quando autem ſolummodo cornua franguntur, tam fixum, quàm portatile retinet Conſecrationem.

161 Calix verò, patena, & veſtes conſecrationem aut benedictionem tunc perdunt, quando additione, diminutione, aut fractione ab Eccleſia præſcriptam formam, ſeu aptitudinem ad fines ſibi præfixos amittunt, ut ſi cuppa Calicis per fractionem à pede, quando illi inſeparabiliter eſt unita, ſeparetur, ſi cingulum ita frangatur, ut neutra pars Corpus Sacerdotis ſtringere poſſit: ſi ab alba veſte reſcindatur manica, non autem, ſi tantùm lavetur, aut reficiatur, quod etiam de linteis dicendum eſt, ſi ſtola ita rumpatur, ut nulla pars humeros contegere queat, quibus tegendis, ſi manipulus ſufficiat, poteſt loco ſtolæ adhiberi, & è contra ſtola pro manipulo, ſi alterum duplicatum adſit, & alterum deficiat.

ARTICULUS V.

Cur, ſeu in ordine ad quem effectum, aut finem Sacrificium offerri poſſit.

§. I.

De fructu, vel effectu intrinſeco Sacrificii Miſſæ.

SUMMARIUM.

162 *Sacrificium Euchariſticum non confert gratiam ſanctificantem immediatè, ſed mediatè. Idem de remiſſione peccatorum venialium dicendum eſt.*

163 *Immediatè autem impetrat bona ſpiritualia, & temporalia: & ſatisfacit pro pœna temporali.*

164 *Fructus Sacrificii dividitur in tres portiones, quarum ſingularum menſura declaratur.*

162 QUinque communiter enumerantur effectus, de quibus quæritur, an & quomodo per Sacrificium Miſſæ procurentur. Primus eſt Remiſſio peccatorum mortalium per collationem primæ gratiæ. 2. Augmentum gratiæ. 3. Remiſſio peccatorum venialium. 4. Bona temporalia, & oppoſitorum malorum evitatio. 5. Remiſſio pœnæ temporalis, pro culpis dimiſſis ſubcundæ.

De primis duobus effectibus unanimis eſt Doctorum conſenſus, eos non immediatè, ſed mediatè à Sacrificio procurari, quatenus per illud à Deo obtinentur auxilia actualia ad agendam pœnitentiam de peccatis, & augendam gratiam: adeòque in Sacrificio, quatenus Impetratorium eſt, includi etiam, quòd ſit verè Propitiatorium; quia cauſat ſaltem mediatè remiſſionem peccatorum mortalium. Probatur hæc communis, & vera ſententia, in primis ex Trident. *ſeſſ. 22. c. 2.* ubi ait: *Sacrificium iſtud verè Propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, ut ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus* (contriti nimirum, ac pœnitentes contritione, ac pœnitentia adhuc imperfecta, ſed vera & non ſimulata) *miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus, in auxilio opportuno, hujus quippè oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Ita Tridentinum.

Probatur 2. Sacrificium cruentum in Cruce pro nobis oblatum, quod erat verè meritorium, non aliter conferebat primam gratiam, vel ejus augmentum, quàm quatenus generi humano impetrabat auxilium ad applicandas cauſas immediatas gratiæ, nempe actus pœnitentiæ, & virtutum, atque Sacramentorum uſum: ergo multò minus Sacrificium incruentum, quod neque eſt propriè meritorium, ſed tantùm habet vim impetrandi per modum interceſſionis apud Patrem ex meritis Sacrificii cruenti, aliter confert primam gratiam, ejuſque augmentum.

Probatur 3. Neque ex natura Sacrificii, neque ex Chriſti revelatione, neque ex traditione SS. Patrum conſtat, ipſum ex ſe eſſe cauſativum gratiæ juſtificantis, ſicut conſtat de Sacramentis, & hinc neque conſtituit octavum Sacramentum, neque in aliquo ex ſeptem Sacramentis includitur, ergo non dici debet, quòd Sacrificium ſit immediativè cauſativum gratiæ.

De tertio effectu res non eſt ita certa, nihilominus contra Canum, Valentiam, Nugnez, Henriqu. Azor, idem, quod de primis duobus aſſerunt, Suarez, Vaſqu. Coninck, Amicus, Tannerus, Dicaſtillo, Palao, Bonacina, & communiter alii. Probatur hæc ſententia iiſdem argumentis, quibus prior, quæ etiam huic applicari poſſunt: præſertim, quia de facto Deus etiam venialia peccata non ſolet remittere, quin ſimul conferat augmentum gratiæ.

De quarto effectu, quòd nimirum Sacrificium ex opere operato conferat bona temporalia, vel mala auferat, licèt non omninò infallibiliter, ut experientia conſtat, ſicut neque prædicta auxilia efficacia infallibiliter tribuit, cùm ad eorum collationem expediat ex parte ſuſcipientis certam præparationem, dignitatem, vel alias circumſtantias requiri, affirmativa ſententia certa redditur ex communi ſenſu Eccleſiæ, indicato etiam à Tridentino *ſeſſ. 22. can. 3.* & ex fidelium praxi, curantium ad finem hunc impetrandum Sacrificia offerri, etiam à Sacerdotibus malis, ut adeòque non tantùm ex opere operantis finis obtentus ſequatur. 163

De quinto effectu, nimirum pœnas temporales ex opere operato infallibiliter (niſi obſtet impedimentum) remitti, unanimis iterum DD. conſenſus probatur manifeſtè ex Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 2.* & *can. 3.* ubi dicitur, Sacrificium offerendum eſſe pro Vivis, & Defunctis, eòque perſolvi Deo debitas pœnas, & ſatisfactiones pro peccatis illorum. Atqui hunc effectum non poteſt præſtare erga defunctos mediantibus illorum operibus ſatisfactoriis; quia nulla talia ab eis poſſunt poni, neque mediantibus meritis Sacerdotis ſacrificantis, quia iſte ſæpè obſtrictus eſt gravibus peccatis, etiam per ipſam ſacrificationem, admiſsis, ergo eum præſtat immediatè, & ex opere operato, & ſi tali modo eum præſtat erga defunctos, etiam præſtat erga vivos, poſita retractatione peccati, & nullo alio novo obice poſito, quia Concilium nullum quoad hoc facit diſcrimen.

Quæres: An Vis impetratoria & ſatisfactoria ſit valoris infiniti tum intenſivè, tum extenſivè, id eſt, an ſicut fructum Sacrificii recipientium diſpoſitio, & multitudo poteſt creſcere in infinitum, ita etiam fructus proportionaliter poſſit creſcere, & ſine ſui diminutione ob diviſionem in plures multiplicari in infinitum? 164

Antequam ad quæſtionem reſpondeam, adverto, fructum Sacrificii in tres portiones ex communi Doctorum ſententia apud Tannerum dividi, prima vocatur *Generaliſſima*, quæ omnibus Fidelibus non excommunicatis, nullo interpoſito obice, communicatur: Secunda dicitur *ſpecialis*, illis ſcilicet propria, pro quibus offertur Sacrificium: Tertia dicitur *ſpecialiſſima*: quæ eſt ſolius Sacerdotis immediatè offerentis Sacrificium; ad hunc revocatur etiam portio aliorum mediatè, nempè per Sacerdotem, offerentium, & adſtantium Sacrificio. Hoc ſuppoſito.

Reſpondeo 1. Ex communi Doctorum opinione, vel diverſas opiniones conciliando, fructum Sacrificii quoad primam & tertiam portionem eſſe ſecundùm extenſionem ſyncategorematicè infinitum. Probatur ratione à poſteriori; quia communis perſuaſio Fidelium eſt in Dei munificentia fundata, æquè magnam partem fructus ſibi obvenire, etiam ſi creſcat Fidelium, vel Miſſæ adſtantium, ac ſimul offerentium numerus. Ratio à priori

priori eſt quoad primam portionem; quia ad Divinæ Munificentiæ, ac Chriſti, ejusque Eccleſiæ dignitatem ſpectat, ſi Fidelium multitudo in Ordine ad communicationem bonorum communium, qua talium, ſibi mutuò non officiat, & commune ærarium vel patrimonium per diviſionem in plures, non quodammodò exhauriatur. Quoad tertiam portionem expedit, ne illius imminutione fideles offerentes & adſtantes Sacrificio abſterreantur à concurſu, ſed potiùs alliciantur ad illud conjuncta devotione, ac fervore, cum majori ſolemnitate, celebritate, ac populi frequentia offerendum.

Reſpondeo 2. Primam portionem ſecundùm intenſionem eſse limitatam, quia enim illa tantùm datur intuitu Sacrificii generaliter à Fidelibus etiam abſentibus oblati, quatenus hoc ipſo, quòd ſint membra Eccleſiæ, mediante Sacerdote, tanquam Miniſtro Eccleſiæ, offerunt, ideò non eſt inæquali portione intenſibili in infinitum procuranda major, & major diſpoſitio actualis, ha bitualis autem, ſicut de effectu Sacramentorum in genere dixi, probabiliter non attenditur. Tertiam portionem autem, ex communi ſententia ajo, eſse in tantum illimitatam, in quantum actualis diſpoſitio offerentis poteſt eſse major in infinitum, cui portio proinde commenſuratur: nam fructus Sacrificii applicatur per oblationem, ſicut fructus Sacramentorum applicatur per illorum ſuſceptionem: atqui hic applicatur ſecundùm proportionem diſpoſitionis intenſibilis in infinitum, ergo etiam fructus Sacrificii ſimili modo applicatur: nempè ſecundùm vim impetratoriam, & ſatisfactoriam ſyncategorematicè infinitam.

Reſpondeo tertiò, cum longè communiori ſententia, contra Vaſquez, virtutem Sacrificii, quoad ſecundam portionem non eſse ita infiniti valoris, ut nec multitudine percipientium imminuatur, nec pluralitate Sacrificiorum augeatur in actu ſecundo. Ratio deſumitur ex communi non tantùm rudium, ſed etiam doctorum, adeòque non in imperitia fundato ſenſu Fidelium, curantium pro ſe ſuiſque Sacrificia fieri, cum ea obligatione, ut pro illis ſolis offerantur: atqui fideles non imponerent hanc obligationem, ſi crederent, nil fructus ſibi decedere, etiamſi ſimul pro aliis prædicta Sacrificia offerrentur, neque Sacerdotes injuſtè agerent, plura ſtipendia à diverſis pro eodem Sacrificio recipiendo. Vel ſi dicas, Fideles imponere, & Sacerdotes ſubire prædictam obligationem, non propter exiſtimatam falſitatem, ſed propter incertitudinem oppoſitæ ſententiæ, & pro majori aſsecuratione, probatur falſitas contrariæ ſententiæ; quia ſi ex eodem Sacrificio non tantus fructus redundet, quantus redundat ex pluribus, & in ſingulos non tantus, ſi pro omnibus idem, quàm ſi pro ſingulis diverſa Sacrificia offerantur, hoc ipſo neceſse eſt, multiplicari Sacrificia, ergo ut multiplicentur Sacrificia, Deus illis tantùm valorem dicto modo limitatum conceſſit; quam rationem tamen conveniebat non extendi etiam ad primam, & tertiam portionem extenſivè infinitam propter rationem, & convenientiam aſſignatam.

§. II.

De fructu extrinſeco, id eſt de ſtipendio, cur, ſeu propter quod Sacrificium Miſsæ pro alio offertur.

SUMMARIUM.

165 *Pro Sacrificio Euchariſtico exigere ſtipendium in ſuſtentationem, non eſt Simonia, nec eſt ab Innocentio XI. in propoſitione 45. probibitum.*

166 *Idem Ius competit Sacerdoti diviti, & pauperi.*

167 *Quantitas ſtipendii ex Lege, vel conſuetudine, vel Iudicio prudentum deſumi debet.*

168 *Promiſſis alteri debitis, non licet rurſum ab alio ſtipendium accipere: ex quo deducitur obligatio Parochorum, & Beneficiatorum, ne pro miſſis aliunde debitis, etiamſi de Fundatoris mente non expreſsè conſtet, alteri oblatis, ſtipendium accipiant contra prohibitionem Alex. VII. propoſ. 8. & 10.*

169 *Qui recepto pinguiori ſtipendio pro Miſſa facienda alium Sacerdotem ſibi ſubſtituit pro ſtipendio minori, agit contra probibitionem Vrbani VIII. & Alexandri VII. propoſ. 9.*

Dico 1. Non eſſe Simoniam, alterum ex Iuſtitia obligare, & paciſci de ſtipendio ſibi ſolvendo pro Miſſa à ſe legenda. Ita cum S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 2. & 3. *in c.* & *Quodlib.* 6. *art.* 10. DD. plerique, &, ſi Bonacina, quem apparet eſſe contrarium, ac cæteri rectè intelligantur, fortè omnes, ut oſtendit Dicaſtillo *tr.* 5. *diſput.* 4. *num.* 35. Probatur, tunc nulla committitur Simonia ſive naturalis, contra legem naturæ, ſive poſitiva, contra legem humanam, quando Simonia Legis naturalis ſolummodo prohibet rem ſpiritualem, vel actionem intrinſecè connexam, ac imbibitam cum re ſpirituali (qualis eſt Sacrificium, & fructus Sacrificii) dari pro re temporali, tanquam pro pretio rei ſpiritualis, cui hæc quodammodo per taxationem extrinſecam commenſuretur; non autem prohibet, dari tanquam pro ſtipendio perſonæ, ſeu pro ſubſidio ſuſtentationis in pactum deducto, intuitu rei vel actionis ſpiritualis donatæ, vel promiſſæ ſub modo obligationis mutuæ: & quando neque lex humana, ac poſitiva in reverentiam rei ſpiritualis prohibet hujuſmodi pactum: ſed in caſu noſtræ concluſionis ſolummodò hoc fit, quod neque prohibetur Lege naturali, neque humana aſſignabili, ergo nulla committitur Simonia. 165

Confirmatur concluſio, & allata ratio teſtimonio Chriſti, ac S. Pauli, ſi is, pro quo offertur Sacrificium, vel aliud obſequium ſpirituale, & à quo illud acceptatur, v. g. oratio, vel adminiſtratio Sacramenti, tenetur non tantùm ex gratitudine præmium, ſed ex juſtitia ſtipendium perſolvere, niſi offerens obſequium ſpirituale obligationem remittat: tunc hoc ipſo intervenit pactum implicitum, & ſi accedens explicitum pactum nihil novæ obligationis ſuperaddit, ſed vel tantùm taxat menſuram ſtipendii, vel tantùm declarat non remitti obligationem alterius, tunc neque contrahit malitiam Simoniæ, modò offerens non tenebatur obligationem remittere, ipſumque pactum implicitum impedire. Subſumo. Atqui is, pro quo offertur obſequium ſpirituale, & à quo illud acceptatur, tenetur ex juſtitia ſtipendium perſolvere, neque offerens tenetur illud remittere, ergo &c. Probo min. ex verbis Chriſti, qui cùm alibi dixiſſet. *Gratis accepiſtis, gratis date*: id eſt, ſine pretio commenſurato; tamen Lucæ 10. dicit Apoſtolis, præſtantibus obſequia ſpiritualia hominibus: *In eadem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt; dignus eſt enim operarius mercede ſua*: quod vocabulum, etſi non ſumatur pro mercede propriè dicta, aut merces propriè dicta non ſit ſolummodò propriè dictum pretium, ſignificat tamen obligationem juſtitiæ ex parte dantis, ſi illius capax eſt, vel ſi non eſt capax, uti capax non eſt Deus, licèt Beatis dicatur, dare *mercedem*, ſignificat infallibilitatem dandi, cui obligatio in humanis propter hominum fallibilitatem, ac mutabilitatem ſubſtituitur. Similem obligationem adſtruit S. Paulus 1. *ad Corinth.* 9 ubi illis probat, quòd potuiſſet ab eis exigere ſuſtentationem: *Quia qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt, & qui altari deſerviunt, cum altari participant. Et quia nemo militat ſuis ſtipendiis.* Idem confirmat 1. *ad Timoth.* 5. ex verbis Deuteron. *cap.* 25. *Non alligabis os bovi trituranti*: ex quibus concludit, etiam ſpiritualem operarium dignum eſſe mercede.

Ut itaque veritas hujus concluſionis pateat, diligenter advertendum eſt, aliud eſse ſubire aliquod onus in re ſpirituali, atque ſe obligare ad illud ſubeundum ſub modo obligationis alteri viciſſim impoſitæ, ad aliquid dandum, vel faciendum, & aliud, illud onus dare ad modum mercis: atque ab altero aliquid recipere ad modum pretii: hinc Religioſi non dicuntur vendere ſua munia ſpiritualia, ſed juxta inſtitutum ſuum gratis dare, etſi viciſſim à Communitate exigant, ſibi promitti ſuſtentationem, habitationem, libros, & alia neceſſaria; ſicut qui in gratiam alterius aliquid deſcribit, non vendit ſcriptionem, etiamſi non obſtante, quòd poſſet omnia dare ex ſuo, tamen alterum ex juſtitia obliget ad dandum atramentum, chartam &c. quibus inſtantiis rem præſentem optimè declarat Dicaſtillo. Nec obſtat, quòd ab Innocentio XI. prohibita ſit hæc propoſitio 45. *Dare Temporale pro ſpirituali non eſt Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed datur tanquam Motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale.*

Vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra. Quia hæc propoſitio, dum ſolummodò declarat Simoniam Naturalem, tollit omnem Simoniam poſitiva Lege inductam; qualis tamen non eſt inducta contra juſtum ſtipendium, de quo loquitur noſtra concluſio: eſt verò Lege Eccleſiaſtica inducta contra quædam pacta explicita, vel tacita, in collatione, vel Reſignatione Beneficiorum Eccleſiaſticorum: & propterea meritò prohibita eſt dicta propoſitio.

166 Dico 2. Etiamſi Sacerdos ex propriis bonis, vel ex Beneficio Eccleſiaſtico habeat ſufficientem, aut etiam abundantem ſuſtentationem, poteſt nihilominus pro miſſis, nemini debitis, ſtipendium recipere, ac de eo paciſci. Ita contra Cajetanum, Sylveſt. Adrianum, relatos à Tannero *quæſt.10. num* 74. ſentiunt DD. communiter, nominatim. S. Thomas *Quodl.6. art.*10. Sotus, Navarrus, Reginaldus, Navarra, Arragon. Suarez, Vaſq. Coninck, Lugo, Tanner. Dicaſtillo. Nec repugnat Gratianus *in cap. Paſtor.* 1. *quæſt.*2. ubi tantùm bona Eccleſiaſtica in eleemoſynas pauperum deſtinata, prohibet Clericis divitibus diſtribui, quamvis poſtquam eadem in diverſas portiones diviſa ſunt, etiam Clerici divites poſſint ex portione pauperibus, vel templi fabricæ non aſſignata, ſuſtentationem neceſſariam recipere, modò illis ſuperflua non accipiant, aut iterum applicent ad piam cauſam. Neque etiam adverſatur Innocentius III. *in cap. In tantum* 36. *de Simonia*, ubi tantùm prohibet exactiones anticipatas, quæ ſpeciem affectus Simoniaci, & poſtulati ſtipendii per modum pretii denotant; cùm tamen res ſpiritualis ſit danda gratis, & temporalis ſit accipienda, & exigenda ſolummodò per modum ſtipendii, ſive ſuſtentationis debitæ, ſive poſſit illa haberi aliundè, ſive non. Probatur concluſio. Quia ex eo, quòd quis habeat ſuſtentationem aliundè, non ſequitur, limitandas eſſe ſententias univerſaliter prolatas, quòd *Dignus ſit operarius mercede ſua. Luc.*10. & quòd *Nemo militet ſuis ſtipendiis.* 1. *Corinth.*9. Ratio à priori eſt; quia neque lex juſtitiæ, neque religionis, neque alia prohibet hujuſmodi ſtipendii receptionem, tanquam injuſtam, aut Simoniacam, ergo eſt licita. Confirmari poteſt concluſio paritate decimarum, quas pro Adminiſtratione rerum ſpiritualium etiam ab habentibus ſuſtentationem ex bonis Patrimonialibus exigi poſſe ex juſtitia patet ex dictis *tract.*5. *diſp.*2. *num.* 232. Atqui nulla eſt ratio diſparitatis quoad alia ſtipendia pro miſſis nemini debitis. Ergo idem dicendum eſt de his ſtipendiis.

167 Dixi: *Pro miſſis nemini debitis*: Quia enim fructus ſpecialis tam Impetratorius, quàm Satisfactorius, ut priori §. diximus, probabilius eſt finitus, aut quia ſaltem periculum eſt, ne ſolventi ſtipendium aliquid de fructu decedat, ideò is meritò obligat, ne idem Sacrificium ſimul pro alio offeratur, niſi ambo tantùm inadæquata ſtipendia ſolverent.

Deſumitur autem adæquatum ſtipendium neque ex valore rei datæ, utpotè quæ eſt ſpiritualis, & altioris ordinis, nec niſi Simoniacè rei temporali conferri poteſt: neque ex valore victus diurni, ut teſtantur Navarrus, Corduba, Suarez, Tannerus, *n.*71. contra Sotum; quia cùm eodem die Sacerdos etiam alia media habere poſſit comparandi ſibi totum victum, non eſt neceſſe ut ſtipendium adæquet valorem totius victus neceſſarii pro Sacerdote, & tota illius familia: neque ex indigentia Sacerdotis, quia licèt miſſarum ſtipendia etiam vocentur eleemoſynæ, vel pitantiæ, non ita tamen dicuntur propter reſpectum ad indigentiam Sacerdotis, ſed quia dantur propter titulum piæ cauſæ per modum donationis remuneratoriæ latiùs ſumptæ, prout hæc diſtinguitur à pretio, non verò à debito. Unde Sacerdos dives poteſt æquale ſtipendium exigere, quale pauper, ut pluribus relatis, teſtatur Tannerus *num.*78. contra quoſdam Thomiſtas, improbabiliter aſſerentes, pauperem Sacerdotem poſſe pro eadem miſſa tot ſtipendia recipere, quot ſufficiunt ad illius familiam pro illa die ſuſtentandam, adeóque reſpectu hujus adæquatum ſtipendium eſſe victum diurnum; quod aſſeritur ſine fundamento, & ſine ſufficienti exemplo; cùm etiam in Salariis & mercedibus conſtituendis pro obſequiis temporalibus non attendatur ad paupertatem, illa præſtantium. Rectiùs ergo, ſicut rerum pretia, ita etiam ſtipendia Sacerdotum, vel Lege Superioris ſpiritualis, vel conſuetudine, vel judicio prudentum taxantur, ut ex communi DD. tradit Tanner. *num.*72.

Ex dicta limitatione ſequitur 1. non poſſe Parochum pro omnibus ſuis miſſis ab alio privato accipere ſtipendium manuale, ut vocant, ut eaſdem pro illo offerat, quia multi apud P. Gobat *tract.*3. *num.*493. ex Tridentino *ſeſſ.*23. *cap.*1. *de Reform.* valdè probabiliter colligunt, Parochum attenta copia, vel inopia redituum ſæpius teneri ſpecialem fructum Sacrificii offerre pro ſuis Ovibus. 168

2. Etiam alios Beneficiatos pro iis Miſſis, quas tenentur legere ratione Beneficii, nullum aliud ſtipendium poſſe acceptare, non tantùm ſi in fundatione expreſſum ſit, pro quo illæ ſint offerendæ, ſed etiam, ſi fundatio ambiguè loquatur, vel ſi ea non ampliùs extante, mens Fundatoris cognoſci non poſſit; quia in dubio ſupponendum eſt, Fundatorem ſibi quàm optimè voluiſſe conſulere, ut iterum P. Gobat *n.*494. teſtatur, hunc eſſe communem ſenſum, & praxim; imò idem Author allegat *n.*549. & 551. declarationem Congregationis, Cardinalium, editam authoritate Urbani VIII. contra quorundam DD. aliàs, ſpectando rationes naturales, probabilem ſententiam, teneri Beneficiatos pro iis Sacrificiis nullum ab alio recipere ſtipendium, quæ ratione Beneficii ab ipſis exiguntur, ſolo numero, loco, aut tempore, in fundatione expreſſo, præſertim ſi ſtipendium ſufficiens pro his conſtitutum ſit, quod non tam minutum exiſtat; ut meritò tantùm pro obligatione ad locum, vel ad certum tempus correſpondere cenſeatur: vel ſaltem tenebitur Sacerdos in hoc, & in aliis caſibus prædictis, monere offerentem ſtipendium de incertitudine fructus ipſi communicandi, & ſic ſtipendium, non niſi illo conſentiente, recipere. Nec ſatisfaciet Sacerdos, ſi pro oblato ſtipendio offerat alteri fructum ſuum ſpecialiſſimum; quia hujus communicabilitas etiam eſt incerta, & apud AA. controverſa; unde quò minus altero non monito, & conſentiente, ſtipendium acceptari poſſit, prohibitum eſt ab Urbano VIII. anno 1625. & ab Alex. VII. renovata prohibitio hujus Propoſitionis 8. *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet Celebranti correſpondentem.* Et ab eodem Alexandro VII. etiam adjecta eſt prohibitio hujus propoſitionis decimæ. *Non eſt contra Iuſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam Iuramento firmata danti ſtipendium, quòd pro nullo alio offeram.*

Dico 3. Etiamſi ſecluſa Lege poſitiva poſſet quis ſibi acquirere jus ſtipendii pinguioris pro obligatione legendi Miſſam, & deinde ſibi ſubſtituere alium Sacerdotem, ſolvendo ipſi ſtipendium minus, ſed adhuc juſtum, per expreſſum tamen decretum cit. Urbani VIII. & rurſum Alexandri VII. expreſſam prohibitionem hujus nonæ Propoſitionis: *Poſt decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi reſervata.* Propter evitanda pericula turpis Lucri, ac negotiationis id prohibitum eſt, quam prohibitionem tamen rectè declarant AA. non intelligendam de Beneficiato, accipiente ſtabiles redditus excedentes ſtipendium juſtum, quia, etiamſi iſte ſibi alium ſubſtituat, quando fundatio non expreſſè requirit, ut per ſeipſum Miſſas perſolvat, non tamen hic intervenit idem periculum turpis lucri, neque iſta ſubſtitutio adverſatur menti Fundatoris. Deinde etiam eſſe excipiendum eum, cui majus ſtipendium perſolvitur intuitu amicitiæ, vel cum expreſſa facultate ſubſtituendi ſibi alium, pro minori pretio, ita ut exceſſus pretii juſti ipſi donetur pro cura inquirendi alium Sacerdotem. Denique illum quoque eſſe eximendum, cui ſubſtitutus ſpontè remittit exceſſum ſtipendii. Reſtat itaque ſolummodò, probandum 1. membrum concluſionis, quod eſt Suarezii, Vaſquez, Soti, Bonacinæ, Tanneri, Dicaſtillo, & plurium aliorum, quia in tali caſu, nempe ſecluſa Lege poſitiva non læditur jus ſolventis ſtipendium, quippè qui voluntariè & validè transtulit dominium ſtipendii: neque determinatè, ut ſuppono obligavit 169

acci-

accipientem, ut per ſeipſum Miſſam perſolvat, neque læditur jus ſubſtituti, quia datur ipſi ſtipendium juſtum, & dominium ſtipendii majoris eſt abſolutè translatum in eum, cui immediatè perſolutum eſt.

ARTICULUS VI.

Quomodo, ſeu quibus cæremoniis Sacrificium ſit offerendum.

§. I.

De Cæremoniis in Miſſæ Sacrificio obſervandis.

SUMMARIUM.

170 *Obligatio ſervandi Cæremonias Miſſæ eſt ex genere ſuo gravis, quoad aliquas tamen datur ſolùm obligatio levis, & quoad aliquas ſeorſim nulla.*

171 *Dictæ obligationi non ſolùm contravenitur omiſſione Cæremoniarum præſcriptarum, ſed etiam additione præſcriptarum.*

170 CÆremoniæ in Sacrificio Miſſæ obſervandæ accuratè deſcriptæ ſunt in quovis Miſſali Romano, ex decreto Concilii Tridentini, & iuſſu Pii V. edito, ubi Pontifex præfixa etiam Bulla in virtute obedientiæ mandat, ut ad ritum, & normam in prædicto Miſſali expreſſam Miſſæ Sacrificium omnes celebrent; unde transgreſſio hujus tam rigoroſi præcepti ex genere ſuo peccatum mortale eſt, niſi per oblivionem, inadvertentiam, aut materiæ levitatem culpæ gravitas excuſetur.

Advertit tamen Tambur. *tract. de Sacrificio Miſſæ lib. 2. cap. 5. §. 1. num. 2. & 3.* & ante illum Diana *2. p. tract. 14 reſol 41. & 55.* pluribus relatis, Rubricarum alias eſſe præceptivas, alias directivas, illas obligare ſub peccato, iſtas verò eſſe de conſilio: Rubricæ præceptivæ, vel continent actiones immediatè inſtitutas à Chriſto, nempè utriuſque ſpeciei conſecrationem, & ſumptionem, vel immediatè inſtitutas ab Eccleſia, ſpectantes ad ornatum, & ritum externum Sacrificii, juxta intentionem Eccleſiæ tamen ob ſpeciales fines magis vel minus neceſſarium. Actiones inſtitutæ à Chriſto omnes præcipiuntur ſub mortali; inſtitutæ autem ab Eccleſia, non omnes, ſed præcipuè, & magis neceſſariæ, quales cenſentur admixtio aquæ, duplex oblatio, elevatio, fractio hoſtiæ, immerſio particulæ in Calicem. Circa ea, quæ in Miſſa dicenda ſunt, adhuc ſatis ſeveri ſolent eſſe AA. amiſſa enim unica parte æſtimabiliori v. g. Epiſtola, Evangelio, Oratione ex Canone (non autem unico duntaxat verbo, quantumvis extra formam conſecrationis omiſſo, ut nimis ſcrupuloſè cenſuit Nugnus) communiter peccatum mortale adſtruunt, veniale verò omiſſo Graduali, Tractu, Commemoratione, Hymno, ſeu Sequentia, Gloria, Credo, & ſimilibus, quæ non tam à brevitate, quàm à minori neceſſitate levitatem materiæ deſumunt, cùm non ad omnem Miſſam communiter dicatur Gloria, vel Credo, aut Sequentia.

Aliæ etiam cæremoniæ, ut benedictiones, ſeu ſignationes crucum, commemorationes, aut precatiunculæ extra Canonem, variationes præfationum vel orationum infra actionem, vel *Hanc igitur &c.* juxta communem opinionem tantùm ſub veniali præcipiuntur.

Rubricæ ſolummodò directivè, & neque ſub veniali obligantes, nihilominus tamen accuratè obſervandæ videntur eſſe, quæ verſantur circa genuflexiones, capitis inclinationes, manuum varias directiones &c. quas omnes cæremonias; cùm ad propriam Sacerdotis & populi circumſtantis devotionem, & ſacrificandi decentiam ſpectent, omnes Neomiſtæ diligenter addiſcant, & obſervare aſſueſcant, imo ob hanc ipſam rationem à peccato veniali non eſſet excuſandus, qui plures earum omitteret, vel ignoraret.

Sicut autem diximus peccari leviter, vel graviter pro materiæ quantitate, ac qualitate, per omiſſionem eorum, quæ dicenda, vel facienda ſunt, ſic peccari poteſt etiam additione eorum, quæ non dicenda, aut non facienda ſunt; & quemadmodum ad peccatum grave omiſſionis non requiritur intentio malitioſa immutandi ritum Eccleſiæ, ita videtur Dicaſtillo *diſp. 4. n. 268.* ſecutus Suarezium, ad peccatum grave additionis immeritò requirere intentionem malitioſam immutandi ritum Eccleſiæ, modò directè & in actu exercito cum advertentia ad prohibitionem notabiliter immutetur. Potiùs ergo ad deprehendendam gravitatem peccati ſic inſtituenda eſſet paritas, ut quemadmodum eſt mortale peccatum omiſſio alicujus partis principalis, ſemper adhiberi ſolitæ, v. g. Evangelii, vel Epiſtolæ, veniale verò omiſſio alicujus commemorationis, ſeu collectæ dicendæ &c. ſic juxta dicta de peccatis oppoſitis Religioni *tr. 5. diſp. 3. n. 79.* mortale ſit additio alicujus valdè immutantis ritum Sacrificii, veniale verò additio unius collectæ, neque ex Lege communi, neque ex ſpeciali privilegio addendæ; quale tamen privilegium Tamburinus putat, S. Franciſcum Xaverium, aut accepiſſe à Summo Pontifice, vel pro poteſtate Legati Apoſtolici ſibi uſurpare potuiſſe, vel ex divino inſtinctu fuiſſe ſuppletum ad conſuetam ſibi orationem, pro Indorum converſione dicendam immediatè ante communionem, cui alii Sacerdotes ex præſcripta, atque à Dicaſtillo immeritò improbata conſuetudine, brevem morulam pro eliciendis aliquibus virtutum actibus præmittere ſolent, idque laudabiliter teſte P. Gobat *num. 756.*

Cæterùm fateor, fieri vix poſſe, ut quis cum advertentia ad peccatum mortale aliquid addat, & non habeat intentionem malitioſam, vel poſitivum contemptum; cùm etiam ſine his additio materialiter levis vix percipi poſſit, vel enim ſit cum advertentia ad prohibitionem, & ſic non niſi ſtultè devotionis & cultus gratia ſit, cùm quivis ſciat, DEUM peccato non coli, vel ſit ſine advertentia ex mera ſimplicitate, & ſic neque peccatur venialiter. Verùm in omiſsione faciliùs ſine intentione malitioſa poteſt peccari propter gravem nimirum, vel levem negligentiam, ſtudium properandi, &c.

§. II.

De defectibus in Cæremoniarum omiſſione ſupplendis.

SUMMARIUM.

172 *An & quando ſit ſupplendus defectus.*

173 *Quomodo defectus formæ ſit ſupplendus.*

174 *Quomodo defectus Panis debeat ſuppleri.*

175 *Quomodo debeat ſuppleri defectus Vini.*

EX dictis aliqua adhuc dubia oriri poſſunt circa ſupplendos defectus, in Miſſa commiſſos. Itaque

Quæritur 1. An, quemadmodum in Horis Canonicis 17
per inconſiderantiam omiſſa, ſuperveniente advertentia ſupplenda ſunt, ita etiam in Sacrificio ſit idem faciendum. Reſp. cum S. Thoma *q. 83. art. 6. ad 5.* Sylv. Suarez, Vaſquez, Toleto, non eſſe neceſſe, imò nec expediens, ut inquit Dicaſtillo, *num. 252.* aliquid ſupplere, etiamſi occultè, & nemine advertente fieri poſſet, niſi vel ſit actio à Chriſto inſtituta, vel ad ipſam præparationem materiæ conſecrandæ requiratur, & certò, aut valdè probabiliter Sacerdoti conſtet, à ſe tale quid omiſſum eſſe.

Ratio reſponſionis, ac diſparitatis cum Horis Canonicis eſt; quia, quæ dixi neceſſe non eſſe, ſupplere, potiſsimùm intenduntur propter ritum, & formam accidentalem ſacrificii, quæ conſiſtit in debita ordinatione actionum, hæc autem per ſuppletionem non ampliùs obtinetur, ſed potiùs turbatur, ſi aliquid non ſuo loco ponatur, vel peractionem illud non ſpectantem interrumpatur. Quæ ratio, cùm etiam à P. Gobat *n. 777.* uſurpetur, & æquè militet in iis, quæ ſecretò, quàm quæ alta voce dicuntur, miror, quòd citatus Auctor *n. 779.* ſecutus Tamburinum jubeat repeti ea, quæ ſecretò dicuntur, vel quæ alta quidem voce, ſed in privato Sacello. Credo tamen utrumque Auctorem ſupponere, quòd Sacerdos poſt commiſſum errorem tam puſillum progreſſum fecerit, ut ſtatim ad id, quod omiſſum eſt, reverti poſsit, & interea peracta cæremonia iterum ſuo loco ſubjungi, quo ſuppoſito non improbo illorum doctrinam, ſi id, quod ſuppletur, fuit tam

neceſſarium, ut advertenter ſine peccato mortali omitti non potuiſſet, tunc enim ejuſdem neceſſitas videtur prævalere modicæ & exteriùs non indecoræ repetitioni cæremoniæ peractæ, ſic etiam cenſeo, quia minus eſt, commemorationes inter ſe tranſponere, quàm omittere, eò quòd talis tranſpoſitio formam ferè non immutet, rectiùs facturum, qui orationem ſecundo loco dicendam ſaltem dicit tertio, quando ejus interea recordatur: quòd ſi tamen ejus ante Epiſtolam oblitus eſt, ſufficit deinde ſuo loco dicere correſpondentem ipſi ſecretam, ſi autem nec hujus meminit, convenientiùs etiam omittetur correſpondens illi Poſtcommunio, ut ſic poſtrema pars ſacrificii habeat majorem uniformitatem cum prioribus, tanquam minus cum majori.

Ratio ſuprà poſitæ exceptionis eſt, quia communiter DD. fatentur, eum, qui ante Conſecrationem recordatur, ſe vino non immiſcuiſſe aquam, teneri adhuc immiſcere, & qui in ſumptione calicis advertit, ſe invalidè conſecraſſe aquam, tenetur adhuc offerre vinum, & conſecrare, ſi, ut Dicaſtillo *num.*288. cum multis aliis limitat, ſine gravi incommodo fieri poteſt: Si v. g. aliud vinum non ex loco valdè diſſito cum magna populi adſtantis moleſtia, & longa expectatione, rurſum offerendum foret. Debet tamen, ut quid ſupplendum ſit, certò aut valdè probabiliter conſtare, ipſum omiſſum eſſe, ut expreſsè declaratur in Rubricis Miſſalis de defectibus in celebratione Miſſarum occurrentibus §. *de defectibus formæ*, ubi in fine dicitur, ſi valdè probabiliter dubitat, ſe aliquid eſſentiale omiſiſſe, iteret formam, ſaltem ſub tacita conditione: ſi autem non ſunt de neceſſitate Sacramenti, non reſumat, ſed procedat ulteriùs: quæ rubrica probat à pari de cæteris in Sacrificio Miſſæ ſupplendis.

173 Quæres 2. Si quid juxta dictam exceptionem ſupplendum ſit, quomodo id fieri debeat. Reſp. neceſſitatem ſupplendi conſecrationem poſſe evenire ex defectu materiæ, vel formæ, ſi ex defectu formæ eveniat, eò quòd aliquod verbum certò aut probabiliter eſſentiale fuerit omiſſum, non ſufficit, illud ſolùm exprimere, quando ratione diſcontinuationis, vel tranſpoſitionis, non amplius ſervit ad complendam ſignificationem formæ, ſed debet tota forma de novò pronuntiari cum intentione abſoluta conſecrandi, ſi verbum omiſſum fuit certò eſſentiale, vel conditionata, ſi tantùm probabiliter fuit eſsentiale, & idem dicendum eſt, ſi ſimilis defectus à priori Sacerdote fuiſſet commiſſus, cujus Sacrificium propter ſupervenientem illi infirmitatem ab alio perficiendum eſſet.

174 Si neceſſitas ſupplendi proveniat ex parte materiæ, quæ rarò poteſt contingere circa materiam panis; nam, ſi poſt conſecrationem ſolummodò advertas, hoſtiam fuiſse notabiliter fractam, non eſt conſecranda alia; quòd autem non fuerit triticea, facilè ante conſecrationem potuit agnoſci, ſi tamen contingat hujuſmodi neceſſitas, vel propter deficientem materiam panis, vel propter intentionem conſecrandi illam, (de qua intentione ſi ſolùm dubites, nihil eſt ſupplendum, quia hoc ipſo, quod non animo irriſorio, nec in ſomno, aut ebrietate, ſed ex deſtinata voluntate ad ſacrum faciendum acceſseris, ſemper potes intentionem virtualem facilè præſumere) & ſi defectum primùm advertas poſt validè conſecratum vinum, poterit quidem rurſum conſecrari aliud vinum, quia nonnulli putant, ſervandum etiam eſse ordinem inter materias conſecrandas, probabilius tamen cum Suarez, Rodriq. Reginald. Navarro, & aliis, quos ſequitur Dicaſtillo *n.*293. negatur hoc eſse neceſse. Hoſtia verò omninò conſecranda eſt de novo & priùs etiam offerenda, uti ex Rubricis *de ſervando ritu* colligitur, quæ præcipiunt vocalem oblationem, & quaſi ſpiritualem præparationem ipſius materiæ validè conſecrandæ; & deinde declaratur in Rubricis *de Defectibus*.

Quamvis autem ibi non exprimatur, eſse vocaliter per conſuetam orationem offerendam, videtur tamen hoc ſubintelligi: cùm vocalis oratio præcedens, & continens particulam demonſtrativam, *hanc immaculatam hoſtiam* deſignantem Chriſtum ponendum ſub ſpeciebus materiæ præſentis, non poſſit ſe extendere ad novam, & tunc abſentem materiam; aliàs neque nova mentali oblatione opus eſset, cùm eodem modo prior mentalis poſset extendi. Unde etiam non aſsentior P. Gobat aſſerenti; ſi parvæ hoſtiæ pro Laicis conſecrandæ primùm ante Præfationem apportentur, poſse illas licitè conſecrari, præmiſsa ſola oblatione mentali; ſicut enim magna hoſtia non conſecraretur licitè ſine oblatione vocali, ſic etiam parvę hoſtię non conſecrarentur licitè, adeòque niſi neceſſitas urgeret, omninò non eſsent conſecrandæ, vel ſi ſunt conſecrandæ, etiam ſunt vocaliter offerendæ. Quia etiamſi ante Præfationem fuerint allatæ, oratio tamen ſe non extendebat ad illas adhuc abſentes, & quoad hoc nihil intereſt, ſive ante Præfationem, ſive primùm ante conſecrationem offerantur; ſed ſi poſsunt urgente neceſſitate conſecrari, poſsunt & debent propter eandem etiam vocaliter offerri, quamvis probabiliter majus eſset peccatum, ſi nec magna nec parvæ hoſtiæ fuiſsent vocaliter oblatæ, quia tunc ipſum Sacrificium Miſsæ deſtitueretur aliqua parte neceſsaria, ſpectante ſaltem ad ornatum illius. Hinc magis adhuc diſsentio à dicto P. Gobat, *tract.*3. *num.*832. cum Tamburino aſſerente: Hoſtiæ vocaliter oblatæ poſse ſubſtitui aliam tantùm mentaliter offerendam.

Si denique contingat neceſſitas ſupplendi circa materiam vini (de qua ſi poſt conſecrationem ſolummodò ſit dubium, an fuerit ſubſtantialiter vinum) teſte Tamburino *de Sacrificio lib.*2. *cap.*8. §.5. & P. Gobat *num.*775. non eſt neceſse, aliud aſsumere, ſecus, ſi ante conſecrationem dubium obortum fuerit, & aliud commodè haberi poſſit, vel ſi ſaltem valdè probabiliter fuerit aqua (ſicut de forma dixi, ſi valdè probabiliter aliquid eſsentiale ex illa omiſsum fuerit) juxta S. Thomam *q. eſt.*83. *art.*6. cujus ſententiam Nugnus vocat certam, & oppoſitam improbabilem, & juxta Rubricas Miſsalis *de defectu vini*, non ſolùm conſecrandum eſt vinum de novo, ſed etiam panis, poſito, quòd ante novam conſecrationem vini Sacramentum ſub ſpeciebus panis jam fuerit abſumptum, eò quòd deceat ante ſumptionem ſpecies Corporis & Sanguinis ſibi coexiſtere, non quidem ad ſalvandam integritatem Sacrificii, ſed ad perfectionem myſticæ immolationis, ſi nimirum ſpecies, ſub quibus ponitur vi verborum ſolum corpus, & ſpecies, ſub quibus vi verborum ponitur ſolus ſanguis, ſeparatim ſibi coexiſtant, ſicut in immolatione cruenta ſeparatim ſibi coexſtiterunt corpus, & Sanguis. Verùm hoc non eſse de præcepto docent Scotus, Navarrus, Suarez, Vaſq. Coninck, Laymann, Dicaſt. P. Gobat, & multi alii, quos refert & ſequitur Diana *p.*2. *tract.* 14. *reſol.*60. nec videtur repugnare citata Rubrica Miſſalis, utpotè, quæ fatetur, in publico ad evitandum ſcandalum poſse conſecrari ſolum vinum. 175

Imò P. Gobat *num.*742. cum Suar. Fagund. & pluribus aliis teſtatur, Rubricas, quæ agunt de Miſsæ defectibus corrigendis, non obligare ſub ullo peccato, in quantum ſunt præcisè Rubricæ Miſsalis; nam illæ, quæ immixtionem aquæ in vinum, & oblationem ante conſecrationem, ipſamque conſecrationem ſupplendam præcipiunt, ſupponunt etiam aliundè hujus præcepti exiſtentiam, cui contra Suarez, Coninck, Tamburinum relatos, & approbatos à P. Gobat *n.*773. poſset & deberet adhuc ſatisfieri, etiam ſi Sacerdos primùm in Sacriſtia certus fiat de defectu vini conſecrabilis. Si enim eſset ſublata facultas, & obligatio conſecrandi vinum de novo, eſset illa ratio, quam ex Coninck aſſignat P. Gobat, quòd nimirum nova Conſecratio foret diſtincta actio: nam, inquit ulteriùs P. Gobat, deberes tunc etiam novam hoſtiam conſecrare, & ſic novum Sacrificium perficere non jejunus, ſed hæc ratio nulla eſt, quia falsò ſupponitur, quòd nova conſecratio foret diſtincta actio; cùm ipſe P. Gobat fateatur *n. ſeq.* adhuc fore continuam, ſicut eſset continua, ſi Sacerdos poſt conſecratum panem propter infirmitatem debuiſset redire ad Sacriſtiam, & alius loco ipſius exire ad perficiendam conſecrationem vini, totumque Sacrificium complendum. Unde etiam nego, quòd in ſententia, quam ipſi adverſarii ſuprà contra S. Thomam approbarunt, debuiſset nova hoſtia conſecrari, vel ſi debuiſset, quia Sacerdos non ampliùs in publico extitiſset, nego, quòd illius Conſecratio, & fractiò jejunii naturalis quicquam impediret, ſicut non impedit, quando Sacerdos manens in ara defectum materiæ conſecratæ non advertit ante ſumptionem, à qua tunc ſolùm debuiſset abſtinere, uſque dum materiam

validam

validam conſecraſſet, & ſumpſiſſet, ſi detectum antè advertiſſet.

§. III.

Qualis Miſſa, & qualiter ſine interruptione facienda ſit.

S V M M A R I V M.

176 *Quale ſit peccatum, mutare Miſſam præſcriptam ſine juſta cauſa.*
177 *Quænam ſit juſta cauſa mutandi Miſſam.*
178 *An liceat Miſſam inceptam abrumpere, vel interrumpere, vel de novo incipere.*

176 QVæres 1. An liceat dicere aliam Miſſam, quàm quæ pro ea die in Miſſali præſcripta eſt. Reſpon. Etiamſi Azor. 1. *par. lib.*10. *cap.*29. & quidam alii relati à Diana 4. *par. tract.*4. *Miſcel. Reſol.*39. exiſtiment, probabilius mortaliter peccaturum eum, qui ſine rationabili cauſa prorſus aliam miſſam legeret, quàm quæ præſcripta, vel ſaltem permiſſa eſt, alii tamen propter differentiam ſolùm accidentalem, & levem, communiùs & probabilius negant, mortaliter peccaturum, à peccato tamen veniali contra P. Gobat *tr.*3. *caſu* 21. *num.*702. Tambur. *lib.*2. *cap.*6. §. 1. *num.*6. meritò videtur Dicaſtillo *diſput.*4. *num.*275. non excuſare eum, qui non tantùm Miſſam Solemnem, ſeu Conventualem, ut vocant, teſte Suarez, & Bonacina, difficiliùs mutabilem, ſed qui ſolummodò privatam aliam diceret, quàm quæ præſcripta, vel permiſſa eſt illis diebus, quibus ſecundùm Rubricas non poteſt fieri Votiva, vel Requiem, niſi alia ab arbitraria Sacerdotis, vel Sacrificium fieri curantis devotione diverſa, & rationabilis cauſa id ſuaderet.

Unde licet Sacerdos ſtipendium pro miſſa accipiens, teneatur ſe accommodare voluntati ſolventis, quando id ſaltem propter cauſas excuſantes, ut dicemus, ſalvis Rubricis licet, eò quòd ad impetrandum fructum, poſtulatæ miſſæ ſpeciales orationes, vel certi alicujus Sancti invocatio ad intentum illum fructum, vel ad devotionem alterius magis conducant; quando tamen Rubricæ talem miſſam, quæ petitur, fieri prohibent (ad ritum enim ſacrificandi, quem certum eſt, eſſe de præcepto, ſpectat etiam qualitas Miſſæ, ſi namque debent poni debitæ partes, v. g. debitæ orationes, etiam ponendum eſt debitum totum) potiùs iſtis obtemperandum eſt; quia tunc ad intentum fructum à Deo obtinendum, magis ſervit miſſa præcepto Rubricarum, & Divinæ Voluntati conformis, cui proinde voluntas procurantis ſibi miſſam, ſaltem interpretativè, vel implicitè cenſetur conſentire, aut rationabiliter non eſſe invita. Nam etiam illis diebus, quibus Rubricæ concedunt Miſſam Votivam dici, monent tamen, ne id paſſim, & ſine rationabili cauſa fiat: ergo quando communiter, ac regulariter non concedunt, magis rationabilem cauſam, quàm ſolam arbitrariam devotionem erga certum Sanctum, aut quàm Orationum ad ſpeciale aliquod Beneficium obtinendum conceptam formulam cenſentur requirere; hæc enim cauſa facilè præſumeretur, etiam prohibitis diebus intervenire. Hinc ſicut imprudens eſſet devotio, qua quis non permiſſas commemorationes vellet immiſcere, ſic etiam per ſe loquendo imprudens eſſet illa, qua quis totam miſſam vellet mutare ſine gravi ratione excuſante ab expreſſa obligatione, qua ſtatuitur, ut ſi quis velit miſsam legere, quod ipſi liberum eſt, legat illam, quam legere tali die permiſſum eſt.

177 Quænam autem ſit gravis cauſa excuſans, judicio prudentum relinquitur. Nam ſicut ſunt inæquales celebritates feſtorum, ſic uno die Rubricæ magis ſe opponunt mutationi miſsæ, quàm altero, & licèt devotio ſit imprudens, quæ eſt contraria Rubricis obligantibus, poteſt tamen vel propria Sacerdotis, vel procurantis ſibi miſsam (de quo, niſi aliud conſtet, Sacerdos poterit præſumere) devotio & fiducia erga aliquem Sanctum eſſe tanta, ac neceſſitas, pro qua invocatur, tam gravis, vel ad aliquem locum, aut Sanctum, tam celebris eſse accurſus, ut propter fovendam devotionem, fiduciam, cultum alicujus ſancti in certo loco, vel pro certa neceſſitate, Pontifex meritò ſupponatur, obligationem Rubricæ relaxare, eò quòd ex communi ſenſu & praxi pateat, eam, quoad qualitatem miſsæ ex gravi cauſa ſolere relaxari faciliùs, quàm quoad modum; cùm pro hoc rarò poſſit evenire neceſſitas, vel poſſit ipſa mutatione miſsæ ſatis eidem provideri. Unde P. Gobat *n.*710. & apud hunc Tamburinus rectè conſuluerunt, ut Sacerdos ob infirmitatem nequiens legere die Palmarum Paſſionem Domini, potiùs diceret Miſsam Votivam de Paſſione, quàm propriam ejus diei, ſubſtituendo ultimum Evangelium Paſſionis.

Quæres 2. An liceat miſsam inceptam abrumpere, 178
vel ſaltem interrumpere, vel de novo incipere. Reſp. breviter ex Dicaſtillo *diſput.*4. *dub.*13. & ex aliis ab ipſo relatis ad 1. Sine juſta cauſa non licet miſsam abrumpere, citra culpam mortalem; etiamſi nondum ad Canonem fuerit perducta, & qui ſecus faceret, incurreret ſuſpenſionem à celebratione miſsarum juxta *cap. Nullus Epiſcopus de Conſecr. diſtinct.*1. imò peracta Conſecratione incurreret Excommunicationem, juxta *cap. Nihil* 7. *quæſt.*1. neutra tamen cenſura dicitur latæ, conſequenter tantùm eſt ferendæ ſententiæ; ex juſta cauſa autem ante conſecrationem non ſolùm licet, ſed quandoque etiam tenetur Sacerdos, ſi, (quod tamen rarò continget) ſine ſcandalo, aut periculo infamiæ poſſit miſſam imperfectam relinquere, quando v. g. recordatur, ſe non eſse jejunum; vel eſse in peccato mortali, aut cenſura conſtitutum; vel quando templum eſt pollutum, vel quando excommunicatus vitandus inde expelli non poteſt: poſt conſecrationem verò non quidem tenetur ob aliquam cauſam è prædictis à miſsa recedere, ſed ſi morbo coactus fuerit, debet alius Sacerdos eandem ad finem perducere, ut dicitur *in cit cap. Nihil,* & *cap. Illud ibidem* &c. Ad 2. Reſp. Licere ex rationabili cauſa, & de facto ſolere interrumpi Concione, Communione Laicorum, ſuſceptione voti aut juramenti. Ad 3. Reſpondet Dicaſtillo, licere uſque ad Oblationem excluſivè in gratiam Cardinalis, Epiſcopi, Marchionis, Comitis cupientis neglectam miſsæ partem reſarcire; putarem tamen, conſultiùs fore, ſi nihil repeteretur, quia ipſa inconvenientia repetitionis eſset ſufficiens cauſa excuſans etiam die feſto ab auditione illius partis.

ARTICULUS VII.

Quando Sacrificium Miſſæ celebrari poſſit.

S V M M A R I V M.

179 *Expedit à Sacerdote ritè diſpoſito quotidie Sacrificium Euchariſticum offerri.*
180 *Extra ultimum triduum hebdomadæ Sanctæ: de quo dicitur, quid obſervandum ſit.*
181 *Quibus horis liceat Miſſas celebrare Iure communi.*
182 *Et quibus horis liceat diverſis Regularibus ex privilegio.*
183 *Aliæ à conſueta hora exceptiones ſunt privilegium noctis ſanctæ Nativitatis Domini. Tempus hyemale in noſtris regionibus ſeptentrionalibus. Publica neceſſitas.*

QUæſtio dupliciter inſtitui poteſt, nimirum quibus 179
diebus, deinde, qua hora diei, miſsam celebrare liceat.

Ad 1. Communiter Reſp. non ſolùm licitum, ſed per ſe loquendo etiam conſultum eſse, ut extra tres ultimos dies Majoris Hebdomadis, quilibet Sacerdos ritè diſpoſitus quotidie celebret ob ſpecialem Sacrificii utilitatem, tam à Vivis, quàm defunctis participandam, quæ ſacrificantis indignitatem, ob quam more Laico nunc non deceret toties communicare, quodammodo compenſat, quamvis omninò conveniat, ut etiam vitæ integritate ad hoc ſanctum opus diligenter ſe conetur diſponere, ac dignum reddere.

Quoad triduum autem Hebdomadæ Sanctæ non om- 180
ninò conveniunt DD. de die Cœnæ Domini quidem communiter jam concedunt, licere & quidem etiam publicè ante finitam miſsam Solemnem, & ante inchoatas veſperas cuivis Sacerdoti Sacrum facere, eò quòd conſuetudo more Laico communicandi, vel vim Legis non habeat, vel contraria conſuetudine abrogata ſit.

Et licèt Diana *p.6. tr.6. Reſ.19.* referat decretum Congregationis Rituum prohibentis hac die plures miſſas fieri, quam unam, ait tamen, id multis in locis non eſſe receptam, & paſſim illa die Sacerdotes celebrare, Et Card. de Lugo, qui poſt cit. decretum Romæ ſcripſit *diſp. 20. n.14.* abſolutè ait, id licere, nec eſſe ullum decretum contrarium legitimè promulgatum. Dicaſtillo etiam *tr.5. de Sacram. diſp 4. n.28.* teſtatur, ſe 15. annis fuiſſe in noſtra Germania, & vidiſſe, quòd publicè celebret, qui vult. De Paraſceve verò conſentiunt propter Celebritatem Sacrificii cruenti, non licere offerre incruentum, quamvis communicare eodem die nulli prohibitum ſit. De Sabbatho Sancto potiſſima eſt controverſia, in qua propter auctoritatem DD. cuilibet parti licet accedere, ut ſcilicet prohibitionem *in cap. Sabbatho, de Co ſecr diſt. 3.* quoad hanc diem, non autem quoad præcedentem abrogatam dicas cum Soto, Suarez, Dicaſtiilo, Lugo, Diana *p.2. tr.14. R.21.* plures referente, eò quòd Miſſa Solemni, quæ nocte reſurrectionis celebranda erat, in Sabbathum retracta, tollatur ratio luctus, ad quem conteſtandum à Sacrificio Miſſæ aliàs abſtinendum fuiſſet: Vel cum Navarro, Henriquez, Palao, Vaſquez non totaliter abrogatam dicas, ſed tantùm quoad illam miſſam ſolemnem, eò quòd eadem in media nocte ab uno Sacerdote celebrata, non hoc ipſo aliis Sacerdotibus jam licuerit ſimul miſſam celebrare. Quia tamen in pluribus diœceſibus, ſi dies feſtus, puta ab Angelo ſalutatæ Virgini ſacer, in hanc diem Sabbati Sancti incidat, in Choro & Foro transferri ſolet, ideò rectiſſimè faciet, qui loci, in quo degit, praxi ac conſuetudini ſe accommodat.

181 Ad 2. Iterum communiter reſpondetur, neque licere, citra gravem culpam, Chriſtum, qui vera lux eſt, in Sacrificio offerre ante auroram, ſeu crepuſculum matutinum, ut conſuetudine non autem Lege poſitiva ſancitum eſt (nam *cap. Nocte ſancta de Conſecr. diſt.1.* quoad prohibitionem, ne ante horam tertiam poſt ortum ſolis miſſa celebretur, vel tantùm de Solemni Miſſa intelligendum eſt, vel tantùm propter paucitatem Sacerdotum in gratiam populi, ut ad miſſam convenire poſſet, olim ſtatutum, ſucceſſu temporis verò & creſcente Sacerdotum numero rurſum per conſuetudinem contrariam abrogatum eſt (neque licere poſt meridiem, ut Palao probat, ex Bulla Pii V. quæ incipit, *Sanctiſſimus, in Chriſto Pater*. Verùm in hac Bulla Pontifex tantùm prohibet Miſſas veſpertinas, quæ ſub Solis occaſum inchoantur, non autem pomeridianas. Meliùs ergo probatur ex illius novo Miſſali, ubi habetur hæc Regula: *Hora celebrandi pro Miſſis privatis eſt ab aurora uſque ad meridiem*. 2. Probatur ex conſuetudine, itaut Suarez, Palao, & multi à Dicaſtillo *n.75.* relati putent, in praxi tutam non eſſe ſententiam, Navarri, & quorundam aliorum apud Tannerum *q.9. n.61.* & Palao *punct.7. n.14.* aſſerentinm, uſque ad horam tertiam pomeridianam, in noſtris Germanicis horologiis, ſeu nonam ab ortu Solis, licitum eſſe, miſſas inchoare, eò quòd illo tempore etiam cruentum Sacrificium primùm peractum, idque olim permiſſum fuerit, quando jejunium uſque ad ſolis occaſum protrahebatur, atque etiam tempore S. Thomæ, ut dicitur, *q. 83. art.2.* Quam ſententiam Tannerus *loc. cit.* & Dicaſtillo *n.78.* & P. Gobat *num.201.* judicant probabilem, & poſſe privatim ſecluſo ſcandalo practicari.

Contraria tamen eſt probabilior propter expreſſam Regulam Miſſalis Pii V. & propter conſuetudinem oppoſitam, ac propter Pontificum ſpecialia privilegia tantùm quibuſdam, utique non fruſtra, neque propter majorem tantùm certitudinem, ſed potiùs propter exemptionem à certitudine oppoſitæ conſuetudinis, conceſſa: ut adeòque etiam obſtet univerſali licentiæ Tridentinum *ſeſſ.22. Decreto de obſervandis in celebrat. Miſſæ*, ubi præcipitur, ne miſſæ aliis, quàm ſtatutis Horis celebrentur; eam tamen hujus præcepti mitigationem communiter, & rectè admittunt DD. ut dicant, ſufficere, ſi miſſa finiatur initio auroræ, vel inchoetur in meridie, neque exigunt, ut aurora vel meridies ſumatur mathematicè, ſed moraliter, quomodò unicus horæ quadrans ante auroram, vel poſt meridiem non curatur. Hinc ſi miſſa finiatur ſeſqui hora ante ſolis ortum, ſeu apparentiam in Horizonte (quamdiu durat crepuſculum matutinum moraliter acceptum) teſte Suarez, Tannero, Dicaſtillo, Pal. pluribus aliis, ſatisfiat obligationi, contra quam ut mortaliter peccetur, Palao loc. cit. & Bonacina pro materia gravi determinant ſpatium unius horæ, excedentis tempus præſcriptum antelucanum, aut meridianum.

Præterea dantur à communi obligatione adhuc aliquot exceptiones, relatæ, & approabtæ à Tannero & Palao. Prima eſt, privilegium, cujus rationabili uſu, & poteſtate etiam aliis id permittendi, gaudent Epiſcopi propter conſuetudinem non aliter receptam, ut teſtatur Palao *n.13.* referens Navarrum, Coninck, Vaſq. Laymann, & Gloſſam *in cap. ult. de Privileg in 6.* quæ tamen minùs univerſaliter loquitur, ſcilicet tantùm de Epiſcopo in itinere, pro illo commodiùs peragendo extra conſuetum tempus, Sacrum faciente, vel ab aliis ſibi fieri curante. Simile privilegium una hora ex rationabili cauſa, & Superiorum permiſſu auroram præveniendi, vel meridiem ſubſequendi conceſſit Gregorius XIII. Presbyteris noſtræ Societatis, & conſequenter omnibus aliis Religioſis, noſtra privilegia participantibus. Unde Diana *p.2. tr.14 Reſol 33.* cum Joan. de la Cruz concedit, poſſe tales Religioſos ſtatim poſt cantatum matutinum (quod apud Dicaſtillo *n.61.* fratribus Minoribus Leo X. expreſsè indulſit) vel duabus horis poſt mediam noctem Miſſam ordiri, (imò ex rationabili cauſa ſtatim poſt mediam noctem miſſam ordiendi RR. PP. Benedictinos, & Ciſtercienſes privilegio donatos eſſe, refert Dicaſtillo *n.59.*) vel finire tribus horis poſt meridiem; ut dicit *in Reſol.34.* quod poſtremum mihi videtur nimis liberaliter dictum eſſe. 182

Ex univerſali etiam privilegio in Nativitate Domini (non autem quoque in Sabbatho Sancto, ut quidam apud Tannerum putabant) cuilibet Sacerdoti permittitur (non autem præcipitur) tres miſsas celebrare, & non tantùm primam, ſed juxta communiorem, & probabiliorem ſententiam etiam reliquas ſtatim poſt medium noctis, cùm ſine neceſſitate verba privilegii *in cap. Nocte Sancta, de Conſecr. diſt.1.* id expreſsè concedentia reſtringenda non ſint, & Rubrica Miſsalis oppoſitum non præcipiat, ſed vel tantùm ſuadeat, uti etiam alii DD. ſuadent, vel de miſſis Solemnibus duntaxat intelligenda ſit. 183

Altera exceptio in noſtris præſertim partibus ſeptentrionalibus, ubi multò ſeriùs ſol oritur, eſt tempus hyemale, quo tribus vel quatuor horis laudabili conſuetudine ortus ſolis anticipatur, ut famuli, & operarii miſsam ante laborem ſuum diurnum audire poſſint: quæ anticipatio tempore verno & autumnali ſecundùm longitudinem dierum decreſcit.

Tertia exceptio eſt, cùm gravis neceſſitas urget, v.g. communicandi infirmum, vel audiendi miſſam die feſto, quando v.g. propter peregrinationem populi peragendam miſsa anticipanda, vel propter peractam ultra meridiem differenda fuiſset. Nam ſine ſpeciali privilegio, vel Epiſcopi licentia, ſolius Sacerdotis, vel alterius privati hominis commoditas non agnoſcitur, ut ſufficiens ad valdè magnam, benè tamen ad horariam teſte Palao plures referente *n.14.* mutationem temporis.

Atque hæc ferè ſunt, quæ circa ſacroſanctum miſſæ Sacrificium obſervanda fuerunt, quorum ſi aliqua ſub nimis gravi culpa videantur præcepta fuiſse, cogitandum eſt, ea, quæ in ſe parva videntur, quatenus referuntur ad opus omnium diviniſsimum, ritè & in tota Eccleſia uniformiter peragendum, magna evadere, & digna, quæ ſub gravi obligatione imponantur.

DISPUTATIO VI.

De Pœnitentiæ Sacramento.

QUÆSTIO I.

De Inſtitutione, Eſſentia, & Neceſſitate hujus Sacramenti.

ARTICULUS I.

An detur Sacramentum Pœnitentiæ.

SUMMARIUM.

1 R*Eferuntur errores hereticorum circa Sacramentum Pœnitentiæ.*

2 *Oſtenditur Sacramentum Pœnitentiæ ad modum Iudicii, eſſe immediatè inſtitutum à Chriſto, & in multis à Baptiſmo differre.*

3 *Solvuntur objectiones, & explicatur doctrina S. Chryſoſtomi in contrarium adducti.*

1 POenitentiæ Sacramentum negarunt ex antiquis Hæreticis Montanus Dux Cataphrygarum, qui & Montaniſtæ dicuntur, & Novatianus, non tantùm ille, qui fuit Presbyter Romanus, ſed alius, qui fuit hujus in hæreſi Magiſter, & olim Presbyter Carthaginenſis, quem multi Novatum, aſſeclas verò ipſius Novatianos nominant, qui ſeipſos Catharos, id eſt, mundos ſuperbiſſimè dixerunt, utramque hanc hæreticorum cohortem, negantium apud S. Hier. *lib.* 2. *contra Vigilantium cap.* 2. Poſſe renovari per pœnitentiam eos, qui crucifixerunt ſibimet filium Dei, & oſtentui habuerunt, condemnauit Concilium Nizænum *cap.* 8. *ſuorum Decretorum*, & impugnarunt S. Ambroſius, Chryſoſt. Auguſtinus, Hier. aliique, SS. PP. è quibus, quando aliqui cum S. Ambroſio *lib.* 2. *de Pœnitentia cap.* 10. dixerunt, pœnitentiam reiterandam non eſſe, de publica, & ſolemni locuti ſunt. Ex RR. Hæreticis hoc Sacramentum è medio ſuſtulerunt Zwinglius, Calvinus, & Lutherus, qui poſtquam in principio *lib. de Captiv.* Babyl. dixerat, unum eſſe Sacramentum, ſi ſecundùm uſum ſcripturæ loquendum ſit, nihilominus tria eſſe ponenda, Baptiſmum, Panem, & Pœnitentiam, poſtquam etiam in medio libri agens de Confirmatione aſſeruerat, ſe non damnare ſeptem Sacramenta, ſed tantùm negare, ea ex Scripturis probari poſſe, tandem in fine ejuſdem libri inquit: ſi loqui rigidè volumus, tantùm ſunt duo Sacramenta in Eccleſia: Baptiſmus, & Panis. Eoſdem duces ſuos ſecuti ſunt Matth. Illyricus, Wigandus, Kemnitus, Philippus Melanchthon in *ll. Commun. editis anno* 1522. quamvis hìc ipſe, uti & Confeſſio Auguſtana ab illo conſcripta, ac liber Concordiæ, in quem Lutherani Miniſtri, velut in ſuum Evangelium jurare ſolent, pœnitentiam ſuæ Sacramentorum Triadi rurſus annumerent; imò Lipſienſe Conciliabulum, quod *Lipſienſe Interim* appellari conſuevit, cui Melanchthon Pſeudopontificia auctoritate præfuit, ſeptem Sacramenta cum aliis, mollibus Lutheranis nominatis, aliquando admiſerit.

2 Verùm Eccleſia Catholica conſtanter tenuit, & cum ea dico, dari pœnitentiam, quæ ſit Sacramentum Novæ Legis, ut definitum eſt in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 8. *&* 15. in Bulla damnationis articulorum Wickleffi, & Huſſi, & in Concil. Florentino *ſeſſ. ult.* & Tridentino *ſeſſ.* 14. *Can.* 1. *&* 2. fuiſſeque inſtitutum non ſtatim in paradiſo, qui fuit aliquorum error apud Tannerum *d. ſp.* 6. *quæſt.* 1. *num.* 6. neque in Veteri Lege, ubi tantùm dabantur Sacramenta deletiva maculæ legalis præfigurantia noſtrum Sacramentum Pœnitentiæ, quamvis *ex lib. num. cap.* 5. *verſ.* 7. conſtet, victimis ad Sacrificium pro peccatis quandam eorum confeſſionem præmiſſam fuiſſe: neque primùm ab Apoſtolis, vel Eccleſia, ut Gloſſa *diſt.* 5. *de Pœnitentia in initio*, & quidam Canoniſtæ hallucinati ſunt: uti etiam illam partem, quæ eſt diſtincta peccatorum confeſſio, Hugo, Victorinus, Alenſis, S. Bonaventura, Waldenſis apud Tannerum *nu.* 7. *&* 21. Apoſtolis, vel Eccleſiæ per errorem tribuerunt; ſed haberi immediatè, & adæquatè ex inſtitutione Chriſti, ut partim *ex ſeſſ.* 7. *Can.* 1. partim *ex ſeſſ.* 14. *cap.* 1. *Can.* 1. *&* 6. Concil. Tridentini patet.

Probatur ex ſcriptura *Matth.* 18. ubi Sacramentum pœnitentiæ in primis fuit promiſſum his verbis: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata, & in cælo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cælo*, deinde verò apud Joan. *cap.* 20. poſt reſurrectionem Chriſti omnino, vel, ut inquit Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. *Præcipuè* eſt inſtitutum, ſimulque Sacramentum Ordinis, quoad poteſtatem abſolvendi à peccatis completum, ut refert S. Evangeliſta his verbis: *Inſufflavit, & dixit eis. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quibus verbis determinatur in primis ritus, & cæremonia externa, cùm conferatur Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus poteſtas judicialis, adeoque exigatur tum Accuſatio ſui, quam utpotè in judicio non coactivo, ſed ſpontaneo, nemo meliùs præſtare poteſt, ac debet, quàm ipſe Reus, tum Dolor de commiſſo peccato cum propoſito nunquam ampliùs peccandi; non enim conveniebat aliter, Vicarium Chriſti condonare peccata, ne, ſicut qui ſine juſta cauſa bona Domini ſui alienat, eadem diſſipat, ſic qui veniam, nullam agenti pœnitentiam, paſſim à Chriſto requiſitam, largitur nomine læſi, eandem invalidè largiatur: unde hi actus à peccatore præſtandi ſubeunt rationem materiæ, Abſolutio verò Sacerdotalis ad judicium requiſita rationem formæ.

Deindè ſignificatus effectus abſolutionis, qui eſt remiſſio peccatorum, vl præſentis decreti divini non aliter, quàm per infuſionem gratiæ conferenda. Subſumo: atqui cæremonia, ſeu ritus externus ſignificativus, & ex opere operato collativus gratiæ, eſt verum, & proprium Sacramentum, & ante inſtitutionem Chriſti nullus talis ritus dabatur; poſt Chriſti inſtitutionem verò nec Apoſtolis, nec Eccleſiæ relinquebatur poteſtas, ſive per additionem, ſive per detractionem quicquam immutandi circa ſubſtantiam ullius Sacramenti, ergo datur in Nova Lege Sacramentum pœnitentiæ, à Chriſto immediatè, & adæquatè, etiam quoad ipſam neceſſitatem diſtinctè confitendi peccata mortalia, à S. Jacobo in ſua epiſt. *cap.* 5. promulgatam, de novo inſtitutum: & quidem à Baptiſmo, ad quem aliqui Hæretici ipſum referebant, realiter diſtinctum, utpotè conſiſtens in materia, forma, Miniſtro, & cæremoniis diverſis, & conferens gratiam diverſam, atque ordinatum ad finem diverſum, qui eſt, eſſe Remedium peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum, ſeu eſſe ſecundam poſt naufragium tabulam: quod multiplex diſcrimen claris verbis teſtatur *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 2.

Obiicit Calvinus 1. Confeſſio peccatorum primùm fuit inſtituta ab Innocentio III. anno 1198. in Summum Pontificem electo, & ab eodem præcepta *c. omnis utriuſque ſexus de pœnitent. & remiſſionibus.* 2. Nectarius Epiſcopus Conſtantinop. teſte Sozomano eandem in ſuo Epiſcopatu iterum abrogavit, quem, ut refert Nizephorus, omnes Eccleſiæ orientales ſecutæ ſunt. 3. Sanctus Chryſoſtomus ſucceſſor Nectarii *hom.* 2. *in pſalm.* 50. ita loquitur: *Peccata tua dicito, ut deleas illa: ſi confunderis alicui dicere, quæ peccaſti, dicito ea quotidie in anima tua, non dico, ut confitearis conſervo tuo, qui exprobret, dicito Deo, qui curat ea.* 3

Reſp. ad primum, ab Innocent. III. tantùm fuiſſe determinatum tempus, ultrà quod non ſit differenda confeſſio: pro inſtitutione autem ſacramentalis confeſſionis referuntur ab Amico *diſp.* 10 *ann.* 17. plura Concilia, & SS. Patres diverſis ſæculis præcedentes Innocentium, & quatuor alia Concilia, inſtitutionem Chriſti definientia

ſcilicet

ſcilicet Lateranenſe ſub Innocentio III. Conſtantienſe, Florentinum, & Tridentinum, quibus omnibus protervè ſe opponunt Hæretici.

Ad ſecundum reſpondet Amicus, ſi Nectarius in ſuo Epiſcopatu ſuſtulit confeſſionem etiam ſecretam (quod tanquam inferior facere non potuiſſet, etiamſi illius obligatio non immediatè à Chriſto, ſed tantùm à Summo Pontifice fuiſſet impoſita) id feciſſe, inductum à Novatianis, quorum conſilio in rebus fidei ſæpè utebatur. Sicut etiam à Gregorio Nazianzeno per Epiſtolam reprehenſus fuit, quòd multos alios Hæreticos Conſtantinopoli toleraret. Longè meliùs tamen reſpondet ſecundò idem Amicus, & fusè oſtendit Vaſquez *quæſt.* 90. *art.* 1. *dub.* 3. à Nectario non ſecretam, ſeu auricularem (aliàs cæteræ Eccleſiæ orientales non fuiſſent ejus Exemplum ſecutæ) ſed ſolummodo publicam pœnitentiam abrogatam fuiſſe. Nam, ut teſtatur Vaſquez *num.* 23. priùs conſuetudine receptum erat, ut in quovis Epiſcopatu eligeretur unus Sacerdos prudens, & tenax ſecreti, cui præter occulta peccata ſilentio tegenda, exponerentur etiam peccata publicè commiſſa, ad Epiſcopum ab illo deferenda, & deinde populo recitanda, ac publica pœnitentia punienda; quem morem Nectarius ſuſtulit propter ſcandalum populo datum à Diacono peccante cum fœmina, dum illa longo tempore publicam pœnitentiam in templo perageret. Hujuſmodi publicam pœnitentiam etiam abrogavit Leo Papa *Epiſt.* 80. *ad Epiſcopum Campaniæ.*

Ad 3. Reſp. Vaſquez *num.* 35. S. Chryſoſtomum loc. cit. tantùm indicare medium quotidiani Examinis, ac Contritionis ad evitandam iterum publicam exprobrationem; atque etiam ad expectandam occaſionem confeſſionis privatæ, peragendæ coram Sacerdote, ſecreti fidem obſervaturo, quomodo pluribus aliis in locis S. Doctor intelligendus eſt, quando confeſſionem non Sacramentalem coram ſolo Deo videtur admittere: & quando *homil.* 8. *de Pœnit.* cum illa etiam ad Sacram menſam peccatorem accedere ſinit, nimirum ex ſuppoſitione, quòd ſine periculo infamiæ non potuerit tunc temporis abſtineri à communiter uſitata participatione Sacrificii Euchariſtici, nec peragi confeſſio privata coram fido Sacerdote, etiam publica peccata non ampliùs exprobrante poſt ſublatam à Nectario priorem conſuetudinem.

ARTICULUS II.

Ex quibus partibus conſtituatur Eſſentia, & Valor Sacramenti Pœnitentiæ.

§. I.

Quinam actus Pœnitentis, & Miniſtri ſpectent ad Eſſentiam hujus Sacramenti.

SUMMARIUM.

4 *Abſolutio, Contritio, & Confeſſio ſunt partes eſſentiales Pœnitentiæ. Impoſitio & Executio Satisfactionis ſunt partes Integrales.*

5 *Illa omnia requiruntur ad eſſentiam, vel integritatem Sacramenti pœnitentiæ, quia eſt inſtitutum ad modum Judicii.*

6 *Oſtenditur ſatisfactionem, & emendationem vitæ non pertinere ad eſſentiam Sacramenti pœnitentiæ.*

7 *Referuntur, & rejiciuntur aliquot Propoſitiones damnatæ ab Alexandro VIII.*

NOn eſt nobis animus, referre omnes partes conſtitutivas hujus Sacramenti; quod, ſicut Baptiſmus eſt *Sacramentum Regenerationis*, ita ipſum eſt *Sacramentum Reconciliationis cum Deo*, ſeu *Remiſſionis*, aut *Abſolutionis à peccatis*: eas enim partes, quas omnibus Sacramentis, cùm de illis in genere ageremus, communes eſſe diximus, hìc meritò ſupponimus, quæ verò præcipuæ, aut magis propriæ ſunt, declarabuntur.

4 4. Dico, Eſſentiam Sacramenti non conſiſtere in ſola forma abſolutionis, ut putavit Scotus 4. *diſt.* 16. *quæſt.* 1. quem ſequitur Guil. Okam, Joh. Major, Jacob Almoynus: neque in ſola Confeſſione, & Abſolutione, ut docuerunt Durandus, Aureolus, Palacius, Gabr. neque in ſola Contritione, Confeſſione, & Satisfactione, connotantibus abſolutionem, ut Henriq. apud Amicum *diſp.* 10. *ſect.* 4. tenuerat: ſed conſiſtere in Contritione, & Confeſſione tanquam materia proxima, & Abſolutione tanquam forma, integraliter verò ſpectatam eſſentiam compleri per Impoſitionem, & Executionem ſatisfactionis, non quidem neceſſariæ ad remiſſionem culpæ per gratiam ſacramentalem, ſed tantùm ad remiſſionem pœnæ temporalis: ita cum S. Thoma 3. *p.* q. 90. *ar.* 1. & 2. DD. communiſſimè.

Probatur 1. ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. ubi ſic loquitur. *Docet præterea S. Synodus, Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipſius Vis ſita eſt, in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe: Ego te abſolvo: ſunt autem quaſi materia hujus Sacramenti ipſius pœnitentis actus, nempè contritio, confeſſio, & ſatisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſſionem, ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur &c. ſimul eorum ſententias damnat, qui pœnitentiæ partes incuſſos conſcientiæ terrores, & fidem eſſe contendunt.* Hæc omnia ſunt verba Tridentini, ex quibus ulteriùs ſic argumentor. Quidquid ex inſtitutione Chriſti requiritur ad valorem Sacramenti per modum materiæ, vel formæ, illud eſt pars Sacramenti, ſicut in totis phyſicis materia, & forma ſunt partes totius phyſici: atqui prædicti actus pœnitentis ſunt quaſi materia Sacramenti pœnitentiæ, & abſolutio eſt quaſi forma, id eſt, ſicut materia totius phyſici determinatur à forma in eſſe completæ radicis certarum operationum, ita actus illi determinantur ab abſolutione, ut ſimul cum illa poſſint cauſare effectum ſpecialem Sacramenti pœnitentiæ; & propterea dixit Concilium, in illa præcipuè Sacramenti vim ſitam eſſe. Ergo actus pœnitentis, & abſolutio ſunt partes Sacramenti: ſubſumo ulteriùs. Atqui illæ partes, quibus poſitis, jam ponitur remiſſio peccatorum per infuſionem gratiæ, tanquam præcipui effectus Sacramentalis, & quibus non poſitis, non ponitur remiſſio, ſunt partes requiſitæ ad eſſentiam Sacramenti, ita, ut ſine illis nondum habeatur eſſentia, quibus verò non poſitis, adhuc ponitur remiſſio peccatorum, ſunt partes ſaltem requiſitæ ad integritatem, ſicut manus vel pes requiritur ad integritatem hominis. Ergo Confeſſio, Contritio, & Abſolutio, quarum altertra omiſſa, omnium catholicorum conſenſu non ponitur remiſſio peccatorum, ſunt partes requiſitæ ad eſſentiam Sacramenti, impoſitio autem, & executio pœnitentiæ, ſine quibus ponitur remiſſio, ſunt partes integrales.

Et quamvis Tridentinum impoſitionis pœnitentiæ non expreſſam faciat mentionem, facit tamen implicitam; dicendo enim, ſatisfactionem, ſeu executionem pœnæ à pœnitente poſitam, eſſe quaſi materiam, hoc ipſo indicat, debere illi correſpondere aliquam partem habentem ſe per modum formæ partialis, qua determinetur ad hoc, ut ſit ſacramentalis: atqui per ſolam abſolutionem non determinatur ad rationem partis Sacramentalis, aliàs quælibet ſatisfactio à confeſſario non injuncta eſſet pars integralis Sacramenti, quòd nemo dicit; ergo debet determinari per impoſitionem pœnitentiæ, quę eſt exercitium poteſtatis ligandi, ſicut abſolutio eſt exercitium poteſtatis ſolvendi, & ſicut abſolutio comparatione aliorum actuum pœnitentis eſt forma præcipua, ac eſſentialis, ita impoſitio pœnitentię comparatione ſatisfactionis à pœnitente executivè poſitæ, eſt forma integralis. E contrariò, quia incuſſi conſcientiæ terrores, id eſt, ſtimuli, ac remorſus conſcientiæ, & fides in Deum, ut Vindicem malorum, vel etiam ſpes veniæ, nec habent rationem materiæ, nec formæ, nec aliter ab inſtitutore Sacramenti pœnitentiæ, quàm ad quævis alia Sacramenta v. g. quàm ad Baptiſmum requiruntur, cujus conſtat non eſſe partes, ideò meritò negatur à Tridentino, eſſe partes pœnitentiæ Sacramentalis.

Probatur concluſio 2. Sacramentum pœnitentiæ eſt 5
inſtitutum à Chriſto ad modum, & formam Judicii, ad cujus perfectionem requiritur exercitium juriſdictionis in ipſum reum, ſeu judicandum, & ſubjectionis, præſtandæ

ſtandæ à Reo: exercitium jurisdictionis autem conſiſtit in judiciali cognitione cauſæ, & prolatione ſententiæ, ſive abſolventis à culpa, ſive condemnantis ad pœnam; exercitium ſubjectionis conſiſtit in ſubmiſſione cauſæ ad tribunal, & ſententiam judicis, quæ præſtatur per confeſſionem peccatorum, & in deteſtatione delicti, ac propoſito emendationis, prout Chriſtus, & ejus nomine confeſſarius, ut Judex pro valida condonatione culpæ exigit, quod præſtatur per contritionem perfectam, vel imperfectam: ac denique in acceptatione, & executione impoſitæ pœnæ: ergo auditio confeſſionis, prolatio abſolutionis, impoſitio pœnitentiæ, confeſſio, contritio, ſatisfactio, ſunt partes conſtitutivæ totius Sacramenti, eſſentialiter & integraliter perfecti.

6 Quòd verò ſatisfactio non ſit pars eſſentialis, neceſſaria ad valorem Sacramenti, & ad remiſſionem peccatorum quoad culpam, & quoad pœnam æternam, quæ fit per gratiam collatam à Sacramento pœnitentiæ, eſſentialiter, quamvis nondum integraliter, completo. Patet ex omnium Theologorum & Fidelium unanimi conſenſu, & ex Tridentin. *ſeſſ.14. cap.3. & can.14.* Ubi ſatisfactionem eatenus aſſerit eſſe partem integralem, quatenus *ad integram Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſſionem ex DEI inſtitutione requiritur*. Quanta ſcilicet confertur à Sacramento integraliter completo: quamvis ſi pœnitens ſit minus perfectè diſpoſitus, vel ſi pœnitentia injuncta non ſit ſatis proportionata peccatis, neque tunc conferatur perfecta remiſſio omnis etiam pœnæ temporalis: ut iterum expreſsè definivit. Trident. *loc. cit. cap 8. & can.12.* & patet ex ejuſdem continua praxi, etiam pro fidelibus immediatè poſt abſolutionem Sacramentalem mortuis, offerens ſuffragia, & ſacrificia, eaque præcipiens *ſeſſ.25. in Decreta de Purgat.* Ratio autem, quòd ſatisfactio non ſit pars eſſentialis, ulterior eſt: quia ſi ſatisfactio requireretur ad eſſentiam Sacramenti pœnitentiæ, verba abſolutionis, ante executionem pœnitentiæ prolata, falſificarentur.

Secundò. Quia in articulo mortis, quando pœnitentes nullam ampliùs præſtare poſſunt ſatisfactionem, imò quando ipſis frequenter neque ampliùs poteſt imponi; præſertim ſi poſt petitionem abſolutionis, vel poſt peccatorum confeſſionem ſubitò ſenſibus & ratione deſtituti ſunt, à peccatis ſuis prorſus invalidè abſolverentur, & peccatorum ſuorum remiſſionem non conſequerentur.

Tertiò. Quia Sacramentum Pœnitentiæ eſt inſtitutum ad formam Judicii, ſtatuentis ſententiam, hæc autem à Judice validè profertur ante executionem pœnæ decretæ; neque veritas & valor illius ſuſpenditur uſque ad executionem ſententiæ, quæ plerumque poſtea exigitur præſtanda.

Quartò. Quia pœnitens accipit remiſſionem peccatorum, quando ritè diſpoſito à Sacerdote remittuntur; atqui pro diſpoſitione à Concilio Trident. *ſeſſ.14. cap.4. & 5.* ubi hac de re agit, non requiritur præcedens ſatisfactio, & *cap.8.* ubi declarat neceſſitatem imponendæ, & præſtandæ ſatisfactionis, iterum non requiritur ſatisfactio per modum diſpoſitionis: ergo ante præſtitam ſatisfactionem validè remittuntur peccata.

Idem eſt dicendum de Actuali emendatione: nam Tridentin. *cit. ſeſſ.14. cap.4.* præter dolorem & odium veteris vitæ, non requirit actualem & ſtabilem emendationem veteris vitæ, ſed duntaxat novæ vitæ propoſitum, & inchoationem, quæ præſtatur per ſerium & firmum propoſitum. Et Concilium Florentinum *in Decreto Unionis* aſſignans primam partem Sacramenti pœnitentiæ, quam quaſi materialem vocat, ait, *eſſe cordis contritionem, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero:* non autem addit actualem & perfectam emendationem, ad quam potiùs requiritur præcedens cum DEO reconciliatio, pro obtinendis auxiliis gratiæ ad actualem emendationem ſubjungendam: unde tantùm, quando ex frequenti relapſu in eadem gravia peccata colligitur defectus contritionis, etiam imperfectæ, ſive Attritionis, & ſerii propoſiti, ad emendandam veterem vitam, neganda eſt extra articulum mortis abſolutio Sacramentalis propter rationabiliter præſumptum defectum partium & diſpoſitionum ad valorem Sacramenti neceſſariarum, non autem univerſaliter neganda eſt abſolutio, & expectanda perfecta ac conſtans emendatio. In peccatis venialibus autem, & ex humana fragilitate commiſſis, cùm non ſit homo, qui non peccet, & ſepties etiam in die cadat Juſtus, ut Sacra Scriptura teſtatur, neque frequens relapſus facilè præſumendus eſt, eſſe indicium deficientis doloris ac propoſiti, vel ipſam actualem emendationem ad valorem Sacramenti eſſe neceſſariam, ac dilata abſolutione expectandam.

Unde meritò ab Alexandro VIII. reprobatæ ſunt hæ quinque propoſitiones, ad frequentiam & uſum Sacramenti pœnitentiæ tollendum à ſuis Authoribus prolatæ; nempè ſupra decimam ſexta, ſeptima, octava, vigeſima, & vigeſima ſecunda: quæ ita ſonant. *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ; ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio naturæ rei, id ipſum quodammodo dictante.* Et. *Per illam praxin mox abſolvendi ordo Pœnitentiæ eſt inverſus.* Et. *Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.* Et. *Confeſſiones apud Religioſos factæ pleræque vel Sacrilegæ ſunt, vel invalidæ*: nimirùm quia peccata levia, ex fragilitate humana commiſſa, raró præſumi poſſunt ſtabiliter & perfectè emendata: quod tamen ad valorem abſolutionis requirit hæc propoſitio, non contenta ſerio dolore ac propoſito; deinde ex fragilitate humana facilè mutabili, quantumvis etiam præſtita injuncta ſatisfactione. Et. *Sacrilegi ſunt iudicandi, qui Ius ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint:* nempè quia ſine ſatiſfactione præſtita, & emendatione vitæ nondum ſunt remiſſa peccata, etiamſi priùs Sacerdos formam abſolutionis pronunciaverit. Contra harum omnium propoſitionum Authores ſubjungo cenſuram & Judicium Tridentini *ſeſſ.14. cap.8. in fine.* ubi ait: *Quod dum novatores intelligere nolunt,* (nempè veram doctrinam Eccleſiæ de Sacramento Pœnitentiæ) *ita optimam pœnitentiam novam vitam eſſe docent, ut omnem ſatisfactionis vim, & uſum tollant.* 7

§. II.

Solvuntur objectiones contra aſſignatas Partes Pœnitentiæ.

S U M M A R I U M.

8 *Summatum eſt in titulo.*

Obijcitur primò. Sacramentum Pœnitentiæ confertur à Sacerdote: ſed à Sacerdote confertur ſola abſolutio, ergo hæc ſola eſt Sacramentum Pœnitentiæ. Reſp. Retorq. argumentum. Homo generatur ab homine, ignis ab igne; ſed ab homine generatur ſola unio, & ab igne ſola forma & unio, ergo ſola unio inter materiam & animam rationalem eſt homo, & ſola forma ac unio eſt ignis. Reſp. 2. diſt. maj. Sacramentum Pœnitentiæ confertur à Sacerdote, ita, ut omnes partes conferat, nego maj. ut conferendo formam cæteras partes ſolummodò determinet cauſaliter, ſicut forma determinat formaliter ad rationem Sacramenti completi, concedo maj. Urgebis. Tota vis cauſandi gratiam remiſſivam peccati conſiſtit in Abſolutione; unde hæc dicitur eſſe clavis ad cœlum, & poteſtas Sacerdotalis dicitur poteſtas clavium: ſed quidquid non conſtituit vim cauſandi gratiam, non conſtituit Sacramentum; ergo in ſola abſolutione conſiſtit Sacramentum. Reſp. cum S. Thoma quæſt.86. art.6. in corpor. negando, quòd tota vis cauſandi gratiam conſiſtat in abſolutione, ſicut in Baptiſmo non conſiſtit in ſolis verbis: *Ego te Baptizo &c.* in omnibus enim Sacramentis materia eſt partialis cauſa gratiæ, quamvis forma ſit præcipua tanquam maximè determinans: unde etiam Tridentinum loc. cit. non dixit *totam*, ſed *præcipuam* vim ſitam eſſe in Forma. 8

Obiicitur 2. Contritio, utpotè actus internus, non eſt ſenſi-

ſenſibilis, ergo non poteſt eſſe pars Sacramenti ſenſibilis. Reſpond. 1. Retorquendo argumentum in Intentionem Miniſtri; & in voluntatem internam inſtituentis Sacramentum. Reſp. 2. diſt. anteced. Contritio non eſt ſenſibilis immediatè, & in ſe, concedo antec. non eſt ſenſibilis in ſua comparte, nempè in confeſſione facta per ſignum externum, tanquam effectu procedente ab imperio voluntatis connexo cum intentione ſuſcipiendi Sacramentum, dolore, & propoſito nego antec. & ſuppoſitum conſequentis, quòd Sacramentum Pœnitentiæ debeat eſſe ſenſibile immediata ſenſibilitate omnium partium.

Obiicitur 3. Si actus pœnitentis ſunt pars Sacramenti, ſequitur, illum eſſe Miniſtrum partialem Sacramenti, ſicut ſi valeret affuſio aquæ facta ab alio, quàm à conferente formam, ille eſſet partialis Miniſter Baptiſmi. Atqui ſolus Sacerdos poteſt eſſe Miniſter hujus Sacramenti. Reſpond. nego ſequelam majoris, & ſuppoſitum paritatis: quia ille tantùm cenſetur Miniſter Sacramenti, qui ponit formam, ſicut productio totius phyſici, vel artificialis, adſcribitur potiſſimùm illi, qui poſuit formam, non qui materiam.

Obiicitur 4. Satisfactio eſt plerumque tempore poſterior tota virtute cauſativa gratiæ, eamque ſupponit cauſatam, quàm primùm prolata eſt forma abſolutionis: ergo ipſa non eſt pars Sacramenti, quod videtur nihil eſſe aliud, quàm adæquata virtus cauſativa gratiæ Sacramentalis. Reſp. tranſeat antec. quòd illi, qui concedunt à ſatisfactione in ſtatu gratiæ poſita cauſari ex opere operato aliquod augmentum gratiæ, eatenus negabunt, quatenus ſatisfactio non eſt poſterior virtute cauſativa totius gratiæ Sacramentalis, neque totam ſupponit cauſatam: Nego conſequentiam; quia ex antecedenti tantùm infertur, ſatisfactionem non eſſe partem eſſentialem, ſed ſolummodò integralem, ad quam ſufficit, ut poſſit cauſare partialiter gratiam, ſi eam ab aliis partibus eſſentialibus non ſupponat cauſatam: ſi v. g. moribundo imponatur pro pœnitentia prolatio SS. Nominum JESU, & MARIÆ, iſque illa proferat ante abſolutionem. Sic cum pluribus aliis de Euchariſtia diximus; ſpecies vini eſſe partem integralem Sacramenti, non obſtante, quòd ſæpè nullum augmentum gratiæ cauſarent, & illi, qui ſemper ſpecialem gratiam eiſdem tribuunt, fatentur tamen, ſolùm ab ijs ſpeciebus vini cauſari gratiam, quæ primò degluciuntur, quamvis etiam reliquæ ſpectent ad integritatem. Denique negatur etiam ſuppoſitum conſequentis, quòd Sacramentum pœnitentiæ, integraliter completum, ex opere operato tantùm deleat reatum culpæ per infuſionem gratiæ, & non etiam reatum pœnæ temporalis ſaltem partialem.

Obiicitur 5. Quidquid non eſt partialis petitio gratiæ, non eſt pars Sacramenti, ſed ſatisfactio plerumque ſubſequens collationem gratiæ non eſt partialis petitio gratiæ, utpotè jam collatæ ergo &c. Reſpon. diſt. maj. Quidquid non eſt partialis petitio gratiæ, & neque complet, ac perficit petitionem gratiæ in ratione ſua ſymbolica ſignificandi gratiam, vel etiam in virtute imminuendi pœnam temporalem ex opere operato; qui etiam eſt proprius effectus Sacramenti pœnitentiæ, concedo maj. ſi dicto modo complet, ac perficit, uti omninò de ſatisfactione fatendum eſt, neg. maj. Adde, quod ſatisfactio ſit etiam partialis petitio gratiæ, quando præceſſit abſolutionem, vel remotionem obicis, ſi Sacramentum Pœnitentiæ poſſit eſſe validum, & informe, ut ſuo loco videbimus.

Obiicitur 6. Martinus Kemnitius 2. *par. Exam. pag.* 935. Sacramenta ſunt actiones divinæ, ſed actus pœnitentis non ſunt actiones divinæ, ergo Sacramentum pœnitentiæ non includit actus pœnitentis. Sed facilè Reſp. diſtinguendo majorem. Sacramenta ſunt actiones Divinæ quoad omnes ſuas partes, nego majorem, quoad partem ſive actionem, quæ ponitur à Miniſtro nomine Chriſti, conc. maj. pariter diſtinguo minorem, Actus pœnitentis non ſunt actiones Divinæ, & non ſunt etiam ea pars, ſive actio, quæ ponitur à Miniſtro, ſed conſtituunt tamen cum illa integrum Sacramentum, conc. min. aliter nego min. & conſeq. Ulteriùs Concilio Tridentino idem hæreticus ſic illudit: ipſum Concilium non eſt auſum abſolutè affirmare actus pœnitentis eſſe materiam, *ſed eſſe materiam, vel quaſi*: ex qua particula infert, actus pœnitentis non eſſe partes pœnitentiæ, & hanc non eſſe Sacramentum, ſed quaſi Sacramentum. Sed hanc objectionem optimè eludit, & ſolvit Card. Bellarm. *lib.* 1. *de pœnitent. cap.* 16. in primis enim Hæreticorum more refertur infideliter textus Tridentini, quòd non ſub disjunctione & ſubdubitanter dixit actus pœnitentiæ eſſe *materiam, vel quaſi*, ſed eſſe *quaſi materiam*, qua particula non vult negare actus pœnitentis eſſe veram, ac propriè dictam materiam Sacramenti, adeòque ipſam pœnitentiam eſſe verum ac propriè dictum Sacramentum: ſicut quando S. Joannes *cap.* 1. Chriſtum dixit eſſe, *quaſi Unigenitum à Patre*, non negavit eſſe verè Unigenitum à Patre, ſed potiùs vult affirmare actus pœnitentis eſſe *tanquam* materiam, aut ſi aliquid limitat, ſolummodò conſiſtit limitatio in hoc, quòd actus pœnitentiæ neque quidem ſint aliquid materiale, & ſtabile, ſicut in Baptiſmo eſt aqua, gerant tamen officium veræ materiæ Sacramentalis, id eſt, rei determinabilis à forma ad certum effectum Sacramentalem.

§. III.

An & qualia peccata ſpectent ad complendam eſſentiam Sacramenti Pœnitentiæ.

SUMMARIUM.

9 *Peccata in Confeſſione expoſita complent eſſentiam percepti Sacramenti pœnitentiæ, ſi ea fuerunt poſt receptum Baptiſmum commiſſa.*

10 *Ante Baptiſmum tamen commiſſa non ſunt apta materia Confeſſionis. Peccatum originale verò nec Sacramenti, nec Virtutis pœnitentiæ materia, aut objectum materiale eſſe poteſt.*

DIco 1. Peccata hominis Chriſtiani per confeſſio- 9
nem propoſita, & abſolutionem dimiſſa, ſecundùm rationem præteriti, ſeu ſecundùm exiſtentiam actualem præcedentem ſpectata, eſſe partes conſtitutivas Sacramenti. Ita Cardin. de Lugo *di put.* 12 *num.* 23. P. Haunold. *tract* 4. *num.* 965. & recentiores communiter. Neque repugnat Sanctus Thomas, *quæſt.* 84. *art.* 2. & communis ac indubitatus Theologorum conſenſus, prout nobis obiicit Eſparza *quæſt.* 90. *ad* 1. ſed tantùm non diſcutiunt iſtam quæſtionem, utpotè quæ vel eſt de ſolo modo loquendi, vel parùm utilis, in re verò omnes fatentur, ita eſſe neceſſariam præteritionem alicujus peccati, per abſolutionem Sacramentalem dimittendi, ut ſi revera nullum extitiſſet peccatum illorum, quæ his in confeſſione expoſuit, hoc ipſo non perciperetur valor, & eſſentia Sacramenti. Unde noſtri DD. ex hac omnium aſſertione, & ex regula partis, *quod id, quo ſolo non poſito, cæteris omnibus à parte rei, vel per intellectum poſitis, non eſt poſitum totum, ſit pars totius*, inferunt, peccata ſecundùm rationem præteriti eſſe partes Sacramenti pœnitentiæ. Id quod videtur confirmari poſſe ex S. Thoma *loc. cit.* ubi ait: *Peccata ut deſtruenda* (intellige per reduplicationem, non ipſam habitualem perſeverantiam, quæ deſtruitur, ſed remiſſibilitatem actus, ſeu capacitatem terminandi abſolutionem) *eſſe materiam remotam Sacramenti, ſicut ſtatuæ proxima materia eſt metallum, remota verò aqua*: ſed aqua, quæ per converſionem in metallum ſecundùm formam deſtruitur, ſecundùm materiam primam fit pars metalli, & metallum cum forma artificiali, ut pars & materia proxima, conſtituit ſtatuam, ergo etiam peccata ſecundùm rationem præteriti, ſecundùm quam non deſtruuntur, etſi non ſint partes actuum pœnitentis, & in hoc ſit aliqua diſparitas, ſunt tamen partes conſtituentes Sacramentum quatenus actus pœnitentis ita circa illa verſantur, ut niſi illa reverà extiterint, non ponatur valor & eſſentia Sacramenti. Dicuntur tamen materia remota, non quia conſtituunt, ſed quia terminant materiam proximam, ſcilicet dolorem, & confeſſionem, qui actus ideò ſunt materia proximior, quia ipſi adhuc determinant peccata ad hoc, ut ſubſtent abſolutioni, & ut ingrediantur rationem Sacramenti. Unde Dicaſtillo *Diſput.* 4. *num.* 62. imme-

immeritò objicit, quòd ſi peccata ſint pars Sacramenti, evadant materia proxima.

Confirm. concluſio ad hominem contra Eſparzam, qui *quæſt. 69. art. 2.* fatetur, panem, & vinum pertinere ad veritatem, valorem, & eſſentiam Euchariſtiæ, quibus verbis & toto ſuo diſcurſu videtur omnino aſſerere, panem & vinum eſſe partes Euchariſtiæ, tanquam materiam remotam deſtruendam: atqui non minùs ſunt neceſſaria peccata ad pœnitentiam Sacramentalem, quàm panis & vinum ad Euchariſtiam, ergo illa æquè poſſunt dici partes.

10 Dixi tamen in Concluſione: *Peccata hominis Chriſtiani*. Nam peccata ante Baptiſmum commiſſa utpotè ex Trid. *ſeſſ. 14. cap. 2.* non ſpectant ad Tribunal Sacramentalis Confeſſionis, quia in ordine ad illa à Chriſto inſtitutum eſt Sacramentum Baptiſmi, per quod homo generatur Chriſto & Eccleſiæ; eique ſubditur: hinc peccata ante Baptiſmum commiſſa fuerunt hominis non ſubditi, à Juriſdictione Eccleſiæ exempti, & quorum per Baptiſmum tàm reatus culpæ, quàm pœnæ integrè remittitur. Unde opus non erat, ut in ordine ad illa peccata Eccleſiæ ulla daretur Juriſdictio. Idem à potiori dicendum de peccato originali, quod non tantùm non eſt materia pœnitentiæ, ut eſt Sacramentum, ſed neque eſt materia Pœnitentiæ, ut eſt virtus ſpecialis, cujus formalis honeſtas objectiva conſiſtit in victoria ſpecialis difficultatis operandi ad deletionem peccati proprii, tam quoad ſe, quàm quoad effectus ex eo relictos, & Deo vel peccatori malos. Quia enim peccatum Originale non eſt propria voluntate commiſſum, ideo neque poteſt per propriam voluntatem retractari, neque poteſt ad illud ferri dolor de eo patrato: neque poteſt homo intendere honeſtatem victoriæ ac difficultatis in operando ad ejus Satisfactionem, quia per peccatum Originale ipſe nullam DEO intulit injuriam, nec aliam promeritus eſt pœnam, quàm pœnam damni; & licèt etiam incurriſſet reatum pœnæ ſenſus, per Baptiſmum tamen reatus culpæ, & pœnæ integrè fuiſſet remiſſus: ut definitum eſt à Trid. *ſeſſ. 14. cap. 2.* ubi ait. *Per Baptiſmum Chriſtum induentes, nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes* ideo etiam meritò ab Alexand. VIII. damnata eſt 19. Propoſitio. *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato Originali.*

Obiicitur 1. Videtur abſurdum, peccata eſſe partialem cauſam ſui contrarii, nempe gratiæ, quam vel maximè demerentur, ac deſtruunt, & quidem eſſe cauſam ratione ſuæ malitiæ, ac quà talia, quo modo intentio Miniſtri, quæ quandoque poteſt eſſe mala, ac peccaminoſa, licèt ſit pars Sacramenti, tamen ratione malitiæ non eſt cauſa gratiæ Sacramentalis. Reſp. diſt. ant. Eſt abſurdum, peccata eſſe cauſam gratiæ per ſuam malitiam, ſecundùm ſe, & ſeorſim ſpectatam, concedo antec. eſſe cauſam gratiæ, quatenus ut præſuppoſita ad actus pœnitentis, & ad abſolutionem ingrediuntur totum cumulum entium. quorum unico ablato non datur valor, & eſſentia Sacramenti, ſeu petitionis Chriſti ad conferendam gratiam ſacramentalem nego antec.

Obiicitur 2. Sacramenta ſunt actiones Chriſti, & placent Deo, ergo peccata non poſſunt eſſe aliquid Sacramenti, Reſp. diſt. antec. Sacramenta ſunt actiones Chriſti, & placent Deo, quoad ſingulas ſuas partes, nego antec. nam Symbola materialia, ut aqua, oleum, Chriſma, &c. non ſunt actiones Chriſti, quæ complaceant Deo; imò nec actus pęnitentis, etſi honeſti ſunt, actiones Chriſti, utpote non procedentes à Miniſtro Chriſti. Sunt actiones Chriſti quoad eas partes, quæ ponuntur à Miniſtro, qua tali, per quas ex ſuppoſitione & conjunctione aliarum partium completur tota petitio externa Chriſti, concedo antec. & ſic etiam concedo, quòd placeant Deo in ratione petitionis completæ in ordine ad ejus exauditionem.

Urgebis: Petitio bona & placens Deo non poteſt includere aliquod malum Deo diſplicens, quia bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu. Reſp. non poteſt includere aliquod malum, procedens actu ab ipſo petente vel recipiente beneficium concedo, non actu procedens ab ipſo petente vel recipiente & inſuper habens bonitatem, non quidem honeſtatis, ſed aptitudinis ad complendum totum & verum aliquod judicium, quod in ratione talis complexi Deo placeat, nego illatum.

ARTICULUS III.

Quæ ſit neceſſitas, ſeu obligatio Sacramenti Pœnitentiæ ſuſcipiendi.

§. I.

De obligatione Sacramenti Pœnitentiæ, quoad Subſtantiam.

SUMMARIUM.

11 *Quilibet homo poſt Baptiſmum in peccatum mortale lapſus, Iure Divino tenetur illud Sacerdoti confiteri.*
12 *Solvuntur objectiones.*

DIco ex indubitato Catholicæ fidei dogmate (quam- 11
vis ante declarationem Concil. Tridentini quidam, & inter hos S. Bonavent. & Hugo de S. Vict. contrarium ſenſerint) Quicunque Baptiſmo ſuſcepto in peccatum mortale lapſus eſt, tenetur ex jure Divino, & non merè Eccleſiaſtico, per confeſſionem Sacramentalem illud expiare. Ita definitum eſt à Concil. Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 5. & Can. 6. ac 7.* cujus proinde auctoritas ſit prima concluſionis probatio.

Probatur 2. Quod univerſa tenet Eccleſia, nec à Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum, (id eſt à Chriſto acceptum, & Eccleſiæ notificatum,) rectiſſimè creditur, ut inquit S. Auguſtinus *lib. 4. de Baptiſmo, cap. 24.* Atqui Sacramentum pęnitentiæ in re, vel in voto ſuſceptum, eſſe contra mortalia peccata Fidelium perinde neceſſarium remedium, ſicut Baptiſmus eſt contra peccatum originale & actuale infidelium, univerſa tenet Eccleſia, nec à Conciliis inſtitutum eſt, ſed ſemper retentum, ut eruditè oſtendit Bellar. *lib. 3. de Pœnit. à cap. 6. uſque ad* 10. & S. Thomas *4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 1. quæſtiunc. 1.* Propterea rectè inſtituit paritatem inter neceſſitatem Baptiſmi, ac Sacramenti Pęnitentiæ ergo &c.

Probatur 3. ex S. Scriptura, ex qua licèt Scotus Gab. Med. & ferè etiam Cajetanus apud Tanner. *diſp. 6. quæſt. 1. n. 51.* putaverint, hanc fidei veritatem evinci non poſſe, alii tamen communiter ſic oſtendunt. Quicunque transfert aliquam poteſtatem, cui ſe ſubditi debent ſubiicere, ille cum poteſtate transfert etiam obligationem ſubditorum, Vicariis translatæ poteſtatis præſtandam; Sed Chriſtus per verba Jo. *c. 20. v. 23. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*: tranſtulit poteſtatem remittendi & retinendi peccata in Vicarios, ergo ille, & non Eccleſia, tranſtulit obligationem ſubditorum confitendi peccata: & cùm poteſtas iſta ſit copulativa, ut Judex poſſit ſcire, quæ peccata expediat retineri, vel cum quanto, & quàm proportionato pęnarum onere dimitti, debet cognoſcere omnia peccata: ergo ſuppoſito præcepto naturali, procurandi ſalutem, datur obligatio confitendi omnia peccata mortalia per verba; *Quorum retinueritis &c.* impoſita, ut ipſum etiam Concilium Trident. *ſeſſ. 14. cap. 5.* argumentatur.

Probatur. 4. ex fine per Sacramenti inſtitutionem à Chriſto intento. Nam hoc Sacramentum eſt inſtitutum, ut Fideles in Lege Gratiæ ſuaviter ſimul & efficaciter cohiberentur à frequentia peccandi, & magis aſſecurarentur de ſua ſalute, quorum primum obtinetur metu ſenſibilis confeſſionis, ex peccati neceſſaria confeſſione orituræ, temporalium, ac medicinalium pœnarum inflictione, morbi interni coram medico manifeſtatione, ac conſcientiæ, à via mandatorum aberrantis, per Sacerdotem, tanquam Ducem, ac Magiſtrum, præſtanda directione. Poſterius verò obtinetur charitatis, ac contritionis perfectæ ſuppletione per Sacramentum, faciens ex attrito contritum. Atqui niſi Chriſtus impoſuiſſet, cum inſtitutione, obligationem utendi Sacramento, multi propter annexam ejus difficultatem negligerent tam ſalutare medium; neque obti-

neretur

neretur illa multiplex utilitas, ergo cùm prudentiſſimè fuerit inſtitutum Sacramentum pœnitentiæ, etiam illo utendi obligatio ab Inſtitutore eſt impoſita.

12 Obiicitur. 1. Ex ultimo, & præſertim penultimo argumento ſequeretur, quòd non tantùm detur obligatio confitendi omnia mortalia peccata, ſed etiam omnia venialia, quia textus Scripturæ eſt univerſalis, & transfert poteſtatem non tantùm dimittendi mortalia, ſed etiam venialia, & ex horum etiam confeſſione enaſcitur multiplex utilitas, ergo vel nihil, vel nimium probatur. Reſp. Nego ſequelam, quia licèt textus ſit univerſalis, intelligendus tamen eſt juxta ſubjectam materiam; cùm enim venialia non tantùm in hac, ſed etiam in altera vita à Deo dimittantur, ideò non ſunt determinatè, & unicè fori Sacerdotalis, ſed ſolummodò ſequitur poſſe, non autem debere tantùm à Sacerdote dimitti, & bona quidem eſt conſequentia, Sacerdos poteſt remittere peccatum majus: ergo etiam minus: per ſe loquendo: non autem eſt bona iſta: Sacerdos poteſt retinere peccatum majus, ergo etiam minus. Deinde quia frequens lapſus in venialia ex una parte minus eſt evitabilis, ex altera verò minus noxius: hinc conveniens erat, dari plura media expiandi venialia, minuſque eſſe neceſſarium, eorum frequentiam eadem accuratione veluti mortalia impedire, cùm, ſicut in civilibus delictis de minimis non judicat Prætor, ſic non debuerint quidem homines privari fructu, ex Sacramenti venialium confeſſione percipiendi, non taamen gravari ejus onere.

Obiicitur 2. Peccata mortalia dimittuntur etiam per contritionem perfectam, ergo Sacerdotes non habent poteſtatem peccata poſitivè retinendi, ſed tantùm negativè, non dando abſolutionem: ergo ex citato textu Scripturæ non probatur, unicè per Sacramentum pœnitentiæ obtinendam eſſe remiſſionem peccati mortalis. Reſp. 1. Retorq. Argumentum in Baptiſmo, cujus neceſſitas rectè probatur ex his verbis Joan. 3 *verſ.* 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum DEI:* & tamen ante illius ſuſceptionem contritione perfecta acquiritur gratia remiſſiva omnium peccatorum. Reſp. 2. diſt. anteced. Dimittuntur peccata per contritionem perfectam, quatenus ipſa eſt explicitum, vel implicitum votum pœnitentiæ, concedo anteced. ſine tali voto, nego anteced. & conſequentiam. Poteſtas enim ligandi conſiſtit in hoc, ut, niſi à Sacerdote remittantur peccata, debeat peccator adhuc aliquando, cùm potuerit, ſe ſiſtere Sacerdoti, ita ut per contritionem, non niſi ſub onere ſe ſiſtendi gratia acquiratur, quemadmodum ante Baptiſmum acquiritur ſub onere recipiendi Baptiſmum. Unde ex hac objectione potiùs confirmatur noſtra concluſio, & tertia ejuſdem probatio magis declaratur. Chriſtus enim *Jo.* 20. non tantùm dedit Apoſtolis, & Sacerdotibus poteſtatem ſolvendi, ſed etiam ligandi. Atqui niſi fidelibus impoſuiſſet obligationem, procurandi abſolutionem à peccatis mortalibus, nullo modo poſſent Sacerdotes fideles ſubditos ligare, non enim poſſent impedire, quò minus per contritionem ſine voto pœnitentiæ Sacramentalis peccatores exolverentur ſuis peccatis, neque poſſent eoſdem obligare ad procurandam abſolutionem, ſi hi per contritionem jam abſolutè ab omni obligatione peccatis ſuis fuiſſent ſoluti.

Obiicitur 3. Si fidelibus incidentibus in peccatum mortale Sacramentum pœnitentiæ eſt neceſſarium jure Divino, vel eſt neceſſarium, neceſſitate medii, vel neceſſitate præcepti, neutrum poteſt dici; non primum, quia ſi inculpabiliter omittatur, poteſt homo conſequi ſalutem per contritionem, vel probabiliter etiam per attritionem cum ſuſcepta extrema Unctione, aut alio Sacramento: non ſecundum, quia ſic non rectè inſtitueretur paritas cum Baptiſmo, qui ab omnibus dicitur neceſſarius neceſſitate medii. Reſp. Sicut Baptiſmus tantùm eſt neceſſarius neceſſitate medii in re vel in voto, ſic etiam pœnitentiæ Sacramentum eſſe neceſſarium neceſſitate medii, ut vel in re vel in voto ſuſcipiatur. Remiſſio enim peccatorum non poteſt quidem obtineri ſine omni pœnitentia, etiam inculpabiliter omiſſa, Sacramentalis autem ſufficit, modò in voto ſit percepta per contritionem, quæ eſt ipſius votum, ſaltem implicitum, quatenus eſt voluntas obſervandi omnia præcepta, graviter obligantia, adeòque etiam præceptum pœnitentiæ Sacramentalis remota cauſa excuſante.

Urgebis, hac ratione omnium mandatorum obſervationem ſequitur eſſe neceſſariam neceſſitate medii, quia contritio etiam eſt votum ſeu voluntas ſervandi quævis præcepta graviter obligantia, neque aliter eſt votum Sacramenti, niſi quatenus illud eſt præceptum; hinc ſi inculpabiliter omittatur Sacramentum, contritio adhuc juſtificat, quod ſignum eſt, Sacramentum tantùm eſſe neceſſarium neceſſitate præcepti. Reſp. hoc ipſum eſſe ſolvendum circa neceſſitatem Baptiſmi. Itaque nego illatum, quia aliud eſt, quod lapſus poſt Baptiſmum votum ſervandi omnia præcepta ſit neceſſarium neceſſitate medii, & aliud, quòd votum ſubſtituatur obſervationi aliorum præceptorum; cùm enim ſine perfecta contritione, quæ eſt votum ſervandi omnia præcepta, ipſa realis aliorum præceptorum obſervatio verb. gr. jejunii, non juſtificaret, Sacramentum verò pœnitentiæ juſtificaret, & eſſet utile medium ad remiſſionem peccatorum, ideò votum ſervandi omnia præcepta ſubſtituitur Sacramento, non autem reali obſervationi cæterorum præceptorum, & ita Sacramentum pœnitentiæ & Baptiſmi dicitur ſub disjunctione eſſe neceſſarium neceſsitate medii, quia realis exiſtentia ejuſdem eſt medium ad juſtificationem; obſervatio autem cæterorum præceptorum non dicitur ſub disjunctione neceſsaria, & hoc ſolum intendunt DD. dicere, quando aſſerunt, Sacramentum aliquod eſſe neceſſarium neceſsitate medii, & obſervationem jejunii eſſe neceſſariam ſolummodo neceſsitate præcepti, quamvis ipſius votum ſit etiam neceſſarium neceſsitate medii. Similiter in eorum ſententia, qui concedunt etiam alia Sacramenta poſt Baptiſmum & pœnitentiam poſſe eſſe medium juſtificationis, dum per accidens faciunt ex attrito contritum, adhuc negatur ea eſſe neceſſaria neceſsitate medii, quia per ſe loquendo non ſunt ordinatum medium ad de novo acquirendam juſtificationem; quatenus autem per accidens ad illam conducunt, & per accidens ad eam quandoque neceſſaria ſunt homini fideli deſtituto Sacramentali pœnitentia, ac perfecta contritione, eatenus etiam dici poſſunt per accidens neceſſaria neceſsitate medii.

§. II.

De obligatione Sacramenti Pœnitentiæ, quoad Circumſtantiam temporis.

SUMMARIUM.

13 *Non quidem ex Iure Divino naturali, attamen ex poſitivo, ab Eccleſia quoad tempus determinabili, datur obligatio extra articulum mortis ſæpius ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, quando id ſæpius eſt neceſſarium ad delendum relapſum in peccatum mortale.*

14 *Hæc autem obligatio non tantùm eſt indirecta, quia ſcilicet Confeſſio eſt neceſſaria diſpoſitio ad S. Euchariſtiam ſæpius recipiendam, ſed etiam eſt directa, ac immediata.*

15 *Etiam ſi finis obligationis poſſet alio modo obtineri à quibuſdam, ij tamen non eximuntur ab obligatione univerſali.*

16 *Obligationi Sacramenti pœnitentiæ ſuſcipiendi non ſatisfit per ſuſceptionem invalidam. Et contraria propoſitio 14. damnata eſt ab Alexandro VII.*

17 *Probabilius etiam per talem invalidam ſuſceptionem incurritur Cenſura, ſi quæ eſt ſtatuta ipſo facto ex Omiſſione Confeſſionis incurrenda.*

Dico. Etiamſi ex jure Divino naturali per ſe loquendo non potiùs detur obligatio expiandi peccatum mortale per pœnitentiam Sacramentalem, quàm per non Sacramentalem, ex jure tamen Divino poſitivo, ab Eccleſia quoad tempus determinato, probabilius datur ſingulis annis ſemel obligatio ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ *juxta cap. Omnis utriuſque ſexus de Pœnitent. & remiſſ.* deſumptum ex Concilio Late- 13

Lateranenſi; & rurſus confirmata à Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *& can.* 8. Præcedens membrum de Jure Divino naturali videtur concedi ab omnibus: jure enim naturali datur obligatio pœnitentiæ, non quia Sacramentalis eſt; ſed quia neceſſaria eſt ad ſalutem; ſed ſecluſa Lege poſitiva Sacramentalis non eſt potiùs neceſſaria ad ſalutem, quàm non Sacramentalis: ergo &c. Secundum membrum neque repugnat iis, qui cum S. Thoma 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 3. *art.* 1. *quæſtiun.* 4. Suarez, Coninck. Fagund. docent, ex jure Divino, non niſi imminente periculo mortis dari obligationem pœnitentiæ Sacramentalis; nam hic ſolùm de jure Divino determinato loquuntur, neque repugnat aliis aſſerentibus, dari ex jure Divino obligationem pœnitentiæ Sacramentalis ſæpiùs, quàm in periculo, vel articulo mortis peragendæ, ut ſentiunt Marſil. Sotus, Henriq. Valent. Vaſq. Nugnez, quos refert, & ſequitur Amicus *diſp.* 17. *n.* 52. quia cùm Chriſtus ipſe nullum tempus hujus obligationis determinaverit, idipſum arbitrio Eccleſiæ determinandum reliquit, ut cum aliis optimè advertit cit. Amicus *nu.* 60. Itaque hoc ſecundum membrum videtur in primis indicari à Trident. *cit. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. dicente, *Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti fideles confiterentur, quod jure Divino neceſſum, & inſtitutum eſſe intellexerat, ſed ut præceptum confeſſionis ſaltem ſemel in anno ab omnibus, & ſingulis, cùm ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur!* Quibus verbis non tantùm videtur ſupponere, poſſe Chriſti præceptum ſæpiùs impleri, ſi poſt priorem obligationem impletam de novo per peccatum mortale incurratur obligatio; neque ſolummodo ab Eccleſia præcipi periculi mortis præventionem, ita ut præceptum Divinum eatenus impleatur, quatenus exigit confeſſionem peccatorum mortalium; non ultra periculum mortis differri, quoad circumſtantiam temporis verò ſolummodo obliget Eccleſiaſticum præceptum, ſed videtur Tridentinum etiam inſinuare, quòd conſtitutio Eccleſiæ ſit determinatio Divini præcepti ſæpiùs implendi, & proindè ſaltem ſemel in anno implendum eſſe.

Probatur 2. Ratione, quam Amicus putat eſſe demonſtrationem. Etiamſi Sacramentum pœnitentiæ cum iiſdem partibus conſtitutivis potuiſſet inſtitui, quin per confeſſionem diſtinctam omnium peccatorum mortalium intenderetur ille finis, quem in probatione quarta præcedenti paragrapho de facto intentum fuiſſe diximus, hoc ipſo tamen, quòd Chriſtus de facto illum intenderit, ut ſcilicet diſtincta enarratione omnium peccatorum mortalium homines non tantùm abſterrerentur à frequentia peccandi, ſed ut à confeſſario tanquam à Miniſtro, Duce, & Medico juvari poſſent, ne toties relaberentur, & quia iſte finis non obtineretur, ſi tantùm ſemel circa exitum vitæ, qui aliàs eſt terminus peccandi, in hac vita daretur obligatio confitendi, hinc illa ipſa intentio finis fuit ſimul poſitiva voluntas non tantùm inſtituendi Sacramentum pœnitentiæ cum tali ritu, & parte eſſentiali, & obligandi poſitivè ad peragendam confeſſionem imminente periculo mortis, ſed etiam ad peragendam ſæpiùs; & quia tempus ipſe non determinavit, commiſit hujus determinationem arbitrio Eccleſiæ, qua determinatione facta ad ſpatium unius anni, non tantùm obligat præceptum Eccleſiaſticum, verùm etiam præceptum Divinum Chriſti, quoad ſe indeterminatum, ac indefinitum.

Probatur 3. Sicut communiter docetur, præceptum Chriſti apud Joan. *cap.* 6. ſub interminatione æternorum ſuppliciorum dicentis: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c. non habebitis vitam in vobis:* eſſe ab Eccleſia determinabile ad tempus etiam Paſchale extra articulum mortis, ſic eadem ratione probabiliùs dicitur, quòd præceptum pœnitentiæ Sacramentalis exiſtentibus in peccato mortali neceſſariæ apud S. Lucam his verbis expreſſum, & à S. Thoma *quæſt.* 84. *art.* 5. non tantùm ad ſignificandam pœnam pro præcedentibus peccatis, ſed pro ipſo peccato impœnitentiæ allegatum: *ſi pœnitentiam non habueritis, omnes ſimul peribitis:* ſit ab Eccleſia determinatum ad confeſſionem annuam, ita ut ejus omiſſio non tantùm pugnet contra legem Eccleſiaſticam, ſed etiam contra legem Divinam.

14 Obiicitur 1. Hoc ipſo, quòd ex præcepto Divino ab Eccleſia ad tempus annuum Paſchatis determinato detur obligatio ſuſcipiendi SS. Euchariſtiam, & quòd aliundè ex præcepto Divino eundem præmittenda ſit pœnitentia Sacramentalis, obligatio pœnitentiæ jam ſufficienter determinatur per obligationem Euchariſtiç, ergo non eſt neceſſe dicere, quòd legitimè impeditus à ſumenda Euchariſtia tempore Paſchatis peccet contra præceptum Divinum, ſi intra annum occurrente occaſione peragendi pœnitentiam Sacramentalem, eandem omittat, unde etiam S. Thomas *lib. ſent. loc. cit. & Quodlibeto* 1. *art.* 11. dicit, præceptum confeſſionis eſſe per accidens propter præceptum Eccleſiæ. *Reſp.* etiamſi Durandus *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 14. putet, non tantùm non ex præcepto Divino, ſed neque Eccleſiaſtico *in cap. Omnis utriuſque ſexus* directè exigi pœnitentiam Sacramentalem; cæteri tamen DD. communiter fatentur, ſaltem ex præcepto Eccleſiaſtico exigi directè, eò quòd in caſu objectionis legitimè impeditus à S Communione non cenſeretur à confeſſione; uti nec pueri, quando ſufficienter attigerunt annos diſcretionis ad peccandum, non autem ad communicandum, dicerentur immunes ab obligatione confeſſionis: licèt adhuc eſſent immunes ab obligatione Communionis, ut clarè colligitur ex contextu, *cap. Omnis utriuſque ſexus*, & ex Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *& can.* 8.

Ad teſtimonium S. Thomæ facilè reſpondetur. Præceptum confeſſionis, ut in Paſchate peragatur, vel toties, quoties ſuſcipitur Euchariſtia, eſſe per accidens, ſed obligationem, ut ſemel in anno peragatur, etiamſi Euchariſtia non ſuſciperetur, minimè negat. Et fundamentum Durandi eſt omnino infirmum, quaſi Eccleſia non poſſit præcipere pœnitentiam, eò quòd includat actum internum contritionis perfectæ, aut imperfectæ, & non poſſit ſcire, quinam ſint gravati peccato mortali, adeòque præcepto ſuo teneantur. nam non repugnat, præcipi actum internum ab Eccleſia, quando is neceſſarius eſt ad actum externum, qualis eſt confeſſio externa, neque neceſſe eſt, ſcire diſtinctè, quinam præcepto teneantur, modò executionem præcepti poſſit urgere, & ad id inflictis etiam pœnis impellere præcipiendo aliquid annexum, nempè ſacram Communionem, quæ peragi non poteſt, niſi priùs impleatur præceptum pœnitentiæ ab iis, qui illi ſubjacent, vel modò poſſit in notorios peccatores, aut probabiliter præſumptos pœnis animadvertere, cùm etiam aliarum legum tranſgreſſores non ſint notorii: ſuppoſito autem, quòd pœnitentia Sacramentalis ratione ſui, & immediatè ac directè ab Eccleſia præcipiatur, & hæc habeat poteſtatem præceptum divinum indefinitum, quoad tempus determinandi: nego nunc anteced. objectionis, quòd præceptum Divinum ſolùm determinetur indirectè, quamvis ſi ita fieret, adhuc vera eſſet noſtra concluſio.

Obiicitur 2. Ex penultima probatione noſtra ſequitur, non teneri ex præcepto Divino ad annuam confeſ- 15 ſionem eos, qui ſibi ipſis ſunt ſufficientes, ut inſtructore, Duce, ac Medico, contra relapſum frequentiorem non indigeant, & quòd etiam confeſſarii tenerentur ſaltem ſemel in anno inſtructionem, directionem, ac medicinam ſpiritualem præbere ſuis pœnitentibus, conſequens non facilè admittemus ergo. *Reſp.* nego ſequelam maj. quoad priorem partem, quia Leges in bonum commune univerſaliter latæ etiam illos obligant, quibus earum conſtitutio non æqualiter eſt neceſſaria, quoad poſteriorem partem iterum non ſequitur, quòd quanta obligatione quiſque tenetur ad procuranda media ſuæ ſalutis, tanta alius teneatur ad eadem impertienda: cęterùm ex charitate fraterna, vel ex officio Paſtoris poteſt contingere, ut non tantùm intra, ſed etiam extra confeſſionem, & non tantùm ſemel, ſed ſæpiùs in anno Confeſſarius teneatur inſtructionem, & medicinam ſuo pœnitenti adhibere.

Obiicitur 3. Saltem ſequitur, ſatisfieri præcepto Di- 16 vino, & Eccleſiaſtico per confeſſionem validam, ſed informem, ſuppoſito, quòd talis dari poſſit: imò etiam per invalidam ex defectu doloris, aut propoſiti, modò ponatur confeſſio externa, qua præſtandæ inſtructioni, & medicinæ occaſio præbeatur. *Reſp.* cum communi ſententia concedo primum, & nego ſecundum membrum cum Suarez, Coninck, Laymann, Fagund. Bonac. Palao,

lao, Tamb. qui tamen *Opuſculo de Exped. commun. cap.* 4. §. 3. *num.* 35. oppoſitam aliquorum ſententiam immeritò dicit probabilem. Ratio concedendi primum membrum eſt, quia per confeſſionem validam, ac informem ſervatur adhuc natura, & eſſentia rei præceptæ, rigorque verborum in Lege expreſſorum, requirentium confeſſionem Sacramentalem, ſeu Sacramentum pœnitentiæ, etſi non obtineatur finis mediatus, nempè gratia, qui ſub legem non cadit; unde neque remotio obicis intra idem tempus vi illius eſſet debita, eſſet tamen aliquando debita vi alterius Legis, ne ſcilicet ſacrilegè Sacramentum fruſtretur ſuo effectu. Per invalidam autem confeſſionem nihil dictorum ſervatur; neque etiam finis adæquatus præcepti obtinetur; & licèt obtineretur, eidem tamen non ſatisfieret, aliàs etiam impleretur præceptum, ſi quis extra confeſſionem peccata, ſive Sacerdoti, ſive alteri viro prudenti, ac docto, pro capeſſenda inſtructione, & medicina referret, quod certò falſum eſt. Undè ſicut ab Innocentio XI. meritò prohibita eſt hæc Propoſitio 55. *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per Sacrilegam Domini manducationem:* ita eadem prohibito meritò extenditur ad Propoſitionem, idem aſſerentem de Confeſſione Sacrilega, aut invalida: prout Alexand. VII. omninò prohibuit iſtam 14. Propoſ. *Satisfacit præcepto Eccleſiæ, qui facit Confeſſionem voluntariè nullam*. Utrùm verò talis, qui invalidè fuiſſet confeſſus, pœnam Eccleſiaſticam incurreret, contravertunt AA. ex jure communi de facto nullam incurrere certum eſt, quia nulla fuit ſtatuta, niſi ut vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura, quæ pęna ob criminis occultationem ſæpè executioni dari non poſſit.

17 Ex jure privato autem quorundam Epiſcopatuum pœnam excommunicationis, ipſo facto, id eſt omiſſione confeſſionis annuæ, aut communionis paſchalis incurrendam ſtatuentium, affirmant eandem incurri Suarez *diſp.* 36. *ſect. ult.* Coninck. *diſp.* 5. *num.* 72. Fagund. *de præcept. Eccleſiæ lib.* 1. *cap.* 4. *numer.* 5. Nugnez, & plures alii. Negant Alenſis, Palud. Sylv. Canus, Vaſq. quos ſequitur Amicus, *diſp.* 18. *num.* 110. quorum poſtremi duo rurſum affirmant, ſi propter indiſpoſitionem internam pœnitentis animadverſam confeſſarius abſolutionem negaverit, omiſſionem confeſſionis validæ jam poſſe per ſignum aliquod externum innoteſcere, eò quòd niſi conſtet aliis de peracta confeſſione, confeſſarius poſſit conſuetum teſtimonium confeſſionis ſalvo ſigillo negare; ex carentia autem teſtimonii omiſſio præcepti ſufficienter innoteſcat Eccleſiæ, quæ aliàs propter crimen omiſſi actus interni penitus occultum ſecundùm auctores negativæ ſententiæ nullam cenſuram, aut pęnam infligere poteſt. Verùm quidquid ſit de Vaſquez, & Amici diſtinctione, quorum fundamentum de integritate ſigilli eſt valdè incertum, ego puto abſque diſcrimine, primam ſententiam affirmantium præferendam: quia etiamſi Eccleſia propter crimen merè internum, v. g. hæreſim nullo ſigno externo manifeſtam, probabiliter dicatur, nullam poſſe ſtatuere pœnam, ſicut nec præcipere actum merè internum, quando iſte non requiritur ad valorem, aut æſtimabilitatem actus externi præcepti, poteſt tamen ſtatuere pœnam propter crimen externum occultum, quale eſt, ſi actus externus confeſſionis ex defectu actus interni non ſit Sacramentalis, ſeu ſi non habeat valorem, & æſtimabilitatem ſuam, ob quam concomitanter poteſt præcipi actus internus, ita ut ſine illo non ſatisfiat Legi Eccleſiæ, quæ ſicut habet vim obligandi ad actum externum, non quomodocunque, ſed cum interno ponendum, ſic habet etiam vim obligandi ad pœnam, à tranſgreſſoribus ipſo facto abſque ſententia Judicis incurrendam, ad quod non requiritur notitia criminis, ſed ſufficit crimen eſſe externum; propterea quòd actus externus non ſit debito modo poſitus; quale enim ab Adverſariis admittitur diſcrimen, cur Eccleſia poſſit immediatè, ac directè præcipere actum externum, ſed occultum, & tamen non poſſit immediatè, ac directè præcipere actum internum ſine externo, id acceptandum ab iilis eſt ad aſſerendam poteſtatem adjungendi pœnam ipſo facto, ſine ſententia Judicis, notitiam criminis ſupponente incurrendam. Quæ adhuc ad declarationem præcepti Eccleſiaſtici, ac Divini circa Confeſſionem annuam dicenda eſſent, quomodo ſcilicet annus computandus ſit, quis proprius Sacerdos pœnitentis cenſeatur, quomodo obligatio prioris anni non expleta proximè ſupplenda ſit, & an per unam confeſſionem pluribus obligationibus ſatisfiat, indicavi præcedenti *diſp.* de Obligatione Communionis Paſchalis, explicans totum cap. *Omnis utriuſque &c.*

QUÆSTIO II.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

EGimus priori quæſtione de Sacramento pœnitentię, completè ſpectato, ſequentibus quæſtionibus de partibus ejus ſeorſim agemus; & quia forma cæteras præcedit dignitate, ideò digniorem, id eſt, priorem locum ei attribuemus.

ARTICULUS I.

In quibus Verbis conſiſtat eſſentia formæ.

SUMMARIUM.

18 *Certum eſt, ad eſſentiam Abſolutionis Sacramentalis requiri Verba formalia.*
19 *Quænam illa ſint.*
20 *Quænam non ſint: ſed ſolùm ex præcepto requirantur.*
21 *Solvuntur objectiones contra aſſignata verba eſſentialia Abſolutionis.*
22 *Abſolutio nequit validè conferri abſenti.*

CErtum eſt, quòd licèt ad eſſentiam Judicii non requiratur, ut ſententia Judicis per verba formalia proferatur, ſed ſufficiant æquivalentia v. g. Scriptura, qua etiam abſolutio à cenſura impertiri poteſt, ad Sacramentum tamen pœnitentiæ, ſicut ad cætera omnia Sacramenta, excepto Matrimonio, requirantur verba formalia, ut DD. communiter, pauculis demptis, colligunt ex Concil. Colonienſi, & Moguntino *cap.* 1. *in fine*, & Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. & maximè ex Florentino, quod cùm generaliter dixiſſet, Sacramenta perfici verbis, deinde ſolummodo limitat aſſertionem ſuam in Matrimonio, quod ait regulariter perfici verbis, in quo cùm ſaltem ſcriptura, vel nutus, exprimentes internum conſenſum, requirantur, ideò particula *regulariter* indicat, ad alia Sacramenta verba formalia à Concilio requiſita fuiſſe ex continuo uſu, & traditione Eccleſiæ. 18

Certum etiam eſt, ea, quæ formæ Sacramentali, poſtea referendæ, frequenter præmittuntur, ut *Miſereatur tui &c.* quæque eidem citra tamen obligationem teſte Lugo *diſp.* 13. *nu.* 9. laudabiliter juxta Tridentinum *loc. cit.* ſubjunguntur, ut *Paſſio Domini noſtri &c.* ad eſſentiam illius vel integritatem non ſpectare. Solùm ergo controvertitur, quænam ex his ad illam ſpectent: *Ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Dico, ad eſſentiam formæ requiri, & ſufficere ſolummodo hæc duo, vel iilis æquivalentia verba; *abſolvo te*. Ita S. Thomas 3. *par. quæſt.* 84. *art.* 3. *& Opuſculo* 22. *cap.* 1. *&* 2. aliique DD. communiter. Probatur 1. ex Concilio Florentino, & Tridentino *loc. cit.* & Catechiſmo Romano Pii V. de Sacramento Pœnitentiæ *num.* 13. Quibus in locis pro forma Sacramenti pœnitentiæ duntaxat referuntur prædicta verba: & licèt addatur particula *Ego*: ipſa tamen omnium confeſſione neceſſaria non eſt, quia perſona miniſtri ſufficienter exprimitur per verbum *abſolvo*. Quando verò Tridentinum addit ſignum &c. non intendit indicare, quòd cætera verba ſint ſimiliter neceſſaria, ſicut ea, quæ omninò expreſſit, ſed ſolùm, quòd quamvis forma integrè conſiſtat in verbis, ego *te abſolvo*, tamen cætera non ſint omittenda propter communem conſuetudinem, & forſan etiam propter majorem ſecuritatem, ac loquendo de expreſſione SS. Trinitatis, propter paritatem cum pluribus aliis Sacramentis, quorum formis annecti ſolet commemoratio SS. Trinitatis. 19

Proba-

Probatur 2. Oſtendendo hæc duo verba: *abſolvo te*: partim eſſe neceſſaria, partim ſufficere: primum ſic oſtenditur. Ad eſſentiam formæ, ut inductione aliorum Sacramentorum in actionibus tranſeuntibus conſiſtentium, & Eccleſiæ praxi ac traditione patet, requiritur; ut Miniſter utatur verbis actionem ab ipſo procedentem ex vi inſtitutionis ſuæ ſignificantibus, qualia ſunt. Abſolvo, remitto, condono, ignoſco &c. unde non ſufficerent nutus, ſcriptura, vel alia verba, quæ non ex inſtitutione ſua, ſed ſolùm ex circumſtantiis actionem Sacramentalem denotarent: non enim ad Baptiſmi formam ſufficeret, ſi Miniſter interroganti, an baptizaret in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, cùm actuali affuſione aquæ reſponderet, etiam, ita, omnino. Deinde Sacramentum pœnitentiæ juxta communem & certam hodie doctrinam non poteſt conferri abſenti, licèt nulla actio circa illum ſit exercenda, quæ ipſius præſentiam expoſtulet, & licèt aliàs poſſit ferri ſententia à Judice in abſentem, aut ſolummodo comparentem per procuratorem.

Hinc colligitur etiam opus eſſe voce, perſonam pœnitentis explicitè vel implicitè denotante, ut explicitè denotatur per nomen ſubſtantivum *te*, implicitè verò, ut notant Lugo *num.* 26. & Dicaſtillo *diſp.* 5. *num.* 53. per nomen adiectivum dicendo: *Abſolvo à peccatis tuis*, vel *Remitto peccata tua*, quod à parte rei idem eſt ac dicere: *remitto tibi peccata*, vel *abſolvo te à peccatis*: ipſum autem verbum *abſolvo*, licèt ratione actionis ſignificatæ, & reſpicientis neceſſariò aliquam perſonam, erga quam exercetur, concomitanter & arguitivè denotet perſonam pœnitentis, quæ ex ſenſibilis ejus præſentia ſatis quidem innoteſcit, nihilominus non ſignificat illam implicitè formaliter, & ex vi ſuæ inſtitutionis, prout tamen ſignificat aliquo modo indeterminatè peccata, quæ remittuntur: *abſolvo* enim, denotat ſolutionem vinculi, unde patet diſparitas, cur debeat per formam Sacramenti exprimi perſona pœnitentis, non autem peccata.

Probo nunc etiam ſecundum membrum, & in primis, quòd immeritò à Gabriele *diſt.* 14. *quæſt.* 2. dicatur eſſe neceſſarias particulas *ab ominibus*; licèt fuerint expreſſæ à Concilio Moguntino *cap.* 24. patet ex Rituali Romano reformato, in quo illæ particulæ ſunt expunctæ; cùm venialia defectu confeſſionis, vel retractationis, non ſemper omnia remittantur, imò nec mortalia, ſi Sacramentum poſſit eſſe validum, & informe, vel ſi ſaltem non dimittantur directè, quando ex inculpabili oblivione ſunt in confeſſione omiſſa.

Deinde, quòd etiam particulæ à *peccatis tuis* neceſſariæ non ſint, probatur contra Palud. Ma. Pet. Sot. Viguerium: & quidem de particula *tuis*. Non videtur eſſe difficultas, cùm ſatis ſuppleatur per particulam *te*, vel quamcunque aliam expreſſivam perſonæ pœnitentis, & aliàs nemo poſſit abſolvi à peccatis, niſi à ſuis. Quòd autem neque particula *à peccatis* ſit neceſſaria, præter auctoritatem in prima probatione adductam, & communem DD. ſenſum, ſuadetur etiam ratione: quia licèt verba, ex inſtitutione ſua non ſignificantia actionem Miniſtri, per acceſſionem cæterarum circumſtantiarum non poſſint conſtituere formam Sacramentalem, conſiſtentem in verbis ex inſtitutione ſua ſignificantibus actionem Miniſtri, ſi tamen illam actionem quidem ſignificent, ſed indeterminatè, tunc ſicut verba æquivoca per intentionem proferentis poſſunt determinari ad legitimum ſenſum, ſic etiam & forſan majori jure verba *abſolvo te* univocè ſignificantia ſolutionem à cenſuris & à peccatis & à pœnis, poſſunt determinari à ſubjecta materia; ſcilicet actuali confeſſione peccatorum, ad illorum abſolutionem, perinde ac ſi porrigens alicui imaginem dicam, dono, ſtatim omnes intelligunt, donari imaginem, ejuſque donationem per vocabulum ex inſtitutione ſua ad illam denotandam ordinatum ſufficienter, & more uſitato exprimi.

Denique divinarum perſonarum SS. nomina ad eſſentiam formæ non pertinere, contra Durand. *diſt.* 22. *quæſt.* 2. confirmatur communi aliorum DD. ſenſu, & aliorum Sacramentorum paritate, quorum formis, etſi præfata nomina ſubjungantur, eandem tamen, excepta ſola Baptiſmi forma, quam Chriſtus Ipſe voluit eſſe profeſſionem SS. Trinitatis, in eſſentia ſua non conſtituunt.

Obiicitur 1. Si id cauſat gratiam Sacramentalem, quod ſignificat implicitè objectum per formam Sacramenti denotandum, tunc etiam illud cauſat gratiam Sacramentalem, quod explicitè idem objectum ſignificat; ſed verbum *abſolvo* cauſat gratiam Sacramentalem, quia implicitè ac indeterminatè ſignificat peccata, quæ dimittuntur per infuſionem gratiæ, ergo particulæ *à peccatis tuis* cauſant gratiam, quia explicitè ſignificant commiſſa peccata; ſed id, quod ex parte formę poſitum cauſat gratiam Sacramentalem, eſt pars formæ: ergo particulæ *à peccatis tuis* ſunt partes formæ. 21

Reſpondet Cardin. de Lugo, *num.* 34. citans Suarezium, negando maj. quia ſi verba *abſolvo te*, quatenus implicitè ſignificant id, quod explicitè ſignificatur per particulas *à peccatis tuis*, continet totam eſſentiam formæ, & vim cauſandi gratiam, ſive addantur particulæ *à peccatis tuis*, ſive non addantur, tunc ſtatim cauſant gratiam, antequam proferantur cæterę particulę; unde propter falſum ſuppoſitum majoris, Vaſquez. & Henriq. aliàs noſtrę ſententię Patroni, immeritò concedunt, effectum formę ſuſpendi, donec proferantur particulę *à peccatis tuis*, vel ſaltem poſſe ſuſpendi, ut Caſtillo *diſp.* 5. *num.* 51. exiſtimat pro arbitrio Sacerdotis ſatis tamen inconſequenter addicta de Sacramentis in Genere, ubi communiter negatur, effectum Sacramenti, extra Matrimonium, poſſe ſuſpendi ad poſitionem alterius conditionis, quæ neque eſt neceſſaria diſpoſitio, neque remotio obicis, neque pars Sacramenti à Chriſto requiſita.

Sed dicta reſponſio Card. de Lugo, etſi vera ſit, eſt tamen adhuc inſufficiens, ad univerſaliter negandam majorem, quia, ſi particulę *à peccatis tuis*, ponerentur ante verbum *abſolvo*, ceſſaret ratio negandi majorem, & illę non minùs partialiter cauſarent gratiam, quam vox *ego*.

Reſp. ergo. 2. Tranſmiſſo primo Syllogiſmo, diſtinguo antec. Subſumpti: id, quod ex parte formæ poſitum cauſat gratiam Sacramentalem, eſt pars formæ, vel eſſentialis, vel integralis concedo antec. eſt hoc ipſo pars eſſentialis, ac neceſsaria, nego antec. ſicut enim, ſi ex parte materiæ plus apponatur, quàm foret neceſſè, v.g. multum aquæ affundatur, antequam finiatur prolatio formæ, ſingulæ partes integrales aquæ, & ſingulæ affuſiones cauſant gratiam Baptiſmalem, ſic etiamſi ex parte formæ plura verba adhibentur, antequam tota finiatur, quæ non ſint penitus impertinentia, ſed aliquid conſignificent eorum, quæ per formam ſunt ſignificanda, tunc concurrunt quidem ad cauſandam gratiam, ſed tantùm ſunt pars integralis non eſsentialis.

Obiicitur 2. Si verba *Ego te abſolvo* ſtatim cauſant gratiam remiſſivam peccatorum, antequam ſubjungantur alia verba, ſequitur, quòd, quando Confeſsarius in præmiſsa formula abſolutionis à Cenſuris dicit: *ego te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis & interdicti*, ſtatim etiam abſolvat à peccatis, & fruſtra addat aliam abſolutionem à peccatis, conſequens eſt falſum, ergo &c. Reſp. diſtinguo Maj. Si verba *ego te abſolvo* ſtatim cauſant gratiam, quando ſunt prolata ex intentione ſignificandi per illa abſolutionem à Cenſuris, vel quando Deus videt, ſubjungenda alia verba alienantia ſenſum, & legitimam ſignificationem formæ concedo Maj. ſi tantùm cauſant gratiam, quando ſunt prolata ex intentione ſignificandi abſolutionem à peccatis, & quando Deus videt, non eſse ſubjungenda alia verba alienantia, nego Majorem; ſicut enim hæc verba: *hoc eſt corpus meum*: cauſant præſentiam corporis Chriſti, quando Deus videt, eorum vim ſignificandi à loquente non eſse ſuſpenſam uſque ad prolationem alterius vocis, deſtruentis veritatem corporis Chriſti, & non cauſant, quando Deus videt eſse ſuſpenſam, uſque dum proferatur particula *aereum*, ita contingit in ordine ad cauſandam gratiam remiſſivam peccatorum in prolatione verborum, *ego te abſolvo*.

Obiicitur 3. Dictum eſt ſuprà, ex eo, quòd Chriſtus

ad valorem Sacramenti pœnitentiæ requiſiverit præſentiam pœnitentis, colligi, eundem etiam ſignificandum eſſe vi formæ per particulam *te*: Atqui etiam ad valorem Confirmationis requiritur præſentia confirmandi, & tamen in forma Græcorum his verbis expreſſa: *Signaculum Spiritus Sancti*, non ſignificatur Perſona confirmandi, ergo neque per formam pœnitentiæ, debet ſignificari perſona pœnitentis. Deinde præſentiam pœnitentis requiri ad valorem Sacramenti, ab Auctoribus communiter probatur ex eo, quòd aliàs non verificaretur particula demonſtrativa *te* ad eſſentiam formæ ſpectans: ergo committitur circulus vitioſus. Reſp. diſt. Maj. Diximus ex eo præcisè, quòd Chriſtus ad valorem Sacramenti requiſiverit præſentiam pœnitentis, colligi eundem etiam ſignificandum eſſe vi formæ, nego Maj. Diximus colligi ex eo, quòd requiſiverit præſentiam, & quia nulla alia actio circa pœnitentem exercetur, qua à Miniſtro ſenſibiliter demonſtretur, ac determinetur, ad recipiendum à ſe Sacramentum, concedo Maj. In adminiſtratione Confirmationis autem per ipſam chriſmationem ſeu inunctionem chriſmatis, in ordine, ad quam requiritur præſentia confirmandi, idem ſatis demonſtratur, ac determinatur à Miniſtro ad Sacramentum à ſe recipiendum, proinde neceſſe non eſt exprimi particulam *te*, niſi aliunde expreſſa manifeſtatio Perſonæ recipientis Sacramentum exigatur: ut videtur exigi in Baptiſmo.

22 Ad alteram partem objectionis Reſp. nego ab aliquibus Auctoribus rectè probari neceſſitatem præſentiæ ex particula demonſtrativa *te*; partim, quia hæc non ſignificat præſentiam, cùm etiam res abſens ac diſtans demonſtrari poſſit, præſertim verbis: quis enim dicat falſificari literas, ſi Judex, vel læſus abſenti ſcribat, *abſolvo te; ignoſco tibi*; partim, quia particulæ *te* poteſt ſubſtitui nomen pœnitentis, dicendo *abſolvo Petrum*: cujus verificatio non exigit præſentiam Petri. Itaque eandem exigi aliunde probandum eſt, nempe ex traditione Eccleſiæ: ex qua prædicti Auctores probant neceſſitatem particulæ deſignantis pœnitentem: hæc autem traditio habetur ex continua praxi Eccleſiæ, & longè communiori DD. conſenſu, contra Palud. Palacium, Adria. Medin. Pet. Sotum, Navarrum, & alios non paucos, relatos à Dicaſt. *diſp.* 5. *num.* 86. ante prohibitionem Clementis VIII. aſſerentes, abſolutionem, & confeſſionem poſſe præſtari ab abſentibus per litteras, & contra S. Ant. Sylv. Saà apud amicum *diſp.* 11. *numer.* 54. concedentes, abſolvi poſſe abſentem, modò fuerit præſens, dum confeſſionem perageret, quòd S. Antoninus plurimos DD. in Concilio Baſilienſi approbaſſe teſtatur, quorum omnium opinio poſteà rejecta eſt Decreto Clementis VIII. facto in Congregatione S. Inquiſitionis *anno* 1602. *die* 19. *Julii* edito, & damnante, ut falſam, temerariam, & Scandaloſam, hanc propoſitionem: *Licèt per literas, ſeu internuntium, Confeſſario abſenti peccata ſua confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere;* & ne illa publicè, vel privatim doceatur, neve unquam tanquam aliquo caſu probabilis defendatur, aut ad praxim quovis modo deducatur, prohibetur ſub pœna excommunicationis ſtatim incurrendæ, ſoli ſupremo Pontifici reſervatæ: qua conſtitutione contrariæ ſententiæ omnis probabilitas adimitur, utpote, quæ neque in caſu extremæ neceſſitatis, ut practicabilis defendi poteſt.

Neque obſtat, quòd propoſitio prohibita ſit copulativa: nam ratio prohibendi non fundatur in neceſſitate disjunctivę pręſentię, ut vel confeſſio vel abſolutio fiat inter pręſentes, cui opponitur collectiva abſentia: ſed fundatur in neceſſitate determinatæ præſentiæ tunc, quando impenditur abſolutio; quia ut confeſſio fiat à præſente, nec eſt neceſſe, ſaltem univerſaliter, nec obtinetur, aut ſuppletur finis, ob quem neceſſe eſt, ut abſolutio fiat à præſente. Primum patet ex eo, quod ipſe Clemens VIII. declaraverit, poſſe abſolvi moribundum, qui abſente Sacerdote ſigna doloris, vel deſiderii, peccata ſua confitendi edidit, quæ ſigna pro confeſſione habentur (neque enim confeſſio materiæ loco poſita neceſſariò debet fieri verbis, ſicut forma, & in caſu neceſſitatis ſufficit implicita, ac generica) ſi eadem ab aliis ſive præſentibus, ſive abſentibus, quando à ſuperveniente Sacerdote impeditur abſolutio oretenus, vel priùs per literas denuntientur. Id quod etiam traditur à Rituali Romano edito ex Juſſu Pauli V. *pag.* 47. & à Concilio Arauſicano I. *pag.* 12. & *canon.* 3. ac à Carthaginenſi IV. *canon.* 76. & à Leone Pontifice *cap. His qui* 26. *quæſt.* 6.

Secundum, quòd per confeſſionem præſente Sacerdote non obtineatur finis, ob quem requiritur præſentia abſolventis, colligitur ex eo, quia abſolvens debet uti verbis formalibus, ad pœnitentem directis, utpote exercens judicium privatum quod inter Reum, & Judicem adæquatè conſiſtit, ad abſentem autem non poſſunt verba *formalia* dirigi, bene tamen ad præſentem; neque opus eſt, ut eadem audiat, vel intelligat, modò de ſe ſint ſignificativa objecti à Chriſto intenti, quemadmodum hoc ſufficit etiam in aliis Sacramentorum formis, etiamſi nemo adſit, qui audiat, & intelligat verba à Miniſtro prolata.

ARTICULUS II.

Quis ſit ſenſus verborum, quando Pœnitens abſolvitur à peccatis, ſive numquam, ſive jam antecedenter remiſſis.

EX certa omnium Catholicorum ſententia, quòd de peccatis jam ante per Contritionem, vel per pœnitentiam Sacramentalem dimiſſis, poſſit quis ſæpius abſolvi (id, quod ex continua Fidelium praxi, & Confeſſionum Generalium uſu, in Extravag. communi, quæ incipit: *Inter cunctas*: poſt medium ſingulariter laudato, conſtat) dubium exoritur, quis ſit ſenſus Verborum. *Ego te abſolvo*. Cùm enim phyſicum Vinculum antecedenter ſolutum ſolvi ampliùs non poſſit, videtur idem accidere etiam in Vinculo morali. Quia ſolutio Vinculi, univerſaliter loquendo, eſt relaxatio ejus, quod ligatum eſt: ſi autem etiam morale vinculum, quale ſunt peccata (ut in Pſalmis, & proverbiis *c.* 5. dicitur: *Funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur*) poſt remiſſionem, ſeu relaxationem rurſum diſſolvi nequit, neceſſariò videtur ſequi: Verba: *Ego te abſolvo*: quoad peccata Remiſſa, aut falſificari, aut in ſenſu improprio accipi. Nihilominus neutrum ſequi, ſequentibus §§. oſtendam.

§. I.

An peccata, jam remiſſa, iterum valeant remitti.

SUMMARIUM.

23 *Idem peccatum, quamdiu pro illo non eſt condignè Satisfactum, poteſt per abſolutionem Sacramentalem ſæpius remitti.*

24 *Solvuntur objectiones.*

DIco primò. Quidquid ſit de aliis vinculis, ſive phyſicis, ſive moralibus, peccata & offenſæ, tam in DEUM, quàm in homine commiſſæ, ſæpius ſolvi, & remitti poſſunt, uſque dum pro illis condignè ſatisfiat. Ita certa communis ſententia. Probat. Iſta verba, *abſolvo*, *ignoſco*, *condono*, *remitto*, & alia hujuſmodi, quando de offenſa proferuntur, in communi uſu, & acceptione ſignificant tam formalem, quàm radicalem deſtructionem Juris, ad averſionem; ſed poſtquam jam eſt poſita deſtructio formalis, poteſt ſæpius poni deſtructio radicalis, uſque dum condignè ſatisfiat pro offenſa: ergo juxta communem uſum, & acceptionem poſſunt ſæpius verificari prædicta verba: Probatur Maj. & Min. Si filius à Patre reconciliato, aut amicus ab amico, aut ſubditus à Superiore humiliter veniam delicti ſemel ac iterum deprecetur, eique læſus ſemper reſpondeat, ignoſco, do veniam &c. ille verum dicit: Atqui ille non affirmat deſtructionem formalem juris ad averſionem, qua aliquod jus præexiſtens tollatur, ſed ſolummodò radicalem, quæ læſus ita eſt affectus animo, ut ſi immediatè antè extitiſſet aliquod ius, vi illius 23

actus tolleretur, & talis actus, ſive fiat cum memoria præcedentis, & ſit illius ratificatio formalis, ſive fiat independenter à memoria, & ſit ratificatio materialis, poteſt ſæpius poni; ergo prædicta verba ex communi uſu (quem etiam Chriſtus in verſ. Orationis Dominicæ, *dimitte nobis debita noſtra*, de peccatis remiſſis quoque intelligendo ſupponit) ſignificant etiam deſtructionem radicalem juris ad averſionem, eaque poteſt ſæplùs poni, & verificare verba. Unde patet diſparitas inter ſolutionem vinculi phyſici, ac moralis, quia verbum ſolvo in ſenſu phyſico ſignificat ſolummodo actualem relaxationem vinculi, in ſenſu morali ſignificat etiam radicalem.

24 Objicitur 1. Si poteſt ex miſericordia ſæpius remitti offenſa, per novam gratiæ infuſionem, tunc etiam ex juſtitia poteſt ſæpius ſolvi idem debitum per novam pecuniæ redditionem. Atqui hoc dici non poteſt, quia qui iteratò tantum ſolveret, quantum debebat, vel haberet voluntatem transferendi dominium pecuniæ, & tunc donaret ex liberalitate, non ex juſtitia, vel non haberet, & tunc non ſolveret iteratò ergo &c. P. Haunold. *tom. 1. de Juſt. tract. 2. à n.* 81. concedit Maj. rectiùs tamen negatur Maj. & ideo in concluſione dixi, *quidquid ſit de aliis vinculis*; quia qui denuo ſolvit debitum, vel ſcit, ſe nihil debere, vel non ſcit, vel dubitat, ſi ſcit, tunc non ſolvit, ſed donat, ut dicitur *in reg.* 53. *ff. de Diverſis regulis Juris:* ibi: *Cujus per errorem dati repetitio eſt, ejus conſultò dati donatio eſt*, ſi autem non ſcit *juxta cit. regulam*, imò etiam tantùm ſi dubitat *juxta legem ultimam Cod. de Condict. in debiti* etiam non transfert dominium, & conceditur in foro externo Condictioni debiti.

Ex paritate tamen, prout in objectione proponitur, declarari poteſt illud concluſionis membrum, quo peccatum condigna ſatisfactione deletum negatur per condonationem remitti, vel abſolvi poſſe: ſicut enim id non dicitur dari ex juſtitia, cujus debito jam eſt ſatisfactum per condignam ſolutionem (niſi velis actum internum appellare Juſtitiam affectivam, & conditionatam, quatenus homo per ſecundam ſolutionem vellet dare titulo Juſtitiæ, ſi talis extaret) ſic remiſſio culpæ, vel debiti, non dicitur accipi ex liberalitate, vel miſericordia, quando pro culpa, vel debito condignè eſt ſatisfactum; unde condonatio radicalis ex modo ſuo tendendi debet ferri in negationem condignæ ſatisfactionis, tanquam in motivum abſterrens neglectum, quo non obſtante velit homo ita erga alterum ſe gerere, velut ſi ab illo non fuiſſet offenſus: ſi verò præſtita condigna ſatisfactione offenſus in animo ſuo diceret, quòd etiamſi illa non eſſet præſtita, tamen ignoſceret: hic actus eſſet ſolummodo condonatio affectiva, & conditionata, ſicut priùs dixi de actu affectivæ Juſtitiæ: ex qua paritate cùm P. Haunold. aliunde concedat non poſſe Sacramentalem, ſeu gratuitam abſolutionem impendi de peccato per condignam ſatisfactionem deleto, videtur contra eundem Doctorem rectè probari, non poſſe idem debitum bis ſolvi, quia actus internus ſolventis eſſet ſolummodo juſtitia conditionata & affectiva, externa ſolutio autem haberet ſe, ſicut ſolutio vinculi phyſici jam ſoluti.

Diſparitatis autem ratio eſt in iterata gratuita remiſſione offenſæ, quæ ſive fiat per extrinſecum Decretum, ſecundùm noſtram rationem concipiendi conditionatum, ut ſi non fuiſſet poſita prior pœnitentia juſtificativa, vi illius decreti tamen DEUS nollet negare ullum bonum in pœnam peccati commiſſi, ſive fiat per infuſionem gratiæ, radicaliter remiſſivæ peccatorum jam ante remiſſorum, ſemper eſt abſoluta remiſſio offenſa, quia, ut ſit gratuita, excludit quidem condignam ſatisfactionem, per quam fit debita, ut autem ſit abſoluta remiſſio, non excludit præcedentem remiſſionem, hujus enim negatio ſolummodo requiritur ad denominationem remiſſionis formalis, non autem ad denominationem remiſſionis radicalis, vel ad denominationem remiſſionis abſtrahentis à formali, & radicali. Ex quo patet diſcrimen inter remiſſionem offenſæ, & ſolutionem debiti eò devolvi, quòd ſolutio debiti ſemper debeat eſſe formalis, ille autem actus internus, quo ſolummodo ratificatur prima redditio debiti, vel quo deinde indebitum datur ex affectu conditionato, per illud ſolvendi debitum, ſi extaret obligatio, non vocetur ſolutio radicalis; è contra remiſſio offenſa abſtrahat ab eo, an ſit radicalis, vel formalis, & quæ eſt radicalis, æquè vocetur remiſſio, quàm quæ eſt formalis: quæ diſparitas deſumitur ultimatè à fine; finis enim ſolutionis unicè eſt extinctio debiti, executivè poſita, quæ proinde ſupponit exiſtentiam debiti ſeu obligationis: finis remiſſionis offenſæ verò eſt, ut offenſus in affectu, vel in effectu ſcilicet collatione gratiæ non obſtante offenſa & negatione condignæ ſatisfactionis offendentem rurſus amore, & amicitia proſequatur, ad quem finem non requiritur, ut non etiam priùs amore & amicitia ſit proſecutus.

Objicitur 2. Si verbum *abſolvo*, modò ſignificat formalem, modò radicalem ſolutionem, ſequitur, quòd, quando id profertur à Sacerdote adminiſtrante Sacramentum pœnitentiæ, eadem forma abſolutionis non ſemper habet eundem ſenſum à Chriſto intentum ergo &c. Reſp. diſt. maj. ſi utramque ſolutionem ſignificat ſub conceptu communi, & abſtrahente, an ſit formalis, vel radicalis, nego ſequelam majoris: ſi ſignificaret ſub conceptu ſpecifico, prout tamen non ſignificat, concedo ſequelam majoris: itaque verbum *abſolvo* ſignificat remiſſionem peccati, abſtrahendo tamen, an ſit prima vel ſecunda remiſſio, ſeu an ſit formalis vel radicalis, quia aliud eſt, quòd unam ex his determinatè ſignificet, & aliud, quòd in una determinatè verificetur, ſicut hæc propoſitio, aliquis homo currit, non ſignificat determinatè Petrum, verificatur tamen determinatè in Petro, ſi ipſe currat.

Objicitur 3. Super eandem materiam, nec validè, nec licitè poteſt proferri forma Sacramentalis, ita ut fiat duplex Sacramentum; nec enim duplex Extrema Unctio daretur ei, qui à Sacerdote, bis proferente formam: *Per hanc Sacram Unctionem &c.* ſemel inungeretur; ergo etiamſi eadem peccata poſſent ſæpius remitti, tamen non poſſunt per duplicem abſolutionem Sacramentalem. Reſp. diſt. antec. Super eandem materiam proximam concedo antec. (Hinc ſuper peccata unica tantùm confeſſione propoſita, quæ eſt materia proxima, non poteſt bis proferri forma abſolutionis) ſuper eandem materiam remotam, nego antec. nam eadem aqua poſſet diverſis hominibus conferri Baptiſmus, imò nec materiam proximam debere eſſe adæquatè diverſam in diverſis Sacramentis, ſequenti quæſtione oſtendemus.

§. II.

An in ſecundâ Remiſſione eorundem peccatorum Forma Abſolutionis verè & eodem modo verificetur ſicut in prima.

S U M M A R I U M.

25 *Exponitur ſenſus Verborum abſolutionis, tam reſpectu peccatorum priùs jam dimiſſorum, quàm reſpectu nondum dimiſſorum.*
26 *Variæ aliorum expoſitiones rejiciuntur.*
27 *Solvitur objectio contra noſtram expoſitionem.*

DIco 2. Forma pœnitentiæ ſive ſit abſolutio à peccatis jam remiſſis, ſive nondum remiſſis, proferri à Sacerdote in hoc ſenſu, explicitè vel implicitè intento; *Ego intuitu tuæ accuſationis volo, ut DEUS dependenter ab hac manifeſtatione meæ voluntatis, & poteſtate mihi conceſſa conferat tibi gratiam per tale decretum, quo non obſtantibus iſtis tuis peccatis, etiamſi nondum fuerint, vel nondum fuiſſent remiſſa, & non obſtante negatione condignæ ſatisfactionis, nihil eorum bonorum velit tibi propter prædicta peccata tua denegare, quorum negatione ſe tibi offenſum, ſeu averſum exhiberet.* Probo concluſionem reddendo ſingularum particularum rationem. 25

In primis ergo ſciendum eſt, Sacerdotem dicentem, *Ego te abſolvo*, non loqui in Perſona Chriſti, ſicut, quando dicit, *Hoc eſt Corpus meum*; nam particula *meum* deno-

denotat Perſonam Chriſti, particula *Ego* autem denotat perſonam Sacerdotis. Itaque Sacerdos per prædicta verba immediatè ſignificat, quid ipſe tanquam Procurator, & Vicarius Chriſti faciat, & non immediatè, quid Deus, vel Chriſtus: quandocunq; autem aliquis procuratorio nomine, ſeu loco alterius Principalis jus aliquod remittit, vel in alium transfert, tunc ſi Principalis eſt capax obligationis, vult ſuum principalem obligatum, vel eſſe ratam ejus obligationem, ut uſus juris deinceps ſit illi illicitus; ſi autem non eſt capax obligationis, quemadmodum DEUS, ſaltem vult, ut ipſe DEUS, vel per decretum extrinſecum, vel per formam intrinſecam Creaturę, reddat ſibi impoſſibilem uſum juris, quo caſu amittit, vel abdicat à ſe jus ad averſionem, vel ſi jam antè eſt amiſſum per primam, ſeu formalem remiſſionem, tunc per ſubſequentem, ſeu radicalem remiſſionem factam per augmentum gratiæ, quodammodo ratificatur abdicatio juris, & augetur amicitia DEI cum offendente; ita ut DEUS dando augmentum gratiæ, de ſe remiſſivæ peccati mortalis, nolendo negare intuitu peccati viſionem beatificam, etſi poſterior cauſa juſtificationis nullam aliam præſupponeret, perinde ſe habeat, ſicut homo ſæpius remittens offenſam.

Ut verò voluntas Vicarii ſeu procuratoris ſignificata per verbum volo, ſit judicialis, inde provenit, quia movetur à ſpontanea accuſatione Peccatoris, & ideo verbum *abſolvo*, parit hunc ſenſum: *Ego intuitu tuæ Accuſationis volo, ut DEUS dependenter ab hac manifeſtatione meæ voluntatis, &c.* quæ particulæ propterea adduntur, quia Sacerdos non poteſt aliter ponere Gratiam ſublativam juris Divini, quàm quatenus ore profert verbum *abſolvo*, & per illud voluntatem, ſeu intentionem ſuam manifeſtat, à qua manifeſtatione deinde tanquam à cauſa morali Gratiæ movetur DEUS, ut ipſe producat Gratiam dependenter à prædicto ſuo Decreto: hinc Abſolutio Sacerdotalis neque eſt formalis, neque etiam radicalis remiſſio (ſumendo radicalem remiſſionem modo explicato) ſed ſolummodo Cauſalis, Inſtrumentalis, & Miniſterialis, pro qua tamen ſignificanda aliorum Procuratorum, ſeu Vicariorum recepto more rectè utitur verbo *abſolvo*; quod verbum ex illo vocabulorum genere, eſt, quæ etiam reflexè ſeipſa ſignificant, ſicut, quando Judex dicit. Declaro te eſse liberum ab obligatione pœnæ, vel debiti, vel quando teſtator dicit: Lego Petro centum florenos, verbum *declaro*, & verbum *lego* pariunt ſenſum, quòd Judex vocali & externa expreſſione ſuæ voluntatis reum liberet ab obligatione, & teſtator Petro donet centum florenos.

Appoſui in explicatione formæ Sacramentalis etiam has voces, *& poteſtate mihi conceſſa*; quia in tantum verificatur verbum *abſolvo* in effectu, in quantum proferens habet poteſtatem vicariam, à qua DEUS movetur, & Sacerdos in tantum intendit, ac vult, ut DEUS Pœnitenti conferat gratiam, in quantum ipſe habet poteſtatem hoc volendi: unde, quia non habet poteſtatem efficaciter & effectivè movendi ad gratiam, niſi pœnitens ſit debito modo diſpoſitus, ideo non falſificatur abſolutio, vel potiùs non falſificatur promiſſio Chriſti: *Quidquid ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*, etſi ex defectu diſpoſitionis debitæ non conferatur gratia, quia à Sacerdote non aliter petitur, nec à Chriſto aliter promittitur, quàm quatenus eſt poſita debita diſpoſitio ex parte Pœnitentis. Denique expreſſi in declaratione formæ, quale decretum à verbo *abſolvo*, per Vicarium prolato, ſignificetur ex parte DEI, formaliter vel radicaliter remittentis peccata. Quia enim Sacramentum pœnitentiæ non cauſat quamcunque gratiam, ſed eam, quæ ex ſuppoſitione peccati præteriti, & aliquando verè exiſtentis eſt formaliter, vel radicaliter remiſſiva peccati, & quia gratia ſe ſola eſt quidem deletiva peccatorum Mortalium, non autem venialium, quæ tamen per Abſolutionem Sacerdotalem etiam dimittuntur, ideo Sacerdos in tantum petit gratiam conferri à DEO, in quantum DEUS videt extitiſſe peccatum, de quo pœnitens ſe accuſat, & in quantum ipſa etiam eſt delativa peccatorum venialium, in confeſſione expoſitorum, quod cùm gratia per ſeipſum facere non poſſit, ſaltem debet eſſe conjuncta cum decreto condonante peccata Venialia, quale eſt illud, vi cujus DEUS propter virtutem demeritoriam peccati nullum bonum vult negare, etſi illud neget propter alias cauſas, vel propter alia peccata venialia, quæ in confeſſione non fuerunt propoſita, & ad quæ diſpoſitio pœnitentis ex defectu retractationis ſe non extendit.

Ex dictis colligitur 1. Quo ſenſu S. Hilarius, Cyprianus, Bern. Hugo Victor apud Dicaſt. *diſp. 5. n. 114.* dixerint, Sacerdotem priùs proferre ſententiam, poſteà verò ſubſequi ſententiam DEI; Quia enim DEUS propter abſolutionem Sacerdotis, tanquam Remiſſionem Cauſalem, & natura priorem dicto modo decernit Gratiam, quæ quatenus eſt remiſſio formalis vel radicalis, vocatur ſententia DEI, ideo Sacerdos priùs dicitur proferre ſententiam, quàm DEUS, etſi Decretum Divinum ſit tempore prius.

Colligitur 2. Quando S. Thomas *quæſt. 84. art. 3. ad 5.* verba *Ego te abſolvo*, ſic expoſuit: *Sacramentum Abſolutionis tibi impendo*: illum implicite idem dixiſſe, quod nos explicitè, velle enim impendere Sacramentum Abſolutionis, eſt velle per abſolutionem externam complere Sacramentum abſolutionis cauſalis, ut DEUS præſtet abſolutionem formalem, vel radicalem infuſione Gratiæ Sacramentalis.

Colligitur 3. Quid de aliorum explicatione formæ ſentiendum ſit; quando enim per illam remittuntur peccata jam antecedenter dimiſſa, non poteſt inprimis cum Scoto & Cajet. apud P. Haunold. dici, eadem remitti ſolummodo conditionatè, ſubintelligendo, *in quantum poſſum, & tu indiges*; ſub qua expreſſa conditione Confeſſarius ſolet abſolvere à cenſuris; quia ſic deficiente conditione *indigentiæ* propter præcedentem remiſſionem peccatorum omnino non abſolveret, ſicut non abſolvit à cenſura, quando pœnitens ab illa jam antecedenter eſt abſolutus. 36

Secundò non poteſt dici cum Coninck, formam abſolutionis habere pro objecto gratiam, ut eſt directè diminutiva indignitatis ad nova beneficia, quæ ſicut ex peccato præterito relinquitur uſque ad alteram vitam, ſic poteſt ſemper nova acceſſione gratiæ minui, vel potiùs impediri, quemadmodum gravitas impeditur ab impulſa rurſum. Quia ſic forma non ſignificaret abſolutionem à peccato, ſed ab effectu peccati, neque ſignificaret abſolutionem, ſed tantùm oppoſitionem qualitatis, habentis exigentiam contrariam, ſicut non tollitur gravitas ab impulſu, ſed tantùm impeditur.

Tertiò non poteſt dici, quòd abſolutio ſignificet conditionatè remiſſionem culpæ, & abſolutè remiſſionem pœnæ temporalis, conſiſtentis in perpetua ſolicitudine, quæ per novam abſolutionem ſemper minuitur. Quia ſolicitudo remanens, nec eſt peccatum, quod per abſolutionem deberet remoto obice abſolutè remitti, nec propriè eſt pœna, ſed ſolùm effectus peccati, nec remittitur ab abſolutione, ſed ex ea tantùm oritur, quatenus ſolutio habet vim remittendi peccatum, & idem effectus haberetur ex abſolutione invalida, exiſtimata ut valida.

Quartò nec Lugo ſatisfacit, dicendo, Abſolutionem novam eſſe novam Ceſſionem juris: Ceſſionem autem eſſe obligationem ad non utendum jure averſionis, ſicut renovatio voti eſt nova obligatio exequendi votum. Falſum enim eſt, quòd poſſit dari nova formalis ceſſio juris, quando illud antecedenter eſt ſublatum, ſicut etiam, quòd renovatio voti ſit nova formalis obligatio; hinc in noſtro Jure Societatis *part. 5. cap.* 4. de Renovatione Votorum ita ſcribitur. *Non eſt obligatione nova ſe aſtringere, ſed ejus, qua obſtricti ſunt, in Domino recordari, atque eandem confirmare.* Quibus verbis ſolummodo radicalis obligatio, æquè tamen meritoria ſignificatur: nam formaliter non poſſum ampliùs dare, quod jam antecedenter eſt alterius per primam obligationem formalem. Falſum etiam eſt, quòd Ceſſio juris divini ad averſionem Peccatoris, etiamſi ullam ſuppονat, ſit obligatio ad non utendum jure.

Quintò denique non exprimitur totus ſenſus abſolutionis dicendo: *Ego intuitu propriæ accuſationis confero tibi gratiam excluſivam juris ad averſionem*, quia non ſatis

ſatis explicatur verbum *confero*, cum Confeſſarius gratiam immediatè non conferat; neque ſatis declaratur, quomodo remittantur per verba abſolutionis peccata venialia; cùm gratia ſecundùm ſe non ſit eorum excluſiva.

27 Obiicitur tamen contra noſtram Explicationem. Vel enim verba: *Ego te abſolvo*: continent ſenſum, à nobis indicatum, ex prima ſua inſtitutione, vel ex inſtitutione Chriſti. Non ex hac; quia Chriſtus non immutavit primam ſignificationem verborum, neque novam inſtituit. Non ex illa; quia antequam Chriſtus inſtitueret Sacramentum pœnitentiæ, etiamſi prolara eſſent illa verba, non continuiſſent prædictum ſenſum, ſicut non continent, quando ab alio, quàm à Sacerdote proferuntur. Reſp. 1. Retorqu. argumentum in aliorum explicationes. Reſp. 2. diſtinguo Maj. Verba Abſolutionis continent ſenſum à nobis indicatum, ex prima ſua inſtitutione conditionatè, & indeterminatè, ſi nimirum exiſtat talis condonatio peccatorum, qualem dicimus ſignificari, & ſi proferantur à tali perſona, atque in talibus circumſtantiis, per quas determinentur ad hunc ſenſum particularem concedo Major. continent illum ſenſum abſolutè, ac determinatè nego Major. nam ut ſic tantùm ſignificant remiſſionem peccatorum, abſtrahendo, an ſit formalis, radicalis, cauſalis, extrinſeca, vel intrinſeca, & iſte dicitur ſenſus verborum naturalis, ſuppoſito autem, quòd ſit inſtituta remiſſio peccatorum Sacramentalis, & illa verba deinde per iſtam verificentur, à circumſtantiis determinantur eadem verba ad iſtam remiſſionem ſignificandam, & ſic præter ſenſum genericum, ac naturalem dicuntur etiam habere ſenſum myſticum, quem hoc loco declaravimus.

QUÆSTIO III.

De Dolore & Propoſito, tamquam Materia Partiali Pœnitentiæ.

ARTICULUS I.

Utrum Dolor de peccato ex ſolo metu Pœnæ, & deſiderio Beatitudinis ſit honeſtus.

SUMMARIUM.

28 *Refertur triplex genus Attritionis.*
29 *Meritò damnatæ ſunt à Tridentin. & Alexand. Octavo omnes propoſitiones, negantes, eſſe honeſtam Attritionem, quæ non eſt Contritio perfecta, procedens ex motivo charitatis erga DEUM.*
30 *Solvuntur objectiones.*

28 PRo reſolutione quæſtionis diſtinguendum eſt cum Sancto Thoma 2. 2. *quæſt.* 19. *artic.* 6. inter triplicem Attritionem: cùm enim Attritio ſit timor pœnæ, quæ eſt detrimentum proprii boni, quod quis ſibi per illum timorem amat, & homo illud bonum ſibi amare, malumque fugere poſſit, quatenus ultimatè etiam eſt bonum, vel malum DEI, tendendo proinde etiam in ipſum DEUM, tamquam finem *cui*, vel poſſit ſeipſum ſtatuere pro fine *cui* ultimato, poſitivè excludendo DEUM, ita ut ſi pœnam evitare poſſet commiſſione peccati, non curaret ampliùs bonum DEI, ſed paratus eſſet peccare, vel denique poſſit ſeipſum ſtatuere pro fine *cui*, non poſitivè excludendo DEUM, ſed quaſi abſtrahendo à bono DEI, & relinquendo voluntatem adhuc indifferentem, ut bonum DEI tamquam objectum principale præferat omni alteri bono, ut adeòque homo vi ſui amoris non ſtatuat proprium bonum, & ſeipſum pro fine ultimato principalitatis, in quo unicè quieſcat: hinc ſequitur, triplicem dari Attritionem, & de prima quidem non eſt dubium, quin ſit honeſta, cùm identificetur cum Contritione perfecta, & huius nomine potiùs, ſeu nomine timoris filialis non ſervilis compellanda ſit. De ſecunda non eſt dubium, quin ſit inhoneſta, quia voluntas peccandi ſub conditione jam abſolutè eſt peccamiνoſa. De tertia, quam adhuc S. D. fatetur eſſe timorem ſervilem, ait, eſſe honeſtam, & numerari inter dona Sancti Spiritus: & licèt *art.* 4. præcedenti dixerit, timorem ſervilem eſſe honeſtum, quoad ſubſtantiam, non autem quoad Servilitatem, ibi expreſsè tantùm locutus eſt de Servilitate, quę attritio ſecundi generis differt per antonomaſiam ab attritione tertii generis, & quaſi ſubſtantiæ timoris ſervilis ſpecialem differentiam ſervilitatis ſuperaddit, itaque de ultimò enumerata attritione

29 Dicendum eſt contra Lutherum, & alios Sectarios, attritionem, quæ dicto modo ex metu pœnæ æternæ, vel temporalis prout à DEO infligendæ, & amore æternæ beatitudinis, aut odio turpitudinis peccati, concipitur, eſſe actum honeſtum, & virtuoſum.

Concluſio hæc eſt de fide, & à Concilio Tridentino diverſis in locis definita. Nam *ſeſſ.* 14. *canon.* 5. Sic ſtatuit. *Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando ſuorum peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam &c. anathema ſit*. Et *in eadem ſeſſ. cap.* 4. inquit. *Illam vero contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe declarat, Veniæ, non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum DEI eſſe, & Spiritus Sancti impulſum &c. Et quamvis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad DEI gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum diſponit*. Suprà etiam *ſeſſ.* 6. *can.* 8. approbavit Sacra Synodus dolorem ex ſolo metu gehennæ ortum his verbis. *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quam ad miſericordiam DEI de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere, anathema ſit*. Et *canon.* 31. approbavit motivum Cœleſtis Gloriæ. *Si quis dixerit, juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur; anathema ſit*.

Ex his Sacri Concilii teſtimoniis clarè comprobatur, & noſtra Concluſio, & juſta damnatio omnium propoſitionum, eidem contrariarum, quæ ab Alexandro VIII. *anno* 1690. *die* 20. *Decemb.* perculſæ ſunt, temerè aſſerentes, nullam operationem humanam honeſtam eſſe, quæ ex prædictis motivis ſolis, ſine actuali charitate DEI, ſive ſine motivo amoris, vel bonum proſequitur, vel malum deteſtatur: eæ autem inter unam, & triginta, à dicto Pontifice prohibitas hunc locum obtinent, & ita ſonant.

Septima. *Omnis humana actio deliberata, eſt DEI dilectio, vel Mundi, ſi Dei, charitas Patris eſt, ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt*. Ex qua disjunctione, duo ſolummodò membra continente, evidenter ſequitur, omnem operationem humanam, quę non eſt dilectio Dei, eſſe malam.

Nona. *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura, ſine ullo ad DEUM offenſum reſpectu*. Circa hanc propoſitionem illud etiam adverto, quòd ſe ipſam evertat: quia in dicto odio peccati propter ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura, jam formaliter, vel virtualiter includitur reſpectus ad Deum, cùm turpitudo peccati, & diſconvenientia cum natura, deſumatur à diſplicentia, & prohibitione Divina, adeòque à reſpectu ad Deum offenſum.

Decima: *Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, merè ut cæleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec DEO placens*.

Undecima. *Quod non eſt ex fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt*, id eſt, niſi fides conjungatur cum operatione, quæ ſit actualis DEI dilectio, omnis alia operatio, ab illa procedens, peccatum eſt. Ex hac propoſitione infertur etiam illa, quæ octavum locum ſibi vendicat. *Neceſſe eſt* *infi-*

infidelem in omni opere peccare. Cùm enim iſte careat fide Chriſtiana ſupernaturali, ſine qua homo nequit per dilectionem operari, omnis autem alia actio ſive operatio ſupponatur peccatum eſſe, inferunt authores dictæ propoſitionis, infidelem in omni opere peccare.

Duodecima. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis Amor, deficit etiam fides* (quia ſupponit hæc propoſitio iſtud falſum principium, quòd fides Chriſtiana ſupernaturalis nequeat ſubſiſtere, niſi per dilectionem unicè operetur) *& etiamſi videantur credere, non eſt fides Divina, ſed humana*. Hæc aſſertio in quantum nullam aliam operationem agnoſcit eſſe talem, ut cum ea fides ſubſiſtere poſſit, quàm ſolum amorem, ut proinde hunc ſolum dicat culpa vacare, honeſtum, ac ſupernaturalem eſſe, qualis eſt fides, incurrit cum relatis propoſitionibus in eaſdem anathematizationes Concilii Tridentini, & prætereà ſpecialiter condemnatur *Seſſ.6. canon.* 18 Quia enim per omne peccatum mortale excluditur omnis amor, eo autem deficiente, affirmatur deficere vera fides, hinc in illam cadit hoc anathema. *Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratia ſimul, fidem ſemper amitti, aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licèt non ſit viva, aut eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum; anathema ſit*.

Decima tertia. *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu, DEO famulatur, charitate ſi caruerit: vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur*.

Decima quarta. *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis*.

Decima quinta. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ DEI propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis*.

Vigeſima tertia. *Similiter arcendi ſunt à Sacra Communione, quibus nondum ineſt amor DEI puriſſimus, & omnis mixtionis expers*. Supponitur in hac propoſitione, quòd ſine amore DEI puriſſimo neque per Sacramentum pœnitentiæ poſſit dari diſpoſitio ad gratiam recuperandam, & quòd illo deficiente, per operationes ex aliis motivis poſitas, nequeat perſiſtere gratia, aut cum aliis motivis ſubſiſtere amor DEI puriſſimus, eò quòd admixtio aliorum actuum, ex intentione evitandæ gehennæ, & pœnarum, vel ex intentione æternæ mercedis, ac præmii Cœleſtis, procedentium, DEUS reddatur graviter offenſus, quem proinde per Sacram Communionem non liceat ſuſcipere.

Has omnes propoſitiones, tamquam contrarias Concilii Tridentini definitionibus damnavit Alexan. VIII. proſpiciens etiam peſſimam intentionem Authorum; nam ſicut S. Joannes *cap.12. v.4.* de Juda Iſcariote, murmurationi huic ſuæ (*Quare hoc unguentum non vænit trecentis denariis, & datum eſt egenis?*) ſpeciem miſericordiæ erga pauperes affingente, rectè notavit: *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertineat ad eum: Sed quia fur erat, & loculos habens*, ita recenſarum aſſertionum patroni non ideò tam ſeverè exigunt motivum perfecti amoris Dei in omni operatione humana, ejuſque puriſſimum Amorem, quia de Amore DEI pertinet ad illos; ſed veram cauſam Concil. Trid. *ſeſſ.14. cap. 4. ad finem* his verbis expreſſit. *Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quaſi tradiderint, Sacramentum pœnitentiæ, abſque bono motu ſuſcipientium, gratiam conferre: quod numquam Eccleſia DEI docuit, nec ſenſit*. Hac autem calumnia intendunt iidem Authores Eccleſiæ doctrinam nimiæ laxitatis inſimulare, ſuæ verò doctrinæ aliquam Sanctitatis larvam induere: ipſumque Sacramentum pœnitentiæ quoad ejus uſum, & valorem reddere difficile, atque etiam inutile ad remiſſionem peccatorum per illud primùm obtinendam: cùm tamen à Chriſto ſit inſtitutum ad ſuppiendam difficultatem, ac neceſſitatem perfectæ Charitatis, per ſe, & ante Sacramenti perceptionem remiſſivam omnium peccatorum mortalium. Quo fine ſublato, reliquum eſt, ut etiam ipſum Sacramentum tollatur, quod præcipuè dicti Authores machinantur tum per propoſitiones hoc loco, tum per alias quinque in iſta diſputatione *quæſt. 1. art.2. §.1.* relatas, & pariter ab Alexandro VIII. reprobatas.

Verùm Eccleſia, & Tridentina Synodus *cit. ſeſſ. 14. cap.4.* fundat veram ſuam doctrinam in Authoritate S. Scripturæ, in prophetia Jonæ *cap. 3.* laudantis pœnitentiam Ninivitarum ex metu evertendæ urbis peractam, & hortantis ad timorem *Matth. 10. verſ.28. Potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam*, & Apocal. 14. *verſic. 7. Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii*: Similes textus de timore ſervili innumeri referri poſſent, qui ſingulariter laudatur ab Eccleſiaſtico *cap.25. verſic. 16.* eò quòd ſit initium dilectionis Dei, ſeu filialis timoris, & ut *cap. 1. verſ. 16.* inquit, *Initium Sapientiæ*. Nec pudet etiam Davidem *Pſalm.118.* fateri, ac dicere: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem*. Unde probatur Concluſio, quaſi à priori: Si Deus minatur pœnas, & promittit præmia, ut homines impellat ad fugienda peccata, tunc ſi ipſi timore pœnarum, & amore præmiorum averſentur peccata, honeſtè agunt: ſed vera eſt major, ergo &c.

Obiicitur 1. Ille actus non eſt honeſtus, quo homo 30 ſeipſum ſtatuit pro fine *cui* ultimato, cùm tamen debitus ordo exigat, ut DEUS ſit ultimus finis omnium noſtrarum actionum: ſed talis actio eſt attritio, nixa motivo pœnarum, aut præmiorum, ergo &c. Reſp. diſt. Maj. Si homo ſeipſum ſtatuat pro fine *cui* ultimato principalitatis cum poſita excluſione Dei tamquam ultimi finis concedo Maj. ſecus nego Major. ad rationem illius iterum Reſp. cum diſtinct. Debitus ordo exigit, ut Deus ſit ultimus finis omnium noſtrarum actionum, id eſt, ut in actu exercito tendant ad ipſius honorem, & ut ab eo hominem non avertant, ſed potiùs adducant, concedo, ut in actu ſignato, & poſitivè intendant honorem Dei, & ferantur in ipſum tamquam finem *Cui* ultimatum nego: ſufficit enim, quòd ſint referibiles in Deum, & diſponant ad amorem Dei perfectum; aliàs ſequeretur, quòd nulli actus virtutum, quarum honeſtatem homo ſibi amat, eſſent honeſti, niſi vel imperarentur ab amore DEI, vel cum illo identificarentur.

Obiicitur 2. Attritio eligendo fugam peccati tamquam medium ad fugam inferni magis amat hìc & nunc finem, quàm media: ergo homo ita eſt conſtitutus, ut ſi fuga inferni poſſet dari ſine fuga peccati, vel ſi commiſſio peccati eſſet neceſſaria ad fugam inferni, ille non recuſaret peccare: Reſp. permiſſo antec. nego conſequentiam, quia tantùm inferri poteſt, quòd ex tali attritione nequeat colligi, quòd homo tamen vitaret peccatum, quamvis abſolutè ſperari poſſit, & præſumi, quòd in abſentia metus inferni ſibi de aliis motivis proviſus eſſet: quis enim dicat, puerum, qui hìc, & nunc præcisè propter oſtenſum pomum accedit ad matrem, ſine pomo vocatum non acceſſurum.

Urgebis 1. Quando quis inter duo unum magis amat, quàm alterum, tunc ille vi ſui actus ita eſt animo comparatus, ut ſi alterutro deberet carere, potiùs vellet carere eo, quod minus amat: ergo ſi homo hìc, & nunc magis amat fugam inferni, quàm fugam peccati, ſi alterutro deberet carere, mallet carere fuga peccati, adeòque peccare. Reſp. diſt. antec. niſi in illa nova electione occurreret motivum, propter quod res priùs minùs amata ſit præferenda, & magis amanda concedo antec. ſi occurreret nego antec. non enim ſequitur, quòd, quando quis aliquam rem amat, & procurat ſibi, ut medium, ſeu propter ſuam bonitatem utilitatis, in aliis circumſtantiis non amaturus eſſet, ut finem propter aliam bonitatem, diverſam ab utilitate, ſed ſi aliam bonitatem non haberet, & tamen ſubſtituenda eſſet fini, tunc potiùs ipſa negligeretur, quàm finis.

Urgebis 2 Inhoneſtus eſt actus, magis odio habens minus malum, nempè infernum, quàm majus, nempè peccatum, Reſp. diſt. antec. ſi majus malum practicè eligatur ad cavendum minus malum concedo anteced. ſi utrumque fugiatur, & majoris fuga ordinetur ad fugam minoris nego antec.

Obiicitur 3. Nullus actus eſt honeſtus ex parte motivi, cujus motivum eſt compoſſibile cum peccato, à quo

debe-

deberet abſterrere; ſed actus Attritionis nititur tali motivo, quia pœna inferni tantùm movet, vel ad evitandum peccatum, vel ad agendam pœnitentiam de commiſſo peccato, ergo &c. Reſp. Tranſeat Maj. nego Min. & ſuppoſitum probationis, quòd, quando quis abſterretur à peccato metu inferni, is abſterreatur ab inferno, ut certè & ampliùs inevitabiliter incurrendo; potiùs enim abſterretur à periculo incurrendi infernum propter certitudinem comminationis, & incertitudinem pœnitentiæ, adeòque periculum adeundi infernum determinatè abſterreret à peccato, & ſi hoc jam commiſſum eſt, allicit ad pœnitentiam, non quidem neceſſariò ſtatim agendam, quia hujus dilatio non cauſat notabiliter majus periculum, aut diverſum à priori: deinde etiam abſterret à novo peccato mortali, quia per multiplicationem jam notabiliter augetur periculum, & pœna inferni.

Urgebis: Metus inferni non poteſt abſterrere ab infidelitate meæ prædeſtinationis, ſi mihi abſolutè revelaretur: quia imperium determinans ad finem deberet dicere, credendum eſt Deo revelanti mihi meam prædeſtinationem, ne ſi diſcredam, non detur mea prædeſtinatio, quam Deus dandam abſolutè revelavit: ergo pœna inferni non eſt univerſaliter ſufficiens motivum. Reſp. Etſi tranſmittatur totum, & ſuppoſitum, quòd caſus ſit poſſibilis, quem examinare huc non ſpectat, non tamen hinc ſequi, quòd, quando poſſum abſterreri, & actu abſterreor à peccato metu inferni, actus meus non ſit honeſtus, vel quòd motivum illius ſit compoſſibile cum peccato, ad honeſtatem enim motivi non requiritur, ut poſſit à quolibet peccato abſterrere, aliàs quævis virtus particularis deberet abſterrere à peccatis, cuivis alteri virtuti oppoſitis.

ARTICULUS II.

Utrum Dolor abſque motivo perfectæ Charitatis ſit ſufficiens ad valorem Sacramenti.

SUMMARIUM.

31 *Ad valorem Sacramenti pœnitentiæ non requiritur perfecta contritio, vel Charitas perfecta, ſed ſufficit ſola Attritio.*

32 *Imò neque requiritur ex neceſſitate præcepti, etiam in articulo mortis, quamvis in hoc articulo aliunde detur ejus præceptum.*

33 *Solvuntur objectiones.*

OStendimus priori articulo dolorem abſque motivo Charitatis; etiam tantùm partiali, ſed ſolò, & adæquatè diverſo motivo nixum, eſſe honeſtum, ac ſalutarem, nunc reſolvendum eſt, an etiam ſit ſufficiens ad valorem Sacramenti pœnitentiæ.

31 Dico contra Magiſt. ſententiarum, S. Bonav. Heg. Victor, & plures alios antiquos relatos à Tann. *diſp. 6. q.6.n.70.* & Amico *diſp.12.n.6.* Ad valorem Sacramenti neque requiritur dolor nixus motivo perfectæ charitatis, adæquatè movente ad deteſtationem peccatorum, neque etiam tantùm inadæquatè movente, ut Card. Pallavicinus docuerat, ſed ſufficit mera attritio, etiam cognita, ut talis; quod addo contra Victoriam, Sotum, Vegam, Navarrum, Cordubam, Ledeſmam, exiſtimantes, requiri ſaltem contritionem putatam: quia putant conatum eliciendi contritionem eſſe de præcepto. Noſtram tamen ſententiam tradit S. Thomas 4. *diſt. 17. q.3. art.5. quæſt.1. & diſt.22. qu.2. art.1. quæſt.3. & opuſculo 22.cap.2. ad 7. & Quodlibeto 4. qu.7.art.10.* & poſt Tridentinum DD. communiſſimè, ita ut Tannerus concluſionem iſtam dicat, quaſi certam. Idem dicit Cardenas *in Criſi Theolog. diſp.49. cap.3. num.21.* Probatur 1. & efficaciſſimè ex Tridentino *ſeſſ.14. c.4.* ubi aſſignans diſcrimen inter contritionem perfectam & attritionem, de contritione ita loquitur. *Etſi contritionem hanc, aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque DEO reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur &c.* de attributione verò ſic ſcribit. *Quamvis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere nequeat, tamen eum ad DEI gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit*: Quæ verba intelligi non poſſunt de diſpoſitione tantùm remota, & mediata, quaſi immediatè ad contritionem perfectam, & per hanc ad gratiam diſponat: ſic enim etiam extra Sacramentum diſponeret ad gratiam, cùm contritio extra illud ſufficiat, neque plus præſtaret intra Sacramentum, quàm extrà; ipſaque etiam antitheſis non ſalvaretur, qua id debet præſtare attritio intra Sacramentum, quod contritio præſtat extrà: & quo modo de illa negatur, quòd ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere queat, eo affirmatur, quòd in Sacramento pœnitentiæ ad DEI gratiam impetrandam diſponat, ſcilicet per ſe ipſam, ac immediatè; denique inſufficienter, & deceptoriè Tridentinum aſſignaſſet dolorem ad Sacramentum pœnitentiæ requiſitum, ubi maximè volebat eum declarare.

Confirmatur ex eodem Tridentino contra illos Adverſarios, qui nitebantur falſo principio, dum exiſtimarunt, quòd per abſolutionem non verè dimittantur peccata, ſed dimiſſa declarentur, ac pronuntientur. Nam contrarium definivit Tridentinum *cit. ſeſſ. capit. 6. & canon. 9.* atque ante Tridentinum docuit S. Thomas *3.p. qu.80. art.4. ad 2. & qu.84. art.3. ad 5.* præter textus jam ſuprà citatos, & expreſsè concluſionem noſtram continentes.

Probatur 2. ex S. Auguſtino *epiſt.180.* & ex multis decretis, quæ referuntur *in cauſa 26.* ubi aſſeritur, quòd pœnitens, quandoque eſſet periturus ſine abſolutione Sacerdotali, etiam uſu rationis deſtituto impenſa, & in *c.Si Presbyter 26. q.6.* Qui morientibus abſolutionem negaverit, à Julio Papa Reus animarum agitur. Atqui ſi ad valorem Sacramenti requireretur perfecta contritio ſine abſolutione Sacerdotali juſtificans, hæc omnia eſſent falſa, ergo &c.

Probatur 3. Baptiſmus, & Pœnitentia dicuntur Sacramenta mortuorum, & pœnitentia dicitur à Tridentino ſecunda poſt naufragium tabula: ſed ſi ad Sacramentum pœnitentiæ requireretur perfecta contritio, conferens vitam animæ ante abſolutionem, ipſum qua tale, & completè ſpectatum, non eſſet Sacramentum mortuorum, neque eſſet tabula adhuc in naufragio conſtituti, & potiùs tertia, quàm ſecunda tabula (cujus locum prævia contritio ſibi vendicaret,) appellari deberet.

Probatur 4. Sine errore in fide teſte Suarez, & Tannero negari non poteſt, quòd pœnitentia ex attrito faciat contritum: ſed non poteſt cum Cajetano, Ferrari. Fer. Soto dici, quòd faciat contritum formaliter, impetrando, ut attritionem ſequatur formalis actus contritionis, quia hoc eſt contra plurimorum experientiam, & ſæpe poſt impenſam abſolutionem à deſtitutis uſu rationis in mortis articulo non poteſt ampliùs elici contritio, ergo facit contritum æquivalenter, & in effectu per conſecutionem gratiæ, quæ aliàs eſt effectus contritionis.

Ex his autem rationibus colligitur, neque exiſtimatam contritionem requiri ad valorem pœnitentiæ: 32
ſi enim tanta eſt certitudo, quòd non requiratur ad valorem, & fructum Sacramenti contritio perfecta, tunc pœnitens neque tenetur ratione finis conari, ut eliciat contritionem perfectam, cujus exiſtimatione judicet, ſe obligationi ſatisfeciſſe; &, ſi pœnitentia eſt Sacramentum mortuorum, id eſt, ex natura ſua, & Chriſti inſtitutione ad hoc ordinatum, ut quis poſſit velle primam gratiam, ac peccatorum remiſſionem per illud ſibi procurare, tunc neque ex reverentia Sacramenti obligatur ad eliciendam contritionem: ergo nullo modo obligatur ad illam eliciendam, ergo neque neceſſe eſt, ut exiſtimet à ſe fuiſſe elicitam.

Confirmatur hoc membrum & tota noſtra concluſio. Difficultas confeſſionis Sacramentalis eſt tanta, ut ſi in ſtatu gratiæ cum illa deberet conjungi ſimilis conatus eliciendi perfectam contritionem ex neceſſitate valoris, vel fructus Sacramentalis, vel ex neceſſitate reverentiæ debitæ ex præcepto; onus pro acquirenda juſtificatione ſubeundum notabiliter eſſet majus, quàm fuiſſet in ſtatu Legis naturalis, & Moſaicæ, ſolo majoris certitudinis emolumento, ſi ſaltem exiſtimata con-

tritio ſufficiat, ſed hoc eſt contra veracitatem Chriſti dicentis: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*, ergo &c.

Atque hoc corollarium, quòd neque requiratur exiſtimata contritio, ex allatis concluſionis probationibus ita redditur certum; ut neque in articulo mortis ſit neceſſariò major certitudo valoris Sacramentalis per contritionem perfectam ex obligatione Pœnitentiæ procuranda, ut contra Suarez, Valent. Thom. Sanchez, Nugnez, Granad. rectè docent Becanus, Coninck, Layman. Fagund. Salas, Turrianus, Lugo, & alii, quos ſequitur Dicaſtillo *diſp.6. num.139.* cùm etiam pro articulo mortis non requiratur ſumma, ſed ſufficiat moralis certitudo ſufficientis diſpoſitionis ad ſalutem. Poterit tamen hæc ipſa Certitudo magis confirmari, & Authores contrarii conciliari, aliunde univerſaliter admiſſa obligatione charitatis perfectæ erga DEUM in confinio Mortis eliciendæ, quando moriturus quoad vires corporis & animi ad illam ritè eſt diſpoſitus, quemadmodum obligatur ex eadem virtute Charitatis quilibet homo, quando perfectè pervenit ad uſum rationis, & DEI amabilitas illi ſufficienter eſt propoſita. Ut expreſsè tradit S. Thom. 1. 2. *q.89. a.6. in C.* & cum eo Doctores communiter. Cujus præcepti ratio longè magis pugnat pro articulo mortis; unde Authores communiter tantùm contendunt, præceptum perfectæ charitatis non pro hoc ſolo articulo urgere, cujus affirmativa ſententia eſt prohibita ab Innoc. XI. propoſ. 5. & 6. quòd autem in hoc vel maximè urgeat, plerique aut expreſsè fatentur, aut ſupponunt: & ego ex inſtituto probavi *tr. 3. an.69.*

33 Obiicitur 1. Teſtimonium S. Joan. 1. *Epiſt. cap.3. Qui non diligit, manet in morte.* Reſp. Vel eſſe ſermonem de medio ſalutis extra Sacramentum, vel de charitate præſcindente ab habituali, & actuali, quemadmodum infantes baptizati propter habitualem non manent in morte, ſic etiam intelligendus eſt S. Paulus 1. *ad Corinth.*13. inquiens: *Si charitatem autem non habuero nihil ſum.* Vel denique, ut ex contextu videtur clarè colligi, explicandus eſt S. Joannes de charitate proximi: nam ita antecedenter, & conſequenter loquitur. *Tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres; qui non diligit, manet in morte: omnis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.*

Obiicitur 2. Tridentinum *ſeſs. 6. cap.6.* Ubi ad Juſtificationem per Baptiſmum requiritur motivum charitatis, ex quo deteſtatio peccati procedat his verbis: *Illumque,* (ſcilicet DEUM) *tanquam Juſtitiæ Fontem diligere incipiunt, ac proptereà moventur adverſus peccata per odium aliquod &c.* Ergo etiam ad juſtificationem per pœnitentiam ſimilis motus charitatis requiritur. Reſp. Per allegata verba non requiritur aliud, quàm pura attritio, cùm per hanc jam incipiat homo DEUM diligere, & juxta Eccleſiaſticum *cap. 25. verſic.* 16. Timor DEI ſervilis ſit initium dilectionis ejus, & ideò Tridentinum *loc.cit.* pro initio dilectionis ex ſpe veniæ conſequente confirmando, & tamquam non diſtincto à timore ſervili adducit textum. *Eccleſiaſt. 1. Timor Domini expellit peccatum*, ſcilicet, ſi conjungatur cum Sacramento, prout etiam in ſequenti *cap.* 7. pro cauſa inſtrumentali juſtificationis ex initio dilectionis primùm poſt Baptiſmum ſubſecutæ, aſſignat ipſum Baptiſmum.

Obiicitur 3. Habitus fidei & ſpei non redditur, niſi per elicitos actus, fidei, & ſpei, ergo nec habitus charitatis, niſi per actum charitatis. Reſp. nego paritatem; quia actus fidei, & ſpei, ſunt neceſſaria diſpoſitio ad omne medium juſtificationis, ita, ut juxta dicta de Sacramentis in genere neque Sacramentum ullum poſſit ab adulto fine illis fructuosè ſuſcipi, neque voluntas ad actum contritionis, vel attritionis, aut charitatis præparari, etiamſi illorum habitus non primùm eſſent recuperandi per actus cum extrinſeco Dei concurſu productos: Actus charitatis autem non eſt talis neceſſaria diſpoſitio.

Obiicitur 4. Tridentinum dicit, juſtificationem eſſe renovationem interioris hominis per voluntariam gratiæ ſuſceptionem, & donorum, quibus ex inimico fit amicus. Atqui non voluntariè fit amicus, qui non amat DEUM, ut finem *cui*, ut per oppoſitam rationem ad DEUM convertatur, à quo eſt per peccatum averſus. Reſp. nego min. nam utique voluntariè fit amicus, qui efficaciter deſiderat gratiam, & in hunc finem elicit dolorem de peccato, & propoſitum non peccandi, nec tamen opus eſt, ut eò modo convertatur ad DEUM, quo averſus eſt, quia proptereà ſubſtitutum fuit Sacramentum pœnitentiæ. Poſſet etiam diſtingui minor hac ratione: non voluntariè fit amicus amicitia mutua affectiva, qui non amat DEUM, ut finem *cui*, concedo min. non affectiva, ſed effectiva, vel habituali, nego minorem.

Obiicitur 5. Status gratiæ non ſuſtulit Legem naturalem, ſed lex naturalis ad juſtificationem exigebat perfectam contritionem, quæ eſſet deteſtatio peccati, quatenus eſt offenſa Divina, eſſetque perfecta converſio ad DEUM, à quo peccator averſus eſt, prout etiam apud Ezechielem exigitur; ergo etiam in ſtatu Gratiæ lex naturalis adhuc exigit perfectam contritionem. Reſp. diſt. min. Lex naturalis exigebat perfectam contritionem ſub hac conditione, niſi DEUS aliud etiam facilius remedium offerat, concedo min. exigebat abſolutè nego minor. & ſub data diſtinct. conſequentiam, & ſic etiam ad auctoritatem Ezechielis reſpondendum eſt.

ARTICULUS III.

Qualis dolor ſufficiat ad valorem Sacramenti.

SUMMARIUM.

34 *Ad valorem Sacramenti pœnitentiæ requiritur dolor formalis, nec ſufficit Virtualis; quamvis ſufficiat propoſitum virtuale.*

35 *Multò minus ſufficit dolor, aut propoſitum merè negativum, ſive negatio affectus peccaminoſi, aut ſolus dolor de negatione doloris.*

36 *Neque ſufficit dolor exiſtimatus, ſive apparens.*

37 *Unde quando ex frequenti relapſu colligitur defectus veri doloris, aut propoſiti, nec credendùm eſt pœnitenti affirmanti, ſe dolere, nec ſtatim impertienda abſolutio juxta prohibitionem prop. 60. Innoc. XI.*

38 *Multo minùs præſumi poſſet verus dolor, & propoſitum ſtante propoſ. 1. ab Alex. VIII. prohibita, tollente libertatem Voluntatis.*

39 *Motivum doloris ſemper debet eſſe cum reſpectu ad DEUM offenſum: etiamſi ponatur non eſſe ſupernaturale.*

Dico 1. Etiamſi ad valorem Sacramenti ſufficiat contritio, ſive ſit perfecta, ſive imperfecta, ſeu attritio dicta, debet tamen hæc eſſe Formalis, nec ſufficit Virtualis. Eſt hæc teſte Tannero, *diſput. 6. quæſt. 6. n.73.* & Dicaſt. *diſp.6. n.4.* communis, & certa DD. ſententia, ita ut aliqui putent, eſſe omninò definitam à Concil. Trident. *ſeſſ.14. cap.3. & 4.* Verùm Eſparza *qu. 88. art.4.* inquit. *Si contingere aliquo pacto poſſet*, (quod quidem ſequenti art. negat, poſſe contingere, ego verò *art.4.* oſtendam; poſſe) *ut pœnitens conciperet contritionem, ſeu dilectionem DEI abſque dolore formali de peccatis commiſſis, aut abſque formali propoſito non peccandi de cætero, conſequeretur procul dubio verum effectum Sacramenti, non obſtante defectu formali, ejuſmodi motuum animi ex vi ſolius dilectionis: De Contritione, ſeu Dilectione DEI perfecta, quòd ſufficiat ſe ſola, res eſt certa.* Ita Eſparza, nec diſſentit Cardin. de Lugo *diſputat. 14. num.56.* Vâſquez autem *quæſt. 92. artic.1. dub.1.* & nonnulli alii DD. non ſatis explicant ſuam mentem, dum ſolummodo eos impugnant, qui neque virtualem dolorem requirebant, & contra hos utique clarè etiam pugnat Tridentinum, tum *loc. cit.* tum *ſeſſ.6. cap.7. & 14.* Quòd itaque neque Virtualis dolor, ac deteſtatio ſufficiat, ſolummodò eſt communior, & probabilior ſententia Suarezii *diſput.20. ſect.1. num.1. & 2.* Tanner. Dicaſt. *loc. cit.* Coninck. *diſp.4. num.39.* & aliorum Theologorum. 34

Probat. 1. Nomine contritionis abſolutè prolatæ, ſine addito *Virtualis*, non intelligitur quicumque amor Dei

Dei excluſivus peccati mortalis, neque qualiſcunque alia virtus, aut propoſitum ex motivo univerſali non peccandi procedens: unde Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. quaſi definiens contritionem inquit, *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero*: idque probans exemplis S. Scripturæ, ea ſolummodo teſtimonia adducit, quæ formalem dolorem, ac deteſtationem continent: ideo etiam non ſine cauſa propoſitum non peccandi de cætero ſolummodo adjunxit in obliquo veluti per ſe annexum & incluſum in ipſo dolore ſive formaliter, ſive tantùm virtualiter in illo contineatur, modò dolor in recto importatus ſit formalis. Et infrà in eodem capite, ac *can.* 5. tanquam ſufficientem diſpoſitionem ad juſtificationem per Sacramentum pœnitentiæ approbavit contritionem imperfectam ex turpitudine peccati, vel gehennæ, & pœnarum metu conceptam, ſi voluntatem peccandi excludat, abſque diſcrimine, utrùm illa excluſio fiat per virtuale propoſitum, in illa incluſum vel per formale; adeoque dum Concilium *cit. cap.* 4. in contritione adæquata decernit utrumque contineri debere, dum ait: *Declarat igitur S. Synodus hanc Contritionem non ſolùm ceſſationem à peccato, & vitæ Novæ propoſitum, & inchoationem, ſed Veteris etiam odium continere*: ſatis tamen imſinuat, magis requiri dolorem, ac deteſtationem formalem, quàm propoſitum formale; hinc videtur etiam communis eſſe fidelium ſenſus, quòd licèt B. Virgo potuerit elicere amorem Dei ſuper omnia, qui eſſet excluſivus, & virtualiter deteſtativus omnis peccati actualis, nequiverit tamen veram, & propriè dictam Contritionem elicere, quæ ex etymologia nominis formalem animi afflictionem importat de peccato commiſſo.

Neque dicas Concilium Trid. in eodem capite aſſignatæ definitioni contritionis generaliter ſumptæ ſtatim ſubjungere hæc Verba. *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius.* Atqui non fuit quovis tempore neceſſarius dolor formalis, quia ſine Sacramento pœnitentiæ ante hujus inſtitutionem ſufficiebat dolor virtualis, nixus motivo perfectæ Charitatis. Nam Concilium loquitur ibi de dolore procedente ex cognitione peccati commiſſi, iſte autem dolor ſemper fuit & eſt dolor formalis, nec poteſt ex tali cognitione procedere merè virtualis. Talem itaque Tridentinum requirit dolorem ad Sacramentum, qualis ſemper fuit neceſſarius recordanti peccati commiſſi.

Prob. 2. Etiamſi amor Dei ſuper omnia; etiam, quando non eſt formalis, ſed tantùm virtualis Contritio de omnibus peccatis mortalibus, ſit longè præſtantior, quàm attritio formalis, poſſitque ex opere operantis conferre gratiam juſtificantē; quia tamen vis juſtificandi ex opere operantis ad Sacramentum pœnitentiæ ſe habet per accidens, & virtualis Contritio, nec rè, nec opinione noſtra præexiſtens peccatum, judicialiter remittendum, ſupponit, adeoque minùs apta eſt ad effectum ſpecialem pœnitentiæ Sacramenti ſignificandum; & quia denique Dolor, ſive præcedens, ſive ſubſequens alteram ſuam compartem, nempè Confeſſionem plerumque procedit ex intentione percipiendæ abſolutionis Sacramentalis, ſupponente memoriam peccatorum, ideo longè convenientiùs Chriſtus pro parte materiali requiſivit dolorem, ac deteſtationem peccati formalem, quàm virtualem, etiamſi virtualis eminenter contineret perfectionem doloris formalis; ſicut ad eſſentiam, & valorem Baptiſmi, ut inſtat Coninck, requiſivit aquam formalem, etiamſi alius liquor haberi poſſet, qui eſſet eminentialiter aqua: vel qui eminenter ſerviret ad abluendum corpus, veluti Vinum, ergo etiam probabilius eſt, quòd Chriſtus pro parte materiali pœnitentiæ determinatè requiſiverit dolorem formalem, præſertim accedente atteſtatione communi Theologorum, & ſatis clara inſinuatione Concil. Tridentini ſuprà allegati, ac Concil. Florentini, quod *in decreto Unionis* ſimiliter inquit: *Primam partem quaſi materialem Sacramenti pœnitentiæ eſſe cordis contritionem, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero.*

35 Ex dictis patet prorſus eſſe improbabilem, neque ſecuram ſententiam Roſellæ, & Angeli, aſſerentium, ſufficere ad Valorem Sacramenti Pœnitentiæ voluntatem, illud ſuſcipiendi cum negatione affectus actualiter peccaminoſi, & ſententiam Sylveſtri, ac quorundam aliorum, dicentium, ſufficere dolorem, vel diſplicentiam peccatoris, quòd non poſſit dolere de peccato: quippe neuter actus eſt formalis, imò nec virtualis dolor de peccato, cùm qui actu peccat, ſæpe habeat voluntatem poſtea ſuſcipiendi Sacramentum, & ſepæ doleat, quòd ſibi non diſpliceat peccatum, in quod propter vehementiam concupiſcentiæ conſentit: quòd ſi tamen quis ſolummodo docet, quòd non magis doceat de peccato, tunc utique ſufficit ſubſtantia doloris ſine majori illa intenſione optata.

36 Dico 2. Dolorem formalem, ſive præcedat, ſive ſequatur Confeſſionem, debere eſſe verum, & non tantùm apparentem ſeu exiſtimatum. Ita contra Vegam communis & certa aliorum ſententia. Prob. Id, quod non præcisè requiritur, ut licitè, ſed etiam ut validè & fructuosè ſuſcipiatur Sacramentum, non ſufficit, poni apparenter, & in opinione noſtra, ſed debet poni verè, & à parte rei, aliàs ſufficeret etiam ad Baptiſmum aqua tantùm exiſtimata, & ad Euchariſtiam vinum exiſtimatum. Atqui dolor, ſeu contritio non præcisè requiritur, ut licitè, ſed etiam ut validè ſuſcipiatur Sacramentum pœnitentiæ, ut definitum eſt à Concil. Florentino & Tridentino, ergo.

37 Unde ſi dolor ne quidem apparens ſit, ſed potiùs appareat defectus doloris, & conſequenter etiam propoſiti, emendandi vitam, etiamſi pœnitens ore dicat, ſe dolere, huic tanquam indiſpoſito, & inhabili neganda eſt Abſolutio Sacramentalis, & ideo contraria Propoſitio 60. ab Innocent. XI. eſt prohibita, quæ ſic habet. *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem DEI, Naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio; dummodo ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.* Debet autem Confeſſarius Pœnitentem in tali caſu ita prudenter diſponere, ut dilatio, vel denegatio Abſolutionis eidem non magis obſit, ne ſcil. Confeſſionem deinceps omnino omittat, vel ut alios confeſſarios continua illorum mutatione adeat, conſuetudinis peccandi ignaros.

38 Ex hac verò doctrina patet, quòd ſi hujuſmodi pœnitenti conſuetudinario non eſt conferenda abſolutio; quàm meritò ab Alexandro VIII. prohibita ſit inter reliquas propoſitiones Ordine prima, ex qua omnino & rectè inferretur, tali nunquam conferendam eſſe abſolutionem; imò nemini eſſe conferendam, eſſeque Sacramentum pœnitentiæ omnino fruſtra, & inutiliter inſtitutum. Illa propoſitio his verbis eſt concepta. *In ſtatu Naturæ lapſæ ad peccatum mortale & demeritum ſufficit illa libertas, quâ voluntarium ac liberum fuit in ſua cauſa, peccato Originali, & voluntate Adami peccantis.* Subſumo. Atqui ſi peccator non habuit propriam libertatem ad non peccandum de præterito, neque habet ad non peccandum de futuro, tunc nec poteſt elicere dolorem de peccatis commiſſis, nec elicere propoſitum non peccandi de cætero; ergo nulli peccatori poteſt aliquando conferri abſolutio. Subſumptum eſt evidens. Quod enim quis non potuit non facere, de eo non niſi ſtultè dolet, ſe feciſſe, & quod non poterit non facere non niſi ſtultè proponit, & vult non facere: imò licèt ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem, non poteſt hoc eſſe verum, & conſequenter Confeſſarius non poteſt abſolvere. Cæterùm dicta Propoſitio, tanquam hæretica jam pridem eſt damnata à Concil. Trid. *ſeſſ. 6. can.* 4. 5. & 6. atque à Pio V. Greg. XIII. Urbano VIII. contra Michaelem Bajum, ac ab Innocentio X. contra Cornelium Janſenium: eaque evidenter repugnat claro textui Eccleſiaſtici *cap.* 15. *a. v.* 15. & *cap.* 31. *v.* 10 Præterea lumine naturæ notum, quòd etiamſi ligans me catenis ac funibus, me liberè liget, ego tamen ob illius libertatem non dicar liber ad ambulandum, & quòd non ambulando, nec præmium nec pœnam, nec Vituperium nec laudem merear. Quamvis verò etiam juxta veram doctrinam Rom. Eccleſiæ propter præſtitos actus externos, in ſe formaliter non liberos, ſed tantùm liberos denominativè, homo pœna, vel præmio dignus fiat, id ideo fit, quia actus externi dependent à propria voluntate libera, ſeſe ad illos libe-

rè

rè determinante. Quòd non fieret, ſi Adam quidem liberè peccaſſet, ſed in poſteros tranſmiſiſſet concupiſcentiam, neceſſitantem ad peccandum, & manus pedeſque illorum voluntati ita ligantem, ut hæc tentationi reſiſtere non poſſet.

39 Dico 3. Suppoſita probabili ſententia, quòd actus ſupernaturales non univerſim exigant motivum ſupernaturale, nulla eſt ſpecialis ratio, cur ad valorem Sacramenti pœnitentiæ requiratur contritio vel dolor de peccato commiſſo nixus motivo ſupernaturali, ſed ſufficit motivum naturale, modò illud ejuſmodi ſit, ut reddat deteſtabile peccatum, quà tale, ſeu ſub ratione offenſæ divinæ, ſive deinde motivum ſub tali prædicato deteſtandi peccatum ſit divina bonitas, cujus amabilitati tanquam fini *Cui* peccatum ratione ſuæ malitiæ repugnat, ſive ſit aliqua honeſtas objectiva, cui tanquam rectitudini debitæ, & conformi cum prima regula divini beneplaciti peccatum adverſatur, ſive ſit pœna alicujus damni, aut ſenſus prout à Deo ratione offenſæ, qua talis, ſive in hac, ſive in altera vita eſt infligenda. Unde ſi quis doleret de peccato, quia ipſum per ſe vel per legem, aut ſententiam Judicis humani trahit jacturam vitæ, membrorum, valetudinis, famæ, honoris, bonorum fortunæ &c. Is non eliceret veram contritionem, aut validum dolorem, eò quòd, ut ſic ejuſmodi mala non eſſent connexa cum offenſa divina, quà tali, & formaliter ſpectata, quatenus ſubeſt foro, ſeu tribunali divino, & conſequenter neque ut talis terminaret dolorem, & deteſtationem peccati, & ipſa deteſtatio non haberet ordinem ad Deum, ut offenſum, nec eſſet excluſiva offenſæ divinæ, ſub ratione offenſæ. Quòd ſi verò quis doleat de peccato, quatenus prædicta mala dependent à Deo, non tantùm tanquam à cauſa univerſali, quomodo omnes effectus ex quacunque cauſa creata profluens à Deo dependet, ſed tanquam à Vindice peccati, quatenus ſcilicet meritò aliquid ex enumeratis malis infligeretur à Deo in pœnam peccati, talis dolor ac deteſtatio peccati jam ſufficeret: & licèt non eſſet ſupernaturalis ex parte objecti, adeoque licèt non ferretur in peccatum, ut eſt offenſa Authoris felicitatis noſtræ ſupernaturalis, neque hunc ullo modo repræſentaret, eſſet tamen ſupernaturalis ex parte principii, quatenus dependeret ab auxilio ſeu cognitione dirigente entitativè ſupernaturali, & ab habitu ſupernaturali, vel à Deo ſupplente officium habitus: præterea eſſet ſupernaturalis ex parte finis, ad quem ex eſſentia ſua & perfectione intrinſeca, ſine actuali ejus repræſentatione, exigeret ſuum ſubjectum ordinare, nempè ad felicitatem ſupernaturalem, ſi cætera requiſita ab eo ponerentur. Ideo Alexander VIII. has duas propoſitiones, in quibus nullum exprimitur motivum ſupernaturale, abſolutè prohibuit, nempè quartam & quintam ſupra decimam. *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.* Et. *Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione DEI propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.*

Ratio horum omnium eſt, quia peccatum per pœnitentiam deletur, ſub ratione formalis offenſæ divinæ, ſub qua eſt reflexè cognoſcibile, ac deteſtabile, ergo meritò exigitur deteſtatio peccati, ut eſt offenſa divina: quòd autem ſufficiat motivum pœnæ temporalis, probatur ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. ubi ex eò, quòd approbat motivum gehennæ pro attritione de peccato mortali, indirectè approbat aliarum pœnarum temporalium motiva pro attritione de peccato veniali; quòd tamen neceſſe non ſit, dolorem eſſe de offenſa Dei, ut auctoris felicitatis ſupernaturalis, iſtumve repræſentari ut finem, ad quem intrinſecè, & ſaltem remotè hominem diſponit, confirmatur partim ex ſuppoſitione univerſali in concluſione indicata, quòd actus ſupernaturalis non neceſſariò exigat objectum ſupernaturale; partim, quia aliunde ſervatur ſupernaturalis: Nam ſatis deducitur ex modis loquendi Concilii Tridentini, quod loc. cit. attritionem ad Sacramentum pœnitentiæ requiſitam vocat *Donum Dei* & *Spiritus S. Impulſum*, & *ſeſſ.* 6. *c.* 6. & 7. & 14. requirit ſpecialem *Gratiam Dei excitantem*, & *can.* 3. inquit: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Similiter loquitur Concilium Arauſicanum II. *can.* 4. quibus exaggerationibus humanæ imbecillitatis, & divini adjutorii indicat, actualem & proximam diſpoſitionem ad juſtificationem eſſe aliquid vires naturales omnino excedens, vel ratione objecti, vel modi tendendi in illud, vel ſaltem ratione intrinſeci, & eſſentialis ordinis, quem dicta diſpoſitio habet ad gratiam ſupernaturalem, ſive eam cauſet, ſive non. Propterea Propoſitio 57. ab Innocentio XI. prohibita eſt. *Probabile eſt, ſufficere Attritionem Naturalem, modo honeſtam.* Confirm. hoc ipſum ex dictis de Sacramentis in genere, ubi oſtendimus, omnem diſpoſitionem ad gratiam ſupernaturalem ratione ſuæ honeſtatis ac bonitatis requiſitam debere eſſe ſupernaturalem, ſicut etiam actus meritorii debent eſſe, quoad entitatem ſupernaturales.

ARTICULUS IV.

An ſufficiat Dolor non procedens ex Intentione Sacramenti, vel non præcedens Confeſſionem.

SUMMARIUM.

40 *Non eſt neceſſe, ut dolor procedat ex intentione ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ.*

41 *Neque eſt neceſſe, ut præcedat confeſſionem peccatorum, modo præcedat abſolutionem.*

42 *Et readatur ſenſibilis per procurationem abſolutionis, procedentem ex cognitione eliciti doloris.*

Dico 1. Etiamſi dolor plerumque procedat ex intentione percipiendæ abſolutionis, idque aliqui tacito nomine cum Bonacina à Lugo relati videantur ex eſſentia Sacramenti requirere: communis tamen ſententia, teſte Lugo *diſp.* 14. *ſect.* 4. probabiliùs concedit ſufficere, ſi quis dolore ſine intentione ſuſcipiendi Sacramentum elicito, deinde ex intentione percipiendi Sacramentum, alias partes, nempè confeſſionem, & abſolutionem ſubjungi curet. Prob. Quia ex parte ſuſcipientis Sacramentum ſufficit intentio illud percipiendi, ſine intentione tendente in ſingulas partes ſeorſim, niſi pro aliqua ſit ſpecialis ratio, qualem Lugo *diſp.* 1. *n.* 45. putat eſſe pro Confeſſione, quæ cùm non debeat eſſe mera hiſtorica narratio peccatorum, ſed judicialis accuſatio, ſupponit intentionem dicendi ſua peccata coram Sacerdote tanquam judice, ſeu in ordine ad abſolutionem Sacramentalem; quamvis Amicus, *diſp.* 12. *num.* 63 exiſtimet poſſe fieri judicialem, ſi quis facta Confeſſione ſine intentione Sacramenti, deinde per petitionem abſolutionis priùs dicta peccata Sacerdoti ut Judici ſubmittat, cujus Doctoris opinio facilè cum Cardinalis de Lugo opinione conciliari poteſt, dicendo, illud ſubſequens ſignum externum, quo quis Sacerdoti intentionem accipiendi abſolutionem & dolorem de peccatis manifeſtat, eſſe generalem repetitionem peccatorum narratorum, adeoque novam judicialem accuſationem, quæ propter recentem memoriam Confeſſarii de peccatis priùs diſtinctè narratis hìc & nunc eſt ſufficiens ad valorem Sacramenti. 40

Atque ex his patet contra Eſparzam, quo pacto contingere poſſet, ut daretur dolor virtualis, ſine formali, ſi nimirum elicita dilectione DEI ſuper omnia ante memoriam ullius peccati, deinde nullo novo dolore ſuperaddito quiſpiam memoriæ occurrentia peccata ex ſuppoſitione præteriti doloris virtualis Sacerdoti confiteretur, ut ab his Sacramentalem abſolutionem ſibi procuraret: qualem tamen dolorem ad valorem Sacramenti eſſe ſufficientem, non tantùm non eſt res certa, ſed ut oſtendimus, minùs probabilis.

Dico 2. Quemadmodum proximè faſſi ſumus dolorem formalem poſſe validè præmitti Intentioni ſuſcipiendi Sacramentum, ita contra Alenſem, Coninck, Laym. Palao, & quoſdam alios apud Paludanum 4. *ſent. diſt.* 17. *quæſt. ult. ad argument. primum* cum Lugo *diſp.* 14. *n.* 13. & hoc teſte cum omnibus aliis Theologis 41

fate-

fatemur, poſſe illum ſubjungi Confeſſioni, non tamen Abſolutioni, quæ ut ſit valida donatio, & non potiùs invalidè attentata dilapidatio veniæ Divinæ, præſupponit, pęnitentem eſſe aliquo modo dignificatum per retractationem. Et quia univerſim DEUS decrevit, non dimittere peccatum, niſi retractatum, Remiſſioni Sacerdotali, à ſe ratificandæ, convenientiùs noluit ſubjungi dolorem; ita ut ſicut in aliis Sacramentis, per ſe & primariò non ordinatis ad remiſſionem peccati perſonalis, ſeu propria voluntate commiſſi, non ſubjungitur licitè, quando homo eſt conſtitutus in peccato mortali, ſic in Sacramento Pœnitentię nunquam poſtponatur validè. Nulla verò hujuſmodi ratio pugnat contra præmiſſionem Confeſſionis, quò minùs hæc dolori etiam anteponatur, ſed potiùs communis Pœnitentium praxis parùm ſollicitorum, utrùm ante vel poſt confeſſionem elicuerint contritionem, modò non elicuerint poſt abſolutionem, & praxis etiam Confeſſariorum, à pęnitentibus indiſpoſitis poſt confeſſionem prolicientium dolorem ſine onere repetendi confeſſionem, ſatis demonſtrat, poſſe confeſſionem contritioni etiam præmitti. Quamvis ipſa quoque expectatio abſolutionis, quando ponitur à pœnitente, aliàs potente abire, non incommodè dicatur continua petitio Abſolutionis de peccatis recenſitis, & horum etiam Generalis Recenſitio, ſeu Confirmatio recenſitionis, ut fatetur Layman.

42 Neque poteſt aliud ab Adverſariis in contrarium opponi, quàm quòd niſi dolor præcedat Confeſſionem, & & ad eam impellat, nulla ſit aſſignabilis connexio confeſſionis cum dolore, quæ illum, utpote internum, reddat exteriùs ſenſibilem. Hæc tamen objectio facilè ſolvitur dicendo, quòd illud ſignum externum, quo redditur ſenſibilis intentio ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ, vel abſolutionem Sacramentalem, reddat ſenſibiles omnes partes Sacramentales, ſine quibus pœnitens ſcit, ſe non poſſe obtinere finem intentum, ſive illæ partes procedant ex intentione finis, ſive una vel altera ad eam præſupponatur, & reflexè ab ea attingatur, illud enim ſignum, quod denotat efficacem intentionem finis, denotat etiam poſitionem omnium eorum, ſine quibus ſcitur non poſſe obtineri finis, quocunque tandem ordine illa ponantur, qui in quantum non eſt neceſſarius, in tantum neque eſt neceſſe, ut repræſentetur per ſignum ſenſibile.

ARTICULUS V.

An idem Dolor ſufficiat ad plures Sacramentales abſolutiones.

SUMMARIUM.

43 *Idem dolor ſufficere poteſt ad plures Sacramentales abſolutiones eorundem, vel diverſorum peccatorum, præcedentium, ſi non ſit retractatus, nec moraliter nimium disjunctus.*

44 *Requiritur tamen ad novam abſolutionem nova accuſatio, ſive ſit de eodem, ſive de diverſo peccato.*

43 ETiamſi ad ſingula Sacramenta Pœnitentiæ ſit neceſſarius dolor formalis, & ſupernaturalis, poteſt tamen idem dolor nullo novo peccato retractatus, nec propter nimiam diſtantiam temporis moraliter disjunctus, ſed ſufficiente unione morali, qualis juxta naturam cujuſque Sacramenti inter materiam proximam, & formam ſacramentalem communiter requiritur, cum confeſſione & abſolutione connexus, ſufficere ad plura, ſeu ſæpius iterata Sacramenta pœnitentiæ, ſive eadem, ſive diverſa peccata clavibus ſubiiciantur, modò confeſſio ſit diverſa, & dolor ad eadem jam antecedenter commiſſa ratione motivi formalis ſe extenderit. Ita Card. de Lugo *diſp.* 14. *à num.* 27. contra Vaſq. *quæſt.* 92. *art.* 3. *dub.* 5. *nu.* 10. Henriq. *lib.* 4. *cap.* 26. §. 7. Amicum *diſp.* 13. *num.* 36. Bonac. *diſp.* 51. *quæſt.* 4. *part.* 4. *num.* 1. aſſerentes, quando eadem peccata in alia Confeſſione repetuntur, opus eſſe novo dolore.

Probatur concluſio, quæ communiter ab aliis DD. non ſolet examinari. Si non eſt ſpecialis ratio requirendi novum dolorem pro nova confeſſione, & ſi facilè aſſignatur diſparitas, quare requiratur nova Confeſſio pro iterata abſolutione, & tamen non requiratur novus dolor, tunc vera eſt concluſio: ſed hoc ita eſt; Probo min. quoad prius membrum. Unica ratio Adverſariorum eſt, quòd ſuper eandem materiam proximam non poſſit eadem forma ſæpius proferri, & ſæpius confici Sacramentum; ſed quando hoc ab aliis DD. communiter aſſeritur, id tantùm intelligendum eſt de materia proxima, adæquatè eadem, ut conſtat ex pluribus inſtantiis; nam quando quis unius peccati ante acceptam abſolutionẽ eſt oblitus, & illud vel ſtatim vel paulò poſt ad Sacerdotem rediens confitetur, ſive fuerit mortale, ſive veniale, cõfeſſarius debet denuo impertire abſolutionem, & cum abſolutione dando novam gratiam conficere novum Sacramentum, ſed in tali caſu communiter nec pœnitentes, nec confeſſarii ſollicitì ſunt de novo dolore, ergo non requiritur novus dolor. Idem fit, quando quis in articulo mortis audito uno vel altero peccato ſtatim abſolvitur propter periculum, ne ante acceptam abſolutionem moriatur, & poſtea pertexendo confeſſionem ſine novo dolore ſponte elicito, aut à confeſſario procurato, aliam abſolutionem recipit, cujuſmodi caſus plures referri poſſent, in quibus ſine cura novi doloris poſt acceptam abſolutionem ſuppletur materialis integritas confeſſionis juſtis de cauſis intermiſſa, novaque abſolutio accipitur, ergo poteſt ſuper materiam proximam inadæquatè eandem ſępius proferri forma Sacramentalis.

Neque dicas in his caſibus ſaltem materiam remotam eſſe diverſam, eò quòd novi ſemper peccati confeſſio inſtituatur, quia diverſitas materiæ remotæ non requiritur, in materiam proximam autem nempè in dolorem nulla refunditur diverſitas, vel ſi aliqua virtualis refunderetur propter diverſitatem peccatorum, eodem modo refunderetur propter diverſitatem novæ confeſſionis ejuſdem peccati. Deinde, ut optimè advertit Lugo, ſi quis in prædictis caſibus præter peccata nova in genere vel in ſpecie repeteret priùs dicta (uti neceſſe eſſet ſaltem unum, aut priora in genere repeti, ſi poſt confeſſionem, & abſolutionem, peccatum novum tantùm ſub dubio ſubjungeretur) vi novæ abſolutionis etiam illa priora rurſum directè dimitterentur. Atqui non dimitterentur directè, ſi in ordine ad illa non ſufficeret primus dolor, cùm per abſolutionem nullum peccatum directè dimittatur, in ordine ad quod non datur ſufficiens dolor, ergo &c.

Impugnatur ratio Adverſariorum ſecundò: Corpus & Sanguis Chriſti eſt materia proxima Euchariſtiæ: atqui hæc eſt eadem, quotieſcunque de novo conficitur hoc Sacramentum: ergo poteſt Sacramentum ſępius confici ſub eadem materia proxima, quamvis ſuper hanc, ut verum fatear, non proferantur verba conſecrationis, ſed per illa tantùm eadem adducatur.

Impugnatur 3. Secundùm Tridentinum etiam ſatisfactio eſt materia proxima Sacramenti integraliter perfecti, quæ juxta communem ſententiam per ſe loquendo non minùs requiritur ad licitam adminiſtrationem, quàm dolor requiratur ad validam adminiſtrationem Sacramenti; atqui ad licitam adminiſtrationem non requiritur, ut ſemper imponatur nova ſatisfactio, ſed ſicut confeſſarius poteſt imponere ſatisfactionem ex alia Lege debitam, ſic poteſt etiam imponere ex alia ſententia judicis; ergo ſimiliter ad validam adminiſtrationem Sacramenti non requiritur novus dolor præcisè ex hoc titulo, quòd ſit partialis materia proxima Sacramenti eſſentialiter completi.

Probatur nunc etiam ſecundum membrum, imò to- 44
ta concluſio aſſignando diſparitatem inter Dolorem, & Confeſſionem Sacramentalem. Ad novum proceſſum Judicialem tantùm requiritur nova accuſatio, teſtificatio, & ſententia Judicis, dolor autem, qui inſuper in ſacramentali Judicio exigitur, & moraliter cum cæteris compartibus debet eſſe conjunctus, tantùm eſt neceſſarius, ut peccatum ſit retractatum, & venia non detur indigno ac indiſpoſito, qui finis jam obtinetur per unicum dolorem, & propoſitum non peccandi de cætero, ergo ad novum Sacramentum pœnitentiæ tantùm

requi-

requiritur nova Confeſſio, quæ ſimul eſt Accuſatio, & Teſtificatio peccatoris de ſeipſo, quæ ſufficit ad Judicium ſpontaneum, ſeu non coactivum, & nova Abſolutio, & nova Impoſitio pœnæ, ſive ejuſdem (quando peccatum poſt priorem abſolutionem expoſitum non eſt tantùm, ut ſi antè fuiſſet expreſſum, Confeſſarius majorem pœnitentiam debuiſset injungere, in quo caſu tamen expedit, ut Confeſſarius non ſolo ſilentio eandem exteriùs ratificet, ſed denuò imponat) ſive alterius adjectæ, ſi pœnitens illam videatur mereri, vel ſi prior etiam videatur inſufficiens.

ARTICULUS VI.

An aliquis dolor ſufficiat ad valorem Sacramenti, qui non ſufficiat ad Fructum.

§. I.

Status quæſtionis, & Authorum Sententiæ referuntur.

SUMMARIUM.

45 *Refertur Sententia negans.*
46 *Refertur Sententia affirmans.*
47 *Declaratur mens S. Thomæ.*
48 *Conciliantur ejus textus, apparenter contrarii.*

45 Ratio dubitandi eſt; quia poteſt contingere, ut quis habeat plura peccata mortalia, & unius aut aliquorum obliviſcatur, neque de illis doleat, tamen doleat de omnibus illis, quorum recordatur, quæque in confeſſione Sacerdoti fideliter exponit. In tali itaque caſu, poſita Confeſſione, & Dolore de omnibus peccatis cognitis, cum propoſito de cætero non peccandi, videtur nihil à pœnitente omiſsum ad valorem Sacramenti, quia verò nullum peccatum mortale poteſt per infuſionem gratiæ dimitti, quin dimittantur omnia reliqua; reliqua autem de facto nunquam dimittuntur, niſi priùs ſint retractata, ideo hæc videntur obſtare, & eſse obex, quò minùs Sacramentum pœnitentię conſequatur fructum, ſeu effectum gratię judicialiter conferendę, & directè intentę ad remiſſionem eorum peccatorum, quę in Confeſſione explicata, ac per dolorem ad illa ſola ſe extendentem retractata ſunt, indirectè verò ordinatę etiam ad remiſſionem peccatorum memorię non occurrentium.

Circa hanc quæſtionem una ſententia aſſerit, dolorem illum, qui ſe non extendit ad omnia peccata mortalia, tam occulta, quàm cognita, eſſe inſufficientem, non tantùm ad fructum, ſed etiam ad valorem Sacramenti.

46 Altera autem, & communior affirmat, illum eſſe ſufficientem ad valorem, non tamen ad fructum, nempè ad Gratiam, ſeu formam juſtificantem ſtatim cauſandam, & ideo dicit, Sacramentum fore validum, ſed informe. id eſt, non formatum, & exornatum gratia, uſque dum removeatur obex, quo per retractationem, ſive per ſe juſtificativam, ſive non juſtificativam (juxta dicta de Sacramentis in genere) quocunque tempore remoto, ajunt reviviſcere Sacramentum in ordine ad cauſandam ſuam gratiam.

Pro priori ſententia referuntur à P. Haunoldo *lib. 4. tr. 4. Controv. 4. n. 996.* & approbantur Vaſquez, Coninck, Okogavia, Layman. Turr. Fagund. Arriaga, Pallav. Eſparza, quibus alii addunt Maj. Gabr. Adrian. Medinam, Em. Saà, Sylvium, his accedunt etiam Palao & Amicus. Poſteriorem ſententiam tenuerunt teſte Dicaſt. *diſp. 6. n. 84.* ferè omnes DD. antiquiores Vaſquezio (excipe tamen illos paucos, qui ad valorem Sacramenti neceſſariam duxerunt contritionem perfectam) nominatim illam propugnant Capreolus Richardus, Palud. Durand. Cajetenus, Pet. Soto, Ledeſma, Navarrus, Pallacius, Nugnez, Sylv. Covar. Suarez, Valent. Toiet. Tanner. Lugo, Filliuc. Henriq. Diana, Bonac. Dicaſtiiio, quorum omnium agmen ducit S. Th. *4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 4. quæſtiunc. 1.* ubi ſic ait: *Confeſſio etiam poteſt eſſe in eo, qui non eſt contritus, quia poteſt peccata ſua Sacerdoti innoteſcere,* (id eſt facere innoteſcere) *& clavibus Eccleſiæ ſe ſubiicere: & quamvis tunc non percipiat abſolutionis fructum, tamen recedente fictione recipere incipiet; ſicut etiam eſt in aliis Sacramentis; unde non tenetur iterare Confeſſionem, qui fictus accedit, ſed tenetur poſtmodum fictionem ſuam confiteri.* Ita S. Doctor.

Pro quo textu meliùs intelligendo notandum 1. quòd licèt S. Doctor hìc contritionem ſumat pro perfecta, de qua quærebatur, utrùm neceſſaria ſit ad Sacramentalem confeſſionem, & ipſe reſpondebat, eſſe quidem neceſſariam homini mortalibus peccatis gravato, ut ex opere operantis confeſſio reddatur meritoria gratiæ, non autem eſſe neceſſariam ad valorem Sacramenti; tamen idem S. Doctor non univerſaliter requirat perfectam contritionem ad fructum Sacramenti, ſed tantùm velit dicere, quòd ſi non detur contritio, poſſit contingere, ut non detur fructus, eò quòd tunc poſſit fieri, ut dolor, in vicem contritionis perfectæ neceſſarius ad valorem, ſe non extendat ad peccata mortalia occulta, quæ vocat *fictionem*, & tamen validum ſit Sacramentum, ut proinde non teneatur peccata expoſita iterum confiteri, modò confiteatur *fictionem*, ſeu peccata, quæ fuerunt cauſa, ut pœnitens fictè ſeu ſolummodo apparenter juſtificationis gratiam obtineret, quatenus ſuſcepit quidem cauſam gratiæ, ſed obice peccatorum impeditam, inculpabiliter quidem; aliàs neque cauſam Gratiæ actu mortaliter peccans ſuſcepiſſet, quia cum actuali peccato Sacramentum pœnitentiæ neque poteſt validè recipi. Hinc ſi dolor ſe neque ad omnia peccata mortalia in confeſſione expoſita extenderet, vel ſi pœnitens probabiliter judicaret, ſe adhuc habere aliud peccatum mortale, memoriæ non occurrens, & tamen non doleret ex motivo univerſali, etiam ad mortalia occulta ſe extendente, hoc ipſo neque validè ſuſciperet Sacramentum pœnitentiæ, quia qui ſcienter ſe exponit periculo probabili fruſtrandi Sacramentum ſuo effectu principali, peccat mortaliter. 47

Notandum 2. Immeritò aliquos imputare S. Thom. quòd *in 4. diſt. 23. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 2.* ſibi ipſi contradicat, & retractet priorem doctrinam per hoc, quod dicat, *contritionem perfectam eſſe de eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ.* Nam tantùm vult dicere, eatenus eſſe de eſſentia, quatenus eſt pars eſſentialis, non autem vult dicere eſſe determinatè de eſſentia, ut non etiam attritio poſſit eſse pars eſſentialis, quod tamen *diſtinctione 22. quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 3* tribus ſolummodo foliis præcedente diſertè faſſus eſt. Unde non eſt credendum, S. Doctorem tam citò oblitum eſſe dictorum, vel non obſtante memoria voluiſſe contradictoria iiſdem paginis imprimi; ſed ſicut quando Leges videntur inter ſe contrariæ, non debet dici, poſteriorem eſſe abrogatoriam prioris, quando ambæ conciliari poſſunt, ſic non debet poſterior doctrina ejuſdem Doctoris dici retractatoria prioris, quando ambæ concordem explicationem patiuntur, uti ſit in præſenti loco, ubi S. Thomas ſolùm voluit oſtendere in Sacramento pœnitentiæ ſæpe includi talem partem, quæ infallibiliter trahat remiſſionem peccatorum: in Extrema Unctione autem nunquam contineri talem partem, & ideo formam Extremæ Unctionis non fieri per verba Indicativi Modi, ſed per verba Modi Optativi, ſeu Deprecatorii, *Indulgeat tibi DEUS &c.* Quia hoc Sacramentum non infallibiliter trahit aliquem effectum Sacramentalem, etiamſi poſitæ ſint omnes partes illius, quaſcunque poteſt continere, eò quòd poſſit adhuc aliquo obice impediri, cùm tamen nullum aliud Sacramentum ſit, etiam cum fictione ſuſceptum, per cujus formam non aliquis ſaltem partialis effectus ponatur, uti per formam conſecrationis ponitur præſentia corporis Chriſti, per Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem character, per Matrimonium mutua obligatio. 48

§. II.

§. II.

Aſferuntur Fundamenta Sententiæ Negantis.

S U M M A R I U M.

49 *Ad Valorem Sacramenti pœnitentiæ requiritur quidem propoſitum ex motivo Univerſali, excludente omne peccatum mortale, deinceps patrandum, poteſt tamen dari tale motivum, quod tantùm excludat, & deteſtetur omnia mortalia futura, non autem omnia præterita, ita ut neque illa fuiſſent poſita ſtante hoc motivo.*

50 *Reſpondetur ad oppoſitum textum ex Concil. Flor. ex quo non rectè probatur neceſſitas doloris Univerſalis.*

51 *Idem nec rectè probatur ex Tridentino.*

52 *Nec utiliter allegatur alius textus ex eodem Trid.*

53 *Rurſum reſpondetur ad aliud argumentum ex Trident. deſumptum.*

54 *Non omne motivum ſufficiens ad propoſitum univerſale nullum deinceps committendi peccatum mortale, ſufficit ad dolorem formalem aut virtualem de præteritis.*

55 *Forma abſolutionis verificatur, etiamſi gratia Sacramentalis non conferatur abſolutè.*

56 *Non eſt abſurdum, aliquem damnari propter peccatum mortale, tantùm cauſaliter, non autem formaliter remiſſum, ob defectum à Chriſto requiſitæ conditionis.*

49 VT itaque Sententia S. Thomæ, & Communior, mihique probabilior ſolidiùs probetur, referam priù fundamenta oppoſitæ ſententiæ, cui ſicut incumbit neceſſitas oſtendendi inſufficentiam doloris bona fide tantùm eliciti de peccatis memoriæ occurrentibus, eò quòd pœnitens neque probabiliter judicet, ſe habere alia peccata mortalia occulta; ita everſis illius fundamentis hoc ipſo ſtabit noſtra ſententia, innixa univerſali principio, quòd nihil ſit requirendum ad valorem Sacramenti, cujus non aliunde probatur neceſſitas.

Primum fundamentum Adverſariorum eſt Auctoritas Florentini, quod in decreto Eugenii §. 4. ait, materiam pœnitentiæ in tres diſtingui partes, quarum prima eſt *Cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Quibus verbis tam univerſale motivum propoſiti requirit, ut vi hujus neque peccata præterita poſita fuiſſent, nec futura ulla ſint compoſſibilia. Et tale propoſitum, inquiunt, eſt etiam de peccatis occultis virtualis dolor; nam formalis dolor tantùm potuit exigi de peccato aliquo modo noto, quia de hoc ſolum eſt poſſibilis. Si illis opponas, univerſalitatem requiſiti propoſiti adhuc ſalvari per motivum extendens ſe ad omnia peccata, deinceps poſſibila v. g. per honeſtatem oppoſitam turpitudini relapſus. Urgent: nullum eſſe fundamentum verba Concilii ita reſtringendi, aut eodem jure arctiùs contra Auctores ſecundæ Sententiæ ſe reſtricturos minantur, ad peccata tantùm ejuſdem ſpeciei cum commiſſis. Præterea ajunt, hujuſmodi motivum non eſse ſatis univerſale, eſseque compoſſibile cum voluntate peccandi, ſi ſcilicet odio habens turpitudinem relapſus reſciat, ſe nunquam peccaſse. Par ratio eſset, ſi turpitudinem peccati Sacerdotalem, vel hominis Chriſtiani ſtatum dedecentis averſans intelligeret, ſe non eſse ritè ordinatum, vel ritè baptizatum.

50 Reſponderi poteſt 1. cum Dicaſt. *diſp. 6. à n. 68.* ſicut aliqui ex Adverſariis, ex quibus citatus Auctor refert Vaſq. & Coninck, aſserunt, ſatis eſse, ſi dolor ſe extendat ad omnia mortalia commiſsa, non autem ad omnia poſſibilia, utpote de quibus non eſt dolendum, nec Florentinum aliud exigit, quàm ut quis doleat de peccato commiſso, ſic etiam ſatisfieri verbis Concilii, exigentis propoſitum non peccandi de cætero, ſi ad ea, quæ ſciuntur commiſsa, non iteranda, adeoque etiam ad proxima pericula, quantum fieri poteſt, vitanda ſe extendat, eò quòd non alia voluntas peccandi vi Tridentini *ſeſſ. 14. cap. 4.* ſit excludenda à tali ſubjecto, niſi ea, quæ aliquando fuerat in tali ſubjecto, modò nulla detur alia voluntas nova peccandi: atque ſic evaneſcerent minæ arctiùs reſtringendi textum Florentini.

Reſp. 2. Communiùs & meliùs ab adverſariis potiùs reſtringi Concilium, dum non quodvis univerſale propoſitum de facto, & in illis circumſtantiis, in quibus elicitur, excluſivum omnis voluntatis peccandi admittunt; à nobis autem tantùm reſtringi univerſalitatem motivi, quò minùs in aliis circumſtantiis ſufficeret ad retrahendum à voluntate peccandi, aliud quippe eſt, quòd poſſibiles ſint aliæ circumſtantiæ, in quibus motivum deficeret, ſeu in quibus poſſet poni voluntas peccandi, non retractato actu præcedenti, utpote, cujus motivum non negligeretur, ſed tantùm non interponeretur; & aliud eſt, quòd de facto non ſerviat ad excludendam voluntatem peccandi de cætero. Unde, quando dicitur, quod propoſitum debeat ſe extendere ad omnes circumſtantias poſſibiles, non eſt ſenſus, quòd in omnibus poſſibilibus circumſtantiis debeat efficaciter excludere voluntatem peccandi, ſemper enim ſunt poſſibiles circumſtantiæ, in quibus potiùs à voluntate peccandi, propoſitum excluderetur, vel factum retractaretur, ſed tantùm, quòd pœnitens, dum ſuſcipit Sacramentum, ita ſit conſtitutus, ut in nullis poſſibilibus circumſtantis velit peccare, adeoque actus propoſiti debet explicitè vel implicitè pro omnibus circumſtantiis poſſibilibus eſſe fuga cujuſvis peccati ex vi modi tendendi, non autem ex vi univerſalitatis motivi ſemper & ubique verificabilis.

Secundum fundamentum Adverſariorum Tridentinum *ſeſſ. 14. can. 4.* inquit: *Si quis negaverit, ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, videlicet contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, anathema ſit.* Quibus verbis vocat illam Contritionem, quæ ad Remiſſionem requiritur, partem Sacramenti: ergo ſi non ponatur talis Contritio, quæ ad Remiſſionem requiritur, nempè ex motivo univerſali extendente ſe etiam ad occulta peccata, Sacramentum non habet omnes partes, & non tantùm eſt informe, ſed etiam invalidum. 51

Reſpondeo 1. Ad perfectam remiſſionem peccatorum tam quoad culpam, & pœnam æternam, quàm quoad pœnam temporalem à DEO, ut offenſo, & ut Judice condonandam, in ordine ad quam requiritur etiam ſatisfactio, ut pars Sacramenti, ſæpe neque ſufficere illam ſatisfactionem, quæ à Sacerdote injungitur, quo minùs ut Judex aliam ulteriorem exigere poſſit, non tamen hinc ſequitur, non eſſe poſitas omnes partes: itaque aliud eſt, illa omnia, per quæ conceditur perfecta remiſſio peccatorum eſſe partes, & aliud, ſine illis non eſſe poſitas omnes partes, quod poſterius falſum eſt, quia tantùm disjunctivè requiruntur, ut ſcilicet vel ponatur talis dolor, & talis ſatisfactio, per quæ, tanquam per partes Sacramenti conferatur perfecta remiſſio, vel ponatur alius dolor, vel alia ſatisfactio, per quæ tamen non ſtatim, vel non perfecta remiſſio peccatorum, quoad culpam, & pœnam temporalem impertiatur.

Tertium fundamentum Adverſariorum deſumitur iterum ex Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 4.* ubi ait, *Contritionem, quæ eſt pars Sacramenti debere eſſe odium Veteris Vitæ*: Atqui niſi dolor ſit ex motivo univerſali, non ſe extendit ad peccata occulta, conſequenter non ad totam Veterem Vitam, quod tamen ſi Tridentinum non requireret, debuiſſet hoc ipſum exprimere, ſicut ſequenti cap. expreſsè tantùm exigit Confeſſionem de peccatis, quorum eſt memoria. 52

Reſp. 1. Tridentinum habuiſſe ſpecialem cauſam exprimendi, ſolorum peccatorum memoriæ occurrentium neceſſariam eſſe explicatam confeſſionem, eò quòd hæretici Catholicis objecerint, exigi ab illis Confeſſionem omnium peccatorum, quæ tamen ob lapſum memoriæ ſæpe ſit impoſſibilis. Reſp. 2. Sicut cit. cap. declaratur, qualis requiratur Confeſſio, ſic eadem opera declarari, quale debeat eſſe odium Veteris Vitæ, & ſi magis univerſale requireret, abſque neceſſitate adjungeret ibidem novum remedium pro peccatis occultis,

tis, *ſi fideliter cum Propheta* Pſalm. 18. *dicamus ab occultis meis munda me Domine*.

Quartum fundamentum Adverſariorum ſtatuitur ex illis Tridentini verbis, quibus *in cap.* 5. dicit, peccata occulta eſſe incluſa in Confeſſione peccatorum cognitorum, ſimulque cum illis dari veniam. Atqui non datur venia de peccatis ſine dolore, & retractatione illorum, ergo ſupponit dolorem ad occulta ſemper virtualiter ſe debere extendere ratione motivi. Reſp. Concilium non dicere, quòd occulta ſemper dimittantur, ſed quòd ad eorum dimiſſionem neceſſe non ſit, explicitè ea confiteri, & deteſtari, poſſintque nihilominus deleri, ſi doloris motivum ad illa ſe extendat, & ſic pœnitens ſaltem virtualiter cum Propheta occultorum veniam, ac emendationem petat. Simili ratione in præcedenti cap. oſtendit modum perfectæ contritionis eliciendæ, ſi nimirum ex motivo charitatis Dei ſupra omnia elicitur, nec tamen propterea ad valorem Sacramenti neceſſariam dixit.

Confirmatur hæc reſponſio. Concilium in hoc cap. non volebat quidquam ſtatuere de dolore ad valorem Sacramenti neceſſario, cùm in præcedenti cap. ex inſtituto de illo egerit: nec tamen motivo univerſali ſubnixum requiſiverit, prout omnino requirere debuiſſet, ſi ad valorem Sacramenti neceſſarium duxiſſet: ſed tantùm intendebat convellere Hæreticos, impoſſibilitatem diſtinctæ Confeſſionis omnium peccatorum obiicientes; quibus proinde reſpondit, occulta peccata ſufficienter includi in illa accuſatione generica, quam fideles ex imitatione Prophetæ communiter ſubjungunt, dicentes, *de his, & omnibus aliis meis peccatis, quorum non recordor, dico meam culpam &c.* quæ formula etiam ſignificat, de his quoque dolorem dari, quam proinde conſuetudinem in pœnitentibus ut utilem, non tamen ut neceſſariam approbare voluit, ſicut cap. 3. in Confeſſariis approbavit formulam, abſolutioni ſubjungi ſolitam; *Paſſio Domini &c.*

54 Quintum fundamentum Adverſariorum eſt repetitio auctoritatis Tridentini, requirentis ad deletionem peccati originalis univerſale propoſitum ſervandi omnia præcepta, ex quo infertur, multò magis requiri ſimile propoſitum ad deletionem peccatorum perſonalium ac propriorum: quod proinde jam eſt virtualis illorum dolor.

Reſponderi poteſt 1. negando paritatem, quia enim per Baptiſmum homo primo ſe ſubiicit ſuavi jugo Chriſti, & Juriſdictionis intra Eccleſiam: ſicut primò profitetur Fidem Catholicam, ideo ſicut ex parte Miniſtri requiritur expreſſio SS. Trinitatis in forma Baptiſmi, non autem in forma abſolutionis, ſic ex parte ſuſcipientis Sacramentum Baptiſmi requiritur propoſitum univerſale, homagii loco, etiamſi ſufficiat deinde propoſitum particulare ſervandi ea præcepta, quorum violatio per Sacramentum pœnitentiæ remittitur, præſcindens à cæteris præceptis, & ſecluſum à poſitiva voluntate aliquod illorum violandi. Reſp. 2. ad formam Baptiſmi, & ad valorem pœnitentiæ ſufficere ejuſmodi propoſitum univerſale, quale in ſecunda reſponſione ad fundamentum primum declaratum eſt.

55 Sextum fundamentum Adverſariorum. Si Sacramentum pœnitentiæ ex defectu doloris univerſalis poſſe validum & informe, tunc forma abſolutionis reſpectu nullius effectus abſolutè verificaretur; nec enim gratia, nec character, nec quicquam aliud conferretur, ergo non poteſt validum & informale eſſe. Reſp. Aliud eſſe formam abſolutè verificari, & aliud abſolutè conferri effectum: ſic ſine ſufficienti dolore forma extremæ Unctionis abſolutè verificaretur, nullum tamen abſolutè conferret effectum: itaque nego ſuppoſitum antecedentis & conſequentiam. Quia ſi effectus abſolutè collatus non abſolutè ſignificatur à forma, non eſt neceſſe illum abſolutè conferri, modò abſolutè verificetur ſenſus formæ, ſuperiori quæſtione à nobis declaratus.

56 Septimum fundamentum poſſet erui ex ſequela abſurda, nempè, quòd ſi quis poſt validè ſed infructuosè ſuſceptum Sacramentum pœnitentiæ, moreretur, antequam ipſum reviviſceret, ſeu antequam removeretur obex per retractationem peccati mortalis occulti, talis damnaretur: & æternum puniretur propter peccata à Sacerdote tanquam Vicario Dei jam condonata: Atqui hoc eſt contra promiſſionem Chriſti: *quidquid ſolveritis ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis &c.* ergo &c. Reſp. primò retorquendo argumentum in Baptiſmum ab adulto in peccato mortali occulto, & non retractato, immediatè ante mortem ſuſceptum. Imo in ipſo caſu objectionis fateri debent Adverſarii, dictum pœnitentem ſalva promiſſione Chriſti, & percepta abſolutione, damnari ex defectu conditionis, quam ipſi ad valorem, nos ad fructum requirimus. Reſp. 2. diſtinguo Maj. talis damnaretur propter peccata jam condonata cauſaliter, quia, ut ſuprà diximus, verbum *Abſolvo* ſignificat condonationem, prout abſtrahit à formali, radicali, & cauſali concedo Maj. damnaretur propter peccata jam condonata formaliter nego Maj. quomodo autem non falſificetur promiſſio Chriſti, aut forma abſolutionis, etiam ſuprà jam oſtendi.

§. III.

Afferuntur, & admittuntur Fundamenta ſententiæ affirmantis.

SUMMARIUM.

57 *Probatur ſententia affirmans valorem Sacramenti ſine dolore Univerſali ex Trid.*

58 *Idem probatur ratione.*

59 *Sacramentum pœnitentiæ non tantùm validè, ſed etiam fructuosè ſuſcipi poteſt ſine dolore & propoſito univerſali, modò ſe extendat ad peccata venialia remittenda.*

EX datis reſponſionibus ad fundamenta Adverſariorum confirmabatur aſſertio noſtra primò negativè. 57
Probatur nunc ſecundò, poſitivè auctoritatem Tridentini nobis attribuentes. Concilium *cap.* 4. ex profeſſo declarans dolorem ad valorem Sacramenti requiſitum, ait, eum debere eſſe *de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero*: deinde etiam attritionem tanquam ſufficientem admittens: ejus motivum his verbis declarat: *Quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat* &c. Atqui in hoc gemino textu Concilium non diſtinguit inter dolorem ex motivo univerſali & particulari, nec inter turpitudinem generalem & ſpecialem, imò attritio communiùs ex conſideratione turpitudinis ſpecialis circa peccatum commiſſum à fidelibus concipitur, ergo neque nos debemus diſtinguere, quandoquidem utrumque promiſcuè admiſit, ut ſufficientem, & vel ob hanc ipſam cauſam cenſendum eſt non feciſſe diſcrimen inter dolorem ad valorem, & inter dolorem requiſitum ad fructum, quia tantùm volebat aſſignare partes requiſitas ad valorem, pro quo non erat opus diſtinctione. Vel ſi contendas Concilium uti debuiſſe diſtinctione, ſi alius dolor eſt neceſſarius ad valorem, & alius ad fructum. Dico, traditam eſſe diſtinctionem *in* 4. & 5. *cap.* eò quòd in priori aſsignaverit dolorem requiſitum ad eſſentiam Sacramenti, in poſteriori autem requiſitum ad fructum: ut oſtendi in reſponſione ad quartum fundamentum Adverſariorum, ſi nimirum ſe extendat ad peccata occulta. 58

Probatur. Noſtra ſententia. 3. hac ratione: Poſt vulgationem Tridentini ſententia contraria eſt adhuc valde incerta, quia, ut allegavi, plures habet hoſtes, quàm Patronos: ergo multò magis fuit incerta uſque ad vulgationem Tridentini, cùm ante Vaſq. ſecundùm citatum Dicaſtillo vix ullus eam docuerit. Deinde à pleriſque fidelibus ignoratur, nec à Catechiſtis, & Concionatoribus de hoc cõmuniter edocentur. Atqui non eſt credibile Sacramentum ſummè & ſæpiſſime neceſſarium ad evitandam æternam damnationem, fuiſſe à Chriſto quoad valorem alligatum conditioni tam incertæ, atque incognitæ, & in ordine ad fructum etiam recurrente memoria peccatorum occultorum nec particulari, nec univerſali attritione ſupplebili: ſed potiùs cenſendus eſt Chriſtus in inſtitutione Sacramenti cavare voluiſſe,

luiſſe, ne ipſum frequenter fieret penitus irritum (& juxta aliquos Adverſarios etiam tunc, quando dolor tantùm eſt ex motivo particulari in abſentia omnis alterius peccati mortalis occulti) quàm, ne fieret aliquando infructuoſum, & plerumque non omnino, ſed tantùm ad tempus, donec removeretur obex, ſeu defectus ſufficientis retractationis; hoc autem non caviſſet, ſi alligaſſet valorem Sacramenti dolori univerſali ergo &c..

Confirmatur dicta præſumptio ſive ſuppoſitio. Magis glorioſum eſt Chriſto, ſi plurimæ actiones ejus nomine præſtitæ, ſeu abſolutiones Sacramentales non ſint penitus nullæ, ac irritæ, & ut ſine defectu Sacramenti, ſolùm ab extrinſeco propter obicem impediantur ab effectu ſtatim obtinendo, quem tamen probabiliter obtinebunt aliquando, quomodo conſtat, cætera Sacramenta tranſeuntia fuiſſe à Chriſto inſtituta. Præterea fidelibus magis eſt utile, ſi non omnino priventur copioſo augmento gratiæ, ſed ſolùm uſque dum remoto obice Sacramentum reviviſcat, ab ejus conſecutione retardentur: niſi non ampliùs obligentur ad ſubeundum onus Confeſſionis, niſi eorum peccatorum, quorum in priori confeſſione valida, ſed informi obliti ſunt: ac denique, ſi neque Confeſſarii, neque Pœnitentes exponantur multis ſcrupulis in ordine ad dandam, vel accipiendam abſolutionem, ſublato metu de inſufficientia doloris, ergo meritò ſupponitur Chriſtus, talem ſolummodo dolorem ad eſſentiam Sacramenti requiſiviſſe, ex cujus ſufficientia Chriſto major gloria, minor ob nullitatem Sacramenti irreverentia, & fidelibus major utilitas enaſcitur.

59 Quod dictum eſt de ſufficentia doloris extendentis ſe tantùm ad peccata mortalia memoriæ occurrentia, multò magis eſt indubitatum de ſufficientia doloris non extendentis ſe ad omnia peccata venialia occulta, imò etiam non occulta: cùm enim unum veniale poſſit dimitti ſine alio, ſufficit, ſi dolor ſe extendat ad id, vel ad ea, quæ per abſolutionem dimittuntur, etſi quoad illa detur propoſitum non iterandi. Nam ſi requireretur dolor, vel propoſitum extendens ſe ad omnia peccata venialia, propter nimiam ejus difficultatem, & fragilitatem humanam Sacramentum exponeretur frequentiſſimo periculo nullitatis ſine neceſſitate, hoc ipſo, quòd mortalia peccata ſine venialibus, & ex his unum ſine altero, dimitti queant. Et licèt Tridentinum univerſaliter requirat propoſitum non peccandi de cætero, intelligendum eſt juxta ſubjectam materiam; quia enim ſola mortalia ſunt materia neceſſaria pœnitentiæ, incompoſſibilia cum gratia, quæ per Sacramentum confertur, ideo ſufficit, dolorem ſe extendere ad omnia mortalia cognita, nondum dimiſſa, ne ſcienter ponatur obex gratiæ ob defectum retractationis, & dari propoſitum non committendi peccatum excluſivum gratiæ, quam quis vult per Sacramentum pœnitentiæ conſequi: quoad venialia verò ſufficit dolor & propoſitum non iterandi ea, quorum veniam abſolutio concedit, quæ diſpoſitio meritò, nec tamen ultra humanæ fragilitatis vires exigitur.

***

QUÆSTIO IV.

De Confeſſione, tanquam materia particulari Pœnitentiæ.

ARTICULUS I.

De Conditionibus ritè inſtituendæ Confeſſionis.

SUMMARIUM.

60 *Quale ſit peccatum, quando factum in Confeſſione falsò negatur.*

61 *Et quale peccatum, ſi non factum affirmatur.*

62 *An illicita ſit publica Confeſſio peccatorum.*

63 *An Confeſſio extra neceſſitatem poſſit fieri per nutus, vel ſcripturam ſine accuſatione.*

64 *Invalida eſt Confeſſio ſine integritate formali, ſcil. omnium peccatorum mortalium, memoriæ occurrentium, nec aliunde excuſatorum.*

ETſi ex ſupplemento S. Thomæ *quæſt. 9. art. 4.* à DD. omnino ſedecim conditiones, ab aliquibus verò adhuc pro confeſſione ritè peragenda enumerentur, 60
pleræque tamen vel ſolùm ad pœnitentiam, ut virtus eſt, imperans confeſſionem externam, vel non ſub obligatione neceſſariæ ſunt. Ad confeſſionem Sacramentalem ſolummodo ferè ſpectat 1. Ut ſit *Fidelis*, ſeu *Verax*; quamvis; ſi quod mendacium in illa committitur, non ſit propterea ſtatim peccatum mortale, aut grave Sacrilegium; ſed diſtinguendum eſt, an mendacium ſit circa materiam pertinentem ad Confeſſionem, vel non pertinentem, ſi enim ſit circa impertinentem, hoc ipſo non decipitur per illud Judex, quà talis, adeoque non contrahit ſpecialem malitiam à mendacio extra confeſſionem diverſam, ſaltem non gravem. Si autem ſit circa materiam pertinentem, id eſt, talem, quæ ſit objectum judicii, iterum diſtinguendum eſt, an ſit materia neceſſaria, ut ſunt peccata mortalia, nunquam expoſita, vel an ſit materia non neceſſaria, cujuſmodi ſunt peccata venialia, vel mortalia jam aliquando ſubjecta clavibus, & juxta multos circumſtantiæ ſolummodò aggravantes: itaque mendacium circa materiam neceſſariam, quando factum falsò negatur, per ſe loquendo iterum nullam ſuperaddit malitiam gravem mendacio extrajudiciali, modò illius negatione non mutetur judicium de materia neceſſaria, neque ipſa materia neceſſaria factum quoad ſubſtantiam, vel quoad circumſtantiam, continentem malitiam mortalem, falsò negatur, ex dicendis reddetur indubitatum, ob defectum integritatis mendacium eſſe mortale.

Major ratio dubitandi eſt in affirmatione facti, ſive venialis, ſive mortalis, quod factum non eſt: quia
adhibere materiam totaliter, vel tantùm partialiter 61
ineptam, ſi per admixtionem non fiat apta, uti aqua ſit apta ad conſecrationem per modicam admixtionem cum vino, ſemper eſſet peccatum mortale, & ideo apud Suarez *loc. cit.* Paludanus, Cajet. Ledeſma, Armilla exiſtimant eſſe mortale, affirmare peccatum veniale, quod factum non eſt, quia circa illud forma falſificatur, & fruſtratur ſuo effectu. Communis tamen & vera ſententia ait, mendacio affirmativo peccati venialis ſolummodo ſuperaddi malitiam peccati venialis, affirmativo autem peccati mortalis ſuperaddi malitiam Sacrilegii mortalis. Ratio prioris partis eſt, quia licèt ſi nulla alia materia pro abſolutione afferretur, quàm peccatum veniale falſum, peccatum illud eſſet mortale, eò quòd Sacramentum penitus reciperetur invalidè, ſi tamen ſolummodo admiſceatur materia inepta, vel dubia, (qualem in aliis Sacramentis admiſcere etiam prohibitum eſt) aut nullum committitur peccatum, utpote in meris imperfectionibus, ac peccatis dubiis, quæ licitè in confeſſione proponuntur, aut juxta parvitatem materiæ ſolùm committitur peccatum leve, ut conſtat ex Confeſſione peccato-

catorum venialium, ad quæ dolor ſe non extendebat, vel ante abſolutionem retractabatur, in quo caſu juxta communem ſententiam tantùm peccatur venialiter, etiamſi peccatum non retractatum tam ſit materia, quàm peccatum nunquam exiſtens: cùm enim in hoc Sacramento facilè contingere poſſit, ut ex fragilitate humana admiſceatur levis materia, ob defectum doloris incapax abſolutionis, ideo expediebat talem admixtionem tantùm leviter prohiberi, adeoque abſolutè dari parvitatem materię quoad partialem fruſtrationem abſolutionis: & conſequenter, ſi etiam aliunde ex defectu veracitatis ſimiliter detur levis fruſtratio, illa quoque ſit venialis.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia illa materia, quæ ſi falsò negaretur, eſſet gravis deceptio Judicis, eadem ſi falsò affirmaretur, eſſet ſimiliter gravis deceptio Judicis: ſed peccatum mortale eſt talis materia, ergo &c. Subſumo. Atqui gravis deceptio Judicis, qua talis, non poteſt non eſſe gravis irreverentia Sacramenti, quod adminiſtratur per modum judicii, ergo ſi falsò affirmatur peccatum mortale in confeſſione, peccatur mortaliter, non quidem ratione infamationis, aut propriæ damnificationis, ſed ratione Sacramenti cum gravi irreverentia, adeoque etiam invalidè ſuſcepti.

Ulterior ratio utriuſque partis eſt, quia incapacitas materiæ partialis non falſificat formam abſolutionis, ut ex tradita illius explicatione patet, cùm Sacerdos per illam ſolummodo affirmet ſuam voluntatem, ut DEUS pœnitenti conferat gratiam, non obſtantibus peccatis, reſpectu quorum ad illam recipiendam pœnitens eſt ſufficienter diſpoſitus (ex quo patet diſparitas cum appoſitione parvæ hoſtiæ avenaceæ ad conſecrationem ſimultaneam cum pane triticeo, in quo caſu hoſtia immediatè falſificans formam jam eſſet materia peccati formaliter gravis) ergo mendacio affirmativo peccati falſi in tantum ſuperadditur malitia Sacrilegii, in quantum eſt deceptio Judicis, qua talis, ſeu in materia pertinente ad judicium: ergo prout eſt gravis, vel levis deceptio, eſt grave, vel leve Sacrilegium.

62 Secundò requiritur ad confeſſionem, ut ſit *Secreta*: ſicut tamen Tannerus *diſp. 6. quæſt. 7. n. 24.* rectè impugnat Gabrielem, Scotum, Angelum hanc conditionem aſſerentes neceſſariam neceſſitate Sacramenti, quaſi ſine illa non eſſet validum Sacramentum, ſic non rectè videtur à Tannero aſſeri, eſſe ordinariè neceſſariam neceſſitate præcepti, ex eo capite, quòd non liceat ſeipſum infamare, & Sacramentum inde ſit reddendum exoſum: per ſe loquendo enim utraque ratio eſt falſa; tantùm enim non licet ſeipſum infamare, quando ex eo damnum, vel ſcandalum alteri oriretur, & Sacramentum redderetur exoſum, ſi etiam à nolente deberet inſtitui publica confeſſio peccatorum occultorum, quod proinde Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 5.* ait, nec à Chriſto præceptum eſſe, nec expedire, ut ab Eccleſia præcipiatur; non tamen improbat, ſed potiùs expreſsè permittit, ut quis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem ſecluſo ſcandalo peccata ſua publicè confiteri poſſit. Itaque hæc conditio tantùm requiritur propter majorem conformitatem cùm recepta conſuetudine Eccleſiæ, nullam inducente obligationem gravem ſecluſo Scandalo, quod ex peccatis occultis & gravibus facilè eveniret, imò nec levem, rationabili cauſa interveniente, teſte Suarez *diſp. 21. ſect. 2. num. 12.*

63 Tertiò ſecluſa gravi cauſa, aut neceſſitate, ſuadente contrarium (qualis etiam conceditur eſſe difficultas loquendi ob defectum reſpirationis, aut extraordinaria verecundia) confeſſio exigitur vocalis, nec licet per nutus aut exhibitam Scripturam, quantumvis nutibus à præſente approbatam confeſſionem inſtituere, ut partim colligitur ex Florentino, pro partiali materia pœnitentiæ aſſignante Confeſſionem Oris, quæ particula ſaltem eſt alluſio ad obligationem per ſe loquendo oretenus confitendi peccata: partim *ex cap. Quem pœnitet in princip. de Pœnit. diſt. 1.* partim ex conſuetudine vim Legis continente, ut cum S. Thoma *Quodlibeto 1. art. 10. & in Supplem. quæſt. 9. art. 3.* docent Alenſis, Richardus, Palud. Major. Adri Medina, uterque Sotus, Canus, Valentia, quos refert & ſequitur Tannerus *num. 28.* Suarez, *diſp. 21. ſect. 3.* Vaſq. *quæſt 91. art. 4. dub. 4. n. 7.* Lugo *diſp. 15. n. 86.* Dicaſtillo *diſp. 8. n. 4.* & alii communiter; qui duo poſtremi tamen dubitant, an obligatio ſit ſub mortali, & solùm propter auctoritatem DD. tam gravem affirmant, illamque rurſum mitigat Lugo *n. 80.* oſtendens, quòd ſicut ſi Confeſſario peccata pœnitentis aliunde ſunt nota, vel priùs per Confeſſionem invalidam propoſita, & in Confeſſarii memoria hærentia, jam ſufficit, ſi pœnitens in genere dicat, quòd de illis ſe accuſet, ſic etiam ſufficiat, ſi hoc ipſum oretenus, & non per ſolos nutus dicat, poſtquam Confeſſarius ex ſcripto ſpeciem & numerum peccatorum recognovit; quamvis ſecundùm cit. Auctorem non ſufficeret, ſi pœnitens ante perlectum ſcriptum iſtud ſolummodo dixiſſet; quia ſic generica affirmatio peccatorum non eſſet ſufficiens declaratio eorum, reſpectu nondum habentis notitiam, ſed potiùs ipſa declaranda eſſet per lectionem; ſi autem lectio præceſſit, ipſa generica affirmatio eſt ſufficiens declaratio; quod ulteriùs confirmat Lugo alio ſimili caſu, quo ſcilicet non eſſet licitè confeſſio, ſi pœnitens præſenti Confeſſario, & poſt diſceſſum ſuum pro accipienda abſolutione rediturus, diceret, ego me accuſo de his, quæ internuncium aut per litteras ſignificabo, eſſet tamen licita, ſi abſenti per nuntium, vel litteras ſignificata delicta deinde præſens in genere affirmaret.

Quando enim S. Thomas *in 4. diſt. 17. q. 3. art. 4. q. 3. ad 1.* inquit. *Quòd ſicut in Baptiſmo non ſufficit, qualitercunque ablucre; ſed per elementum determinatum: ita nec in pœnitentia ſufficit, qualitercunque peccata manifeſtare: ſed oportet, quòd per actum determinatum manifeſtentur.* Actum autem determinatum immediatè antè dixerat: *quo maximè conſuevimus manifeſtare, ſcilicet per proprium Verbum.* Hinc S. Doctor non inſtituit omnimodam paritatem inter elementum determinatum Baptiſmi, & inter actum determinatum Pœnitentiæ: quia *in reſponſ. ad 2.* fatetur, in caſu neceſſitatis licitè & validè confeſſionem fieri per Scripturam, nutum, vel interpretem; & tamen elementum Baptiſmi neque in neceſſitate poteſt eſſe aliud, quàm aqua. Unde paritatem tantùm inſtituit in ordine ad licentiam; non autem in ordine ad valorem: ne quis ſcilicet ſine juſta cauſa aliter confiteatur, quàm vocaliter. In reſponſ. *ad 3.* autem negat quidem Cōfeſſionem etiam in neceſſitate poſſe fieri per Scripturam; ſed ibi loquitur de caſu neceſſitatis, quæ oritur ex abſentia Sacerdotis, cui invalidè fieret Confeſſio, non ratione Scripturæ; ſed ratione abſentiæ.

Quartò. Non tantùm ad licitam, ſed etiam ad validam confeſſionem ex Chriſti inſtitutione pertinet, ut ſit integra, integritate formali: nam materialis integritas ob lapſum memoriæ, & plures alias cauſas excuſantes ſępe non poteſt, vel non debet neceſſariò dari. Hęc autem conditio, & quid nomine integritatis formalis intelligatur, declaratur à Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 4.* his verbis: *Ex inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ jam explicata univerſa Eccleſia ſemper intellexit inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure Divino neceſſariam exiſtere: quia Dominus noſter IESVS Chriſtus è terris aſcenſurus ad cælos Sacerdotes ſuiipſius Vicarios reliquit, tanquam Præſides, & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint, quo pro poteſtate clavium remiſſionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronuntient; conſtat enim Sacerdotes judicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere duntaxat, & non potius in ſpecie ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent. Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint &c.* Deinde poſt intervallum ulteriùs inquit Tridentinum. *Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Chriſti fideles confiteri ſtudent, procul dubio omnia Divinæ miſericordiæ agnoſcenda exponunt, qui verò ſecus faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil Divinæ Bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.* Quibus verbis declarat Concilium nullitatem Sacramenti, niſi omnia, 64

nia, quæ memoriæ occurrunt, vel quæ ob aliam juſtam cauſam poſtea explicandam excuſantur, Chriſti fideles confiteri ſtudeant.

Ratio ſub hac conditione eſſentiali inſtituendi Sacramentum eſt, quia unum mortale DEUS noluit directè remitti ſine altero, ſi etiam ipſum poſſit directè remitti, ut autem peccatum per ſententiam Judicis directè remittatur, neceſſe eſt, illud priùs agnoſci, ergo neceſſe eſt omnia cognoſci. Prima pars antecedentis patet tum ex fine Sacramenti pœnitentiæ, quòd propterea inſtitutum eſt, ut homo totaliter à Sacerdote tanquam à Judice peccatis ſuis per ſententiam abſolutionis exſolveretur, tum ex paritate indicata à S. Thoma 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 3. *art.* 4. *quæſtiunc.* 2. per comparationem peccatoris cum ægroto, qui non tantùm unum morbum, ſed omnes ſimul debet manifeſtare Medico, ut omnibus medicinam accommodet, præſertim, quando unus ſine altero curari non poteſt, ſicut non poteſt remitti unum peccatum mortale ſine altero.

ARTICULUS II.

De integritate materiali Confeſſionis.

EX dictis præcedenti art. patet, integritatem materialem Confeſſionis conſiſtere in diſtincta expreſſione eorum, ſine quibus non poteſt conſiſtere confeſſio omnium peccatorum mortalium, antehac nunquam expoſitorum, integritatem formalem verò excipere ea, quæ poſt diligentem ſui diſcuſſionem memoriæ non occurrunt, vel ob aliam cauſam excuſantem, deinde diſcutiendam, licitè reticeri poſſunt; nunc itaque ulteriùs per aliquot paragraphos declarabimus, quæ ad dictam integritatem materialem pertinent.

§. I.

An ad integritatem Confeſſionis pertineat effectus actus externi peccaminoſi.

SUMMARIUM.

65 *Certum eſt, non ſolos actus internos, ſed etiam externos ratione malitiæ objectivæ, & dependentiæ ab internis habere verè rationem peccati, & eſſe in Confeſſione explicandos.*

66 *Refertur Sententia negantium, effectum actus externi peccaminoſi in Confeſſione exponendum eſſe.*

67 *Præfertur Sententia affirmans, & probatur.*

68 *Si autem effectus, antequam poneretur, deſiit eſſe habitualiter Voluntarius, tunc non eſt quidem in Confeſſione exponendus, ſed neque participat rationem peccati. Deſinit verò eſſe habitualiter Voluntarius per retractationem, & per mortem ejus, qui liberò poſuit cauſam.*

69 *Ulteriùs probatur affirmativa ſententia.*

70 *Reſpondetur ad oppoſitas ſequelas.*

71 *Effectus poteſt præcedente retractatione deſinere eſſe Voluntarius, ac peccaminoſus, & tamen complere obligationem ſubeundi cenſuram, ac reſervationem peccati, à quo cauſatus eſt.*

72 *Probabile tamen eſt, poſita priùs retractatione non incurri cenſuram, & conſequenter neque reſervationem peccati, à Cenſura dependentem.*

74 *Quòd ſi tamen Reſervatio peccati eſſet per ſe ſtans, ac independens à cenſura, poſſet nihilominus reſervatio præveniri, poſita Confeſſione ante ſubſecutum effectum.*

65 ETſi ſupponatur, actum externum, imperatum ab interno, ſua malitia objectiva per ſe, & formaliter, ratione ſui, non augere punibilitatem peccatoris apud DEUM, omnes tamen fatentur, eum ſpectare ad integritatem confeſſionis, nec ſatis eſſe, ſi lethalis percuſſor alterius dicat: *Habui voluntatem alium lethaliter vulnerandi*; ſed debere dicere, *lethaliter alterum vulneravi*. Quia actus externus verè participat eſſentiam peccati à S. Auguſtino, communiter recepto, his verbis expreſſam: *Dictum, factum, vel concupitum contra legem DEI*: eò quòd actus internus peccaminoſus, in quantum eſt libera illius determinatio, transfundat malitiam moralem in actum externum, ſicut actus internus honeſtus transfundit ſuam bonitatem moralem; unde per elargitionem eleemoſynæ dicimur mereri, & per injuſtam ablationem rei alienæ demereri. Controverſia tamen eſt inter Auctores, an præter explicationem actus imperati, quocum ſignificatur etiam actus imperans, ratione transfuſæ malitiæ moralis præterea exprimendus ſit effectus pernicioſus, præſertim quando ille directè intentus, vel ſaltem probabiliter fuit prævisus, v.g. an ex gravi vulneratione, vel ex propinato veneno, ſecuta morte, confitens exponere debeat ſecutam mortem, vel an ſufficiat dicere, lethaliter vulneravi, propinavi lethale venenum, diſſimulando, an mors revera evenerit; vel an arte chirurgorum, aut Medicorum fuerit propulſata.

Negativam, quòd non ſit obligatio exprimendi effe- 66
ctum, niſi ratione illius ipſa appoſitio cauſæ ſit peccatum reſervatum, aut cenſuræ Eccleſiaſticæ ſubjectum, ut probabiliorem defendunt Suarez, Vaſq. Granad. Azor, Gaſp. Hurtad. Curiel. Joan. Sanchez, Card. de Lugo, ex quo citatos refert, & ſequitur Dicaſtillo *diſp.* 9. *num.* 19. addens etiam Dianam: 1. *part. tract.* 7. *reſolut.* 64. & 3. *part. tract.* 4. *reſolut.* 67. ſed utrobique hanc ſententiam tantùm affirmat probabilem, & priori loco oppoſitam vocat communem. Palao 1. *part. tract.* 2. *diſp.* 1. *punct.* 3. etiam enumerat Covarruviam, & Sayr. his Tannerus *diſp.* 4. *tom.* 2. *quæſt.* 4. *dub.* 3. *n.* 29. adjungit Alenſem, Richard. Maj. Adri. Zumel. Præcipuum horum fundamentum eſt; illud non oportet in confeſſione explicare, quod non eſt peccatum, ſed effectus, qui ſæpe poſt externam appoſitionem cauſę inimpedibiliter ſequitur, dum peccator dormit, vel aliud egit, vel dum forſan interea jam per confeſſionem, aut contritionem eſt juſtificatus, vel omnino mortuus, non eſt peccatum; quia illum nequit denominare peccatorem, qui dum ponitur effectus, nihil agit, neque impedire ampliùs poteſt effectum: ergo non oportet effectum in confeſſione explicare.

Secundum fundamentum deſumitur ex ſequelis abſurdis, quòd ſcilicet ex oppoſita obligatione ſequatur, eum, qui propinationem veneni jam confeſſus eſt, poſtea primùm morte ſubſecuta hanc ipſam teneatur confiteri, & quod Sacerdos Breviarium in aquas proiiciens, ac prævidens ſibi toto anno impoſſibile fore, acquirere, & recitare breviarium ſingulis diebus, ſubeat novam obligationem confitendi intermiſſionem Breviarii, nec poſſit aliter quotidie celebrare miſſam.

Affirmativam Sententiam mihique probabiliorem 67
tenet S. Thomas *quæſt.* 2. *de Malo art.* 1. *ad* 11. & 2. 2. *quæſt.* 79. *art.* 3. *ad* 3. & *quæſt.* 150. *art.* 4. *in Corp.* quem teſte Vaſq. recentiores Thomiſtæ communiter ſequuntur. Tannerus *loc. cit.* referens Medinam, Valent. Cordub. Gabrielem Sotum, quibus accedit Palao *loc. cit.* adducens Sotum, Thom. Sanchez *to.* 3. *de Matrim. libr.* 9. *diſp.* 45. *à num.* 28. Henriq. Villalobos, Salas, qui *tract.* 13. *diſp.* 2. *ſect.* 9. *num.* 109. allegat innumeros. Ratio potiſſima, & reverſio fundamenti ab Adverſariis aſſumpti eſt, ſi actus internus transfundit denominationem peccati, ſeu malitiæ moralis, non tantùm in actum externum, immediatè à ſe procedentem, ſeu in cauſam, ex qua oritur effectus, ſed etiam in ipſum effectum, tunc etiam iſte eſt in confeſſione explicandus: ſed transfundit, ergo &c. Prob. min. ut in effectum transfundatur malitia mortalis. Fruſtra & ſine aſſignabili neceſſitate requiritur, ut ſit impedibilis poſita cauſa, ſed ſufficit, quòd cauſa ſit liberè poſita, & ab actu interno liberè determinante cauſam, etiam effectus denominetur liberè poſitus, libertate moraliter ſeu habitualiter perſeverante, quemadmodum, qui per procuratorem contrahit Matrimonium, etiam dormiens liberè dicitur contrahere Matrimonium, etiamſi tunc non poſſit impedire contractum, & circa illum tunc nihil phyſicè agat. Atqui quando actus internus liberè determinans cauſam ante poſitionem effectûs nullo alio actu interno eſt retractatus, jam etiam effe-

effectus denominatur liberè poſitus libertate moraliter, ſeu habitualiter perſeverante, ergo &c.

68 Ex hoc argumento patet reſponſio ad præcipuum fundamentum Adverſariorum, negando min. niſi, ut de facto ante omnem juſtificationem fieri ſolet, interveniat retractatio actus interni præteriti, vel mors peccatoris, tollens capacitatem accipiendæ denominationis ab effectu ſubſequente, quò minùs homo poſſit per illud denominari adhuc moraliter peccans, ſicut non poteſt dici moraliter perſeverans in actu liberè determinante; unde alterutro horum interveniente etiam contractus matrimonialis à procuratore initus non diceretur ampliùs principalis voluntarius, ac liber, adeoque nec validus, ut Adverſarii quoque fatentur.

Licèt autem hanc reſponſionem Dicaſt. *diſp. 9. num. 22.* frigidam dicat, eò quòd à libertate actus interni præterita, & non coexiſtente effectui, iſte tam parùm poſſit dici liber, quàm parùm ſubjectum poſſit dici calidum à calore præterito: Ajo tamen, reſponſionem non eſſe frigidam, cùm Dicaſtillo debeat in retorſione inſtantiæ de Matrimonio per procuratorem inito fateri, libertatem præteritam, qua Procuratori datum eſt Mandatum contrahendi, ſecluſa retractatione ſufficere ad tribuendam denominationem liberi contractus. Ratio diſparitatis cum calore nimis eſt manifeſta, quia iſte non tribuit denominationem, niſi phyſicè exiſtens, cùm eſſe calidum ſit verè denominatio phyſica: denominatio autem liberi, voluntarii &c. etiam verificatur in ſenſu morali per formam habitualiter perſeverantem, ſicut inſtitutio ſigni, conceſſio privilegii, obligatio Legis, intentio ſuſcipiendi Sacramentum adhuc diditur moraliter perſeverare in ordine ad tribuendam denominationem ſubjecto capaci, etiam poſtquam actus voluntatis pridem præteriit, modò nunquam fuerit retractatus.

Eadem opera reſponſum jam eſt ad 2. argumentum, negando omnes ſequelas, quia per contritionem, & pœnitentiam Sacramentalem, incluſivam contritionis vel doloris, retractatur actus internus, & affectus ex libera appoſitione cauſæ inimpedibiliter conſequens tunc, quando libertas non tantùm phyſicè, ſed etiam moraliter deſit perſeverare, nequit accipere denominationem malitiæ moralis ſeu peccati.

Quod ſi dicant Adverſarii, per ipſam retractationem nihil immutari, quò minùs actus præteritus perinde influat, & determinet ad exiſtentiam cauſæ, & hæc ad exiſtentiam effectus, ac ſi retractatio non eſſet poſita, adeoque effectum vel adhuc participare malitiam moralem, ſeu rationem peccati, vel etiam non participaturum fuiſſe, etiamſi retractatio non interveniſſet. Reſp. per retractationem, non quidem immutari efficaciam influxus, tolli tamen voluntarietatem, & imputabilitatem effectus in ratione peccati, ob quam cauſam ipſe Dicaſtillo *num. 42.* fatetur, non eſſe improbabile, quòd ſi ratione effectus ſubſecuti aliàs incurreretur cenſura, per præviam retractationem eadem impediatur, de quo paulò poſt videbimus. Deinde iterum retorqueo argumentum in Matrimonio, quòd Adverſarii fateri debent invalidè celebratum iri, ſi principalis contrahens procuratorem inhibere ampliùs non potuiſſet, ſed tamen priùs mandatum retractaſſet, quàm Procurator illud exequeretur; quia licèt iſta executio eodem modo fuerit poſita, deſiit tamen priùs eſſe voluntaria, adeoque amiſit vim obligandi.

69 Secundum fundamentum noſtræ ſententiæ fundari poteſt in paritate inter actum externum immediatè imperatum, & inter ipſum effectum præintentum, aut prævisum, qua m Adverſarii non ſufficienter ſolvunt; malitia enim objectiva, ut cum Card de Lugo fatetur Dicaſt. *num.* 33. & expreſsè tradit S. Thomas *loc. cit.* & 1. 2. *quæſt.* 20. *art.* 5. & *quæſt.* 73. *art.* 8. non magis reſidet in actu externo cauſante effectum, quàm in ipſo effectu; imò potiùs poſitio cauſæ v. g. propinatio veneni, procuratio pollutionis habet ſuam malitiam objectivam ab effectu. Unde hìc locum habet illud, *propter quod unumquodque tale, illud magis tale*, ergo in ordine ad denominationem peccati ſufficit, ſi ab actu interno præterito, & non retractato, accedat denominatio moraliter voluntarii, ac liberi, ut peccatori imputari poſſit, perinde ac ſi phyſicè, immediatè, & actualiter in illud influeret, ut adeoque ex negatione Phyſici, immediati, & actualis influxus inſufficiens diſparitas aſſignetur inter cauſam externam & effectum, quoad denominationem peccati.

Ex hoc fundamento obiter etiam deduco contra Dicaſt. *num.* 33. rectè dici, ideo cauſam externam & effectum illius in Confeſſione exprimendum eſſe, quia uterque continet malitiam aliquam objectivam, ſive malitia mortalis actus humani quoad præmiabilitatem, & punibilitatem menſuretur adæquatè à ſolo actu interno, ſive non; ſi enim in effectu nulla daretur malitia objectiva, non eſſet capax accipiendi ab actu interno denominationem peccati, ſeu mali mortalis externi: hinc quando ex fornicatione naſcitur filius, non perinde in Confeſſione eſt explicandum, hominem natum eſſe, ſicut tamen explicandum, quando ex propinatione veneni mortuus eſt homo, malitia enim fornicationis conſummatur per ſeminationem fornicariam, eò quòd natura non deteſtetur generationem hominis, deteſtatur autem occaſionem, niſi ea per juſtam cauſam verbi gratia moderamen inculpatæ tutelæ, aut legitimam punitionem excuſetur.

Obiicitur Adverſarii primò, vel potiùs datam reſponſionem ad ſua fundamenta urgent. Si effectus non poſita priùs retractatione habet rationem peccati, poſita verò retractatione non habet. Sequitur 1. quòd ſi effectus v. g. mors ſtatim intra eandem horam poſt liberè appoſitam cauſam oriretur, modò priùs poneretur retractatio, is peccati rationem, & obligationem exprimendi illum in confeſſione non contraheret: conſequens, inquit Lugo (*addens ni fallor*) non concedunt auctores ſecundæ ſententiæ ergo &c. Secundò. Sequitur, quòd poſita retractatione, effectus non tantùm non deberet, ſed neque licitè poſſet in Confeſſione exprimi, utpote non ampliùs habens rationem aptæ materiæ. Tertiò: quòd non tantùm retractatio juſtificativa, & ſupernaturalis, ſed etiam non juſtificativa, & naturalis, imò etiam venialiter peccaminoſa ſufficeret ad impediendam transfuſionem malitiæ moralis ſeu peccati in effectum inimpedibiliter ſubſecutum. 70

Reſp. Ad primam ſequelam, illam omnino concedendo, & propterea rectè dixit Lugo *num.* 443. *ni fallor*. Dicaſtillo autem *n.* 27. non rectè hanc ſui correctionem omiſit. Quoad ſecundam ſequelam, miror eam ab Adverſariis contra nos inferri; cùm eodem jure poſſit ipſis ſemper obiici, utpote qui concedunt, effectum nunquam habere rationem peccati, & tamen Lugo *num.* 460. loquitur: *Adverto ultimò cùm P. Vaſq. regulariter expedire, quòd effectus conſecuti dicantur; atque ideo non eſſe pænitentes impediendos, ſed relinquendo in hoc uſu; quia hoc modo explicatur meliùs malitia actus præcedentis, & intelligitur meliùs ſtatus pænitentis, & an habeat obligationem aliquam reſtituendi, vel incurrerit cenſuram, aut caſum reſervatum: & quæ remedia ei oporteat applicare*. Quòd ſi ergo ipſe adverſarius enarrat tam multiplicem utilitatem, quare non liceat effectum in Confeſſione exprimere, cùm etiam imperfectiones, & multa alia in Confeſſione exprimantur, quæ non ſunt apta materia, & quam neque Confeſſarius per abſolutionem intendit remittere &c.

Ad tertiam ſequelam Reſp. Cùm retractatio actus interni non requiratur, ut deletiva offenſæ habitualis, ſed ut deſtructiva habitualiter voluntarii, iterum ſine abſurdo eam concedi. Si enim effectus ſecundùm Adverſarios nunquam habet rationem peccati, non eſt abſurdum, ſi fateamur, ſaltem non habere tunc, quando forma denominans neque phyſicè, neque moraliter perſeverat ſub ratione habitualiter voluntarii, vel ſi Adverſarii ponant talem retractationem in ſua objectione, quam putant, non ſufficere ad deſtruendam habitualem voluntarietatem, tunc ipſi enervant ſuum argumemtum.

Urgebis: ſi poſt meam retractationem propinati veneni, vel incuſſionem vulneris lethalis alter moriatur, ergo adhuc denominabor homicida, ergo retractatio non ſufficit ad impediendum peccatum homicidii. Reſp. hoc ipſis Adverſariis incumbere ſolvendum, utpote qui

qui fatentur ab affectu ſecuto non habente rationem peccati, compleri tamen peccatum actus externi ſub denominatione homicidii, aliud ergo eſt, retractationē non ſufficere ad impediendam denominationem peccati homicidii: eò quòd ratio peccati conſiſtat in externa appoſitione cauſæ, & denominatio homicidii compleatur per ſupperadditum effectum, & aliud, retractationem non ſufficere, ut ipſe effectus non accipiat denominationem peccati, ut adeoque tunc denominatio homicidii tantùm includat unum, non duplex peccatum externum.

71 Obiicit ſecundò Card. de Lugo *n.* 445. & Dicaſt. *n.* 30. Etiamſi poſita ſit retractatio actus interni, ſi tamen effectus poſtea eſt ſubſecutus, ſecundùm communem omniū ferè ſententiam, adhuc incurritur irregularitas, vel cenſura, quando is ſub tali pœna ab Eccleſia eſt prohibitus, vel etiam, ut Lugo *num.* 453. & Dicaſt. *num.* 42. indicat, adhuc incurritur reſervatio caſus, quando ea ſub conditione ſecuti effectus eſt impoſita: ergo retractatio non impedit, quò minùs effectus denominetur voluntarius, ac liber. Reſp. Tranſeat antec. nego conſequentiam: quia ſicut Adverſarii fatentur, eaſdem pœnas incurri, etiamſi effectus non habeat rationem peccati, modò ex peccatis ſecutus ſit, eò quòd Judex in deteſtationem effectus damnoſi communitati ipſum peccatum tali pœna afficiat; & ſi effectus non ſit ſecutus, non afficiat tali pœna, prout contingit etiam in alterius injuſta læſione, ex qua ſive retractetur, ſive non retractetur, oritur obligatio reſtituendi, ſi quod damnnm ſecutum eſt, non autem, ſi nullum ſecutum eſt: ita eodem jure dicere poſſumus, prædictas pœnas incurri, ſive effectus ſubſequens ſit peccatum, & moraliter voluntarius, ſive non ſit peccatum, & neque moraliter voluntarius in ſe, ſed tantùm in ſua cauſa, id eſt, ut ipſa cauſa ſit voluntariè poſita cum prævisione effectus.

72 Dixi tamen tranſeat antec. Quia quoad cenſuras, ſeu pœnas ſtatutas propter contumaciam, negat antec. Palao *diſp.* 1. *de Cenſ. punct.* 7. *num.* 15. referens Innocent. Steph. Avilam, Gaſp. Hurtad. quam ſententiam priùs tradidit cit. Palao *part.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 1. *punct.* 3. *num.* 2. adducens Tabienam, Joan. Andream, & Gloſſam *in cap. Cùm. quis de Sentent. excomm. in* 6. quibus adde Henriq. Fagund. Oliverium, Mazuchellum, quos refert & ſequitur Diana *Parte* 8. *tract.* 7. *reſol.* 85. Unde neſcio, an in objectione rectè dictum ſit, *ſecundùm Omnium ferè ſententiam:* & ipſe Dicaſt. ut ſuprà monui, ſententiam, quæ negat, eum ſubiici cenſuris, qui ante effectum priùs retractavit ſitum actum internum, fatetur probabilem: ex qua ulteriùs ſequitur, quòd quando reſervatio peccati inſeparabiliter eſt annexa cenſuris (uti reſpectu ſummi Pontificis nullum peccatum eſt reſervatum, ſine cenſura reſervata) tunc ſi non incurritur cenſura, hoc ipſo non incurritur reſervatio peccati.

73 Imò Raph. Averſa, quem refert, nec improbat Diana *loc. cit.* exiſtimat, quòd etſi reſervatio peccati non ſit annexa cenſuræ reſervatæ, ſed ſit independenter à tali connexione reſervatum, poſita retractatione actus interni qualiscunque ante exiſtentiam effectus, propter quem peccatum aliàs reſervaretur, hoc ipſo impediatur reſervatio peccati, quia hæc cadit immediatè in ipſum effectum, ut peccatum eſt, & non in cauſam ratione effectus non participantis malitiam moralem. Et certè, inquit cit. Auctor, dici non poteſt, quòd ſi quis confiteatur ſuum peccatum v. g. propinationem veneni, antequam exiſtat effectus, adeoque antequam ponatur reſervatio peccati in illis locis, ubi homicidium eſt peccatum reſervatum, quòd inquam talis pœnitens jam directè abſolutus, poſita morte iterum teneatur confiteri, cùm tamen mors poſtea eveniens non ſit peccatum; ſed tantùm effectus peccati, & ipſum peccatum jam ſit directè dimiſſum, antequam inceperit eſſe reſervatum. Et ideo judico, & colligo ex Suarez. *diſp.* 22. *ſect.* 6. *num.* 2. *&* *ſect.* 7. *num.* 10. ſententiam Averſæ ſaltem in tantum eſſe probabilem ac veram, ut ſi non ſufficiat retractatio actus interni ſine Confeſſione ad impediendam reſervationem peccati, ſufficiat tamen cum Confeſſione, non quòd hæc requiratur ad tollendam denominationem voluntarii de effectum ſubſequente, ſed ad præveniendam obligationem confitendi peccatum alteri Judici, cui reſervaretur.

Quòd ſi verò effectus etiam ſubjaceret cenſuræ, & ſi hæc non impediretur per retractationem, vel etiam per Confeſſionem, uti Averſa conceſſit non impediri, ex ejuſdem auctoris ſententia tamen infero, ſubſequente cenſura per poſitionem effectus non redire obligationem Confeſſionis Sacramentalis, ut in ſimili docet Suarez *cit. ſect.* 7. *num.* 1. ſed tantùm non Sacramentalis in ordine ad impetrandam abſolutionem à cenſura, quam abſolutionem Judex inferens cenſuram pro plenitudine poteſtatis conferre poſſet ſine omni Confeſſione iterata, etiam non Sacramentali.

§. II.

An ad integritatem Confeſſionis pertineant Circumſtantiæ ſolùm aggravantes peccatum.

SUMMARIUM.

74 *Quid ſit Circumſtantia aggravans peccatum.*
75 *Circumſtantiæ aggravantes aliquæ addunt novam ſpeciem peccati, aliquæ non addunt.*
76 *An Circumſtantiæ notabiliter intra eandem ſpeciem peccati mortalis aggravantes ſint explicandæ in Confeſſione. Affirmant multi.*
77 *Negat S. Thomas, & demonſtratur ejus mens, cui plurimi conſentiunt.*
78 *Oſtenditur contra Eſparza, exceſſum gravitatis deſumptum ab extenſione objecti, non eſſe diverſum ab aliis Circumſtantiis, merè aggravantibus.*
79 *Probatur ſententia probabiliùs negans circumſtantias merè aggravantes neceſſariò explicandas eſſe.*
80 *Referuntur fundamenta Adverſariorum.*
81 *Reſpondetur ad Singula, & oſtenditur ab Innocentio XI. meritò damnatam eſſe propoſ.* 58. *&* 56.

PRo reſolutione quæſtionis advertendum: aliqua prædicata pertinere ad ſubſtantiam actus peccaminoſi, & eum ita in certa ſpecie peccati primò conſtituere, ut tamen ad alia prædicata ejuſdem realiter, vel moraliter actus præſupponantur; aliqua prædicata verò dici circumſtantiam actus, eò quòd ad illa ſaltem ſecundùm rationem noſtram, & ſecundùm ſubſiſtendi conſequentiam alia prædicata, certam peccati ſpeciem in primo ſuo eſſe jam antecedenter complentia, præſupponantur: ſic in peccato parricidii peccatum ad ſubſtantiam actus ſpectans eſt homicidium, ad circumſtantiam verò eſt impietas in patrem; quia hæc rationem homicidii, quaſi præſupponit, & tanquam differentia ſpecifica contrahit ad gradum parricidii, & ſicut ex affirmato gradu inferiori: *datur homo*: rectè infero gradum ſuperiorem, *ergo datur animal:* ſic ex affirmato parricidio rectè infero, ergo datur homicidium, non tamen viciſſim. 74

Cæterùm inter hæc prædicata, quæ circumſtantiæ actus peccaminoſi vocantur, alia continent diverſam ſpecie malitiam, & propterea dicuntur circumſtantiæ ſpeciem mutantes, alia autem intra eandem ſpeciem ſolummodo aggravant, vel diminuunt, vel neque aggravant, neque diminuunt malitiam; ſic in dicto exemplo impietas in patrem eſt circumſtantia ſpeciem mutans, id eſt, novam ſpeciem peccato homicidii ſuperaddens: genus verò mortis, magis vel minùs acerbæ, eſt circumſtantia aggravans, vel minuens malitiam parricidii, quod autem ſit factum tali loco, vel tali die feſto, aut feriali, per ſe loquendo, eſt circumſtantia nec aggravans, nec minuens malitiam. Dixi: *per ſe loquendo*, nam per accidens, ſi nimirum factum eſſet in templo, foret circumſtantia ſpeciem ſacrilegii includens, ſicut etiam, ſi ratione temporis, v. g. propter majorem affluxum populi præbuiſſet extenſivè majus ſcandalum, eſſet circumſtantia aggravans malitiam ſcandali. 75

Itaque nunc quæritur, an circumſtantiæ aggravantes ſint neceſſariò exprimendæ in confeſſione, quemadmodum debent exprimi circumſtantiæ ſpeciem mutantes, 76

vel an poſſint ſalva integritate Confeſſionis licitè reticeri, ſicut circumſtantiæ nec aggravantes nec minuentes; & quidem in praxi non eſt dubium, quòd poſſint licitè reticeri, propter ingentem auctoritatem DD. & ſententiæ hujus probabiles rationes. Solùm ergo inquiritur, quid ſpeculativè ſit probabilius.

Sententia affirmans obligationem exprimendi circumſtantias ſaltem notabiliter & præter communem operandi modum aggravantes, vel eas, quæ cuivis etiam rudi intellectui facilè innoteſcunt, uti potiſſimùm eſt quantitas objecti, circa quod peccatur, vel diuturnitas temporis, quo continuatur actus peccaminoſus, defenditur ab Altiſiod. Alenſi, Majore, Cajet. Vict. utroque Soto, Cano, Sylveſtro, Barth. Medina, Lopez, Henriq. Suarez, quos referunt, & ſequuntur Tanner. & Amicus, additque P. Haunold. Tho. Sanchez Fagund. Coninck, Arriagam, & inclinat Scotus, Gabriel, Saà, Argentinas.

77 Negativam tenet S. Thomas 4. *diſp.* 16. *quæſt.* 3. *art.* 2. *quæſtiunc.* 5. Ubi S. Doctor expreſsè ſic ait. *Quidam enim dicunt, quòd omnes Circumſtantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri neceſſitatis eſt, ſi memoriæ occurrant. Alii verò dicunt, quòd non ſint de neceſſitate confitendæ, niſi circumſtantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt, & hoc probabilius eſt; ſed addendum eſt, quæ ad aliam ſpeciem mortalis trahunt; cujus ratio eſt, quòd venialia non ſint de neceſſitate Confeſſionis, ſed ſolùm mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodo habent. Et quia circumſtantiæ aggravantes, quæ aliam ſpeciem peccato non tribuunt, vel quæ tribuunt quidem, ſed non mortalis peccati, non ſunt de neceſſitate Confeſſionis: tamen eadem confiteri perfectionis eſt, ſicut & de Venialibus dictum eſt.* Quæ Verba Angelici Doctoris adeò clara ſunt, ut mirer, Joannem Baptiſtam Gonet. *diſp.* 10. *art.* 3. §. 2. *num.* 57. poſtquam priùs *num.* 44. pro affirmativa ſententia allegavit Thomiſtas communiter, in hanc etiam ſuum Magiſtrum detorquere velit, aſſerens, illum l. c. tantùm negare, eas circumſtantias eſſe de neceſſitate Confeſſionis, quæ non verè & valde notabiliter aggravant, ita ut ipſe exceſſus gravitatis non pertingat ad malitiam peccati mortalis. Et addit, Quòd verò hæc ſolutio legitima ſit, & ab Authore intenta, apertè colligitur ex ratione ipſius; ait enim ideo circumſtantias aggravantes non eſſe confitendas, ſed tantùm ſpeciem mutantes, *quia venialia non ſunt de neceſſitate confeſſionis, ſed tantùm mortalia.* Verum S. Doctor hanc rationem non reddit pro ratione, cur circumſtantiæ aggravantes intra eandem ſpeciem non ſint confitendæ, ſed cur aggravantes, quæ ad diverſum genus ſive ſpeciem peccati trahunt, non ſint confitendæ, quando non ad illam ſpeciem mortalis trahunt. Unde deinde de utriſque circumſtantiis aggravantibus dicit: *quæ aliam ſpeciem peccato non tribuunt, vel tribuunt quidem, ſed non mortalis peccati, non ſunt de neceſſitate Confeſſionis.*

Præterea quòd Goneti reſponſio Legitima non ſit, neque à S. Thoma intenta, ex eo patet. Quia S. Doctor ex duabus ſententiis à ſe relatis ait poſteriorem eſſe probabiliorem prima: ſed prima ſententia non affirmavit neceſſitatem confitendi circumſtantiam aggravantem, ſi hæc non addat exceſſum mortaliter peccaminoſum, hoc enim nemo affirmat, nec eſt controverſum; ſed ſi addat exceſſum mortaliter peccaminoſum, & ideo S. Doctor expreſsè retulit particulam *Notabilem*. Ergo S. D. dixit eam ſententiam eſſe probabiliorem, quæ negat neceſſitatem confitendi circumſtantias intra eandem ſpeciem verè & notabiliter, ſive mortaliter aggravantes. Idem S. D. cùm in reſponſione ad primum ſolviſſet argumentum, quo videri alicui poſſet, etiam Circumſtantias non notabiliter, ſive tantùm venialiter aggravantes eſſe neceſſariò confitendas; deinde in reſponſione ad ſecundum argumentum, proximè inter objectiones Adverſariorum à nobis primo loco referendum, teſtatur, quòd propter frequentem difficultatem diſcernendi à ſubſtantia peccati exceſſum intra eandem ſpeciem etiam mortaliter aggravantem, qui proinde ſeorſim ſpectatus eſſet notabilis, (ut præcipuè videtur contingere in Circumſtantiis Durationis, & Intenſionis, *determinata quantitas peccati non poſſit Sacerdoti innoteſcere*, id eſt, diſtinctè explicari. Quis enim explicet, cùm quævis momentanea delectatio venerea ſit peccatum mortale, quot momentis illa duraverit? *Unde*, inquit S. D. *ſufficit: quòd cognoſcat quantitatem, quæ ex ſpecie peccati conſurgit.*

Itaque pro Negativa ſententia maniſeſtè ſtat S. Thomas l. c. & cum eo S. Bonaventura, S. Antoninus, Durand. Palaud. Cart. Almain. Adrian. Viguerius, Joan. Medina, Navarrus, Armilla, Valentia, Vaſquez, Toletus, Dicaſt. Lugo, Pallav. Sayrus, Reginaldus, Palao, P. Haunoldus, & plures alii apud hos citati, quibus integrum Catalogum addit, & ſubſcribit Dian. *p.* 1. *tr.* 7. *Reſ.* 1. contra multos etiam in contrarium adductos. Pro utraque ſententia allegantur à Tannero *diſp.* 6. *quæſt.* 7. *n.* 52. & 53. S. Albertus, Richardus, Angelus, Sylveſter.

Pro utraque etiam ſententia ex ſpeciali jure allegari 78
poſſet P. Eſparza *quæſt.* 90. *ad* 8. ubi exceſſum malitiæ, qui habetur extenſione objecti, ait non eſſe circumſtantiam, ſed ſubſtantiam actus, adeoque furtum centum aureorum eſſe æquivalenter centū furta unius aurei, cùm ſingula ſeorſim participent rationem peccati, neque unum logicè ſeu per ſubſiſtendi conſequentiam præſupponatur ad alterum; Intenſionem actus autem, durationem, advertentiæ, & deliberationis exceſſum, & alia hujuſmodi prædicata, quæ ſeorſim peccata non ſunt, ſed indifferentia ad peccatum, & ad opus bonum, hæc ait cit. Auctor, circumſtantiæ vocantur ab Antiquis, quas proinde negat in Confeſſione neceſſe eſſe explicare; quantitatem autem objecti eſſe neceſſe, quòd aliàs non explicarentur omnia peccata, quoad numerum æquivalenter multiplicem. Quatenus itaque à DD. utriuſque ſententiæ quantitas objecti inter circumſtantias aggravantes numeratur, quoad hanc partem Eſparza mereretur citari pro prima ſententia, quoad alias verò circumſtantias pro ſecunda, ad quam & totaliter accedere cogatur.

Oſtendo, quantitatem objecti rectè dici circumſtantiam, neque ab Antiquis aliter appellatum eſſe. Non enim eſt major ratio, quare furtum centum aureorum dicatur æquivalenter centum furta, quàm quod peccatum durans per horam dicatur æquivalenter quatuor peccata, durantia per unum quadrantem horæ; nam intra quadrantem tam benè ponitur malitia peccati mortalis, quàm ea reperiatur in furto unius aurei: & ſicut duratio per horam, vel per quadrantem ſeorſim ſumpta, non eſt peccatum, ſed indifferens ad peccatum & ad opus bonum, ſic aureus non eſt peccatum, ſed indifferens ad terminandum peccatum furti, & ad terminandum opus bonum eleemoſynæ: ſicut autem aureus, terminans actionem furtivam, jam diſtinguit unam æquivalentiam furti ab alia æquivalentia, ſic unus quadrans terminans conſummatam malitiam peccati mortalis, jam diſtinguit illam ab æquivalentia malitiæ durantis per alium quadrantem, & ſicut ex furto unius aurei non poſſum per ſubſiſtendi conſequentias inferre furtum alterius aurei, ſic ex peccato durante per unum quadrantem, non poſſum inferre durans per alterum quadrantem: adeoque quidquid dicitur de aureo, cum ſua ablatione, ac de duratione cum peccato in illa perſeverante, ſemper poſſunt quoad denominationem circumſtantiæ vel ſubſtantiæ inter ſe comparari.

Unde poſitivè ſic probo Extenſionem objecti, ſeu actus ad objectum, tam bene eſſe circumſtantiam, quàm intenſionem, & durationem actus. Illud in hac controverſia dicitur circumſtantia, ex quo affirmato rectè infertur exiſtentia peccati mortalis, & tamen ipſum non infertur ex affirmata exiſtentia peccati mortalis, adeoque quo peccatum mortale quoad exiſtentiam logicè eſt prius, ſed ex affirmato furto centum aureorum rectè infertur peccatum mortale furti, ex affirmato furto mortali autem non rectè infertur furtum centum aureorum, ergo &c. Unde fateor Eſparzæ, unam æquivalentiam peccati non eſſe circumſtantiam aggravantem alterius æquivalentiæ, ſive ab objecto, ſive à duratione, ſive ab intenſione utraque accipiatur, bene tamen hoc quod eſt, eſſe æquivalenter multiplex peccatum, eſſe circumſtantiam ad hoc, quod eſt, eſſe peccatum.

Itaque ſine limitatione P. Eſparzæ dico ſecundam 79
ſententiam mihi videri probabiliorem. Prob. aut & potiſſimum ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. ubi declarans, quo

modo

modo requiratur integritas confeſſionis, Ita ut illa nec ſit impoſſibilis, nec carnificina conſcientiarum, priùs definit, omnia peccata & circumſtantias ſpeciem mutantes explicandas eſſe, ac deinde ſubjungit. *Nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm ut ea peccata confiteantur, quibus ſe Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerint*, per quas particulas *nihil aliud* non tantùm peccata occulta excluſit, ſed etiam circumſtantias merè aggravantes, eò quòd ſine his pœnitentes jam omnia peccata ſua quoad ſpeciem, & numerum confiteantur, & aliud ab illis quoad modum majoris claritatis nihil exigatur, id, quod ulteriùs ex eo patet, quia Concilium particulas *nihil aliud* quaſi compendii loco ſubjungit ad includendum omne id, quod ante dixit exprimendum, & ad excludendum, quod non dixit exprimendum, atqui ante ſolummodo dixit peccata, quoad ſubſtantiam & circumſtantias ſpeciem mutantes exprimenda eſſe, & propterea cum particulis *nihil aliud* non ampliùs repetiit circumſtantias ſpeciem mutantes, quia illas particulas ſubjunxit relativè, & alludendo ad jam dicta, & quia etiam circumſtantias ſpeciem mutantes jam incluſit in verbis *ea peccata quibus &c.* hoc ipſo quod ſine illis non omnia peccata exponerentur, aliàs profectò debuiſſet illas iterum repetere, ſicut in *Can.* 7. utique non fruſtra, & abſque neceſſitate eaſdem repetiit. Cùm itaque Tridentinum omnia peccata confitenda præcipiat, & ne quoad circumſtantias rem indeciſam relinquat, etiam ſpeciem mutantium, ſed ſolarum mentionem faciat, & declaret, aliud nihil neceſſariò exprimendum eſſe, meritò dicitur, circumſtantias aggravantes non includi in materia neceſſaria Confeſſionis explicitè ſignificanda, juxta regulam juris, incluſio unius eſt excluſio alterius. Sic ſi Concilium in obligatione confitendi tantùm poneret peccata in actum externum tranſeuntia, vel peccata certa, nemo diceret, dari obligationē cōfitendi peccata merè interna, vel negativè dubia. Confirm. Tridentinum voluit declarare totam materiam neceſſariam Confeſſionis, & omnia explicitè ſignificare, quæ ad ejus integritatem ſpectant, & ſi voluiſſet aliquas circumſtantias tantùm implicitè ſub à ſe dicta materia ſubintelligi, potiùs non debuiſſet exprimere circumſtantias ſpeciem utantes, quàm merè aggravantes, quia illæ ſub particulis *omnia peccata* potuiſſent ſubintelligi, & hoc ipſo, quod tantùm dixiſſet, circumſtantias aggravantes debere explicari, ſufficienter indicaſſet, multò magis explicari debere circumſtantias ſpeciem mutantes, utpote quæ novam ſpecificam gravitatem ſuperaddunt, ſed Concilium in *cap.* 5. *& can.* 7. ſemper tantùm exigit Confeſſionem omnium peccatorum, & circumſtantiarum ſpeciem mutantium: ergo hæ ſolæ ſpectant ad materiam neceſſariam Confeſſionis: aliàs certè circumſtantias ſpeciem mutantes bis inutiliter poſuit, & aggravantes deceptoriè omiſit.

Prob. 2. Quaſi à priori, ſi in Confeſſione exprimantur omnia peccata quoad ſpeciem & numerum, Confeſſarius jam poteſt de tota cauſa pœnitentis formare judicium ſufficiens, ad prudenter ferendam ſententiam abſolutionis, vel retentionis peccatorum, & ad taxandam pœnam proportionalem, atque ad dirigendum pœnitentem, adeoque tale, quod ſufficiat ad finem, intentum à Chriſto; præterea Sacramentum redditur minùs exoſum, difficile, & ſcrupulis obnoxium: cùm è contra in adverſa ſententia difficultas, quæ in diſtinguendis circumſtantiis ſpeciem mutantibus invenitur, nimium augeatur, ſi etiam transferatur ad circumſtantias aggraventes, quamvis enim hæ ſæpe etiam à rudibus facile cognoſcantur, & aliqui has ſolùm videantur exigere, in praxi tamen etiam ipſi, quoad eaſdem valde diſcrepant, & difficulter determinant, quænam circumſtantiæ & quando fiant notabiliter aggravantes: ergo credibile eſt, Chriſtum non exegiſſe in Sacramenti & particularis judicii hujus inſtitutione, ut aliquid aliud, quàm omnia peccata quoad ſpeciem & numerum exprimantur.

Prob. 3. Non diſtinctior accuſatio ſui aſſerenda eſt pro valore Sacramenti, quàm qualis ſufficienter probari poteſt ſed ut ex ſolutione objectionum patebit, non poteſt ſufficienter probari diſtinctio, quàm qua omnes ſpecies & numeri peccatorum mortalium explicantur, ergo &c.

Probant aliqui ſententiam noſtram 4. quòd ex Adverſariorum ſententia ſequatur, etiam circumſtantias diminuentes exprimendas eſſe; quia non minùs peccaret graviter, qui judicem determinaret ad judicium falſum, quoad circumſtantiam gravem, quàm quoad ſubſtantiam peccati gravis, ſi utraque eſt materia neceſſaria. Sed facilè negatur ſequela cum Tannero *num.* 63. & Suarez *diſp.* 22. *ſect.* 3. *num.* 16. quamvis Sotus & Canus illam concedant. Quia Adverſarii tantùm contendunt illas circumſtantias aggravantes exprimendas eſſe, quæ malitiam peccati notabiliter aggravant ſupra modum operandi ordinarium, quomodo negant dari notabiliter diminuentes infra modum operandi ordinarium retenta in ſe malitia mortali: illæ autem circumſtantiæ aggravantes & minuentes, quæ ſunt intra, vel infra modum operandi ordinarium, determinatè nec affirmantur, nec negantur, unde non pariunt judicium falſum in Confeſſario, etſi proponatur peccatum per verba expreſsè nihil diminuentia de modo operandi ordinario, modò illa verba non denotent malitiam peccati mortalis, & tamen circumſtantiæ diminuentes omnino extrahant peccatum de ſtatu malitiæ mortalis, tunc enim omnium conſenſu etiam hæ circumſtantiæ exprimendæ eſsent, quotquot fatentur eſſe peccatum mortale, accuſare ſe de peccato gravi, quod ſcitur commiſſum non fuiſſe.

Obiicitur primò. Quòd circumſtantiarum aggravantium explicatio valde conducat, & neceſſaria ſit, ut Confeſſarius meliùs poſſit judicare de ſtatu pœnitentis, & ei proportionatam ac ſalutarem pœnitentiam injungere. Secundò: quòd varii Canones varias pœnitentias injungant iiſdem ſpecie peccatis ſecundùm circumſtantias aggravantes ſolummodo diverſis, adeoque harum Confeſſionem ſupponant. Tertiò: quòd hoc ipſo, quia Confeſſarius habet jus interrogandi circumſtantias aggravantes, pœnitens habeat obligationem eas recenſendi. Quartò: quòd circumſtantia aggravans ſæpe plus malitiæ mortalis ſuperaddat, quàm circumſtantia ſpeciem mutans, vel quàm differentia nova numerica, qui enim alicui mille aureos uno actu furaretur, graviùs peccaret, quàm qui illi unum aureum vi eriperet, addendo differentiam ſpecificam Rapinæ, vel qui per diſtincta furta bis auferret unum aureum: ergo ſi nova malitia ſpecifica, vel numerica, ſed tamen minor in Confeſſione eſt exprimenda, tunc etiam exceſſus malitiæ ſuperans utramque eſt explicandus. Quintò. Si circumſtantia ſpeciem mutans non ſuperaddat malitiam peccati mortalis, non eſt neceſſe, eam exprimere, ergo non propter diverſitatem ſpecificam, ſed propter malitiæ gravitatem eſt exprimenda, ergo etiamſi hæc ſit ejuſdem ſpeciei, adhuc erit exprimenda, ſicut Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. colligit ex eo, quod peccata occulta ſæpe ſint graviora manifeſtis, etiam occultiſſima detegenda eſse.

Ad primum Reſp. Nego ſuppoſitum, quòd ſcilicet neceſſe ſit, ut Confeſſarius poſſit judicium exactiſſimum de peccatis commiſſis, & pœnitentiam injungendā formare; quia aliàs non tantùm daretur obligatio explicandi circumſtantias aggravantes ſupra modum operandi ordinarium, ſed etiam diminuentes infra modum operandi ordinarium, quæ tantum exceſſum malitiæ tollerent, qui æquivaleret pluribus numero vel etiam ſpecie diſtinctis peccatis mortalibus. 81

Ad ſecundum Reſp. Aliquos Canones ſupponere quidem Confeſſionem circumſtantiarum aggravantium, ſed liberè, & ex fervore charitatis aut humilitatis, non ex obligatione factam, imò aliqui ſupponunt declarationem quarundam circumſtantiarum, neque peccaminoſarum, quas ipſi adverſarii negant fuiſſe ex obligatione exprimendas.

Ad iterum Reſp. tunc Confeſſarium tantùm habere jus interrogandi circumſtantias aggravantes, quando ſine his cognitis meritò dubitat de diſpoſitione pœnitentis, utrùm ſit capax abſolutionis v.g. utrùm paratus ſit ablata reſtituere, læſo ſatisfacere, à peccandi conſuetudine deſiſtere, periculum proximum vitare &c. quo caſu non negamus per accidens dari obligationem declarandi circumſtantias aggravantes, vel minuentes, ex quo tamen non ſequitur, eas per ſe eſſe materiam neceſſariam Confeſſionis. Sicut etiam Conſuetudo

per ſe loquendo non eſt Materia neceſſaria, modò ipſum peccatum ex conſuetudine commiſſum exponatur, vel etiam prior malitioſa voluntas non deſiſtendi: & tamen juxta communem TT. apud Dianam *p. 1. tr. 7. n. 55.* Confeſſarius habet Jus interrogandi de conſuetudine, ita ut Innocentius XI. prohibuerit Propoſitionem iſtam 58. *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicuius conſuetudinem*. Hujus enim notitia ſæpe eſt Confeſſario neceſſaria, ad cognoſcendum ſtatum & diſpoſitionem requiſitam pro valore abſolutionis. Poteſt quippe ex peccandi conſuetudine colligi nonnunquam defectus ſufficientis doloris, ac propoſiti, præſertim ſi pœnitens ſæpe confiteatur, & cum iiſdem gravibus peccatis redeat: Unde talis frequentia Confeſſionis ſine ulla emendatione gravium ſcelerum indiſpoſitionis ſignum eſt & ab Innocentio XI. damnari promerita eſt hæc propoſitio 56. *Frequens Confeſſio & Communio, etiam in illis, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis*. Sicut enim is, qui apud *Ioan. cap. 5.* refertur ad piſcinam probaticam octo & triginta annos infirmus jacuiſſe, & ſemper ejus lavacrum infructuoſè ſubiiſſe, non tantùm per illam frequentiam lavacri, aliàs ſalubris ſanatus non eſt, ſed etiam juſtam per morbi ſui aſſuetudinem ac continuitatem de ſeria voluntate ſanitatis quaſi dubitandi, ac interrogandi cauſam, præbuit, an velit ſanus fieri; ita qui frequenter pœnitentiæ lavacrum infructuoſè & ſine emendatione ſuſcipit, non tantùm nullam notam, aut ſignum ſuæ prædeſtinationis præbet, ſed etiam juſtam cauſam ac neceſſitatem, Confeſſario interroganti, quantum tempus habeat in infirmitate ſua, id ſincerè manifeſtandi, ut ejus ſtatum agnoſcat, & ad abſolutionem fructuoſè accipiendam, vitæque emendationem diſponat, ac adjuvet. Nam ſicut qui duntaxat frequentem uſum pilularum ad ventrem & ſtomachum à quotidiana ingluvie purgandum ſibi procurat, clarum præbet indicium voluntatis, non deſiſtendi à ſua ingluvie, & præterea efficit ipſo frequenti uſu pilularum, ut hæ vim ſuam ventrem purgandi perdant, velut ipſum quoq; venenum ſæpe à Mithridate hauſtum vim ſuam amiſit, ut cùm eam ille vellet experiri, ne vivus in hoſtium poteſtatem veniret, eadem ipſum defecerit; ita profectò, qui ſine ulla emendatione gravium ſcelerum frequenter Sacramenti pœnitentiæ pharmacum ſibi adhibet, ut animum à quotidiana eorundem ſcelerum ingluvie purget, ſatis teſtatur, ſe ab illa deſiſtendi propoſito carere ſeque incapacem, ac Sacram medicinam enervem reddit, ad illius vim cum tali indiſpoſitione validè percipiendam. Unde quemadmodum Bilbilitanus poeta in continuam famem pauperis Cinnæ ludens epigram. 73. canit.

Profecit poto Mithridates ſæpe Veneno:
Toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi.
Tu quoque caviſti cœnando tam malè ſemper,
Ne poſſes unquam Cinna perire fame.

Ita peccatori inveterato, ad placandum ſibi DEUM, & Animæ ſalutem curandam Sacræ Communionis & Confeſſionis pharmaca inutiliter ac præſumptuoſè frequentanti occini poteſt.

Profecit ſumpta Peccator ſæpe medela:
Pharmaca ne poſſent eſſe medela ſibi.

Quia enim illa magis ex conſuetudine, quàm ex odio ſincero ac ſerio veteris vitæ, novæque melioris propoſito ſuſcipit, invalidè ac infructuoſè ſuſcipit, & hujus ipſius infructuoſæ ſuſceptionis, ac indiſpoſitionis conſuetudinem contrahit: pariterque creſcunt contemptus debitæ diſpoſitionis, & affectus vigens ad peccata reiterata, ac mox reiteranda. An non ergo ſumma eſt neceſſitas, ut peccator hanc ipſam ſuam Indiſpoſitionem Confeſſario tanquam Judici & Medico manifeſtet, ut is efficaciorem diſciplinam, ac medicinam adhibere poſſit, propoſita ipſi Pœnitenti multitudine, ac gravitate ſuorum peccatorum, difficiliori ſemper radicatæ conſuetudinis curatione, erga Divinam Clementiam, Miſericordiam & Longanimitatem ingratitudine, & abuſione, periculo finalis impœnitentiæ, & ſubtractionis Divinorum auxiliorum, ut ſic ſalubri dolore, ac metu percuſſo, ſeriæ etiam emendationis propoſitum iniiciat, atque ad eam apta media præſcribat, pericula & occaſiones vitare doceat, ſcandala, peccati Socios vel compliceś è ſe repellere &c. Sic ergo per accidens fieri poteſt, ut quæ aliàs non eſſent materia neceſſaria, reſpectu certi pœnitentis ſint materia neceſſaria, & eam Confeſſario interroganti, imò etiam non interroganti fateri, ac manifeſtare teneatur.

Ad quartum Reſp. 1. Retorq. argumentum. Ille exceſſus malitiæ, qui datur intra modum operandi ordinarium, ſæpe æquivalet pluribus peccatis mortalibus infra modum operandi ordinarium, v. g. ſi modus operandi ordinarius in continua oblectatione turpium cogitationum ſit horæ quadrans, tunc continua hujuſmodi oblectatio æquivalet, vel etiam præeminet pluribus momentaneis diſcontinuis, & tamen juxta Adverſarios non datur obligatio diſtinctè explicandi illum exceſſum continuæ malitiæ, ſicut ex eorum conſenſu datur obligatio diſtinctè explicandi numerum oblectationum momentanearum diverſis temporibus deliberatè poſitarum.

Reſp. ergo 2. Nego conſequentiam, quia obligatio confitendi non reſpicit exceſſum malitiæ, quo unum mortale ſuperat alterum, ſed quo mortale ſuperat veniale, & quo unum mortale ab altero diſtinguitur ſpecie, vel numero, quia hoc per ſe loquendo magis eſt neceſſarium ad cognoſcendum ſtatum peccatoris, & ad remedium contra peccatorum multitudinem, ac frequentiam, ſeu contra relapſum adhibendum, minuſque eſt obnoxium ſcrupulis & cùm omnium conſenſu neceſſarium ſit, ac Sacramentum pœnitentiæ ſatis difficile reddat, non opus eſt, novum onus illi ſuperaddere. Unde in caſu objectionis uterque fur ſatisfaceret obligationi Confeſſionis, dicendo, furatus ſum materiam gravem, modò alter, qui mille aureos alicui abſtulit, non poſitivè excludat exceſſum ſupra Summam ſufficientem ad mortale; nam ſi etiam ipſe tantùm diceret, furatus ſum unum aureum, ille non rectè confiteretur, quia non dicimus circumſtantias aggravantes nullo modo, & neque implicitè confitendas eſſe, ſed tantùm negamus, eſſe confitendas diſtinctè & explicitè. Unde peccatum, quoad ſubſtantiam eſt ſemper talibus verbis exprimendam, quæ abſtrahant à circumſtantiis aggravantibus, non quæ illas poſitivè excludant.

Ad quintum Conceſſo antec. diſtinguo primum conſequens: ergo non propter diverſitatem ſpecificam in abſtracto, & ſine malitia mortali ſumptam eſt exprimenda circumſtantia ſpeciem mutans, concedo conſequentiam, in concreto ſumptam, nego conſequentiam, & illius ſubſumptum: ſicut enim non ſufficit diverſitas ſpecifica ſine malitia mortali, ſic non ſufficit exceſſus malitię mortalis ſine differentia ſpecifica, vel numerica, diſtinguente eum à ſubſtantia peccati, quod ſubiicitur clavibus, ut iterum Adverſarii debent fateri de exceſſu malitię contento intra modum operandi ordinarium, qui jam ſufficienter cenſetur incluſus in communi modo explicandi peccatum, quo explicaretur etiam illud peccatum mortale, quod infra modum operandi ordinarium exceſſum malitię ordinarię non contineret.

Neque Tridentinum ex ſola malitia peccatorum occultorum colligit neceſſitatem ea manifeſtandi; Nam verba Tridentini, quod loc. cit. ait, ex his colligitur &c. utique referenda ſunt ad diſcurſum antecedentem, quo probavit omnia peccata quoad ſpeciem, & numerum clavibus ſubiicienda eſſe: unde infert, cùm etiam occulta augeant numerum ac ſpeciem, illa quoque aperienda eſſe; quandoquidem ſufficientem, imò ſępe majorem malitiam contineant: adeoque malitia mortalis eſt quidem conditio, ſine qua non datur obligatio confitendi peccata occulta, ſicut nec manifeſta, non eſt tamen ratio adæquata, ſed ſupponitur à Tridentino, quòd hęc malitia non ſit mera circumſtantia aggravans.

ARTI-

ARTICULUS III.

Pro integritate materiali explicantur aliquæ Circumſtantiæ, de quibus quæritur, an pertineant ad integritatem Confeſſionis.

Circumſtantiæ, ex quibus peccati malitia & ſpecifica diverſitas colligitur, hoc potiſſimùm verſiculo continentur apud S. Thomam. *quæſt. 2. de Malo. art. 6.*

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

§. I.

Circumſtantia Quis.

S V M M A R I V M.

82 *Qualitas perſonæ peccantis, & quacum, vel circa quam peccatum committitur, ſæpe illi addit ſpecialem malitiam. Sic peccato luxuriæ additur malitia ratione voti Caſtitatis, Iuramenti, Matrimonii, & ratione Voti Solemnis additur malitia Sacrilegii propriè dicti.*

83 *Quomodo peccato Luxuriæ addatur differentia ſpecifica inceſtus, & an omnis inceſtus ſit ejuſdem ſpeciei.*

84 *Circumſtantia virginitatis non addit diverſam ſpecie malitiam voluntariæ Fornicationi puellæ antea Virginis.*

85 *Neque circumſtantia Sponſalium Matrimonii de futuro cum alio ineundi.*

86 *Quando injuſta læſio Perſonę proxima conſanguinitate junctæ contrahat ſpeciem impietatis.*

82 HÆc circumſtantia eſt qualitas perſonæ peccantis, cui etiam addimus, perſonæ, quacum, vel erga quam peccatur, qualitatem, quæ quandoque ſpeciem peccati mutat, quandoque non mutat. Si enim peccans contra caſtitatem ſit voto, vel juramento ejuſdem obſtrictus, vel Matrimonio ligatus, peccatum luxuriæ contrahit ſpeciem Sacrilegii ſeu potiùs irreligioſitatis, quæ eſt ſaltem Sacrilegium impropriè ac generaliter ſumptum, contra votum, vel juramentum, ita ut etiam violatio voti ſit ſpecie diverſa à violatione juramenti, & violatio fidei matrimonialis transfundit ſpeciem adulterii, tam in actum externum, quàm in internum, non tantùm ſi ſit deſiderium, vel conſenſus, ſed probabiliùs etiam, ſi ſit tantùm delectatio moroſa perſonæ conjugatæ, vel circa perſonam conjugatam, ut ex communiore ſenſu DD. oſtendi in *tr. 4. diſp. 1. art. 3.* §. 4. *n.* 81. Imò ſi perſona peccans, vel cum qua peccatur, ſit Deo ſpeciali acceptatione Eccleſię dicata, & ſacrata per votum Religionis approbatæ, vel Ordinis Majoris, ſive Sacri, ad proprium & ſpecialem cultum DEI, oppoſitum Luxuriæ, ita ut non tantùm violetur votum per irreverentiam infidelitatis immediatè erga Deum commiſſæ, ſed ut etiam irreverentia Deo inſeratur immediatè in re ſua, ipſi ſpecialiter ad carnis continentiam ſacrata, probabiliùs per luxuriam hujuſmodi perſonæ, vel cum hujuſmodi perſona, ſaltem quando in actum externum pollutionis actualis, vel probabiliter prævíſæ, ut ſecuturæ tranſit, committitur Sacrilegium propriè dictum, ut oſtendi *in tr. 5. diſp. 3. art. 2. §. 3. n. 297.* aſſignans præceptum poſitivum Eccleſiæ, per illud inducentis rationem Sacrilegii, ſine quo ratione ſolius voti violati non contraheretur malitia ſpecifica Sacrilegii, cùm ex Jure Divino naturali neque in aliis lęſionibus perſonæ Sacrę communiter dicatur, contrahi malitiam Sacrilegii. E. g. ſi quis furetur, vel ſi detrahat honoris ac famæ perſonę Deo ſacratæ, exceptis illis læſionibus, quę etiam ex Jure Eccleſiaſtico malitiam Sacrilegii continent, ut eſt percuſſio Clerici, & violatio libertatis Eccleſiaſticę. Unde pro explicando dicto peccato Luxuriæ in Confeſſione non ſufficit exprimere violationem voti, ſed etiam exprimenda eſt qualitas perſonę, quòd illa ſit Deo ſacrata. Quod quidem non eſſet neceſſe, ſi vel nullum votum Caſtitatis violatum contineret malitiam propriè dicti Sacrilegii, ut nonnulli docent loco apud me ſuprà citato, cum Lugo *diſp. 16. n.* 147. & Diana *p. 1. tr. 7. Reſol.* 3. aliquos citante: & rurſum Reſol. 4. Utrinque tamen plures allegante pro nobis, vel ſi omnis violatio voti illam contineret Jure naturali Divino: ut apud Palao *tr. 17. de Vitiis oppoſ. Relig. diſp. 2. pun. 3.* §. 2. *n.* 2. communiter tradunt DD. qui tamen plerique, præſertim S. Thomas 2. 2. *q. 69. art.* 1. & *q.* 154. *art.* 10. tantùm loquuntur de perſona Deo ſacrata, & non univerſaliter per votum caſtitatis privatum Deo obſtricta.

Neque dicunt, hoc Sacrilegium eſſe Juris Divini, vel ſaltem id minùs probabiliter dicunt. Quia votum ſimplex privatum, editum non pro ipſa perſona Deo in ſervitium perpetuum conſecranda ad Miniſterium Altaris, vel ad vitam Religioſam, ſed ſolummodo ad ſe privandum voluptate carnis, ſicut per votum abſtinentię à vino ſe quis privaret voluptate potùs, non reddit perſonam voventis Deo Sacram, & ſecluſo peccato infidelitatis irreligioſæ atque ſepoſito etiam pręcepto Eccleſiaſtico, uſus voluptatis venereę non eſſet naturalis irreverentia, aut violatio rei Sacrę, cùm iſte in primitiva Eccleſia, quando Sacerdotibus & Epiſcopis permittebantur Matrimonia, fuerit licitus, quamvis jam tunc fuerint perſonę DEO Sacrę: ſed nondum ad hunc ſpecialem cultum, excluſivum voluptatis venereę. Ratio itaque cur de facto Luxuriam Perſonę, vel cum Perſona Deo ſacrata per votum Solemne Sacri Ordinis, vel per Votum Religionis approbatæ (etiamſi id non ſit Solemne, veluti vota Scholaſticorum & Coadjutorum in Societate noſtra) ex communiori ſententia dicatur eſſe Sacrilegium, fundatur tantùm in Jure Eccleſiaſtico, quo quia ad Matrimonium validè & licitè contrahendum perſona Deo ſacrata reddita eſt inhabilis, & ad hunc ipſum cultum Divinum, qui conſiſtit in abſtinentia à voluptate Luxuriæ, eſt ſpecialiter Deo dicata; ideo prohibitioni Eccleſiaſticę oppoſita Luxuria eſt violatio rei Sacræ, & verum Sacrilegium; & hinc ſicut peccatum Simonię aliud eſt contra Jus naturale, & aliud contra Jus Eccleſiaſticum, ſic etiam biſarium eſt Sacrilegium, & aliud eſt ſpeciali præcepto Juris Divino, & aliud eſt ſpeciali præcepto Juris Eccleſiaſtici prohibitum, & pro varietate rei Sacræ, aut violationis rei Sacræ in varias ſpecies in Confeſſione exprimendas ſubdividitur.

Sicut autem in Confeſſione luxuriæ cum perſona ra- 83
tione voti inhabili ad validè contrahendum Matrimonium, eſt explicanda prædicta inhabilitatis differentia, ita etiam ſunt exponenda alia impedimenta, Matrimonium dirimentia propter ſpecialem inhoneſtatem cum talibus perſonis, v. g. impedimentum Conſanguinitatis, affinitatis, cognationis ſpiritualis, quibus per irritationem Matrimonii ſpecialis honeſtas intenditur oppoſita copulæ matrimoniali, & fornicariæ, & ideo hęc circumſtantia eſt explicanda, utpote continens ſpeciem inceſtus, ſi copula fuerit inter conſanguineos, vel affines in gradu prohibito, vel ſpeciem Sacrilegii, teſte Leſſio *lib. 4. c. 3. n. 75.* ſi fuerit inter conjunctos cognatione ſpirituali, ex Sacramento Baptiſmi vel Confirmationis orta. Si autem contigerit inter cognatos cognatione legali ex adoptione, non poteſt quidem tale peccatum compellari alio nomine, quàm inceſtus, eſt tamen probabiliùs ſpecie diverſum, ab inceſtu propriè dicto inter conſangineos, vel affines, contra reverentiam ſanguinis commiſſo, adeoque debet genus cognationis legalis exprimi, nec ſufficit dicere, commiſi inceſtum ut optimè advertit Cajetanus 2. 2. *quæſt.* 154. *art. 9. ad. 2. objectionem in principio.*

Imò multorum ſententia eſt, quę etiam mihi viſa eſt probabilis *tr. 4. diſp. 1. n. 59.* ipſum inceſtum propriè dictum eſſe ſpecie diverſum (quamvis etiam jam oppoſitū ſit probabile juxta S. Thomam 2. 2. *q.* 154. *art. 9. ad. 2.*) quando committitur inter conſanguineos ab eo, qui committitur inter affines affinitate copulę matrimonialis; vel fornicarię, & rurſus inter conſanguineos, eum qui eſt contra jus naturale eſſe ſpecie diverſum ab illo, qui tantum eſt contra jus poſitivum: contra jus naturale autem omnium conſenſu eſt ille, qui committitur inter conſanguineos in primo gradu lineę rectę, ſcilicet

inter Patrem & filiam, vel inter filium & Matrem, quod etiam de quocunque gradu lineæ rectæ apud Palao *diſp.* 4. *de Sponſal. punct.* 7. *n.* 9. aſſerunt Sotus, Bellarm. Laym. Gaſp. Hurtadus, eò quòd exiſtiment, inter hos conſanguineos Matrimonium jure naturæ eſſe irritum extra caſum ſupremæ neceſſitatis propagandi genus humanum: quod tamen pluribus relatis probabiliter negant Thom. Sanchez. *lib.* 7. *diſp.* 51 *n.* 15. Baſilius, Pontius, Palao *l. c.* & alii.

Præterea multi putant, ſimili modo ex jure naturæ eſſe prohibitum Matrimonium in primo gradu lineæ transverſæ, ſcilicet inter fratrem, & Sororem, adeoq; inceſtum in hoc gradu ſuperaddere Luxuriæ malitiam intrinſecam, ſpecie diverſam ab ea, quæ datur in inceſtu ab extrinſeco jure poſitivo proveniens, ut apud cit. Palao tradunt Abulenſis, Sotus, Covarr. Bellar. Valent. Guttirez, Laym. quod rurſum negant S. Thomas 2.2. *quæſt.* 154. *art.* 9. *ad* 3. Cajet. Alenſis, Scotus, Durandus, Richard. Baſil. Pontius, Coninck, Gaſp. Hurtardus approbati à Palao. Inter affines verò, etſi graves DD. exiſtiment, Matrimonium jure naturæ eſſe irritum in primo gradu lineæ rectæ, & transverſæ, alii verò tantùm in primo gradu lineæ rectæ probabiliorem tamen eſſe ſententiam utrumque negantem pluribus aliis DD. relatis oſtendit Palao *punct.* 8. *num.* 12. ex Concilio Agathenſi, Epanenſi & Aurelianenſi, ante poſitivam prohibitionem contracta Matrimonia inter affines in primo gradu firma, & indiſſoluta permittentibus.

Ex quibus omnibus juxta communem imò ſecundùm Suar. *diſp.* 22. *ſect.* 3. *n.* 12. omnium DD. ſenſum, ſequitur, ſaltem circumſtantiam primi gradus lineæ rectæ in confeſſione inceſtus inter conſanguineos exponendam eſſe, (de reliquis enim gradibus negat Diana *p.* 1. *tr.* 7. *R.* 31. multis relatis) Ratio autem exprimendi primum gradum eſt, quia ille ſolus eſt certò contra jus naturale, de aliis gradibus autem poterit quis ſequi ſententiam probabilem, quòd ſint tantùm contra jus poſitivum, adeoque inter ſe ſint ſpecie iidem, ſed diverſi ab inceſtu juris naturalis, ſicut etiam Simonia naturalis & poſitiva probabiliter ſpecie differunt, ut dixi etiam *tr.* 2. *diſp.* 2. *n.* 41. *in reſp. ad object.* 3.

His ad circumſtantiam *quis* declarandam ſuppoſitis clarè nunc patet, inter conſanguineos, vel inter affines, à Lege irritante Matrimonium eatenus induci in peccatum luxuriæ ſpecialem malitiam, quatenus lex ſive naturalis, ſive poſitiva præcipit in ſpecialem reverentiam ſanguinis inter conſanguineos & affines in gradibus præſcriptis à turpitudine copulæ abſtinere, ad quam, cùm ordinentur etiam turpes tactus, & aliæ actiones luxurioſæ, etiam iſtæ ſpecialem malitiam contrahunt, quamvis non ſint inceſtus perfecti.

84 Ad circumſtantiam *quis* in peccato Luxuriæ ſpectat etiam, ſi perſona peccans, vel cum qua peccatur, fuit Virgo, vel ſi fuit alteri, quàm complici ſuo, per Sponſalia Matrimonii de futuro obſtricta. Verùm quoad priorem Circumſtantiam Virginitas probabiliùs eſt, in confeſſione fornicationis non eſſe neceſſariò explicandum Statum Virginitatis propriæ, vel complicis, ſi puella ſponte ſua abſque vi aut fraude conſenſiat, ſecùs duplex ſpecialis injuria ei inferretur, una conſiſtens in fraudulento, aut violento abuſu corporis, altera in ſpeciali deterioratione corruptiva corporis propter ruptum clauſtrum virginale: ut indicat Suarez *diſp.* 22. *ſect.* 4. *num.* 6. Si verò ſponte ſua conſenſit, violatio Virginitatis nec Legi juſtitiæ, nec alteri virtuti, præter caſtitatem, per ſe loquendo opponitur: ut plures relati à Diana *p.* 1. *tr.* 7. *R.* 11. conſentiunt, quia puella habet jus concedendi, & percipiendi uſum ſui corporis, & ideo volenti non fit injuria, ſed neque parentibus ejus ulla injuria infertur; quia hi non habent jus in corpus puellæ, nec tenentur augere dotem, ut æquè bene nubere poſſit. Licèt autem ex filiæ fornicatione in illos redunt infamia & triſtitia, nec puella tamen, nec Virginis deflorator, teſte, Lugo *n.* 224. ex juſtitia tenetur illam impedire; quia nemo tenetur impedire alterius damnum indirectum omiſſione actionis circa rem aliquam, ad quam quis habet jus, etiamſi illa aliunde ſit inhoneſta.

Quòd defloratio Virginis etiam non opponatur alteri virtuti præter caſtitatem Lugo *num.* 226. hac ratione oſtendit. Si peccaretur contra aliam virtutem, id eſſet peccatum impietatis erga parentes, tam ex parte puellæ, quàm ex parte viri cooperantis ad illud: ſed hoc peccatum vel evitatur per bonam fidem, & probabilem ſpem occultandi fornicationem, quòminùs ipſa vel infamiam, vel triſtitiam, vel ullam moleſtiam parentibus inferat, eoſque lædat, prout ad impietatem requiritur, vel ſi illa videatur prodenda per ſubſecuturam prolem, ſtatus Virginitatis ſe tantùm habet per accidens, & materialiter ad peccatum impietatis, & ſufficit explicare prævisionem triſtitiæ paternæ ac infamiæ abſque manifeſtatione circumſtantiæ Virginitatis, cùm illa damna etiam poſſent oriri ex fornicatione poſt perditam Virginitatem commiſſa, ſi prior amiſſio Virginitatis manſiſſet occulta; unde Confeſſarius quando probabiliter judicat, fornicationi fuiſſe ſuperadditam differentiam graviter læſæ pietatis, & amoris debiti parentibus, non debet interrogare puellam de fornicatione ſe accuſantem, ac adhuc fuerit Virgo; hoc enim ſæpe graviſſimè ferret, nec ipſa teneretur præcedentem corruptionem, ſi ipſam alio tempore confeſſa eſſet, denuo confiteri; ſed tantùm interroget pœnitentem ſive virum, ſive fœminam, an non prævidierit ſecuturam gravem læſionem parentum ſuorum vel complicis.

Id, quod de peccato impietatis, vel evitando, vel non per expreſſionem Virginitatis declarando dictum eſt, applicari etiam poteſt peccato inobedientiæ, ſi per accidens cum defloratione Virginitatis conjungeretur, quod adhuc rariùs contingeret; quia inobedientia lethaliter peccaminoſa, ut *loc. cit.* notavit Lugo, ſupponit expreſſam prohibitionem, & non tantùm præſumptam, ita, ut Religioſus etiam peccando contra votum caſtitatis non hoc ipſo peccaret contra votum obedientiæ.

Quoad poſteriorem circumſtantiam, de qua ſuprà 85
dixi, nempè Sponſalium Matrimonii de futuro, probabiliùs etiam mentio facienda non eſt, licèt aliqui apud Dianam *tom.* 1. *tract.* 7. *de Circumſtantiis aggrav. Reſol.* 5. & *tom.* 2. *tract.* 4. *reſolut.* 67. exiſtiment, fornicationem ſponſi aut ſponſæ cum alia, aut alio contrahere ſpeciem aliquam injuſtitiæ, nonquidem contra Jus in ſe, ſed contra Jus ad rem, quia deterioratur res, cujus aliquando tradendæ per ſponſalia eſt acquiſitum Jus. Alii autem apud cit. Dianam *Reſol.* 5. Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. dub.* 2. *num.* 6. opinentur, corpus ſponſæ ſaltem notabiliter fieri deterius, gravemque ignominiam inferri ſponſo, ſi illa cum alio fornicetur. Quia tamen nec ſponſus, nec ſponſa per ſponſalia transferunt Jus in ſuum corpus, ſicut venditor transfert ad rem venditam, neque etiam ſe obligant ad conſervandam rem in priori ſua æſtimabilitate, ſed quia perinde ſe habent, ſicut qui promittit ſe rem ſuam alteri venditurum in ea bonitate, quam tunc temporis habebit, ideo probabiliùs nec ſponſus, nec ſponſa per fornicationem ullam injuſtitiam committit, etſi per fornicationem reddatur alterutrius corpus vilius, ob quam cauſam poteſt pars innocens reſilire à præcedenti contractu ſponſalium. Ita docent Covarruvias, & Vivaldus apud Sanchez *loc. cit. n.* 4. Azor, Pontius, & probabile cenſent ipſe Sanchez, Lay. Lugo *n.* 178. qui quidem etiam priores duas opiniones æqualiter probabiles aſſerit, quòd ſcilicet tam ſponſus, quàm ſponſa, vel ſaltem hæc ſola, explicare debeat injuriam provenientem ex præcedentibus ſponſalibus.

Non tantùm autem in peccato Luxuriæ, ſed etiam 86
in aliis peccatis conſideranda eſt qualitas perſonæ, circa quam, vel cum qua peccatum commiſſum eſt; ex hac enim ſæpe diverſa ſpecifica malitia in peccatum derivatur. Hinc ſi filius parentes ſuos, ſeu aſcendentes, aut ſi hi ſuos filios, ſeu deſcendentes occidant, vulnerent, graviter infament, vel gravi odio proſequantur, eſt diſtinctum peccatum contra pietatem. Idem dicendum inter conjuges, (quos Lugo *num.* 306. & Coninck. *diſput.* 25. *de Charit. dub.* 9. *num.* 149. putant, potiorem ſibi mutuò, quàm filiis debere amorem, quod tamen multi alii negant) & probabiliùs etiam inter fratres, & ſorores: etiamſi enim inter hos jure naturali, ut graves Auctores exiſtimant, per fornicationem non com-

committeretur peccatum inceſtus, ſed tantùm Jure poſitivo; non tamen ſequitur, etiam non committi peccatum impietatis, ſicut hoc ipſum non ſequitur, inter aſcendentes, & deſcendentes tantùm mediatos, etiamſi iterum graves Auctores fateantur, fornicationem inter hos non eſſe jure naturali, ſed tantùm poſitivo inceſtuoſam. Ratio diſparitatis eſt, quia obligatio reverentiæ ſanguinis, & pietatis eſt diverſa, iſta enim poſterior eſt obligatio amoris debiti propter ſpecialem conjunctionem; poteſt autem alicui eſſe debitus amor, quin ſit debita illi ſpecialis reverentia: ſicut è contra ex jure poſitivo eſt debita reverentia ſanguinis etiam inter conſanguineos lineæ tranſverſæ, uſque ad quartum gradum incluſivè, & inter affines, inter quos tamen non eſt debitus amor pietatis: quamquam quibus ex jure naturali eſt debita reverentia ſanguinis, multò magis concedendum ſit, etiam eſſe debitum amorem pietatis, utpote ad quem etiam minor conjunctio ſufficit, quàm ad reverentiam ſanguinis.

Cæterùm rectè advertit Card. de Lugo *citat. diſput. 16. ſect. 6. §. 1.* peccatum impietatis potiùs habere locum in bonis corporis, honoris, & famæ, quàm in bonis fortunæ, eò quòd illorum læſio maximè repugnet amori debito, & eorundem incolumitatem ſibi mutuò, ſi opus fuerit, procurare teneantur. Unde peccatum furti gravis tunc tantùm contrahet ſpeciem impietatis, quando ex illo ſequitur aliquod damnum in prædictis bonis. Simili ferè modo, quo peccatur contra pietatem, poteſt etiam peccari contra obſervantiam debitam Superiori, vel contra gratitudinem debitam benefactori, qui quandoque poteſt eſſe tantus, teſte Bannez, Turri. Coninck, Lugo, & aliis, ut etiam plus amoris illi, quàm fratribus debeatur, quamvis peccatum non ſit impietatis, ſed ingratitudinis, eò quòd diverſitas ſpecifica non ex gravitate obligationis, ſed ex diverſitate tituli, ſeu vinculi, & conjunctionis deſumenda ſit.

§. II.

Circumſtantia Quid.

SUMMARIUM.

87 *In peccato Odii probabiliùs non eſt obligatio explicandi differentiam mali, proximo ſpeculativè tantùm optati.*

88 *In peccato injuſtitiæ explicanda eſt differentia mali quoad diverſum genus Bonorum; in eodem autem genere bonorum fortunæ, vel famæ, & honoris probabiliùs non eſt explicanda magis ſpecifica differentia.*

89 *Qui propoſitionem ab aliquo ſummo Pontifice prohibitam docuiſſet, explicare deberet differentiam malitiæ, in illa doctrina prohibita contentæ.*

90 *Quomodo explicare deberet ſuum peccatum, ſi quis docuiſſet ab Alexandro VIII. prohibitam propoſitionem 24. & 26.*

91 *Item propoſitionem 25. ab eodem Alexand. VIII. damnatam.*

92 *Item propoſitionem 29.*

93 *Item propoſitionem 30.*

94 *Item propoſitionem 31.*

95 *Item propoſitionem 27. aut 28. aut aliam ſcandaloſam in genere Moris, vel tertio noxiam.*

96 *An in jactantia de peccato commiſſo explicanda ſit differentia peccati.*

97 *An, vel quomodo in Violatione Voti, Luxuria, Superſtitione, Sacrilegio, Simonia, Tentatione DEI ſit explicandum objectum materiale.*

HÆc Circumſtantia dicit reſpectum, ſive ordinem ad objectum, circa quod verſatur peccatum: unde quæſtionum aliquarum reſolutione declarabimus, quomodo ratione objecti peccaminoſi diverſa malitia ſpecifica in actum transfundatur.

87 Quæritur itaque primò. An in Odio, quo alteri ex animo & feriò deſidero malum (nam diræ imprecationes non ex animo, ſed ad demonſtrandam iram præcipitanter, & inconſideratè factæ, non ſunt moraliter peccaminoſæ) explicari debeat qualitas mali ſaltem ſecundùm gradum genericum, prout opponitur, vel bonis animi, vel corporis, vel fortunæ, qui gradus explicandus eſt in deſiderio practico, quo quis vult inferre, vel actu infert tale damnum. Affirmant multi teſte Lugo, *numer. 259.* nominatim Suarez, *diſputat. 6. de Charitat. ſect. 2.* Coninck, *diſputat. 29. de Charitat. Dub. 3. numer. 61.* moti allata paritate. Probabiliùs tamen negat Lugo referens Valentiam, Turrianum, Lorcam, Bonacinam, Dianam *part. 1. tractat. 7. Reſol.* 30. Rationem diſparitatis inter odium ſpeculativum, & practicum *num.* 263. aſſignat, quòd non ſit ſpecialis difficultas ratione objecti ſuperanda, ne proximo ſpeculativè optetur malum cujuſcumque generis, ſit autem ſuperanda, ne practicè optetur, & ideò in ordine ad affectum practicum evitandum dari diverſas virtutes ſpecificas, quibus ille opponatur, non verò ad affectum ſpeculativum.

Hæc tamen diſparitas non videtur ſubſiſtere; quia ex ea ſequeretur, quòd, quemadmodum difficultas practica ſuperatur per diverſos habitus juſtitiæ, ſic etiam ſuperetur per diverſos habitus charitatis, quando ex hujus motivo formali aliquis ſibi imperaret, vel proponeret proximo præſtare diverſi generis bonum, vel non inferre oppoſitum malum, & quòd conſequenter viciſſim per odium practicum non tantùm contra diverſum habitum juſtitiæ, ſed etiam charitatis ſecundùm diverſitatem practicè optati mali homo peccaret.

Melior ergo diſparitas reddi poteſt, dicendo, quòd obligatio Juſtitiæ ſecundùm triplex genus bonorum inducat differentiam ſpecificam peccati in odium practicum; non autem obligatio charitatis. Quia obligatio charitatis non dependet à voluntate ejus, quem quis vult lædere, in ordine ad cujus voluntatem, cùm bona per ſe loquendo diverſimodè ſint æſtimabilia, ideò ille volendo obligare ex juſtitia, ne in aliquo illorum genere ſibi damnum inferatur, ſecundùm diverſam æſtimabilitatem injuſti damni inducit differentiam ſpecificam peccati, quia diverſa æſtimabilitas bonorum adhibetur ut ſpeciale motivum abſterrens ab injuſta læſione. Unde quia bona fortunæ reducuntur ad eandem æſtimabilitatem, ideò non ulterior differentia ſpecifica in Confeſſione exprimenda eſt, quàm quòd quis intulerit alteri grave damnum in bonis fortunæ; & quia bona famæ, & honoris potiſſimùm amantur propter bonam famam, & honorem ſecundùm ſe, cum Cajetano, Azor, Molina, Saà & aliis, quos ſequitur Lugo, *num. 265.* probabiliùs contra quoſdam alios dicitur, non eſſe in Confeſſione explicandum objectum detractionis, quale nimirum revelatum fuerit crimen proximi, vel objectum judicii temerarii, vel contumeliæ, quale convitium ſit ei illatum, modò explicetur gravitas proprii peccati, ſi fuit mortale: Et ita etiam aliis relatis teſtatur Diana, *par. 1. tract. 7. Reſol. 28.* In læſione corporis tamen mutilatio, occiſio, gravis doloris inflictio, non ſufficienter exprimuntur per verba generica, dicendo, intuli proximo grave damnum in bonis corporis, quia prædicta mala ſecundùm diverſam æſtimabilitatem magis ſpecificam variant ſpeciem peccati; ſicut oſcula, turpes tactus, & fornicatio, quando ſeorſim exercentur. Quando verò non exercentur ſeorſim; ſed ſi oſcula, & tactus præmittuntur fornicationi mox ſecutæ, tunc in Confeſſione fornicationis priores actiones cenſentur incluſæ. Et ſic etiam inflicta vulnera includuntur in Occiſione, quando cum illa fuerunt moraliter connexa; unde ſufficeret in tali caſu exprimere in Confeſſione fornicationem, vel occiſionem.

88 (margin, beside "Melior ergo diſparitas")

89 Quæritur ſecundò. An ſi quis ex propoſitionibus à Summis Pontificibus Alexandro VII. Innocentio XI. Alexandro VIII. prohibitis aliquam, vel aliquas privatim vel publicè doceret, is in Confeſſione ipſam propoſitionem indicare deberet; vel an ſatisfaceret, dicendo: *Ego alios docui propoſitionem, à Summo aliquo Pontifice prohibitam.* Reſp. Etiamſi ipſam propoſitionem in ſpecie non ſit neceſſe explicare, quia tamen non omnes propoſitiones iiſdem virtutibus opponuntur, ideo ſaltem exprimenda eſt ipſa differentia Oppoſitionis cum illa virtute, à qua ſpecialiter prohibetur talis aſſertio, e. g. Inter propoſitiones ab Alexandro VIII. prohibitas propoſitio 24. eſt. *Oblatio in templo, quæ fiebat à B. V. in die Purificationis*

ſuæ

ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtatur, quòd indiguerit Purificatione, & quòd Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus eſſet, ſecundùm verba Legis. Propoſitio 26. dicit. *Laus quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, Vana eſt*.

90 In iſtarum duarum Propoſitionum traditione plures differentiæ ſpecificæ mortalium peccatorum continentur; continetur enim malitia oppoſita Charitati proximi, & Juſtitiæ propter grave damnum in Bonis ſpiritualibus per erroneam doctrinam proximo injuſtè illatum. Oppoſita etiam eſt dictarum propoſitionum traditio obligationi Fidei; quia hæreticum eſt dicere, B. Virginem indiguiſſe purificatione, hoc enim eſt negare illius Virginitatem; hæreticum etiam eſt dicere, Chriſtum contraxiſſe aliquam maculam Legalem ex Matre Immaculata, & Legi Purificationis minimè ſubjecta, ex cujus voluntaria expletione tam ineptè inſertur ejuſmodi macula, quàm ex Circumciſione Chriſti inſerretur macula peccati originalis, & ex Baptiſmo pœnitentiæ ipſi adminiſtrato à Joanne, inſerretur indigentia pœnitentiæ. & ex ſoluto tributo inſerretur ſubjectio Chriſti erga Cæſarem, hæ enim omnes actiones ex alio fine & intentione peractæ ſunt, quàm ad ſignificandam aliquam obligationem, aut neceſſitatem, propter quam ab aliis hominibus peragebantur.

Hæreticum etiam eſt dicere, Beatiſſimam Virginem Mariam, & quemcumque alium Sanctorum, non eſſe dignum immediata laude, & honore, ſed ſolum Deum in Sanctis ſuis laudandum ac honorandum eſſe, hoc enim eſt contra Formulam Fidei juſſu Pii IV. editam, & contra totius Eccleſiæ ſenſum; praxim, & præceptum, atque contra illius intentionem, ipſa Canonizatione Sanctorum manifeſtatam: Adverſatur etiam evidenti paritati Rationis: Si enim datur obligatio obſervantiæ erga Majores, & in donis naturalibus Prudentiæ, Sapientiæ, Scientiæ, Nobilitatis, Muneris aut Functionis eminentes in terris, multò magis dabitur obligatio Duliæ erga Sanctos in Cælis, & Hyperduliæ erga B. V. Mariam, ut Mariam, id eſt, immediatè erga ipſam, tot ac tantis donis Supernaturalibus, & Dignitate Matris DEI exornatam, qui ultimus titulus ſicut parit ſpecialem cognationem cum Homine DEO, ita etiam parit in ejus contemptu, ſpecie diverſam contumeliam, à contumelia in alios Sanctos: Fit enim quaſi læſæ ſpecialis Majeſtatis reus, qui Matrem DEI, & Reginam cæli ac terræ contemnit: quemadmodum in æſtimatione hominum non tantùm graviùs, ſed etiam diverſimodè delinqueret, & Regem offenderet, qui in Reginam, & qui in Amicum Regis contumelioſus eſſet. Itaque prædictarum propoſitionum traditio præter malitiam hæreſis externæ continet etiam malitiam blaſphemiæ ſpecialis contra B. V. Mariam, & primæ propoſitionis traditio continet duplicem Blaſphemiam ſpecie diverſam, unam contra Religionem hyperduliæ, & alteram contra Religionem Latriæ: ſicut enim Chriſto ratione Divinitats debetur cultus Latriæ, ita contemptus Chriſti opponitur eidem Cultui. Revideri pro Confeſſione Blaſphemiæ poſſunt à me dicta *tractat. 5. diſp. 3. n. 294*.

91 A relatarum propoſitionum traditione rurſum ſpecie diverſam malitiam contineret traditio, ſi quis doceret propoſitionem 25. ab Alexandro VIII. prohibitam; nimirum hanc: *DEI Patris ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in templo collocare*. Malitiæ enim oppoſitæ Charitati, & Juſtitiæ contra deceptos erronea doctrina, & hæreſi externæ, contra cultum Imaginum prolatæ, ſuperadderet diverſam ſpeciem contra Religionem; quia aſſerendo nefas eſſe, DEI Patris ſimulacrum in templo collocare, poſitivè & directè ac fraudulenter impeditur Cultus, qui exhibetur DEO in Imagine ſua, & à quo diſcipuli per deceptoriam comminationem peccati retrahuntur: etiamſi enim non liceat facere ſculptile, ut adores illud. ſcilicet ipſum ſculptile adorando ut DEUM, licet tamen facere, & in eo adorare DEUM verum, qui repræſentatur per illud, adeòque adorare adoratione latriæ, non abſoluta terminata in ſimulacro, ſed reſpectiva ad verum DEUM, qui licèt ſit puriſſimus Spiritus, licet tamen illum imagine ſenſibili repræſentare, & in ea colere: nec major eſt ratio, cur DEI Patris Simulacrum fieri non debeat, quàm ne fiat Spiritus S. & tamen quid vetat, illum in ſpecie columbæ, vel linguæ igneæ depingere, vel efformare, cùm ipſe ſub tali imagine apparere dignatus ſit?

92 Iterum aliam ſpeciem peccati continet 29. propoſitio, damnata ab Alexandro VIII. *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Roman. Super Concilium Oecumenicum Authoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate*. Hæc enim propoſitio, cujus oppoſitam Bellarminus *lib. 2. de Conciliis cap. 17. in princip.* prope de fide eſſe aſſerit, à Summo Pontif. prohibita eſt ad minimum ut periculoſa in fide, propter manifeſta teſtimonia S. Scripturæ, quæ prudenter aliter explicari non poſſunt, quàm de poteſtate Summi Pontificis ſuper omne Concilium Generale, in definiendis quæſtionibus fidei, & morum, independente à Concilio Generali. Nam teſte S Matthæo *cap. 16. v. 18.* Chriſtus in præſentia aliorum diſcipulorum, qui integrum Concilium Generale repræſentare potuerant, Soli Petro Vicariam, Supremam, Abſolutam, & Univerſalem poteſtatem ſuper Univerſam Eccleſiam promiſit, dicens: *Ego dico tibi*, (non vobis, non veſtro Collegio, ſive Concilio) *quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam* (adeòque ipſum Concilium Generale, repræſentans Eccleſiam nitetur firmitate, id eſt, infallibilitate hujus Petræ) *& portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo Claves*, (quæ ſupremam denotant poteſtatem,) *Regni cælorum. Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis. Et quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*.

Rurſum, ut refert S. Joannes *cap. ult.* in præſentia ſex aliorum Diſcipulorum Chriſtus commiſſurus actu ſupremam poteſtatem ſoli Petro, ter exegit Amorem ab illo ſummum, ut ſicut reliquos poteſtate, ita etiam Charitate Chriſti omnes ſuperaret: & trinæ atteſtationi Petri de ſuo in Chriſtum amore, ipſe Chriſtus ter retribuit, & confirmavit Officium Univerſalis Paſtoris tam Agnorum, quæ nondum pariunt, quàm Ovium, quæ alios agnos, id eſt, fideles pariunt, nempe Epiſcoporum. Neceſſitas etiam Eccleſiæ, à Chriſto utique prudentiſſimè & optimè inſtitutæ exigebat, ut Chriſtus ſuo Vicario talem ſupremam, & infallibilem poteſtatem à Concilio Gen. independentem conferret, quod non niſi rariſſimè, & difficillimè convocari poteſt, cùm tamen frequens ſit neceſſitas, exortas fidei controverſias infallibiliter definiendi; ita ut omnes definitioni Summi Pontificis firmiſſimè credere & acquieſcere teneantur: aliàs certè, ut ab experientia patet, antequam cogeretur Concilium Generale, ita invaleſcerent hæreſes, & adeò in multos propagarentur, ut evelli ampliùs non poſſent, prout in noſtra Germania contigit per illud longum & infauſtum *interim*.

Cùm ergo Propoſitio, ab Alexandro VIII. damnata ad minimum (conſultò enim abſtineo à graviori cenſura) certo & indubitato periculo errandi in veritate fidei ſit expoſita, ideò propriam malitiam ſpecificam continet ab obligatione fidei ita prohibitam ſub mortali, ſicut aliæ virtutes v. g. Caſtitas non tantùm prohibent actum principaliter ſibi oppoſitum, v. g. Luxuriam; ſed etiam proximum, ac certum periculum committendi illum actum principalem; ita ut licèt in Confeſſione non quidem rectè explicaret quis ſuum peccatum, dicendo, commiſi Luxuriam, ſi ea non fuiſſet ſecuta, dicere tamen teneretur: Expoſui me certo, ac prudenter innegabili proximo periculo committendi Luxuriam.

93 Non minùs contra Obligationem Fidei graviter peccaret, qui doceret propoſitionem 30. ab Alexandro VIII. condemnatam, quæ aſſerit. *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam*. Si enim daretur aliqua Pontificis Bulla, contrarium definiens, vel in contrario ſenſu declarans mentem S. Auguſtini, quàm in quo privato Doctori videtur eſſe clara, & ſi iſte tamen diceret, & doceret, non reſpiciendam eſſe Bullam Pontificis, talis utique peccaret graviter contra fidem negando Summo Pontifici infallibilitatem in definiendis quæſtionibus fidei, eique præferendo S. Auguſtinum, vel ſuam privatam interpretationem S. Auguſtini: cùm tamen ſoli Summo Pontifici à Chriſto data,

&

& Eccleſiæ per citatos textus revelata ſit Infallibilitas in definiendis controverſiis fidei : ipſeque S. Auguſtinus per libros ſuarum retractationum toti Orbi teſtatum fecerit , ſe errare potuiſſe . Unde ne ſua , vel ullius alterius docti Epiſcopi doctrina præferretur Veritati in Eccleſia DEI definitæ, ipſe S. Auguſtinus *in epiſtol.* 48. *ad Vincentium contra Donatiſtas* ſollicitè præmonuit . Itaque propoſitio prohibita ſeipſam evertit per ipſius Sancti Auguſtini claram doctrinam , quæ refertur, *in cap. Noli frater diſtinct.* 9. his verbis . *Noli frater contra Divina tam multa , tam clara, tam indubitata teſtimonia colligere velle calumnias ex Epiſcoporum Scriptis, ſive noſtrorum, ſicut Hilarii, ſive (antequam pars Donati ſepararetur) ipſius unitatis , ſicut Cypriani , & Agrippini : primò quia hoc genus litterarum ab Authoritate Canonis diſtinguendum eſt : non enim ſic leguntur , tamquam ita ex eis teſtimonium proferatur , ut contra ſentire non liceat , ſicubi fortè aliter ſapuerint , quàm veritas poſtulat . In eo quippè numero ſumus , ut non dedignemur etiam nobis dictum ab Apoſtolo accipere (Et ſi quid aliter ſapitis, id quoque DEUS vobis revelabit.)*

94 Debet præterea docens propoſitionem à Summo Pontifice prohibitam etiam quandoque mentem , ac pravam intentionem ſuam in Confeſſione doctrinæ prohibitæ explicare : pro exemplo ſit propoſitio 31. ab Alexandro Octavo prohibita . *Bulla Urbani VIII.* in Eminenti *eſt ſubreptitia* . Si quis enim hanc propoſitionem doceret hac intentione , quia crederet , & credi vellet , veras eſſe illas doctrinas , quæ in Bulla tamquam à Catholica Veritate alienæ damnantur , rurſum peccaret contra obligationem fidei , vetantem ſub culpa mortali omnes propoſitiones ſive manifeſtè hæreticas , ſive periculoſas in fide , præſertim ut tales per Bullam certò authenticam damnatas , qualis eſt Bulla Urbani Octavi non tantùm poſt Alexandri Octavi novam illam Conteſtationem ; ſed jam per præcedentem publicam editionem *Anno* 1641. præmiſſo eorum, quæ in ea contra errores Baii continentur longo examine trium Pontificum Pii Quinti Gregorii XIII. & Urbani VIII. Eſt præterea dicta Bulla *Anno* 1644. coram deputatis Academiæ Lovanienſis Sinichio & Papio Romæ ex matrice Actorum tranſcripta , collationata , & ejuſdem impreſſum exemplum conſignatum 29. *Julii* ex decreto Urbani VIII. *die* 16. *Junii* dato. Unde ſiniſtra privati doctoris Intentio tam parùm eſt excuſabilis , quàm ſi diſcredens alicui articulo fidei , diceret: *Ego credo omnia , quæ DEUS eſt locutus, ſed nego DEUM eſſe hunc articulum locutum.*

95 Quòd ſi verò propoſitio aliqua à Pont. prohibita non verſetur in materia fidei, ſed morum , hoc ipſum in Confeſſione exprimendum eſt, quia doctrina Scandaloſa continet malitiam Scandali, & quidem Scandali directi, ſi id, quod ſcitur eſſe illicitum , doceatur eſſe licitum : unde etiam explicandum erit objectum , ut cognoſcat Confeſſarius, cui virtuti in ſpecie illud opponatur, ut de Confeſſione Scandali dixi *tract.* 3. *numer.* 109. Et ſi doctrina falſa alteri etiam tertio ſit noxia in Bonis animæ, ut eſt propoſitio 27. & 28. ab Alexandro VIII. damnata , ubi aſſeritur Valor Baptiſmi ſine debita forma, & intentione collati, vel in bonis corporis , vel honoris aut famæ, vel in bonis fortunæ, uti ſunt diverſæ propoſitiones ab Alexandro Septimo, ac Innocentio XI. prohibitæ, id rurſum in Confeſſione explicandum eſt , & ſi per erroneam doctrinam deceptus , alteri in bonis fortunæ damnum ſine culpa Theologica intulit , nec res aliena apud ipſum extet , neque ſit ditior factus, tunc ad reſtitutionem tenebitur is , qui ſcienter talem noxiam , ac prohibitam doctrinam tradidit : ſicut etiam tenetur ad avertenda omnia alia inde ſecuta , & ad ſaniorem doctrinam tradendam , prioremque revocandam.

Ex quibus omnibus patet reſponſio ad propoſitam quæſtionem, quòd nempè *ad Circumſtantiam Quid* in Confeſſione rectè exprimendam non ſufficiat præcisè ſic ſe accuſare *docui ſcienter propoſitionem prohibitam*: Sed oporteat, vel ipſam propoſitionem exprimere, vel, quod ſæpè laborioſius erit, omnem oppoſitionem cum diverſis virtutibus explicare.

96 Quæritur 3. An in Confeſſione jactantiæ de peccato mortali manifeſtanda ſit ſpecies peccati, non tantùm ſi fiat cum complacentia , gaudio, & approbatione illius, de quo omnes affirmant ; ſed etiam quando fit ex ſola intentione vanæ gloriæ, apud alios de peccato , qua tali, ſi enim non ſit de peccato, qua tali, ſed de arte, ingenio, animoſitate , fortitudine elucentibus ex peccato , iterum omnes fatentur, jactantiam ſecluſo ſcandalo, (quod ſi intervenisſet, foret explicandum) eſſe tantùm peccatum veniale . Reſpondet affirmativè Thom. Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. capit.* 3. & ab eo allegatur Emanuel Rodriquez, & Ludov. Lopez, negat Lugo citans *numer.* 268. Navarrum , Palao , Dianam , quia jactantia ex prædicta intentione prolata non prohibetur à virtute, cui jactatum peccatum opponitur, ſed conſiſtit ſolummodò in indecentia, quòd quis glorietur de offenſo DEO, qui eſt ſpecialis contemptus DEI, ſicut eſſet contemptus Principis, ſi quis gloriaretur de offenſa Principis, cujus ſpecifica differentia tantùm materialiter ſe habet ad dictam indecentiam . Ego puto poſteriorem ſententiam cum ſua ratione quidem veram eſſe , ſed vix umquam ex indicata intentione jactantiam contingere , quin aliquis ſibi ipſi complaceat de eo crimine , de quo quis vult aliis placere , adeòque quin ipſum crimen placeat, & tunc vera erit prior ſententia.

Similes quæſtiones inſtitui poſſent circa objecta varia 97
aliorum peccatorum. e. g. An in violatione voti explicanda ſit res voto promiſſa. An in peccato Luxuriæ varietas voluptatis venereæ exprimenda. Similia de Superſtitione, Sacrilegio, Simonia quæri poſſent. Sed de his dixi in propriis locis : nim. de Voto, *in tract.* 5. *diſput.* 1. *numer.* 105. de Luxuria *tract.* 4. *diſput.* 1. *num.* 74. & 76. de Superſtitione *tract.* 5. *diſp.* 3. *art.* 1. De hac tamen in Ordine ad Confeſſionem notandum eſt, ibi diviſionem ſuperſtitionis non factam eſſe in ſpecies infimas ; nam plura membra diviſionis ſunt ulteriùs diviſibilia in inferiores ſpecies. e. g. Cultus falſus veri DEI differt ſpecie, ſi falſitas ſe teneat ex parte perſonæ colentis, & ſi ſe habeat ex parte objecti, ſive cultus objectivi. Rurſum cultus vanus, qui adhiberetur, v. g. in Sacrificio Miſſæ , & adminiſtratione Sacramentorum contra ritum præſcriptum ſpecie diverſificaretur à Cultu vano extra tam Sancta Miniſteria adhibito. Item vana Obſervantia per Artem Notoriam ſpecie differt à Maleficio , quod continet etiam ſpeciem injuſtitiæ : quatenus tamen Divinatio, & vana obſervantia ſecundùm diverſos ſuos modos malitiam ſuam deſumunt à tacita , vel expreſſa invocatione diaboli , ſecundùm hoc ſolum potiùs differunt materialiter, quàm formaliter ut dixi, *loc. cit. num.* 281. & 283. De Sacrilegio etiam dixi, *eod. tract.* 5. *diſp.* 3. *articul.* 2. §. 3. ubi Sacrilegium Perſonale , Locale , & Reale , in inferiores ſpecies ſubdiviſi . Ibi etiam *in* §. 1. Tentationem DEI Formalem , & Interpretativam ſpecie diſtinxi. Et *in* §. 4. *numer.* 311. Simoniam in Naturalem , & poſitivam diſtribui , quas probabiliter etiam in ordine ad Confeſſionem ſpecie differre docui , *in tractat.* 2. *diſput.* 2. *numer.* 41. *in reſp. ad object.* 3. Imò hæ ipſæ Species ratione objectorum ſpiritualium diverſas malitias ſpecificas ſub ſe continent : utique enim Simoniaca adminiſtratione Sacramentorum : & hæc à Simoniaca adminiſtratione Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & Simoniaca venditione Beneficii Eccleſiaſtici, ac à Venditione Sepulturæ, veſtium, rerum, aut reliquiarum Sacrarum. Et quia Simonia realis & Confidentialis in collatione Beneficii Eccleſiaſtici, & realis in collatione ordinis habet annexam Cenſuram ac Reſervationem , ideo hæc diverſitas objectiva eſt ſpecialiter exprimenda ut à Confeſſario privilegiato directè à Cenſura quoque abſolvatur.

§. III.

Circumſtantia Ubi.

S U M M A R I U M.

98 *Peccatum commiſſum poteſt ratione loci contrahere differentiam Scandali, vel Sacrilegii.*

99 *Aliquæ actiones Jure naturæ, aliquæ Jure poſitivo, aliquæ nullo Jure prohibentur fieri in loco ſacro.*

100 *Qua-*

100 *Qualia peccata in loco ſacro commiſſa contineant ſpeciem ſacrilegii.*

101 *An omnia peccata moralia externa in loco ſacro facta contineant ſaltem venialem irreverentiam.*

102 *Quid intelligatur nomine loci ſacri.*

98 Circumſtantia *Ubi* explicanda eſt in Confeſſione, quando peccatum, vel quia eſt in loco publico factum, aliis occaſio fuit gravis Scandali, vel quia eſt in loco ſacro commiſſum, ſpecialem malitiam Sacrilegii contraxit, de qua quando, & quomodo contrahatur, dixi *in tractat. 5. diſputat. 3. art. 2. §. 3. num. 298.*

99 Ut verò hæc Circumſtantia loci meliùs intelligatur, advertendum eſt, aliquas actiones habere naturalem dedecentiam poſitivam, & gravem, ſi in loco ſacro fiant, ut eſſet exſpoliatio, vel violenta devaſtatio loci ſacri: qualem utique Innocentius Tertius etiam reputat illam, de qua *in cap. Cùm decorem domus DEI. De vita & honeſtate Clericorum*, è loco ſacro eliminanda ſic ſtatuit. *Interdum ludi fiunt in Eccleſiis theatrales, & non ſolùm ad ludibriorum ſpectacula introducuntur in eis monſtra larvarum; verùm etiam in aliquibus feſtivitatibus Diaconi, Presbyteri, ac Subdiaconi, inſaniæ ſuæ ludibria exercere præſumunt, &c. Fraternitati veſtræ mandamus, quatenus ne per hujuſmodi turpitudinem, Eccleſiæ inquinetur honeſtas, prælibatam ludibriorum conſuetudinem, vel potiùs corruptelam curetis à veſtris Eccleſiis extirpare.* Alias autem actiones quàm plurimas in ordine ad locum ſacrum habere tantùm dedecentiam negativam, vel poſitivam quidem, ſed non ipſo Jure naturæ graviter prohibitam, quæ ſcilicet non ideò graviter dedecent, quia in loco ſacro fiunt; quas tamen valdè decet in eo non fieri, & in reverentiam loci intermitti, quæ proinde reverentia poteſt Lege Eccleſiaſtica etiam graviter præcipi, ut patet, ex interdicta adminiſtratione Juſtitiæ per ſententiam Judicis Sæcularis in templo, vel per extractionem Rei, gaudentis privilegio aſyli. Similia præcepta Eccleſiaſtica graviter obligantia ad quandam honeſtatem, ac decentiam, Jure naturæ non præceptam, nec oppoſitam gravi dedecentiæ naturali, etiam dantur in aliis materiis, e.g. in Jejunio naturali ante ſumptionem Euchariſtiæ, ante quam non committitur naturalis, & poſitiva dedecentia, ſi priùs ſumatur cibus, aut potus profanus; eſt tamen ſpecialis decentia, & nunc Lege Eccleſiaſtica graviter præcepta, ne priùs ſumatur cibus aut potus profanus; & ſuppoſita tali prohibitione comeſtionis aut potationis profanæ, committeretur gravis indecentia contra Jus poſitivum Religionis. Simile quid contingit in poſitivo præcepto Eccleſiæ in reverentiam Sacramenti Matrimonii, & Cognati Sanguinis, inducente impedimentum Conſanguinitatis, Affinitatis, & publicæ honeſtatis, dirimens Matrimonium contrahendum.

100 Itaque de Circumſtantia Loci Sacri hæc ferè Regula tenenda eſt, quòd nempè illa peccata mortalia, quæ neque intenduntur, ac diriguntur in formalem contemptum loci Sacri, neque habent dedecentiam naturalem, & gravem poſitivam, quia fiunt in loco Sacro, & quæ neque Lege poſitiva prohibita ſunt fieri in loco Sacro, non contrahant gravem malitiam Sacrilegii, in Confeſſione illorum explicandam, quia in loco Sacro ſunt facta, & ideò de peccatis mortalibus merè internis etiam fatetur Suar. *tom. 1. de Relig. tractat. 2. lib. 3. capit. 7. numer. 7.* citatis Navar. Sylv. Ludov. Lopez, Corduba & aliis in ea ratione loci Sacri, quòd ibidem commiſſa ſint, non refundi malitiam Sacrilegii; quia in his neque intervenit ſpecialis prohibitio Eccleſiæ, quæ non judicat de Occultis, nec actus interior infert ſpecialem injuriam loco Sacro, quia hoc ipſo, quòd non ſit ſenſibilis, ex natura ſua eſt à loco ſenſibili quaſi independens & inhabilis ad locum Sacrum in æſtimatione hominum reddendum viliorem, aut contemptibilem, quod requiritur tamen ad hoc, ut cenſeatur locus dehoneſtari: cùm etiam nonnulli Doctores de actu externo ſemper manſuro occulto, & tantùm per accidens inſenſibili ab aliis, id ipſum aſſerant. Univerſim verò de peccatis externis dicit citatus Suarez numero præcedenti, *omne peccatum externum in Eccleſia factum habere inde aliquam malitiam Sacrilegii, ſaltem venialem, rarò autem moralem, niſi ubi prohibitio Eccleſiæ intervenerit, vel notabilis irreverentia in ipſo actu apparuerit.* Quibus verbis clarè expreſſit prædictam noſtram Regulam, à pluribus approbatam: quòd ſcilicet pręter eas actiones mortaliter peccaminoſas, vel etiam non peccaminoſas, & quę poſitivam, & gravem dedecentiam continent, ſi in loco Sacro fiant, (qualem idem Suarez *citat. cap. 7. num. 2.* putat eſſe copulam conjugalem, etiamſi Lege Eccleſiaſtica prohibita non eſſet, & quales videntur etiam eſſe publicę nundinationes, proptereà à Chriſto apud S. Marcum *cap. 11. verſic. 15.* caſtigatę, & profanę exhibitiones Scenicę, etiamſi ipſę quoque non eſſent ab Eccleſia interdictę) nullę alię actiones, quantumvis mortaliter peccaminoſę contrahant malitiam gravis Sacrilegii, niſi quas in reverentiam Loci Sacri Eccleſia ibidem fieri vetuit. Quamvis enim v.g. gravis detractio famę alienę ſit longè gravius peccatum contra Juſtitiam quàm furtum rei gravis, quia tamen de detractione famę, ne in loco Sacro fiat, nulla extat prohibitio Eccleſię, de furto autem extat, ideò hoc quando eſt rei Sacrę, aut depoſitę in loco Sacro, ſimul eſt grave Sacrilegium, & hujuſmodi actiones Jure Eccleſiaſtico Sacrilegas loco in principio hujus paragraphi citato, omninò ſex enumeravi: quibus addo Septimam, nempè ſepulturam ejus, quem Eccleſia prohibet in loco Sacro ſepeliri: ut ſub Excommunicatione prohibet ſepeliri omnes Excommunicatos, vel interdictos non toleratos *in Clemen. cap. 1. de Sepulturis*, & pręſertim hęreticos eorumque fautores denunciatos *in capitul. Quicumque de hæreticis in 6.*

101 Id verò, quod ex Suarez antè retuli, nempè quòd omne peccatum externum in Eccleſia factum habeat inde aliquam malitiam Sacrilegii, ſaltem venialem, videtur; quoad malitiam dumtaxat venialem, vel declaratum, vel conſtitutum a Concil. Carthag. III. *cap. 30.* relato *in capit. Oratorium, & capitul. In Oratorio diſtinct. 42.* In priore dicitur. *Oratorium hoc ſit, quod dicitur, nec tibi quidquam aliud geratur, vel condatur, quàm quod Divinis Miniſteriis conveniat.* In poſteriore hoc habetur. *In Oratorio præter orandi, & pſallendi cultum nihil agatur: ut nomini huic & opera jugiter impenſa concordet.*

102 Per Oratorium autem, & per locum Sacrum, non intelligitur hìc Oratorium privatum, ſine Epiſcopi Authoritate erectum, nec intelliguntur alia loca pia, ut Cœnobia, & Hoſpitalia, ſive Xenodochia, quamvis in favorabilibus Eccleſię in ordine ad participationem quorundam privilegiorum, & immunitatis ęquiparentur. *Leg. Omnia privilegia Cod. de Epiſcopis, & Clericis, & capit. Ad hæc de Religioſis domibus.* Sed intelliguntur Oratoria publica, ſive Eccleſię, etiamſi nondum ſint conſecratę, ſi nempe, ut inquit Suarez, *l. c. cap. 1. numer. 1.* & Laymann *lib. 4. tract. 10. capitit. 5. numer. 7.* Locus Epiſcopi Authoritate publicè ſit deſtinatus pro uſu Fidelium ad Miſſas, & Conciones audiendas, recipiendaque Sacramenta, quamvis fortè Sacrificia, & alia Divina Officia nondum in eo celebrari cœperint. Non enim ideò, inquit cit. Laymann, locus Sacer eſt, quia in eo Sacrificium celebratur, ſed potiùs ideò in eo ſacrificare licitum eſt, quia Sacer ſive ad cultum Divinum publica Authoritate deputatus eſt: uti etiam notavit Suar. *cap. 9. numer. 4.* Unde quamvis locus Sacer non accipiatur tam univerſaliter, ſicut ſumitur in favorabilibus, e. g. in privilegio Immunitatis Eccleſiaſticę, quia Lex ſtatuens Sacrilegium numeratur inter obligationes oneroſas ſive odioſas, non tamen etiam ſumitur ita ſtrictè, ut ſolam Eccleſiam conſecratam denotet: nam *in cap. ult. de Conſecratione Eccleſiæ* expreſsè dicitur. *Si Eccleſia non conſecrata cujuſcumque fuerit Seminis, vel Sanguinis effuſione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur, ne Divinæ laudis organa ſuſpendantur.*

§. IV.

§. IV.

De Reliquis Circumſtantiis.

S U M M A R I U M.

103 *Quando actio illicita ponitur per medium ex ſe illicitum, utriuſque ſpecifica malitia eſt explicanda.*

104 *Quando medium honeſtum, vel indifferens aſſumitur ad finem inhoneſtum, vel è contra medium inhoneſtum ad finem honeſtum, per ſe loquendo, ſufficit explicare inhoneſtatem finis, aut medii: quando tamen ipſum medium, in ſe quidem non inhoneſtum, reddit impoſſibilem executionem alicujus præcepti, id ſine juſta cauſa factum explicandum eſt.*

105 *Modus peccandi ſæpe addit novam ſpeciem. Quomodo explicandum ſit peccatum ex conſcientia erronea factum.*

106 *Peccatum mortale die feſto commiſſum non contrahit aliam ſpecificam malitiam, quando non eſt actio ſervilis aut ſpecialiter prohibita tali die.*

107 *Et quando non fit ex formali contemptu feſti diei: qui contemptus tamen non eſſet propriè dictum Sacrilegium, ſicut eſſet contemptus loci Sacri.*

103 CIrcumſtantia, *quibus auxiliis* mutat ſpeciem, ſi media ſpecialem malitiam continent, ut ſi fureris ope dæmonis, ſi per Sacram Euchariſtiam ſuperſtitionem exerceas, ſi alios ad operam illicitam præſtandam inducas &c.

104 Circumſtantia *Cur*, denotat finem exprimendum, ſi is ex ſe inhoneſtus ſit, ut ſi fureris, ut te inebries, imò ſi medium in ſe non ſit inhoneſtum, nec finem aliquem ſub præcepto debitum, impoſſibilem reddat, ſecundum longè communiorem, & probabiliorem ſententiam in medium nulla transfunditur malitia, ex intentione finis mali, & tunc ipſe finis non eſt circumſtantia, ſed ſubſtantia actus peccaminoſi. Viciſſim ſi medium ſit inhoneſtum, finis autem non ſit inhoneſtus, iterum ſecundùm probabiliorem, & communiorem ſententiam non eſt neceſſe indicare finem.

Exemplum prioris partis eſt, ſi quis alicui det pecuniam, vel aliud opus indifferens faciat, ut alterum ad peccandum inducat, non oportet exprimere id, quo alterum inducit ad peccatum. Dixi tamen, *ſi medium non reddat impoſſibilem finem*. Nam ſi quis Breviarium abiiciat ex intentione longo tempore non recitandi illud, vel pridie feſti ad venationem, vel in aliquem locum abſque juſta cauſa eat, ut ad miſſam audiendam redire nequeat, non rectè talis explicaret peccatum dicendo, ſe habuiſſe intentionem longo tempore non recitandi Breviarium, vel non audiendi miſſam, ſed ipſa actio, non quidem in ſpecie, exprimenda eſſet, & dicendum, ex intentione longo tempore non recitandi Breviarium, vel non audiendi miſſam die feſto, aliquid egi, quo fieret mihi impoſſibile recitare Breviarium, vel audire miſſam. Unde, quod contra Tannerum *tom.2. diſput.4. quæſt.4. num.26.* & Dianam *par.1. tract.7. Reſol.63.* noto, etiam peccatum ſuum non rectè confiteretur, qui ſolum effectum ſignificaret dicens: ſe tanto tempore non recitaſſe Breviarium, vel non audiviſſe miſſam, niſi eodem die, quo reddidit ſibi impoſſibilem executionem præcepti, ipſum anteà exequi potuiſſet. Nam quando recitatio Breviarii vel auditio miſſæ eſt reddita impoſſibilis, ipſa ſecundùm multos non ampliùs eſt peccatum, ſaltem quando cauſa impoſſibilitatis eſt retractata: ut Becano, & Villalobos etiam advertit Diana *loc. citat.* Cæterùm quia non ſemper eſt illicitum, obſervationem præcepti ſibi facere impoſſibilem, vel indebitam, ideò aliunde ex cauſis excuſantibus, vel non excuſantibus cognoſcendum eſt, quando id in Confeſſione ſit explicandum.

Poſterioris partis exemplum eſt, ſi quis v.g. negligat miſſam, ut ſtudiis vacet, ſatis eſt, dixiſſe, non audivi miſſam, quia inordinatus amor ſtudiorum, vel ſcientiæ non eſt mortaliter peccaminoſus quoad intentionem finis, ſed quoad electionem medii, & ideò ſufficit hanc expoſuiſſe: deinde quia violatio præcepti adhibita, ut medium, neceſſariò procedit ex intentione alicujus finis, hoc ipſo, qui confitetur medium, confitetur inordinatum aliquem affectum ad finem, qui quando ipſe non eſt mortaliter inhoneſtus, in Ordine ad obligationem confitendi, tantùm materialiter differt ab altero v.g. inordinatus amor ſtudiorum, vel otii, vel luſus, vel ſomni, non contrahit gravem malitiam diverſam ex objecto, ſed participat eandem ex eodem medio graviter peccaminoſo.

Circumſtantia *Quomodo*, ſpeciem mutat, quando modus peccandi eſt ſpecialiter inhoneſtus. Nam qui fœminam violenter luxuriæ cauſa abducit, committit peccatum raptus, qui vi alicui ſua eripit, exercet rapinam. Ad modum peccandi Cardin. de Lugo *num.* 498. reducit etiam ignorantiam, quando quis ex conſcientia erronea peccat, quia v. gr. putat dari legem jejunii, vel ſe illa teneri, cùm non teneatur, vel non obliget lex, vel ſe furari gemmam, aut rem alienam, cùm tantùm auferat vitrum, vel rem ſuam. Et quamvis contra Adrianum communiter dicatur peccatum ex conſcientia erronea commiſſum non differre ſpecie à commiſſo ex cognitione vera, cùm dictamen proximè directivum actus interni in utroque caſu ſit ſimile, & verum, tamen ſi quis peccatum ſuum ita confiteatur, non jejunavi die præcepto, furatus ſum rem alienam magni valoris, falſum dicit, & non confitetur illud peccatum, quod revera fecit; ex altera parte videtur difficile, hujuſmodi pœnitentem obligare ad peccatum ſuum aliter confitendum, ſi poſteà primùm agnoſcat errorem. Reſpond. itaque cum citat. Doctore, pœnitentem non eſſe obligandum, quia actum internum, qui verè fuit volitio ponendi talem actum externum, ſufficienter expreſſit, actus externus autem non habuit malitiam objectivam graviter peccaminoſam, vel ſi per actum internum aliqua in illum translata eſt, hanc ipſam expreſſit expreſſione actus interni; unde nihil reſtat, quòd ulteriùs confitendum eſſet. 105

Circumſtantia *Quando* ſecundùm non paucos quidem nec ignobiles DD. apud Sanchez *in Conſil. Moral. lib.5. capit.2. dub.3.* & apud Lugo *num.515.* facit, ut peccatum mortale die feſto commiſſum propter oppoſitionem cum cultu Divino, ea die ſpecialiter præcepto, contrahat ſpeciem gravis irreligioſitatis, aut Sacrilegii, ſecundùm aliorum verò longè plurium DD. ab eodem Lugo, & Sanchez ac Diana *par.1. tract.7. Reſ.32.* approbatorum & ut videtur ipſius S. Thomæ *3. diſt.37. quæſt.1. a.5. quæſt. 2. ad 2.* probabiliorem ſententiam per ſe loquendo id non facit, ut partim patet ex communi pœnitentium, & Confeſſariorum praxi, non curantium hujus circumſtantiæ expreſſionem in Confeſſione, partim ex paritate cum circumſtantia loci Sacri, aut perſonæ Sacræ, quæ circumſtantiæ etiam non univerſaliter transfundunt ſpecialem malitiam mortalem in quodvis peccatum grave in loco Sacro, vel à perſona Sacra perpetratum, licèt autem omne mortale peccatum habeat oppoſitionem cum cultu divino in genere, & illum, qui in ſpecie die feſto præcipitur, privet fructu ſuo, ex hoc tamen non ſequitur, transfundi in illud ſpecialem malitiam mortalem; quia fructus cultus divini, tantùm eſt finis Legis mediatus & remotus; finis autem Legis non cadit ſub legem: cultus verò ſpecialis, qui à Lege ſtatuente diem feſtum præcipitur, ut ſuppono, non impeditur ab exiſtentia, ſed tantùm à fructu. 106

Unde aliud eſt, peccatum mortale die feſto commiſſum fieri gravius, ſive pejus per acceſſionem novæ ſpecificæ malitiæ. Et aliud. Illud gravius opponi fini, mediatè ac ultimatè intento per Legem Divinam. *Memento, ut diem Sabbati Sanctifices*: & per Legem Eccleſiaſticam, prohibentem Opera ſervilia (alioquin licita) ne per hæc impediatur cultus Divinus, qui per peccatum mortale quidem magis impeditur, quia hoc magis contrariatur, & adverſatur Cultui DEI. Et hoc poſteriore ſenſu, non autem illo priore S. Thomas 2. 2. *quæſt.122. artic.4. ad 3.* dixit. *Sed alia opera ſervilia primo, & ſecundo modo* (ſcilic. Opera peccaminoſa, per quæ homo fit ſervus peccati, qui eſt primus modus, & opera propriè ſervilia, per quæ ſervitur homini, qui eſt ſecundus modus) *contrariantur obſervantiæ Sabbati* (id eſt, vel fini ipſius obſervantiæ, vel etiam ipſi rei obſervandæ, ac præceptæ) *in quantum impediunt applicationem hominis ad Divina. Et quia magis impeditur à rebus*

Divi-

Divinis per Opus peccati, quàm per opus licitum, quamvis ſit Corporale (poſitiva Lege Eccleſiæ prohibitum) *ideò magis contra hoc præceptum agit* (non illud transgrediendo, ſed illius fini adverſando) *qui peccat in die feſto*. Ratio autem, quare non obſtante majore oppoſitione Operis peccaminoſi cum fine per inſtitutionem Feſtorum intento, non contrahatur ſpecialis malitia contra Religionem Cultus Divini, contrahatur autem per opus propriè ſervile, patet ex dictis, quia finis Legis, qui non eſt ipſa res præcepta, ſed qui eſt finis rei præceptæ, qui adeòque eſt tantùm finis mediatus, ultimatus, extrinſecus rei præceptæ, non cadit ſub legem, conſequenter actio, quæ impedit hunc finem, hac ratione Legi adverſatur, ſed non eſt transgreſſio Legis: At verò opus propriè ſervile ita impedit finem Legis, ut ejus omiſſio ſit res præcepta, & ſit immediatus finis, ac objectum Legis. Quia ergo circa opus propriè ſervile omittendum extat ſpecialis lex, circa opus autem primo, & improprio modo ſervile non extat ſpecialis lex prohibens, niſi illius virtutis, cui peccatum ratione ſpecificæ ac propriæ ſuæ malitiæ opponitur, ideò iſtud non contrahit novam malitiam per hoc, quòd ſit commiſſum die feſto: Opus autem propriè ſervile, de quo omittendo extat præceptum Religionis, contrahit hanc ipſam malitiam ſpecificam, quia contradictoriè opponitur ejus omiſſioni, præceptæ ab Eccleſia ex motivo formali & immediato Religionis.

107 Dixi: *Per ſe loquendo* non omne peccatum mortale efficere ſpeciem gravis Sacrilegii die feſto: nam per accidens, ſi ſcilicet peccatum fieret ex intentione profanandi, ac contemnendi diem feſtum, utique ſpecies Sacrilegii, vel potiùs irreligioſitatis committeretur; quia non quidem violaretur res Sacra, quod ad rationem Sacrilegii propriè dicti requiritur, committeretur tamen gravis contemptus DEI. Et ideò Palao *tract.* 17. *diſputat.* 2. *punct.* 3. §. 2. *num.* 11. inter locum Sacrum, & inter tempus feſtum rectè hoc diſcrimen aſſignat. Quia tempus non eſt inter res Sacras numerandum: tempus enim non ſacratur, tametſi in illo Sacra fiant. Neque enim auditio Sacri, aut ſervilium operum abſtinentia mandatur in venerationem temporis, ſicut mandatur in Venerationem templi abſtinentia in illo à forenſi judicio, & mercatura.

Hæc de Circumſtantiis in Ordine ad exprimendam ſpeciem peccati in Confeſſione Sacramentali ſpecialiter dicta ſunt. Univerſalem notitiam de diſtinctione ſpecifica, & numerica peccatorum pro Confeſſione integrè inſtituenda tradidi *in tractat.* 2. *diſputat.* 2. *art.* 4. *&* 5.

ARTICULUS IV.

An ad integritatem materialem pertineant peccata dubia.

SUMMARIUM.

108 *Declaratur ſtatus quæſtionis.*
109 *Dubium aliud eſt poſitivum, & minùs propriè dictum, aliud negativum, ac propriè dictum. Ex priori dubio non oritur obligatio confitendi, quando probabilitas ſtat pro Innocentia.*
110 *Quando peccatum probabiliter in Confeſſione jam eſt expoſitum, ſublata eſt obligatio procurandi ſibi majorem certitudinem iterata Confeſſione.*
111 *Quid ſit dubium negativum, ſive propriè dictum.*
112 *Qui habet dubium negativum de commiſſo à ſe peccato mortali, nulla ratione probabili enervatum, tenetur illud confiteri.*
113 *Solvuntur objectiones.*

108 PRo ſtatu quæſtionis Adverte, de triplici veritate objectiva poſſe eſſe dubium, & ipſum dubium poſſe eſſe propriè, aut impropriè dictum dubium: prima veritas objectiva, ac dubia eſt, quando dubitatur, an peccatum fuerit commiſſum. Secunda: quando dubitatur, an peccatum certò commiſſum, ſit mortale, vel veniale. Tertia, quando dubitatur, an peccatum, quod ſcitur eſſe commiſſum, & fuiſſe mortale, fuerit in confeſſione aliquando expoſitum. Verùm hoc dubium non eſt de peccato, ſed potiùs de Satisfactione obligationis, ortæ ex peccato; & cùm certum ſit, obligationem durare, quamdiu non ſaltem probabiliter judicatur eidem ſuiſſe ſatisfactum, ideò hoc loco non quæritur, ſed potiùs ut indubitatum ſupponitur, peccatum mortale certum proxima Confeſſione eſſe proponendum.

De dubio impropriè dicto etiam hìc non inſtituitur quæſtio, eſt autem dubium impropriè dictum, quando quis in neutram partem contradictionis habet rationes certas, ac infallibiles, excluſivas omnis formidinis formalis, licèt habeat pro utraque, vel ſaltem pro alterutra ſufficientes ad probabilem aſſenſum. Si enim homo habeat ejuſmodi rationes pro negatione peccati, vel pro negatione malitiæ mortalis, etiamſi inſuper æque; vel etiam magis probabiles rationes habeat in contrarium, fatentur communiter Theologi, eum non teneri ad directam Confeſſionem peccati, etſi forſan propter aſſecurandam ſuam ſalutem, & ſupplendam incertitudinem contritionis ante mortem teneatur ad procurandam indirectam ab illo abſolutionem, Confeſſione aliorum peccatorum certorum. Rationem autem illius deobligationis aſſignant, quia, quando probabile eſt, aliquem, vel nullo modo, vel non mortaliter peccaſſe, hoc ipſo probabile eſt, eum non teneri ad Confeſſionem, niſi aliunde oſtendatur, Chriſtum exegiſſe majorem certitudinem pro immunitate Confeſſionis: ſed quando probabile eſt, eum non teneri, hoc ipſo non tenetur, ut inductione aliarum legum conſtat, ergo &c. 109

Ob eandem rationem contra Ægid. Coninck, *diſput.* 7. *dub.* 8. *numer.* 68. communiter etiam docetur, ſi peccatum mortale certum in Confeſſione probabiliter jam eſt expoſitum, iterum non dari obligationem repetendi illius Confeſſionem; quia, quando obligationi probabiliter eſt ſatisfactum, hoc ipſo probabile eſt, obligationem eſſe finitam, niſi quis per contractum ad ſatisfactionem certam ſe obligaverit, ad quam nonnulli putant ſe obligare, qui init contractum oneroſum, ſeu mutuum, v. g. emptionis: eò quòd videatur æqualitas juſtitiæ exigere, ut pro re ab altero certò tradita, reddatur ſolutio certa. 110

Solùm ergo hìc inquiritur, an teneatur ad Confeſſionem peccati, qui de prima vel ſecunda veritate objectiva dubitat dubio propriè dicto, id eſt tali, quod nititur rationibus inſufficientibus ad aſſenſum in alterutram partem contradictionis, ſufficientibus tamen ad probabilem metum, ne commiſſum fuerit peccatum, vel ne id, quod ſcitur, commiſſum fuerit mortale: ſive deinde etiam adſint rationes pro dubio propriè dicto in oppoſitum, ſcilicet in ordine ad probabilem ſpem non commiſſi mortalis peccati, ſive nullæ adſint: ſi enim non in tantum enervent alteras rationes dubitandi pro exiſtentia peccati mortalis, ut ſufficiant ad probabile judicium negans illius exiſtentiam, tunc iſtæ dicuntur adhuc cauſare dubium negativum, quo nimirum ita dubius hæret intellectus inter utramq; partem contradictionis, ut in neutram ponat rationes ſufficientes ad judicium probabile, ſicut è contrario diceretur dubium poſitivum, quando ab intellectu ponerentur vel pro utraque vel pro alterutra parte rationes probabiles, agnitæ ut ſufficientes judicium, hoc notato 111

Dico, peccata dubia dubio negativo ſeu propriè dicto, quo vel timetur commiſſum eſſe peccatum mortale, vel quod commiſſum eſt, eſſe mortale, probabiliùs pertinere ad integritatem, ſeu eſſe materiam neceſſariam Confeſſionis, ita S. Thomas 4. *diſt.* 21. *quæſt.* 2. *art.* 3. *ad* 3. & cum eo ferè omnes Theologi antiquiores, ac plerique recentiores, iis exceptis, quos refert P. Haun. *num.* 1005. proteſtans, ſe eorum ſententiam non approbare, quamvis, ſicut & Laymann illius fundamenta referat, multumque faveat, illamque etiam probabilem fateatur Joannes Cardenas *p.* 1. *in Criſi Theolog. tract.* 6. *diſp.* 46. *cap.* 5. quam *cap. præcedenti art.* 2. ait, olim ſibi quidem viſam eſſe prorſus improbabilem, ad quam opinionem rurſum revertitur Author, revocans Confeſſionem probabilitatis *p.* 3. *diſp.* 47. *cap.* 2. *& ſeqq.* noſtra verò omiſſis aliis 3. probationibus minùs efficacibus allatis à Suarez *diſp.* 22. *ſect.* 9. *n.* 5. & iterum aliis 2. propoſitis à Tannero *diſp.* 6. *quæſt.* 7. *n.* 49. ſic. 112

Prob.

Prob. 1. Et potiſſimùm : Chriſtus potuit Sacramentum pœnitentiæ ita inſtituere , ut ad ejus tribunal vocare voluerit non tantùm peccata certa , ſed etiam dubia , non obſtante illa regula juris , quòd in dubio melior ſit conditio poſſidentis, qua inattenta etiam *in capit. Ad audientiam & capit. Significaſti 2. de Homicidio*. Sacerdos in dubio, an occiderit hominem , dicitur habendus pro irregulari , adeòque privatur poſſeſſione libertatis, ac immunitatis ab irregularitate : ergo quia Doctores communiter, & conſtanter tradiderunt , de facto ita à Chriſto inſtitutum eſſe , quamvis rationes convincentes pro eo aſſerendo nullas adduxerint , rectè colligitur , ex Chriſti inſtitutione , & Apoſtolorum traditione, ac Succeſſorum propagatione ſententiam illam promanaſſe.

Probat. 2. Illa peccata, de quibus ante ſumptionem Euchariſtiæ procuranda eſt juſtificatio, ſunt materia neceſſaria Confeſſionis, per verba enim S. Pauli 1. *ad Corinth.* 11. *probet autem ſeipſum homo , & ſic de pane illo edat &c.* quibus neceſſitas procurandæ juſtificationis ſignificatur, exigitur Confeſſio Sacramentalis, & quidem directa. Quia ſi quis peracta jam Confeſſione ante Communionem recordaretur per oblivionem inculpabiliter omiſſi peccati mortalis, deberet priùs etiam illius directam abſolutionem procurare: atqui de peccatis negativè dubiis ante ſumptionem Euchariſtiæ procuranda eſt juſtificatio, ut credo etiam Adverſarios negare non poſſe, aut velle; cùm utique ille homo non ſe probaſſet dignum pane Euchariſtico comedendo , qui deſtitutus probabili ratione judicandi ſe immunem à peccato mortali , eam ſibi neque juſtificatione procurata compararet, ergo &c.

113 Obiicitur 1. Tridentinum *ſeſſ.* 16. *capit.* 5. *& canon.* 7. dicit, nihil aliud exigi à fidelibus, quàm ut ea peccata confiteantur, quibus ſe DEUM offendiſſe mortaliter meminerint, & paulò antè inquit , quorum conſcientiam habent, atqui de dubiis non habetur memoria , vel conſcientia , id eſt, ſecundùm S. Bernard. cordis ſcientia, ergo &c. Reſp. diſt. Maj. non habetur memoria , ut certorum, concedo Maj. ut dubiorum nego maj. Eodem modo non habetur conſcientia certa, qualis *in cap. Finali de Præſcriptionibus* requiritur, quando ait ; oportet, ut, qui præſcribit , in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienæ, concedo maj. non habetur conſcientia dubia nego maj. Tridentinum enim agens contra hæreticos, arguentes Eccleſiam, quòd exigat Confeſſionem omnium peccatorum mortalium , propter lapſum memoriæ ſæpè impoſſibilem, ſumit conſcientiam, prout opponitur oblivioni , & ſic etiam dubiam conſcientiam comprehendit , & quidem de illa tantùm conſcientia loquitur , cui non poteſt opponi judicium probabile de negatione peccati mortalis , eò quòd probabiliter non fuerit commiſſum peccatum mortale , vel ſit probabiliter jam expiatum per Confeſſionem , neque enim habuit rationem exigendi majorem certitudinem immunitatis , ab obligatione confitendi aliquod peccatum , quàm qualis ab immunitate aliarum legum ſecundùm imbecillitatem intellectus humani ſufficit.

Obiiciunt 2. Sicut ſi homo habet rationes probabiles pro negatione peccati mortalis , hoc ipſo probabile eſt , eum non teneri ad Confeſſionem , ita ſi non habet rationes probabiles pro affirmatione peccati mortalis , hoc ipſo non eſt probabile , eum teneri ad Confeſſionem ; ſed in dubio negativo , ſeu propriè dicto , non habet rationes probabiles pro affirmatione peccati mortalis, ergo &c. Reſpond. Nego Major. & paritatem : quia quando homo habet rationes probabiles pro judicio intellectivo, habet tales , quæ ſufficiunt ad dirigendas actiones humanas , quando autem tantùm habet rationes probabiles pro dubio prudenti ad judicium inſufficientes, tunc jam ex allatis rationibus patet, dari obligationem confitendi peccatum mortale, de quo datur prudens dubium, unde aliæ ſunt rationes pro obligatione Confeſſionis, & aliæ pro dubio negativo de præteritione peccati mortalis, his quippe ſuppoſitis pro dubio, illæ ſufficiunt pro affirmatione obligationis minimè dubia pleriſque DD. & in praxim à fidelibus communiter deducta.

Urgebis 1. Si non dantur rationes ſufficientes pro judicio affirmativo peccati mortalis, hoc ipſo non poteſt pœnitens dicere, ſe illud commiſiſſe, aut Confeſſarius judicare, fuiſſe commiſſum. Reſpond. Nego ſuppoſitum, quòd pœnitens debeat dicere, ſe commiſiſſe illud peccatum; debet enim tantùm dicere, ſe dubitare, an non commiſerit, & ideò; ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis ob defectum materiæ , ſi forſan non fuiſſet commiſſum, neceſſe eſt addere aliud peccatum certum ; unde in abſentia alterius peccati mortalis certi, nunquam expoſiti, peccato veniali, vel mortali jam aliquando expoſito, per accidens eſt, quòd in tali caſu detur obligatio alterutrum addendi in Confeſſione peccati mortalis dubii. Similiter etiam Confeſſarius non debet judicare, peccatum dubium fuiſſe commiſſum, ut adeòque immeritò obiiciantur illæ regulæ Juris: In dubio ſavendum eſt reo: Nemo præſumitur malus, niſi probetur, &c.

Urgebis 2. Quotieſcumque datur dubium negativum de peccato mortali, poteſt pœnitens probabiliter judicare, illud à ſe non fuiſſe cum ſua malitia mortali commiſſum, eò quòd majorem remorſum , & experimentalem notitiam aliàs habiturus fuiſſet : ergo numquam datur obligatio confitendi peccatum negativè dubium. Reſpond. hanc replicam non eſſe contra concluſionem , ſed contra ſuppoſitum concluſionis , quòd aliquando detur peccatum negativè dubium, ex cujus etiam ab Adverſariis conceſſa ſuppoſitione affirmavimus obligationem Confeſſionis, ſicut ipſi eam negarunt. Cæterùm etiamſi ſcrupuloſi, vel habentes teneram conſcientiam dicto modo à dubio negativo ſe liberare poſſint, & ad dubium poſitivum tranſire , non idem ſtatim poſſunt laxę conſcientiæ homines, & utrique debent ſaltem priùs prudenter ſe reſolvere in judicium negativum peccati mortalis, antequam ab obligatione Confeſſionis directæ ſint immunes.

Obiicitur 3. Qui dubitat, an alteri fecerit injuriam , non tenetur ad reſtitutionem , vel an intulerit offenſam , non tenetur ad veniæ petitionem , aut ſatisfactionem , vel an habeat peccatum reſervatum , non tenetur ad Confeſſionem faciendam illi, qui poteſt abſolvere à reſervatis, ergo, qui dubitat, an commiſerit peccatum mortale, non tenetur ad pœnitentiam Sacramentalem. Reſpond. Argumentum per primas duas inſtantias nimium probare, nempè quòd habens dubium negativum de peccato mortali, neque ad contritionem, vel Confeſſionem indirectam ante articulum mortis aliquando procurandam teneretur. Itaque negatur paritas ; quia hoc ipſo, quod ex charitate erga ſeipſum , vel ex reverentia erga DEUM homo teneatur adhibere médium juſtificationis , Chriſtus potuit certum medium determinare nempè Confeſſionem directam , quod eum feciſſe probavimus duplici allata ratione . Nulla autem eſt ratio probans obligationem reſtitutionis , vel Satiſfactionis pro injuria, vel offenſa negativè dubia , aut obligationem recurrendi ad Judicem Superiorem, quando inferiori non eſt adempta Juriſdictio, ut per dubium negativum non adimitur.

Obiicitur 4. Sacramentum pœnitentiæ eſt inſtitutum ad modum Judicii , ergo etiam eſt regulandum ſecundùm Regulas Juris in 6. in ordine ad judicium traditas , quarum regula trigeſima habetur : *In obſcuris minimum eſt ſequendum* , quod ſcilicet minimè eſt oneroſum, ergo non eſt imponendum onus confitendi peccata dubia : & Reg. 47. *Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur* . Sed ſtante dubio negativo non probatur ſcientia peccati , ergo præſumitur ignorantia , & non ſcientia, ſeu conſcientia peccati . Et Regula 57. *Contra eum, qui legem potuit dicere , apertiùs facienda eſt interpretatio* ; ſed lex confitendi peccata dubia non eſt aperta, ergo &c.

Reſp. Ad primum , aliud eſſe, quòd peccatum ſit obſcurum , & non certò cognitum , & aliud , quòd obligatio à Chriſto impoſita ſit obſcura, quod poſteriùs negatur, ex quo patet etiam reſponſio ad tertium textum , qui quidem etiam non de legibus ſeu conſtitutionibus loquitur; nam de his jus præcipit in dubiis ad Legiſlatorem recurſum, ſed loquitur de legibus, quas perſonæ privatę ſibi ſtatuunt, præſertim in contractibus ineundis.

Ad ſecundum negatur paritas , quia in judicio externo

no actor, ſeu accuſator eſt ſemper diſtinctus à reo, nec conveniebat reum condemnari ad pœnam, vel ad obligationem civilem actore non probante: in foro interno autem reus & accuſator eſt idem, qui proinde ſibi non faciet injuriam, & accuſatio potiùs ordinatur ad remiſſionem peccati, quàm ad condemnationem: unde non eſt requirenda ſcientia, ſed conſcientia ſaltem dubia delicti: in judicio externo autem meritò requiritur probatio Scientiæ!, quia ibi accuſatur reus in ordine ad condemnationem: & licèt pœnitens etiam à Confeſſario condemnetur ad aliquam pœnam, hæc tamen eſt pœnitenti optabilis; quia alios debuiſſet ſatisfactionem longè majorem præſtare, vel ſe exponere periculo gravioris ſupplicii in altera vita, & ſi forſitan à parte rei peccatum dubium non fuit commiſſum, ſervit tamen injuncta pœnitentia ad delendam pœnam pro aliis peccatis debitam, & ad augendum præmium.

ARTICULUS V.

An peccatum mortale expreſſum ut dubium, quod antecedenter, vel conſequenter eſt certò cognitum ſpectet ad integritatem materialem alterius Confeſſionis.

SUMMARIUM.

114 *Qui peccatum mortale, cognitum ut certum, confitetur ut dubium, non ſatisfacit obligationi: ſed debet iterum confiteri ut certum.*

115 *Peccatum mortale cognitum tantummodo probabiliter, & ita expoſitum ſub dubio poſitivo, ſeu ut probabiliter commiſſum, non eſt neceſſe iterum confiteri ut certum, quando poſteà primùm ut tale cognoſcitur.*

116 *Expoſitum verò ſub dubio negativo, & poſteà cognitum, ut probabiliter, vel certò commiſſum, neceſſe eſt iterum confiteri.*

117 *Solvitur objectio.*

114 DIco 1. Qui peccata certò cognita confeſſus eſt ut dubia, vel qui pro numero certo dixit incertum, ac dubium, non ſatisfecit obligationi integralis Confeſſionis, adeòque retinet materiam neceſſariam pro altera Confeſſione. Ita Tanner. *diſp.6. quæſt.7. num.* 45. Card. de Lugo *diſp.16. num.79.* P. Gobat. *tract.6. numer.*417. & DD. communiter. Probat. Quia licèt peccata mortalia non debeant exprimi ſecundùm totam notitiam, quam pœnitens de illis habet, hoc ipſo, quòd circumſtantiæ ſolummodò aggravantes, aut minuentes licitè reticeantur; illud tamen prædicatum, quod exprimendum eſt, nempè differentiale, quoad ſpeciém, ac numerum ita exprimi debet, ut de illius præteritione Confeſſarius, qui de illa qua tali judicare ex officio debet, poſſit ex vi accuſationis formare judicium competens, quale in cognoſcendis cauſis communiter requiritur, atqui judicium competens eſt judicium certum, quando illud ex vi accuſationis haberi poteſt, ergo peccata, & numerus peccatorum certò cognitus à pœnitente debet ab eodem exprimi modo certificante.

Confirm. 1. Sive pœnitens exprimeret ſpeciem, ac numerum peccatorum per verba ſignificantia dubium poſitivum, ſive negativum, dicendo puto me hoc feciſſe, vel dubito, an hoc fecerim, ſeu feci hoc: puto ter, vel dubito, an ter, ille affirmat, ſe habere dubium poſitivum, aut negativum, cùm tamen non habeat dubium, ſed ſcientiam, adeòque mentitur, ſed qui mentitur coram Confeſſario mendacio notabiliter variante judicium Confeſſarii in materia neceſſaria, ut notabiliter differt judicium certum ab incerto, ille non ſatisfacit obligationi, novoque peccato mortali ſe obſtringit, ergo &c.

Confirm. 2. Qui utitur verbis dubiis ſignificantibus dubium negativum de peccato mortali, vel de numero illius, ille in tantum decipit Confeſſarium, ut neque ferre poſſit ullum judicium in materia neceſſaria, de exiſtentia illius, quæ utique eſt gravis deceptio: qui verò utitur verbis ſignificantibus dubium poſitivum, vel illis affirmantur rationes probabiles, pro utroque judicio contradictionis, & ſic confitetur ſuum peccatum, tamquam materiam non neceſſariam, ſed quam licitè potuiſſet omittere, adeòque non minùs graviter mentitur, quàm qui peccatum numquam expoſitum in Confeſſione aſſereret jam aliquando fuiſſe expoſitum: vel non affirmantur rationes probabiles pro utraque parte Contradictionis, ſed tantùm pro exiſtentia peccati, & ſic ſaltem affirmatur formido formalis in oppoſitum, ſed exprimitur fallibilitas judicii, quod quis confitetur, ſe habere de ſuo peccato mortali, aut de numero, cùm tamen ſupponatur peccatum vel numerum eſſe certum, & ut talem cognoſci.

Quamvis autem non ſit neceſſarium in Confeſſione peccati addere certitudinem judicii, ſicut viciſſim, quando quis habet tantùm probabilitatem judicii de exiſtentia peccati, præſertim ſi non etiam habet rationem probabilem pro judicio contrario, non eſt neceſſe addere verba denotantia incertitudinem, ſeu meram probabilitatem, ſed poteſt pœnitens abſolutè dicere, ſe illud peccatum commiſiſſe, tamen non licèt addere verba, determinatè ſignificantia certitudinem, aut incertitudinem, quando judicium pœnitentis non eſt tale: atque ex hoc colligitur, ſi quis certò ſciret ſe decies peccaſſe, non ſatisfacturum dicendo, hoc peccatum commiſi circiter decies, ſeu decies, plùs minuſve, ſeu ſæpè in hebdomade (poſito, quòd omnia contigiſſent in eadem hebdomade) ſeu aliquoties in anno, ſed debere exprimere certum numerum qualis ſcitur.

Dico 2. Peccata dicta ſub numero incerto, & confuſo, aut certo pro incerto poſito, ut ex ſubjecta materia modo loquendi, aliiſque circumſtantiis colligi poteſt, ſi deinde certò & diſtinctè cognoſcantur, neceſſe non eſt denuò confiteri: ut ferè omnes Doctores contra Cardenas *in Criſi Theol. tract.6. diſp.*51*.num.*31*.* & 39. conſentiunt. Ratio eſt, quia peccata ſub prædicato ſpecifico infimo, ſaltem aſſertivè expreſſa, & directè dimiſſa, nemo ampliùs per ſe loquendo obligatur ſubiicere clavibus. Hinc dubitans de numero peccatorum, & has particulas circiter, plus minuſve numero determinato explicitè adiiciens, vel per poſitionem numeri certi pro incerto implicitè ſubintelligens, ſi deinde numerum certò cognoſcat, teſte Suarez, Vaſq. Coninck, Vega, Pet. Ledeſma, Villalob. Soto apud Lugo *diſp.16. n.78.* Valentia, Tannero, *diſp.6. quæſt.7. num.*45. & hoc teſte ex communi conſenſu DD. non tenetur repetere ſuum peccatum indicando numerum certum, ſi is non continet notabiliter majorem exceſſum, quàm qualis intelligi ſolet per particulam *plus*(quæ quò majori numero adiicitur, adeò majorem exceſſum ſecundùm æſtimationem hominum, quæ in hac re eſt unica regula, extendi ſolet, ut ſapienter advertit Lugo *n.96.*) quando ergo dicitur peccata confitenda eſſe ſecundùm eam ſcientiam, qua cognoſcuntur à pœnitente, id ſecundùm communem interpretationem intelligendum eſt de ſcientia, qua cognoſcuntur, quando manifeſtantur, non autem quando jam ſunt directè, & plenè dimiſſa. 115

Confirmatur. Qui affirmat, ſe probabiliter hoc ſpecie, & numero peccatum feciſſe, ille jam verè ſe accuſat, ut poſſit à Confeſſario poſitivè reus haberi, & puniri: Sed qui ita ſe accuſat, neque aliter poteſt ſe accuſare, hoc ipſo ſufficienter ſe accuſat, nec denuò ipſi imponendum eſt onus graviſſimum, quod jam ſubivit, affirmando probabiliter ſuum peccatum, dum affirmavit numerum probabiliter majorem per particulam *circiter*, vel *plus*.

Ex hoc Doctrina manifeſtè videtur colligi, & à paritate rationis confirmari, quòd peccatum ſub dubio in Confeſſione explicatum non ampliùs ſit repetendum, quando certò cognoſcitur factum, ut apud P. Gobat *tractat.6. num.*441. fatentur probabile Tambur. *de Expedit. Confeſſ. lib.2. cap.1. §.4. num.*24. Pellizar. *in Manuali Regularium tom.1. tract.5. cap.3. ſect.1. num.56.* Caramuel, Cottonius, Leander, Vericelli Mart. à S. Joſepho Vidalis, quos etiam refert Diana *part.3. tractat.16. Reſolut.39.* Nam peccata illa, quæ particulis dubiis *plus minuſve* comprehenſa, verè commiſſa ſunt, dicuntur planè ſub dubio, ſaltem ea, quæ particulis *plus & minus* afficiuntur. Ergo ſi hæc aliis certis conjuncta, non ſunt repetenda ut certa, neq: peccatum ſolitariè ſub dubio in Confeſſione propoſitum, poſt ejus certam notitiam, ut certum erit repetendum. Hoc argumentum Cardin. de Lugo *diſp.16. ſect.2.*

*ſect.*2. §.4. & deinde Dicaſtillo adeò inſolubile viſum eſt, ut cùm nondum legiſſent, vel nondum editi eſſent auctores, qui propter illius efficaciam concedebant immunitatem iterandæ confeſſionis, eamque Dicaſtillo *diſp.*9.*n.*141. diſertè aſſereret, eſſe inauditam in Eccleſia, propterea negaverint præcedentem noſtram concluſionem, ex qua argumentum eſt deductum: quorum auctoritate motus P. Gobat *n.*343. ita loquitur: quandoquidem neque Lugo, neque Dicaſtillo potuerunt concordare illas duas doctrinas, cenſuerunt que eſſe potiùs aſſerendam neceſſitatem confitendi illius decimi tertii perjurii (quod auctor aſſignabat in exemplo confitentis ſe duodecies plus, minusve perjuraſſe) quàm ullo modo negandam obligationem confitendi peccati, priùs ſub dubio manifeſtati, poſtea verò poſiti extra dubium, nec ego, etſi diu multumque me fatigans, inveſtiganda ſolida diſparitate ullam reperio, idcircò ſententiam de Confeſſione cum circiter ſeu plus minusve non approbavi abſolutè *num.*419. ſed ſolùm dixi eſſe tutam & probabilem practicè, propter auctoritatem tam multorum graviſſimorum DD. qui fortaſsè perſpexerunt, quod ne quidem perſpicaciſſimi Lugo & Dicaſtillo voluerunt cognoſcere. Ita P. Gobat. Nihilominus ſtante priore concluſione

116 Dico 3. Peccatum expoſitum ſub dubio negativo deinde cognitum certò vel probabiliter abſque probabili ratione, in contrarium pro negatione peccati denuò eſſe exponendum: quod Cardenas *in Criſi Theol. p.*1. *diſp.* 61. *cap.*2. *num.*6. aſſerit, & ex Trident. oſtendit eſſe certum, ac indubitatum: quamvis is victus paritate prædicta, deinde *cap.*4. *num.*36. ut probabile concedat, ſi quis decem peccata mortalia confeſſus eſt, ut certa, eum non teneri repetere Confeſſionem undecimi peccati ejuſdem ſpeciei, dicti ſub dubio negativo, eò quòd non fuiſſet impoſita major pœnitentia, etiamſi etiam, ut certum expoſitum eſſet. Quæ ratio mihi videtur ſupponere falſum, quòd ideò tantùm peccatum negativè dubium diverſæ ſpeciei, vel plura, quàm unum aut duo ejuſdem ſpeciei, ſub dubio negativo dicta, deinde certò cognita repetenda eſſent, quia pro illis major pœnitentia fuiſſet injuncta. Qua ratione non obſtante multi negant, & ego cum illis, explicandas eſſe circumſtantias merè aggravantes. Et è contrario hic cum Communi affirmo, peccatum mortale, negativè dubium, deinde cognitum ut certum, repetendum eſſe, non minus, quàm ſi non fuiſſet conjunctum cum aliis mortalibus ejuſdem ſpeciei.

Itaque concluſio univerſaliter probatur auctoritate omnium ferè DD. & ſolutione prædicti argumenti, quod citatos in contrariam opinionem immeritò abduxit, quia, quando numerus peccati mortalis eſt ſub dubio expreſſos, tunc illud peccatum, vel illa peccata, quæ afficiuntur particula dubitationis, adhuc expreſſa ſunt aſſertivè, ſeu cum affirmatione judicii de exiſtentia peccati vel de probabilitate exiſtentiæ v. g. decimi tertii perjurii in poſito caſu, ſenſus enim hujus propoſitionis: pejeravi duodecies circiter ſeu plus vel minus: eſt iſte: judico & aſſero me perjeraſſe vel duodecies, vel undecies, vel decies ter, adeòque numerus exprimitur ſub dubio poſitivo, disjunctivè: peccatum verò, cujus Confeſſio dicitur iteranda, non eſt propoſitum aſſertivè, vel ſub dubio poſitivo, ſed ſic, dubito, neſcio, an non pejuraverim, unde ſi cognoſcitur aſſertivè, ut ſic explicandum eſt. Nam etiam ſi quis numerum ita confeſſus eſſet: pejeravi duodecies, de decima tertia vice autem nihil poſſum probabiliter judicare, ſed dubito, an non etiam illa vice perjeraverim, talis deinde teneretur illam exprimere, ſi eam aſſertivè cognoſceret, & viciſſim, ſi quis peccatum aliquod ſub dubio poſitivo confeſſus eſſet, dicens puto, probabile mihi eſt, quòd pejeraverim, is non teneretur repetere Confeſſionem illius, etiam certò cogniti.

117 Objicitur tamen: Quando peccatum per abſolutionem jam eſt directè dimiſſum, non opus eſt procurare aliam abſolutionem, ſicut, quando debitum jam eſt condonatum, non opus eſt petere aliam condonationem: ſed per abſolutionem peccatum ſub dubio expreſſum jam eſt directè dimiſſum, ergo &c. Reſpond. 1. Majorem eſſe probandam, eſque à diverſis opponi plures inſtantias quibus peccati directè per abſolutionem remiſſi ſaltem per accidens repetenda eſt nova abſolutio, ſic in quibuſdam religionibus incidentes in itinere in caſum reſervatum poſſunt ejuſdem directam abſolutionem accipere ab alio Sacerdote, cum obligatione, poſt reditum ſe ſiſtendi Superiori, vel alteri, qui habeat poteſtatem abſolvendi à reſervatis. Sic etiam teſte Lugo *num.*588. ſi pœnitens dicat, ſe certum eſſe de conſenſu mortali contra caſtitatem, non tamen recordari, an fuerit circa ſolutam, vel conjugatam, omnes dicunt, debere poſtea explicari determinatè ſpeciem, ſi poſteà recordetur fuiſſe conjugatam. Reſpond. 2. Diſtinguo maj. quando peccatum per abſolutionem eſt directè dimiſſum, & quando obligatio peccatum ſuum aſſertivè confitendi jam eſt impleta concedo maj. per ſe loquendo & ſecluſo voto, aut pacto &c. Si tantùm per ignorantiam vel oblivionem eſt ſuſpenſa, nego maj. & paritatem ibi inſtitutam, quæ probaret nimium, nempe etiam obtenta remiſſione per contritionem perfectam; vel per abſolutionem indirectam non eſſe procurandam novam remiſſionem; itaque diſparitas eſt in hoc, quòd neceſſitas procurandi aliam abſolutionem non fundetur in indigentia condonationis, ſeu ut peccator fiat liber à debito peccati, ſed in obligatione non tantùm directè, ſed etiam aſſertivè peccatum ſubjiciendi clavibus, quæ obligatio conſtat ex unanimi conſenſu DD. iis exceptis, qui propter rationem à nobis ſufficienter ſolutam noviſſimè receſſerunt.

ARTICULUS VI.

An integritati materiali Confeſſionis generalis præjudicet, quòd aliqua peccata inſerantur per Confeſſionem adhuc nunquam expiata, idque non ſignificetur.

SUMMARIUM.

118 *Non tenetur faciens Confeſſionem generalem exprimere, quòd peccatum mortale, poſt ultimam Confeſſionem commiſſum, nunquam adhuc confeſſus fuerit.*

119 *Solvuntur objectiones.*

Dico. Non tantùm, ſi pœnitens peccatum ſuum jam confeſſus eſt, id factum non tenetur explicare, 118 ſed neque, ſi non eſt confeſſus, id non factum tenetur indicare, modò integrè explicet illius ſpeciem ac numerum. Ita contra Turrianum nimis ſeverè noſtram ſententiam improbilitatis nota afficientem, docet Lugo *diſp.*16. *num.*47. referens Bonacinam, Homobonum, Dianam, quibus Dicaſtillo *diſp.*9. *num.*146. addit, & ſequitur Thom. Sanchez, Suarez, & communem DD. ſenſum. Probat. Quia circumſtantia peractæ, aut non peractæ Confeſſionis non immutat aliquid ex parte peccati, ſeu materiæ: prædicatum enim, per quod dicitur materia neceſſaria, vel non neceſſaria, ſecundùm quod ſe tenet ex parte objecti, ſufficienter explicatur exprimendo malitiam ſpecificam, ac mortalem peccati, ſecundùm quod autem partialiter deſumitur à prædicta circumſtantia ex parte perſonæ, & non ampliùs ex parte objecti ſe tenente, quatenus ipſa eſt obligata, vel non obligata confiteri tale peccatum, non eſt per ſe loquendo neceſſariò exprimendum; ſi enim pœnitens illud peccatum nunquam eſſet confeſſus, ſufficeret, quòd modò ſatisfaceret obligationi, nec opus eſſet dicere, quòd ſatisfaciat.

Obiicitur 1. Peccatum mortale remiſſum plus diſfert à mortali non remiſſo, quàm veniale à mortali, 119 quando neutrum eſt remiſſum; Atqui in Confeſsione exprimenda eſt poſterior differentia, ergo & prior &c. Reſp. Retorq. argumentum. Quia ex illo ſequeretur etiam eſſe exprimendam circumſtantiam non elicitæ contritionis perfectæ, quando quis primò confitetur ſuum peccatum. Reſp. Ergo 2 Diſtinguo Maj. plus diſfert, quoad eſſentiam & exiſtentiam præteritam, ſecundùm quam eſt materia Confeſsionis, nego Maj. quoad perſeverantiam habitualem, & imputabilitatem, ſeu exiſtentiam juris actualis ad averſionem, ſub qua ratione tamen non eſt materia Confeſsionis concedo maj.

Obiicitur 2. Ideò juxta Tridentinum exprimenda ſunt

ſunt omnia mortalia, quoad ſpeciem & numerum, ut Confeſſarius poſsit imponere pœnitentiam proportionatam: atqui ſi quis primò confiteretur peccatum mortale, explicitè addendo, ſe illud jam confeſſum eſſe, vel ſaltem generatim dicendo, ſe confiteri generaliter, Confeſſarius non poſſet injungere pœnitentiam proportionatam, quia pro materia neceſſaria longè gravior eſſet injungenda pœnitentia, quàm pro non neceſſaria, ergo non poteſt quis primò confiteri peccatum mortale, & vel explicitè vel implicitè per inſtitutionem Confeſsionis generalis dicere, ſe illud jam eſſe confeſſum. Propter hoc argumentum judico quidem pœnitentem falsò affirmando alicujus peccati confeſsionem præteritam, graviter peccaturum, non autem, ſi præcisè dicat, ſe confiteri generaliter; quia is neque implicitè dicit, ſe omnia mortalia jam confeſſum eſse: itaque nego min. quoad ſecundum membrum, ſicut enim ſi pœnitens expreſsè daret poteſtatem Confeſsario injungendi tantam pœnitentiam, quantam mereretur, ſi nullum mortale unquam fuiſset confeſsus, is ſufficienter ſe ſubiiceret Confeſsario pro taxanda pœnitentia proportionata, ſic idem facit, & eandem poteſtatem ipſo facto concedit, in quantum non præbet Confeſsario ſufficiens fundamentum colligendi, quot & qualia peccata jam antecedenter fuerint per confeſsionem expiata. Licèt enim Confeſsarius poſset leviorem pœnitentiam injungere, ſi ſciret, vel prudenter colligeret determinatorum peccatorum peractam confeſsionem, atque ob hunc finem rectè pœnitentem de illa interrogaret; ſi tamen is illud indicare nollet, hoc ipſo confeſsarius haberet jus injungendi pœnitentiam proportionatam peccatis ſecundùm ſe, ſicut id habet, quando ignorat alias ſatisfactiones præcedentes, jejunia, eleemoſynas, intenſionem contritionis, ſimilesve cauſas imminuendi pœnitentiam, quas pœnitens neque tenetur in confeſs ione exprimere, ſi præceſserunt, neque ſi non præceſserunt.

ARTICULMS VII.

Quanta à pœnitente & Confeſſario adhibenda ſit diligentia ad procurandam integritatem materialem Confeſſionis.

§. I.

Statuitur fundamentum reſolvendæ quæſtionis.

SUMMARIUM.

120 *Summatum eſt in titulo.*

120 DIcò, examen tam à Pœnitente, quàm Confeſsario inſtituendum, non debere eſse exactiſsimum, ſed morale, ac humanum, quod nempe non ſit aptum generare tædium, & faſtidium hujus Sacramenti. Hinc teſte Lugo *diſput..6. num.590.* non eſt bona conſequentia, ſi dicas: talis vel talis interrogatio faciet aperire magis diſtinctè numerum, vel ſpecies peccatorum: ergo illa eſt addenda: uti etiam illa non eſt bona: ſi hic homo adhuc cogitaret una hora de ſuis peccatis, cognoſceret adhuc plura peccata, ergo adhuc una hora cogitandum eſt. Obligatio enim ſummæ diligentiæ, quæ adhiberi poſset, redderet Sacramentum oneroſum, & occaſionem præberet hæreticis, illud appellandi carnificinam conſcientiæ: Sive, ut inquit Suarez *diſput. 22. ſect.10. num.3.* poſset inquietas reddere conſcientias, quod eſt contra finem hujus Sacramenti. Illud autem examen eſt humanum, quod eſt accommodatum capacitati pœnitentis, id eſt, quod continet quæſtiones non nimis minutas, quæ faſtidium, & difficultatem reſpondendi parerent; hinc quia rudes ſubtili, infirmi longo, & habituati peccatores quoad numerum accuratè exacto examini difficulter reſponderent, tale cum his inſtituendum non eſt. Nam quando Tridentinum *ſeſſ.14.c.5. & can.7.* dicit, eſſe obligationem confitendi omnia & ſingula peccata mortalia, id intelligendum eſt, quantum commodè fieri poteſt præmiſſo examine non nimis inhumano, ſed tamen diligenti, quale ex parte pœnitentis exigit Tridentinum utroque loc. cit. Unde communis ſententia teſte Suarez, *diſp.22. ſect.10. num.4.* negat pœnitentem obligari ad diligentiam extraordinariam ſcripto annotandi ſua peccata, ne memoriæ excidant ante vel inter confitendum ex hoc fundamento.

§. II.

Ex poſito fundamento deducitur, qualis ſit obligatio Pœnitentis pro integritate materiali Confeſſionis.

SUMMARIUM.

121 *Peccatores ob conſuetudinem, ac multitudinem peccatorum, non valentes diſtinctè ſpecies diverſas, & numerum illorum exprimere, confuſiore explicatione ſatisfacere poſſunt.*

122 *Iidem poſt rudem Confeſſionem diſtinctiùs cognoſcentes numerum peccatorum, non tenentur repetere Confeſſionem.*

123 *Privilegium ſcrupuloſorum circa obligationem Confeſſion s.*

124 *Poſt adhibitam ſemper ſufficientem diligentiam in conſcientia examinanda, & manifeſtanda, poteſt pœnitens ſupponere, ſe omnia peccata confeſſum eſſe.*

DEducitur primò. Si peccatores conſuetudinarii ac inveterati, præmiſſo diligenti examine, eo- 121
rum capacitati & præſenti neceſſitati proportionato, ex peccatorum mortalium frequentia, & temporis à ritè peracta Confeſſione elapſi diuturnitate metiendo, numerum & frequentiam peccatorum mortalium cujuſque ſpeciei tam in actibus externis, quàm internis (quando hi non jam ſunt moraliter conjuncti cum externis, in iiſque per modum unius incluſi) aliter determinare non poſſint, quin dicendo certum pro incerto facilè graviſſimè errent, notabiliter nimis magnum, vel nimis parvum numerum indicando, in tali caſu ſufficere, modò numerum Ordinarium, quot diebus, vel hebdomadis, vel menſibus, vel annis uſitatum (ſaltem uno cum altero computato, ſi nunc major, nunc minor erat) per vocabula *circiter* aut *præter*, *propter* adjecta indicent; quòd ſi nec hoc poſſint, ſufficit indicaſſe tempus ſceleratæ conſuetudinis cum illis circumſtantiis, ex quibus Confeſſarius prudenter coniicere poſſit ipſam frequentiam conſuetudinis; nam hæc ipſa patitur diverſiſſimam latitudinem. Hujuſmodi circumſtantiæ, e. g. in peccato luxuriæ ſunt, in primis diverſus & varius ſtatus pœnitentis, quamdiu ſcil. in ſtatu libertatis à vinculo Matrimonii, vel voti caſtitatis duraverit conſuetudo, & quamdiu in ſtatu ejuſmodi Vinculi. Deinde circumſtantia loci, præbentis frequentem materiam, occaſionem, & periculum peccandi, circumſtantia perſonarum, quibuſcum verſatus eſt, & à quibus peccandi occaſionem ſumpſit, &c.

Aliud obſervandum in exprimendo numero, relato ad circumſtantias rariores peccatorum ſpeciem mutantes, in quibus faciliùs determinatus, & ſaltem certus pro incerto, circiter poſſit deſignari, e. g. iterum in peccato luxuriæ, quoties id commiſſum fuerit cum perſona, Voto, aut Matrimonio ligata, quòd ſi nec hic poſſit determinari numerus, uti frequentiùs contingit in peccatis merè internis, iterum ad tempus conſuetudinis & ad circumſtantias augentes conſuetudinem recurrendum eſt, vel ſaltem an hujus differentiæ minor, an æqualis, an major, vel an indiſcernibilis conſuetudo fuerit, ſi nim. abſque diſcrimine circa quaſcunque obvias fœminas turpes delectationes, deſideria, conſenſus exarſerint. Pari modo explicandi erunt turpes tactus, pollutiones cum vel ſine complice, turpia colloquia cum vel ſine delectatione venerea. Eodem modo conſuetudinarii Prædones, Fures, Latrones, Blaſphemi, Perjuri, Famæ cum gravi læſione detractores numerum ſuorum peccatorum explicare debent; Differentias autem ſpecificas ipſas haud difficilè erit determinatè exprimere, quia in quolibet genere peccati ſunt paucæ, & ſi eæ tempore commiſsi peccati non ſunt cognitæ, ut obligantes ſub mortali, hoc ipſo non acceſsit harum ſpecifica malitia, in confeſsione exprimenda. Si autem fuerunt cognitæ, per præmiſſum diligens examen, facilè memoriæ recurrent.

Hoc

122 Hoc autem modo Confeſſione peracta, etiamſi numerus peccatorum ſucceſſu temporis diſtinctiùs agnoſcatur, non tenetur tamen pœnitens iterare Confeſſionem, neque diſtinctiùs etiam eidem Confeſſario recordanti prioris Confeſſionis numerum exprimere, etiamſi paululum major appareat eo, qui fuit ſub dubio & circiter expreſſus; quia in iſto continebatur etiam numerus non notabiliter major, & ſub conſuetudinis expreſſione continebatur quicunque numerus, deinde diſtinctiùs cognitus. Ut docent Sotus 4. *diſt.*18. *q.*2. *a.*4. Suar. *diſput.* 22. *ſect.*5. *num.*38. Vaſq. *q.*91. *a.*1. *dub.*5. *n.*3. Lugo *diſput.* 16. *ſect.*16. *n.*582. Tanner. *diſp.*6. *q.*7. *dub.*3. *n.*45. Præpoſitus *q.*5. *dub.*1. *n.* 104. P. Gobat *tract.*6. *n.*402. & alii communiter.

Ratio eſt. Quia omnia peccata per hujuſmodi Confeſſionem tam quoad numerum, quàm quoad ſpeciem jam ſunt directè remiſſa: de remiſſis autem per abſolutionem directam non neceſſe eſt iterum procurare abſolutionem Sacramentalem, ut Theologi communiter docent cum S. Thoma 4. *diſtinct.*17. *q.*3. *a.*3. *q.*5. *ad* 4. & *Quodlib. q.*6. *a.*3. *ad* 1. & habetur expreſsè *in Extravag. Inter cunctas de Privilegiis*, & *in Extrag. Vas electionis de Hæreticis*. Idemque probat Suar. *diſp.*22. *ſect.*6. *num.*2. ex Trident. *ſeſſ.*14. *cap.*5. Confirmatur ſecundò per argumentum negativum: quia de contraria obligatione, neque ex Jure Divino, neque ex Jure humano conſtat: & cùm hæc eſſet valdè oneroſa, ſcrupulis & inquietudini conſcientiæ obnoxia, ac proinde contraria fini Pœnitentiæ, non eſt ſine magna neceſſitate, quæ etiam aſſignari nequit, aſſerenda.

Deducit ſecundò Cardin. de Lugo *loc. cit. n.*579. & 580. ob aſſignatam rationem etiam ruſticos, & pueros groſſo modo, ut inquit Author, ſua peccata etiam indocto Parocho ſine determinato numero, ſed generatim tantùm expreſſa multitudine aut frequentia, confeſſos, non teneri repetere peccata, quorum numerum prudentiores facti diſtinctiùs cognoſcunt, & confiteri poſſent. Rationi prædictæ addit etiam doctiorum Confeſſariorum praxim, non procurantium exactiorem Confeſsionem antiquorum peccatorum, ſed tantùm novorum, etiamſi advertant, præcedentes Confeſſiones eſſe cum dicta ruditate factas.

123 Deducitur tertiò. Pœnitentem ſcrupuloſum non teneri ullum peccatum confiteri, niſi ita certus ſit, ut jurare poſſet, eſſe peccatum mortale, eſſe à ſe commiſſum, & ſe nunquam illud fuiſſe confeſsum. Ita communiter DD. quando agunt de Conſcientia ſcrupuloſa, ut videre eſt apud Buſembaum *lib.*1. *tract.*1. *c.*3. ConincK. *diſp.*7. *num.*68. Laymann, *lib.*1. *tract.*1. *cap.*6. Ratio tum ex dictis patet; quia contraria obligatio eſſet nimis oneroſa, & ſcrupuloſi non ſolùm non poſſent liberari à ſuis ſcrupulis, ſed iis nimium implicarentur: quod eſt contra finem inſtitutæ Pœnitentiæ Sacramentalis. Tum quia ut inquit Laymann *loc cit. num.*6. Dubium in conſcientia ſcrupuloſi, apud alios non ſcrupuloſos eſt moralis certitudo de non admiſso vel jam expoſito peccato mortali. Tum denique, quia eſtò, quòd ſcrupuloſus revera aliquod peccatum mortale non fuiſſet confeſsus per dubium æquè excuſaretur, quàm per ignorantiam invincibilem, quia laborat hoc ipſo tali ignorantia, quam prudenti judicio nequit devincere: & quia longè minora damna excuſant ab integritate materiali Confeſsionis, quàm quale eſset id, quod in prima ratione indicavi, ſecuturum ex obligatione.

124 Deducitur quartò, ex præteritis Confeſſionibus pridem peractis, morali ad illas examine, & debita diligentia, ut dictum eſt, adhibita, Pœnitentem etiam non ſcrupuloſum ſupponere poſse, ſe omnia peccata confeſsum eſse, ita ut non teneatur quidquam ampliùs de præterita vita cogitare, & ſi quid ultrò occurrat, cujus, an in Confeſsione aliquando expoſuerit, nequeat recordari, etiam non teneatur illud unquam confiteri. Hanc aſſertionem, quam in terminis tradit Joannes Sanchez, *in Selectis diſput.*41. *num.*18. ait, Diana *par.*3. *tract.*4. *de Sacramentis Reſ.* 107. eſse valdè notandam ad tollendum multos ſcrupulos, atque ex iiſdem DD. eandem etiam accepit, & approbàvit Buſembaum, *lib.*6. *tract.*4. *cap.*1. *dub.*3. *a.*1. *n.*1. Conſentit etiam Rodriq. *to.*3. *q.*66. *a.*3. *in princ.* Suar. *diſp* 22. *ſect.*5. *n.*38. Ratio eſt. Quia præcedens Confeſſionis integrandæ ſtudium, & memoriæ humanæ fragilitas, non valentis omnium in Confeſſione dictorum recordari, faciunt, ut non temerè dubium deponatur. Et ex altera parte poſſet graviſſimum onus, majori obligationi cum perpetuo metu, & ſcrupulorum periculo ſubjacere. Unde ulteriùs talis poteſt formari probatio. Etiamſi certum ſit dari obligationem confitendi omnia peccata mortalia, quorum, ut inquit Trident. *ſeſſ* 14. *cap.* 5. aliquis conſcientiam habet; quando quis tamen habet rationem probabilem, ſe huic obligationi jam ſatisfeciſſe, non tenetur iterum ſatisfacere, ut in hac ipſa materia docet Sylveſter *Verbo Confeſſio*, 2. *q.*2 & ex illo Suar. *cit. diſp.*12. *ſect.*9. *num.*6. & in aliis materiis paſſim tradunt Doctores, e.g. cui probabile eſt, ſe ſatisfeciſſe obligationi dicendi horas Canonicas, ſolviſſe debitum ſuo creditori &c. Non tenetur, iterum horas Canon. dicere, nec debitum ſolvere. Certè ſi quis ſe ſtitiſſet ſuo creditori, eique ſolviſſet omnia debita, quæ poſt diligenter initas cum illo rationes potuerunt deprehendi & inveniri: quando deinde poſt aliquod tempus inciperet dubitare de ſolutione aliquorum debitorum in particulari, is non teneretur quidquam ampliùs ſolvere, niſi à Creditore ipſi redderetur certùm, quòd tale debitum nondum ſolviſſet. Subſumo, Atqui hoc ipſo, quòd aliquis adhibuerit diligentiam, quæ neceſſaria & ſufficiens erat, ut omnia ſua peccata mortalia in memoriam revocaret, & quòd actu confeſſus fuerit, quæcunque occurrebant, is jam habet rationem probabilem, ſe obligationi confitendi integrè ſatisfeciſse. Ergo non tenetur iterum ſatisfacere.

§. III.

Ex poſito fundamento deducitur obligatio Confeſſarii ad procurandam integritatem materialem Confeſſionis.

SUMMARIUM.

125 *Quando neque per negligentiam, neque per imperitiam pœnitus ſcitur aliquid omiſiſſe, non tenetur Confeſſarius pœnitentem interrogare.*

126 *Defectus pœnitentis per interrogationes moderatè ſupplendus eſt, præſertim in materia Luxuriæ, ne Confeſſarius, ſibi vel pœnitenti periculum gravium tentationum oreet.*

Deducitur quintò, Confeſſarium non teneri, quidquam interrogare eorum, quæ etiam probabiliter judicat potuiſſe fieri, ſi conſtet, & advertat, Pœnitentem non rudem adhibuiſſe probabiliter debitam diligentiam in præmiſso examine ſuorum peccatorum, niſi quod certò ſcit, à Pœnitente prætermiſſum eſse, & dicendum fuiſse. Ita Joannes Medina *Cod. de Confeſs. tract.*2. *q.* *ecti.*19. de Confeſs. dimidiata iteranda: qui tamen nimis univerſaliter, & ſecluſa noſtra limitatione id aſserit, & quoad hoc meritò ab aliis DD. paſſim reprobatur. Cardin. de Lugo *diſp.*16. *num.*590. Vaſq. *q.*93. *a.*3. *dub.*7. *n.*3. Reginald. *in Praxi Fori Pœnit. lib.*2 *cap.*2. *n.*15. P. Gobat *in Clypeo Clement. Judicum. p.*2. *dec.*1 *num.* 201. Sotus 4. *diſt.*18. *q.*2. *art* 4. & re ipſa etiam Suarez *diſp.*23. *ſ.*8 *n.*8. ubi ait, id eſse verum per ſe, id eſt, nullo ſuppoſito defectu vel impotentia ex parte pœnitentis ſibi relicti: ſuppoſita tamen imperfectione pœnitentis (per quem numero præcedenti rudem & indoctum deſignat) ad Officium Confeſsoris per ſe ſpectat, juvare illum, & conſequenter etiam interrogare, ſi neceſse ſit, ut Confeſsio integrè fiat. Ita Suar. Idem aſserit ConincK, *diſp.*8. *dub.*17. *n.*131. Imò plerique Doctores, qui in contrarium referuntur, ſolùm adverſantur aſsertioni illimitatæ Joannis Medinæ, & quando pœnitens eſt rudis, ut nequeat ſine auxilio Confeſsarii integrè confiteri, vel quando certò conſtat de gravi peccato pœnitentis, eòque nondum per aliam præcedentem Confeſſionem expiato: tunc enim præter procurandam integritatem materialem Confeſsionis etiam integritatis formalis periculum & neglectum removendum aſserit Sanctus Thomas 4. *diſtinct* 19. *in fine Litteræ poſt omnes quæſtiones*. Ubi ait. *Sacerdos debet perſcrutari conſcientiam peccatoris in Confeſſione, quaſi Medicus* 125

vulnus, & Judex curfarium. Quia frequente, quæ pro Confeſſione confiens taceret, interrogatus revelat.

Extra hos autem caſus, & ſuppoſita noſtra limitatione, contra Palao, *tract. 23. diſp. unica punct. 18. num. 3.* immeritò pro ſe referentem Layman, Suar. Coninck, Vaſq; meliùs verò referentem Toletum *lib. 3. cap. 9.* & Henriq. *lib. 6. cap. 2.* Quamvis ne hi quidem expreſsè loquantur de pęnitente etiam non rudi, & præmiſſo diligente examine ſatis parato, imò neque ipſius Palao ratio de tali procedit. Probatur prædicta aſſertio primò, Quia ſi pęnitens probabiliter judicatur potuiſſe, & voluiſſe integrè ſua peccata confiteri, rectè judicatur, id etiam feciſſe: Sed ſi pęnitens non eſt rudis, & ſi probabiliter etiam videtur, vel ſupponi poteſt (eò quòd non appareat ratio contrarium ſuſpicandi) quòd adhibuerit moralem & ſufficientem diligentiam, hoc ipſo probabiliter judicatur potuiſſe, & voluiſſe integrè confiteri; ergo etiam rectè judicatur feciſſe: ergo nullus defectus à Confeſſario eſt ſupplendus; neque ut à Medico, neque ut à Judice: etiamſi ſimul probabilis, vel etiam probabilior ratio appareat, aliud, adhuc mortale peccatum per Confeſſarii interrogationem detectum iri. Ideò ſuprà ex Lugo *num. 590.* retulimus, non eſſe bonam, conſequentiam, ſi dicas: talis interrogatio faceret, aperire magis diſtinctè numerum vel ſpecies peccatorum; ergo illa eſt addenda: uti & illa non eſt bona; ſi hic homo adhuc cogitaret una hora de ſuis peccatis, cognoſceret adhuc plura peccata: ergo adhuc una hora cogitandum eſt. Hinc

Probatur ſecundò. Ipſe pœnitens poſt adhibitam debitam diligentiam in ſe examinando, non tenetur ulteriùs ſe examinare: ergo neque à Confeſſario, cui ſolùm incumbit ſupplere defectum pœnitentis, debet examinari, niſi adhuc ſit ſupplendus defectus agnitæ ruditatis.

Probatur tertiò. Quando pœnitenti probabile eſt, ſe adhibuiſſe ſufficientem diligentiam, & ſatisfeciſſe obligationi ſe ulteriùs examinandi, ideò non tenetur ulteriùs ſe examinare, quia talis obligatio eſſet nimis oneroſa, & redderet odioſam frequentationem ſive receptionem Sacramenti. Atqui etiam obligatio ulteriùs examinandi pœnitentem, qui probabiliter judicatur ſufficienter inſtructus, & prævio examine diſpoſitus ad recipiendam abſolutionem, redderet odioſam Adminiſtrationem Sacramenti, eſſetque nimis oneroſa, & Confeſſariorum ſcrupulis obnoxia, ſi adhuc deberent percontari ea, quæ non certò, ſed tantùm probabiliter judicantur à pœnitente commiſſa: ergo etiam non tenentur ea percontari. Cùm neque Sacramentum exponatur periculo nullitatis, neque Confeſſarius de integritate Confeſſionis debeat omninò eſſe certus, imò nunquam poſſit eſſe certus.

126 Deducitur ſextò, ne Sacramentum Pœnitentiæ non tantùm odioſum, ſed etiam vel pœnitenti, vel Confeſſario, vel utrique noxium reddatur, etiam rudem pœnitentem, vel cum aliquo defectu præparationis accedentem, poſt exploratas communes circumſtantias ſpecificas, & cognitam ſufficientem diſpoſitionem ad validè recipiendam abſolutionem, quæſtionibus non neceſſariis urgendum non eſſe, præſertim in materia lubrica, ut Doctores communiter advertunt cum S. Thoma loco proximè citato, & *4. diſt. 16. q. 3. a. 2. q. 5. ad 4.* ubi ait. *Quandoque laudabiliter reticentur,* (id eſt, Circunſtantiæ magis periculoſæ) *adhibita debita diſcretione, ſecundùm conſiderationem turpitudinis circumſtantiæ, & pronitatem inclinationis ad peccatum, ex ejus Confeſſione in ipſo confitente, vel in Sacerdote.* Ubi licèt potiùs loquatur de circunſtantiis, novam ſpeciem peccati mortalis non addentibus, tamen ratio etiam pugnat pro addentibus, minùs communibus, ac pœnitenti non occurrentibus; & deinde loco *ex diſt. 19.* citato etiam de his inquit. *Non fiat explicita interrogatio de peccatis, niſi de illis, quæ omnibus manifeſta ſunt; de aliis autem & adinventionibus peccatorum ita debet à longinquo fieri interrogatio, ut ſi commiſit, dicat, & ſi non commiſit, non addiſcat. De peccatis præcipuè carnalibus non deſcendat nimis ad particulares circumſtantias, quia hujuſmodi delectabilia, quantò magis in ſpeciali conſiderantur, magis concupiſcentiam nata ſunt movere.*

Neque tamen etiam ob propriæ ruinæ periculum Confeſſarii tam ſanctus munus ſuum refugere, vel imperfectè peragere debent: pro quo Sanctus Thomas loco *ex diſt. 16.* ante citato memorabile addit documentum in hæc Verba, *Circumſtantiæ particulares* (intellige illas, quas dixit S. D. omnibus manifeſtas) *peccati carnalis, quæ in aliam ſpeciem peccati mortalis trahunt, ſemper ſunt confitendæ. Quia gratia, quæ in Sacramento pœnitentiæ datur, reſtaurat, ſi qua inclinatio ad peccatum ex talium cogitatione proveniat, vel in confitente, vel in Sacerdote. Unde dicit Gregorius in Paſtorali* (*par. 2. c. 5. circa finem.*) *Fit plerumque ut dum Rectoris animus aliena tentamenta cognoſcit, auditis tentationibus etiam ipſe pulſetur. Sed hæc nequaquam Paſtori timenda ſunt; quia tantò faciliùs à ſua eripitur, quantò miſericordius ex aliena tentatione fatigatur.* Ex quibus verbis colligitur, optimum contra aſperſionem alienarum macularum, quo veluti linteo ſecundùm Chriſti Diſcipulorum pedes lavantis exemplum præcingi debent, præſidium eſſe, Confeſſariis diligenter uſurpandum, Diffidentiam ſui, Confidentiam in DEUM, & Divinæ Gratiæ implorationem.

§. IV.

Quid Confeſſario agendum cum ſcienter reticente peccatum

S V M M A R I V M.

127 *Confeſſarius, quando non certò ſcit, pœnitentem confiteri ſacrilegè, ſcienter reticendo peccatum grave, tenetur pœnitenti dare abſolutionem*

128 *Quid faciendum Confeſſario, ex Confeſſione complicis certò cognoſcenti, à pœnitente ſacrilegè negari peccatum grave.*

VTiliſſimam pro Coronide hujus materiæ de integritate Materiali ſubnecto quæſtionem, quam 127
proponit, & reſolvit Suarez *diſput. 32. ſect. 3. num. 9.* Ultimò, inquit, quæri poteſt. Quid aget Confeſſor, ſi pęnitentem videat, non ſolùm tacere aliquod peccatum, quod evidenter ſcit, illum commiſiſſe; ſed etiam poſtquam interrogatus eſt, illud in Confeſſione negare? Videtur enim teneri ad abſolvendum illum; quia juxta communem regulam, & Doctrinam Divi Thomæ *Quodlib. 1. a. 12.* quam ferè Authores ſequuntur, in hoc foro credendum eſt pœnitenti, tam pro ſe, quàm contra ſe loquenti, & in omni Judicio debet Judex judicare ſecundùm allegata & probata, & non juxta privatam ſcientiam: hìc autem tota allegatio & probatio conſiſtit in dicto pęnitentis.

Reſpond. Regulariter ſtandum eſſe Confeſſioni, & dicto pęnitentis, undecunque Confeſſor ſciat peccatum pęnitentis ex aliorum relatione, tenetur in hoc judicio magis credere ipſi pęnitenti propter rationem factam. Deinde ſi ipſe Confeſsor ſuis oculis vidit peccatum, & probabiliter exiſtimare poſsit, pœnitentem eſse confeſſum alteri illud peccatum, poteſt diſsimulare, & credere, ideò tunc negare illud; quia non tenetur iterùm illud confiteri. Si autem omninò ſit evidens, illum mentiri, contra integritatem Confeſſionis, non tenetur ita ſtare dictis pęnitentis, ut non poſſit uti ſcientia ſua ad convincendum, & redarguendum ipſum pęnitentem: præſertim quia licèt in externo foro neceſſaria ſit ſcientia publica proportionata, in hoc foro ſecreto, & ad bonum ipſius Rei ordinato, Scientia privata ipſius Confeſsoris utilis eſse poteſt. Unde ſi evidenter videat, illum eſse indiſpoſitum, non debet illum abſolvere, quidquid ille dicat: idem ergo erit, & evidenter videat, non integrè confiteri.

Ex quo patet, quid reſpondendum ſit ad Caſum, 128
qui, ut nullus dubito, non uni Confeſsario contigit. Confeſsus eſt Sponſus, & Sponſa, nuptias contracturi, uterque aſſeruit ultimam Confeſſionem à ſe peractam eſse in Paſchate, & quia ambæ erant perſonæ rudes, interrogavit Confeſsarius utramque: an non poſt contracta Sponſalia à tempore ultimæ Confeſſionis ſe mutuo uſi ſint, ſicut conjuges, atque fornicati, cùm frequenter id ſoleat contingere: Faſs us eſt Sponſus non ſemel,

mel, ſed ſæpiùs id eſſe factum. Deinde Sponſa omnia negavit. Confeſſarius, cùm ſalvo ſigillo prioris Confeſſionis non auderet illam ulteriùs urgere, ſecum cogitavit forſitan putare illam; propter præcedentia Sponſalia de futuro jam ſibi licitum eſſe uſum corporum, & ſic ſub tacita conditione abſolvit. Cùm pauló pòſt idem caſus rurſum accideret, & Sponſa ſimiliter negaret plures fornicationes, quas Sponſus ab eodem tempore faſſus erat, à quo Sponſa ultimam Confeſſionem fecerat, interrogavit Confeſſarius Sponſam, an ſi hujuſmodi rem feciſſet, ipſa ſciret, quòd eſſet grave peccatum, & illud confiteri teneretur. Illa hoc ſe benè ſcire affirmavit. Hinc non ampliùs patebat ullum effugium. Certum enim erat, quòd Sponſus non fuiſſet ſe accuſaturus, ſi illas fornicationes cum Sponſa non commiſiſſet. Certum erat, quòd Sponſa interea non fuerit confeſſa. Certum denique erat, quòd per ignorantiam invincibilem non poſſet excuſari à gravitate peccati: conſequenter quòd ſacrilegè peccatum mortale reticeret. Cogitabat itaque Confeſſarius, ſi Sponſam ſine abſolutione dimitteret, & illius loco recitaret tacitè Oratiunculas. *Miſereatur tui, &c. Indulgentiam, abſolutionem, &c.* (quas multi Confeſſarii abſolutioni præmittere ſolent, ſicut Sacerdos in Miſſa Confeſſioni generali eaſdem ſubjungit, & ſicut etiam parvuli, qui nondum capaces ſunt abſolutionis, neque à Confeſſariis capaces reddi poſſunt, communiter his precatiunculis ſuper illos dictis dimittuntur ſine abſolutione Sacramentali) quod hac ratione neque ageret contra ſigillum prioris Confeſſionis, cùm ipſe uſus ſcientiæ inde perceptæ nullo modo cederet in præjudicium prioris pœnitentis, & pęnitens poſterior eum uſum nullo modo adverteret, utpotè putans, ſe abſolutionem Sacramentalem accepiſſe, & quòd neque etiam huic pęnitenti ullo modo obeſſet: etiamſi enim putaret, ſibi fuiſſe datam abſolutionem, ſciret tamen abſolutionem fuiſſe nullam, & invalidam, proinde ſe teneri, omnia peccata mortalia rurſum confiteri. Conſequens ergo erat, potuiſſe, & debuiſſe Confeſſarium dicto modo negare abſolutionem, ne indigno ac incapaci ſcienter illam impertiret.

Si enim probabilis eſt ſententia S. Thomæ 4. *diſtinct. 9. quæſt.* 1. *art.* 5. *quæſt.* 1. & aliorum communiter docentium, quòd Sacerdos uti poſſit, & debeat ſcientia Confeſſionis ad negandum ipſi pęnitenti, non abſoluto propter perſeverantiam voluntatis in gravi peccato, Sacramentum Euchariſtiæ, ſi id nemine altero præſente petat, etiamſi pęnitens revertat, Confeſſarium uti ſcientia Confeſſionis, uti fuſiùs oſtendam, acturus de ſigillo Confeſſionis, multò magis, & ad minimum tunc utendum eſt hujuſmodi ſcientia, ſi id neque pęnitens, neque ullus alius advertat, neque ulli in præjudicium cedat, ſi adeòque abſque violatione ſigilli Confeſſionis fieri poſſit. Itaque in hoc caſu cenſeo, locum habuiſſe Reſponſionem allatam ex Suarez, juncta doctrina noſtri P. Joannis Dicaſtillo *tr.* 4. *de Sacram. Euchar. diſp.* 9. *dub.* 21. *n.* 491. Ubi ait. Quòd aliquando Sacerdos audiens Confeſſiones in aliquo publico loco, coram circumfuſa multitudine pęnitentium poſſit ſimulare, ſe tunc abſolvere pęnitentem, cui vel negat, vel differt abſolutionem, ſive dicendo ſubmiſſa voce formulam deprecationis *Miſereatur tui, &c.* aut alias preces, quo jure prohibeatur, non ſatis apparere videtur. At ſi forma Sacramentalis fictè & abſque intentione proferretur, hanc ſimulationem meritò improbat citatus Author. Quia hoc cederet in gravem irreverentiam Sacramenti.

Non diſſimulabo tamen, aliter ad relatum caſum reſpondiſse noſtrum P. Gobat *tract.* 7. *num.* 245. qui pro ſe immeritò relato Toleto *lib.* 3 *cap.* 16. & Diana *p.* 5 *tract.* 11. *reſol.* 21. non omnes à me poſitas circumſtantias obſervante, putant, Confeſsarium poſtquam ex Sponſo intellexit fornicationem Sponſæ, conſtanter crimen negantis, non potuiſse negare abſolutionem, tum quia revelaſset peccatum Sponſi, tum quia eſtò non revelaſſet, non tenebatur credere magis Sponſo, quàm Sponſæ. Si tamen (addit citatus Author) aliunde, quàm ex complicis Confeſſione certò noſset, eam mentiri, deberet inabſolutum dimittere, quia neſas eſt adminiſtrare Sacramentum ullum indigno. Verùm priori rationi jam in mea reſponſione eſt cautum. Poſterior autem ratio evertitur ab ipſo ejus Authore. Nam unde certiùs noſcet Confeſsarius, Sponſam mentiri, quàm ex complice, ſe ipſum fide Sacramentali ſincerè accuſante de crimine, quod non potuit fieri ſine complice Sponſa? aut quis credat Sponſum ſine ulla cauſa falsò accuſare Sponſam, & ſe privare fructu ſuæ ſinceræ accuſationis, cùm potiùs præſumptio ſit contra Sponſam, quòd ex Sacrilego pudore neget commiſsum à ſe peccatum?

ARTICULUS VIII.

De integritate formali Confeſſionis.

§. I.

De integritate formali ſine materiali extra periculum mortis.

SUMMARIUM.

129 *Quandoque poteſt dari juſta cauſa, aliquod peccatum mortale ſcienter reticendi in Confeſsione: tenetur tamen pęnitens, illa cauſa ceſsante, hujuſmodi peccatum in proxima Confeſsione exponere: & propoſitionem hoc negantem vetuit Alexand. VII.*

130 *Juſta cauſa autem dictæ reticentiæ poteſt eſſe impotentia phyſica, vel moralis, qualis tamen juxta propoſitionem 59 prohibitam ab Innocent. XI. non cenſetur eſſe affluxus magnus pœnitentium.*

131 *Juſta cauſa etiam eſt prudens metus gravis damni, ipſi pœnitenti, vel alteri ex manifeſtatione peccati orituri per accidens. Talis juſta cauſa etiam eſt neceſsitas ſervandi ſigilli Confeſsionis, quando ſine ejus violatione peccatum explicari non poſſet.*

132 *An pœnitens teneatur exponere peccatum mortale, quando pœnitens ſcit, Confeſſarium carere iuriſdictione in illud.*

133 *An ab integritate materiali Confeſsionis excuſet infamia complicis. Refertur ſententia affirmans.*

134 *Statuitur, & firmatur ſententia negans.*

135 *Reſpondetur ad argumenta contraria.*

136 *Quænam ſit juſta cauſa peragendi Confeſsionem cum dicta aliqua cauſa, excuſante ab integritate materiali.*

137 *An & qualis poſsit dari cauſa juſta, procurandi abſolutionem à peccatis, manente cenſura occulta.*

COmmunis & certa eſt ſententia omnium ferè DD. 129
licere in certis caſibus, ac circumſtantiis, etiam extra articulum mortis, peragere Confeſſionem, & ſecluſa quoque omni invincibili ignorantia, juris aut facti, id eſt, obligationis confitendi, aut peccati commiſſi, ſcienter reticere aliquod peccatum mortale, vel circumſtantiam illius ſpecificam: ſi nimirum vel ex parte pęnitentis, vel ex parte Confeſsarii, vel ex parte alicujus tertii datur juſta cauſa excuſans à peccati alicujus Confeſſione, & Sacramentum pęnitentiæ, vel commodè intermitti, vel ab alio Sacerdote, apud quem ceſset illa cauſa, recipi ſine magno incommodo non poteſt, modò pęnitens ſublata cauſa paratus ſit aliquando ſupplere defectum integritatis materialis, ut videre eſt apud Suarez *diſput.* 23. *ſect.* 2. Coninck *diſp.* 7. *n.* 75. Lugo *diſp.* 16. *n.* 26. Vaſq. *q.* 91. *a.* 2. *dub.* 2. Gonet *diſput.* 10 *art.* 2. Præpoſitum *quæſt.* 5. *dub.* 5. Tanner. *diſput.* 6. *quæſt.* 7. *dub.* 4. & alios communiter. Quando enim Tridentinum declaravit ad valorem Sacramenti requiri integram Confeſſionem omnium mortalium memoriæ occurrentium, locutum eſt ex ſuppoſitione, quòd abſque gravi difficultate, & incommodo eadem præſtari poſſit, quæ Confeſſio, cùm ſit ſolummodò juris poſitivi, Chriſti verò jugum ſit ſuave, ac leve, non cenſendus eſt Chriſtus voluiſse ad ſubeundum grave incommodum, per ſe cum integritate Confeſſionis non connexum, obligare, vel Sacramenti fructuoſa perceptione in illis circumſtantiis privare eum, qui tanta integritate confitetur peccata ſua, quantam ſine extraordinario gravi incommodo præſtare poteſt, quæ integritas formalis vocatur, ſive dentur adhuc alia peccata propter oblivionem, vel propter extraordinariam difficultatem omiſsa, ſive nulla dentur, id eſt, ſive ſit integritas purè formalis, ſive ſimul

materialis. Dixi tamen: Modò Pœnitens ſublata cauſa paratus ſit aliquando ſupplere defectum Integritatis materialis. Alexander VII. enim prohibuit hanc contrariam Propoſitionem XI. *Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita, ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenetur in ſequenti Confeſſione exprimere.*

Quæſtio ergo nunc eſt, quænam ſit juſta cauſa excuſans ab integritate materiali, & quænam juſta cauſa ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, ſtante impedimento materialis integritatis.

130 Ad primam quæſtionem hæ potiſſimùm cauſæ enumerantur à Tannero *diſp.6. quæſt 7. dub.4.* *Prima eſt* pęnitentis impotentia phyſica, qualis datur in mutis, aut ignaris ejuſdem idiomatis: vel impotentia moralis, quando propter morbum, defectum reſpirationis, diſficillimè omnia peccata per longam Confeſſionem enumerari poſſunt.

Secunda. Impotentia Confeſſarii, quando is propter defectionem virium, aut temporis, e.g. in Naufragio, vel in Conflictu cum hoſtibus propter multitudinem pœnitentium, vel in neceſſitate improviſa mox aliò proficiſcendi &c. non poſſet audire totam Confeſſionem, tunc enim pœnitens ſaltem ſi ad alium Confeſſarium commodè, & ſine difficultate eadem peccata iterùm repetendi, accedere non poſſet, vel ſi alius non haberet poteſtatem abſolvendi à reſervatis, licitè peteret, & reciperet abſolutionem. Sine hac morali impotentia autem, vel alia juſta cauſa, neque Confeſſarius inferior licitè abſolveret pœnitentem à mortalibus non reſervatis, remittendo ad ſuperiorem pro abſolutione à reſervatis, neque ſuperior licitè abſolveret à ſolis reſervatis, ſed deberet etiam audire, ac dimittere omnia mortalia, de quibus pœnitens nondum eſt abſolutus, vel ſolùm tollere reſervationem, & illum ad inferiorem Confeſſarium remittere, ſi pœnitenti non difficilè eſſet, integram Confeſſionem coram illo rurſus peragere, ſic etiam non eſt moralis impotentia, neque cauſa juſta dimidiandi Confeſſionem propter affluxum pęnitentium die Feſto, aut Jubilæi, prout Innocentius XI. expreſsè improbavit 59. Propoſitionem. *Licet Sacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicujus Feſtivitatis, aut Indulgentiæ.*

131 *Tertia* eſt prudens & rationabilis metus gravis damni, ſive ſpiritualis, quod v. g. propter probabiliter prævIſum periculum ſolicitationis ad flagitium puella ex Confeſsione lapſus carnalis ſibi, aut Confeſſario aliunde de malitia, & proclivitate perſpecto prudenter timeret, ſive temporalis, ſi damnum indebitum, in bonis fortunæ, vita, honore, aut fama pœnitenti, vel Confeſſario, vel alteri non ex vano aut levi fundamento meritò timeretur, ſi v.g. Confeſſarius prævideretur violaturus ſigillum. Dixi tamen ſi damnum illud foret indebitum, nam quod ex imponenda obligatione reſtituendi famam, vel rem furtivam, vel ex ſola confuſione coram noto Confeſſario foret ſubeundum, non eſſet indebitum, vel extraordinarium, ſed obligationi integritatis quaſi imbibitum; indebitum verò eſſet, ſi non ſine interprete, vel ſi publicè Confeſsio peragi deberet tempore naufragii, conflictu cum hoſtibus mox ineundi, vel periculi contagionis, ob quod Confeſſarius, nec propiùs ad pœnitentem accedere, nec tamdiu cum illo morari teneretur, donec is omnia ſua peccata mortalia recenſuiſſet.

Quarta cauſa excuſans eſt neceſsitas ſervandi ſigillum Confeſsionis alienæ, ſi pęnitens ſine ejus violatione peccatum ſuum confiteri non poſſet.

132 *Quinta* eſt defectus juriſdictionis, circa quam tamen cauſam non conveniunt DD. nam, etiamſi Confeſſarius in aliqua peccata non habeat juriſdictionem, ſed ob nondum obtentam approbationem ab Ordinario poſsit tantùm abſolvere à venialibus, non autem à mortalibus, vel ſi propter aliquorum mortalium reſervationem poſsit ſolùm abſolvere ab aliquibus mortalibus non verò ab omnibus, nihilominus etiam exprimenda eſſe illa peccata, quæ directè à Confeſſario remitti non poſſunt, affirmat S. Thomas 4. *diſtinct.17. quæſt.3. art. 4. quæſtiune.2. ad* 4. & multi, quos cum Suarez *diſput.*21. *ſect.*3. *num.*2. refert, & ſequitur Tanner. *diſp.6. quæſt.7. dub.*4. *num.*74. adeò, ut præcedenti numero dixerit, hanc eſſe communem, & certam ſententiam: contrariam verò eſſe improbabilem.

Verùm iſta, & multò magis Durandi cenſura, ſententiam, oppoſitam erroneam declarantis, nimia eſt, licitè enim omitti ea peccata, quæ etſi dicerentur, tamen à Confeſſario directè non remitterentur, probabile aſſerit Lugo *de Euchar. diſp.* 14. *num.*86. quod ipſum apud eundem concedunt, S. Antoninus, Alenſis, Gerſon, Major, Pet. Sotus, Mart. Ledeſma, Nugnez, Diana, Palao, Salas, Bonacina, quibus accedunt Tambur. *de Expedita Confeſſione, cap.*1. §.6. *num.*25. & P. Gobat *tract.6. num.466. & tract.7.* 379. quando enim Adverſarii dicunt, nullam in tali caſu adeſſe cauſam excuſantem ab integritate materiali, ut ea poſita, Confeſſarius deſpiciat, an non propter peccata à ſe directè irremiſſibilia etiam neganda ſit abſolutio indirectè remiſsiva, reſponderi poteſt, hoc ipſo, quòd aliqua peccata ſint extracta de juriſdictione Confeſſarii, jam eſſe ſufficientem cauſam, eadem non afferendi ad ipſius tribunal, eò quòd nec pęnitentem ab ipſis abſolvere, nec poſitivè ligare poſsit, ſicut Laicus non poteſt ligare, quando ipſi proponuntur peccata, à quibus non poteſt abſolutionis ſententiam ferre.

Unde etiam S. Thomas, & alii AA. primæ ſententiæ explicari, & approbari poſſunt pro caſu, quo expreſsio omnium peccatorum propter alium finem, ſub mortali peccato debitum, quàm præciſè, ut Confeſsarius ſciat totum ſtatum animæ, neceſſaria eſſet: Nam illo fine ſecluſo eſſet ſcientia inutilis, hoc ipſo, quòd pęnitens ſciat ſe habere peccata, à quibus, etiamſi ea confiteatur, tamen nequeat directè abſolvi, & poſsit indirectè abſolvi, etiamſi ea non confiteatur. Poſsunt autem alii fines explicandi etiam peccata reſervata eſſe variæ obligationes, illis annexæ, pro quibus pęnitenti neceſsaria eſſet inſtructio, & directio ad illas exequendas, v.g. Ut periculum peccandi, & relabendi evitet, ut damnum proximo illatum reſarciat &c. niſi proximè detur occaſio, eandem inſtructionem accipiendi à Confeſsario, habente poteſtatem Juriſdictionis etiam in reſervata.

Utrique relatæ ſententiæ ſe opponit Vaſquez *de Euchariſtia diſput.*208. *cap.*2. *num.*7 *& tom.*4. *quæſt.*91. *artic.* 3 *dub.*9. aſſerens, neque à pęnitente dimidiatam Confeſsionem, neque à Confeſsario dimidiatam abſolutionem præſtari poſse, ſed omiſsa omni Confeſsione tam peccatorum non reſervatorum, quàm reſervatorum potiùs cum ſola contritione perfecta ad S. Communionem, urgente neceſsitate, accedendum eſse. Quam ſententiam ut probabilem approbat Tambur. *loc. cit. n.* 21. citans in margine Jo. Sanchez, Præpoſitum, & Hurtadum, ut faventes. Ego tamen exiſtimo, *probabile* quidem eſse, quòd qui habet peccata reſervata, non teneatur ante ſumptionem Euchariſtiæ confiteri, etiamſi habeat alia mortalia non reſervata (ſi enim tantùm haberet venialia, longè magis conſentiunt DD. cum non teneri ad Confeſsionem, indirectè remiſsivam reſervatorum) quando Confeſsarius ne quidem per juriſdictionem delegatam, ac extraordinariam poſset directè à reſervatis abſolvere; quòd verò pęnitens propter majorem reverentiam Euchariſtiæ, & aſsecurationem ſtatus gratiæ, neque licitè Confeſsionem inſtitueret, neque Sacerdos (ſaltem ſi approbatus ſit, nam non approbato ſolet hæc poteſtas ab Auctoribus, & communi praxi negari) licitè abſolutionem impenderet, id mihi nec videtur probabile, nec cohærens cum alia ejuſdem Vaſquezii doctrina, qui *q.*91. *art.*2. *dub.* 3. *n.*2. expreſsè dicit, certum eſse, quòd propter unum peccatum, quod pęnitens ſine periculo non poteſt dicere, non excuſetur à Confeſsione aliorum peccatorum, ſi ergo in tali caſu poteſt dari obligatio ſaltem dimidiatæ Confeſsionis, & abſolutionis, quare non poſsit propter urgentem neceſsitatem ſuſcipiendæ Euchariſtiæ tanquam ſufficientem cauſam excuſantem, dari licentia dimidiatæ Confeſsionis, vel ſi juxta primam ſententiam non fiat dimidiata, ſaltem abſolutio conferri dimidiata, quando propter limitationem juriſdictionis non poteſt conferri plena omnium peccatorum mortalium.

Cur verò probabile putem, non eſse in prædicto caſu obligationem procurandi abſolutionem directam à mortalibus non reſervatis, & indirectã à reſervatis, moveor

partim

partim ab auctoritate relatorum DD. quibus Tannerus *diſp.6.nu.79.* addit Victor. Sotum, Ledeſmam, idque probabile judicat Tannerus, & Suarez *de Eucbariſtia diſp. 66. ſect.4.* quamvis oppoſitum judicet probabilius, partim à paritate, quia quando præter reſervata ſolùm occurrunt venialia, fatentur communiter DD. non eſſe ſupplendam incertitudinem contritionis per abſolutionem indirectam à reſervatis extra articulum mortis directè non remiſſibilibus, partim à ratione aſſignata *in tract. de Eucbariſtia*, ubi dixi, ideò poſt jam peractam Confeſſionem occurrente memoria novi peccati mortalis id ante Communionem adhuc eſſe confitendum ex conſenſu DD. quia indecens eſt ſumere Sacramentum Euchariſtiæ demonſtrativum plenæ reconciliationis cum Deo, & tamen habere actualem obligationem ex peccato, nunquam directa abſolutione remiſſo provenientem, ſe poſtea ſiſtendi ipſius Chriſti Tribunali. Si hæc ergo obligatio manet, etiamſi quis confiteatur peccata mortalia non reſervata, quando adſunt peccata reſervata, directè non remiſſibilia, & ſi peccator ſe adhuc debet ſiſtere Superiori pro prima abſolutione directa accipienda, & non tantùm pro conſilio ac directione, ſeu inſtructione petenda, de quo alibi videbimus, non eſt ratio illum obligandi ad Confeſſionem mortalium non reſervatorum, hoc ipſo quòd per illam non obtineatur finis intentus, & poſt Communionem eadem Confeſſione omnia peccata tam reſervata, quàm non reſervata expiari poſſint.

133. *Sexta* cauſa excuſans ab integritate materiali Confeſſionis dicitur infamatio Complicis; quæ tametſi verè diceretur excuſans, jam ſufficienter includeretur in tertia, complectente omne damnum indebitum; ponitur enim ſeorſim ſolummodo propter ſpecialem quæſtionis hujus diſcuſſionem, an ſcilicet pœnitens poſſit, aut debeat explicare differentiam ſpecificam peccati v. g. inceſtus in primo gradu lineæ rectæ, ſi Confeſſarius novit perſonam Complicis, nec alius, non noſcens illam, commodè adiri, aut brevi tempore expectari poteſt, ut contra Steph. Fagundez reliqui ferè omnes cum S. Thoma *Opuſc.12. quæſt. 6.* docent, ex lege naturali charitatis, ac juſtitiæ obligatum fore pœnitentem, adire alium Confeſſarium, ſi commodè fieri poſſet, nec licere, prodere complicem, ſi ſine ejus manifeſtatione peccatum exprimi non poſſit, quæ etiam à Confeſſario ipſi prohibenda eſt, ſi eam aliàs futuram priùs advertat.

Ad hanc quæſtionem Marſilius, Navarrus, Valentia, & multi alii apud Suarez *diſp. 34. ſect. 2.* & apud Lugo *diſp.16.n.393.* & apud Dianam *p.1.tr.7.R.49.* negant propter ſolam integritatem materialem, niſi alia ratio utilitatis propriæ, vel complicis accedat, licitum eſſe manifeſtare differentiam ſpecificam peccati, ſi Confeſſarius ex illa veniat in notitiam complicis, eò quòd infamatio etiam coram uno ſilentium ſervaturo ſit contra jus naturale, præferendum juri poſitivo confitendi integrè omnia peccata mortalia, quæ ratio ſi bona eſt, fruſtra limitatur à Cano, mortis articulum excipiente; quia in illo quoque jus naturale eſſet præferendum poſitivo, ſicut etiam plures aliæ cauſæ, extra mortis articulum excuſantes, adhuc in illo excuſare poſſunt ab integritate materiali.

134. Alii verò longè communiùs, & probabiliùs affirmant, ſi aliud damnum infamationi complicis nullum accedat, illam non eſſe ſufficientem cauſam excuſantem ab obligatione integrè explicandi peccatum mortale, nunquam quoad differentiam exprimendam directa abſolutione condonatum (ſi enim jam eſſet aliquando directè remiſſum, vel ſi tantùm eſſet veniale peccatum Pœnitentis ſecluſo alio ſpeciali proprio, aut alieno commodo, ab infamatione proximi excuſante, teſte Lugo *diſp.16.nu.411. & 413.* non ſolùm licitè, ſed neceſſariò abſtinendum eſſet à Confeſſione manifeſtativa gravis peccati alterius perſonæ notæ.) Ita S. Bernardus *in Formula honeſtæ vitæ* præcipiens: *De nullo ſiniſtrè loquaris, quantumcunque ſit verum, vel manifeſtum, niſi in Confeſſione, & hoc, ubi non potes aliter manifeſtare peccatum tuum.* S. Thomas *Opuſc. 12. quæſt. 6. & 4. diſt. 16. quæſt. 3. art. 2. quæſtiunc. 5. ad 5.* S. Bonavent. S. Antonin. Alenſis, Richardus, Durandus, Paludanus, Major, Gabriel, Gandavenſis, Almainus, Adrianus, Gerſon, uterque Sotus, Sylv. Angel. Roſella, Corduba, Medina, Toletus, Henriq. Suarez, Vaſq. Leſſius, quos refert & ſequitur Tanner. *diſp.6. q.7. nu.85.* Lugo *num.394.* & plures alii ab hoc relati. Ratio fundamentalis apud Tannerum eſt. Quia licèt præceptum de non infamando ſit naturale, pendet tamen ab ea circumſtantia, ſi Cauſa rationabilis nulla ſuppetat, ſeu, quod idem eſt, cùm proximus eſt rationabiliter invitus, in propoſito autem ſubeſt Cauſa rationabilis, videlicet ipſa integritas, & religio Sacramenti ex Divino præcepto conſervanda, cui tantillum illud incommodum complicis, præſertim ejus culpa cauſatum, nequaquam præpondetat, cùm ipſe etiam pœnitens ob eandem cauſam jacturam ſimilem exiſtimationis apud Confeſſarium complicis negligere teneatur.

Confirm. Ex communi ſententia licitum eſt propter petendum conſilium fido, ac prudenti viro manifeſtare alterius crimen occultum: atqui commodum, ob quod Confeſſario tanquam Judici, Conſiliario, Medico &c. integrè manifeſtatur peccatum, cum infamatione Complicis, ſpectando reverentiam Sacramenti pœnitentiæ, vel etiam ſuſcipiendæ Euchariſtiæ, & difficultatem idem peccatum ſemel ſine differentia ſpeciem mutante, & ſemel cum illa explicandi (ſi differentia ſeorſim exprimi non poſſit) eamque obligationem diutiùs retinendi &c. eſt longè majus, & fides ſigilli eſt longè ſtrictior: ergo longè magis eſt licitum in poſito caſu integrè manifeſtare ſuum peccatum; præſertim, quia alienum tantùm concomitanter, & indirectè manifeſtatur, nemo autem prohibetur in hujuſmodi caſu uti jure ſuo, ſi alterius damnum indirectum commodè impediri non poſſit.

Dices: Ex allata ratione tantùm probari, quòd pœnitens poſſit, non autem, quòd teneatur infamare complicem: ſicut propter proprium damnum extraordinarium, & indebitum, poteſt reticere peccatum, etiamſi eo non curato etiam potuiſſet non reticere. Confir. Pœnitens non tenetur pro integritate Confeſſionis adhibere media extraordinaria, v.g. extraordinariam diligentiam, vel fatigationem capitis infirmi, vel ſcripturam pro juvanda memoria &c. Atqui infamatio complicis, præſertim in primo gradu lineæ rectæ conjuncti, ad cujus famam conſervandam lex non tantùm juſtitiæ, ſed etiam pietatis obligat, eſt medium extraordinarium, nec eſt credibile, Chriſtum in inſtitutione Sacramenti voluiſſe ad illud obligare, ergo.

Reſp. Etſi illatum practicè verum ſit propter probabilitatem primæ ſententiæ, & quia ex ſuppoſitione illius, atque ex relicta probabiliore oppoſita Sacramentum Pœnitentiæ, nec valore nec fructu ſuo privatur; ſpeculativè tamen loquendo nego eſſe verum, ut cum S. Thom. *loc. cit.* auctores 2. ſententiæ communiter negant; quia ſi manifeſtatio Complicis eſt licita, rectè infertur, quòd ſit etiam debita in prima, adeòq; quoad integritatem materialem neceſſaria Confeſſione peccati, includentis cooperationem complicis tanquam ſuum ſpecificativum; licèt enim iſte modus argumentandi non ſit univerſaliter legitimus, ut ex eo, quòd poſſim, non obſtante proprio, vel alieno damno, ſervare aliquam legem, ſequatur, me debere ſervare, imò in hac ipſa Lege de integritate materiali Confeſſionis non ſequatur, quando damnum excuſans ab integritate eſt extrinſecum, & non imbibitum in manifeſtatione integra peccati, ſeu totius malitiæ ſpecificæ: legitimus tamen eſt, quando manifeſtatio integra peccati proprii eſt etiam neceſſariò manifeſtatio peccati alieni, ut adeòque utraque ſit per ſe præcepta, & incluſa in præcepto integritatis materialis; tunc enim ſicut Pœnitens non excuſatur ab infamatione ſui, etiamſi ſit familiariter notus Confeſſario, ſic etiam non excuſatur ab infamatione aliena, in quantum hæc non poteſt evitari ſalva integritate Confeſſionis. Undè vis argumenti ad hunc ſyllogiſmum reducitur. Pœnitens tenetur integrè, & ſecundùm omnes differentias ſpecificas confiteri ſua peccata, quando non ſufficienter probatur cauſa excuſans: ſed manifeſtatio peccati alieni licita, per ſe connexa cum manifeſtatione peccati proprii, non ſufficienter probatur eſſe cauſa excuſans, etiamſi complex patiatur damnum inevitabile, hîc & nunc in integra Confeſſione incluſum, ratione cujus non poteſt eſſe rationabiliter invitus, propter aſſignata bona Confeſſionis integræ, ergo &c.

135 Ad primam replicam Reſp. ex illa potiùs confirmari noſtram ſententiam, nempè quòd ſicut tantùm alia damna diſtincta ab infamatione, & confuſione coram Confeſſario ſunt damna indebita, reſpectu Pœnitentis, ſic etiam tantùm ſint indebita reſpectu complicis; & ſicut Chriſtus obligavit pœnitentem ad id, quod ipſi difficilius eſt, nempè ad infamationem ſui, ſic mirum non eſſe, ſi voluerit etiam obligare ad infamationem complicis, ad quam ipſe per ſuam cooperationem ad peccatum integrè explicandum hìc, & nunc inevitabilem cauſam præbuit. Ad 2. replicam, ſeu ad Confirmationem nego ſuppoſitum, quòd infamatio complicis ſit medium extraordinarium; quia expreſſio illius, ſine quo totum peccatum explicari non poteſt, ſed quod per ſe includitur, in differentia ſpecifica peccati, non eſt medium extraordinarium ad explicandam differentiam ſpecificam, ſed tantùm per accidens eſt, quòd perſona complicis ſit nota Confeſſario.

Urgebis: Sicut datur obligatio omnia ſua peccata mortalia integrè confitendi, ita etiam datur obligatio non adminiſtrandi Sacramenta, indignè & ſacrilegè ea petenti, & tamen juxta dicta in præcedenti diſputatione licet præbere Euchariſtiam illi, qui alibi eſt notorius, & qui privata notitia extra etiam Confeſſionem accepta ſcitur, non egiſſe pœnitentiam, quamvis poſſet etiam in hoc loco, ubi non eſt peccator notorius; & infamis, eadem ipſi licitè negari propter probabilitatem ſententiæ, quòd infamem in uno loco, liceat ſalva juſtitia infamare in alio loco, eò quòd Jus ad famam, & Bonam exiſtimationem ſit ſimpliciter, & univerſaliter amiſſum pro omni loco, ac tempore, ita ut liceat hiſtoricis, & novellarum Scriptoribus crimen alicubi notorium vulgare editis libris, transferendis ad alia loca, ubi crimen non eſt notorium, & in futura tempora ſervandis. Ergo ſicut motivum charitatis erga proximum, cujus famæ parcitur, dando Euchariſtiam Sacrilegè petenti, excuſat miniſtrum ab obligatione non cooperandi peccato alieno, & irreverentiæ, ſive indignæ tractationi Euchariſtiæ, ita multò magis excuſat motivum pietatis erga Matrem, ut filio liceat reticere peccatum inceſtus cum illa commiſſi, ſi neceſſe hìc, & nunc eſt confiteri Confeſſario noſcenti Matrem, apud quem ipſa ſubiret grave damnum bonæ de ſe exiſtimationis; quia, ut loco citato diximus, Chriſtus non obligat ad inferendum grave damnum proximo in bonis communibus, pro cavenda irreverentia Sacramenti; ne ipſum Sacramentum per talem obligationem reddatur exoſum.

Reſpondetur negando paritatem inter obligationem integritatis in Confeſſione peccatorum ſervandæ, quando ea ſervari poteſt ſine damno, naturæ Confeſſionis non intrinſeco, ac imbibito, & inter obligationem, non cooperandi alieno Sacrilegio, ſeu irreverentiæ Sacramenti, per actionem de ſe licitam, qualis eſt adminiſtratio Sacramenti, cui per accidens eſt, quòd recipiens ſit indignus, & ſit velut Judas, cui Chriſtus miniſtravit Euchariſtiam; quia adhuc erat peccator occultus, licèt paulò poſt futurus notorius. Ratio diſparitatis eſt; quia eſt longè gravior obligatio confitendi omnia peccata mortalia, quando ab ea nullum damnum, vel incommodum extrinſecum Confeſſionis integritati excuſat, & non ſumere Euchariſtiam ſine præmiſſa Confeſſione omnium peccatorum mortalium, quæ ſine hujuſmodi damno extrinſeco fieri poteſt, quàm ut non adminiſtretur Sacramentum indigno in eo caſu, quo repulſus à perceptione Sacramenti deberet ſuſtinere publicam confuſionem. Prior enim retinet vim obligandi abſolutè, hoc ipſo quòd damnum intrinſecum, & imbibitum obligationi non fuerit à Chriſto exceptum, poſterior verò perdit vim obligandi abſolutè; quia damnum extrinſecum, & præcipuè publicum, aut publicabile, quale eſſet negatio Euchariſtiæ etiam tantùm coram uno, redderet Sacramentum exoſum.

Quòd ſi dicas, etiam confuſionem illam, quam complex ſuſtineret ex ſui criminis manifeſtatione apud Confeſſarium notum, eſſe damnum extrinſecum, quia non eſt per ſe connexum, hoc ipſo quòd ſit integræ Confeſſioni accidentalis, & ea non daretur, ſi Confeſſio fieret coram alio ignoto Confeſſario. Iterum reſpondetur, aliud eſſe, quòd damnum ſit accidentale, propter accidentalem notitiam Confeſſarii de perſona utriuſq; complicis, & aliud quòd damnum ſit extrinſecum; peccatum enim commiſſum, & in Confeſſione explicandum eſſentialiter includit utriuſque cooperationem, & nequit pœnitens explicare ſuum crimen, quin etiam explicet alienum. Deinde iſta replica nimis multùm probaret, quòd nempè accidentalis notitia Confeſſarii de perſona pœnitentis, & illa accidentalis confuſio, qualem pœnitens non ſuſtineret apud Confeſſarium ignotum, etiam eſſet damnum extrinſecum, vel ſaltem æquè excuſans à Confeſſione gravis peccati apud Confeſſarium notum.

Ad 2. Quæſtionem ſuprà propoſitam, quænam ſit juſta cauſa ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ ſtante impedimento materialis integritatis. Reſp. Juſtam cauſam eſſe, primò quando urget præceptum pœnitentiæ, vel ſumendæ SS. Euchariſtiæ. 2. Quando alterutrum Sacramentum ſine Scandalo, nota infamiæ, vel alio ſive temporali, ſive ſpirituali gravi damno à privatione Sacramenti, & fructus ordinarii diſtincto v. g. ſine jactura indulgentiæ plenariæ intermitti non poſſet; nam ſi ſumptio Euchariſtiæ propter ejuſmodi cauſam eſt licita, hoc ipſo etiam eſt licita Confeſſio, ſaltem, quando à tempore ultimi peccati mortalis neque indirecta abſolutio omnium peccatorum mortalium eſt procurata, ut contra Vaſq. alii DD. cum Lugo *diſp. 14. de Euchar. num.* 103. communiter concedunt, eſt autem eodem Lugo teſte *diſp. 16. de Pœnit. num.* 416. quem ſequitur P. Gobat *tract. 6. num.* 476. licita ſumptio Euchariſtiæ, quando Sacerdos ſolitus quotidie celebrare, aliàs per triduum, vel Laicus conſueta communione cum æquali difficultate abſtinere deberet. 3. Quando pœnitentia nimis diu differenda eſſet. Quia, ut inquit Lugo, & ex illo P. Gobat *loc. cit.* gravis res eſt, per triduum eſſe in ſtatu peccati, quod meritò timeri poteſt, cùm ſit difficile habere verum actum contritionis: idem tempus pro longo videtur agnoſcere P. Suarez. *diſp. 34. ſect. 2. nu.* 13. ubi tempori longo tantùm opponit biduum, Ego puto, homini aliàs timoratæ conſcientiæ, vel periculoſæ valetudinis, aut ætatis etiam biduum valdè grave fore, itaque ex circumſtantiis prudenti arbitrio longitudo temporis metienda eſt. 136

Tertia Quæſtio eſſe poteſt, an cauſa ſufficiens ad ſuſcipiendum Sacramentum pœnitentiæ, ſtanti impedimento materialis integritatis, in peccatore nullam habente excommunicationem, ſufficiat etiam in peccatore occulta excommunicatione affecto, vel occultè volente ſuſcipere Sacramentum. 137

Pro reſponſione advertendum eſt primò ex communi ſenſu DD. omnium apud Tannerum *diſp. 6. q. 7. num.* 77. contra Henriq. eum Confeſſarium, qui non habet poteſtatem ordinariam, aut delegatam abſolvendi ab excommunicatione reſervata, etiam in caſu neceſſitatis non poſſe abſolvere ab excommunicatione, niſi quando impedimentum adeundi ſuperiorem eſt ſtabile, ac perpetuum, aut diuturnum: vel niſi neceſſitas ſit extrema propter periculum mortis, quo caſu poteſt quivis Sacerdos abſolvere, non tantùm à peccato, verùm etiam ab excommunicatione ſub modo reincidentiæ, ſi ſublato periculo pœnitens non ſe ſiſterit habenti ordinariam, vel delegatam poteſtatem.

Advertendum 2. Durante excommunicatione reſervata non impediri valorem abſolutionis Sacramentalis à cæteris peccatis, nec cenſura, nec reſervatione affectis, ut contra Vaſquez, & plures ab illo relatos docent Suarez, Thom. Sanchez, Coninck, quos ſequitur Lugo, *diſp. 14. de Euchariſt. à num.* 101. Tanner. *loc. cit.* & alii communiter: neque enim per excommunicationem tollitur juriſdictio paſſiva, ſi pœnitens eſt excommunicatus, ſed ſolummodo activa, ſi Confeſſarius eſt excommunicatus, & non toleratus, hoc ſuppoſito.

Reſpondeo, diſtinguendum eſſe inter ea bona, quibus Eccleſia per excommunicationem intendit peccatorem privare, & inter ea bona, quibus non intendit privare: primi generis ſunt uſus Sacramentorum pro omni tempore, quæ etiam aliàs ex obligatione Legis recipienda eſſent, vel ex conſuetudine ipſius excommunicati recipi ſolebant: huc etiam ſpectant indulgentiæ, communia ſuffragia, oblationes Sacrificiorum &c. Bo-

na ſe-

na ſecundi generis ſunt, indemnitas in bonis fortunæ; famæ, honoris (ſi excommunicatio ſit occulta) vitæ, & gratiæ juſtificantis. Itaque jactura priorum bonorum non excuſat à neceſſitate, neque petendi, neque recipiendi abſolutionem Sacramentalem; quamvis ſi ex ignorantia prædictæ neceſſitatis à pœnitente bona fide ſuſcepta eſſet, eadem ſecundùm cit. DD. & alios communiter ſine dubio valeret. Jactura autem poſteriorum bonorum non minus eſſet ſufficiens cauſa ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, præmiſſa abſolutione directa à peccatis non reſervatis, ſive ea eſſent mortalia, ſive tantùm venialia, quàm ſi pœnitens excommunicatione reſervata non eſſet gravatus. Ita Suarez *diſp.31.ſect.3. num.6* Lugo *diſp.14. de Euchar. n.102.* & hoc teſte conſequenter docere debent, omnes iis, qui communius concedunt, abſolutionem bona fide receptam, ſive bona, ſive mala fide data ſit, fore validam, quoad peccata non reſervata, ut adeóque Tanner. *diſp.6. quæſt.7. num.77.* immeritò diſſentiat, & communiorem ſenſum pro ſe alleget; aſſerens extra periculum mortis, quo etiam cenſura à quolibet Sacerdote ad reincidentiam remitti poteſt, nunquam licitè abſolvi eum, qui habet peccatum excommunicatione reſervata affectum, ſed, ut ſequenti numero inquit; quando neceſſitas evitandæ infamiæ cogit ad accipiendam S. Euchariſtiam, potiùs præmiſſa ſola contritione perfecta illam ſumendam eſſe, monito Confeſſario, ſi etiam ſimulatione Pœnitentiæ Sacramentalis opus fuerit de impedimento accipiendæ abſolutionis, in quo tamen Tannerus adhuc benignior eſt Soto, Sylveſt. Moſella, Covarruvia, apud Lugo *loc. cit. n.99.* quos ſecutus eſt Valentia *de Euchar. quæſt.8. punct.3.*

Ratio autem datæ à nobis reſponſionis quoad ſecundam partem, quæ ſola eſt controverſa, hæc redditur. Excommunicatio habet ſe ſicut aliæ Leges Eccleſiæ. v.g. Lex jejunii, audiendi Miſſam. Atqui aliæ Leges non obligant, quando ex earum obſervatione per accidens, & præter intentionem Legislatoris ſequeretur grave damnum temporale, aut ſpirituale: ergo in tali caſu neque lex excommunicationis obligat, v.g. quando durante excommunicatione occulta, vel cum ſcandalo, nota infamiæ &c. omittenda eſſet perceptio S. Euchariſtiæ, vel iſta percipienda foret ſine abſolutione Sacramentali tanquam præparatione magis decenti, & ſecura. Eodem modo hic locum habet difficultas diu differendæ abſolutionis, vel eadem peccata mortalia non reſervata bis confitendi cum notabili horrore duplicis confuſionis.

Confirmatur 1. ex Vaſq. *de Euchar. diſp 208.num.13.* & Lugo *n.104.* Lex humana non eſt ſtrictioris obſervantiæ, quàm Divina; imò ſi quæ eſſet differentia, hæc potiùs deberet eſſe ſtrictior, quàm illa; ſed lex materialiter, & formaliter integræ Confeſſionis, & abſolutionis ab omnibus peccatis mortalibus, eamque ſacræ communioni præmittendi, vel à Communione abſtinendi eſt Divina, & tamen propter aſſecurandam ſalutem, evitandum ſcandalum, infamiam, vel aliud grave damnum, vel propter obtinendam certiorem præparationem ad Euchariſtiam homo excuſatur ab obſervantia Legis Divinæ, quò minus inſtituat Confeſſionem materialiter integram, & accipiat abſolutionem directam ab omnibus peccatis mortalibus, vel utrumque Sacramentum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ omninò intermittat, ergo etiam excuſatur, quò minus ſuſceptioni Sacramenti pœnitentiæ præmittatur abſolutio ab excommunicatione, quæ tantùm ex Lege humana eſt præmittenda.

Confirmatur 2. Ad hominem contra Tannerum, & alios ab ipſo relatos. Si eſſet aliqua ratio ante abſolutionem ab excommunicatione propter metum infamiæ vel ſcandali licitè accipiendi Euchariſtiam, non autem abſolutionem Sacramentalem, tanquam faciliùs, & certiùs medium prærequiſitæ juſtificationis, tunc eſſet iſta, quam aſſignat, *num. 78.* quia ſumptio Euchariſtiæ non ita intrinſecè ſupponit poteſtatem, & juriſdictionem, expeditam in Miniſtro, aut ipſam abſolutionem à cenſura, ſicut ſupponit abſolutio Sacramentalis; ſed hæc ratio in primis ſupponit falſum; nam neque abſolutio Sacramentalis intrinſecè ſupponit abſolutionem à cenſura, cùm ipſe Tannerus fateatur, hac non præmiſſa illam fore intrinſecè validam, & tantùm à Lege Eccleſiaſtica atque extrinſeca provenire, quò minus per ſe loquendo liceat accipere abſolutionem à peccatis, antequam accipiatur abſolutio à cenſura, qualis prohibitio etiam datur quoad ſumptionem Euchariſtiæ: deinde ſupponit allata ratio id, quod eſt in quæſtione: hoc ipſum enim quæritur, an abſolutio Sacramentalis, ut licitè accipiatur, & conferatur ſemper & neceſſariò ſupponat abſolutionem à cenſura; & utrum aliàs poteſtas & juriſdictio in nullis circumſtantiis ſit expedita, quod quia nos negamus propter allatas rationes, Adverſarii ſuam oppoſitam ſententiam non debent nobis dare pro ratione in contrarium.

§. II.

De Integritate formali Confeſſionis in articulo mortis.

S V M M A R I V M.

138 *Vrgente mortis periculo, pro integritate formali Confeſſionis poteſt ſufficere Confeſſio unius peccati.*
139 *Imò etiam poteſt ſufficere Confeſſio generica.*
140 *Signa etiam, quantumvis dubia & in abſentia Confeſſarii edita ſufficiunt, ut Confeſſarius poſſit ſaltem ſub conditione abſolvere.*
141 *Imò ut etiam teneatur.*
142 *Sine omni ſigno ſenſibili nec licitè, nec validè abſolutio impenditur.*
143 *Sola Vita, more boni Catholici acta, non poteſt habere rationem ſigni, manifeſtantis deſiderium abſolutionis.*
144 *Reſpondetur ad oppoſitam Authoritatem Pontificum.*
145 *Reſpondetur ad oppoſitam authoritatem Sancti Auguſtini.*
146 *Etiamſi Vita piè inſtituta non ſit ſignum deſiderii, accipiendi abſolutionem, eſt tamen circumſtantia apta, interpretandi aliud ſignum incertum pro hujuſmodi deſiderio; ita ut propter hoc non tantùm poſſit, ſed etiam debeat moribundus abſolvi, etiamſi immediatè ante articulum mortis peccatum grave perpetratum fuiſſet.*

Dico 1. Quando eſt morale periculum, ne infirmus 138
ante abſolutionem moriatur narrando plura peccata, vel nimium debilitetur, vel mortem acceleret, ſufficit unum peccatum dicere, id tamen debet eſſe mortale, ſi tali gravatur. Ratio primæ partis eſt, quia hujuſmodi periculum infert gravem neceſſitatem accelerandi abſolutionem, & aſſecurandi ſalutem, ergo eſt ſufficiens cauſa excuſans à majori integritate materiali, ante mortem tamen ſupplenda, ſi id abſque gravi corporis incommodo fieri poſſit. Ratio ſecundæ partis eſt, quia hoc ipſo, quòd poſſit recenſeri aliquod peccatum, jam poteſt obligationi confitendi mortalia ſatisfieri quoad narrationem ſaltem unius peccati mortalis, ergo debet ſatisfieri, niſi detur alia cauſa excuſans, v.g. ſi Confeſſio nequeat fieri ſine interprete, vel arbitro, ut contingere poteſt in naufragio, bello, peſte, &c. Inter mortalia autem, cùm circa omnia detur æqualis obligatio confitendi, neceſſe non eſt eligere graviſſimum, ſed ſatis eſt exprimere mortale.

Dico 2. Poteſt & debet abſolvi, quando quis impo- 139
tens plura dicere, dicit in genere *peccavi*, (ſi tamen gravaretur mortali peccato, & ſi poſſet, hoc ipſo addere deberet particulam *mortaliter*, vel *graviter*, ut ſic ſuum peccatum confiteretur modo meliori poſſibili) Ita contra non paucos quidem relatos à Lugo ex Vaſquez & Diana communis & certa ſententia. Probatur 1. à fortiori illis rationibus, quibus oſtendemus ſolum deſiderium confitendi, vel ſignum doloris eſſe ſufficientem ſui accuſationem in caſu extremæ neceſſitatis. Probatur 2. Accuſatio generica de peccatis commiſſis eſt vera accuſatio, & major non poteſt præſtari, ergo eſt accuſatio formaliter integra: ſed accuſatio formaliter integra ſufficit, ergo &c. Prob. 3. Accuſatio generica eſt capax terminandæ abſolutionis, modò verificetur in aliquo peccato ſpecifico; aliàs immeritò obligaretur homo ad dicendum in genere ſe peccaſſe mortaliter,

taliter, qui hoc ſciret, & non recordaretur ſpeciei, ergo in neceſſitate ſufficit. Cæterum rectè ex Communi DD. ſenſu monet Laymann. *lib.5. tract.6. cap.8. num.8.* extra articulum mortis neminem abſolvendum eſſe, qui tantùm in genere dicit, ſe peccaſſe, cum nemo adeò hebes ſit, ex quo non poſſit elici peccatum, ſaltem veniale ex tota vita: vel is hoc ipſo tam hebes ſit, ut poſt tantum Examen Confeſſarii, neque probabiliter præſumi queat, dolorem competentem elicuiſſe, uti tamen in articulo mortis probabiliter præſumitur propter ſpecialia auxilia DEI, & propter minus explorabilem hebetudinem.

140 Dico 3. Etſi externa ſigna doloris de peccatis, à ſanis & extra periculum mortis edita, ſæpè non referantur ad genericam Confeſſionem coram Sacerdote per illa faciendam, vel ad deſiderium Confeſſionis faciendæ ſignificandum, in periculo mortis tamen non tantùm, ſi cognita præſentia Sacerdotis ponantur, ſed etiam ſi non cognita præſentia, vel ſi in abſentia illius edantur, rectè præſumuntur, eſſe ſigna non ſolius doloris, verùm etiam deſiderii accipiendi abſolutionem Sacramentalem, quod quis vel immediatè per ſe ipſum Sacerdoti præſenti, vel per unum, aut plures adſtantes (vel etiam per eos, qui ab his audierunt, ut obſervat Lugo *diſp.17. num.81.*) Sacerdoti vocando vult manifeſtare; manifeſtatio autem deſiderii, quo quis vult abſolvi à peccatis, iam eſt Confeſſio generica peccatorum, ac proinde, etſi alia Confeſſio præſtari non poſſit, viſis tamen, vel ex aliorum, etiam infirmo non ampliùs præſentium (ut ex Diana & pluribus aliis advertit cit. Lugo *n.85.*) relatione, cognitis ſignis doloris, in mortis diſcrimine poſitus à Sacerdote abſolvendus eſt, ſi verò dubium ſit, an illa ſigna propter anguſtias mortis, vel propter dolorem de peccatis emiſſa fuerint, ſaltem ſub conditione impertienda eſt abſolutio, quia extrema neceſſitas eſt ſufficiens cauſa cum dubio valore Sacramentum ſub conditione adminiſtrandi, cùm etiam levior cauſa vel neceſſitas ſufficere poſſit. Ita communiter DD. cum pluribus Conciliis & SS. Canonibus relati ac approbati à Palao *pun. 11. num.10.* licèt Suarez *diſp.23. ſect.1. n.13* & nonnulli alii videantur diſſentire, vel ambiguè loqui, qui forſan tantùm de infirmis extra periculum mortis edentibus ſigna ſine petitione Confeſſarii intelligendi ſunt. Aſſertionis autem noſtræ optimam rationem auctoritati ſuperaddunt Dicaſtillo, *diſp.9. à n.768.* Lugo *diſp.17. à n. 29.* Laymann. *lib.5. tract.6. c.8. num.4.* his verbis. Quia ſigna pœnitentiæ, quæ præſente mortis periculo ab infirmis eduntur, cenſeri debent ad Sacramentalem abſolutionem directa, cùm in tali ſtatu optimum ſuæ animæ remedium deſiderare ſoleant.

141 Ex hac concluſione colligunt iterum communiter DD. Sacerdotem non tantùm poſſe, ſed etiam teneri in prædicto caſu abſolvere moribundum: cùm enim præmiſſa concluſio ſit ad minimum valdè probabilis, quòd licitè poſſit dari abſolutio, ſequitur etiam, illam deberi dari, quia in gravi neceſſitate aſſecurandæ ſalutis conſtituto quilibet lege charitatis tenetur ſubvenire, quando facilè & probabiliter poteſt, nec aliunde Sacramenti reverentia exigit in tanta neceſſitate adminiſtrari cum omnimoda certitudine valoris, ſed ſufficit ejus probabilitas, & in dubio propriè dicto, ubi ſigna doloris non aſſertivè diſtingui poſſunt, confertur cum intentione formaliter conditionata, ſi ſcilicet validè conferri poſſit.

142 Dico 4. Cùm ex teſtimonio Tridentini *ſeſſ.14. cap.2. & 6. & can.9.* certum ſit, Sacramentum Pœnitentiæ eſſentialiter conſiſtere in ratione judicii, adeòque à Jacobo Bajo Lovanienſi apud Lugo *n.42.* ſine ulla probabilitate aſſeratur, abſolutionem per modum ſuffragii abſque forma judicii in caſu proxima concluſione dicendo conferri poſſe: cùm etiam proceſſus judicialis ſine aliqua accuſatione ſubſiſtere nequeat, quamvis poſſit ſine materialiter integra, ideò indubitatum eſt, Sacramentum Pœnitentiæ invalidè adminiſtratum iri, ſi abſque omni ſenſibili ſigno Confeſſionis genericæ, vel particularis rationem habente, abſolutio à peccatis præbeatur, meritòque contrarium docere prohibitum eſt in noſtra Societate, ut habetur in nova Ratione ſtudiorum ſententia Theologica 16.

143 Dico 5. Si quis improviſo mortis periculo ita obruatur, ut nullum ſpeciale ac ſenſibiliter connexum ſignum doloris vel deſiderii, abſolutionem Sacramentalem accipiendi præſtare queat, ſpectando auctoritatem omnium DD. teſte Vaſquez *q.91. art.2. dub.1. n.1.* qui ante ipſum docuerunt, & teſte Lugo *n.39.* ac Dicaſtillo *diſp.9. n.862.* omnium noſtræ Societatis DD. conſenſu (malè enim à quibuſdam pro ſe citatur Suarez expreſsè contrarium docens *diſp.23. ſect.1. n.13.* & Salmeron) ipſamque etiam rationem ſequendo, longè probabiliſsimum eſt, ſolam vitam boni Catholici more poſt commiſſum mortale peccatum (nam præcedens eſſet tantùm accuſatio peccati futuri, quod utique non valeret) non ſufficere pro ſigno ſenſibili, manifeſtante dolorem de peccatis, & deſiderium, ſeu intentionem ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, prout ad ejus valorem requiritur. Authoritatem DD. ſuppono ex eorum libris: rationem duplicem aſſero.

Prima eſt, ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, & ad Sacramentalem abſolutionem non ſufficit, quòd pœnitens elicuerit dolorem de ſuis peccatis, & deſiderium & intentionem accipiendi abſolutionem, & quòd uterque actus doloris & deſiderii rationabiliter arguatur ex anteacta vita & moribus externis, tanquam ex ſigno conjecturali, quòd etiamſi fuerit phyſicè poſitum à peccatore, tamen non fuit ab illo ordinatum, vel non ſcitur fuiſſe ordinatum ad utrumque ſuum actum manifeſtandum, cùm hanc ordinationem neque ex natura ſua, neque ex conſuetudine, neque ex inſtitutione hominum denotet, (neque ex privata conventione cum aliquo Sacerdote, ut hìc ſuppono) & ſic peccator moribundus ad cognitionem ad conjecturalem tantùm ſe habuit paſsivè, quomodo ſæpè contra noſtram voluntatem ex actionibus noſtris externis pati debemus judicia hominum de internis. Verùm ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur ſignum externum, quo pœnitens activè manifeſtet deſiderium, ac intentionem abſolutionis, aliàs non ſeipſum accuſat de peccatis; ſed, ut dixi, tantùm patitur homines venire in cognitionem deſiderii, ac peccati in genere; ſicut ſi quis ex verecundo rubore, aut pallore vultus prodat internam animi motionem: ergo anteacta vita, & mores externi pio, ac Catholico ritu præſtiti, non ſufficiunt pro ſigno ſenſibili, prout ad valorem pœnitentiæ & abſolutionis Sacramentalis requiritur, quamvis ſufficiant, ut tali moribundo meritò conferatur extrema Unctio, ad quam non requiritur activa accuſatio ſui, ſed ſufficit intentio illam ſuſcipiendi quomodocunque cognita, vel rationabiliter præſumpta.

Secunda ratio concluſionis, obſervata à Lugo *n.40.* & Dicaſtillo *n.863.* ſic formatur. Si vita præterita eſſet ſufficiens ſignum ad manifeſtandum deſiderium, ac intentionem abſolutionis Sacramentalis, tunc à Paulo V. in Rituali Romano ac Concilio Carthaginenſi IV. Arauſicano I. ab Euſebio Papa & à S. Leone M. *Epiſt. 91.* pro abſolutione Sacramentali (de qua ſermonem inſtitui patet, & oſtendit ex eorum verbis Lugo *à n.45.*) fruſtra & deceptoriè requireretur aliud ſignum, quòd vel ipſe Sacerdos viderit, vel de quo alii teſtentur. Atqui nefas eſt hoc dicere, vel credere aliter Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum fuiſſe à Chriſto, quàm prout Conciliia, Pontifices, & SS. Patres nobis tradiderunt, ergo, &c. Unde rectè infert Lugo *cit. n.40.* his etiam à Dicaſtillo *n.864.* relatis, & approbatis verbis. Non ergo expedit in re tanti momenti ſub pietatis ſpecie ſapere plus, quàm omnes S. Patres ſapuerunt, ſed obſervare terminos, quos appoſuerunt nobis.

144 Obiicitur tamen 1. Auctoritas Clementis VIII. qui fertur, præcipitem ex S. Petri fabrica abſolviſſe, & Alexandri Ludoviſij Archiepiſcopi Bononienſis, poſtea Gregorii XV. dicti, qui in ſuo Memoriali de forma Sacramenti Pœnitentiæ *c.1. num.16.* Confeſſariis præcepit practicandam oppoſitam nobis ſententiam, & Sacerdotalis Romani antiqui, in quo referuntur verba S. Antonini, etiam practicabilem aſſerentis, uti quoque docuerunt Molſeſius, Homobonus, Antonius de Literatis, Gabr. Loterius, Leander, Ludovicus à Conceptione, Philibertus, Martinus, Barthol. à S. Fauſto, & dicuntur practicaſſe multi Confeſſarii in Belgio. Reſpondet Lugo *num.34.* id, quod de Clemente VIII. refertur fabuloſum affirmari à multis doctis Viris, quos ipſe diligenter interrogavit, quique multis annis Romæ commorati ſunt,

ſunt, ipſius etiam Clementis VIII. tempore. Memorialis Bononienſis authoritati negat in hoc puncto multum tribuendum eſſe, quemadmodum in Conſtitutione Eccleſiæ Compoſtellanæ erratum eſt per exceſſum in oppoſitum, quando ſub pœna cautum eſt, ne ullus Confeſſarius abſolveret eum, qui aliquod peccatum in particulari non fuiſſet confeſſus. In Sacerdotale Romanum ſimiliter oſtendit plures errores irrepſiſſe, poſterioribus editionibus correctos, neque ipſum S. Antoninum clarè loqui de abſolutione Sacramentali, ſed potiùs de quadam Generali, ac Deprecatoria, qualis ante diſtributionem S. Euchariſtiæ à Sacerdotibus præmitti ſolet, cùm ipſe S. Antoninus eodem in loco dicat, in periculo, quando non eſt Sacerdos, bonum eſſe confiteri Laico, qui utique non poteſt judicialem abſolutionem dare, ſed tantùm ſimilem, qualem profert Miniſter in introitu miſſæ, poſtquam Sacerdos recitavit Confeſſionem Generalem.

145 Obiicies ſecundò. S. Auguſtinus *lib.2. de Adulterinis Coniugiis cap.28.* cùm dixiſſet: *Ego non ſolùm alios Catecbumenos, verùm etiam ipſos, qui viventium Coniugi copulati retinent adulterina conſortia, cùm ſalvos corpore in his permanentes non admittamus ad Baptiſmum, tamen ſi deſperati, & intra ſe pœnitentes jacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, Baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro Regenerationis abluatur.* Deinde ſubjungit. *Quæ autem Baptiſmatis, eadem Reconciliationis eſt cauſa, ſi fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit.* Reſp. S. Doctorem tantùm in hoc inſtituiſſe paritatem, quòd ſicut pro Baptiſmo licitè conferendo non eſt neceſſarium, ut quis eum expreſsè petere, & (ut *cap.26.* inquit) ad interrogata reſpondere poſſit, ſic pro abſolutione Sacramentali non ſit neceſſe, ut quis illam diſtinctè petere, atque de peccatis ſe accuſare valeat, tamen aliquod ſignum pœnitentiæ exigi, ſatis indicat illis verbis: *Et intra ſe pœnitentes iacuerint.* Imò nec ipſi Adverſarii aliter poſſunt explicare S. Auguſtinum. Quia qui vixiſſet in adulterino conjugio uſque ad mortis articulum, non haberet ſignum ab ipſis approbatum, nempè vitam piè actam.

146 Obiicitur tertiò. Ex vita Catholicè & piè acta poteſt ſæpè haberi teſtimonium probabile, quòd moribundus dederit aliquod ſignum externum, ab adſtantibus inobſervatum, vel non ſatis perceptibile: ergo ſicut Confeſſarius tenetur moribundum abſolvere, quando aſtantes de ſigno edito teſtimonium præbent, ita quoque tenetur, quando ipſe moribundus de illo teſtatur vitæ probitate. Reſp. Tranſeat antec. nego conſequentiam: quia vel vita editionem ſigni præcedens eſt teſtimonium ſigni futuri, vel vita ſubſequens eſt ſignum editi ſigni præteriti: hoc poſterius utique dici non poteſt, quia moribundus ponitur in tali ſtatu verſari, in quo non poteſt vitam exteriùs piè inſtituere: ſed neque priùs dici poteſt: quia vita præterita non cauſatur à ſigno edito ſubſequente, ſicut teſtimonium adſtantium activè cauſatur à ſigno præterito moribundi, ut proinde per teſtimonium adſtantium activè tanquam per interpretem ſe accuſet: adeòque negatur paritas in conſequenti aſſumpta.

Deinde vita præterita non aliter eſſet ſignum externi ſigni imperceptibilis, quàm ipſius deſiderii interni, ergo non eſſet ſufficiens ſignum, vel eodem modo poſſet dici ſufficiens, etiamſi nullum externum ſignum imperceptibile mediaret. Denique ſignum externum immediatè imperceptibile non poteſt dici accuſatio ſui, etiamſi fiat perceptibile mediatè, per vitam piè inſtitutam, aliàs etiam deſiderium internum eodem modo poterit dici accuſatio ſui. Unde bene notanda eſt diſparitas inter abſolutionem tam ſubmiſſa voce prolatam, ut à nullo adſtante percipi potuerit, & inter accuſationem factam per ſignum imperceptibile; quia ad eſſentiam Sacramenti non requiritur, ut abſolutio ſaltem extra articulum mortis à pœnitente audiatur, & intelligatur, bene tamen, ut à Confeſſario ſenſu externo, & intellectu percipiatur accuſatio facta à pœnitente per tale ſignum, quod ſit aptum ad manifeſtandum deſiderium abſolutionis, ſeu ad manifeſtanda peccata ſecundùm gradum genericum, adeòque quod ſaltem ab aliquo ſit immediatè perceptibile.

Quòd ſi autem objectio plus non intenderet, quàm vitam piè actam eſſe fundamentum præſumendi de ſigno dubio, quod ex intentione manifeſtandi dolorem, ac deſiderium abſolutionis ſit editum, ob quod in tertia concluſione dixi abſolvendum eſſe moribundum, nihil inferretur contra ultimam noſtram aſſertionem, modò ipſum ſignum dubium immediatè per ſeipſum à Confeſſario, vel ab aliis, id ipſi referentibus percipiatur, & reſpectu talis ſubjecti nempe Chriſtianè viventis ſaltem præbeat rationem dubitandi, an non ſit editum ad manifeſtandum deſiderium abſolutionis: ſic enim perinde ſe haberet, ſicut Confeſſio peccati verè quidem commiſſi, ſed expoſiti ſub dubio negativo, quæ in caſu extremæ neceſſitatis etiam ſolitariè ſine expreſſione peccati certi, hìc & nunc impoſſibili, ſufficeret ad licitè conferendam abſolutionem, & ad ſignificandum deſiderium abſolutionis, quod ipſum etiam eſſet accuſatio, in illo caſu ſufficiens.

Atque ideò P. Joannes Cardenas *par.2. Criſis Theologiæ diſp.48.* poſtquam triginta & octo Authores pro ſe *cap.1.* attulerat, deinde *cap.3.* omninò docet, moribundum nullo alio ſigno edito, quàm motu labiorum, vel gemitu, vel ſuſpirio, vel crebra reſpiratione, vel oculorum in cœlum elevatione, ſub conditione licitè abſolvi, quamvis illa ſigna in abſentia Sacerdotis, primùm ſupervenientis edita, tantùm ex aliorum relatione ipſi innoteſcant: & ex hac ipſa licentia denique infert cum Tamburino, talem moribundum etiam debere ex obligatione charitatis abſolvi, negatque obſtare, quòd ſimul probabile ſit Confeſſario, Moribundum fortè jam rationis impotem, vel ob dolores & anguſtias pectoris, ad illa ſigna edenda fuiſſe adactum. Quia, inquit cit. Author, cum Tambur. fortè non deeſt ipſi moribundo id, quod neceſſarium eſt ad abſolutionem impertiendam; ſed nequiens aliud doloris & deſiderii ſignum edere, fortè unum ex prædictis, rationis verè compos, & attritus edidit, ac ordinavit ad accipiendam abſolutionem; cùm ſaltem oppoſitum certum non ſit, & rariſſimè eveniat, ut tam citò ſenſibus quis poſt actuale etiam peccatum, deſtituatur, ut vicinus morti nec poſſit nec velit ſuæ ſaluti conſulere per aliquam attritionem. Unde inferunt prædicti Authores, ob qualemcunque ſaltem probabilitatem debitæ diſpoſitionis, & petitæ per aliquod ſignum dubium abſolutionis, etiam poſt paulò antè patratum adulterium, vel duellum, ex vulnere lethali cum morte luctantem, ſub conditione abſolvendum eſſe; cùm ipſum ſignum dubium ex intentione abſolutionis editum eſſe ex periculi magnitudine, & ex generali quodam Chriſti Fidelibus inſito amore ſalutis æternæ à Confeſſario ſatis probabiliter credi poſsit. Quæ doctrina videtur fundari in hoc argumento.

Quandocunque datur ſaltem tenuis probabilitas, quòd Sacramentum non adminiſtretur invalidè, & quando ſimul datur ſumma neceſsitas adminiſtrandi Sacramentum, tunc Sacramentum adminiſtratur licitè: quia hæc facit, ut Sacramento, vel potiùs Inſtitutori Sacramenti nulla irrogetur irreverentia, eò quòd tunc Sacramentum non adminiſtretur irrationabiliter, temerè, & indignè. Sed quando à moribundo editur aliquod ſignum ex prædictis, vel aliud ſimile, datur ſaltem tenuis probabilitas: quod ſic probatur. Probabile eſt, & rationabiliter creditur, quòd in proximo, & ampliùs inevitabili periculo mortis, quilibet Fidelis deſideret conſequi æternam felicitatem, adeòque etiam medium maximè ſibi neceſſarium, ſcil. Abſolutionem Sacramentalem, ac proinde hoc ſuum deſiderium velit, & conetur manifeſtare modo ſibi poſsibili: ſed ſæpè non eſt poſsibilis alius modus, quàm per ſigna prædicta, ergo probabile eſt, quòd ſaltem per ſigna prædicta velit manifeſtare ſuum deſiderium. Ex quo ulteriùs ſequitur, quòd ſigna illa etiam ſint ſufficientia. Hoc ipſo enim, quòd dependeant ab hujuſmodi deſiderio, & ab illo ponantur, habent tanquam effectus naturalem connexionem, & conſequenter vim ſignificandi ipſum deſiderium: hæc autem connexio ſufficienter innoteſcit per ſenſibilem poſitionem & exiſtentiam ſignorum, & per circumſtantias mortis, & per univerſaliter aut communiter Fidelibus inſitum ſatiſque notum amorem ſalutis æternæ: ergo illa ſigna ſunt ſufficientia, ut illis cognitis licitè in extrema neceſſitate, ſaltem ſub conditione, impertiatur abſolutio Sacramentalis. Hinc denique infertur, quòd quia Sacramentum probabiliter, imò reflexa certitudine certiſſimè

mè adminiſtratur licitè, ex Lege Charitatis Proximi propter ſummam ejus neceſſitatem ejuſmodi adminiſtratio etiam ſit debita & præcepta: præſertim quia in dicto caſu non ſolùm eſt tenuiſſima probabilitas, ſed pariens reflexam certitudinem licentiæ, ac proinde etiam ſufficit ad pariendam obligationem. Hic eſt diſcurſus P. Joannis Cardenas, quem placuit referre, quia neque Concluſioni meæ adverſatur, neque videtur inutilis futurus. Cui etiam ſubſcribit Richardus Arſdekin *tom.2. p.2. tr.3. cap.2. num.5.* Ubi quærens: *Quid ſi moribundus, ſuperveniente Confeſſario, nullum ſignum dederit, aut dare poſſit?* Reſpondet. *Etſi communior opinio aſſerat, ſic abſolvi non poſſe; probabilem tamen, adeòque hîc in praxi ſequendam eſſe ſententiam, dummodò ſolitus fuerit aliàs, Chriſtiano more vivere, & Sacramenta frequentare. Ratio eſt, quia per tales actus vitæ Chriſtianæ ſufficienter, is indicat, ſe etiam in mortis articulo Sacramentum Pœnitentiæ poſtulare; hæc autem poſtulatio externa quædam Confeſſio eſt. Et hanc tenent ſententiam Homobonus, Molfeſius, Tamburinus, Filliucius, Servius, & modò plurimi paſſim Recentiores.*

ARTICULUS IX.

Quando Confeſſio eorundem peccatorum mortalium ſit ex neceſſitate præcepti Divini repetenda, vel non repetenda.

SUMMARIUM.

147 *Certum eſt, ſi Confeſſio fuit invalida, totam ejus materiam neceſſariam repetendam eſſe.*

147 UT certa, & minimè controverſa à controverſis ſecernamus; certum eſt, ſi Sacramentum pœnitentiæ ex defectu eſſentiali, tenente ſe ſive ex parte pęnitentis, ſive ex parte Confeſſarii, fuit invalidum, totam illius materiam neceſſariam (id eſt omnia peccata mortalia nunquam directè per abſolutionem validam dimiſſa) nova Confeſſione eſſe repetendam, ſi autem Sacramentum fuit validum, ſed partialis illius materia neceſſaria tantùm indirectè fuit remiſſa, quoad illam partem eſſe iterandam Confeſſionem. De defectibus autem qui ex omiſſione doloris, propoſiti, Confeſſionis formaliter integræ, abſolutionis rectè prolatæ, intentionis in pęnitente, & miniſtro requiſitæ, contingere poſſunt, partim hîc, partim in tractatu de Sacramentis in genere jam diximus; de iis verò, quę ex parte Confeſſarii propter carentiam poteſtatis approbationis, vel Juriſdictionis evenire queunt, ſuo loco dicemus. Hîc autem controverſum, & dubium eſt, quod per diverſas quæſtiones ſequentibus paragraphis reſolvemus.

§. I.

An propter non impletam pœnitentiam prioris Confeſſionis, vel propter alicujus peccati inſufficientem perceptionem Confeſſio ſit repetenda.

SUMMARIUM.

148 *Si Confeſſio fuit valida, propter defectum impletæ pœnitentiæ non eſt repetenda.*

149 *Quando inter plura per Confeſſionem expoſita peccata unum vel alterum à Confeſſario non eſt ſatis perceptum, vel à pœnitente non ſatis explicatum, & neſcitur quodnam & an mortale fuerit, ad quid Confeſſarius & pęnitens teneatur.*

150 *An Confeſſarius certus, quòd peccatum à ſe non rectè perceptum, ſit tantùm veniale, teneatur exigere à pęnitente, ut illius Confeſſionem repetat.*

148 QUæritur primò. An Confeſſio reiteranda ſit, quando injuncta pęnitentia, vel malitioſè non eſt expleta, vel quando ignoratur, qualis fuerit impoſita. Reſp. Negativè. Quia peccata jam ſunt abſolutè & directè dimiſſa, & novum peccatum per omiſſionem pœnitentiæ, vel per culpabilem illius oblivionem eſt commiſſum, ſufficit, ſi illud exponatur, neque ex ullo fundamento probari poteſt onus repetendi Confeſſionem peccatorum, jam directè coodonatorum. Vel enim pœnitentia injuncta poteſt adhuc præſtari, vel non poteſt: ſi primum, ſufficit illam præſtari, ſi ſecundum, propter impotentiam ſublata eſt obligatio. Unde Palao *tract.23. punct.12. num.2.* relato Navarro, Suarez, Vaſquez, oppoſitam quorundam opinionem parùm vocat probabilem, quam etiam reiicit Lugo *diſputat.16. num.600.*

Quæritur ſecundò. An quando Confeſſarius vel per diſtractionem, vel per ſomnolentiam, vel per debilitatem auditus, vel quamcunque aliam ob cauſam à ſe, vel à pęnitente poſitam, inter plura alia peccata partim venialia, partim mortalia, unum aut alterum non ſatis percepit, neſciens an fuerit mortale, vel veniale, & nequiens etiam determinare, quando, vel quo ordine fuerit à pęnitente expoſitum, an, inquam, in tali caſu Confeſſarius teneatur exigere à pęnitente, ut Confeſſionem ſuam repetat, & an pęnitens illam repetere teneatur, antequam abſolutionem accipiat. Eadem quæſtio etiam locum haberet, ſi ipſe pęnitens in fine Confeſſionis hujuſmodi defectum adverteret: quod quidem vix fieri poſſet; nam ſi illum cognoſceret ex viſa Confeſſarii dormitatione, vel ex alia actione externa, cum attentione incompoſſibili, hoc ipſo ſciret determinatè, quot vel qualia peccata à Confeſſario non fuiſſent percepta: & tunc ſi ea fuiſſent mortalia, teneretur etiam injuſſus illa repetere, vel ſi dubitaret, aut neſciret, quanto tempore duraverit illud impedimentum attentionis, teneretur ex Confeſsario interrogare, an omnia peccata ſua perceperit, vel quodnam fuerit ultimum ex perceptis. Nam certum eſt, ſi vel à Confeſſario, vel à pęnitente deſignari poſſit, quod, vel quæ peccata à Confeſſario percepta non fuerint, & ſi ea erant mortalia, ipſa repeti debere, quia Valor accuſationis ſubſiſtere non poteſt, niſi detur Judex audiens illam non tantùm materialiter, ſed etiam formaliter, id eſt, non ſolùm vocis ſonum, ſed etiam ſenſum ac ſignificationem percipiens: ſine accuſatione autem formaliter manifeſtante peccata mortalia quoad ſpeciem, & numerum, non poteſt validè dari & accipi abſolutio, ſi defectus eſt cognitus & ſupplebilis à pęnitente ante prolatam abſolutionem. Si verò poſt abſolutionem à pęnitente bona fide acceptam, primùm fuiſſet cognitus defectus, & ſi determinatè ſciri poſset, quod vel quæ peccata mortalia priùs non ſint percepta, rurſum certum eſt ex communi Theologorum ſententia (licèt Suarez *diſput.22. ſect.7. num.3.* videatur diſſentire) abſolutionem à Confeſſario, cum vel ſine ſua culpa datam, fuiſſe validam, quia Confeſſarius, ſi non habuit licentiam in his circumſtantiis abſolvendi à peccatis, non injuncta priùs obligatione repetitionis, habuit tamen poteſtatem, & pęnitens ignarus non integrè perceptæ Confeſſionis, habuit ſufficientem diſpoſitionem, ſicut ſi ex oblivione inculpabili poſuiſſet tantùm formaliter, & non materialiter integram Confeſſionem, quam tamen rurſum in utroque caſu certum eſt, repeti oportere, quoad illud tamen duntaxat peccatum, vel peccata, quæ determinatè cognoſcuntur, vel non fuiſse percepta, vel propter inculpabilem oblivionem non expoſita.

Ad propoſitam itaque quæſtionem, prout controverſa vel dubia eſt, circa unum vel plura peccata, non percepta à Confeſsario, neque determinatè deſignabilia, ut illa ſola repeterentur, ſed in ordine ad quorum perceptionem neceſse foret, totam priorem Confeſſionem ex integro repetere, reſpondit Diana *p.3. tract.4. de Sacramentis reſol.109* negando, repetendam eſse totam Confeſsionem, eò quòd ſi etiam abſolutio data eſt, illa Confeſſio fuerit valida, citavit pro ſe etiam Laymanum *lib.4. tract.6. cap.9. num.5.* & Henriq. *lib.5. c.14. n.5.* Sed hi duo Authores ex communi ſententia Theologorum tantùm negant, totam Confeſsionem repetendam eſse, quando peccata non percepta determinatè cognoſcuntur, ut proinde neceſse non ſit alia ſimul repetere; propterea etiam Diana *p.4. tract.4. reſolut.198.* priorem ſuam doctrinam vel revocavit, vel iſto modo reſtrinxit, aut declaravit.

Meliùs reſpondet Cardin. de Lugo *diſput.6. num.607. & 609.* quem ſequitur P. Joannes Dicaſtillo *tract.8.*

de Pæ-

de pœnit. diſp.4. à num.96. Hi dicunt primò, pœnitentem in dicto caſu teneri ad Confeſſionem peccati mortalis ſub hoc gradu generico: ſicut qui habet ſcientiam vel dubium negativum de commiſso peccato mortali, & neſcit, quale illud ſit, obligatur ſub gradu generico peccati mortalis illud confiteri, teneturque dicere, commiſi, vel dubito, an non commiſerim peccatum mortale, neſcio quale. Simili ergo modo dicunt cit. AA. obligari pœnitentem dicere, quòd commiſerit peccatum mortale, nondum ritè per Confeſſionem expiatum, neſciat tamen quale ſit.

Hanc aſsertionem credo veram, ſi pœnitens mera peccata mortalia confeſsus eſt, adeòque determinatè ſcit, illud peccatum, quod à Confeſsario non fuit perceptum, habuiſse gradum genericum peccati mortalis: aliàs ſi pœnitens neque hoc determinatè ſciret, idem dicendum eſset de gradu generico, ſuppoſito, quòd multa vel pauca peccata venialia Confeſſioni mortalium fuiſsent immixta, quod dicunt hi AA. de gradu ſpecifico.

De Specifico autem gradu dicunt ſecundò, diſtinguendum eſse inter Confeſsionem multorum, & paucorum peccatorum, eò quòd in priori de nullo in ſpecie probabile ſit, ipſum à Confeſsario non fuiſse perceptum, in poſteriori autem de ſingulis hoc ipſum ſit probabile, ſicut ſi Deus revelaret ex tota multitudine hominum Romæ degentium, unum eſse, qui falsò exiſtimat, ſe ritè eſse baptizatum, de nullo eſset determinatè probabile, ipſum non eſse legitimè Baptizatum, eſset verò de quolibet probabile, ſi tantùm de degentibus in una domo unus revelaretur non eſse legitimè baptizatus, quo in caſu omnes, in priori verò nullus eſset, ſub conditione aqua regenerationis abluendus.

Verùm iterùm opponi poſsit, quòd etiamſi hoc exemplo rectè oſtendatur, in Confeſsione paucorum peccatorum de unoquoque eſse probabile ipſum Confeſsarii auribus eſse prætermiſsum, maneat tamen de unoquoque etiam probabile, ipſum non eſſe prætermiſſum: quia enim certum eſt ſingula eſſe à pœnitente expoſita, ut potuerint percipi, manet quoque is circa ſingula in poſſeſſione, quòd ſatisfecerit, niſi ipſi de peccato determinato oſtendatur, & manifeſtetur contrarium. Quando autem probabile eſt, neceſſitati præcepti de integritate materiali eſſe ſatisfactum, non tenetur quis eidem præcepto rurſum ſatisfacere, neceſſitati medii enim ſatisfit per Confeſſionem formaliter integram, quæ jam eſt remiſſiva omnium peccatorum mortalium. E contrario quia Baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medii, cui non ſimiliter ſatisfit per Baptiſmum, ſolùm apparenter validum, ſicut neceſſitati pœnitentiæ Sacramentalis per Confeſsionem formaliter integram, & conſtituentem Sacramentum validum, ideò quilibet tenetur illum ſibi procurare, ſi probabile ſit, nondum fuiſſe procuratum, etiamſi etiam probabile ſit fuiſſe procuratum; atque ex hac reſponſione apparet adhuc eſſe probabile, neque pœnitentem teneri ſponte præſtare, neque Confeſſarium teneri exigere repetitionem prioris Confeſsionis.

Quòd ulteriùs confirmari poſſet primò ex principio univerſali. Quia in negotio Confeſsionis, per ſe & ex natura ſua valdè oneroſo, nulla eſt imponenda obligatio, de qua ex una parte non ſatis conſtat, imò cui probabiliter judicatur fuiſſe ſatisfactum per præcedentem expoſitionem omnium peccatorum mortalium, & quæ ex altera parte redderet Confeſſario & Pœnitenti Sacramentum Pœnitentiæ exoſum: Sed talis eſſet obligatio repetendi totam Confeſsionem omnium mortalium, quotieſcunque Confeſſarius per voluntariam aut involuntariam diſtractionem, vel capitis defatigationem, vel ſomnolentiam, aliquod indeſignabile ſive indeterminatum peccatum non ſatis percepiſſet: eſſet enim graviſsimum Confeſſariis hujuſmodi repetitionem frequenter exigere, & pœnitentibus, illam cum novo rubore, & moleſtia ſua facere, & quamvis multis pœnitentibus id non eſſet grave; in hujuſmodi tamen obligatione univerſali ſpectandum eſt, quid per ſe, & ex natura rei, ac communiter fieri ſoleat. Hinc communi Confeſſariorum praxi ac uſu receptum eſſe videtur, ut quando inter audiendam Confeſsionem cognoverunt neceſsitatem, numerum, vel ſpeciem alicujus peccati mortalis aliter & melius declarandi, ejuſque admonitionem ad finem Confeſsionis, ne pœnitentem turbent, diſtulerunt, illi deinde obliti peccatorum quoad integritatem materialem aliter explicandorum non jubeant repeti totam Confeſsionem, ut de integritatis materialis defectu pœnitentem admonere poſsint. Et utique tamen non eſt major ratio repetendi totam Confeſsionem propter unum peccatum mortale, non ſatis à Confeſſario perceptum, quàm eſſet, propter unum peccatum mortale à pœnitente non ſatis expreſſum.

Confirmari poſſet ſecundò argumento à pari. Si quis enim poſt recitatum Officium Canonicum adverteret, ſe hinc inde aliquem pſalmum per inadvertentiam graviter inculpabilem aliquoties omiſiſſe, ita ut de nullo determinato id ſciat, ſciat tamen, ſe tantò citiùs abſolviſſe officium, quanto tempore adhuc indigeret pro integra hora recitanda, adeòque certò colligat, quantitatem omiſſam eſſe tantam, quæ ſufficeret ad peccatum mortale; talem, credo, tamen plerique abſolverent ab obligatione recitandi iterum totum penſum Canonicum de novo: etiamſi æquè teneretur ſub culpa mortali ſupplere partem neglectam, ſi illam determinatè ſciret, quàm pœnitens teneretur repetere Confeſsionem peccati mortalis, à Confeſſario non percepti, ſi id determinatè ſciretur. Ergo ſi pœnitens id non determinatè ſcit, non tenetur repetere totam Confeſsionem, & quia ſupponitur hic, de nullo peccato eſſe major ratio, quàm de altero, ideò nullius peccati Confeſsionem tenetur pœnitens repetere.

Verùm quoad diſcrimen faciendum inter Confeſsionem multorum, & paucorum peccatorum (ſive fuerint omnia mortalia, ſive partim mortalia, partim venialia) aſſentior & ego Cardinali de Lugo, & P. Dicaſtillo. Quia ſi Confeſsio fuit paucorum peccatorum, de nullo determinato peccato poſitivè probabile eſt, ipſum eſse perceptum à Confeſsario, ut adducto exemplo rectè eſt oſtenſum; licèt in eo ſit diſparitas quædam materialis, quòd ibi probetur neceſsitas medii, in noſtro caſu autem neceſsitas præcepti: cum obligatio confitendi peccatum mortale non perceptum à Confeſsario maneat in poſseſsione hoc ipſo, quòd certum ſit, pœnitentem teneri omnia ſua peccata mortalia, quorum memorem conſcientiam habet, confiteri tali Confeſsione, qua Judici innoteſcant, ut poſsit de illis ſententiam ferre, & ſimul certum ſit, quoad aliquod peccatum mortale è paucis aliis, eidem obligationi non eſse ſatisfactum, & ideò de nullo ex illis paucis prudenter credibile, vel ſperabile ſit, id non eſse illud ipſum peccatum mortale, quod nondum eſt per Confeſsionem ritè expiatum, & à Confeſsario perceptum. Unde cùm obligationi certæ, nondum ſit poſitivè probabile, eſse ſatisfactum, nec prima Confirmatio contrariæ aſsertionis ab illa pœnitentem ſatis exolvit, & allegata praxis Confeſsariorum circa peccatum mortale non ſatis à pœnitente expoſitum, non aliter, quàm ſub data diſtinctione Confeſsionis factæ de multis peccatis, non verò de paucis, eſt recepta, ac approbata.

Nec ſecunda Confirmatio plus evincit, quàm exemptionem à repetitione totius prioris Confeſsionis, in qua unum vel alterum peccatum mortale indeterminabile è multis peccatis non eſt à Confeſsario perceptum, ſicut in dicta Confirmatione pauci Pſalmi è multis, qui in toto Officio Canonico continentur, ponuntur indeterminatè cognoſci, quòd non fuerint recitati, propter quos tamen negatur recitandum eſse de novo totum officium: quòd ſi autem & hi inter paucos alios Pſalmos dubii eſsent, pariter neceſse eſset, omnes illos paucos denuò recitare.

Itaque allatæ Confirmationes rectè quidem videntur probare immunitatem à repetitione Confeſsionis totius, ſed juxta diſtinctionem à Cardin. de Lugo, & Dicaſtillo obſervatam. Eidem verò diſtinctioni adhuc addo pro ejus declaratione; ſi in Confeſsione multorum peccatorum determinatè ſignificari poſset pœnitenti, quòd in principio, vel in medio, vel in fine Confeſsionis aliquod peccatum non ſit perceptum, de quo Confeſsarius non poteſt præſumere, fuiſse tantùm veniale, tunc pœnitens ſaltem tenetur Confeſsionis deſignatum locum repetere, quia ille habet ſe inſtar Confeſsionis de paucis peccatis, & dubium eſt inter

pauca

pauca indeterminata. Inſuper addo, quòd ſi Confeſſio fuiſſet quidem inſtituta de multis peccatis, ſed ſi non pauca etiam ſufficienter percepta non eſſent, pariter totam Confeſſionem repetendam eſſe; quia proportionaliter talis Confeſſio ſe haberet, ſicut Confeſſio paucorum peccatorum, in qua de ſingulorum peccatorum perceptione meritò dubitatur. Unde ne Confeſſarii ſuis pœnitentibus debeant eſſe moleſti, oportet eos eſſe attentos, & ſi quæ circa integritatem monenda erunt, non nimis multa ad finem Confeſſionis differant, imò ſi quæ percepta non ſunt, ſtatim jubeant repetere.

150 De peccatis merè Venialibus, quando Confeſſario per experientiam conſtat, à pœnitente non niſi talia afferri, res eſt facilior. Si enim Confeſſarius adhuc habeat materiam certam pro abſolutione, & ſi probabiliter credat, pęnitentem neque deſiderare, neque gratum, imò potiùs moleſtum ipſi fore, ſi juberetur repetere totam Confeſſionem, vel etiam determinatè illud ipſum peccatum veniale, quod à Confeſſario deſignari poſſet, ob diſtractionem Confeſſarii, vel debilitatem auditus, vel ob loquelæ intelligibilitatem non clarè perceptum; poterit Confeſſarius uti diſcretione, & ad cavendam moleſtiam, aut offenſam pęnitentis, vel ob aliam juſtam cauſam teſte Gobat. *tract.7. n.239.* ſuperſedere exactione repetitionis: non tantùm quia peccata cætera remitti poſſunt ſine illo veniali, ſed etiam quia illud ipſum peccatum ſaltem perceptum eſt ſub gradu generico, ſcilicet materiæ clavibus ſubjectæ, ſive peccati per abſolutionem admittendi; ſufficit enim etiam ad directam abſolutionem expoſitio peccati ſub gradu generico, quando non datur obligatio exprimendi differentiam ſpecificam, ſicut in peccatis merè venialibus per ſe loquendo nulla datur, modò extra articulum mortis, vel aliam gravem neceſſitatem, tota Confeſſio non inſtituatur cum accuſatione ſolùm generica, abſque expreſſione ſaltem alicujus differentiæ ſpecificæ: quam quidem expedit etiam in omnibus venialibus memoriæ occurrentibus fieri, ob majorem diſpoſitionem ad ampliorem gratiam Sacramentalem recipiendam, & ob plurimas alias utilitates, puta, humiliationem, & diſplicentiam ſui, ſuorumque peccatorum agnitionem, ac emendationis firmius propoſitum &c. Quos fines pœnitens adhuc aſſequitur, etiamſi ob rationabilem cauſam non jubeatur repetere peccatum veniale, quod ille humiliter & fideliter propoſuit, ſed Confeſſarius non diſtinctè percepit. Et quia in tali caſu nec pęnitens patitur damnum, nec etiam creditur invitus (hoc ipſo, quòd nullum patiatur damnum) & quia neque Sacramento infertur irreverentia, cùm non fruſtretur ſuo effectu, nec integritate debita, probabiliter à cit. P. Gobat Confeſſarius neque ex Juſtitia, neque ex Religione obligatur ad injungendam repetitionem totius, vel ſaltem partialis Confeſſionis, ſuppoſita ſaltem rationabili & juſta cauſa excuſante, atque morali certitudine, quòd peccatum tantùm fuerit veniale.

Alio etiam modo, quem Gobat *tract.7.num.238.* ex Dicaſtillo *tom.1. in 3. par. diſput.3. dub.6. num.111. & 122.* inſinuat, excuſari poteſt Confeſſarius ab imperanda repetitione peccati venialis determinati. Sæpiſſimè enim evenit, ut diſtractio ad alia ſit tam tenuis, ut ea ſtante percipiantur verè verba pœnitentis, ſed tam tenuiter, ut ſtatim effluat memoria illorum; adeóque non eſt firma hæc conſequentia. *Ignoro jam, quid hic dixerit: ergo non intellexi.* Ita Gobat ex Dicaſt. Cujus doctrinæ veritas illorum etiam Confeſſariorum experientia confirmari poteſt, qui ſinguli frequenter in animo dicunt: ſcio me diſtinctè auditu percepiſſe omnia verba pęnitentis, nullumque fuiſſe propoſitum, me ſtatim animum ad illud fuiſſe adverſurum, neſcio tamen, quale peccatum veniale illud fuerit, quod pœnitens propoſuit. Iſtud, credo, frequenter Confeſſariis ſolet contingere, præſertim dum cum relictis ſcrupulis ex præcedentis pęnitentis Confeſſione luctantur: & ſecum diſputant, qui proinde ſufficiens judicium de ſtatu ſuorum pęnitentium in his caſibus abſque repetitione auditorum peccatorum formare poſſunt; nec opus eſt nova repetitione.

§. II.

An propter ignorantiam Confeſſarii Confeſſio ſit repetenda.

SUMMARIUM.

151 *Summatum eſt in titulo.*

Quæritur. An qui bona fide, vel neceſsitate peccata ſua expoſuit Confeſſario, adeò imperito, ut neque communia & notoria peccata mortalia à venialibus diſcernere ſciverit, alteri Confeſſario doctiori eadem rurſus confiteri teneatur. Ad hoc, Etſi affirmativè reſpondeant Sylv. Richardus, Vaſquez, Turrianus, apud Lugo *num.602.* Victoria, Valent. & hoc teſte adducto communior ſententia apud Tannerum, *diſput 6 quæſt.7.n.133.* Videtur tamen hæc reſponſio nec communior, nec probabilior eſſe, ſed negativa præferenda cum citato Tannero, Gabriele, Sylveſtro, Henriq. apud eundem, & Lugo plures referente, quibus Palao, *num.3.* addit, & ſequitur Adrianum, Petr. Soto, Suarez, Coninck, Bonac. Ratio eſt, quia etſi Confeſsarius debeat audire, & intelligere ipſam Confeſsionem peccati, ut detur accuſatio ſpectans ad eſsentiam Sacramenti, non tamen ſimiliter ſpectat ad eſſentiam Sacramenti prudens judicium Confeſſarii, cùm iſte ex Adverſariorum conſenſu de peccatis non communiter notis poſsit directè abſolvere, etiamſi ſæpè nequeat illa diſcernere à venialibus, ſed vel judicium ſuum ſuſpendat, vel etiam judicet eſse veniale, quod à parte rei fuit mortale, quo judicio erroneo à pęnitente animadverſo, non tenetur pęnitens doctior Confeſsarium corrigere, vel ad doctiorem redire. 151

Confirmatur à pari, ideò non requiritur probitas Confeſsarii, ſeu ſtatus gratiæ ad validam, ſed tantùm ad licitam adminiſtrationem Sacramenti, quia iſtud ſæpè cum nullo, vel dubio valore adminiſtraretur: atqui hæc ratio pugnat etiam pro non requirenda ſcientia ad valorem Sacramenti, non enim tantùm ad evitandam infamiam malitiæ ſed etiam inſcitiæ, Sacramentum ſæpè adminiſtraretur ab inhabilibus Confeſsariis; imò gravius periculum invalidæ adminiſtrationis imminieret ex neceſsitate ſcientiæ, quàm probitatis, quia iſta poteſt ſtatim procurari per contritionem occultam; ſcientia verò non poſset ſtatim comparari, & tamen ejus carentiam recuſata adminiſtratione Sacramenti multis difficilè eſset fateri ob metum perdendi ſuam æſtimationem, & beneficium Eccleſiaſticum; ſatis ergo eſt competentem ſcientiam requiri, ut quis licitè acceptet, & ut eidem licitè conferatur munus Confeſsarii, & præterea pœnitentem ſincerè enarrando ſua peccata facere, quod eſt in ſe, ut Confeſsarius poſsit ferre judicium, ut verò etiam prædicta ſcientia requireretur ad valorem, non expediebat, quamvis illa magis ſerviret ad finem judicii Sacramentalis, quàm probitas, melius quippè erat, Sacramentum per accidens impediri à conſecutione finis minus principalis, nempè pęnitentiæ peccatis proportionatæ injungendæ, quàm privari fine magis principali, nempè liberatione à peccatis, aut de ea pœnitentes dubios & anxios reddi propter conditionem non ex parte pęnitentis, ſed Confeſſarii ſe tenentem, tam difficilem, periculoſam, & à pœnitentibus plerumque non ſatis cognoſcibilem. Hoc ipſo tamen, quòd tam imperitus Confeſſarius licitè & ſine gravi peccato hujuſmodi munus nec ſuſcipere, nec gerere auderet, propter gravem irreverentiam Sacramento per imperitam adminiſtrationem inferendam, & propter gravia damna ſpiritualia, pœnitentibus defectu debitæ caſtigationis delictorum, Inſtructionis, & directionis neceſſariæ, eventura, ipſe quoque ſcienter utens tali Confeſſario peccaret graviter: quia qui abſque bona fide, per ignorantiam vel neceſſitatem excuſante uſum talis Confeſſarii, illum induceret ad ſibi illicitam adminiſtrationem Sacramenti, peccaret graviter peccato ſcandali, adeóque etiam Confeſſionem ſuam redderet invalidam: quo ſolo conceſſo forſan utriuſque ſententiæ Authores conciliari poſſunt.

§. III. *An*

§. III.

An propter oblivionem Confeſſarii Confeſſio ſit repetenda.

S V M M A R I V M.

152 *An & qualis oblivio peccatorum, in Confeſſione perceptorum, ante abſolutionem pœnitentis Confeſſario eveniens obliget ad exigendum & præſtandam repetitionem Confeſſionis.*

153 *An quando diſtincta Confeſſio omnium peccatorum mortalium non fuit Sacramentalis, ejuſdem coram eodem Confeſſario diſtincta repetitio fieri debeat in ordine ad abſolutionem accipiendam.*

152 QUæritur: An Confeſſarius vel propter longitudinem, vel propter interruptionem Confeſſionis, vel propter dilationem abſolutionis, vel propter debilitatem, aut defatigationem Capitis, vel propter aliam cauſam totaliter aut partialiter oblitus ſtatus pęnitentis, antequam impertiat abſolutionem, obligetur exigere aliquam repetitionem Confeſſionis.

Huic confine eſt, quò quæritur. An qui confitetur eidem Confeſſario, coram quo priùs invalidè confeſſus eſt, neceſſariò omnia peccata mortalia in ſpecie repetere debeat, vel an ſufficiat de illis in confuſo per confirmationem prioris Confeſſionis ſe accuſare. Ad utramque quæſtionem Reſpond. Si Confeſſarius ante oblivionem jam injunxit pœnitentiam proportionatam juxta communem DD. ſenſum validè & licitè poteſt abſolvere pęnitentem, modò recordetur illum abſolutione dignum fuiſſe judicatum, & pœnitentiam fuiſſe impoſitam, quam inquit Tannerus *di p.6. quæſt.7. num.136.* ex probabili ſententia etiam pœnitens ei poteſt in mentem revocare.

Suppono tamen primò, abſolutionem non tanto intervallo temporis fuiſſe dilatam, quod tolleret moralem conjunctionem cum Confeſſione, quomodo ſuprà de diſtantia doloris diximus.

Suppono 2. Non commiſſum fuiſſe novum peccatum mortale, alioqui illud ſine repetitione tamen præcedentium peccatorum priùs exprimendum, & correſpondens ipſi pœnitentia imponenda foret.

Si autem Confeſſarius ante oblivionem nondum injunxit pęnitentiam proportionatam, tunc ita diſtinguunt DD. Vel enim Confeſſarius eſt totaliter oblitus ſtatus pęnitentis, ut neque ſciat, illum in confuſo, prout ſufficit ad determinandam pęnitentiam proportionatam, vel non eſt ita obitus, quin ſaltem confuſam memoriam retineat. In primo caſu ſaltem talis repetitio Confeſſionis eſt exigenda, quæ ſufficit ad revocandam priorem notitiam in confuſo, aliàs enim validè quidem, ſed illicitè Confeſsarius abſolveret. In ſecundo caſu negant DD. communiter, quidquam repetitionis faciendum, vel exigendum eſse, adduntque ſufficere, modò pęnitens in genere ſe accuſet de peccatis antè dictis, ſi prior Confeſſio non fuit judicialis accuſatio, ſed v. g. ſolummodò petitio Conſilii, vel ſi fuit facta non habenti debitam juriſdictionem, tunc enim illa peccata, in quæ non dabatur Juriſdictio, ſimiliter in genere repetenda eſſent. Ita DD. communiter, quos referunt, & ſequuntur Vaſquez *quæſt 92. art.3. dub.3* Palao, Tannerus, *loc. cit.* Lugo *diſput. 16. num.638.* quia per genericam repetitionem & approbationem ſpecificæ Confeſſionis prior diſtincta narratio peccatorum ſit judicialis, & Sacramentalis.

153 Hanc doctrinam tamen, quoad additamentum ſuum non admittunt Suarez *diſp.22. ſect 6.* & Coninck *diſp 7. dub.11* aſſerentes, ſi prior Confeſſio non fuit Sacramentalis, id eſt, ſi ex defectu doloris, vel cujuſcunque partis eſsentialis non fuit ordinata ad Sacramentum validum, non ſufficere confuſam cognitionem ex illa remanentem, quod cum Paludano *diſt.17. quæſt.5. a 1.* Adriano *quæſt 4. de Confeſſione §. Si petas*, etiam mihi videtur probabilius, ſi Confeſſio prior ex defectu Juriſdictionis vel intentionis ſuſcipiendi Sacramentum non fuit Sacramentalis, adeòque ſi non fuit Judicialis accuſatio, ſed ſolummodò petitio Conſilii, vel ſi peccata fuerunt reſervata. Unde ſi Confeſsarius à Superiore obtenta poteſtate abſolvendi à reſervatis, eorum, quoad ſpeciem, & numerum non poſset ampliùs recordari, exiſtimo non ſufficere genericam repetitionem; quia iſta eatenus ſufficit, quatenus poteſt parere diſtinctam memoriam, aliàs non erit verum dicere, quòd Confeſsarius habuerit diſtinctam notitiam judicialem; prior enim notitia non fuit Judicialis, & quando deinde denominatur Judicialis, non ampliùs diſtinctè repræſentat peccata quoad ſpeciem, & numerum, debuit autem eadem notitia ſimul Judicialis, ac diſtincta ſive clara fuiſse.

Confirm. 1. Si Confeſsarius aliunde v. g. ex corporali præſentia, quando committebantur peccata, vel ex relatione aliorum, aliquando diſtinctè cognoviſset peccata ſui pęnitentis, & ſi iſte coram confuſè tantùm adhuc recordante ſe accuſaret, dicendo, commiſi ea peccata, & toties, quæ & quoties à me commiſſa cognoviſti; ille non ſatis diſtinctè ſe accuſaret, ergo ſi pęnitens ſuo Confeſsario aliquando præbuit diſtinctam cognitionem ſuorum peccatorum, non ut Judici, ſuperveniente eorum oblivione, coram eodem, ut Judice non ſufficienter ſe accuſat per genericam Confeſſionem.

Confirm. 2. Illa narratio peccatorum, quæ non eſt facta ex intentione abſolutionis, vel quæ eſt facta non habenti juriſdictionem, non eſt judicialis, neque etiam denominativè fit judicialis, ſed tantùm facit, ut ſi vis reminiſcendi nondum eſt obliterata, ex generica Confeſſione poſſit ſtatim in Confeſsario excitari diſtincta cognitio, ſicut ſi Confeſsarius vidiſset peccatum, ita ſe accuſantis, accuſo me de peccato, quod vidiſti, viſio Confeſsarii nec eſſet, nec denominaretur accuſatio, ſed propter recentem viſi peccati memoriam Confeſſio reſpectu alterius judicis obſcura, reſpectu hujus eſſet clara, & diſtincta: ergo ſi ex generica Confeſſione propter oblivionem præcedentis notitiæ non poteſt excitari diſtincta cognitio peccati, tunc Confeſsarius, antequam imponat pęnitentiam, exigere debet aliam diſtinctam Confeſſionem quod verum eſt, non tantùm, ſi prior Confeſſio non fuit judicialis, ſed etiam, ſi propter nimiam diſtantiam temporis non poteſt dici judicialis reſpectu abſolutionis tunc conferendæ, ſi intentio intuitu illius Confeſsionis accipiendi abſolutionem neque implicitè ſe poteſt extendere ad abſolutionem poſt intervallum accipiendam, adeòque ſi prior Confeſſio neque eſt Sacramentalis reſpectu abſolutionis priùs invalidè acceptæ, neque reſpectu abſolutionis nunc accipiendæ.

Atque ex hoc colligo etiam limitationem primæ reſponſionis, ſi nimirum pęnitentia tam quoad peccata reſervata, quàm quoad non reſervata ante obtentam Juriſdictionem jam fuiſset impoſita, adhuc non ſuffecturam genericam Confeſſionem manente cognitione ſolùm confuſa; quia enim neque prior diſtincta Confeſſio, neque impoſitio pęnitentiæ fuit judicialis, ideò debet dari nova impoſitio pęnitentiæ, hanc autem debet præcedere diſtincta judicialis Confeſſio.

Obiicies. Etiamſi prior Confeſſio non fuerit judicialis, ſi tamen remanet talis confuſa cognitio, qualis ſufficeret ad imponendam pęnitentiam proportionatam, quando Confeſsio fuiſset judicialis, tunc fruſtra requiritur nova judicialis Confeſſio, quia hæc à Tridentino tantùm declaratur eſse neceſsaria, ut Confeſsarius poſſit imponere pęnitentiam proportionatam, ergo immeritò à nobis exigitur. Reſpond. Argumentum nimiùm probare, nempè nunquam eſse neceſsariam diſtinctiorem Confeſsionem, quando Confeſsarius non ampliùs recordatur omnium peccatorum, quoad ſpeciem, & numerum. Itaque nego antec. quia Tridentinum ex aſsignato fine probavit ad eſsentiam Sacramenti requiri diſtinctam judicialem Confeſsionem, quoad ſpeciem, & numerum peccatorum mortalium, eò quòd tantùm in defectum memoriæ humanæ, & quaſi per accidens ſufficiat cognitio remanens magis confuſa, illa autem clara, & diſtincta ſit per ſe intenta à Chriſto, tum ad finem prædictum, tum ad majorem humiliationem, & directionem pęnitentis, aliaque ejuſmodi emolumenta peccatoris, quæ etſi quandoque poſſent obtineri per Confeſsionem non judicialem, obligavit tamen Chriſtus ad judicialem, ut ſic poſita obligatione

tiones homines illa emolumenta ſibi procurarent. Unde etiam non ſatisfaceret obligationi qui uni Sacerdoti ſine ordine ad abſolutionem diſtinctè recenſeret ſua peccata, & alteri, à quo vellet accipere abſolutionem tantùm confusè, aut generatim, qua inſtantia confirmatur etiam, non ſatisfacturum reſpectu ejuſdem Sacerdotis, ſi confuſa Confeſſio non ampliùs poteſt parere cognitionem diſtinctam judicialem.

QVÆSTIO V.

De ſatisfactione tanquam materia partiali pœnitentiæ.

ARTICULUS I.

De obligatione jniungendi, acceptandi, & exequendi ſatisfactionem.

§. I.

De obligatione Confeſſarii ad injungendam ſatisfactionem.

SVMMARIVM.

154 *Quanta ſit obligatio injungendi ſatisfactionem.*
155 *Qualia opera pro ſatisfactione injungi poſſint.*
156 *Opera ſatisfactionis ſunt partim pœnalia, partim impetratoria remiſſionis pęnæ.*

154 DIco 1. Per ſe loquendo teneri Confeſſarium ſub obligatione culpæ proportionatæ gravitati peccatorum in Confeſſione perceptorum injungere ſatisfactionem accommodatam ſtatui pœnitentis. Probat. ex Trident. *ſeſſ.* 14. *c.* 8. ubi ita loquitur. *Debent ergo Sacerdotes Domini; quantum Spiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere, ne ſi forte peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur; habeant ergo præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem.* Ex quo graviſſimo præcepto patet Ratio, cur Alexander VIII. hanc 21. propoſitionem prohibuerit. *Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt de imponenda nimis levi & incongrua pœnitentia, ſeu ſatisfactione ob queſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis.* Si enim ob hujuſmodi emolumentum temporale licet ſuſpicari tam gravem culpam de hominibus piis ac Sanctis, qui omnia propter DEUM ſpontè reliquerunt, & DEO voluntariam paupertatem promiſerunt, quid non licebit ſuſpicari de Authoribus dictæ propoſitionis pro injuſtè corradendis divitiis, & turpibus corporum ſuorum voluptatibus?

Addidi 1. *Per ſe loquendo*; nam quando in pęnitente eſt impotentia phyſica vel moralis ad ullam ſatisfactionem, vel ad gravem ſubeundam, hoc ipſo debet Confeſſarius juxta proportionem impotentiæ vel nullam, vel non gravem injungere, v. g. in agone conſtituto pronuntiationem, aut cogitationem SS. Nominum JESV, & MARIÆ, quamvis ſi adhuc ſpes aliqua reparandæ valetudinis ſuperſit, quandoque ſub conditione reconvaleſcentiæ etiam gravior injungi poſſit, vel omninò debeat juxta *cap. Ab infirmis* 26. *q.* 7. Item ſi moraliter certò conſtaret, pœnitentem jam condignè pro peccatis ſuis ſatisfeciſſe (quod vix ſufficienter conſtare poteſt, præſertim propter incertitudinem occultorum judiciorum DEI, & peccatorum novorum reiterationem,) vel ſi tempore Jubilæi præſtitiſſet omnia requiſita ad obtinendas indulgentias plenarias, (aliàs ſi nondum præſtitiſſet eadem convenienter pro ſatisfactione præciperentur,) poſſet Confeſſarius nullam ſatisfactionem injungere, quia neque neceſſaria eſſet pœnitenti, nèque Sacramento, cùm in tali caſu, quando nihil vindicandum ſupereſt, ad perfectionem judicii non exigatur ſatisfactio, etiamſi hæc alioquin ſit pars integralis. Cæterùm propter incertitudinem obtentæ indulgentiæ plenariæ etiam in tali caſu ſaltem levior pœnitentia conſultiùs injungeretur.

Addidi 2. *Sub obligatione culpæ proportionatæ gravitati peccatorum*; nimis enim ſeverè cum Suarez *diſp.* 38. *ſect.* 3. *n.* 1. & aliis docet Palao, *punct.* 21. §. 2. *n.* 6. mortaliter peccaturum, ſi pro venialibus, vel mortalibus jam ſemel confeſſis nullam ſatisfactionem injungeret, Tridentinum enim obligationem imponendi ſatisfactionem non deſumit ex obligatione procurandi omnes partes etiam integrales Sacramenti, quam adverſarii immeritò ſupponunt in quorumcunque peccatorum Confeſſione æqualem, & gravem eſſe, aliàs etiam pœnitens graviter peccaret non exequendo pęnitentiam levem, quod tamen negant Suar. *ſect.* 7. *n.* 5. & Palao §. 4. *n.* 9. contra Tannerum *n.* 14. ſed deſumit S. Synodus obligationem ex eo, ne Sacerdos alienorum peccatorum particeps efficiatur, ergo ſi hæc exigua pœna digna fuerunt, peccatum Sacerdotis erit exiguum, id eſt, tale, quod exiguum reatum pęnæ participet, ut tradit Lugo *diſp.* 25. *num.* 49. cum Petro OeKogavia.

Addidi 3. *Accommodatam ſtatui pęnitentis*; ſi enim is vel vehementi dolore, vel jam præſtitis pluribus operibus ſatisfactionis magnam partem pęnæ debitæ videretur exſolviſſe, vel gravem ſatisfactionem non eſſe executurus, vel concepturus horrorem frequentioris Confeſſionis crederetur, convenit minus gravem injungere, & quandoque admonere pęnitentem, quòd juſto leviorem ex certis cauſis ei impoſuerit, ut ſic pęnitens excitetur ad ſpontaneam ſatisfactionem ſuperaddendam, & ut peccatorum ſuorum gravitatem meliùs, ac cum emendationis firmiori propoſito agnoſcat. Cæterum rectè advertit Tambur. *de expedita Confeſſ. lib.* 4. *c.* 1. §. 3. *nu.* 13. ex Lugo *n* 60. in dubio inclinandum eſſe in partem benigniorem, in qua eſt minus periculi, potius enim expedit, ut rectè dixit Gerſon, puniendum in purgatorium remittere, quàm ob omiſſam pœnitentiam in infernum detrudere.

155 Quæres, qualia opera in ſatisfactionem injungi poſſint. Reſp. cum S. Thoma 4. *diſt.* 15. *q.* 1. *art.* 4. *quæſtiunc.* 1. & aliis DD. communiter, quos refert Suar. *diſput.* 37. *ſect.* 6. Lugo *diſp.* 34. *n.* 37. contra Vaſq. & alios nonnullos ab ipſo relatos, *q.* 94. *ar.* 1. *dub.* 5. debere eſſe pęnalia, cùm ſint vindicatio delicti commiſſi, & ordinentur ad correctionem pęnitentis, atque in locum pęnæ à DEO infligendæ ſuccedant, id videtur indicare Tridentinum *ſeſſ.* 14. *c* 8. talia autem teſte Suar. *l. c. num.* 8. ſunt omnes actus honeſti, ſeu ut Tridentinum *cann.* 13. loquitur opera pietatis, hoc ipſo quòd ſint liberi, & victorioſi alicujus difficultatis ſuperandæ per contemptum alicujus commodi relinquendi, vel incommodi ſubeundi, & quòd præter vim meritoriam etiam habeant ſatisfactoriam ex opere operantis in ſtatu gratiæ, qui quamvis tunc, quando in ſtatu peccati mortalis eliciuntur, impediantur à merito remiſſionis pœnæ, ſublato tamen peccato probabiliter ex opere operato, quatenus ſunt pars integralis Sacramenti, prædictam remiſſionem conſequuntur, & quoad vim ſuam ſatisfactoriam Sacramentalem reviviſcunt; quamvis irreverentiam, ſecundùm communiorem tamen duntaxat venialem contra Sacramentum committat, ſi pęnitens negligit peragere ſatisfactionem in ſtatu gratiæ, ſuſpendendo ejus effectum; licèt reſpectu Sacramenti minus præcipuum, & tantùm ex parte illius integraliter ſpectati ſe tenentem, neque à forma abſolutionis ſignificatum, quæ cauſæ limitantes Cardinali de Lugo *diſput.* 25. *num.* 32. videntur etiam irreverentiam venialem tollere, cùm is quoque, qui audit Miſſam cum obice fructus, ex opere operato ab illa cauſandi, non peccet venialiter. Sed hæc inſtantia ſupponit falſum, nam Sacrificium Miſſæ ſaltem aliquem fructum ex opere operato confert etiam peccatori, dum auxilia ad pęnitentiam impetrat, ponere autem obicem intenſioni, vel augmento fructus per ſe loquendo non eſt peccatum veniale etiam in uſu Sacramentorum, quæ vix unquam ſuſcipiuntur cum diſpoſitione poſitiva, & negativa ad fructum totalem ſufficiente: è contra ſatisfactio Sacramentalis in ſtatu peccati mortalis poſita ſuſpenderetur, quò minus ullum effectum ſtatim conſequeretur, hoc

ipſo,

ipſo, quòd ſit unicè ordinata ad diminutionem pęnæ aliàs à DEO infligendæ, & ab hac diminutione per obicem impediretur.

In ſpecie autem injungi poſſunt. 1. Opus merè internum, quia per impoſitionem Confeſſarii fit ſenſibile. 2. Oratio pro defunctis, quia eſt ſpiritualis eleemoſyna. 3. Frequentior Confeſſio, quia ſi non ſuppetant nova peccata, poteſt priorum Confeſſio per modum medicinæ ad vitanda peccata iterari. 4. Sacra communio, lectio Sacri, adminiſtratio Sacramentorum, quia nullibi habetur, quòd opus exigens ſtatum gratiæ imperari non poſſit, cùm de facto imperetur communio annua. 5. Etiam opus aliunde debitum, ut ſic vel pœnitentis negligentiæ conſulatur, ſi probabiliter timeretur, aliam ſatisfactionem non executurus, vel ut ad diligentiam in actionibus debitis inducatur: neque enim repugnat per opera ex obligatione aliarum virtutum debita ſatisfieri debito pœnę, quamvis repugnet duplici debito juſtitiæ ſatisfieri per eandem ſolutionem, de aliis operibus ſatisfactoriis longè minùs eſt dubium; nos enim hìc tantùm oſtendere voluimus immeritò quædam velut inepta ab aliquibus contra communem DD. ſenſum reiici.

156 Unde ulteriùs colligo, controverſiam inter DD. affirmantes, & negantes opera Satisfactoria debere eſſe pœnalia, non eſſe in ſenſu reali, ſed tantùm in ſenſu formali. Si enim omne opus bonum eſt pœnale, & ſi pro Satisfactione à Confeſſario nullum injungi poteſt, niſi opus bonum, juxta utriuſque Sententiæ AA. ſequitur, in re omnes convenire. Solùm ergo controverſia eſſe poteſt, ut clarè patet ex Suar. *loc. cit. num.* 4. An opus bonum injungatur à Confeſſario, quatenus pœnale eſt, ſupplens pœnam, aliàs à DEO infligendam, vel quatenus meritorium eſt, non gratiæ tantùm, ſed etiam remiſſionis alicujus pœnæ. In qua Controverſia puto conciliari poſſe AA. dicendo, utroque modo injungi. Ratio eſt: quia ſine ratione formali pœnæ injunctio Satisfactionis non eſſet vindicatio, ſive punitio peccati: Sine ratione formali meriti autem multa opera, parùm pœnalia, & tamen valdè meritoria, non haberent debitam proportionem cum peccatis gravibus.

§. II.

De obligatione Pœnitentis ad acceptandam, & exequendam ſatisfactionem.

SUMMARIUM.

157 *Pœnitens tenetur acceptare, & exequi injunctam Satisfactionem.*

158 *Quando præſtanda ſit injuncta ſatiſfactio.*

159 *An poſſit per alium præſtari.*

157 DIco 2. Quamvis non vulgares Auctores, ut Scotus, Gabr. Joann. Medina, Navarrus, Sylveſter, Armilla apud Palao *punct.* 21. §. 4. doceant, pœnitentem, cùm judicium hoc voluntarium ſit, poſſe ſe ſubiicere judici ſpirituali, quoad ſententiam ferendam de culpa, quin ſe ſubiiciat quoad ſententiam ferendam de pœna, adeòque poſſe, non acceptare Satisfactionem, ſed vel ſpontaneam ſuſcipere, vel in purgatorium differre, imò etiam, ut apud Palao loc. cit. nonnul i affirmant, poſſe acceptatam non exequi, longè communior tamen, & teſte Lugo *numer.* 68. ac Tannero *diſput.* 6. *quæſt.* 8. *num.* 12. certa & teſte Suarez *diſput.* 38. *ſect.* 7. ſine temeritate, vel teſte Vaſquez ſine errore in fide hoc tempore innegabilis eſt ſententia S. Thomæ 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 1. *articul.* 3. *quæſtiunc.* 3. affirmans, pœnitentem teneri acceptare, & exequi Satisfactionem ſub obligatione proportionata gravitati pœnæ, quæ gravitas ex intrinſeca ratione operis injuncti, non verò ex gravitate cauſæ, propter quam injunctum eſt, æſtimari debet. Ratio reſponſionis indicatur clarè à Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. ubi ait, *pœnam injungendam ex poteſtate ligandi, in vindictam, & caſtigationem peccatorum*: unde contra Paludanum, Navarrum, Pet. Soto, Suarez, Fagundez, Laymann, Filliucium, Bonac. Dianam, colligunt ulteriùs DD. non poſſe talem pœnitentiam imponi tantùm ſub conſilio, ſed debere imponi ſub præcepto, ſaltem aliquam partem, eam verò, quæ imponitur ſub conſilio, non dependere à Confeſſario, ut Judice, neque cauſare remiſſionem pœnæ ex opere operato, ut docent Vaſquez, Coninck, Lugo, Palao, & plures alii. Pœnitentis autem obligatio etiam probatur hac ratione: quia licèt judicium Sacri tribunalis ſit voluntarium, ſuppoſito tamen, quòd ei ſe quis ſubjecerit, debet parere judici, prout ratio judicii poſtulat: ſed ratio judicii poſtulat, ut pareat judici in ſuſtinenda pœna delicti, ergo &c. Immò ſuppoſito, quòd quis alicui ſpirituali Judici ſe ſubjecerit, neque licet ſine irreverentia, ex communi DD. ſenſu tamen ſolùm veniali, teſte Palao, *pun.* 21. §. 4. *n.* 7. abrumpere judicium, ſi quis v. g. ob difficultatem Satisfactionis vellet non exſpectata abſolutione abire, ſed tenetur petere mitigationem, qua non niſi irrationabiliter negata abire poteſt.

Quæres adhuc 2. Quando ſatisfactio ſit perſolvenda? 158
Reſp. tempore à Confeſſario determinato, quòd ſi id jam elapſum ſit, alio expleri debet, ſi tempus non ad finiendam, ſed tantùm ad non differendam obligationem præfixum fuerit. Dilatio verò ultra tempus, ſi hoc deſignetur, longa & circa rem gravem, grave peccatum eſt, levis, vel circa rem levem, leve; quòd ſi nullum tempus deſignetur, non facilè erit mortale.

Quæres 2. An quis poſſit per alium ſatisfacere? Reſp. 159
Poſſe, ſi actus ſit talis, ut ipſi pœnitenti adſcribatur, v. g. ſi ex ſuo per alium det eleemoſynam: ſi autem non ſit talis, non poſſe, ut contra Fagund. *lib.* 9. *præcepto* 2. *cap.* 4. *num.* 12. Suar. *diſputat.* 38. *ſect.* 9. *num.* 4. & alios ab ipſo relatos docent Vaſq. *quæſt.* 94. *articul.* 2. *dub.* 1. *numer.* 11. pluribus citatis Coninck. *diſputat.* 10. *dub.* 8. *numer.* 66. Lugo *diſputat.* 25. *num.* 82. Palao *tractat.* 23. *diſputat. unic. punct.* 21. §. 3. *numer.* 4. allegans Laymann & Bonacinam plures addentem. Quia Tridentinum *ſeſſ.* 14. *capit.* 3. dicit, partes conſtituentes materiam proximam Sacramenti eſſe *actus pœnitentis*, & *cap.* 8. inquit, injungendam eſſe ſatisfactionem, non qualemcumque, ſed quæ ſit vindicta, & caſtigatio criminum: utique autem ille non caſtigatur, qui nullam pœnitentiam ſubit, in ſe redundantem. Ideò etiam ab Alex. VII. omninò interdicta eſt hæc Propoſ. XV. *Pœnitens propria Authoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.* Imò etiam ſi Confeſſarius conſentiret, vel pœnitentiam expreſsè ita imponeret, ut pœnitens, vel per ſe, vel per alium illam perageret, (quo ſolo in Caſu Suar. *loc. cit.* & alii ex Adverſariis diſſentiunt) tamen talis ſatisfactio nequit, eſſe Sacramentalis, adeòque nequit etiam injungi, niſi ipſa procuratio operis ab alio præſtandi ſit impoſita loco Satisfactionis: tunc autem ipſa Satisfactio non fieret per alium.

ARTICULUS II.

De Commutatione Satisfactionis.

SUMMARIUM.

160 *Pœnitens non poteſt injunctam Satisfactionem propria Authoritate permutare.*

161 *Refertur Sententia, & fundamenta Sententiæ negantis, etiam à Confeſſario eodem vel diverſo mutari poſſe impoſita Satisfactione.*

162 *Aſſeritur & probatur, tam à diverſo, quam ab eodem Confeſſario mutari poſſe Satisfactionem, etiamſi propter peccata reſervata ſit impoſita.*

163 *Reſpondetur ad fundamenta contraria.*

164 *Probabiliùs dicta mutatio Satisfactionis non poteſt fieri, niſi, intra Sacramentum pęnitentiæ, & non niſi cognita Cauſa, propter quam fuit impoſita.*

QUæritur 1. An pœnitens injunctam Satisfactionem 160
propria auctoritate in opus melius commutare poſſit. Ratio dubitandi eſt 1. Ex paritate aliarum obligationum DEO præſtandarum, voti, & juramenti, quæ propria auctoritate in aliud opus, non tantùm evidenter, ſed etiam probabiliter melius commutari poſſunt

2. Finis Satisfactionis injunctæ eſt extinctio pœnæ temporalis; atqui iſte meliùs obtinetur per aliud opus præſtantius, ergo Satisfactio injuncta poteſt à pœnitente in iſtud permutari. 3. Opus, cui annexæ ſunt indulgentiæ plenariæ, eſt meliùs ad finem per Satisfactionem intentum: atqui in illud poteſt mutari pœna à Confeſſario impoſita, ut apud Palao *tr.23. punct.21. §. ult. num.21.* idem aſſerentem, docent Vivald. Valentia, Bonacina, ergo &c.

Nihilominus Reſp. cum communi DD. (Diana, & Villalobos cum paucis aliis diſſentientibus) pœnitentem non poſſe propria auctoritate permutare pœnitentiam in opus etiam evidenter melius: ita ut Leſſius & Turrianus apud Lugo *diſput.25. ſect.6. num.96.* contrariam cenſeant temerariam, & Lugo dicat, præter Laurentium Portel. & Villalobos apud Dianam *tom.1. par.2. tract.15. Reſol. 53. & part.3. tract.4. de Sacramentis Reſol.* 53. illam approbantem, ut probabilem à nemine alio ipſam doceri. Prob.1. Pœnitentia eſt debita ex præcepto: atqui quod eſt debitum ex præcepto, non poteſt mutari in melius: v. g. recitatio unius horæ canonicæ non poteſt mutari in jejunium: quia, etſi opus eſſet melius opere præcepto, univerſalis tamen licentia propter abuſum eſſet majus damnum, & contra mentem Legiſlatorum; ſequeretur enim perpetua mutatio legum, utpotè contra voluntatem noſtram factorum; tolleretur conformitas, ſubditorum cum voluntate ſuperiorum, & reverentia: quæ mala, etſi forſan non omnia ſequerentur in præcepto privato Satisfactionis, nihilominus iſtud ſequitur naturam præcepti, *ut ſic*; præceptum autem propter mala communiter evenientia non eſt mutabile privata auctoritate.

Prob.2. Nec Confeſſario, nec pœnitenti licet mutilare Sacramentum: atqui ſi Satisfactioni judiciali ſubrogaretur, alia non judicialiter impoſita, mutilaretur Sacramentum quoad integritatem, ergo &c.

Probatur 3. Opus inferius à Confeſſario injunctum meretur in virtute Sacramenti ſeu ex opere operato; atqui hanc virtutem meritorum non haberet opus propria auctoritate ſubrogatum; quia hoc utpotè non ſenſibile in ratione pœnitentiæ non eſſet pars Sacramenti, ergo niſi hoc propter valdè magnum exceſſum ſuæ bonitatis compenſaret virtutem meritoriam operis injuncti, in tali caſu, propter hanc etiam ſpecialem rationem non poſſet ſubſtitui.

Ad rationes dubitandi nego in prima paritatem eſſe legitimam; nam obligatio voti, vel juramenti eſt implicitè conditionata, quia dependet à voluntate voventis, & jurantis, qui ſe non cenſetur voluiſſe aliter obligare, niſi cum retenta libertate ſubſtituendi opus melius, præceptum autem eſt abſolutum, & independes à voluntate pœnitentis.

Ad ſecundam nego ſuppoſitum, nempè quòd pœnitenti eundem finem liberum ſit quocumque medio procurare: hoc ipſo enim, quòd ſe ſponte ſubjecerit per Confeſſionem Sacramentalem Judici ſacro, obligatur uti medio, à Judice præcepto, ſicut etiam in Judiciis profanis non conceditur, culpam quacumque pœna, etiam ſecundùm ſe majori, expiare, & in aliis præceptis finem per illa intentum non licet mediis ſubrogatis procurare.

Ad tertiam iterum nego ſuppoſitum, quòd extinguere debitum pœnæ temporalis per indulgentias plenarias ſit, injunctam pœnitentiam commutare, hoc enim eſt deſtruere finem præcepti injungentis pœnitentiam, eo autem deſtructo, per ſe ceſſat præceptum, itaque niſi fiat quæſtio de nomine, pœnitens numquam poteſt commutare pœnitentiam, quamvis poſſit ejus obligationem facere ceſſare; ſcilicet per indulgentias plenarias, vel per omnimodam Satisfactionem, ſi de hac eidem conſtaret; quamvis vix poſſit tanta probabilitas haberi de præſtita aliunde Satisfactione condigna, quanta de obtentis indulgentiis plenariis, de quibus tamen teſte Palao, & Bonacina *diſputat.5. de Sacrament. quæſt.5. ſect.3. punct.4. numer.10. in fine*, non requiritur clara, & evidens notitia, ſed ſufficit ad deobligationem ulterioris Satisfactionis, ſi valdè probabiliter conjectare poſſis, te eas aſſecutum eſſe. Si verò plenariæ non ſint, & hoc ipſo incertum reddatur, an reſtet debitum pœnæ temporalis, manet adhuc obligatio exequendi ſatisfactionem injunctam, quia manet adhuc ſpes conſequendi finis: hinc, quamvis etiam per aliud opus Satisfactorium magnam partem, & probabiliter tantam, quantam per pœnitentiam injunctam pœnitens præſtare creditur, debitæ pœnæ perſolviſſe quis ſibi perſuadeat, adhuc tamen retinet obligationem exequendæ pœnitentiæ injunctæ.

Quæritur. 2. An & quomodo ab eodem, vel diverſo Confeſſario, ſatisfactio in priori judicio Sacramentali injuncta permutari queat. 161 Ad hanc quæſtionem reſpondent aliqui innominati apud Palao *tractat.23. punct.21. §. Ultim. numer.* 2. pœnitentiam rationabilem, & juſtam neque ab eodem Confeſſario, neque à diverſo, etiam Superiore, commutari poſſe, quibus ex parte conſentiunt Dom. Sotus, & Victoria apud Vaſquez, *quæſt 94. articul. 2. dub.3. numer.5. & 8.* negantes ab alio non Superiore, & Ipſe Vaſq. negans etiam à Superiore commutari poſſe, ſi rationem, & non communem auctoritatem ſpectemus. 1. Quia imponitur nomine, & auctoritate Chriſti, cujus Confeſſarius ſolummodò vices gerit: ſed ſententia à Chriſto lata à nullo poteſt revocari, aut irritari: ergo pœnitentia per ſententiam à Confeſſario latam impoſita non poteſt revocari, aut irritari ad ſubrogationem alterius pœnitentiæ. 2. Confeſſarius, ut Tridentinum cit. verbis indicavit, habet æqualem poteſtatem ſolvendi, & ligandi; atqui nec ipſe, vel ullus alius Confeſſarius poteſt rurſus ligare, quod per priorem Confeſſionem ſolutum eſt, ergo neque ſolvere, quod per priorem ligatum eſt, ergo pœnitentia, ad quam Confeſſarius obligavit, non poteſt per alterius ſubſtitutionem remitti. 3. Si poſſet commutari pœnitentia, vel id deberet fieri intra, vel extra Confeſſionem, non extra, quia tunc commutans non agit perſonam Chriſti, ſeu non exerceat auctoritatem æqualem illi, per quam impoſita eſt pœnitentia: adeòque non poteſt immutare ſententiam priùs à Confeſſario latam. Non intra Confeſſionem: quia tunc, vel judicat eamdem cauſam, vel diverſam, ſi eandem, tunc injuncta pœnitentia non abrogat priorem, ſed tantùm integrat poſterius Sacramentum: ſi diverſam, tunc ſicut Confeſſarius non judicat priorem cauſam, ſic nec poteſt mutare ſententiam de illa latam.

His non obſtantibus Communis, & vera ſententia 162 eſt, poſſe à Sacerdote habente juriſdictionem in pœnitentem ſatisfactionem injunctam commutari in aliam (quamvis non cenſeatur ſtatim id velle facere, ſi iiſdem peccatis rurſum auditis novam pœnitentiam injungat cum priori compoſſibilem, niſi etiam manifeſtet intentionem abrogandi illam) Ratio eſt 1. Uſus, & praxis Eccleſiæ, ex qua à poſteriori colligitur Chriſtum ſic inſtituiſſe. 2. Quia licet pœnitentia ſecundùm communem DD. præſumptionem de ſuavi Chriſti jugo reddita moraliter impoſſibilis per ſe ceſſet, etiam ſine obligatione ſubſtituendi aliam (quæ hoc ipſo, quòd non poſſit reddi ſenſibilis vi prioris Sacramenti, nequit eſſe pars integralis illius, & ex obligatione debita) eſſet tamen Confeſſionis jugum adhuc valdè difficile, ſi pœnitentiæ juſtæ, ſed cum rigore, & exigua ſæpè diſcretione impoſitæ, vel aliàs valdè incommodæ permutari non poſſent, quod de ſuavi jugo Chriſti, præſertim poſt obtentam remiſſionem culpæ, & ejus manifeſtationem per ſe difficilem, præſumendum non eſt. 3. Chriſtus Dominus ſic inſtituit Sacramentum pœnitentiæ, ut eadem peccata ſæpius ſententiæ judicis ſpiritualis ſubiici poſſint, ergo Sacerdoti tamquam ſuo Vicario dedit poteſtatem exigendi ſatisfactionem pro hac vita, quæ ſibi videretur juſta, eam augendo, vel diminuendo, ut adeòque poſſit priùs injunctam omninò remittere, & novam imponere.

Confirmatur conſequentia. Per eandem auctoritatem, qua oritur aliqua obligatio, aut lex, per eandem poteſt iterum diſſolvi, ac remitti: ſed omnis Confeſſarius, quoad peccata non reſervata, habet eandem poteſtatem, ita ut neque S. Pontifex habeat majorem, ſublata peccatorum reſervatione; quia omnis Confeſſarius exercet judicium nomine, & auctoritate Chriſti, ergo omnis Confeſſarius exercens judicium circa aliquam cauſam poteſt remittere illius obligationem, quæ

priùs

priùs fuit impoſita: unde quia peccata per abſolutionem à Superiore Confeſſario impetratam ceſſarunt eſſe reſervata, contra communem quidem ſententiam, pro qua Palao *loc. cit. numer. 6.* refert Navar. in Manuali *capit. 26. numer. vigeſimo ſecundo* (quem *numer.* 7. teſtatur rurſum tenere oppoſitum *in Conſ. 25. de Pœnitent. & Remiſſ. & Conſ. 3. aliàs 6. de Voto*) Ægidium, Coninck, Valentiam, Reginaldum, Vegam, Rodriq. Suar. accedente Lugo *diſput. 25. num.* 105. & aliis, probabiliter inſertur cum Vaſq. *loc. cit. num. 9.* (concedente id ex ſuppoſitione, quòd pœnitentia ab ullo alio Confeſſario mutari poſſit) Bonac. Em. Saà, Palao, poſſe Confeſſarium inferiorem commutare pęnitentiam ob peccata reſervata injunctam, hoc ipſo, quòd in repetita Confeſſione non ampliùs ſint reſervata, & in prima Confeſſione probabiliter non fuerint directè reſervata in ordine ad impoſitionem pœnæ, ſed tantùm in ordine ad ſententiam abſolutionis. Neque tamen propterea eluditur utilitas, & finis reſervationis, qui non eſt impoſitio majoris pœnæ, ſed ut ſubditi ob metum recurſus ad Superiorem abſterreantur à peccatis, & ut ab his monita ſalutis recipiant.

163 Ad argumenta contraria ſic Reſp. ad 1. Diſtinguo minor. non poteſt revocari, aut retractari, quando ſententia immediatè fertur à Chriſto, concedo min. quando tantùm per Miniſtrum nomine Chriſti, nego min. quia enim homo non poteſt proſpicere omnes circumſtantias, & ſubinde aliqua lex, vel præceptum utiliter fertur pro aliquibus circumſtantiis, & non pro omnibus, ideò neceſſe fuit hominibus concedi uſum ferendi ſententiam, aut legem ſtatuendi revocabiliter, aliàs non tantùm pœnitentia in Confeſſionali impoſita, ſed omne aliud pręceptum humanum, divina auctoritate ſtatutum, & approbatum irrevocabile eſſet.

Ad 2. Reſpond. Confeſſarius habet æqualem poteſtatem ſolvendi, & ligandi, id eſt, æquè poteſt utrumque ſed tamen juxta naturam actus, concedo maj. contra naturam actus ſolutionis, & ligationis nego maj. hinc patet diſparitas, cur poſſit Confeſſarius deobligare à pœna, & non reobligare ad culpam, quia reobligatio eſt contra naturam donationis, ſeu deobligationis à culpa, deobligatio tamen non eſt contra naturam præcedentis obligationis. Ratio à priori eſt; quia culpæ donatio eſt abdicatio juris ad odium, & ideò non poteſt reaſſumi odium, vel jus ad illud: obligatio ad pœnam verò eſt uſus juris vindicativi, cum poteſtate deinde non ampliùs utendi.

164 Ad 3. Reſpondent. Valentia, Navarrus, Chapeavilla apud Palao modò cauſa ſaltem potiſſima injunctæ pœnitentiæ extra Confeſſionem dicatur: imò ſecundùm Rodriquez, etiamſi non dicatur cauſa petendæ commutationis etiam extra Confeſſionem poſſe à Sacerdote commutari pœnitentiam. Sed horum ſententia teſte Lugo *num* 110. minus habet probabilitatis, quàm altera mox referenda, de qua tamen numero præcedenti idem auctor dixit, eam parum aut nihil habere probabilitatis. Alii ergo nempè Henriquez, Saà, Toletus, Vivaldus, Victoria, Villal. Portel, Valer. Beja, Jo. de la Cruc, quos refert & ſequitur Diana *tom. 1. p. 2. tract. 15. ſive Miſcel. 1. R. 53.* allegans etiam communem praxim Confeſſariorum, docent, pęnitentiam intra Confeſſionem commutari poſſe, non repetitis peccatis præteritis, quia tunc Confeſſarius exercet officium judicis, & ex gravitate priùs injuncta pęnæ poteſt judicare de priore illius ſtatu: quę ſententia practicè, imò contra Lugo immediatè relatum etiam ſpeculativè probabilis videtur. Et ſi pęnitens difficulter præterita peccata repetat, omninò eſt practicanda.

Verùm ſpeculativè probabiliùs exiſtimant Suarez, Coninck Filliucius, Reginaldus, Fagundez, Peſantius, Molfeſius, Megala, ab ipſo Diana *loc. citat.* relati, Laym. *lib. 5. tract. 6. cap. 15. in Fine*, Bonac. *diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 3. punct. 3. dub. 2. num. 7.* Palao *tract. 23. punct. 21. §. Ultim. num. 13.* Lugo *diſputat. 25. num.* 108. Tambur. *in Opuſcul. expedit. Confeſſ. lib. 4. capit. 3. §. 3. numer.* 22. pœnitentiam ſolùm commutari poſſe intra Confeſſionem, peccatis præteritis ſaltem potiſſimis iterum expreſſis vel ſi eſt idem Confeſſarius, per Confeſſionem genericam repetitis, niſi mora à peracta Confeſſione tam exigua interceſſerit, ut mutatio pœnitentiæ, quæ aliàs poſt abſolutionem injungi potuiſſet, ſit moraliter conjuncta, ut pars integralis prioris Sacramenti: exiſtimat autem Lugo *num.* 112. octo dierum intervallum non impedire moralem conjunctionem, ſicut univerſaliter fatetur, abſolutionem ſubjungi poſſe ante octiduum peractæ Confeſſioni. Addit denique ſe non videre, quomodo etiam longo tempore interrumpatur unio partium, cùm communiter concedatur, non interrumpi in ſatisfactione v.g. poſt menſem peragenda, ſi in certum diem, uno menſe diſtantem, injungeretur peregrinatio, jejunium, vel Confeſſio in honorem alicujus Sancti: ſed hujus ratio & diſparitas deſumenda eſt ex natura diverſarum partium, & ex morali æſtimatione hominum, de qua dixi *in quæſt. 3. artic. penult. num. 43.*

Nunc rationem relatæ reſponſionis, quæ citatis DD. ſpeculativè videtur probabilior, ſubjungo: quia nimirum impoſitio, remiſſio & ſubſtitutio pęnæ eſt actus judicialis (unde neque eſt paritas cum diſpenſatione, aut commutatione voti, aut alterius Legis humanæ, qui ſunt actus juriſdictionis quidem, ſed non judiciales) ergo non poteſt fieri extra judicium, & quidem illius cauſæ, cui irrogatio pęnæ debetur, ſed hoc judicium nec poteſt exerceri incognita cauſa, ergo hæc debet per diſtinctam recenſitionem peccatorum cognoſci, vel per genericam rememorationem, ſi ab eodem Confeſſario confuſam notitiam retinente poſt longum intervallum pœnitentia commutandi eſt. Ad hanc probationem tamen reſpondebunt Auctores ſecundæ ſententiæ, quam probabilem dixi, etiamſi ad primò taxandam pœnam non ſufficiat tam confuſa & implicita accuſatio de peccatis, qualis præſtatur per ſignificationem pœnæ propter illa injunctæ, ſufficere tamen ad commutationem pęnæ, modò in ordine ad novam abſolutionem licitè impertiendam (ſine qua non poſſet conſiſtere completum judicium Sacramentale) aliquod peccatum novum, vel antiquum vel omnia mortalia, ſi quæ ſunt de novo commiſſa, diſtinctè exprimantur, quia ad tollendum onus priùs impoſitæ ſatisfactionis non debet injungi duplex onus, nempè nova pęnitentia proportionata priori, & obligatio diſtinctè repetendi peccata, quæ ex natura ſua ſæpè eſt gravius onus, quàm obligatio Satisfactionis. Unde ego exiſtimo tunc tantùm eadem peccata iterum recenſenda eſſe, quando pœnæ, ſed notabilem diminutionem flagitaret, ad quam requireretur diſtinctior cognitio, & nova diſcuſſio cauſæ, ut Confeſſarius videret, quantum gratificari poſſet pœnitenti, ſeu de pœna remittere, ſalva ſua obligatione, ne pœnam nimis levem injungeret.

Itaque pro reſponſione ad 3. dico, commutationem, vel relaxationem impetratæ Satisfactionis poſſe ac debere fieri intra Confeſſionem, præmiſſa accuſatione, ſufficiente ad novum judicium Sacramentale. Ad rationem in contrarium nego, quòd impoſitio pœnitentiæ integrantis novam Confeſſionem non ſit prioris pœnitentiæ commutatio: etiamſi enim nova pœnitentia non fundetur in prima obligatione, quatenus ea proveniebat à prima ſententia judicis, fundatur tamen in eadem, quatenus proveniebat ab eodem delicto pœnitentis: & obligatio primæ ſententiæ ceſſat propterea, quòd pęnitens ſe ſubmiſerit novæ ſententiæ Judicis, nec verò hinc redditur mutilum præcedens Sacramentum, ut optimè oſtendit Lugo *num.* 102. quia ad integritatem judicii executio ſententiæ ſolummodò neceſſaria eſt eo uſque donec per indulgentiam, commutationem, impoſſibilitatem rei præceptæ &c. obligatio ſententiæ judicialis finiatur.

ARTICULUS III.

De Effectu Satisfactionis.

SUMMARIUM.

165 *An Satisfactio partialiter cauſet gratiam Sacramentalem, ex opere operato.*

166 *An & quomodo Satisfactio cauſet Remiſſionem Pœnæ temporalis, præſtita in ſtatu peccati mortalis.*

167 *An peccet pœnitens, non exequens Satisfactionem in ſtatu gratiæ.*

165 QUæritur 1. Quis ſit effectus Satisfactionis. Cajetanus, Sotus, quos ſequitur noſter P. Suarez. *diſput*.38.*ſect*.2.*num*. 3. & alii plures exiſtimant, ab ea ex opere operato cauſari aliquod augmentum gratiæ juſtificantis, eò quòd utpotè pars Sacramentalis ſignificet gratiam, quidquid autem in Sacramentis novæ Legis ſignificatur, id etiam cauſetur. Deinde videtur negari non poſſe, quòd ſi ſatisfactio præceſſiſſet abſolutionem, ſimul cum illa intenſiorem gratiam contuliſſet, ergo idem faciet, etiamſi ſequatur, quia eſt par ratio. Denique ſic meliùs ſalvatur, quomodo Satisfactio non ſolùm ſit vindicatio peccati, ſed etiam medicina conferens animæ ſanitatem in gratia conſiſtentem; & quomodo per abſolutionem præter remiſſionem culpæ detur partialis remiſſio pœnæ, ſi viciſſim per ſatisfactionem præter remiſſionem pœnæ detur gratia de ſe & radicaliter remiſſiva culpæ.

Melius tamen cum S. Thoma 4. *diſtinct*.16. *quæſt*.1. *artic*.1. *quæſtiunc*.2. *ad* 3. Vaſq. *quæſt*.94. *artic*.2. *dub*.5. *numer*. 9. Coninck. *diſputat*.10. *numer*.94. Tanner. *diſput*. 6. *quæſt*. 8. *num*.22. allegante communem ſenſum DD. & cum Lugo *diſputat*.25. *numer*.2. referente Pallacium, & Præpoſitum, negatur augmentum intenſivum gratiæ, ſed ſolummodò conceditur augmentum perfectivum gratiæ, quoad remiſſionem peccati, dum hujus remiſſioni quoad culpam ſuperadditur remiſſio gravioris pœnæ ſecundùm partialem, vel quandoque etiam totalem reatum, quo ſenſu S. Thomas intelligi debet, quando 3. *part*. *quæſt*.90. *art*.2. *ad* 2. inquit: *Satisfactio confert gratiam prout eſt in propoſito, & auget eam, prout eſt in executione, ſicut etiam Baptiſmus in adultis*: cum quo tantùm quoad remiſſionem pœnæ inſtitui paritatem (quamvis iſte propoſito illum ſuſcipiendi in perfecta contritione contento, gratiam ſuperaddat per actualem ſuſceptionem) colligitur ex ipſo S. Doctore *quæſt*.68. *articul*.2. *ad* 2. & *in lib. Sentent. loc. citat*. ubi ad objectionem, quòd ſatisfactio non cauſet gratiam, ait: per Satisfactionem conſequitur pęnitens perfectum effectum gratiæ peccatum abolentis, quia liberatur totaliter à reatu peccati: intellige, ſi Sacerdos talem Satisfactionem injungat, quæ ad totalem pœnæ deletionem ſufficit; ſi enim talem, vel ob ignorantiam, vel ob alias juſtas cauſas non injungat, fatetur idem S. D. 4. *diſt*.20. *qu*.1. *art*.2. *q*. 2. *ad* 1. non eſſe inconveniens, ſi totaliter à reatu pęnæ peccator non liberetur.

Ratio autem aſſertionis noſtræ eſt, partim quia augmentum gratiæ ab Adverſariis ſine ſufficienti fundamento aſſeritur, partim quia Satisfactio eſt tantùm pars ordinata ad effectum ſuperaddendum gratiæ remittenti culpam; unde ſicut ille effectus eſt præciſè remiſſio pęnæ jam ſupponens remiſſionem culpæ, neque ullam novam poteſtatem, vel exigentiam certorum auxiliorum confert, ſic neque cum illo confertur nova gratia, quæ ſit radix talium auxiliorum, ex quo patet diſparitas, quare in Presbyteratu per collationem poteſtatis abſolvendi conferatur diverſa gratia ab ea, quæ collata eſt per poteſtatem conſecrandi, & ſimul patet paritas, quare, ut alibi diximus, per ſumptionem ſpecierum vini non accipiatur nova gratia præter eam, quæ per ſumptionem ſpecierum panis acquiſita eſt.

Ad primum fundamentum Adverſariorum reſponſum jam eſt *q*.1. *art*.2. §.2. *object*.4. & 5. fatemur enim, à Satiſfactione ſignificari gratiam Sacramentalem, non ſibi, ſed toti Sacramento propriam, & ab eodem quoad eſſentiam poſito cauſandam.

Ad ſecundum diſtinguo antec. Satisfactio præcedens ad intenſiorem gratiam fuiſſet cooperata, præciſè ex hoc titulo, quia eſt pars integralis, Nego antec. quia fuiſſet diſpoſitio meliorativa ſubjecti, quomodo de Sacramentis in genere diximus poſita meliore diſpoſitione antecedente, vel concomitante, non autem conſequente ſuſceptionem Sacramenti cauſari intenſiorem gratiam, ſive illa diſpoſitio ſit pars, ſeu concauſa, ſive non, concedo antec. & nego conſequentiam, ac ſuppoſitum illius, quia ratio diſparitatis eſt, quòd actio ſubſequens non ſerviat amplius, ut diſpoſitio ad effectum antecedentem, & ad ſuſceptionem ipſius Sacramenti devotiùs peragendam, utpotè jam peractam.

Ad tertium. Reſp. Nec Sacramentum pœnitentiæ habere rationem medicinæ, niſi quatenus tamquam proceſſus judicialis infligendo pœnas, & humiliando reum, abſterret à peccatis, nec Satisfactionem habere rationem medicinæ, niſi quando medicinalis pœna imponitur, & tunc cauſat ſanitatem animæ, non immediatè producendo gratiam, vel merendo auxilia contra relapſum, ſed quatenus per ſeipſam cohibet, vel abſtrahit hominem à peccatis.

Ad quartum. Reſpond. Si per abſolutionem non tantùm pœna æterna, ſed etiam pars pœnæ temporalis remittitur, eſſe potiorem rationem hoc ſuppoſitum Adverſariis tranſmittendi, eò quòd abſolutio ſit pars eſſentialis, Satisfactio autem ſit tantùm pars integralis Sacramenti, & quòd effectui præſtantiori, qualis eſt remiſſio culpæ connaturaliùs ſuperaddatur per modum acceſſorii, effectus minùs præſtans, nempè remiſſio pœnæ, quàm ut effectui ignobiliori ſit acceſſorius effectus nobilior: nam iſte nobilior, nempè remiſſio culpæ dignificat ad remiſſionem pœnæ, quia æquum eſt, ut cui culpa jam eſt remiſſa, minùs puniatur, quàm cui nondum eſt remiſſa, ille verò ignobilior non dignificat ad nobiliorem, ſed jam collatum per abſolutionem ſupponit.

Quæritur 2. An Satisfactio Sacramentalis ſtatim, vel 166
aliquando effectum remiſſionis pœnæ temporalis conſequatur, etiamſi in ſtatu peccati mortalis ſit poſita. Hæc quæſtio ex communi ſenſu Theologorum cum S. Thoma 4. *diſt*.16. *quæſt*.1. *artic*.1. *quæſtiunc*.2. & *Quodlibeto* 3. *artic*.28. ſupponit, Satisfactionem Sacramentalem præter vim imminuendi pœnam ex opere operantis, habere etiam vim ulteriùs imminuendi ex opere operato, quia ut pars integralis dignificatur à Sacramento ad remiſſionem gravioris pœnæ, atque ad hunc finem à Chriſto tamquam pars Sacramenti eſt ordinata. Unde ſi etiam improportionata ſit, communiter contra nonnullos ſine ſufficienti fundamento repugnantes, aſſeritur, quòd neque omnem, neque nullam, ſed aliquam partem pœnæ temporalis deleat, ſecundùm menſuram proportionis.

Nunc ergo ad quæſtionem Reſpond. Etſi Vaſquez *qu*. 94. *artic*.2. *dub*.5. referens Marſilium, Medinam, & plures alios valdè probabiliter affirmet, Satisfactionem de peccatis quoad culpam jam remiſſis, in ſtatu peccati mortalis præſtitam, ſtatim ex opere operato eſſe delectivam, aut imminutivam pœnæ temporalis, quia hoc poteſt præſtare ſine collatione gratiæ, & ſine virtute meritoria, aut ſatisfactoria ex opere operantis, ſicut peccator etiam ex opere operantis poteſt mereri auxilia ſupernaturalia, & ſicut pœna temporalis, ſi peccata quoad culpam jam ſunt remiſſa, ſecundùm probabilem S. Thomæ & multorum DD. opinionem poteſt etiam in inferno per ſatiſpaſſionem finiri, durante pœna æterna, peccatis mortalibus numquam remiſſis debita, longè tamen communior ſententia, quam Tannerus *numer*.26. vocat ſatis certam, negat in ſtatu peccati mortalis poſitam Satisfactionem eſſe ſatis expeditam ad ſtatim cauſandam remiſſionem pœnæ temporalis non remoto obice peccati mortalis. Primò, quia homo, quando per peccatum mortale amiſit jus ad æternam fęlicitatem, redditus etiam eſt connaturaliter incapax illius effectus favorabilis, qui per ſe loquendo eſt acceleratio æternæ fęlicitatis, ſupponens jus ad id, cujus deberet eſſe acceleratio, uti eſt remiſſio pœnæ temporalis, non tamen eſt redditus incapax auxiliorum recuperandi jus ad æternam fœlicitatem.

Et hinc patet reſponſio ad fundamenta contraria, quòd licèt Satisfactio poſſit præſtare ſuum effectum, quin ſimul cauſet collationem gratiæ, & quin adjuvetur à virtute Satisfactoria ex opere operantis, non poſſit tamen de facto illum præſtare, quin ſupponatur gratia inhærens ſuo ſubjecto, tribuens jus ad æternam fęlicitatem. Patet etiam diſparitas cum virtute meritoria auxiliorum ſupernaturalium, & cum ſatiſpaſſione, quæ infert ceſſationem pœnæ, non ut effectum favorabilem, ſeu ut collatum ex favore de facto, & per ſe loquendo intendente accelerationem æternę fęlicitatis, poſt hanc vitam ſtatim conferendæ, niſi per alium reatum pœnæ temporalis fuerit retardata, vel per reatum pœnæ æternæ prorſus amiſſa.

2. Probatur à pari, ſicut enim juxta S. Thom. 4. *diſt*. 16. *quæſt*.2. *artic*.1. *quæſtiunc*. 3. & alios DD. communiter non

non remittitur peccatum veniale, non remiſſo mortali, quamvis peccatum veniale poſſet remitti ſine infuſione gratiæ, ſic neque remittitur pœna intuitu Satisfactionis quoad vim cauſandi remiſſionem includens favorem DEI: unde etiamſi opera ſupernaturalia in ſtatu peccati mortalis habeant vim de congruo meritoriam, ex opere operantis auxiliorum ſupernaturalium, non habent tamen vim Satisfactoriam, ut expreſsè docet S. Thomas *4. diſtinct. 15. quæſt. 1. articul. 3. quæſtiuncul. 2.* ſimiliter ipſe Vaſq. *3. tom. in 3. part. diſput. 231. cap. 7. num. 403.* fatetur, neminem concedere, quòd in mortali exiſtens conſequatur effectum Sacrificii miſſæ, quoad vim Satisfactoriam de peccatis jam remiſſis, quem alii præſentes conſequuntur.

Affirmant tamen hujus ſecundæ ſententiæ auctores contra Adrian. Ledeſm. Dom. Soto, Valent. relatos à Tannero *numer.* 27. Satisfactionem Sacramentalem in peccato mortali præſtitam remoto obice reviviſcere. Ratio eſt, quia, ſi Sacramentum pœnitentiæ, ſuppoſito, quòd poſſit eſſe validum, & informe, remoto obice reviviſcit ad effectum nobiliorem, & præcipuum, nempè ad remiſſionem culpæ, eodem jure etiam dici debet reviviſcere ad remiſſionem pœnæ, & ſi omnia alia Sacramenta excepta Euchariſtia validè, & infructuosè ſuſcepta reviviſcunt in ordine ad ſuum effectum, id conſequenter rectè aſſeritur de effectu completo Sacramenti pœnitentiæ: prius eſt verum, ut alibi ex communi Theologorum conſenſu oſtendimus, ergo etiam poſterius.

107 Ex data reſponſione ad propoſitam quæſtionem colligunt DD. communiter apud Lugo *diſputat. 25. numer. 30.* quòd, qui injunctam Satisfactionem exequitur in ſtatu diſgratiæ, quidem peccet, ſed non plus, quàm venialiter, imò Lugo *numer.* 32. ne quidem venialiter peccare contendit; probans id à pari: quia audiens miſſam cum obice fructus Satisfactorii, neque venialiter peccat, etiamſi ille fructus, neque remoto obice ſecundùm communem ſententiam reviviſcat: quòd autem ad ſummum culpa ſolummodò venialis committatur ſuſpendendo effectum Satisfactionis ex eo infertur, quia remiſſio, vel imminutio pœnæ comparatione ſuæ cauſæ adæquatæ, quæ eſt ipſum Sacramentum pœnitentiæ, ſine quo ſi ſatisfactio injuncta præſtaretur ante abſolutionem, nondum cauſaret ex opere operato ſuum effectum, eſt tantùm effectus minùs principalis, & acceſſorius; & ſi quæ eſt diſparitas, inter Sacrificium miſſæ, ac inter ſatisfactionem, illa ſolummodò conſiſtit in eo, quòd ſatisfactio, ut ſuperaddita eſſentiæ Sacramenti, manente obice, ſuſpendatur ab omni effectu, utpotè ad unum dumtaxat ordinata: Sacrificium autem ſemper poſſit cauſare aliquem effectum, nempè reſpectu aliorum exiſtentium in gratia, vel etiam reſpectu ipſorum peccatorum, impetrando illis auxilia reſurgendi, quæ diſparitas eſt tantùm contra Lugo, cujus ſententia tamen eſt probabilis, non contra communem ſententiam, negantem Sacramento inferri gravem irreverentiam, ſi tantùm pars integralis, non autem totum Sacramentum impediatur à ſuo fructu.

QUÆSTIO VI.

De miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ, & de Conditionibus in Miniſtro requiſitis ad valorem Miniſterii.

SUMMARIUM.

168 *Miniſter Sacramenti pœnitentiæ non poteſt eſſe, niſi Sacerdos.*

169 *Explicatur apparenter contrarius textus S. Thomæ.*

168 UT Quis Sacramentum Pœnitentiæ validè adminiſtret, requiritur potiſſimùm Ordo Sacerdotalis, ita ut neque Eccleſia ex quacumque neceſſitate, quoad hanc eſſentialem conditionem ex Chriſti inſtitutione requiſitam quidquam immutare, vel diſpenſare poſſit. Definitum eſt à Concilio Florentino, & Tridentino *ſeſſ. 14 capit. 6. & canon.* 10. Ratio eſt, quia verba illa Joann. 20. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, ad ſolos Apoſtolos, & in his ad eos, quibus eadem poteſtas legitimè communicabitur, à Chriſto prolata ſunt: ſed eadem poteſtas ſolis Sacerdotibus legitimè communicatur, quando Epiſcopus ordinans illos, prædicta verba ad eoſdem repetit.

Neque obſtat *cap. Qui vult confiteri, de Pœnitentia Diſtin. 6. & cap. Fures de furtis* & S. Thomas *4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 4. quæſt. 3. ad 3.* quando ait: *Quòd in abſentia proprii Sacerdotis poteſt etiam Laico fieri Confeſſio: & ideò non oportet, quòd per ſcriptum fiat; quia plus pertinet ad neceſſitatem Confeſſionis actus, quàm ille cui fit Confeſſio.* Et priori articulo 3. *quæſtiuncula* 2. dum inquit. *Baptiſmus, qui eſt Sacramentum neceſſitatis, habet duplicem Miniſtrum, unum, cui ex Officio Baptizare incumbit, ſcil. Sacerdotem: Alium, cui ratione neceſſitatis diſpenſatio Baptiſmi committitur: & ita etiam Miniſter Pœnitentiæ, cui Confeſſio eſt facienda ex officio, eſt Sacerdos, ſed in neceſſitate etiam Laicus vicem Sacerdotis, ſupplet, ut ei Confeſſio fieri poſſit.* Reſpondetur ergo, in primis quòd citata Juris capitula non obſtent: quia in his omnibus locis, in quibus alii, quàm Sacerdoti, præſertim Diacono, Confeſſio fieri permittitur, non eſt ſermo de Sacramentali, ſed de quadam non Sacramentali, præciſè oſtenſiva doloris, & deſiderii veræ Pœnitentiæ, quæ tamen ſufficiebat, ut publicus Peccator, etiam ſolius Diaconi Judicio pro ſufficienter contrito habitus, in neceſſitate ad Sacram Communionem & ad Eccleſiaſticam ſepulturam poſt obitum ſuum admitteretur.

Ad textus autem ex S. Thoma allatos, planè difficiles, 169 quia S. Doctor utrobique loquitur de Sacramentali Confeſſione, refero Reſponſionem, qua ipſe S. D. ſe declarat *citat. quæſt. 3. artic. 3. quæſtiunc. 2. ad 1. & ad 3.* Ubi immeritò quidem videtur ſupponere, dari obligationem confitendi Laico, ut perfecta Contritio, ad Juſtificationem extra Sacramentum Pœnitentiæ neceſſaria, ſit impletio obligationis confitendi peccata, eo modo, quo impleri poteſt, licèt non eodem modo, quo impleri debet; & ideò fatetur in Reſponſ. ad 3. eſſe diſparitatem inter Miniſtrum Laicum, conferentem Baptiſmum, & inter Laicum, cui fit Confeſſio, quæ ex ipſius S. Doctoris verbis patebit. Ait itaque *in Reſpon. ad 1. Quando neceſſitas imminet, debet facere Pœnitens, quod ex parte ſua eſt, ſcilicet conteri, & confiteri, cui poteſt, qui quamvis Sacramentum perficere non poſſit, ut fiat id, quod eſt ex parte Sacerdotis, abſolutionem ſcilicet, tamen defectum Sacerdotis Summus Sacerdos ſupplet* (Nimirùm DEUS, intuitu perfectæ Contritionis remittens peccata) *Nihilominus Confeſſio Laico ex deſiderio Sacerdotis facta, Sacramentalis eſt quodammodo, quamvis non ſit Sacramentum perfectum, quia deeſt ei id, quod eſt ex parte Sacerdotis.* Et *ad* 3. Sic inquit. *Quamvis ille, qui Laico confeſſus eſt in articulo neceſſitatis, conſecutus ſit veniam à DEO, eò quòd propoſitum confitendi ſecundùm mandatum DEI, quod concepit, ſicut potuit, implevit, non tamen adhuc Eccleſiæ reconciliatus eſt, ut ad Sacramenta Eccleſiæ admitti debeat, niſi prius à Sacerdote abſolvatur, ſicut ille, qui Baptiſmo flaminis baptizatus eſt, ad Euchariſtiam non admittitur: & ideò oportet, quòd iterum confiteatur Sacerdoti, cùm copiam habere potuerit; & præcipuè, quia ut dictum eſt Sacramentum Pœnitentiæ perfectum non fuit: unde oportet quòd perficiatur, ut ex ipſa perceptione Sacramenti pleniorem effectum conſequatur, & ut mandatum de Pœnitentiæ Sacramento recipiendo impleat.* Unde quoad hoc S. Doctor ibidem fatetur diſparitatem cum Miniſtro Secundario Baptiſmi: dicens. *In Baptiſmo autem Sanctificatio Eccleſiæ ad hominem pervenit per ipſum elementum exterius adhibitum, quòd verbo vitæ ſanctificatur ſecundùm formam Eccleſiæ à quocumque: & ideò ex quo ſemel baptizatus eſt à Quocumque, non oportet, quòd iterum baptizetur.*

His addo ego in reverentiam S. Thomæ, ipſum in his textibus omnibus non ſuppoſuiſſe, neque ſignificaſſe propriè dictum præceptum confitendi Laico; ſed tantùm indicaſſe neceſſitatem, quòd, quia perfecta contritio eſt actus merè internus, & ratione Voti ſive propoſiti efficacis implendi præceptum Confeſſionis valdè difficilis, tunc temporis oportuerit, pro ſigno certificante de hujuſmodi firmo, & efficaci propoſito confitendi Sacerdoti, quando dabitur occaſio, priùs confiteri Laico, ut ex hac Victoria verecundiæ, ac pudo-

pudoris præberetur judicium, quòd peccator paratus fuiſſet, confiteri Sacerdoti, & de facto paratus ſit, eidem confiteri, quando ejus habuerit copiam. Quæ manifeſtatio voluntatis, quia olim in uſu erat, ut notorius peccator ad S. Euchariſtiam in caſu neceſſitatis, & ad Sacram ſepulturam admitteretur, ideò S. D. non neceſſitatem præcepti, Divini vel humani, ſed tantùm neceſſitatem ſigni aſſeruit, ſcil. ad manifeſtandum, & ſeriò conteſtandum animum verè & perfectè contritum: de quo ſigno locuti, & intelligendi etiam ſunt citati textus Juris Can.

Itaque pro certo fidei articulo ſuppoſito, Sacramentum Pœnitentiæ neque à Laico, neque à Clerico non Sacerdote, validè adminiſtrari poſſe, nunc de cæteris Conditionibus Legitimi Miniſtri agemus.

ARTICULUS I.

De Approbatione Miniſtri.

§. I.

De Neceſſitate Approbationis.

S U M M A R I U M.

170 *Ad Miniſtrum idoneum ad validè conferendam abſolutionẽ à peccato mortali pœnitenti ſæculari, requiritur approbatio. Unde propoſitiones 13. & 16. contrarium aſſerentes damnatæ ſunt ab Alex. VII.*

171 *Valida tamen eſt approbatio, etiamſi approbans erret.*

170 Approbationem Confeſſario ad valorem abſolutionis extra articulum mortis de peccatis mortalibus primò per Confeſſionem expiandis neceſſariam eſſe certum eſt: licèt enim per ordinationem Sacerdotis conferatur poteſtas remittendi peccata quæcumque, & cuicumque homini; tamen ut ea ſit completa, & expedita, neceſſaria eſt juriſdictio in pœnitentem, uti ſequenti §. dicemus: hæc verò conferri non poteſt, niſi ſimul vel antecedenter obtineatur approbatio, ſeu teſtimonium, quo Sacerdos habilis judicatur ad audiendas Confeſſiones ſæcularium, nam ad confeſſiones regularium, ſive à Religioſo, ſive ſæculari Sacerdote audiendas alia approbatio, quàm Prælati dantis licentiam tali confitendi, neceſſaria non eſt, niſi, quando per Jubilæum illis conceditur, non requiſita licentia Prælati Cuicumque confitendi, modò ſit approbatus ab ordinario) quemadmodum colligitur ex verbis Tridentin. *ſeſſ.* 23. *capit.* 15. ubi pro Confeſſionibus ſæcularium approbationem requirens ita inquit: *Decernit tamen S. Synodus, nullum etiam Regularem poſſe Confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale Beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur* (quoad licentiam, non autem ad valorem illius Concilium requirit,) *obtineat: privilegiis, & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obſtantibus.* Ita Tridentinum, ex cujus generali definitione, & ex Bulla Pii V. *Anno* 1571. & ex Cardinalium declaratione conſtat, immeritò & improbabiliter à Medina, & Bannez apud Tannerum *diſputat.* 6. *quæſt.* 9. *numer.* 22. excipi doctas, & graduatas perſonas, quibus ſolum examen forſan non erit neceſſarium: Meritò etiam prohibitam eſſe ab Alexand. VII. hanc 13. Propoſ. *Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato:* iſtam 16. *Qui Beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium Simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.* Confertur autem approbatio, ut immediatè indicatum eſt, beneficii Parochialis collatione, & cum ea deponitur, vel alia quacumque temporanea, aut ſtabili, ac ſine juſta cauſa non ampliùs licitè, immò, ſecundùm Palao *punct.* 19, *Paragraph.* 4. *numer. quinto*, nec validè revocabili ad Confeſſiones audiendas habilitatis teſtificatione.

171 Neque requiritur ad valorem approbationis, ut Epiſcopus in approbando non erret, putans eſſe idoneum, qui non eſt, aliàs ſicut approbationis, ſic etiam abſolutionis valor ſæpè dubius redderetur cum magno pœnitentium damno. Præterea neceſſarium non eſt, ut Confeſſarius exteriùs approbatus, etiam interiùs ab Epiſcopo judicetur idoneus, quia licèt videatur Tridentinum judicium Epiſcopi, & approbationem tamquam duo diſtincta exigere, oppoſitum tamen eſt probabilius, eò quòd convenienter aliud exigere non potuerit, quàm quod ab eligente ſibi Confeſſarium eſt perceptibile, cùm animum approbantis inſpicere non poſſit. Solùm ergo declarare voluit Concilium, non ſufficere, ſi Sacerdos idoneus judicatus ſit, ſed externam etiam approbationem adjungendam eſſe.

§. II.

Referuntur diverſæ ſententiæ, à Quo Approbatio Confeſſarii præſtanda ſit.

S U M M A R I U M.

172 *Approbatio Confeſſarii eſt actus Juriſdictionis Epiſcopalis.*

173 *A quonam Epiſcopo debeat concedi Approbatio, non conveniunt Doctores. Repelluntur illi, qui eam poteſtatem tribuunt pluribus Epiſcopis cumulativè.*

174 *Improbatur etiam Sententia illorum, qui requirunt approbationem, ab Eiſcopo pœnitentis conferendam.*

175 *Neque admittitur Sententia, aſſerens conferendam approbationem ab Epiſcopo Confeſſarii, niſi Sacramentum in ejuſdem diœceſi adminiſtretur.*

Controvertitur inter Auctores, à quonam prædicta 172 approbatio conferri debeat. Certum quidem eſt, non poſſe conferri, niſi ab Epiſcopo habente juriſdictionem (quæ in ordine ad approbationem, & ad miniſteria Eccleſiaſtica etiam in Religioſos alioquin exemptos ſe extendit) qui adeòque non ſolùm electus, ſed etiam confirmatus ſit, etiamſi nondum fuerit conſecratus: nomine Epiſcopi autem intelligitur etiam illius Vicarius, quia perſonam Epiſcopi repræſentat, & Capitulum ſede vacante, quia ſuccedit in juriſdictionem Epiſcopi, juxta *capit. Cùm olim, de Majoritate, & obedientia.*

Itaque quæritur, à quonam Epiſcopo Approbatio danda ſit. Prima Sententia eſt Cordubæ, Henriq. Emanuelis Rodriqu. apud *tractat.* 23. *punct.* 17. §. 3. *numer.* 3. & 4. *numer.* 4. quam etiam tenet Diana *tom.* 2. *par.* 3. *tract.* 4. *de Sacramentis Reſolut.* 110. & priùs tradidit *tom.* 1. *tractat. de Bulla Cruciatæ Reſolut.* 7. ubi citat ſeptemdecim Authores, aitque Illam docuiſſe plures Magiſtros S. Dominici, S. Franciſci, Sancti Auguſtini cum Theologis, & Juriſtis Salmanticenſibus: nempè Approbationem præberi poſſe, vel ab Ordinario, in cujus Diœceſi Confeſſarius habet ſtabile domicilium, vel ab Ordinario loci, ubi adminiſtratur Sacramentum, vel ab Ordinario Pœnitentis, cui adminiſtratur. Quia hi omnes comparati, vel ad locum, in quo fit Confeſſio, vel ad pœnitentem, à quo fit, vel ad Confeſſarium cui fit, Ordinarii ſunt, adeòque ſatisfit menti Pontificis; qui quotieſcumque vult aliquid fieri Authoritate Epiſcopi, Epiſcopum Ordinarium intelligit, & cùm in Tridentino non declaratum ſit, qualis Ordinarius approbationem concedere debeat, ſed potiùs in plurali numero dicatur, Sacerdotem debere eſſe approbatum ab Epiſcopis, qui in Ordine ad actum Confeſſionis quocumque modo rationem Ordinarii habent.

Hanc Sententiam Card. de Lugo *diſp.* 21. *num.* 29. negat ampliùs ſuſtineri poſſe poſt decretum Urbani VIII. editum 12. *Sep. Anno* 1628. quod etiam habetur in Bullario, ubi eſt Vigeſimum ſecundum inter Decreta ejuſdem Pont. Verum hoc Decretum nihil obeſt huic Sententiæ: quia ibi Pontifex tantùm confirmat Trid. Decretum, ne quis audiat Confeſſiones non approbatus ab Epiſcopis. Nihilominus nequit ampliùs defendi dicta ſententia propter alias Summorum Pontificum Declarationes, poſteà referendas.

Secunda Sententia requirit approbationem, conferen- 174 dam ſolùm ab Epiſcopo Pœnitentis. Ita teſte Suar. *diſp.* 28. *ſect.* 6.

ſect.6.n.5. multi Theologi & Juriſtæ docent. Ratio præcipua illius eſt, quia hoc videtur, Epiſcoporum, & Paſtorum proprium Officium eſſe, & in bonum Subditarum Ovicularum cedere, à Concilio, requirente approbationem Ordinarii intentum fuiſſe, ut Fideles in Ordine ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ non ſubiicerentur aliis Judicibus, quàm qui Idonei judicati fuerint à Pœnitentium Ordinariis paſtoribus, horum ſpecialem curam gerentibus. Huic tamen Sententiæ, cujus Rationi ſatisfit, modò Epiſcopus in ſua diœceſi Juriſdictionem Presbyteris à ſe non approbatis negare poſſit, ſi intelligatur ſecundùm ſuperficiem Verborum opponitur primò, quòd ex eâ ſequatur, Peregrinos, ſive ex intentione peragendæ Confeſſionis, ſive alterius negotii cauſa ad alias Diœceſes non poſſe ibidem confiteri Sacerdotibus approbatis ab Ordinariis illarum diœceſium. Secundò opponuntur illi declarationes Cardinalium, atq; Pontificum præſertim Clementis X. poſteà referendæ, ex quibus patebit, neque hanc Sententiam ampliùs defendi poſſe.

175 Tertia Sententia eſt Franciſci Suar. *diſputat.*28. *ſect.6. n.10.& ſeqq.* Ægidii Coninck *diſp.8.dub.7.* Card. de Lugo *diſp.21.n.35.* Tan. *diſp.6.q.9.dub.2.* Palao *tr.23.diſp.un.pun.* 17.§.3. citatis etiam Bonacinam & Fagund. Joannis Præpoſiti *q.8.dub.3.n.14.* & aliorum aſſerentium, approbationem dandam ab Ordinario Confeſſarii, cui ipſe ſubditus eſt; quia approbatio eſt actus Juriſdictionis, qui non poteſt exerceri niſi erga ſubditum.

Probatur hæc Sententia ſecundò duobus declarationibus Cardinalium, relatis à Suar. & Coninck *ll. cc.* Prima ſic ſe habet. *S.D.N. declaravit, tempore Jubilæi poſſe Omnes Regulares confiteri peccata ſua Sacerdotibus approbatis ab Ordinario ad Audiendas Confeſſiones, in Bulla enim non fit mentio, niſi de Ordinario eorum, qui audituri ſunt Confeſſiones, non autem de Ordinario pœnitentium*, Secunda ſic loquitur. *S.D.N. audita relatione Congregationis declaravit, Epiſcopum Vigore privilegii de quo in c.fin.de Pœn. & Remiſſ. non poſſe ſibi eligere Sacerdotem, ſibi non ſubditum, qui à proprio Ordinario non fuerit adhuc formam ſui decreti admiſſus, ſeu approbatus ad audiendas Confeſſiones.* Unde ſi Epiſcopus confiteatur extra propriam Diœceſim Confeſſario ſibi non ſubdito, in qua ipſe poteſt tam pro ſe, quàm pro ſuis Ovibus approbare Confeſſarium, tamquam Ordinarius omnium Confeſſariorum in ſua Diœceſi audientium Confeſſiones, debet Confeſſarius ille fuiſſe approbatus ab Ordinario alienæ diœceſis, in qua peragit Confeſſionem, quia ille ſolus eſt proprius Ordinarius ibi, adminiſtrantis Sacramentum.

Ut tamen hæc Sententia rectè intelligatur, ut à Suar. *l.c.n.13.* Pal. *n.4.* Card. de Lugo *à n.35.* Tann. *n.26.* & aliis ejus Patronis explicatur, intelligi volunt hi AA. per Ordinarium Confeſſarii illum, cui ratione ſtabilis domicilii ſubeſt, vel cui ſaltem per accidens ratione præſentiæ in eadem diœceſi in Ordine ad functiones Clericales ibidem peragendas ſubiicitur: adeòque prior poteſt abſolutè & ſimpliciter dici Ordinarius Confeſſarii, poſterior autem tantùm reſpectivè in Ordine ad functiones illius in iſta diœceſi, in qua non habet ſtabile domicilium, quo modo peregrini ſubſunt Superioribus locorum in ordine ad certas actiones ibidem peragendas, vel omittendas, quas pro bono communi illius Reipub. expedit, poſſe exigi, permitti, vel prohiberi.

Hæc Sententia ſi permittit, (uti planè videntur permittere plures illius Patroni, & ipſa in hoc unicè differre à Sententia mox referenda) quòd Confeſſarius ab Ordinario ſui ſtabilis domicilii approbatus, ſit etiam approbatus ad audiendas Confeſſiones in aliena diœceſi, ut adeòque alterutrius Ordinarii approbationem ſub disjunctione dicat ſufficere, vel illius, ubi peragitur Confeſſio, vel illius, ubi Confeſſarius habet ſtabile domicilium, etiamſi Confeſſio in aliena diœceſi peragatur, iterum ut mox patebit, poſt Clementis X. revocationem privilegiorum Regularium, defendi non poteſt: ſi autem hoc non permittit, tunc non differt à Sententia ſequenti.

§. III.

Statuitur noſtra Sententia.

SUMMARIUM.

176 *Approbatio conferenda eſt ab Epiſcopo loci, in quo adminiſtratur Sacramentum Pœnitentiæ. Et contrarium privilegium Regularium revocatum eſt à Clemente Decimo.*

177 *Poteſt quidem Epiſcopus extra ſuam diœceſim approbare Confeſſarios pro ſua diœceſi, ſed non pro aliena.*

178 *Collatio Beneficii curati eſt quidem loco approbationis, ſive eſt realis aut virtualis approbatio, ſed tantùm ad diœceſim eandem, vel ad pœnitentes ejuſdem diœceſis; non autem ad alienos in aliena diœceſi.*

179 *Praxis parochorum, audientium Confeſſiones in alia vicina diœceſi, non caret approbatione ſufficiente Ordinarii illius diœceſis.*

180 *Idem dicendum de praxi Regularium in noſtra Germania, diœceſium domicilia ſæpè mutantium.*

Quarta Sententia aſſerit, neceſſariam eſſe Approbationem Ordinarii in ea diœceſi, in qua inſtituitur Confeſſio, qui proinde eſt Ordinarius Confeſſarii, vel ſtabiliter; ſi in illa diœceſi habeat domicilium ſtabile, vel tranſeunter, ſi tantùm ad breve tempus ibi verſetur. Ita Navar. Gutier. Barboſa, Ugolinus relati à Palao *loc. cit.* §. 3. Laym. *lib.5. tract.6. cap.11. num. 9.* & coincidunt Authores prioris Sententiæ, quæ omninò juxta hanc explicanda, & tenenda eſt. Imò etiam ſecunda Sententia juxta hanc videtur accipi poſſe, & debere, nempè ut dicatur, Confeſſarium Approbatione indigere, collata ab Ordinario pœnitentium, non ubi iſti ſtabile domicilium habent, hoc enim nec requiritur, nec ſufficit, ut patet ex poſteriore declaratione ſuprà adducta, ſed ubi Confeſſionem inſtituunt, ubi proinde in Ordine ad hunc actum ſubſunt Ordinario illius loci. Neque enim credibile eſt, illius Sententiæ Patronos concedere ſequelam contra illam illatam. Certè juxta mentem ſummorum Pontificum hodie aliam Sententiam, quàm quarto loco relatam defendi non poſſe videtur clarè convinci ex Conceſſione privilegii, Regularibus Mendicantibus per Communicationem, nobiſque directè à Gregorio XIII. conceſſi, ut Noſtri, dum per aliam diœceſim tranſeunt, ubi Epiſcopus præſens non eſt, Confeſſiones audire poſſint; atque ex ejuſdem privilegii revocatione in Bulla Clementis Decimi de Privilegiis Regularium §.4. Ubi habentur hæc verba. *Ad hæc Religioſos ab Epiſcopo ad Confeſſiones ſæcularium in ſua diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia diœceſi eos abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi jam fuerunt approbati.* Quæ verba cùm non ſint reſtrictio, ſive ademptio Juris communis circa facultatem dandi, & accipiendi approbationem, ſed tantùm reſtrictio, & revocatio privilegii à Jure communi, Regularibus conceſſi, evidenter declarant, tam Sæculares, quàm Regulares Sacerdotes, quocumque in loco audientes Confeſſiones ſæcularium, ab Epiſcopo illius loci debere fuiſſe approbatos; ut etiam conſtat ex declaratione Sacræ Congregationis, relata à Rodriq. *in Expoſit. Bullæ* §.5. & à Barboſa *in Remiſſion. Concil.* in hæc verba: *Congregatio Concilii reſpondet, approbatum ab alio, quàm à Valentino Epiſcopo, in diœceſi Valentina, non cenſeri approbatum ab Ordinario, juxta formam Concilii.* Quod ipſum etiam colligitur ex verbis ejuſdem Concilii, præcedenti §. recitatis, ubi de Confeſſario in numero ſingulari poſito negat, poſſe Confeſſiones ſæcularium audire. *Niſi aut parochiale Beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.* Fruſtra enim poneretur tò ab Epiſcopis in plurali numero, niſi pro loci variatione neceſſaria eſſet alterius Epiſcopi approbatio. 176

Ratio autem hujus neceſſitatis eſt, quia res ſummi momenti eſt, Sacramentum Pœnitentiæ non adminiſtrari niſi à Confeſſariis idoneis, & hujus cura cuique Ordinario in-

in cumbit in ſuo territorio: ergo meritò requiritur, ut ab hoc priùs judicetur idoneus: ut autem talis judicetur, non ſufficit, ab alio Ordinario talem fuiſſe judicatum: quia potuit pro uno loco fuiſſe idoneus, & pro alio ob circumſtantiarum diverſitatem inidoneus: potuit etiam judicium alterius Ordinarii fuiſſe erroneum, cui proindè alius Ordinarius non tenetur credere: unde etiamſi Succeſſor Ordinarii in eadem diœceſi habeatur pro eadem perſona cum Anteceſſore, & propterea neceſſe non ſit, novam approbationem ab illo petere, ſi tamen ipſe velit, peti, neceſſe eſt, quia non tenetur credere ſuo Anteceſſori.

177 Obiicitur huic quartæ Sententiæ primò, quòd illa nitatur principio, ſignificato *in cap. Ut animarum de Conſtitutionibus in 6. & in L. ultim. ff. de Juriſdictione*. Quòd Superior extra ſuum territorium non poſſit in ſubditum actum Iuriſdictionis exercere, adeòque, nec approbare Sacerdotem ſibi ſubditum, ut audiat Confeſſiones in aliena diœceſi: Atqui hoc principium tantùm negat poteſtatem exercendi actum Juriſdictionis contentioſæ, qualis non eſt approbatio Confeſſarii. Ergo principium illud non repugnat dandæ approbationi. Reſp. nego majorem. Quia Sententia quarta non negat, quòd Epiſcopus extra ſuam diœceſim exiſtens poſſit ſibi approbare ſubditum Sacerdotem pro ſua diœceſi; ſed negat, quòd ſive in ſua, ſive in aliena diœceſi exiſtens poſſit approbare Sacerdotem ſibi ſubditum pro aliena diœceſi, ad quod aſſerendum non eſt neceſſe, ſupponere dictum principium.

178 Obiicitur ſecundò. Ex prædicta Sententia ſequitur, quòd ſi Epiſcopus vel Parochus peregrinaretur cum ſuo ſubdito, non poſſet ſui ſubditi Confeſſionem, etiam privatim, ſive in privato ſuo hoſpitio extra propriam diœceſim audire: conſequens videtur planè incredibile. Reſpond. Si hoc ſequitur, hoc ipſo non eſt incredibile; quia Sententia videtur clarè evinci ex allatis Cardinalium, & à Summis Pontificibus approbatis declarationibus. Sequelam tamen etiam tertiæ Sententiæ Authores plerique negant: Nam Tannerus *loc. cit. numer. 35.* & Vaſqu. *quæſt. 93. articul. 3. dub. 4. numer. 2.* docent probabile eſſe, & Joannes Præpoſitus indubitanter ſupponit *quæſt. 8. dub. 4.* tamquam communiter receptum à Theologis, quòd, cùm Tridentinum requirens approbationem Confeſſarii ad audiendum pœnitentes, disjunctivè loquatur: *Nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale Beneficium, aut approbationem ab Epiſcopis obtineat*: in praxi tutum ſit, quòd habens parochiale beneficium eligi poſſit, & deſignari pro Confeſſario ab alio Parocho diverſæ diœceſis, tam ad ſuam, quàm ſuorum Parochianorum Confeſſiones excipiendas ſine alia approbatione illius Ordinarii.

Verùm ego puto ex illo membro disjunctionis, *niſi aut Parochiale Beneficium obtineat*, rectè quidem colligi Epiſcopum, aut Parochum non indigere alia approbatione ad audiendam Confeſſionem ſui ſubditi extra propriam diœceſim, quia ratione Muneris, quod gerit ut paſtor ordinarius ſui ſubditi, ſatis à Tridentino cenſetur pro illo audiendo approbatus; ſic etiam Confeſſarii Principum, & Magnatum, erga illorum animas officium & munus proprii Paſtoris gerentes, quando per varias diœceſes illos comitantur, non petunt à ſingulorum locorum ordinariis approbationem pro muneris ſui functione: ſed non perinde videtur eſſe probabile, quòd ratione Parochialis Beneficii Sacerdos extra propriam diœceſim non opus habeat illius diœceſani approbatione ad aliorum non ſubditorum Confeſſiones audiendas: cùm enim Parochus à ſuo Ordinario Beneficium accipiat, ideò hic illud conferendo non ampliorem confert approbationem, quàm quantam conferre poteſt, nullus autem Ordinarius poteſt ampliorem conferre, quàm quouſque extendit ſe proprium territorium. Præterea poteſt Ordinarius æquè errare circa Sacerdotem, quem judicat eſſe idoneum ad Beneficium parochiale, ac circa illum, quem directè judicat idoneum ad audiendas Confeſſiones, ut proinde alius Ordinarius habeat Jus non admittendi ad audiendas Confeſſiones in ſua diœceſi, niſi à ſe approbatum.

179 Ad praxim verò Parochorum, in noſtra Germania, in vicinis diœceſium limitibus cohabitantium, & ſæpè longiùs diſtantium è Sacerdotibus propriæ diœceſis, vel ob rationalem cauſam tali Sacerdoti viciniori non libenter credentium ſuas conſcientias, videtur reſponderi poſſe, quando iſti ſibi mutuò confitentur, ita ut alteruter tunc exiſtat extra propriam diœceſim, illis hoc ipſo, quòd Ordinarii ſciant neceſſe eſſe, ipſis permitti hunc morem, & actu permittant, & approbent, etiam dent in Ordine ad tales Confeſſiones neceſſariam approbationem. Idem videtur reſponderi poſſe, quòd, quando una parochia ſupplicationem, ſive proceſſionem inſtituit ad celebrem Sanctum vicinæ cujuſdam diœceſis, & quando illius diœceſis Parochus non ſufficit, ut ſolus audiat omnium Confeſſiones, ac propterea Parochum alterius diœceſis rogat, ut ſe adjuvet in audiendis Confeſſionibus, iterum pro tali caſu interveniat approbatio Ordinarii per hoc, quòd Ordinarii ſciant hujuſmodi caſus neceſſitatis, & ſuis Parochis concedant, ac approbent conſuetudinem vocandi alios Parochos in Societatem laboris, non tantùm ad audiendos proprios ſubditos, quos adduxerunt, ſed etiam alios, qui illis immiſcebuntur.

Obiicitur tertiò alia praxis, in noſtra Germania 180
apud Religioſos, qui ſuos ex uno monaſterio, vel Collegio tranſmittere ſolent in alia diverſarum diœceſium, & tamen hi, qui ſemel juxta formam Tridentini ab uno Ordinario approbati ſunt, non petunt, neque accipiunt approbationem illius Ordinarii, in cujus diœceſim perveniunt. Reſpond. Falſum eſſe, quòd hi Religioſi in novam diœceſim tranſmiſſi non accipiant approbationem illius Ordinarii diœceſani. Pro quo notandum eſt, in noſtra Germania non ſingulis Urbibus dari ſuos Epiſcopos, ut adeòque Religioſi facilè illos accedere, & in propria perſona ſe ſiſtere poſſint, ſed noſtros Epiſcopos omnes eſſe Principes, & habere ampliſſima territoria, quæ ſæpè plurium dierum itinere emeteri non poſſunt; Unde ſi Religioſi ex multorum dierum ſpatio diſtante diœceſi in aliam tranſmiſſi, quando ad eam pervenerunt, rurſum novum iter ad Epiſcopum, vel Vicarium illius in procul diſſita urbe reſidentem accedere deberent, id fieri non poſſet ſine multorum dierum, vel etiam hebdomadarum, ac ſumptuum diſpendio, & functionum atque Officiorum ſuorum remora, neque ſine graviſſimo ſuo, & ipſius Ordinarii incommodo, propter multitudinem ex variis Religionibus quovis anni tempore adventantium pro approbatione. Propterea atque etiam ad cavendam non neceſſariam, nimiamque Regularium extra ſua clauſtra evagationem quotieſcumque novus Epiſcopus alicui diœceſi præficitur, Superiores horum Religioſorum veniunt ſuo, & ſubditorum ſuorum Nomine, gratulantes in primis novam dignitatem, deinde offerenres ſuam, & ſubditorum ſuorum operam, & petentes facultatem adminiſtrandi Sacramenta, cæteraſque Ordinis ſui conſuetas functiones exercendi, ſecundùm rationem ſui inſtituti, & privilegia à Summis Pontificibus ipſis conceſſa, & præſertim expreſſum requirunt conſenſum circa ea privilegia, quæ vel per primam Conceſſionem, vel revocationem privilegiorum Ordinariorum conſenſui affixa ſunt. Epiſcopi verò ea plerumque utuntur humanitate erga Regulares, ut quorum Exemplaris vita, & doctrina ſibi comperta eſt, & Opera in paſcendo Grege, atque augendo per reductionem hæreticorum ad ſuum ovile perquam utilis, Superioribus ipſorumque Regularibus ſubditis, vel abſolutum, vel reſtrictum, prout ipſis in Domino videtur, dent conſenſum, & approbationem eorum, quæ propoſita, atque expetita fuerunt.

ARTI-

ARTICULUS II.

De Juriſdictione ad Idoneum Miniſtrum neceſſaria.

§. I.

De Iuriſdictione in peccata Venialia & mortalia Remiſſa.

SUMMARIUM.

181 *Præter approbationem ad abſolvendum à mortalibus peccatis neceſſaria etiam eſt Iuriſdictio, quæ non confertur cum poteſtate Ordinis Presbyteralis.*

182 *In ordine ad Venialia tamen peccata, & ad Mortalia jam aliquando directè remiſſa, nec approbatio eſt neceſſaria, nec ſpecialis Iuriſdictio eſt conferenda; quia ex Conſuetudine Eccleſiæ cum ipſa poteſtate generaliter omnibus Sacerdotibus confertur.*

181 CErtum eſt ex Concilio Florentino in decreto unionis & Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. & ex natura Judicii, ad idoneum Miniſtrum Sacramenti Pœnitentiæ, ut validè à peccatis abſolvat, requiri Juriſdictionem, non quidem externam, ſeu ad Forum Externum ac publicum ſe extendentem, ſed internam, nempè Forum Intrinſecum, ſeu Judicium occultum reſpicientem, ſive ea deinde ſit ordinaria, ſive delegata, modò illa detur tam quoad perſonam pœnitentis, per legitimam hujus ſubjectionem, tam quoad peccata, ne ſaltem omnia ad Sacrum Judicem delata altiori tribunali ſint reſervata. Sicut enim Judex vel Magiſtratus collatione officii acquirit poteſtatem judicandi cauſas ſubditorum, & tamen reſpectu nullius hominis eſt completa, antequam is fiat ſubditus, ſic Sacerdotes per verba illa: *accipite Spiritum Sanctum:* quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c. acquirunt quidem poteſtatem judicandi cauſas Fidelium, & eos à peccatis abſolvendi, ſed ea non eſt completa, antequam eorum jurisdictioni ſubiiciantur.

182 Collatio autem poteſtatis non eſt collatio Juriſdictionis, ut patet ex prædicto exemplo, & ex citatis Conciliis, loquendo ſaltem de juriſdictione, quoad peccata mortalia, nunquam à legitimo judice directa abſolutione remiſſa, nam quoad remiſſa, & quoad Venialia, hoc ipſo, quòd non ſint materia neceſſaria, & proinde, neque ſpeciali unius pre altero juriſdictioni reſervata, ſed quivis Sacerdos, etiam non approbatus ab iis validè ex generali juriſdictione abſolvere poſſit, (niſi, ut quidam apud Lugo *diſp.* 19. *n.* 32. ſine ſufficienti fundamento limitant, conjuncta ſint cum materia neceſſaria, impediente ſecundùm ipſos valorem abſolutionis directæ à materia non neceſſaria) Palud. Capreol. Canus, Vaſq. apud Tannerum *diſp.* 6. *quæſt.* 9. *dub.* 3. *n.* 60. non improbabiliter exiſtimant, cum ipſa poteſtate ordinis ex jure divino conferri juriſdictionem cuilibet Sacerdoti in omnes fideles. Quamvis alii communiùs & probabiliùs etiam hanc juriſdictionem ſolummodo ex conſuetudine, per tacitum conſenſum Eccleſiæ approbata & non Jure Divino concedi debeant ſine prævia approbatione, ad juriſdictionem abſolvendi à materia neceſſaria, ex Concilii Tridentini decreto requiſita, id quod ex eo colligunt, quia aliàs Eccleſia, ſicut nequit poteſtatem ordinis, ſic neque obtentam juriſdictionem, ſi jure divino fuiſſet collata, rurſum auferre poſſet, quam tamen de facto aufert Sacerdotibus cenſura excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti per denuntiatam ſententiam affectis, aut propter notoriam Clerici gravem percuſſionem excommunicatis, aut omnino degradatis, ita ut pœnitens extra articulum mortis neque à venialibus validè à tali Sacerdote abſolvi queat.

§. II.

De Iuriſdictione Vniverſali pro Articulo Mortis. Refertur his ſententiis illam affirmans.

SUMMARIUM.

183 *In probabili mortis imminentis periculo quivis Sacerdos ab omnibus peccatis, & cenſuris abſolvere valeat, ſaltem in abſentia alterius Sacerdotis habentis Iuriſdictionem inimpeditam in pœnitentem & in peccata illius.*

184 *Multorum opinione prædicta limitatio non eſt neceſſaria.*

185 *Hæc Opinio ſtabilitur duplici Fundamento.*

186 *Evertitur contrarium Fundamentum.*

187 *Referuntur plures rationes abſolutæ & univerſalis Iuriſdictionis pro articulo mortis.*

183 POenitente in mortis articulo, vel, quod idem eſt ſecundùm receptam Doctorum extenſionem, in probabili mortis propinquæ periculo, etſi nondum in ultimo agone, conſtituto, omnibus Sacerdotibus, ne excommunicatis, aut degradatis quidem exceptis, conceditur juriſdictio, tam in perſonam, quàm in omnia illius peccata, etiam Epiſcopo, vel Summo Pontifici reſervata, & in omnes cenſuras, ſaltem in abſentia alterius Sacerdotis habentis extra articulum mortis juriſdictionem non impeditam, & volentis ea uti.

184 Sine hac limitatione verò id aſſerunt Navarrus (qui licèt in Manuali *cap.* 26. *num.* 26. appoſuerit hanc limitationem, eam tamen retractavit *lib.* 5. *Conſiliorum in libros Decretales. tit. de Pœnitentiis & Remiſſionib.* in prima edit. *Conſil.* 15. *n.* 2. & 3. in ſecunda autem edit. *Conſil.* 23. *num.* 2. & 3. Ubi ait. Nunc verò altiùs re inſpecta videntur contra iſtam limitationem facere verba Tridentini) Sylveſter *verbo Confeſſor I.* §. 16. *in fine* etiamſi enim §. 6. *Reſponſ.* 7. etiam appoſuerit illam limitationem, fecit hoc non propter neceſſitatem, ſed ut adhuc abſtraheret à præſenti difficultate (Emanuel Saa, Petrus Ledeſma, Vega, Conradus, Henriq Rodriq. Diana variis in locis *p.* 1. *tr. de Abſolut. ab hæreſi R.* 5. & *p.* 5. *tr.* 3. *R.* 60. & 65. rurſum *tra.* 13. *R.* 12. & *p.* 8. *tract.* 1. *R.* 91. 92. 93. quos Authores cum Hurtado de Mendoza, refert & ſequitur Dicaſt. *diſp.* 10. *dub.* 14. *n.* 365. His Tannerus *diſp.* 6. *q.* 9. *dub.* 3. *num.* 64. addit & ſequitur Palud. Capreol. Majorem, Durand. Canum, Covar. Caſtro. quibus ex Diana loco primo cit. & ex 3. *tom. tr.* 4. *Miſcel. R.* 161. addi poſſunt Barboſa, Villalobos, Corolannus, Joannes Valerus, Angles, Zerola, Finelius, Paulus Comitulus, Philibertus, Marchinus, quos ex cit. Diana etiam nominat Lugo *d.* 8. *ſect.* 2. *n.* 23. eorumque ſententiam fatetur probabilem, & improbat Cenſuram Luiſii Turriani aſſerentis improbabilem, & damnatam à Greg. XIII. à quo etiam Molina *t.* 4. *de Iuſtitia diſp.* 63. dixit, oppoſitam ſententiam fuiſſe declaratam. Verùm teſtatur Lugo, neque eam declarationem conſtare authenticè, neque eſſe authenticam, ſed meram reſponſionem privatam. Unde contra Turrianum idem Lugo *n.* 23. ſic dixit. Certè ſententia, quam tot, & tam graves DD. tenent, negari non poteſt, quin ſit probabilis, præſertim cum fundetur in verbis Tridentini, quæ non facilè explicari poſſunt ab Adverſariis. Eandem in ſententiam inclinat etiam Reginaldus *l.* 1. *num.* 61. & Joan. Præpoſitus *q.* 7. *dub.* 3. *n.* 28. eamque ſupponit ut probabilem Palao. *to.* 1. *tr.* 1. *diſp.* 2. *pun.* 5. *n.* 5.

185 Hæc itaque ſententia probatur primò, non quidem ex illo fundamento, quòd pro articulo mortis cum poteſtate Ordinis cuivis Sacerdoti ex Chriſti Inſtitutione conferatur etiam poteſtas Juriſdictionis in omnes homines & in omnia peccata. Quia licèt hoc teſte Tanner. *l. c. n.* 65. à multis doceatur cum Durando, Capreolo, Paludano, Cano, Ruardo, Armilla apud Suar. *diſp.* 26. *ſect.* 4. *num.* 6. nec etiam videatur improbabile, ut in fine hujus §. oſtendam, oppoſitum tamen communiùs docetur: unde ſententia prædicta non eſt affigenda principio minùs certo, quam ſit ipſa.

Sed probatur potiſſimùm ex Concilio Trident. *ſeſſ.* 14. *c.* 7. Ubi cùm definiviſſet, dari in Eccleſia poteſtatem, vi cujus Superior Eccleſiaſticus poſſit ſuo tribunali Pœnitentiæ reſervare quædam peccata, eaque ex Juriſdictione inferioris Confeſſarii extrahere, deinde inquit. *Veruntamen piè admodùm, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia DEI cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo Mortis: atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt.* Quæ verba, cùm nullam limitationem Juriſdictionis reſpectu ullius Sacerdotis ritè ordinati, vel reſpectu ullius peccati, vel cenſuræ, vel Perſonæ pœnitentis in articulo mortis conſtitutæ contineant, etiam ſine limitatione accipienda & intelligenda ſunt; præſertim quia de contraria mente Tridentini non certò conſtat, & Rationes, quæ oppoſitam ſententiam reddunt probabilem, commodè & ſufficienter ſolvi poſſunt, ut patebit ex Reſponſionibus ad Fundamenta oppoſitæ ſententiæ.

Probatur Secundò. Si poſita hac limitatione, vel exceptione: *Niſi adſit alius Sacerdos, qui etiam extra articulum mortis habet poteſtatem abſolvendi ordinariam vel delegatam*: Poſſet ſæpius fruſtrari finis hujus propoſitionis Univerſalis: *Nulla eſt reſervatio in articulo Mortis*: & hujus: *Omnis Sacerdos poteſt abſolvere ab omnibus peccatis & cenſuris in articulo mortis*: tunc utraque Univerſalis eſt abſolutè, & illimitatè vera: & hæc Contradictoria prioris: *Aliqua eſt reſervatio in articulo mortis*: atque iſta Contradictoria poſterioris: *Aliquis Sacerdos non poteſt abſolvere ab omnibus peccatis*: eſt abſolutè falſa. Sed poſita priori limitatione poſſet ſæpius fruſtrari finis utriuſque propoſitionis Univerſalis, à Trid. aſſertæ, ergo utraque Univerſalis eſt abſolutè & illimitatè vera, & utraque particularis eſt abſolutè & illimitatè falſa, ſcilicet etiam tunc, quando adeſt alius Sacerdos &c. Probo minorem. Finis utriuſque Propoſitionis Univerſalis à Trid. eſt expreſſus his Verbis: *Ne hac ipſa occaſione aliquis pereat*: Subſumo: Atqui hac occaſione, quòd adeſſet aliquis Sacerdos, in cujus præſentia alius non poſſet validè abſolvere, ſæpe aliquis periret: ergo fruſtraretur dictus finis. Minorem probo verbis S. Thomæ, qui pro facili conſenſu à proprio Sacerdote etiam extra a ticulum mortis præbendo, ad Confeſſionem apud alium Sacerdotem peragendam, ita loquitur 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 3. *art.* 3. *q.* 4. *ad* 6. *Peccaret autem Sacerdos, ſi non eſſet facilis ad præbendam licentiam confitendi alteri. Quia multi ſunt adeò infirmi, quòd potiùs ſine Confeſſione morerentur, quàm tali Sacerdoti confiterentur.* Similibus verbis Clemens VIII. in Decreto expedito *Anno* 1593. expreſſit cauſam, cur voluerit à Superioribus Regularium deputari Confeſſarios pro ſubditorum numero, ad quos poſſint ire Religioſi; cùm ait. *Nonnullos infirmiores interdum Superiori ſuo conſcientiæ maculas detegere formidantes abducere poſſet in æternæ damnationis periculum.*

186 Ex hac Ratione ſolvitur & evertitur præcipuum argumentum oppoſitæ ſententiæ, quæ ex eodem textu Tridentini prædictam limitationem ſic colligit. Sacra Synodus cuilibet Sacerdoti, etiam antecedenter non approbato, tantùm ideo ex antiqua conſuetudine concedit Juriſdictionem pro articulo Mortis, ne moribundus ſine remedio ſalutis decedat: ſed hoc periculum præſente alio Sacerdote, habente Juriſdictionem abſolutam, & independentem ab articulo mortis eſt ſublatum; quia iſto præſente, qui poſſit & velit impertire abſolutionem, moribundus jam habet remedium ſalutis, adeoque neceſſe non eſt, alteri pro hoc caſu concedi Juriſdictionem.

Negatur enim minor, quòd periculum ſit ſublatum, & quòd habeat tale remedium ſalutis, quod tollat etiam reſpectu Infirmiorum (quibus vel maximè Trid. voluit conſulere, ſicut Clemens VIII.) periculum æternæ damnationis. Falsò itaque ſupponitur ab hac ſententia, quòd periculum æternæ damnationis conſiſtat ſolummodo in abſentia Sacerdotis habentis Ordinariam vel delegatam Juriſdictionem, S. Thomas enim & citatus Pontifex agnoverunt, & experientia conſtat tantum poſſe eſſe contra talem Confeſſarium horrorem, ut ſæpius potiùs aliquis intermitteret Confeſſionem, & periret, quàm ut illi Sacerdoti confiteretur: præſertim quia multi aliàs difficillimè inducuntur, ut in præſenti mortis periculo conſtituti per Confeſſionem ſalutem ſuam procurent, quantò ergo difficiliùs, ſi quantumvis præſente alio Sacerdote, non habente Ordinariam vel delegatam Juriſdictionem extra articulum mortis, cogerentur confiteri illi Sacerdoti, cui horrent ſe manifeſtare? Et ſi quis tandem vellent ſe vincere, illique confiteri, quàm multi tamen tamdiu differrent Confeſſionem, ut priùs uſus rationis, vel etiam vita ipſos deficeret?

187 Præterea poſſunt eſſe cauſæ graviſſimæ tali Sacerdoti, præſente alio non confitendi, præſertim quando infirmus, ut ſæpiſſime, etiam incerto mortis articulo, ſaltem irrationabiliter fit, habet adhuc aliquam ſpem vitæ, & ſua, ſi fortè convaleſceret, multùm intereſt, ne talis Sacerdos reſciat ſua peccata. Quid ſi etiam conſtet de hujuſmodi Sacerdote, quòd ſæpe frangat Sigillum Confeſſionis? Quid fœminæ moribundæ conſtet, illum hominem luxurioſum, eſſe, & fortè etiam cum ipſa jam frequenter peccaverit, adeoque vim ſibi inferendam, vel etiam voluntarium relapſum prudenter metuat? an non tunc ne moriens pereat, præſtaret confiteri Sacerdoti hæretico, vel excommunicato non tolerato, quando ab illis nullum periculum perverſionis metuendum eſſet? Unde etiam S. Thomas 4. *diſt.* 21. *in Fine expoſitionis textus* inter quinque caſus, quibus abſque petita licentia permiſſum eſt alteri, quàm proprio Sacerdoti confiteri, ponit hos duos. *Propter malitiam Sacerdotis, ſi revelat Confeſſiones, vel ſi incitat ad malum, & in articulo neceſſitatis.* Quod ſi proprius Sacerdos ab altero doctrina, prudentia, probitate, modo agendi longiſſimè ſuperetur, & moribundus tali Confeſſario magis idoneo propter ſuam indiſpoſitionem, vel perplexitatem animi, vel dubia circa Juſtitiam & reſtitutionem indigeat? quam cauſam etiam approbavit Urbanus II. in *cap. Placuit de Pœnit. diſt.* 6. & agnoverunt Valen. Medina, Toletus, quos refert & ſequitur Tanner. *n.* 50. Quia ergo tales caſus plures poſſent contingere, in quibus expediret licere, ut moribundus præſente Sacerdote, habente univerſalem & abſolutam poteſtatem abſolvendi, poſſet validè & licitè confiteri alteri Sacerdoti, vel non approbato, vel excommunicato, vel ſuſpenſo, etiam non tolerato, vel degradato vel hæretico, quando ab illo non eſſet metuendum periculum perverſionis, vel illegitimæ abſolutionis, ideo Tridentinum vel conceſſit vel declaravit, quòd omnis Sacerdos conſtitutum in articulo mortis poſſit validè abſolvere, atque etiam licitè, ſi Sacerdos vel jam ſit, vel præmiſſa contritione ſe conſtituat in ſtatu gratiæ, & ſi impedimentò quantocumque, ex ſua parte ſe tenenti, ratione cenſuræ, vel degradationis, prævaleat neceſſitas moribundi.

§. III.

Refertur ſententia Limitans Iuriſdictionem Univerſalem.

SUMMARIUM.

188 *Refertur ſententia limitans Iuriſdictionem Univerſalem ad abſolvendum à mortalibus peccatis in articulo mortis, & circa illam limitatur Authoritas à Fagnano ſupra meritum ipſi tributa.*

189 *Eripitur huic ſententiæ etiam authoritas S. Thomæ.*

190 *Limitatio prædictæ ſententiæ declaratur, & indicatur, quomodo Conditio limitans, nempè præſentia Sacerdotis, Ordinariam poteſtatem habentis, intelligenda ſit.*

191 *Prædictæ ſententiæ limitanti eripitur etiam authoritas Eccleſiæ, ex variis SS. Canonibus & ex praxi allegata.*

192 *Opponuntur prædictis SS. Canonibus alii Canones, & ex his atque ex Tridentino reſponſio ad priores, & Iuriſdictio illimitata pro articulo mortis confirmatur.*

188 Nihilominus oppoſitam ſententiam, & reſtrictionem ac limitationem dictarum Propoſitionum Univerſalium ex citato loco Tridentini tenentur Suar. *diſp.* 26. *ſect.* 4. Thomas Sanchez *in Summa lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 7.

n. 7. Vaſq. *q.* 93. *art.* 1. *dub.* 4. *n.* 18. Coninck *diſp.* 8. *dub.* 12. *concl.* 2. Laym. *lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 12. *n.* 14. Palao. *tract.* 23. *diſp. Un. pun.* 13. *n.* 8. Lugo *diſp.* 18. *ſect.* 2. *n.* 24. qui hanc ſententiam communiorem & veriorem vocat, & pro ea ex Sanchez citat Zambranum, Roſellam, Armillam (nempe Bartholomæum Fumum, cujus liber inſcriptus eſt Aurea Armilla) Simancas, Cordubam, Graffium, Gratianum, Sotum, Hugolinum, Bartholomæum Ledeſmam, Vivaldum, Rutilium, Benzonium: quibus addit Valentiam 4. *tom. diſp.* 7. *q.* 10. *pun.* 2. *column.* 6. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 19. *q.* 5. Mol. *tom.* 4. *de Iuſt. diſp.* 63. Bonacinam *diſp.* 5. *q.* 7. *pun.* 1. *n.* 10. & de Cenſuris *diſp.* 1. *q.* 3. *pun.* 3. *num.* 5. Ochagaviam *de Sacramentis. tr.* 2. *q.* 35. *n.* 4. His noviſſimè ſubſcripſit Patritius Sporer Ord. FF. Minorum Lector Jubilatus in Tyrocinio Sacramentali *parte* 3. *cap.* 6. *q.* 6. §. 1. *num.* 722. aſſerens hanc ſententiam noviſſimè declaratam eſſe à Congregatione Cardinalium decreto Authent. apud Fagnanum *in cap. Non eſt nobis, de Sponſal. & Matrim.* Verùm Fagnanus nullam facit fidem hujus declarationis, niſi quòd afferat ab Epiſcopo Valentino quæſitum fuiſſe, an in caſu neceſſitatis, cùm non adeſt alius Sacerdos, qui morientem reconciliet, quàm excommunicatus & denuntiatus, talis poſſit eum abſolvere, & fuiſſe reſponſum à Congregat. Gen. quòd non poſſit: quod probat uno alteroque teſte. Sed neque refert Congregationis verba, neque approbationem Pont. nec publicationem: & hoc Reſponſum eſſet potiùs Correctio, quàm declaratio Trid. quia Fagnanus ait, fuiſſe datum pro eo etiam caſu, quando nullus alius adeſt Sacerdos, quo adeoque eſt periculum ne pereat moribundus ex defectu Sacerdotis. Unde hoc Reſponſum etiam eſſet contra citatum Authorem, & omnes reliquos. Quomodo ergo dici poteſt Authenticum?

189 Æquè immeritò Fagnanus refert Magiſtrum ſententiarum 4. *diſp.* 19. & S. Thomam 3. *p. q.* 82. *art.* 7. *ad* 2. & 4. *diſt.* 19. *q.* 1. *art.* 2 *q.* 2. *ad* 3. & cùm his alios Doctores. Quia non tenent Fagnani, ſed expreſsè contrariam ſententiam. S. Thomas enim priore loco de Hæreticis, Schiſmaticis, & Excommunicatis: *In nullo caſu licitè poſſunt Euchariſtiam conſecrare, vel alia Sacramenta conferre.* Non autem negat, quòd validè poſſint: ſed id potiùs affirmat, quando ibidem in Corpore dicit cum S. Aug. contra Parmenianum, & cum Magiſtro ſententiarum. *Aliud eſt, aliquid omnino non habere* (intelligit ibidem Poteſtatem Sacerdotalem adminiſtrandi Sacramenta) *aliud autem non rectè habere* id eſt, eo non rectè uti. *Et ſimiliter eſt aliud, non dare* (ſcil. Sacramentum & Gratiam Sacramentalem) *& aliud non rectè dare:* id eſt, non licitè dare. Imò illa citata verba: *In nullo caſu licitè poſſunt:* Sint de Hæreticis, Schiſmaticis, Excommunicatis reduplicativè ſumptis intelligenda: quatenus ut in caſu neceſſitatis licitè adminiſtrent Sacramenta, tenentur priùs per veram contritionem deſiſtere à malo ſtatu: vel ſi tam citò non poſſent, eò quòd moriens dans ſignum doloris ſtatim eſſet abſolvendus, illæ particulæ *in nullo caſu*: in ſenſu accommodo, cum exceptione caſus prorſus extraordinarii, & extremæ neceſſitatis accipiendæ eſſent. Quando verò S. Doctor in poſteriore loco negat, illos moribundos Gratiam conſequi, *qui Sacramenta recipiunt ab illis, qui ſunt ab Eccleſia præciſi; quia hoc ipſo peccant, excepto Baptiſmo, quem in caſu neceſſitatis licet etiam ab excommunicato recipere.* Iterum defectum non refundit in privationem poteſtatis Sacerdotalis, ſed debitæ diſpoſitionis in ipſis recipientibus, propter peccatum actuale, quod committerent, ſi, quando Sacramentum eſſet quidem neceſſarium, ipſi illud reciperent à Sacerdote gravi cenſura impedito, ſine gravi cauſa, in præſentia alterius Sacerdotis non ſimiliter impediti, adeoque cum Scandalo & contemptu Eccleſiaſtici præcepti, prohibentis Communicationem non neceſſariam cum excommunicato nō tolerato. Quamvis enim in articulo mortis eſſet omnis reſervatio peccati, & cenſuræ ex parte moribundi, non tamen ceſſat ex parte miniſtrantis Sacramenta, ſalva ſolùm Juriſdictione ad abſolvendum. Quæ Ratio tamen locum non haberet, ſi gravis cauſa pro priori ſententia aſſignata interveniret, cùm etiam ſuo loco oſtenſuri ſimus, minores & leviores cauſas ſufficere, ad licitè communicandum cum excommunicatis non toleratis, & cum hæreticis.

Itaque aliter probatur hæc ſecunda ſententia. Prima & potiſſima quidem Ratio eſt illa ex Tridentino petita, & jam ſuprà ſoluta, cui etiam Card. de Lugo diffidit *n.* 25. licèt illam vocet aliorū Fundamentum præcipuum. Unde pro prima ſententia inferri poteſt: ſi hoc fundamentum ruit, quod non tantùm apud aliquos, ſed apud pleroſque eſt præcipuum, multo magis alia eſſe ruinoſa. Id verò, quod Cardinalem de Lugo movit, ut diceret. *Hæc tamen ratio, meo judicio, non ſufficeret ad ſeparandam univerſalitatem verborum, & conceſſionis abſolutæ, quam prima ſententia affert pro ſe:* non videtur elidere vim illius rationis, cùm dicit. *Nam potuit neceſſitas Fidelium movere, ad concedendam facultatem cum tota illa amplitudine: ne ſcil. ſi alio modo concederetur, aliquis ſine Confeſſione moreretur, dum fortaſſe exſpectat Parochum, quem accerſivit, vel licentiam Prælati.* Reſpondebunt enim utentes illa ratione, hoc ipſo, quando vel leviter probabile eſt illud periculum, quod à Lugo inſinuatur, non cenſeri adeſſe proprium, vel ordinaria, aut delegata Juriſdictione præditum Sacerdotem; quia ad præſentiam non ſufficit, quòd Epiſcopus ſit in ſua diœceſi, ſi illius Juriſdictio pro cenſuris Papalibus occultis, vel Epiſcopalibus eſſet neceſſaria, vel quòd Parochus ſit in ſua domo, ſed quòd ita ſit præſens, ut abſque periculoſa mora poſſit ab ipſo accipi abſolutio: aliàs non verificaretur aſſerta limitatio, nec obtineretur finis Tridentini Concilii, quod vult, *ne hac ipſa occaſione aliquis pereat:* periret autem non tantùm aliquis, ſed multi eorum, qui etiam levite probabili proximo mortis periculo repentè abripiuntur è vivis; quod ſi contigiſſet præſente quocunque inferiore Sacerdote (excepto forſan gravi cenſura impedito, neque proximum periculum antea advertente) omnes taliter mortuo, & præſenti Sacerdoti indignarentur, quòd ille non petiiſſet & iſte non dediſſet abſolutionem, atque ad eam petendam moribundum non diſpoſuiſſet. 190

Secunda Ratio, quæ Cardinali de Lugo *n.* 26. videtur, eſſe præcipuum & ſolidum fundamentum, etiam deſumitur ex verbis Tridentini: *In Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit Reſervatio in articulo Mortis.* Ex quibus verbis, inquit citatus Author, & plures alij, conſtat, Patres Concilii noluiſſe in hoc puncto Jus novum condere, ſed ſolùm commendare, & approbare perpetuam Eccleſiæ Conſuetudinem. Porrò in Eccleſia non fuiſſe conſuetudinem illam ſemper, ut Prælato præſente Sacerdos inferior poſſet abſolvere morientem à reſervatis, multis argumentis putant probari poſſe. 191

Primò allegantur aliquot Capitula: ut *cap. Aurelius cap. Presbyteri* 26. *q.* 6. in quibus omnibus præcipitur, ut Epiſcopo præſente etiam in Mortis neceſſitate inferior Sacerdos non abſolvat à peccatis & cenſuris Epiſcopo reſervatis, niſi petita priùs facultate. Sed ex his Capitulis prima duo, ut etiam Lugo *n.* 27. fatetur, loquuntur de abſolutione & reconciliatione publica cum Eccleſia, à qua per excommunicationem ob publica delicta ipſe moribundus eſt ſeparatus. Neque rectè à Lugo hinc inſtituitur paritas pro abſolutione Sacramentali in foro interno, quia per hanc non præjudicatur Gubernationi Epiſcopali publicæ, & externæ, cum imminutione authoritatis apud populum, & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, debitique metus ad coercenda publica crimina. Ideo Summi Pontifices concedentes Regularibus Mendicantibus poteſtatem in foro interno abſolvendi à pleriſque peccatis & cenſuris extra Bullam Cœnæ reſervatis, eam tamen non conceſſerunt ad abſolvendum in foro externo, in quo ſe adhuc debent Excommunicati gerere, tanquam non eſſent in foro interno abſoluti. Præterea hæc abſolutio interna eſt magis neceſſaria, ne aliquis pereat, ea non obtenta. Ultimum cap. Videtur quidem loqui de foro interno. Quia dicit: *Presbyteri de Occultis peccatis juſſione Epiſcopi pœnitentes reconcilient, & ſicut ſuprà præmiſimus, infirmantes abſolvant, & communicent.* Sed hoc capitulum etiam ſecundæ ſententiæ Authoribus ſolvendum eſt, quia teſte Lug. *n.* 27. ex Thoma Sanchez nec Parochi nec pœnitentes infirmi recurrunt, neque per nuncium aut epiſtolam tenentur recurrere ad Epiſcopum pro conſenſu ad abſolutionem in foro inter-

interno: ideo ergo intelligi debet vel de abſolutione à cenſura, collata abſoluté ab ulteriori obligatione, ne, ſi taliter abſoluti mortis periculum evaſerint, teneantur redire ad Epiſcopum, vel de abſolutione à pœnis Eccleſiaſticis, olim propter certa delicta ſtatutis. Deinde, ut advertit Dicaſtillo *numer.* 383. aliud eſt, quod Capitulum dicat: *Presbyteri juſſione Epiſcopi pœnitentes reconcilient:* nempè diligenter illam exequantur, quando vel in genere vel in particulari ipſis cura hujuſmodi demandata eſt: & aliud: *ſine juſſione non reconcilient*. Idem quod ad citata prima duo Capitula reſponſum eſt, etiam Reſpondetur ad *cap. Excommunicamus §. Decernimus, de ſententia Excom. in Extrav. Commun.*

Allegantur adhuc alia duo Capitula *cap. Inter Cunctas §. Incendiarios de Privilegiis in Extrav.* & *cap. Eos, qui, de Sententia excom. in 6.* in quibus ſtatuitur, ut à Cenſura reſervata propter urgentem neceſſitatem abſoluti, ea ceſſante, quam primùm ſuperiori ſe ſiſtant: ergo, inferunt citati Authores, ſi ante abſolutionem potuerunt eam ab ipſo petere, ad hoc tenebantur, proinde illicitè & hoc ipſo invalidè eam ab alio accipiunt. Reſp. malam eſſe illationem: quia juxta Trid. durante periculo mortis ceſſabat omnis reſervatio: ceſſante autem periculo mortis, quaſi revivîſcit obligatio ſe ſiſtendi Superiori, quia ſub tali obligatione & modo conferebatur abſolutio à Cenſura reſervata, ſub qua obligatione etiam, & non aliter, reſervatio priùs ceſſabat, & remittebatur.

Secundò probat Lugo *num.* 30. Non viguiſſe in Eccleſia conſuetudinem abſolvendi Moribundum per Sacerdotem, non habentem poteſtatem ordinariam vel delegatam, præſente alio illam habente, quia alia Sacramenta non ſolebant miniſtrari à Sacerdote alieno, niſi in defectum proprii. Sed facilè negatur Paritas: Quia nullum aliud Sacramentum ita eſt neceſſarium, ne moribundus pereat, quàm Sacramentum pœnitentiæ. Et pro nullo alio facilè poteſt aſſignari ſimilis juſta cauſa, cur à proprio Sacerdote quis nolit illud recipere: vel ſi daretur talis juſta cauſa, etiam liceret recipere ab alieno: imò validè v. g. Extremam Unctionem etiam ſine tali cauſa reciperet.

192 Ex his Reſponſionibus manifeſtè conſtat, ſaltem eſſe incertum, utrùm prædicta limitatio textus ex Trid. allati, ſemper in Eccleſia fuerit cuſtodita: nam textus non hanc ſed Juriſdictionem univerſalem ſemper cuſtoditam aſſerit: & poſſunt allegatis Capitulis alia Capitula opponi, in quibus pro mortis articulo conceditur univerſalis poteſtas abſolvendi, nulla facta mentione limitationis per præſentiam Superioris: quale eſt *cap. Quod de his, de Sententia Excommun.* & *cap. Paſtoralis, de Officio Judicis Ordin.* Ex hac ipſa autem incertitudine videtur efficax formari poſſe argumentum pro prima Sententia, quòd ſit vera, & quòd datæ Reſponſiones ad Capitula oppoſita etiam ſint veræ. Quod ſic oſtendo. Certum eſt, quòd Tridentinum loquatur tantùm de foro interno: & certum eſt, quòd Modus loquendi Concilii Trid. ſit univerſalis, & in eo nulla ſit expreſſa limitatio: Certum etiam eſt, quòd Trid. per hæc Verba: *In Eccleſia DEI cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit Reſervatio in articulo mortis:* intendat teſtari, & declarare antiquam Conſuetudinem Eccleſiæ, adeoque antiquiora Capitula loquentia de hac Conſuetudine explicare: Ergo verba univerſalia & abſoluta ac illimitata, & de foro interno loquentia non ſunt explicanda, declaranda, reſtringenda per verba Juris antiqui, ſed potiùs verba Juris Antiqui ſunt explicanda, declaranda, & accipienda ſecundùm modum loquendi univerſalem Concilii Trid. quod fit, ſi limitationes citatorum Capitulorum non accipiantur de foro interno, ſed ſine reſtrictione propoſitionum univerſalium Tridentini.

§. IV.

Eligitur & ampliùs confirmatur prima Sententia ſine limitatione prædicta.

S U M M A R I U M.

193 *Sententia pro articulo mortis concedens Juriſdictionem illimitatam, & abſolutam ampliùs confirmatur, & redditur moraliter certa.*
194 *Quia licitus eſt uſus Juriſdictionis probabilis, & ſi ejus veritas deficeret, Eccleſia illam ſuppleret: quod principium ſtabilitur Doctorum Authoritate.*
195 *Stabilitur idem principium recepta praxi.*
196 *Stabilitur quoque alia gravi ratione.*

PRopter has itaque Rationes, eſt Reſponſiones primæ ſententiæ, eadem mihi videtur longè probabilior. 193
Et licèt illa à parte rei vera non eſſet, quia tamen eſt certò probabilis, & quia juxta communiſſimam ac probabiliſſimam Sententiam, imò moraliter certam, quandocunque Sacerdos probabiliter, & prudenter judicans, ſe habere ſufficientem Juriſdictionem in perſonam & peccata Pœnitentis, eundem abſolvit, Eccleſia per Univerſalem ratihabitionem, continua conſuetudine ſtabilitam, hoc ipſo ſupplet defectum Juriſdictionis, eamque pro illo actu validè & licitè exercendo concedit, ideo prædicta Sententia ex hoc principio fieret quaſi reflexè & practicè certa moraliter, tam quoad valorem, quàm quoad licentiã; cùm enim in humanis actionibus de earum licentia non poſſit ſemper haberi phyſica, aut metaphyſica certitudo, ideo neceſſe eſt, ne multæ utiles, honeſtæ, ac etiam neceſſariæ actiones alioquin deberent intermitti, ut liceat cum reflexa certitudine de ipſa probabilitate licentiæ operari, præſertim quia in præſenti caſu, hoc ipſo, quod Eccleſia ſuppleat (ſi ita neceſſe foret) defectum Juriſdictionis, proximo nullum imminet damnum, neque periculum invalidæ abſolutionis, & è contrario Sacramentum pœnitentiæ redderetur ejuſdem Miniſtris faſtidioſiſſimum, niſi illud liceret adminiſtrare cum probabili, & prudenti Judicio de pœnitentis ſufficienti diſpoſitione, & de ſua ſufficienti Juriſdictone; quod ſimiliter in tractatu de Conſcientia ex communiſſima doctrina aſſeruimus de aliis Sacramentis quoad ea requiſita eſſentialia, de quibus communiter non poteſt ſine maxima difficultate, & Sacramentorum neglectu, & faſtidio exigi major certitudo, quàm quæ habetur in ipſa *prudenti & vera* probabilitate.

Principium autem illud, quòd Eccleſia ſuppleat defectum Juriſdictionis, ſi hæc prudenter & probabiliter eam ſibi attribuentem deficiat, probatur primò maxima Authoritate & communi Conſenſu Theologorum Suar. *diſp. 26. ſect. 6. à num 6.* Card. de Lugo *diſp. 19. à num.* 30. Joannis Præpoſiti *q. 7. dub. 4. numer.* 35. Palao. *tr. 1. diſp. 2. p.* 5. *num.* 5. Leſſii. *lib. 2. de Juſt. cap. 29. num.* 68. Henriq. *lib. 2. de Pœnit. cap.* 14. *num.* 3. Thomæ Sanchez *in ſumma. lib. 1. cap. 9. num.* 35. *& lib. 3. de Mat. diſp.* 20. *num.* 65. Buſenbaum. *lib. 6. tract. 4. cap. 2. dub. 3. num.* 8. Gonet. *diſp. 9. num.* 49. Sporer *in Tyrocinio Sacramentali part. 3. cap. 6. num.* 716. Cujus tamen limitatio ſequenti numero oppoſita mihi non placet, quatenus abſolutionem ſine juſta cauſa impertitam illicitam & invalidam aſſerit: ſine qua limitatione rectè etiam allegat Poncium, Filliucium, Bonacinam, Tambur. Dianam *p. 8. tr. 1. R.* 93. qui citat Franciſcum Lugo *Opuſc. de Sacramentis cap. 1. quæſt. 4. num.* 49. *&* 50. Joannem Machadum, Hurtadum, Eſcobar. quibus rurſum adde Dianam *to. 1. p. 2. tract. 13. de Opinione prob. R.* 2. adducentem Villalobos, Martinez. Conſentiunt etiam Granadus & Turrianus apud Joannem de Lugo *diſp. 19. numer.* 29. Richardus Arſdekin *tom. 2. p. 2. capit.* 3. §. 1. 194

Probatur ſecundò Ratione. Omnium propè Theologorum unanimi conſenſu certum eſt, quemlibet Sacerdotem (ſaltem per Cenſuram non toleratam ab Eccleſia 195

cleſia non præciſum) validè abſolvere à peccatis venialibus, & à mortalibus jam priùs aliquando validè remiſſis, & quidem à pleriſque, ut præcedenti §. vidimus, ejuſmodi Juriſdictio aſſeritur fundari in Conſuetudine, ac tacito Conſenſu Eccleſiæ, quòd ipſa ſciens hanc conſuetudinem non contradicat: ſed datur etiam, & ſcitur ab Eccleſia, Summiſque Pontificibus, Conſuedo Univerſalis & continua, abſolventium à peccatis & Cenſuris cum certa & prudenti probabilitate ſuæ Juriſdictionis; neque tamen ab Eccleſia contradicitur huic conſuetudini: de qua in præſenti controverſia Lugo *diſp. 19. n. 35.* inquit, Doctores nobiſcum aſſerentes, quemvis Sacerdotem poſſe conſtitutum in periculo mortis validè abſolvere ab omnibus peccatis & cenſuris reſervatis, *ita locutos eſſe propter uſum & praxin communem omnium Confeſſariorum, quam neceſſe eſſet omnino condemnare, ſi non poſſet abſolvi in articulo mortis aliquis cum Juriſdictione probabili à Cenſura reſervata, ut ſuprà oſtenſum eſt.* Ergo ex eodem fundamento, propter quod conceditur cuivis Sacerdoti poteſtas & Juriſdictio abſolvendi à peccatis venialibus, & mortalibus jam ſemel remiſſis, etiam concedi debet poteſtas & Juriſdictio abſolvendi, quando ea Confeſſario verè eſt probabilis, ſive quando pro ea habet fundamentum poſitivum magnis momenti.

196 Probatur tertiò à Suarez *l. c. n. 7.* eſt principium Jure receptum, ut qui communi exiſtimatione, & opinione Magiſtratum gerit, licèt in re ipſa munus illud vero titulo non obtineat, nihilominus geſta ejus valeant propter commune bonum juxta *L. Barbatius ff. de Officio Prætoris:* & inde fit, ut excommunicatus occultus, & is, qui Parochus communiter reputatur, verè tamen non eſt, quia Simoniacè obtinuit Beneficium, nihilominus validam abſolutionem conferat: quia Eccleſia tunc dat Juriſdictionem, ne communis ignorantia populo noceat. Et hoc quidem apud Theologos certum eſt, idque declaravit Pius V. in Bulla, quæ incipit *In conferendis anno 1567. die 15. Kal. April.* edita, & publicata *16. Maii*, ut habetur in Bullario. Subſumo. Atqui hæc communis ignorantia, ſi falſa eſſet doctrina, quòd Sacerdos probabiliter & prudenter judicans, ſe habere Juriſdictionem, validè exerceat actum Juriſdictionis abſolvendo à peccatis & cenſuris reſervatis, aſſiſtendo nuptiis in locis, ubi Trid. eſt receptum, &c. etiamſi ſecluſo tali Judicio probabili illam non habeat, quæ doctrina ubivis terrarum à Doctis Viris, ut oſtenſum eſt in prima probatione, exiſtimatur vera, longè magis noceret, non uni tantùm populo, vel diœceſi, ſed toti communitati Eccleſiæ: ergo longè magis dicendum eſt, quòd Eccleſia ſuppleat Juriſdictionem, quando Judicium particulare Sacerdotis probabiliter & magno fundamento judicantis ſe habere Juriſdictionem, illum revera fallit. Alioquin certè infinities Sacramentum pœnitintiæ, ſummè neceſſarium, invalidè & cum innumeris ſaltem materialibus Sacrilegiis irritè adminiſtraretur, quod vel maximè decet Eccleſiam cavere, cùm quilibet Sacerdos in quavis adminiſtratione Sacramenti ad id cavendum graviter obligetur. Ob quam cauſam etiam in Sacramento Matrimonii dicam, Eccleſiam in Matrimoniis hæreticorum, contractis in locis, ubi Trid. eſt receptum, ſupplere defectum præſentiæ veri Parochi, ne innumera Sacramenta Matrimonii invalidè adminiſtrentur, & per meras fornicationes conſummentur.

§. V.

An & quando Moribundus licitè poſſit petere abſolutionem à quolibet Sacerdote, præſente proprio Sacerdote.

S V M M A R I V M.

167 *Ex oppoſita Sententia concedente in articulo mortis Juriſdictionem ſolùm conditionatam infertur, moribundum non habere liberam electionem Confeſſarii, ſed ſervare debere Ordinem inter Confeſſarios.*

198 *Ex noſtra autem Sententia infertur, atque ex Tridentino probatur libera electio Confeſſarii, cui etiam additur Authoritas S. Thomæ, & duplex alia ratio.*

199 *Atque hinc, aſſumpto etiam fundamento priùs ſtabilito, quòd Eccleſia suppleret defectum Juriſdictionis, ſi ea non daretur, ulteriùs infertur poteſtatem eligendi Confeſſarium eſſe moraliter certam.*

200 *Prædicta Libertas eligendi Confeſſarium, tum Jure Divino, tum Eccleſiaſtico conceſſa, requirit reſpectu Confeſſarii, affecti Cenſura non tolerata, gravem cauſam, illum eligendi.*

201 *Talem cauſam tamen non requirit reſpectu Confeſſarii non affecti cenſura, vel alio ſimili impedimento.*

197 Quæri adhuc poteſt, an etiam ſuppoſita veritate primæ Sententiæ, & Juriſdictione Univerſali ad validè abſolvendum quemvis moribundum à quibuſvis peccatis, hujuſmodi abſolutionem ipſe moribundus licitè petere poſſit à quolibet Sacerdote non impedito per Cenſuram non toleratam, vel hæreſin, ſchiſma, degradationem, aliudve hujuſmodi impedimentum Jure Eccleſiaſtico prohibens uſum Juriſdictionis. Ad hanc quæſtionem difficiliùs reſpondent Authores ſecundæ Sententiæ, quia negata Juriſdictione univerſali & illimitata in præſentia alterius Sacerdotis, habentis poteſtatem magis abſolutam, & independentem ab articulo mortis, vix permitere poterunt moribundo, ut abſolutionem petat ab alio Sacerdote, non habente ejuſmodi poteſtatem. Ideo Vaſq. *q. 39. art. 1. dub. 4. num. 18.* putat obſervandum hunc Ordinem inter Sacerdotes, primò ut deficiente Sacerdote, qui habet Juriſdictionem, priùs eligatur, qui in Examine approbatus eſt, etiamſi Juriſdictionem aliàs nondum habeat. Secundò hoc deficiente eligatur non approbatus, non excommunicatus. Tertiò in hujus defectum Excommunicatus Catholicus, quamvis non toleratus: cui tamen præferendus eſſet toleratus. Quartò denique omnibus deficientibus Sacerdos hæreticus à vero Epiſcopo ritè ordinatus. Idem tenet Suar. *diſp. 26. ſect. 4. num. 4.* Quem tamen *diſp. 30. ſect. 3. n. 5.* aſſerentem, quòd in præſentia Sacerdotis, habentis poteſtatem delegatam à Summo Pontifice in peccata reſervata, moribundus poſſit confiteri ſuo Ordinario, ſive Parocho non habenti poteſtatem in reſervata, meritò impugnat Lugo *diſp. 18. num. 34.* & immeritò defendit Tan. *l. c. n. 67.* Hoc ipſo enim, quia tunc ceſſat neceſſitas confitendi non habenti Juriſdictionem, Suarez inconſequenter ad ſuam doctrinam hoc aſſerit, motus hac ratione, quòd alter Sacerdos habeat ſuam poteſtatem delegatam ex privilegio, nemo autem teneatur uti privilegio. Nam hæc ratio ſupponit falſum, quia licèt Sacerdos habeat poteſtatem abſolvendi per privilegium, & forſan poſſit nolle eo uti propter aliquam juſtam cauſam, tamen moribundus non habet privilegium confitendi alteri non habenti Juriſdictionem in reſervata, ſi habeat ipſe peccata reſervata, & adſit Sacerdos, qui poſſit & velit uti poteſtate delegata. Deinde, ut de privilegiis alibi dictum eſt, etiamſi ex vi Conceſſionis & directè nemo teneatur uti ſuo privilegio, indirectè tamen, quando hoc eſt remotio impedimenti excuſantis ab obligatione alterius Legis, tenetur quis uti ſuo privilegio. Sic Sacerdos, qui haberet privilegium faciendi Sacrum in loco interdicto, teneretur facere Sacrum die feſto, ſi aliàs non poſſet audire miſſam: quia reſpectu ipſius eſt remotum impedimentum impotentiæ.

198 Faciliùs reſpondent ad propoſitam quæſtionem Authores ſuprà relati pro aſſertione Juriſdictionis Univerſalis in articulo mortis ex Jure Divino. Hi enim aſſerunt, hoc ipſo, quòd omnes Sacerdotes in illo articulo æqualiter polleant Juriſdictione, neque alia indigeant approbatione, vel Juriſdictionis Conceſſione, quemlibet Sacerdotem, reſpectu talis pœnitentis eſſe Ordinarium, ſicut Regulares, habentes poteſtatem delegatam à Summo Pontifice, etiam extra articulum mortis habentur veluti Ordinarii, ac proprii Sacerdotes. Suppoſitum autem ſuæ Reſponſionis probant iſti Authores ex eodem Textu Tridentini, ex quo à contraria ſententia maximè impugnantur. *Nam per hæc verba: In Eccleſia DEI cuſtoditum ſemper fuit.* Omnes fatentur indicari, Juriſdictionem Univerſalem pro articulo mortis profluxiſſe à tempore Chriſti & Apoſtolorum: & quia Tridentinum non dicit, ab Eccleſia

DEI

DEI ſtatutum, ordinatum, vel diſpoſitum ſemper fuit; ſed *cuſtoditum*, quod paſſim in Sacra Scriptura ſignificat obedientiam præſtitam Divinis præceptis, prout ipſe Chriſtus ait: *Beati, qui audiunt Verbum DEI, & cuſtodiunt illud:* ideo colligunt, indicari Eccleſiaſticam obſervantiam ab ipſo Chriſto inſtitutæ, & annexæ Juriſdictionis Ordini Presbyterali pro articulo Mortis. Cui argumento videtur etiam favere S. Thomas 4. *diſt.* 20. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 2. Ubi Juriſdictionem tantùm aſſerit, ab Eccleſiæ Conceſſione pendere extra articulum Mortis, in mortis verò articulo ceſſare Juriſdictionis reſtrictionem, & hoc ipſo dari Univerſalem Juriſdictionem, cujus uſus erat reſtrictus, ſive nunquam abſolutè conceſſus, niſi pro articulo mortis.

Verba S. Doctoris ſunt. *Dicendum, quòd quilibet Sacerdos, quantùm eſt de virtute Clavium, habet poteſtatem indifferenter in omnes, & quantùm ad omnia peccata. Sed quòd non poſſit omnes ab omnibus peccatis abſolvere, hoc eſt, quia per Ordinationem Eccleſiæ habet Juriſdictionem limitatam, vel omnino nullam habet. Sed quia neceſſitas Legem non habet; ideo quando articulus neceſſitatis imminet, per Eccleſiæ Ordinationem non impeditur, quin abſolvere poſſit*, (non dicit S. Doctor. Per Eccleſiæ Ordinationem ipſi conceditur, ut abſolvere poſſit: ſed non impeditur ab eo, quod jam habet ex virtute Clavium) *ex quo habet Claves etiam Sacramentaliter, & tantum conſequitur ex abſolutione alterius* (pro illo tempore, ita ut periculo mortis ceſſante redeat obligatio ſiſtendi ſe Superiori ratione cenſuræ extra articulum mortis ſub pœna reincidentiæ reſervatæ) *ſicut ſi à proprio Sacerdote abſolveretur: nec ſolùm à peccatis poteſt tunc à quolibet Sacerdote abſolvi, ſed etiam ab Excommunicatione, à quocunque ſit lata: quia hæc abſolutio etiam ad Juriſdictionem pertinet, quæ per Legem Ordinationi Eccleſiæ coarctatur.* Unde rurſum citati AA. ex eodem textu S. Thomæ confirmant ſuam Sententiam, quem Suar. *diſp.* 26. *ſect.* 4. *n.* 7. illis opponit, qui *diſp.* 31. *ſect.* 3. *num.* 3. & ipſe dubitat de Veritate ſuæ ſententiæ.

Probant ſecundò. Reſervatio Juriſdictionis in articulo mortis eſſet potiùs in deſtructionem, quàm in ædificationem fidelium, ejuſque reſervationis poteſtas non ſerviret Eccleſiæ ad bonam gubernationem, quæ ſufficienter obtinetur per poteſtatem impediendi Juriſdictionem uſque ad articulum mortis, & obligandi in articulo mortis abſolutum, ut periculo ereptus ratione Cenſuræ ſe ſiſtat Superiori, etiam in foro externo abſolvendum. Ergo non alia poteſtas cenſenda eſt, fuiſſe à Chriſto Eccleſiæ collata.

Probant tertiò paritate Baptiſmi. Sicut Chriſtus Baptiſmum propter ſummam & univerſalem ſuam neceſſitatem ita inſtituit, ut ex elemento aquæ, facilimè parabili, à quovis homine validè conferri poſſet, ita Sacramentum pœnitentiæ, ratione actus Judicialis, ſupponens Juriſdictionem, & omnibus poſt Baptiſmum graviter relapſis ſummè neceſſarium, ita inſtituit, ut in caſu Extremæ neceſſitatis validè adeoque cum debita Juriſdictione conferri poſſet ab omni homine habente poteſtatem Clavium per Ordinem Presbyterii. Hæc enim paritas eſt rationabilis, & fundatur in neceſſitate, ergo eſt admittenda. Ideo quando Eccleſia in Reſervatione peccatorum & cenſurarum ſignatè & expreſsè ſolet excipere, & in ſuprà citatis Capitulis excipit articulum mortis, dicunt hi Authores, id non propterea fieri, ut per hanc exceptionẽ conferatur pro Articulo Mortis Juriſdictio; ſed ne Eccleſia videatur ſibi velle arrogare poteſtatem reſervandi Juriſdictionem etiam pro illo Articulo: & ut declaret, quòd ſive habeat, ſive non habeat iſtam poteſtatem, de quo pręſcindit, ipſa tamen nolit ſuam reſervationem extendere ad articulum Mortis: & ſic velit tollere omnem ſcrupulum ac dubitationem de valore abſolutionis.

199 Quia itaque prędicti Doctores commodè reſpondent ad Eccleſię conſuetam exceptionem articuli mortis, & ad textum Tridentini, quę duo ſunt pręcipua fundamenta contrarię ſententię, ob quę iſtius Sectatores ſuam ſententiam tantùm dicunt probabiliorem & communiorem, & conſequenter oppoſitam fatentur probabilem; idcirco placuit oſtendere ejus probabilitatem: ut ex duplici probabilitate Juriſdictionis univerſalis & abſolutę tum ex Jure Divino, tum ex Jure Eccleſiaſtico ad minimum conceſſę, moraliter certa redderetur licentia, in articulo mortis è quovis Sacerdote petendę, & dandę abſolutionis, certò ab Eccleſia ratificandę, ac ſupplendę, ſi fortè utriuſque probabilitatis rationes fallerent: ob cujus ſuppletionis ſaltem moralem certitudinem etiam illi Authores, qui limitatam tantùm & conditionatam Juriſdictionem concedunt, fatentur, quòd modò probabile ſit, Superiorem Confeſſarium non poſſe conveniri, vel expectari, Sacerdos inferior non debeat ſibi ſcrupulum vel dubium movere, ſi moribundum abſolvat, ne is ſaltem aliquali periculo ſalutis per dilationem exponatur.

Quòd verò Juris Divini Patroni reſponderunt ad propoſitam quæſtionem, id etiam reſpondent, qui memoratam Juriſdictionem univerſalem, & independentem ab abſentia alterius Sacerdotis ex Jure Eccleſiaſtico, ab Eccleſia Dei ſemper cuſtodito, defendunt. Sive enim hæc Juriſdictio ſit ex Jure Divino, ſive Eccleſiaſtico, ſi tamen eſt Univerſalis, & æqualis in omnibus Sacerdotibus, tunc moribundo licet petere abſolutionem à quolibet, & cuilibet Sacerdoti licet eam dare, niſi is, ut dictum eſt, & teſte Tanner. *num.* 68. Doctores communiter tradunt, ratione cenſuræ non toleratæ, hæreſis, Schiſmatis &c. aliunde prohibeatur, & deſit neceſſitas, vel graviſſima cauſa ex parte moribundi illum eligendi, ſine qua neque huic liceret communicare, præſertim in ſpiritualibus, cum Sacerdote ab Eccleſia præciſo. Quo in caſu tamen quoad alios Sacerdotes, non ſimiliter præciſos, etiamſi teſte Tan. *num.* 63. Suadendum ſit, ut, niſi alia ratio obſtet, ex Suar. & Vaſq. relatus Ordo Sacerdotum obſervetur, (præſertim quando in periculo mortis conſtitutus habet peccata, ſub pœna reincidentiæ in cenſuram reſervata, & ſine magna difficultate haberi poſſet Sacerdos Superior, vel delegatus, potens etiam abſolvere ab obligatione ſe poſtea ſiſtendi ei, qui talem cenſuram inflixit) negat idem Tan. *n.* 66. ab alio, quàm à ſolo Suar. & Vaſq. illius ordinis ſervandi gravem obligationem imponi, quia (inquit ille) *non ſatis Jure vel ratione probatur; maximè quia ſcrupuloſus ille delectus, ſi neceſſitate Sacramenti neceſſarius eſſet, facilè poſſet in periculum animarum cedere.* 200

201 Dices. Saltem quando nulla talis cauſa ex parte moribundi adeſt, propter quam in præſentia Sacerdotis, Ordinariam vel delegatam Juriſdictionem habentis, alteri eſt conceſſa Juriſdictio pro articulo mortis, hoc ipſo ceſſat talis conceſſio; quia ceſſante cauſa ceſſat effectus. *Reſp.* negando illatum, quia Juriſdictio eſt univerſaliter conceſſa non propter neceſſitatem particularem hujus vel illius moribundi, ſed propter neceſſitatem univerſalem, ſive propter periculum univerſale, ne frequenter aliquis periret, ſi non daretur univerſalis Juriſdictio. Sic quando propter univerſalem neceſſitatem e. g. propter caritatem annonæ, & multitudinem pauperum univerſaliter diſpenſatur in Lege Verni Jejunii, etiam divites, & frumento abundantes, reſpectu quorum in particulari ceſſat ratio diſpenſationis, gaudent eadem diſpenſatione: & ſic ſuprà de moribundis diximus, licitum illis eſſe non jejunis communicare, etiam poſtquam priori die, ſacro viatico recepto, illorum neceſſitati jam fuerat proviſum.

§. VI.

De Iuriſdictione extra articulum Mortis.

SUMMARIUM.

202 *Quibus extra articulum mortis competat Juriſdictio Ordinaria, & in quos pœnitentes.*

203 *Quinam poſſint ſuam Juriſdictionem delegare, vel ſubdelegare.*

204 *Delegatio poteſt fieri expreſſo, vel tacito, non autem merè præſumpto conſenſu delegantis. Obtineri etiam poteſt Juriſdictio, legitimè præſcripta conſuetudine.*

Extra articulum Mortis conferendi abſolutionem Sacerdos ordinariam juriſdictionem accipit collatione beneficii curati, ſic Pontifex univerſalem Juriſdictionem habet in omnes fideles, Epiſcopus verò, vel Paro- 202

Parochus in habentes domicilium eodem Epiſcopatu, vel Parochia, & ſecundùm probabiliorem ſententiam, etiam in habentes diuturnam reſidentiam, ita ut his omnia Sacramenta excepto Sacramento Ordinis, validè & licitè adminiſtrare poſſit, etiamſi alibi fixum domicilium habeant, ut ſtudioſi & mercatores, quòd etiam de vagis, id eſt, nullibi ſtabiliter commorantibus dicendum: imò prædicti omnes extra proprium domicilium verſantes, uti etiam peregrini, ſeu advenæ, & iter agentes ex conſueta Pontificis & Eccleſiæ permiſſione teſte Palao, *pun.* 13. *n.* 12. probabiliter, & juxta communem praxin extra tempus paſchale certò poſſunt in ordine ad Sacramenta Euchariſtiæ, & pœnitentiæ ſuſcipienda ſe ſubiicere cuivs Sacerdoti, in loco, ubi is in ſtabiliter ſubditos juriſdictione gaudet.

203 Cæterùm illi, qui ex officio juriſdictionem ordinariam adepti ſunt, poſſunt eam in Ordine ad ſuos ſubditos delegare cuivis alteri Sacerdoti, nulla cenſura impedito, modò is, qui non habet poteſtatem dandi approbationem v. g. Parochus eam non deleget Sacerdoti non approbato; quia approbatio ad valorem juriſdictionis, & abſolutionis omnino eſt neceſſaria. Qui verò juriſdictionem delegatam acceperunt, eam aliis ſubdelegare communiter non poſſunt, cùm ipſam ſolùm in uſum proprium acceperint, niſi forſan delegata juriſdictio alicui officio perpetuò annexa, & quaſi ordinaria facta ſit, vel vicariam officii adminiſtrationem ad tempus v. g. ad quindecim dies, ut inquit Lugo *diſp.* 19. *num.* 16. quiſpiam ſuſceperit, tunc enim partem ſuæ juriſdictionis alteri committere, & quaſi in Socium, & cooperatorem adſcribere liceret, quam poteſtatem ex recepta praxi teſte Tannero *diſp.* 6. *quæſt.* 9. *dub.* 3. *n.* 48. habet Summus Pœnitentiarius, & Generalis Vicarius Papæ, Proviſor, aut generalis vicarius Epiſcopi, Archipresbyter Eccleſiæ Cathedralis, Vicarius Parochiæ ab Epiſcopo conſtitutus, (non autem Vicarius Parochi præſentis) Legatus, aut Nuntius Apoſtolicus, Vicarius Prælati Regularis abſentis, habentis alioqui ordinariam juriſdictionem, ut Abbatis, Generalis Provincialis, Rectoris, ſeu Præpoſiti Collegii, aut Monaſterii, Viſitator Religionis, ſinguli reſpectu ſuorum ſubditorum, quia, ut inquit citatus auctor, omnes cenſentur ordinarii, ſed quaſi extraordinariè. Econtra regulares delegati ad Confeſſiones ſæcularium excipiendas, non poſſunt hanc facultatem ſubdelegare, ſicut nec Confeſſarii conventuum Religioſorum, in quibus ſolus Superior cenſetur ordinarius.

204 Delegatur autem juriſdictio 1. expreſſo, vel tacito, non tamen merè præſumpto conſenſu illius, qui eam poteſt delegare, ſive hoc fiat immediatè dando poteſtatem Confeſſario audiendi pœnitentem, ſive pœnitenti dando poteſtatem eligendi ſibi Confeſſarium approbatum, quam apud Tannerum *l. c. n.* 54. & 58. ex conſuetudine, & tacito conſenſu Ordinariorum, habent perſonæ Principes utriuſque ſexus, & omnes Sacerdotes ſæculares, vel per conſenſum ordinariam juriſdictionem obtinentis acceperunt.

Dixi tamen: *non merè præſumptio:* quia præſumptio nihil aliud eſt, quàm judicium, quòd alter daturus eſſet conſenſum, ſi peteretur, vel quòd ratificaturus ſit actionem dependentem ab alterius conſenſu: per hoc judicium tamen non ponitur actu conſenſus, & ideo ſufficit quidem ad actionem licitam, quando ad illius valorem conſenſus non requiritur, non verò validam reddendam de præſenti, ſi conſenſus ad valorem actionis requiratur, prout requiritur ut quis nomine habentis juriſdictionem ordinariam Matrimonio aſſiſtere, vel pœnitentiam adminiſtrare validè poſſit; unde licet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, extremam unctionem, & Ordinem ex conſenſu pręſumpto habentis juriſdictionem conferre quis poſſit, cùm iſte non ad valorem, ſed ad licentiam in pręḋictis Sacramentis requiratur, aliter tamen ſe res habet in Matrimonio & Pœnitentia, quę quando ſuſcipiuntur, debent jam eſſe valida de præſenti, & conſequenter conſenſum de pręſenti exigunt, nec ſufficit judicium, quòd conſenſus eſſet, vel aliquando ſit exciturus.

2. Delegatur juriſdictio ex conſuetudine legitimè pręſcripta, quam ſuprà adduximus pro venialibus ac mortalibus jam Confeſſione expiatis. Quando verò *in cap.* 2. *de Pœnitentiis in* 6. dicitur, *Nulla poſſe conſuetudine introduci, ut aliquis præter ſui Superioris licentia Confeſſarium ſibi eligere valeat, qui eum poſſit ſolvere vel ligare*, id de conſuetudine, non habente conditiones legitimę pręſcriptionis, intelligendum eſt, teſte Palao *pun.* 14. *n.* 2.

ARTICULUS III.

De Miniſtro idoneo ad abſolvendam à reſervatis.

§. I.

Qualia peccata, & à quibus de facto reſerventur.

SUMMARIUM.

205 *Quibus competat poteſtas reſervandi peccata.*
206 *Peccata Venialia, & mortalia merè interna non ſolent reſervari.*
207 *Etiamſi Summo Pontifici nulla peccata ſint reſervata, niſi ſint annexa cenſura reſervata, reſervatio tamen non ſolùm afficit cenſuram, ſed ipſa etiam peccata.*
208 *Quænam peccata Epiſcopis ſint reſervata.*
209 *Quænam Prælatis Regularibus per Conſtitutionem Clementis VIII. poſſint eſſe, & de facto in Societate noſtra ſint reſervata.*

Triplicis generis peccata ſunt reſervata; alia quippe ſoli ſupremo Pontifici, aut quibus is poteſtatem ſuam delegare voluerit, alia Epiſcopo Diœceſis, vel Abbatibus quibuſdam, quaſi Epiſcopali juriſdictione gaudentibus, alia Prælatis Regularibus circa ſuos ſubditos reſervata ſunt. Parochis verò communiter negatur poteſtas reſervandi peccata ſuorum Parochianorum, quia hæc juriſdictioni in foro externo, quo Parochi carent, cenſetur annexa; cùm reſervatio propter gubernationem extrinſecam introducta ſit, & præterea eorum cooperatores cum officio etiam juriſdictionem in foro interno communiter ab Epiſcopis accipiant, à Parochis deinde illimitabilem. Quòd ſi tamen aliquis Parochus alicui Sacerdoti nullam aliam juriſdictionem ab Epiſcopo accipienti ſuam delegaret, omnino cum Suarez *diſp.* 29. *ſect.* 1. *n.* 4. concedendum videtur, quòd poſſet ſolummodo partialem concedere. 205

Cæterùm quoad peccata, quæ de facto reſervari ſolent, ſciendum eſt, venialia non ſolere reſervatione gravari, eò quòd ad pœnitentiæ tribunal non neceſſariò afferantur, quamvis ſuppoſita ſententia, quòd juriſdictio illorum non à jure Divino, ſed humano concedatur, & quòd ad abſolutionem illorum Sacramentalem ſit neceſsaria juriſdictio, quorum utrumque communiùs conceditur, teſtatur Suar. *diſp.* 29. *ſect.* 3. *n.* 2. & plures alii, eandem etiam negari poſse, idemque aſſerunt circa mortalia, jam per Confeſſionem deleta, quę etiam de facto nunquam negatur, niſi, ut ſuprà ex communi ſententia dictum eſt, iis Sacerdotibus, quibus per cenſuram non toleratam omnis juriſdictio, tam in foro interno, quàm externo adimitur, ut nullum actum juriſdictionis validè exercere poſſint. Præterea neque reſervantur peccata merè interna, quia rectæ gubernationi externæ, quam poteſtate reſervandi prædicti maximè ſpectant, minùs videntur obeſse, licèt ſecundùm communiorem ſententiam horum quoq; juriſdictio adimi poſset, non obſtante, quòd nequeant præcipi ab Eccleſia actus merè interni ſine externis. Summò Pontifici de facto etiam nulla reſervantur peccata externa, niſi annexam habeant cenſuram. 206

Ex quo tamen non ſequitur, quòd Reſervatio afficiat ſolam Cenſuram, ut quidem putarunt Durandus, Cajetanus, Navarrus, Ruardus apud Tan. *diſp.* 6. *quæſt.* 9. *dub.* 4. *n.* 77. Quia Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. expreſsè inquit. *Hanc Delictorum Reſervationem, conſonum eſt Divinæ Authoritati, non ſolùm coram externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere.* Et paulò antè dictum fuerat, poteſtatem illum Epiſcopis competere præcipuè, *quoad illa Crimina, quibus Excommunicationis cenſura annexa eſt.* Ergo hæc 207

hæc ſimul & immediatè afficiuntur reſervatione, vim habente ligandi coram Deo, & Excommunicatione pariter reſervata. Aliàs ſi non ipſa delicta & crimina eſſent reſervata, abſolutio poſſet obtineri directa per inferiorem Confeſſarium, ſi quis per ignorantiam defectus ex parte Confeſſarii, quem crediderat habere poteſtatem delegatam, illam bona fide acciperet, quantumvis ipſe eam mala fide aut per ſimilem ignorantiam poteſtatis deficientis; neque probabiliter creditæ, daret: quia abſolutio à cenſura non deberet præſupponi ad validè, ſed tantùm ad licitè dandam abſolutionem. Conſequens autem communiter negatur, ut videre eſt apud Laym. *lib. 5. tr. 6. c.* 12. Suarez *diſp. 29. ſect. 2. n.* 8. Coninck. *diſp.* 8. *dub.* 11. *num.* 83. Quando ergo communiter dicitur, quòd Summo Pontifici de facto nulla reſerventur peccata, niſi annexam habeant cenſuram, ſenſus eſt; Quòd Pontifex reſervet ſibi quidem certa peccata, ſed tantùm ea, & tamdiu, quæ, & quamdiu habent ſibi annexam cenſuram. Unde quidem concedi poteſt Adverſariis, quòd qui eſt extra Confeſſionem Sacramentalem abſolutus à Cenſura per Pontificem, vel per delegatum, poſſit ab inferiore Confeſſario abſolvi Sacramentaliter à peccato, non quia peccatum non fuit immediatè reſervatum, ſed quia abſolvens à cenſura ſuſtulit reſervationem peccati, quæ à cenſura tanquam à conditione dependet, & non aliter decernitur à Pontifice, quàm quatenus ſimul incurritur, & necdum remittitur cenſura. Et ſic Ignorantia, quæ aliàs probabiliùs non excuſaret à reſervatione peccati, in peccatis Pontifici reſervatis excuſat: quia excuſat à cenſura, quæ niſi incurratur, non incurritur reſervatio peccati. Quæ omnia bene notavit Laym. *l. c. n.* 2. Quæ autem peccata intra vel extra Bullam Cœnæ reſervata ſint, dicam in tract. de Cenſuris tit. de Excommunicatione.

208 Loquendo nunc de peccatis Epiſcopis Diœceſium reſervatis, multi putant, quædam peccata Jure communi reſervari, verius tamen eſt, inquit Filliucius *tom.* 1. *tr.* 7. *in Inſtruct. Confeſſar. capit.* 2. *art.* 5. §. 1. *in prin.* Suarez *diſp. 29. ſect. 3. n. 6.* nec improbat Tannerus *diſp. 6. q. 9. num.* 82. nulla directè (bene tamen indirectè per Juriſdictionem in certos caſus Papales ipſis delegatam) reſervata eſſe ſecluſa conſuetudine, ex qua quænam ſint reſervata, partim dicitur in Extravagante *Inter cunctas de Privilegiis*, ubi referuntur homicidium voluntarium, falſatio, violatio immunitatis, ac libertatis Eccleſiaſticæ, Sortilegium: partim conſtat ex particularium Diœceſium Ritualibus, ac Conſtitutionibus. Alia verò peccata, quæ tanquam ex Jure communi Epiſcopis reſervata enumerantur, in cit. Extra vag. *Inter cunctas*, & Extra vag. *Super cathedram de Sepulturis* revocata ſunt à Clementina *Dudum: de Sepulturis*.

209 A Prælatis regularibus ſecundùm conſtitutionem Clementis VIII. ſequentia peccata reſervari poſſunt, & de facto in noſtra Societate reſervata ſunt. 1. Veneficia, Incantationes, Sortilegia. 2. Apoſtaſia à Religione, ſive habitu dimiſſo, ſive retento, quando eò pervenit, ut extra ſepta monaſterii, ſeu conventus fiat. 3. Nocturna, ac furtiva ex Monaſterio ſeu conventu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. 5. Juramentum falſum in judicio legitimo. 6. Procuratio, Conſilium, auxilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto. 7. Falſificatio manus, ſeu Sigilli Officialium Monaſterii, ſeu conventus. 8. Furtum de rebus Monaſterii, ſeu conventus, in ea quantitate, quæ ſufficiat ad peccatum mortale. 9. Lapſus carnis opere conſummatus. 10. Occiſio, vulneratio, aut gravis percuſſio cujuſcunque perſonæ. 11. Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores. Deinde ſubjungitur in dicta conſtitutione, ſi quod aliud præterea peccatum grave pro Religionis conſervatione, aut pro conſcientiæ ſecuritate reſervandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto ordine, aut Provincialis in Provincia matura diſcuſſione & conſenſu, de qua re conſulendæ ſunt etiam propriæ cujuſque Religionis Leges, ac privilegia. Caſus prædicti memoriæ cauſa his verſibus comprehenduntur.

Sortilegus, proprius, nocturnus, apoſtata, furtum.
Luxurians lædens, falſarius impediensque.
Scribentem ad patrem monachum, perjurus, abortus.

§. II.

Quomodo peccata reſervata dimittantur.

SUMMARIUM.

210 *Abſolutio Confeſſarii, habentis Juriſdictionem abſolutam in peccata & cenſuras reſervatas, tollit omnes cenſuras, & Reſervationem quorumvis peccatorum, etiam per oblivionem graviter inculpabilem omiſſorum in Confeſſione. Quomodo & quibus Conditionibus conferenda ſit abſolutio à certis gravioribus criminibus, cenſura & Reſervatione affectis.*

211 *Quomodo conferenda ſit abſolutio ad reincidentiam, præſertim in mortis articulo.*

212 *Quid agere debeat Confeſſarius, nequiens abſolvere à reſervatis.*

DE Abſolutione à peccatis reſervatis loquendum 210
eſt cum diſtinctione; vel enim Confeſſarius habet Juriſdictionem abſolvendi ſimpliciter, & abſolutè à peccatis reſervatis, & eorum cenſuris, vel tantùm ſub modo, ſeu ad reincidentiam, ut vocant, vel neutram habet Juriſdictionem. Si primum, abſolvat pœnitentem juxta formam, & Ordinem à Jure præſcriptum, nimirum priùs à cenſura excommunicationis, quàm à peccatis, quia per priorem abſolutionem debet diſponi, ut licitè recipiat poſteriorem; hinc ſemper quando Confeſſarii à peccatis abſolvunt, ſolent præmittere abſolutionem univerſalem à cenſuris, etiamſi nulla in pœnitente agnoſcatur, dicentes: *Ego te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis & interdicti, quantum poſſum, & tu indiges:* nam abſolutio à cenſuris, etiam tollit eas, quæ ſaltem ſine gravi culpa pœnitentis, Confeſſario ignotæ ſunt: hinc ſi quis haberet poteſtatem abſolvendi à peccatis, & cenſuris reſervatis, & pœnitens in Confeſſione eidem facta oblitus eſſet peccati, cenſura reſervata gravati, non tantùm abſolutus eſſet à reſervatione peccati, ſed etiam à cenſura, ut adeoque propter hanc non denuo ad eundem Confeſſarium recurrere deberet, ſed poſſet cuilibet alteri Confeſſario peccatum ex oblivione reticitum aperire, & ab eo directè abſolvi, ſublata jam omni excommunicatione.

Cæterùm ad formam abſolvendi à Jure præſcriptam adhuc duo requiruntur juxta *cap. Ex tenore, & cap. De Cætero de Sentent. excomm.* In primis, ut in gravibus delictis v. g. Incendii, percuſſionis Clerici, & in iis, quæ in Bulla Cœnæ continentur, Confeſſarius à pœnitente (niſi adhuc impubes ſit) exigat promiſſionem juratam parendi mandatis Eccleſiæ, id eſt, non committendi rurſus tale peccatum: deinde ut etiam dicitur *in cap. Porro & cap. Parochianos de Sent. excommun.* ſi cenſura propter læſionem alicujus juris inflicta eſt, præmitti debet ſatisfactio parti læſæ, ſi ea ante abſolutionem præſtari poteſt, & remiſſa non ſit, aliàs juxta communiorem ſententiam apud Palao *de Cenſuris diſp. 1. punct.* 11. §. 3. *n.* 6. invalida eſt abſolutio collata ab habente Juriſdictionem tantùm delegatam, vel ſaltem illicita, ut Palao & Tanner. *Diſp. 6. quæſt.* 10. *num.* 127. ac aliorum mitior eſt opinio: deducta ex cap. *Nuper de Sent. excommun. & cap. Venerabilibus eodem in 6.* ſi autem ante non poſſit præſtari, exigi debet cautio pignoratitia, vel fidejuſſoria, aut, ſi hanc exigere non poſſit, juratoria, quamvis ſi pœnitens dicto modo ſimpliciter abſolutus, poſtea non ſervet promiſſa, non reincidat in cenſuram, ut ex Covarr. Saà, Henriq. tradit Tan. *loc. cit.*

Si ſecundum: nempè ſi Confeſſarius tantùm Juriſdi- 211
ctionem habeat abſolvendi à cenſuris ſub modo, ſeu ad reincidentiam, ut quivis Sacerdos habet, cùm pœnitens eſt in mortis periculo, tunc quando fieri poteſt, etiam juxta prædictam formam debet abſolvere; & inſuper ſub pœna reincidentiæ in eandem cenſuram obligare pœnitentem, (probabiliter tamen Teſte Tamb. *lib. 3. de Exped. Confeſſ. cap. 6.* abſque poſtulato juramento, niſi

niſi ſit gravis percuſſor clerici) quòd ſuperato mortis periculo juxta Conſtitutionem *c. Ea noſcitur, de Sentent. excommun.* & *cap. Eos qui, eodem in 6.* niſi alio ſtabili impedimento v. g. ſenio laboret, ſe velit ſiſtere ſuperiori, ut ab eo ſimpliciter & abſolutè ab excommunicationis cenſura abſolvatur, ſi eidem peccato annexa fuerit; nam aliàs, ut ſuprà dixi, nulla eſſet obligatio ſe ſiſtendi, quia à peccato reſervato ſimpliciter, & abſque hujuſmodi onere abſolvitur. Dixi tamen, *Quando fieri poteſt:* nam ſi mortis imminentis neceſſitas urgeret, ſacerdos moriturum quibusvis cenſuris, & peccatis onuſtum, hac breviſſima forma rectè abſolvet, dicendo: *Ego te abſolvo à cenſuris, & peccatis tuis in nomine Patris &c.* Verùm pœnitens ſive propter mortis metum, ſive alia ex cauſa, abſque forma, jure præſcripta abſolutus, ſi reconvaluerit, ſub pœna reincidentiæ in cenſuram, tenetur omnia prædicta præſtare, nempè ſe ſiſtere ſuperiori, parere mandatis Eccleſiæ, & parti læſæ ſatisfacere.

212 Si tertium, nempè confeſſarius nullam habet juriſdictionem in peccata, & cenſuras reſervatas, & ſi, ut ſuperiùs diximus, confitendi, & à peccatis non reſervatis abſolutionem obtinendi neceſſitas cogit, pœnitentem abſolvat cum onere, abſolutionem directam à peccatis & cenſuris reſervatis petendi ab alio, habente etiam in hæc plenam juriſdictionem: quòd ſi verò neque neceſſitas cogeret, neque alia cauſa, ex alibi recenſitis, nequaquam liceret etiam à non reſervatis abſolvere, ſed mittendus eſſet pœnitens ad aliquem, qui directè poſſet à reſervatis abſolvere.

§. III.

An quo peccata reſervata per Ordinariam vel Delegatam poteſtatem dimitti poſſint.

S U M M A R I U M.

213 *Quis habeat poteſtatem Ordinariam abſolvendi à reſervatis peccatis.*

214 *Neque Epiſcopi poſſunt ordinariè abſolvere à peccatis in Bulla Cœnæ reſervatis, quantumvis occultis.*

215 *Poſſunt tamen, ſi pœnitens laboret impedimento perpetuo eundi Romam: imò etiam, ſi diuturno, ſed tunc tantùm ad reincidentiam.*

216 *Hujuſmodi impedimenta perpetua vel diuturna plura enumerantur, & explicantur.*

217 *Dicta impedimenta, ſi etiam acceſſum ad Epiſcopum, & Vicarium ejus impediant, ſufficiunt ad tribuendam Juriſdictionem ſimplici Sacerdoti.*

218 *Neque poteſt huic poteſtati opponi Tridentinum.*

219 *Si autem impedimentum neque ſit perpetuum, neque diuturnum, non ſufficit alia neceſſitas.*

220 *Qualis poteſtas abſolvendi à reſervatis Summo Pontifici, ab eodem delegata ſit Religioſis Mendicantibus.*

221 *Quomodo per Bullam Cruciatæ, vel per Bullam Jubilæi delegetur poteſtas abſolvendi à reſervatis cuivis Sacerdoti approbato, etiamſi pœnitens deinde nequeat, vel negligat exequi cæteras conditiones priùs propoſitas.*

222 *Religioſi Mendicantes à peccatis, quæ Epiſcopi ſibi reſervarunt, ſine horum conſenſu nequeunt abſolvere. Ideo propoſitionem 12. contrariam prohibuit Alex. VII. Idem dicendum de privilegio Jubilæi, niſi in Bulla caſus etiam Epiſcopales exprimantur.*

213 ORdinariam autem poteſtatem abſolvendi à peccatis reſervatis habet 1. Qui reſervavit, niſi ſit aliunde inhabilis factus v. g. propter excommunicationem non toleratam; cæteræ enim excommunicationes non obſtant valori abſolutionis, ut ex Concilio Conſtantienſi colligit Tambur. *lib. 2. de Exped. Confeſſ. cap.* 10. §. 3. *n.* 50. 2. Reſervantis ſuperior v. g. Pontifex reſpectu Epiſcoporum & ſucceſſor illius. 3. Is, cui à ſuperiore peccatum reſervatum eſt v. g. ſi Pontifex Epiſcopo peccatum reſervavit. Quòd ſi autem ipſe Epiſcopus in tale peccatum incidat, vi poteſtatis Epiſcopo conceſſæ ejus confeſſarius poteſt illum abſolvere, quia *in cap. Finali de Pœnit. & Remiſſ.* videtur hoc directè conceſſum, alioquin eſſet pejoris conditionis, quàm ſubditi.

Delegatam poteſtatem haberent in primis omnes 214
Epiſcopi in peccata Pontifici reſervata, ſive occulta, ſive non publicè notoria, ſive, ut Tannerus *d. 6. q. 10. dub. 6. num.* 121. explicat, nondum ad forum contentioſum deducta ſint juxta Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. Quod Privilegium multi graves Doctores ante Alexandrum VII. aſſeruerant, non limitari à Bulla Cœnæ per exceptionem caſuum in illa reſervatorum, hæc tamen nunc eſt à dicto Pontifice prohibita ſententia, tertio loco his verbis poſita. *Sententia aſſerens Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare Facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno* 1629. 18. *Julii in Conſiſtorio S. Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt.*

Nec tamen ut contra Sylveſtrum rectè advertit Suar. 215
diſp. 30. *ſect.* 3. *num.* 9. prohibitione & exceptione hac limitatur alterum Epiſcoporum privilegium, ſive poteſtas à Summis Pontificibus delegata *in cap. Mulieres, cap. Quamvis, cap. de Cætero de ſent. Excom. & cap. Eos, qui tit. eod. in* 6. Vi cujus à peccato & cenſura Summo Pontifici reſervata, ex enormi percuſſione clerici contracta; & ob rationis paritatem, unanimi Doctorum aſſenſu, & conſuetudine approbatam, à quocunque peccato & Cenſura Pont. reſervata Epiſcopi abſolvere poſſunt omnes ſuos ſubditos, qui ratione impedimenti perpetui, aut diuturni non poſſunt ad Summum Pontificem accedere, cujuſmodi impedimenta cum obligatione priùs ſatisfaciendi, vel cautionem faciendi parti læſæ, ac cum promiſſione jurata, ceſſante impedimento ſe ſiſtendi Summo Pontifici, plura e. g. enumerantur *in cit. cap. Quamvis,* ut articulus mortis, infirmitas, Inimicitia (ob quam lethales inſidiæ timentur) inopia, puerilis vel ſenilis ætas, fragilitas ſexus (mulieres enim excuſantur à longa profectione) vel alia corporis impotentia, vel Canonicum impedimentum, qualia ſcil. in citatis SS. Canonibus & aliis hinc inde indicantur, & ferè his quatuor verſibus apud Dianam *p.* 9. *tract.* 4. *Reſolut.* 47. comprehenduntur.

Regula, Mos, Sexus, Hoſtis, Puer, Officialis.
Delicioſus, inops, ægerque, Senexque, Sodalis,
Ianitor, aſtrictus, dubius, cauſæ, levis ictus,
Debilis abſolvi ſine Summa ſede merentur.

Quæ impedimenta pleraque etiam refert S. Thomas 216
4 *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 5. *quæſt.* 1. & fuſiùs declarat Filliucius *to.* 1. *tr.* 15. *n.* 37. excuſantur enim ab acceſſu ad Summum Pontificem procul diſtantem.

1. Regulares utriuſque ſexus *cap. de Monialib. cap. Monachi & cap. Cùm illorum de Sententia Excom.* in quorum poſteriore additur ratio his verbis. *Nos autem in Religionis favorem, & ut evagandi materia ſubtrahatur, majorem eis gratiam exhibere volentes* &c. Ubi tamen hujus privilegii aliquot limitationes & exceptiones ſubiiciuntur. 2. Mortis ſibi ab hoſte ſtruendæ periculum metuentes. *capit. De cætero tit. eod.* 3. Mulieres *capit. Ea noſcitur, capit. Mulieres.* 4. Officiales, ſive officium exercentes publicum in bonum commune tam in civilibus, quàm in Eccleſiaſticis, nempè in cura animarum, à quo ſine gravi damno communitatis diu abeſſe non poſſunt: quod utique eſt juſta ac rationabilis cauſa, & conſequenter Canonicum impedimentum, approbatum *in Capit. De cætero. Capit. Quod de his. Capit. Quamvis.* 5. Nobiles & delicatæ itineri faciendo impares. *cap. Mulieres.* 6. Pauperes, (qui quidem propter *capit. Ea noſcitur de Sent. Excommunic.* non excipiuntur, ſi faciendis ſumptibus adhuc ſufficiant, nec contra ſtatum ſuum mendicare, vel alia gravia incommoda ſubire cogantur.) 7. Diu vel conſtanter Infirmi, Cœci, Claudi. 8. Pueri, quando tempore impubertatis peccarunt, quo tempore peccati malitia ex defectu prudêtiæ minor eſt, quàm ut cenſuram Summo Pontifici reſervatam mereatur, *cap. ſuper eo.* 1. *tit. eod. & cap. Quamvis & cap. Pueris. eod.* ideo etjam poſt obtentam pubertatem poſſunt ab illo

illo peccato per Epiſcopum abſolvi, à quo aliàs non poſſent, ſi tempore pubertatis fuiſſet commiſſum. 9. ſenes: quales à multis Doctoribus cenſentur ſexagenarii: qua ætate etiam vulgò dicitur incipere ſenium, & multi illos univerſaliter excuſant à Jejunio propter fragilitatem & inconſtantiam virium. 10. Per verbum *Sodalis* excuſantur clerici in commune viventes juxta *cap. Quoniam de Vita & honeſtate Cler.* niſi atrocitas facti mereatur privilegii exceptionem. 11. Janitores, qui turbam irruentem arcedo clericum ex quadam quidem malignitate, ſed non plus quàm mediocriter percuſſerunt. *cap. Si verò alicujus, de Sent. Excom.* 12. Adſtricti ſervitute vel patria poteſtate, ſi ex eorum diſceſſu domini vel patresfamilias grave damnum incurrant. *Cap. Relatum. tit. eodem.* 13. Dubii, an incurrerint cenſuram reſervatam. Cùm enim iſta ſit gravis pęna, non incurritur per reatum dubium, ut contra quoſdam apud Lugo *diſp.* 20. *num.* 17. tradunt communiter Doctores, quos numero ſequenti refert, & ſequitur idem Author. 14. Percutientes clericum vel ex cauſa juſtæ defenſionis, quod poteſt omni culpa vacare, vel ex cauſa indignationis ac doloris, cùm quis eo impulſus in clericum cum uxore, matre, ſorore, vel propria filia turpiter inventum manus injecerit violentas. *cit. cap. Si verò alicujus.* 15. Leviter, quantumvis cum peccato mortali, percutientes clericum. *cap. Pervenit. tit. cit.* 16. debiles, ſive valetudinarii, minùs firma valetudine utentes ad itineris moleſtias ſufferenda. *cap. Ea noſcitur*, ſæpius citato. Sub his impedimentis videntur ferè omnia reliqua contineri, generaliter expreſſa in capitulis pro quarto impedimento allegatis. Quæ tamen probabiliùs contra Henriq. & quoſdam alios ab ipſo relatos *lib. 12. de matrimonio cap. 3. num. 1. Lit. H.* Avilam *de Cenſuris 2. p. cap. 7. §. 1. dub. 6.* Dianam *p. 9. tract. 4. R. 42.* non excuſant, quò minus Epiſcopo ſit præferendus legatus, ſive Nuncius Apoſtolicus, ſi iſte commodè adiri poſſit, ut plures apud cit. Henriq. & Lugo *diſp. 20. num.* 220. docent. Quia id expreſsè habetur *in cap. Quod de his* ſuprà cit. Ubi per hæc verba: *Non aliter quàm per Sedem Apoſtolicam, vel ejus legatum abſolutionis poteſt Beneficium obtinere: niſi &c.* clarè indicatur, extra articulum mortis (in quo ſuprà oſtendimus, omnem reſervationem ceſſare propter ſolum articulum mortis, & non partialiter propter abſentiam ſacerdotis, habentis Juriſdictionem ordinariam vel delegatam) Epiſcopo ſolummodo concedi poteſtatem abſolvendi ſub hac conditione, quòd neque à Pontifice, neque ab ejus legato abſolutio haberi poſſet. Per legatum autem rectè intelligit Lugo l. c. quemcunque ſacerdotem habentem poteſtatem delegatam abſolvendi à Caſibus Summo Pontifici reſervatis, quia ſaltem ad illam cauſam eſt legatus Pontificis, in ordine ad quam habet Juriſdictionem delegatam: quem etiam Epiſcopo præferendum obſervat citatus Lugo contra Coninck *diſp. 14. dub. 16.* afferens aliam rationem ſuaſivam, quòd ad Epiſcopum plerumque ſit difficilis acceſſus, & quòd iſte non poſſit abſovere ab onere ſe ſiſtendi Pontifici, ceſſante impedimento, quod tamen poteſt legatus, & quivis poteſtatem delegatam, à prædictis impedimentis independentem.

217 An verò recenſitæ cauſæ, (quarum aliquæ ſunt perpetuæ, aliquæ ob criminis imminutionem faciunt, ut crimen non ſit reſervatum Papæ, ſed Epiſcopo concedatur Juriſdictio, aliquæ autem ſunt temporales, ita ut iis ceſſantibus detur iterum obligatio ſe ſiſtendi Pontifici) etiam ſufficiant, ut ſi quoque acceſſum ad Epiſcopum impediant, alius ſacerdos, qui nullam Juriſdictionem in foro externo habet, vi cujus nomine Epiſcopi ob poteſtatem quaſi Epiſcopalem veniat, adeoque an Parochus vel alius ſimplex ſacerdos, habens Juriſdictionem fori interni in pœnitentem, in hujuſmodi neceſſitatem illum à peccato & cenſura reſervata Pontifici, abſolvere queat extra articulum mortis, controverſum eſt inter Authores.

Negant Vaſq. *q. 91. art 3. dub. 9. num.* 26. qui tamen non ita expreſsè loquitur de Neceſſitate diuturnæ: Navarrus *in Manuali cap. 27. n. 90.* Lugo *diſp. 20. num.* 228. Affirmat Suar. *diſp. 30. ſect. 3. num.* 8. Tannerus *diſp. 6. q. 10. dub. 6. n.* 122. allegans Sotum *diſt. 22. q. 2. art. 3.* Sylv. *verbo Abſolutio 3. in fine & Abſolutio 4. num. 5.* Filliucius *to. 1. tract. 7. cap. 10. n.* 289. qui licèt numero ſequenti in contrarium alleget decretum Congregationis Cardinalium ſub Clemente VIII. ipſe tamen id explicat intelligendum eſſe, Salvo Jure communi; illius etiam alii Doctores communiter nullam faciunt mentionem, & patitur variam explicationem. Tamburinus *lib. 5. de Sacramentis c. 2. n 36.* Sporer *in Tyrocin. Sacram. p. 3. n.* 751. Palao *de Cenſuris diſp. 1. pu. 11. §. 5. n. 6.* Eandem ſententiam affirmativam ut probabilem admittunt Henriqu. *lib. 6. c. 9. n. 7.* Laymann *lib. 5. tr. 6. c. 12. in fine.* Saà apud citatum Tannerum, Dicaſtillo, Joannes præpoſitus, Diana proximè citandi.

Quæ etiam mihi probabilior videtur. Quia ex eodem Jure Communi, ob paritatem rationis ad concedendum Juriſdictionem Epiſcopis, ne pęnitens diu cogatur carere abſolutione directa, & uſu Sacramentorum reliquorum, cum aliquali etiam periculo interea moriendi ſine omni abſolutione, rectè præſumitur conceſſa ſimilis Juriſdictio: quæ etiam ſatis clarè probatur *ex Cap. Quod de his, de Sent. Excom.* Quod propter impedimentum canonicum concedit Juriſdictionem inferiori Confeſſario, non facta mentione Epiſcopi. *Et ex Cap. Nuper. tit. eod.* Ubi expreſsè dicitur de Excommunicato propter Communicationem in eodem crimine Pontifici reſervato. *Si difficile ſit ex aliqua juſta Cauſa, quòd ad ipſum Excommunicatorem abſolvendus accedat: concedimus indulgendo, ut præſtita juxta formam Eccleſiæ Cautione, quòd excommunicatoris mandato parebit, à ſuo abſolvatur Epiſcopo, vel proprio Sacerdote.* Idem expreſsè docet S. Thomas *4. diſt. 18. q. 2. art. 5. quæſt. 1.*

Neque obſtant verba Concilii Trid. *ſeſſ. 14. cap. 7. de Refor in Sacram. Pęnit.* Ubi cùm in ſolo mortis articulo dixiſſet ceſſare omnem reſervationem, mox addit. *Extra quem articulum Sacerdotes, cùm nihil poſſint in caſibus reſervatis, id unum pęnitentibus perſuadere nitantur, ut ad Superiores & legitimos Judices pro Beneficio abſolutionis accedant.* Nam ex his ultimis verbis patet, concilium loqui de eo caſu, in quo poſſibilis eſt acceſſus ad Superiores, aliàs per ſe inutilis eſſet hujuſmodi perſuaſio. 218

Neque etiam obſtat, quòd pleraque citata capitula tantùm transferant Juriſdictionem expreſsam in Epiſcopum. Nam paulò ante allegavi alia duo Capitula. Et licèt hæc allegari non poſſent, non propter denegandam Juriſdictionem ſimplici ſacerdoti facta eſſet mentio ſolius Epiſcopi; ſed propter continuandam reſervationem, quamdiu ſupereſt aliquis ſuperior ſubordinatus Pontifici, habens poteſtatem gubernativam etiam in foro externo; qui ſupponebatur plerumque adiri poſſe propter vicinam præſentiam: cujus acceſſum ſtabiliter impedito non opus erat expreſſis verbis ſimplici ſacerdoti concedere poteſtatem *Juriſdictionis* ſpecialem in reſervata: deficiente enim omni eo, cui fieret reſervatio, per ſe videbatur ſupponendum, nolle Pontificem ſubtrahere pœnitenti omne medium obtinendæ abſolutionis directæ à reſervatis, retenta tamen obligatione parendi Pontifici poſt ceſſationem impedimenti.

Hoc ipſo autem, quòd hæc ſententia ſit probabilis, 219
& quia licèt non eſſet vera, propter ejus tamen probabilitatem Eccleſia ſuppleret defectum Juriſdictionis, pœnitens, durante tali impedimento perpetuo, aut diuturno confitens alia peccata non reſervata, teneretur etiam confiteri peccata reſervata, non obſtante probabilitate contrariæ ſententię, negantis ſimplici ſacerdoti Juriſdictionem in reſervata: ſicut ſuprà de integritate materiali Confeſſionis diximus, pœnitentem teneri etiam manifeſtare illud peccatum, quo Confeſſarius venit in notitiam complicis, etiamſi multi aſſerant non teneri. Quandocunque enim ratio excuſans per oppoſitam probabilitatem licentiæ, & valoris amittit vim excuſandi ab integritate materiali confeſſionis, debet Confeſſio fieri cum integritate materiali. Atqui in præſenti caſu ratio excuſans à manifeſtatione peccatorum reſervatorum amittit vim excuſandi. Ergo &c

E contra, quia ſententia, extendens prædictam Juriſdictionem ad neceſſitatem confitendi ſimplici ſacerdoti etiam tantùm temporalem, & tranſeuntem, quamvis non ſit perpetua, nec diuturna, eſt planè improbabilis,

licèt

licèt illam probabilem aſſerant Joannes Præpoſitus *q. 9. dub. 7. n.* 41. Dicaſtillo *diſp.* 11. *dub.* 17. *num.* 305. Diana *p.* 11. *tr.* 8. *R.* 49. Arſdekin *to.* 2. *part.* 2. *cap.* 3. §. 1. citans Regin. & Angelum: Ideo ſuprà de diſpoſitione ad ſummendam Euchariſtiam & de cauſis excuſantibus ab integritate materiali Confeſſionis extra articulum mortis, diximus, pœnitentem non teneri manifeſtare peccata reſervata non habenti dictam Jurisdictionem directè ab illis abſolvendi. Quòd autem neque probabiliter illam habeat, patet ex eo, quòd ipſi Authores citati nonnulli fateantur, probabiliùs non habere, & pro probabilitate nullam afferant rationem magni momenti, ab aliis non prævisam, & non ſatis ſolutam. Cùm enim in tali neceſſitate confitendi tranſeunte, quando e. g. eſt neceſſitas ſumendi Euchariſtiam, poſſit illi ſuccurri, vel omiſſa Confeſſione per ſolam contritionem perfectam, vel per abſolutionem indirectam à reſervatis, qua directè remittuntur peccata non reſervata, hinc ceſſat dictæ neceſſitatis vis ad concedendam Jurisdictionem in peccata reſervata. Et ſi talis neceſſitas temporanea ſufficeret, fruſtra in allegatis Capitulis tam laborioſè fuiſſent recenſita tam multa & varia impedimenta perpetua, vel ſalem diuturna excuſantia ab acceſſu ad habentem poteſtatem ordinariam, vel delegatam in peccata reſervata.

220 Secundò poteſtatem delegatam abſolvendi omnes fideles (præterquam eos religioſos, quorum ordini conceſſum eſt privilegium, ne ſubditi contra voluntatem Prælati aliis, quàm à Prælato deſignatis confiteantur) à quibuſcunque peccatis, & cenſuris, ex jure ſeu lege, vel per ſententiam generalem, quæ lege æquiparatur, annexis, quantumvis etiam ſummo Pontifici reſervatis (exceptis tamen illis, quæ in Bulla cœnæ Domini continentur, & intra Italiam extra Romam adhuc ſex aliis apud Tambur. *lib. 3. de Exped. Confeſſ. cap. 7. n.* 14. exceptis) à diverſis Pontificibus acceperunt religioſi mendicantes, à ſuis Prælatis, ad Confeſſiones audiendas deputati, neque ab iiſdem, quoad conceſſa privilegia reſtricti, ut de facto Confeſſarii in noſtra ſocietate reſtricti ſunt, quia excommunicatos generaliter ab homine ſoli ſuperiores valent abſolvere, ſpeciatim verò ſeu nominatim excommunicatos ab homine, id eſt à Judice, vel ab eodem denuntiatos, nec ſuperiores, nec ulli alii Religioſi mendicantes, queunt abſolvere, ut ordinariorum auctoritas, diſciplina, & recta gubernatio conſervetur. Caſus autem à Tambur. *l. c.* excepti ſunt ſequentes. 1. Violatio immunitatis Eccleſiaſticæ contra Bullam Greg. XIV. 2. Violatio Clauſuræ monialium propter malum finem. 3. Læſio Clerici contra Canonem. *Si quis ſuadente* 17 *q.* 4. quando eſt gravis. 4 Provocatio & pugna in duello. 5. Simonia realis. 6. Simonia Confidentialis, de quibus caſibus etiam videri poteſt Filliucius *tom.* 1. *tr.* 7. *in Inſtruct. Confeſſar. cap.* 2. *art.* 5. §. 1.

221 Tertiò. Per Bullam Cruciatæ, aut Jubilæi ſolet concedi facultas cuivis Sacerdoti approbato abſolvendi ab omnibus peccatis etiam Sedi Apoſtolicæ, vel Epiſcopo Diœceſano reſervatis, illos fideles, qui talem Bullam Cruciatæ acceperunt, vel qui indulgentias Jubilæi lucrari intendunt, quamvis deinde cæteri conditiones Jubilæi præſtare nequeant, aut negligant, ut tradunt Suar. *diſp.* 31. *ſect.* 4. *n.* 5. Vaſq *q.* 91. *art.* 3. *dub.* 6. *num.* 5. Sanchez *l.* 4. *in Decal. c.* 54. *n.* 2. Lugo *diſp.* 20. *num.* 100. quia poteſtas abſolvendi à peccatis & cenſuris, & commutandi & diſpenſandi in votis, non conceditur ſub conditione præſtitarum, aut adhuc præſtandarum reliquarum actionum in Bulla Jubilæi præſcriptarum, imò nec ſub modo revocatorio, aut ut contra Suarez docet Lugo cum Sanchez & Henriquez, obligatorio, ut ea præſtentur, quia cùm hoc in Bulla non exprimatur, non aliter ad abſolutionem à reſervatis peccatis, aut cenſuris, & ad commutationem, vel diſpenſationem votorum requiritur propoſitum lucrandi indulgentias Jubilæi cæterarum actionum executione, quàm quomodo ad valorem abſolutionis requiritur propoſitum non ampliùs peccandi, quo tamen non impleto nec datur obligatio eadem peccata denuò confitendi, nec committitur ſpeciale peccatum irreverentiæ, aut ſacrilegii propter fruſtratum propoſitum in ſuſcepto Sacramento incluſum. Confirmatur ſpecialiter de abſolutione Sacramentali à peccatis reſervatis, hæc enim, ut de Sacramentalis in genere diximus, non poteſt affigi conditioni futuræ, & quia abſolutionem à peccatis, ut licita ſit, præcedere debet abſolutio à cenſuris, ideo etiam hanc neceſſe eſt priùs fuiſſe validè collatam independenter à conditione futura, ſuſpendente valorem.

De utraque tamen hac poteſtate abſolvendi à reſer- 222
vatis, per privilegium regularibus mendicantibus, aut per Bullam Jubilæi quibuſvis Sacerdotibus approbatis delegata, advertendum eſt, nec his concedi poteſtatem abſolvendi à caſibus, quos ipſi Epiſcopi ſibi immediatè reſervarunt, niſi in Bulla Jubilæi expreſsè dicatur, (prout tamen dicitur in Bulla Cruciatæ,) *ab omnibus peccatis*, nec eandem concedi regularibus vi ſui privilegii, niſi Epiſcopi dent facultatem, prout dictum privilegium expreſsè reſtrinxit Alexan. VII. prohibitione hujus 12. Propoſitionis: *Mendicantes poſſunt abſolvere à Caſibus Epiſcopo reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum Facultate.* Hac ergo prohibitione ſuppoſita ex eo, quòd per Bullam Jubilæi, aut per privilegium regularium conferatur poteſtas abſolvendi à peccatis, quæ Pontifex immediatè reſervavit ſibi, aut Epiſcopis, non bene infertur, quòd etiam collata ſit poteſtas abſolvendi à peccatis, quæ Epiſcopi inferiores ſibi immediatè reſervarunt, neque eſt vera major hujus diſcurſus: Per Bullam collativam poteſtatis abſolvendi à peccatis Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & per privilegium regularium datur poteſtas abſolvendi ab omnibus peccatis, à quibus poteſt abſolvere ſummus Pontifex, ſed iſte poteſt abſolvere à peccatis, quæ ipſi Epiſcopi ſibi immediatè reſervarunt, ergo etiam alii Sacerdotes approbati tempore Jubilæi, & Regulares mendicantes vi ſui privilegii id poſſunt.

§. IV.

Aliæ circa peccata reſervata quæſtiones reſolvuntur.

S V M M A R I V M.

223 *An Reſervatio peccati incurratur ab ejus ignaro, dum committeretur peccatum.*

224 *An quando peccatum in pœnitentis diœceſi, ubi illud commiſit, eſt reſervatum, poſſit is validè abſolvi in alia diœceſi, ubi non eſt reſervatum.*

225 *An is, qui per ordinariam, vel delegatam poteſtatem poſſet abſolvere à peccato reſervato, ab eodem inculpabiliter omiſſo tollat reſervationem per abſolutionem ſolùm indirectam, directè remittentem peccata expoſita: etiamſi illud peccatum omiſſum non fuerit reſervatum ratione cenſuræ univerſalem abſolutionē à cenſuris ſublata. Affirmativa probatur eſſe probabilis, & in praxi tuta.*

226 *Probabiliùs tamen videtur limitanda.*

227 *Imò probabiliùs videtur, quòd is, cui poteſtas eſt delegata non in favorem pœnitentis, neque poſſit abſolvere à peccato omiſſo, non ratione cenſuræ reſervato.*

228 *Per abſolutionem à cenſura reſervata tollitur etiam reſervatio peccati, etiamſi peccatum non tolleretur ob Abſolutionis Sacramentalis defectum.*

229 *Qui tempore Jubilæi implevit omnes conditiones in Bulla requiſitas, liberatus eſt à reſervatione peccati, in Confeſſione inculpabiliter omiſſi.*

230 *Qui ab habente Jurisdictionem ordinariam omnium peccatorum etiam inculpabiliter omiſſorum abſolutionem accepit, liber eſt ab omni reſervatione; hinc poteſt memoriæ recurrentia peccata confiteri Sacerdoti, non habenti Jurisdictionem in reſervata.*

231 *Directè abſolutus à peccatis, non poteſt ulla Lege humana obligari ad petendam alteram abſolutionem directam Sacramentalem, ſi prior fuit valida.*

232 *Contrariam aſſertionem docuit, & revocavit Vaſq.*

233 *Poteſt tamen pœnitens ex pacto implicito vel explicito ſe obligare ad manifeſtandum Superiori ſuum peccatum directè jam remiſſum. Et ſic intelligendum eſt ſtatutum Ciſtercienſium ac Societatis noſtræ.*

234 *Hujuſmodi pactum implicitum poteſt etiam iniri ab ignorantibus, & ex vi voluntatis cujuſdam generalis, in illud conſentientis.*

235 Compendio aliquot quæſtiones circa peccatorum Reſervationem reſolvuntur.

223 QUæritur 1. An reſervatio incurratur ab ejus ignaro, dum committitur peccatum: Negativam Sententiam, ut probabilem defendit Diana *part.* 10. *tr.* 14. *reſolt 63.* Et pro ea citat P. Joſephum de Januario latè hanc quæſtionem pertractantem, Graffium, Navarrum, quibus adde noſtrum P. Anton. Quintanadvenam *tract.* 3. *Singularium ſingulari* 11. *in principio*, ubi ait, *Ignorantia reſervationis ſive juris, ſive facti, etiamſi culpabilis ſit, ſeu vincibilis,* (excipe affectatam, vel craſſam, quæ etiam in cenſuris ſcientiæ æquiparatur) *excuſat à reſervatione.* In eandem ſententiam pro prima vice, antequam pœnitens à Confeſſario ratione officii admoneatur, & ignorantiam ſuam deducatur, non improbat P. Gobat *in Alphabeto Confeſſar. tract.* 7. *num.* 361. quamvis pauló antè dixerit, judicium Superiorum Eccleſiaſticorum, & regularium, praxinque communem repugnare, quod etiam Diana aſſeverat *part.* 6 *tract.* 6. *reſol.* 42. ubi relato Lugo, Thom. Sanchez, Hurtad. Mendoza, Palao, *tract.* 2. *diſp.* 1. *pun.* 17. *num.* 8. negativam cum pluribus aliis DD. ſolummodo admittit ſub diſtinctione, ſi nimirum reſervatio ſit ſtatuta in odium, & pœnam peccati, non autem, ſi preciſè propter bonam gubernationem Eccleſiæ, quo poſteriori modo ſecundùm cit. DD. reſervantur illa, quæ in ſe ſunt mala, adeoque quæ per Legem naturalem prohibentur, priori autem modo reſervantur, quæ ſecundùm Legem poſitiva ſunt prohibita, ſecundum communiorem tamen, & veritati, ac praxi conformiorem opinionem, ſic videtur diſtinguendum, ut nimirum reſervatio ab illius ignaro non incurratur, quando peccatum non reſervatur, niſi etiam incurratur Cenſura, illi annexa, ut in peccatis Summo Pontifici reſervatis fieri ſolet, tunc enim rationem propriæ dictæ pœnæ habet, ſicut ipſa cenſura, à qua ſecundùm valde communem & probabilem, atque pro praxi Confeſſariorum frequenter utilem ſententiam ignorantia ipſius Cenſuræ, non verò ignorantia ſolius reſervationis excuſat. Quando verò peccatum ſine cenſura reſervatur, tunc reſervatio non ſtatuitur ut pœna, ſed ut peccati malitia, & damna in communem diſciplinam, ac gubernationem emergentia, magis declarentur, & à ſubditis æſtimentur, ut ſi hi videant, ſe ab ordinariis Confeſſariis alicujus peccati remiſſionem obtinere non poſſe, ſibi deinceps tantò magis ab illo caveant, & ad cavendum à Superiore etiam inſtructionem accipiant. Confirmatur hæc reſponſio oſtendendo reſervationem non affixam cenſuræ haud infligi ut pœnam, à qua ignorantia in jure humano poſſit excuſare, nam etſi quis commiſiſſet peccatum in alia diœceſi, ubi ipſum non erat reſervatum, juxta communem tamen ſententiam non poſſet ab inferiori Confeſſario in illa diœceſi abſolvi, ubi eſſet reſervatum ſine cenſura, poſſet verò abſolvi, ſi eſſet reſervatum non ſine cenſura reſervata, quia pœnam hanc alibi peccans non incurriſſet: ſed ſi reſervatio peccati haberet ſe ut pœna, & non præciſè ut limitatio juriſdictionis immediatè reſpiciens Confeſſarium, tunc poſſet pęnitens adhuc ab alio abſolvi, quia pęnam reſervationis non eſſet promeritus, ergo &c.

224 Quæritur 2. An quando peccatum in pęnitentis dięceſi, ubi illud commiſit, eſt reſervatum, poſſit is validè abſolvi in alia Dięceſi, ubi non eſt reſervatum. Reſp. cum communi ſententia, poſſe, niſi pęnitens propterea ſit nominatim excommunicatus ab homine, & niſi in illam aliam dięceſin acceſſerit in fraudem reſervationis; ratio eſt, quia Confeſſarius in ſua diœceſi tam in perſonam peregrini, quam in peccata illius habet juriſdictionem, niſi ipſius confeſſarii ſuperior eam limitet. Ratio autem primæ exceptionis fundatur in auctoritate *cap. Nuper de Sent. excommun.* idque neceſſarium eſt ad diſciplinam Eccleſiaſticâ ſervandam, ne alioquin ſuperiorum ſententiæ facilè contemni poſſint: unde S. Thomas *in Supplem. quæſt.* 24. *art.* 1. dixit, ſi excommunicatio major ſit lata à Judice, tunc illum, qui tulit, vel ejus ſuperiorem, poſſe abſolvere: imò neque qui tulit: ſed ſolus Papa abſolvere poteſt in ſex caſibus, ex diverſis cap. Juris à Tanne-ro *diſp.* 6. *quæſt.* 10. *num.* 119. relatis. Ratio ſecundæ Exceptionis eſt: quia omnium Confeſſariorum ſuperior nempè Clemens X. in Bulla de privilegiis regularium eorum Juriſdictionem cum hac exceptione limitavit. Quam etiam aſſeruit Tanner. *to.* 4. *diſp.* 6. *q.* 9. *dub.* 4. *r.* 87.

Quæritur 3. An per abſolutionem datam à Confeſſario habente ſtabilem, vel ſaltem pro eo tempore ſufficientem juriſdictionem in reſervata, tollatur reſervatio, etiam quoad peccata per inculpabilem oblivionem omiſſa. Affirmat Lugo, *diſp.* 20. *num.* 89. aſſerens eſſe communem ſententiam, eamque *num.* 97. & 105. aſſentiente Tamb. *lib.* 2. *de Exped. Confeſſ. cap.* 10. §. 3. *num.* 55. ait extendi ad abſolutionem datam à Confeſſario habente ſolummodo juriſdictonem delegatam, quamvis aliter reſervationem tollere non poſſit, quàm quatenus indirectè abſolvit à peccato reſervato, quia intra Confeſſionem pęnitens tam quoad ſuam perſonam, quàm quoad peccata eſt illi perfectè ſubjectus: omnis autem Confeſſarius ſive ordinariam, ſive delegatam juriſdictionem obtinens meritò ſupponatur velle pęnitentem ſuum abſolvere, quantum vi ſuæ juriſdictionis poteſt, ac pęnitens indiget, cùm iſte etiam in ſua parte fecerit, quantum erat in ſe, ut tali modo abſolveretur, & ſi expreſsè talem abſolutionem à Confeſſario petiſſet, haud gravatè impetraſſet, quam quia ipſo facto, & ſaltem implicitè petit, etiam Confeſſarius ſaltem implicitè concedit: unde ſicut pęnitens ante abſolutionem eſt quaſi triplici debito gravatus, ſcil. debito culpæ, debito confitendi peccatum, & debito ſe ſiſtendi ſuperiori, & ſicut poteſt indirectè dimitti debitum culpæ per oblivionem inculpabilem omiſſæ, quin remittatur debitum illam aliquando memoriæ occurrentem confitendi, ſic poteſt, & irrationabiliter præſumitur remitti debitum ſe ſiſtendi ſuperiori, ad quod remittendum etiam delegatus poteſtatem accepit: licèt enim verba: *Abſolvo te à peccatis*, directè ſolùm tendant in peccata explicata, & explicitè tantum ſignificent remiſſionem debiti quoad culpam per illa contracti, implicitè tamen ſignificant, quòd confeſſarius velit finire cauſam, & judicium pęnitentis, eumque in integrum reſtituere, quantum vi ſuæ Juriſdictionis poteſt, & pœnitens meretur, neque credibile eſt, quòd ſi quis magno itinere Romam profectus de peccatis Summo Pontifici reſervatis, & memoriæ occurrentibus ſe abſolvi curavit, is pro peccato inculpabiliter omiſſo, rurſum in mentem veniente, eodem itinere Romam redire cogeretur. 225

Hæc ſententia ita univerſaliter ſumpta probabilis & in praxi tuta eſt propter allatam auctoritatem, & rationem: probabiliùs tamen à Suarez *diſp.* 31. *ſect.* 4. & Vaſq. *quæſt.* 91. *art.* 3. *dub.* 5. limitatur, ut ſi peccatum non propter annexam cenſuram ſit reſervatum, (de quo dixi *n.* 210. & plus dicam *num.* 228. & *ſeqq.* neque Juriſdictio Confeſſario ſit delegata in favorem pęnitentis, neque iſte expreſſione alicujus peccati reſervati, vel alio modo inſinuaverit ſuum deſiderium, ut ab omni reſervatione cognita, ac incognita liberetur, quod in prædicto exemplo Summo Pontifici ſatis videtur inſinuaſſe, limitatur, inquam, ut his omnibus ſecluſis, abſolutio à peccatis non reſervatis neque ſit implicita manifeſtatio, aut indicium voluntatis remittendo obligationem ſe ſiſtendi ſuperiori propter reſervatum, quando illud in mentem redierit: quia finis reſervationis nondum expletus quoad applicationem medicinæ, & inſtructionis, potiùs ſuadet negationem illius voluntatis, & quia abſolutio, Judiciſque officium tantùm dirigitur ad peccata ſubjecta clavibus, unde ſicut Lugo *n.* 98. fatetur, quòd quando ſuperior abſolvens ab excommunicatione non utitur verbis generalibus, vi quorum abſolvat ab omni cenſura cognita, ac incognita, ſed tantùm directis ad unam determinatam cauſam excommunicationis, non hoc ipſo abſolvat ab altera excommunicatione, quam pœnitens fortè incurrerat: ſic idem dicendum eſt de reſervatione immediata peccatorum, quia verba abſolutionis ſunt reſtricta ad peccata ſubjecta clavibus. Imò etiamſi pœnitens etiam de occultis in genere accuſaſſet, quia tamen reſervatio eſt annexa gradui ſpecifico, neque in tali caſu per abſolutionem directè remiſſivam gradus generici tollitur reſervatio gradus ſpecifici. 226

Deni-

227 Denique probabiliùs mihi videtur, id quod Suarez & Vaſq. *loc. cit.* adverterunt, quòd quando delegatio Juriſdictionis non eſt conceſſa in favorem pęnitentis v.g. per Bullam Cruciatæ, aut Jubilæi, qua uon tam Confeſſarius per abſolutionem, quàm ipſe Pontifex extrajudicialiter tollit reſervationem, dans poteſtatem confitendi cuilibet ſacerdoti approbato ſub conditione acceptæ Bullæ Cruciatæ, aut ſub conditione propoſiti de lucrando Jubilæo, vel ſub conditione præſtitarum conditionum juxta Bullæ conſtitutionem, quòd, inquam, in tali caſu Confeſſarius habens juriſdictionem ſolummodo delegatam, per privilegium immediatè reſpiciens ipſum confeſſarium v.g. ſacerdotem regularem, non poſſit tollere reſervationem peccati immediatè reſervati, niſi per abſolutionem validam, & directè remiſſivam ipſius peccati: quia tantùm eatenus tollit reſervationem, quatenus ex delegata juriſdictione remittit peccatum directè & abſolutè ab onere, idem peccatum iterum confitendi: unde ſecundùm doctorum aſſenſus Confeſſarius delegatus extra abſolutionem à peccato neque poteſt remittere obligationem, ſe ſiſtendi ſuperiori, neque ſuam Juriſdictionem ſubdelegare, niſi ſit quaſi ordinaria, ut ſuprà dictum eſt.

228 Si autem peccatum ſit propter annexam cenſuram reſervatum cum Suarez, Lugo, & aliis communiter contra Vaſquez, libenter concedo. 1. per abſolutionem generalem à cenſuris tolli etiam reſervationē peccati, ſive illo inculpabiliter omiſſo (vel ſaltem abſque culpa craſſa, aut affectata ignorantia) abſolutio Sacramentalis à peccatis fuerit valida, ſive non; modò valor non defuerit propter culpabilem reticentiam peccati affecti cenſura ratio eſt, quia valor abſolutionis à cenſura, ſive per Juriſdictionem ordinariam, ſive delegatam impenſę, non dependet à valore ſæpe inculpabiliter impedito abſolutionis Sacramentalis, neque à cognitione ipſius cenſuræ, impedita abſque culpabili reticentia, ut fatetur Vaſq. *loc. cit.* ergo ſublata cenſura reſervata tollitur reſervatio peccati, etiamſi nec Sacramentaliter remiſſum, nec cognitum.

229 Concedo 2. Cum Suarez, Vaſq. *loc. cit.* quos refert, & ſequitur Lugo *n. 99.* (& hoc teſte, Diana perperam in contrarium allegat) quòd tranſacto tempore Jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ, pęnitens poſſit à peccatis reſervatis per oblivionem in Confeſſione omiſſis, per quemlibet ſacerdotem approbatum abſolvi, quia, ut proximè dixi, Pontifex propter impletam à pęnitente conditionem abſolutè ſuſtulit in ipſius favorem reſervationem peccati, hoc autem ſemel abſolutè ſublata deinde non ampliùs redit.

230 Concedo 3. Cum Gabr. Sylveſtro, Angelo, Roſella Vaſquez, apud Lugo *num.* 85. probabile eſſe, quòd quando quis modo prædicto inſinuavit Confeſſario ſuum deſiderium, ut ab omni reſervatione ſuorum peccatorum, etiam memoriæ nou occurrentium abſolvatur, ſe ſic abſolutum eſſe, meritò poſſit præſumere, modò Confeſſarius habuerit Juriſdictionem ordinariam, vi cujus reſervationem potuerit immediatè tollere, quod qui habet Juriſdictionem ſolummodo delegatam, ſuprà notavi, tam parum ipſum poſſe, quàm alium Confeſſarium ſubdelegare. Atque hæc tria primæ ſententiæ admitto.

231 Quæritur 4. Quomodo delegari poſſit poteſtas Juriſdictionis ad abſolvendum pęnitentem à peccato reſervato cum onere, ſe ſuo tempore rurſum ſiſtendi ſuperiori reſervanti peccatum. Ratio dubitandi eſt. Quia directa abſolutio à peccatis non poteſt fieri tantùm ad tempus, vel ſub modo revocatorio, ſeu ad reincidentiam, quo modo ab habente ſolummodo pro articulo mortis delegatam poteſtatem confertur abſolutio à cenſuris reſervatis; eò quòd inter utramque abſolutionem hæc ſit diſparitas, obligatio enim confitendi peccata, quæ per eorum abſolutionem tollitur, eſt Juris Divini, & ſecundùm communem DD. ſententiam juro humano tantùm poteſt determinari tempus, quando obligatio illa per peccatum mortale contracta impleri debeat, poſtquam autem eſt impleta, & per abſolutionem ſublata, probabiliter neque Summus Pontifex poſſet iteratam obligationem confitendi imponere, ſicut non potuiſſet primam decernere, niſi à Chriſto eſſet ſtatuta, cujus ſuprema poteſtas non poteſt ſuperari à difficultate ſeipſum de occultis peccatis infamandi: inflictio cenſuræ autem, & obligatio procurandi abſolutionem ab illa, & poteſtas, ac modus ipſam abſolutionem conferendi, eſt Juris humani, & ideo potuit ex eodem decerni, ut in articulo mortis tantùm conferatur ad reincidentiam, ſeu ſub modo revocatorio, niſi mortis periculo liberatus ſe ſtiterit ſuperiori, quando commodè potuerit.

Ex hac, inquam, dubitandi ratione oritur quæſtio, an & qua ratione obligari poſſit pęnitens, ut à peccatis non ratione cenſurę reſervatis urgente neceſſitate directè abſolutus, data occaſione rurſum ſe ſiſtat ſuperiori, non quidem, ut neceſſariò rurſum Sacramentaliter abſolvatur, ſed ut ſaltem ſe manifeſtet ſuperiori pro inſtructione, vel etiam pęna recipienda, prout de facto juxta ſua ſtatuta ſpecialia obligantur religioſi. Sic in Ordinationibus Generalium noſtræ ſocietatis *capit. 6. §. 6.* permittitur noſtris iter agentibus, ut confeſſario ordinari, alicujus Collegii, ubi divertunt, vel ſi hic haberi non poſſit, alii ſacerdoti ſocietatis approbato, & in hujus defectu etiam externo, tam reſervata (quæ Deus avertat) quàm non reſervata confiteri poſſint, & ab his directè abſolvi, cum obligatione ſe ſiſtendi proprio ſuperiori, ad quem redituri ſunt.

232 Ad hanc quæſtionem cùm noſter P. Vaſquez, *quæſt. art. 3. dub. 7. à n. 26.* affirmativè reſpondiſſet, & fusè dictam obligationem allegata etiam ſocietatis conſtitutione comprobaſſet, deinde *q. 93. art. 1. dub. 6. à num.* 14. retractat ſuam aſſertionem, quam ait re meliùs conſiderata ſibi videri falſam, nullumque ſuperiorem, imò nec Supremum Pontificem poſſe imponere obligationē, peccata ſemel directè dimiſſa iterum confitendi. Unde ad ſtatutum celeberrimi ordinis Ciſtercienſium, quod ipſe *cit. dub. 7. num.* 21. retulit, à duobus Pontificibus confirmatum, vi cujus præcipiebatur, ut omnes eadem peccata, quæ confeſſariis ordinariis expoſuerunt, in fine anni ſuis abbatibus repeterent, reſpondet *quæſt. 93. cit. dub. 6. num.* 17. non potuiſſe ciſtercienſes illo obligari, niſi adjecto voto, aut Juramento, quod negat, ſe credere, fuiſſe adjectum. Eidem Doctori aſſentitur etiam Joh. Sanchez *in diſp. Selectis diſp. 21. n. 2. & 3. & diſp. 14. num.* 19.

233 Verùm hæc reſponſio præſertim in noſtra ſocietate ſuſtineri non poteſt, quia ut ipſe etiam Vaſq. *dub. 6. n.* 13. fatetur, etiamſi non poſſit directè præcipi iterata Confeſſio peccatorum directè remiſſorum, potuit tamen Juriſdictio ad illa directè remittenda delegari ſub pacto implicito, ac virtuali obligante pęnitentem ex juſtitia ad ſe ſiſtendum ſuperiori; propter bonum diſciplinæ & gubernationis, ut ſive extra Confeſſionem, prout maluerit, peccata ſua reſervata eidem manifeſtet; quæ eſt communis ſententia reliquorum ferè omnium, quorum plures nominatim refert, & ſequitur Suarez *diſp. 3. ſect. 5. num.* 8. & Palao *tract. 23. diſp. un. pun. 15. num.* 15. & de facto Juriſdictionem ſub tali pacto delegari ſolere, quando directè abſolutis à peccato immediatè reſervato imponitur obligatio ſe ſiſtendi ſuperiori, optimè oſtendit Lugo *diſp. 15. num.* 115. referens pro prædicta ordinatione Generalium expreſſam declarationem Adm. Rev. Pat. Mutii Viteleſchi Præpoſiti Generalis in literis *anno* 1617. ad totam ſocietatem datis, in quibus cùm dixiſſet, non eſſe ſocietatis mentem, eam facultatem dare, quando ſubditus ex induſtria, eo ipſo fine facit iter, aut aliàs iter facturus ex induſtria Confeſſionem differt, ut poſſit in ipſo itinere abſolvi, addit, obligationem ſe ſiſtendi ſuperiori eſſe conditionem, ſine qua nullo modo concedit ſocietas facultatem; ideoque qui non habet animum acceptandi, vel implendi, non poſſe uti facultate illa, & in uſu ejus facultatis tacitè contineri acceptationem conditionis, qua ſubditus in re tanti momenti, atque ad bonum ſocietatis maximè conducentis illi ſe obliget: & ita in omni alia religioſa familia, facultas impetrandi abſolutionem directam è peccatis independenter à cenſura reſervatis, quando cum obligatione ſe ſiſtendi ſuperiori conceditur, intelligenda eſt: & idem in eorum, minùs tamen communi, minuſve probabili ſententia dicendum, qui exiſtimant, quotieſcunq; ab inferiori Confeſſario peccata non reſervata licitè remittuntur ei, qui ſimul habet peccata reſervata, etiam reſervata directè

remitti poſſe ſub onere ſe ſiſtendi ſuperiori, qua proinde ſententia ſuppoſita cum peccatis non reſervatis ſemper exprimi deberent etiam reſervata: cujus contrarium tamen propter falſitatem ſuppoſiti ſuprà ex Lugo, & aliis, ut probabile retulimus.

234 Nec obſtat datæ reſponſioni, quòd accipiens abſolutionem directam à reſervatis ſæpe ignoret Juriſdictionem in illa Confeſſario inferiori, vel extraneo à ſuperiore concesſam eſse ſub conditione obligationis, & pacti ad ſe ſiſtendum ſuperiori, & quòd proinde neque conſentiat, & fortè etiam neque conſenſurus fuiſset, ſed cognita neceſſitate ineundæ obligationis potiùs abſolutionem non accepiſſet: quia ignorantia non impedit conſenſum implicitum in obligationem, ſine qua ſuperior noluit delegare Juriſdictionem, modò pœnitens intenderit accipere abſolutionem validam, ſicut contrahens Matrimonium ex ignorantia perpetuæ indiſſolubilitatis, in quam forſan conſenſurus non fuiſſet, ſi illam ſciviſſet, contractui annexam eſſe, implicitè in eandem conſentit per hoc, quòd velit inire matrimonium validum, includens hanc obligationem.

235 Plurimum quæſtionum reſolutiones ad paxim utiles videri poſſunt apud Quintanadvenam *tract. 3. Singulari 11. & 12.* ubi etiam reſolvit 1. Peccatum dubium, an ſit mortale, vel an ſit reſervatum, hoc ipſo non reſervari. 2. Niſi in reſervatione actus peccaminoſi aliud expreſsè ſtatuatur, reſervationem nō incurrere, qui ad eundem ſolùm auxilium, vel conſilium præſtant, vel qui non ponunt conſummationem actus, ut reſpectu lapſus carnis eſt fornicatio, vel pollutio, non autem oſcula, uſus, tractus, in aliquibus tamen religionibus, ſicut & in noſtra, reſervatur, quidquid graviter eſt contra votum caſtitatis, in actum externum prodiens. 3. Ex conceſſione Urbani VIII. quæ habetur in quarto tomo Bullarii, poſſe Confeſſarium prima vice abſolvere à reſervatis, ſi ſuperior petitam facultatem injuſtè neget, ex qua conceſſione ad primam vicem reſtricta plures Doctores colligunt, aliis vicibus non poſſe: quamvis Clemens VIII. in ſuo decreto, quod Urbanus retulerat, & approbarat, præceperit, ut ſuperiores toties facultatem darent, quoties Confeſſarius petitam judicaverit dandam: imò quandoque expediet dare univerſalem facultatem, ſaltem quando ſuperior eſt abſens, aut impeditus, aut quando in eodem conventu pauci ſunt religioſi, ut hinc facilè eſſet ſuſpicari, pro quo peteretur facultas: quod optimè obſervat cit. Quintanadvena *Singulari 10. num. 4.* qui etiam *ſingulari 19.* circa noſtros ordinarios Confeſſarios, vel extraordinariè bis in anno determinatos advertit illos, exceptis peccatis, quæ ſuperiores ſibi reſervarunt, eandem in noſtros regulares Juriſdictionem habere, quam habent in pœnitentes externos ſuprà relatam, & conceſſam à Paulo III. Bulla, quæ incipit *Inter cunctas*, edita 3. Julii *anno* 1545. idem ait cit. Auctor dicendum eſſe de poteſtate diſpenſandi, vel commutandi vota particularia ad ſtatum religioſum non ſpectantia.

ARTICULUS IV.

De Obligatione Miniſtri ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè adminiſtrandum.

SUMMARIUM.

236 *Triplicis generis obligatio incumbit Confeſſario, ante, in, & poſt Confeſſionem obſervanda, præſertim ut procuret integritatem Confeſſionis, ac valorem abſolutionis, iſtamque etiam neget, vel differat, quando ex conſuetudine peccandi agnoſcit defectum ſerii doloris, ac propoſiti, ſimulque ad emendationem diſponat: ut declaravit Innoc. XI. in prohibitione propoſitionis 60.*

237 *Requiritur etiam ad licitam Adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ ſtatus Gratiæ, & ſufficiens ſcientia.*

238 *Non tenetur Confeſſarius ſemper ferre judicium de gravitate peccati, modò pœnitens ſatis explicet ſpeci... ſui peccati.*

239 *Qualis danda ſit Inſtructio pœnitenti.*

240 *Præſertim inſtruendus eſt pœnitens in iis, quæ ad valorem Sacramenti obtinendum ſcitu ſunt neceſſaria, & ideo juxta prohibitionem propoſitionis 64. Innocentii XI. prius non eſt abſolvendus.*

236 TRiplicis generis obligationibus Confeſſarii adſtringuntur; aliæ enim ante, aliæ inter, aliæ poſt Sacramenti adminiſtrationem obſervandæ ſunt. Ante procuranda eſt probitas & ſcientia ſaltem mediocris, & reſpectivè ad pœnitentes ſufficiens, prout ſcilicet magis, vel minùs difficiles caſus proponere ſolent, & quidem utraque requiritur ſub mortali. Inter adminiſtrationem præter Confeſſionis integritatem neceſſario quandoque pœnitentis examine eliciendam, & præter pœnitentiam proportionatam injungendam, abſolutionemque debito modo, ac non niſi ritè diſpoſito impertiendam, ſubindè pœnitenti inſtructio quædam præbenda eſt. Et nonnunquam donec actualis emendatio ſequatur, abſolutio eſt differenda: prout declaravit Innocentius XI. prohibens hanc propoſitionem 60. *Pœnitenti, habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore præferat, ſe dolere, & proponere emendationem.* Cujus falſitas, & aſſertionis noſtræ veritas duplici ratione demonſtratur. Prima eſt, quia poteſt pœnitenti ad agoſcendam gravitatem ſuorum peccatorum, ac inveteratæ conſuetudinis ſeriam emendationem hujuſmodi abſolutionis dilatio eſſe neceſſaria, hoc ipſo, quòd non appareat alia ſpes emendationis. Ergo Confeſſarius ex charitate, & ex obligatione muneris ſui rectè adminiſtrandi (cùm non tantùm teneatur poteſtate ſolvendi, ſed etiam ligandi rectè uti) obligatur, in tali caſu differre abſolutionem. Altera ratio eſt. Quia in Propoſitionis damnatæ poſito caſu Confeſſarius non poteſt prudenter credere aſſerenti dolorem & propoſitum emendationis. Ergo non licet impertire abſolutionem. Debet tamen pœnitentem diſponere, ut agnoſcat juſtam repulſam, & ex illa fructum ſperatum capiat, ne vel pro abſolutione non redeat, vel neque ad alium Confeſſarium accedat, aut accedat æquè indiſpoſitus. Opus etiam erit, ut ſuggerat idonea media ad emendationem. Denique poſt Sacramenti adminiſtrationem ſilentium, ſeu ut per metaphoram à literarum obligatione deſumptam, appellari ſolet, ſigillum arctiſſimè cuſtodiendum eſt: de qua poſtrema obligatione ſequenti articulo agemus.

237 De probitate, ad quam requiritur, ut Confeſſarius ſaltem per contritionem de gravibus peccatis in ſtatu gratiæ ſe conſtituerit, & de ſcientia Sacræ paginæ iiſdem verbis, quæ ad Sacerdotes antiqui teſtamenti olim prolata ſunt, Confeſſarios commonefaciunt, 2. *Paralip. cap. 19. verſ. 6.* ita loquentes: *Videte, quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini, & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit; ſit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite*, Et deinde verſ. *9. Sic agetis, in timore Domini, & corde perfecto, omnem cauſam, quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, qui habitant in Urbibus ſuis, inter cognationem, & cognationem, ubicunque quæſtio eſt de Lege, de mandato, de Cæremoniis, de juſtificationibus, oſtendite eos, ut non peccent in Dominum, & ne venerit ira ſuper vos.* Ceterùm de ſcientia requiſita

238 Dico 1. Non tenetur Confeſſarius audito quovis peccato judicare, an ſit mortale, vel veniale, imò in difficilioribus cognitu poteſt ſuſpendere ſuum judicium, neque tenetur ſcire exactè omnes cenſuras, irregularitates, ſpecies peccati, modò noverit communiores: ratio eſt, quia negotium Confeſſionis Confeſſariis, & pœnitentibus eſſet maximè oneroſum, & ſcrupulis obnoxium. Poteſt etiam Confeſſarius obligare pœnitentem, ad redeundum pro conſilio, vel à ſe, vel ab aliis Viris doctis petendo, quod ſi pœnitens promiſerit, abſolvatur.

239 Dico 2. Si pœnitens ex erronea conſcientia judicat eſſe peccatum, quod non eſt peccatum, tenetur Confeſſarius monere, ne is ſtante errore iterum peccet: ſi autem judicat eſſe licitum, quod non eſt licitum, & ſi interrogatur Confeſſarius, regulariter loquendo debet non reticere rei veritatem, ſi verò non interrogatur, & neque ſpes eſt vitandi peccati, etiam cogniti v.g. copulæ cum putatitia conjuge,

juge, cum qua non poteſt diſpenſari, ſaltem ſine gravi infamia, tenetur Confeſſarius non interrogatus juxta *cap. Si quis autem de Pœnit. diſt. 7.* relinquere pœnitentem in bona fide, quia inſtructio debet ordinari ad bonum pęnitentis, cui peccatum materiale eſt minùs malum, quàm formale, aut quàm aliud grave damnum. Si autem ex ſilentio Confeſſarii naſceretur damnum publicum v. g. grave ſcandalum: tunc bonum publicum eſt præferendum privato pęnitentis, quia talis admonitio neque cedit in irreverentiam Sacramenti, neque in damnum pœnitentis ab illo inevitabile.

240 Dico 3. Circa inſtructionem præbendam pęnitenti, Confeſſarium præter eam, cujus in præcedenti concluſione mentionem feci, teneri præbere illam, quæ ad valorem & effectum Sacramenti conſequendum eſt neceſſaria, non tamen teneri in illis fidei articulis inſtruere, qui ex ratione præcepti graviter obligantis ſcitu ſunt neceſſarii.

Ratio primæ partis eſt, quia aliàs Sacramentum adminiſtraret ſacrilegè, unde licèt in adultis, & frequenter confitentibus, aut bene educatis ſupponere poſſit ſufficientem ſcientiam, ſi tamen aliquem ita rudem adverteret, ut neque ſciret peccata contra Deum eſſe, ab eoque puniri, adeoque neſciret fidem eorum, quæ ſunt neceſſitate medii neceſſariò credenda, & ſpem veniæ elicere, aut, quod frequenter fieri poteſt, abſolutioni præmittere dolorem, ac propoſitum, Confeſſario incumberet pęnitentem ad hujuſmodi actus excitare; unde ejuſmodi rudes non rarò interrogandi ſunt de dolore, & propoſito, & illis motivum aliquod univerſale ſuggerendum. Præſertim admonendus eſt pęnitens, & obligandus ad deſerendam occaſionem ac periculum proximum peccandi, in quo cognoſcitur verſari. Ideò meritò prohibita eſt ab Alex. VII. propoſitio. *Non eſt obligandus Concubinarius ad eiiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgò Regalo, dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficeret, & alia famula nimis difficilè inveniretur.* Cujus abſurdiſſimæ doctrinæ, & pro ſcandali ac periculi proximi excuſatione allegantis vehementiam turpiſſimi amoris, manifeſta falſitas patet ex iis, quæ diximus *tr. 2. diſp. 2. n. 27.* quo hæc damnabilis propoſitio maximè ſpectat.

Ratio 2. Partis eſt, quia ignorantia ex ratione præcepti ſcitu neceſſariorum, ſi culpabilis fuit, per ejus Confeſſionem & abſolutionem remittitur, adeoque non obſtat valori, & fructui pęnitentiæ, & Confeſſarius ſolùm tenetur procurare propoſitum, aliunde accepta inſtructione prædictam ignorantiam deponendi. Quòd ſi tamen pęnitens Ignorantia omnium Myſteriorum fidei, aut maximè communium, quæ etiam pueris, primùm formantibus Crucem, ſuggeruntur, laboraret, talis neque Inſtructionis ſufficientis pro valore abſolutionis cenſendus eſſet capax, & propterea eſſet differendus: quod Innocentius XI. voluit declarare prohibitione hujus 64. Propoſitionis *Abſolutionis capax eſt homo, quamvis laboret Ignorantia Myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri IESU Chriſti.* Certè hac prohibitione utraque pars noſtræ Concluſionis confirmatur, quia qui dicta Myſteria fidei ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter ignorat, evidens eſt, quòd neſciat etiam ea, quæ ad valorem Sacramenti procurandum ſcitu neceſſaria diximus, & quòd proinde ſit incapax Abſolutionis; ideo ergo reddendus eſt capax modo prædicto cum propoſito procurato emendandi culpam Ignorantiæ in Myſteriis non ita immediatè ad valorem Sacramenti, attamen ad ſalutem ex præcepto ſcitu neceſſariis.

ARTICULUS V.

De Obligatione Sigilli Confeſſionis Sacramentalis.

§. I.

Qualis & quanta ſit obligatio Sigilli Confeſſionis Sacramentalis.

SUMMARIUM.

241 *Quæ Confeſſio ſit dicenda Sacramentalis, & quæ non: quāliſque ex non Sacramentali Confeſſione obligatio Sigilli oriatur.*

242 *Qualis & quanta ſit obligatio Sigilli Confeſſionis Sacramentalis.*

243 *Proponitur caſus, an, ſi ſtruentes necem Confeſſario, colligerent ex ejus fuga, ſe proditos eſſe per Confeſſionem complicis, hujuſmodi fuga foret licita.*

244 *Refertur, & reprobatur ſententia affirmativa.*

245 *Nunquam ſufficit conſenſus pœnitentis merè præſumptus ad manifeſtationem peccati percepti in Confeſſione.*

246 *Etiamſi peccatum pœnitentis ſit publicum, ac notorium omnibus auditoribus, & ipſe etiam Confeſſarius extra Confeſſionem id ſciat, non licet tamen Confeſſario ſine expreſſo conſenſu pœnitentis, dicere: quòd iſte ſibi confeſſus fuerit hoc peccatum, bene tamen, quòd confeſſus fuerit omnia ſua peccata, loquendo in genere.*

247 *Reſpondetur ad objectionem.*

248 *Cavendum eſt Confeſſario, ne uſu licito notitiæ de peccato Pœnitentis, ſuſpicionem præbeat violati Sigilli.*

249 *Item cavendum, ne unius pœnitentis laude, alterum in ſuſpicionem peccati trahat omiſſione ſimilis laudis.*

PEr Confeſſionem Sacramentalem, ut cum aliis illam declarat Suar. *bis diſp. 33. ſect. 2.* intelligitur Confeſſio, facta Sacerdoti animo ſe accuſandi, & ſubiiciendi Clavibus Eccleſiæ, ſive poteſtati ac Juriſdictioni à Chriſto Eccleſiæ Judicibus, id eſt, Sacerdotibus conceſſæ, ad ſolvendum & ligandum peccata Fidelium. Unde juxta S. Thomam *4. diſt. 21. q. 3. art. 1. q. 2. ad 2.* Confeſſio peccatorum, quæ in defectu Sacerdotis olim etiam fieri ſolebat non Sacerdoti, ad demonſtrandum deſiderium confitendi vero Sacerdoti, & veniam peccatorum per internam animi contritionem obtinendi, Sacramentalis non erat, & non niſi obligationem Sigilli naturalis inducebat, attamen gravem pro qualitate objecti, ne fideles ab hac pia conſuetudine, quantumvis non obligatoria, abſterrerentur & infamarentur; quę quidem obligatio vim & firmitatē obligationis Juſtitiæ, Fidelitatis, ac charitatis non excedebat. 241

Pari ratione. Si quis per errorem confiteretur Sacerdoti, quem putaret, eſse Sacerdotem, etiamſi cum prædicta intentione confiteretur, nihilominus tamen non eſset Confeſſio Sacramentalis; audiens verò talem Confeſſionem, teſte S. Thoma *l. c. quæſtiuncula 3.* Suar. *loc. cit. num. 3.* & aliis communiter ſimili modo ad Sigillum ab Inſtitutore Pœnitentiæ Sacramentalis obligaretur, quo obligantur, qui ſive caſu, ſtudio, ac dedita opera aliquid ex peracta Confeſſione perceperunt; quamvis enim non obligaretur in reverentiam Sacramenti à ſe non adminiſtrati, obligaretur tamen in reverentiam & in Religionem erga Sacramentum pęnitentiæ, p out à Chriſto eſt inſtitutum; ne homines qualicunq; metu exponendi ſe periculo prodendæ ſuæ Confeſſionis à fictitio Confeſsario, retraherentur à ſincera, libera, & frequenti manifeſtatione ſuæ conſcientiæ coram prudenter exiſtimatis veris Confeſsariis. Idem cum cit. Suar. *num. 4.* longè dicendum de obligatione Sigilli, orta ex Confeſſione facta Sacerdoti, non habenti Juriſdictionem in ullum peccatum expoſitum à Pęnitente ignaro defectus Juriſdictionis. Quamvis enim hæc Confeſſio etiam non eſset Sacramentalis, cùm non fiat coram legitimo Judice & Miniſtro hujus Sacramenti, ut videtur inſinuare P. Suar. tamen eſt eadem Ratio

pro obligatione Sigilli, quæ priùs aſſignata eſt. Imò verè dicenda videtur Sacramentalis; quia quiſvis Sacerdos habet in quemlibet pœnitentem ſaltem Juriſdictionem in ordine ad venialia peccata, qualè in neceſſitate accedendi ad Sacram Synaxin etiam per Confeſſionem addendum eſſet, ut pœnitens ab iſto directè, & à reliquis indirectè abſolveretur: quòd ſi verò nullum tale adderetur, & conſequenter ſi Sacramentum non compleretur per abſolutionem, tamen Confeſſio eſſet Sacramentalis dicenda, ſicut ſi non ex defectu Juriſdictionis, ſed propter indiſpoſitionem pœnitentis non fuiſſet impertita abſolutio. Solùm ergo ex illa Confeſſione non oritur obligatio Sigilli Sacramentalis, ex qua præſcribitur, non poſſe obtineri, vel ex qua non intenditur abſolutio Sacramentalis obtinenda.

242 Nunc ad Quæſtionem reſpondetur, dari ex Jure Divino (ſive poſitivo, ſive etiam Naturali, & intrinſeco ipſi Sacramento, prout à Chriſto inſtitutum eſt, ut docet Suar. *diſp.* 33. *ſect.* 1. *n.* 10. & Vaſq. *q.* 93. *art.* 4. *dub.* 1. *n.* 5.) præter Obligationem Juſtitiæ, & Fidelitatis plerumque connexam, etiam Obligationem Religionis, ut ſine Conſenſu ipſius Pœnitentis citra graviſſimum Sacrilegium, non admittens etiam parvitatem materiæ, nec directè, nec indirectè, Verbo, aut facto, nec ex qualicunq; excogitabili cauſa quidquam eorum, quæ in Confeſſione Sacramentali percepta ſunt, ulli hominum manifeſtetur, ex cujus manifeſtatione Sacramentum pœnitentiæ poſſet reddi exoſum, ſeu ex cujus manifeſtationis licentia homines poſſent retrahi ab uſu & ſincera perceptione hujus Sacramenti per integram & perfectam ſui accuſationem. Ita Omnes Theologi, imò conſtans ſenſus totius Eccleſiæ à tempore Chriſti Domini, continuaque traditio; quæ proinde loco omnium probationum eſſe poſſet: & Vaſq. *dub.* 9. *n.* 1. meritò falſam & erroneam appellat doctrinam Gabrielis *diſput.* 21. *q.* 1. *art.* 3. *caſu* 4. aſſerentis poſſe revelari Confeſſionem, caſu quo grave damnum immineret Confeſſario vel in vita vel in fama, vel in Bonis, ſi vellet celare Confeſſionem. Eandem ferè Cenſuram pari Jure infligit idem Vaſq. *dub.* 10. *num.* 6. Altiſiodorenſi 4. *lib. tra.* 6. *c.* 3. *q.* 4. dicenti ad evitandam magnam aliquam ruinam Civitatis, vel falſum Matrimonium impediendum, licitum eſſe, & debere revelari Confeſſionem: addit quidem conditionem; *Si tamen poſſibile eſſet inde non effici odioſam Confeſſionem*: Quam conditionem, ſi Author intelligat de Confeſſione particulari, quam dicit revelandam, prorſus inutilis & inſufficiens eſt; etiamſi illa non redderetur odioſa: Si autem intelligat de Sacramentali Confeſſione in Genere, per eam immediatè deſtruit ſuam aſſertionem, quia impoſſibile eſſet, ut licentia Revelationis in quocunque caſu, admiſſa non univerſaliter redderet odioſam Confeſſionem hoc ipſo, quòd homines ſcirent, eſſe poſſibiles aliquos caſus, in quibus liceat Confeſſario, occulta ſua peccata revelare. Unde hujus veritatis, ſcilicet Confeſſionis odioſæ, ac aſpernabilis reddendæ evidentia eſt principalis ratio aſſertæ obligationis.

Suppoſito enim, quòd Chriſtus ita voluerit inſtituere Sacramentum pœnitentiæ, ut Fideles in ſtatu Gratiæ haberent facilius & parabilius, ac certius remedium pro deletione ſuorum peccatorum, quàm quale dabatur in Lege Naturæ, & Moſaica, ubi unicè requirebatur, & concedebatur perfecta Contritio, quam elicere reſpectu multorum erat, atque etiamnum eſt difficillimum & incertiſſimum; Suppoſito etiam, quòd Chriſtus voluerit. Sacramentum pœnitentiæ in re vel in voto ſuſceptum eſſe neceſſarium neceſſitate medii; in re verò eſſe neceſſarium neceſſitate præcepti omnibus Fidelibus poſt Baptiſmum in peccatum mortale lapſis; Suppoſito denique quòd ad hujus Sacramenti valorem voluerit exigere integram Confeſſionem omnium peccatorum mortalium, non poterat hujuſmodi Inſtitutio & Neceſſitas cum humana fragilitate, verecundia, & metu prodendæ Confeſſionis conſiſtere, & Sacramentum non reddi odioſum, niſi daretur Obligatio Sigilli perpetua, & abſolutè inviolabilis, ſive directè, ſive indirectè, verbo, aut Actione, ex qua colligi, vel in ſuſpicionem venire poſſet quodcunque peccatum. Ideo Clemens III. *in cap. Omnis utriuſque ſexus, de Pœnitentiis & Remiſſionibus*, ſub graviſſima pœna à Judice Eccleſiaſtico ferenda, admonet quemlibet Confeſſarium his Verbis. *Caveat autem omnino, ne Verbo, aut Signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem, &c. Quoniam qui peccatum, in pœnitentiali Judicio ſibi detectum, præſumpſerit revelare, non ſolùm à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monaſterium detrudendum.* Quibus poſtremis verbis ſublata eſt antiqua pęna, *in cap. Sacerdos de Pœnit. diſt.* 6. conſtituta, ubi depoſitioni à Judice inferendæ, additur perpetua & ignominioſa peregrinatio: cui prior ſubſtituta eſt; immeritò autem à Speculatore & Majolo additur illi etiam irregularitas: quia hæc non incurritur, niſi quando à Jure ſtatuta & expreſſa eſt, *juxta cap. Is, qui de Sent. Excom.* ut rectè notavit Suar. *ſect.* 8. Forſitan tamen dicti AA. confundunt irregularitatem cum pęna Depoſitionis, à Judice ferenda.

Datæ Reſponſioni opponi ſolet caſus magis ſpeculativus, quàm practicus, utpotè qui vix unquam continget. Ponitur, quòd duo vel plures inſidientur Confeſſarii vitæ, e. g. immiſcuerint lethale venenum vino pro Conſecratione parato, vel violentas manus inicere decreverint: Unus autem eorum conjurantium priùs confitetur eidem Confeſſario hoc ſuum peccatum, contra ipſum à ſe deſtinatum. In hoc caſu, ſi Confeſſarius aliud vinum aſſumat, vel fuga ſibi conſulat, hac ipſa actione indirectè manifeſtat Sociis conjurationis peccatum Complicis, à ſe in Confeſſione cognitum; qui aliàs neſciret vitare mortem. Atqui licitum eſt Confeſſario vitare mortem, ergo etiam indirectè manifeſtare peccatum in Confeſſione perceptum. 243

Ad hunc caſum reſpondet Vaſq. *q.* 93. *ar.* 10. *n.* 5. Conſiderare debere Sacerdotem, an pęnitens animo confitendi, & oſtendendi animi pravitatem confiteatur illud propoſitum, & tunc cadere debet ſub Sigillum, (adeoque non licebit illi vitare mortem) aut animo tantùm illudendi, ut Sacerdoti incuteret metum non fugiendi, ne revelaret Confeſſionem, ut hac via ipſum ſecuriùs caperet, & tunc poſſet fugere, neque enim tale peccatum eſſet ſub Sigillo, quod non erit difficilè deprehendere ex modo confitendi. Ita Vaſq. Cujus reſponſio quoad poſteriorem partem videtur indubitata: quia ſi Confeſſio defectu Intentionis non eſt Sacramentalis, non oritur ex illa obligatio Sigilli Sacramentalis. Quoad priorem partem autem eſt Controverſa. Nam quòd etiam ſuppoſito animo verè & validè confitendi peccatum, ac deſiſtendi à conjuratione, adhuc vitare liceat mortem, à Sociis conjurationis, vel ex vino toxicato inferendam, concedunt apud Laym. Scotus, Adrianus, Sylveſter, Henriq. Coninck; quos ipſe refert & ſequitur *libr.* 5. *tract.* 6. *capit.* 14. *numer.* 21. conſentit etiam Palao *tract.* 13. *pun.* 19. §. 3. *num.* 18. aliis relatis, & addito Tamburino *lib.* 5. *cap.* 6. §. 1. ſubſcribit Patritius Sporer *part.* 3. *Tyrocin. Sacram. c.* 7. *n.* 863. 244

Ratio illorum eſt, quia fuga mortis non eſt manifeſtatio peccati in Confeſſione narrati, ſed tantùm eſt manifeſtatio Confeſſionis factæ, hoc ipſo autem, quòd liceat pœnitentem publicè abſolvere, & formata ſuper illum Cruce actualem abſolutionem ſolemniter præbere, eamque præſentibus manifeſtare; imò etiam teſtimonium ritè, & ſincerè peractæ Confeſſionis dare, pari ratione licebit, fuga mortis ſibi tam neceſſaria indirectè manifeſtare non ipſum peccatum, ſed Confeſſionem, ex qua eſt à Confeſſario cognitum peccatum. Quando enim ſolùm manifeſtatur Confeſſio, non poteſt inde inferri exiſtentia præterita peccati, ſed potiùs ex aliunde cognita exiſtentia peccati infertur à Conſciis illius exiſtentiæ, quòd pœnitens in illa Confeſſione ſuum peccatum expoſuerit, adeoque quia Confeſſio non probat exiſtentiam ullius peccati determinati, ſed potiùs ex notitia peccati determinati, probatur Confeſſio peccati determinati, ideo Manifeſtatio Confeſſionis neque eſt indirecta manifeſtatio ullius peccati determinati.

Sed meritò Vaſq. *l. c.* Suar. *diſp.* 33. *ſect.* 7. *num.* 6. Præpoſitus *q.* 11. *dub.* 7. *n.* 49. & alii communiter contradicunt. Quia Confeſſarius in his Circumſtantiis, in quibus certum eſt, illum aliunde non cognoviſſe cauſam fugiendi mortem, non tantùm ſignificat, ſe audiviſſe hujus pęnitentis Confeſſionem; ſi enim hoc ſolùm etiam verbis

verbis manifeſtaret, & non fugeret, non poſſent Socii Conjurationis inferre, peccatum illud fuiſſe Confeſſario detectum: Sed quia fugit, hinc Socii utrumque inferunt, quòd pœnitens fuerit confeſſus; & quòd fuerit confeſſus hoc peccatum; undè fuga eſt indirecta manifeſtatio, & probatio Confeſſionis, & peccati in Confeſſione expoſiti. Ideo malè conceditur à citatis Auctoribus, quòd Confeſſario liceat fugere, etiamſi, ut inquit Suar. *n.*8. Confeſſarius prævideat ſe occidendum, & etiamſi ſibi conſcius ſit commiſſi alicujus peccati mortalis, & ante ſuam mortem videat aliud remedium ſalutis ſibi non ſuppetere, quàm perfectam contritionem, ad quam debito modo eliciendam à DEO gratiam petere, & ſperare deberet.

Multò verò improbabiliùs concedunt citati Authores, Confeſſario fore licitam fugam, quam vis detegenti proditionem grave malum, vel ipſam mortem inferendam proſpicere, eò quòd uteretur Jure ſuo, & malum hoc ſolummodò per accidens ſequeretur. Nam licèt fuga non eſſet indirecta manifeſtatio peccati detecti, tamen uſus Confeſſionis ex quo pœnitenti, grave malum ſive per ſe, ſive per accidens ſequeretur, eſt certò illicitus, ut poſteà dicemus.

245 Ex prædicti caſus Reſolutione; pro majore declaratione Sigilli Sacramentalis, colligitur etiam, ab obligatione Sigilli numquam excuſare conſenſum pœnitentis, ſolummodò præſumptum; quia ex eo ſequerentur maximi abuſus; & graviſſima damna, fieretque proindè odium Sacramentum Pœnitentiæ.

246 Colligitur ulteriùs contra Medinam proximè citandum; etiamſi peccatum ſit publicum, & notorium notitia facti, & Juris, nullumque damnum metuendum eſſet pœnitenti, ſive in fama, ſive in alia re; imò etiamſi cederet in ipſius laudem, numquam tamen ſine pœnitentis expreſſo conſenſu licere Confeſſario, dicere, quòd peccator tale peccatum ſibi fuerit confeſſus (quamvis neque ejus contradictorium liceat dicere, quòd non fuerit confeſſus, ſi peccatum eſſet notorium: Sic enim diceret, quòd fuiſſet ſacrilegè confeſſus.) Quia etiamſi in aliquo caſu particulari nullum metuendum eſſet damnum ipſius pœnitentis ex tali manifeſtatione peccati notorii; licentia tamen manifeſtationis eſſet univerſaliter damnoſa, & ex ea ſequerentur plurima incommoda, reddentia Confeſſionem odioſam: frequenter etiam Auditores ſimularent, ſe jam habere certam notitiam, cùm non haberent, vel non ita certam haberent.

Neque eſt paritas inter has duas propoſitiones; quando Confeſſarius, qui ſciretur aliunde habere certam ſcientiam talis peccati, & quòd ipſum eſſet aliunde omnibus notum, diceret: *Iſte confeſſus eſt mihi hoc ſuum peccatum: & Iſte confeſſus eſt mihi omnia ſua peccata*, quam concedunt Coninck *diſput.9. dub.4. num.*53. Palao *tractat.* 23. *punct.*19. *num.*6. Joan. Medina *Cod. de Conf. qu.*47. *aliàs* 51. Lugo *diſput.*73. *num.*86. Tannerus *diſput* 6. *qu.*9. *dub.*6. *nu.* 127. citans Cajetan. Navar. Valent. Henriq. Saà, Dicaſtillo *diſput.* 12. *dub.*7. *num.*100. *& num.* 118. Quamvis enim Confeſſarius non poſſet cum veritate poſteriorem propoſitionem enunciare, niſi pœnitens confeſſus eſſet illud aliunde notum peccatum, & proindè prior propoſitio particularis videatur contineri in poſteriori univerſali ex parte objecti affirmati: iſta tamen univerſalis nō parit majorem, & certiorem, aut novam notitiam auditoribus, quàm qualem antecedenter habent de præterita exiſtentia peccati, cùm ſenſus illius tantùm ſit iſte: Pœnitens, vel non fecit hoc, & illud peccatum, vel ſi fecit, confeſſus eſt. Ex qua expoſitione auditor circa exiſtentiam peccati nihil pœnitus poteſt colligere, quia Confeſſio omnium peccatorum, tam eorum, quæ pœnitens fecit, quàm quæ non fecit, affirmatur tantùm conditionatè. ſi illa fecit, quòd autem hoc, vel illud fecerit, id nullo modo affirmatur: ſed ſi Confeſſarius diceret: Pœnitens hoc notorium peccatum mihi confeſſus eſt, ſimul affirmaret exiſtentiam peccati. Imò etiamſi prædicta propoſitio de peccatis recenſitis in numero plurali loquatur, & ſepties etiam in die cadat Juſtus, nulluſque homo ſine DEI Gratia extraordinaria poſſit diu vitare omne peccatum veniale; poteſt tamen, & debet potiùs intelligi in numero plurali quaſi negativè, ut non abſolutè affirmet pluralitatem peccatorum *narratorum*, ſed *non reticitorum*, ut ſenſus ſit. Nullum eſt peccatum ex omnibus poſſibilibus, quòd iſte non ſit confeſſus, ſi id fecit, & ſi ejus recordatus eſt. Et ſic ſi tantùm unū peccatū feciſſet, adhuc vera eſſet iſta pęnitẽtis propoſitio: Iſtud peccatum feci, & hæc ſunt omnia mea peccata. Sicut in tali caſu abſolutio adhuc deberet dari in num. plur. *Ego te abſolvo à peccatis tuis*: id eſt: abſolvo ab hoc peccato tuo, & nullum eſt peccatum à quo te non abſolvam, ſi illud feciſti, & ſi ego in illud habeam Juriſdictionem. Sive confero tibi Gratiam Sacramentalem, de ſe remiſſivam omnium peccatorum, ſi quæ alia etiam feciſti.

Dices. Si Confeſſarius e. g. de aliquo pœnitente defuncto poteſt dicere, quòd ille ante ſuam mortem confeſſus ſibi ſit omnia peccata totius vitæ ſuæ: & quòd proinde ipſum abſolverit, atque ad Sacram Euchariſtiam ſuſcipiendam legitimè diſpoſitum ipſemet adhortatus fuerit &c. Deinde ſi Confeſſarius poteſt juxta communem, & certam ſententiam teſtari peccatum ſui pœnitentis, ex ſcientia aliunde, & independenter à Confeſſione accepta cognitum, e. g. quia ipſe fuit præſens, quando pœnitens publicè patravit homicidium; tunc poteſt Confeſſarius dicere: Iſte, quem vidi publicè patrantem homicidium, confeſſus eſt mihi omnia ſua peccata. Atqui hoc idem eſt, ac ſi diceret: Iſte confeſſus mihi eſt ſuum homicidium. Ergo hoc ipſum etiam licet dicere. 247

Reſpondeo, negando eſſe idem. Quia in hac poſteriori propoſitione affirmaret ſuam ſcientiam, quam haberet per Confeſſionem: ſi autem dicat ſeparatim: Petrus confeſſus eſt mihi omnia ſua peccata: quod poteſt dicere per ſcientiam, & certitudinem, quam habet ut Confeſſarius, vel ut DEUS. Et per aliam ſcientiam, quam habet, ut præſens homicidio patrato, ut homo, dicat: Petrus me præſente fecit peccatum homicidii: per legitimam conſequentiam benè quidem infertur: ergo Petrus confeſſus eſt homicidium: Sed hæc concluſio (ut Philoſophi, & Theologi loquuntur, quando una præmiſſa eſt tantùm probabilis, & altera eſt certa certitudine evidentiæ, vel fidei) ſequitur debiliorem partem, & tantùm habet certitudinem propoſitionis minoris, quæ à Confeſſario aſſerta eſt ſcientia homicidii experimentali, non verò ex Sacramentali, & quaſi Divina.

Cæterum licèt verum ſit, & communiſſimo aſſenſu Theologorum, ac S. Thomæ 4. *diſt.*21. *quæſt.*3. *artic.* 3. quòd ſi Confeſſarius aliunde habeat ſcientiam peccati ſibi in Confeſſione manifeſtati, ea ſcientia uti, & reum, ſi ejus ſuperior ſit, etiam privatim ac publicè arguere, & plectere poſſit: quia Confeſſio tantùm non debet pœnitenti nocere, non verò prodeſſe ad impunitatem delicti, aliàs Rei de induſtria confiterentur ſua delicta ſuperiori, ad ſubterfugiendam pœnam, & Superior ipſa conniventia indirectè ſignificaret, delictum in Confeſſione, etiam à ſe auditum eſſe; debet tamen Confeſſarius cautus eſſe, ne utatur illa certitudine ad liberiùs loquendum vel procedendum contra pœnitentem, vel ne prodat aliquam circumſtantiam aliunde non cognitam: atque etiam ne ſcandalum, aut ſuſpicionem præbeat aliis, ſcientibus, quòd ipſe reus hoc Confeſſario uſus ſit. Pari ratione quamvis juxta communiſſimam ſent. Theologorum & S. Thomæ *diſt.*21 *q.*3. *a.*2. Confeſſarius ex conſenſu Pœnitentis poſſit uti ſcientia Confeſſionis, illamque ex conſenſu ejuſdem etiam alteri manifeſtare, quia obligatio Sigilli eſt tantùm conditionata, niſi ſcilicet Pęnitens conſenſerit, qui per conſenſum non diſpenſat in Lege Divina, ſed tantùm impedit, ne obligatio ſigilli hìc, & nunc ſit abſoluta, idque frequenter utile, ac neceſſarium eſt pœnitenti pro petendo v.g. conſilio, & proinde à Chriſto obligatio ſigilli ſic eſt inſtituta: Nihilominus cavendum eſt, ne Confeſſarius ipſius conſenſus limites ullo modo excedat: & ut de hoc conſenſu alteri conſtet, curandum, ut & ipſe ſigillum ſibi tenendum noverit, & ne ſcandalizetur violati ſigilli ſuſpicione: imò poteſt ipſi Confeſſario, ut ex Henriq. ſapienter monet Tannerus *diſp.* 6. *n.* 146. ſæpè neceſſarium eſſe, ut conſenſus à pęnitente tali modo præſtetur, ut ipſe cum ſibi conceſſum probare poſſit, v. g. in ſcripto, ac velut proditor violati ſigilli pœnas dare cogatur. 248

Simi-

249 Similiter cavendum eſt, ut prudenter monent Suar. *diſput.33. ſect.3.num.9.* Palao *tract.23 punct.19. §.3. numer. 2.* Dicaſtillo *diſp.12. num.98.* Ne Confeſſarius plures habens pœnitentes, quando de illis ſermo incidit, unum vel alterum laudando, & de aliis tacendo indirectè ſigillum violet. Et quia hujuſmodi ſigillum violandi ſunt plurimi modi: ideò præſtat de peccatis in Confeſſione nihil dicere, præſertim in particulari, aut cum aliqua circumſtantia.

§. II.

Quomodo ſalvandum ſigillum coram ipſo Pœnitente.

SUMMARIUM.

250 *Poſt datam abſolutionem per modum continui Judicii licet Confeſſario loqui cum pœnitente de peracta Confeſſione.*
251 *In poſteriori Confeſſione licet etiam loqui de priore.*
252 *Extra Confeſſionem neque cum pœnitente, ſine expreſſo ejus conſenſu, licet loqui de peccato in Confeſſione percepto.*
253 *Notitia Confeſſionis, etiam advertente, vel ſuſpicante pœnitente, licet uti ad abſtinendum ab actione intrinſecè & abſolutè inhoneſta.*
254 *Licet etiam negare Sacramentorum adminiſtrationem, in ſtatu peccati mortalis, ex Confeſſione cognito, occultè petenti. Id in primis probatur authoritate Doctorum.*
255 *Probatur etiam Ratione.*
256 *Satisfit objectioni.*
257 *Quando liceat uti notitia propter proprium, vel pœnitentis, vel tertii grave bonum.*
258 *Referuntur caſus, ſive exempla, in quibus non licet uti notitia Confeſſionis.*

Quæritur. An obligatio ſigilli non tantùm erga alios quoſcumque, ſed etiam erga ipſum Pœnitentem dicto modo obſervantia ſit, ut extra Confeſſionem de peccato in Confeſſione percepto neque cum illo loqui, vel talem actionem ponere, vel amittere liceat, ex cujus poſitione vel omiſſione pœnitens colligat, illam procedere ex peccati communicata ſcientia, ſive Confeſſarium uti illa ſcientia.

250 Certum eſt ex communi Confeſſariorum praxi contra Fagundez refutatum à Lugo *diſput.23. quæſt.9. dub.6.num. 132.* licere, poſt datam abſolutionem, dum confitens adhuc verſatur in ſacro tribunali: quia tunc fit per modum unius Judicii, & Confeſſarius adhuc fungitur ſuo officio: & ſæpè pro ejus integritate id eſt neceſſarium. Imò Suar. *cit. diſput.33. ſect.5. num 3.* & ex illo Laym. *lib. 5. tractat.6. cap.14 num. 15.* Filliucius, Nunnus, Diana apud Lug. *diſp.23. num. 139.* docent, & ſatis probabile eſſe fatentur Palao proximè citandus, & Dicaſtillo *diſp. 12.num.81.* allegans etiam Mercerum, & Hurtadum. Quando Confeſſarius commiſit defectum in Confeſſione, ex quo obligatur ad pœnitentem monendum, dicere illi poſſe, & debere (etiam extra Confeſſionem) ſe habere cum illo loqui de re neceſſaria, ad Confeſſionem pertinente: & quidem ſi ille conſentiat, jam habet facultatem: ſi verò renuat, dicat nihilominus, ſi commodè poſſit: quia tunc jam verè non loquitur extra Confeſſionem, ſed ſupplet, & perficit eam, quæ inchoata, imperfecta manſerat, & pœnitens tunc eſt irrationabiliter invitus. Verùm quia Judicium Sacramentale poſt datam abſolutionem, ac Pœnitentis dimiſſionem jam eſt perfectum, & abſolutum, ideò meritò oppoſitam ſententiam, quoad poſteriorem partem aſſertionis Lugo aſſerit probabiliorem, & communiorem.

251 Certum etiam eſt, quòd non tantùm intra eandem Confeſſionem, ſed etiam in poſteriori Confeſſione loqui liceat de prioris Confeſſionis peccatis, & ſæpè eſt neceſſarium ad corrigendam conſuetudinem peccandi. Tunc enim Confeſſarius agit Perſonam DEI, & Legitimi Judicis, & Medici, ad quæ Officia intra Confeſſionem utiliter gerenda, neceſſariò habere debet poteſtatem in ipſum ſtatum pœnitentis; qui ex præteritis Confeſſionibus cognoſcitur. His tamquam certis ſuppoſitis:

Reſpondetur primò transmiſſa quæſtione. Nominis 252 utrùm erga ipſum pœnitentem detur obligatio ſigilli, quam Authores communiter fatentur, non eſſe propriè dictam; quia pœnitenti non poteſt tamquam arcanum celari id, de quo ipſe ſe accuſavit, certum tamen eſt apud omnes, ut inquit Suar. *loc. cit. numer. 2.* non licere Confeſſario extra Confeſſionem loqui de rebus in Confeſſione auditis, etiam cum ipſo pœnitente, ſine facultate ejus. Pro qua reſponſione, à qua videtur diſſentire Vaſq. *quæſt.93. art.4. dub.10. num.9.* quàm plurimos nominatim allegat Sanch. *lib.3. de Matrimonio diſp.16. num. 3.* Ratio eſt, quia talis ſermo, vel haberet ſpeciem reprehenſionis, vel exprobrationis, vel certè alicujus confuſionis, qua pœnitens pudore ſuffunderetur: unde talis faſtidioſus, & ingratus ſermo redderet Sacramentum pœnitentiæ odioſum. Quòd ſi tamen ſolummodò haberet rationem admonitionis neceſſariæ ad pœnitentem occultè dehortandum, ne ſe ingerat ad ſumendam Euchariſtiam in ſtatu ſui peccati mortalis, à quo propter indiſpoſitionem à Confeſſario non eſt abſolutus, inquit Eugenius Papa *in cap. Si Sacerdos de Officio Judicis Ordin.* & S. Th. *4. diſp.9. quæſt.1. art.5. quæſt. 1.* quòd Confeſſarius talem admonitionem facere debeat. Sed intellige, quòd debeat illam facere intra Confeſſionem, teſte Palao *tract.22. punct.19. §.3. num 15.* plures referente & Thoma Sanch. *lib.3. de Matr. diſp.16. n. 15.* citante utrumque Ledeſma.

Reſpondetur ſecundò de Uſu Scientiæ, cum advertentia Pœnitentis, juxta communiſſimam ſententiam 253 non omnem quidem eſſe illicitum, ſed illum, qui Sacramentum Pœnitentiæ redderet odioſum. In primis enim omnes fateri debent, quando *non Uſus* eſſet intrinſecè malus, Uſum non ſolùm eſſe licitum, ſed eſſe neceſſarium: quia DEUS non poteſt velle id, quod eſt intrinſecè malum, aut non velle id, quod eſt excluſivum mali. Hujuſmodi caſus plures poni poſſunt. E.G. Si aliquis conjugatus inſcia, vel invita Uxore ſuſcepiſſet Ordinem Presbyteratus, & *juxta Extravag. Antiquæ de Voto* cogeretur Uxori ſuæ cohabitare: ea autem poſteà in proximo periculo mortis conſtituta, ac deſtituta alio Confeſſario, Marito ſuo, quantumvis irregulari, confiteretur peccata ſua, atque inter alia, quòd ante Matrimonium peccaſſet carnaliter cum fratre hujus ipſius Mariti, ex quo iſte cognoſceret, Matrimonium ſuum fuiſſe invalidum, in tali caſu, quo eadem putatitia uxor deinde reconvaleſceret, utique dictus Sacerdos nec auderet petere, nec reddere debitum, etiamſi Uxor ſuſpicaretur, ſuum maritum aliam quidem cauſam neceſſariò prætendentem, uti ſcientia Confeſſionis, ex qua cognovit Matrimonium fuiſſe invalidum.

Alius caſus. Si aliquis Sacerdos conſtanter uſus eſſet Confeſſario, qui ſimulaverat ſe eſſe Sacerdotem, & ſi iſte dicto Sacerdoti confiteretur peccatum Sacrilegæ ſimulationis, Sacerdos ille, ut etiam notavit Fagundez *in 2. præcept. lib.6. cap.3. num.1.* utique non auderet pro more ſuo rurſum ficto Sacerdoti confiteri, & abſolutionem ab illo petere, quamvis fictus Sacerdos ſuſpicaretur, id fieri propter ſcientiam, ex Confeſſione perceptam, quæ qu dem mutatio Confeſſarii ex variis cauſis prætenſis fieri poteſt. Id verò, quod Lugo *diſput.23. num. 105.* & Dicaſtillo *diſp.12. numer. 158.* ſuggerunt, debere adhuc ficto Sacerdoti fieri Confeſſionem ſimulatam, & alteri veram, medium inutile eſt, quia uſum duplicis Confeſſarii etiam fictus Sacerdos, & alii advertere poſſunt: & præterea illicitum eſt, quia non licet fictè percipere Sacramenta, & ab altero petere fictam abſolutionem.

Item ſi Parocho famulus domeſticus confiteretur, ſe propter illatas ſibi ab eo frequentes contumelias grave odium & indignationem adverſus eum ſæpè concepiſſe; non tantùm licitè, ſed etiam ſub obligatione peccati Parochus ille deinceps à contumeliis abſtineret, quamvis famulus cognoſceret id provenire ex uſu ſuæ Confeſſionis. Et hæc quidem certa ſunt.

Sed Controverſum eſt, an Confeſſarius, nemine alio 254 præſente, licitè poſſit negare S. Euchariſtiam, quam ex Confeſſione ſcit peti ab indigno, atque de gravibus peccatis

eatis ſuis à ſe non abſolvo; etiamſi iſte advertat, Confeſſarium uti ſcientia Confeſſionis. Vel. An Parochus propter impedimentum dirimens Matrimonium cognitum ex Confeſſione, illud Matrimonium licitè non permittat, nec ſponſos conjungat, advertente pœnitente, id ob ſuam Confeſſionem fieri. De hoc poſteriori caſu videtur eſſe diſpar ratio. Nam ſi impedimentum, ex confitentis peccato ortum, utrique ſponſo eſt notum, & ſi alter ſponſus, qui ejuſdem peccati apud eundem Confeſſarium ſe non accuſavit, conſequenter advertere poſſit, à Parocho negari aſſiſtentiam Matrimonii propter impedimentum ex Confeſſione cognitum, vel ſi etiam alii ex conſanguineis, vel notis ſponſorum hanc cauſam ſuſpicari poſſint, certum eſt ex dictis, à Parocho non poſſe negari copulationem Matrimonii. Si tamen hujuſmodi diſpar ratio non intercederet, & ſi præcisè quæratur, an poſſint negari Sacramenta propter indignitatem ex Confeſſione cognitam, nemine alio præter ipſum petentem advertente, longè communiùs & probabiliùs reſpondetur affirmativè, non tantùm ſi Confeſſarius non ſit proprius Parochus, vel ſi pœnitens non petat eo tempore, quo Parochus tenetur adminiſtrare Sacramenta e. g. Euchariſtiam tempore Paſchali, ſed, ut contra quoſdam rectè advertit Vaſ. *tom.3. in 3. p. diſputat.209. capit.5.* etiamſi ſit proprius Parochus, & Euchariſtia petatur extra tempus Paſchale, quod tempus aliàs nihil facit ad rem, quia Parochus ſecluſa indignitate ſemper teneretur petenti adminiſtrare Euchariſtiam, ea autem indignitate cognita non tenetur, ſi aliquando uti licet ſcientia Confeſſionis.

Quòd autem uti liceat, juxta datam affirmativam reſponſionem, docent S. Thomas 4. *diſt.9. quæſt.*1. *art.*1. *quæſtiunc.*1. Vaſq. *loc. cit.* & apud hunc Durandus, aſſerens, approbanre Vaſq. neminem ante ſe contrarium docuiſſe. Alexand. S. Bonaventura, Major, Richardus, Angelus, Tabiena, Victoria, Ledeſma, quos refert, & ſequitur Suar. *tom.3. in 3. part. diſput.67. ſect.3* Palao *tractat.*21. *punct.*20. *num.*20. (qui tamen immemor dictorum ſuorum id rurſum negat *tract* 23. *punct.*19. § 3. *numer.* 20. aſſerens, certum eſſe licere, in aliis caſibus uti notitia Confeſſionis, ſolo peccatore advertente, v. g. poſſe confeſſarium negare Euchariſtiam, ſi conculcandam, vel ad uſus magicos adhibendam intellexiſſet; item poſſe non dare gladium, à ſe aſſervatum, ſi ad ſuam, vel alterius necem iſtud cogitatum ſcelus confeſſus à Sacerdote eum petiiſſet, de quo, ait Suarez *loc. cit.* nullum ferè Authorem dubitare. His Authoribus addi poſſent plures, quàm triginta, quos Sanch. *lib.3. de Matrim. diſput.*16. *num.*2. longo catalogo, & quidem univerſaliter pro omni uſu, cui prædicta Regula applicari poteſt, nominatim recenſet, quos etiam plurimi ſecuti ſunt, qui poſt illum ſcripſerunt: & quamvis ipſe *num.* 4. oppoſitam ſententiam teneat, fatetur tamen, quòd pro noſtra ſententia militent Authoritas tot tantorumque virorum, & fortiſſimæ rationes, quibus fulcitur, ut negari non poſſit, eſſe probabiliſſimam: pro ſua autem ſententia *num.*3. tantùm allegavit Armillam, & Bannez. Ad motum verò proprium Clementis VIII. & ad ſpeciale præceptum à P. N. Claudio Aquaviva Confeſſariis noſtræ Societatis datum, & allegatum, deinde reſpondebo, quod ipſe Sanch. *cit. num.*4. fatetur, ſano modo intelligendum eſſe, ſicut & ipſam ſuam ſententiam: non enim, inquit: tenetur confeſſor in omnibus perinde ſe habere, ac ſi nihil ſciret, ſed in his ſolùm, in quibus eſſet confuſio, & pudor pœnitenti: uti putat fore, ſi negaretur illi Euch. etiam nemine alio præſente, ob quam cauſam neque loqui licere cum pœnitente de peccato audito, nos ipſi diximus. Et ideò illius ſententiam amplexi ſunt Valent. Coninck, Fagundez, Layman. apud Palao *loc. citat. num.* 19. Cardin. de Lugo *de Pœnit. diſp.*23. *num.*126. Dicaſtillo *de Pœnit. diſp.*12. *numer.* 175. Tanner. *diſp.*5. *de Euch. q.*8. *dub.*8. & apud hunc Em. Saà Henriq. & quidam alii, etiam pro noſtra ſententia à Sanchez allegati.

255 Ratio autem, & præcipua probatio noſtræ ſententiæ, ac reſponſionis eſt. Quia ſi negando Euchariſtiam, Sacerdos privatim cum ipſo ſolo pœnitente utens ſcientia Confeſſionis, Sacramentum pœnitentiæ non reddit odioſum, & ſi ſine pœnitentis injuria, & quovis alio damno illi negari poteſt, tunc non tantùm licitè, ſed etiam neceſſariò negatur; eò quòd Sacramentum adminiſtrare indigno, & incapaci effectus, ac fructus Sacramentalis, ſine ſufficiente cauſa, à culpa & prohibitionis rigore excuſante, ſit grave Sacrilegium, & ſimul ſacrilega cooperatio ad Sacrilegium alienum indignè ſuſcipientis Sacramentum, ut argumentantur Authores citati, quamvis Suar. quoad neceſſitatem negandi Euchariſtiam *tom.* 4. *diſput.*33. *ſect.*6. *num.*4. receſſerit à priori ſua doctrina. Sed Sacramentum pœnitentiæ non redditur odioſum, quia nullum ex negata Euchariſtia, ut ſuppono, & requiro, incommodum, vel damnum emergit, nec fit injuria pœnitenti, utpotè nullum in tali caſu habenti Jus ad petendum, & accipiendum Sacramentum.

256 Dicunt quidem Adverſarii, Pœnitentem negatione Sacramenti ſubire confuſionem, & exprobrationem ſui peccati, non minùs, quàm ſi verbis peccatum ſibi objectum, & exprobatum eſſet. Reſp. hoc ipſo, quòd pœnitens ſciat, ſibi Sacramentum negari à Sacerdote non animo exprobrandi, ſed ne malè & indignè Sacramentum ſibi adminiſtretur, nulla confuſio, aut exprobatio ipſi infertur, præſertim quia Sacerdos facilè poteſt aliam cauſam etiam veram prætendere, nec opus eſt, illam veram cauſam verbis ſignificare.

257 Quemadmodum autem per inductionem oſtenſum eſt, qualiter liceat uti ſcientia Confeſſionis cum advertentia Pœnitentis propter grave bonum DEI, ita etiam per applicationem noſtræ Regulæ breviter, & in exemplis communiter receptis, oſtendo, quomodo liceat uti propter gravi bonum proprium, vel Proximi tum particularis, tum totius communitatis, vel ipſius etiam pœnitentis, ut videre etiam eſt apud Tan. *diſp.6. quæſt.9. dub.* 6. *num.*140. & apud Palao proximè citandum *numer.* 18. maximè apud Sanchez *lib.3. de Matrim. diſput.*16. *num.* 2. Si enim Confeſſarius ex Confeſſione noverit ab ipſo pœnitente ſtructas, vel ſtruendas ſibi inſidias, vel ſi ex domeſticis aliquis confiteatur, ſe ob malè cuſtoditas res ſuas frequentia damna, aut furta ipſi intuliſſe, vel ob defectum clauſuræ, & cuſtodiæ domus ſæpius egreſſum, vel complicem ad ſe ingreſſum eſſe ob fornicationem, vel ſi Confeſſarius ex confeſſione ſciret, à pœnitente depoſitum apud ſe gladium repoſci ad occidendum inimicum, depoſitas aut creditas pecunias repeti ad dandum eas meretrici, vel alium malum finem, vel prodendam à pœnitente civitatem: in his & ſimilibus caſibus liceret Confeſſario, nemine, niſi ſolo pœnitente, peccatum, & perſonam illius ex uſu ſcientiæ Sacramentalis ſuſpicante, hæc omnia mala impedire, nempè fugere inſidias, diligentiùs cuſtodire rem propriam, attentiùs vigilare, & ſi priùs remiſsè ſe gerebat, ſe emendare, ſuoque muneri ſatisfacere, non extraordinario modo, ut inquit Suar. ſed uſitato à prædeceſſoribus, ex quo nulla poteſt ſuboriri ſuſpicio. At verò parare inſidias non potes, non modò per alios, quod eſt certiſſimum, ſed nec per ſeipſum, quidquid aliqui ſenſerint: quia revera eſt res valdè odioſa, & periculoſa, quæ multùm averteret ſubditos à Confeſſione. Ita citatus Author. *diſput.33 ſect.7. num 9 & 10.* Poteſt etiam differre reſtitutionem gladii, vel pecuniarum, & impedire proditionem &c. Circa quam tamen, ut ex Henriq. coninck, Laym. rectè monet Palao *tr.*23. *punct.*19. §.3. *n.*12. Cautè procedendum, ne fortè detecta proditione in ejus Authores inquiratur, & horum manifeſtatione innoteſcat, eam ex Confeſſione originem trahere. Ideòque ajunt expedire, ut, ſi fieri poſſit, priùs à pœnitente licentia petatur.

Ratio horum omnium communiter à Doctoribus conceſſorum eſt: quia in his non poteſt pœnitens eſſe invitus, & licèt homines ſciant, hunc uſum Confeſſionis eſſe Confeſſariis licitum, non poteſt ideò ipſa reddi odioſa: immò potiùs Confeſſariis redderetur odioſum munus audiendi Confeſſionem, ſi quantumvis, nec directè, nec indirectè læſo Sigillo, nec ullo alio damno emergente Pœnitentibus, præter impeditionem peccati, iſta eſſent illicita Confeſſariis: cùm tamen non tantùm pœnitentibus, ſed etiam Confeſſariis, Confeſſio, vel ab illis facienda, vel ab iſtis excipienda non debeat fieri odioſa: ſi enim non ſint, qui excipiant Confeſſiones, etiam non erunt, qui faciant.

E con-

258 E contrario non licet uti ſcientia Confeſſionis, quando aliud diverſum damnum pœnitentibus, ab obligatione ſub culpa mortali ad id ſubeundum aliàs liberis, inde eveniret, e. g. Si Confeſſarius aſperiore vultu, verbis, vel alia actione illis ſua peccata exprobaret, ſi ab officio, vel famulitio reum repelleret, vel Confeſſionem Sacramentalem peragenti, ſed ob indiſpoſitionem non abſoluto, teſtimonium peractæ Confeſſionis negaret, ut tradunt Medina, Henriq. (qui tamen *lib. 6. cap. 22. n. 3. & 4.* rem quaſi in Confeſſarii arbitrio ponit) Coninck, Laym. Fagundez relati & approbati à Palao *loc. cit. num. 4.* contra Bonacinam *diſput. 5. quæſt. 6. ſect. 5. punct. 4. num. 7.* & Lugo *diſp. 23. num. 87.* & Dicaſtillo *diſput. 12. num. 120.* quos miror concedere, quòd Confeſſarius poſſit petenti negare ſchedam Confeſſionis, ne cooperetur impœnitentiæ peccatoris, teſtimonio confeſſionis abutentis ad continuanda peccata, & tamen negare (prout etiam negat Dicaſtillo *loc. cit. num. 175.* revocans priorem ſuam doctrinam in primo tomo traditam) quòd poſſit, Euchariſtiam occultè petenti denegare: quia, inquit Lugo *n. 12*. hoc redderet confeſſionem difficiliorem, ſi ſciret pœnitens, poſſe confeſſarium ei poſteà petita negare, & reſiſtere propter notitiam in confeſſione habitam. An non hæc verba poſſunt retorqueri in negationem ſchedulæ quæ tamen negatio pœnitenti poteſt eſſe graviter damnoſa? An non miniſtratio Euchariſtiæ eſt immediatior cooperatio ad Sacrilegam acceptionem? Itaque ratio pro prædictis caſibus eſt, quia in illis omnibus per uſum ſcientiæ confeſſionis pœnitenti inferretur aliquod malum ſaltem temporale, & æſtimabile, reddens onerosam, & exoſam confeſſionem, non conſiſtens præcisè in impeditione peccati, vel occaſionis peccandi: ergo non licet confeſſario, illa ſcientia uti; etiamſi peccator ex propria malitia inde ſibi ſumat occaſionem liberiùs peccandi, ut rectè docent Coninck, Martinus Delrio, Layman. Palao illos ſecutus *loc. citat. num. 20.*

§. III.

Quomodo extra Confeſſionem ſit illicitus uſus Sigilli Confeſſionis etiam in bonum ſpirituale ipſius Pœnitentis.

S V M M A R I V M.

259 *Propter nullum ſive commune, ſive privatum bonum procurandum, aut malum impediendum, licet indignum ad officium, aut beneficium, ab obtinendo impedire, vel ab obtento removere.*

260 *Oppoſitæ ſententiæ praxis non tantùm eſt à Clemente VIII. Omnibus Regularibus, & noſtræ Societati ab Adm. R. P. Claudio Aquaviva Præpoſ. Gener. prohibita, verùm etiam eſt Sæcularibus Confeſſariis omnibus Jure Divino illicita.*

261 *Unde Electio indigni ad beneficium, etiam curatum, tunc tantùm eſt intrinſecè illicita, quando fit ſcienter, ſcientia humana, & utili ad dirigendam electionem.*

262 *Specialis erat ratio, ſupra numer. 260. indicata, quare Pontifex definierit, & declaraverit prædictum uſum notitiæ Confeſſionis illicitum Regularibus; ex quo proinde non rectè infertur, eſſe licitum Sæcularibus.*

259 GRaviſſima, multùmque olim agitata, ac uſque ad Clementem VIII. controverſa quæſtio erat, an confeſſario liceret uti ſcientia confeſſionis, nemine alio, & nec ipſo Pœnitente quidquam advertente, vel ſuſpicante de tali uſu. E. g. An liceret, alia cauſa prætenſa & ab omnibus ipſoque pœnitente credita, eum ab Officio vel Beneficio, vel loco removere, vel ab eo obtinendo impedire, quem quis non niſi per confeſſionem ſcit, eſſe indignum, ineptum, obnoxium inde ſecuturis graviſſimis & moraliter certò inſuperabilibus periculis peccandi ac relabendi: quando ipſe pœnitens nullum Jus ad ejuſmodi bona obtinenda, vel retinenda haberet; atque in confeſſarii libera poteſtate eſſet, pro ſuo arbitrio circa illa diſponere.

Reſpondetur. Quidquid ante Clementem VIII. ſenſerint graviſſimi Doctores, ſententia negativa nunc indubitanter tenenda eſt; uti eam tenent Thom. Sanch. *lib. 3. de Matrim. diſput. 16. num. 4. & 6* Coninck, *diſput 9. dub. 4.* Fagundez *in 2. Præcep. 6 cap. 3. à numer 1.* & apud ipſum Franciſcus Suarez *in editione Conimb. diſput. 33. ſect. 7. num. 4.* Bannez *2. 2. quæſt. 33. art. 8. ad Finem* Richard. *4. diſt 21. numer. 4. quæſt. 2. ad 4.* Delrius *lib. 6. diſquiſ. Magic. ſect. 2.* Valen. *tom. 4. diſput. 7. quæſt. 13. punct 3.* præter hos à Diana *tom. 1. par. 3. tract. 4 Reſol 76* referuntur Beja, *punt. 3. caſ. 10.* Malderus *tract. de Sigillo cap. 14.* & ipſe Diana ait: contrariam ſententiam eſſe periculoſam, ac nocivam honori ac religioni Sacramenti: rurſum repetit ſuam ſententiam, & pro ea citat Onuphrium *opuſc de Sigil. ſect. 2. quæſt. 2. dub 2.* Granado *in 3. par. cont. 7. tract. 11. diſput. 7. num. 5.* Præpoſ. *3. par. quæſt. 11 dub. 7. num. 52.* Moſcolo *in Summ. tract. 7. cap. 15. num. 4.* His addo Armillam *Verb. Confeſſor. num. 7.* Laym. *lib. 4. tract 6. cap 15. num. 22.* Lugo *diſput. 23. ſect. 5. num. 94.* Dicaſtillo *tract. 8. diſput. 12 dub. 7. à num. 140.* Buſenbaum *lib. 6. tract. 4. cap. 3. dub 1. num. 5.* Tambur. *lib. 5. cap. 6. §. 2. num. 7.* Bonacinam (ab aliquibus falsò in contrarium relatum) *tom. 1. diſp. 5. de Pœnit. quæſt. 6. ſect 5. punct. 4. num. 14. & 16.* Palao *tract. 23. punct 19. §. 3. num. 20.* Gobat. *tract. 7. num. 882.* Et noſter P. Gener. Claudius Aquaviva *in lib. Ordinat. Inſtruct. 5 anno 1590.* ante Conſtitutionem Clementis VIII. Omnibus Doctorum noſtræ Societatis ſeverè præcipit, *ne contrariam doctrinam uſquam introducant, nec illam publicè aut privatim doceant, nec ea utantur ullo modo, ſed ita prorſus in omnibus caſibus ſe gerant Confeſſarii, ac ſi in Confeſſionibus nihil penitus audiviſſent, ſibique perſuadeant, ut humanarum rerum regimen ab hoc Sacramento longiſſimè diſtat, ita debere ab eo nullatenus pendere.* Quæ quidem verba, inquit Sanch. *loc. cit.* ſano modo intelligenda ſunt; imò ipſe Claudius ut teſtatur Tannerus *diſput 6. quæſt. 9. dub. 6. num. 143.* in quodam reſponſo *anno 1603.* in Germaniam noſtram miſſo his ſe verbis declaravit: *Mentem ac propoſitum ſuum fuiſſe, ejus notitiæ duntaxat uſum prohibere in iis, quæ pertinent ad regimen, & gubernationem Superiorum:* quæ declaratio etiam eſt conformis verbis relatis *ſibique perſuadeant &c.* Unde ſtatutum P. Claudii omninò ſimile eſt illi, quod Clemens VIII. *anno 1594. die 26. Maij* edidit *in Decreto de Caſibus reſervat. pro omnibus Religioſis*, qui *c. 4.* hæc habet. *Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarii, qui poſteà ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.*

Licèt autem Pontifex in hoc decreto tantùm loquatur de confeſſariis Regularibus, & ideò Suar. *diſput. 33 ſect. 7. num. 4.* in mea editione Moguntina (nam ſupra citatam Conimbricenſem non vidi, ſed ex Fagundez retuli) & Tannerus *loc. cit.* de his ſolis intelligendum, & Jure tantùm humano ab ipſis ſanctè obſervandum cenſuerint; meritò tamen cum Emin. Card. de Lugo *diſput. 23. ſect. 5. num. 94.* & Dicaſtillo *diſput. 12. num. 141.* aſſeritur, illud in Jure Divino ipſius Inſtitutoris Pœnitentiæ Sacramentaliſ eſſe fundatum; & proinde æqualiter ab omnibus confeſſariis, etiam ſæcularibus in electionibus & ſuffragiis ad quævis officia, & beneficia inviolabiliter eſſe cuſtodiendum. Quia Chriſtus Dominus cum tali obligatione Sigilli, & uſus notitiæ Sacramentalis prohibitione Sacramentum Pœnitentiæ inſtituit, eſt neceſſaria, ut Sacramentum hoc quàm minimè reddatur odioſum, & hoc de ſapientia Inſtitutoris pro certo ſupponendum eſt, ita ut in hoc neceſſe non fuerit, ullum defectum à Clemente VIII. ſuppleri; ſed tantùm neceſſe fuerit admonere regulares confeſſarios (apud quos propter frequentem officiorum, confeſſariorum, & ſuperiorum mutationem, ac Subditorum majorem ſubjectionem, propriique honoris in manus Superiorum per Votum obedientiæ liberam reſignationem, frequens foret occaſio violandæ obligationis: & proinde ex parte pœnitentium major ratio metuendi, vel ſuſpicandi uſum notitiæ, tamquam ſuppoſitum, ut licitum) ne licentiam utendi notitia confeſſionis ſupponant, vel à Doctoribus illam affirmantibus ſe ad eam induci ſinant. 260

Evidens autem & moraliter certum eſt, quòd per hanc licentiam Sacramentum pœnitentię univerſaliter, & non tantùm apud Regulares redderetur odioſum. Ergo etiam evi-

evidens , & moraliter certum eſt, neque reſpectu confeſſariorum ſæcularium dari licentiam utendi notitia confeſſionis in promotione & electione ad Officia , & Beneficia.

261 Quandò verò opponitur eſſe intrinſecè malum , indignum ſcienter eligere ad Beneficia Eccleſiaſtica, præſertim curata, facilè reſpondetur , id intelligendum tantùm eſſe de eligente ſcienter ſcientia utili , ſive ſcientia humana, quæ ſervire nobis poteſt, & debet ad dirigendas noſtras operationes . Propterea etiam Eugenius Papa *in cap. Si Sacerdos 2. de Officio Judicii Ordinarii* , negat Epiſcopum aut Ordinarium, qui aliàs ſcienter non debet reos ſcelerum relinquere impunitos, poſſe aut debere uti notitia confeſſionis, dans hanc rationem . *Quia non ut Judex ſcit ; ſed ut DEVS* . Unde omnes fateri debent , quòd Elector non poſſet negare ſuffragium indigno, quando inde apud alios oriretur ſuſpicio occultæ notitiæ ex confeſſione . Hæc ergo notitia perinde eſt , ac ſi non eſſet : & electio ſic cogniti indigni, eſt quaſi ignoranter facta : intrinſeca verò malitia electionis indigni non eſt completa, niſi per ſcientiam utilem . Sic etiam alibi diximus condemnationem hominis innocentis , à Judice privata notitia cogniti innocentis, non eſſe abſolutè, & completè, intrinſecè malam, quando procedit Judex ſecundùm allegata, & probata adverſus Judicem convictum, ita ut privata notitia Judici non proſit ad liberandum innocentem, cujus liberandi nullum aliud ſuppetit medium.

262 Quòd ſi ulteriùs opponas , hoc ipſo , quòd Clemens VIII. ſolos confeſſarios regulares in ſuo Decreto expreſſerit, horum à licito uſu Exceptio firmat Regulam, qua aliis confeſſariis reddatur licitus uſus notitiæ confeſſionis, Reſponſionem infero ex dictis: quia nempè ſpecialis ratio, & periculum frequentioris abuſus erat apud Regulares: ex altera verò parte ſupponendum eſt , Pontificem ad peculiarem etiam rationem reſpexiſſe , quò minùs univerſaliter declaret obligationem Juris Divini , quo omnes confeſſarii etiam ſæculares obſtringuntur . Sic enim multas alias controverſias exempli gratia de prædeterminatione phyſica liberati arbitrii creati , de Immaculata Conceptione Beatæ Virginis, de ſcientia DEI quoad conditionatè futura libero arbitrio creato &c. juſtas ob cauſas Summi Pontifices non definierunt.

§. IV.

An Obligatio Sigilli ſolum Confeſſarium , & ad ſola peccata celanda obſtringat.

SUMMARIUM.

263 *Quinam præter Confeſſarium ad Sigillum Confeſſionis teneantur.*

264 *An Sigillum Confeſſionis ad ſola peccata celanda obliget.*

265 *Conſenſus pœnitentis ſufficit ad uſum notitiæ de peccato complicis perceptæ, pro illius directione.*

266 *Reſpondetur ad fundamentum contrarium.*

267 *Oſtenditur utilior modus corrigendi complicem, ſine uſu notitiæ Sacramentalis.*

268 *An Pœnitens Sigillo Confeſſionis adſtringatur.*

263 AD primum reſpondetur ex communi, & certiſſimo Doctorum conſenſu cum S. Thoma 4. *diſt.* 21. *quæſt.* 3. *artic.* 1 *quæſt.* 3. obligatione Sigilli non tantùm ex Fidelitate, vel Juſtitia, ſed etiam ex Religione, & reverentia Sacramenti, præter confeſſarium (qui tamen ſolus ſubeſt pænæ *in cap. Omnis utriuſque ſexus de Pœnit. & Remiſſ.* ſtatutæ) ſub gravi peccato obſtringi etiam Interpretes, adſtantes, qui caſu, vel ex malitia, vel ex neceſſitate peragendi confeſſionem publicè, v.g. in Naufragio, aliquid ſub Sigillum cadens audiverunt , vel qui mediatè perceperunt ab his, ſive ſacrilegè Sigillum violantibus, ſive (ut cum S. Thom. *loc. citat. art.* 2. *ad* 4. communior contra nonnullos eſt opinio) etiam ex conſenſu Pœnitentis, confeſſario tantùm pro petendo conſilio , vel pro petenda facultate abſolvendi à reſervatis , vel ob aliam cauſam limitatè conceſſo, cum perſonæ concedentis notitia, aut ſuſpicione . Quia etiam hæc cognitio mediata cauſatur à Sacramentali confeſſione , tranſmittente obligationem Sigilli etiam ad ipſos Auditores , conſenſus, ut ſuppono, non eſt datus, ut confeſſarius pœnitentis nomine, quaſi diſtinctam, & novam ſcientiam communicatis agat, ſed tantùm ut utatur notitia Sacramentali. Illos tamen, qui tantùm conſilii cauſa ab ipſo pœnitente aliquid cognoverunt extra confeſſionem jam peractam , aut in ordine ad illam peragendam , vel qui ſolùm extra Confeſſionem Schedam Pœnitentis peccata continentem, legerunt (quod quidem cognito, nec conſentiente pœnitente, grave foret peccatum injuſtitiæ, ut limitat Palao, aſſerens tamen , vix contingere poſſe, certò ſciretur, nullum contineri peccatum mortale) communiter docent Doctores, ut Navar. Suar. Henriq. Coninck, & Bonacina, Laym. relati , & approbati à Palaó *tract.* 23. *pun.* 19. §. 4. *num.* 10. tantùm ad ſilentium naturale adſtringi ; quia non ex confeſſione formaliter ſumpta, Sacramentum Pœnitentiæ conſtituente, neque dependenter ab illa notitiam peccatorum acceperunt: neque enim ſufficit , illorum annotationem fuiſſe ordinatam ad confeſſionem peragendam , vel ex eadem fuiſſe peractam : quia obligatio Sigilli debet oriri ex actuali confeſſione, notitiam immediatè, vel mediatè cauſante, ſcripta autem annotatio peccatorum non eſt actualis confeſſio, neque eſt effectus confeſſionis , quo mediante confeſſio actualis parit notitiam peccatorum ; præterea non eſt ſignum , quo pœnitens manifeſtat ſua peccata confeſſario, ſed quo manifeſtat ſibi ipſi, in memoriam illa reducendo . Unde ſi pœnitens ipſam ſcripturam confeſſario exhibuiſſet, & per eam confeſſus eſſet, eò quòd uſum linguæ per morbum, vel per quamcumque aliam cauſam perdidiſſet, tunc is, qui cum confeſſario ſchedam confeſſionis actualis rationem eo tempore habentem legeret , ſine dubio obligationem Sigilli ſubiret, ſicut etiam , ſi pœnitens per ſigna , & nutus ſua peccata explicaſſet. Imò ſi confeſſarius poſtea ſchedam illam perdidiſſet , Layman à Palao immeritò improbatus, rectè docet , illi obligationem Sigilli futuram annexam, etiamſi enim non ampliùs eſſet confeſſio, ejus tamen amiſſio, & inventio eſſet effectus confeſſionis factæ per traditionem , & acceptionem ſchedæ.

Ad ſecundum reſpondetur cum S. Thoma *loc. citat. art.* 264
1. *quæſtiunc.* 2. & rurſum communi, ac certiſſimo conſenſu Doctorum , ad Sigillum ſpectare etiam circumſtantias peccati, etiamſi ſint defectus merè naturales , ſed occulti, modò ſint ex intentione diſtinctiùs declarandi peccatum expoſiti, quorum manifeſtationem pœnitens ſæpè iniquiùs feret , quàm ipſius peccati ; ut ſi quis conſiteretur, quòd defectum Natalium in promotione ad ordines reticuiſſet, non tantùm non liceret prodere peccatum pœnitentis, ſed neque illegitimam nativitatem : Item ad Sigillū ſpectat peccatum alterius, quàm pœnitentis: ut ſi quis ſe accuſaret, quòd Petrum de adulterio infamaſſet , etiam Petri adulterium ex Religione Sacramentalis Sigilli tacendum eſſet : quia hujus manifeſtatio etiam pœnitenti meritò poſſet eſſe ingrata, & Sacramentum odioſum redderetur , niſi etiam ad tale ſilentium obligaret.

Hinc verò oritur alia quæſtio . An obligatio Sigilli 265
dependeat à ſolius pœnitentis voluntate ita ut , eo conſentiente , poſſit confeſſarius notitia peccati alterius uti ad ipſum corrigendum, vel admonendum, vel an in ordine ad hunc finem etiam ab altero facultatem petere deberet , cum ipſo de crimine occulto loquendi. Non ſufficere ſolius Pœnitentis conſenſum , docent Palud. Sotus, Bannez, Angelus. Roſella apud Palao *tractat.* 23. *punct.* 19. §. 3. *num.* 16. Richardus, Major, quos ſequitur Tanner. *diſput.* 6. *num.* 145. Vaſq. *quæſt.* 93. *art.* 4. *dub.* 5. *num.* 5. communior tamen & probabilior eſt ſententia contraria S. Thomæ *Opuſc.* 12. *quæſt.* 6. ubi dicit : licere revelare in confeſſione complicem ad ſalvandum ordinem correctionis fraternæ, conſequenter indicat, eam revelationem poſſe confeſſario ſervire ad complicem fraternè corrigendum. Eandem ſententiam tenent etiam D. Anton. Capreolus, Soncinas, Adrianus, Gab. Sylv. Raymundus Alenſis, Tabiena , Gerſon , quos refert , & ſequitur Suar. *diſput.* 34. *ſect.* 4. *num.* 4. Navar. Henriq. apud Tannerum Dicaſtillo *diſp.* 12. citans Onuphrium , & Reginaldum Lugo *diſp.* 23. *numer.* 138. Palao *loc. citat.*

Ratio

Ratio hujus ſententiæ eſt: Quia obligatio Sigilli, & non utendi notitia confeſſionis, niſi in caſibus ſupra exceptis, introducta eſt, ne Sacramentalis confeſſio peccatorum redderetur exoſa, illam peragentibus, ne adeòque homines retraherentur ab illa peragenda. Atqui modò non ſit licitum uti hujuſmodi notitia ad corrigendum alterum, cujus peccatum in confeſſione revelatum eſt, ipſo revelante non expreſsè conſentiente, obtinetur totus finis inductæ obligationis: ergo eadem obligatio non ulteriùs ſe extendit.

266 Nec contraria ſententia hujuſmodi extenſionem ſufficienter probat. Licèt enim dicat, quòd quia alterius peccatum in confeſſione revelatum eſt, is etiam gaudere debeat Jure, obligante confeſſarium eo modo, quo obligatur erga pœnitentem propria peccata confitentem; & quòd aliàs Sacramentum fieret exoſum illis, quorum peccata per illud revelantur: Ex fine tamen prædictæ obligationis patet ad utrumque diſparitas, nec paritas ulteriùs probatur. Ad poſterius poteſt quidem concedi, quòd revelatio peccati à pœnitente facta, & confeſſarii notitia, ac ejuſdem uſus poſſit quidem eſſe ingratus alteri, ſed quia pœnitens ex fine correctionis fraternæ licitè poſſet etiam extra confeſſionem peccatum alterius eidem Sacerdoti revelare, & iſte uti poſſet hac notitia revelationis, ideò non ſpecialiter redditur exoſum Sacramentum, nec tali odibilitate, quæ impediat ſuſceptionem Sacramenti: imò ei, qui corrigendus eſt, magis poteſt eſſe optabile, ſi revelatio ſui peccati fiat in confeſſione, & muniatur Sigillo, quo prohibetur alteri tertio quidquam manifeſtare, in quem non conſentit ipſe pœnitens.

267 Unde Confeſſarius diligentiſſimè caveat, ne ultra expreſſum conſenſum pœnitentis, vel minimùm progrediatur, vel ne pœnitentem, aut factam ſibi confeſſionem prodat, niſi in hoc ipſum pœnitens conſenſerit. Et quamvis mihi placeat Conſilium Tanneri, ut confeſſarius judicans, notitiam peccati alterius ſibi utilem fore, ad illum corrigendum, non tamen petat licentiam ipſius uſus, ſed potiùs petat, ut illud peccatum alterius pœnitens ſibi manifeſtat extra confeſſionem, ad omne periculum Scandali, vel ſuſpicionis contra fidem, & arctitudinem Sigilli Sacramentalis evitandum, & ad reum etiam, ſi oportet convincendum: videtur tamen ejus executio difficilis, quando alter erat complex pœnitentis, & quando proinde pœnitens etiam ſuum peccatum extra Confeſſionem manifeſtare deberet.

Denique quæri poteſt, an ipſe etiam pœnitens comparatione confeſſarii ſubeat obligationem Sigilli. Reſp. Non tantùm non ſubire obligationem Sigilli Sacramentalis, ſed aliquando etiam teneri ad manifeſtandum confeſſarium, nempè ſi pœnitentem, ſive marem, ſive feminam ſollicitaſſet ad turpe flagitium, tenetur pœnitens ex decreto Bullæ editæ à Gregorio XV. *Anno* 1622. *die* 30. *Auguſti* denunciare confeſſarium vel Officio S. Inquiſitionis, vel ubi hæc non eſt, Epiſcopo loci: ideò prohibita eſt ab Alexandro VII. hæc propoſitio 7. *Modus evitandi obligationem denunciandæ ſolicitationis eſt, ſi ſolicitatus confiteatur cum ſollicitante, hìc poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi*, cui immediatè præmiſit, & prohibuit etiam iſtam, huc pertinentem. *Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſteà legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus*. De prædicta Bulla autem Gregorii XV. videri poteſt Palao *p.* 1. *tractat.* 4. *diſput.* 9. *punct.* 1. Et quinquaginta quinque caſuum Reſolutiones apud Dianam *p.* 4. *tractat.* 5. *per totam*. 268

DISPUTATIO VII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

ARTICULUS I.

De Materia Extremæ Unctionis.

SUMMARIUM.

1 *Materia remota Extremæ Unctionis eſt purum oleum Benedictum.*

2 *Poteſt hujus Benedictio à Summo Pontifice etiam committi ſimplici Sacerdoti: unde differt à Chriſmate; quia hoc continet etiam Balſamum, benedicitur alia formula, & ſolùm ab Epiſcopo.*

3 *Materia proxima eſt actualis Unctio, cui non eſt eſſentiale, ut fiat in forma Crucis.*

4 *Probabiliùs, rationem ſpectando, ſufficit unius ſenſus Unctio.*

SAcramento Pœnitentiæ ſubjungitur Sacramentum Extremæ Unctionis, quia ut Tridentinum *ſeſſ.* 14. *capitul.* 9. inquit: *Non modò pœnitentiæ, ſed, & totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia eſſe debet, conſummativum exiſtimatum eſt à Patribus*. Unde credibile eſt, etiam poſt pœnitentiæ inſtitutionem primùm à Chriſto Redivivo inſtitutum fuiſſe, ut rurſum indicare videtur Tridentinum *citat. ſeſſ. de Inſtitut. Extremæ Unctionis capitul. primo*, ubi ait: apud Marcum tantum fuiſſe inſinuatum (cùm de Apoſtolis *capit.* 6. *verſic.* 13. dicitur: *Et ungebant oleo multos ægros, & ſanabant*) ſimili ferè modo, quo impoſitione manuum inſinuabatur inſtitutio confirmationis poſt Chriſti Aſcenſionem initium ſumpturæ. De hac itaque Extremæ Unctione hic

1 Quæritur. Quæ ſit ejus materia remota, & proxima. Reſpond. Ex Tridentino *loc. proximè citat.* Materiam remotam eſſe Oleum ab Epiſcopo benedictum. Differt itaque Materia remota Extremæ Unctionis à Materia Confirmationis, quòd illius ſit purum oleum, licèt latiori vocabuli uſurpatione in formula benedicendi Oleum infirmorum, quæ habetur in Pontificali Rom. & ab Innocentio I. *cap. Illud ſuperfluum diſtinct.* 95. Chriſma appelletur, ab Epiſcopo conficiendum, non admixtione Balſami, quæ quidem, ſi modica eſſet, valorem materiæ non impediret, ſed benedictione, qua ex intentione Epiſcopi ordinatur, non ad Confirmationem, ſed ad Extremam Unctionem conferendam: Unde licèt aliqui doceant, Chriſma, quo confirmandi, & baptizandi unguntur, eſſe quidem materiam illicitam; ſed validam, probabiliùs tamen, ut colligitur *ex cap. unico de Sacra Unctione*, cum aliis dicitur, non eſſe validam, vel ſaltem ſub conditione (præmonitis circumſtantibus, ne ſcandalizentur) propter majorem ſecuritatem Unctionem per chriſma exhibitam eſſe repetendam, adhibito puro oleo olivarum, ab Epiſcopo neceſſariò neceſſitate Sacramenti, non tantùm neceſſitate præcepti benedicto; ut conſtat ex Florentino & Trident. *cit. ſeſſ.* 14. *cap.* 1. & S. Thoma 4. *diſt.* 23. *quæſt.* 1. *a.* 3. *q.* 3. cum aliis Theologis communiter, prout etiam de materia confirmationis diximus, cum qua inſuper in hoc convenit, quòd ſingulis annis in Cœna Domini renovari debeat, & ſine neceſſitate non liceat uti antiquo oleo, neque aliud non benedictum admiſcere, quod tamen in neceſſitate liceret, præſertim ſi iſtud non in majori quantitate admiſceretur.

Differt verò Benedictio Olei, à Benedictione Chriſmatis non tantùm in formulis, utrique Benedictioni ſpecialibus, ab Eccleſia ex Chriſti commiſſione uſurpari ſolitis, ſed etiam in hoc, quòd Benedictio Chriſmatis ut ſuo loco dixi, nequeat committi ſimplici Sacerdoti, Benedictio Olei autem poſſit à Summo Pontifice Simplici Sacerdoti committi, & teſte Joanne Bapt. Gonet *diſput.* 1. *de Extr. Unct. num.* 26. ex Arcudio *lib.* 5. *de Sacrament. capit.* 2. de facto in Eccleſia Græca peragatur à ſimpli- 2

plici Sacerdote, moremque hunc approbaverit Clemens VIII. dicens *in Inſtruct. de Ritibus Græcorum*, quæ habetur *tomo* 3. *Bullarii fol.*47. *Non ſunt cogendi Presbyteri Græci, Olea Sancta, præter Chriſma ab Epiſcopis Latinis diœceſanis accipere, cùm hujuſmodi olea ab iis in ipſa Oleorum, & Sacramentorum exhibitione ex Veteri ritu conficiantur, ſeu Benedicantur. Chriſma autem, quod non niſi ab Epiſcopo etiam juxta eorum ritum Benedici poteſt, cogantur accipere*. Ratio diſparitatis eſſe poteſt, quòd quia per Confirmationem confertur perfectior gratia, & effectus nobilior, ideò etiam nobilior Materia, & Miniſter Materiæ conficiendæ nobilior, à Chriſto Inſtitutore Sacramentorum ſit requiſitus.

3 Ad ſecundam partem quæſtionis Reſp. Materiam proximam eſſe Inunctionem Olei Benedicti, ſicut in Baptiſmo eſt ablutio, & in Confirmatione Inunctio Chriſmatis. Ratio eſt, quia Unctio inquit Tridentinum *loc. cit.* aptiſſimè Spiritus Sancti gratiam, qua inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat. Quamvis verò pariter fiat per formam crucis, ſicut in Confirmatione, qua homo adſcribitur militiæ Chriſti ſub vexillo Crucis, non eſt tamen ſimiliter neceſſaria hæc formatio Crucis ad valorem Sacramenti, ut teſte Tannero omnes fatentur. Imò Suar. *diſput.*40.*ſect.*2. *num.*3. negat eſſe neceſſariam ex præcepto graviter obligante, ſecluſo contemptu.

4 Controverſia tamen eſt inter Auctores, an ad valorem Sacramenti ſaltem eſſentialiter, licèt non integraliter perfecti, ſufficiat ſimplex inunctio unius tantùm ſenſus, vel an omnium quinque ſenſuum, aut partium vicinarum ei, quo quis caret, inunctio requiratur. Utraque ſententia tum ob auctoritatem, tum ob rationem eſt probabilis, poſterior Auctoritate præſertim S. Thomæ *loc. citat. art.*2. *quæſt.*1. *ad* 3. ac 3. *p. quæſt.*32. *art.*6. & aliorum DD. communiter, prior mihi videtur ratione prævalere, & non tantùm eſſe probabilis, qualem fatentur Suarez, Laym. Coninck, Palao, Amicus, Eſparza, Tannerus, *diſput* 7. *art.*1. *num.*18. allegans approbationem Academiæ Lovanienſis *Anno* 1588. & praxim in Belgio pro tempore peſtis introductam, cui Amicus *diſput.*19. *ſect.*4. pro eodem periculo contagionis evitando addit praxim in Auſtria, ubi ille degebat, & Inſtructionem duplicis Paſtoralis Mechlinienſis *Canon.*9. (quem quidem Gonet *diſputat.*1. *numer.*33. ex Martinono teſtatur *Anno* 1608. ex Decreto Concilii Synodalis fuiſſe deletum) ac Paſſavienſis *Canon.* 11. Verùm etiam cenſeo, hanc ſententiam eſſe probabiliorem cum Silvio Chapeavilla, Becano apud Amicum; quia plurium Unctionum neceſſitas, neque ex Epiſtola S. Jacobi, neque ex Conciliis, neque ex ratione efficaci convincitur, ex praxi Eccleſiæ autem plùs probari non poteſt, quàm gravis obligatio ungendi omnes ſenſus; ſaltem unum ex ſingulis duplicatis. Nam ſi tantùm unus oculus, vel una auris ungeretur, uti etiam, ſi efformatio Crucis omitteretur, quando properandi neceſſitas urgeret, nullum eſſet peccatum; imò conveniret ſic conferre Extremam Unctionem, quando non eſſet ſpes, eam aliter abſolvendi, quo in caſu forma tantùm ſemel eſſet enuntianda omnibus ſenſibus ſimul enumeratis, per viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum. Et ſicut omiſſa inunctione renum, quæ communiter, & reſpectu fœminarum valdè decenter, juxta Rituale Romanum Pauli V. omittitur, non impeditur valor Sacramenti, uti neque impeditur omiſſa inunctione pedum, quæ juxta praxim diœceſanam omitti vel non omitti debet, ita nec videtur impediri alterius ſenſus inunctione omiſſa, præſertim cùm unica Unctione poſita jam totus homo dicatur inunctus, ſicut una merſione dicitur ablutus, ita ut olim tantùm ex precepto in baptiſmo triplex fuerit neceſſaria; adeòque Florentinum præcipiens ſeptem partium prædictarum inunctionem, non propter valorem, ſed propter retinendam Eccleſiæ conſuetudinem, in quantum hæc in quavis Diœceſi viget videtur illam præcipere, cùm valdè credibile ſit, Chriſtum inſtituentem Sacramentum unctionis, noluiſſe ſuſpendere vim practicam cujuſque formæ partialis, quæ in ſingulorum ſenſuum inunctione profertur, donec omnes abſolvantur, ſicut alibi diximus, Euchariſtiam ſub ſpeciebus panis ſumptam probabiliter non ſuſpendi quoad cauſandam gratiam, donec etiam ſub ſpeciebus vini à Sacerdote ſumatur.

Deinde omnes fatentur, extremam Unctionem validè recipi, ſi recipiens tantùm per unum ſenſum peccavit; & ſi forma tantùm reſpectu illius abſolutè verificatur: ergo Unctio talis ſenſus ſufficit ad valorem Sacramenti: & cæterorum ſenſuum Unctio, & delictorum per illos numquam commiſſorum deprecatio merè conditionata, tantùm ſervit ad complendum ritum ac ceremoniam neceſſitate præcepti, non Sacramenti debitam: quia forma Sacramentalis, ſi non abſolutè verificetur, non cauſat abſolutè gratiam ex opere operato, ſed debet conditio, ſi qua adjecta eſt, vel fuiſſe impleta, vel haberi pro non adjecta: implicat autem contradictionem, haberi pro non adjecta conditionem extremæ Unctionis; quia impoſſibile eſt, ut DEUS det gratiam Sacramentalem ad remittendum delictum alicujus ſenſus, quod nunquam extitit.

Præterea credibile eſt, Chriſtum noluiſſe reddere Sacramentum incommunicabile iis, in quibus non eſſet ſpes vitæ protrahendæ, donec omnes inunctiones abſolverentur, & voluiſſe tam longam cæremoniam exigere, ob quam Miniſter tempore peſtis graviori vitæ periculo exponeretur, vel moribundus ob metum contagionis faciliùs hoc Sacramento privaretur, ſi ſaltem unum ex neceſſariis eidem conferri potuiſſet, quo caſu probabile eſt, Parochum non teneri Extremam Unctionem exhibere: minùs tamen ſuppoſita hac ſententia gravabitur: quam propterea Gonet l. c. fatetur, in aliquibus diœceſibus rectè permitti peſtis tempore. Quia præſtat hoc Sacramentum conferri ſub probabili ſaltem materia, quàm omninò non conferri. Quæ ratio contra hunc ipſum Authorem videtur etiam probare, ab ipſo Chriſto Sacramentum ſic inſtitutum eſſe, ut ad valorem ſufficiat unius ſenſus Unctio.

ARTICULUS II.

De Forma Extremæ Unctionis.

SUMMARIUM.

5 *Refertur Forma Extremæ Unctionis.*
6 *Sententia aſſerentium, Formam eſſe eſſentialiter deprecatoriam.*
7 *Sententia idem negantium.*
8 *Conciliantur ambæ Sententiæ.*

QUæritur. Quæ ſit forma Extremæ Unctionis. Reſp. juxta Concilium Florentinum, & Trident. *citat. cap.*1. & perpetuam Eccleſiæ traditionem eſſe hanc, generalibus terminis à S. Jacobo in ſua Epiſt. *cap.* 5. dicente: *orent ſuper eum*, inſinuatam: *Per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi DEUS, quidquid deliquiſti per viſum*: & ſic in reliquis ſenſibus fit repetitio, mutato ſolo ſenſus inuncti vocabulo, per auditum, olfactum &c. Ex quibus tamen verbis teſtatur Tannerus *num.*23. aliqua non eſſe eſſentialia, nempè *iſtam ſanctam*, ſeu *ſacram*, *& ſuam piiſſimam miſericordiam*, & voces eas omnes, quibus externi ſenſus exprimuntur, per viſum, auditum &c. quod contra Eſparzam expreſſionem omnium ſenſuum requirentem, confirmabitur ex forma Mediolanenſis mox referenda. Unde pro eſſentia formæ remanent ſolummodò hæc verba: *per Unctionem indulgeat tibi DEUS, quid deliquiſti*. Ex quo patet, confirmari id, quod ante diximus, nempè, ſicut ad eſſentiam formæ non ſpectat ſingulorum ſenſuum, imò ne ullius quidem expreſſio, ſic ad eſſentiam materiæ non ſpectare ſingulorum ſenſuum inunctionem, quia tamen Unctio non poteſt fieri, niſi in aliqua parte corporis, in qua ſaltem ſenſatio tactus exerceri poſſit, ideò ad eſſentiam Sacramenti ſufficere, & neceſſariam eſſe unius ſenſus inunctionem, etiamſi pro ſenſu tactus deſignando non inungerentur manus. 5

6 Circa aſſignatam formam etiam controvertitur inter auctores, an ad eſſentiam illius pertineat, ut ſit deprecativa. Affirmant apud Tannerum *num.*21. S. Thomas *quæſt.*29. *art.*8. S. Bonaventura, Capreolus, Sotus, Valent. Henriq Suarez, & apud Amicum *diſp.*19. *num.*79. Bellar. Nugnez, Coninck, Laymann. Diana, & ferè om-

omnes Recentiores: Ipſe verò Amicus putat oppoſitam neque eſſe probabilem, eò quòd forma modi conjunctivi non æquivaleat modo indicativo, aliàs validè etiam abſolveret Sacerdos dicens: Abſolvatte Chriſtus: quòd ſi autem formæ duplicis modi non æquivalent, tunc quia non poſſunt dari duæ formæ diverſæ ejuſdem Sacramenti, neceſſarium eſt, ſolam formam deprecativam à Conciliis, & praxi Eccleſiæ approbatam, eſſe validam pro Extrema Unctione.

7 Nihilominus negant S. Albertus, Richardus, Palud. Durand. Tanner. numero ſequenti, & ex citatis pro priori ſententia S. Bonavent. *diſt.23. part. 1. art. 1. quæſt.4.* refert in Eccleſia Mediolanenſi S. Ambroſii hanc formam olim in uſu fuiſſe. *Ungo te oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen aereas ſuperare poſſis poteſtates*: cui ſimilem affert Palatius ex Libro Sacramentali Venetorum, qui dicitur à Leone X. fuiſſe approbatus. Suarez etiam *diſput.40. ſect.3. n.8.* fatetur validam fore formam, *Ungo te oleo ſancto, ut DEUS tibi remittat, quidquid deliquiſti.*

8 Ego itaque puto, conciliari poſſe Auctores, dicendo, ad eſſentiam formæ ſpectare ea verba, quibus Extremæ Unctionis effectus primarius ſignificatur, & ſive ſignificetur per modum imperativum, vel conjunctivum, ſive per indicativum adjecta particula *ut*, ſemper retineri, & neceſſarium eſſe ſenſum deprecativum, quem inſinuavit S. Jacobus dicendo: *Orent ſuper eum*: quo etiam diſtingui debet forma Extremæ Unctionis à forma Pœnitentiæ, quæ per modum judicialis ſententiæ remittit peccata, dum Extrema Unctio tantùm remittit peccata, ut eſt Sacramentum conſummativum pœnitentiæ: itaque particula *ut* in allatis formis, ex intentione Eccleſiæ & Miniſtri, idem ſignificat, ac per hoc, quòd ungam te oleo ſancto, peto, rogo, &c. ut DEUS tibi remittat peccata, vel ut poſſis ſuperare aereas poteſtates: ſicut ſi dans eleemoſynam, dico, do eleemoſynam; ut DEUS mihi concedat ſanitatem, ac vires corporis, ſenſus eſt, per hanc dationem eleemoſynæ peto à DEO ſanitatem. Diſcurſus P. Amici parùm me moveret: nam iſta forma Pœnitentiæ: *Abſolvat te Chriſtus*: non ideò eſt invalida, quia adhibetur modus conjunctivus, aliàs etiam in Baptiſmo eſſet invalida hæc: *Baptizetur Servus Chriſti*: ſed ideò eſt invalida; quia non ipſe Sacerdos abſolveret in perſona Chriſti, ſed vellet, ut Chriſtus in propria perſona abſolveret.

ARTICULUS III.

De effectu, Miniſtro, ſuſcipiente, ac Neceſſitate ſuſcipiendi extremam Unctionem.

SUMMARIUM.

9 *Quis ſit effectus primarius, & ſecundarius Extremæ Unctionis.*
10 *Miniſter Extremæ Unctionis ſolus Sacerdos eſt.*
11 *Solus homo Viator, & Baptizatus eſt capax Extremæ Unctionis.*
12 *Iſque ſaltem aliquando debuit habuiſſe uſum Rationis.*
13 *Et peccaſſe. Unde B.V.M. omnis peccati expers, non fuit capax Extremæ Unctionis.*
14 *Solus etiam perículosè ægrotans, ſaltem probabiliter talis, eſt capax extremæ Unctionis.*
15 *Non eſt gravis obligatio accipiendi Extremam Unctionem, per ſe loquendo, eſt tamen aliunde ex parte Curatoris animarum gravis obligatio dandi.*

9 Quæritur 1. Quis ſit effectus primarius Extremæ Unctionis. Reſp. Etſi Doctores videantur diſſentire, dum alii remiſſionem peccatorum venialium, alii ſublationem reliquiarum peccati, alii gratiam habitualem, ut connexam cum auxiliis ſupernaturalibus, roborantibus infirmum corpore ad ſpiritualem luctam (ſive ea revera ſuprema ſit futura, ſive non) pro primario effectu aſſignant; ſanitatem corporis verò, non infallibiliter; ſed ſub conditione, ſi expediat, ſingulari diſpoſitione divina, cauſas naturales procurante, vel adjuvante, conferendam, pro effectu ſecundario: Ego tamen exiſtimo, omnes faciIè conciliari poſſe ipſius Concilii Trid. *ſeſſ.14. cap.2.* propriis verbis. Ubi referens teſtimonium S. Jacobi ait: *Res & Effectus hujus Sacramenti illis verbis explicantur. Et Oratio fidei ſalvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Res etenim hæc gratia eſt Spiritus S. Cujus Unctio delicta, ſi quæ ſunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit* (ſi verò jam ſunt expiata, abſtergit virtualiter, & iteratò, uti abſolutio de peccatis, jam ſemel Confeſſione expiatis) *& ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo Divinæ Miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda, & labores leviùs fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo inſidiantis, faciliùs reſiſtit*. Sequentibus verbis explicatur effectus ſecundarius. *Et ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.*

Quæritur 2. Quis ſit Miniſter hujus Sacramenti. Reſp. Non poſſe eſſe alium, quàm Epiſcopum, vel ſimplicem Sacerdotem, quia hi tantùm nomine Presbyteri intelliguntur, iſtos autem à Chriſto Miniſtros deſignatos eſſe, patet ex illis S. Jacobi verbis: *Inducat Presbyteros*. Ita definivit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. capit.3.* 10

Quæritur 3. Quinam hoc Sacramentum ſuſcipere poſſint, aut debeant. Reſp. Ut quis poſſit ſuſcipere debere eſſe hominem Viatorem; Baptizatum, rationis aliquando capacem, in infirmitate lethali, ſive ex vulnere, ſive ex naturali quacumque virium debilitate conſtitutum, idque poſſe ſuſcipere, quoties etiam ex eodem morbo reincidit in novum mortis periculum, ut expreſsè definit Tridentin. *citat. capit.* 3. De primis duabus conditionibus aliàs diximus *tract. 6. diſput.1. num. 26. & 27.* 11

Neceſſitas tertiæ Conditionis, quam Major *quæſt.* 2. apud Gonet *diſput.3. num.2.* & apud Suar. *diſput 42. ſect.1. numer.* 3. negat, communiter probatur primò ex Trid. *ſeſſ.4.* in doctrina de Sacramento Extremæ Unctionis in principio. Ubi Extremam Unctionem vocat Sacramentum *Conſummativum Pœnitentiæ, & totius Chriſtianæ Vitæ*. Atqui infantes, & perpetuò amentes, qui neque peccaverunt, neque peccare potuerunt, neque vitam Chriſtiano more degere, non poſſunt conſummare, perficere, complere Pœnitentiam, ac Vitam Chriſtianè actam: ergo non poſſunt validè recipere Sacramentum conſummativum. 12

Probatur Secundò ex verbis Sancti Jacobi *capitul.* 5. Ubi promulgans hoc Sacramentum, inquit. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ &c.* Ubi per verbum *Inducat* indicatur, ſuſcipientem debere eſſe talem, qui, niſi per accidens amiſerit uſum rationis, poſſit inducere, ſive petere, ac intendere ſuſceptionem Unctionis, à Presbytero ſibi exhibendæ.

Probatur Tertiò ex Forma hujus Sacramenti: *Indulgeat tibi DEUS &c.* Atqui illis, qui nondum potuerunt peccare, non poteſt prodeſſe hæc Forma deprecatoria: quia non habent, quod DEUS indulgeat, ſcilicet, neque peccatum actuale, à ſe commiſſum, neque reliquias peccati à ſe commiſſi. Ad delendas autem reliquias peccati originalis Sacramentum hoc non eſt inſtitutum: quia ſicut Sacramentum Pœnitentiæ tantùm eſt inſtitutum contra peccata actualia poſt Baptiſmum commiſſa, ita Extrema Unctio, tamquam Sacramentum conſummativum Pœnitentiæ, tantùm eſt inſtituta contra ea peccata, & reliquias, quibus ſublatis ipſum Sacramentum pœnitentiæ poteſt conſummari. Ideò S. Thomas *in quæſt.* 32. *artic.* 4. *ad* 1. ait. *Dicendum, quod non datur contra reliquias Originalis peccati, niſi ſecundùm quod ſunt per actualia peccata quodammodo confortatæ, unde principaliter contra actualia peccata datur, ut ex ipſa forma patet, quæ non ſunt in pueris.* Scilic. nondum habentibus uſum rationis. Et *in eodem art.4.* Sic argumentantur. *Nulli debet dari hoc Sacramentum, cui non competit Forma Sacramenti: Sed Forma Sacramenti non competit pueris, qui non peccaverunt per viſum, & auditum: ut in forma exprimitur. Ergo eis dari non debet hoc Sacramentum.*

Eadem

Eadem ratio pugnat pro perpetuò amentibus, qui infantibus æquiparantur. Quòd ſi tamen amentia non fuerit perpetua, ita ut æger aliquando habuerit uſum rationis, ex quo ſupponi poſſit, illum ſaltem venialiter peccaſſe, communi praxi Eccleſiæ receptum eſt, ut tali Extrema Unctio impertiatur, quamvis citatus S. Doctor *artic.3.* propter Reverentiam Sacramenti, & propter indiſpoſitionem ad actualem devotionem cenſuerit, non eſſe impertiendam: quæ doctrina forſan explicari poteſt per hanc limitationem, nempè ſi ſpes ſit, infirmum Unctionis dilatione, receptoque uſu Rationis, majori reverentia, & fructu inungi poſſe, & ſi neque appareat magna neceſſitas accelerandi hoc Sacramentum.

13 Ex prædicta autem prima, & tertia probatione, & recitatis Verbis S. Thomæ cum Vaſq. *diſput.119. capit.8.* Tannero *tom.4. diſput.2. quæſt.1. dub.2. num.43.* referente Paludanum, Gabrielem, Victoriam, quibus adde Didacum, Nunnez. *3. part. quæſt.32. art.2.* Gonet *diſputat.3. de Extr. Unction. num.4.* Plures Theologos domeſticos, & extraneos tacito nomine allegantem, inſero contra Albertum M. Antonium Sylv. Bernardinum de Buſto, Caniſium, Henriqu. Suar. apud cit. Can. inter quos dubius hæret Dicaſtillo, quamvis in illos magis propendat *tract.7. diſput.1. num.156.* & Dico Beatiſſimam Virginem Mariam non tantùm non accepiſſe Sacramentum Extremæ Unctionis, quando ſive amoris vehementia, ſive vitæ auſteritate, atque ætate, ita viribus fuerit deſtituta, ut ratione periculi mortis non deeſſet quarta, requiſita conditio, ſed neque fuiſſe capacem illius accipiendi, ſicut non fuit Capax ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ, cum quo meritò inſtituitur paritas, non autem cum Sacramento Baptiſmi, pro cujus capacitate non erat neceſſarium ullum peccatum ſive Actuale, ſive Originale: quia in Forma Baptiſmi non dicitur Baptizo, ſive Abluo te à tuis peccatis, ſi quæ commiſiſti, neque effectus primarius eſt ſola remiſſio peccati Originalis, vel etiam actualium, ſed dantur plures alii effectus primarii, reſpectu quorum cum ipſo augmento Gratiæ Sacramentalis recipiendorum Beatiſſima Virgo Maria fuit Capax Baptiſmi, de ipſo Chriſto recepti. Sed quia numquam contraxit ullam culpam, ſive Originalem, ſive Actualem, nullaſque proinde etiam habuit reliquias peccati, quas DEUS ſaltem iteratò indulgere poſſet, ideò tam parùm potuit recipere Sacramentum conſummativum pœnitentiæ, quàm ipſam pœnitentiam. Et Forma Extremæ Unctionis æquè, ſicut in Infantibus, non potuit verificari abſolutè, ſive eſſe abſoluta deprecatio. Atqui omnis forma Sacramentalis, ut ſit valida, debet tranſiiſſe in abſolutam. Ergo reſpectu Beatiſſimæ Virginis forma Extremæ Unctionis numquam potuit eſſe valida: conſequenter nullum alium effectum Extremæ Unctionis, quantumvis eſſet primarius, potuit ex vi Sacramenti hujus accipere. Ex quo eſt manifeſta diſparitas cum Baptiſmo.

Dicunt quidem Adverſarii, Formam Extremæ Unctionis eſſe virtualiter conditionatam, neque neceſſe eſſe, ut tranſeat in abſolutam, tum quia S. Jacobus promulgans Inſtitutionem hujus Sacramenti expreſsè dicit, *Si in peccatis eſt, dimittentur ei.* Tum quia Omnes fateri debent, ſaltem partialem formam numquam abſolutè verificari, in iis infirmis, qui per aliquem ſenſum numquam peccaverunt, vel neque peccare potuerunt; ſi verbi gratia Cœci, vel Surdi nati, viſum, vel auditum per totam vitam numquam receperunt: quibus tamen ſecundùm communem ſententiam Suarezii, Emanuelis Saà, Bonacinæ, Laymanni, quos refert, & ſequitur Palao *punct. 3. numer. 10.* idem ſenſus, vel ſi iiſdem privati ſunt, partes vicinæ inungendæ ſunt cum expreſſione formulæ, ut idem ritus, & adæquata forma in omnibus infirmis uniformiter retineatur. Sicut etiam in Sacramento Pœnitentiæ, quando pœnitens de multis peccatis ſub dubio, vel ſub conditione, *ſi ea commiſit*, vel *ſi Deus illum Reum ſcit*, ſeſe accuſavit, forma abſolutionis in omnia peccata profertur, quamvis reſpectu conditionatorum, à parte rei neque Commiſſorum, ſi tantùm virtualiter conditionata, & neque abſolutè verificata, modò verificetur circa aliquod certum peccatum abſolutè propoſitum in Confeſſione.

Verùm hæc Reſponſio, vel ſupponit, non eſſe neceſſe, ut forma Extremæ Unctionis reſpectu ullius ſenſus tranſierit in abſolutam, vel tantùm reſpectu alicujus. Poſterius deſtruit ipſam paritatem cum B. Virg. Maria, in qua reſpectu nullius ſenſus forma abſolutè verificaretur: Si autem prius ſupponatur, evidenter deſtruit prima, & tertia eaque præcipua, ac ferè unicè efficax ratio pro incapacitate parvulorum, nondum habentium uſum Rationis. Unde Gonet *loc. cit.* non immeritò arguit Suarezium de doctrinæ inconſequentia, quia *diſput.42. ſect.1. num.3.* negat infantes eſſe capaces Extremæ Unctionis propter defectum omnis peccati actualis, & incapacitatem Pœnitentiæ, cujus Extrema Unctio eſt Sacramentum Conſummativum: & tamen hac ratione non obſtante, affirmat *tom.2. in 3. par. diſput.18. ſect.3. & tom.4. diſput.42 ſect.2. num.11.* Beatiſſimam Virginem probabiliùs recepiſſe Sacramentum Extremæ Unctionis. Quod mihi quidem eſt incredibile. Nam utique Apoſtoli, à Spiritu Sancto docti omnem veritatem, ad Bonum totius Eccleſiæ pertinentem, æquè à Spir. S. didicerunt, B. Virginem eſſe expertem omnis peccati Originalis, & Actualis, etiam tantùm venialis, quàm illud didicit Univerſa Eccleſia Catholica. Quis ergo illorum auſus fuiſſet, vel quis Adverſariorum auderet, ſi in illis circumſtantiis fuiſſet poſitus, pronunciare, iſtam formam? *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per viſum, auditum, tactum &c.* An non magis certum erat Beatiſſimam Virginem nec venialiter peccaſſe, quàm de quovis viro magnæ virtutis certum ſit, illum non feciſſe homicidium, adulterium, Sodomiam? & quis non judicaret, illi hanc pro eo apud DEUM deprecationem dedecoroſam fore? Indulge Deus huic viro, quæcumque ejus homicidia, adulteria, Sodomias, ſi quæ talia peccata commiſit? Pari ergo ratione, cùm Dignitatem & Sanctitatem Matris Dei magis dedeceat quodvis minimum peccatum videtur, non ſatis benè loqui pro Honore, & Decore Immaculatæ Virginis, qui eam aſſerit recepiſſe, vel potuiſſe recipere Extremam Unctionem, in qua forma deprecatoria æquè ſupponit præteritionem peccati, ex opere operato remittendam, per modum, & formam deprecationis ſaltem iteratò, & quoad reliquias, ſcil. reatum pœnæ temporalis, vel quoad indignitatem quandam ad auxilia contra relapſum, aliaſque tentationes, & occaſiones peccandi, & ad alios favores divinos obtinendos, quàm Pœnitentia ſupponit præteritionem peccati remittendam per modum, & formam Abſolutionis.

Præterea data Reſponſio malè probat ex verbis S. Jacobi, *Si in peccatis eſt, remittuntur ei.* Formam Extremæ Unctionis eſſe, & poſſe manere conditionatam, ita ut nullum peccatum umquam præceſſerit: Aliud enim eſt, non eſſe actu in peccatis, quæ nondum ſunt remiſſa, & primò ſunt remittenda: & aliud: numquam fuiſſe in peccatis, ratione quorum Forma deprecatoria, & quoad modum tendendi virtualiter conditionata, ſaltem reſpectu unius ſenſus tranſeat in abſolutam; ſicut Abſolutio à peccatis debet ſaltem reſpectu unius in Confeſſione expoſiti verificari abſolutè, ita ut illud, ſaltem aliquando extiterit, etiamſi peccator tunc non ampliùs in eo exiſtat, tamquam nondum remiſſo: poterit enim idem peccatum tum per deprecationem Sacramentalem, tum per Abſolutionem iteratò remitti; ita ut neceſſe non ſit, ut alterutra remiſſio ſit prima. S. Jacobus ſub conditione aſfirmat, & quam ſolam, colligitur ex verbis illius, non eſſe neceſſe, tranſire in abſolutam, ut ſcil. homo ſit in peccatis, nondum remiſſis.

Ex negata Extrema Unctione B. V. Mariæ, illique longè nobiliori Unctione attributa ex Pſ.44. v. 8. *Dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem; propterea unxit te DEUS tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis:* redeo ad quartam Conditionem, pro recipienda Extrema Unctione neceſſariam ut nempè ſaltem talis detur infirmitas, quæ cum probabili vicinæ Mortis periculo conjuncta eſt. Quæ Conditio probatur primò ex Trident. *loc. citat.* ubi Extremam unctionem non ſolùm appellat Sacramentum *Conſummativum Pœnitentiæ*, ſed etiam *totius Chriſtianæ Vitæ*. Et præcipuè ex cit. *ſeſſ.14. cap.3.* ubi ait. *Eſſe hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis verò præſertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur. Unde, & Sacramentum exeuntium nuncupatur.* Secundò 14

dò ex verbis S. Jacobi. *Infirmatur quis in vobis inducat Preſbyteros.* Tertiò ex continua praxi Eccleſiæ, damnatis ad mortis ſupplicium, adeuntibus malitiam, aut navigationem periculoſam, non adhibentis Extremam Unctionem.

15 Ad ultimam partem quæſtionis in titulo propoſitæ Reſpond. Sicut de Confirmatione alibi reſpondimus: ſcilicet nullum illius recipiendæ præceptum extare, ſine peccato veniali tamen vix poſſe omitti propter aliqualem ſaltem negligentiam; Parochi verò, & eorum Cooperatores, qui aliis Sacerdotibus, nullam in moribundum Juriſdictionem Ordinariam habentibus, non quidem neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti præferri debent, majoris obligationis admonendi ſunt, ut non tantùm impotentibus aliud Sacramentum ſuſcipere, non negligant conferre ſaltem Extremam Unctionem; quia hæc poteſt eſſet valdè neceſſaria, ſi ſcilicet infirmus in peccato gravi conſtitutus, & non ſufficienter ad gratiam extra Sacramentum recipiendam, aliquo tamen modo, contritus, id eſt, ſolùm attritus fuiſſet; ſed ut etiam non impotentibus aliud Sacramentum ſuſcipere, Extremam Unctionem petentibus cum aliis Sacramentis adminiſtrent, eò quòd hi ex juſtitia obligentur, etiam ad Sacramenta merè utilia, ſecluſa eorum neceſſitate, flagitantibus adminiſtrare, ut ex communi ſententia docent Victoria, Navarrus, Henriquez, Suarez, Tanner.

DISPUTATIO VIII.

De Sacramento Ordinis.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex ſit Ordo.

SUMMARIUM.

16 *Ordo variè accipitur.*

17 *Definitio, & Diviſio Ordinis Sacramentalis in Sacrum, & non Sacrum.*

18 *Epiſcopatus, incluſus in Ordine Presbyterii, in rigore loquendo, eſt ſpecialis Ordo, diſtinctus à ſimplici Presbyteratu, non tantùm ratione Juriſdictionis, per quam in quatuor gradus dividitur; ſed etiam ratione Sacræ poteſtatis.*

19 *Communiter tamen in diviſione ordinis Presbyterii ſumitur per modum unius. Unde tantum ſeptem ordines enumerantur, adjunctis ſex aliis.*

20 *Diaconatus & ſubdiaconatus ſunt diſtincti ordines ratione diverſi Miniſterii Altaris.*

21 *Ob eandem rationem enumerantur quatuor alii inferiores Ordines; excluditurque prima Tonſura à Ratione ordinis.*

22 *Probabiliùs omnes prædicti Ordines ſunt Sacramentum, & referuntur ad idem genus Sacramenti.*

16 ADvertendum eſt, Ordinem aliàs dupliciter ſumi, in primis pro tota ſerie, ſeu recta rerum in ſuo loco, gradu &c. collocatione: deinde pro ſpeciali ſtatu, aut gradu, quem res in illa Ordinis diſpoſitione obtinet: in prima acceptatione, illa Miniſtrorum, quæ in Eccleſia DEI datur, ſubordinatio dicitur Ordo, & ſic eſt unicus; in ſecunda verò quilibet gradus, quem quis in Miniſterio Eccleſiaſtico obtinet, Ordo appellatur: ſicut etiam in civilibus diverſi hominum gradus, verbi grat. Equeſtris, Senatorius, Plebejus recenſentur; quia verò gradus Miniſterii Eccleſiaſtici aliqui ſolo Jure humano ſunt ſuperadditi aliis, ab ipſo Chriſto, adeòque Jure Divino inſtitutis, hinc orta eſt inæqualis apud Authores Ordinum enumeratio, & ejuſdem vocabuli laxior, & ſtrictior uſurpatio, ita ut ſtrictè loquendo ſoli gradus à Chriſto inſtituti nomine Ordinis deſignentur, cæteris autem ab Eccleſia ſuperadditis in latiori ſenſu idem nomen tribuatur. Unde conciliari poſſunt plures Canoniſtæ, qui propter *c. Cùm contingat, de qualit. Ordin.* primam tonſuram Ordinem appellant, & ſic Epiſcopatum à ſimplici Presbyteratu diſtinguentes, novem Ordines enumerant, quibus Titelman apud Palao *tr.27.pun.2.n.1.* addit Ordinem Pſalmiſtarum, ſeu Cantorum, Iſidorus verò apud Tannerum *diſp.7.q.2.n.38.* eundem Ordinem nonum numerat loco primæ tonſuræ, eò quòd Concilium Carthaginenſe IV. *cap.* 10. inter conſtitutos in Ordine etiam Pſalmiſtas recenſeat: ſed hi (quos Navarrus, & Valentia putant, ad Lectores revocari poſſe) tantùm in Ordine latè accepto, ſicut prima tonſura initiati, olim poſiti ſunt, teſte Tan. & Vaſq.

In ſpeciali verò acceptione Ordinis huic loco maximè propria, Ordo ex S. Thoma in ſupplemento *quæſt. 34. artic.2.* definiri poteſt cum DD. communiter, quòd ſit *Signum collativum poteſtatis ad aliquod altaris officium ſtabiliter, ſeu irrevocabiliter* (non tamen inimpedibiliter) *peragendum*: hujuſmodi Ordines *ex Tridentin. ſeſſ. 23. capitul.2.* communiter ſeptem enumerantur, tres Majores, ſic dicti, quia proximè ad altaris officium concurrunt, qui etiam *Sacri* appellantur; quia cum voto caſtitatis, quo quis DEO ſacratur, ſunt connexi, quamvis Subdiaconatus primùm poſteà, ante tempus tamen Urbani Secundi cœperit cum eo connecti, ut probat Innocentius III. *in capit. A multis, de Ætate, & qualit.* ſunt autem hi. 17

Primus eſt Ordo Presbyterii, qui ſecundùm Paludan. Curand. Bellar. Vaſq. Coninck, Laym. quos ſequitur Palao *punct.2. num.6.* Sacerdotalem, & Epiſcopalem ita per modum unius complectitur, quo Ordo Sacerdotalis includit poteſtatem offerendi Sacrificium, & dimittendi peccata, eò quòd poteſtas Epiſcopalis, ſcilicet confirmandi, & Ordinandi, & poteſtas dimittendi peccata, ſint tantùm partes perfectivæ Ordinis Presbyterii, principaliter conſiſtentis in poteſtate offerendi Sacrificium. Verùm ſecundùm Altiſiodorenſem, Wald. Navarrum, Michael. Medin. Pet. Sotum, Vald. quos refert, & ſequitur Tannerus *diſput.7. num.32* poteſtas Epiſcopalis, quatenus eſt ſuperaddita ſimplici Sacerdotio, in rigore loquendo eſt ſpecialis Ordo, & non tantùm pars perfectiva, eò quòd ſola poteſtas abſolvendi à peccatis ſit communis omnibus ſimplicibus Sacerdotibus, eoſque in uno eodemque gradu contineat, atque perficiat: poteſtas verò Epiſcopis propria ad altiorem gradum illos evehat, ut definitum eſt à Tridentino *ſeſſ.23. canon. 6. & 7.* unde *in capit. Clericos, diſtinct. 21.* expreſsè tamquam diſtinctus Ordo numeratur, & Anacletus *Epiſt.3. capit. 1.* ait: *Ordinem Sacerdotum, prout Dominus eum inſtituit, bipartitum eſſe, & non ampliùs, quàm duos Ordines Sacerdotum nobis à Domino, & Apoſtolis traditos*: quæ poſtrema verba; ut iſtud incidenter notem, de acceptione Ordinis in ſenſu definito, prout dirigitur ad Officium altaris, intelligenda ſunt; nam in latiori acceptione pro diverſo gradu dignitatis Eccleſiaſticæ, vel Juriſdictionis, Ordo Epiſcopalis *in cap. Clericos, propè initium*, rurſum inter inferiores ipſo Papa quadripartitus dicitur, dum Epiſcopis Superior eſt Metropolitanus, Metropolitano Archi-Epiſcopus, Archi-Epiſcopo Patriarcha, & in hac lata acceptione inter Miniſtros eidem Eccleſiæ Cathedrali deſervientes pro diverſitate officiorum dantur quoque diverſi Ordines, uti etiam inter Diaconum, & Archiaconum. 18

Cæterùm quoad priorem Controverſiam de Ordine Sacerdotali, & Ordine Epiſcopali, quatenus continet aliquid ſuperadditum, certum eſt, ſive tamquam partes integrales ejuſdem perfectæ poteſtatis, ſive tamquam duæ ſpecies inferiores dividentes ſuperiorem, inter ſe diſtinguantur, utrumque reliquis ſex Ordininibus per modum unius ſuperaddi, & communiter ſeptem tantùm Ordines enumerari, non quidem ideò, quia Ordo ſim- 19

pli-

plicis Sacerdotis includitur in valore Ordinis Epiſcopalis; nam ſic neque Baptiſmus deberet numerari pro Sacramento diverſo ab eis, in quorum valore tamquam pars conſtitutiva continetur, ſed ideò, quia licèt per ordinem Epiſcopalem conferatur altior gradus in Hierarchia Eccleſiaſtica, tamen non confertur poteſtas ad altius Officium altaris, cùm Officium conſecrandi Euchariſtiam, utrique commune, ſit ſupremum; per abſolutionem enim à peccatis tantùm præparantur homines ad dignè & fructuosè aſſiſtendum Sacrificio, per Confirmationem perficiuntur ad aſſiſtendum cum majori fidei conſtantia, per Ordinationem denique conſtituuntur Miniſtri altaris, qua ratione videntur Auctores conciliari poſſe, dicendo, in acceptione Ordinis pro inæquali gradu dignitatis ſimplex Sacerdotium, & Epiſcopatum eſſe duos Ordines, ut indicat Trid. *ſeſſ.23.cap.4.* & *can.6.ac 7.* in ratione ſigni autem collativi ejuſdem poteſtatis ad ſupremum officium altaris, ad quod Ordo ſecundùm acceptionem huic loco magis propriam definitus eſt, eſſe unum Ordinem ſimpliciter loquendo, etiamſi detur diſtinctio ſecundùm quid, & ſecundùm aliquid minùs principale, quatenus, ſicut poteſtati conſecrandi ſuperadditur poteſtas abſolvendi, ſic utrique ſuperadditur poteſtas Epiſcopalis.

20 Secundus Ordo eſt Diaconatus, cujus officium eſt Sacerdoti in Sacrificio miniſtrare, canere Evangelium, &c. ſi eſſet in uſu, Calicem populo præbere, Baptizare, & prædicare ex Sacerdotis Commiſſione.

Tertius Ordo eſt Subdiaconatus, cui incumbit neceſſaria ad Sacrificium Miſſæ Diacono miniſtrare, ſcilicet porrigere calicem, & patenam, aquam ad commixtionem vini affundere, cantare Epiſtolam.

21 Hos ſubſequuntur 4. Minores Ordines: primus dignitate eſt Ordo Acolytorum, quorum munus eſt luminaria accendere, vinum & aquam pro Euchariſtia miniſtrare; Secundus Ordo Exorciſtarum, quorum eſt dæmones ex obſeſſis ejicere, ut dignè & cum debita reverentia Sacrificio interſint, aquam in Miniſterium Baptiſmi, & locum Communicationis præparare. Tertius Lectorum, qui conſtituti ſunt ad legendum ea, quæ à Sacerdote, vel Diacono populo annuntiantur, ac prædicantur, ut ſic præſentium animi ad reverentiam Sacrificii excitentur. Quartus eſt Oſtiariorum, qui debent pulſare Cymbalum, tempore Sacrificii, &, quod præcipuum illorum munus eſt, dignis eidem intereſſe, Eccleſiam aperire, indignis claudere. Ex quo conſtat, ut etiam indicatur à Trident. *ſeſſ.23. cap.2.* omnium Ordinum munia ad altaris Sacrificium ritè, & cum debita ipſius etiam populi reverentia peragendum dirigi, & proptereà primam tonſuram non eſſe, & à Trid. *loc. citat.* omnes alios referente, non nominari propriè Ordinem, & juxta datam illius definitionem, loquendo, ut cum S. Thoma 4. *diſt.24. quæſt.3. artic.1. quæſtiunc.2.* Scholaſtici antiqui, & Recentiores communiter docent, contra Major. Eckium, Angelum, & plures Canoniſtas apud Tan. *diſput.7. quæſt.2. num.20.* quia non eſt inſtitutum ad aliquod ſpeciale miniſterium altaris peragendum, ſed tantùm diſponit, ut aliquis ad tale conſecrari poſſit: ſolùm ergo Ordo dici poteſt, quatenus in diverſa claſſe hominum, ſcilicet Clericorum aliquem conſtituit, in qua uſurpatione vocabuli eidem opponitur Ordo laicorum.

22 Quæri tamen adhuc ſolet, an omnes prædicti Ordines ſint Sacramentum. Reſp. De Ordine Presbyterii ſecundùm partem ejus magis præcipuam, id eſt Sacerdotalem, quæ eſt poteſtas conſecrandi corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, ac peccata ejus nomine dimittendi à nullo Catholicorum negari, eſſe Sacramentum, idem excepto Cajetano, & Durando, reliqui auctores affirmant de Diaconatu, cujus expreſſa mentio fit *act.6.* & *1. ad Philipp. 1. ac 1. ad Timoth. 3.* De Subdiaconatu cum duobus citatis Hugone, Vict. Gratiano *diſt. 21. in fine 1.* §. Magiſtro Sent. aliqui tantùm Doctores negant, plures verò relati à Tannero *num. 24.* Sed tamen apud eundem *num.23.* à Petro Soto, Medina, Vaſq. gravi nota affecti, non obſtante auctoritate S. Thomæ, 4. *diſt.24. quæſt. 3. artic.2. quæſtiunc.2.* & *ad 2.* idem aſſerentis, negant de Epiſcopatu ſecundùm partem Sacerdotio ſuperadditam, & adhuc plures de quatuor Minoribus Ordinibus ſentiunt, non eſſe Sacramentum, nominatim præter jam citatos, Navarrus, Mich. Medina, Dom. Sotus, Vaſq. *diſputat.237. cap.2.* Ratio illorum præcipua videtur eſſe, quia quæ in Scriptura de Epiſcopatu dicuntur, ea intelligi poſſunt de illo, ut Sacerdotium includente, de reliquis verò Ordinibus, excepto Diaconatu, nullam omninò facit mentionem, & ipſa etiam Eccleſia de iis variè locuta eſt. Communior tamen reliquorum ferè omnium, quos longo catalogo citant Amicus, & Tannerus cum S. Thoma 4. *diſtinct.24. quæſt.1. art.2. quæſtiuncul.2.* & *q.2. a.1. q.3* affirmat, omnes ſeptem Ordines eſſe Sacramentum, non phyſicè, ſed moraliter unum, propter relationem ad eundem finem.

Probatur hæc ſententia 1. Si tota Hierarchia Eccleſiaſtica, prout omnes enumeratos Ordines ſub aliquo ſigno externo, & verborum formula collatos complectitur, eſt divinitùs à Chriſto inſtituta, tunc nullus Ordo eſt inanis tantùm cæremonia, ſed, ſicut ad cujuſvis miniſterium decenter, imò in adminiſtratione Sacramentorum etiam licitè obeundum, requiritur ſpecialis ſanctitas, ita etiam, quando quis ad illud ordinatur, confertur ipſi gratia ad hunc finem utilis, vel neceſſaria, ut de Epiſcopis, Sacerdotibus, & Diaconis, qui per manus impoſitionem ab Apoſtolis ordinabantur, colligitur ex prima ad Timoth. 4. *verſic.14* & *2. ad Timoth. 1. verſic.5.* atqui tota Hierarchia Eccleſiaſtica eſt divinitùs inſtituta, & habetur ab ipſo Eccleſiæ initio, ut expreſsè definivit Trident. *ſeſſ.23. capit.2.* & *canon. 6.* ergo &c.

Probatur 2. ex Florentino in Decreto Eugenii §. *ſextum Sacrament.* Ubi cùm ſtatuiſſet, Ordinem eſſe Sacramentum, ejuſque materiam eſſe illud, per cujus traditionem confertur Ordo, cumque exempla materiarum pro Presbyteratu, Diaconatu, & Subdiaconatu retuliſſe, addit ſimiliter alios Ordines, per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem conferri, ergo etiam alios cenſuit eſſe Sacramentum: quia tantùm de Sacramentali Ordine locutum eſt.

Ad fundamentum oppoſitum, quòd Vaſq. inconſequenter contra Minores Ordines affert, cùm illud in Subdiaconatu ſibi ipſi ſolvere debeat, & ſolvat *diſp.238. num.15.* Reſp. Etiamſi in S. Scriptura non fiat explicita mentio, & in Eccleſia de numero Ordinum Doctores variè ſenſerint, ab initio tamen Eccleſiæ omnium Ordinum Officia, & nomina agnita fuiſſe, adeòque ejus traditionem à Trid. confirmatam ſufficere. Aliam reſponſionem valdè bonam vide apud S. Thomam in ſupplemento *quæſt.37. art.2. ad ſecundum.*

ARTICULUS II.

Quæ ſit materia & forma prædictorum Ordinum.

SUMMARIUM.

23 *Aſſignatur omnium Ordinum in genere remota ac proxima materia & forma.*

24 *Octo Actiones in adminiſtratione Epiſcopatus potiſſimùm enumerantur.*

25 *Oſtenditur, quænam ex illis 8. Actionibus ſit eſſentialis.*

26 *Reliquæ ad ſolum Ornatum, ſive Solemnitatem ſpectant.*

27 *Ex diſpenſatione Pontificis, ſaltem impropriè dicta, ſufficit unus Epiſcopus ad validè adminiſtrandum Epiſcopatum.*

28 *Ordinis Sacerdotalis alia eſt materia in Latina, & alia in Græca Eccleſia, phyſicè loquendo.*

29 *In Latina enim Eccleſia manus impoſitio non eſt materia poteſtatis conſecrandi Euchariſtiam.*

30 *Poteſtas verò abſolvendi à peccatis confertur per ſpecialem manus impoſitionem, & per propriam formã: unde etiam participat rationem Sacramenti, integrantis ordinem Sacerdotalem.*

31 *Materia remota Diaconatus eſt Liber Evangeliorum;* non

Illſung Theol. Moral.

non autem manus impoſitio in Eccleſia Latina.

32 *Materia remota Diaconatus eſt Calix conſecratus, vacuus, cum patena: non autem Liber Epiſtolarum.*

33 *Aſſignatur materia quatuor Minorum Ordinum.*

23 RESp. In illis Ordinibus, qui conferuntur traditione rei ad eorum miniſterium requiſitæ, rem traditam eſſe materiam remotam, proximam verò eſſe traditionem, & acceptationem, quæ probabiliùs, ſaltem ob periculum invaliditatis aſſertæ à S. Thoma 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 1. *artic.* 1. *quæſtiunc.* 5. *ad* 3. ſub gravi obligatione fit per corporalem contactum immediatum, ſaltem mediatum, quamvis ad pellendos ſcrupulos præſtet poni immediatum; formam autem eſſe verba, quibus fit traditio. Univerſaliter verò de omnibus Ordinibus loquendo, ut etiam intelligatur materia, & forma Epiſcopatus, in quo ſecundùm aliquos, poſteà quidem improbandos, nulla traditur res ad miniſterium per modum eſſentialis materiæ requiſita, materia proxima eſt illa actio externa, quæ ſimul cum forma ſignificat deputationem ad tale miniſterium, & cauſat gratiam, ac characterem, cuivis Ordini Sacramentali correſpondontem cum auxiliis ſpecialibus ad officium ſuum ritè obeundum neceſſariis.

24 Deſcendendo itaque ad ſingulos Ordines: in Epiſcopatu octo præcipuè actiones externæ ponuntur. 1. A tribus ad minimùm Epiſcopis liber Evangeliorum ſecundùm partem apertam cervici, & ſcapulis ordinandi abſque ulla prolatione verborum imponitur, quem Capellanus pergit in eodem ſitu tenere, dum reliquæ enumerandæ cæremoniæ peragantur, nam Epiſcopi mox ambas manus capiti ipſius ordinandi imponunt, & ſimul proferunt hanc formam verborum: accipe Spiritum Sanctum, qua cæremonia in primis denotatur id, quod juxta Concilium Trident. *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. & Toletanum *cap.* 3. eſt præcipuum Epiſcoporum munus, & quoddam ſaltem remotum Altaris miniſterium, ſcilicet prædicare S. JESU Chriſti Evangelium, in ordine etiam ad Sacrificium Miſſæ, & Sacramentorum uſum ſub uno ſupremo paſtore, ac capite frequentandum. Deinde ambarum manuum impoſitione, ac prolatione verborum à pluribus Epiſcopis facta, conſignificatur plenitudo gratiæ, ac aſſumptio, ſeu adlectio ordinandi in Collegium Epiſcoporum. 2. Unus ex Epiſcopis (qui Conſecrator dicitur, reliqui verò aſſiſtentes appellantur) pollice Chriſmati intincto ordinandi coronam capitis priùs in formam crucis, deinde totam inungit, dicens. Ungatur, & conſecretur caput tuum cœleſti benedictione in Ordine Pontificali in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. 3. Idem Epiſcopus ungit Chriſmate junctas manus ambas ordinandi, qui in Pontificali Romano, antequam abſolverentur prædictæ actiones, vocabatur Electus, deinceps autem vocatur conſecratus. 4. Tradit Baculum paſtoralem benedictum. 5. Anulum dextræ manui conſecrati inſerit. 6. Accipit librum Evangeliorum de Scapulis conſecrati, & adjuvantibus Epiſcopis aſſiſtentibus tradit eum clauſum conſecrato, tangenti illum ſine apertione manuum. 7. Mitram benedictam, & aqua luſtrali aſperſam adjuvantibus iterum Epiſcopis imponit capiti conſecrati. 8. Chirothecas eadem ratione inducit manibus conſecrati: inter ſingulas autem recenſitas actiones certis verbis ab Epiſcopo prolatis earum ſignificata declarantur.

25 Ex his itaque actionibus Mich. Medina, omnes, excepta ultima, Durandus, omnes exceptis duabus ultimis, Fornarius 1. 2. & 6. Sylverius 3. pro materia proxima Epiſcopatus aſſignat apud Tan. *diſ.* 7. *quæſt.* 2. *dub.* 4. Communis tamen ſententia primam dumtaxat actionem aſſerit proximam, adæquatam materiam eſſe, circa quam adhuc ſaltem quoad modum loquendi differunt Auctores. Dum Major, Fulnus, Henriquez, Vaſq. Bellarm. Saà, Coninck, Laym. Bonac. Palao, ſolam manuum impoſitionem memorant; alii verò etiam addunt impoſitionem libri Evangeliorum nominatim S. Anton. Oſtienſis, Bovius, Turrianus, Tanner., Dicaſtillo. Hæc poſtrema ſententia etiam mihi videtur valdè probabilis, tam quoad manuum impoſitionem, qua ex 1. ad Timoth. 4. verſic. 14. conſtat, Apoſtolos uſos eſſe, non verò conſtat, aliam materiam ex intentione priorem abrogandi fuiſſe ſubſtitutam; quàm quoad impoſitionem libri Evangeliorum, quam tamquam partialem materiam, ad valorem Ordinis Epiſcopalis neceſſariam, & ab eadem forma, quæ cum impoſitione manuum immediatè conjuncta, profertur, ad talem effectum determinandum, ab Eccleſia indiviſibiliter requiſitam eſſe, colligere poſſumus ex paritate aliorum Ordinum, cùm Eccleſia juxta Concilium Florentinum in reliquis omnibus ex parte materiæ remotæ requiſiverit inſtrumentum alicujus actus, ad quem Ordinatus deputatur, & impoſitio Evangeliorum æquivaleat eorum traditioni, aptéque poteſtatem Epiſcopalem ſignificet, quatenus majorem plenitudinem gratiæ confert ad prædicandum Evangelium, quàm qualem eorundem Evangeliorum traditio confert Diacono, ab uno tantùm Epiſcopo præcipuè ad cantandum Evangelium in officio ſolemni cum alia forma verborum exhibita, ordinanſque ad illud prædicandum ſolummodò ex delegatione, & in perſona Miniſtri, non autem in perſona principalis Paſtoris.

26 Cæteræ verò actiones, ut partim ex paritate aliorum Ordinum, in quibus nec unctio Sacerdotum, nec inductio Sacrarum veſtium eſt partialis eorum materia, partim ex verbis ſimul proferri ſolitis, probabiliter conjicitur, videntur tantùm ad ornatum, & declarandam dignitatem, & munus Epiſcopale ſpectare, de quibus tamen unctio, quæ, ut ex dictis patet, etiam Conſecratio dicitur, (intelligendo hanc vocem non pro formali Ordinis Collatione, ſed in eo ſenſu, quo etiam calices & aliæ res inanimatæ per Sacram Unctionem conſecrari dicuntur,) tantùm eſt ſolemnis cæremonia, ut Innocentius III. *in cap. Cùm veniſſet S. Unctione*, eam comparet Unctioni Regum, & ideò in ordinatione Epiſcopi Bracarenſis in Græcia prætermiſſam deinde ſupplendam præceperit, ac, ne deinceps à Græcis omitteretur, prohibuerit.

27 Illud adhuc circa impoſitionem Evangeliorum, & manuum controvertunt Auctores, an non tantùm ordinariè, ſed etiam indiſpenſabiliter ad valorem hujus Ordinis requiratur, eam à tribus omnino Epiſcopis fieri, ut præter auctoritatem proximè referendam præcipitur facienda, *in c. Placet omnibus diſt.* 65. *& c. Chorepiſcopi, diſt.* 68. *c. Epiſc. diſt.* 80.

Affirmat Palao *tract.* 27. *punct.* 14. *num* 13. faſſus, contrarium docere Barboſ. Comitolum, Marcum, Antonium Genuenſem. Cum his etiam negant Bellarm. Vaſqu. Coninck, Tanner. *num.* 36. referens Palud. S. Anton. Sylveſtrum, Armillam. Henriq. adducens expreſſum textum ex Clemente *lib.* 8. *Conſtitut. capitul.* 27. & exemplum S. Gregorii M. qui in reſponſionibus ad interrogationes Auguſtini cap. 8. conceſſit Auguſtino cuidam Angliæ Epiſcopo, ut quamdiu ſolus eſſet, nec ex Gallia Epiſcopi advenirent, ſine aſſiſtentibus Epiſcopos conſecrare poſſet. Adde, quòd apud Amicum *diſput.* 22. *num.* 25. Congregatio Cardinalium deciderit, & Pius V. de facto diſpenſaverit, ut in defectum Epiſcoporum aſſiſtentium adhiberi poſſint duo Abbates, vel alii duo habentes dignitatem Eccleſiaſticam, uti in noſtra Germania hodie uſu receptum eſt. Neque Palao fundamentum eſt ſatis firmum innitentis huic principio, quòd Pontifex non poſſit diſpenſare in materia, & Sacramentorum forma. Negatur enim ſuppoſitum, quòd Chriſtus materiam, & formam Sacramenti Ordinis, quoad ſpeciem infimam determinaverit, vel ſi ex parte legitimi Miniſtri, & non ratione materiæ, ſeu triplicis impoſitionis manuum conſtituit tres Epiſcopos, ut conſtituiſſe teſtatur Anacletus *Epiſt.* 2. *Decretal. cap.* 1. *& Epiſtol.* 3. *cap.* 2. & Anicetus *Epiſt. Unica ad Galliæ Epiſcopos in principio*, referens Anacleti teſtimonium, ex hoc tamen non ſequitur, quòd, ſicut ex traditione Eccleſiæ conſtat, Pont. ſpecialiter datam poteſtatem diſpenſandi in Miniſtro confirmationis, ut loco Epiſcopi ſimplici Sacerdoti poteſtatem confirmandi delegare poſſit, non etiam eodem modo ex traditione Pontificum conſtet, illis à Chriſto datam eſſe facultatem diſpenſandi quoad numerum Epiſcoporum; quæ magis eſt neceſſaria quoad Sacramentum Ordinis, quàm quoad Sacramentum

tum Confirmationis, modò is, qui conſecrat, & ultra quem in Canone primo Apoſtolorum de jure tantùm ordinario dicitur Epiſcopus è duobus vel tribus Epiſcopis (ſcilicet aſſiſtentibus Metropolitano, ut Vaſq. Turrian. Tan. Palao explicant) ordinetur, modò inquam, ipſe ſit Epiſcopus, ut DD. ferè omnes unanimiter exigunt, quia ſicut juxta S. Paulum ad Hebræos 7. *verſic.* 7. *Quod minus eſt à meliori benedicitur*, ita planè non decuit, ut ſimplex Sacerdos poſſet eſſe adæquatus Miniſter benedicens & ordinans Epiſcopum: imò forſitan neque poteſt eſſe inadæquatus, ſicut communiter negatur, quòd poſſet eſſe Miniſter ſimplicis Presbyteratus, ſed quando ex diſpenſatione permittitur aſſiſtere Epiſcopo in Ordinatione Epiſcopi, probabiliter non aſſiſtit ut miniſter partialis ad conferendam, ſed tantùm ad ſolemniùs ſignificandam plenitudinem gratiæ.

28 In Sacerdotio pro collatione poteſtatis ad actum primarium, nempe ad conficiendam, & offerendam Euchariſtiam materia proxima aſſignatur à Florentino, Traditio Calicis, cum vino, & patenæ cum hoſtia reſpectu Latinæ Eccleſiæ; nam reſpectu Græcæ retenta eſt manus impoſitio, qua Apoſtoli in Ordinatione Sacerdotum utebantur: & ita teſtatur: Lugo *diſput.* 2. *de Sacramentis in genere*, *num.* 85. ſe Romæ vidiſſe à Græco Epiſcopo, & ſciente & conſentiente Summo Pontifice, abſque Calicis, & patenæ traditione ordinari Græcos Presbyteros. Verùm Latinorum materia, cujus uti & formæ determinationem quoad ſpeciem infimam Chriſtus Eccleſiæ permiſit, modò adhibeat ſignum ſenſibile, & verba ſignificativa poteſtatis collatæ, magis congruit cum modo, quo Chriſtus Apoſtolos in ultima cœna Presbyteros creavit, dum præbens ſpecies panis, & vini dixit: Hoc facite in meam commemorationem, magiſque exprimit, cujus rei poteſtas conferatur, & collationi reliquorum Ordinum inferiorum magis conformatur, in qua ſemper traditur ab Epiſcopo inſtrumentum poteſtatis collatæ. Unde præfatus Card. de Lugo in Reſponſionibus Moralibus *lib.* 1. *dub.* 30. non immeritò dubitat, utrùm in Hiſpania ſit validè collatus Presbyteratus, dum ordinantis tradita quidem eſt patena cum hoſtia, ſed Calix ſine Vino, ſicut in alia Ordinatione Subdiaconi traditus eſt Calix cum vino, & patena ſine hoſtia; & licèt utramque Ordinationem approbet, ut probabiliùs validam, citans etiam Filliucium, Homobonum, Bonacinam, Tannerum, Dianam, alibi id ipſum rurſus retractantem, cenſet tamen, Presbyteratum ſaltem propter gravium damnorum periculum rectè ſub conditione fuiſſe iteratum juſſu Cardinalis Sandovalii Toletani Archiepiſcopi.

29 Controverſia tamen eſt, utrùm non etiam aliqua manus impoſitio ſit ſaltem partialis materia Presbyteratus in Latina Eccleſia: videtur enim illud indicare Concilium Carthaginenſe IV. *c.*3. in Ordinatione Presbyteri faciens mentionem ſolius impoſitionis manuum ab Epiſcopo, & præſentibus Sacerdotibus præſtandæ, juxta Pontificale Romanum ante calicis traditionem: quod etiam videtur aſſerere Gregorius XI. *in capit. Presbyter de Sacrament. non iterandis*, & docuit S. Bonaventura 4. *diſt.* 24. *part.* 2. *quæſt.* 4. Verùm communis & propè omnium Doctorum, ac vera ſententia eſt cum S. Thoma 4. *diſtinct.* 24. *quæſt.* 1. *articul.* 3. *in Corpor.* prædictam manus impoſitionem tantùm eſſe accidentalem cæremoniam, qua juxta S. Doctorem ſignificatur, & per ſubjunctam orationem etiam petitur ab Eccleſia plenitudo gratiæ, ſeu ut in oratione dicitur, ut DEUS cæleſtia dona multiplicet ad ſacerdotale munus neceſſaria.

Probat. 1. Quia hanc manus impoſitionem omiſit Florentinum, aſſignans materiam Presbyteratus quoad poteſtatem actus primarii. 2. Quia nulla forma eidem correſpondens ab Epiſcopo profertur. 3. Quia æquè à cæteris Præsbyteris præſentibus, & nullam habentibus poteſtatem ordinandi Presbyterum, atque ab ipſo Epiſcopo manus imponuntur.

Ad Auctoritatem Concilii Carthaginenſis Reſpond. cum Palao *punct.* 4. *numer.* 5. mentem illius tantùm fuiſſe, aſſignare ritum in Ordinatione Presbyteri obſervandum, ut per eum ab Epiſcopo non conſecretur, ſed prout ipſum Concilium dicit, benedicatur, ſeu ut S. Thom. *loc. citat.* loquitur, præparetur. Ad textum cap. Reſp. ipſum vel eodem modo intelligi poſſe, vel quod probabiliùs videtur, ipſum non loqui de prima manus impoſitione ante traditionem calicis, ſed de ſecunda, quando ſimul profertur forma: *Accipe Spiritum Sanctum: Quorum remiſeris peccata, remittuntur eis:* hinc in fine citat. cap. dicitur, ſuſpenſio autem manuum debet fieri, cùm oratio ſuper caput effunditur, ordinandi, quod non ſit in prima impoſitione manuum, ſed in prolatione dictæ formæ, quæ etiam oratio, ſeu petitio Spiritus Sancti eſt, ac ſimul collatio poteſtatis Sacerdotalis ad actum ſecundarium nempe abſolvendum, & ligandum: ut cum S. Thoma *loc. citat. ad* 2. communiter aſſerunt Doctores & ipſum Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 27. *canon.* 4.

Unde poſterior manus impoſitio ab illis etiam adſtruitur tamquam materia proxima alterius poteſtatis ſecundariæ, cujus ſicut & aliorum plurium Ordinum materias explicitè Concilium Florentinum non aſſignavit, nec aſſignare intendit, præſertim quia ad prædictum actum ſecundarium Presbyteratus nullo opus eſt inſtrumento, Concilium Florentinum autem voluit tantùm indicare illas materias, quæ in traditione inſtrumentorum ad actus Ordinis neceſſariorum conſiſtunt: cujus proinde defectum in declaranda altera materia partiali Presbyteratus, quatenus & ipſa cum ſua propria verborum forma confert Spiritum Sanctum, ſeu ſpecialem gratiam à priori diſtinctam, & (ut contra Vaſq. probabiliùs aſſeritur à Bellar. Coninck, Laym. relatis, & approbatis à Palao, *punct.* 5. *num.* 4. ſibi ipſi contrario *pun.* 3. *num.* 1.) ſpecialem characterem, qui ſtabiliter ſignificet poteſtatem ſecundariam, etiam Apoſtolis, poſt reſurrectionem Chriſti primùm collatam, ſufficienter ſupplevit *loc. citat.* & *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. ubi dixit, Sacerdotes ab Epiſcopis ritè ordinari per impoſitionem manus Presbyteri, id eſt collativam alicujus poteſtatis Sacerdotalis. Ideò quando aliqui Doctores ſolam traditionem calicis cum patena pro materia Presbyteratus deſignant, vel improbabiliter excludunt ſecundam manus impoſitionem, vel tantùm cum Concilio Florentino de poteſtate primaria loqui intendunt; quamvis ſecundaria ſit verè Sacramentalis, non minùs, quàm poteſtas Epiſcopalis, quà talis, quæ reſpectu poteſtatis offerendi Sacrificium etiam tantùm eſt ſecundaria, & acceſſoria. Aliud quidem nos ipſi de impoſitione manus in Diaconatu dicemus, quæ nunc neque cum adjectis verbis: *Accipe Spiritum Sanctum*: ampliùs conſtituit Ordinem Diaconatus, nec gratiam ex opere operato confert, quia materialiter, & phyſicè loquendo alia materia eidem eſt ſubrogata, quamvis ante hanc ſubrogationem non fuerit inanis Cæremonia, & ex adjectis verbis rectè colligi potuerit, & Trident. de facto ex illis ante ſubrogationem, vel nunc in collata poteſtate abſolvendi prolatis colligat, per illam conferri gratiam Sacramentalem.

In Diaconatu materia proxima eſt traditio libri Evangeliorum, ut definitum eſt à Concilio Florentino in Decreto Eugenii poſt ultimam ſeſſ. §. *ſextum Sacram.*, ubi, quia nulla ſit mentio impoſitionis manus, tamquam partialis materiæ, & quia tamen, quando ad eandem poteſtatem Ordinis conferendam alia materia eſſentialiter requireretur, ipſa quoque aſſignanda fuiſſet, ne aſſignata una ſine altera ipſa ſola putaretur neceſſaria, & affirmatio unius cenſeretur eſſe negatio alterius: ideò hæc non videtur rectè à Pet. Soto, Henriq. Hoſio, Bellarm. Coninck, Tannero, Laym. Dicaſtill. ſimul ad eſſentiam Diaconatus requiri contra Richard. Ruardum, Dom. Sotum, & in primis contra S. Thomam 4. *diſt* 24. *quæſt.* 2. *artic.* 3. *ad* 5. Valent. Bonac. Vaſq. Palao, dicentes ſuam ſententiam communem, quam Vaſq. *diſput.* 238. *num.* 35. ita veram exiſtimat, ut oppoſitæ non ſolùm notam temeritatis, ſed etiam erroris incurrendam ſentiat, quæ cenſura tamen eſt nimis ſevera; quia oppoſita ſententia adducit pro ſe Auctoritatem S. Scripturæ *act.* 13. *verſic.* 14. & 1. *ad Tim.* 4. *verſic.* 5. & 2. *ad Timoth. cap.* 1. ubi tam pro Diaconis, quàm Sacerdotibus aſſeritur manuum impoſitio. 2. Allegat Auctoritatem Concilii Carthaginenſis IV. *cap.* 4. ubi ſolam manus impoſitionem in ritu ordinandi Diaconi memorat. 31

Ad quæ tamen argumenta, à contraria, & ut ego exiſtimo veriori ſententia, Reſpond. Etiamſi manus impoſitio olim fuerit materia Diaconatus, antequam ſcriberetur, & cantaretur Evangelium, poſtquam tamen hoc cantandi officium Diacono impoſitum eſt, ideò Eccleſia ex poteſtate à Chriſto ſibi conceſſa, determinandi ſignum externum deputationis ad quodcumque miniſterium Ordinis, pro Ordinatione more Latino (nam pro Græco retinuit manus impoſitionem teſte Lugo *de Sacram. in genere diſp.2. num.85.*) elegit deinde librum Evangeliorum, ut ſicut in aliis Ordinibus uſque ad Sacerdotium incluſivè conſtituit pro materia remota aliquod inſtrumentum proprium Ordinis functioni, ſic etiam in Diaconatu tale daretur, quòd ſimul eſſet magis ſpeciale, cùm manus impoſitio etiam in collatione poteſtatis Epiſcopalis, & poteſtatis abſolvendi à peccatis adhibeatur.

Cur autem potiùs inſtrumentis muneris ſecundarii, nempè lectionis Evangeliis, quàm primarii, quod eſt, Sacerdoti ad oblationem Sacrificii proximè ſervire, pro materia hujus Ordinis deſignatum fuerit. S. Thomas *loco cit.* dat hanc rationem, cùm ait, *Poteſtas Diaconi eſt media inter poteſtatem Subdiaconi, & Sacerdotis, Sacerdos enim directè habet poteſtatem ſuper corpus Chriſti, Subdiaconus ſuper vaſa tantùm, ſed Diaconus ſuper corpus in vaſe contentum: unde ejus non eſt tangere Corpus Chriſti, ſed portare Corpus Chriſti in patena, & diſpenſare Sanguinem cum Calice: & ideò ejus poteſtas ad actum principalem non potuit exprimi, nec per dationem vaſis tantùm, nec per dationem materiæ, ſed exprimitur poteſtas ejus ad actum ſecundarium in hoc, quòd datur liber Evangeliorum, & in hac poteſtate intelligitur alia, & ideò in ipſa libri datione imprimitur Character*, Ita S. Doctor. Itaque Eccleſia impoſitionem manuum tantum tamquam cæremoniam ad Sacramenti integritatem non ampliùs neceſſariam rètinuit, & verba, quæ ab Epiſcopo in illius executione proferuntur (*accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad reſiſtendum diabolo, & tentationibus ejus*) ſicut non poſſunt cauſare Characterem, ut indicat S. Thomas *in Supplem. quæſt.38. artic.1. ad primum*, ita neque gratiam ex opere operato cauſant, ſed tantùm per modum precum (quod ſolum indicat S. Thomas, & ideò non favet Adverſariis) in imperativo quidem, ad denotandam Epiſcopi confidentiam, & ad infallibilitatem effectus ſecuturi ex traditione Evangeliorum.

Neque aliud ex Concilio Carthaginenſi colligitur, quando dicit: *Diaconus, cùm ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat, quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur*. Immò in his verbis inſinuatur, impoſitionem manuum in Ordinatione Diaconi non ad Ordinationem, ſicut in Sacerdotio, ſed ad benedictionem Epiſcopi ſpectare, ut magis in ſequenti *cap.5.* videtur declarari, ubi ait Concilium, *Subdiacono, cùm ordinatur, ideò dari Calicem, quia non accipit manus impoſitionem*. Quæ ratio, ut bona ſit; debet etiam in Diacono valere, quòd ideò detur ipſi liber Evangeliorum, quia non accipit manus impoſitionem per modum Ordinationis.

Neque obſtat, quod obiicit Tanner. *num.62.* hac ratione Concilium prætermiſſo omni eſſentiali ritu ſolam accidentalem cæremoniam explicaſſe, quia hoc ipſum feciſſe *cap.3.* ipſe Tannerus fateri debet, ubi pro Ordinatione Presbyteri refert ſolam manuum impoſitionem, quam Epiſcopus cum aliis Sacerdotibus exhibet, & quæ nondum eſt eſſentialis materia, quia mens Concilii non fuit, aſſignare partes eſſentiales, ſed tantùm quoſdam ritus, ſive eſſentiales, ſive accidentales.

32 In Subdiaconatu à Concilio Florentino, & Carthaginenſi IV. *cap.4.* & à S. Thoma 4. *diſput.25. quæſt. 1. artic. 1. ad ſecundum*, atque à communi, & teſte Palao *punct. 4. num.13.* certa ſententia pro materia proxima aſſignatur ſola traditio Calicis Vacui cum Patena, qui ſi non ex neceſſitate Sacramenti, ut exiſtimat Palao, ſaltem ex neceſſitate præcepti debet eſſe conſecratus, ut ſe habeat non per modum cujuſcumque vaſis profani, ſed ſacri, & ad Sacrificium deputati, quemadmodum Subdiaconatus ad idem ordinatur.

Tannerus tamen *diſput.7. quæſt.2. num.57.* addit etiam traditionem libri Epiſtolarum, quia ante ejus traditionem Subdiaconi nondum vocantur Ordinati, ſed ordinandi; & præterea non minùs videtur eſſe neceſſaria traditio Epiſtolarum ad Subdiaconatum, quàm traditio Evangeliorum ad Diaconatum, & ſimiliter ab Epiſcopo recitantur certa verba habentia ſe inſtar formæ, ac conferentia poteſtatem ſolemniter legendi Epiſtolas.

Verùm, quia non eſt credibile, quòd neutrum Concilium aſſignarit materiam adæquatam Subdiaconatus, uti tamen Florentinum videtur voluiſſe aſſignare, & quòd etiam plerique Theologi eam non aſſignaverint, ideò non eſt recedendum à communi ſententia, non obſtante, quòd in Pontificali librum Epiſtolarum Epiſcopus jubeatur tradere, & non Archidiaconus, de quo Palao *num.14.* tantùm per errorem id videtur aſſeruiſſe, librum cum urceolo aqua repleto confundens, quem ab Archidiacono tradendum præcepit Concilium Carthaginenſe.

Ad rationes Tanneri, Reſpond. Subdiaconos dici adhuc ordinandos, & non ordinatos, eò quòd ante traditionem libri ordinatio nondum ſit finita quoad ſolemnitatem præcepti, inter quas etiam eſt neceſſaria traditio urceoli, & ſacrarum veſtium, quibus Epiſcopus etiam certa verba adjungit, ſicut tamen hæc non ſunt aliqua eſſentialis forma, ſic nec verba ſignificantia poteſtatem legendi Epiſtolas, jam traditione Calicis collatam, & tantùm de novo ratificatam, & declaratam. Ad paritatem de materia Diaconatus patet reſponſio ex dictis.

In Minoribus Ordinibus, ut ſtatuitur in Concilio 33
Carthaginenſi IV. Pontificali Romano Clementis VIII. Auctoritate reſtituto, traduntur ab Epiſcopo Claves Eccleſiæ Oſtiario, liber Lectionum Lectori, liber Exorciſmorum Exorciſtæ, in cujus locum etiam ipſum Pontificale, vel Miſſale tradi poſſet, quia Exorciſmi ibi continentur. Ceroferarius ſive Candelabrum cum cereo, ſeu candela extincta, unus vel ambo Urceoli, vacui cum duplicis formæ prolatione Acolytho; unde ut S. Thomas 4. *diſt.24. quæſt. 2. art.3. ad 6.* & cum eo communis ſententia tradit, vis ſignificandi, & cauſandi characterem per traditionem Candelæ, & illius ſpecialem formam, ſuſpenditur uſque ad traditionem Urceoli, tamquam ad complementum materiæ adæquatæ, niſi dicere velis, quòd ſola traditio Urceoli ſit materia adæquata, & quòd traditio Candelæ cum annexis verbis ſit tantùm ſignum poteſtatis, adæquatè conferendæ per traditionem Urceoli; quia Concilium Carthaginenſe *cap. 6.* Candelam, quæ juxta Pontificale nunc traditur ab Epiſcopo, ab Archidiacono tradendam dixit. Itaque horum traditio & acceptatio eſt materia proxima iſtorum Ordinum, quorum formas non eſt operæ pretium ex Pontificali adſcribere.

ARTICULUS III.

De Miniſtro, & Suſcipientibus Ordinem.

SUMMARIUM.

34 *Ordinarius Miniſter omnium Ordinum eſt ſolus Epiſcopus. Extraordinarius tamen Ordinum Minorum ex Conceſſione Summi Pontificis ſunt etiam Cardinales, & Abbates reſpectu certarum perſonarum Subditarum.*

35 *Etiam Sacrorum Ordinum, ſaltem Presbyteratu inferiorum extraordinarius Miniſter poteſt eſſe, & ex Privilegio S. Pontific. reſpectu certarum Perſonarum admiſſus eſt ſimplex Sacerdos.*

36 *Fœminæ ſunt incapaces cujuſvis Ordinis, ac primæ etiam Tonſuræ.*

37 *Conditiones ad licitè recipiendos Ordines.*

38 *Obligatio habitus Clericalis, & Coronæ geſtandæ.*

QUæritur 1. Quis ſit Miniſter Sacramenti Ordinis 34
Epiſcopatu inferioris. Reſp. ordinarium Miniſtrum eſſe ſolum Epiſcopum conſecratum, ut definivit Florentinum *loc. cit.* & Trident. *ſeſſ.23. c.4. & can.7.* quæ Concilia tamen, quia abſolutè & univerſaliter loquuntur,

tur, & quia Ordinatio formaliter non eſt actus Juriſdictionis, ſed hanc poteſtatem tantùm ſupponit, ut licitè fiat, ideò de omni Epiſcopo conſecrato intelligenda ſunt, quod ex communi, & certa ſententia adeò verum eſt, ut hæc poteſtas ordinandi ſit quoad valorem inimpedibiliter annexa Ordini Epiſcopali, & neque Degradatio, Excommunicatio, vel Hæreſis eidem obſtet: & propterea *cap. Excommunicati*, *& cap. Per illicitam 9. quæſt. 1.* Paleæ nota ſunt à Gloſſa interlineari affecta. Vera autem doctrina tradita eſt, *Capitul. Convenientibus 1. quæſt. 7.*

Ex conceſſione autem Summi Pontificis poteſtas Ordines Minores non quibuſcumque, ſed ſuis familiaribus conferendi, ex recepta conſuetudine conceditur Presbyteris Cardinalibus Romanæ Eccleſiæ, & olim ex privilegio concedebatur Abbatibus, aliiſque Juriſdictionem, quaſi Epiſcopalem habentibus, ſi Sacerdotes Inſulati, & ab Epiſcopo benedicti fuerant, juxta *c. Cùm contingat de Ætate, & qualitate*. Verùm hoc privilegium reſtrictum illis eſt à Tridentino *ſeſſ. 23. capit. 10. de Reformat.* ne primam tonſuram, & minores Ordines aliis conferre poſſint, quàm Regularibus ſibi Subditis; ex quo infert Palao *tract. 27. punct. 14. à num. 4.* illos neque Regularibus non ſubditis, etiamſi à ſuo Superiore dimiſſorias acceperint, neque Novitiis, in quos ſolùm Juriſdictionem tantam habent, quanta ad gubernationem eorum eſt neceſſaria, Ordines conferre poſſe, quod contra Layman confirmat ex quadam Conſtitutione Pii V. & conſenſu Navarri, Rodriquez, Henriquez, Thom. Sanch. Barboſ. & aliorum.

35 Quoad Sacros Ordines autem communior eſt ſententia S. Thomæ 4. *diſt. 26. quæſt. 1. artic. 1. ad 3. & in Supplem. quæſt. 38. artic. 1. ad* 1. Paludani, Capreoli, Sylv. Richar. Covarr. Soti, Valentiæ, Azor. Nugnez. Pet. de Ledeſma, Sylvii & noviſſimè P. Jo. Baptiſtæ Gonet, *de Ordine diſput. 3. num. 3.* & utique reliquorum Thomiſtarum ſuum S. Ducem ſequentium, qui omnes negant, à Summo Pontif. poſſe alicui, qui non eſt Epiſcopus conſecratus, delegari poteſtatem ullum Sacrum, ſeu majorem Ordinem conferendi, & de Diaconatu id negavit, Bell. Henriq. Vivaldus, & alii.

Verùm quia de ſolo Ordine Sacerdotali non habetur ullum exemplum, quòd ejus conferendi poteſtas ſimplici Sacerdoti aliquando commiſſa ſit, nam ex Chor-Epiſcopis, id eſt Epiſcopis Villarum, quorum aliqui tantùm per unius Epiſcopi, alii per plurium Epiſcoporum manuum impoſitionem ordinabantur, ita ut priores noſtris Decano Ruralibus, ac Simplicibus Sacerdotibus, poſteriores autem ſuffraganeis Epiſc. aliquo modo æquiparentur, ſoli poſteriores conferebant Ordines, quod ipſum tamen improbabat Damaſus *ep. 4.*) de Diaconatu verò, & Subdiaconatu ab Inn. VIII. per Bullam editam *Anno 1489.* 5. Idus Aprilis conceſſum eſſe Joanni Abbati Monaſterii Ciſtercii, & Succeſſoribus ejus, ut quibuſcumque ſuis Religioſis prædictos Ordines conferre valerent: quod privilegium, quoad ſuos tamen dumtaxat ſubditos ibidem tributum eſt quatuor primorum, ac principalium Monaſteriorum ejuſdem Religionis Abbatibus, de quo licèt Coninck, Laym. Palao dubitent, & poſtremus allegato Navarro, Vaſq. & Laym. dicat, certum eſſe, prædicti privilegii uſum contraria conſuetudine fuiſſe abrogatum, tamen neque de ipſo privilegio cujus Bullam Menologio Ciſtercienſium inſertam, & teſte Chryſoſt. Henriq. ejuſdem Menologii Gloſſatore à variis Pontificibus approbatam, ego ipſe vidi, & totam perlegi, ullo modo dubitandum eſt, neque ejus uſus per non uſum eſt abolitus, quia cit. Auctor ait, ſe multos vidiſſe Monachos, per præfatos Abbates ad Subdiaconatum, & Diaconatum promotos, & ex ſuo celeberrimo Monaſterio Cæſarienſi quidam mihi tres nominavit adhuc vivos Patres, qui ſedecim circiter abhinc annis à ſuo Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Generali de Ciſtercio Diaconatus, & Subdiaconatus Ordines acceperunt.

Propterea vel cum Innocentio IV. *in capit. 4. de Conſecr. num. 4.* Panormitano *ibid. n. 9.* Aureolo, Vaſq. Dicaſtill. & cum Gloſſa *in capit. Manus diſtinct. 5. & in capit. Pervenit diſtinct. 91.* univerſaliter ob rationis paritatem cum privilegio Innocentii VIII. & propter Florentini univerſalem modum loquendi, dum Epiſcopum omnium ordinum Miniſtrum aſſignans, addit particulam *Ordinarium* (indicans proinde extraordinarium miniſtrum poſſe eſſe alium, qui non eſt Epiſcopus, prout hoc indicatur per eandem particulam in Miniſtro Confirmationis) dicendum eſt, ſimplicem Sacerdotem poſſe eſſe Miniſtrum extraordinarium omnium Ordinum, quos ipſe habet; vel ſaltem non negandum de Diaconatu, & Subdiaconatu, cum Veneratione recedendo à S. Thoma, cujus ratio, quòd ſcilicet Pontifex non poſſit ſimplici Sacerdoti committere poteſtatem conferendi Diaconatum, & Subdiaconatum, quia utriuſque miniſterium immediatè & proximè verſatur circa Corpus Chriſti, non quidem conficiendum, ſed prout ipſum continetur in S. Vaſis propter factum Innocentii VIII. negari debet, eſſe illativa intenti, ut ſine dubio ipſe S. Doctor negaſſet, niſi pridem ante Innocentium vixiſſet, natus ſcilicet *Anno 1224.*

Quæritur 2. Quales conditiones ex parte ſuſcipientis requirantur: Reſp. Ut validè ſubſcipiat, requiri ſexum maſculinum, ſaltem prævalentem fœminino, quamvis hujuſmodi Hermaphroditis, utpotè irregularibus, numquam ſacri Ordines conferri debeant. Cur autem fœminæ (quæ olim propter Senium Presbyteræ, vel propter officium privatim inſtruendi catechumenas, & procurandi res temporales, etiam Diaconiſſæ appellabantur, vel hujuſmodi nomina à Maritis ſuis participabant,) omninò ex DEI ordinatione incapaces ſint Ordinum, & conſequenter etiam primæ tonſuræ, quæ eſt diſpoſitio ad illos, colligitur ex perpetuo uſu Eccleſiæ, & ex eo, quod S. Paulus 1. *ad Corinth.* 14. neque ad prædicandum Verbum DEI admiſſas eſſe teſtatur, inquiens: *Mulieres in Eccleſia DEI taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe: turpe eſt enim mulieri, loqui in Eccleſia.* 36

Ad licitè ſuſcipiendum Ordines requiruntur conditiones, potiſſimùm ſequentes. 1. Ætas, quæ in majoribus Ordinibus à Tridentino *ſeſſ. 23. capitul. 12. de Reformat.* eſt determinata, ſcilicet, ut ordinandus Subdiaconus 21. Diaconus 22. Sacerdos 24. Epiſcopus 30. annos compleverit, ante quod tempus, ſi quis ordinem ſuſcepiſſet, etiam inculpabiliter, vel culpabiliter quidem, ſed abſolutus eſſet à culpa, & cenſura, tamen exercere illum non liceret: Ordines minores verò ante elapſos annos infantiæ, id eſt ſeptennium, juxta Conſtitut. Bonifacii VIII. *in capitul. Nullus, de tempor. Ordin. in 6.* licitè recipi non poſſunt. 2. Immunitas ab omni cenſura, & irregularitate. 3. Mores juxta communem famam, & opinionem hominum boni, ac carentia peccati mortalis. 4. Scientia, ſi Epiſcopo videbitur, prævio examine comprobata, ut ſcilicet prima tonſura initiandus noverit fidei rudimenta, item legere, & ſcribere, lingua ſaltem vernacula, ut præcipitur in Tridentin. *ſeſſ. 23. capitul. 4. de Reformat.* Suſcepturus Minores intelligat Latinam linguam juxta Trident. *ſeſſ. 23. capit. 11.* Ordinandus Diaconus, vel Subdiaconus ex mandato ejuſdem Concilii *capitul.* 13. ſcire debet neceſſaria ad officium ſuum, à Presbytero denique præſertim curam animarum ſuſcepturo *capit. 14.* exigitur, peritia docendi populum neceſſaria ad ſalutem, & adminiſtrandi Sacramenta: 5. Titulus ſuſtentationis fundatus vel in Beneficio, ſive Eccleſiaſtico, ſive profano, vel in Patrimonio, qui tamen ſolummodò neceſſarius eſt majores Ordines ſuſcepturis, & Voto Solemni paupertatis in aliis Religionibus, vel Voto Simplici in noſtra Religione non obſtrictis. 6. Subjectio reſpectu Ordinantis, vel ratione Domicilii, vel originis, vel Beneficii Eccleſiaſtici, aut exemptio ab alterius Ordinarii Juriſdictione, quæ vel per privilegium, vel per literas dimiſſoriales obtineri poteſt, ac debet, ad quoſcumque Ordines imò etiam ſolùm ad primam tonſuram obtinendam, juxta *capitul. Cùm nullus de Temporib. Ordinat. in 6.* Nequeunt tamen dimiſſoriales dari à Capitulis Eccleſiarum Sede vacante infra annum à die vacationis, niſi ei, qui Beneficii Eccleſiaſtici recepti, ſive recipiendi occaſione arctatus fuerit, juxta Trid. *ſeſſ. 7. capit. 10. de Refor. & ſeſſ. 23. cap. 10. de Reform.* ubi ſtatuitur pœna ſuſpenſionis per annum ſecus facientibus. Ipſi verò Epiſcopi non deberent dimiſſoriales dare, niſi jam probatis, & examinatis ut ſtatuitur in cit. Trid. *ſeſſ. 23. cap. 3. de Ref.* 7. Statuti temporis, & intervallorum Ordines intercedendenden-

dentium obſervatio, niſi ex privilegio, vel diſpenſatione ab hac excuſetur. Poteſt itaque quis primam tonſuram accipere quocumque die, & hora; Minores Ordines quavis Dominica, aut feſto, quod ſecundùm probabiliorem non tantùm officio duplici, aut ſemiduplici, ſed etiam in foro celebrari debet, hoc enim intelligi communiter ſolet nomine Feſti, item Sabbatho quatuor temporum, ac Sabbatho ante Dominicam Paſſionis, & Reſurrectionis. Majores verò poteſt quis recipere prædictis diebus Sabbathinis, vel ex rationabili cauſá etiam dominica ſequenti, dummodò præcedenti Sabbatho nullum alium Ordinem majorem receperit, quia utraque dies per modum unius accipitur, eadem autem die propter prohibitionem Trident. *ſeſſ. 23. capitul. 13. de Reform.* non licet recipere duos majores Ordines adæquatè diſtinctos, benè tamen omnes minores, etiam cum Subdiaconatu ex diſpenſatione Epiſcopi. Epiſcopatum denique quavis Dominica Eccleſia conferre ſolet. Intervallum inter ultimum Minores, & ſingulos Majores Ordines juxta Trid. *ſeſſ. 13. cap. 11. & 13. & 14. in Decreto Reform.* deberet ſemper eſſe integer annus, communiter tamen in hoc diſpenſari ſolet. 8. Locus, qui in conſuetis Ordinationibus debet eſſe Eccleſia cathedralis, non tamen in extraordinariis, ut ſtatuitur à cit. Trid. *capit. 8. de Reformat.* 9. Debita ſucceſſio Ordinum, juxta *cap. 1. diſtinct. 52. & capit. un. de Clerico per ſaltum promoto.* Ne Superior Ordo ante inferiorem per ſaltum recipiatur, cujus violatio grave peccatum, ſuſpenſionem, & obligationem ſuſcipiendi neglectum Ordinem inferiorem inducit, imò Epiſcopalem ordinem neglecto Sacerdotio omninò invalidat.

Quær. 3. Quinam, & ſub quanta obligatione teneantur geſtare habitum Clericalem, & Coronam juxta Conſtitut. Trid. *ſeſſ. 14. cap. 6.* & varia capit. Juris Canonici. Reſpond. Secundùm communem ſententiam apud Tamb. *capit. 2. num. 16.* teneri ſolos Clericos Beneficiatos, vel in Sacris conſtitutos, & ſi ex contumacia, contemptu, ac gravi Scandalo non geſtarent, peccaturos mortaliter, aliàs tantùm venialiter. Unde patet, quia faciliùs grave Scandalum, & ſtatus Clericalis irreverentia oriretur ex neglectu Veſtis Clericalis, quàm Coronæ, ideò faciliùs peccatum mortale per illum commiſſum iri: rarò autem ex neglectu ſolius Coronæ. 38

DISPUTATIO IX.

De Sacramento Matrimonii.

QUÆSTIO I.

De Sponſalibus præcedentibus Matrimonium.

TRia potiſſimùm circa ſponſalia quæri poſſunt, primum quid ſint. Alterum, Quomodo obligent. Tertium, Quomodo diſſolvantur.

ARTICULUS I.

Quid ſint Sponſalia, & quales Conditiones ad eorum Valorem requirantur.

SPonſalia à DD. addita unica particula *mutua*, tacitè ſubintellecta, in Jure *in capitul. Noſtrates 30. quæſt. 5.* rectè definiuntur, quod ſint *Futurarum nuptiarum mutua promiſſio*, vel ut dicitur *in Lege 1 ff de Sponſalibus, futurarum nuptiarum repromiſſio*, vel denique ut omnes conditiones eſſentiales clarè exprimantur, quòd ſint promiſſio voluntaria deliberata, & mutua, ſigno ſenſibili expreſſa, futuri Matrimonii inter perſonas jure habiles. Explico breviter ultimam definitionem per ſequentes Paragraph.

§. I.

Quomodo Sponſalia ſint Promiſſio Voluntaria, ac libera non ſolùm à neceſſitate, ſed etiam à gravi metu injuſto.

SUMMARIUM.

1 *DEfinitio Sponſalium: ad quam pertinet Voluntas ſe obligandi.*
2 *Sponſalia debent eſſe libera à neceſſitate, & à metu injuſtè incuſſo.*
3 *Proponitur objectio.*
4 *Reſpondetur ad objectionem.*
5 *Ex injuſto metu contracta Sponſalia neque accedente Juramento obligant.*

1 IN relata ultima definitione ſponſalium dicitur primò. *Promiſſio*. Quia non ſufficit propoſitum nullam inducens obligationem.

Dicitur. 2. *Voluntaria*. Quia aliàs non habent vim obligandi; hinc amentes, & ebrii nulla poſſunt contrahere ſponſalia. Ob eandem cauſam ſimulatè, & omninò ſine animo obligandi promittens, (niſi ſimulatione hac puellam ad lapſum induxerit, eò quòd ipſa prudenter fraudem advertere non potuiſſet) non facit ſponſalia, neque in conſcientia obligatur ex juſtitia, aut fidelitate propriè dicta, ſed ſolùm ex veracitate, ut verificet ſua verba, quæ tamen levis eſt obligatio, & ex facili cauſa excuſabilis, quamvis in foro externo compelli poſſet ad ineundum Matrimonium; niſi fictionem ſufficienter probaret, quòd ſi tamen juramentum fuiſſet adjectum, eodem non quidem convaleſceret obligatio juſtitiæ, ſed induceretur obligatio Religionis, niſi & ipſum juramentum fuiſſet fictum.

Dicitur 3. *Deliberata*: Debet enim, ſicut votum, promiſſio eſſe humana, ac libera, libertate tali, quæ ſufficit ad meritum, & demeritum mortaliter peccaminoſum; imò etiam (quod quidem Amicus *diſp. 23. num. 2.* non ſatis immediatè convincit *ex cap. veniens cap. Gemma de Sponſal. & cap. unic. Eodem in 6.*) quæ excludat injuſtè incuſſum metum, cadentem in conſtantem virum: ut teſte Azor. *tom. 1. lib. 1. cap. 11. quæſt. 7.* docent communiter Canoniſtæ & Theologi. Quos pluribus relatis ſequitur Th. Sanch. *lib. 4. de Matr. diſp. 19. num. 2. & 3.* Palao *tract. 2. diſp. 1. punct. 9. num. 3.* citans Covar. Salas Reginaldum, Guttier. Bonacinam. Nam licèt iſte metus probabiliùs non repugnet valori contractus ſecundùm ſe, probabiliùs tamen, fruſtra adverſante Tan. *diſp. 8. quæſt. 1. n. 14.* & aliis ab ipſo relatis, cum Leſſ. *lib. 2. c. 17. num. 37.* & Pirhing. *de Sponſal. n. 21.* repugnat ratione objecti promiſſi, quia Matrimonium unicè ex obligatione per talem metum inita, ut optimè advertit Palao *diſp. 1. de Sponſalib. punct. 3. num. 6.* deinde contractum eſſet invalidum, quod tandem ex citatis capitulis *Veniens & Gemma & cap. Cùm locum de Sponſal.* colligitur. Unde ex hujuſmodi Sponſalibus de futuro ex injuſto metu celebratis, neque contrahitur impedimentum pub. Honeſtatis, ut patet ex Trid. *ſeſſ. 21. c. 3. de Refor. Matr.* Ubi ſuſtulit impedimentum, ſi Sponſalia fuerunt invalida, prout oſtendimus iſta, neceſſariò fuiſſe, eò quòd impoſſibile fuerit unquam dari obligationem contrahendi Matrimonium invalidum. 2

Reſpondebunt quidem Adverſarii: Obligationem illam Sponſalium non fuiſſe ad contrahendum Matrimonium invalidum, ſed ad contrahendum validum, quale eſſet hoc ipſo, quòd ex injuſto metu contrahens Sponſalia ea non reſcinderet ceſſante metu, adeóque liberè contraheret Matrimonium. Proinde dicent, Sponſalia coacta fuiſſe inita pro eo tempore, pro quo Matrimonium futu- 3

futurum eſt validum, ſicut ſi contrahantur ſponſalia pro eo tempore, pro quo impetrata fuerit diſpenſatio in quovis alio impedimento dirimente e. g. Conſanguinitatis.

4 Contra hanc reſponſionem ſic ulteriùs argumentor: Vel dicta obligatio ex ſponſalibus orta, & ea proinde valida reddens, eſt obligatio abſoluta à libera ratificatione, vel eſt tantùm conditionata, ſub hac ſcilicet conditione, ſi ceſſante metu liberè voluero contrahere tecum matrimonium. Neutrum dici poteſt: non primum, quia etiamſi non incuteretur novus metus, prior tamen metus, qui eſſet cauſa obligationis independentis ab ejus libera ratificatione, tolleret hoc ipſo libertatem Matrimonii, ac independentiam à metu primitùs injuſtè incuſſo; & hoc ipſo Matrimonium non contraheretur validè: & ideo nequit dari obligatio ad ſic contrahendum. Non ſecundum. Quia obligatio Conditionata, involvens hanc conditionem: *Si ego liberè voluero*, eſſet nugatoria, & eo ipſo nulla. Ad eſſentiam enim obligationis requiritur, ut poſſit obligare voluntatem, & eidem reddere illicitum, ipſi obligationi contravenire. Ex terminis quippe evidens eſt, nugatorium eſſe dicere: *Obligo me ad contrahendum tecum Matrimonium, ſi ceſſante metu à te mihi nunc injuſtè incuſſo liberè & independenter ab hoc metu tecum voluero contrahere Matrimonium*. Ex cujus evidentia patet clara diſparitas cū aliis conditionatis Sponſalibus, initis ſub conditione, ab alterius e. g. Pontificis, Patris, curatoris, voluntate dependentibus, & non à ſola voluntate ita ſpondentis: *Obligo me ad hoc faciendum, & exequendum, ſi voluero hoc facere & exequi*.

5 Unde quia ſponſalia injuſto gravi metu extorta, utroque modo, in argumentatione noſtra inſinuato, ex Jure naturæ invalida ſunt (ſuppoſita per Eccleſiam inducta irritatione Matrimonii coacti, tenentis ſe ex parte objecti promiſſi) & quia Juramentum ſequitur naturam actus, quando is non ſolo Jure poſitivo, ſed naturali eſt irritus, ac proinde Juramento firmari nequit, conſequens eſt, etiamſi dicta ſponſalia ex injuſto metu fuiſſent jurata, ipſa tamen, & Juramentum, fore invalida ac nulla: quamvis alioquin Juramentum injuſto metu extortum, quando eſt de objecto neque inhoneſto, neque impoſſibili, ſit validum, & primùm Jure poſitivo reſcindendum: ut diximus *tr. 5. diſp. 1. n. 62.*

§. II.

Quomodo Sponſalia ſint Promiſſio Mutua manifeſtata, & acceptata de futuro Matrimonio.

SUMMARIUM.

6 *Sponſalia eſſentialiter ſunt promiſſio Mutua.*
7 *Signo ſenſibili expreſſa, & mutuo acceptata.*
8 *Sponſalia ſunt promiſſio Matrimonii de futuro ineundi: Cui promiſſio Matrimonii de Præſenti inter Impuberes, niſi ſit Clandeſtina, æquivalet.*

6 IN relata definitione ſponſalium ulteriùs dicitur quartò, quòd ſint promiſſio *Mutua*. Quia ſponſalia debent eſſe obligatio mutua, ut conſtat *ex cit. Lege de Sponſal.* per vocem *Repromiſſio*; hinc communiter docent Auctores, ſi tu promittas puellæ non repromittenti, non tantùm ipſam, ſed neque te obligationem ſubiturum, etiamſi ipſa acceptet tuam promiſſionem; quia promiſſio ex natura ſua habet hanc implicitam conditionem, ut ſenſus ſit, promitto, ſi repromiſeris, quòd ſi tamen ultrò & gratuitò abſolutè velles promittere, puella non repromittente, ſed tantùm acceptante, promiſſio tua juxta probabiliorem ſententiam te quidem obligaret (juxta Tan. tamen ſolummodo ſub veniali, ſecluſo alio gravi damno) ſed naturam ſponſalium non haberet, ſicut neque habet, ſi ſol m promittas, te non ducturum aliam, quàm iſtam, quia hæc non eſt promiſſio Matrimonii, ſed ſolùm obligat, ut ſi velis inire Matrimonium, non ineas aliud. Idem dicendum, quando promiſſio non eſt facta determinatæ perſonæ, ſed tantùm ſub disjunctione, qua velis ducere unam ex pluribus ſororibus v. g.

Dicitur. 5. *Signo ſenſibili expreſſa*; ſine hoc enim alteri parti promiſſio neque innoteſcere, neque ipſa acceptare, neque promittere poteſt: & univerſim teſtatur Palao *diſp. 1. de Sponſal. pun. 1. n. 8.* cum Sanchez, Vaſq. Coninck, nullam promiſſionem alteri ignotam, & nondum acceptatam obligatoriam eſſe; quia comparatione illius non eſt promiſſio, cùm non ſit locutio rigoroſè dicta, proinde nec obligationem fidelitatis inducens. Cæterùm licèt per acceptationem promiſſionis ſibi ab altera parte factæ, & propriam taciturnitatem quis nondum cenſeatur ſufficienter reddere ſenſibilem ſuam repromiſſionem, aut in eam conſentire, cùm tantùm in favorabilibus, non autem in præjudicialibus, tacet, conſentire videatur; tamen ſi Pater, vel Mater, loco filii, aut filiæ, ſpondeat, iis non contradicentibus, ſi præſentes ſint, & probabiliter etiam, ſi abſentes, modò iis vel à parentibus, vel ab altera parte notificetur; tunc tale ſilentium, in præſentia alterius factum, pro repromiſſione ſenſibili habetur; quia eſt tacita ratificatio, eò quòd meritò ſupponatur, filios propter naturalem amorem in parentes, mentem ſuam, ſi contractum renuerent, manifeſtaturos: ut expreſsè in jure deciſum eſt: *cap. un. §. fin. de Deſponſ. impuberum in 6.* quæ deciſio, cùm de ſolis parentibus loquatur, & ratio ex amore naturali petita pro illis ſolùm pugnet, ideo à quibuſdam minùs probabiliter ad ſponſionem Fratris, Tutoris aut Curatoris abſque expreſſa commiſſione factam extenditur. 7

Dicitur. 6. *Futuri Matrimonii*, per quas particulas differunt ſponſalia à contractu Matrimoniali, qui eſt promiſſio Matrimonii de præſenti: licèt autem hujuſmodi promiſſio inter impuberes, malitia non ſupplente ætatem ad habendam copulam conjugalem, non vim Matrimonii, ſed ſponſalium habeat, hoc ideo fit, quia talis promiſſio æquivalet contractui de futuro, cùm enim ſe velint ambo contrahentes obligare, quantum poſſunt, & in ordine ad Matrimonium de præſenti ineundum non poſſint, hinc cenſentur, ſe obligare ſaltem ad ineundum de futuro, ut clarè colligitur ex *cap. Fin. de Deſponſat. impuberum*, & ex *capit. Un. §. Idem quoque eodem tit. in 6.* 8

Unde, quando in Jure dicitur, *ſi actus, qui eſt de contrahenda obligatione, non valet eo modo, quo fit, nullatenus valere eo modo, quo fieri poteſt*, eò quòd non debeat ultra contrahentium intentionem extendi, verum hoc eſt, niſi poſterior actus in priori aliquo modo includatur, prout tamen voluntas futuri Matrimonii includitur in voluntate præſentis Matrimonii, continuandi in tempus futurum, & niſi ipſe actus includens totaliter à Jure irritetur, etiam in ordine ad actum incluſum. Quod propterea addo, quia licèt ſponſalia de futuro, etiam clandeſtina, id eſt, abſque præſentia Parochi, & duorum teſtium inita, ratione modi, & formæ contrahendi, non invalidentur, dummodo perſonæ non ſint ſtabiliter inhabiles ad contrahendum Matrimonium (qui defectus etiam redderet invalida ſponſalia, ut poſtea dicemus, & ſupponitur *in Lege, oratio ff. de Sponſal.* & *Lege Si quis Tutor §. 5. ff. de Ritu nuptiarum.*) Clandeſtina tamen promiſſio Matrimonii de præſenti à Trid. *ſeſſ. 24. cap. 1. de Reform.* totaliter irritatur in ratione contractus non ſolùm Matrimonialis, ſed etiam Sponſalitii, ut contra Henriquez, Medinam, Coninck, Laym. teſtantur Navarrus, Sanchez, Lopez, Rebellus, Bonac. Barboſa, Amicus, Tan. & expreſsè hoc declaravit Congregatio Cardinalium, explicans locum cit. Tridentini: *Verbo. Qui aliter*, ubi ait: *Matrimonium contractum cum teſtibus, ſed ſine Parocho, vel alio Sacerdote ejus licentia, poſt Concilium Tridentinum* (intellige, ubi ipſum eſt receptum) *non ſolùm eſt nullum, ſed nec vim habet Sponſalium, adeò, ut contrahentes ad demùm contrahendum compelli non poſſint.*

§. III.

§. III.

Quinam & quanam in ætate Sponſalia contrahere poſſint.

SUMMARIUM.

9 *Sponſalia tum Impedimento Matrimonii inauferibili, ſunt invalida.*
10 *Ad Valorem Sponſalium requiritur, ut contrahentes ſeptem ætatis annos compleverint.*
11 *Poteſt tamen pleno uſu Rationis compenſari, & ſuppleri ætas.*

9 IN fine propoſitæ definitionis ſponſalium dicitur ſeptimò, ac ultimò *Inter perſonas Jure habiles.* Qui enim vel ad Matrimonium ipſum aliquando validè ſimul & licitè contrahendum, vel ad ſpondendum inhabiles ſunt, non contrahunt vera ſponſalia. Ratio eſt, quia nec ad impoſſibile, nec ad inhoneſtum quiſquam tenetur, etiamſi promiſſio fuerit jurata, ut patet *ex cap. In malis promiſſis. cap. Inter cætera 22. quæſt. 4. capit. Quanto, de Jurejurando*, & *ex Regula 69. de Regulis Juris in 6.* Quòd ſi tamen impedimentum ad contrahendum Matrimonium eſt auferibile, & ſi illud pro eo tempore, quo ineundum eſſet Matrimonium, fuerit ablatum v. g. ſi aliter contrahens hæreſim depoſuerit, vel conſenſum parentum impetraverit (quem etiam petere, ſicut & quodvis aliud impedimentum deponere tenetur, ſi hoc ipſum tacitè, vel expreſsè promiſit) tunc utique valida ac firma manent ſponſalia.

10 Hinc non requiritur ad valorem ſponſalium, ut quando ipſa contrahuntur, jam etiam poſſit validè, ac licitè contrahi Matrimonium, modò ſuo tempore poſſit: Ad validè tamen ſpondendum requiritur ætas Jure præſcripta, propterea ante completum ſeptennium utriuſque ſpondentis, ſeu antequam etiam alter ſeptimum annum compleat, & poſtea de novo ratificet ſuum conſenſum, atque ab altero ſibi datum, nec interea revocatum, acceptet juxta *Legem 14. ff. de Sponſal. & cap. Literas, cap. Acceſſit, cap. Ad diſſolvendum, de Deſponſat. impuberum* nulla valent ſponſalia: & quia Jus, quando exigit certam ætatem, v. g ad ordines majores ſuſcipiendos, communiter exigit phyſicè completam, ideo contra aliquos à Sanchez *lib. 1. diſp. 16. num. 4.* & Palao *diſp 1. pun. 6. num. 4.* relatos cum iiſdem duobus Doctoribus, & Baſilio, Pontio, Coninck, ac pluribus aliis probabiliùs aſſeritur, ſponſalia jure irrita eſſe, donec ſeptennium non tantùm moraliter, ſed etiam phyſicè compleatur, nullo die deficiente, quamvis fortè ultimus dies inchoatus in favorem Matrimonii pro completo haberi poſſit teſte Sanchez, Covarr. Henriq. Lopez, Guttierez & aliis, ſicut in favorem teſtamenti ultimus dies, quo finitur impubertas, inchoatus pro completo habetur, *Lege A qua ætate, ff. de Teſtam.*

11 Quòd ſi tamen uterque ſpondentium jam perfectò uſu rationis polleat, etſi multi ſint, quos refert Thom. Sanchez *n. 8.* & ſequitur Palao *n. 8.* aſſerentes, non propterea malitia ſuppleri ætatem ad validè celebrandum ſponſalia, longè tamen verior, ut inquit Sanchez *num. 9.* eſt oppoſita ſententia, quam etiam tenent cum S. Thoma *4. diſt. 27. quæſt. 2. art. 2. ad 7* S. Antonino apud Sanchez immuneri, tum Theologi, tum Juriſtæ ab ipſo nominati, & præterea Guttierez, Mart. Perez, Baſil. Pontius. Rebellus, Coninck, Tanner. Amicus, Layman Ratio eſt, quia licèt ætas à jure præſcripta ſæpe præveniri non poſſit, v. g. ut licitè recipiantur Ordines, vel ut validè emittatur profeſſio religionis, in ſponſalibus tamen Jus non videtur requirere ſeptennium completum, ut in dicatur *in cap. Juvenis, de Sponſalib.* & Gloſſa ibidem. Ubi Pontifex ob ſolum rationis præſumptum ex attentata copula præſumit, valida fuiſſe ſponſalia juvenis majoris ſeptennio cum puella minore ſeptennio, de qua non conſtabat, quòd legitima ætate completa conſenſum ratificaverit.

Confirmatur. Non majori neceſſitate videtur exigi à jure ſeptennium ad ſponſalia, quàm exigatur completa pubertas ad Matrimonium, imò miriùs videtur exigi; hinc *Lege in Sponſal. ff. de Sponſal.* dicitur: In ſponſalibus contrahendis, ætas contrahentium definita non eſt, ſicut in Matrimoniis, (nam in ſponſalibus attenditur præciſè ad uſum rationis, pro quo non ante ſeptennium præſumendo in dubio ſolùm ſtatuitur lex ratificans, & confirmans communem ſenſum, ac morem præſumendi, in Matrimoniis verò ſtatuitur lex præter perfectum uſus rationis annos pubertatis prævenientem, ſaltem uſque ad decimum quartum annum completum exſpectandi potentia generandi ante contractum matrimonialem) ſubſumo, atqui in Matrimonio malitia poteſt ſupplere ætatem, *cap. De illis 2. de Diſponſ. impuberum.* Ergo &c. Atque hæc ratio probat pro quocunque tempore, in quo malitia ſupplet ætatem, etiamſi longè ante ſeptennium id fieret, ut contra plures alios rectè & conſequenter advertunt Thom. Sanchez, Mart. Perez, Amicus: ſuppoſito autem, quod neque ſeptennium fuiſſet completum, neque uſus rationis ætatem certò prævenirſſet, convaleſcunt tamen ſponſalia elapſo ſeptennio per mutuam cohabitationem, ut dicitur *in cap. un. de Deſponſ. impuberum in 6.* vel ea deficiente per ratificationem verbo aut facto, ſuppoſito, quòd uterque ſciat ſponſalia antè non valuiſſe.

ARTICULUS II.

Quomodo obligent Sponſalia.

SUMMARIUM.

12 *Obligatio Sponſalium eſt gravis, ac implenda tempore præfixo.*
13 *Sponſalia Conditionata tranſeunt in abſoluta, ſine novo conſenſu, poſt impletam Conditionem, quam contrahentes tenentur exſpectare. Illa autem deficiente, nec Jurata tranſeunt in abſoluta.*
14 *De Conditionibus, quæ in Contractu Matrimoniali habentur pro non adjectis, non idem dicendum eſt in ſponſalibus.*
15 *Refertur Sententia aſſerens, hanc Conditionem:* Si Pontifex diſpenſaverit: *habendam eſſe pro civiliter impoſſibili, vel inhoneſta.*
16 *Statuitur Contrarium.*
17 *Reſpondetur ad objectas Leges.*
18 *Oſtenditur, duas Leges huc non pertinere.*
19 *Sententia noſtra confirmatur exemplis.*
20 *An Sponſalia, ſub dicta Conditione inita, pariant obligationem procurandi exiſtentiam Conditionis.*

DIco. Sponſalia abſoluta obligare ſub gravi peccato ad ineundum Matrimonium, niſi remittatur, 12
aut diſſolvatur obligatio, eamque exequendam eſſe, vel termino præfixo, vel ſi nullus præfixus eſt, quando alterutra parte petente ſine utriuſque magno incommodo fieri poteſt. Ratio eſt, quia ſponſalia habent naturam veri contractus, quo quis actu ſubit aliquod debitum, ſed omne debitum gravis momenti, uti eſt Matrimonium, ſub mortali peccato eſt perſolvendum tempore præfixo, ergo etiam debitum Matrimonii ineundi, & ita ſtatutum eſt *in cap. Deſponſatam, cap. Auth. cap. Deſponſatas, cap. De Conjugali 27. quæſt. 2.*

Quod de ſponſalibus abſolutis dictum eſt, intelligi 13
debet etiam de conditionatis, factis ſub conditione poſſibili, eaque impleta; tunc enim abſque omni alio conſenſu, vel ratificatione præſtita tranſeunt in abſoluta, aliàs ſi adhuc requireretur ratificatio, plurimi contractus conditionati redderentur inutiles, & reſcinderentur defectu novæ ratificationis: ante impletam conditionem verò, niſi alter contrahens ſit in mora culpabili, obligant ad exſpectationem conditionis, ſicut communiter de voto conditionato dicitur. At irrita eſſent ſponſalia teſte Sanchez, Coninck, Palao, & aliis, ſub deficiente conditione alteri facta, etiam appoſito juramento, quod nullam vim habet obligandi, ſi actus cui apponitur, ſit jure naturali invalidus.

Dixi tamen, *eaque conditione impleta:* nam licèt hoc 14
aliqui non requirant, ſi conditio adjecta fuit impoſſibilis, vel turpis, ſed velint, ſicut in Matrimonio pro non

non adjectis haberi, ut ſponſalia ſub tali conditione inita obligent abſolutè, perinde ac ſi nulla conditio fuiſſet appoſita, probabiliùs tamen non licet argumentari à pari, quòd, quemadmodum Jus voluit pro non adjectis haberi in Matrimonio, ſic idem dicendum ſit de ſponſalibus, aliàs, ſicut non valent Matrimonia clandeſtina ex Conſtitutione Tridentini, ſic non valerent ſponſalia Clandeſtina, quod ferè eſt contra omnes excepto Menochio. Itaque in ſponſalibus conditiones prædictæ eodem in modo ſe habent, ſicut in aliis contractibus non matrimonialibus, neque ut conditio impoſſibilis annullet ſponſalia, quia implicat ea fieri abſoluta, conditio inhoneſta verò ſuſpendat, ſi ea poſſit fieri honeſta, & ſi ſponſalia inita ſint pro illo tempore, quo conditio futura eſt honeſta.

15 Circa conditiones verò apponi ſolitas Sponſalibus, celebris eſt controverſia, an hæc Conditio, ſub qua duo ligati impedimento contrahendi Matrimonii, inirent ſponſalia de futuro: *Si Pontifex in impedimento diſpenſaverit:* ſit habenda pro poſſibili, & honeſta. Ratio dubitandi bene expenditur à Palao *diſp. 1. de Sponſalibus, punct. 16. à numer. 6.* Quia quæ pendent à voluntate principis, cenſentur quaſi impoſſibilia: quod colligunt, & probant multi Doctores relati à Thoma Sanchez *lib. 5. de Mat. diſp. 5. num. 5.* ex variis legibus: nempe ex *L. Inter Stipulantem 83. §. Sacram. 5. ff. de Verbor. Obligationibus*. Ubi licèt ex Principis Eccleſiaſtici Authoritate Sacer vel religioſus locus profanus fieri poſſit, vel ex juſſu Principis ſæcularis locus publicus alienari, vel homo liber redigi in ſervum, ſtipulatio tamen ſeu promiſſio ſub hujuſmodi conditione dicitur invalida. *Cùm ſervus eſſe cœperit. Item cùm ex Sacro Religioſove profanus eſſe cœperit.* Et *L. Continuus 137. §. 6. ff. eod.* dicitur, *Cùm quis ſub Conditione ſtipulatus ſit, ſi rem Sacram aut Religioſam Titius vendiderit, vel forum, aut Baſilicum, & hujuſmodi res, quæ publicis uſibus in perpetuum relictæ ſint, ubi omnino Conditio Jure impleri non poteſt, nullius momenti fore ſtipulationem; proinde acſi ea conditio, quæ natura impoſſibilis eſt, inſerta eſſet: nec ad rem pertinet: quòd Jus mutari poteſt, & id, quod nunc impoſſibile eſt poſtea poſſibile fieri: non enim ſecundùm futuri temporis Jus, ſed ſecundùm præſentis æſtimari debet ſtipulatio.* Rurſum *L. Cùm ſervus 39 §. 10. ff. Legatis 1.* Cùm dictum eſſet, poſſe rem alienam legari, eo quòd poſſit deſinere eſſe aliena, & fieri ſua, excipiuntur tamen prædia Cæſaris, quæ ut fierent ſua, requireretur conſenſus Cæſaris, qui dari non ſolet: & ideo dicitur. *Si legentur, nec æſtimatio eorum debet præſtari, quoniam commercium niſi juſſu Principis, non ſit, cùm diſtrahi non ſoleant.*

Aliam rationem dubitandi apud cit. Palao indicat Henriq. *lib. 12. de Matrim. cap. 10. n. 4.* quòd, etiamſi citatæ Leges non probarent, conditionem, à voluntate principis pendentem, habendam eſſe tanquam civiliter impoſſibilem, foret tamen habenda pro inhoneſta, ſeu turpi, eò quòd per illam derogetur Juri communi, quod mutari non decet.

16 Verùm utraque ratione non obſtante Sanchez *loc. c. à n. 12.* plurimis aliis Doctoribus relatis, Palao etiam loc. cit. & apud hunc Rebellus, Coninck, Baſilius Poncius & plures alii longè probabiliùs docent, tunc ſolùm Conditionem à voluntate principis pendentem civiliter æquiparari Conditioni impoſſibili, quando ejus impletio non ſolet contingere, quod colligunt ex verbis ultimæ Legis citatæ, ubi pro ratione, quòd voluntas legantis prædium patrimoniale Cæſaris non obliget hæredes teſtatoris, redditur: *Quoniam commercium eorum* (ſcilicet prædiorum Cæſarianorum) *niſi juſſu Principis, non ſit, cùm diſtrahi non ſoleant.* Itaque reſpondent citati Doctores cum diſtinctione ad hanc Conditionem: *ſi Pontifex diſpenſaverit*. Si enim ſub hac Conditione Frater cum Sorore contraheret ſponſalia: ea in principio ſtatim eſſent invalida: quia Pontifex non ſolet diſpenſare in primo gradu conſanguinitatis lineæ tranſverſæ, etiamſi ſecundùm graves Doctores hic gradus in tranſverſa linea non ſit intrinſecè indiſpenſabilis, modò daretur graviſſima neceſſitas. Si autem duo contraxiſſent ſponſalia ſub conditione, ſi Pontifex diſpenſaverit in alio v.g. in tertio, vel quarto gradu Conſanguinitatis, vel in alio impedimento communiter diſpenſari ſolito, conſentiunt citati Doctores, talia ſponſalia fore valida, poſtquam impetrata fuiſſet diſpenſatio; eò quòd, licèt antea nondum obligaviſſent abſolutè ad contrahendum Matrimonium, ſed tantùm ad exſpectandum reſponſum, ſive diſpenſationem Pontificis, poſita tamen Conditione, eaque per diſpenſationem actualem impleta, de Conditionatis tranſiſſent in abſoluta: etiamſi enim priùs nondum fuiſſent valida, tamen neque fuiſſent valida poſitivè, ſed tantùm negativè, id eſt, nondum fuiſſent valida completè, accedente verò conditione facta eſſent completè valida, cùm ad valorem illis nihil defuiſſet, niſi impletio conditionis. Unde neque indigerent poſt obtentam diſpenſationem novo conſenſu abſoluto, ſive ratificatione, ſicut ſuprà diximus, & velut aliorum contractuum conditionatorum aliunde non invalidorum paritate probatur. Dixi: *Aliunde non invalidorum:* Non contractus Matrimonii de præſenti ſub conditione futura, ſi Pontifex diſpenſaverit, ob aliam rationem in principio ſtatim eſſet poſitivè invalidus, ſcilicet propter abſentiam, ut ſuppono, Parochi, & teſtium, in loco, ubi Trid. quoad hanc Solemnitatem eſt receptum: & ideo in hoc caſu poſt obtentam diſpenſationem opus eſſet novo contractu cum debita Solemnitate.

Ad primam rationem dubitandi nunc ſeorſim reſpon- 17
deo, citatis legibus plus non probari, quàm conditionem pendentem à voluntate ſive arbitrio principis reddere contractum ſtatim poſitivè invalidum, quando nō eſt prudens ſpes implendæ conditionis; tunc enim conditio etiam cenſeri poteſt fuiſſe adjecta non ad ſuſpendendū, ſed ad eludendum contractum, & defuiſſe animum ſe obligandi, ex præſumptione conditionis nunquam implendæ. Prudens autem ſpes triplici potiſſimùm ex cauſa ſolet deficere. Primò quando diſpenſatio circa tale impedimentum non ſolet concedi. Secundò, quando quidem diſpenſatio ſolet concedi, ſed quando tamen deficit tam juſta & gravis cauſa, propter quam ſolet concedi. Tertiò quando conditio potiùs metuenda, quam exſpectanda aut procuranda eſt. Tales conditiones ſunt illæ, quæ adductæ ſunt *ex l. Inter ſtipulantem*, & teſte Palao. n. 8. inciviles ac triſtes dicuntur, quia rem ſacram fieri profanam, publicam fieri privatam, hominem liberum fieri ſervum derogat ſtatui meliori hominis liberi, rei Sacræ, vel publicæ.

Circa poſteriores duas Leges adverto, illa etiam non 18
probare intentum. Quia in priori Lege ponitur contractus venditionis, rei pro illo tempore invendibilis, abſolutus à conditione honeſtè implebili, ſed ponitur pro conditione venditio rei Sacræ, aut publicæ, quæ eſſet invalida, ac inhoneſta: in caſu autem præſentis controverſiæ ponitur conditio poſſibilis & honeſta: nempè ſi Pontifex validè diſpenſaverit: ſupponitur enim adeſſe juſtam cauſam diſpenſandi. In poſteriori Lege autem ponitur ultima voluntas legantis rem, pro illo tempore adhuc alienam, abſoluta: nec exprimitur illa conditio, *Si res deſierit eſſe aliena, aut publica.* Unde dicti actus fuerunt tales, ſicut ſi duo, habentes impedimentum dirimens Matrimonium, abſolutè contraherent Sponſalia, non exprimendo conditionem, *ſi Pontifex diſpenſaverit*. Neque enim dicta conditio tacitè ſubintelligitur: ſed oportet exprimi juxta *l. Conditiones extrinſecus 99. ff. de Condition. & demonſtrat.* aliàs ut rectè notavit Palao, abſolutè contrahentes in gradu prohibito non incurrerent excommunicationem latam *in Clementia unica de Conſanguinit.* Sicut non incurrunt, cum exprimunt conditionem: *Si Pontifex diſpenſaverit*. Hinc etiam ulteriùs ſequitur, hujuſmodi actus abſolutos ſtatim in principio eſſe poſitivè invalidos, neque fieri validos, quando deinde impleretur conditio, quæ fuiſſet exprimenda. Et ideo relata verba *Legis Continuus 137. Nec ad rem pertinet &c.* non de actibus conditionatis quoad valorem ſuſpenſis uſque ad eventum conditionis, ſed de abſolutis & ſtatim poſitivè invalidis intelligenda ſunt.

Ad Secundam rationem dubitandi negatur hanc con- 19
ditionem: *Si Pontifex diſpenſaverit:* eſſe habendam pro inhoneſta: aliàs etiam ipſa diſpenſatio eſſet inhoneſta, & conſequenter nec honeſte peti, nec à Pontifice dari poſſet. Et ſi propter aſſignatam rationem ſponſalia eſſent

eſſent invalida, eſſet etiam invalidum votum Epiſcopi, ingrediendi religionem, ſi Pontifex diſpenſaverit in Matrimonio ſpirituali, quod Epiſcopus cenſetur habere cum ſua Eccleſia; quod votum ex communi ſententia Palao hic ſupponit, *& in tr. de Voto* probavit eſſe validum: pluresque alias addit inſtantias. Nam *in l. Quidam relegatus ff. de Rebus dub.* deciditur valere legatum teſtatoris ſub ea conditione. *Si aliquis ex ſuis hæredibus vel amicis ei impetraverit reſtitutionem, & antequam ei gratias egerit, deceſſerit.* Item valida eſt inſtitutio Spurii ſub ea conditione. *Si Princeps legitimaverit*, ut apud cit. Palao ex communi ſententia teſtantur Covar. Molina, Matienzo, & Gl. *in l. Gallus 29. ff. de Liberis & poſthumis.*

Ex his noſtris reſponſis, cum prædicta diſtinctione inter conditionem, impleri, vel non impleri ſolitam, conciliari poſſunt reſponſa inter ſe contraria Rotæ Romanæ, quæ contra nos afferuntur à Diana *p. 11. tr. 2. R. 70.* & pro nobis à Pal. *l. c. n. 10.*

20 Quæri adhuc poſſet, an ſicut prædicta ſponſalia conditionata pariunt obligationem exſpectandi conditionis eventum, utpote continentia hunc ſenſum, *promitto tibi Matrimonium, me tecum initurum, ſi Pontifex diſpenſaverit, & interea me exſpectaturum, donec veniat diſpenſatio*; ita etiam pariant obligationem procurandi diſpenſationem, & habeant ſimiliter annexam promiſſionem ejuſdem diſpenſationis procurandæ. Affirmant & negant diverſi Authores. Ego puto illos conciliari poſſe, ex circumſtantiis colligendo mentem ſpondentium, quis eorum curam procurandæ diſpenſationis in ſe ſuſceperit. Certè ſi quis puellam Conſanguineam ſpe Matrimonii, ſub conditione Diſpenſationis Pontificiæ promiſſi, ſeduxiſſet, videtur hoc ipſo ſe obligaſſe ad procurandam diſpenſationem, ſaltem ſi fecit ſpe illius facilè obtinendæ.

ARTICULUS III.

Quomodo Sponſalia diſſolvantur.

SUMMARIUM.

21 *Sponſalia diſſolvuntur mutuò conſenſu contrahentium.*
22 *Quòd ſi hi impuberes fuerint, nequeunt diſſolvere ante obtentam pubertatem*
23 *Impubes obtenta pubertate ſtatim poteſt reclamare, quamdiu non ratificavit poſt pubertatem: niſi pubertati proximus Sponſalia Juramento firmaverit.*
24 *Sponſalia ſolvuntur, etiamſi fuerint jurata, per Profeſſionem Religionis: non autem per ſolam promiſſionem caſtitatis perpetuæ, vel Sacri Ordinis ſuſcipiendi, quæ promiſſio probabiliùs eſt invalida, & illicita.*
25 *Sponſalia de præſenti, quando ſunt valida in ratione contractus Matrimonialis, prævalent prioribus de futuro: Imò etiam Sponſalia de futuro, accedente copula fornicaria cum Sponſa ſecunda, ignara priorum Sponſalium, probabiliùs prævalent.*
26 *Quomodo Sponſalia ſolvantur per mutationem domicilii, vel diuturnum diſceſſum Sponſi.*
27 *Quomodo ſolvantur per culpabilem, vel etiam inculpabilem moram alterius contrahentis ſuprà tempus executioni debitum.*
28 *Quomodo ſolvantur per fornicationem, & voluntariè exercitos, aut toleratos turpes tactus cum alia fœmina, vel viro, ut parti innocenti ſive læſæ reſilire liceat. Imò etiam, quomodo ſponſo liceat reſilire à Sponſa, quam credidit eſſe Virginem, cùm non eſſet, vel quæ vi ab alio violata eſt.*
29 *Quomodo ſolvantur per notabilem mutationem, vel detectionem novam, circumſtantiarum, alteri contrahentium valde præjudicioſam.*
30 *An liceat contrahere Sponſalia cum defectu occulto, ob quam alter non contraxiſſet, vel juſtè reſilire poſſet.*
31 *An ſic contrahens poſſit alterum compellere ad executionem Sponſalium, ignarum dicti defectus.*
32 *Quid ſi defectus occultus eſſet alteri poſitivè & graviter damnoſus.*

Dico: Sponſalia pluribus modis diſſolvi poſſe primò, mutuo conſenſu ſponſorum, ut expreſsè habetur *in cap. 2. de Sponſal.* Ratio eſt: quia quolibet remittente jus ſuum, ceſſat obligatio: valet hic etiam illa Juris regula *cap. Omnis res. 27. quæſt. 2.* Res, per quaſcunque cauſas naſcitur, per eas diſſolvi poteſt, ſi ſolvibilis eſt; unde ſi etiam jurata ſponſalia fuerunt, vel voto confirmata, quo quis v. g. in honorem Dei vovit puellam pauperem ſe ducturum, nihilominus ſolvuntur, quia Juramentum, & votum ſequitur naturam actus, cui opponitur. 21

Advertendum tamen eſt, impuberes ſponſalia contrahentes eadem ſibi mutuò remittere non poſſe, antequam ad annos pubertatis perveniant, ut conſtat *ex cap. De illis 1. & cap. A nobis de Deſponſ. impuberum.* Ratio hujus conſtitutionis eſt, ut ſic levitas animi caveatur, ne paſſim reſiliant, & paſſim contrahant. 22

Secundò. Sponſalia facta inter impuberes, vel inter puberem ac impuberem, quando malitia necdum ſupplente ætatem nulla copula interceſſit, retractari poſſunt, ſi alteruter pubes factus reclamet, ut dicitur *in cit. cap. A nobis*, ſi autem tunc eadem ratificaverit, non ampliùs poteſt reſilire, ſed tenetur exſpectare, donec alter contrahens ad pubertatem perveniat, ſi eam nondum attigit, qui deinde ſponſalia vel ratificare, vel iiſdem renunciare poteſt, *juxta cit. cap. 1. De illis.* Hoc privilegium tamen verior ſententia reſtringit, ut ſi ſpondens pubertati proximus fuit, & contractum Juramento firmavit, obtenta pubertate reclamare non poſſit, quia ſic expreſsè videtur conſtitutum eſſe in *cap. Ex lit. 10. de Sponſalibus.* 23

Tertiò. Ceſſat obligatio Sponſalium probabiliùs etiam juratorum per ingreſſum in religionem, vel per votum eam ingrediendi profeſſione ſecuta juxta *cap. 2. de Converſione conjugat.* illa verò non ſecuta probabiliùs ſola altera pars manet libera, cui ingrediens, vel vovens ingreſſum religionis (quod quidem aliqui, præſertim Antiqui negant) cenſetur remiſiſſe obligationem, ſervato interim eidem jure ſuo, quod neque ex natura rei, neque ex Lege poſitiva oſtendi poteſt, eſſe ſublatum, ſi profeſſio religionis non eſt poſita, ut contra Thom. Sanchez *lib. 2. diſp. 42. n. 2.* pro ſe plurimos referentem, docent S. Th. Henriquez, Coninck, Tan. Villalobos, Hurtadus, Pontius, Trullenck, quos refert, & ſequitur Antonius à Spiritu Sancto *in Directorio Confeſſar. part. 1. tr. 10. diſp. 2. ſect 14. n. 108.* cum Rebello, Laym. Palao, & aliis. 24

An verò etiam per votum ſimplex caſtitatis aut ſuſcipiendi Sacros Ordines, quibus annexum eſt votum caſtitatis, ceſſet obligatio ſponſalium, ex parte voventis (nam ex parte alterius ſecundùm communiorem ceſſat) & an hujuſmodi votum poſt contracta ſponſalia licitè edatur, controvertunt auctores, alii cum S. Thoma *4. diſt. 38. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. ad 1.* dicunt, licere, eò quòd promiſſio Matrimonii videatur tacitè involvere hanc conditionem: *Niſi ſtatum perfectiorem aſſumam:*

Alii, & longè plures dicunt, non licere, conſequenter nec valere votum, quia fit cum injuria alterius, ac proinde Deus non acceptat; unde ſi quis poſtea Ordines actu ſuſceperit, & ſic ſe inhabilem reddiderit, ad contrahendum Matrimonium propter impedimentum dirimens, juxta hos auctores diſſolvit quidem ſponſalia, ſed graviter peccavit. Quæ ſententia mihi videtur probabilior, tum propter dictam rationem, tum quia oppoſita gratis, & ex ſolis quibuſdam conjecturis inſufficientibus ſupponit Sponſalia prædictam conditionem involvere. Non enim eſt paritas inter promiſſionem homini factam, & Deo præſtitam; nam iſta ſpectat beneplacitum Dei, illa verò utilitatem ſuam, & alterius, cui fit promiſſio, intendit, ob quam cauſam etiam votum in hominis utilitatem cum promiſſione ab ipſo acceptata editum, nequit mutari in melius. Itaque in foro externo teſte Palao, *diſp. 1. pun. 20. n. 6.* referente Paludanum, Sylv. Azor, hujuſmodi ſponſus ſolet compelli, ut vel ſponſæ fidem ſervet, niſi Sacerdos Ordines jam ſuſceperit, aut Religionem ingrediatur.

Quartò. Si quis poſt pacta ſponſalia cum alia Matrimonium de præſenti contrahat, quod aliunde non 25

ſit invalidum (aliàs ex parte ſolius ſponſæ læſæ poteſtas reſiliendi) etſi graviter peccet, & ad compenſationem injuriæ teneatur, nihilominus ſponſalia priora vel omnino ſolvuntur ex utraque parte, ut multi docent; quia per vinculum fortius ejuſdem rationis, ſeu virtutis putant tolli alterum minus forte, cujus exemplum allegant *ex capit. Qui poſt votum, de Regularibus in 6.* quod tamen parùm probat: vel, ut alii non pauciores ſentiunt, ex parte frangentis fidem, ſuſpenduntur ſponſalia uſque ad mortem, aut profeſſionem religioſam conjugis ante Matrimonii conſummationem. Quòd autem Matrimonium, non obſtantibus prioribus ſponſalibus, valeat, adeoque horum obligatio interea cedat, conſtat *ex cap. Sicut inter virum de Sponſal. cap. 1. de ſponſa duorum cap. Finali 27. quæſt. 2.* Ratio à priori eſt, quia ſponſus retinet jus ſui corporis, ergo validè, etſi non licitè, cum alia contrahendo Matrimonium transfert in eandem jus ſuum.

Imò valde probabilis eſt ſententia Majoris, Baſilii, Pontii, Rebelli, Coninck, Palao, prædictos referentis *diſp. 1. pun. 22. n. 6.* P. Georgii Gobat. *tr. 10. caſu 8. n. 326.* ſuprà, *cauſ. 4. n. 165.* etiam allegantis Dianam, & plures apud eundem, qui affirmant, primam ſponſam debere cedere jure ſuo, ſi ſponſus cum alia ignara priorum ſponſalium, ſimilem contractum ineat, & fornicaria copula confirmet, in loco, ubi Tridentinum eſt receptum (ſi enim non eſſet receptum, ſupponeretur talis copulam maritali affectu ſuſcepiſſe, & Matrimonium clandeſtinum de præſenti contraxiſſe, ut ante Trid. declaratum eſt *in cap. Veniens de Sponſalibus.*) quod etiam quidam oppoſitam ſententiam tuentes, ut Henriquez Sanchez, Guttierez, Tambur. *lib. 8. de Sacram. tr. 3. cap. 5. §. 1. num. 16.* Mart. Perezius, *diſp. 9. ſect. 9. num. 15.* fatentur, quando ſecunda ſponſa grave damnum v. g famæ, aut fortunatum aliter, niſi per Matrimonium inimpedibile, aut incompenſabile, pati cogeretur, prout plerumque contingeret, præſertim proli, cui illegitimorum natalium macula adhæreret.

Ratio autem, quæ etiam me in prædictam ſententiam impellit, eſt in primis hæc: quia ipſo Tamb. adverſario noſtro teſte *lib. 7. Decal. cap. 5. §. 3. num. 34.* obligatio ſponſalium ex promiſſione Matrimonii propter conceſſionem uſus corporis orta, fortior eſt, quàm obligatio voti caſtitatis, vel religionis, antecedens, vel ſubſequens, idque Tamb. audet omnino dicere eſſe certum propter communem DD. conſenſum, ergo etiam eſt fortior quàm præcedens obligatio ſimplicium ſponſalium, cùm ita à voto caſtitatis ſaltem antecedente *juxta capit. Rurſus. Qui Clerici, vel voventes,* & à voto religionis ſive antecedente, ſive conſequente vincantur. 2. Accedit etiam hæc ratio, quòd ſponſalia inducant potiùs obligationem fidelitatis, quàm juſtitiæ rigoroſæ, unde faciliùs diſſolvi poſſunt: promiſſio autem Matrimonii futuri per conceſſum uſum corporis inducit obligationem juſtitiæ rigoroſæ, & quidem determinatè ad contrahendum Matrimonium, ut adeoque non liceat ſubſtituere aliam ſatisfactionem, atqui obligatio juſtitiæ præferenda eſt obligationi fidelitatis, ergo &c.

26 Quintò. Tollitur obligatio ſponſalium non juratorum, ſi ſponſus inſcia, vel omnino non, aut non niſi in certum tempus conſentiente ſponſa (vel è contra) in remotam terram ſe transferat, non tantum, quando ſtabiliter ibi eſt habitaturus, quo caſu ſtatim acquiri alteri parti jus ſolvendi ſponſalia colligunt communiter DD. ex capitulo mox citando, ſed probabiliùs etiam, quando longo tempore eſt commoraturus, de cujus tamen longitudine, an & quando infra tempus Lege determinatum, perpenſis circumſtantiis & rationibus ſufficiens ſit, ad Judicem ſpectat determinari: quia vel ſecundùm plurimorum explicationem *cap. De illis de Sponſal.* quos refert, & ſequitur Sanchez *diſp. 54. n. 6.* ob periculum incontinentiæ, cui ſponſa exponeretur, dilatione Matrimonii à Jure Canonico derogatum eſt textibus juris civilis, quorum primus *in Lege ſæpe Digeſti de Sponſal.* præcipit, ſi ſponſus negotii peragendi cauſa abivit, ut ſponſa exſpectat ejus finem, alter *in Lege 2. cod. de Sponſal.* ſtatuit in negotio non neceſſario ſed honeſto peragendo expectandum eſſe ſponſum intra provinciam degentem, biennio, extra verò triennio juxta *l. 2. cod. de Repudiis.* Vel, ſi his legibus per citatum capitulum non eſt derogatum, eò quòd, ut Panormitanus, Henricus, Caniſius, Pirrhing, Wagnereck, Covarr. Laym. & alii probabiliùs ex ipſo textu colligunt, id ſolùm loquatur de ſtabili tranſlatione habitationis, in aliam regionem, ex qua proinde ſponſa nec reditum ſponſi exſpectare, nec ſponſum ſine præſtito conſenſu ſequi tenetur; adductæ tamen Leges ſolummodo obligant, ne ſponſa propria auctoritate, & ſine gravi cauſa per ſe deobligante, ante elapſum Juris tempus alia vota tranſeat, & viciſſim concedunt illi Jus retinendi Arrhas, ſi ſponſo ſtatuto tempore non redeunte ipſa ad alia vota tranſierit: quæ adeoque Leges teſte Tan. *n. 64.* etiam in foro conſcientiæ ſervire poſſunt, quando conſenſus diſcedendi eſt datus quidem, ſed ſine expreſſione temporis.

Sextò. Deobligatur ea pars contrahentium, quæ ab 27
altera ſive culpabiliter, ſive, (quod etiam probabiliùs aſſeritur) inculpabiliter impeditur, quo minùs ponatur executio ſponſalium, termino ad finiendam obligationem à contrahentibus, vel à Judice præfixo, quod ſi autem nullus terminus eſt præfixus, vel ſi eſt præfixus, non ad finiendam obligationem, ſed ad ſollicitandam executionem, iterum deobligatur illa, quæ ab altera nimia dilatione nuptiarum, licèt propter negotium neceſſarium, gravatur, pro qua tamen Judicis ſententia requirenda eſt, ut ipſe ſtatuat, an dilatio ſit nimia, vel terminum finiendi obligationem, niſi Matrimonium contrahatur, ponat. Ratio primæ partis eſt, quia quando terminus finiendæ obligationis præfigitur, ſponſalia ſunt virtualiter conditionata, quaſi dicas, promitto Matrimonium tecum me initurum, ſi tali tempore à nobis, vel à Judice aſſignato ad illud ineundum comparueris, ergo conditione, ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter non poſita neque ponitur obligatio. Conſentit etiam *cap. Sicut de Sponſal.* Ratio ſecundæ partis eſt, quia neuter contrahentium præſumitur, ſe voluiſſe obligare cum onere diu carendi nuptiis, ergo neuter obligatur ad illud ſubeundum, quia tamen in propria cauſa nemo cenſetur bonus Judex, ideo ordinarius Judex interpellandus eſt.

Septimò: Non tantùm ob fornicationem voluntariam, cum alia perſona poſt contracta ſponſalia exercitam, licet innocenti contrahentium parti reſilire à ſponſalibus, ut omnes fatentur, vel ſi utraque cum alia perſona voluntariè fornicata eſt, non tantùm hoc ſponſo licet, quem ob majorem injuriam à fornicatione ſponſæ illatam ſolum habere jus reſiliendi, multorum eſt opinio, ſed probabiliter cum Palao *diſp. 1. pun. 25.* Tan. *diſp. 8. n. 62.* Amico *diſp. 22. n. 59* aſſeritur, quòd etiam ob fornicationem ſponſæ violentam, & ſponſi voluntariam, imò etiam propter ſolos tactus impudicos, voluntariè cum alieno peractos, aut ab alieno voluntariè toleratos, cuique parti læſæ reſilire liceat. 28

Ratio eſt, quia ſponſalia, ſicut & votum, juxta communem DD. ſenſum includunt hanc conditionem, quia dici ſolet, rebus ſic ſtantibus, vel notabiliter in contrahentis præjudicium non immutatis, atqui per fornicationem ſive unius, ſive utriuſque voluntariam, aut etiam violentam ſponſæ res in contrahentis damnum notabiliter eſt immutata, quia corpus, aliquando tradendum, eſt in fornicatione ſponſæ, ſive voluntaria, ſive violenta notabiliter vilius factum, per fornicationem viri autem voluntariam, & per tactus impudicos ſponſo aut ſponſæ voluntarios, etſi corpus non ſit redditum vilius; tamen eoſdem voluntariè exercens, aut ſuſtinens, factus eſt impudentior, & magis ſuſpectus de non ſervanda aliquando fide matrimoniali, & amoris debiti diminutione, quæ contractui ſponſalium, & futuri Matrimonii valdè ſunt præjudicioſa: quòd ſi autem fornicatio anteceſſit ſponſalia, cùm per eam ſolius fœminæ corpus deterius reddatur, non autem viri, ideo ea deinde cognita propter fornicationem fœminæ vir habet jus reſiliendi, non tamen fœmina propter fornicationem viri ſecundùm communiorem ſententiam contra Navarrum, utrivis tribuentem jus, qui de altero poſt ſponſalia talem defectum intellexerit. Imò ob indicatam rationem voto conceditur jus retractandi ſponſalia, ſi ſponſam neſcivit

eſſe

eſſe viduam, putans eſſe virginem, neque obſtat huic juri, *c. Quemadmodum* 25. *de Jurejurando:* quia illud communiter explicatur de copula ſponſę pręcedenti ſponſalia nota, tunc enim, ſi tamen contrahat, non poteſt reſilire.

29 Octavò. Denique diſſolvitur ſponſalium vinculum, quando ex futuro Matrimonio gravia mala probabiliſſimè timentur, vel quando alteri parti valde præjudicialis mutatio facta, aut jam antè exiſtens detecta eſt, v. g. ſi occulta vitia, quæ mutuam cohabitationem redderent valde difficilem, ut ebrioſitas, vel ſævities viri, de novo fuiſſent manifeſtata, item ſi parentes tam obſtinatè contradicerent, ut graves inimicitiæ meritò timentur, ſi alterutra pars magnum corporis, animi, famæ, fortunarum detrimentum eſſet paſſa, ut ſi in paralyſin, lepram, vel alium morbum contagioſum incidiſſet, ſi depauperata, graviter diffamata, mutilata fuiſſet, ſi ſponſa antea formoſa, adeò turpis eſſet reddita, ut ſententia judicis priùs requiſita, non ampliùs cenſeretur apta virum pulchritudinis amore allectum abſterrere à fornicatione, etiamſi enim *in cit. cap. Quemadmodum*. Solùm illius deformitatis, quæ ex mutilatione partium oriretur, vel quæ hac major eſſet, mentio fiat, hoc ipſo tamen idem dicendum eſt de minore deformitate, ſi eadem cauſa diſſolutionis ſponſalium immediatè indicata etiam pro illa urgeat.

Ratio autem horum omnium, eſt, quia contractus tam difficilis, ineundi ſcilicet Matrimonium, nunquam ampliùs diſſolubile, juxta communem regulam indicatam apud Palao *pun.* 28. *n.* 6. ex natura ſua omnes notabiliter præjudicioſas mutationes excipit, quibus cognitis non contracta fuiſſent ſponſalia: atqui prædictæ mutationes ſunt notabiliter præjudicioſæ.

Unde Amicus *diſp.* 32. *d. n.* 66. etiam infert, non tantùm dari jus renuntiandi ſponſalibus ex ſuperveniente, vel de novo cognita notabili deterioratione alterius contrahentis, ſed pari ratione poſſe reſilire eum, cui ex ſuperveniente nobilitate, aut magnis divitiis v. g. pingui hæreditate, tam notabiliter melior ſtatus acceſſit, ut prudentium judicio longè præſtantius Matrimonium cenſeretur potuiſſe, & voluiſſe inire, ſi illum ſtatum prævidiſſet, ut adeoque alter contrahentium per unius exalationem ſit notabiliter inferior, & comparativè deterior factus, licèt in hoc diſſentiant Sanchez & Coninck.

Circa quatuor ultimas cauſas ſolvendi ſponſalia notandum eſt, per illas non ipſo facto ea reſcindi, ſed dari licentiam reſcindendi, quamvis pro foro externo opus ſit auctoritate Judicis, quando ſponſalia ſunt publicè nota, & cauſa reſcindendi non eſt manifeſta, ſed probatione indigens.

30 Quæres. Si una pars aliquo ex prædictis impedimento vel defectu laboret, quo cognito, altera non contraheret ſponſalia, vel reſiliret, poſſit nihilominus illo occultato ſponſalia contrahere, vel iis contractis compartem ad executionem cogere? negat Armilla, Navarrus, Alphonſus à Caſtro, Covarr. apud Amicum *cit. diſp.* 32. *n.* 78. affirmat Thom. Sanchez, *lib.* 1. *diſp.* 68. *& lib.* 6. *diſp.* 27. Gaſp. Hurtad *diſp.* 2. *de Matrim. difficul.* 17. Amicus *diſp.* 32 *num.* 79. plures referens, mihi probabiliùs videtur cum Palao *diſp.* 1. *punct.* 36 referente Coninck, Baſil. Pontium, Turrian. diſtinguendum eſſe inter impedimenta, alia enim ſunt præcisè incommoda, & ingrata, uti eſſet corruptio ſponſæ voluntaria, aut violenta, mores viri feroces: quos tamen poteſt & vult corrigere, paupertas, ignobilitas, &c. atque hęc pars contrahens non tenetur manifeſtare, ſed poteſt ea poſitivè diſſimulare, & interrogata ambigua reſponſione celare, ſaltem ſi Confeſſio eſſet pręjudicioſa famę (non tamen poteſt oppoſitum fingendo, v. g. falſa jactatione nobilitatis, divitiarum, fraudulenter alterum inducere ad contrahendum) quia non fit alteri contrahenti injuria, ſi eodem jure etiam ipſe gaudeat, neque inde magnum damnum referat, & ſi ipſi incumbat, diligentiam in hujuſmodi impedimentis inveſtigandi adhibere.

31 Poſt contracta verò ſponſalia poteſt hujuſmodi impedimento laborans, eo occultato, compartem compellere ad executionem, ut docent cit. contra Baſilium, Pontium *lib.* 12. *cap.* 18. *num.* 7. Etiamſi enim hęc habeat jus reſiliendi, ſi poſſit impedimentum obiicere, probabiliùs tamen non videtur habere jus, ſi hoc non poſſit, & ideo non læditur jus illius, eam compellendo: quia ſi ſponſalia, ſuppoſito defectu prædicto validè, & licitè iniri potuerunt, vel eo ſuperveniente adhuc licitè impleri, tunc poteſt etiam eorum executio urgeri: unde ſponſalia non cenſentur eſſe promiſſio Matrimonii contrahendi, niſi adſit defectus, ſed niſi ab altera parte poſſit opponi defectus.

Simili modo legitimus Conjux non habet jus adultero negandi debitum, niſi adulterium ipſius petitioni poſſit opponere, ut contra primæ ſententiæ Auctores, & contra Gaſp. Hurtad. DD. communiter aſſerunt; probabiliùs enim tantùm tunc tollitur jus exigendi debitum, quando adulterium fuit inceſtuoſum cum conſanguineo innocentis conjugis; commune verò adulterium imitatur pœnam ſententiæ ferendæ, quę ſicut non eſt ſolvenda ante ſententiam Judicis, ſic in poſito caſu non eſt ſolvenda ante certam ſententiam conjugis, ut ingenioſè diſcurrit Amicus *n.* 79.

Alia verò impedimenta ſunt poſitivè damnoſa alteri parti, & finem Matrimonii, vel amicabilem cohabitationem impediunt, ut lepra, paralyſis, vel alii morbi contagioſi, & per accidens poſſet contingere, ut etiam aliquod ex prioris generis impedimentis eundem effectum præſtaret, v. g. magna inæqualitas nobilitatis, alterius familiæ gravem notam inureret, vel ut quicunque alius defectus occultatus perpetui diſſidii, ac inimicitię origo futurus prævideretur. Hujuſmodi itaque impedimenta probabiliùs vel indicanda eſſent, ne alteri damnum injuſtum inferretur vel ſponſalia non eſſent contrahenda, aut contracta, ſi ſine manifeſtatione impedimenti cum alterius conſenſu fieri poſſet, reſcindenda. 32

QUÆSTIO II.

De Contractu & Sacramento Matrimonii.

ARTICULUS I.

De Natura & Eſſentia Matrimonii.

§. I.

Quid & quotuplex ſit Matrimonium?

SUMMARIUM.

33 *Matrimonium dupliciter accipitur, pro Contractu & pro poteſtate, ſive Jure Conjugali.*

34 *Dividitur in Legitimum, Ratum, & Conſummatum.*

Matrimonium à vocabulo Mater derivatum, (eò quòd in hoc jugo ferendo, vel in hac duorum conjunctione, à qua etiam conjugium dicitur, potiſſimùm onus in generanda, utero ſovenda, & lacte nutrienda prole, matri incumbat, cui proinde dicta voce indicetur conferri poteſtas, ut Mater efficiatur,) in duplici ſignificatione accipitur, modò enim ſignificat Contractum legitimum, quo mutua corporum poteſtas traditur ad generationem prolis, modò ſignificat ipſam poteſtatem traditam, quæ eſt conjunctio viri, & fœminæ, individuam, id eſt, mutuo conſenſu inſolubilem vitæ ſocietatem retinens; in prima autem potiſſimùm acceptione dividitur in Matrimonium Legitimum, Ratum, & Conſummatum. 33

Legitimum commune eſt Matrimonium, Legis antiquæ, & novæ, item Matrimonio Fidelium, & Infidelium, ſeu hìc accipiuntur, non Baptizatorum, nihilque aliud ad ipſum requiritur, quàm ut ſit contractus legitimus, id eſt legibus contrahendi accommodatus, unde ſi in hoc membro diviſionis ſubintelligatur particula adverb. *tantùm* non eſt differentia dividens genus, ſed ipſum genus. Ratum eſt, contractus legitimus non qualiſcunque, ſed reſpiciens 34

con-

contrahentes Fideles, hi enim, cùm baptizati ſint, ſubſunt Juriſdictioni Eccleſiæ, cujus ratificatione Matrimonium ratum denominatur. Conſummatum deniquæ contractui legitimo inter fideles inito ultimam confirmationem, ut omnino inſolubilis, ac indiſpenſabilis reddatur, nempè copulam conjugalem ſuperaddit. Hic itaque non eſt nobis ſermo de Matrimonio in ſecunda ſignificatione accepto, ſed de ipſo contractu Matrimoniali, qui in Lege nova ſimul confert poteſtatem mutuam in corpora, & gratiam ſanctificantem, trahentem ſecum auxilia DEI ſpecialia, ad prolem ex fine honeſto ſuſcipiendam, piè educandam, mutuam cohabitationem pacificè, & debito cum amore uſque ad finem vitæ retinendam.

§. II.

Quando Matrimonium ſit Sacramentum.

S V M M A R I V M.

35 *Quando Matrimonium fuerit inſtitutum in ratione Sacramenti & quid ad eam requiratur.*

36 *Matrimonium non eſt Sacramentum, ſi per diſpenſationem Pont. Infidelis conjungitur Fideli.*

37 *Inter Conjuges Fideles Matrimonium ſemper eſt Sacramentum.*

35 QUæritur. Cùm Matrimonium Fidelium verum ſit Sacramentum, ut aliàs diximus, inſtitutum à Chriſto, vel tunc, quando nuptias in Cana Galilææ præſentia ſua honorans mutatione aquæ in vinum ſignificavit mutationem contractus non Sacramentalis in Sacramentalem, vel quando poſt Reſurrectionem ſuam Apoſtolis frequenter apparuit, loquens de Regno DEI, id eſt, de iis, quæ ad ſtatum Eccleſiæ, à S. Gregorio Regnum DEI appellatæ pertinent, vel ut DD. communiſſimè, & probabiliſſimè exiſtimant, quando abrogata Lege repudii inſolubilitatem illius apud. Matth *cap. 19.* his verbis decrevit, *Quod DEUS conjunxit, homo non ſeparet;* Quæritur, inquam, 1. Quid ad Matrimonium, ut rationem Sacramenti habeat, requiratur.

Reſp. Aliud nihil requiri, quàm ut ſit Contractus legitimus, & ambo contrahentes priùs fuerint Baptizati. Licèt enim Innocentius III. *in cap. Veniens, de Presbytero non baptizato* videatur dicere, Matrimonium, & Euchariſtiam, à non baptizato ſuſcipi poſſe, id tamen ibidem non dicit in ſenſu præſentis quæſtionis, ſed per modum obiicientis aſſerit, tanquam in aliquo ſenſu verum, nempè in hoc, quòd Matrimonium, in quantum eſt contractus legitimus, cui aliàs poſitis cæteris requiſitis conveniret ratio Sacramenti, & Euchariſtia etiam, in quantum eſt Sacramentum, ſed tamen abſque ſuo effectu, poſſit ſuſcipi à non baptizato.

36 Colligitur tamen ex hac reſponſione. 1. Si fidelis baptizatus contrahat ex diſpenſatione Pontificis cum infideli, ſeu non baptizato, illorum Matrimonium juxta communem, & teſte Palao, certam ſententiam Sacramentum non eſſe, eò quòd ſit unus indiviſibilis contractus, neque virtualiter multiplex, adeoque requirat, ut adæquatus ſuſcipiens, nempè uterque conjux baptizatus ſit, quo poſito uterque recipit idem Sacramentum neutri parti adæquatè intrinſecum, cùm etiam in cæteris Sacramentis non requiratur ut ſuſcipiens recipiat omnes partes, dummodo ponantur omnes partes eo modo, quo exigit natura cujuſque Sacramenti, quilibet tamen accipit propriam, & diſtinctam gratiam, ſicut ſi eandem hoſtiam replicatam ſumerent.

37 Colligitur 2. Contra Vaſq. Baſil. Pontium, Gaſp. Hurtad. Rebell. Amicum, qui ſuam ſententiam videtur immeritò vocare communem, non poſſe à fidelibus contrahi legitimum Matrimonium, quin hoc ipſo ſuſcipiant Sacramentum, ut docent Thom. Sanchez, Coninck, Palao, Tanner. & hoc teſte, *n. 49.* DD. communiter: ſicut enim non poteſt quis ponere materiam & formam Baptiſmi, cum intentione verè baptizandi infantem, quin conferat Sacramentum, etiamſi nollet conferre Sacramentum, ſed duntaxit verum Baptiſmum, ſicut non poteſt poni materia & forma legitimi contractus Matrimonialis inter perſonas baptizatas, adeoque id, in quo Chriſtus conſtituit rationem Sacramenti, quin ponatur Sacramentum, etiamſi contrahentes per intentionem explicatam, ſed ab intentione validè contrahendi correctam, nolint illud ponere, ſed præcisè legitimum contractum.

38 Colligitur 3. Cum Vaſq. Coninck, Amico, Hurtado, Baſilio Pontio, Palao, ſi duo Infideles poſt contractum Matrimonium baptizentur, neque per ſolum Baptiſmum, ut putabant Palud. Thom. Sanchez, Tanner. contractum reddi Sacramentalem, (quamvis reddatur inſolubilis, quod non habetur ex ratione Sacramenti, cùm Matrimonium ratum ſit ſolubile, & tamen ſit Sacramentum, ſed ex eo, quia per Baptiſmum Conjuges ſubiiciuntur Chriſti præcepto Matth. 19. quod de Matrimonio conſummato fidelium explicatur) neque ut exiſtimabant Eckius, Henriq. Petr. Ledeſma, Bellarm. Rebell. Laym. per ſubſequentem ratificationem de novo contrahi Sacramentum. Ratio primæ partis eſt, quia actus ſemel invalidus, in ratione Sacramenti non poteſt convaleſcere, quando totaliter, imò etiam abſque intentionem conficiendi, & ſuſcipiendi Sacramentum, jam eſt poſitus, dum ſuſcipientes eſſent adhuc incapaces Sacramenti. Ratio ſecundæ partis eſt, quia ratificatio contractus propriè non eſt contractus, ſed eſt præcisè approbatio illius; unde conjuges fideles non ſuſcipiunt toties Sacramentum, quoties ratificant contractum. Aliter ſe res habet in abſolutione peccatorum jam ſemel dimiſſorum; quia hæc eſt ſemper nova collatio gratiæ de ſe remiſſivæ peccati, & nova ſententia Judiciaiis diverſi proceſsus, quandoquidem de eadem cauſa poſſint iterati proceſſus inſtitui, non autem poſſit eadem res alteri jam appropriata iteratò appropriari.

ARTICULUS II.

Quæ ſit Materia & Forma Matrimonii.

S V M M A R I V M.

39 *Materia remota Matrimonii ſunt Corpora habilia Contrahentium, alia tamen adhuc aſſignanda eſt Materia proxima.*

40 *Hæc verò non rectè conſtituitur in Verbis Contrahentium, ut ſubſtantibus Benedictionis Sacerdotis.*

41 *Neque in Verbis Contrahentium, ut ſub diverſa Conſideratione habentibus rationem Materiæ & Formæ.*

42 *Sed rationem materiæ proximæ habet ipſe Contractus internus, per externum tanquam per Formam manifeſtatus, ac determinatus.*

43 *Sufficit enim, ſi materia Sacramenti ſit ſenſibilis mediatè per compartem.*

44 *Sacerdos aſſiſtens Matrimonio non agit perſonam Miniſtri.*

CIrca Materiam remotam nulla eſt Controverſia, 39
omnes enim fatentur, Corpora contrahentium habilia eſſe ſaltem materiam remotam, ſicut etiam in aliis contractibus materia remota eſt id, circa quod ſit contractus & ſicut materia remota ordinum eſt id, quod traditur. Quòd autem prę̨ter corpora habilia contrahentium nulla alia materia proxima aſſignetur, ſed idem munus illis tribunatur à Palud. Adriano. Antonio, Pallacio, Pet. Soto, Covar. Vaſq. Hurtado, Pontio, rectè dixit Tannerus *diſp. 8 n. 33.* eſſe ſententiam parùm probabilem: quia etiam in aliis contractibus res, circa quam verſantur, non ſunt materia, ex qua fiunt contractus, ſed tantùm materia, circa quam fiunt; & quia nullum aliud Sacramentum tranſiens conſtat materia proxima permanente, propter quam ſola Euchariſtia dicitur Sacramentum permanens.

Minùs adhuc probabilis eſt ſententia Cani, *lib. 8. de* 40
Locis Theol. cap. 5. in ſolut. ad 3. Verba contrahentium putatis eſſe materiam, Verba Sacerdotis autem eſſe formam,

mam, cui videntur conſentire Sylvius, & Guil. Pariſienſis, Sacerdotem aſſerentium Miniſtrum Sacramenti Matrimonii. Sed hæc ſententia eſt certò falſa: quia Matrimonia Clandeſtina ante Tridentinum, & ubi Tridentinum non eſt receptum, & publica contracta præſente Sacerdote, ſed eo nihil dicente, ſunt vera Matrimonia & Sacramenta, nec tamen conſtant prædicta forma.

41 Alii itaque, ut Suarez, Sanchez, Bellarm. Coninck, Amicus, Tanner. dicitur: mutuum conſenſum conjugum verbis expreſſum ſecundùm diverſam conſiderationem eſſe materiam, & formam, quatenus enim eſt exterior mutua traditio corporum, ut ſic habere rationem materiæ, quatenus verò eſt mutua acceptatio, habere rationem formæ. Hæc ſententia eſt valde probabilis, potiſſimùm tamen me ab illa abſterret, quòd Florentinum omnia Sacramenta comparans toti phyſico, conſtanti materia & forma, videatur, voluiſſe indicare partes realiter diſtinctas, non autem ratione tantùm, & ſecundùm diverſam conſiderationem diverſas, per quas potiùs aſſimilaretur toti metaphyſico compoſito ex genere, & differentia realiter indiſtinctis.

Ob eandem rationem non omnino poſſum probare, etiam ſententiam Palao, immeritò pro ſe citantis Pontium, & Vaſq. qui docet, mutuum conſenſum in traditionem, & acceptationem corporum per verba vel formalia, vel æquivalentia, id eſt, ſigna, vel nutus expreſſam, eſſe formam, ipſam verò traditionem & acceptiationem externam eſſe materiam: quia enim in Matrimonii contractu non datur alia traditio, & acceptatio externa corporum, quàm quæ conſiſtit in ipſis verbis exprimentibus conſenſum, ideo eadem verba, quatenus ſignificarent conſenſum, deberent eſſe forma, quatenus autem eſſent externa traditio, & acceptatio corporum, eſſent meteria.

42 Propterea mihi præ reliquis, placet ſententia Abbatis, Panorm. Sylv. Capreoli, Navarri, Præpoſiti, Rebell. Greg. de Valentia, quam etiam tenet Gloſſa *in cap. Tua, da Sponſal. verbo Nec form.* & Henriq. Caniſius *in citato cap.* ac Canoniſtæ communiter: quòd materia proxima Contractus Matrimonialis externi, ſeu ſenſibilis (quod prædicatum eſt de eſſentia cujuſcunque humani contractus) ſit ipſe Contractus interior, ſeu conſenſus conformis legibus contrahendi, qui per verba ſeu ſigna exteriora tanquam per formam determinatur ad hoc, ut ſit verus, & obligatorius contractus, & denominationem ſibi eſſentialem externi ac ſenſibilis, habeat & ut in Sacramento Matrimonii gratiam juſtificantem tanquam veram conjunctionem animæ cum DEO ſignificet, & ſimul illam unionem Chriſti cum Eccleſia denotet. Sicut enim in Baptiſmo & Confirmatione illa actio, quæ ſignificatur per verba ipſius formæ, baptizo, confirmo &c. eſt materia proxima horum Sacramentorum, ſic rectè videtur dici materia proxima Matrimonii illa actio, quæ ſignificatur per verba formæ, *accipio te in meam: Duco te. Contraho tecum &c.* Licèt verò S. Thomas 4. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 2. & 4. verba, ſive ſigna exprimentia conſenſum internum comparet cum Ablutione externa in Baptiſmo, ipſe tamen non in hoc inſtituit paritatem, quòd ſimiliter ſint materia proxima, ſed præciſè in hoc, quòd ſimiliter debeant manifeſtare conſenſum, ſicut Ablutio Intentionem baptizandi, ut patet legenti locum citatum.

43 Neque obſtat, quòd iſta actio ſignificata non ſit ſenſibilis in ſe, ſufficit enim fieri ſenſibilem per formam; ſicut etiam in pœnitentia Contritio, & in Euchariſtia corpus Chriſti, prout ſubſtans ſpeciebus, eſt ſaltem partialis materia proxima, non obſtante, quòd utraque debeat fieri ſenſibilis per aliud, & licèt in Matrimonio fatendum ſit, hoc eſſe ſpeciale, ut tota materia non ſit ſenſibilis in ſe, ſed per aliud, hoc tamen nec Conciliis, nec PP. nec Eccleſiæ traditioni, nec rationi repugnat, & omnes fateri debent, etiam in forma habere hoc Sacramentum ſibi ſpeciale, ut non neceſſariò, ſicut reliqua Sacramenta, conſtet Verbis Formalibus; cùm Florentinum expreſsè dicat, Matrimonium *regulariter*, id eſt plerumque conſtare verbis, indicans per hoc, non eſſe neceſſarium & eſſentiale, ut ſemper conſtet verbis, aliàs multi contrahere non poſſent.

44 Ex hac etiam reſponſione contra Melchiorem Canum colligitur, Miniſtrum hujus Sacramenti non eſſe Sacerdotem, ſed ipſos contrahentes miniſtrare ſibi Sacramentum, utpote qui materiam & formam ponunt; neque enim obſtat ſimilis ratio, ob quam alia Sacramenta, excepta Euchariſtia, nemo ſibi ipſi miniſtrare poteſt.

ARTICULUS III.

Qualis Conſenſus ad Matrimonium requiratur.

§. I.

Quomodo Conſenſus debeat eſſe mutuus & manifeſtus.

SUMMARIUM.

45 *Matrimonium fit per Conſenſum, qui ſit mutua traditio & acceptatio Juris in Corpora Contrahentium.*

46 *Dictus conſenſus debet eſſe actualis traditio & acceptatio Juris, pro tempore præſente, vel futuro, abſolutè, vel conditionatè.*

47 *Conditionatus Conſenſus poſita conditione æquivalet abſoluto, modò factus fuerit in præſentia Parochi & duorum teſtium, ipſaque conditionis impletio ſit ipſis manifeſtata.*

Certum eſt, pro Valore Matrimonii requiri in primis, ut quilibet contrahentium velit ſuſcipere, & alteri, acceptando ejus promiſſionem imponere obligationem Matrimonio eſſentialem, ſive eam proponat exequi, ſive non. Obligatio autem Matrimonio eſſentialis eſt obligatio juſtitiæ concedendi uſum ſui corporis huic contrahenti & negandi omni alteri: quòd ſi prædicta obligatio, quoad primam ſui partem ſubinde impediatur, ſive ratione voti caſtitatis, editi altero conſentienti, ſive ratione delicti, nempè adulterii ab altero commiſſi, nunquam tamen totaliter tollitur, hinc ſublato impedimento opus non eſt novo conſenſu, ad contrahendam mutuam obligationem, quia conjuges dominium directum mutuò in corpora ſemper retinent, quamvis uſus ſuſpendatur. 45

Secundò. Requiritur, ut conſenſus ſit expreſſus per verba, vel ſigna juxta receptum eorum uſum ſignificantia voluntatem actualis obligationis, vel ponendæ ſtatim, vel certo tempore, & poſitis certis circumſtantiis, ac conditionibus. Hinc benè ſunt diſtinguendæ iſtæ duæ propoſitiones, *Nunc accipio te in meam pro tempore futuro*, quo v. g. Pater tuus conſentiet, vel Pontifex diſpenſationem concedet: & : *Accipiam te in meam tempore futuro*, quo Pater conſentiet, prior enim propoſitio jam vult actualem obligationem, non quidem ponendam tempore præſenti, neque independenter à certa conditione, ſed ponendam tempore futuro, & conditione impleta. 46

Unde juxta probabiliorem, & veram ſententiam illo tempore, & conditione poſita, non eſt opus novo conſenſu (niſi Pontifex per diſpenſationem impedimenti implens conditionem, illum expreſsè requiſiverit, diſpenſando ſcil. non ad pergendum in priori contractu conditionato, ſed ad contrahendum de novo) quia prior conſenſus conditionatus jam tranſit in abſolutum, ſicut omnes fateri debent, quando vir puellæ dicit, accipio te in meam, ſi tu viciſſim accipias me in tuum, puella deinde annuente, non opus eſſe novo conſenſu viri abſoluto. Hoc tamen fatendum eſt, in illis locis, ubi juxta Trid. requiritur præſentia Parochi, & duorum teſtium, de qua poſtea dicemus, neceſſe eſſe, ut ea detur, non tantùm, quando proferuntur verba ſignificantia conſenſum conditionatum, ſed etiam, quando impletur conditio, vel ſaltem ut hæc ipſis notificetur, quia tunc primùm actu, & completè ponitur Matrimonium, & conſenſus ſit abſolutus, de quo Parochus, & duo teſtes debent poſſe teſtari. 47

§. II.

§. II.

Quomodo conſenſus debeat eſſe abſolutus, vel tranſiviſſe in abſolutum.

SUMMARIUM.

48 *Contractus Matrimonii completus, debet eſſe conſenſus abſolutus, vel formaliter, vel æquivalenter. Conditio impoſſibilis habetur pro non adjecta.*

49 *Ita etiam habetur conditio inhoneſta, ſi Matrimonii ſubſtantiæ non repugnet.*

50 *Quales conditiones ſubſtantiæ Matrimonii immediatè, vel ſaltem mediatè repugnent.*

51 *Conditio ſubſtantiæ Matrimonii immediatè vel mediatè repugnans irritat contractum, etiamſi tantùm ab uno contrahente oppoſita, & etiam impleta ſit.*

52 *Conditio honeſta, ſubſtantiæ Matrimonii tantùm mediatè repugnans, non irritat contractum, ſi tantùm ſit addita ſub modo non revocatorio: & ita validè contraxerunt B. V. Maria, & S. Joſeph.*

53 *Conditio de præterito, vel de præſenti, exiſtens, reddit contractum æquivalenter abſolutum, ſive ſit honeſta, ſive inhoneſta.*

54 *Conditio, quæ prævidetur certò futura, æquivalet impletæ.*

48 AD valorem Matrimonii ulteriùs requiritur, ut conſenſus ſit abſolutus, vel ex ſuo modo tendendi, adeòque intrinſecè, ac formaliter, ut ſi pro tempore præſenti dicas: accipio te in uxorem, vel ſaltem ſit abſolutus æquivalenter, quod ſit, quando conſenſus ex modo tendendi eſt conditionatus, conditio tamen appoſita, vel eſt naturaliter impoſſibilis, vel inhoneſta, ſubſtantiæ Matrimonii tamen non repugnans, vel eſt de objecto præterito, aut præſenti, aut de futuro neceſſario, aut infallibili, aut contingenti quidem, ſed interea, poſtquam poſitus eſt conſenſus habitualiter perſeverans, jam actualiter impleto.

Nam quando conditio eſt naturaliter, & non tantùm moraliter impoſſibilis, tunc ea, etiam in foro externo, omnes alios contractus quidem annullat, ut habetur *ex §. Impoſſibilis inſtit. de inutilibus ſtipulat.* ſed in Matrimonio ob ejus favorem inquit Gregorius IX. *cap. finali de condition. appoſitis*, & in diſpoſitionibus ultimæ voluntatis *juxta leg. 3. ff. de conditionibus, & demonſtrationibus*, habetur pro non adjecta, niſi conſtaret, eum, qui conditionem impoſſibilem adjecit, conſenſum in Matrimonium eludere voluiſſe, ut ſi ſciviſſet conditionem eſſe impoſſibilem, & neſciviſſet legem ſtatuentem, ut pro non adjecta habeatur, talis enim utique cenſeretur non conſenſiſſe in Matrimonium.

49 Quod de conditione impoſſibili, idem de inhoneſta cit. Pontificis cap. ſtatuitur, quando fini, vel ſubſtantiæ Matrimonii non repugnat, tunc enim neque cenſetur quis Matrimonium recuſare, neque illam conditionem, utpotè dehoneſtantem Sacramentum, ſeriò adjeciſſe, imò conditio pro impoſſibili habetur, quia honeſtè non eſt implebilis: quamvis ſi contrahenti certò conſtaret, ſe ita ſeriò illam adjeciſſe, ut non tantùm eam inſtar modi oppoſitam impleri voluerit, ſed noluerit aliter contrahere, niſi tanquam propriè dicta conditio impleretur, vel ſi in priori caſu idem intenderit de conditione impoſſibili, falsò putata poſſibili, rectè advertat Amicus, *diſput. 5. num. 11.* & Tanner. cum aliis *diſputat. 8. num. 68. & 73.* quòd ſolùm in foro externo ex præſumptione, non autem in interno conſenſus ille conditionatus ſit ſufficiens ad valorem Matrimonii, & conditio pro non adjecta habeatur. Quòd ſi verò ipſa conditio ſubſtantiæ Matrimonii, ſive per excluſionem alicujus eſſentialis requiſiti, ſive per oppoſitionem cum obligatione Matrimoniali repugnaret, tunc contrahens cenſeretur Matrimonium recuſare, & præterea talis contractus irritatur *in cit. c. finali, & c. ſolet. cap. aliquando 32. q. 2.*

50 Ut autem hæc omnia meliùs intelligantur, advertendum eſt, ſubſtantiæ Matrimonii poſſe conditionem vel repugnare immediatè, vel mediatè; immediatè repugnat, ſi pro conditione requiratur aliquid, cujus volitio eſt incompoſſibilis cum alterutrius, vel utriuſque contrahentis legitimo, & eſſentiali conſenſu in Matrimonium: nam ſi quis contrahat ſub conditione aliquando diſſolvendi Matrimonii, vel non imponendæ aut ſubeundæ obligationis ad reddendum debitum, hoc ipſo non poteſt ſtare conſenſus in Matrimonii inſolubilitatem, vel in poteſtatem exigendi, ac obligationem reddendi debitum, qui conſenſus eſt Matrimonio eſſentialis. Mediatè repugnat omnis illa conditio, quæ adverſatur fini, vel executioni obligationis Matrimonialis, nempè generationi & educationi prolis, fidei conjugali, & ſimultaneæ cohabitationi, ſaltem ſi ea excludatur in perpetuum: atque hujuſmodi conditio poteſt vel eſſe honeſta, vel inhoneſta, vel indifferens: inhoneſta eſt, quando vir dicit: duco te in uxorem, ſi impedias generationem prolis per procurationem ſterilitatis, vel abortus, vel per expulſionem, aut repulſionem ſeminis, ſi concedas alteri uſum corporis ad quæſtum &c. Honeſta eſt, ſi mecum voveas perpetuam caſtitatem, vel virginitatem (ſi enim votum non eſſet perpetuum, aut mutuum, non impediretur generatio prolis) ſi promittas Religionem ingredi &c. Indifferens, ſi te mihi obliges ad non petendum, & reddendum debitum, ad nunquam cohabitandum, &c. Poſſunt autem hæ conditiones poni, ut vel ſuſpendant voluntatem contrahendi uſque ad eventum, & impletionem conditionis, vel ut tantùm requiratur de præſenti voluntas, aut obligatio illam implendi, quæ ſi eſt inhoneſta, & voluntas implendi eſt inhoneſta, obligatio verò eſt impoſſibilis, quia nemo poteſt obligari ad inhoneſtum.

De his itaque conditionibus certum eſt, eas, quæ primi generis ſunt, quæ ſcilicet ſubſtantiæ Matrimonii immediatè repugnant, jure naturali obſtare valori contractus; quæ autem ſecundi generis ſunt, communis eſt ſententia tam Theologorum, quàm Canoniſtarum, teſte Tanner. *num. 74.* per omnes, ſive ſint inhoneſtæ, ſive non, & ſive ſola voluntas aut obligatio de præſenti, ſive executio futura pro conditione apponatur, jure Eccleſiaſtico ſupra citato, contractum matrimonialem irritari, etiamſi de præſenti, aut de futuro impleretur conditio, & licet ab uno tantùm contrahente conſenſus matrimonialis fuiſſet affixus ejuſmodi conditioni, quamvis non acceptatæ ab altero, v. g. ſi vir dixiſſet: accipio te in uxorem, ſi permiſeris mihi uſum tui corporis non in Ordine ad procurandam prolem, eo conceſſo ſecundùm probabiliorem, & communiorem ſententiam prior conſenſus conditionatus non tranſiret in abſolutum ad efficiendum Matrimonium, quia *cap. Finali de conditione appoſitis*, univerſaliter dicit, *ſi conditiones contra ſubſtantiam conjugii inſerantur, puta, ſi alter dicat alteri, contraho tecum, ſi generationem prolis evites &c. Matrimonialis contractus caret effectu.* Ubi nec acceptationem conditionis pro irritatione contractus requirit, & conditiones inhoneſtæ, quacum plures ibidem recenſentur, tantùm exempli gratia ponuntur, in ipſo verò decreto abſolutè, & univerſaliter omnes conditiones ſubſtantiæ Matrimonii repugnantes damnavit, adeòque etiam honeſtas contra Paludan. & Abulenſ. quorum quidem ſententiam Sotus, Sanch. & Tanner. probabilem cenſent. 51

Quòd ſi tamen prædictæ conditiones ſecundi generis non apponerentur per actum formaliter conditionatum, ſed ſi adjicerentur actui abſoluto ſub modo, ſeu inſtar obligationis modalis, adhuc quidem Thom. Sanchez, Coninck, Laym apud Palao, *diſput. 2. punct. 11. §. 5. num. 3.* exiſtimant, invalidari contractum, ipſe verò Palao cum Soto, & Petro Ledeſma hoc negat. Ego puto, conciliari poſſe Doctores, dicendo invalidari contractum, ſi adjiciantur ſub modo revocatorio contractus, tunc enim contractus Matrimonialis non fuiſſet conſenſus in inſolubilitatem Matrimonii, non verò invalidari, ſi addantur ſine modo revocatorio, &, ſi modus fuit inhoneſtus, valere Matrimonium ſine ulla exorta obligatione modi, ſi autem fuit honeſtus, oriri obligationem v. g. mutuò vovendi caſtitatem, vel continentiam perpetuam, ſi enim ante & poſt contractum Matrimonii potuerunt conjuges ſe mutuò obligare ad hujuſmodi votum, vel ad cedendum jure utendi Matrimonio, non eſt ratio, quare non poſſit adjici hujuſmodi obligatio modalis. Quamvis ſine tali obligatione Matrimonium Beatiſs. 52

Virginis, priùs voto perpetuæ caſtitatis obligatæ rectè explicet S. Thom. 4. *diſtinct.30. quæſt.2. ad 2.* ubi ait: *Dicendum, quòd Beata Virgo, antequam contraheret cum Joſeph, fuit certificata divinitus, quòd Joſeph in ſimili propoſito erat, & ideò non ſe commiſit periculo nubens. Nec tamen propter hoc aliquid veritati deperiit; quia illud propoſitum non fuit conditionaliter in conſenſu appoſitum: talis enim conditio cùm ſit contra Matrimonii bonum, ſcilicet prolem procreandam, Matrimonium tolleret.*

53 Nunc, ut ad cætera membra, quibus conſenſum formaliter conditionatum æquivalenter reddi abſolutum diximus, revertamur, ulteriùs aſſero, ſi conditio nec mediatè, nec immediatè repugnet Matrimonio, quantumvis ſit inhoneſta, dummodo adjecta ſit pro tempore præterito, vel præſenti: v. g. ſi contrahens dixit: duco te, ſi furtum commiſiſti, vel ſi rem alienam injuſtè poſſides, in tali, inquam, caſu, quia actus non habetur propriè pro conditionato, etſi habeat modum tendendi formaliter conditionatum (propriè enim conditionatus debet ſuſpendere ſuum effectum) & quia non ad peccatum inducit, ſed illud ut præteritum, vel exiſtens ſupponit, ideò appoſita conditio inhoneſta non ampliùs reputatur, quaſi non fuiſſet adjecta, ſed vel contrahitur Matrimonium, ſi verificata eſt conditio, vel non contrahitur, ſi non eſt verificata, ſicut contingit, quando conditio de præterito aut præſenti non eſt inhoneſta; quia enim conſenſus, vel ſtatim æquivalet abſoluto, vel nunquam ampliùs poterit æquivalere, ideò ſtatim eſt efficax, vel inefficax ad inducendam obligationem præſentem Matrimonii.

54 Quando denique conſenſus eſt poſitus ſub conditione de futuro neceſſario, ut ſi dicas: *Nunc contraho tecum Matrimonium, ſi cras orietur ſol*: vel ſi eſt de futuro infallibili, quòd tantùm neceſſariò prævidetur futurum neceſſitate extrinſeca propter revelationem DEI v. g. ſi dicas: *Contraho tecum Matrimonium, ſi aliquando veniet AntiChriſtus*; tunc talis conſenſus de præſenti jam cenſetur æquivalere abſoluto juxta communiorem cum S. Thoma 4. *diſt. 29. q. unic. a. 3. quæſtiunc. 3.* contra Baſilium Pontium, quia conditio non ad ſuſpendendum conſenſum, ſed ad ejus certitudinem, & firmitatem demonſtrandam æſtimatur oppoſita.

§. III.

Quomodo conſenſus debeat eſſe liber ab Errore, & metu.

SUMMARIUM.

55 *Error in perſona, quæ cum contrahitur, irritat Sponſalia.*
56 *Quis ſit metus gravis, irritans Sponſalia.*
57 *Metus irritans Sponſalia debet fuiſſe injuſtè, & in ordine ad contrahendum Matrimonium incuſſus, quo modo etiam à Judice, non quidem ſine actuali incurſione Excommunicationis, & à parentibus incuti poteſt, quanquam aliàs horum promiſſionem exequi deceat.*

55 Requiritur ut cônſenſus ſit liber tum ab errore in perſona, tum à metu gravi, injuſtè ad extorquendum Matrimonium incuſſo, ut indicatur, *in cap Veniens 2. & cap. Cùm locum, de Sponſal. cap. Significavit, de Eo, qui duxit in Matrimonium.*

Dixi 1. *Ab errore in perſona*, ne v. g. offeratur, & ſiſtatur filia natu major, putanti, & volenti contrahere cum natu minore; nam licèt in aliis contractibus error in cauſa impulſiva poſſit ſufficere ad diſſolutionem contractus, in Matrimonio tamen ſolus error in objecto, ſeu in perſona, quæ ducitur, obſtat Matrimonio, ut in ſequentibus fuſiùs dicetur: cùm enim cauſa impulſiva v. g. nobilitas, divitiæ, non ſe habeat, ut conditio, ideò contractus abſolutus in Matrimonio, quod inſolubile eſt, diſſolvi non poteſt: ut etiam declarat S. Thomas 4. *diſt. 36. q. 1. a. 2. in C. & ad 4. & ad 5.* Addit quidem S. D. etiam errorem per ignorantiam conditionis ſervilis. Sed hìc error per Jus poſitivum irritat Matrimonium, ut ipſe cum communiore ſententia tradit, 4. *diſtinct. 36. quæſt. unic. a. 1. ad 3.*

56 Dixi 2. *A metu gravi*, id eſt cadente in conſtantem virum, qui modus loquendi tamen non ſic intelligendus eſt, quaſi debeat verſari circa tantum malum, quod etiam virùm animoſum ad ſui fugam, & electionem tam difficilis medii impellere poſſet. Nam juxta communem ſententiam DD. ſufficit malum comparativè magnum, cùm in ſe leve poſſit adoleſcenti aut fœminæ, aut viro aliàs timido magnum horrorem incutere, adeòque ille metus hic dicitur gravis, & cadens in conſtantem virum, qui vel propter malitiam objecti, prout eſt in ſe, vel prout eſt in apprehenſione, vel æſtimatione talis ſubjecti, difficulter eſt ſuperabilis etiam à conſtanti viro, ſi talem metum, ſive prudentem ſive imprudentem pateretur. Præterea requiritur, ut illud malum probabiliter, id eſt, propter rationem, ſaltem comparativè ad talem intellectum, probabilem credatur eventurum, vel ſibi, vel perſonæ valdè charæ, quales ſolent eſſe proxima cognatione junctæ, aut magnis beneficiis optimè meritæ: ſine hac conditione enim metus non erit difficulter ſuperabilis. Levis autem metus, qui ſæpè intervenire ſolet & qui à tali facilè ſuperari poſſet, communiùs & veriùs non dicitur, impedire libertatem conſenſus.

57 Addidi. *Injuſtè ad extorquendum Matrimonium incuſſo*: nam juſtè, vel ob alium finem incuſſus, ſecundùm communiorem & probabiliorem ſententiam nihil obeſt, cùm Matrimonium potiùs ultrò aſſumatur, ut medium evitandi aliud malum, aliàs vel juſtè infligibile, vel independenter à recuſatione Matrimonii ſubeundum, quàm ut ipſum malum aſſumatur ut medium injuſtum, extorquendi Matrimonium, quo propriè per vim contraheretur, ſi nimirum intentatio mali eſſet injuſta, & in ordine ad contractum Matrimonialem illata. Injuſtè incuſſus autem eſſet, ſi Judex ſæcularis ver. gr. pœnis, aut minis cogeret ad contrahendum Matrimonium, neque ex contractu, neque ex delicto fornicationis debitum. Unde Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 9. de Reformat.* tali excommunicationis pœnam ipſo facto incurrendam infligit. Item ſi parentes ſub gravis odii, vel aſperæ tractationis metu liberos ſuos ad ineundum Matrimonium compellerent, cupientes vel omninò abſtinere à Matrimonio, (quamvis quidam graves DD. exiſtiment, metum ad contractum cum perſona indeterminata incuſſum non obſtare valori Matrimonii) vel ſaltem ab illo determinato, quod aliundè indebitum eſt, & præcisè ipſi parentes volunt, aut invitis liberis etiam promiſerunt. Quando autem *in cap. 1. de Deſponſatione impuberum in fine* Pontifex dicit, quòd filius ad pubertatem perveniens debeat, parentum promiſſum adimplere, particula *debet* in obligatione tam difficili, & oneroſa, abſque propria voluntate facta, non præceptum, ſed decentiam, cenſenda eſt denotare juxta probabiliorem ſententiam, & per ſe loquendo, ſecluſa v. g. gravi neceſſitate parentum, aut boni publici aliter inevitabili.

QUÆSTIO III.

De impedimentis reddentibus Matrimonium, vel illicitum, vel invalidum.

ARTICULUS I.

De impedimentis impedientibus Matrimonium quoad ejus licentiam.

SUMMARIUM.

58 *Septem impedimenta criminis, olim impedientia licentiam contrahendi Matrimonium, hodie ſunt abrogata.*
59 *Quatuor alia impedimenta non in crimine conſiſtentia, & etiamnum vigentia. Primum eſt, Eccleſiæ prohibitio: & quomodo hæc ſit intelligenda.*
60 *Quo tempore, & quo modo Matrimonium celebrare prohibitum ſit.*
61 *Reſpondens loco Patrini ad quæſtiones Fidei, non impeditur cum prole baptizata contrahere Matrimonium.*
62 *Priora ſponſalia valida, reddunt invalida poſteriora.*

63 *Quomodo*

63 *Quomodo Votum ſimplex Caſtitatis impediat, nec tamen dirimat Sponſalia.*

64 *Ubi Tridentinum non eſt receptum, Clandeſtinum Matrimonium tamen eſt illicitum.*

65 *Quomodo ad licitè contrahendum Matrimonium ſint neceſſariæ tres denunciationes.*

66 *Quæ cauſa excuſet ab obligatione triplicis denunciationis.*

67 *Omiſſio Benedictionum non impedit Matrimonia licitè contrahenda.*

58 DUplicis olim generis impedimenta impedientia numerabantur, alia in crimine commiſſo conſiſtebant, alia nullam criminis rationem continebant. Impedimenta criminis erant ſeptem ſequentia. 1. Inceſtus cum conſanguineis conjugis, uſque ad quartum gradum, poſt Tridentinum verò, quod *ſeſſ.*14. *cap* 4. affinitatem reſtrinxit uſque ad ſecundum gradum incluſivè, vel cum Sponſæ conſanguineis in primo gradu: poſt tale enim peccatum in præcedenti Matrimonio, vel durantibus Sponſalibus commiſſum, cum nulla alia licebat contrahere Matrimonium. 2. Raptus alienæ perſonæ, id eſt, alteri per contractum Matrimonii promiſſæ, quia Sponſa de futuro in rebus odioſis non venit nomine Sponſæ, hinc talis puellæ raptor, etſi incurreret pœnam excommunicationis, & aliàs à Tridentino *ſeſſ.*24. *cap.*6. quarumcunque fœminarum raptoribus ſtatutas: tamen non contraheret impedimentum prohibens Matrimonium, quia iſto duntaxat indigni cenſebantur, qui aliorum Matrimonium perturbare præſumpſerint. 3. Uxoricidium, ſcilicet, quando Maritus injuſtè uxorem ſuam occidit ob aliam cauſam, quàm alterius Matrimonii ineundi, alioqui non tantùm eſſet impedimentum impediens, ſed dirimens Matrimonium modo infrà dicendo. 4. Suſceptio propriæ ſobolis ex S. fonte animo cauſandi divortium, debitum conjugi negando, *juxta cap. De eo* 30. *quæſt.*1. quod impedimentum alterius Matrimonii unquam contrahendi aliqui etiam extendunt ad baptizantem propriam ſobolem ex eadem intentione. 5. Presbytericidium, ſi quis de illo convictus eſt *juxta cap.*2. *de Pœnit. & remiſſionibus.* 6. Pœnitentia ſolemnis, quamdiu durat, impedit lætitiam nuptialem, quæ etſi crimen non ſit, quia tamen ex crimine ortum habet, inter criminis impedimenta numeratur. 7. Attentatio Matrimonii, cum Moniali, quia Chriſto ejus Sponſo injuriam inferens meretur, ut conjugio in perpetuum privetur, ut ſtatuitur *in cap. Si ergo* 27.*q.*1. Sed hæc impedimenta omnia per non uſum abrogata ſunt, quæ memoriæ juvandæ cauſa his verſibus continentur.

Inceſtus raptus Sponſatæ, mors mulieris,
Suſceptus propriæ Sobolis mors Presbyteralis,
Vel ſi pœniteat ſolemniter, aut Monialem
Accipiat, prohibent hæc Conjugium ſociandum.

59 Impedimenta itaque, quæ hoc tempore adhuc, quamdiu non removentur, Matrimonium contrahendum ſub gravi peccato impediunt, excepto unico eorum, tertio loco nominando, quinque potiſſimùm enumerantur, & memoriæ his verſibus ſcribuntur.

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechiſmus, Sponſalia, jungito votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Per Eccleſiæ vetitum intelligitur prohibitio ſaltem ad tempus, quo Pontifex, Epiſcopus, vel etiam Parochus Matrimonium contrahi juſtis de cauſis ſub peccato eiſdem quoad gravitatem proportionato vetat v. g. ad grave ſcandalum, rixas, inimicitias, diſparitatem Religionis, ſeu fidei &c. impediendas.

60 Tempus feriatum, quod antiquo jure plura intervalla continebat, à Tridentino *ſeſſ* 24. *cap* 10 reſtrictum, & his verbis expreſſum eſt. *Ab Adventu Domini IESU Chriſti uſque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum uſque in Octavam Paſchatis incluſivè, antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obſervari S. Synodus præcipit.* Ex quibus verbis etiam conſtat, non prohiberi contractum Matrimonii, & ejus conſummationem, ſed ſolummodò publicam ſolemnitatem, nempè benedictionem ſolemnem, traductionem publicam Sponſæ in domum Sponſi, publica convivia, ac choreas, quæ nuptias comitari ſolent, & tempus, quo orationi, ac jejuniis vacandum eſſet, parum decent: imò juxta Thom. Sanchez, & Palao probabile eſt, ſecluſo ſcandalo (quod tamen in noſtris Provinciis propter laudabilem abſtinendi ab iſtis lætitiæ ſignis conſuetudinem vix videtur ſecludi poſſe) per ſolemnitatem nuptiarum intelligi ſolas benedictiones ſolemnes, quas, etſi ſacræ ſint, Eccleſia ſolùm creditur prohibere, ne ipſa ad delitias nuptiales cooperari dicatur, cùm iſtas potiùs per jejunia & orationes intendat removere: unde finis præcepti juxta commune axioma ſub præceptum non cadit. Quando ergo *in cap. Neque uxorem* 33. *quæſt.*4. Pontifex dicit: neque uxorem ducere, neque convivia facere in quadrageſimali tempore convenire poſſe ullo modo arbitror: particulæ *neque convenire*, indecentiam, non autem prohibitionem, niſi accedente ſcandalo denotant. Sic etiam tempore interdicti non Matrimonia, quæ ad exercitia ordinis, vel divinum officium non ſpectant, ſed ſolùm benedictiones nuptiales prohibentur.

Catechiſmus indicat illud impedimentum, propter 61 quod *juxta cap. Contracto de Cognatione ſpirituali*, & *cap. Secundum eodem tit. in* 6. reſpondens loco baptizati ad quæſtiones fidei, quæ regulariter ante collationem baptiſmi ſolemnis, vel per accidens poſtea in cæremoniarum ſuppletione proponi ſolent, illicitè contrahit Matrimonium cum iis, quibuſcum Patrinus aut baptizans invalidè contraheret. Verùm hoc impedimentum, quando reſpondens ad quæſtiones fidei non eſt ſimul Patrinus, ſecundùm communiorem ſententiam cenſetur à Tridentino ſublatum, quia ſecundùm hoc nulla intervenit cognatio ſpiritualis, quando autem reſpondens ad quæſtiones fidei eſt ſimul Patrinus, uti communiter eſt, impedimentum non eſt tantùm impediens, ſed dirimens Matrimonium.

Sponſalia, quod tollant licentiam cum alia contra- 62 hendi Matrimonium, per ſe patet, quia priori Sponſæ fieret manifeſta injuria, ut jam oſtenſum eſt ſuprà, cùm de ſponſalium obligatione ageremus: hinc per ſe loquendo in hoc impedimento, utpotè quod eſt poteſtatis altioris, nec Epiſcopi diſpenſare poſſunt.

Votum impediens licentiam Matrimonii, vel eſt 63 ſimplex caſtitatis, vel ingrediendi religionem, vel ſuſcipiendi ordines ſacros, vel non ineundi Matrimonium, ut autem hoc impedimentum rectè intelligatur, advertendum eſt, ejuſmodi votum potuiſſe emitti vel ante contracta Sponſalia, vel poſt: ſi ante, certum eſt apud omnes *juxta cap. Rurſus. Qui Clerici, vel voventes*, Sponſalia ſubſequentia, etſi jurata, eſſe irrita, adeóque Matrimonium etiam illicitè contrahi, niſi Sponſa inſcia præcedentis voti intuitu ſponſalium conceſſerit uſum ſui corporis, ob quem plerique, quos ſequitur, & refert Tamburin. *lib.*7. *Decalogi c.*5. §.3. *n.*34. & Palao *diſput.*1. *punct.*18. *num.*9. *& diſput.*4. *punct.*1. *num.*17. putant, Sponſum non tantùm licitè poſſe, ſed etiam debere contrahere Matrimonium. Si autem votum poſt Sponſalia eſt emiſſum, ſecundùm ſuperiùs dicta probabilius eſt, licèt id multi negent apud Palao *cit. diſput.*1. *punct.*20. votum eſſe invalidum ac injuſtum, & proinde non impedire Matrimonium, niſi fuerit votum ingrediendi religionem, quod per ſe loquendo etiam obligat poſt contractum Matrimonium ratum, ſed nondum conſummatum. Quòd ſi verò non obſtante voto per Matrimonium ratum vel conſummatum in eo ſtatu quis ſe conſtituerit, ut illud omninò obſervare ſit impoſſibile, tenetur tamen illud eo modo ſervare, quo poteſt, nempè ut mortua Uxore illud adhuc exequatur, quia licèt obligatio fortior ſuperveniens juxta multos allegantes, *cap. Qui poſt* 5. *de Regularib. in* 6. extinguat priorem, ſi fuit ejuſdem rationis, ſaltem non extinguit, ſi eſt diverſæ; & ſi illud, quod emiſit, fuit votum caſtitatis durante Matrimonio, non licet illi agere contra caſtitatem, nec poteſt petere debitum, ſed ſolùm reddere, niſi diſpenſetur.

Dixi ſuprà, quinque potiſſimùm impedimenta enume- 64 rari, Matrimonium impedientia, nam præter prædicta, ubi contractus clandeſtinus non eſt impedimentum dirimens,

mens, eò quòd Tridentinum ibidem non ſit receptum, eſt ſaltem impedimentum impediens; quia ut dicitur, *Seſſ.24, c.1* Sancta DEI Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis Matrimonia Clandeſtina ſemper deteſtata eſt, ut patet ex variis capitulis in margine citatis.

65 Alterum adhuc impedimentum eſt omiſſio triplicis Denunciationis, ſeu proclamationis, ne enim multa Matrimonia cum occultis impedimentis dirimentibus contraherentur, præcepit Trident. *loc.cit.* ut antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, (intellige, vel per ſe, vel per alium de ejus licentia) tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publicè denuntietur, inter quos Matrimonium ſit contrahendum, quod præceptum, quoad ſubſtantiam ſuam, ut ſcilicet ter, & in utriuſque Deſponſati Parochia juxta Declarationem Cardinalium, & receptam praxim denuntiatio fiat, ſub gravi peccato obligat, ita ut non facilè cum aliquibus inſignibus DD. ſit aſſerendum, unius tantùm denuntiationis omiſſionem, quando moraliter certum eſt, nullum impedimentum dirimens detectum iri, levis ſolummodò peccati materiam eſſe: ſicut etiam conſcius impedimenti, quando ſperat, ſe aliquid effecturum, nec gravioris mali, vel ſcandali cauſam futurum, ſub gravi peccato obligatur detegere impedimentum, ſaltem coram Parocho, qui inhibito Matrimonio, ſi opus fuerit, illud ad Epiſcopum deferat: quòd ſi verò ſine infamia alicujus occultum impedimentum detegi non poſſet, per ſe loquendo iſte privatim priùs monendus eſſet, ut Matrimonium impedire curaret: tamen quoad alias circumſtantias, ſine quibus adhuc æquè obtinetur finis talium denuntiationum, videtur tantùm peccatum veniale, vel omninò nullum eſſe, ſi aliquæ non obſerventur, ut ſi uno, vel altero die feſto, etiam non immediato, denuntiationes intermittantur, imò quando tres dies feſti eſſent ita continui, ut nullus ferialis intercederet, expediret potiùs interrumpi denuntiationes, ut interea faciliùs impedimenta ad Parochum deferri poſſent. Item, ſi denuntiationes fierent die feriali coram frequenti tamen populo, vel extra Eccleſiam, aut Miſſarum ſolemnia, loco tamen competenti.

66 Cæterùm ſicut aliæ Leges Eccleſiaſticæ non obligant cum gravi damno boni communis, vel privati, ideò quando ad illud evitandum neceſſe eſt contrahi Matrimonium ſine præmiſſis denuntiationibus, & ſi ordinarius pro diſpenſatione (quam Parochus nequit concedere) tam citò adiri non poſſit, vel ſi is injuſtè diſpenſationem neget, Matrimonium licet contrahere omiſſis denuntiationibus, quòd ſi tamen cauſæ tantæ non ſint, ut exigant, eas omninò omitti, ſaltem Matrimonio contracto poſtponi debent, & conjuges ſub gravi peccato tenentur conſummationem Matrimonii tamdiu differre, niſi moraliter certi ſint, nullum impedimentum dirimens occurrere poſſe, quo in caſu probabilis eſt multorum opinio, illos à gravi peccato excuſari.

67 Addunt aliqui tertium adhuc impedimentum, non quidem contrahendi, ſed conſummandi Matrimonium, ſi nimirum ſolemnes Eccleſiæ benedictiones ij Coniuges non receperint, quibus dari ſolent, ſolent autem dari primum Matrimonium contrahentibus, vel viduis in proximo Matrimonio non benedictis, ſi autem unus contrahentium jam aliquando fuit benedictus, alter nunquam, conſuetudo loci attendenda eſt; nam in aliquibus locis neuter Conjugum ſolet benedici *juxta cap. Vir, de ſecundis Nuptiis*, in aliis propter conſuetudinem derogantem cit. cap. ſolet uterque benedici: verùm ſeclusò ſcandalo & contemptu, Navarro, Palatio, Philiarcho, & aliis quibuſdam probabile videtur (quamvis oppoſitum teneat Cajetanus, uterque Sotus, Victoria, Henriquez & valdè probabile aſſerat Tannerus *diſp.8. num 135.*) neque ſub peccato veniali conſummationi Matrimonii ejuſmodi benedictiones præmitti debere, quia Concilium non præcipit, ſed hortatur ad illas præmittendas. Itaque hoc tertium nullum eſt impedimentum: priora duo autem ad impedimenta dirimentia revocantur, quia primùm verè eſt tale juxta Tridentinum, poſteriùs verò eſt reductivè tale, cùm abſque denuntiationibus culpabiliter contrahentes iiſdem pœnis afficiantur, quibus clandeſtinè contrahentes.

ARTICULUS II.

De impedimentis dirimentibus Matrimonium, quoad ejus valorem.

IMpedimenta dirimentia, ſeu annullantia Matrimonium ſubſequens, his verſibus indicantur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen.
Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas,
Ætas, Affines, ſi Clandeſtinus, & Impos;
Raptave ſit Mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

§. I.

De impedimento erroris, & conditionis ſervilis & Voto.

SUMMARIUM.

68 *Error in perſona, non autem in qualitate perſonæ dirimit Matrimonium.*

69 *Excipe qualitatem ſervitutis, ſi perſona libera cum ſerva propriè dicta ignoranter contraxit.*

70 *Votum ſolemne Caſtitatis, & in Societate noſtra etiam Votum ſimplex, quo in eam adſcribitur, dirimit Matrimonium.*

UT Error jure naturali ob defectum conſenſus in hoc objectum teſte S. Thoma 4. *diſtinct 30. quæſt.1. art.2. in C. & ad 4. & ad 5.* & omnibus aliis DD. dirimat Matrimonium, debet eſſe circa perſonam, non verò circa qualitatem perſonæ, niſi illa qualitas ſit individualis determinatio ipſius perſonæ, adeòque error in illa ſit error in perſona, ut ſi velles contrahere cum majore natu, ſeu primogenita, & tibi ſiſteretur ſecundo genita: ſi autem hanc quacum contrahis, tantùm putas eſſe primogenitam, & ſi tua intentio non feratur in illam, quatenus eſt primogenita, nondum fuit error in perſona: vel niſi conſenſus in Matrimonium formaliter fuerit conditionatus, qualitatem perſonæ non per modum cauſæ moralis, aut finalis, impellentis, ſed per modum conditionis reſpiciens: in foro externo tamen, niſi conditio fuerit expreſſa, præſumitur fuiſſe abſolutus: vel denique niſi qualitas, circa quam erratur, ſit jure poſitivo excepta, uti eſt ſola ſervitus, de qua nunc dicemus. 68

Vox *Conditio* denotat hìc ſtatum hominis: quando enim ſponſus eſt liber, ſponſa verò conditionis ſervilis, ſeu ſerva propriè dicta, & non tantùm adſcriptitia, ſeu originaria, ſeu de gleba, ut vocant, præcisè ad ſervile aliquod opus præſtandum Domino cuidam adſcripta, aut ex tali originem trahens; vel è contra, quando ſponſa eſt libera, & ſponſus ſervus, & ſi illam ſervitutis conditionem ea pars, quæ libera eſt, ignoravit, irritum eſt Matrimonium juxta *cap 2. & 3. ultimum de conjugio ſervorum* & *cap. Si quis ingenuus 29. quæſt.2* Quia, ut cum Sancto Thoma 4. *diſtinct 36. quæſt. unic. art.1.* communiter advertunt Doctores, Eccleſiaſticum Jus ob nimiam ſtatus inæqualitatem, & juris imperfectionem, quod ſervus habet in ſuum corpus, conjugio valdè præjudicialem, æquum putavit, irritare Matrimonii contractum, niſi ſit perfectè voluntarius, & pars libera ſponte inæqualitatem ſubeat, juxta exceptionem *cap. Si fœmina, cap. Si quis liber, cap. Si quis ancillam, 29. quæſt.2.* vel niſi ſervitus alterius contrahentis ipſo facto tolleretur, quo modo cenſeretur tolli, ſi Dominus cum ſua ſerva contraheret, etiamſi ignoraret eſſe ſuam ſervam, vel ſi ignoranti ſtatum ſervilem ipſius Sponſæ, Dominus eam in uxorem traderet, vel tacens, ac ſciens accipi ſineret abſque proteſtatione de ſervando ſuo jure: in his enim caſibus Dominus hoc ipſo cenſeretur manumittere ſervam in favorem Matrimonii & non potiùs ſupponere invaliditatem Matrimonii, juriſque ſui indemnitatem. 69

Per votum intellige ſolemne caſtitatis in religione approbata validè emiſſum: votum enim ſimplex caſtitatis, 70

excepto eo, juxta Bullam Gregorii XIII. quæ incipit : *Aſcendente*, quo quis ſimul cum voto paupertatis, & obedientiæ Religioſis Societatis adſcribitur, tantùm impedit Matrimonium, ut ſuprà dictum eſt, ſed ſolemne contractum matrimonialem ſubſequentem dirimit *juxta cap. Meminimus* , *& cap. Rurſus* . *Qui Clerici* , *vel voventes* . *Et cap. unicum de Voto in 6.* Et juxta Trident. *ſeſſ.* 24. *can.* 9.

§. II.

De Impedimento Cognationis.

S V M M A R I U M.

71 *Quæ cognatio ſpiritualis, & inter quas perſonas Matrimonium dirimat.*

72 *Quæ cognatio Legalis, ſive qualis Adoptio Matrimonium dirimat.*

73 *Inter quas Perſonas hoc impedimentum dirimens contrahatur.*

74 *Quædam impedimenta ex Iure Civili non ſunt recepta à Iure Canonico.*

75 *Cognatio Legalis ſuperveniens Matrimonio contracto non impedit facultatem eo utendi.*

76 *Qomodo diſtinguantur gradus Cognationis Naturalis* , *& inter quos gradus ipſa Matrimonium dirimat.*

71 COgnatio ſecundùm omnia tria genera, in qua à Jure Canonico recepta dividitur, dirimit Matrimonium. Primum genus eſt cognatio ſpiritualis , quæ jure novo Tridentini , reſtringentis antiquum magis amplum , contrahitur tantùm à baptizante, & Patrino, tum Baptiſmi , tum Confirmationis , reſpectu baptizati, aut confirmati, & Parentum ejus, ut ſtatuitur in toto titulo *de Cognatione ſpirituali* , & *cap.* 1. *eodem tit. in 6.* & Tridentin. *ſeſſ.* 24. *cap.* 2. Undè ex duplici aſſignato reſpectu tantùm oritur cognatio Paternitatis , & Compaternitatis.

72 Secundum genus eſt Cognatio Legalis , orta ex adoptione, quæ iterum duplex eſt, ut ex communi doctrina etiam tradit S. Thomas 4. *diſt.* 42. *q.* 2. *ar.* 1. *ad* 1. Una dicitur perfecta, ſeu Arrogatio, qua nimirum perſona extranea ſui juris exiſtens, reſcripto Principis tranſit in poteſtatem, & familiam adoptantis, ſicut alii filii legitimi : alia imperfecta appellatur, qua ſcilicet perſona extranea, licèt ſui juris non exiſtens, auctoritate cujuſdam judicis juriſdictionem habentis, in filium vel nepotem, aſſumitur, qui tamen patri adoptivo non ſuccedit neceſſariò ex teſtamento, ſicut ſuccedit arrogatus , ſed ſolùm ab inteſtato.

An autem ex utraque hac cognatione legali, an ſolùm ex perfecta, ſeu Arrogatione in familiam, dirimatur Matrimonium contrahendum, non conveniunt Auctores, & tam affirmativa , quàm negativa ſententia eſt multis communis : mihi probabilior videtur negans ex Adoptione imperfecta dirimi Matrimonium , etiam inter Patrem, & filiam adoptatam , quam tenet Innocentius , Sylv. Henriq. Pet. Ledeſina, Thom Sanchez, Tan. Hen. Caniſius, Laym. Coninck, *diſp.* 30. *dub.* 3. *in Fine*. Quia licèt Adoptio imperfecta, ſeu ſpecialis, ſub vocabulo generico adoptionis in ſenſu ſatis proprio contineatur, cùm tamen impedimenta Matrimonii in ejus favorem ſint reſtringenda, quando non clara Lege ſtatuuntur , & cùm impedimentum cognationis Legalis ſolummodo ortum ſit ex legibus Civilibus 14. 17. *&* 55. *ff. de Ritu nuptiarum*, loquentibus de Adoptione perfecta , & approbatis à Jure Canonico *cap. Ita diligere cap. Per adoptionem* 30. *quæſt.* 3. *cap. unico de Cognatione legali* : ideò rectiùs de magis propria cognatione Legali prædictum impedimentum intelligitur.

Quod ex eo etiam confirmatur , quia ut proximè dicemus , impedimentum cognationis legalis per ſui extenſionem dirimit etiam Matrimonium inter filios , & filias naturales , ex una parte , & inter filios , & filias adoptivas ex altera parte (non autem inter filiam , & filium , ſi uterque ſit adoptatus , neque enim ſimplex vinculum adoptionis ſtatuitur , ut ſufficiens ad cognationem fraternitatis legalis) atqui inter hos juxta cit. Legem 17. eatenus extenditur , & manet impedimentum dirimens , quatenus ſunt , & perſeverant eſſe in eadem familia, neque poteſt per ſimplicem , ſeu imperfectam adoptionem induci cognatio fraternitatis legalis : ergo per ſolam adoptionem perfectam, qua perſona adoptata tranſit in familiam adoptantis, oritur impedimentum dirimens Matrimonium titulo Cognationis legalis, quamvis propter firmiorem reverentiam debitam patri adoptanti non perinde tollatur Vis dirimendi Matrimonium per emancipationem ſublata patria poteſtate , ſicut tollitur Vis prædictæ fraternitatis legalis , ut mox patebit.

Declarata itaque Cognatio Legalis ex Adoptione perfecta , quatenus verſatur in linea recta , dirimit pro omni tempore Matrimonium , ſcilicet inter patrem, & puellam adoptatam in filiam , aut neptem , ut ſtatuitur L. *Quin etiam* 55. *ff. de Ritu nuptiarum*, & approbatur à Jure Canonico *cap. Ita diligere* 30. *quæſt.* 3. quod impedimentum à quibuſdam apud Palao *diſp.* 4 *pun.* 9. *num.* 12. extenditur ad omnes deſcendentes Filii , aut filiæ , aut nepotis , aut neptis adoptatæ ſine termino ; quia putant ſic extendi Cognationem Conſanguinitatis , & ad ejus normam regulari Cognationem Legalem : à quibuſdam verò aliis ex eodem fundamento extenditur uſque ad quartum gradum incluſivè . Verùm nullibi in Jure habetur , Cognationem Legalem Conſanguinitati conformari in linea recta, quemadmodum nec ab Adverſariis dicitur , conformari in linea tranſverſa , & longè etiam eſt diſpar ratio : quia vinculum Cognationis Legalis non ita ad Poſteros , ſicut ſanguis per phyſicam propagationem transfunditur, nec pari efficacia etiam amor dilatatur, ut ad impediendam inde fornicariam copulam , legitima quoque prohiberi debuerit, nec denique credendum eſt , Eccleſiam in tantam impedimenti extenſionem conſenſiſſe , utpote quæ Cognationem Spiritualem , longè majori reverentia dignam , magnopere reſtrinxit . Æquè gratis , & ſine omni Juris diſpoſitione aſſeritur ab Henriq. Cognationem legalem , ſaltem uſque ad ſecundum gradum protendi , quemadmodum affinitas in copula fornicaria , cum qua tamen neque majorem , quàm cum affinitate legitima proportionem habet. Itaque rectiùs cum Tho. Sanchez, Gaſp. Hurtado , Coninck, Palao, Dicaſtillo negatur, Cognationem legalem ad ullum deſcendentem adoptati transfundi , niſi (quam exceptionem etiam obſervat S. Thom. 4. *diſt.* 42. *quæſt.* 2. *ar.* 3. *in C. &* *ad* 4.) tempore adoptionis fuerit ſub illius patria poteſtate , tunc enim *juxta Leg. Si Paterfamilias* 15. *& Leg. Arrogato ff. de Adoptionibus* etiam ipſe cenſetur adoptatus. 73

Extenditur autem ulteriùs , ut iterum cum S. Thom. *loc. cit.* tradunt DD. cognatio Legalis ad lineam tranſverſam inter perſonam adoptatam, & inter filios, ac filiasfamilias naturales legitimos (non autem illegitimos , aut pariter tantùm arrogatos) patris adoptantis ; Duratque in Ordine ad diremptionem Matrimonii inter illos contrahendi, donec ſaltem alterutra pars contrahentium quacunque ratione ex patria poteſtate eximatur, ut expreſsè habetur *in leg. per adoptionem* 17. *ff. de Ritu nuptiarum*, & *in cap. Per adoptionem* 30. *q.* 3. & *c. Un. de Cognatione Legali*.

Denique ad modum carnalis Affinitatis ex Cognatione Legali inducitur quaſi Affinitas Legalis, ac perpetua, etiam ſublata patria poteſtate perdurans, inter Uxorem patris adoptantis (hæc enim non appellatur mater adoptans) & maſculum adoptatum, vel inter patrem adoptantem, & uxorem adoptati, ut exprimitur *in leg. Adoptivus* 14. *ff. de Ritu nuptiarum*, quæ lex, quamvis claro textu Juris Canonici non inveniatur approbata, tamen per extenſionem *cap. Ita diligere* à DD. & Eccleſiæ praxi communiter eſt recepta.

Alia verò impedimenta ſolo Jure civili ſtatuta , & à Canonico non ratificata, non dirimunt Matrimonium, quia in hoc contractu Sacramentali Civiles leges ab Eccleſiaſticis vigorem accipiunt, ut indicatur *in cap. ult. de Secundis nuptiis*. Undè Henricus Caniſius *in cap. unico de Cognatione legali* non rectè extendit impedimentum dirimens ad aſcendentes, & deſcendentes adoptantis, & adoptati, etſi *in Lege quin etiam* 55. *ff. de Ritu nuptiarum* legatur, *Patris adoptivi mei matrem, aut materteram, aut neptem ex filio uxorem ducere non poſſum*. 74

Æquè parùm vim habet *Lex Adoptivus* 14. *cit.* ſtatuens Cognationes ſerviles inter perſonas manumittentes, & manumiſſas, ad dirimendum inter illas Matrimonium, & LL. quæ de Matrimonio diſponunt, *Cod. de Interdicto Matrimonio, inter pupillam, & tutorem, ſeu curatorem, filioſque eorum*.

75 Ultimò circa Impedimentum Cognationis Legalis ex Tamb. *de Sacram. lib. 8. tra. 1. cap. 5. §. 3. nu. 10.* advertendum eſt, quòd licèt in aſſignatis perſonis dirimat Matrimonium contrahendum, tamen non impediat licitum uſum, ſi antecedenter fuit contractum.

76 Tertium genus eſt Cognatio Naturalis, ſeu Conſanguinitatis, quæ teſte D. Thom. 3. *diſt.* 40. *quæſt. un. art.* 1. ferè ab omnibus recepto, eſt vinculum, ſeu propinquitas perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium, dirimit Matrimonium antiquo jure uſque ad ſeptimum gradum incluſivè *juxta cap. ad ſedem* 35. *quæſt.* 5. nunc autem uſque ad quartum gradum incluſivè ſive ex legitima ſive fornicaria procreatione conſtitutum *juxta cap. non debet de Conſanguinitate, & affinitate*. (In impedimento enim conſanguinitatis utriuſque copulæ eſt par ratio; licèt impedimentum Affinitatis tantùm contrahatur uſque ad ſecundum gradum incluſivè per copulam fornicariam.) Diſtinguitur nimirum conſanguinitas per Lineas, & Gradus; Linea nihil aliud eſt, quàm ordinata connexio, vel ſeries perſonarum ab uno ſtipite deſcendentium (quem in arbore conſanguinitatis medio loco ſecundùm caput expreſſum aliqui Petrutium, Canoniſtæ verò hominem præpoſitum, vel hypotheticum vocant) in qua ſi unus ab altero originatur, dicitur cum illo eſſe in linea recta, continetque hæc linea aſcendentes, nempe progenitores, & deſcendentes, nempe progenitos, ſi autem unus non originatur ab altero, in linea tranſverſa ponitur, ut frater reſpectu fratris, aut ſororis; gradus autem nihil aliud ſunt, quàm certa diſtantia à generante, vel genito in linea recta, vel à communi ſtipite, ſeu genitore in linea tranſverſa. Undè tot gradibus in linea recta unus ab altero diſtat, quot generationibus ab illo procedit, & in linea tranſverſa ſecundùm jus Canonicum, quòd hìc ſpecialiter attendendum præcipitur, *cit. cap. Ad Sedem*, tot gradibus unus ab altero differt, quot generationibus quilibet eorum à communi ſtipite propagatur, ſi lineæ æquales ſunt, vel quot generationibus is, qui à ſtipite remotior eſt, ſi lineæ ſint inæquales.

§. III.

De Impedimento Criminis.

S U M M A R I U M.

77 *Matrimonium contrahere inter ſe nequeunt, qui ejus contrahendi intuitu, communicato Conſilio, & opera, alterius contrahentis maritum, vel Uxorem occiderunt.*

78 *Si defuit dicta Matrimonii contrahendi intentio, & manifeſtatio, per ſolum homicidium non contrahitur hoc impedimentum.*

79 *Similiter etiam non contrahitur, ſi defuit alterutrius cooperatio, aut ſi machinationem mortis, effectus non eſt ſecutus.*

80 *Poteſt tamen ille cooperationis defectus ſuppleri per acceſſionem adulterii.*

81 *Requiritur verò in tali caſu, ut homicida mortem inferat ex intentione determinata cum hac perſona contrahendi Matrimonium, quacum adulterium commiſit.*

82 *Solum etiam adulterium, ſine homicidio, dirimit Matrimonium cum adultera poſt mortem prioris Uxoris contrahendum, ſi ante adulterium ambo iniverunt Sponſalia, priùs non revocata, vel ſi iniverunt poſt adulterium, etiamſi deinde fuiſſent revocata.*

83 *Sine Sponſalibus autem, ſolum adulterium non dirimit Matrimonium.*

84 *Imò neque cum Sponſalibus, ſi ea tantùm fuerunt ficta.*

85 *Vel ſi ea non fuerunt mutua.*

86 *Utrumque impedimentum Criminis, ſcienter commiſſi dirimit Matrimonium, etiamſi pœna hujuſmodi non fuerit præcognita; quia vis dirimendi non eſt ſtatuta, ut pura pœna.*

CRimen, Matrimonium dirimens cum ea perſona, intuitu cujus commiſſum eſt, duplex in Jure ſtatuitur, 1. eſt occiſio Uxoris, idem contra nonnullos dicendum eſt de occiſione mariti, ut clarè colligitur *ex cap. ſi quis vivente* 31. *quæſt.* 1. & *cap.* 1. *de Converſione infidelium*; quando nimirum vir conjugatus uxorem, vel mulier conjugata maritum ex intentione Matrimonii cum alia perſona contrahendi, mutuò inter utrumque de novo contrahere volentem manifeſtata, & conjuncta utriuſque opera phyſicè, aut moraliter occidit, in tali enim caſu Matrimonium, inter ambos homicidas contrahendum, expreſsè irritatur in cit. *cap.* 1. *de Converſione infidelium*, ubi nulla fit mentio adulterii, ab aliquibus contra communem aliorum ſenſum inſuper requiſiti, ſed ſolius homicidii à Saracenis, quantumvis adhuc infidelibus, & proindè Legi Eccleſiaſticæ nondum ſubjectis, ſuaſu Catholicarum fœminarum circa eorum maritos, ex intentione mutuò manifeſtata contrahendi inter ſe Matrimonium, commiſſi, & Legi futurum contractum irritanti ex vi Eccleſiaſticæ Juriſdictionis in Catholicas fœminas annexi, etiamſi enim ipſæ fœminæ ſuos Sponſos per inita cum illis Matrimonia ad fidem Catholicam converterint, cùm, ut dicitur in cit. cap. tale damnum (ſcilicet injuſtæ occiſionis) tali lucro, (ſcilicet Matrimonii intenti adeptione) Eccleſia compenſare nolit. 77

Ad hoc verò impedimentum dirimens ſubeundum in primis non ſufficit, ſi mutua ad homicidium cooperatio non fiat ex intentione contrahendi ab homicidis Matrimonii, quamvis fieret ex quacunque alia intentione v. g. liberiùs deinde extra Matrimonium vacandi libidini, ut ex communi advertit Sanchez *lib. 7. diſp. 78. nu. 16.* unde in allegato cap. approbatur Matrimonium aliorum Saracenorum ad fidem converſorum, initum cum Catholicis fœminis, quarum maritos in bello, licèt injuſto, ex alia intentione occiderant. 78

Secundò. Non ſufficit, quando intentio Matrimonii contrahendi non eſt mutuò manifeſtata, ut cum Pontio notat Tambur. *lib. 8. de Sacram. tract. 1. cap. 6. §. 1. numer.* 3. quia Eccleſia vult illud periculum præcavere, quod conjugi innocenti immineret ex aliorum mutuò manifeſtata intentione Matrimonii, tanquam idonei, & ordinarii medii ad libidinem liberè explendam.

Tertiò. Non ſufficit, ſi mors ab alterutro contrahente neque phyſicè, neque moraliter illata, ſed poſtea tantùm ratificata eſt: ratihabitio enim in pœnalibus ſine expreſſa Lege id ſtatuente non retrotrahitur, ut mandato æquiparetur, quamvis id fiat in contractibus, vel in aliis actionibus requirentibus conſenſum ratihabentis. 79

Quartò. Non incurritur prædictum impedimentum, ſi machinationem mortis effectus non eſt ſecutus, ut teſte Sanchez *loc. cit. n* 27. docent omnes Theologi, & Juriſtę *ex cap. ſi quis vivente* 31 *quæſt.* 1. quamvis autem *in cap.* 1. *& 3. & 6. de eo, qui duxit*, nihil dicatur de effectu, ſubintelligitur tamen, quia ſine eo machinatio non eſt conſummata, & perfecta, in quo rigore poſtea etiam adulterium accipiemus, ſcilicet pro copula perfecta, & ex ſe apta ad generationem prolis.

Alio modo ex crimine homicidii contrahitur impedimentum dirimens, ſi ipſum ex intentione contrahendi Matrimonium, quantumvis, ut conſentiunt DD. nec mutua, nec manifeſtata ab uno tantùm commiſſum eſt, &, ſi vel ante, vel poſt ejus patrationem nondum ſtatim ſecuta morte, verum, & conſummatum adulterium, utrique parti, ut vult Thom. Sanchez *nu.* 12. & Tamb. *loc. cit. §.* 2. *num.* 6. certò aut probabiliter cognitum, dum committeretur, acceſſit, deſumitur ex decreto *cap. Super hoc, & cap. ſignificaſti, de Eo, qui duxit*: *cap. ſi quis vivente* 31. *quæſt.* 1. quamvis Innocentius, Hoſtienſis, D. Antoninus, & quidam alii, relati à Sanchez *num.* 9. contra communiorem ſententiam, etiam in hoc caſu non requirant acceſſionem adulterii, eò quòd cum adulter, ſpe Matrimonii, priore ſoluto ineundi, ad illius ſolutionem illa morte obtinendam alliciatur, conveniens, ac neceſſarium fuerit, ut ejuſmodi mortis illatio 80

irrita-

irritaret Matrimonium, procuratam viduitatem ſubſequens: ob quam cauſam, ne ambo contracturi in necem prioris conjugis conſpirent, ejus ſolus, juncta opera, & intentione mutuò manifeſtata, patratio ſufficit ad dirimendum Matrimonium ſubſequens.

81 Verùm, quia non eſt omnimoda paritas rationis, eò quòd in poſteriori caſu majus ſit periculum necis injuſtæ, quando duo contracturi ad eandem ſe mutuò, & manifeſtata intentione animant, & ſaltem moraliter cooperantur Et quia in cit. capitulis, in quibus eſt ſermo de homicidio, ab uno tantùm commiſſo ſemper etiam fit mentio adulterii, ut etiam fit à S. Thoma 4. *diſt.* 37. *qu.* 2. *art.* 2. *in C.* ideò lex odioſa, ac pœnalis non debet in præjudicium Matrimonii ultra expreſſum ſenſum verborum, contra communem aliorum DD. ſenſum extendi ad homicidium ſine adulterio, etiamſi, ut quidam innominati apud cit. Sanchez *num.* 11. immeritò exiſtimant ſufficere, promiſſio Matrimonii interveniſſet. Rectè tamen idem Auctor *num.* 18. & cum eo Coninck, Laym. Amicus, aliique communiter advertunt, impedimentum non oriri, ſi quis priorem uxorem interfeciſſet ex intentione nondum expreſsè directa ad illam perſonam, quacum adulterium commiſit, ad tantùm implicitè, & indeterminatè, & quaſi in genere in eam tendente. Imò Palao *diſp.* 4. *punct.* 12 *num.* 5. inclinat, quamcunque intentionem indeterminatam, etiam expreſsè ad unam, vel alteram perſonam è paucis directam, non ſufficere ad inducendum impedimentum dirimens, quia intentio indeterminata reſpectu nullius fœminæ poteſt ſimpliciter dici intentio contrahendi cum illa Matrimonium.

82 Secundum crimen, quo Matrimonium ſubſequens dirimitur, eſt Adulterium verum, & conſummatum, ab utroque adulterante cognitum, ut tale (quæ cognitio expreſsè requiritur *in cap. Veniens* 7. *de Eo, qui duxit*) modò intervenerit etiam promiſſio Matrimonii de præſenti, quantumvis invalida, aut de futuro, eaque promiſſio, ſi fuit ante adulterium facta, non fuerit priùs revocata; ſi verò poſtea primùm fuiſſet revocata, vel ſi poſtea primùm fuiſſet facta, licèt adhuc ante mortem mariti, aut uxoris, adulterio læſorum fuiſſet revocata, jam daretur impedimentum dirimens: quod ſtatuitur *in cap. ſignificavit* 2. *& cap. ſignificaſti* 6. *& cap. Finali, de Eo, qui duxit.* Ubi pro ejuſdem impedimenti exiſtentia plus non requiritur, quàm ut promiſſio Matrimonii aliquando extiterit, durante priori conjugio, & interventu adulterii ſimul allicientis præbuerit periculum, illud per injuſtæ mortis illationem diſſolvendi: quale proindè periculum jam fuit poſitum, ſi promiſſio ante adulterium non fuit revocata, quamvis fuerit revocata ante mortem conjugis adulterio læſi.

83 Quòd autem ſolum adulterium ſine promiſſione Matrimonii non ſufficiat ad illud dirimendum, expreſsè habetur *in cap. ſignificaſti, de Eo, qui duxit*, & *cap. Denique cap. Si quis vivente* 31. *quæſt.* 1. Undè quando, hujus promiſſionis ſubinde in jure non fit mentio, ea tamen ſemper ſupponitur, & quando *in cap.* 1. *de Eo qui duxit* leguntur hæc verba: *Licèt autem in Canonibus habeatur, ut nullus copulet Matrimonio, quam priùs polluerat adulterio, & illam maximè, cui fidem dederat uxore ſua vivente*: particula *maximè non* ponitur ad augendam veritatem objectivam, ſed ad illam complendam, habetque ſenſum particulæ *tantùm*, ut Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 78. *num.* 1. illam exponit, & expreſsè habetur *in cap. ſi quis uxore vivente* 8. *De eo, qui duxit.*

84 Controvertunt tamen adhuc Doctores primò, an ſufficiat, ſi adulterium conjungatur cum promiſſione ficta. Affirmat Sanchez *diſp.* 79. *num.* 10. plures referens: Guttierez, Coninck, Palao, eò quòd, ſi fictio non potuit adverti ab altera parte (qualem fictionem auctores hìc ſupponunt) idem detur periculum inferendæ mortis; ob quod ſtatuitur impedimentum dirimens, ortum ex promiſſione vera, & præterea idem detur actus externus, quem Eccleſia potiſſimùm attendit. Negant tamen probabiliùs Henriq. vocans ſuam ſententiam communem, Saà, Em. Rodriquez, Rebellus, Laym. Hurtado, Amicus: ſicut enim finis non cadit ſub legem, ſic neque debet extendi, niſi actus per Legem expreſſos, promiſſio autem ficta non eſt expreſſa, cùm, quod eſt præcipuum in promiſſione, nempe conſenſus internus ipſi deſit; & quamvis etiam promiſſio invalida non ſit propriè promiſſio, eò quòd non pariat obligationem, hanc tamen ipſam expreſsè requirit lex irritans Matrimonium, hoc ipſo, quòd requirat promiſſionem, quæ ob irritationem Matrimonii non poteſt eſſe valida. Quando autem dicitur, quòd Eccleſia potiſſimùm attendat ad actum externum, intelligendum id ſemper eſt de actu externo, prout habente ſuum valorem ab actu interno, qui in foro externo præſumitur etiam adfuiſſe, niſi contrarium probetur.

Major videtur eſſe controverſia, utrùm ſufficiat promiſſio vera, ab una tantùm parte facta, & ab altera acceptata (ſi enim non eſſet acceptata in rigore juris, non vocaretur promiſſio, ſed pollicitatio, neque obligationem fidei, ſeu fidelitatis, ſeu ad ſummum veracitatis, & ſolummodo venialem, imò levis cauſæ excuſantis interventu omninò nullam pareret) affirmat Sanchez, *diſp. cit. nu.* 24. cum Soto, Angles, Lopez, quibus accedit Coninck, Præpoſitus (aliàs Jo: Antonius Georgius appellatus) Pontius, Hurtad. Rebellus, Palao, & hoc teſte alii communiter. Mihi tamen videtur probabilior ſententia negativa Ugolini, Henriquez, Bellar. cui etiam favent plures relati à Sanchez *num.* 19. & inclinat Laym. ac Gloſſa *in cap. ſignificaſti, de Eo, qui duxit*, quia textus juris præter adulterium requirentes fidem datam, juxta ſubjectam materiam intelligendi ſunt. Atqui in materia matrimoniali fides data ſolet eſſe mutua, non mutua autem, etiam acceptata, juxta aliquos DD. non obligat, ſaltem ſub gravi, ut alibi retulimus, vel ſi veram, & gravem obligationem ſecundùm probabiliorem aliorum ſententiam inducit, eſt tamen non talis fides, quæ ſit accommodata ſubjectæ materiæ, ſeu ordinariè dari ſolita, & hæc ſola proindè dicenda eſt *in cap.* 1. *&* 6. *&* 7. *de Eo, qui duxit*, æquiparari homicidio cum adulterio, non quòd eodem modo poſſit fieri ab una tantùm parte, ſed quòd eandem vim habeat dirimendi Matrimonium. 85

Confirm. 1. Hoc enim impedimentum inducitur in pœnam utriuſque partis, hinc adulterium debet eſſe utrinque cognitum, & formale, ergo etiam promiſſio debet eſſe facta ab utraque parte, ut ſic utraque perfectè, & æqualiter cooperata ſit ad periculum mortis innocenti inferendæ.

Confirm. 2. Quando promiſſio non eſt mutua, etiam dictum periculum non eſt tantum, & ex utraque parte æquale, ergo nondum datur perfectè id, ex cujus ſuppoſitione à Lege ſtatuitur impedimentum dirimens, & hoc verum cenſeo cum Henriquez, etiamſi promiſſioni non mutuæ Juramentum fuiſſe adjectum.

Controuerti poſſet ſecundò. An ſi quis ſcienter quidem commiſerit hujuſmodi crimen, dirimens Matrimonium, neſciverit tamen illi annexam eſſe pœnam Inhabilitatis ad contrahendum illud Matrimonium, propter quod commiſſum eſt crimen, iſte tamen incurrat ſtatutam pœnam. Pro negativa ſententia Diana *p.* 10. *tra.* 13. *R.* 51. refert Baucium *in Miſcellaneis Caſuum Conſcientiæ to.* 2. *Opuſc.* 1. *qu.* 176. iſte verò Author citat Paludanum, Majorem, & Fernandez *in Medulla Caſuum Conſc. p.* 3. *c.* 16. *ſect.* 5. quem ait dixiſſe, hanc ſententiam eſſe Communiorem. Sed iſta non tantùm non eſt communior, verùm neque citati Authores, excepto forſan Fernandez, clarè & poſitivè illam approbant, quamvis cit. Baucius videatur in illam inclinare: proinde affirmativa ab Authoritate, & ratione certa eſt. 86

Neque rationes dubitandi, quæ allegari poſſent; quidquam probant. Ad primam enim, quòd Lex ſtatuens Impedimentum Criminis, ſit Pœnalis, pœnæ autem Legum Civilium, & Canonicarum (paucis exceptis) non incurrantur ante ſententiam Judicis, ſaltem declaratoriam Criminis; facilè reſpondetur, hanc ipſam Legem eſſe unam ex paucis exceptis, ut monui *tr.* 1. *diſp.* 2. *num.* 72. Ratio autem excipiendi illam duplex eſt. Prior eſt, quòd Lex illa non ſit purè pœnalis: ſed præter pœnam intendatur alius finis à ſententia Judicis independens: nempè ſecuritas conjugum per Legem ſtatuentem impedimentum homicidii: & Fides ac amor Conjugalis, per Legem ſtatuentem impedimentum adulterii cum promiſſione futuri Matrimonii, quæ ambo ſimul ſumpta magis adverſantur dicto fini, & fortiùs impellunt ad carnalem amicitiam

inter adulteros, illi fini contrariam, quàm ſolum Adulterium, vel ſola promiſſio futuri Matrimonii. Licèt verò Ignorantia ſtatutæ pœnæ impediat illius vim ad procurandos prædictos fines, & ad abſterrendum ab utroque crimine, hæc tamen non debet excuſare à pœna, ne hujus Ignorantiæ frequenti prætenſione labefactetur lex ſtatuens impedimentum, & ſpe prætendendæ hujus Ignorantiæ frequententur præmemorata crimina, ac finis Legis non obtineatur.

Poſterior Ratio excipiendi legem iſtam Pœnalem à ſententia Judicis, atque etiam à prætenſione ignorantiæ, colligitur ex generali doctrina, à me tradita *tra. 1. diſp.* 2 *num.* 81. Ubi cum aliis DD. univerſaliter aſſerui, omnem legem irritantem *ipſo facto* aliquem actum, reddere illum irritum ante ſententiam Judicis. Ratio hujus univerſalis eſt, quia hujuſmodi lex irritans præter pœnam, ſi quod crimen ſupponit, ſemper intendit alium finem, non ſatis nec univerſaliter obtinibilem, ſi adhuc requireretur ſententia Judicis, vel ſi ignorantia firmaret actum; præterea frequentes lites, ac controverſiæ orirentur de actuum valore. Itaque ex duplici ratione probatur relata affirmativa ſententia, & tollitur præcipua ratio dubitandi in contrarium.

Alia Ratio dubitandi de communi noſtra ſententia poſſet deſumi à paritate legum ſtatuentium cenſuram, quæ ſecundùm communem, & noſtram etiam ſententiam *in tract 2. diſp.* 1. *n.* 23. *&* 24. non incurritur, ſi hæc pœna ignorabatur, & illius ignorantia nec fuit affectata, nec craſſa.

Huic Rationi dubitandi pro reſponſione, atque iterum pro affirmativæ ſententiæ probatione, opponitur diſparitas cum cenſura, quæ eſt pura pœna in punitionem, & emendationem perfectæ contumaciæ inflicta, ipſa autem perfecta contumacia per ignorantiam pœnæ non committitur. At criminis, Matrimonium dirimentis, impedimentum, ut oſtenſum eſt, non eſt pura pœna, & ſtatuitur non præcisè in punitionem, ac emendationem perſonæ privatæ delinquentis, ſed propter bonum commune conjugum, communemque tranquillitatem, Jurisque, ac Fidei Conjugalis conſervationem. Atque ideò potiùs opponitur paritas cum aliis legibus, ſupponentibus quidem crimen, & ſtatuentibus pœnam, ſed partialiter intendentibus alium finem, & propterea independenter à ſententia Judicis, & independenter à cognitione pœnæ vim ſuam habentibus. Hujuſmodi Leges indicavi loco ſuprà citato *ex tr. 1. diſp.* 2. *num.* 72. & referuntur à me in propriis ſuis locis, e. g. Leges decernentes privationem Juris ad petendum debitum propter inceſtum cum perſona Conſanguinea conjugis in primo, & ſecundo gradu, quo quia contrahitur affinitas cum conjuge innocente, iſta non debet quidem privari Jure petendi debitum à conjuge inceſtuoſo, iſte autem privatur non tantùm in pœnam, ſed etiam propter decentiam affinitatis ſervandam, ob quam daretur impedimentum dirimens Matrimonium non jam antè contractum. Item Leges inducentes irregularitatem ex delicto, quibus non ſolùm in pœnam, ſed etiam in ſpecialem Reverentiam Sacramenti Ordinis prohibetur ejuſdem Sacramenti receptio. Huc ſervit etiam Conſtitutio Pii V. qua omninò irritatur Jus Beneficiatorum, faciendi eos fructus ſuos, qui percipiuntur pro die omiſſionis Horarum Canonicarum, non tantùm ut caſtigetur Beneficiatorum negligentia, ſed etiam ut applicatione fructuum ad piam cauſam compenſetur omiſſus cultus Divinus, à fundatoribus Beneficiorum intentus. Quarum idcircò memoratarum legum pœnæ omnes ex communi DD. ſententia incurruntur ab ignaris illarum pœnarum, & abſq; interventu ſententiæ Judicis.

§. IV.

De Impedimento cultus diſparis.

SUMMARIUM.

87 *Matrimonium Baptizati cum non Baptizato validè olim, nunc autem invalidè contrahitur.*

88 *Matrimonium Catholici cum hæretico validum quidem, ſed illicitum eſt, niſi quando & ubi abeſt periculum perverſionis, & malæ educationis liberorum in hæreſi.*

PEr cultus diſparitatem indicatur irritum eſſe Matrimonium fidelis cum infideli, id eſt Baptizati cum non Baptizato, non quidem, quod irritetur jure naturali aut Divino, ſed Eccleſiaſtico, in Eccleſiæ conſuetudine, etſi non in expreſſo textu, fundato, ac poſterioribus temporibus primùm introducto; nam priùs validum fuit Matrimonium S. Monicæ cum viro Pagano, & S. Clotildis cum Clodoveo, nondum Baptizato. Imò S. Auguſtinus *lib. de Fide, & Operibus cap.* 19. ait, hæc Matrimonia per ſe, & ſecluſo alio damno non fuiſſe ſuo tempore putata peccata: adeòque illud S. Pauli 2. *ad Corinth.* 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, nondum fuit intellectum de Matrimonio, vel ſaltem propter graves cauſas potuerunt fieri licita, etiamſi ſucceſſu temporis expreſsè fuerint prohibita ab Eccleſia *in cap. Cave* 28. *quæſt.* 1. 87

Sicut etiam *ibidem*, & *cap. ſequenti* prohibita ſunt Matrimonia cum hæreticis, ne ſcilicet Catholicæ fidei adhærens, periculo perverſionis, pravæ educationis liberorum, & perpetuis rixis exponatur, quæ cauſæ, cùm in Germania, Polonia, & Gallia utcunque ceſſent, ubi hæretici cum Catholicis permixti pacificè habitant, ideò etiam abſque diſpenſatione in his locis hujuſmodi Matrimonia licitè contrahi, modò prædictum periculum, & ſcandalum etiam in particulari abſit, teſtantur Azor, Sanchez, Gaſp. Hurtado, Guttierez, Palao, & conſentit Amicus *diſp.* 21. *num.* 16 meritò tamen improbans pactum, quo pars Catholica cum hæretica contrahens, conſentit, ut filii educentur juxta fidem Patris, & filiæ juxta fidem matris: niſi, ut benè excepit Tan. proximè citandus, ſine tali conſenſu periculum ſit, ne omnes proles in hæreſi educentur: qui etiam *diſput* 8. *quæſt.* 4. *num.* 89. rectè monet, quòd etſi Legi Eccleſiaſticæ per conſuetudinem in prædictis locis eſſet derogatum, ut proindè non eſſet requirendus conſenſus Pontificis, tamen propter recenſita pericula, & ſcandala raró ſecluſa, etiam ibidem regulariter intervenire prohibitionem Legis naturalis, & Divinæ, maximè etiam, quia contrahentes ſibi mutuò adminiſtrant Sacramentum, indiſpoſitio autem ad ſuſcipiendam gratiam, Sacramentum adminiſtrare non licet, niſi neceſſitas urgeat, etiamſi in ſuſcipientis poteſtate ſit, indiſpoſitionem deponere. 88

§. V.

De Impedimento Coactionis. Et utrum ſub iſto contineatur coactio per pœnam Judicialem, per amiſſionem aut duplicatam reſtitutionem Arrhæ, vel per Pœnam Conventionalem.

SUMMARIUM.

89 *Refertur duplex ſententia, negantium, & affirmantium, Judiciali pœna ſponſum, injuſtè reſilientem, cogi poſſe ad executionem Sponſalium, ſaltem Juratorum.*

90 *Aſſeritur univerſaliter poſſe cogi, ſed moderata pœna, etiamſi Sponſalia non ſint Jurata.*

91 *Quid ſit Arrha, & quomodo diſtinguatur à pura pœna conventionali.*

92 *Non repugnat, utrumque facientem Sponſalia ſibi mutuò dare Arrham. Communiùs tamen accipiens Arrham viciſſim obligatur tradenti pœna dupli, vel quadrupli, ſi ipſe fidem Sponſalium injuſtè viola-*

violaverit. Et quomodo requiratur Authoritas Judicis.

93 *Nec arrha, nec pena dupli, aut quadrupli obſtat libertati Matrimonii.*

94 *Nequit tamen arrha conſtitui in quacunque quantitate.*

95 *Refertur cum ſuis fundamentis ſententia affirmans, pœnam conventionalem poſſe validè adjici Sponſalibus.*

96 *Pariter refertur ſententia negans.*

97 *Utraque admittitur, ut practicè probabilis.*

98 *Probabilius tamen adhibetur limitatio, ut valeat contractus conventionalis, ſi pœna ſit modica ac moderata.*

99 *Reſpondetur ad fundamenta ſententiæ, affirmantis valorem pœnæ ſine limitatione.*

100 *Reſpondetur etiam ad fundamenta ſententiæ negantis non admiſſa ulla limitatione.*

PEr coactionem, ſeu vim, Matrimonium dirimentem, ea intelligitur, quæ infertur gravi metu ad extorquendum Matrimonium injuſtè incuſſo, de quo dixi ſuprà. Hic tamen adhuc addo tres quæſtiones.

89 Primò quæritur. An Judex, ſive ſæcularis, ſive Eccleſiaſticus, à Sponſalibus legitimis, ac validis injuſtè volentem reſilire, pœnis ad fidem Sponſalium ſervandam, atque ad Matrimonium de præſenti ineundum ſalva contractus libertate, cogere valeat. Cùm enim cauſa matrimoniali, quando quæſtio non eſt de valore, vel è contra de Jure ſolvendorum Sponſalium, vel Matrimonii (quæ quæſtio potiùs ad forum Eccleſiaſticum ſpectaret) ſit mixti Juris; hinc tam de Judice Civili, quàm Eccleſiaſtico, quæri poteſt, an ſicut ad alios contractus ſervandos, & ad vitanda peccata, ſubditi pœnis intentatis à Judice compelli poſſunt, ita etiam ad ſervandum contractum Sponſalium, à quibus ſine gravi injuria alterius contrahentis recedere non licet.

Negant aliqui apud Sanchez *lib. 1. de Sponſalibus diſp. 29.* Quia *in cap. Requiſivit 17. de Sponſalib.* dicitur. *Cùm libera debent eſſe Matrimonia, monenda eſt potius* (mulier illa, quæ Jurisjurandi Religione neglecta nubere renuit, cui ſe nupturam interpoſito Juramento firmavit) *quàm cogenda, cùm coactiones difficiles ſoleant exitus habere.*

Rurſum affirmant aliqui apud cit. Sanchez, quando Sponſalia fuerunt jurata. Quia *in cap. ex litteris 10. eod. tit.* de Sponſo à juratis Sponſalibus volente reſilire, Alexander III. ſic præcipit. *Quia præ juſto periculoſum eſt, contra ſuum Juramentum venire: Fraternitati tuæ mandamus, quatenus ſi hoc tibi conſtiterit, eum moneat; & ſi non acquieverit monitis, Eccleſiaſtica cenſura compellas, ut ipſam (niſi rationabilis cauſa obſtiterit) in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet.*

90 Tertia ſententia, multò, ut inquit Sanchez, *loc. cit.* probabilior, & communior (nam plurimos adducit cit. Author, & his multos alios addit, atque ſubſcribit Palao *diſt. 1. de Sponſ. punct. 8.*) univerſaliter docet, injuſtè volentem reſilire priùs monendum, & ſi renuat, cogendum eſſe etiam, ſi opus eſt, per cenſuram (aut à Judice ſæculari pœna carceris, vel pecuniaria, aut alia non nimis gravi) niſi attentis circumſtantijs prudenter arbitretur Judex, ex invitis nuptiis gravia mala & ſcandala timenda eſſe, aut perpetuas diſſenſiones, aut jurgia inter conjuges, aut fugam, vel adulteria &c. Probatur hæc ſententia primò per textum *cit. cap. Ex litteris.* Ubi licèt loquatur Pontifex de Juratis Sponſalibus, hoc tamen non fit animo reſtringendi doctrinam, ſed quia propoſitus caſus ita ferebat. Nam obligatio Juſtitiæ æquè per Judicem urgenda eſt, & in aliis contractibus ſolet urgeri: quamvis ſi obligatio Religionis accedat, major & duplex ſit neceſſitas, injuſtè reſilientem compellendi pœnis Spiritualibus, vel temporalibus: quæ ſi obſtarent libertati Matrimonii, obſtarent æquè in Sponſalibus juratis, quàm non juratis. Probatur Secundò. Quia ſuppoſita obligatione Sponſalium neutri parti amplius eſt liberum recedere, & pœna Judicialis ex natura ſua eſt ordinata ad urgendam obligationem, ipſeque Judex ex officio tenetur, penis neceſſariis procurare cuilibet parti Jus ſuum, idque in aliis contractibus, etſi non juratis, præſtat etiam Judex Eccleſiaſticus, ut conſtat *ex cap. 1. 2. & 3. de Pact.* Ergo hujuſmodi penæ Judiciales non obſunt libertati Matrimonii, jam per Sponſalia ademptæ, nulloque Jure à poteſtate Judiciali exemptæ.

Probatur nunc etiam limitatio, ſive moderatio hujus ſententiæ, qua citata dua capitula inter ſe conciliantur. Eadem enim indicatur *in cap. ex litteris* per illa verba: *Niſi rationabilis cauſa obſtiterit:* quæ quando à parte reclamante pro Jure reſiliendi prætenditur, juridicè quidem probanda eſt, ut rectè advertit Palao, *num. 5.* quando autem tantùm ex circumſtantiis Judicis prudentia colligitur, probatione alia non indiget, ut Sanchez *n. 6.* notavit. In *cap. Requiſivit* pariter indicatur prædicta moderatio per verba: *Monenda eſt potius:* id eſt, ut Gloſſa *in cit. cap. Ex litteris verb. Compellas*, explicat: *prius monenda, & poſtea cogenda, niſi acquieſcat.* Sic enim ſervato Ordine, ac moderatione debita, ſatisfit etiam prioribus verbis Capituli *cùm libera debent eſſe Matrimonia*, ſcil. à rigore non neceſſario. Et his: *Cum coactiones difficiles ſoleant exitus habere.* Propterea ſi hujuſmodi timendi ſunt, procedit prædicta ſententiæ noſtræ limitatio. Hinc licet juxta *cit. cap. Ex litteris* injuſtè volens reſilire compelli poſsit cenſura Eccleſiaſtica, actu etiam infligenda, quando tamen neque hac aliquid effici potuit, & ſi reclamans mavult in cenſura perſeverare, evidens ſignum eſt, ex Matrimonio cum tali pertinaciter invito triſtes exitus timendos eſſe. Ideò rectè docet Sanchez *num. 8.* pluribus relatis contra Goffredum, talem à cenſura etiam non petentem tandem abſolvendum, nec finaliter compellendum eſſe. Quia expedit Bono Communi, & privato alterius Sponſi læſi, minus malum permittere, ut evitetur majus malum.

91 Quæritur Secundò. An traditio Arrhæ cum promiſſione, illam alteri relinquendi, ſi fidem Sponſalium ipſi violaverit, Jure naturali, vel poſitivo obſtet Libertati futuri Matrimonii.

Pro reſolutione hujus quæſtionis ſequentia ſunt ſupponenda. Primò. Arrhæ nomine hìc intelligi pignus, quod e. g. Sponſus tradit Sponſæ, hoc pacto, ut ſi abſque juſta cauſa ab illa receſſerit, atque promiſſum Matrimonium non iniverit, illa pignus ſibi non teneatur reſtituere, ſi autem nuptiæ fuerint ſecutæ, & Matrimonium celebratum vel ſine ſua culpa, ſed ex juſta cauſa fuerit impeditum, Sponſa teneatur reddere Arrham, ſive pignus: ſicut quando debitor ſuo creditori dedit pignus pro aſſecurando debito, creditor recepta ſolutione tenetur reſtituere pignus. Itaque ut Arrha fiat caduca, ſeu ut amittatur, debet intervenire culpa tradentis Arrham, ejuſque amiſſio eſt vera pena conventionalis: diſtinguitur tamen à pura pena conventionali per hoc, quòd Arrha debeat fuiſſe tradita; hinc quando eſſet tantùm promiſſa, & non tradita, nullo modo diſtingueretur à pura pena, ut velut certum ex communi DD. ſenſu ſupponit Sanchez *lib. 1. diſp. 35 de ſponſalib. num. 3.* Quia verò tradita eſt ante commiſſam culpam pro evitanda, non autem pro ea luenda, niſi quando culpa fuerit commiſſa, ideò non dicitur pura pœna: Sed primùm fit pena, poſita culpa; tunc verò, quia faciliùs & leviùs fertur rei jam traditæ amiſſio, quàm nova rei traditio, ejuſque amiſſio cenſetur ſaltem eſſe mitior pura pœna.

92 Supponendum Secundò. Etſi communis ſententia apud cit. Sanchez *num. 13.* & apud Palao *diſp. 1. de Sponſalib. punct. 12. § 1. n. 8.* neget, poſſe utrinque ſive ab utroque contrahente Sponſalia, tradi, & viciſſim recipi Arrham, æquè tamen etiam communis & probabilior eſt ſententia utriuſque Authoris, & plurium aliorum, quos citant, poſſe id fieri; quia etiamſi unus tantundem forſitan accipiat, quantum tradit, quia tamen quilibet pro violata fide obligatur, Arrham acceptam reddere, & datam amittere; hinc non eſt inutilis hujuſmodi mutua aſſecuratio. Nihilominus minus eſt uſitata: Sed potiùs & communius Sponſa accipiens Arrham à Sponſo, viciſſim ipſi ſe obligat, & *l. fin. C. de ſponſalib.* obligatur, ut ſi ſua culpa Matrimonium non fuerit ſecutum, Arrham, & ſimul, ſi jam majorennis fuerit, æſtimationem illius reddat, adeòque in duplum reſtituat, vel ex ſpeciali conventione etiam in quadruplum; ita ut præter Arrham adhuc triplam æſtimationem ſolvat: ultra tamen

men quadruplum nequit ſe obligare, neque ullam aliam pœnam ſtipulari, ut expreſsè habetur *in cit. l. fin.* Imò Palao *loc. cit.* §. 2. n 4. exiſtimat, quòd licèt redditio quadrupli ſit pœna conventionalis, illa tamen non debeatur ante ſententiam Judicis, eò quòd pœna Legalis non antè debeatur, & promittens pęnam ſe obliget juxta formam pœnæ legalis. Illud ſaltem ego puto, huic Authori concedendum, quòd ſecluſa alia ſpeciali pactione, pęna dupli, quatenus à *cit. l. fin.* ſtatuta eſt, non debeatur ante ſententiam Judicis. Præterea ſi dubium ſit de Juſtitia, ſive merito cauſæ, recedendi à Sponſalibus, ſententia Judicis utique requirenda eſt; ſicut etiam, ſi quæ alia controverſia interveniat.

93 Nunc ad quæſtionem reſpondeo ex communi ſententia, nec obligationem amittendi Arrham, nec obligationem mutuam in duplum vel quadruplum (etſi quoad hanc dubitet Gregorius Lopez apud Palaò *loc. cit.*) obſtare libertati Matrimonii. Non enim obſtat ex Jure naturali, quia pactio perdendi Arrham, vel reddendi duplum aut quadruplum, in pęnam violatæ fidei eſt juſta, & voluntaria, adeòque non repugnat Juri naturæ. Neque obſtat ex Jure poſitivo, quia à Civili Jure *in leg. Arrhis & in l. fin. C. de Sponſal.* expreſsè conceditur, nec à Jure Canon. improbatur.

94 Circa hanc tamen reſponſionem adhuc dubitatur, an Arrhæ in quacunque quantitate conſtitui poſſint. Affirmant pluribus allegatis Sanch. *cit. diſp.* 35. *n.* 9. & Palao *loc. cit.* § 1. *num.* 6. Quia Leges illimitatè id concedunt. Negant apud eundem Sanchez *num.* 7 ubi horum ſententiam fatetur eſſe valdè probabilem, Joannes Andreas, Henricus, Alexander de Nevo, Petrus Ravenn. Cynus, Roſella, Angelus, Syl. Brunel, qui ajunt, non valere Arrhas, quando tantæ ſunt, ut contrahentium qualitate attenta, veriſimile ſit, fore, ut ſolo timore Arrhas amittendi Matrimonium ineatur.

Horum ſententia etiam mihi videtur probabilior. Primò. Quia ideò permittuntur Arrhæ à Jure utroque, & prohibentur pęnæ, ut paulò pòſt videbimus, quòd Arrhæ communiter in parva quantitate ſive pretio tradantur, pęnæ autem in majore, in qua ratione quantitatis ſupponuntur impedire libertatem Matrimoniorum: ergo ſi Arrhæ non retineant illam mediocritatem, in qua, & ratione cujus ſint permiſſæ, ſed ſi adæquent illam quantitatem, quæ impedit libertatem Matrimoniorum, etiam illæ non ſunt permiſſæ. Cùm enim, ut dicitur *in cap Gemma de Sponſalib. Matrimonia libera eſſe debeant*, generaliter cenſendum eſt, neutro Jure permiſſum, quidquid impedit dictam libertatem. Hinc etiam in reſponſione ad priorem quæſtionem dictum eſt, quòd Judiciales quoque pœnæ moderatæ eſſe debeant.

Probatur ſecundò. Ideò etiam permittuntur Arrhæ, & prohibentur pœnæ, ut dicemus, quia leviùs fertur earum amiſſio, quàm magnæ pęnæ ſolutio; ergo ſi Conſtitutio Arrhæ in magna quantitate traheret ſolutionem magnæ pœnæ, ratione hujus deberet etiam eſſe prohibita Conſtitutio Arrhæ in magna quantitate. Atqui ex parte perſonæ obligatæ, reſtituere Arrham ratione violatæ fidei in duplum, vel in quadruplum, traheret ſolutionem magnæ pęnæ Ergo etiam prohibita, ac conſequenter injuſta ac irrita eſt Conſtitutio Arrhæ in magna quantitate, cùm Sponſa *juxta leg. fin. de Sponſalib.* jubeatur Arrham in duplum reſtituere, ſi annum vigeſimum quintum egreſſa, vel veniam ætatis adepta, injuſtè reſiliret à contractis Sponſalibus.

Probatur tertiò *in cit. leg. fin.* Irritatur reſtitutio Arrhæ ultra quadruplum, eò quòd major quantitas adverſaretur libertati Matrimoniorum. Ergo ſi Arrha eſſet tanta, ut ipſa vel ſimplum illius ſuperaret quadruplum conſuetarum Arrharum, attenta dignitate & opulentia perſonarum, dicta lex eluderetur; & libertas Matrimoniorum non ſalvaretur.

Probatur quartò. Etiamſi, quando prohibetur unum propter aliquem finem, non hoc ipſo ſemper prohibeatur alterum, quod mereretur prohiberi propter eundem finem: Si tamen finis ipſe univerſaliter eſt præceptus, tunc ſicut prohibetur unum, ſic etiam prohibetur alterum, quando utrumque tollit finem univerſaliter præceptum. Atqui iſte finis, ut nempè Matrimonia ſint libera, eſt univerſaliter præceptus, *in cap. Requiſivit, & in cap. Gemma, de Sponſ. & in L. neque ab initio* 14. *C. de Nuptiis.* & in ſæpècit. *L. g. fin. C. de Sponſal.* & Arrhæ in magna quantitate æquè, & ſæpè magis tollerent libertatem Matrimoniorum, quàm pęnæ conventionales, ſæpè minores in quantitate. Ergo ſi prohibentur iſtæ, etiam illæ prohibentur.

Quæritur ergo tertiò. An pęnę conventionales, adjectæ Sponſalibus ſint à Jure prohibitæ, tanquam præjudicantes libertati Matrimoniorum. Ratio dubitandi, & negandi eſt. Primò. Quia per ipſa Sponſalia jam eſt ſublata libertas reſiliendi abſque juſta cauſa: ergo per pœnam conventionalem non poteſt amplius tolli. Secundò. Si Sponſi poſſunt cogi per pęnam Judicialem, ne alter altero invito abſque juſta cauſa recedat, & fidem fallat, poſſunt multò magis cogi per pęnam conventionalem; quia illa eſt ipſis magis libera, & ipſi voluntariè in eam conſenſerunt. Tertiò. Arrhæ etiam ſunt pęnæ conventionales, & earum reſtitutio in duplum, vel quadruplum eſt pura pęna: ergo etiam aliæ pęnæ conventionales mutuæ, nec prohibitæ ſunt, nec libertati Matrimoniorum contrariæ, modò non ſint præſtandæ ab iis, qui juſtè ac liberè ex rationabili cauſa recedere volunt: tunc enim omnes fatentur, nulla valida conventione eas deberi poſſe ſalva libertate Matrimonii. Quartò. Expreſsè conceduntur pęnæ conventionales, à violante fidem ſponſalium præſtandæ, per Conſtitutionem decimam octavam Leonis Imperatoris. Atqui hæc conſtitutio non eſt correcta à Jure Canon. Nam *cap Gemma de ſponſalib.* quod communiter opponitur, prohibet pęnam conventionalem, exigendam à parentibus puellæ juſtè reſilientis, eò quòd illius Sponſalia fuerint invalida ob defectum ætatis, quia ea contraxit nondum expleto ſeptimo anno. Itaque ſententiam negativam tenent ConincK, Suarez, Vaſq. Laymann, Baſilius, Pontius, quos ſequitur Palao *diſput* 1. *de Sponſalib. punct* 9. *num.* 3. quibus etiam accedit Haunoldus *to* 1. *tract.* 4. *c.* 5. *contr.* 3. *n.* 364. additque Martinum Perez & Dianam *p.* 3. *tr.* 4. *reſol.* 211. Fatetur tamen contrariam ſententiam defendi à pleriſque Theologis, & Iuriſtis: quorum multos refert, & approbat Thom Sanch. *lib.* 1. *de ſponſalib diſput.* 30. *num* 3. Qui non tantùm iſtam ſententiam tuentur, quando ipſi Spondentes de pęna ab ipſis ſolvenda paciſcuntur, verùm etiam, ſi eorum parentes in pęnam ab iiſdem ſolvendam conſentiant: quia *in cap. Gemma* ponitur hic ipſe caſus. 95

Ratio autem dubitandi pro hac ſecunda ſententia ſumitur ex ſæpius allato *c. Gemma de ſponſ.* Ubi propter ſervandam libertatem Matrimoniorum ſub comminatione Cenſuræ Eccleſiaſticæ jubetur Sponſus deſiſtere ab exactione mulctæ conventionalis, annexæ Sponſalibus, ante legitimam completi ſeptennii ætatem ab utroque ſpondente initis. Et quamvis iſta hoc ipſo fuerint irrita, vel ſaltem revocabilia, & conſequenter Sponſa juſtè potuerit recedere à dictis Sponſalibus, tamen Gregorius IX. *in cit cap.* liberans Sponſam, & parentes Sponſæ à ſolvenda pęna, non producit hanc cauſam exemptionis, forſitan quia Sponſalia ſuperveniente ętate legitima fuerunt ex utraque parte ratificata, vel quia malitia ſupplevit ætatem: ſed abſtrahendo à valore & nullitate Sponſalium præcedentium, inquit: *Cùm libera Matrimonia eſſe debeant, & ideò talis ſtipulatio propter pœnæ interpoſitionem* (non dicit Pontifex: propter defectum ætatis, vel valoris Sponſalium) *ſit meritò improbanda, mandamus, quatenus ſi ita eſt, eundem* (Sponſum) *ut ab extorſione prædictæ pœnæ deſiſtat, Eccleſiaſtica Cenſura compellas.* Huic textui Iuris Eccleſiaſtici conſonat etiam *lex Titia* 1 4. *ff de verbor. oblig.* Ubi dicitur: *Inhoneſtum viſum eſt, vinculo pęnæ Matrimonia obſtringi, ſive futura, ſive jam contracta.* 96

Ad hanc Controverſiam cenſeo in primis utramque ſententiam eſſe probabilem, & in praxi tutam. Unde juxta priorem licebit retinere pęnam conventionalem, ab injuſtè reſiliente ſolutam: Iuxta poſteriorem autem licebit illam non ſolvere. Quia utraque ſententia habet pro ſe magnam auctoritatem DD. & neutrius rationes ſunt convincentes. 97

Ego tamen ſentio cum Cyno *l. fin. C. de Sponſ.* Ioanne Andrea *cap. Gemma de Sponſal. num.* 9. Henriq *num.* 10. relatis à Sanch. *lib* 1. *de Sponſ. diſp.* 30. *num.* 11. *& diſp.* 35. *num.* 7. Si pęna conventionalis, attenta qualitate contra-

contrahentium, ſit levis, quòd valeat contractus, & debeatur ab injuſtè reſiliente; ſi autem ſit reſpectivè gravis, quòd non valeat, & non debeatur. Sicut enim metus gravis ad extorquendum Matrimonium injuſtè incuſſus, obſtat libertati Matrimonii, non autem metus levis; ſic idem à fortiori poteſt dici de pœna conventionali levi. Ratio à priori eſt. Quia pactum de pœna conventionali ab injuſtè reſiliente ſolvenda, non eſt iure naturali irritum, ſed dumtaxat, & ad ſummum jure poſitivo, in quantum per illam tollitur libertas Matrimoniorum. Atqui per pœnam reſpectivè levem non tollitur. Ergo pactum de pœna reſpectivè levi nullo jure eſt irritum.

98 Confirmatur iſta doctrina à paritate Arrhæ. Ideò enim Arrhæ non cenſentur præjudicare libertati Matrimoniorum, quia ordinariè ſunt, & ut ſuprà oſtendi, debent eſſe, reſpectivè levis pretii. Ergo ſimiliter, ſi pœna conventionalis ſit levis, datur obligatio illam ſolvendi, ſi gravis, non datur. Aliàs lex finalis *C. de Sponſal.* prohibens, & irritans redditionem Arrhæ ultra quadruplum, facilè eluderetur, ſi quidem non liceret paciſci ultra quadruplum, & tamen liceret paciſci de pœna conventionali, quæ addita quadruplo, cum illo efficeret ſummam gravem. Itaque ſolùm ſub disjunctione licet paciſci de pœna levi, ſcilicet vel ſubſtituenda Arrhæ, vel ſaltem cum Arrha non excedente pœnam quadrupli. Et hac ratione nunc facilè reſpondetur ad priorum ſententiarum rationes dubitandi.

99 Ad primam rationem ſententiæ negantis prohibitionem pœnæ conventionalis, etiam gravis, reſpondetur, per pœnam conventionalem magni pretii non tolli quidem libertatem ab obligatione non reſiliendi, quæ per ipſa Sponſalia eſt ſublata, & neque eſt neceſſaria ad valorem Matrimonii; tolli tamen libertatem à nimio rigore urgendi executionem obligationis, ob neceſſitatem vel ſubeundi gravem pœnam, vel contrahendi Matrimonium, ex quo triſtes exitus, & gravia mala timeri poſſunt.

Ad ſecundam rationem reſpondetur, inter pœnam judicialem & conventionalem partim eſſe diſparitatem, partim verò eſſe paritatem. Diſparitas eſt, quia quoad pœnam judicialem non ſimile eſt periculum, ut imponatur nimia, ac imprudens, quale eſt quoad pœnam conventionalem, ita ut propter vehementiam amoris & concupiſcentiæ facilè & frequenter Sponſi & Sponſæ conſentirent in pœnas nimias, quas ſolvere eſſet difficillimum, & quas evitare per inita Matrimonia, triſtes exitus apud invitos plerumque parientia, eſſet periculoſum, aut damnoſum. Paritas tamen eſt, quòd etiam nimius rigor pœnæ judicialis æquè ac pœnæ conventionalis, ſit prohibitus, ut oſtenſum eſt. *ex cap. Requiſivit 17. de Sponſalib.*

Ad tertiam rationem communiter inter Arrham & pœnam conventionalem aſſignatur hoc diſcrimen, quòd quia Arrha debet ſtatim tradi, non ſit tantum periculum, ne ea ſit nimia; pœnæ verò, quia tantùm promittuntur, & quia facilè promiſſis dives quilibet eſſe poteſt, frequenter ac imprudenter conſtituerentur nimiæ, præſertim in primo amoris ac concupiſcentiæ fervore & æſtu: fuit itaque potior ratio permittendi Arrhas, ac prohibendi pœnas. Additur etiam hæc diſparitas. Quòd poſtquam Arrha tradita eſt, ab injuſtè reſiliente longè faciliùs feratur ejus jactura, quàm ut ſolvatur pœna conventionalis ex bonis adhuc poſſeſſis. Verùm utraque diſparitas probat noſtram ſententiam, quòd valeat conventio de pœna levi, in qua ceſſat ratio prohibitionis aſſignata: imò faciliùs ſolvitur pœna levis, quàm amittatur Arrha magni pretii, cujus dominium ac jus manſerat penes tradentem. Adde, quòd iſta diſparitas non procedat in pœna dupli, vel quadrupli: quæ etiam nondum fuit tradita, & ſi Arrha eſſet magna, ipſa evaderet intolerabilis. Ideò Thomas Sanchez *cit. diſp. 35. n. 2* ingenuè fatetur cum Iaſone *L. Tertia in princ. n. 22. ff. de verb. oblig.* Omnes diſparitates, quæ afferuntur, minimè concludere, nec carere ſcrupulo; ſed congruentiam quandam præſeferre. Noſtrà verò ſententia hac ipſa paritate inter Arrhas, & maximè inter pœnam dupli ac quadrupli, & inter pœnas conventionales multum confirmatur. Itaque concedimus cum citatis Doctoribus in utroque paritatem, nempe quòd pactio Arrhæ, & Pœnæ conventionalis, in quantitate reſpectivè parva, cujus ſcil. obligatio non ita fortiter impellat, ut quis tantùm illius evitandæ intuitu promiſſum Matrimonium contrahat, aliàs non contracturus, ſit æqualiter valida, in quantitate autem reſpectivè magna ſit æqualiter invalida, ac ipſo jure irrita. Et quidem Arrha tam debet eſſe moderata, ut etiamſi recipiens *L. fin. C. de Sponſalib.* obligetur in duplum, aut ipſe ſe obliget in quadruplum, hæc ipſa tamen quantitas tanta non evadat, ut invitum ad Matrimonium ineundum unicè inducat.

Ad quartam rationem reſpondetur, Conſtitutiones Leonis Imperatoris, ut notavit Haunoldus *cit. to. 1. tr. 4. Cent. 3. de Arrhis, n. 371.* eſſe minoris Authoritatis, quando adverſantur juri Communi Romani Imperii, prout Palao *loc. cit.* fatetur, dictam conſtitutionem adverſari Legi *Titia 134. ff. de verb. oblig.* ſuprà relatæ, prout etiam adverſatur juri Canonico *cap. Gemma de Sponſ.*

Ad rationem dubitandi verò pro irritanda pœna conventionali, ex cit. Lege & Capitulo deſumptam patet reſponſio ex dictis, quòd nempe per utrumque jus tantùm prohibeatur, ac irritetur pœna conventionalis, quæ eſt apta tollere libertatem Matrimonii, propter quam conſervandam ſtatutum eſt utrumque jus. Ejuſdem verò extenſionem, etiam ad pœnam levem, non rectè arguit Sanchez, *lib. 1. de Sponſ di p. 30. n. 11.* ex Lege. *Neque ab initio 14. C. de Nuptiis* juncta Gloſſa, quæ Libertati Matrimonii, in Lege ſtatutæ, ait obſtare, ſi vir uxori ducendæ dixerit: *Promittis decem, ſi unquam diverteris à me?* ubi per decem tantùm intelliguntur nummi, quæ eſt exigua pœna. Nam Gloſſa non ideò invalidam aſſerit hanc ſtipulationem, etiamſi ſit rei exiguæ, quia adiicitur promiſſioni Matrimonii in pœnam injuſtè violatæ fidei, ſed quia adiicitur promiſſioni, ut etiamſi vir juſtè diverterit, & receſſerit à Sponſa, tamen obligetur ſolvere penſionem ſub tali conditione promiſſam: & hæc ſtipulatio ab omnibus aſſeritur invalida, quia quando datur juſta & ſufficiens cauſa recedendi à Sponſalibus, debet eſſe liberum, ab illis recedere; in puncto enim libertatis Matrimonia, & teſtamenta aliquo modo aſſimilantur. Unde ſicut *in lege 61. ff. de verb. oblig.* dicitur. *Stipulatio hoc modo concepta: ſi hæredem me non feceris, tantum dare ſpondes? inutilis eſt: quia contra bonos mores eſt hæc ſtipulatio:* ita contra bonos mores eſt à cit. Gloſſa, allata ſtipulatio, reſtringens libertatem, juſtè divertendi ad aliud Matrimonium. 100

§. VI.

De impedimento duplicis vinculi, ſcil. Ordinis Sacri, & Matrimonii.

SUMMARIUM.

101 *Ordo Sacer ratione Voti ſolemnis Caſtitatis dirimit Matrimonium.*

102 *Matrimonium actuale dirimit promiſſionem Matrimonii futuri. Et ad hanc licitè faciendam requiritur cognitio certa de morte prioris conjugis.*

PEr Ordinem, Matrimonium dirimentem, intelligendus eſt ille, qui Sacer eſt, & abſque injuſto metu à compote plenæ rationis, imò etiam non niſi poſt completos annos pubertatis ſuſceptus, cui annexum eſt votum ſolemne caſtitatis ex præcepto poſitivo Eccleſiæ: quod ſi autem illicitè quidem, ſed validè ex metu gravi injuſtè incuſſo, vel ante uſum rationis perfectum, ad peccatum mortale ſufficientem, Sacro Ordine quiſpiam initiatus fuiſſet juxta communiorem hodie ſententiam fundatam *in cap. Ante triennium diſt. 31. & cap. Præſens 20. quæſt. 3.* non teneretur voto caſtitatis, ſi ſuſcepto ordine uti nollet, neque ejuſdem perfectè libero, ac voluntario uſu ipſum votum ratificaſſet. Quod ipſum relato Innocentio, Oſtienſi, Andrea, & pluribus aliis probabiliter aſſerunt Sanchez *lib. 7. diſp. 38. n. 8.* & Tanner. *diſput. 8. q. 4. n. 38* de initiato ante pubertatem, quo tempore ſolemnis voti caſtitatis, ſicut & profeſſionis probabiliter datur incapacitas. Unde dictum impedimentum Ordinis Sacri includitur in impedimento Voti ſolemnis cujus juxta citatos DD. etiam poſt obtentam pubertatem ex Decreto Tridentini *ſeſſ. 25. cap. 15. de Regular.* nunc 101

pro-

protrahitur incapacitas uſque ad completum annum 16. Et licèt S. Synodus tantùm loquatur de Profeſſione Religioſa, ob paritatem rationis tamen aſſerunt illi DD. idem tenendum de Voto ſolemni Ordinis Sacri, æquè difficulter diſpenſabili. Imò iidem facultatem reſiliendi adhuc ulteriùs ad triduum extendunt propter *cap. Ad noſtram de Regularib.*

102 Impedimentum, Matrimonium dirimens, eſt etiam ligamen, ſeu vinculum Matrimonii, quia durante priori Matrimonio ex omnium Catholicorum conſenſu, neque pro eodem tempore, neque pro futuro, ſeu in diem, quo impedimentum ligaminis tolletur, de præſenti iniri poteſt Matrimonium, & ideò *juxta cap. In præſentia de Sponſalibus*, & *cap. Dominus de ſecundis nuptiis* expectandus eſt certus nuntius de morte alterius: intellige moraliter certum, uti etiam juxta cit. *cap. In præſentiâ* poteſt eſſe teſtimonium unius hominis fide digni, ſi ex modo illud deponendi, & ex aliis circumſtantiis ac indiciis firmetur, aliàs locum habebit lex, *Maritus ff. de Quæſtionibus*: aſſerens unius viri teſtimonio non eſſe credendum, & *cap. Veniens 1. in fine de Teſtibus*, ubi unus teſtis, nullus teſtis eſſe dicitur: ſi verò dicto modo firmetur, jam oritur præſumptio moraliter certa, de qua, & non de minori moraliter incerta intelligendum eſt, *cap. Quoniam §. Si autem, ut lite non conteſt.* Quamvis Gloſſa ibidem, & quidam alii videantur, ut ſufficientem agnoſcere præſumptionem præcisè probabilem, contra expreſſos textus ſupra citatos, & contra rationem naturalem, quæ dictat, in materia tam obnoxia gravibus damnis & incommodis exigendam eſſe moralem certitudinem. An autem dictum impedimentum ligaminis Matrimonialis dirimat alia Matrimonia Jure naturali, vel tantùm poſitivo, patebit ex dicendis de proprietatibus Matrimonii *quæſt. 4. art. 1.*

§. VII.

De impedimento publicæ honeſtatis.

SUMMARIUM.

103 *Quid ſit impedimentum publicæ honeſtatis, & quomodo olim diremerit Matrimonii contractum.*

104 *Quomodo idem impedimentum jure Tridentini ſit reſtrictum.*

105 *Sponſalia priora inducunt impedimentum publicæ honeſtatis, vel non inducunt, quatenus fuerunt, vel non fuerunt valida, non quatenus publicè credebantur valida vel invalida.*

106 *Si contractus non fuit validus in ratione Matrimonii, validus tamen in ratione Sponſalium, adhuc inducit impedimentum dirimens poſteriorem contractum; contractus verò poſterior non dirimit priorem.*

103 Honeſtas, Matrimonium dirimens, etiam juſtitia publicæ honeſtatis appellatur. Quia enim juſtum, & æquum eſt, ac decens, ut cum perſonæ, per Sponſalia vel Matrimonium ratum copulatæ, conſanguineis, tanquam aliquali propinquitatis vinculo junctis, in gradu ab Eccleſia determinato, Matrimonium non contrahatur, ideò hæc pluribus decretis, in Corpore juris Canonici expreſſis, impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis, ſtatuit, irritum reddens Matrimonium, quod una perſona contraheret cum alterius perſonæ aliquando copulatæ conſanguineis uſque ad quartum gradum incluſivè (eò uſque enim *juxta cap. Non debet de conſanguin. & affinit.* extenditur conſanguinitas, in impedimentis Matrimonii, quando alius gradus non determinatur) etiamſi Sponſalia, vel Matrimonium præcedens quacunque ex cauſa, excepto defectu conſenſus, fuiſſent invalida, ut expreſsè dicitur *in cap. un. de Sponſal. in 6.*

104 Quod impedimentum Concil. Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 3.* duplici modo reſtrinxit in Sponſalibus (non autem in Matrimonio, quamvis irritè, ſed non ex defectu conſenſus contracto, ut ſatis expreſsè declaravit Pius V. in Bulla *Ad Romanum Anno 1568*) nempè ut ſi Sponſalia, quacunque ratione valida non fuerint, nullum ſit impedimentum, in validis autem, ad quæ *in cit. cap. unic.* requiritur etiam, ut fuerint certa, & abſoluta, vel ut in abſoluta tranſierint, non ſe extendat ultra primum gradum conſanguinitatis, quod ipſum multi Authores referentes ſpecialem declarationem ejuſdem Congregationis Tridentinæ ulteriùs mitigant, ut ſi Sponſalia priùs valida mutuò conſenſu fuerint diſſoluta, ob imperfectionem, & infirmitatem præcedentis conſenſus non dirimant Matrimonium cum conſanguineis perſonæ deſponſatæ. Tamburinus tamen *tom. de Sacram. fol. ultim. poſterioris editionis Venetæ*, quem refert & ſequitur P. Gobat *tract. 9. num 361.* licèt ante ejuſdem fuerint mentis, opponunt aliam declarationem congregationis Tridentinæ recentiorem, & prioris correctivam, à Pontifice Alexandro VII. approbatam. *Anno 1658. die 10. Julii*, & ad verbum expreſſam à Proſpero Fagnano I. C. Romano celeberrimo *in cap. ad Audientiam de Sponſal. & Matrimon.*

Circa ipſam tamen reſtrictionem Concilii Tridentini 105
controvertunt DD. an ſi priora Sponſalia publicè nota ob defectum ſolummodò occultum, nec ſufficienter demonſtrabilem invalida fuerint, nihilominus Matrimonium ſubſequens cum prioris Sponſæ conſanguinea non dirimant. Affirmant dirimi per illa Thom. Sanchez, Henriq. Baſil. Pontius, Laym. & plures alii, eò quod apud homines ignaros defectus occulti eodem modo incurratur publica indecentia. Rectiùs tamen negant, Navarrus, Perr. Ledeſma, Rebellus, Hurtadus, Coninck, Palao, quia Concilium univerſaliter, & abſque exceptione occulti impedimenti loquens, propter indecentiam falsò exiſtimatam limitare, non eſt neceſſe, ſaltem pro foro conſcientiæ, pro quo requiritur, ut impedimenta ſint verè talia, qualia à jure ſtatuuntur, non ut ſint tantùm apparenter talia, ut aliorum inductione patet: ſicut viciſſim, ſi impedimentum publicæ honeſtatis eſſet occultum, non propterea tolleretur ejus vis dirimendi Matrimonium cum conſanguinea prioris occultæ Sponſæ: in foro externo autem, quando non poteſt probari defectus occultus priorum Sponſalium, meritò præſumitur non interveniſſe, & ſic judex juſtè poteſt prohibere ſubſequens Matrimonium, quando primùm eſſet contrahendum, vel etiam, ſi videatur neceſſe, indicere ſeparationem ſaltem quoad apparentiam externam, ſi jam actu fuiſſet contractum.

Circa idem impedimentum ex communi ſententia 106
notandum eſt, quòd ſi Sponſalia de præſenti non valeant in ratione Matrimonii, valeant tamen in ratione Sponſalium, ut ſuprà de contractu Matrimonii, inter impuberes diximus, adhuc per illa dirimi Matrimonium ſubſequens cum conſanguinea, aut conſanguineo Sponſæ, aut Sponſi prioris. Si autem præceſſiſſet promiſſio acceptata quidem, ſed non mutuò præſtita, cùm hæc eſſentiam Sponſalium non habeat, nequit Matrimonium dirimere. Præterea non eſt viciſſim verum, quòd ſicut Sponſalia præcedentia dirimunt Matrimonium ſubſequens cum conſanguinea Sponſæ, ſic Sponſalia, vel Matrimonium dicto modo irritum dirimant Sponſalia priora, hoc enim expreſsè negatur *in cap. unico de Sponſalibus in ſexto.*

§. VIII.

De impedimento ætatis & affinitatis.

SUMMARIUM.

107 *Antequam uterque contrahens omninò compleverit annos pubertatis obtentæ, non valet Matrimonium, niſi malitia ſuppleat ætatem.*

108 *Impedimentum affinitatis reſtrictum eſt jure novo Tridentini.*

109 *Affinitas hic ſumitur pro ea, quæ naſcitur copula carnali, non quæ ex contractu.*

Impedimentum dirimens Matrimonium eſt etiam de- 107
fectus ætatis, pro qua *in cap. Puberes. cap. continebatur: cap. Atteſtationes, cap. Ex literis de Deſponſatione impuberum* in maribus ſtatuitur decimus quartus, in fœminis duodecimus annus completus, ita ut juxta communiorem ſententiam, tam in hac, quàm in aliis legibus expreſsè aliquid determinantibus locum non habeat illa regula, aliàs in rebus ab humano arbitrio pendentibus uſur-

uſurpata: *Quod parum diſtat, nihil diſtare videtur*: Ratio autem hujus ſtatuti ſumitur ex eo, quòd ante annos pubertatis communiter quis non ſupponatur, eſſe ſatis prudens ad cognoſcenda onera, & gravitatem obligationis inſolubilis, neque aptus ad Matrimonium conſummandum: unde ſi ante completos pubertatis annos quis probare poſſit, ſe utramque aptitudinem habere, validè & licitè contrahet Matrimonium *juxta cap. continebatur*, & *cap. De illis 2. de Deſponſatione impuberum*. & S. Thomam 4. *diſt. 36. q. un. a. 5.* Ubi ad objectionem ex paritate voti deſumptam, ante expletum tempus, profeſſioni præfixum, non valentis, etiamſi prudentia præveniat ætatem, reſpondet, negando paritatem. *Quia votum Religionis eſt eorum, quæ ſunt ſupra inclinationem naturæ, quæ majorem difficultatem habent, quàm Matrimonium.*

108 Inter affines Matrimonium validè iniri non poteſt, jure quidem antiquo uſque ad ſeptimum gradum, *cap. Nullum, cap. æqualiter 35. q. 3.* uti ſuprà dictum eſt de conſanguineis, nunc autem uſque ad quartum gradum, ſi ex copula Matrimoniali affinitas orta eſt, juxta *cap. Non debet de conſanguin. & affinit.* ſi autem ex fornicaria copula, uſque ad ſecundum gradum incluſivè juxta Tridentiuum *ſeſſ. 24. c. 4.* extra quos gradus ob declarationem Pii V. in Bulla *Ad Romanum*, allegatam à Tannero *diſput. 8. quæſt. 4. n. 119.* neque illicitum redditur Matrimonium, quamvis olim aliud fuerit ſtatutum, quando nullum in jure fiebat diſcrimen inter affinitatem ex copula matrimoniali, & fornicaria: unde ſi quis extra hos gradus, in quibus non licet contrahere Matrimonium, fornicetur, hoc ipſo talis fornicatio non eſt inceſtuoſa, quia ubi deſinit impedimentum Matrimonii, ibi deſinit affinitas in illo unicè fundata, ut oſtendit Thom. Sanchez *lib. 7. diſput. 67. num. 8.*

109 Cæterùm per affinitatem non intelligitur hìc illa affinitas accidentalis, quæ ex ſolo contractu, Matrimoniali inter conſanguineos utriuſque conjugis, vel inter conjugem cum conſanguineis alterius conjugis exurgit, ſed affinitas carnalis, quæ per copulam perfectam ſeu aptam ad generationem prolis exoritur; quia enim per hanc duo dicuntur fieri una caro, hoc ipſo conſanguinei ipſius fœminæ, etiamſi primùm poſt ejus mortem, & diſſoluto Matrimonio ſint nati, redduntur affines, ac propinqui viro, in eo gradu, in quo ſunt conſanguinei fœminæ & conſanguinei viri redduntur affines, & propinqui fœminæ, in eo gradu, in quo ſunt conſanguinei viri, adeòque fœmina non poteſt ſine diſpenſatione Pontificis propter affinitatem carnalem jungi Matrimonio conſanguineis viri, nec vir conſanguineis fœminæ intra gradus prædictos.

§. IX.

De impedimento clandeſtinitatis.

SUMMARIUM.

110 *Clandeſtina Matrimonia ſemper fuerunt illicita, jure novo Tridentini autem, ubi hoc eſt receptum, etiam ſunt invalida.*

111 *Ubi Tridentinum nunquam fuit, aut non eſt receptum per contrariam conſuetudinem, manet tamen antiqua prohibitio; ubi verò quidem erat receptum; ſed Catholici Parochi fugerunt, adhibitio teſtium requiritur ad valorem.*

112 *Refertur ſententia negans, hæreticos in locis, ubi Tridentinum eſt receptum validè contrahere Matrimonia ſine præſentia Catholici Parochi.*

113 *Refertur ſententia affirmans.*

114 *Non tamen eſt extendenda diſpenſatio hujus impedimenti ad alia impedimenta.*

115 *Illius loci Parochus eſt proprius, ubi vel ſponſus, vel ſponſa magna anni parte fixum domicilium habet.*

116 *Quis nomine proprii Parochi intelligatur, & qualis aſſiſtentia Parochi ac teſtium requiratur.*

117 *Si alteruter contrahentium nullibi ſtabiliter habitet, quivis Parochus proprius cenſetur.*

118 *Contrahentes in loco, ubi Tridentinum non eſt receptum, ſine præſentia Parochi, validè contrahunt, niſi unicè ad hunc finem eò ſe contulerint, neque ibi aliquamdiù ſedem fixerint.*

AD valorem Matrimonii ſpectat etiam quædam ſolemnitas contractus, ne ſcilicet clandeſtinus ſit, clandeſtini enim contrahentes abſque juſta cauſa excuſante à prohibitione olim quidem graviter peccabant, nunc autem in locis, ubi Tridentinum eſt promulgatum, Matrimonium ſine proprii Parochi, & duorum teſtium præſentia contractum, omninò invalidum eſt, ut expreſsè definivit Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 1. de Reformat. Matrim.* pro cujus decreto etiam in extrema neceſſitate aliter contrahendi ſecundùm communem ſententiam perſiſtente, melius intelligendo, addo ex recepta Theologorum doctrina ſequentes aſſertiones. 110

Prima. Illud decretum non ſe extendit ad illa loca, in quibus Tridentinum non eſt receptum, vel non promulgatum, vel ex conſuetudine abrogatum, vel ubi expulſis Catholicis Sacerdotibus non adſunt proprii Parochi: quo in caſu tamen, ut decretum, poſtquam aliquando cœpit obligare, ſervetur, quantum poteſt, teſte Tambur. *lib. 8. tract. 6. c. 2. §. 2. n. 8. & n. 13.* allegante expreſſam declarationem Cardinalium, adhuc neceſſe eſt, ut ſaltem præſcripti teſtes adhibeantur. 111

Circa prædictam aſſertionem gravis oritur dubitatio, an in locis, ubi prædictum decretum eſt receptum, & Hæretici cum Catholicis permixti vivunt, Hæreticorum Matrimonia valida ſint, ſine præſentia Catholici Parochi contracta. Negant Herman. Buſenbaum *lib. 6. tr. 6. cap. 3. dub. 2. in fine* Leſſius *in Auctuario Caſuum cap. 1. & 2.* Tamb. *loc. cit.* P. Gobat *tr. 9. n. 463. & 467.* allegans authoritatem Academiæ Viennenſis. Ratio illorum eſt, quia Hæretici de jure ſubſunt juriſdictioni Eccleſiæ præſcribentis formam eſſentialem contractus matrimonialis, ergo niſi illam ſervent, contractus illorum matrimoniales ſunt invalidi, ſi Pontifex cum illis non diſpenſet, quem favorem rebellibus ſubditis, ſuique contemptoribus ac hoſtibus infenſiſſimis impendere eum velle, non eſt præſumendum, præſertim, quia eadem Congregatio Cardinalium paulò antè ex Tamburin. *loc. cit.* allegata, & relata etiam à Diana *p. 11. tr. 6. reſ. 1.* edita *anno 1605. die 19. Januarii*, prædicta Matrimonia expreſsè irrita declaravit. 112

Affirmant tamen eſſe valida Tanner. *diſp. 8. quæſt. 3. num. 122.* Dicaſtill. *diſp. 3. dub. 10.* Laymann *lib. 5. tr. 10. par. 2. cap. 4. num. 7.* ArsdeKin *tom. 2 p. 2 tract. 4 c. 8. § 4.* referens Illuſtriſſimum Caſtorienſem, & Stalenum Oratorii Presbyterum: qui poſt prædictam declarationem ſcripſerunt: adeòque ſignum eſt, eam vel non ſufficienter fuiſſe ſaltem in noſtra Germania promulgatam, vel tacito conſenſu Pontificis propter graves cauſas rurſum fuiſſe abrogatam. Primò. Quia innumera Matrimonia ſæpè etiam bona fide ab Hæreticis ſolùm materialibus contracta, eſſent invalida, & connubia fornicaria: quibus non eſt credibile, Pontificem ſtabili Legis nunquam à prædictis ſubditis obſervandæ irremiſſione voluiſſe perpetuam anſam dare. 113

Secundò. Quia juxta communem Eccleſiæ praxin nati ex Matrimonio Hæreticorum à Catholico Parocho non conjunctorum, ſine ſpeciali diſpenſatione petita, poſt ſuam Converſionem habentur pro legitimis in ordine ad omnia jura Civilia, & Eccleſiaſtica, v. g. ad feuda, Prælaturas, Ordines Sacros: è contra, ſi ſcirent, ſe pro illegitimis habendos, plurimùm abſterrerentur à Converſione ad fidem Catholicam: quæ macula, cùm neque per legitimationem vel diſpenſationem ſubſequentem ſatis abſtergeretur, & cùm faciliùs abſque præjudicio juris alieni caveri poſſit, quin poſſit caveri aliud motivum, grauiter quidem abſterrens, nempe obligatio reſtituendi bona Eccleſiaſtica, ac hæreticis injuſtè poſſeſſa, meritò præſumitur Eccleſia quoad Hæreticos remittere vim irritativam, manente vi præceptiva ſub culpa Legis prohibentis Matrimonia Clandeſtina. Licèt enim Hæretici tanquam rebelles non mereantur ejuſmodi favorem, decet is tamen benignitatem Eccleſiæ tanquam diſcretæ, & bonæ matris, ceditque in reverentiam ſaltem materialem Dei, & ipſius Sacramenti, ſi non communiter irritè adminiſtretur, innumeræque fornicationes propter Matrimoniorum invaliditatem committantur.

Quæ rationes tamen, ſi quid evincunt, quas malui referre, quàm poſitivè approbare, præſertim ſi unus contrahentium eſt Catholicus, & ſi tamen, ut frequenter fit, 114

vel

vel coram nullo, vel coram Hæretico paſtore, quem pro nullo habeo, Matrimonium ineat, non ita urgent in aliis impedimentis, dirimentibus, ſcilicet Conſanguinitatis, Affinitatis, publicæ Honeſtatis, Criminis, Voti, Ordinis &c. Quia hæc non ſunt tam univerſalia, quàm abſentia Parochi, à nullo hæreticorum pro ſuo paſtore agniti, aut vocandi. Et præterea propter ſpecialem inhoneſtatem, vel cavendam, vel puniendam ſunt ſtatuta, à quibus proinde neque Hæretici debent eſſe immunes: unde quando taliter impediti Conjuges ad Eccleſiam Catholicam revertuntur, petita diſpenſatione (quam credo pro Palatinatu Neoburgico & Bavarico recenter converſo ſaltem in communi petitam, & collatam eſſe) eorum Matrimonia reſtauranda ſunt, vel quando non decet eam concedi, v. g. propter impedimentum Voti ſolemnis, omninò ſunt diſſolvenda.

115 Aſſertio 2. Si contrahentes diverſis Parochis ſubſint, vel ſi idem contrahens diverſis temporibus in pluribus Parochiis fixum domicilium habeat (ab hoc enim & non à loco originis proprius Parochus deſumitur) cujuſcunque ex illis Parochis præſentia ſufficit: ad vitandam tamen confuſionem, & lites, à Pio V. & Congregatione Cardinalium, Teſte Tannero *diſput.*8. *q.*3. *dub.*6. *num.*116. declaratum eſt, non licere alterius loci Parocho nuptiis aſſiſtere, quàm ubi iſtæ celebrantur, quod ſaltem de benedictione nuptiarum certum eſt, licèt ob ſolam aſſiſtentiam multi nullum peccatum agnoſcant.

116 Aſſertio 3. Nomine proprii Parochi intelligitur à fortiori Epiſcopus, vel Capitulum Sede vacante, & juxta probabiliorem Vicarius Generalis, denique is, qui communiter Parochus dicitur, etiamſi Sacerdos non ſit (ipſe tamen alteri, niſi Sacerdoti loco ſuo aſſiſtendi licentiam dare non poteſt, ſolummodò autem præſumpta neque reſpectu Sacerdotis ſufficit) imò etiamſi tantùm habeat titulum coloratum Parochi, & à parte rei non ſit verus Parochus, ſed tantùm populi exiſtimatione putetur eſſe. Præterea validè aſſiſtit, etiamſi ſit excommunicatus prohibitus ab Epiſcopo, irregularis, vel injuſtè vi aut fraude detentus præſens ſit contractui Matrimonii: & ſatis certò agnoſcat, quid fiat, quod ipſum etiam de duobus, vel tribus teſtibus dicendum eſt, qui inſuper non debent aliam habere conditionem vel ætatis vel ſexus &c. niſi hanc unicam, ut ſint rationis compotes, & advertant, quid fiat.

117 Aſſertio 4. Vagi (quorum Matrimonio ſine diligenti inquiſitione conditionis eorum, an conjugati non ſint, & re ad ordinarium delata ſecundùm Trident. *ſeſſ.*24. *cap.*7. *de Reform.* aſſiſtere non licet) à quovis Parocho, etiamſi alter contrahentium proprium habeat, conjungi poſſunt; quia contrahentis Vagi quivis proprius eſt, quod tamen de peregrinis dici non poteſt, niſi propter diuturnam habitationem in eodem loco, juriſdictioni Parochi velnti proprii Paſtoris ſubiiciantur, ut ſtudioſi, mercatores, milites, &c.

118 Aſſertio 5. Quia in contractibus faciendis quivis gaudet locorum privilegiis, & eorum legibus ad contractum validandum requiſitis tenetur, ideò tranſiens per loca, ubi Tridentinum non eſt receptum, vel promulgatum, illicitè quidem, ſicut Incolæ illius loci, ſed validè contrahit Matrimonium Clandeſtinum; invalidè verò contrahit tranſiens per locum, ubi eſt receptum, ut DD. communiter teſtantur. Quòd ſi tamen contracturi Matrimonium è proprio domicilio, ubi Tridentinum eſt receptum, ſe conferrent in aliud, ubi non eſt receptum, eò ſolùm animo, ut in præſentia Parochi contrahere non tenerentur, & ſi neque ibi intenderent aliquamdiu ſedem figere, ſed celebrato contractu reverti, teſtatur Tamburin. & Lugo in Reſponſis Moralibus *lib.*1. *dub.*36. eum contractum irritatum eſſe ab Vrbano VIII. per Breve Authenticum editum *Anno* 1627. *die* 14. *Auguſti*, quod proinde vel non viderunt, vel receptum non eſſe exiſtimarunt plures alii DD. contrarium aſſerentes.

§. XI.

An dictum impedimentum Clandeſtinitatis obſtet revalidationi Matrimonii, in præſentia Parochi irritè contracti.

SVMMARIVM.

119 *Matrimonia in præſentia Parochi ac teſtium invalidè contracta, ad ea, ſublato impedimento dirimente, revalidanda, non indigent rurſum eadem forma, ſi impedimentum fuit ita occultum, ut coram Iudice probari nequeat.*

120 *Probatur prior aſſertio, & conciliantur oppoſitæ ſententiæ, ac oppoſita Reſponſa Romana.*

121 *Reſpondetur ad fundamenta contraria.*

ASſero. Quando Matrimonium juxta formam externam Eccleſiæ, nempè in præſentia Parochi, & duorum teſtium eſt contractum cum impedimento dirimente occulto, nec in judicio ſatis probabili, non opus eſt, ut quando Sponſi, ſublato impedimento, de novo contrahunt, id rurſus fiat præſente Parocho, & duobus teſtibus. Eſt hæc aſſertio contra Paulum Comitulum, & Baſilium Poncium, & ex parte etiam (quando ſcil. impedimentum utrumque conjugem afficiebat) contra Navarr. Palacium, Matienzo, Barthol. de Ledeſma, Guttierez apud Palao *diſp.*4. *de Sponſal. punct.*7. §.3. *n.*1. Ipſe tamen noſtram aſſertionem tenet; & pro ea citat plurimos DD. primùm illos, qui loquuntur tantùm de caſu, quo impedimentum ſolùm ſe tenebat ex parte unius contrahentis, e. g. quia fictè, aut coactè conſenſit, ex his itaque refert Navarrum, Henriq. Rodriq. Riccium, Sanchez, Reginaldum, Guttierez, Laym. Bonac. Rebelium, Poſſevinum, Auguſt. Barboſam, ConincK, Hurtado. Deinde indiſtinctè loquentes citat, & ſequitur idem Palao, Franciſcum Leo, Petrum de Ledeſma, & rurſum Navarrum *Conſ.*14. & 32. *de Sponſal. in nova editione*, Thomam Sanch. ConincK, Hurt. Barboſam, quorum priores quatuor cum Petr. Ledeſm. teſtantur, Pium V. noſtram aſſertionem declaraſſe, & Sacræ Pœnitentiariæ Prætorium ea declaratione frequenter uti. Unde quando à Baſilio Poncio poſt Pium V. in contrarium allegatur Clemens VIII. & Rota Rom. à Farinacio *deciſ.*263. hæc Authoritas conciliari poteſt cum Pio V. & dicta praxi, ſi accipiatur de eo caſu, quo impedimentum non ita eſt occultum, quin in judicio probari poſſet, propter quem caſum in diſpenſationibus, ad revalidandum Matrimonium conceſſis, ſolet apponi hæc clauſula. *Si ita eſt cum eis, ut inter ſe publicè, & ſervata forma Concilii Trident. contrahant, diſpenſes.*

Probatur Aſſertio noſtra hoc Argumento. Concilium Trident. *in cit. ſeſſ.*24. *cap* 1. *de Reform. Matrimonii* requirit ad valorem Matrimonii præſentiam Parochi, & duorum vel trium teſtium, tam ut tollat *gravia peccata, quæ ex clandeſtinis conjugiis ortum habent, præſertim eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore Vxore, cum qua clàm contraxerant, relicta, cum alia palàm contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt*: quàm ne inducat in gravia peccata, qualia ſequerentur ex eo, ſi coram Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus, revalidanda eſſent Matrimonia, multis annis pro legitimis habita, & quæ nunquam poſſent, ut illegitima probari. Multi enim potiùs in ſtatu damnationis permanerent, & in perpetua fornicatione, ut putatii conjuges, viverent, quàm ut occultum, ac nulla probabili ratione unquam manifeſtandum impedimentum coram Parocho, & duobus vel tribus teſtibus, per novum contractum faterentur, ſeque in perpetua fornicatione ſive ſcienter, ſive ignoranter vixiſſe, ac liberos ſpurios procreaſſe, teſtarentur. Quòd ſi impedimentum occultum fuiſſet ortum ex Affinitate fornicaria, illud prodere, vel ejus ſaltem ſuſpicionem præbere, longè plurimi horrerent, non tantùm coram Parocho, & teſtibus, ſed etiam coram conjuge innocente, cum cujus perſona contractum fuiſſet impedimentum occultum affinitatis, ex qua proinde novus conſenſus & ratificatio contractus matri-

matrimonialis eblandiendus eſſet, ut neque ipſa ſuſpicaretur, id fieri ad revalidandum Matrimonium.

Unde ex prædicta Concilii Tridentini intentione ſubſumo. Atqui ille finis ſolùm obtinetur, ſi Parochi & Teſtium præſentia ſemper quidem & univerſaliter, verùm eatenus requiratur, quatenus ſervit ad probandum contractum matrimonialem, vel in principio validum, vel deinde revalidatum; tali autem modo ſervit, hoc ipſo, quòd vi primæ præſentiæ, quantumvis contractus nondum fuiſſet validus, nunquam poſſit ampliùs diſſolvi contractus inter hos Coniuges, & novus inter alios iniri; etiamſi non ampliùs pro revalidatione contractus priùs invalidi adhibeatur præſcripta forma. At ſi hæc iterum adhiberi deberet, non obtineretur alter finis, ne multi in gravia peccata & in ſtatum damnationis, ac fornicationis perpetuæ inducerentur. Ergo Trident. tantùm præcepit, ut inter eoſdem conjuges ſemel dumtaxat præſcripta forma adhibeatur, quando ea ſufficit, ad contractum matrimonialem tam pro poſteriori tempore, quo revalidatus eſt, quàm pro priori probandum: quando ſcilicet impedimentum, primum contractum dirimens, ita erat, & manet occultum, ut ipſum nunquam in judicio probari poſſit. Tunc enim una & eadem Aſſiſtentia Parochi & teſtium mediatè, æquivalenter, & moraliter extendit ſe etiam ad revalidationem contractus, quia à Trid. non aliter eſt requiſita: ex quo patet etiam diſparitas cum aliis contractibus, in quibus conditio requiſita tunc debet dari, quando ponitur contractus, nec poteſt contractus retrahi, aut invalidus revalidari: imò in ipſo contractu Matrimonii eſt diſparitas cum aliis quibuſdam conditionibus, quæ ipſi contractui debent coexiſtere.

Atque hæc interpretatio mentis, ac intentionis, quòd Tridentinum non aliter requiſiverit Aſſiſtentiam Parochi ac Teſtium, æquè neceſſariò ſupponi debet, quando impedimentum dirimens tantùm unum, quàm ſi utrumque Conjugem afficiebat: quia hoc diſcrimen prorſus inutiliter, & ex falſa ſuppoſitione à quibuſdam citatis Doctoribus uſurpatur, nempè exiſtimantibus, quando defuit uni contrahentium verus, aut liber conſenſus, ideò non eſſe de novo adhibendam formam à Tridentin præſcriptam, quia non initur novus contractus, ſed tantùm ſuppletur defectus prioris contractus per hoc, quòd deinde ponatur conſenſus non fictè, aut coactè, ſed verè & liberè. Falſum enim eſt, quòd non ineatur novus contractus, cùm deficiente conſenſu legitimo ex parte unius, totus contractus fuerit invalidus. Præterea quia Matrimonium eſt eſſentialiter contractus mutuus, ex utraque parte etiam neceſſaria eſt præſcripta forma, & ſine hac de novo adhibita non poſſet altera ſe mutuò obligare de novo, ſi ea de novo adhibenda eſſet, quando impedimentum fuiſſet penes utrumque contrahentem. Adeòque ratio noſtra valet, & neceſſariò adhibenda ac admittenda eſt ſine diſcrimine: ex qua etiam facilè ſolvuntur objectiones.

121 Obiicitur enim primò, In diplomate Cruciatæ per privilegium conceditur commiſſario facultas diſpenſandi, ne coram Parocho & teſtibus revalidetur Matrimonium cum impedimento occulto contractum. Et ſic etiam Clemens VIII. actu diſpenſavit. Ergo ſine diſpenſatione eſt neceſſaria nova præſentia Parochi & teſtium. Reſp. Eſt neceſſaria, quando impedimentum erat quidem occultum, ſed poterat fieri publicum, ac in judicio probari, pro quibus caſibus eſt conceſſa diſpenſatio, concedo illatum: in caſu noſtræ aſſertionis nego illatum.

Obiicitur ſecundò. Si prior contractus cum impedimento occulto eſt invalidus, is neque ſucceſſu temporis ſublato impedimento convaleſcit. Ergo debet celebrari alius contractus. Sed alius contractus ut ſit validus, debet habere debitam formam: forma autem debita eſt præſentia Parochi: ergo cum hac debet celebrari. Reſpondetur, diſtinguendo ultimum antecedens. Forma debita eſt præſentia Parochi, phyſicè, & realiter, ſive formaliter coexiſtens, nego antecedens, vel phyſicè, vel moraliter, ſive æquivalenter coexiſtens, quatenus nimirum ex ea poteſt probari Matrimonium inter hos Conjuges contractum, ac impediri novum Matrimonium adulterinum, ſimulque perpetua fornicatio eorundem Conjugum, invalidè conjunctorum, concedo antecedens. Et ſic diſtinguo conſequens. Ergo cùm præſentia Parochi phyſicè exiſtente debet celebrari novus contractus Matrimonii, nego conſeq. Moraliter, vel æquivalenter exiſtente conc. conſeq.

Obiicitur tertiò. Si ſufficeret prior aſſiſtentia Parochi cum contractu invalido, propter vim probandi Matrimonium primum, ac improbandi & impediendi ſecundùm cum alia perſona, hoc ipſo ſufficeret etiam alia forma contrahendi v. g. per Inſtrumenta matrimonialia, vel per qualeſcunque teſtes, omni exceptione majores. Reſpond. negando ſequelam, & paritatem. Quia non propter ſolam vim probandi contractum matrimonialem ſufficit prior aſſiſtentia Parochi & teſtium: Sed quia continet formam ac ſolemnitatem, univerſaliter, & abſolutè præſcriptam, moraliter, habitualiter, & æquivalenter perſeverantem.

§. XI.

De impedimento Impotentiæ, & Raptus.

S V M M A R I V M.

122 *Perpetua impotentia abſoluta, vel reſpectiva, impedit univerſaliter, vel reſpectivè Matrimonium contrahendum, ſive ſit cognita, ſive ignorata. Circa quod explicatur S. Thomas, apparenter contrarius.*

123 *Impotentia, ſuperveniens contractui, non reddit alios actus conjugales, ſecluſa probabiliter prævisa pollutione, illicitos. In dubio autem, an Matrimonium cum tali impotentia contractum fuerit, conceditur triennium pro exploratione.*

124 *Quæ ſit vera Impotentia copulæ carnalis.*

125 *Aliud eſt Impotentia ad copulam, & aliud Impotentia ad prolem generandam.*

126 *Qualiter Raptus dirimat Matrimonium, & quæ contra eum ſint pœnæ ſtatutæ.*

REſtant adhuc duo impedimenta dirimentia declaranda. Primum eſt impotentia; quia enim Matrimonium eſt traditio poteſtatis utendi corporibus per actionem ex natura ſua aptam ad generationem prolis, ideò quando in alterutro contrahente datur impotentia perpetua ad talem actionem, id eſt, quæ aut omninò non, aut ſaltem ſine vitæ, aut graviſſimi morbi periculo, nec medicinis, nec conſuetis exorciſmis, ſi ex veneficio orta eſt, tolli poteſt, quamvis poſſet per veneficium, aut miraculum, hoc ipſo jure naturæ contractus eſt irritus: ut declaratur in toto titulo *de frigidis, & maleficiatis*: & illa perſona habens talem impotentiam, vel cum nulla alia poteſt contrahere Matrimonium, ſi ſit abſoluta reſpectu totius ſexus, vel ſi ſit reſpectiva ad hanc vel illam perſonam talis ſexus, cum illis non poteſt validè contrahere Matrimonium, & tali cum impotentia contractum, ſive illa ſit cognita, ſive ignorata, Jure naturæ eſt irritum: ideò hæc comparatio Impotentiæ cum conditione ſervili, quando S. Th. 4. *diſt. 36. q. unic. a. 1. in c.* inquit: *Sicut impotentia coeundi ignorata impedit Matrimonium, non autem ſi ſciatur, ita conditio ſervitutis ignorata Matrimonium impedit, non autem ſervitus ſcita*, hæc inquam, comparatio eo modo intelligenda eſt, quo ipſe S. D. eam declarat 4. *diſt. 34. q. 1. a. 2. ad 4.* diſtinguens inter impotentiam *de Iure* & inter impotentiam *de facto* priori intelligit eam, quæ Jure naturali, vel independenter ab ejus ignorantia, poſitivo annullat Matrimonium. Pro exemplo aſſignat Conſanguinitatem in gradu, Jure poſitivo reddente inhabilem ad copulam conjugalem. Poſteriori impotentia videtur intelligere S. D. impedimentum aliquod temporale, vel non reddens abſolutè & ſimpliciter impoſſibilem copulam conjugalem, quo à contrahentibus cognito valet contractus, quia eſt abſolutè initus, ſed non cognito, non valet, ſi contractus eſt tantùm conditionatè initus.

Dico: *contrahere*: nam ſi impotentia primùm ſuperveniat contractui, non diſſolvitur Matrimonium, & talibus conjugibus adhuc licent tactus, & oſcula, ſecluſo periculo pollutionis, & copula ipſa, ſi impotentia tantùm ſit ad effundendum verum ſemen, non autem ad penetrandum vas mulieris: imò in dubio, utrùm verè adſit talis impotentia, licet tentare copulam, quamdiu

diù perſeverat dubium; etiamſi præter intentionem frequens pollutio contingat. Et ſic etiam quando initio contractus impotentia fuit dubia, ita ut neque evidenter, neque moraliter certa ſit (cum qua ſine gravi injuria alterius conjugis potentis, & ignari contrahere non licet) conceditur Jure Canonico triennium ad experiendum, ut habetur *in cap. Laudabilem cap. Literæ: de frigidis, & maleficiatis:* computando triennium ſecundùm probabiliorem opinionem non à die tentatæ copulæ, ſed à die, qua conjuges in eodem lecto ſimul habitare cœperunt, quod tempus, cùm valdè notabiliter interrumpitur, tanti intervalli ſuppletione compenſari debet: ex tali enim cohabitatione conjuges ſupponuntur uſui Matrimonii vacaſſe: & impotentiam ſatis exploraſſe; unde elapſo triennio, (quamvis ſi uterque conjux expertam impotentiam citiùs fateatur, tam diu, imò ultra aliquot menſes, vel annum expectare ſecundùm aliquam, minus tamen communem ſententiam neceſſe non ſit) exigi debet Juramentum de impotentia ab utroque, vel ſaltem ab affirmante Conjuge, & ab hujus ſeptem conſanguineis, aut vicinis, qui teſtentur, ſe credere ab eo verum dici, ut habetur in cit. tit. *de frigidis, & maleficiatis*, & capitulis citatis.

124 Notandum eſt autem, per Impotentiam non intelligi inhabilitatem ad procreandam prolem, licèt tanta ſit ex parte uxoris, ut vel nunquam parere, vel non niſi fœtum mortuum, vel non ſine gravi vitæ periculo poſſit (ob quod illi licitum eſt negare debitum, nec tamen prohibitum petere, aut reddere, quia periculum incontinentiæ incerto vitæ ſuæ aut prolis periculo prævalet teſte Pal. *diſp.4. punct.14. num.12.*) ſed intelligi inhabilitatem ad verum ſemen ſeminandum ex parte viri (quæ ex carentia teſticulorum, ut in Eunuchis, vel ex nimia frigiditate, vel ex vehementi exſiccatione membri virilis provenire poteſt) vel ad recipiendum ex parte fœminæ ob nimiam arctitudinem vaſis, ſi illud ſine gravi periculo judicio Medicorum per ſciſſionem dilatari non poſſit, ſi enim ſine tali periculo poſſit dilatari, non cenſetur impotentia perpetua, ſed tantùm temporalis, nec tamen propterea ſciſſionem uxor tenetur ſubire, ſi arctitudo non ſit ſpecialis, vel extraordinaria, ita ut in fraudem viri ejus celatio cedere potuerit.

125 Ex quo colligitur ſteriles, & ſenes etiam decrepitos, modo natura vel arte calere poſſint ad verum ſemen, licèt debile & infœcundum effundendum, & moribundos, (hi enim potentiam tantum per accidens impeditam, non verò carentiam illius habent) validum Matrimonium contrahere poſſe; quia actionem, quæ eſt finis immediatus Matrimonii, exercere valent, etiamſi per accidens impediatur procreatio prolis.

126 Alterum impedimentum eſt Raptus mulieris. Raptor enim mulieris nondum ſibi per Matrimonium, aut Sponſalia obſtrictæ, invitæ, ac renitentis (non autem volentis, etiamſi parentes ſint inviti) intuitu Matrimonii contrahendi, & non ſolius libidinis explendæ cauſa, tamdiu cum illa Matrimonium inire non poteſt, quamdiu eam in alium locum violenter abductam (prout ad hoc impedimentum contrahendum omninò requiritur) extra ſuam poteſtatem in loco tuto non conſtituit, licèt ipſa interea ſponte conſentiret in Matrimonium, ut expreſsè ſtatuitur in Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 6.* & raptor ipſe, & omnes illi conſilium, & auxilium, ac favorem præbentes, ipſo jure ſunt excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces: tenetur præterea raptor mulierem raptam, ſive eam deinde uxorem duxerit, ſive non, arbitrio Iudicis dotare.

QVÆSTIO IV.

De obligationibus & Iuribus Matrimonii.

ARTICULUS I.

De Obligationibus & Iuribus Matrimonii circa ejus uſum.

§. I.

De debito ac licito uſu Matrimonii.

SVMMARIVM.

127 *Conjuges ſub mortali peccato obligantur reddere debitum, ſeriò ac rationabiliter petitum.*

128 *Debitum rectè perſolvendum eſt quoad ſubſtantiam ſub mortali, quoad modum ſub veniali.*

129 *Quænam Actiones liceant Conjugibus.*

Dicendum 1. Sub peccato mortali obligari ad debitum ſibi mutuò reddendum, quando non ex mera gratia, ſeu benevolentia, ſed ut debitum ſeriò & rationabiliter ab alterutro ſive expreſsè, ſive tacitè petitur. Ita communis, conſtat *ex 1. Corint. 7.* & ex ratione: quia uterque Conjux habet jus petendi debitum, ejuſque negatio eſt circa materiam gravem, potentem meritò ad vehementem indignationem commovere, etiamſi (quod quidem negat Baſil Pontius) tantùm ſemel, vel iterum facta ſit. 127

Dixi *Seriò*. Nam venialem culpam non excedit, ſi tergiverſatione aliqua alter, præſertim maritus (fœminæ enim, ut monet S. Thom. *4. diſt. 32. a. 2. quæſtiunc. 1. ad 3 & ad 4* ob naturalem verecundiam, quam habent in petendo, minus tergiverſatione repellendæ ſunt) à petitione avertatur, aut paululum differatur: quia hæc non eſt abſoluta negatio debiti.

Addidi etiam *Rationabiliter*; ſi enim immoderata eſſet petitio propter nimiam, & noxiam frequentiam, meritò negaretur debitum irrationabiliter petitum, adeoque indebitum. Et ſi petens ebrius, aut amens eſſet, etiam non teneretur alter reddere, per ſe loquendo, & niſi aliàs grave malum oriretur, quia petitio obligans debet eſſe humana, & rationabilis, ſanus tamen conjux petere, & reddere poteſt, etiam cum periculo, ne rationi impos cauſa ſit ſeminis fruſtra effuſi, quia hoc præter intentionem ſani Conjugis fieret, qui jure ſuo uti poteſt; quod ſi tamen uterque conjux eſſet amens, ſeparari deberent, ne ſi qua proles naſceretur, deeſſent, qui educarent.

Dicendum 2. Utrumque Conjugem obligari ad copulam rectè peragendam: ſub mortali quidem, ut peragatur rectè quoad ſubſtantiam, ne ſcilicet ſemen extra debitum vas effundatur (etiamſi parum aliquid diffluat, quia aliàs totum ſemen non ſolet in matrice retineri, ſed retento, quod ad generationem ſufficit, reliquum expellitur) ſub veniali verò, ut peragatur rectè quoad modum: Ratio utriuſque eſt; quia quando peccatur in ſubſtantia, committitur peccatum pollutionis contra naturam, & finem, ob quem licitus eſt uſus conjugalis, adeòque debuit ſub gravi obligatione prohiberi: unde fœmina tenetur etiam receptum ſemen retinere, & quando ipſa prior ſeminavit, tenetur expectare ſeminationem viri, quia aliàs ipſius ſemen eſſet inutile, ac inſufficiens. Quando verò peccatur in modo, tantùm intervenit inordinatus affectus, & voluptas, quæ capitur ex re licita, & cùm adhuc obtineatur finis à natura intentus, non oportuit gravem obligationem inducere. 128

Dicendum 3. Tactus impudicos à conjugibus in proprio, vel mutuò in alterius corpore exercitos cum periculo pollutionis, & abſque urgente cauſa, eſſe peccatum mortale; ſine tali periculo autem, ſi referantur ad copulam conjugalem, nullum eſſe peccatum, veniale verò, ſi ad eandem vel ad alium honeſtum finem non referantur, & probabiliter etiam, ſi in proprio corpore exerciti propter abſentiam conjugis, vel ob aliam cauſam ad copulam neque referri poſſint, quamvis id neget 129

Vaſq.

Vaſq. *tom.* 1. *in.* 1. 2. *diſp.* 113. *n.* 4. Ratio primæ partis eſt, quia pollutio eſt peccatum contra naturam, ergo etiam tactus impudici, tamquam medium per ſe & ex natura ſua proximè ad illam ordinari, ex quibus probabiliter prævidetur ſecutura. Antecedens eſt certum, & evidens ex dictis *tr.* 4. *diſp.* 1. *n.* 63. *&* 71. ideò meritò damnata eſt ab Innocentio XI. propoſitio 49. *Milites Iure naturæ probibita non eſt: unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſepe eſſet bona, & obligatoria ſub peccato mortali.* Quæ turpiſſima aſſertio directè repugnat doctrinæ S. Pauli 1. *Cor.* 6. *v.* 10. *Neque molles &c. regnum DEI poſſidebunt.* Quod crimen inter alia novem Jure naturæ prohibita ab Apoſtolo decimum enumeratur. Conſequens etiam patet ex dictis à nobis *l. c. n.* 64 *& ſeqq.*

Dixi: *absque urgente cauſa*, qualem utique habet Chirurgus, cùm ſectionis cauſa tangit: unde etiam prævisa, ſed non intenta pollutione, & ſecluſo periculo conſenſus non peccat tangendo. Ratio ſecundæ partis eſt, quia cui conceditur finis, eidem etiam conceduntur media ad finem ex natura ſua ordinata. Ratio tertiæ partis eſt, quia tactus impudici non tantùm honeſtantur à culpa, ut proximè exercenda, ſed ab ea, ut ſibi licita ex contractu matrimoniali, etiamſi ad illam per accidens non referantur; ſic honeſtantur etiam cogitationes turpes circa propriam uxorem: unde præcisè propter inordinatum affectum ad rem, alioqui ſi conjungitur cum culpa, ſibi licitam, peccatur venialiter, quando ſine culpa, vel alio Conjugibus licito, & honeſto ſine exercetur, prout etiam peccatur per ipſam copulam, ſinè hujuſmodi fine peractam: quemadmodum Innocent. XI. declaravit hujus Propoſitionis nonæ interdicto. *Opus Conjugij ob ſolam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu Veniali.* Ratio ultimæ partis eſt; quia tactus impudici extra pollutionis periculum honeſtantur à culpa ut licita, non autem ut proximè poſſibili, aliàs quando Matrimonio contracto ſupervenit impotentia ad copulam, neque tactus impudici ampliùs licerent, quod tamen probabiliùs falſum eſt: ergo tactus impudici corporis, etiam in abſentia conjugis, non majorem malitiam, quàm inordinatum appetitum voluptatis licitæ continent, etiamſi tunc copula non ſit promixè poſſibilis. Atque ex his colligitur, conjuges à cœpta copula ſine peccato deſiſtere poſſe, quando nulla facta eſt ſeminatio ad generationem inſufficiens, neque illius faciendæ periculum eſt, quia reliqua, quæ acta ſunt, non differunt à tactibus impudicis.

§. II.

De Circumſtantiis in Uſu Matrimonij obſervandis.

S U M M A R I U M.

130 *Non eſt mortale peccatum, petere debitum tempore Menſtrui naturalis.*

131 *Neque eſt Veniale, tempore menſtrui fluxus innaturalis; tempore autem fluxus naturalis absque juſta cauſa petere, vel reddere, eſt veniale.*

132 *Idem dicendum tempore conceptionis proximo, non autem remoto.*

133 *Licet etiam petere debitum tempore lactationis.*

130 Dicendum primò. In nova Lege non eſt peccatum mortale, ſi uxor tempore fluxus menſtrui, vel maritus etiam ſciens debitum conjugale petat. Ita contra Alenſem, S. Bonaventuram & plures alios relatos à Thoma Sanchez *lib.* 9. *de Mat. diſp.* 21. *n.* 2. ipſe Sanchez plurimos referens *num.* 5. 6. *&* 8. & aſſentiuntur communiter Doctores ut S. Anton. Palud. Navar. Dominicus Soto, Pontius, Henriq. Hurtad. Azor. Laym. Pal. Tan Amicus. Videturque hæc eſſe mens eorum Doctorum, qui apud cit. Thomam Sanchez *n.* 3. ſolùm dicunt eſſe peccatum, ſed non addunt eſſe mortale: inter quos eſt etiam S. Thomas 4. *diſt.* 32. *q. unic. a.* 2. *q.* 2.

Ex quo ante probationem Concluſionis notandum eſt: aliquas fœminas pati fluxum Sanguinis *innaturalem*, quo ſcilicet veluti morbo quaſi continuè laborant, quemadmodum etiam quidam viri frequentem vel quaſi continuum fluxum ſeminis patiuntur: de hoc utroque fluxu fatentur cum S. Thom. teſte Sanch. omnes Theologi, non impediri per eum Jus petendi debitum: tum quia eſſet conjugibus intolerabile onus, tam frequenter & continuè prohiberi ab uſu Matrimonij: tum quia proli concipiendæ nullum imminet periculum, imò plerumque fœminæ illum fluxum patientes nequeunt concipere. Alius fluxus, de quo hìc controverſia eſt, dicitur *Naturalis*, qui ſecundùm ordinem naturæ fœminis certis temporibus ſolent accidere, & aliquibus ferè quovis trimeſtri, aliquibus etiam ſingulis menſibus, (unde etiam Meſtrui, & uſitatiùs in plurali menſtruorum nomen accepit,) & frequenter durat octo circiter diebus. De hoc itaque fluxu Menſtruo, quòd licentiam petendi & reddendi debitum non ſuſpendat ſub obligatione peccati mortalis.

Probatur primò. Si fluxus menſtrui tempore uſus Matrimonij eſſet ſub mortali prohibitus, id proveniret vel ex Jure Divino poſitivo, quo Levit. *c.* 20. ſub pœna mortis conjugibus fuit interdictus: vel ex Jure Naturali, indicato apud Ezech. *c.* 18. per verba: *Qui ad Menſtruatam non acceſſerit, & uxorem proximi ſui non violaverit:* ubi acceſſus ad Menſtruatam adiungitur Adulterio, Jure Naturali prohibito. Vel denique proveniret ex Obligatione, potiſſimùm aſſignari ſolita: nempe propter cavendum damnum prolis, quæ ex ſemine per impurum ſanguinem vitiato concepta, ſæpe leproſa, vel epileptica, vel alio modo defectuoſa redderetur. Sed neutra ratio evincit intentum. Non prima; quia in Antiquo Teſtamento acceſſus ad Menſtruatam erat prohibitus propter immunditiam Legalem, in Lege Gratiæ ſublatam. Non ſecunda. Quia textus Ezechielis eandem prohibitionem Legalis immunditiæ ſupponit: quòd autem conjungatur Adulterio, non inde rectè arguitur ejusdem Rationis prohibitio: Sicut quando in Actis Apoſtolorum *c.* 15. *v.* 20. Gentibus ad Chriſti fidem converſis præceptum fuit, ut abſtineant *à contaminationibus ſimulacbrorum, & fornicatione, & ſuffocatis, & ſanguine*, non propterea poſteriora duo erant Jure naturali prohibita, ſicut duo priora. Conjuncta itaque ab Ezechiele eſt geminæ Copulæ prohibitio, ut oſtenderet, quomodo mariti in veteri Lege ſe haberent tum ad propriam Uxorem, tum ad alienam, ab utraque abſtinendo, ſed propter diverſam cauſam, & diverſa Juris obligatione. Denique nec tertia ratio perſuadet obligationem gravem abſtinendi ab Uxore menſtruata: quia ut teſtatur Thomas Sanchez *n.* 7. innumeri Conjuges tempore menſtrui coeunt, & rariſſimè evenit proli aliquando damnum: præterea, ut idem Author *n.* 5. ex Ariſtotele *lib.* 1. *de Generat. Animal. capitul.* 19. notavit, longè certius eſt, nullam prolem conceptum iri propter difficultatem retinendi tali tempore ſemen in matrice. Denique licèt conciperetur proles defectuoſa, meliùs eſt tamen proli, eſſe defectuoſam, quàm omnino non eſſe: quòd ſi enim conjuges differrent uſum Matrimonij in aliud tempus, forſitan tunc etiam alia proles conciperetur.

Probatur ergo ſecundò non dari obligationem gravem abſtinendi à Copula Conjugali. Jus certum, quod Conjuges habent ad uſum Matrimonij, periculum frequentis incontinentiæ, & ſæpiſſime peccandi mortaliter, graviſſimum etiam onus frequenter & diu abſtinendi ab uſu Matrimonij propter fluxum menſtruum, ferè quot Menſibus redeuntem, & pluribus diebus durantem, longè præferri debet damno prolis incertiſſimo, & magis ei etiam optabili, quàm ſi per abſtinentiam à Copula exponeretur periculo, ne ipſa omnino non conciperetur. Ergo ratione damni, proli inferendi, non gravis datur obligatio abſtinendi ab uſu Matrimonij tempore fluxus menſtrui Naturalis.

Dicendum tamen ſecundò. Per ſe & ordinariè non 131
vacat culpa veniali, ſi uxor petat debitum à marito, quando patitur dictum fluxum naturalem, vel quando maritum petentem facilè poſſet avertere à petitione: nam ſi non facilè, vel non ſine offenſa mariti, vel non

ſine aliquo eventuro incommodo id poſſet, (uti juxta Sanchez *lib. 9. diſp. 6. num. 6.* vix vel rarò poſſet, quando ſeriò petentis Jus nulla gravi obligatione eſt reſtrictum) teſte S. Thoma *l. c. quæſtiunc. 3.* deberet reddere debitum: nec tutum eſſet, inquit S. D. *paſſionem ſuam indicare, ne fortè vir ex hoc ad eam abominationem concipiat, niſi de viri prudentia præſumatur*. Idem autem de Marito etiam dicendum, ſi ſciens ab Uxore Menſtruum patiente debitum petat. Ita communiter Doctores, & qui etiam venialem culpam negant, ſupponunt, ex bono & honeſto fine ac ratione urgente debitum peti, quæ in tali caſu excuſet ab obligatione, propterea etiam in Concluſione dixi, *per ſe & ordinariè*. In hoc ſenſu probatur Concluſio primò Authoritate S. Hier. *in cit. c. 18. Ezechielis*. S. Auguſtini *to. 7. lib. 3. de peccatorum meritis cap. 12. & to. 4. lib. 3. Quæſtionum in Leviticum cap. 64.* S. Gregorii relati *in capit. fin. diſt. 5.* S. Clementis *epiſtola ad Julium & Julianum*. S. Thomæ *loc. cit.* Qui omnes culpam aſſerunt, & de ſolùm veniali intelligi poſſunt, teſte Sanchez *loc. cit. num. 16.* & ſuadente ratione noſtra prædicta.

Probatur ſecundò. Etiamſi damnum prolis ſit incertum, quia tamen eſt aliqua ejus probabilitas, & quia Conjuges differendo uſum Matrimonii facilè poſſent certò ſanam prolem, eandem vel aliam, generare, neceſſe eſt, aliquam inordinationem appetitus libidinoſi intervenire in petitione debiti, tempore tam importuno: ergo petens debitum peccat ſaltem venialiter, & ſimiliter peccat reddens, quando facilè & ſine offenſa, alioque incommodo petitio diverti poſſet precibus vel prætenſa aliqua alia vera cauſa, quando non expedit, marito manifeſtari ipſum fluxum menſtruum.

132 Circa Uxorem prægnantem, quando non probabiliter conſtaret de periculo abortus e. g. per experientiam (nam per ſe & ordinariè tale & propinquum periculum nullum eſt) Doctores, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib. 9. de Mat. diſp. 22.* diſtinguunt inter tempus proximum Conceptioni, & inter tempus reliquum uſque ad partum. Circa primum, nempe circa initium conceptionis eodem modo reſpondent, ſicut in prioribus duabus Concluſionibus diximus de Uxore Menſtruata: quia licèt matrix poſt conceptionem claudatur, ut mulier nequeat de novo concipere, eſt tamen ſaltem remotum, & aliquale periculum, ut Tiraquel. *lib. 15. Connub. n. 141.* ex Hippocratis & aliorum Medicorum ſententia probat, ne aliquando aperiatur, & materia nondum coagulata effundatur, ac diſpergatur. Et propterea eſſe peccatum ſaltem veniale docent Sylv. Angelus & alii à Sanchez *l. c. n. 1. & 4.* relati imò etiam quidam SS. Patres ab eodem *n. 2.* adducti. Quando verò etiam hoc periculum ceſſavit, adeoque reliquo tempore teſtatur idem Sanchez *n. 6.* cum pluribus aliis allegatis, neque peccatum veniale eſſe, petere ac reddere debitum. Quia in contrarium nulla extat lex: & eſſet graviſſimum onus, vel periculum multoties peccandi venialiter, ſi daretur obligatio cum Uxore habitandi in eodem lecto, & nunquam illa utendi, quamdiu gerit partum in utero, nempe quot annis per novem menſes.

133 Idem eodem Sanchez, & aliis teſtantibus dicendum de tempore, quamdiu mater lactat infantem; etiamſi enim per novam conceptionem aliquando exſiccarentur ubera, & alimentum infanti ſubtraheretur, eſt tamen hoc periculum incertum, & rarum, & poteſt per aliam nutricem, vel ſuſtentationem natæ proli ſuccurri; ideo inquit cit. Author *n. 14. Ob rem incertam, raramque duriſſimum eſſet, jugum moraliter impoſſibile humeris conjugum imponere, ut ſimul in eodem tecto accubantes, biennio, quo infantis lactatio durat, abſtineant, atque iterum tàm mater pepererit, alio biennio*.

Hinc non pro Lege, ſed pro reprehenſione ſæpe inordinatæ, neque ad finem honeſtum directæ libidinis, accipienda ſunt verba S. Greg. *Reſponſ. 10. ad Auguſtin.* allegantis Antiquæ Legis exemplum, *in capit. Fin. diſt. 5.* relata: *Ad ejus verò concubitum Vir ſuus accedere non debet, quouſque qui gignitur ablactetur. Prava autem in Conjugatorum moribus conſuetudo ſurrexit, ut mulieres filios, quos gignunt, nutrire contemnant, eoſque aliis mulieribus ad nutriendum tradant: quod videlicet ex ſola cauſa incontinentiæ videtur inventum; quia dum ſe continere nolunt, deſpiciunt lactare, quos gignunt. Hæ itaque, quæ filios ſuos ex prava conſuetudine aliis ad nutriendum tradunt, niſi purgationis tempus prius tranſierit, Viris ſuis non debent admiſceri, quippe cùm & ſine partus cauſa, cùm in conſuetis Menſtruis detinentur, Viris ſuis miſceri prohibeantur: ita ut morte lex ſacra feriat, ſi quis Vir ad menſtruatam mulierem accedat*.

§. III.

De Uſu Matrimonii non licito.

S U M M A R I U M.

134 *Perſona conjugata, quæ ſcienter commiſit inceſtum cum perſona conſanguinea Conjugis ſui aut ſuæ, prohibetur petere debitum conjugale ante omnem ſententiam Judicis, tenetur tamen reddere.*

135 *Ab hac pœna tamen excuſat ignorantia non quidem ipſius pœnæ, ſed conſanguinitatis, & metus gravis injuſtus, dans cauſam inceſtui. Ignorantia verò ipſius pœnæ excuſat, quamdiu ipſa durat. Unde quandò illa expedit pœnitenti, relinquendus eſt in ſua ignorantia.*

136 *Voto caſtitatis obſtrictus non poteſt petere, ſed reddere debitum, niſi aliunde excuſetur à reddendo: & tunc neque licet.*

137 *Idem dicendum de eo, qui dubius de valore, cum altero non dubitante, contraxit.*

138 *Impedimentum petendi debitum poſt ſcienter contractam, dus ante matrimonio, cognationem ſpiritualem hodie eſt ſublatum.*

Dicendum. Licentia utendi jure ad petendum debitum privari conjugem criminis, aut voti reum, vel ream in ſequentibus caſibus. 1. Si habuit Copulam Inceſtuoſam cum conſanguinea, vel conſanguineo conjugis in primo, vel ſecundo gradu, conſcius conſanguinitatis, & liberè tam à neceſſitate ſeu violentia, quàm (ut probabile cenſent Sanchez, Laym. Palao cum Pontio, & Soto) à metu cadente in conſtantem virum, etiam inceſtus ille occultus ſit, nec in publicum (ut Sylveſter, Angelus, & Saa immeritò, & ſine ullo juris fundamento, ac in præjudicium ipſius Legis requirunt) ulla ratione emanaverit. Statuta eſt hæc pœna latæ ſententiæ *in cap. Tranſmiſſæ: cap. Tuæ fraternitatis, de eo, qui cognovit conſanguineam*, & *cap. Si quis viduam 31. quæſt. 7.* Licèt autem antiquo jure affinitas ſe extenderit uſque ad quartum gradum incluſivè, neque Tridentinum expreſsè eandem reſtrinxerit, quoad impedimentum petendi debitum, ſed tantùm quoad impedimentum contrahendi Matrimonium, implicitè tamen videtur determinaſſe, quòd affinitas per copulam illicitam ſolùm contrahatur uſque ad ſecundum gradum: idque Baſil. Pontius refert à S. Congregatione Concilii deciſum eſſe: tenetur nihilominus inceſtuoſus innocenti debitum petenti reddere: etſi enim quemadmodum reus contraxit affinitatem carnalem cum innocente, & propter ſpecialem honeſtatem abſtinendi à copula, privationem juris petendi debitum, etiam ignarus ſtatutæ pœnæ incurrit, præter morem aliarum pœnarum temporalium, ita viciſſim innocens videatur contraxiſſe affinitatem cum reo, quo minùs illi ampliùs commiſceri poſſit: quia tamen affinitas ex copula fornicaria, quantumvis cum matre uxoris habita fuiſſet, eſt ſolùm juris poſitivi, ideo innocens non eſt ſpoliandus jure ſuo abſq; propria culpa *juxta cap. Diſcretionem cap. Tua fraternitatis cap. Tranſmiſſæ. De eo, qui cognovit conſanguineam*. 134

Addidit ex communi doctrina particulas: *Conſcius conſanguinitatis*: quia neſciens ſe committere Inceſtum, pœnam illius non meretur, ut expreſsè colligitur *ex capit. 1. cit. tituli*, cumque illa etiam graviſſima ſit, non cenſenda eſt ab Eccleſia irrogari gravi metu, crimen quidem non omninò tollente, attamen minuente adactis, ſicut ab illa etiam juxta multos, & communiter excuſatur, quando reus ſuſpicionem ſui criminis, aut averſionis, ac odii innocenti præberet, vel ſi huic grave eſſet debitum ſemper petere, & nunquam invitari ab altero petente, imò ſi nec expre- 135

expreſſè nec tacitè petat, ſed ſolùm ſe inſinuet, & innocentem judicat, ut ipſe petat, nequaquam illi prohibetur. Præterea frequenter expedit, ut quando inceſtuoſus ignorat conſtitutam pœnam, propter periculum incontinentiæ, aut transgrediendæ Legis, in ſua ignorantia relinquatur à confeſſario, ſi non habeat poteſtatem diſpenſandi, aut ad alium eam habentem commodè tranſmittere non poſſit. Eadem poteſtate autem ex jure ordinario, ſaltem per conſuetudinem acquiſito, gaudent Epiſcopi, ut multis relatis teſtatur Laym. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 3. *cap.* 1. *num.* 15. eamque Pius V. delegavit RR. PP. Franciſcanis de Obſervantia 27. *Septembris anno* 1569. Noſtri Confeſſarii tamen, qui illorum privilegia participant, ſolùm ex conſenſu Provincialis eadem uti poſſunt, ſicut etiam poteſtate diſpenſandi pro tempore Conjugii cum illis, qui priùs votum caſtitatis emiſerunt, ut dicitur in Compendio privilegiorum, verbo *Diſpenſatio*.

Secundò. Privatur licentia petendi debitum, qui ante vel poſt Matrimonium contractum, cum vel ſine Conjugis alterius conſenſu, votum caſtitatis emiſit, quod etiam primo bimeſtri, quamdiu Matri-
136 monium non eſt conſummatum, reddere non licet, imò prohibetur reddere, quoties licitè poteſt denegare, ex quo Palao contra Sanchez deducit, non poſſe talem conjugi adultero in ordine ad reddendum debitum conciliari.

Tertiò. Privatur licentia petendi, quamvis gravetur obligatione reddendi debitum, qui cum dubio de valore Matrimonii adhuc perſeverante, cum altero bona fide contrahente Matrimonium illicitè inivit,
137 ut expreſsè definitur in *capit. Inquiſitioni Sentent. Excommunicat.* & *in cap. Dominus de Secundis nuptiis*, atque communiter docent Auctores: talis enim durante dubio meritò privatur facultate petendi debitum, & alter bona fide contrahens, nec alii, defectum eſſentialem ſine ſufficiente probatione affirmanti, aſſenſum debens, immeritò privaretur uſu juris, bona fide acquiſiti, quo etiam uterque gauderet, ſi utrique bona fide contrahenti dubium poſtea primùm superveniſſet, & facta ſufficienti inquiſitione, quæ licitæ petitioni præmitti debuit, deponi non potuiſſet.

Communis ſententia addit adhuc quartum impedimentum petendi debitum, quamvis ſi alter Conjux ſit innocens, reddere illi teneatur, quando ſcilicet unus cum altero extra caſum neceſſitatis cum adverten-
138 tia ad expreſſam prohibitionem Juris Canonici, adeoque cum gravi culpa contraxit Cognationem Spiritualem baptizando, vel à Sacro Fonte, aut Confirmatione ſuſcipiendo propriam illius prolem, ſive ex eodem, ſive ex præcedenti Matrimonio procreatam, verùm hoc impedimentum nunc apud Sanchez *lib.* 9. *c.* 26. *n.* 6. multi negant cum Palao *diſp.* 3. *pun.* 4. §. 5. omnes textus Juris Canonici ſatis probabiliter diſſolvente, & cum Hurtado *diſp.* 10. *difficultate* 6. *num.* 25. Diana *part.* 11. *tractat.* 5. *Miſcell. reſolut.* 39.

§. IV.

De Uſu Matrimonii non debito.

S U M M A R I U M.

139 *Cauſæ excuſantes à redditione debiti Conjugalis.*
140 *Inter cauſas excuſantes non rectè numeratur Excommunicatio petentis debitum, neque alia ejuſmodi ratio, non ceſſiva Juris ad petendum debitum, etiamſi petens aliunde prohibeatur petere.*

Dicendum de obligatione reddendi debitum liberari 139
Conjugem 1. Si eidem innocenti certò conſtet de adulterio ab altero commiſſo, quia ex tali crimine & notitia illius innocenti acquiritur jus adulterum conjugem à toro repellendi, niſi eodem ultrò cedat. 2. Si divortium legitimè factum eſt; hoc enim potiſſimùm conſiſtit in ſeparatione à toro. 3. Si alter ceſſit jure proximo petendi debitum, quo cedere etiam ordinariè ſupponitur per emiſſionem voti caſtitatis poſt contractum Matrimonium: ſed credo, hanc ceſſionem communiter ab alio conjuge non acceptari. 4. Si reddenti debitum, vel proli jam conceptæ, & juxta probabilem opinionem, etiam ſi concipiendæ grave damnum timeretur (modò ſola dilatione copulæ evitabile foret, aliàs melius eſſet proli concipiendæ naſci defectuoſam, ut inquit S. Thomas proximè citandus, imò etiam ante Baptiſmum abortivam, quàm non naſci) unde ſi ex judicio medicorum debiti redditio contagioſi morbi, quo maritus infectus eſt, periculum inferat, uti planè ſtabilis cohabitatio in eodem lecto inferret, uxor ſana ab ejuſdem obligatione immunis eſt, quòd ſi tamen, ut communiter fit, periculo careret aliquoties debitum reddendo, ad id tenetur, atque hoc nec tamen plus decernitur à S. Paulo 1. *Cor.* 7. *& à capit.* 1. *&* 2. *de Conjugio leproſorum*, aſſentiente S. Thoma *in ſupplemento quæſt.* 64. *art.* 1. *ad* 4. *&* 4. *diſt.* 32. *q. un. art.* 1. *ad* 4. quia huic obligationi nulla opponi poteſt excuſatio. 5. Si gravem difficultatem paterentur Conjuges in alendis filiis multiplicatis Sanchez Hurtad. Rodriq. Sotus, Pet. Ledeſma apud Palao, obligationem reddendi debitum probabiliter remittunt, utpote graviter damnoſum conjugibus, & liberis jam procreatis; licet ipſe Palao *diſp.* 3. *pun.* 4. §. 10. *num.* 4. cum aliis à ſe relatis id neget, quos putem cum prioribus conciliari poſſe, ſi difficultas ſit valde magna, præſertim ſi ex eleemoſynis, vel miſerè vivere gravi dedecori ſit familiæ honeſtæ, nec alia graviora mala, e. g. moraliter certum periculum Incontinentiæ, gravis diſcordia, fidei conjugalis violatio &c. metuenda ſint.

Addunt aliqui adhuc alias duas cauſas, à debito con- 140
jugali eximentes, nempè ſi petens excommunicatus ſit, & ſine peccato copulam à ſua petitione dependentem habere non poſſit, v. g. ſi voto caſtitatis obſtrictus ſit, etiamſi jure proximo petendi debitum non ceſſerit, vel ſi inceſſum affinitatis intra ſecundum gradum commiſerit, etiamſi innocens ſuum jus illum toro repellendi remittat. Verùm prior cauſa nulla eſt; quia ob vitanda animarum pericula conjugibus excommunicatis permittitur communicatio *cap. Quoniam multos* 11. *quæſt.* 3. Poſteriorem, quæ fundatur in eo, quòd non liceat reddendo debitum cooperari alterius peccato, DD. communiter diſtingunt, ut dicant, non licere alterius peccato cooperari, ſi actio per aliquam circumſtantiam tenentem ſe ex parte objecti vitietur, v. g. ſi petatur copula in loco ſacro, ubi ſine urgente periculo incontinentiæ exerceri non poteſt, licere tamen, ſi illi, cui cooperaris, ſolùm propter circumſtantiam ex parte ſuæ perſonæ ſe tenentem, actu prohibita ſit. Verùm alii, quos immeritò reiicit Palao *pun.* 4. §. 11. *num.* 3. diſtinctionem datam alia ſubdiſtinctione magis reſtringunt, ut ſcilicet tunc tantùm liceat cooperari, quando alter ab actione ſua malitiam poſſet removere, ut ſi copulam peteret ex fine inhoneſto, quàm ex alio fine poſſet honeſtè exercere: unde quia in prædictis exemplis petens debitum non poteſt remo-

vere malitiam copulæ, prout à ſua petitione dependens, ideo reddens debitum tam bene peccare videtur, quàm peccet contra religionem, qui fornicatur cum obſtricta voto caſtitatis, quæ circumſtantia etiam tantùm ſe habet ex parte perſonæ alterius, licèt malitiam peccati removere non poſſit, ideo ſi petenti malitiosè debitum conjux reddere vult, potiùs ipſa petat debitum, ut alter reddat. Illud tamen rectè cum Soto & Sanchez advertit Laym. *lib.* 5 *tr.* 10. *pun.* 3. *cap.* 1. *num.* 18. Si exigere debitum ex parte alterius eſt ſolùm culpa venialis, reddentem etiam à culpa veniali regulariter excuſari, propter incommoda rixarum, odiorum &c. ex recuſatione eventura. Vide etiam ea, quæ de conjuge Voto Caſtitatis obſtricto dixi *tr.* 5. *diſp.* 1. *n.* 127.

ARTICULUS II.

De Obligationibus & Juribus Matrimonii circa cohabitationem.

§. I.

De Actionibus inter Conjuges debitis.

SUMMARIUM.

141 *Prima obligatio Conjugum eſt mutua cohabitatio in eadem domo, menſa, & toro: niſi mutuo conſenſu, juſta cauſa, vel alterutrius crimine, hæc obligatio impediatur. Poteſt autem dari juſta cauſa ex parte mariti, ratione negotiorum, quin talis prætendi poſſit ab uxore: hæc etiam tenetur ſequi maritum, mutantem domicilium, niſi aliter ſit conventum.*

142 *Penes quem ſit obligatio ſuſtentandæ familiæ.*

143 *Et penes quem ſit obligatio ejuſdem regendæ.*

141 CIrca Cohabitationem conjugum ſequentes dantur obligationes. Prima & apud omnes certa, ac gravis obligatio eſt, ut ſimul vivant in eadem domo, menſa, & toro, niſi mutuo conſenſu, & ſecluſo incontinentiæ periculo eandem ſibi remittant, vel juſta cauſa, aut alterius crimen illam impediat. Naſcitur hæc obligatio ex natura Matrimonii, hoc ipſo, quòd per illud duo efficiantur una caro, & prædicta cohabitatio ad mutuum amorem, ac incontinentiæ remedium tanquam ad finem Matrimonii maximè conducat. Unde abſque juſta cauſa, & obtento conſenſu neutri Conjugum longo tempore ab altero abſcedere licet, ut etiam indicatur *in cap.* 1. *de Conjugio Leproſor.* Negotiorum autem & gubernandæ, alendæque familiæ cauſa marito licet quidem, renuente uxore, longo tempore, vel ſine ejuſmodi gravi, ex rationabili tamen cauſa, brevi tempore abeſſe ab uxore; non verò viciſſim hoc ipſum uxori diſſentiente marito permiſſum eſt; quia ſoli marito officium alendi, & gubernandi familiam incumbit, propter quod ejuſmodi poteſtas ipſi cenſetur rationabiliter concedi debere. Quòd ſi is arbitratu ſuo, prout ipſi ſoli permittitur, domicilium mutet, uxor eum ſequi tenetur juxta *cap. Unaquæque* 13. *quæſt.* 2. niſi in pactis matrimonialibus certus locus conſtitutus fuerit, nec mutationis gravis poſtea ac minimè prævisa cauſa emerſerit, vel niſi uxor abſque magno corporis, quando in illud non conſenſit, aut animi periculo maritum ſequi nequeat: hinc abſque implicito conſenſu, eò quòd ſciens militi nupſerit, in bellum proficiſcentem comitari non obligatur, nec vagari cum eo, quem neſcivit eſſe Vagum, vel qui primùm poſt Matrimonium abſque juſta cauſa vagari decrevit.

142 Secunda Obligatio eſt, ut Conjuges in adminiſtranda familia mutuis obſequiis ſe invicem juvent; liberos tamen, & uxorem alere ſolus maritus tenetur, niſi uxor dotem habeat, & eam marito non tradiderit, aut quod teſte Sanchez *lib.* 9. *diſp.* 5. *n.* 10. & Palao *diſp.* 3. *pun.* 5. §. 1. *num.* 2. perinde eſt, niſi traditam ſua culpa perdiderit, & parentes eidem alendæ ſufficientes ſuperſint, vel niſi abſque juſta cauſa à marito receſſerit (cenſetur autem adhuc juſta cauſa juxta Sanchez *diſp.* 4. *n.* 23. plures referentem; aſſentiente Laym. & Pal. etſi uxor fuerit ſeparata per incarcerationem ex præſuppoſito proprio delicto, fidei conjugali non adverſante) vel niſi ipſe maritus, & ejus Pater, vel avus paternus pauper ſit, & uxor dives; in hoc enim caſu, ut plures Doctores confirmant, quos refert, & ſequitur Sanchez *diſp.* 4. *n.* 27. iſta virum, & liberos, alere tenetur, ſaltem ex debito ordine charitatis, & ſub reſervatione juris ad recipiendum expenſas, ſi maritus ad pinguiorem fortunam pervenerit. Debita tamen ab ipſo relicta, quamvis in ſuſtentationem ſint expenſa, defectu viri ſolvere non obligatur, ut oſtendunt Sanchez *n.* 29. Molina, Bannez, Palao hac ratione, quia nimirum pecuniæ per mutuationem acceptæ dominium maritus acquiſivit, unde uxor in ſui ſuſtentatione non alienam pecuniam abſumpſit, ſed ita ſe habuit, ſicut creditor, qui ab alio mutuata pecunia ſolutus, eam nunquam ampliùs debet reddere. Quòd ſi uxor ſufficientem dotem ad ſui ſuſtentationem marito attulerit, etiam non tenetur labore lucrum facere, vel ſi quod fecit, id ſibi, non marito acquiſivit, ad eas tamen functiones obligatur, quæ juxta conditionem ſtatus & conſuetudinem aliarum fœminarum ſimilium ab uxoribus peragi ſolent.

Tertia Obligatio eſt, ut Conjuges ſe invicem corrigant adhortatione, & admonitione, punitione tamen etiam pro gravibus delictis ſolùm moderata, ſtatuique proportionata, & Conjugalis amoris non deſtructiva ſolus maritus delicta uxoris, non autem uxor delicta mariti emendare, ac caſtigare poteſt, quia iſti ſolùm competit impropria quædam juriſdictio, & gubernatio familiæ, unde iſte peccat, vitia tum uxoris, tum cæterorum domeſticorum non cavendo, & emendando, uxor autem non obediendo juſta præcipienti. 143

§. II.

De Divortio, ſive ſeparatione à Toro, & Cohabitatione.

SUMMARIUM.

144 *Divortium à toro & cohabitatione innocenti conceſſum eſt communi Jure; & non requiſita ſententia Judicis, ſi alter verum adulterium, Sodomiam, vel Beſtialitatem commiſiſſe, moraliter certò ſciatur, neque ipſi hoc crimen ab innocente conjuge fuerit remiſſum.*

145 *Etiamſi ſecluſo perverſionis periculo Catholicus ab hæretico pertinaci non teneatur ſe ſeparare, id tamen permiſſum eſt ipſi, uſque ad tempus converſionis alterius, quod etiam tenetur exſpectare. Quòd ſi tamen hæc ſeparatio facta ſit Authoritate Judicis, nec tenetur exſpectare, nec etiam poſita converſione cohabitare.*

146 *Ob quas cauſas divortium, Judicis ſaltem Authoritate inſtituere liceat.*

147 *Quomodo per Ingreſſum Religionis, vel per ſuſceptos Sacros Ordines, ex alterius conjugis conſenſu, divortium poſt Matrimonium conſummatum fieri poſſit.*

APrædictis obligationibus Conjuges juſti Divortii celebratione eximi poſſunt primò, ſi uno fidem ſervante, alter adulterium formale, & juxta aliquos etiam à metu in virum conſtantem cadente liberum, vel Sodomiam, aut beſtialitatem commiſit, adeoque ſi in alienam carnem per ſeminis communicationem aut receptionem, ſui diviſione ab eo, quocum eſt una caro, ſeparationem meritus eſt, niſi conjux innocens cognitum crimen expreſsè, vel tacitè per ſigna amoris, aut ſuſceptam copulam remiſerit, aut ad illud committendum proximè, & non tantùm remotè v. g. ſola debiti negatione aut ſævitia cooperatus ſit, ſub tali itaque exceptione juxta permiſſionem Chriſti apud *Matth. cap.* 5. *&* 19. *& juxta cap. Significaſti cap. ex litteris, de Divortiis*, poteſt, non tamen tenetur per ſe loquendo innocens à no- 144

à nocente (modò crimen ſit moraliter certum, per ſuſpicionem ſaltem non merè probabilem, ſed violentam, de qua intelligendum eſt, *cap. Dixit Dominus. 32. quæſt. 1.*) divortium faciant tum propria auctoritate, ſi id ex crimine occulto contingat, ſine nota infamiæ, quæ per ſolam ſeparationem, quoad torum, non autem etiam quoad cohabitationem facilè evitatur, tum auctoritate Judicis Eccleſiaſtici, apud quem etiam ob crimen occultum uxori adverſus maritum permittitur actio civilis, ſcilicet de decernendo divortio, tam quoad torum, quàm cohabitationem, tori ſeparatione ſuppoſita vix ampliùs futuram pacificam. Actio verò criminalis, de pœna ſanguinis apud Judicem ſæcularem inſtituenda ſoli marito conceditur adverſus uxorem adulteram (contra quam etiam dotis applicationem ſibi petere poteſt, ita ut dotem retinere, nec tamen dimiſſam uxorem, ſi aliunde habeat ſuſtentationem, alere teneatur, cujus applicationis, ſeu dotis lucrandæ ante ſententiam Judicis ſæcularis, aut Eccleſiaſtici non perinde ſicut divortii jus habet) & ideo maritus & uxor, quoad priorem actionem ſunt Juris æqualis, quoad poſteriorem verò ſunt inæqualis juxta *L. 1. Cod. ad Legem Juliam, de Adulteriis*.

145 Secundò. Poteſt Catholicus Conjux non obſtante prohibitione Chriſti apud Matth. *cap. 5. & 19.* (ubi tantùm perpetua ſeparatio propria auctoritate, ex alia, quàm fornicationis cauſa facta prohibetur) ab hæretico pertinaci ſcilicet, ut S. Paulus *ad Titum 3.* explicat, per primam & ſecundam correctionem non emendato, ante ſententiam latam uſque ad tempus converſionis ejus, poſt latam verò (quæ fertur hoc ipſo, quòd quis ab Eccleſia hæreticus declaretur) perpetuò ſeſe ſeparare, ut conceditur in *cap. De illa, de Divortiis*, quamvis ſecluſo proximo perverſionis periculo ad id non teneatur, ut patet *ex cap. Idololatria 28. q. 1.* & licèt Catholicus Conjux per ſententiam Eccleſiæ ſe ab Hæretico ſeparans non obligetur poſt ejus converſionem eundem iterum recipere, non tamen propterea ad licitè divortium continuandum præcipitur ipſi *in capit. Finali de Converſione Conjugat.* ut religionem ingrediatur, ſed tantùm permittitur, quod non perinde conceditur illi in ſeparatione ante ſententiam Eccleſiæ facta, quia tunc, ſicut in quacunque alia ſeparatione temporanea, non fundata in Jure perpetui divortii, tenetur expectare converſionem conjugis hæretici, non immmutando ſtatum per religionis aut ordinum ſacrorum ſuſceptionem, & converſione ſecuta tenetur iterum cohabitare conjugi converſo juxta *cap. Quanto in fine de Divortiis*. Imò prudenter advertit Tannerus *diſp. 8. quæſt. 5. numer. 83.* in locis hæreſi infectis, & ſecluſo periculo perverſionis hanc arbitrariam ſeparationem ob publicum ſcandalum, pacemque publicam vix ampliùs eſſe in uſu.

146 Tertiò. Ab obligatione cohabitationis, & aliis ipſi annexis obligationibus eximitur, qui abſque gravi & aliter inevitabili periculo animi vel corporis nequit ſimul habitare cum altero, eaque exemptione tamdiu gaudet, quamdiu durat periculum. Ratio eſt, quia nemo cenſetur ſe alteri obligare cum gravi ſui jactura, & amiſſione juris naturalis, quod quiſque habet ad cavenda pericula ſalutis corporalis, aut ſpiritualis, imò addit Thom. Sanchez *lib. 10. diſp. 18. num. 11.* ſufficientem cauſam divortii eſſe frequentia, & gravia jurgia, & ut *num. 16.* ait, frequentes percuſſiones, non quidem leves, quamvis innocenti illatas, ſed graves, quæ, etſi forſan delicti gravitatem non excedant, excedunt tamen poteſtatem limitatam mariti ad caſtigandam uxorem. Intelligit tamen hic Auctor, & alii communiter percuſſiones probabiliter futuras, non præteritas, niſi ex illis conjiciantur futuræ, nulla cautione fidejuſſoria, pignoratitia, vel juratoria ſufficienter impedibiles. Licèt autem ob hujuſmodi temporalia, aut ſpiritualia damna licitum ſit divortium, niſi tamen urgeat periculum moræ, vel difficultas conveniendi judicem, teſte Laym. *l. 5. tr. 10 part. 3 c. 7. n. 18.* longè tutius eſt, imò ratione abuſus & ſcandali vitandi plerumque neceſſarium, ut ad illud divortium judicis officium imploretur, cùm ob eandem rationem, & propter bonum publicum, *in c. Porro de Divortiis*, maritus divertens propria auctoritate ab uxore propter impedimentum affinitatis publicum, & notorium, eandem tamen, quoad cohabitationem, non verò quoad torum jubeatur recipere, uſque dum à Judice pleniori certitudine acquiſita divortium ipſius vinculi decernatur, aut declaretur.

Quartò. A prædictis obligationibus liberatur per validam profeſſionem religionem ingrediens; ut autem 147
poſt conſummationem Matrimonii profeſſio valida ſit, requiritur conſenſus alterius Conjugis: ut verò licita, neceſſe eſt, etiam alterum Conjugem, Religionem profiteri, niſi jam ſenex ſit, & à periculo incontinentiæ ſecurus juxta *Cap. Uxoratus, & cap. Ad Apoſtolicæ 13. de Converſion. Conjug.* tunc enim ſufficit, ſi votum perpetuæ caſtitatis emittat, ut habetur *in cap. 1. Titulo eod.* Quòd ſi verò Conjux dans alteri licentiam ingrediendi religionem, poſt hujus profeſſionem nec religionem ingredi, nec caſtitatem vovere vellet, ad neutrum horum compellendus eſſet, ſed hoc de continentia periclitante, religionem profeſſus eidem reddi deberet, donec & ipſe religionem, aut caſtitatem voveat, ut apertè colligitur *ex cap. 1. de Converſ. Conjug.* Quod dictum eſt de licita profeſſione religionis, id communi & recepta conſuetudine etiam extenditur ad aſſumptionem Ordinum majorum, ita ut ſi aliter à marito ſuſcipiantur, *in Extravagante Antiquæ, de Voto* irregularitatem incurrere decernatur, nec in ſuſcepto ordine miniſtrare, nec ad altiorem progredi poſſit, tametſi multi Doctores à prædicta pœna excuſent, modò uxor nec religionem, nec caſtitatem vovens, Sacros Ordines aſſumendi licentiam dederit.

QUÆSTIO V.

De Proprietatibus Matrimonii.

ARTICULUS I.

De Monogamia, ſive Unitate Matrimonii.

SUMMARIUM.

148 *Polygamia repugnat Juri Naturali ob plures rationes in* cap. Gaudemus de Divort.
149 *Præcipuum fundamentum dictæ repugnantiæ.*
150 *Solvitur ratio oppoſita.*
151 *DEUS potuit, polygamiam in V. T. reddere licitam.*
152 *In N. T. meritò ſublata eſt prior licentia.*

DUæ potiſſimùm Proprietates Matrimonii recenſentur, & examinantur à Doctoribus, quibus etiam perfecta Conjunctio Chriſti cum Eccleſia pulchrè declaratur, nempè *Unitas* Matrimonii, quatenus tantùm eſt unius viri, & unius fœminæ ſociale vinculum, incompoſſibile cum alio ejuſmodi vinculo: & *Indiſſolubilitas*, quatenus Matrimonium non niſi per mortem diſſolvi poteſt, adeoque per totam vitam inſolubile vinculum eſt. Tali ſimplici & Inſolubili vinculo Chriſtus ſuæ Eccleſiæ eſt deſponſatus, quam nunquam à ſe dimittet, & præter quam nullam aliam admittet. Itaque hoc articulo de ſimplicitate Matrimonii, altera de Indiſſolubilitate agemus. De priori duo quæruntur, primùm eſt, quo Jure introductum ſit, ut Matrimonium tantùm inter duos, unum ſcilicet virum, & unam fœminam conſiſtere poſſit. Secundum eſt. An per diſpenſationem unus Vir plures Uxores habere queat, adeoque an poſſit aliquando licita reddi Polygamia.

Dicendum eſt primò. Repugnat Juri naturali, non 148
tantùm ut una mulier habeat plures Maritos, quod per ſe indubitatum eſt, tanquam manifeſtè fini Matrimonii repugnans; ſed etiam, ut unus vir habeat plures Uxores. Ita cum S. Thoma. *4. diſt. 33. q. 1. art. 1.* Doctores tradunt communiter, quos magno numero refert, & ſequitur

Tan. *diſp. 8. q. 4. dub. 6. n. 99.* Et clarè habetur *in cap. Gaudemus de Divortiis.* Ubi Innocentius III. pluralitatem Uxorum in Eccleſia non tolerandam probat ex prima Creatione hominis, tamquam ex principio, & ratione toti Generi humano communi, ac quaſi congenito per indiviſibilitatem carnis ejuſdem in plures, ob utriusque ſexus ab Authore naturæ inditam unionem: dum ait. *Cùm ab initio una coſta in unam fœminam ſit converſa: & ſcriptura Divina teſtetur, quòd propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una: non dixit: tres, vel plures: ſed duo: nec dixit adhærebit Uxoribus, ſed uxori. Nec ulli unquam licuit ſimul plures Uxores habere: niſi cui fuit Divina revelatione conceſſum* (id eſt, per diſpenſationem Divinam à DEO manifeſtatam) *quæ mos quandoque interdum fas cenſetur, per quam ſicut Iacob à mendacio, Iſraelitæ à furto, & Samſon ab homicidio, ſic & Patriarchæ, & alii Viri Iuſti, qui plures leguntur ſimul habuiſſe Uxores, ab adulterio excuſantur. Sanè veridica hæc ſententia probatur etiam de teſtimonio veritatis teſtantis in Evangelio: Quicunque dimiſerit Uxorem ſuam ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Si ergo Uxore dimiſſa, duci alia de jure non poteſt, fortiùs & ipſa retenta: per quod evidenter apparet, pluralitatem in utroque ſexu, cùm non ad imparia judicentur, circa Matrimonium reprobandam.* Quibus verbis plures Rationes complectuntur. Prima ſumpta eſt à perfecta utriusque ſexus ex eodem corpore primò compacti conjunctione, quam dedecet in plures dividi per Communionem ſui corporis, faciendam pluribus. Secunda deducta eſt ex conſtanti & unanimi ſenſu ac uſu hominum non habentium intellectum ac voluntatem depravatam, ſemper judicantium, polygamiam prohibitam eſſe Lege Divina, ut etiam definivit Trid. *ſeſſ.* 24. *can.* 2. Atqui non dabatur ſemper Lex Divina ſcripta: ergo dabatur naturalis, in tabulis cordium exarata. Tertia ex teſtimonio Chriſti non novam quoad hoc legem condentis, ſed declarantis, quòd ſi quis propter adulterium Uxorem à toro dimiſerit, propter vinculi inſolubilitatem, aliam Uxorem ducere, adeoque multò minùs valeat duas in torum recipere. Quarta ex contractus naturali iniquitate ac inæqualitate; imparis enim eſſet Conditionis Uxor, ſi illa adæquatum Jus ſui corporis transferret in unum maritum, iſte verò non adæquatum Jus ſui corporis transferret in in unam Uxorem, vel ſi iſta viciſſim nuberet pluribus Viris, ipſa non poſſet æqualiter ſingulis ſatisfacere, prout tamen ſingulis Viris poſſent magis ſatisfacere pluribus Uxoribus, & ſic ad imparia, id eſt, ad imparem conditionem hujuſmodi contractus initi, judicandi eſſent.

149 Harum omnium Rationum hoc fundamentum ſtatutum eſt. Author Naturæ rebus à ſe creatis indidit earum naturis modum proportionatum propagandi ſuam ſpeciem. In hunc finem brutis animalibus ingeneravit appetitum concupiſcentiæ, ac ſpecialem amorem prolis, ſaltem tamdiu durantem, quandiu proles indiget cura & auxilio parentum. Hominibus autem dedit appetitum rationalem, ut per hunc propagationem ſuæ ſpeciei procurare, & exequi valeant eo modo, qui ad hunc finem rectè obtinendum maximè eſt neceſſarius atque idoneus. Et quia huic fini vehementer obeſſet ille modus, quo bruta in illum feruntur per ſolum appetitum concupiſcentiæ ſine ratione, ideo Jure naturali homines tenentur, ut in ordine ad propagandam ſuam ſpeciem non imitentur bruta animalia, quæ vaga libidine promiſcuè commiſcentur, quia eorum proles non indigent alia & longiore, aut majore cura, quàm ut ab eis alantur, donec ipſæ norint alimenta ſibi procurare: inde ſufficiebat, parentibus pro eo tempore inditum eſſe ſingularem amorem prolis, qui deinde frigeſcit, ac tandem omnino extinguitur. At quia in Ordine ad propagationem Generis humani non tantùm opus eſt breviſſima cura parentum, ſed longa prolis aut prolium educatione, inſtructione, directione, proviſione &c. quæ omnia conjuncta opera ab utroque parente conſtanter, & fortiter contra obſtantes difficultates ac moleſtias præſtanda ſunt, hinc Jure naturæ debuit reddi hominibus illicita promiſcua corporum utriusque ſexus commixtio; ſed opus erat, ut certæ ac determinatæ perſonæ priùs mutuò contractus obligatione ſtabilem vitæ ſocietatem, ad onera Matrimonij ſimul, & conſtanter ferenda inirent: ad hanc autem ſocietatem inter innumeras difficultates ac moleſtias firmandam neceſſe fuit, ut unicè ac ſincerè, ſine contentione, ac æmulatione ſe mutuò diligerent, dilectio autem ipſa, ut firma maneret, indigebat, ne diſpergeretur, vel diffunderetur in plures, ſed inter eosdem contineretur ſublata contentionis, ac æmulationis occaſione, quæ ex diſpari ac inæquali amore exoriri poſſent, ſi idem maritus plures haberet uxores, vel eadem uxor plures maritos; ex quo plurima alia mala atq; incommoda ſequerentur.

Itaque pro Generis humani propagatione neceſſarium fuit, ut tantùm unus & una inſolubili ac perpetuo contractu conjungerentur, &, ne ſecus fieret, ſub gravi peccato obſtringerentur, quod ipſum Author Naturæ manifeſtum fieri voluit, per mulieris ex coſta Viri procreationem, ut ſic uterque ſe mutuò veluti ſuum corpus diligeret: unde etiam hunc effectum mox ſecutum, ac ejus neceſſitatem promulgatam legimus *Gen. 2. v. 23.* dicente Adamo. *Hoc nunc os, eſt de oſſibus meis, & caro de carne mea &c. Quamobrem* (præ magnitudine amoris) *reliquet homo patrem ſuum & matrem: & erunt duo in carne una.* Vis hujus argumenti breviter colligitur in hunc Syllogiſmum. Id Jure naturali oportet eſſe graviter prohibitum, ac irritum, quod ſi non eſſet graviter prohibitum ac irritum, non poſſet rectè procedere propagatio Generis humani (ob cujus propoſitionis veritatem Jure naturæ graviſſimè prohibita eſt fornicatio, adulterium, pollutio voluntaria &c.) Sed niſi polygamia eſſet graviſſimè prohibita, ac irrita Jure naturæ, non poſſet rectè procedere propagatio Generis humani: ergo &c.

Ex poſito hoc fundamento facilè reſpondetur ad 150
id, quod S. Thom, *l. c.* ſibi objicit. *Ius naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit: ut in princip. digeſtor. dicitur. Sed natura non docuit hoc omnia animalia, quod ſit una unius: cùm unus mas in multis animalibus pluribus fœminis conjungatur. Ergo non eſt contra legem naturæ, quòd unus mas plures uxores habeat.* Reſpondeo enim & diſtinguo majorem. Jus naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit, ſcilicet quod docuit peragendum modo proportionato ſuæ naturæ, concedo Majorem, peragendum eodem modo, & ſine reſpectu ad cujuſque naturam, nego Majorem. Et ſic diſt. Min. Natura non docuit hoc omnia animalia, quòd ſit una unius. Et hoc non erat proportionatum ſive conveniens omnium naturæ: concedo Min. Et fuit proportionatum: nego Min. Natura enim docuit omnia animalia propagare ſuam ſpeciem modo proportionato ſuæ naturæ, & ſic docuit hominem propagare ſuam ſpeciem modo ſuæ naturæ proportionato, qui eſt, ut ſit una uxor unius Viri. Et ideo in reſponſione ad objectionē dicit S. Doctor, quòd polygamia ſit contra Jus naturæ, *quia natura dictat animali cuilibet ſecundùm modum convenientem ſuæ ſpeciei: Unde etiam quædam animalia, in quibus ad educationem prolis ſequitur ſollicitudo utriuſque, ſcilicet maris & fœminæ, naturali inſtinctu ſervant conjunctionem unius ad unum, ſicut patet in turture, & columba, & hujuſmodi.* Ita S. D. Qui etiam aliam reſponſionem optimam addit, quòd hìc Jus naturale non ſumatur in ſenſu inſinuato in objectione; ſed ſumatùr Jus naturale pro obligatione, quam naturalis ratio dictat; cujus Juris naturalis utique cętera animalia ſunt incapacia.

Dicendum ſecundò. Etiamſi propriè in Lege naturæ 151
non poſſit diſpenſari, diſpenſatione tamen impropriè dicta potuit Deus aliquando facere, & in Veteri Lege de facto fecit licitum ac honeſtum, habere duas, vel etiam plures Uxores, ut patet *Gen. 29. Deut. 21. & 1. Reg. 30. ac 2. Reg. 2.* Ubi SS. Patriarchæ Jacob & David leguntur, plures Uxores habuiſſe. Hæc Concluſio *in cap. Gaudemus de Divortiis* pro priori Concluſione relato expreſſis verbis traditur, & comprobatur aliis exemplis, ex quibus conſtat, DEUM etiam in aliis ipſius naturæ legibus quodammodo diſpenſaſſe: quatenus non quidem directè ab obligatione Legis invariata homines eximit

ac

ac liberavit, ſed aliquam circumſtantiam appoſuit, vel Conditionem ſuſtulit, qua circumſtantia poſita, vel conditione ſublata lex per ſe ceſſabat. Sic, ut exemplis *in cap. Gaudemus* allatis, pro declaratione utar, DEUS non directè diſpenſavit, nec potuit diſpenſare cum Jacobo in Lege naturali veracitatis, ut vi hujus diſpenſationis licitum ipſi eſſet mentiri, quando interroganti patri *Gen.* 28. *v.* 19. *Quis es tu fili mi?* reſpondit: *Ego ſum primogenitus tuus Eſau*. Sed ſuggeſſit Jacobo alium ſenſum verborum, in quo ipſa verba verificabantur, ut mendacium non eſſet: ut ſapienter notavit S. Auguſtinus *lib. Contra Mendacium capit.* 10. *tom.* 4. *poſt init.* cujus verba leguntur *in ſecundo Noſtur. Dominic.* 2. *Quadrag.* Similiter DEUS non diſpenſavit cum Iſraelitis, ut ipſis eſſet licitum furtum, nec cum Samſone, ut ipſi eſſet licitum injuſtum homicidium multorum, & ſui ipſius, quando ſubductis columnis, quibus innitebatur ædificium, omnes per eandem ruinam oppreſſit: ſed conceſſit DEUS, & in Iſraelitas tranſtulit Jus argenti & auri Ægyptiacorum, ut illud omne ſecum tanquam rem ſuam aſportari poſſent ex Ægypto: & Samſoni dedit Jus in ſuam & Occiſorum Philiſtinorum vitam, ut proinde Iſraelitæ neque committerent furtum, neque Samſon injuſtum homicidium.

Simili itaque ratione S. Thomas 4. *diſt.* 33. *q.* 1. *art.* 2. oſtendit, quomodo DEUS in veteri Teſtamento rediderit licitum, habere plures Uxores. Quia enim hoc non repugnat fini primario Matrimonii, qui eſt ipſa procreatio prolis, ſed Lege naturæ tantùm prohibetur propter Bonum Matrimonii Secundarium, qui eſt mutuum amor Conjugum, pax, tranquillitas, commodior educatio & ſuſtentatio liberorum &c. Ob quos fines non licet propria Authoritate ducere plures Uxores; potuit tamen DEUS ſuam Authoritatem apponere, eamque conceſſionem ſanctis Patriarchis inſpirare, & bona ſecundaria Conjugii ſpecialibus auxiliis, opibus, legibus &c. promovere, & finis ab ipſo DEO intenti excellentia compenſare, qui erat, ut multiplicaretur populus fidelis ad cultum ampliorem Dei: quo poſito ipſa Lex, prohibens Polygamiam, tanquam virtualiter conditionata, ob mutationem Conditonis, Circumſtantiarum, & finis à DEO præfixi, per ſe ceſſabat obligare. Pari modo poteſt Deus Matrimonium conſummatum, Lege & Jure naturæ inſolubile, diſſolvere, & reddere ſolubile, prout de Matrimonio Infidelium, quando alteruter ad fidem convertitur, ſequenti articulo dicemus.

152 Obiicies. Ex dicta ratione ſequitur, Diſpenſationem DEI in ordine ad Polygamiam adhuc perſeverare: quia finis, ſcilicet multiplicatio populi DEI adhuc eſt intendibilis. Reſp. negando illatum. Quia, ut inquit S. Thomas *loc. c. ad* 4. *Veniente Chriſto fuit tempus plenitudinis gratiæ Chriſti, per quam cultus DEI in omnes gentes ſpirituali propagatione diffuſus eſt: & ideo non eſt eadem ratio diſpenſationis, quæ erat ante Chriſti adventum, quando cultus DEI propagatione carnali multiplicabatur, & conſervabatur.*

ARTICULUS II.

De Indiſſolubilitate Matrimonii.

SUMMARIUM.

153 *Matrimonium Fidelium & Infidelium per mutuum conſenſum Contrahentium Jure Divino eſt indiſſolubile.*

154 *Matrimonium Fidelium Conſummatum neque Authoritate Pontificis eſt ſolubile.*

155 *Matrimonium ratum autem, & nondum conſummatum ex gravi cauſa à Summo Pontifice inter Fideles poteſt diſſolvi: & de facto Pontifices uſi ſunt hac poteſtate.*

156 *Hinc primo bimeſtri à die contracti Matrimonii, ante ejus conſummationem, licet utrique conjugi Religionem ingredi, nec tenetur alter alteri reddere debitum per illud tempus deliberationis. Diſſolvitur verò Matrimonium primùm per Profeſſionem, hinc alter in ſæculo manens debet tantiſper exſpectare.*

157 *Matrimonium conſummatum, quamdiu uterq; conjux manet in infidelitate, vel ſi uterque convertatur, neque à Summo Pontifice ſolvi valet.*

158 *Hæc autem inſolubilitas poſt utriuſque converſionem non fundatur in ratione Sacramenti, ſed in ratione ipſius Contractus Matrimonialis.*

159 *Nihilominus poteſt per Diſpenſationem Divinam etiam ipſius Contractus Vinculum ſolvi, ſi alteruter ad fidem convertatur, altero manente in Infidelitate Illudq; actu ſolvitur, ſi ad fidem converſus aliud Matrimonium contrahat.*

Dicendum 1. Omne Matrimonium non tantùm Fidelium, ſed etiam Infidelium, ſive conſummatum ſit, id eſt, per copulam maritalem ad generationem prolis ex natura ſua aptam confirmatum, ſive non, mutuo contrahentium conſenſu, abſque diſpenſatione Divina inſolubile eſſe, non ſolùm Lege poſitiva, aut partim poſitiva, partim naturali, ſed probabiliùs purè naturali, ut docent Viguerius, Corduba, Pet. Ledeſma, Azor, Salas, Vaſquez, Bellar. Rebellus, Hurtad. Laym. Palao: eſtque hæc ſententia S. Thomæ 4. *diſp.* 33. *quæſt.* 2. *art.* 1. & de Matrimonio conſummato loquens Tannerus *diſp.* 8. *quæſt.* 5. *num.* 46. adducit ac ſequitur Abulenſem, Lyranum, Sotum, Covarruviam, Guttierez. 153

Prob. 1. Ex Trident. *ſeſſ.* 24. *in principio*: ubi ait, *Matrimonii perpetuum, indiſſolubilemque nexum primus humani generis parens Divini Spiritus inſtinctu pronuntiavit*, Bonifacius VIII. *cap. un. de Voto & Voti redemptione in* 6. ait: quòd Matrimonium Indiſſolubilitatem à naturæ Auctore acceperit.

Prob. 2. Ex fine. Quia ipſe contractus Matrimonii etiam, quando non eſt Sacramentum, ex natura ſua ordinatur ad mutuum amorem, & fidem conjugalem, ad cujus perfectionem perpetuitas ſpectat. Unde inquit Angel. Doctor, & ſic argumentatur *Illud præcipuè eſt de Lege Naturæ quod Natura bene inſtituta accipit in ſuo principio: Sed inſeparabilitas eſt huiuſmodi, ut patet Matth.* 19. *Ergo eſt de Lege Naturæ.* Præterea, ut idem S. Thom. *loc. cit.* advertit, per ſe ordinatur ad generandam, & educandam prolem pro toto tempore vitæ, etſi per accidens finis iſte impediatur, aut non procuretur, ſed ad hunc finem medium per ſe ordinatum eſt inſolubilitas Matrimonii, ergo etiam hæc ſpectat ad naturam, & eſt proprietas conſequens eſſentiam Matrimonii. Atque hæc duplex ratio probat, Matrimonium non tantùm privata, ſed etiam publica auctoritate ullius hominis abſque ſpeciali Dei Conceſſione inſolubile eſſe quoad vinculum, quamvis finis poſſit liberè non procurari, vel etiam per divortium accidentale impedimentum illi opponi.

Probatur 3. Et ſpecialiter de Matrimonio conſummato, eò quòd nimiùm fræna laxarentur libidini, ſi contrahentes pro libitu, vel ex procurabili conſenſu ſuperioris à ſe mutuò recedere, & ad alios accedere poſſent, neque ulla ferè Matrimonia firma ſubſiſterent.

Cæterùm huic rationi nihil præjudicabat illud privilegium olim Judæis in deteſtationem & impeditionem plurium adulteriorum à Deo conceſſum, vi cujus vir innocens per libellum repudii adulteræ datum, poterat Matrimonium quoad vinculum diſſolvere, quod privilegium in Lege Nova apud *Matth.* 19. abrogatum eſt.

Dicendum. 2. Matrimonium conſummatum Fidelium, ſi nimirum uterque ſit fidelis, facto neque à Summo Pontifice Dei nomine diſſolvi poſſe. Eſt communis omnium Catholicorum, & certa ſententia, pro qua Tannerus *diſp.* 8 *quæſt.* 5. *num.* 39. allegat plurium Pontificum & Conciliorum Decreta. Probatur ex verbis Chriſti apud *Matt.* 19. dicentis: *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, quæ ſaltem de Matrimonio perfectè completo, & conſummato intelligi debent; cùm enim per hoc fiant una caro, ideo per illius inſolubilitatem, ut etiam teſtatur Syn. Florentin. *ſeſſ. ult.* aptiſſimè ſignificatur inſolubilis Unio Verbi cum humanitate, & Conjunctio perpetua Chriſti cum Eccleſia. 154

Dicendum 3. Etſi communior Theologorum ſententia apud Palao neget, quod Pontifex diſsolvere poſſit Matri- 155

trimonium ratum, tam Fidelium, quàm infidelium, probabilius tamen gravi cauſa interveniente videtur oppoſitum quoad Matrimonium ratum Fidelium, & eidem ratione Baptiſmi ſubditorum, ut docent S. Antoninus, Cajet. Major, Guttierez, Hurtad. Sanchez, Vaſquez, Leſſius, Henriq. Amicus, Bellar. Azor, Tanner. & apud hunc Canoniſtæ communiter: nominatim Oſtienſis, Joan. Andreas, Panormitan. Præpoſitus, Archidiac. Gloſſa *in cap. Ex publica* & *cap. Ex parte tua* 14. *de Converſione Conjugatorum*. Probatur 1. Quia S. Petro, & Succeſſoribus ejus cum traditione clavium data eſt univerſalis poteſtas ligandi & ſolvendi; ergo cùm verba reſtringentia privilegium ſemper ſint ſtrictè accipienda, illa, *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*: ultima Matrimonium conſummatum, quod teſte S. Thoma 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 2. & aliis Doctoribus communiter, primùm eſt perfectiſſima conjunctio, extendi non debent ſine urgente neceſſitate, qualem tamen Adverſarii opponere non poſſunt, cum fundamentum illorum, quòd Pontifex nequeat diſpenſare in Jure Naturali aut Divino (ex quorum alter, ſecundùm dicta, Matrimonium eſt inſolubile) probaret, quòd neque in ſponſalibus, aliiſque contractibus, neque in voto Pontifex poteſtatem diſpenſandi haberet: ſolùm ergo illud aſſumptum fundamentum eſt verum, quando Pontifex diſpenſaret ſine juſta cauſa, vel in caſibus, expreſsè in ſcriptura vel ratione naturali exceptis, ut in Matrimonio conſummato, & legibus quibuſdam naturalibus, etiam à Deo indiſpenſabilibus, & in iis, quæ ſpectant ad eſſentialem Conſtitutionem Sacramentorum, ad quam in Sacramento Matrimonii non pertinet, ſed ex illo primùm ſubſequitur Inſolubilitas, & quidem ſolùm reſpectiva, & conditionata, ſi nimirum Deus homini non conferat poteſtatem ſolvendi.

Prob. 2. Pontifices de facto ſæpius poteſtatem hanc uſurparunt, ergo vel fatendùm eſt, eos in re graviſſima erraſſe, quod ſine convincente ratione concedi non debet, etſi tantùm eſſet error facti, vel poteſtatem ſolvendi Matrimonium ratum Fidelium ipſis competere, licèt illam neque ob graviſſimas cauſas, etiam neque ob ſuſceptionem Sacrorum Ordinum utantur. Antec. probatur inductione, nam S. Antoninus 3. *part. tit.* 1. *cap.* 21. §. 3. refert, ſe vidiſſe Bullas Martini V. & Eugenii IV. diſpenſantium. Navarrus in Manuali *cap.* 22. *n.* 21. teſtatur, ſe ter, vel quater ejuſmodi diſpenſationem procuraſſe à Paulo III. & Pio IV. Cajetanus ait: ſuo tempore Pontifices ſæpe diſpenſaſſe, denique Henriquez refert Gregorium XIII. una die undecim Matrimonia rata per diſpenſationem diſſolviſſe.

Probatur 3. De fide eſt, atque à Tridentino *ſeſſ.* 24. *can.* 6. definitum, Matrimonium ratum non conſummatum per ſolemnem in Religione profeſſionem alterius Conjugis dirimi. Atqui hæc diremptio non provenit ex natura rei propter perfectionem Status Religioſi, ut contra S. Thomam loc. cit. ſaltem apparenter contrarium, & morti civili attribuentem eandem vim, quam habet mors naturalis ad diſſolvendum Matrimonium, & contra Durandum, Bellarm. & alios, à Sanchez relatos, communiter docetur, ne eadem efficacia etiam ſtatui Clericali, & maximè Epiſcopali, aut votis ſimplicibus religionis concedenda ſit, & non tantùm ad diſſolvendum Matrimonium ratum, ſed etiam conſummatum extendenda. Neque provenit ex jure poſitivo immediatè à Deo, vel Chriſto Domino ſtatuto, ut contra Guttierez, Pontium, Tannerum, Sanchez, & alios ab hoc citatos, aſſerit probabilior Leſſii, Coninck, Hurtado, Suarez, Laym. Palao, Amici & aliorum apud ipſos; quia ipſa ſolemnis Profeſſio Religioſa, ut declaravit Bonifacius VIII. *cap. Un. de Voto, & Voti redemptione in* 6. primùm Jure Pontificio introducta eſt, quæ ſola dirimit Matrimonium antecedenter contractum, non autem emiſſio votorum Simplicium, ut colligitur ex Trident. loc. cit. & expreſsè decidit Joannes XXII. *in Extravag. Antiquæ de Voto*; quod verum etiam eſt de votis ſimplicibus, quantumvis publicis noſtræ religionis, ut communiter Doctores noſtri aſſerunt, relati ab Amico *diſp.* 8. *n.* 25. ergo provenit illa diremptio Matrimonii rati ex jure Pontificio, ergo Pontifex habet poteſtatem diſſolvendi Matrimonium ratum, & ſi uno caſu ipſi conceditur, immeritò negatur in altero.

Ceterùm circa hanc Matrimonii rati diremptionem per Religionis profeſſionem advertendum eſt, eam communi Jure conjugibus conceſſam eſſe, bimeſtri ad deliberandum dato juxta *cap. Ex publico de Converſione Conjugatorum*; quo tempore proinde neuter tenetur petenti reddere debitum, & Matrimonium conſummare, ſaltem non tenetur is, qui circa ingreſſum in religionem deliberat, ratione cujus deliberationis videtur *in cit. cap.* Alexander III. illum deobligaſſe à redditione debiti, quamvis multi cum Sanchez non improbabiliter doceant, neutro de religionis ingreſſu cogitante, tamen utrumque deobligatum eſſe, primo bimeſtri à debiti redditione, eò quòd hoc temporis ſpatio uterque jus habeat de illo cogitandi, & iſtud ſibi retinere poſſit, differendo Matrimonii conſummationem: bimeſtre autem computandum eſt à die non per Judicem deſignato, ſed quo contractum eſt Matrimonium, vel ſaltem ut validum declaratum; nam *in cit. cap.* quo ſolo deliberandi tempus determinatur, hoc videtur indicari: & extendendum eſt uſque ad ingreſſum religionis, accipiendo ingreſſum non pro ejus actuali profeſſione, ſed pro inchoatione anni probationis. Tunc verò alter in ſæculo manens tam diu tenetur expectari, neque interea ad alias nuptias tranſire poteſt, donec ingreſſus religionem, novitiatum finiat, & per actualem profeſſionem vinculum Matrimonii rati diſſolvat. 156

Dicendum 4. Matrimonium conſummatum Infidelium, dum uterque Conjux manet in infidelitate, & probabiliter etiam poſtquam uterque converſus eſt ab infidelitate ſua, à nemine, adeoque neque à Summo Pontifice diſſolvi poſſe; uno autem converſo, altero converti renuente, poſſe conjugem fidelem aliud Matrimonium inire, ſi infidelis phyſicè aut moraliter à fideli diſcedat, id eſt, ſi propter odium fidei cum illo cohabitare nolit, aut fidelem conjugem à fidei exercitiis, & Chriſtiana educatione prolis impediat, vel ad defectionem, aliudve crimen incitet, adeoque in Creatorem injurius ſit, & Matrimonii diſſolvendi juſtam cauſam præbeat, quod moralis diſceſſus dici poteſt. 157

Ratio primę partis eſt; quia in Matrimonia infidelium nec Pontifex habet poteſtatem, utpote qui eidem ſubditi non ſunt, nec Principes ſæculares; quia licèt hi Leges contrahendi Matrimonia infidelibus ſubditis ſtatuere poſſint, & divortium, quoad torum, ac cohabitationem concedere, in ipſum tamen vinculum diſſolvendum neceſſe non erat, majorem illis à Deo dari poteſtatem contra naturam Matrimonii, quàm Pontifici in vinculum matrimoniale Chriſtianorum: quia longè faciliùs eadem fuiſſent abuſi, & ſubditi ejus exercitium contra finem Matrimonii frequenter ſibi pro ſua libidine procuraſſent. Unde olim Romani, & ipſe etiam Juſtinianus *Cod. de Repudiis*: ſibi illam invalidè uſurparunt.

Nec tamen propterea etiam Matrimonia infidelium dici poſſunt rata, ſeu approbata in ratione ſigni repræſentantis inſolubilitatem unionis Chriſti cum Eccleſia: quia hanc vim ex inſtitutione Chriſti ſolummodo accipiunt, quando ex utriuſque Conjugis converſi Baptiſmo non quidem acquirunt rationem Sacramenti propriè dicti, ut ſuprà nobis viſum eſt probabilius, ſed impropriè, & latè accepti, prout præciſè eſt ſignum rei arcanæ, dum Conjuges incipiunt obligatione conditionata Legis, à Chriſto pro tota Eccleſia latæ, ut ſi Matrimonium perfectè conſummatum fuerit quoad vinculum contractus, à nemine in ullis circumſtantiis diſſolvi ampliùs queat, quam inſolubilitatem Matrimonia infidelium non habent, quia ſaltem in iis circumſtantiis ex divino privilegio diſſolvi poſſunt, in quibus ponitur unus Conjux converti ad fidem, altero in infidelitate permanente.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia poſt utriuſque Conjugis converſionem, Matrimonium tempore infidelitatis initum, jam dicitur Matrimonium fidelium: ſed Pontifex non poteſt diſſolvere Matrimonium conſummatum fidelium, ergo &c. 158

Etſi autem multi putent, ſolùm ex ratione Sacramenti provenire, quòd Matrimonium conſummatum fideliũ indiſſolubile ſit, cùm ſolùm eam indicet Innocentius III. *cap. Quantò de Divortiis*: adeoque negans, Matrimonium propter utriuſq; infidelis converſionem effici Sacramen-

tum,

tum, videatur etiam negare debere, effici inſolubile, uti etiam negat Navarrus, quem ſequitur Thom. Sanch. *lib. 2. diſput. 17. num. 2.* eò quòd, quando in utriuſque Conjugis infidelitate conſummatum fuit Matrimonium, tunc nondum fuerit Sacramentum, & licèt accedente utriuſque Baptiſmo fiat Sacramentum juxta citatum auctorem, tamen per antecedentem copulam non fuit conſummatum in ratione Sacramenti, ſed ſolummodò ſe habet, ut Matrimonium ratum.

Nihilominus communior, & probabilior, eſt affirmativa. Quia Matrimonium ſaltem perfectum, & conſummatum fidelium juxta illud: *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*: ſolvi non poteſt: ergo etſi Matrimonium initum ante Baptiſmum, eo ſuſcepto ſecundùm nos non reddatur ſacramentale, redditur tamen inſolubile, dum ſolubilitatem accidentalem à Chriſto, ut mox dicetur, ex ſpeciali privilegio conceſſam iterum perdit: in hoc enim ſolo ſenſu Matrimonia per Baptiſmum dicuntur reddi indiſſolubilia. Nec obſtat, quòd conſummatio præceſſerit converſionem conjugum; quia ſufficit, quòd fuerit poſita conſummatio Matrimonii in ratione contractus; ratio verò Sacramenti juxta nos omninò non requiritur, & ſi requireretur, perinde eſſet, ſive contractus conſummatus deinde redderetur Sacramentalis, ſive Sacramentalis contractus redderetur conſummatus, in utroque enim caſu daretur Matrimonium conſummatum fidelium.

Æquè parùm obſtat capit. *Quantò*, ibi enim tantùm infertur, quòd quia Matrimonium inter fideles initum eſt Sacramentum, ideò ſit ratum, & in omnibus circumſtantiis poſt conſummationem inſolubile, non tamen aſſeritur, quòd, quando matrimonium non eſt Sacramentum, ſit ſolubile, ſed ſolùm, quòd ſit ſolubile tunc, quando neque eſt Sacramentum, neque uterque Conjux per Baptiſmum indiſſolubilitatis Legi addictus, & fidelibus annumeratus eſt.

159 Ratio tertiæ partis deſumitur ex Epiſtola S. Pauli, *1. ad Corinth. 7.* ubi ait: *Quòd ſi infidelis diſcedit: diſcedat: non enim ſervituti* (id eſt vinculo Matrimonii) *ſubjectus eſt frater aut Soror in hujuſmodi*. Quæ Verba de prædicto diſceſſu phyſico, vel morali intelligenda eſſe conſtat *ex cap. Gaudemus*, & *cap. Quanto de Divortiis*: quòd ſi tamen Conjux infidelis non tantùm phyſicè, ſed etiam moraliter, id eſt debito modo, & conformiter fini Matrimonii, cohabitare velit abſque præjudicio fidei, & virtutis Chriſtianæ, conjugis fidelis, & liberorum, etiamſi multi cum Sanchez, & Coninck probabiliter doceant, poſſe propter aliquale perverſionis tum propriæ tum liberorum periculum ex pertinacia Conjugis infidelis ortum, à Conjuge fideli aliud Matrimonium iniri, præſertim, ſi vera eſt doctrina Tan. *num. 11.* plures & ipſam praxim referentis, quòd *à cap. Judæi 28. quæſt. 1.* prohibeatur cohabitatio cum infideli, multi tamen id negant cum S. Thoma *4. diſtinct. 39. quæſt. un. artic. 5.* quod citata capit. juxta quæ *cap. Judæi* explicatur à Gloſſa, videntur ſupponere, requirentia phyſicum, vel moralem diſceſſum, (quamvis iſte omnium conſenſu non requiratur ad divortium quoad torum, & cohabitationem, & ad ſuſcipiendos Sacros ordines, vel Religionem) quo poſito, matrimonium non quidem ipſo facto diſſolvitur, ut aliqui putant, ſed ut longè communior cum citato S. Doctore, & teſte Tan. *diſputat. 8. quæſt. 5. num. 9.* certa ſententia eſt, ſolvi poteſt per alterius matrimonii contractum, ſicut una forma expellitur per inductionem alterius, prout apertè colligitur *ex cap. Gaudemus de Divortiis*: ubi Innocentius III. inquit, *quòd per Sacramentum Baptiſmi non ſolvantur conjugia, ſed crimina dimittantur*, & poſt intervallum iterum ait: *quòd ſi converſum ad fidem, & illa converſa ſequatur, antequam per cauſas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur*. Si autem matrimonium antecedenter fuiſſet diſſolutum, vel ſi abſque novis nuptiis diſſolvi potuiſſet, controverſus compelli non poſſet ad perſeverandum in matrimonio, neque cogi ad ineundum de novo: quia matrimonium debet eſſe liberum. Atque hæc de ſeptem Sacramentis, ac Divinæ Gratiæ fontibus inexhauſtis, ſufficiat delibaſſe.

TRACTATUS VII.

DISPUTATIO UNICA.

De Cenſuris Eccleſiaſticis.

QUÆSTIO I.

De Cenſuris in Genere.

ARTICULUS I.

Quid ſit Cenſura, & quid ad illius eſſentiam requiratur.

§. I.

Quæ ſit Definitio Cenſuræ, & à quo inferri poſſit.

SUMMARIUM.

1 *DEſinitio Cenſuræ.*
2 *Quibus competat poteſtas infligendi Cenſuram.*
3 *Quid ad legitimum uſum hujus poteſtatis requiratur.*

CEnſura Romanis olim pro Cenſoris morum, vel dignitate, vel delictorum punitione uſurpata, ſignificationis ſuæ tranſlatione legem, vel præceptum, aut ſententiam quibus pœna Eccleſiaſtica certis delictis ſtatuitur, aut prout hìc accipitur, ipſam etiam pœnam denotat, pro cujus generali notitia.

1 Hæc communiter recepta eſt definitio. Nempè: *Quòd ſit pœna, qua Eccleſia fideles ſuos punis in bonis ſpiritualibus ad eorum correctionem.* Dicitur primò. *Pœna*: quæ particula generis loco ponitur, tamquam latius patens; cùm nulla pœna à Laicis ſtatuta, neque omnis ab Eccleſia irrogata, cenſura ſit appellanda.

2 Dicitur ſecundò. *Qua Eccleſia punit*: quia nullu ſuperior ſæcularis, ſed ſolùm Eccleſiaſticus habet juriſdictionem, ac poteſtatem, per punitionem privandi ſubditos bonis ſpiritualibus: unde cenſuram jure ordinario inferre poteſt inprimis Summus Pontifex reſpectu quorumcumque Fidelium ſeu Baptizatorum. Deinde Epiſcopus, & Archiepiſcopus, in ſua tamen ſolùm Diœceſi: Cardinales in propriis Eccleſiis, Legati à latere in Provincia ſuæ legationis, Vicarius Epiſcopi, quia conſtituit cum Epiſcopo idem tribunal, Vicarius Capituli, vel Capitulum ſede vacante, Concilia Generalia per omnem Eccleſiam, & Provincialia in ſua Provincia, Abbates, Priores. Præpoſiti Eccleſiarum Collegiatarum: denique ex Privilegio Summi Pontific. gubernandi officio annexo, Religioſorum Generales, Provinciales, Præpoſiti, Rectores, Priores, Guardiani, aliique Superiores locales, quomodocumque vocentur, reſpectu ſuorum ſubditorum. Ex delegatione eadem poteſtate gaudent, quibus prædicti eam commiſerint, modò ejus capaces fuerint. Nam Juriſdictionis Eccleſiaſticæ ordinariæ, vel delegatæ, incapaces ſunt, uſu rationis deſtituti, non baptizati, non initiati ſaltem prima tonſura, *juxta cap. Indicatum 89 Diſtinct.* Undè nulla fœmina Cenſuram infligere poteſt, quando enim Clericos ratione beneficii, vel capellaniæ ad ſe pertinentis, Abbatiſſæ ab officio vel beneficio dicuntur ſuſpendere, non de ſuſpenſione propriè dicta, & ex cujus violatione irregularitas incurratur, intelligendum eſt: ſed tantùm de inhibitione adminiſtrationis, & perceptionis fructuum ex beneficio, qui actus eſt ſolùm uſus Juris in beneficium, non Juriſdictionis in Clericum, quæ primùm ab ejus ordinario, inobedienti veram Cenſuram infligendo, exerceri debet *juxta cap. Dilecti de Majoritate, & Obedientia.* Denique omnis Eccleſiaſticæ Juriſdictionis incapaces etiam ſunt omnes conjugati, *juxta capitul. Sanè de Clericis conjugatis.* Etiamſi hi quatuor minores ſuſcepiſſent, Eccleſiæ ſervirent, & habitum Clericalem geſtarent, adeòque Privilegio canonis, & fori gauderent.

Ut autem prædicta poteſtas Juriſdictionis validè exer- 3
ceatur, requiritur. Primò, ut cenſura non feratur contra privilegiatum, ut illa, ſi cauſæ cognitione indigeat, eaque in proprio territorio facta non ſit, à Superiore in alieno territorio non infligatur, niſi ex ſuo à ſubditis fuiſſet expulſus, & ab Ordinario illius loci facultatem petiviſſet, etſi non impetraſſet: colligitur *ex cap. Epiſcopum 9. quæſt. 2.* & in Clement. *cap. unico de Foro competenti.* Ratio autem eſt: quia extra proprium territorium nemini conceſſum eſt, Juriſdictionem contentioſam exercere, ne Judici illius loci injuriam inferat: ſed ferre Cenſuram cum citatione Rei, & cognitione cauſæ, eſt Juriſdictionem contentioſam exercere: ergo &c. Unde quia inflictio cenſuræ per legem, vel in cauſis notoriis, vel jam in proprio territorio juridicè examinatis, non eſt exercitium Juriſdictionis contentioſæ, Ideò hæc etiam in alieno valorem conſequitur, neque defectu ſubſtantialis ordinis judicii repelli poteſt.

Secundò requiritur, ne poteſtas inferentis cenſuram, Superioris Lege, aut inhibitione, aut cenſura non tolerata ſit ligata, vel ante latam ſententiam per legitimam appellationem ſuſpenſa.

Tertiò. Cùm cenſura, qua talis, non poſſit inferri, niſi ob contumaciam (dixi *qua talis*: nam ſuſpenſio *juxta cap. Tam litteris 33. de Teſtibus & Atteſtationibus* & Interdictum juxta *cap. Sacro 48. de Sententia Excommunicationis*, poſſunt imponi, non ut Cenſura, ſed ut pœna vindicativa, ac non medicinalis) contumacia autem non detur ſine prævia monitione, propterea requiritur ex omnium DD. conſenſu, competens monitio, ſeu comminatio cenſuræ, quæ ſit vel ipſa manifeſtatione Legis, aut Præcepti, ſtatuentis cenſuram latæ ſententiæ, ſeu ipſo facto incurrendam, vel ſi cenſura primùm ſit per ſententiam ferenda, & non tantùm declaranda, Suarez, Laym. Palao, & alii *ex cap. Reprehenſibilis de Appellationibus* colligunt, probabiliùs non ſufficere manifeſtationem Legis, comminantis cenſuram ferendam, ſed præmittendam inſuper eſſe aliam triplicem monitionem (vel urgente cauſa unam tribus æquivalentem, qua ſcilicet ſubditus ſemel pro ter, ſeu ultima vice moneri denuntietur) ſicut ea juxta canones præmittenda eſt, quando commiſſo delicto, ſub nulla cenſura inhibito, deinde ſatisfactio ſub cenſura exigitur. Unde advertunt citat. AA. nullum umquam delictum prohiberi poſſe ſub cenſura ferenda, niſi quod ſatisfactionem exigat, & ejus contumaci recuſatione, per triplicem cenſuræ inferendæ comminationem impedienda ſucceſſivè compleatur. Ut verò prædicta comminatio à Judice (niſi is Epiſcopus ſit) juxta formam ſub pœna ſuſpenſionis menſtruæ *in cap. 1. de Sententia Excommunicationis in 6.* præſcriptam, adeòque licitè fiat, neceſſe eſt, ut illa è ſcripto recitetur, & ut cauſa cenſuræ exprimatur ac Reo petenti exemplum ſcripturæ intra menſem tradatur.

§. II.

Quibus infligi poſſit Cenſura, & quorum Bonorum privationem inducat.

S V M M A R I V M.

4 *Soli Baptizati affici poſſunt cenſura.*

5 *Cenſura primario privat bonis ſpiritualibus, & ſecundariò temporalibus.*

4 IN priori paragrapho allata definitione cenſuræ, dicitur tertiò. *Fideles ſuos* ſoli enim fideles, id eſt, ſoli Baptizati, ab Eccleſia Cenſuris affici poſſunt, tam quia reliqui per ſe jam expertes, & incapaces ſunt bonorum ſpiritualium, quorum privationem Cenſura inducit, tum quia Eccleſiæ numquam adſcripti, Juriſdictioni ejus non ſubiiciuntur. Cùm tamen Cenſura ſit actus Juriſdictionis, adeòque in eos tantùm exerceri poſſit, qui Eccleſiæ Juriſdictioni, vel de facto, vel de jure, uti etiam Hæretici & Schiſmatici, ſubiiciuntur, quæ ſubjectionis neceſſitas indicatur per particulam *ſuos*. Unde privati Superiores Eccleſiæ nemini Cenſuram inferre poſſunt, niſi ſubdito, & quatenus eorum Juriſdictio in illum extenditur, quæ cùm juxta dicta in materia de legibus non extendatur in ſubditos, neque phyſicè, neque moraliter, ſcilicet ratione delicti, in proprio territorio commiſſi, præſentes tunc, cùm legem non obſervarent (niſi ſint Regulares; quia horum Superiores ab omni loco abſolutam, & immediatè in perſonas directam Juriſdictionem intra Religionem ſuam obtinent) ideò illi cenſuram ab eodem ſtatutam non incurrunt, ſicuti neque Vagi, aut Peregrini, ligari poſſunt cenſuris locorum, quorum legibus defectu ſubjectionis in tranſitu non obligantur.

5 Dicitur quartò. *In bonis ſpiritualibus*, cujuſmodi ſunt uſus activus, & paſſivus Sacramentorum, publica ſuffragia, Satisfactiones, Indulgentiæ, Beneficia Eccleſiaſtica, Juriſdictio ſpiritualis, ſepultura in loco ſacro, & alia hujuſmodi bona ſpiritualia externa; nam interna, quia Eccleſiæ poteſtati non ſubduntur, per eam neque eripi poſſunt. Temporalia verò nonnulla licèt per cenſuram etiam tollantur, v. g. habilitas ad faciendum contractum, percipiendi fructus beneficiorum &c. Eorum tamen privatio eſt tantùm effectus ſecundarius, ac minùs principalis, ad quem proinde non debuit cenſura definiri.

§. III.

De Cauſa Morali & Finali Cenſuræ.

S V M M A R I V M.

6 *Cenſura eſt pœna Medicinalis, ad emendandam contumaciam, eaque emendata tolli debet, & per hoc diſtinguitur ab aliis pœnis ſpiritualibus.*

7 *Supponit culpam, non merè Venialem, nec merè internam, ſed mortalem, externam, & conſummatam.*

8 *Non extenditur ad Cooperantes moraliter delicto, ſub Cenſura prohibito, niſi id in prohibitione exprimatur, vel ab eadem directè, & æquè principaliter prohibeatur.*

6 REſtant ex definitione cenſuræ declarandæ ultimæ particulæ, dum dicitur quintò. *Ad eorum correctionem.* Quibus verbis duo indicantur, ſcilicet quòd cauſa moralis, ſeu meritoria cenſuræ debeat eſſe culpa, gravitati hujus pœnæ ſpiritualis proportionata, & quòd cauſa finalis, quantùm eſt ex parte inferentis cenſuram, debeat eſſe illius correctio, ſeu emendatio, ut quemadmodum comminatio cenſuræ ordinabatur ad præſervationem à culpa, ſic actualis illatio ordinetur non præcisè ad punitionem, ſed ad pœnitentiam, & ſatisfactionem ex Reo eliciendam: unde hoc fine obtento debet rurſum per abſolutionem cenſura tolli (quamvis ſi per accidens propter hominis incorrigibilitatem prævideatur, illum non obtentura, idcircò non debeat neceſſariò omitti) per quod differt tum à Degradatione, & Depoſitione, quæ perpetuæ, & purè pœnales eſſe poſſunt, & ſolent, etiamſi Reus ſit emendatus; tum à ceſſatione à ſacris, quæ, quando non participat rationem Interdicti, propter mœrorem Eccleſiæ conteſtandum, vel injuriam propulſandam, & non tamquam pœna medicinalis aſſumitur; tum ab Irregularitate, quæ ſæpè nullam culpam ſupponit, vel ſi ex delicto orta eſt, in ejus etiam jam emendati perpetuam vindictam infligi poteſt: ſola ergo Cenſura eſt pœna ex natura ſua medicinalis, ut dicitur *in cap. 1. de Sententia Excommunicationis in 6.*

7 Et quia prout communiter infligitur, eſt gravis pœna (excepta Excommunicatione minore, utpotè ablativa quidem magnorum bonorum, nempè uſus Sacramentorum, ſed facillimè per cujuſvis Sacerdotis Abſolutionem auferibili) ideò ad eam ſubeundam ex omnium conſenſu cum S. Thoma 4. *diſtinct. 18. quæſt. 2. art. 3. quæſt. 2. in C.* non ſufficit præcedens culpa venialis, ſed requiritur mortalis, quæ reſpectu Interdicti & Suſpenſionis, ut etiam notavit S. Thom. *l. c. ad* 2. poteſt etiam eſſe aliena, nempè ipſius Prælati, vel Communitatis, ut viſa communi nocentium, & innocentium pœna ipſi nocentes celeriùs reſipiſcant: reſpectu Excommunicationis majoris verò tamquam omnium graviſſimæ ſemper debet eſſe propria: hinc licèt ſinguli in aliqua Communitate excommunicari poſſint, quando ſinguli ſunt Rei ipſius culpæ, numquam tamen poteſt excommunicari tota Communitas, quando non omnes ſunt Rei: & quia culpa non eſt Communitatis, ſed ſolùm particularium perſonarum, conſtituentium Communitatem, ideò numquam Communitas qua talis excommunicatur, ut communiter notant Doctores cum S. Thoma *loc. citat.* Rurſum quia, ut in materia de legibus dicitur, Eccleſia in foro externo, ad quod ſpectat poteſtas ferendi cenſuras, nullam habet Juriſdictionem in actus merè internos, ideò ſecundùm communiorem, & probabiliorem doctrinam indicatam *in cap. Cogitatio, de Pœnitentia diſtinct.* 1. neceſſe eſt, ut culpa interna fuerit conjuncta cum externa, vel ob gravitatem objecti, vel ob circumſtantias ab aliquibus textibus Juris Canonici ſingulariter attentas, ſub mortali cum comminatione cenſuræ prohibita, ita ut ſi hæc externa non fuerit poſita, & completa ſecundùm proprietatem verborum Legis, vel Præcepti, inferentis cenſuram, hoc ipſo ea non incurratur, quia pœnales Leges ſtrictè & propriè accipiendæ ſunt.

8 Unde quando in perpetrantes aliquod delictum cenſura ſtatuta eſt, contra Roſellam cum communiori ſententia apud Palao *diſput. 1. de Cenſuris punct. 7. num.* 12. probabiliùs aſſeritur, mandantes, conſulentes, vel quovis alio modo moraliter tantùm, & non phyſicè ad illud cooperantes, eadem non ligari, niſi etiam ad illos per idem vel aliud ſtatutum expreſſis verbis extendatur (poſito, quòd effectus verè ſit ſecutus, & cooperatio mortalis v. g. mandatum vel conſilium priùs non fuerit retractatum, ac deſierit culpabiliter influere, ut aliis relatis rectè monet Palao *num.* 15.) vel niſi lex ſub cenſura prohibens aliquod delictum inutilis ac fruſtranea foret, ſi ad moraliter cooperantes non extenderetur, ob quam cauſam Excommunicatio *in capit. Ita quorundam de Judæis* impoſita deferentibus arma ad Saracenos, *in cap. Significantia eodem titul.* declaratur etiam incurri ab iis, qui non in propria perſona, ſed per nuncios deferunt. Ratio aſſertionis eſt: quia licèt vi regulæ de Interpretatione legum tradi ſolitæ, quod eſt Lege diſpoſitum circa unum eorum, quæ in jure æquiparantur, etiam ſit diſpoſitum circa alterum, qua tale, & propterea Excommunicationem *in cap. Si quis ſuadente* 17. *q.* 4. ſoli percutienti Clericum impoſitam, alius textus Juris Canonici *in cap. Mulieres de Sententia Excommunicationis*, etiam in mandantes percuſſionem Clerici extendat: tamen non univerſaliter etiam in aliis caſibus, mandantes, vel conſulentes delictum, phyſicè illud exequentibus perfectè æquiparantur. Nam *in c. 2. de Clericis pugnantibus in duello* pugil verè homicida dicitur, non autem mandans. Et *cap. Si quis viduam* 50. *diſtinct.* mandatum, conſilium, & factum, ut diſtincta ponuntur: unde quando Jus omnia æquali cenſura vult afficere, id ſolet manife-

niſeſtis verbis explicare, ut patet *ex cap. Felicis de. pœnis in 6. & ex Clementin. Si quis ſuadente eodem tit.* atque ex pluribus excommunicationibus in Bulla Cœnæ. Itaque ut textus juris apparenter repugnantes concilientur, de minùs perfecta æquiparatione intelligendum eſt, cùm in Regula *Is damnum de Regul. Juris in 6.* dicitur *Is damnum dat, qui jubet damnum dari, & lex Nihil intereſt ff. Ad legem Cornel. de Sicariis. Nihil intereſt, an quis occidat, an cauſam mortis præbeat.* Quando verò *in capit. Nuper de Sententia Excommunicationis*. Is, qui ſcienter communicat nominatim excommunicato, dando ei Conſilium, auxilium, vel favorem, declaratur ſimiliter excommunicatus, & tamquam conſentiens pari pœna conſtrictus cum faciente delictum, cenſura dignum, id non ſimiliter extendi debet ad moraliter cooperantem patrationi criminis: quamvis enim etiam ille verè delinquat contra Legem, prohibentem delictum ſub Cenſura, & contra Legislatorem, quia tamen communicatio cum excommunicato, & communicatio cum excommunicando poſt delicti perpetrationem, ſunt diverſa crimina, ideò non hoc ipſo, quòd ſtatutum eſt de uno, cenſendum eſt fuiſſe ſtatutum etiam de altero, etiamſi Prælatus habuiſſet eamdem rationem, idem ſtatuendi.

Plures alias cauſas excuſantes accuratè recenſet noſter P. Adamus Tan. *tom.4. diſput.6. quæſt.10. dub.3. à 53.* ut ſi quis non fuit perfecta & ſufficiens cauſa effectiva illius actus, propter quem decreta eſt Excommunicatio. Hinc Excommunicatio lata in ſepelientes Excommunicatum, non comprehendit juvantes, & proſequentes funus, qui re ipſa non mandant eum ſepulturæ, ut cum Gl. *in Clement. cap.1. de Sepulturis* docet *ibid.* Navar. Rurſum ſi dubium eſt de Iure, an ſcilicet actus comprehendatur ſub Lege ſtatuente Cenſuram: pœna enim non incurritur, niſi in caſibus Jure expreſſis, propter Juris Regulam, odia reſtringenda, & favores ampliandos, aſſerentis. Imò, ut inquit cit. Tan. *num.61.* probabiliùs eſt, nec in dubio quidem facti aliquem ſeſe gerere debere tamquam excommunicatum, aut irregularem, niſi in caſibus à Jure expreſſis, ut ſpeciatim de Irregularitate docet Suar. *diſput. 40. ſect. 6. juxta cap. un. Ut Eccleſiaſtica Beneficia* non obſtantibus *cap. Ad audientiam cap. Significaſti c. Petitio de Homicid.* Ubi tamen non eſt ſermo de Excommunicatione, ſed de ſola Irregularitate.

ARTICULUS II.

Quotuplex ſit Cenſura.

SVMMARIVM.

9 *Tres dantur Cenſuræ, eſſentialiter diverſiæ. Excommunicatio, Suſpenſio, Interdictum.*
10 *Eædem cenſuræ ratione modi ſubdividuntur in cenſuram à Jure, & cenſuram ab Homine.*
11 *Utraque rurſum ſubdividitur in cenſuram latæ ſententiæ, & ferendæ ſententiæ.*

9 QUæritur. Quotuplex ſit cenſura. Reſp. quòd ſecundùm diviſionem eſſentialem ſit tantùm triplex, partim quia Innocentius III. de hoc interrogatus in cap. *Quærenti de Verborum ſignificatione*, tantùm iſtas tres enumeravit, Excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum: partim quia Degradationi, Depoſitioni, Ceſſationi à Divinis, & irregularitati ex delicto, quas aliqui inter cenſuras numerant, non convenit definitio Cenſuræ.

10 Secundùm diviſionem accidentalem verò ratione modi, quo prædictæ cenſuræ feruntur, iterum ſubdiſtingui ſolent in cenſuram *à Jure*, & Cenſuram *ab homine*. Cenſura à Jure eſt quæ per legem, vel ſtatutum ſtabile fertur contra peccata futura, quod ſtatutum nec morte ferentis, nec officii depoſitione extinguitur. Cenſura ab homine eſt, quæ per præceptum, vel per ſententiam Superioris, vel Judicis, irrogatur contra peccata futura, vel præterita in eorum Satisfactionem, ac cum vitæ illius, vel officii depoſitione, ſi nondum contracta eſt, quoad obligationem eam ſubeundi, exſpirat; diciturque Generalis, quando ipſa quoad ſpeciem Cenſuræ, prout eſſe debet, quidem eſt determinata, & pro determinato delicto infligitur, ſed perſona, in quam fertur, primùm eſt determinanda. Specialis verò dicitur, quando perſonæ jam determinatæ imponitur.

11 Utraque rurſum, tam quæ eſt à Jure, quàm quæ ab Homine contra peccatum futurum ſtatuta, ſubdividitur in cenſuram *ſententiæ latæ*, & cenſuram *ſententiæ ferendæ*: prior ipſo facto ante Judicis condemnantis ſententiam incurritur: poſterior primùm per actualem condemnationem infligitur. Inter quas illud etiam eſt diſcrimen, quòd cenſura latæ ſententiæ, utpotè quæ eſt Legis oneroſæ, debeat id ipſum clarè verbis exprimere, adjectis particulis *ipſo facto vel jure*, aut verbis ſignificantibus non ſolùm comminationem, ſed actionem inflictivam Cenſuræ, ut jam exiſtentem, vel præteritam. Cenſura ferendæ ſententiæ autem *juxta Regul. Juris 49.* declarantem, quòd in pœnis benignior interpretatio ſit facienda, ſupponitur eſſe, quoties Superior vel utitur verbis dubiis, vel ſignificantibus inflictionem Cenſuræ, ut ponendam de futuro. Hinc Cenſura latæ ſententiæ eſt, cùm in decreto dicitur: *Excommunicamus eum, qui tale delictum fecerit. Incurrat excommunicationem. Subjaceat excommunicationi. Noverit ſe excommunicatum. Volumus, vel jubemus, vel declaramus illum eſſe excommunicatum &c.* cenſura autem ſententiæ ferendæ eſt, cùm dicitur (*præcipimus*, vel *prohibemus ſub Excommunicatione, ſuſpenſione &c. Excommunicetur, qui fecit. Noverit ſe incurſurum Excommunicationem. Volumus excommunicari, &c.* aliqui cum Sanchez, Laym. Navar. nec improbante Pal. *diſput. 1. punct. 2.* etiam volunt, ſic accipienda eſſe verba *ſit Excommunicatus*.

ARTICULUS III.

De Suſpenſione, & Ablatione Cenſuræ, & quis eam, ac quo modo, conferre poſſit.

SUMMARIUM.

12 *Ab obſervatione Cenſuræ illatæ excuſat ignorantia, & metus gravis damni.*
13 *Iſte metus ſæpè etiam excuſat ab incurſione cenſuræ.*
14 *Poſt incurſionem verò ab ejus obſervatione non niſi Summus Pontifex eximere poteſt.*
15 *Neque poteſt aliter tolli, niſi per abſolutionem.*
16 *Quinam hanc abſolutionem impertire poſſint, quando cenſura eſt ſpecialiter lata ab homine.*
17 *Et quinam poſſint, quando eſt lata à Jure, vel generaliter ab homine ſine reſervatione.*
18 *Et quinam: quando eſt lata cum reſervatione.*
19 *Ut ſit valida Abſolutio, debet eſſe libera à metu injuſto.*
20 *Et ab errore in cauſa principali.*
21 *Qualis requiratur diſpoſitio ex parte abſolvendi à Cenſura; & quomodo requiratur ſtatus viæ, ut ſit capax abſolutionis.*
22 *Quomodo abſolutio à cenſura conferenda ſit.*

12 QUæritur. Quomodo obligatio abſtinendi à certis actionibus, & uſu rerum ſpiritualium per Cenſuram inducta ſuſpendi, vel omninò tolli poſſit. Reſp. Suſpendi, vel excuſari, ab obſervatione Cenſuræ eadem obligatum, primò per ignorantiam obligationis. Si v. g. ignarus Interdicti Localis ibidem Sacris operetur; à Cenſura verò perſonali Ignorantia omninò excuſat, ut ne quidem incurratur, de quo diximus *tract. 2. diſputat. 1. num. 23. & 24.* Secundò per metum gravis damni, ſibi vel alteri ex obſervatione cenſuræ imminentis in bonis fortunæ, corporis, famæ, vel etiam in bonis ſpiritualibus, contra intentionem ferentis cenſuram, eventuri: cùm etiam ab aliis legibus, purè Eccleſiaſticis, hujuſmodi grave damnum excuſet.

13 Unde propter tranſgreſſionem Legis purè Eccleſiaſticæ, ex tali metu gravis damni factam, (modò damnum non ſit intentatum in formalem contemptum ipſius Legis, vel poteſtatis Eccleſiaſticæ & modò lex ſit tantùm pro-

prohibens, non verò irritans actionem) nulla etiam incurreretur Cenſura, etiamſi actio ſecluſo metu gravis mali eſſet ſub mortali culpa, & ſub cenſura prohibita: Hoc ipſo enim, quòd talis metus gravis excuſaret ab obligatione ſub culpa, excuſaret etiam à pœna, quæ non incurritur niſi propter culpam. Poſui tamen in parentheſi duplicem exceptionem; Prioris ratio eſt: quia formalis contemptus Legis, etiam ſolùm humanæ, qui ex hujus ſuppoſitione opponeretur Juri Divino naturali, non excuſaretur per metum gravis mali, & ideo neque tolleretur obligatio etiam ipſius humanæ Legis quoad vim obligandi ſub culpa, & ſub pœna. Poſterioris hæc eſt ratio: quia, ut dixi *in tract.* 4. *diſput.* 1. *num.* 32. Lex humana irritans actionem, v. g. Matrimonium inter Conſanguineos, vel affines in gradibus ſolo Jure Eccleſiaſtico prohibitis, retinet vim obligandi, cujuſcunque mali metu adverſante; quando itaque Sacerdos Lege Eccleſiaſtica excommunicatus, & denunciatus, adeòque privatus Juriſdictione ad abſolvendum pœnitentem extra articulum mortis, attentaret aliquem irritè & invalidè, adeòque ſacrilegè abſolvere, etiamſi gravi metu adactus id faceret, is nihilominus incurreret pœnam quamcunque Eccleſiaſticam, transgreſſoribus Cenſurarum ſtatutam. Et ita inter Legem Eccleſiaſticam ob metum gravis mali deſinentem obligare, vel non deſinentem obligare obſervat diſtinctione Suarez *lib.* 3. *de legibus capit.* 30. *num.* 14. *& diſput.* 6. *de Cenſuris ſect.* 3. Ægidius, Coninck, *diſp.* 13. *dub.* 12. *num.* 97. Laym. *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 5. *num.* 9. explicant textum, quando Innocentius III. *in cap. Sacris.* 5. *de Iis, quæ vi metùſve cauſa* dicit. *Licèt metus attenuet culpam; quia tamen non prorſus eam excludit, cùm pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari.* Quod proinde verum eſt, quotieſcunque lex Eccleſiaſtica, ſtatuens Cenſuram, conjungitur cum obligatione Legis Divinæ, per metum gravis damni non excuſabili, adeòque quando non ampliùs eſt purè humana.

14 Tertiò ſuſpenditur, vel excuſatur obligatio Cenſuræ per diſpenſationem Summi Pontificis. Nam Epiſcopum manente obligatione Cenſuræ, quoad ejus effectum contra naturam Cenſuræ diſpenſare non poſſe colligunt Suarez & Palao *diſput.* 1. *punct.* 10. *ex cap. Paſtoralis de Clerico Excommunicato miniſtrante*: Ubi Epiſcopus punitur, ſi ſcienter Clerico excommunicato per diſpenſationem inhabilitatis beneficium conferat.

15 Quoad omnimodam autem ablationem Cenſuræ Reſ. eam non niſi per abſolutionem tolli poſſe; Etiamſi enim obligatio incurrendi Cenſuram latam ab homine exſpiret eo mortuo, vel ab officio depoſito, aut ſuſpenſo, poſtquam tamen omnino contracta eſt, in conſervari non dependet ampliùs ab illius Juriſdictione; ſed, ſicut aliæ Pœnæ, moraliter perſeverat, donec per condonationem, ſeu abſolutionem remittatur: ut colligitur *ex cap. Si Epiſcopus.* 11. *q.* 3. ac teſte Palao omnes conſentiunt. Unde ſi talis pœna Eccleſiaſtica, qualis per Cenſuram infertur, tantùm pro certo tempore imponeretur, nulla requiſita ſatisfactione, vel emendatione, talis punitio Cenſura non eſſet: quia non dirigeretur ad finem, quem Cenſura ſpectare debet, & quo poſito, niſi per legem ipſam tanquam terminus Cenſuræ definiatur, habentem ut ſic rationem abſolutionis conditionatæ, non hoc ipſo Cenſura ceſſat, ſed primùm per abſolutionem tolli debet, ut deciditur *in capitulo Cùm deſideres de Sententia Excommunicationis*, & pluribus aliis. Unde etiam ab Alexand. VII. prohibita eſt hæc 44. propoſitio. *Quoad forum conſcientiæ, Reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant Cenſuræ.* Quæ propoſitio ſi vera eſſet, maximus inde ſequeretur abuſus, prætextu correctionis & emendationis præſtitæ paſſim ſe ſeeximentium à pœnis Eccleſiaſticis, quę proinde facilè etiam contemnerentur.

16 Ut Abſolutio autem legitima ſit, ex parte eam dantis, requiritur primò poteſtas non impedita abſolvendi; quam reſpectu Cenſuræ ſpecialis ab homine latæ ſolùm habet Author Cenſuræ, niſi & ipſi in certis caſibus, quorum ſex tantùm enumerat Palao *diſput.* 1. *punct.* 11. §. 4. *num.* 4. fuerit ſpecialiter interdictum: deinde ejus ſucceſſor, ut dicitur *in capit. Si Epiſcopus.* 11. *quæſt.* 3. eſt enim perſona eadem cum prædeceſſore *juxta capit.* 1. *de Solutionibus*. Præterea illius Superior, niſi ex conſuetudine vel Lege prohibeatur.

Pro hac exceptione ſciendum eſt, poteſtatem e. g. Epiſcopalem inferendi, & auferendi Cenſuram per abſolutionem, adeò firmam, & abſolutam eſſe, ut contra latam ſententiam appellatio ad altiorem Judicem non habeat vim ſuſpenſivam, ſed tantùm devolutivam; ut nimirum excommunicatus per ipſam excommunicationem (etiamſi fuerit injuſta, modò non fuerit invalida, ut optimè diſtinguit S. Th. 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *a.* 1. *q.* 4.) ſtatim ſit privatus bonis ſpiritualibus, & communicatione Fidelium, ſeque gerere debeat, ut excommunicatum, donec ab hac Cenſura abſolvatur: ut habetur *in cap. Is cui* 20. §. *Sane de ſententia Excom. in* 6. & *in cap. Paſtoralis* 53. §. *Verum de Appellationib.* Ideo appellatio ad altiorem Judicem, e. g. ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum, tantùm ſortitur hunc effectum, ut altior Judex cauſam Excommunicationis cognoſcat, atque examinet, &, ſi ipſi videatur, excommunicatum abſolvendum declaret ab Authore Cenſuræ: Verùm non ipſe eum abſolvat, ut expreſsè dicitur *in cap. Ad reprimendam* 8. *de Officio Iudicis Ordinarii.*

Excipitur tamen primò, ſi periculum in mora ſit *juxta cap. Sacrò* 48. *de ſentent. Excom.* Secundò excipitur in ipſo *cap. Ad reprimendam* ſi Epiſcopus, ad quem excommunicatus tranſmiſſus eſt pro abſolutione impertienda, renuat. Tertiò ſi legitimè conſtet, excommunicationem injuſtè illatam eſſe. Nam quando *in citat. cap. Ad reprimendam* Pontifex dicit: *Tu verò Frater Archiepiſcope (cùm excommunicationis ſententia per appellationis non ſuſpendatur objectum) Si quis excommunicatus ab Epiſcopo de injuſta tibi fuerit excommunicatione conqueſtus, ad ipſum (ei quaſi Coepiſcopo deferens) abſolvendum ſecundùm Eccleſiæ formam remittas.* Id juxta Gloſſam *Verb. Conqueſtus* intelligendum eſt de nuda querela, & non de Judiciali factæ appellationis proceſſu, in quo ſi legitimè fuerit cognita injuſtitia inflictæ Excommunicationis (ad quem proceſſum etiam vocandus eſt Epiſcopus excommunicans juxta Gloſſam. *in cit. cap. Sacro verb. Conſtiterit & juxta cap. Romana* 3. §. *ſententias de Appellationib. in* 6.) poterit Archiepiſcopus immediatè abſolvere excomunicatum *juxta cap. Per tuas, de ſent. Excom.* Nam per appellationem in Ordine ad illam cauſam appellans fit ſubditus Archiepiſcopo. Imò juxta hoc ipſum capitulum, etiam antequam inſtituatur proceſſus appellantis, poteſt is ob cauſæ devolutionem ad Archiepiſcopum ab eodem abſolvi, quamvis deceat illum remitti ad Epiſcopum, atque ſi propter manifeſtum exceſſum fuerit excommunicatus, debeat remitti: certè ab alterutro ibidem præcipitur abſolvendus, præſtito ante litis ingreſſum juramento ſecundùm Eccleſiæ conſuetudinem, quòd velit ſtare mandatis Epiſcopi, & præſtare injunctam ſatisfactionem: neq; ante abſolutionem admittitur excommunicatus ad agendam cauſam ſuam, niſi offerat ſe non tantùm ad probandum, excommunicationem fuiſſe injuſtam, ſed etiam nullam, & invalidam, ut habetur ibidem.

Petes tamen hic diſparitatem, quare extra prædictos caſus exceptionis Archiepiſcopus non poſſit abſolvere excommunicatum ab Epiſcopo: Epiſcopus autem poſſit abſolvere excommunicatum ab alio inferiori Judice, habente Juriſdictionem ordinariam in foro externo, qualis in quibuſdam locis conceditur Archidiacono, & Decano, etiam Rurali. Nam Archiepiſcopus quoque eſt Superior Epiſcopo, & juxta Regulam univerſalem poteſt Superior Prælatus relaxare Cenſuram, latam ab Inferiore. Reſpondetur diſparitatem, & legitimam Regulæ explicationem in eo conſiſtere, quòd licèt Epiſcopus ſit ſubditus Archiepiſcopo; tamen ſubditi Epiſcopo non ſint ſubditi Archiepiſcopo, niſi in cauſa appellationis: tunc autem duntaxat Superior Prælatus poteſt relaxare Cenſuram latam ab Inferiore, quando non tantùm eſt Superior Excommunicatore, ſed etiam ipſo excommunicato. Hinc etiam quando Epiſcopus non habet immediatam Juriſdictionem in ſubditos ſubjecti ſibi Prælati, neque ipſe poteſt iſtos abſolvere ab excommunicatione, niſi ad ſe fuerit appellatum: atque ſic teſte Laym. *in cap. Cùm ab Eccleſiarum* 3. *de Officio Iudicis Ordinarii n.* 1. Sive de Jure, ſive de Conſuetudine in praxi obſervatur; ut ex-

excommunicatos à Prælatis Monaſteriorum non exemptorum Epiſcopus abſolvere nequeat, niſi ad ſe fuerit appellatum, prout notarunt Abbas, & Paludanus; quia Epiſcopus in Correctionem Regularium cum Prælato non concurrit, nec immiſcere ſe debet, niſi ad ſupplendam negligentiam Prælatorum, vel in graviſſimis criminibus juxta Gl. *in cap. Quanto 7. de Offic. Judic. Ord.*

Præter prædictos ex Jure Ordinario habentes poteſtatem abſolvendi à Cenſuris ab homine latis, eandem poteſtatem etiam habent, quibus principales modò dicti illam delegaverint: qui enim ex officio habet poteſtatem abſolvendi à Cenſura, poteſt eandem etiam alteri delegare, ut dicitur *in capit. His, quibus 20. de Officio Judicis Ordinarii*. Extra hos verò nemo alius remittere poteſt Cenſuram ſpecialem, latam ab homine, & ne quidem Epiſcopus loci, cui Reus forſan mutatione domicilii de novo ſubjectus eſt; ut colligitur *ex capit. Propoſuiſti de Foro competente*, juncta gloſſa verbo *citatus*. Ratio eſt, quia hujuſmodi cenſura non fertur, niſi citato Reo, cujus proinde cauſam expedit finiri, ubi cœpta eſt. Ad hæc excitantur hac ratione multæ turbationes, & Superiorum Auctoritas defenditur.

17 Reſpectu Cenſuræ autem latæ à Jure, ſi reſervata non ſit, cui etiam æquiparatur Cenſura generaliter ab homine lata, utpotè legem imitans, abſolvendi ordinaria poteſtate gaudent, præter Auctorem Cenſuræ inferiores Prælati, uti colligitur *ex capitul. Frequentibus de Inſtitutionibus, & ex capit. Nuper de Sententia Excommunicationis*. Immò ex delegatione juris, muneri perpetuò annexa, ac proinde ſubdelegabili juxta longè communiorem, & probabiliorem ſententiam etiam Parochis, fori juriſdictione non gaudentibus, & cuivis Sacerdoti, potenti abſolvere à peccatis mortalibus, eadem poteſtas conceditur, uti ex ratione *in capitul. Nuper* aſſignata colligitur, etiamſi ipſum tantùm de Excommunicatione minore loquatur.

18 Si verò Cenſura ſit reſervata, ſolùm Is, cui reſervata eſt, & Succeſſor, ac Superior illius, vel cui ipſi poteſtatem commiſerint, ab eadem abſolvere poſſunt, cujuſmodi poteſtas in omnes Cenſuras occultas Pontifici reſervatas, abſque onere illi ſe ſiſtendi, commiſſa eſt Epiſcopis *in Trident. ſeſſ. 24. capit. 6.* quæ tamen quomodo ipſis quoad peccata in Bulla Cœnæ reſervata, per eandem Bullam reſtricta ſit, dixi *in tractat. 6. diſputat. 6. num. 214.* Ubi etiam *à numer. 215.* declaravi aliud Epiſcoporum Privilegium circa remittenda peccata, & Cenſuras reſervatas Pontifici. Deinde *à numer. 220.* retuli, quanta poteſtas pro Foro conſcientiæ delegata ſit Religioſis Mendicantibus, eorumque privilegia participantibus, in peccata, & Cenſuras Summis Pontificibus, & Epiſcopis Diœceſanis reſervatas, & quanta etiam aliis Sacerdotibus approbatis per Bullam Cruciatæ, vel Jubilæi concedi ſoleat. Ideò ad citatum locum, ne eadem hìc repetenda ſint, lectorem remitto.

Ubi quia à poteſtate prædictis delegata, etiam pro ſolo foro Conſcientiæ, ſemper excipiuntur Caſus Bullæ Cœnæ, quantumvis occulti, omninò improbatur à nobis propoſitio quarta; ab Alexandro Septimo damnata. *Prælati Regulares poſſunt in foro Conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa*. Solùm adhuc addo, quòd qui tantùm in foro Conſcientiæ eſt abſolutus ab excommunicatione publica & notoria, exteriùs ſemper ſe gerere debeat, veluti ſi abſolutionem non accepiſſet: quia Juriſdictio fori interni non ſe extendit ad forum externum, ſicut viciſſim Juriſdictio fori externi quoad remiſſionem peccatorum non ſe extendit ad forum internum: hoc enim ſpectat bonum privatum pœnitentis; illud verò intendit bonum commune, diſciplinam, ac Gubernationem publicam, quæ plurimùm impediretur, ſimulque auctoritas Gubernatorum labefactaretur per privatas: & occultas abſolutiones, ſæpè etiam falsò prætenſas, & præbentes occaſionem multis ſcandalis, ſi etiam pro foro externo ſervirent.

19 Ad valorem Abſolutionis requiritur ſecundò ex parte Impendentis illam libertas ab injuſto metu, ſeu coactione, ſive à Reo, ſive ab alio ad extorquendam abſolutionem illata, aliàs abſolutio erit invalida, & nova Cenſura incurretur, ut dicitur *in cap. unico de His, quæ vi metuſvè cauſa in 6.*

20 Requiritur tertiò libertas ab errore in cauſa principali, quæ per ſe neceſſaria eſt ad validè conferendam abſolutionem, ne ſcilicet Reus ob ſuam fictionem ſolùm per errorem putetur parti læſæ ſatisfeciſſe, vel propoſitum ſatisfaciendi habere: quia abſolvens non præſumitur voluiſſe irrationabiliter, & contra juris ordinem ob defectum cauſæ principalis, & obtenti finis Cenſuram remittere.

21 Ex parte accipientis abſolutionem nulla ferè conditio requiritur ad ejus valorem, niſi ut quando ipſa abſolutio pendet à conditione futura, eam impleat, modò non deſit ſubjectio, ſaltem in ordine ad actum abſolutionis: quando enim juxta praxim Eccleſiæ, etiam (ut ex hiſtoriis patet) à DEO mirabiliter approbatam, numquam mortui à Cenſura abſolvuntur, qui tamen non ampliùs ſubſunt Juriſdictioni militantis Eccleſiæ, horum abſolutio, ut rectè obſervat Tannerus *tom. 4. diſp. 6. q. 10. num. 109.* non directè ipſos liberat à pœna, ſed potiùs ipſos Fideles liberat à prohibitione communicationis, ut defunctos ante abſolutionem cum editis ſignis pœnitentiæ, in loco ſacro ſepelire, & communia ſuffragia pro illis publicè offerre liceat: Sicut viciſſim impœnitentes tali modo poſſunt excommunicari: ut notat Laym. *lib. 1. tractat. 5. p. 1. capitul. 3. numer. 2.* Quoad vivos verò decet, ut, quamvis ex communi Doctorum conſenſu cum S. Thoma *4. diſtinct. 18. quæſt. 2. articul. 5. quæſtiunc. 2.* validè poſſit abſolvi à Cenſura etiam invitus, hujuſmodi abſolutio ſine juſta cauſa non conferatur, humiliter non petenti, vel abſenti, ob majorem Cenſuræ reverentiam, & cenſurati cautelam, ac humiliationem: ante ſatisfactionem verò parti læſæ præſtitam, vel, ſi ea præſtari non poteſt, ante præſtitam cautionem pignoratitiam, vel fidejuſſoriam, vel his etiam deficientibus, ante factum juramentum promiſſorium ſatisfactionis, abſolvens à Cenſura extra caſum neceſſitatis graviter peccaret contra *capit. 2. de Sententia Excommunicationis in 6. & cap. Ex parte 13. de Verbor. Significatione.*

22 Ex parte ipſius Abſolutionis, quæ abſoluta, vel conditionata, perpetua, vel ad reincidentiam, & remiſſiva plurium Cenſurarum ſimul, vel unius ſine altera, ſecundùm rerum exigentiam eſſe poteſt, nulla certa forma verborum requiritur, quamvis propter communem uſum, & forſan etiam invaliditatis periculum, ſine verbis; aut ſcripto, non debeat conferri, neque ſine ritu præſcripto *in capitul. A nobis 28. de Sententia Excommunicationis*, ſaltem quando abſolutio non eſt merè pœnitentialis, ſed publicè, & ſolemniter ad Eccleſiæ ſatisfactionem facta. In gravibus tamen delictis, uti ſunt ſtructio Incendii, & gravis Percuſſio Clerici, communiter tradunt DD. *ex c. de Cætero capitul. Ex tenore c. Cùm deſideres, de Sent. Excom.* ante abſolutionem neceſſariò exigendum eſſe juramentum, tale delictum non ampliùs committendi.

* *

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De Cenſuris in Specie

ARTICULUS I.

De Excommunicatione.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit Excommunicatio.

SUMMARIUM.

23 *Definitio Excommunicationis.*
24 *Diviſio ejuſdem in Majorem & Minorem.*

23 QUæritur primò. Quid ſit Excommunicatio. Reſpond. Eam communiter rectè definiri, quòd ſit *Cenſura hominem ſeparans à Communione Fidelium.* Sumitur autem hìc communio non pro ſola participatione Corporis Chriſti, prout *Actor.* 2. *verſ.* 42. accipiebatur, cùm fideles initio naſcentis Eccleſiæ dicebantur perſeverare in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis: à qua deinde propter peccata ſua repulſi etiam excommunicati denominabantur: ſed pro aliorum etiam ſpiritualium bonorum communicatione uſurpatur, quorum privationem Eccleſiæ ſuccedenti tempore propter fervoris imminutionem, & criminum aggravationem inſuper induxit, pro poteſtate, ſibi à Chriſto *Matth.* 16. & 18. conceſſa, Fideles ſuos non tantùm peccatorum retentione, ſed etiam pœnarum ſpiritualium innodatione ligandi; cùm non minùs privatio temporalis reliquorum mediorum ad ſalutem neceſſariorum, quàm ipſius abſolutionis à peccatis denegatio, ad correctionem delinquentium, vel ſi hi incorrigibiles perſiſtant, ad reliquorum, ne & ipſi delinquant, terrorem, adeòque ad prudentem bonorum communium diſpenſationem, ac communitatis gubernationem conducat: Unde ipſe Chriſtus apud S. Matth. *capit.* 18. Fideles Eccleſiæ inobedientes, veluti Ethnicos, & Publicanos devitandos præcipit: quæ devitatio cùm ſit juſſu, & modo ab Eccleſia præſcripto, excommunicatio appellatur. Cujus diſcrimen à cæteris Cenſuris indicatur per illas particulas *Separans à communione Fidelium.* Licèt enim, etiam Suſpenſio, & Interdictum privent Hominem Bonis ſpiritualibus, ea tamen ab his tantùm eripiuntur ſecundùm Bonitatem ſuam quaſi abſolutam, & eſſentialem, ab Excommunicatione verò ſubducuntur quoque ſecundùm alteram bonitatem relativam, & accidentalem, quatenus per illa Fideles inter ſe communicant, & vitam ſocialem ac mutuam obſervantiam teſtantur.

24 Quæritur ſecundò. Quotuplex ſit Excommunicatio. Reſpond. Præcipuas diviſiones jam enumeratas eſſe *articul.* 1. § 2. Unica adhuc reſtat diviſio, in Excommunicationem Majorem, & Minorem, ſic dictas, propter inæqualitatem bonorum, quibus privant. Sumitur hæc diviſio *ex cap. De Presbyterorum* 17. *quæſt.* 4. & *cap. Nemo Epiſcoporum* 11. *quæſtio. tertia.*

* * *

§. II.

Quibus Bonis privet Excommunicatio Minor: quo modò incurratur: & à quo remitti poſſit.

SUMMARIUM.

25 *Excommunicatio Minor privat uſu paſſivo Sacramentorum.*
26 *Non tamen activo, neque ſub Veniali.*
26 *Reſpondetur ad capitulum oppoſitum Gregorii IX. & quare irritanda ſit electio ad Beneficium, cùm quis obſtrictus eſt Minore Excom.*
28 *Incurritur Excom. Minor per Communicationem cum excommunicato non tolerato.*
29 *Quivis Sacerdos, potens abſolvere à Venialibus, poteſt etiam abſolvere à Minore Excommunic. in foro Conſcientiæ, ſi illa ex Veniali eſt orta: imò etiamſi ex mortali.*
30 *Reſpondetur ad Auctoritatem Innocentii Tertii oppoſitam.*

DE Excommunicatione Minore tria quæruntur. Quibus bonis privet Excommunicatio Minor, quam ob cauſam incurratur, & à quo tolli poſſit. Reſp. Minor Excommunicatio olim multiplex, ut ex variis textibus *Cauſæ undecimæ quæſt.* 3. conſtat, nunc unica tantùm eſt, ea ſcilicet, quæ omnium Sacramentorum uſu paſſivo, ſeu receptione privat *juxta cap. A nobis de Exceptionibus*, & *capit. penultimum de Sententia Excommunicationis*, quamvis qui illa reciperet, validè reciperet, ne Sacramento quidem Confeſſionis, ut aliqui cum Vaſquez & Gaſpar. Hurtado volebant, excepto, ſi id ex cauſa, à culpa morrali excuſante, & conſequenter contritionem ſaltem imperfectam non impediente fieret: cùm à jure tantùm prohibeatur, non autem irritetur Sacramentorum receptio, & inter veniente juſta cauſa neque prohibeatur: quod etiam de ligato Majori Excommunicatione, graviore tamen cauſa urgente, intelligendum eſt. 25

Præter hanc receptionem multi, aſſentiente Palao *diſput.* 2. *punct.* 21. *num.* 10. & Laym. *lib.* 1. *tractat.* 5. *p.* 2. *capit.* 3. *num.* 4. Suarez *tom.* 5. *de Cenſuris diſputat.* 24. *ſect.* 2. *numer.* 11. Coninck *dub.* 17. etiam aſſerunt indirectè, & conſecutivè adminiſtrationem quoque Sacramentorum, ſed ſub veniali tantùm prohiberi, eò quòd non deceat aliis conferre, quo ipſe tamquam indignus privatus ſis. Unde cùm Pontifex *in capitul. Si celebrat de Clerico excommunicato miniſtrante*, dixiſſet: Sacerdotem minori excommunicatione gravatum, graviter peccare Miſſam celebrando, deinde omiſſa particula *graviter* addidit, peccare, Sacramenta aliis conferendo. Verùm ſicut diſtribuens Sacramentum Euchariſtiæ in peccato mortali, præmiſſa tantùm contritione ſine confeſſione, neque venialiter peccat, etiamſi ipſe adhuc indignus ſit ſuſcipere, quod aliis confert ſic cum Navarro *cap.* 27. *num.* 24. Lignano *tractat. de Cenſuris* §. 13. Abbate, Panorm. apud Suar. *loc. cit.* Tan. *to.* 4. *diſput.* 6. *quæſt.* 10. *dub.* 2. *num.* 24. Buſenbaum *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 3. rectiùs videtur dici, neque venialiter peccare conferentem Sacramenta, ſtante indignitate illa recipiendi, quia in hoc nulla apparet indecentia. 26

Neque Gregorius IX. ex quo Vaſq. *to.* 4. *p.* 3. *dub.* 4. *numer.* 4. probat culpam mortalem, ad talem indecentiam videtur attendiſſe, ſed tantùm decernere voluiſſe, eum, qui durante Excommunicatione minore confert Sacramenta, illa validè conferre, quamvis per præviam receptionem in celebratione Miſſæ, qua etiam conſecrat hoſtias, aliis diſtribuendas, peccet modo prædicto, id eſt, graviter, (ſine reatu tamen Irregularitatis, ut habetur *in cit. cap.*) ad quem, omittens repetitionem ejuſdem particulæ, ſe iterum in reſponſione refert. Hinc Pontifex Minore excommunicatione ligati electionem paſſivam ad beneficium, non ideò ait, eſſe irritandam (quam dictionem immeritò quidam ſic explicant, ſcilicet eſſe declarandam ipſo facto irritam) quòd conferre non poſſit Sacramenta, ſed quòd nequeat 27

ſuſci-

ſuſcipere, cùm tamen ratione beneficii per celebrationem Miſſæ, quam Pontifex ſupponit annexam, ſuſciperet, quæ cauſa, cùm etiam pugnet contra præſentationem, & collationem beneficii, ideò etiam ad has decretum Pontificis communiter ab AA. extenditur; & cùm æquè procedat ſive electio ſit ſcienter, ſive ignoranter ab Electoribus facta, propterea particula *ſcienter* cenſenda eſt à Pontifice fuiſſe addita, non ad limitandum ſuum decretum, ſed ad ampliandum, ut ſenſus ſit, etiamſi excommunicatus ſcienter electus fuerit, & non ſubreptitiè, adeòque invalidè, tamen electionem fore irritandam.

28 Sicut autem minor Excommunicatio eſt unica, ſic propter unicam cauſam à jure ſtatutam, (nam ab homine licèt poſſet, numquam tamen ſolet inferri) incurritur; nimirum ob communicationem cum excommunicato non tolerato in iis actionibus, reſpectu quarum excommnnicatio Minor non eſt mutata in Majorem. *Conſtat ex cap. Excommunicatos cap. Cùm Excommunicato capit. Finali de Clerico excommunicato miniſtrante*, etiamſi illa communicatio fiat cum excommunicato jam mortuo, v.g. comitando illum per deductum honorificum ad ſepulchrum, ut colligitur ex *capitul. Sacris de Sepulturis*.

29 De Abſolutione ab Excommunicatione Minore certum eſt, eam in foro externo tantùm ab habente juriſdictionem in excommunicatum impendi poſſe, an verò in foro interno à quovis Sacerdote conferri valeat, habente poteſtatem abſolvendi à venialibus, controvertitur inter AA. Plures negant, eò quòd Innocent. III. *capit. Nuper de Sententia Excommunicationis* interrogatus, quinam ab Excommunicatione Minore abſolvere poſſit, reſponderit, quemque è ſuo Epiſcopo, vel proprio Sacerdote, abſolutionis beneficium poſſe obtinere: ergo inferunt, ab alio, quàm proprio Sacerdote, id eſt, ordinario vel delegato, uti ſunt Regulares, non poteſt obtinere. Nihilominus probabiliùs cum Navarro, Vivaldo; Toleto, & aliis imò cum ipſo S. Thoma 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 2. *art.* 5. *quæſt.* 1. videtur aſſeri, à quovis Sacerdote, non tantùm proprio, ſed à quocumque habente poteſtatem in venialia, excommunicationis Minoris vinculum diſſolvi poſſe.

30 Neque obſtat reſponſio Innocentii, quæ interrogationi erat accommodata, quia quæſitum ex illo eſt, utrùm ſolus Epiſcopus, vel etiam ſimplex Sacerdos abſolvere ab Excommunicatione poſſit, qui proinde reſpondit, hoc ipſo, quòd Author Cenſuræ illam ſibi non reſervaverit, poſſe etiam à proprio Sacerdote abſolutionis beneficium concedi, ex qua reſponſionis aſſignata ratione contra Adverſarios ſubſumo: Pontifex ſuppoſuit, quòd, quando Excommunicatio non eſt reſervata, hoc ipſo proprius Sacerdos, quia poteſt abſolvere à peccato, per quod incurritur Excommunicatio, poſſit etiam abſolvere ab Excommunicatione, eò quòd hujus abſolutio neceſſariò ſit præmittenda; atqui non tantùm proprius Sacerdos poteſt abſolvere à peccato, per quod incurritur excommunicatio minor, ſed etiam quis alius Sacerdos, ſi peccatum fuerit tantùm veniale ob parvitatem materiæ, quale ſolummodò eſt communicatio in rebus civilibus cum excommunicato vitando (nam quando fuiſſet veniale propter imperfectum uſum rationis, tunc teſte Buſenbaum neque incurretur Excommunicatio) ergo etiam quis alius Sacerdos poteſt abſolvere à Minore excommunicatione, orta ex peccato veniali.

Quod ipſe Pontifex *citat. cap.* videtur indicare, in numero plurali dicens, quia Conditor canonis ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo videtur conceſſiſſe *aliis* facultatem relaxandi. Quia autem omnis excommunicatio minor eſt ejuſdem rationis ſive ex mortali ſive ex veniali proveniat, adeò qui poteſt abſolvere ab Excommunicatione proveniente ex peccato veniali, poterit etiam abſolvere ab Excommunicatione proveniente ex mortali, quippè abſolutio à Cenſura poteſt conferri ſine abſolutione à peccatis; cùm etiam Epiſcopus, vel Parochus nondum Sacerdos Cenſuram ſui ſubditi remittere poſſit, nequiens ob defectum Ordinis remittere peccata. Certè niſi cuivis ſimplici Sacerdoti concedatur poteſtas abſolvendi ab Excommunicatione minore, cùm à majori non reſervata etiam proprius Sacerdos quantumvis ſimplex abſolvere poſſit, minor Excommunicatio non minorem poteſtatem abſolvendi exiget, quàm major, & cùm etiam graviſſimis Bonis privet, erit ſimiliter pœna gravis, ac proinde improportionata culpæ ſolummodò veniali, quod eſt contra adverſarios.

§. III.

Quibus Bonis privet Excommunicatio Major.

SUMMARIUM.

31 *Referuntur varia bona ſpiritualia, quibus Major Excommunicatio privat.*

32 *Excommunicatus eſt inhabilis ad Beneficium Eccleſiaſticum acquirendum: etiamſi, vel electio, vel acceptatio fuerit poſita, tempore immunitatis ab Excommunicatione.*

33 *Dicta inhabilitas, etſi Excommunicatio ſit tantùm occulta, vel tolerata, non poteſt tolli, niſi per diſpenſationem, vel abſolutionem pro foro externo datam.*

34 *Excommunicatio non privat Beneficio legitimè poſſeſſo, ſed fructibus ejuſdem propter non præſtitum officium.*

35 *Privat etiam admiſſione ad actionem forenſem, & Juriſdictione, quæ tamen ab Excommunicato tolerato validè exercetur.*

36 *Privat præterea Communicatione in Civilibus.*

37 *Quomodo Excommunicatio Juris Antiqui à Martino V. ſit mitigata.*

MAjor. Excommunicatio, quæ etiam Anathema vocatur, quæque poſt Gregorium IX. *juxta cap. Penultimum. Si quem de Sententia Excommunicationis* ſemper intelligenda eſt per vocem *Excommunicatio* abſolutè prolatam, privabat olim licito uſu activo, & paſſivo Sacramentorum, & in adminiſtratione Pœnitentiæ, quæ Juriſdictionem requirit, etiam valido, communibus (non tamen privatis) Eccleſiæ ſuffragiis, uſu divinorum officiorum Ver. G. miſſæ, comprecationis, & cæteris publicis exercitiis ſpiritualibus (excepta auditione concionis) promotione ad beneficium juxta *capit. Poſtulaſtis de Clerico Excommunicato*, ipſo jure irrita: unde etiam irrita eſt præſentatio, electio, inſtitutio, confirmatio: quamvis Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *p.* 2. *cap.* 2. *num.* 7. cum Leſſio *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 119. probabile aſſerat, iſtam irritationem non tranſire in abſolutam, ſi deſtinatus tali modo ad Beneficium, ante ejus acceptationem impetraverit abſolutionem. Uti etiam *numer.* 117 cum citato Leſſio *numer.* 118. probabilem fatetur ſententiam, pro qua citat Avilam, Covar. Suar. Coninck quod poſt legitimam Electionem in Excommunicationem lapſus, Beneficium validè acceptet, & acquirat, etiamſi oppoſitum judicet probabilius, eò quòd ad acquirendum Beneficium ſit ſimpliciter inhabilis factus per Excommunicationem: unde ea durante non poteſt compleri aliquod Jus acquiſitum. 31

Mihi propter hanc ipſam rationem oppoſitum neque videtur probabile: Sicut etiam non videtur probabile, quòd per acceptationem tempore habilitatis poſitam convaleſcant priores actus, poſiti tempore inhabilitatis, quippe qui ſimpliciter & abſolutè fuerunt invalidi, æquè ac electio nondum exiſtentis in ſtatu Clericali, vel non habentis legitimam ætatem, etiamſi electus ante acceptationem electionis obtineret ſtatum Clericalem, vel ætatem legitimam. Unde ſine limitatione accipienda ſunt verba Innocentii III. *in cit. cap. Poſtulaſtis*: ut ait. *Clericis Excommunicationis Vinculo innodatis Eccleſiaſtica Beneficia conferri non poſſunt: nec illi valent ea licitè retinere: niſi forſitan cum eis fuerit miſericorditer diſpenſatum, cùm ea non fuerint canonicè conſecuti. Illi verò, qui ſcienter illa Beneficia talibus contulerunt, tamdiu debent à Beneficiorum collatione ſuſpendi, donec ſuper hoc veniam conſequi mereantur: ut puniantur in hoc, in quo delinquere præſumpſerunt.* 32

Dicta itaque inhabilitas ſola diſpenſatione, vel abſolutione pro foro externo data, auferri poteſt: neque juvat, 33

quòd

quòd Excommunicatio ſit occulta, vel tolerata: quia Excommunicatio occulta æquè habet omnes effectus, ac publica, & notoria, niſi quòd per accidens impediatur ex parte Fidelium obligatio non communicandi cum excommunicato occulto: quæ obligatio etiam ſublata eſt reſpectu excommunicati tolerati, non autem eſt cum illo ulla ratione diſpenſatum, neque ipſi collatum eſt aliquod privilegium, ut ex proximè dicendis patebit.

34 Quoad Beneficia ante Excommunicationem legitimè poſſeſſa non tollitur quidem Excommunicato Jus, aut poſſeſſio Beneficij; quia tamen fructus Beneficij dantur propter officium, ideo præfatus Innocentius III. *in cap. Paſtoralis 53. §. Verùm de Appellationibus* declaravit illorum fructuum privationem his verbis. *Ille proventus Eccleſiaſtici meritò ſubtrahuntur, cui Eccleſiæ Communio denegatur.* Quia ſcilicet non permittitur fungi officio per communicationem cum Fidelibus. Unde ſi officium excommunicati non requirit talem communicationem, neque talem functionem, qua ipſi interdictum eſt, vel ſi illam functionem per alium peragere valeat, & peragi curet, non eſt privandus fructibus ſui Beneficii; cùm officio ſuo non defuerit, Quod Laym. *l. 6. n.* 8. relato Avila, Henriq. Coninck, etiam verum aſſerit, quando excommunicatus officio ſuo etiam illicitè contra prohibitionem excommunicationis perfunctus eſſet, in illud ſeſe intrudendo, non invitatus, vel actionem prohibitam exercendo: ſed in tali caſu in pœnam delicti meritò à Judice privatur. Idem, quod dictum eſt de excommunicato, dicendum etiam eſt de ſuſpenſo, vel interdicto.

35 Præterea Antiquum Jus privat excommunicatum actione forenſi, Juriſdictione tam Civili, quàm Eccleſiaſtica (cujus uſus tantùm in excommunicato vitando invalidus eſt) ſepultura ſacra, ac denique omni civili commercio, & excommunicati cum reliquis fidelibus, fideliumque cum excommunicato politica Communicatione, cujus actiones hoc verſu continetur, relato à S. Thom. 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *a.* 1. *& in ſupplem. q.* 21. *articul.* 1.

Os orare Vale Communio Menſa Negetur.

36 Per *Os* intelligitur oſculum, id eſt quodvis benevolentiæ ſignum: per *Orare* denotatur quivis cultus Divinus, ſimul ſeu communi opera præſtitus v. g. Auditio ejuſdem ſacri, ſimultanea oratio horarum &c. Per *Vale* prohibetur quælibet honorifica Salutatio, ſeu exhibitio honoris, ea tamen ſatis probabiliter exempta, quæ aſſumitur ad evitandam inhonorationem, & in urbanitatem, ut reſalutatio, apertio capitis &c. Per vocem *Communio* vetatur quævis communicatio negotiorum, ſtabilis cohabitatio, contractus, qui probabiliùs tamen tantùm illiciti, non verò invalidi ſunt. Denique interdicitur *Menſa* communis in ſumendo cibo, & potu per modum Societatis, non verò ſi caſu in hoſpitio, vel itinere fiat.

37 Verum licet hæc mutua ſeparatio adhuc perſeveret reſpectu percuſſoris Clerici (ſi percuſſio gravis & notoria ſit, id eſt, non tantùm uni, vel duobus, aut tribus teſtibus nota, quorum teſtimonio in judicio quidem fieret probabilis; ſed ſi ita ſit publica, ut nulla tergiverſatione celari poſſit) item reſpectu excommunicati, cujus crimen & excommunicatio non tantùm à Judice declarata, ſed etiam in loco publico, verbo aut ſcripto denunciata eſt, expreſſa etiam nominatim, vel per circumſtantias individuales ita deſignata perſona, ut nemini liceat de ejus publica determinatione ampliùs dubitare, reſpectu aliorum tamen Excommunicatorum (& ſecundùm benigniorem interpretationem etiam reſpectu prædictorum in aliis locis, ubi percuſſio Clerici vel Excommunicationis denuntiatio nondum notoria eſt) à Concil. Conſtantienſi *anno* 1414. celebrato, & à Martino V. confirmato, ita mitigata fuit, ut licèt ipſi Excommunicati, neque in ſpiritualibus, neque in temporalibus poſſint communicare cum aliis fidelibus ſine eorum petitione, ſeu invitatione, hi tamen poſſint cum ipſis, etiam nulla interveniente gravi neceſſitate (qua poſita neque notorius percuſſor Clerici, aut excommunicatus denunciatus vitari debet) tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus communicare, recipiendo ab ipſis Sacramenta, adminiſtrationem Juriſdictionis, ineundo contractus &c. perinde ac ſi excommunicati non eſſent.

Unde licèt Concilium obligationem Excommunicationis noluerit excommunicatis directè relaxare, aut relevare, fecit tamen id indirectè, quatenus hoc ipſo, quòd fidelibus licitam reddiderit Communicationem cum Excommunicatis; his per neceſſariam conſequentiam reddidit viciſſim licitam cum fidelibus, ſuppoſita eorum invitatione; quia aliàs fideles non auderent cooperari peccato alieno, & inutilis ipſis eſſet Concilij permiſſio, à qua nunc inter excommunicatos prædictum diſcrimen ortum eſt, ut propterea alij non tolerati, ſeu vitandi, alij autem tolerati, & non vitandi dicerentur. Quod diſcrimen etiam cum proportione ad ſuſpenſionem & Interdictum ab eodem Concilio extenditur, ut ſcilicet ab affectis hujuſmodi Cenſura, publicè non denunciata, quorumcunque Sacramentorum, & Juriſdictionis Eccleſiaſticæ adminiſtratio non tantùm validè, ſed etiam licitè peti, ac ſuſcipi poſſit, non obſtante conſtitutione Concilij Baſilienſis, prædictum privilegium quoad affectos quacunque Cenſura, licèt non denunciata, modò notoria ſit, revocantis, quia hoc Concilium à nullo Pontifice confirmatum, ſed à Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ.* 11. & ab Eugenio IV. ac Nicolao V. potiùs reprobatum eſt. Unde eo non curato in Germania, Gallia, Belgio, & alijs locis paſſim cum notorijs hæreticis fideles in civilibus liberrimè, & ſine ſcrupulo communicant.

§. IV.

Quale ſit peccatum Communicatio excommunicati cum fidelibus, & fidelium cum Excommunicato non tolerato in actionibus prohibitis.

SUMMARIUM.

38 *Communicare cum excommunicato non tolerato peccatum mortale eſt; ſi Communicatio fiat in bonis Communibus Eccleſiæ, cujuſmodi ſunt publica ſuffragia.*

39 *Hinc tamen non rectè inferuntur quarta & quinta propoſitio inter prohibitas ab Alexandro VII. aſſerentes, Chriſtum non pro omnibus hominibus fuiſſe mortuum, ſed fuiſſe à meritis Chriſti excluſos Infideles.*

40 *Quòd autem his merita Chriſti non proſint in actu ſecundo, defectus non eſt in meritis Chriſti, neque in gratiæ auxiliis ſufficientibus; ideo propoſitio contraria inter prohibitas ab eodem Pont. ſexta numeratur.*

41 *Communicare cum excommunicato tolerato in bonis etiam Spiritualibus, uti etiam eſt Eccleſiaſtica ſepultura, non eſt peccatum, quamvis eum priùs deceat abſolvi, quàm in loco Sacro ſepeliatur. Unde pœna in ſepelientes Excommunicatum ſtatuta, de non tolerato intelligenda eſt.*

42 *In bonis ſpiritualibus privatis, & Communibus merè humanis, tam Spiritualibus, quàm Civilibus, communicare cum excommunicato non tolerato, reatum culpæ Venialis, & Excommunicationem Minorem inducit.*

AD quæſtionem propoſitam Reſp. Primò in actionibus Divinis, quales ſunt Sacramenta, Sacrificia, 38
& Communia Suffragia, nomine Eccleſiæ facta, Eccleſiaſtica Sepultura, omnium ferè conſenſu eſſe peccatum mortale *juxta cap. Significavit de Sententia Excommunicationis.* Quia his directè & principaliter peccator per Excommunicationem privatur, & conſequenter eorum directa communicatione Cenſura Eccleſiaſtica graviter cõtemnitur. Quod ut meliùs intelligatur, ſpecialiter circa Miſſæ Sacrificium advertendum eſt, Sacerdotem in eo triplicem perſonam agere, illudque offerre nomine Chriſti, Eccleſiæ, & ſuo; ex hac triplici oblatione autẽ ſolùm prohiberi eam, quæ nomine Eccleſiæ fit, ne excommunicato vitando applicetur, & pro illo orationes publicè fundantur, quod proinde contra expreſſam Eccleſiæ re-

clamationem non tantùm illicitè, ſed etiam invalidè attentaretur; quia diſtributio Bonorum contra voluntatem Domini nullius ſolet eſſe valoris. Et quamvis non improbabiliter aliqui putent, non eſſe contra prohibitionem, & Intentionem Eccleſiæ, in communi offerre Sacrificium, & publicas preces pro excommunicatis non toleratis, eò quod eorum reductio, & pœnitentia maximè deſideretur, & ipſa Eccleſia die Paraſceves pro Schiſmaticis, & Hæreticis, quos conſtat eſſe excommunicatos, publicas preces fundat: probabiliùs tamen eſt, neque in communi licere; Miſſam & publicas preces pro Excommunicatis non toleratis, Eccleſiæ nomine, offerre extra diem Paraſceves, qua ſpecialiter mortis Chriſti pro omnibus Hominibus toleratæ memoria agitur, quia aliàs pœna Excommunicationis quoad privationem communium ſuffragiorum exiguum haberent effectum; cum neque pro non Excommunicatis in particulari offerri ſoleant, proinde non credendum eſt, Eccleſiam Excommunicatis vitandis, ergo quos vult ſummum ſuum rigorem oſtendere, iſtum ad huc favorem conceſſiſſe, ut pro ipſis in communi tamquam pro directo fine *Cui* liceat ſua ſuffragia offerre, etſi eorum converſio, utpote vehementer deſiderata. & in bonum Eccleſiæ cedens, oblatis communibus ſuffragiis à Deo poſſit peti, quatenus Eccleſia ſtatuitur *finis cui* directus.

Itaque aliam limitationem prædictæ pœnæ non pauci adhibent, eximentes ab ea illos excommunicatos non toleratos, qui de peccato ſuo contriti abſolutionem ab Excommunicatione humiliter expectant. Verùm quia Excommunicatio non ſeipſa deſinit obtento ejus fine, ſed per abſolutionem primùm tollenda eſt, ideo manente cauſa probabiliùs etiam manet effectus quoad privationem communium ſuffragiorum, ſicuti manet quoad privationem Sacramentorum, & aliarum actionum.

39 Ex dictis tamen incidenter noto, quòd quia Sacerdos, offerens miſſæ Sacrificium, triplicem perſonam agit, & quatenus Perſonam Chriſti agit, non prohibetur, etiam extra diem paraſceves quodlibet Sacrificium offerre pro omnibus hominibus, ſicut Eccleſia illius diei paraſceves officium Divinum & publicas preces offert etiam pro infidelibus, in memoriam, & conteſtationem illius certiſſimæ Veritatis, à S. Paulo 2. *Cor.* 5. *v.* 14. traditæ: *Æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: ergo omnes mortui ſunt: & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt.* Et 1. *Timot.* 2. *v.* 4. *Coram Salvatore noſtro DEO, qui omnes homines vult Salvos fieri, & ad agnitionem Veritatis venire.* & *verſicul.* 6. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* & 1. *Ioan* 2. *verſicul.* 2. *Ipſe eſt propritiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed & pro totius mundi.* quòd, inquam, meritò Alexandro VIII. prohibita ſit propoſitio. 4. quæ ſic habet. *Dedit ſemetipſum pro nobis Oblationem DEO, non pro ſolis electis, ſed pro omnibus & ſolis Fidelibus.* Et propoſit. 5. *Pagani, Iudæi hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino à Ieſu Chriſto influxum accipium, adeoque hinc inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficienti.*

Hæ enim duæ propoſitiones ſtare non poſſunt cum veritate relatarum propoſitionum Sancti Pauli & S. Joannis.

Neque patrocinatur ipſis, quòd Chriſtus apud S. Mat. *c.* 26. *v.* 28. & apud S. Mar. *c.* 14. *v.* 24. dixerit, ſanguinem ſuum effuſum iri *pro multis*, & non dixerit, *pro omnibus*; nam particula *multis* non eſt prolata in ſenſu excluſivo aliquorum, ſicut quando idem Chriſtus à Luc. *c.* 22. *v.* 20. refertur dixiſſe: *Qui pro Vobis fundetur*, non intelligenda ſunt hæc verba de ſolis Apoſtolis: ſed per voces *Multis*, & *Vobis* ſignificatur tota multitudo Hominum. Uſus tamen eſt Chriſtus voce *Multis*, quia licèt Sanguis Chriſti ſit effuſus quoad ſufficientiam auxiliorum gratiæ pro omnibus hominibus, quoad efficaciam tamen non ſortitus eſt ſuum fructum ab omnibus hominibus, & ideo Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 3. dicit: *Et ſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus Beneficium recipiunt.*

40 Hinc tamen etiam non ſequitur veram eſſe ſextam propoſitionem, rurſum ab Alexan. VIII. juſtiſſimè prohibitam. *Gratiam ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quàm pernicioſa eſt: Sic, ut proinde meritò poſſimus petere, à Gratia ſufficiente libera nos Domine,* Nam aliud eſt Gratiam ſufficientem non eſſe utilem homini, & aliud, hominem non uti gratia ſufficiente, qua cum poſſit rectè uti, utique eſt utilis: itaque non à Gratia, ſed à non uſu homo ſeipſum liberare, & ampliora ac efficaciora auxilia petere debet. Sicut etiam ineptè diceretur, liberum arbitrium homini non eſſe utile, & hominem meritò petere, à libero arbitrio libera nos Domine. Nam quia homo poteſt auxilio gratiæ Divinæ ſe liberè determinare ad actum bonum ac meritorium, liberum arbitrium eſt ipſi utile, etiamſi illo non utatur, ſed abutatur.

Alia inter Catholicos Doctores controverſia eſt, an Excommunicatis toleratis miſſæ Sacrificium, publicæ preces, & Eccleſiaſtica ſepultura, ſaltem ſi cum pœnitentiæ ſignis deceſſerint, à fidelibus exhiberi poſſint. 41
Negant Suarez. Vaſquez. Stephanus Avila, Bellarminus & plures alij: eò quòd in Concilio Conſtantienſi Fidelibus tantùm ea communicatio permittatur, quæ in ipſorum, non verò in Excommunicatorum præciſè utilitatem cedit: præterea cùm etiam iſti ab Eccleſia prædictis Bonis priventur, non poſſunt contra illius intentionem eadem ipſis communicari.

Nihilominus probabiliùs affirmant Henriquez, Sayrus, Coninck, Gaſpar Hurtadus, Palao, & inclinat Layman. Quia eo communicatio fidelibus in decreto Concili, permittitur, cujus permiſſio ſervit ad evitandos ſcrupulos, à communicatione cum Excommunicatis provenientes (qui finis expreſsè in decreto illo aſſignatur) ſed hoc ipſo, quòd dubium ſit, an Communicatio in Excommunicatorum utilitatem facta, liceat, ſervit ad evitandos ſcrupulos, adeòque in utilitatem etiam Fidelium cedit, ſi permiſſio Concilij ad talem Communicationem extendatur: Unde licet deceat, Excommunicatum toleratum, ſi contritionis ſigna dedit, priùs abſolvi, quàm in loco Sacro ſepeliatur, prout reſpectu non tolerati, ſed contriti omnino neceſſe eſſet, abſolutionem præmitti; tamen ut colligitur etiam *ex cap. Sacris de Sepulturis* per argumentum à contrario propter tolerari ſepulturam, non præmiſſa abſolutione, locus ſacer non profanaretur, neque Excommunicatio major, *in Clementinis Capit. primo de Sepulturis* ac *in cap. Quicumque de Hæreticis in 6.* ſtatuta, à Sepelientibus incurreretur; ſed ſolùm à vitandum, ſive non toleratum, neque abſolutum ſepelientibus id eſt, in tumulum imponentibus; & probabiliter etiam (licèt id aliqui negent) à mandantibus, ut relatis Suar. Filliucio, Coninck, Ugolino, Reginaldo probat Palao *diſp.* 2. *pun.* 6. *n.* 15. quia niſi in Ordine ad hos Cenſura extenderetur, ejus comminatio ferrè inutilis redderetur, quia imponentes in tumulum plerumque homines rudes, & ignari Cenſuræ ſunt. A comitantibus funus verò, vel etiam cantu proſequentibus, ſive Clericis, ſive Laicis, vel ſepulchrum fodientibus, Excommunicationem majorem incurri negant AA. citati, utpote non propriè ſepelientibus: eos tamen à peccato, etiam gravi, & ab Excommunicatione Minore non excuſa vero propter Communicationem publicam & ſolemnem, ac graviter ſcandaloſam.

Reſp. Secundò. Per Communicationem in actionibus Eccleſiaſticis privatis, qualis eſſet oratio horarum cum Socio, ex obligatione etiam ab Excommunicato clerico Majore, vel Beneficato dicendarum, vel in Eccleſiaſticis merè humanis, id eſt, ad cultum Dei non immediatè ordinatis, uti ſunt collatio vel receptio Beneficii Eccleſiaſtici, uſus activus, vel paſſivus Juriſdictionis &c. Denique in quibuſcunque actionibus civilibus ſaltem niſi adeò frequentes eſſent, ut Excommunicatus inde prævideretur ſumpturus occaſionem perſeverandi in Excomminicatione) per ſe loquendo, & ſpectando Communicationem qua talem, abſtrahendo ab invaliditate quarundam actionum graviter damnoſa, tantùm peccari venialiter: ut docet S. Thomas 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *a.* 4 *q.* 3 & *Quodlib.* 11. *a.* 9. & ex communi docent Sylveſter, Navar. Covar. Valentia, Toletus, quos refert, & ſequitur Tannerus. *tom.* 4. *diſp.* 6. *q* 10. *num.* 32 quia contingit tantùm in actionibus minùs principaliter, & ſecundariò prohibitis. Unde quando *in cap. Excommunicatos* 11. *q.* 3. dicitur communicantem cum Excommunicatione innodari, de proportionali ſimilitudine tantùm intelligendum eſt: quòd ſicut Excommunica- 42

nica-

nicatus vitandus gravatur Excommunicatione majore, ſic communicans cum illo gravetur excommunicatione minore.

§. V.

Quibus in caſibus licita ſit Communicatio cum Excommunicato vitando, & viciſſim.

S U M M A R I U M.

43 *Inter cauſas, licitam reddentes Communicationem cum Excommunicato vitando, prima eſt ſpecialis utilitas, etiam ipſius excommunicati, quando hæc eſt diſtincta ab ipſo bono, quo Excommunicatio privat.*

44 *Secunda cauſa excuſans eſt obligatio Matrimonialis inter Maritum, & Uxorem.*

45 *Tertia cauſa eſt ſubjectio Excommunicati, vel erga excommunicatum.*

46 *Quarta Cauſa eſt Ignorantia, modò non ſit affectata, vel incertitudo Excommunicationis.*

47 *Quinta cauſa eſt gravis neceſſitas temporalis, vel Spiritualis*

43 Cauſæ ab obſervatione Excommunicationis excuſantes hoc verſiculo comprehenduntur.

Utile, Lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Prima ergo cauſa concedens tam fideli excommunicato, quàm innocenti Communicationem, eſt ſpecialis utilitas alterutrius, tum ſpiritualis aliunde, quàm ex actionibus expreſsè prohibitis proveniens, qualis v. g. ex datione vel receptione Conſilii, vel auditione concionis, non verò etiam ex ſtudio Theologiæ, immediatè oriri ſolet (quæ Communicatio ut ab excommunicato denunciato fiat, ob ſcandalum non facilè permittendum eſt) tum temporalis: unde eleemoſynæ, vel debiti petitio, & datio, & receptio, Excommunicatione, nequicquam obſtante, permittitur.

44 Secunda cauſa eſt *Lex Matrimonii* (niſi Excommunicatio ſit impoſita ob contractum Matrimonium, cum probabili impedimento dirimente) ob quam cauſam *juxta cap. Quoniam multos* 11. q. 3. conceditur uxori communicatio cum marito excommunicato, non ſolùm in petendo, & reddendo debito conjugali; ſed abſolutè, adeoque etiam in menſa, gubernatione domus &c. Et viciſſim idem dicendum eſt, ſi Uxor ſit excommunicata; quia diſpoſitum in uno correlativo, cenſetur etiam diſpoſitum in altero, quando eſt eadem ratio, uti revera eſt, nempè idem periculum animarum. Nec tantùm licita, ſed etiam debita eſt hujuſmodi communicatio, niſi excommunicatio ob crimen concedens divortium ſit contracta: quia ſi excommunicatus debitum pecuniarum exigere poteſt, *juxta cap. Inter alia, de Sententia Excommunicationis*, multò magis poteſt exigere debitum conjugale, quod eſt arctioris obligationis ob finem graviorem, nempe ob avertendum periculum incontinentiæ.

45 Tertia cauſa, ut colligitur *ex cit. cap. Quoniam multos*, eſt *humilitas ſubjectionis*, quam habent filii, vel alii, quicunque hoc nomine, latè accepto, comprehendi ſolent, erga ſuos Majores, & probabiliter etiam, licèt jam emancipati ſint, quia adhuc retinent rationem filii; & ſubjectionis; item mancipia, famuli, ancillæ, ruſtici, erga ſuos Dominos, & domeſtici omnes erga patremfamilias, & Religioſi erga ſuum Prælatum, Clerici erga ſuum Epiſcopum, ſi in ejus famulatu ſint, milites erga ſuum Ducem, qui omnes ſive ipſi, ſive Superior excommunicatus ſit, tam in actionibus humanis, quàm in Divinis, quæ ab Inferiore erga Superiorem præſtari ſolent, liberè inter ſe communicare poſſunt.

46 Quarta cauſa eſt. *Ignorantia* ſive facti, ſive Juris, licèt vincibilis, modò affectata non ſit; nam invincibilis ignorantia ſive excommunicationis, ſive obligationis reſultantis per ſe à culpa, & ſpirituali interitu, ex illicita communicatione aliàs eventuro, excuſat, ut adeoque *cit. c. Quoniam* ob hæc mala evitanda communicationem licitam reddens, de vincibili ignorantia intelligendum ſit: imò etiam de incertitudine morali; quia non ſciens aliquo modo pro ignorante habetur, neq; excommunicationis reus credendus eſt, qui ut talis non eſt ſufficienter probatus, id eſt, duorum ſaltem fide dignorum teſtimonio.

Quinta denique cauſa eſt gravis *neceſſitas* propria Excommunicati, vel aliena, vel ſpiritualis, vel temporalis, cui abſque communicatione cum excommunicato facilè ſuccurri non poteſt: ut conſtat ex dicto capitulo *Quoniam* & ex capitulo *Inter alia de Sententia Excommunicationis*: & per ſe clarum eſt, quòd ſi ob magnam utilitatem permiſſa ſit communicatio, multò magis permiſſa ſit propter gravem neceſſitatem. 47

§. VI.

Ob quæ delicta Excommunicatio major à Iure ſtatuta ſit.

S U M M A R I U M.

48 *Referuntur communiora Crimina, gravata Excommunicatione Pontificia, non reſervata.*

49 *De Excommunicatione Epiſcopali dicitur remiſſivè ad alibi dicta.*

50 *Referuntur uſitatiora Crimina annexa Excommunicationi Papali, reſervata extra Bullam Cœnæ.*

51 *Quis adhuc abſolvere poſſit ab Excommunicatione indignæ tractationis Clerici, vel Religioſi, & quando ea ſit reſervata Papæ.*

52 *Referuntur frequentiores Excommunicationes Bullæ Cœnæ.*

Nimis longum foret omnia delicta referre, ob quæ Excommunicatio major incurritur: cùm à Filliucio *in Inſtructione pro Confeſſariis art. 5. §. 1.* præter viginti in Bulla Cœnæ Domini expreſſa; & Pontifici reſervata, enumerentur alia ſeptuaginta duo non reſervata, & ſexaginta duo reſervata Summo Pontifici: à Palao verò præter multa ſpecialia in privilegiis, diverſarum Religionum comprehenſa, referantur & ordine explicentur 163. partim reſervata, partim non reſervatà, è quibus ego ea tantùm collegi, quæ Confeſſariis, in noſtris provinciis reſpectu pœnitentium, quorum communiter confeſſiones excipere ſolent, ſcitu potiſſimùm ſunt neceſſaria. 48

Itaque Excommunicatio non reſervata, à Jure lata eſt in perpetrantes ſequentia delicta, nimirum in contrahentes Matrimonium in gradibus prohibitis. In eos, qui ſepeliunt mortuos tempore interdicti, vel excommunicatos, vel uſurarios. In poteſtates foventes uſuras. In procurantes opere, auxilio, vel conſilio actualem abortum fœtus, quem conſtat fuiſſe animatum. Cujus peccati, & à Sixto V. annexæ Cenſuræ reſervationem Gregorius XIV. ſuſtulit. In Præſumentes abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ Domini. Ex juxta Tridentinum, apud nos receptum, in Dominos ac Magiſtratus temporales, cogentes contrahere Matrimonium. Atque in cogentes mulierem profiteri Religionem, vel ab ea impedientes. Quæ omnia his verſibus memoriæ cauſa comprehendi poſſunt.

Cognatum ducens, vetitos Tellure recondens.
Cœnatos ſolvens, curans viventis Abortum.
Ad Juga, vel ſacra vota trahens, retrahenſque puellam.
Judex, conventus hominum vitare jubetur.

Excommunicatio Epiſcopo reſervata incurritur ex levi, attamen mortaliter peccaminoſa Percuſſione Clerici, vel ex gravi facta à muliere, vel alio, Romam venire excuſato: item ex communicatione in eodem crimine cum excommunicatis ab Epiſcopo excommunicatione ſibi reſervata. Vide de hoc plura *tr. 6. diſp. 6. n.* 208. & *num. 416. & 216.* 49

Summo Pontifici extra Bullam Cœnæ Domini reſervata eſt Excommunicatio lata in Incendiarios per ſententiam Judicis (hos enim teſte Palao probabile eſt, non ipſo Jure eſſe excommunicatos) in effringentes, & inſuper ſpoliantes Eccleſiam (quorum tamen Excommunicatio, etſi *juxta cap. Conqueſti* 22. *de Sententia Excommunicationis* 50

ipſo facto incurratur, nihilominus ante publicam denuntiationem, uti etiam prior Incendiariorum Excommunicatio, nondum eſt reſervata) in communicantes in eodem crimine reſervato cum excommunicatis à Pontifice. In abſolutos ab excommunicatione reſervata ſub conditione, & illam non implentes. In Clericos, excommunicatis à Pontifice, neque toleratis miniſtrantes Sacramenta. In violantes interdictum Papale. In Simoniacos reales circa ordinem vel beneficium, vel committentes Simoniam confidentialem. In ſubeuntes duellum, vel ad id cooperantes, v. g. ſuadendo (quorum excommunicationem à Tridentin. ſtatutam ob duellum ſolemne, Gregorius XIII. extendit etiam ad privatum, & Clemens VIII. Sedi Apoſtolicæ reſervavit.) In rapientes bona Eccleſiaſtica. In violantes immunitatem Eccleſiaſticam quoad fugientes in Eccleſiam. In graviter ac injurioſè, & non per modum ſuæ, vel tertiæ perſonæ, juſtæ defenſionis, percutientes, vel quocunque opere externo contumelioſè, tractantes Clericum, aut res ei adhærentes, etiamſi prima tantum tonſura initiatus, & Matrimonio, ſed tam ex ſua, quàm conjugis parte primò, adeòque cum Virgine junctus ſit, modò habitum deferat, & Eccleſiæ cuidam deſerviat. Item in tractantes modo prædicto Religioſum, vel Religionis novitium cujuſcunque ſexus: vel in cooperantes efficaciter ad hujuſmodi contumeliam, aut ſuo nomine factam ratihabentes, vel ex officio ſuo non impedientes.

51 Hæc tamen contumelia, ut proximè retuli, niſi valdè notabilis, vel propter dignitatem perſonæ læſæ v. g. Epiſcopi, aut Abbatis, aut ob alias circumſtantias valdè ſcandaloſas, vel niſi percuſſio gravis, aut omninò enormis fuit, ita ut veſtigium poſt ſe relinqueret, vel copioſus, non tantùm propter narium facilitatem, ſed propter læſionem, ſanguis funderetur, ab Epiſcopo abſolvi poteſt: ſicut etiam ut *tract. 6. diſput. 6. num. 216.* fuſiùs explicavi, ſi læſor fuit impubes, pauper, æger, debilis complexione, ſenex, mulier, cæcus, claudus, vel quocunque ſtabili impedimento eundi Romam laborans. Poteſt etiam à dicto peccato ſacrilegæ injectionis manuum in Clericos, vel Religioſos Jure Ordinario abſolvere Legatus à latere, poſtquam urbe egreſſus eſt, licèt ad locum ſuæ Legationis nondum pervenerit, ut conſtat *ex cap. Excommunicatis 9. & ex cap. Quod translationem 4. de Officio Legati, & cap. Ad eminentiam de ſententia Excommunicationis.* Alii verò Legati Miſſi id ſolùm poſſunt exiſtentes in ſua Provincia, & quando delinquens eſt ejuſdem Provinciæ. Denique Legati Nati neque hoc poſſunt: utrumque habetur in cit. *cap. Excommunicatis*. Ex hoc tamen, quòd Legatus à Latere quoſcunque & Miſſus in ſua Provincia ſuos ſubditos ab injurioſa tractatione Clerici vel Religioſi valeat abſolvere, non rectè eadem poteſtas extenditur ad alios caſus Summo Pontifici reſervatos, ſed potiùs ex ſpeciali conceſſione prædicti caſus colligitur, quòd Legatus aliàs non haberet eandem poteſtatem. Unde etiam ſpecialis conceſſio non debet extendi ultra ſenſum verborum, ut contra Azor. *to. 2. lib. 5. cap. 33. q. 6. verſ. Item Legatus* rectè notavit Laym. *Comment. in cap. 9. de Offic. Legati n. 1.* ex Mol. *tract. 5 de Iuſt. diſp 9. n. 4.*

Prædicti caſus poſſunt his Verſibus memoriæ commendari.

Fur templo effracto, vel Iudicis ore Cremator,
Participans noxam, veniæ nec fœdera ſervans,
Dans ſacra vitandis, Papæ interdicta recuſans.
Re vel ſpe Simon, ſubienſque, juvanſque duellum.
Inca[illegible]enſque loco, canonis ſive ægide tutos.
Crimine non poterit quovis à Iudice ſolvi.

52 In excommunicationes per Bullam Cœnæ Domini reſervatas in noſtris provinciis potiſſimùm incurrunt ſequentes: Hæretici externi, & eorum fautores, legentes, aut retinentes eorum libros, contra Religionem ſcriptos. Exigentes nova ac injuſta pædagia, gabellas &c. Imponentes tributa, vel ejuſmodi onera Eccleſiaſticis perſonis extra caſus à Jure conceſſos Judices ſæculares avocantes cauſas Eccleſiaſticas ad ſuum tribunal, vel earum executionem impedientes. Pertrahentes, vel procurantes trahi perſonas Eccleſiaſticas ad Judicium ſæculare. Condentes ſtatuta adverſantia libertati Eccleſiaſticæ. Falſatores litterarum Apoſtolicarum. Atque hæc de Excommunicatione de reliquis Cenſuris breviùs agemus; priùs tamen his verſibus memoriam juvamus.

Hæreſis, & ſparſi per libros lectio virus,
Quæ Ius, quæve favor vetuit pædagia, cauſæ.
Perſonæque ſacræ diſcuſſæ à Iudice vano
Lex Clero adverſans, falſæque inſignia Bullæ.
Fortiter adſtringunt ſupremæ vincula Cœnæ.

ARTICULUS II.

De Suſpenſione.

§. I.

Quid ſit Suſpenſio.

SUMMARIUM.

53 *Definitio ſuſpenſionis, ejuſque differentia à depoſitione & degradatione.*
54 *Soli Clerici, propriè loquendo, ſuſpendi poſſunt.*
55 *Uſus poteſtatis Eccleſiaſticæ duplex eſt, nempè Officii, & Beneficii. Officii functiones aliæ ſunt Ordinis, & aliæ Iuriſdictionis. Propter harum privationem electio ſuſpenſi ad beneficium illicita, probabilius tamen non irrita, ſed irritanda eſt. Per privationem beneficii intelligitur privatio redditùum ex beneficio.*
56 *Differentia ſuſpenſionis ab excommunicatione, & interdicto.*

Quæritur primò: Quid ſit ſuſpenſio. Reſp. Quòd juxta communem & bonam definitionem ſit *Cenſura Clerico probibens uſum poteſtatis Eccleſiaſticæ, qua talem.* 53

Dicitur primò: *Cenſura*: quæ generis loco ponitur: ea tamen ex parte etiam rationem differentiæ habet, quia per eam ſuſpenſio differt à depoſitione, & degradatione. Si enim ſuſpenſio, ut propriè Cenſura eſt, accipiatur, diſtinguitur ab illis ratione finis, per Cenſuram intenti, cùm ipſa ordinetur ad emendationem contumaciæ, eaque obtenta remitti debeat. At ſi de ſuſpenſione pro tempore perpetuo diſcrimen exigatur, communiter vix aliud à depoſitione diſcrimen aſſignatur, quàm quòd, licèt utraque per ſe loquendo perpetua ſit, & Officio, ac Beneficio, non tamen titulo Beneficii, nec Privilegio Canonis ac fori privet; depoſitio tamen longè difficiliùs per diſpenſationem tollatur, quàm ſuſpenſio, & plerumque etiam ſpoliationem beneficii ſecum trahat, & propter perſeverantiam in eodem vel ſimili crimine ad degradationem infligendam diſponat. A degradatione autem ſuſpenſio perpetua abſque difficultate diſtinguitur per hoc, quòd degradatio licèt non auferat Characterem Ordinis & Sacerdos validè conſecrare, ac in articulo mortis conſtitutum, alio ſaltem Sacerdote abſente, licitè etiam abſolvere valeat; tamen ſit authentica privatio Officii, Beneficii, & cujuſvis Privilegii Eccleſiaſtici; ita ut per eam Clericus tradatur poteſtati ſæculari, & velut Laicus tractari queat: ſive ea tantùm fuerit degradatio verbalis, quæ fit per ſententiam authenticam & ſolemnem, ſive realis, quæ certis cæremoniis ac ritibus peragitur.

Dicitur ſecundò. *Clerico*. Soli enim Clerici propriè ſuſpendi poſſunt, quia hi ſoli poteſtas Eccleſiaſticæ, id eſt, Ordinis, vel Juriſdictionis ſpiritualis, vel Beneficii Eccleſiaſtici, capaces ſunt. Unde quando Abbatiſſæ aliqua Juriſdictione, impropriè dicta, vel potiùs dominio privantur, non verè ſupenduntur. 54

Dicitur tertiò: *probibens uſum poteſtatis Eccleſiaſticæ*: iſte autem uſus duplex eſt, ſcilicet Officii, & Beneficii. Uſus officii iterum duplicis generis functiones includit; aliæ enim ſunt functiones Ordinis, aliæ Juriſdictionis: Functiones Ordinis ſunt adminiſtratio Sacramentorum, celebratio Miſſæ, vel miniſterium ad illam ordinatum; unde, qui hoc uſu per ſuſpenſionem privatus eſt, nequit licitè eligi ad beneficium, cùm hoc detur propter officium *juxta cap. final. de reſcriptis in 6.* probabiliùs tamen talis electio non rectè dicitur cum Navarro, Leſſio, Bonac. & Pal. *diſp. 4. punct. 5. §. 1. n. 3.* quòd ſit ipſo facto irrita, ſed cum Abbate Suar. Coninck, Laymann,

mann, Hurtado, Tannero, quòd ſit ir.itanda, uti de electione excommunicati excommunicatione minori, ob eandem rationem prohibita, expreſsè decernitur, *in cap. Si celebret de Clerico excommunicato miniſtrante.* Functiones Juriſdictionis ſunt (quæ quidem, quando Juriſdictionem eſſentialiter ſupponunt, à ſuſpenſo denunciato invalidè exerçentur). Abſolutio à peccatis, & cenſutis, diſpenſatio, conſtitutio Legis, vel cenſuræ, collatio beneficii &c. Per uſum Beneficii intelligitur hic perceptio redditúum provenientium ex Beneficio, non verò aliorum ſtipendiorum, propter functiones officii collatorum, neque diſtributionum quotidianarum, ſi ut ſapienter diſtinguit Palaò de Cenſuris *diſp.* 4. *pun.* 4. §. 2. *n.* 4. non ſint ex fructibus beneficii extractæ, etiamſi ex particulari fidelium fundatione ſolis Beneficiatis pendi ſoleant; imò ut ex Abbate, Navar. Suar. Coninck, Sayro, notavit Laym. *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 1. *n.* 4. etiam fructibus beneficii privatus, ſi per eum non ſtet, ut à ſuſpenſione abſolvatur, partem ſuſtentationi ſuæ, & ſuorum neceſſariam ex iis decerpere poteſt, & hæc à Judice ipſi aſſignari debet. Multò minùs verò, ut cit. Laym. rurſum advertit, inter fructus Beneficii numerantur alia Jura, Beneficio annexa, uti eſt Jus eligendi. Hinc quando etiam hoc Jus ſuſpenditur, id in decreto ſuſpenſionis exprimendum eſt, uti exprimitur *cap. Cùm in cunctis §. ult. de Electione.*

56 Dicitur quartò *Quà talem*; per quas particulas diſtinguitur ſuſpenſio ab Excommunicatione majore, quæ etiam privat prædicto uſu, ſed quatenus is eſt communicatio cum Fidelibus; & per eaſdem diſtinguitur etiam ab Interdicto, quod privat functionibus Ordinis, non quatenus ſunt uſus poteſtatis Eccleſiaſticæ, ſed quatenus ſunt bona ſpiritualia; hinc ſuſpenſus non privatur iis functionibus & bonis ſpiritualibus, quorum etiam Laicus eſt capax, & nullam poteſtatem Eccleſiaſticam requirunt (ob quam cauſam Clerici Minores ante abſolutionem à peccatis non ſolent abſolvi à ſuſpenſione, quia eorum ſunctiones etiam Laicis per Privilegium competunt, & à Clericis ſuſpenſis proinde ex eodem Privilegio exercere poſſunt) ſed interdictus privatur etiam illis functionibus, & bonis ſpiritualibus, quę Laicis ſunt communia, & à poteſtate Eccleſiaſtica independentia.

§. II.

Quotuplex ſit Suſpenſio.

S U M M A R I U M.

57 *Suſpenſio alia eſt totalis, alia partialis. Partialis poteſt eſſe quoad functiones unius Ordinis ſpiritualis, quin ſit quoad functiones alterius, etiam ſuperioris.*

58 *Similiter Suſpenſio Juriſdictionis, vel Beneficii, poteſt diverſimodè reſtringi: ſine particulis reſtringentibus autem abſolutè & univerſaliter accipienda eſt. Et ſervanda etiam forma præſcripta.*

59 *Suſpenſio quoad determinatum tempus non eſt propriè Cenſura, æqualiter tamen ejus violatione incurritur irregularitas, ſi præſtetur functio Ordinis ſacri, cum debita ſolemnitate.*

57 TRiplicis generis eſt Suſpenſio, alia enim eſt tantùm ab officio, alia tantùm à Beneficio, alia ab utroque, quæ nomine ſuſpenſionis abſolutè, & ſine particulis limitantibus latæ, ſemper intelligitur, eaque totalis, priores duæ verò cum illa comparatæ partiales appellantur, quamvis & hæ in ſuo genere totales dici poſſint, quia ſæpe ita feruntur, ut non omni uſu Officii, vel Juriſdictionis, vel fructibus privent, ſed tantùm quibuſdam functionibus aut fructibus deſignatis, ultra quam deſignationem decretum ſuſpenſionis, utpote odioſum ac pœnale, nunquam debet extendi, niſi functio, à qua quis ſuſpenditur, peragi non poſſit, quin ſimul peragatur ea, qua quis non eſt directè ſuſpenſus, tunc enim neque hanc, pro eo tamen duntaxat caſu peragere poteſt: v. g. ſuſpenſus ab ordine Sacerdotali non tantùm nequit licitè conſecrare, ſed neque Officio Diaconi, vel Subdiaconi reſpectu proprii Sacrificii ſungi, quamvis aliàs ſuſpenſus ab ordine majore non ſit ſuſpenſus ab ordine minore, ſi eo utatur abſque majore, neque ſuſpenſus ab ordine minore ſecundùm probabilem ſententiam ſit ſuſpenſus ab ordine majore: licèt enim indignus minore honore, multò magis ſit indignus majore, ſi habeat abſolutam indignitatem, non tamen ſi habeat tantùm indignitatem ſecundùm quid, provenientem à culpa, tunc enim non hoc ipſo, quòd quis ſit meritus pœnam minorem, ſeu privationem minoris honoris, meritus etiam eſt pœnam majorem.

Eodem modo etiam functio Juriſdictionis ſeparabilis 58
eſt à functionibus ordinis; ſuſpenſus enim ab Ordine non hoc ipſo eſt ſuſpenſus à Juriſdictione, nullam includente functionem Ordinis, & ſuſpenſus à Juriſdictione, non hoc ipſo eſt ſuſpenſus ab Ordine, niſi prout in abſolutione à peccatis mortalibus fit, functio Ordinis ſupponat Juriſdictionem. Imò etiam una functio Juriſdictionis eſt ſeparabilis ab altera, ſicut etiam fructus unius Beneficii à fructibus alterius Beneficii, vel etiam pars fructuum ejuſdem Beneficii ab altera parte: adeoque ſemper juxta particulas reſtringentes decretum ſuſpenſionis accipiendum eſt; quatenus verò non reſtringitur, cenſetur ferri abſolutè; hinc ſuſpenſus ſimpliciter, cenſetur ſuſpenſus ab Officio & Beneficio: ſuſpenſus ab officio tantùm, cenſetur ſuſpenſus à functionibus Ordinis & Juriſdictionis, ſuſpenſus ab Ordine vel Juriſdictione, vel Beneficio cenſetur ſuſpenſus ab omnibus functionibus Ordinis, vel Juriſdictionis, vel redditibus Beneficii. Circa ipſum decretum autem etiam forma præſcripta ſervanda eſt: quando enim non à Jure, ſed ab homine fertur, debet juxta *cap.* 1. *de Sent. Excom. in 6.* in ſcripto dari, expreſſa ſuſpenſionis cauſa &; niſi feratur ſuſpenſio, ut pura pœna, monitione præmiſſa, *juxta cap. Romana de ſent. Excom. in 6.* quam monitionem omittens in inflictione Excommunicationis punitur pœna ſuſpenſionis per menſem *in cap. Sacro de ſent. Excom.* quæ etiam per ſuſpenſionis ſententiam abſque præmonitione latam incurritur, quia juxta cap. *Cùm medicinalis.* 1. *de ſent. Excom. in 6.* Excommunicatio, ſuſpenſio & interdictum paria ſunt, licèt enim *in cit. cap. Romana* dicatur, ſolam Excommunicationem nunquam ferri ſine monitione, id ideo dicitur, quia illa nunquam infligitur, ut pura pœna, ſuſpenſio autem & interdictum ſæpe infliguntur ut pura pœna, & tunc non indigent monitione, quia non opus eſt ad cognoſcendam contumaciam. 59

Et ſic etiam quoad tempus diſcurrendum, ut ſcilicet indefinitè, quoad omne tempus quis cenſeatur ſuſpenſus, donec abſolvatur, quod de eſſentia cenſuræ eſt; nam ſuſpenſio ad determinatum tempus, quo finito ipſa per ſe ceſſet abſque collatione abſolutionis, & emendationis exſpectatione, non eſt propriè Cenſura, ſed infligitur ut pura pœna; quamvis ſecundùm communiſſimam ſententiam illius violationi etiam impoſita ſit Irregularitas, ut conſtat *ex cap. Primo de Sententia & re judicata in 6. & ex cap. primo De Sententia Excommunicationis in 6.* Quod intellige de ſolemni Violatione ſuſpenſionis ab Ordine Sacro: nam propter nullius alterius ſuſpenſionis violationem irregularitas incurritur, quàm quæ eſt ab Ordine Sacro, & cujus Violatio eſt ſolemnis, conſiſtens in functione tali, & taliter peracta, prout ad eam præſupponitur poteſtas Ordinis Sacri: Hinc quia concio non eſt talis functio, etiamſi cum ſtola, & ſubjunctis benedictionibus conſuetis peragatur, & quia collatio Baptiſmi ſine ſolemnitatibus non eſt tali modo peracta, ut ad eas poteſtas Ordinis ſacri requiratur, per neutram à ſuſpenſo præſtitam irregularitas inferretur, ut contra Navar. Majolum, Valentiam probabiliùs docent Sylv. Armilla, Medina, quos ſequitur Tan. *to.* 4. *diſp.* 6. *q.* 10. *n.* 137.

§. III.

Quo peccato ſuſpenſſio incurratur, & à quo remittatur.

S V M M A R I V M.

60 *Suſpenſſio totalis non incurritur, niſi per peccatum mortale à perſona particulari; qualia ſunt, in malè ſuſcepto, vel malè adminiſtrato Ordine, commiſſa.*

61 *Suſpenſio illata, ut pura pœna, ordinariè ab inferiore, quàm ab inferente remitti non poteſt.*

62 *Illata verò, ut propriè dicta Cenſura, niſi Papæ ſit reſervata, poteſt remitti ab Epiſcopo non verò à ſimplici Sacerdote ſine ſpeciali privilegio. Cujuſmodi conceſſum eſt Sacerdotibus noſtræ Societatis.*

60 QUæritur primò. Ob quas cauſas Suſpenſio inferatur. Reſp. Ut quis in particulari, & non tanquam pars Communitatis v. g. totius Capituli vel Collegii ſuſpendatur, requiri propriam culpam, & quidem ad ſuſpenſionem, quæ non tantùm eſt pro brevi tempore, neque pro una tantùm, vel altera ſunctione, ſed quæ eſt modo conſueto lata, requiri culpam mortalem. Quia præter hoc quòd gravibus bonis privet, etiam difficulter eſt auferibilis, adeoque eſt pœna gravis.

In ſpecie verò variæ cauſæ, ſeu crimina multiplicia referri ſolent: quorum tamen compluribus vel nulla ſuſpenſio incurritur, vel non ante ſententiam Judicis. Ratione malè ſuſcepti Ordinis ſuſpenduntur, qui ſine licentia recipiunt Sacros Ordines ab alieno Epiſcopo, vel à proprio in aliena Diœceſi, vel ab excommunicato non tolerato, ſuſpenſo, interdicto, irregulari, vel ante ætatem legitimam, vel extra tempora deſignata ab Eccleſia, vel per ſaltum, vel non ſervatis temporum interſtitiis, vel ſine titulo menſæ, vel cum vinculo Matrimonii rati, vel Simoniacè. Deinde ſuſpenduntur aſſiſtentes Matrimonio ſponſorum alterius Parochiæ, vel illud benedicentes, ſine illius Parochi licentia, à cujus Epiſcopo & non à proprio abſolutionem petere debent, ut expreſsè ſtatuit Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reform.* Cætera non vacat referre, quia pleraque tantùm perſonis ratione officii, vel ſtatus ſunt propria.

61 Quæritur Secundò. A quo ſuſpenſio tolli poſſit. Reſp. Communiter cum diſtinctione. Vel enim ſuſpenſio eſt lata tanquam Cenſura, ad corrigendam contumaciam, quomodo ferri ſolet, quando indefinitè abſque temporis deſignatione imponitur. Vel eſt lata tanquam pura pœna; quando ſcilicet expreſsè determinatur tempus finitum, vel perpetuum, quo debebit durare ſuſpenſio abſque ullo reſpectu ad emendationem contumaciæ: poſteriori modo latam; negant DD. ab inferiore, quàm à ferente Jure Ordinario tolli poſſe; quia quando tempus per expreſſam voluntatem Superioris eſt determinatum, nequit inferior illam voluntatem immutare: per privilegium tamen Epiſcopis à Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. quoad Irregularitates, & ſuſpenſiones ex delicto occulto (præterquam homicidio voluntario) conceſſum, & per privilegium Confeſſariis noſtræ Societatis, illudque participantibus Regularibus indultum, abſolvendi in foro conſcientiæ ab omnibus Cenſuris, etiam reſervatis extra Bullam Cœnæ, juxta latiorem & benigniorem illius interpetationem, ut ex Avila notavit Lay. *l.* 1. *tract.* 5. *p.* 3. *cap.* 4. *num.* 4. permittitur eiſdem poteſtas delegata, etiam hanc ſuſpenſionem tollendi; etiamſi enim ejus ſublatio propriè non ſit abſolutio, ſed diſpenſatio; quia talis ſuſpenſio non eſt propriè Cenſura, juxta vulgarem tamen, & improprium loquendi modum ſolet etiam abſolutio, & ipſa ſuſpenſio Cenſura appellari. Cùm, ut proximè dixi, ejus Violatione etiam Irregularitas incurratur.

62 Priori autem modo latam ſuſpenſionem, niſi Pontifici ſpecialiter reſervata ſit, concedunt DD. poſſe etiam ab Epiſcopo non obſtante publicatione criminis abſolvi. Quòd colligunt ex *cap. Ex litteris de Conſtitutionibus*, Parochis tamen, vel Sacerdotibus ſimplicibus, privilegio carentibus, neque in foro conſcientiæ conceditur, eo quòd abſolutio à ſuſpenſione non debeat neceſſariò præmitti abſolutioni à peccatis, adeoque eadem ratio ceſſet, propter quam *in cap. Nuper de Sententia Excommunicationis* illis collata eſt poteſtas abſolvendi ab Excommunicatione non reſervata. Itaque iſti ſuſpenſione ligatum, vel ad Epiſcopum, vel pro foro conſcientiæ ad Regularem prædicto privilegio gaudentem, remittere debent.

ARTICULUS III.

De Interdicto.

§. I.

Quid & quotuplex ſit Interdictum & quarum rerum Vſu privet.

S V M M A R I V M.

63 *Definitio Interdicti. Et illius diviſio in Locale, perſonale, ac Mixtum: & tam Localis quàm Perſonalis Interdicti ſubdiviſio in Generale & Speciale.*

64 *Interdictum Totale prohibet uſum activum, & paſſivum Sacramentorum, excepto Baptiſmo, & probabiliter etiam Confirmatione.*

65 *Excipitur etiam Sacramentum pœnitentiæ, quod etiam in loco Interdicto, perſonæ interdictæ priùs ab inter dicto abſolutæ, à Confeſſario non ſpecialiter interdicto ac denunciato, validè & licitè adminiſtrari poteſt: à denunciato autem non poteſt licitè, ſed probabiliter validè, ſi pœnitens bona fide petat.*

66 *Sacramentum SS. Eucbariſtiæ non excipitur, niſi in probabili mortis periculo, & quatuor majoribus feſtis Eccleſiæ.*

67 *Extrema Unctio autem neque in mortis periculo excipitur, niſi Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipi non poſſet.*

68 *Excipitur quoque Sacramentum Matrimonii, omiſſis Benedictionibus.*

69 *Excipitur etiam ab Interdicto locali per privilegium Clericis & Religioſis conceſſum, privata Celebratio Officiorum Divinorum, quatuor Conditionibus obſervatis.*

70 *Denique quincunque gaudent privilegio Canonis & Fori tempore Interdicti localis, gaudere poſſunt ſepultura Sacra, privatim exhibita, niſi cauſam interdicto dederint.*

QUæritur primò. Quid, & quotuplex ſit Interdictum. Reſp. Ad primum rectè definiri, quòd ſit *Cenſura prohibens uſum Divinorum quà talem:* id eſt, uſum reum Divinarum ſcilicet miſſæ Sacrificii, quorundam Sacramentorum, & ſepulturæ Eccleſiaſticæ, quatenus horum uſus, neque eſt Communicatio cum fidelibus, neque eſt uſurpatio poteſtatis Eccleſiaſticæ, ſed quatenus eſt bonum ſpirituale. 63

Ad Secundum. Reſp. Interdictum dividi in Locale, & perſonale, & Mixtum ex utroque, quod Deambulatorium vocatur; *Locale* dicitur, quod eſt affixum loco, & non perſonis, ita ut in alio loco non prohibeatur ipſis uſus Divinorum officiorum, Sacramentorum, & ſepulturæ Eccleſiaſticæ; *perſonale* eſt, quod perſonis adhæret, vi cujus ipſæ in quocunque loco priventur uſu Divinorum. *Mixtum* non ſolùm afficit perſonam, ſed quemcunque etiam locum, quem illa fuerit ingreſſa. Unde ea præſente neque aliis, in eodem loco conceditur uſus bonorum ſpiritualium, per Interdictum prohibitorum.

Subdividitur ulteriùs Interdictum, tam Locale, quàm Perſonale, in Generale, & Speciale ſeu Particulare: *Generale locale eſt*, quod reſpicit locum, plures alios in ſe includentem, v. g. integrum Regnum, Provinciam, Civitatem, Parochiam: *Generale perſonale eſt*, quod reſpicit plures perſonas, quatenus ſunt pars unius Communitatis, & probabiliter etiam unius tantum familiæ. *Speciale* autem eſt, quod in unum, vel plures locos aut perſonas fertur, non quatenus ſunt pars alicujus loci totalis, aut Congregationis hominum. Denique

que ſicut ſuſpenſio, ſic etiam Interdictum dividitur in Totale, & Partiale, quo ſcilicet vel omnium Divinarum rerum uſus, quantum fieri poteſt, vel tantùm aliquarum prohibetur.

64 Quæritur ſecundò. Qualium rerum Divinarum uſus per Interdictum prohibeatur. Reſpond. Prohiberi primò uſum tam activum, quàm paſſivum Sacramentorum, excepto per *Capit. Quoniam de ſententia Excommunicationis in 6.* Baptiſmo, non tantùm parvulorum, ſed etiam adultorum, qui cum omnibus ſolemnitatibus (neque enim debet aliter conferri, quàm modo præſcripto) in loco ſive generaliter, ſive ſpecialiter interdicto à perſona itidem ſaltem generaliter tantùm interdicta propter ſuam maximam neceſſitatem conferri poteſt: quæ exceptio communiter etiam ad Sacramentum Confirmationis extenditur, utpotè acceſſorium, & completivum, ſeu perfectivum Baptiſmi, cum quo olim coferri ſolebat, niſi perſona recipiens, vel conferens Confirmationem ſpecialiter, eò quòd tali pœnæ cauſam dederit, interdicta eſſet, & parti læſæ nec ſatisfactionem, nec cautionem exhibuiſſet: qua tamen præſtita poſſet etiam extra caſum neceſſitatis non excommunicatus, vel non interdictus ſpecialiter cum denunciatione, eam recipere.

65 Quod ipſum etiam Jure novo in *cap. Alma Mater de ſententia Excommunicationis in 6.* ſtatuitur de Sacramento Pœnitentiæ, ut ſcilicet in loco quomodocunque interdicto, vel ipſi perſonæ interdictæ, niſi peccati reſervatio obſtet, præſtita ſatisfactione, vel cautione, à Confeſſario etiam generaliter interdicto adminiſtrari licitè poſſit, modò non ſpecialiter interdictus ac denunciatus fuerit, quo in caſu probabiliter tamen validè abſolveret, quia per Interdictum non fuit privatus Juriſdictione.

66 Sacramentum Euchariſtiæ verò ſolùm in articulo mortis, vel iis, qui hujus probabile periculum ſubeunt (ſuſcipiendo v. g. longam ac difficilem peregrinationem, adeundo bellum, vel appropinquando partus tempori) in dicto capitulo conceditur: quod, ut notarunt Navarr. Saa, Coninck, Suar. Laymann, etiam cum lumine, campanula, Fidelium comitatu ad ægrotos ſolemniter deportari poteſt. Idem Sacramentum probabiliter etiam permittitur in quatuor feſtivitatibus anni, ſcilicet Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Quia licèt loco citato juxta communiorem ſententiam expreſsè tantùm concedatur participatio Sacrificii Miſſæ, cùm tamen per hanc non ſola aſſiſtentia, ſed etiam ſuſceptio Sacræ Euchariſtiæ poſſit intelligi, eò quòd antiquo more fideles de hoc Sacrificio eidem aſſiſtentes, participarint, ideò tam in prædictis feſtivitatibus, quàm quando per privilegium conceditur aſſiſtentia Miſſæ, probabile eſt, aſſentiente Suar. Laym. concedi ſub ea etiam ſuſceptionem Sacræ Euchariſtiæ.

67 Alia ac diſpar ratio eſt quoad Extremam Unctionem, *juxta cap. Quod in te. de Pœnit. & remiſs.* quam tempore Interdicti ſuſcipere, vel adminiſtrare, exceptis Religioſis mendicantibus, habentibus pro ſe, & pro ſuis familiaribus ſpeciale privilegium, nemini licet, etiam in mortis articulo, quia hujus nec tanta datur obligatio, quanta Euchariſtiæ ex Divino præcepto, nec tanta neceſſitas, cùm magis ſit neceſſarius cibus, quàm Unctio membrorum ad pugnam. Quòd ſi tamen moriturus aliud Sacramentum accipere non poſſet, tunc enim verò ſufficiens eſſet neceſſitas, extremam Unctionem conferendi; quia neceſſitas gravis ab omnis Cenſuræ obſervatione excuſat. Idem teſte Layman. *lib. 1. tract 5. par. 4. cap. 2.* adducto Innocentio dicendum de Sacramento Ordinis. Si ver. gr. tanta eſſet Sacerdotum penuria, ut Sacramenta, *in capitulo Alma Mater* conceſſa, ſine novis Sacerdotibus nec commodè adminiſtrari, nec Ordinandi ad locum non interdictum pro recipiendis Ordinibus mitti poſſent, quos alioquin cum conſenſu proprii Epiſcopi, generaliter tantùm interdicti, etiam non interveniente ſimili neceſſitate, licitum eſt in loco ab interdicto immuni recipere, ut colligitur in *cap. Reſponſo de ſententia Excommunicationis.*

68 Denique juxta communem ſententiam contra Suar. *ſect. 1 num. 50.* excipitur à prohibitione Interdicti non tantùm localis, ſed etiam perſonalis, ac ſpecialis, ut notavit Laymann, *loc. cit.* ex Navarr. Henriq. Avila, Coninck, Sanchez. ſuſceptio Matrimonii ſine Benedictionibus, quia ut ſic potiùs conſideratur tanquam contractus humanus, non indigens Miniſtro ſpirituali, licèt rationem Sacramenti habeat ſibi annexam: & ſepè eſt illius neceſſitas propter periculum incontinentiæ.

Secundò *juxta cap. Si ſententia. cap. ultim. de ſent. excommunicat. in 6.* prohibetur uſus Divinorum officiorum, id eſt, eorum, quæ vel Ordinem Sacrum requirunt, ut Sacrificium, & Benedictiones, vel quæ ſolemniter nomine Eccleſiæ fiunt, ut recitatio horarum canonicarum cum cantu. Ex privilegio tamen tempore Interdicti localis Generalis conceditur Clericis, & Religioſis perſonaliter non interdictis *in capit. Alma Mater*, quotidie Officia Divina peragendi, & eiſdem aſſiſtendi facultas in Eccleſiis, ac Monaſteriis, ſervatis quatuor conditionibus, nempè ut hæc fiant clauſis januis, voce ſubmiſſa, non pulſatis campanis, & interdictis excluſis. 69

Tertiò prohibetur Eccleſiaſtica ſepultura in loco interdicto juxta cap. *Quod in te, de Pœnitent. & remiſſionibus*, nec infantibus quidem, & perpetuò amentibus exceptis; attamen exceptis Clericis, quorum nomine intelliguntur omnes perſonæ Eccleſiaſticæ, gaudentes privilegio Canonis, & fori, ut Religioſi utriuſque ſexus, ac Novitii, qui omnes in loco interdicto ſepeliri poſſunt ſine pulſu campanarum, & Eccleſiaſtica ſolemnitate, niſi perſonaliter interdicti, vel cauſam interdicto dederint (dantes enim cauſam habentur pro perſonaliter interdictis) vel niſi interdictum violaverint: ut habetur *in cit. cap Quod in te.* Quòd ſi interdictum locale non ſit, ſed perſonale, ſolùm interdictus denunciatus prohibetur ſepultura ſacra, niſi propter ſigna contritionis ante mortem elicitæ, vel ex piè acta vita rationabiliter præſumptæ, poſt mortem fuerit abſolutus. Prædictis effectibus interdicti totalis, non debet quaſi quarto loco accenſeri ingreſſus in Eccleſiam, ut teſtatur Palao *de Cenſur. diſput. 5. pun. 4. §. 4 num. 1.* Sed hic eſt ſpeciale quoddam interdictum *in cap. Sacro, de ſentent. Excommunic. & in cap. Is cui eod. tit. in 6.* & ideò requirit ſpecialem ſententiam: cujus effectus eſt excluſio ſeu privatio exercendi Ordinis ſacri in Eccleſia, & ſepulturæ in ipſa, & ejus cœmeterio, ut dicitur *in cap Is cui.* Unde talis non privatur exercitio Ordinis in Oratorio privato, Epiſcopi auctoritate ad Divinum cultum non deputato: imò juxta Palao & plures ab eo relatos, neque in ipſo cœmeterio: quia interdictum iſtud non immediatè afficit Eccleſiam, cujus cœmeterium quaſi eſt pars minus principalis, & acceſſoria. Sed immediatè perſonam, cui exercitium Ordinis eſt prohibitum in Eccleſia ſtrictè & ſecundùm ſe ſumpta, atque etiam ingreſſus, dum ibi Divina peraguntur: quamvis dum illa ibi non peraguntur, citatus Palao adhuc judicet probabile, licere tali interdicto in Eccleſia fundere preces, & more laico recipere Sacramenta. Quòd ſi Clericus violet hoc interdictum, *in cit. cap. Is, cui* decernitur Irregularis. Cæterum hoc Interdictum videtur ſimile Interdicto partiali. 70

De omnibus verò prædictis effectibus id certum eſt, qui in ullo contra prohibitionem interdicti agit, ſive Clericus, ſive Laicus, eum peccare mortaliter, niſi levitas materiæ excuſet: cujuſmodi violationes leviores indicat Palao *loc. cit. punct. 5.* & alii Doctores paſſim: præſertim reſpectu Laicorum, qui non ipſi peragunt Divina, quod utique graviùs eſt peccatum, quàm illis ſolùm aſſiſtere, & neque participare Sacramenta. Unde Clerici ſi contra interdictum fungantur Ordine ſacro, ſtatuitur in ipſos pœna Irregularitatis, ut dicetur articulo ſequenti.

(* * *)

§. II.

Quis Interdictum ferre, vel auferre poſſit, & ob quæ delicta.

S U M M A R I U M.

71 *Interdictum Locale & Perſonale ferre poteſt, quiſquis gaudet Juriſdictione Epiſcopali, & idem etiam auferre poteſt pro foro externo, in foro interno autem, ſi non ſit ſpecialiter reſervatum, à perſonali interdicto ſpeciali quivis Confeſſarius poteſt abſolvere, qui poteſt abſolvere à mortalibus.*

72 *Quanta culpa requiratur ad ferendum Generale vel Speciale Interdictum tam in locum, quàm in perſonas.*

73 *Quomodo Interdictum differat à Ceſſatione Divinorum.*

71 AD primam quæſtionem in titulo propoſitam reſpondetur, eum, qui poteſt Excommunicationem, vel Suſpenſionem, ſcilicet gaudentem Juriſdictione Epiſcopali, poſſe etiam in locum ſubditum, & perſonas ſubditas ferre Interdictum propter juſtam cauſam, quæ debet eſſe culpa graviſſima reſpectu Interdicti Localis, vel Perſonalis Generalis. Et quidem ſpectando Juris rigorem, ſecluſa praxi contraria, neq; Epiſcopus poſſet Clericos ſuos ſuſpendere aut Eccleſias eorum interdicto ſubiicere ſine Judicio Capituli, ut expreſsè habetur *in c. 1. de Exceſſib. Prælat.* Eadem requiſitio Capituli etiam indicatur *cap. Novit. cap. Quantò de His quæ fiunt à Prælatis* & *cap. Cùm in cunctis de His quæ fiunt à majori parte*. Eadem poteſtas competit Legatis Apoſtolicis, & aliis quaſi Epiſcopali poteſtate præditis, atque Capitulo, ſede vacante, adjuncto ſibi Vicario. Prælatis Regularibus autem propter contrariam præſcriptionem communiter negatur facultas imponendi Interdictum locale.

Similiter illi ſolummodo, qui poſſunt inferre Interdictum, id etiam in foro externo poſſunt rurſus auferre: Interdictum Perſonale ſpeciale tamen, niſi reſervatum ſit, prout reſpectu Confeſſariorum gaudentium privilegio mendicantium regularium nullum reſervatum eſt, in foro conſcientiæ poteſt relaxare quivis Confeſſarius approbatus, habens poteſtatem abſolvendi à mortalibus.

72 Ad alteram quæſtionem, ex quibus delictis oriatur obligatio ſervandi Interdictum. Reſp. per ſequentes aſſertiones. Prima eſt. Interdictum generale tam perſonale, quàm locale ferri non poteſt, niſi propter culpam mortalem, ut colligitur *ex cap. 1. de Sent. Excom. in 6.* & *cap. Quæſivit. de His quæ fiunt à majore parte*, & ex Trid *ſeſſ. 25. cap. 3. de Refor.* Ratio eſt, quia hæc eſt gravis pœna, & aliquo modo gravior, quàm excommunicatio major, quandoquidem etiam innocentes comprehendit. Unde communiter à nullo alio decernitur, niſi à Summo Pont. & non niſi propter grave delictum totius communitatis, vel capitis illius, ut patet *ex cap. Non eſt vobis de Sponſal.* & teſtatur Palao *de Cenſur. d. 5. pun. 3. §. 2. num. 3.* Et in Extrav. *Providè attendentes de Sent. Excom.* expreſsè prohibetur, ne propter injuſtam tantùm detentionem æris alieni ſine ſpeciali Pontificis licentia infligatur Interdictum Generale locale: quam prohibitionem ſpectando mentem prohibentis Palao *num. 6.* extendit etiam ad Interdictum Generale Perſonale: imò aliqui etiam ad ſpeciale locale. Speciale verò perſonale omnes concedunt.

Aſſertio ſecunda. Interdictum ſpeciale perſonale ob culpam alienam inferri non poteſt. Ita communis apud Palao *loc. cit. num. 7.* Ratio eſt. Quia pœna afficiens propriam perſonam in omni loco, ſupponit culpam perſonalem *juxta L. Sancimus 22. C. de Pœnis.* neque adverſatur S. Thomas 4 *diſt. 18. quæſt. 2. art. 3. quæſt. 2. ad 2.* Quia ibi expreſsè loquitur de Interdicto locali Generali.

Aſſertio tertia. Interdictum ſpeciale perſonale, quando omni uſu Divinorum privat, etiam ſupponit culpam mortalem: Si autem non omni, ſufficit culpa venialis. Prima pars eſt contra Avilam, Henriq. Saà, Hurtad. defenditur verò à Sayro, Suar. Vaſq. Coninck. Laym. Palao. Ratio eſt, quia ab Adverſariis immeritò inſtituitur paritas cum Excommunicatione minore, quæ longè paucioribus bonis privat, quàm Interdictum totale perſonale: adeoque iſtud, ſicut eſt gravior pœna, ita ſupponit graviorem culpam. Secunda pars communis eſt: & rectè probatur paritate minoris Excommunitatis.

Ceterùm quoad modum ferendi ſententiam Interdicti idem obſervandum eſt, quod *ex cap. Cùm Medicinalis 1. & cap. Romana. 5. de Sentent. Excommun. in 6.* de modo ferendi ſententiam Excommunicationis, aut Suſpenſionis ſuprà dictum eſt, ut *in cap. Cùm Medicinalis* expreſsè præcipitur.

Quæritur quintò. Quomodo interdictum differat à Ceſſatione à Divinis. Reſp. Etiamſi Ceſsatio à Divinis magnam habeat affinitatem cum Interdicto, quando tamen ipſum non includit, deficit ab Interdicto in primis ratione finis, qui eſt atteſtatio doloris ac triſtitiæ, ab Eccleſia ob injuriam, ac contemptum ſibi ac Deo illatum conceptæ, ejuſque reparatio. Deinde ratione modi, quo infertur Ceſſatio: quia hæc nunquam imponitur ipſo Jure. Præterea ratione pœnæ, quia Clerici ejus violatione non incurrunt Irregularitatem, ſicut violatione Interdicti, exercendo actum Ordinis ſacri, ſibi per interdictum locum vel propriam perſonam afficiens, prohibitum. Denique ratione effectus, quia licèt Ceſſatio à Divinis prohibeat Clericis, & Laicis, eundem uſum Divinorum Officiorum, & Sacramentorum, quem prohibet Interdictum, probabiliùs tamen videtur, teſte Palao, *diſp. 5 pun. 9. §. 2.* referente Suar. Coninck, Bonacinam, Laymann, pluribus licèt diſsentientibus ſecundùm ſtrictiorem interpretationem, quæ in pœnalibus præferenda eſt, non contineri nomine Divinorum ſepulturam Eccleſiaſticam, ut adeoque Laici æquè ac Clerici tempore Ceſſationis à Divinis in Cœmeterio, vel Eccleſia, abſque ſolemnitate tamen Eccleſiaſtica, ſepeliri poſſint, quod quidem de Clericis plerique Doctores concedunt; quamvis communiter negent, reliqua privilegia pro tempore Interdicti ipſis indulta ad Ceſſationem à Divinis ſe extendere. 73

ARTICULUS IV.

De Irregularitate.

ETiamſi Irregularitas Cenſura non ſit, cùm non tantùm propter delictum, ſed etiam ob aliam cauſam inferri poſſit, & propter delictum illata, non rationem medicinæ, ſed puræ pœnæ habeat, Cenſuris tamen ſubjungi ſolet, quia ſimiliter bonis quibuſdam ſpiritualibus privat, pro illius itaque declaratione ſit

§. I.

Quid ſit Irregularitas.

S U M M A R I U M.

74 *Definitio Irregularitatis. Cujus ſtatutæ Author eſt ſolus Pontifex. Subjectum illius eſt omnis homo capax Sacramenti Ordinis. Et quando provenit ex delicto, ipſum debet eſſe actus externus, mortaliter peccaminoſus, in ſuo genere perfectus, ſcienter & liberè à metu contra legem commmatoriam Irregularitatis commiſſus.*

75 *Cauſa Irregularitatis debet eſſe certa, excepta, eaque provenit ex homicidio voluntario, quæ ipſa tamen in dubio ſolam facultatem celebrandi Miſſam inhibet.*

76 *Irregularitas primariò prohibet ſuſceptionem Ordinis includendo etiam primam tonſuram. Si totalis eſt: poteſt autèm non eſſe totalis, ſed partialis.*

77 *Secundariò etiam uſum percepti Ordinis, ſaltem quoad certas quaſdam actiones, quæ à Laico exerceri non poſſunt, prohibet, non verò quoad alias. Neque privat Beneficio obtento, ſed conſecutione non obtenti, exigentis functiones, ad quas per ſe præſtandas irregularitas orta ex delicto inhabilem reddit, & ob quas etiam Beneficium poſſeſſum auferendum eſt, niſi diſpenſetur.*

Irregu-

74 IRregularitas communiter definitur, quòd ſit *Impedimentum Canonicum primariò, & directè impediens Ordinis ſuſceptionem, & ſecundariò, ac indirectè uſum*. Colligitur *ex cap. Significaſti de Homicidio*.

Dicitur primò. *Impedimentum*, quod partim generis officium ſubit, cùm plura dentur Impedimenta Ordinum, quæ tamen Irregularitas non ſunt: defectus enim Baptiſmi, & defectus ſexus maſculini impediunt à receptione Ordinum, abſque eo, quòd hominem reddant irregularem: partim differentiæ officium agit, qua Excommunicatio & Interdictū à ratione Irregularitatis excluduntur: quæ quamvis etiam impediant à ſuſceptione Ordinis, tamen non ſunt impedimentum hujus Sacramenti ſolius; ſed æqualiter etiam ab aliis removent, nec præcisè ad licitè obtinendum ſtatum Clericalem inhabilitant, ſed inhabilitando contumaciam emendant, ut ad quævis Sacramenta habilem reddant: unde genus aliud proximum illis præfigitur, nempe Cenſura.

Dicitur ſecundò. *Canonicum*, id eſt Jure Canonico, à Summo Pontifice, non verò immediatè à Chriſto, ſtatutum: unde diſtinguitur Irregularitas à prædictis duobus impedimentis, ex defectu ſexus, vel Baptiſmi, Ordinis ſuſceptionem ob Chriſti inſtitutionem impedientibus; & præterea declaratur contra Sotum, ac Gabrielem, à nullo Epiſcopo, multò minùs à poteſtate Laica Irregularitatem ſtatui poſse, ut expreſsè conſtat *ex cap. Is qui, de Sententia Excommunicationis in 6.* ubi deciditur, nullam Irregularitatem contrahi, niſi in caſibus Jure Pontificio, ſeu Canonico expreſſis. Indicatur etiam, ſolum ſubjectum capax Ordinis eſſe ſubjectum capax Irregularitatis, utpote quæ ex eſſentia ſua eſt impedimentum Jure poſitivo reſtrictivum prioris capacitatis quoad ejus Licentiam, quamvis non quoad valorem.

Denique inſinuatur, ob nullum actum merè internum inferri Irregularitatem, utpote ad quem Juriſdictio Eccleſiaſtica ſe non extendit. Ut verò propter actum externum inferatur Irregularitas, neceſſe eſt, illum ſecundùm proprietatem & rigorem verborum eſſe conſummatum, & ut ex ipſo, tamquam ex delicto proveniat, debet non tantùm continere malitiam peccati mortalis, ſed neque propter ignorantiam Legis, ut ſtatuentis talem pœnam, vel propter metum, cadentem in virum conſtantem, aut probabiliter propter impubertatem excuſari poſſe, ut de aliis pœnis Eccleſiaſticis alibi diximus: quia eſt eadem ratio.

75 Imò etiam, quando de cauſa Irregularitatis dubium eſt, nec major certitudo adhibita diligentia obtineri poteſt, ſecundùm probabiliorem ſententiam Suarez, Sanchez, Avilæ, quos ſequitur Laym. *lib. 1. tr. 1. cap. 5. n. 39.* & Palao *diſp. 6. pun. 3. n. 7.* plurimos referens, Locum hic etiam habet Juris Regula. Quòd in dubio melior ſit conditio poſſidentis; adeoque is in poſſeſſione ſuæ habilitatis ac juris ad recipiendum Ordinem permaneat, excepto unico caſu, in Jure expreſſo, quando ſcilicet eſt dubium facti circa homicidium (non verò circa ſolam vulnerationem vel mutilationem) ob cujus ſpecialem indecentiam *Capitulum ad Audenticam. Capitul. Significaſti, & capitul. penultimum de Homicidio* ſtatuit, ut propter ſingularem reverentiam Sacramento Euchariſtiæ debitam, juxta Conſilium prudentiæ, ſuadentis, non tamen præcipientis, in dubio tutiorem partem eligendam, dubitans de perpetratione homicidij, actione, Conſilio, favore, à celebratione miſſæ abſtineat: quod decretum tamen probabiliùs neque ad alias functiones Ordinis, vel Beneficiorum, neque ad alia delicta, vel cauſas Irregularitatis, tam in dubio facti, quàm Juris, extendi debet. Quia hoc in Jure non eſt expreſſum: nulla autem irregularitas incurritur, niſi in caſibus Jure expreſſis juxta *Is qui, de Sententia Excommunicationis in 6.*

76 Dicitur tertiò. *Primariò, & directè impediens Ordinis ſuſceptionem*: Quippe irregularitatis finis eſt, inhabiles vel indignos ad actum primarium Ordinis, nempe celebrationem miſſarum, à ſtatu Clericorum removere. Unde quia etiam per primam tonſuram aliquis efficitur Clericus, & acquirit primam diſpoſitionem ad Ordinem, propriè dictum, ſecundùm probabiliorem, & communiorem ſententiam, Irregularis etiam ab hac ſuſcipienda prohibetur, ſicut inhabilis ad presbyterium, prohibetur quemcunque Ordinem præcedentem, atque ad illud diſponentem recipere, eò quòd impeditus à fine, prohibeatur etiam recipere diſpoſitionem ac medium, ex natura ſua præcipuè ordinatum ad illum finem. Ex quo conſtat, particulam *Ordinis* in definitione poſitam, ſumi in latiore ſignificatione, prout primam tonſuram, & reliquos ſeptem gradus includit, omnemque irregularitatem reſpectu Laici totalem eſſe, id eſt, ab omni Ordine excludere, quamvis reſpectu Clerici quoad uſum Ordinum ſuſceptorum, ſi non ex delicto proveniat, partialis eſſe queat, ut ab ea tantùm Ordinis functione prohibeatur, ad quam decenter peragendam per ſupervenientem defectum inhabilis effectus eſt, ut conſtat *ex c. 2. de Clerico ægrotante*, quod Sacerdotem duobus digitis, & palmæ medietate privatum, duntaxat ad celebrandum irregularem conſtituit.

Dicitur quartò. *Secundariò, ac indirectè illius uſum*: 77
quando enim Irregularitas Ordinis ſuſceptioni ſupervenit, eamque ampliùs impedire nequit, impedit saltem illius uſum, ita ut ſi abſoluta & totalis ſit, prohibeat omnes actiones, quæ Ordinis alicujus poteſtatem requirunt, non verò eas, quæ etiam à Laico exerceri poſſent, vel quæ ſtatum Clericalem præcisè pro Officii alicujus commiſſione ſupponunt, uti ſunt actus Juriſdictionis Eccleſiaſticæ: hoc ipſo autem, quòd Irregularitas abſoluta ſecundariò prohibeat omnes actiones Ordinis, ita, ut, ſi poſſet, omnino prohiberet à ſtatu Clericali, hinc *juxta cap. 2. de Clericis pugnantibus in duello*, & juxta Trid. *ſeſſ. 14. cap. 7. de Reformatione* colligunt Auctores, eam etiam privare conſecutione omnium Beneficiorum, & Dignitatum, ac prælaturarum Eccleſiaſticarum, vel ſi partialis eſt eorum Beneficiorum conſecutione, cujus functiones per ſe ipſum exercere prohibetur: quamquam horum collatio ſecundùm probabiliorem ſententiam non ſit ipſo facto irrita, ſed irritanda: quia aliud in Jure expreſſum non eſt. Imò iſtud potiùs in ſimili expreſſum eſt *cap. ultimo de Clerico Excommunicato miniſtrante*. Multò minùs aliquorum opinionem rectè aſſeritur, Beneficia ante poſſeſſa per irregularitatem advenientem actu auferri, quamvis ſi ex delicto orta ſit, auferri debeant per ſententiam Judicis, niſi impetretur diſpenſati). Neque Trid. loc. citato aliquid innovare intendit, quando circa irregularitatem homicidii ſtatuit: *Quia ſua voluntate homicidium perpetravit; omni Ordine, Beneficio, & Officio Eccleſiaſtico perpetuò careat*. Sunt enim hæc verba juxta ſubjectam materiam explicanda, ſcilicet de privatione actuali, quoad ſuſcipiendum Ordinem, vel ejus Uſum, de inferenda autem per ſententiam Judicis quoad officium, vel Beneficium: quippe horum privatio non eſt effectus immediatus, & neceſſarius irregularitatis: ſed effectui immediato connectitur ex prudenti Judicis arbitrio, ab auctore irregularitatis requiſito.

§. II.

Quotuplex ſit Irregularitas & quomodo relaxetur.

SUMMARIUM.

78 *Diviſiones Irregularitatis.*

79 *Ingreſſus in Religonem tollit ſolam Irregularitatem ex defectu natalium ortam, eamque tantùm ad ſuſcipiendos Ordines, non ad Prælatura.*

80 *Poteſtas diſpenſandi in Irregularitate de Jure Ordinario competit ſoli ſummo Pontifici. Ex privilegio tamen conceſſa eſt Epiſcopis, & Epiſcopali poteſtate fungentibus, reſpectu ſuorum ſubditorum, quoad irregularitatem, ortam ex alio crimine occulto, quàm homicidio Voluntario. Et preterea conceſſa ſunt certa privilegia Prælatis Regularibus in Ordine ad ſuos Religioſos.*

IN primis dividitur in Irregularitatem *ex Delicto*, & irregularitatem *ex Defectu*. Qualia autem ſint delicta, vel alij defectus, quibus irregularitas connexa eſt, proximè dicetur.

Secundò. Dividitur Irregularitas *in temporalem*, quæ pro

pro certo tempore ſtatuta, eo elapſo, per ſe ipſam deſinit: qualis eſt Irregularitas ex defectu ætatis: Et *in perpetuam*, quæ duplici modo tantùm relaxari poteſt; nam tertium modum, ſcilicet ſuſceptionem Baptiſmi, aliqui non rectè aſſignant, quia non Baptizati, cùm non ſubſint Jurisdictioni Eccleſiaſticæ, nullam Irregularitatem ab Eccleſia ſolùm ſtatuta incurrunt; ſed ſuſcepto Baptiſmo eam, quæ ex bigamia præcedenti, vel defectu corporis naturalis, vel legitimorum natalium, vel ex habituali infamia oritur, primùm inchoant propter inhabilitatem poſt Baptiſmum perſeverantem.

79 Itaque primus modus relaxandi irregularitatem, ex natura ſua perpetuam habetur per emiſſionem votorum in Religione approbata, qua tamen ſolus defectus natalium, & ex parte tantùm, id eſt ad Ordines ſuſcipiendos, manente inhabilitate ad prælaturas, relaxatur, ut contra Sotum, aſſerentem, omnem Irregularitatem, ea, quæ ex bigamia, & homicidio voluntario oritur, excepta, per Religionis ingreſſum tolli, docent communiter Doctores.

80 Secundus modus habetur per diſpenſationem, ſoli Summo Pontifici, & cui ille commiſerit, competentem. Ex conceſſione tamen Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de Reform.* poſſunt Epiſcopi, etiamſi conſacrati non ſint, adeoque omnes illi Prælati, qui propriam diœceſin ſubditam ſibi habent, in eadem (non tantùm localiter ſumpta, ſed pro hominibus, in eodem domicilium habentibus, etiamſi vel ipſi, vel Epiſpopus extra illud verſentur) cum ſubditis ſuis, id eſt, ſtabiliter, vel majori anni parte, in eorum territorio degentibus, diſpenſare in omni Irregularitate, orta ex crimine occulto (nimirum majori populi parti incognito, nec ad ſorum contentioſum deducto, vel in eodem abſoluto) excepto homicidio voluntario: quam poteſtatem Pius V. in quodam motu proprio, & Martinus V. conceſſit etiam Prælatis Regularibus exemptis reſpectu ſuorum Religioſorum, ne homicidio quidem voluntario excepto: imò in qualibet Irregularitate, etiam ex homicidio, vel bigamia proveniente, cum ſuis Religioſis in foro conſcientiæ diſpenſare poteſt noſtræ Societatis Præpoſitus Generalis, & extra duos prædictos caſus etiam Provincialis, ut habetur in compendio privilegiorum verbo Diſpenſatio §. 4.

§. III.

Quibus ex cauſis oriatur irregularitas.

SUMMARIUM.

81 *Ex quibus delictis contrahatur irregularitas.*
82 *Ex quibus defectibus Corporis.*
83 *Ex quibus defectibus Animæ.*
84 *Ex quibus defectibus Famæ.*
85 *Ex quibus defectibus Libertatis.*
86 *Ex quo defectu Sacramenti.*
87 *Ex quo defectu lenitatis.*
88 *Referuntur aliqui caſus circa homicidium & Mutilationem, non inducentes irregularitatem.*

81 EX delicto irregulares fiunt ſequentes. Primò. Qui ſeriò, & ſcienter reiteratum Baptiſmum recipit, & ex parte etiam, qui confert, vel conferenti miniſtrat; hi enim (ſaltem ſi crimen non ſit occultum) prohibentur aſcendere ad Superiorem Ordinem, quamvis ſuſcepto uti poſſint. Colligitur hæc irregularitas *ex cap.* 2. *de Apoſtatis.* Ubi cùm hæc pœna ſtatuatur in miniſtrantem, multò magis ad repabtizantem referenda eſt. Secundò. Qui violat Cenſuram per actum Ordinis Sacri ſolemnem. Colligitur *ex c.* 1. *de Sententia & re judicata in* 6. *cap.* 1. *de Sent. Excom. in* 6. etiamſi, ut in priori *cap. de Sent. & re* expreſsè ſtatuitur, Cenſura fuerit, ut pœna temporalis inflicta. Ex *ex c. Is, qui.* §. *Is verò*, & *cap. Is, cui, de Sentent. Excom. in* 6. Unde colligunt Authores, Si Clericus celebrans ex privilegio capituli *Alma Mater de Sent. Excom. in* 6. non ſervet Conditiones, ſub quibus id ipſi in loco interdicto conceſſum eſt, illum fieri irregularem. Tertiò Clericus, qui actum Ordinis Sacri, quo caret, ſolemniter exercet *cap.* 1. & 2. *de Clerico non Ordinato miniſtrante.* Quartò. Qui furtivè vel per fraudem ſe intruſit, ut inter alios admiſſos & ipſe ordinaretur: ut habetur *cap.* 1. *de Eo, qui Ordinem furtivè ſuſcepit.* Quintò. Qui ſuſcepit Sacrum Ordinem Matrimonio obſtrictus extra caſus à Jure permiſſos. *Juxta Extrav. Antiquæ concertationi de Voto.* In hac irregularitate ſolus Pontifex poteſt diſpenſare, in priore autem etiam Epiſcopus. Sextò. Qui ſive directè, ſive indirectè voluntarium, atque injuſtum homicidium, vel mutilationem membri principalis, ad ſpecialem ſcil. uſum deputari commiſit, aut ad committendum cooperatus eſt, vel obligatus ex juſtitia non impedivit. Ita de homicidio ſtatuit *cap.* 1. *&c. Sicut dignum* 6. *de Homicidio.* Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *de Reform.* de Mutilatione habetur *in cap. un. de Homicidio in Clement.* ubi Gloſſa verb. *Mutilet* multos Canones allegat, quibus ad irregularitaten Mutilatio homicidio comparatur. De cooporante quocunque modo definitur *in cap. Si quis viduam diſt.* 50. De negligente ex Juſtitia impedire colligitur *ex cap. Quæſitum de Pœnitentia & Remiſſ.*

Ex defectu corporis Irregulares habentur, primò carentes uſu membri, ad functiones Ordinis neceſſarij, cujuſmodi ſunt deſtituti ſiniſtro oculo, ſaltem niſi dextro canonem commodè legere poſſint, auditu, manu, pollice, vel indice. juxta *Expoſuiſti de Corpore vitiatis. cap. Presbyterum de Clerico ægrotante. cap. ult. diſt.* 55. Secundò, morbo quodam horribili, ut lepra, paralyſi, epylepſi, vel enormi corporis deformitate laborantes, ut gibboſi, claudi, naſo vel aure carentes, juxta *cap. ult.* 15. *q.* 1. & *cap. Maritum totaque diſt.* 33. hermaphroditi, etiam occulti, & probabiliter licèt ſexus Virilis prædominetur. *juxta cap. Si quis à Medicis & ſeqq. diſt.* 55. *Ex parte* 2. *de Corpore Vitiatis.* Itaque ex corporis defectu Irregularitatem ſubit. 82

Membri expers, horrens lue, corpore, duplice ſexu.

Ex defectu animæ reputantur irregulares, per intervalla amentes ut habetur *c. Maritum* 33. *diſt.* Ignorantes ad functiones Ordinis ſcitu neceſſaria juxta *cap. Illiteratos* 36. *diſt.* Neophyti antequam judicio Epiſcopi in rebus fidei ſint ſufficienter inſtructi. *iuxta cap.* 1. & 2. *diſt.* 48. Huc etiam revocari poſſunt, defectum ætatis requiſitæ patientes. juxta *c. Fin. de Temporib. Ordinat.* Adeoque: 83

Mentis inops, rerumque rudis, fideique recentis.

Ex defectu famæ irregularibus annumerantur, & ſaltem quoad hunc effectum, non quoad alios, infames ſunt, primò alij Illegitimi, quamdiu non legitimantur *cap.* 1. & 2. *de Filijs Presbyterorum & c.* 1. *eod. in* 6. Secundò ob crimen notorium proprium, vel Parentum, ſententia Judicis, vel ipſo facto, vel propter perſeverantiam in publico crimine infames, ut habetur *in c. Infames.* 6. *q.* 1. *c. Qui in aliquo. diſt.* 51. *cap. Omnipotens. de Accuſat.* 84

Ex defectu Libertatis inter Irregulares cenſentur ſervi propriè dicti, & originarij, quamdiu non obtinet libertatem, ut habetur *Can.* 81. *Apoſt. & tota diſt.* 54. & *cap. de Servis non Ordinandis.* Conjugati, niſi uxores conſentiant, & caſtitatem voveant, de his etiam dixi ſuprà in Irregularitate ex delicto. Curiæ ſeculari ſervientes, vel militari juramento obſtricti, ut colligitur ex *c.* 3. *diſt.* 54. Itaque omnes illi: 85

Quos Dominus retinetve uxor, quos Curia, Mavors.

Ex defectu Sacramenti Irregularis eſt juxta *c. Debitum de bigamis & cap. Acutius diſt.* 26. qui per bigamiam, ſive veram, ſive interpretativam, ſive ſimilitudinariam ſe inhabilem reddidit ad repræſentandam unionem Chriſti cum Eccleſia, unica, ac Virgine. Eſt autem Bigamia vera duplex Matrimonium validum, ac conſummatum cum duabus uxoribus ſucceſſivè habitis. Bigamia interpretativa eſt Matrimonium validum ac conſummatum cum conjuge, vel antecedenter ab illo viro, ſive intra ſive extra Matrimoniū corrupta, vel poſt commiſſum ab illa adulterium rurſum ſive ſcienter, ſive, ut communior docet ſententia, etiam tantùm ignoranter cognita: nec tamen viciſſim per fictionem Juris Bigamia interpretativa cenſetur Matrimoniū cum Virgine cōtractum, 86

ctum, ac conſummatum à marito, priùs vel poſteà cum alia fœmina fornicante: quia ut vir interpretativè cenſeatur Bigamus, debet deſumi à vero Matrimonio cum conjuge virtualiter multiplici per diviſionem ſuæ carnis in plures. Bigamia ſimilitudinaria eſt matrimonium cum conſummatione attentatum à Religioſo, voto caſtitatis obſtricto: ut habetur *in c. Monachos, & c. Quotquot. 21. qu. 1.* Aliqui idem aſſerunt de Clerico in Majoribus conſtituto, alii negant, & alii concedunt quidem irregularitatem, ſed ex delicto, non ex Bigamia provenientem. Igitur certò ſaltem irregularis eſt, *Poſt ſponſæve Deive jugum, aut non virgine junctus.*

87 Ex defectu lenitatis denique Irregulares fiunt, qui In bello juſto offenſivo, propriis manibus hominem occidunt, vel mutilant *juxta c. Si quis diſt. 51.* Qui verò in bello injuſto hoc facit, irregularis fit, non ex defectu lenitatis, ſed ex delicto, ut ſupra dixi. Præterea irregularis ex defectu lenitatis efficitur, qui in Judicio ad mortem aut mutilationem hominis cooperantur activè, & efficaciter, ac proximè per actionem ex natura ſua ad id ordinatam: ut Judex ferendo ſententiam, Aſſeſſor ſua auctoritate illam firmando: Accuſator vel Denunciator ſupplicii cauſam deferendo, niſi ut excipitur in *c. Prælat. de homic. in 6.* pro ſuo, aut ſuorum, vel ex lege charitatis etiam alienorum, aut Reipublicæ damno evitando cum expreſſa proteſtatione contra executionem ſupplicii id faciant: Teſtis delictum criminale confirmando, niſi Laicus, munus hoc Judicis auctoritate compulſus ſubeat. Notarius ſcribendo teſtium depoſitiones, & ſententiam Judicis, eamque ſignando. Denique reliqui omnes, qui tanquam Miniſtri Juſtitiæ concurrunt: Ita ſtatuitur *in c. ſent. Ne Cler. vel Monachi & c. Aliquantos diſt. 51.* Et ſic *Non fert lenis opem, Marte, aut à Jure cruentam.*

88 Probabiliùs verò irregulares non ſunt primò, qui abſque culpa, privatim tantùm, ad ſupplicii executionem, vel accelerationem cooperantur v. g. dando Conſilium adminiſtrandæ Juſtitiæ, ducendo via breviori ad ſupplicium, vel ad greſſum feſtinatiorem incitando: uti etiam irregularitatem non ſubeunt, qui milites ad ſtrenuè pugnandum exhortantur, vel tympano animant, quia hos conveniebat excipi, ut colligitur ex *c. Si quis diſt. 51. & ex c. Petitio tua de Homicid.*

Secundò irregularis non eſt (ut ea hìc adnectam, quæ ad irregularitatem ex homicidio, ſive ex delicto, ſive ſine delicto ſpectant) qui ad ſuam, vel alterius privati, aut Reipublicæ defenſionem, adeòque in bello ſolummodo defenſivo, injuſtum invaſorem occidit, aut mutilat, juxta *c. un. de Homic. in Cle.* Si tamen hujuſmodi defenſio non prꝫſtetur ex neceſſitate juſtæ defenſionis, eò quòd alii eã ſufficienter prꝫſtare poſſint (ob quã cauſã nõ decet Clericos in publico bello defenſivo pugnare) irregularitas non evitatur, ut colligitur *ex c. petitio de homic.* Uti etiam non evitatur, ſi non pro vitæ, ſed pro famæ, & honoris, vel pro bonorum temporalium defenſione aggreſſor occidatur, aut mutiletur. Quia enim fama & honor poteſt alio modo defendi, ideò interfectio, vel mutilatio pro hujus defenſione non excuſatur per *cit. cap. in Clem.* & quia Bona temporalia tanti facienda non ſunt, ideo *in c. Suſcepimus, de Homicid.* expreſsè dicitur. *Quia expediebat potiùs poſt tunicam relinquere pallium, & rerum ſuſtinere jacturam, quàm pro conſervandis viribus, & tranſitoriis rebus tam acriter in alios exardeſcere.* Contrariam tamen, minuſque communem ſententiam ab irregularitate excuſantem, ait Laym. *lib. 3. de Juſt. tr. 3. p. 3. c. 9. in fine*, conciliari poſſe, ac ſuſtineri, ſi bonorum defenſio alicui neceſſaria ſit ad vitam ſuam, vel ſuorum, vel ad aliud eximium bonum conſequendum.

Tertiò ex homicidio merè caſuali, ſive rei licitæ, ſive illicitæ operam dederis, Irregularitatem non incurris. Sumitur *ex c. Lator. c. Ex litteris 1. & 2. c. Significaſti cap. Exhibita de Homic.* Illud autem homicidium cenſetur merè caſuale, In quo nec culpa Theologica nec culpa lata intervenit, ex qua culpa Theologica pro foro externo præſumitur, hinc ab irregularitate excuſatur cauſata mors *in c. Quæſitum de Pœn. & Rem. & in c. Lator de Homicid.* & non excuſatur *in c. continebatur eod. tit.*

Quartò. Ut ex mutilatione irregularitas contrahatur non ſufficit, quòd membrum ſit inutile redditum e.g. Oculus privatus aptitudine videndi, ſed requiritur, ut membrum fuerit ablatum, ut patet *ex c. Sicut urgeri 1. q. 1. c. Clericis. Ne Clerici vel Monachi cap. Archiep. de Raptor.* Membri autem nomine intelligendum eſt cujus privatio notabilẽ corporis deformitatem inducit, vel quod ad principalem uſum corporis humani deſervit, ut manus, pes, oculus naſus, cujus privatio etiam magnam deformitatem pareret.

Quintò. Qui alium non lethaliter vulneravit, vel non dedit cauſam mortis per ſe illativam, ſi aliundè per Chirurgorum imperitiam, vel aliam cauſam non prævíſam, ac per accidens ſupervenientem mors ſequatur, probabiliter non incurritur irregularitas; quia talis mors nec eſt prævíſa, nec intenta, nec per ſe connexa cum cauſa data, & propterea meritò reputatur caſualis, ut cum aliis, contra nonnullos probat Palao *diſp. 6. de Cenſ. punct. 15. §. 5. ex c. Exhibita de Homic.* & præcipuè *ex c. Studeat diſt. 50.* Excipe, niſi Clericus vel Religioſus, abſque gravi neceſſitate, ingeſſerit ſe in officium Chirurgi, aut Medici, & per ejus imperitam ſectionem, vel curationem mors ſecuta ſit *juxta c. Sententiam, ne Clerici vel Monachi & c. Tua nos de Homic.* Quia ut dicitur *in Reg. 19. in 6. Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, ſe miſcet.*

Sextò, ut inquit Palao *l. c. n. 6.* Nullus ſcrupulus habendus eſt ex eo, quod mutaveris, vel revolveris infirmum, animo ſubminiſtrandi cibum, vel ut commodiùs quieſcat, eſto inde aliqualiter mors accelerata ſit, quia neque infirmus tenetur ob eam levem accelerationem impediendam, tantam incommoditatem ſuſtinere, ut notarunt Henriq. Avila Sayrus. Sed hæc de pœnis Eccleſiaſticis, nempè Cenſuris, & irregulararitate ſive ex delicto, ſive ſine delicto eveniente, ſufficiant: qui pleniorem notitiam deſiderat, eos DD. adeat, qui de his integros tractatus ediderunt. Ego enim, ne in fine contra propoſitam mihi brevitatis regulam delinquam, non cenſeo longiùs excurrendum. Quos verò ex arbore Scientiæ Boni & Mali fructus appoſui, benevoli Lectoris, ſapienti palato relinquo, qui noverit *reprobare malum, & eligere bonum.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Omnia ad Majorem DEI Gloriam.

INDEX

INDEX CXLI. PROPOSITIONUM.

A tribus Pontificibus Alexandro VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII. prohibitarum.

Et annotatio locorum, in quibus eædem propoſitiones referuntur, & ubi opus eſt, explicantur, ac impugnantur.

Numerus Romanus denotat Tractatum, Littera d. diſputationem. n. Numerum marginalem.

Propoſitiones XLV. ab Alexandro VII. duobus diverſis Decretis prohibitæ.

Decretum Primum continens Propoſitiones XXVIII.

Feria V. die XXIV. Septemb. A. M. DC. LXV. in Congregatione Generali S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis, coram SS. D. N. Dom. Alexandro Divina Providentia Papa VII. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis S. Rom. Eccleſiæ Cardinalibus, Inquiſitoribus à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

SAnctiſſimus D. N. audivit non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes; partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire: & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regulâ fideles in praxi ſequerentur, ingens irreptura eſſet vitæ Chriſtianæ corruptela. Quare ne ullo umquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas DEUS, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu verius perverti contingeret; idem Sanctiſſimus D. N. ut oves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via pro Paſtorali ſolicitudine in rectam ſemitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſeriò commiſit: qui tantum negotium ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulò incumbentes, & maturè diſcuſſis uſque ad hanc diem infrà ſcriptis propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſingillatim expoſuerunt.

1. Homo nullo umquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei & charitatis, ex vi Divinorum Præceptorum ad eas virtutes pertinentium. *III. d. Unic. n.37. & 57.*

2. Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. *IV. d.3. num.70.*

3. Sententia aſſerens bullam cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, ann. 1629. 18. Julii in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſ. Cardinalium, viſa & tolerata eſt. *VI. diſp.6. n.214.*

4. Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa. *VII. n.18.*

5. Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denuntiare, ſi probare non poſſis. *IV. d.2. n.30.*

6. Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſteà legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione: ac proinde non eſt denuntiandus. *IV. d.2. n.30. & VI. d.6. n.268.*

7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante: hìc poteſt ipſum abſolvere abſque onere denuntiandi. *IV. d.2. n.30. & VI. d.6. n.268.*

8. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem miſſa licitè accipere applicando, petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem; idque poſt decretum Urbani VIII. *VI. diſputat. 5. n.168.*

9. Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſibi retenta. *VI. diſp. 5. n.169.*

10. Non eſt contra juſtitiam, pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione etiam juramento firmata, danti ſtipendium, quòd pro nullo alio offeram. *VI. d. 5. n.167.*

11. Peccata in confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam non tenemur in confeſſione exprimere. *VI. d.6. n.129.*

12. Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate. *VI. d.6. n.222.*

13. Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato. *VI. d.6. n.170.*

14. Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatiſfacit præcepto Eccleſiæ. *VI. d.6. n.16.*

15. Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat. *VI. d. 6. n.159.*

16. Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario. *VI. d.6. n.170.*

17. Eſt licitum Religioſo vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit; uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi religioſo, vel ejus religioni publicè, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur. *IV. d.3. n.65.*

18. Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes ac etiam judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evadere. *IV. d. 3. n.69.*

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehenſam. *IV. diſput. 3. num.65.*

20. Reſtitutio à Pio Quinto impoſita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia, ante ſententiam declaratoriam judicis, eò quòd ſit pœna. *V. d.1. n.44.*

21. Habens capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio literarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet. *V. d.1. n.42.*

22. Non eſt contra juſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica interveniente pecunia, non exigit illam pro

pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. *IV. diſput.* 2. *n.*18.

23. Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod teneatur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat: puta, quia non vult ſe ſubiicere præcepto *IV.d.*1.*n.*43.

24. Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideòque ſufficit dicere in confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem. *IV. diſp.*1. *n.*73.

25. Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit confeſſionis præcepto, dicens: commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam. *IV.d.*1.*n.*73.

26. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius pro alio. *I. diſp.*1. *n.*84.

27. Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat rejectam eſſe à ſede Apoſtolica tamquam improbabilem *I. d.* 1. *n.*38.

28. Populus non peccat, etiamſi abſque cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam. *I. diſp.* 2. *num.*4.

Quibus peractis, dum ſimilium propoſitionum examini cura, & ſtudium impeditur, intereà idem Sanctiſſimus re maturè conſiderata ſtatuit, & decrevit, prædictas propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimùm tamquam Scandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet: ita ut quicumque illas, aut conjunctim aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, ac de eis etiam diſputativè, publicè aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi. Inſuper diſtrictè in Virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Decretum ſecundum continens Propoſitiones XVII.

Die 18. *Martii anni* 1666.

In Congregatione Generali S. Romanæ, & Univerſalis Eccleſiæ.

SAnctiſſimus D. N. poſt latum decretum die 24. Septemb. proximè elapſi, quo 28. propoſitiones damnatæ fuerunt, examinatis ſedulò, & accuratè uſque ad hanc diem infra ſcriptis aliis, quadrageſimum quintum numerum implentibus per plures in ſacra Theologia Magiſtros, ac per Eminentiſs. & Reverendiſſimos DD. Cardinales adversùs hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſingillatim ſuper unaquaque earum audivit.

29. In die jejunii, qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium. *II. diſputat.*2. *num.*29. & 30. & *IV. diſp.* 3. *n.*157.

30. Omnes Officiales, qui in repubiica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio *IV.d* 1.*n.*46.

31. Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant. *IV.d.*1.*n.*46.

32. Non eſt evidens, quòd conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadrageſima obliget. *IV. d.*1. *n.*37.

33. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas anteà Beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerit. *V. d.* 1. *n.*44.

34. In die Palmarum recitans officium paſchale ſatisfacit præcepto. *V.d.*1.*n.*6.

35. Unico officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino. *V. diſp.* 1. *num.*35.

36. Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti ſuis privilegiis, quæ ſunt expreſſè revocata per Concil. Trid. *I.d.*3.*n.*18.& 65.

37. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ, à Paulo Quinto ſunt revalidatæ. *I. diſput.* 3. *n.*71.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quamprimùm, eſt conſilium non præceptum. *VI. d.*4.*n.*112.

39. Illa particula *quamprimùm* intelligitur, cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur. *VI.d.*4.*n.*112.

40. Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantum veniale, oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris & pollutionis. *IV.d.* 1. *n.*68.

41. Non eſt obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgò *Regalo*, dum deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur. *II.d.*2. *n.*27. & *VI. diſp.* 6. *n.*240.

42. Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus. *IV. d.*2.*n* 435.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plùs, quàm per decem annos. *IV. d.*2.*n.*530.

44. Quoad forum conſcientiæ reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ. *VII.n.*15.

45. Libri prohibiti donec expurgentur, poſſunt retineri, uſque dum adhibita diligentia corrigantur. *III. d. un.n.*43.

Quibus maturè penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, ac decrevit prædictas propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimùm, tamquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet. Ita, ut quicumque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in Excommunicationem, à qua non poſſit, (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Decretum Innocentii XI.

Continens Propoſitiones LXV.

Feria 5. die 2. Martii 1679.

In generali Congregatione S. R. & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Vaticano coram Sanctiſſ. D. N. Innocentio Divina providentia XI. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus, à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

SAnctiſſimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus, omnium ſibi à DEO creditarum animarum ſaluti ſedulò incumbens, & opus ſalubre in ſegregandis noxiis doctrinarum paſcuis ab innoxiis, à fœlicis recordationis

nis Alexandro VII. Prædeceſſore ſuo inchoatum, proſequi volens, plurimas propoſitiones, partim ex diverſis, vel libris, vel textibus, vel ſcriptis excerptas, & partim noviter adinventas T. T. plurium examini, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſubjecit. Quibus perquàm ſedulò, & accuratè ſæpiùs diſcuſſis, eorundem Eminentiſſ. Cardinalium & Theologorum votis per ſanctitatem ſuam auditis, idem S. D. N. re poſtea maturè conſiderata, ſtatuit, decrevitque, nunc ſequentes propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ſicuti jacent, tanquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas eſſe damnandas & prohibendas, ſicuti eaſdem damnat & prohibet, non intendens Sanctitas ſua per hoc decretum alias propoſitiones, in ipſo non expreſſas, Sanctitati ſuæ quomodolibet, & ex quacunque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare.

1. Non eſt illicitum, in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta probabiliore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi, hinc ſententia probabili tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis. *I. diſp. 1. num. 78.*

2. Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. *I. diſput. 1. num. 81.*

3. Generatim, dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modò à finibus probabilitatis non exeat, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus. *I. diſp. 1. num. 65.*

4. Ab infidelitate excuſabitur infidelis non evidens, ductus opinione minus probabili. *III. diſput. unica, num. 35. & 36.*

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis DEI ſemel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus. *III. diſp. unic. num. 65.*

6. Probabile eſt ne ſingulis quidem rigoroſè quinquenniis per ſe obligare præceptum Charitatis erga DEUM. *III. diſp. unic. num. 65.*

7. Tum tantùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus. *III. diſp unic. num. 65.*

8. Comedere & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modò non obſit valetudini, quia poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui. *IV. diſput. 1. num. 70.*

9. Opus Conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali. *ibidem & VI. diſp. 9. num. 129.*

10. Non tenemur Proximum diligere actu intrinſeco & formali. *III. diſput. unic. num. 81.*

11. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus extrinſecos. *ibidem.*

12. Vix in ſæcularibus invenies eminentibus redditibus ſuperfluum ſtatui, & ita vix aliquis tenetur ad Eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui. *III. diſp. unic. num. 102.*

13. Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & deſiderare, non quidem cum diſplicentia perſonæ, ſed ob temporale aliquod commodum. *III. diſp. unic. num. 91.*

14. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ut Patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas. *ibidem*

15. Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis, à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas. *ibidem.*

16. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale & ſecundum ſe. *III. diſp. unic. num. 37.*

17. Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere. *III. diſp. unic. num. 37.*

18. Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem non ingenuè confiteri ut DEO, & fidei glorioſum conſultò facere, ut peccaminoſum, per ſe non damno. *III. diſp. unic. num. 38.*

19. Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſe ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad ſenſum impellentium. *III. diſput. unic. num. 6. 7. & 18.*

20. Hinc quis poteſt prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem. *III. diſput. unic. num. 8. 10. & 18.*

21. Aſſenſus fidei ſupernaturalis & utilis ad ſalutem, ſtat cum notitia tantùm probabili revelationis, imò cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus DEUS. *III. diſp. unic. num. 2. 19. & 35.*

22. Non niſi fides unius DEI neceſſaria videtur neceſſitate medii: non autem explicita remuneratoris. *III. diſp. unic. num. 34.*

23. Fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimilique motivo ad Juſtificationem ſufficit. *ibid.*

24. Vocare DEUM in teſtem mendacii levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit aut poſſit damnare hominem. *V. diſp. 1. num. 50.*

25. Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis, *V. diſp. 1. n. 55.*

26. Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocunque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quidvis aliud additum rerum, revera non mentitus, nec eſt perjurus. *IV. diſp. 2. num. 34.*

27. Cauſa juſta utendi his Amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium eſt, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honores, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa. *ibidem, & IV. diſput. 1. num. 31.*

28. Qui mediante commendatione vel munere ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quando non fateri tenetur crimen occultum. *IV. diſp. 2 num 34.*

29. Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi. *IV. diſp. 1. n. 30.*

30. Fas eſt viro honeſto, occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, ut ictum fuſtis fugiat. *IV. diſp. 3. num. 69.*

31. Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei. *IV. diſp. 3. num. 69.*

32. Non tantùm licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus. *IV. diſp. 3. num. 69.*

33. Licitum eſt tam hæredi, quàm legatorio contra injuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut & jus habenti in Cathedram, vel præbendam contra eorum poſſeſſionem impedientem. *IV. diſp. 3. num. 69.*

34. Licet procurare abortum ante animatum fœtum, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur. *IV. diſp. 3. n. 63.*

35. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiù in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eandem habere, cùm naſcitur, ac conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi. *IV. diſp. 3. num. 63.*

36. Permiſſum eſt furari non tantùm in extrema neceſſitate, ſed etiam gravi. *IV. diſput. 1. n. 28. & diſput. 3. num. 132. & 214.*

37. Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occultè Heris ſuis ſubripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt. *IV. diſp. 3. num. 154.*

38. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcunque ſit magna totalis ſumma. *IV. diſp. 3. n 18.*

39. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum, non tenetur ad reſtitutionem illius damni illati. *IV. diſp. 3. num. 176.*

40. Contractus Mohatra licitus eſt, & reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu venditionis præciſè inito, cum intentione lucri. *IV. diſp. 2. num. 436.*

41. Cum

41. Cùm numerata pecunia pretióſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quàm futuram, poteſt Creditor aliquid ultra ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari. 435.

42. Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudiue debitum, ſed tantùm exigitur ex Juſtitia debitum. *IV. d. 2.n.*433.

43. Quid ni non niſi veniale ſit, detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſò crimine elidere. *IV. d. 2. n.*33.

44. Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui impoſuit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam & honorem defendat, etſi hoc non ſit probabile; vix ulla erit opinio probabilis in Theologia. *ibidem*.

45. Dare temporale pro ſpirituali non eſt Simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel afficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit tantùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra. *V. d.* 3. *n.* 303. *& VI.d.*5.*n.*165.

46 Et id quoque locum habet, etſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale, imò etſi finis ipſius rei ſpiritualis ſit, ut illud pluris æſtimetur, quàm ſpiritualis res. *V.d.*3.*n.*303.

47. Cum dicit Concilium Tridentinum, Eos peccatis alienis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent Concilium vel *primò* videtur per hoc *dig iores* non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendam, ſumpto comparativo pro poſitivo, vel *ſecundò* locutione minus propria ponit dignitates, ut excludat indignos, non verò dignos, vel tandem loquitur tertiò, quando ſit concurſus. *IV. d.* 2.*n.*11.

48. Tam elarum videtur, fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam, & tantùm eſſe malum, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur. *IV.d.*1.*n.*63.

49. Mollities jure naturæ prohibita non eſt: unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali. *IV.d.*1.*n.*63.*& n.* 71. *& VI.d.*9.*n.*129.

50. Copula cum conjugata muliere conſentiente marito, non eſt adulterium, adeòque ſufficit in Confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum. *IV. d.* 2. *n.*44. *& IV. d.*3.*n.*37.

51. Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum accedere per feneſtram ad ſtuprandam Virginem, & multoties ei ſubſervit, deferendo ſcalam, aperiendo Januam, aut quo ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id facit metu notabilis detrimenti, puta, ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur. *III.d.un. n.*113.

52. Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſuppoſito, quòd ſcandaloſus abſit contempus. *V.d.*2. *ante n.*154.*& n.*160.

53. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo ſacro, qui duas ejus partes, imò quatuor ſimul à diverſis celebrantibus audit. *V.d.*2.*n.*162.

54. Qui non poteſt recitare matutinum, & laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem. *V.d.*1.*n.*41. *& d.* 2. *n.*165.

55. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem. *VI. diſputat.* 4. *n.* 132.

56. Frequens Confeſſio & communio etiam in iis, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis. *VI. diſp.*6. *n.*81.

57. Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem, modò honeſtam. *VI d.*6.*n.*39.

58. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem. *VI.d.*6.*n* 82.

59. Licet Sacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium, qualis verbi gratia contingere poteſt in die magnæ alicujus feſtivitatis, aut indulgentiæ. *VI. d.*6. *n.*130.

60. Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra Legem DEI, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec abſolutio differenda, dummodo ore profeſerat, ſe dolere, & proponere emendationem. *VI.d.*6. *n.*37.

61. Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt & non vult omittere, quin imò directè & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit. *II.d.*2.*n* 28.

62. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, & honeſta non fugiendi occurrit. *Ibidem*.

63. Licitum eſt quærere occaſionem proximam directè peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi. *Ibid.*

64. Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis ignorantia Myſteriorum fidei laboret, etſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis & Incarnationis D. N. JESU Chriſti. *VI. d.*6.*n.*240.

65. Sufficit illa Myſteria ſemel crediſſe. *III. d. un. n.*37.

Quicumque autem cujusvis Conditionis, ſtatus, & dignitatis illas, vel illarum aliquam, conjunctim, vel diviſim defenderit, vel ediderit, vel de eis diſputatione publicè aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, niſi forſitan impugnando, ipſo facto incidit in Excommunicationem latæ ſententiæ, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore Romano Pontifico abſolvi.

Semper directè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet Omnibus Chriſti fidelibus cujuſcumque conditionis & ſtatus, etiam ſpeciali prima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Tandem ut ab injurioſis contentionibus Doctores, & Scholaſtici, aut alii quicumque impoſterum ſe abſtineant, ut paci, & Charitati conſulatur, Idem Sanctiſſimus in virtute Sanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuſcriptis, quàm in Theſibus diſputandis, Prædicatoribus caveant, ab omni cenſura, & nota, nec non in quibuſcumque conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à ſancta Sede recognita, ſuper iiſdem propoſitionibus judicium feratur.

Franciſcus Richardus Sanctæ Romæ,
& Univerſalis inquiſitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

Anno à Nativitate D.N. J. C. 1679. Indictione ſecunda, die verò 4. Menſis Martii. Pontificatus autem Sanctiſſimi Domini Noſtri Innocentii Divina providentia Papæ XI. Anno tertio ſupra dictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum. Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in Arce Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis urbis per me Franciſcum Perinum ejuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ, & ſacræ Inquiſitionis Curſorem.

Decretum Alexandri VIII.

Continens Propoſitiones XXXI.

Prohibitas & promulgatas die 20. *Decemb. Anno* 1690.

SAnctiſſimus D.N. Alexander VIII. ſtatuit, & decrevit XXXI. propoſitiones tamquam temerarias, ſcandaloſas, malè ſonantes, injurioſas, Hæreſi proximas, Hereſim Sapientes, erroneas, Schiſmaticas, & Hereticas reſpectivè, eſſe damnandas & prohibendas, ſicut eas damnat & prohibet, ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut diverſim docuerit, defenderit, aut de eis etiam diſputati-

tativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in Excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacunque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcunque conditionis, Dignitatis & Status, etiam ſpeciali & ſpecialiſſima nota dignis, ne infraſcriptas opiniones aut aliquam ipſarum ad praxin deducant.

1. In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum mortale & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium & liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali & voluntate Adami peccantis. *VI. diſp. 6. n. 38.*

2. Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturę, hæc in ſtatu naturæ operantem ex ipſa, non excuſat à peccato formali. *I. d* 1. *n.* 14. 18. 19.

3. Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam. *I. d.* 1. *n.* 61. *circa finem.*

4. Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis electis, ſed pro omnibus & ſolis fidelibus. *VII. num. 39.*

5. Pagani, Judæi, Hæretici aliique hujus generis, nullum omnino à Jeſu Chriſto accipiunt influxum, adeoque hinc recti inferes, in illis eſſe voluntatem nudam & inermem ſine omni gratia ſufficienti. *VII. n. 39.*

6. Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quàm perniciosa eſt, ſic, ut proinde meritò poſſimus petere, à gratia ſufficiente libera nos Domine. *VII. n. 40.*

7. Omnis humana actio deliberata, eſt Dei dilectio, vel mundi; ſi Dei, Charitas Patris eſt, ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt, *VI. diſp. 6. n. 29.*

8. Neceſſe eſt, Infidelem in omni opere peccare. *VI. diſp. 6. n. 29.*

9. Re vera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu. *VI. diſp. 6 n. 29.*

10. Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, merè ut cœleſtem obtineat gloriam, non eſt recta nec Deo placens. *VI. diſp. 6. n. 29.*

11. Omne, quod non eſt ex fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt. *VI. diſp. 6. n. 29.*

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamſi videantur credere, non eſt fides Divina, ſed humana. *VI. diſp. 6. n. 29.*

13. Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu, Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur. *VI. diſp. 6. n. 29.*

14. Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis. *VI. diſp. 6. num. 29. & n. 39.*

15. Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei, propter ſe, non eſt bonus metus, ac ſupernaturalis, *VI. d. 6. n. 29. & n. 39.*

16. Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit non Politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcripto naturæ rei idipſum quodammodo dictantis. *VI. diſp. 6. n. 7.*

17. Per illam praxin mox abſolvendi ordo pœnitentiæ eſt inverſus. *VI. diſp. 6. n. 7.*

18. Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam pluriniorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed pro abuſu. *VI. diſp. 9. n. 7.*

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam, pro peccato originali. *VI. diſp. 6. n. 10.*

20. Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque vel Sacrilegæ ſunt vel invalidæ. *VI. diſp. 6. n. 7.*

21. Parochianus poteſt ſuſpicari de mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi & incongrua pœnitentia ſeu ſatisfactione ob quæſtum ſeu lucrum ſubſidii temporalis. *VI. diſp. 6. n. 154.*

22. Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſui pœnitentiam egerint. *VI. diſp. 6. n. 7.*

23 Similiter arcendi ſunt à Sacra Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers. *VI. diſp. 6. n. 29.*

24. Oblatio in templo, quæ fiebat à B. V. M. in die Purificationis ſuæ per 2. Pullos Columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtantur quòd indiguerit Purificatione, & quòd Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus eſſet ſecundùm verba Legis. *VI. diſp. 6. n. 90.*

25. Dei Patris Simulacrum nefas eſt Chriſtiano in templo collocare. *VI. diſp. 6. n. 91.*

26. Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana eſt. *VI. d. 6. n. 90.*

27 Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus: In Nomine Patris, &c. prætermiſſis illis, Ego te baptizo. *VI. diſp. 6. n. 95.*

28. Valet Baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus verò in corde ſuo apud ſe reſolvit, Non intendo, quod facit Eccleſia. *VI. diſp. 6. n. 95.*

29. Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſuper Concilium Æcumenicum auctoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate. *VI. diſp. 6. n. 92.*

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam. *VI. diſp. 6. n. 93.*

31. Bulla Urbani Octavi *In Eminenti*, eſt ſubreptitia. *VI. diſ. 6. n. 94.*

INDEX

INDEX
RERUM MEMORABILIUM:

Numerus Romanus Tractatum, d. *Diſputationem*, n. *Marginalem numerum denotat illius Tractatus & Diſputationis, quæ ultimò citabantur.*

A

Abbatiſſa.

Abbatiſſa non habet Iuriſdictionem, nec poteſtatem aliam, quàm neceſſariam ad rectam & politicam gubernationem domus. *Tract. I d. 2. num. 16.*

Unde quando hac ipſa poteſtate aliquando privantur, non propriè ſuſpenduntur. *VII. diſp. un. num. 54.*

Abſolutio à Peccatis.

Vide Pœnitentiæ Sacramenti Forma.

Abſtinentia.

Abſtinentia eſt moderatio cibi juxta dictamen rectæ Rationis. *IV. d. 1 num 35.*

Vide Jejunium.

Accuſator.

Licitum, & aliquando debitum eſt, accuſare Reum, etiam nondum publica infamia laborantem, ſi crimen ejus juridicè & plenè probari poſſit: imò in aliquibus caſibus neceſſe eſt denunciare, etiamſi crimen plenè probari non poſſit. *IV. diſp. 2. num. 30.*

Adoptio.

Quid ſit Adoptio in genere. Eadem dividitur in Adoptionem ſpecialiter ſumptam, & in Arrogationem: Inter quas multiplex datur differentia. *IV. d. 2. 4 n. 110.*

Qualis Adoptio dirimat Matrimonium, & inter quos. *IV. d. 9. à num. 72.*

Adulterium.

Adulterium ſuperaddit peccato fornicationis malitiam ſpecificam injuſtitiæ adverſus eam perſonam, cui fornicans perſona matrimonio juncta eſt, etiamſi iſta dederit conſenſum. *IV. d. 1. num. 58*

Obligatio reſtitutionis ortæ ex Adulterio. *IV. diſp. 3 num. 95*

Advocatus.

Licitè aſſiſtit parti minùs probabili, non tamen certò falſæ. *I. d. 1. n. 85. & 86.*

Non licet elidere authoritatem teſtis, objectione criminis falſi. *IV. d. 2. num. 33.*

Imò ne veri quidem, ſed occulti, ſi id probari non poſſit, vel ſi aliter teſtis authoritas queat elidi. *ibid.*

Amphibologia.

Quando liceat uti, & quando non liceat. *IV. d. 2. a num. 34.*

Aſyli Eccleſiaſtici immunitas quibus locis competat.

Immunitas Sacri Aſyli in V. T. Lege Divina, in N. T. Lege humana Civili & Eccleſiaſtica eſt ſtatuta. *V. d. 2. num. 255.*

Debetur hæc immunitas omnibus locis Sacris, Divino cultui Epiſcopi Authoritate deſtinatis. *nu. 256.*

Et locis piis, tum hoſpitalium, Epiſcopi autoritate erectorum, tum habitationum Religioſarum. *num. 257.*

Item Palatio Epiſcopi, non autem Cardinalium, ſi Epiſcopi non ſint. Rationabili conſuetudine conceditur eadem immunitas confugienti ad Sacerdotem ferentem ferculum Euchariſticum. *num. 258.*

Aſyli Eccleſiaſtici immunitas quibus perſonis competat.

Immunitate Aſyli gaudere poſſunt contra Judicem Laicum omnes Baptizati, niſi in Criminibus exceptis. *V. d. 2. n. 259.*

Contra Judicem Eccleſiaſticum nemo, ſive Laicus, ſive Clericus, poteſt illa gaudere. *num. 260.*

Octo tantùm crimina à privilegio aſyli excipiuntur, ut illud Reo non competat. *num. 263*

Aſyli Eccleſiaſtici effectus.

Quid conducat Aſyli immunitas onere debitorum gravato. *V. d. 2. num. 262.*

Octo effectus Aſyli Eccleſiaſtici referuntur. *n. 264*

Aſyli privilegio non gaudens.

Quomodo cum illo procedendum. *V. d. 2. n. 265*

B

Baptiſmus.

Definitio Baptiſmi. *VI. d. 2. n. 1.*

Inſtitutus eſt à Chriſto ante ſuam mortem. *n. 2.*

Baptiſmi neceſſitas.

Errores hæreticorum breviter referuntur. *VI. d. 2. n. 3*

Baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem. *num. 4*

Baptiſmi neceſſitas cæpit primùm poſt Mortem Chriſti. *num. 6*

Et quidem non immediatè, ſed poſt ſufficientem promulgationem ejuſdem neceſſitatis. *num. 7.*

Quæ præſtita eſt die Pentecoſtes. *num. 8.*

Quomodo ſublata L. V. deſierint Legalia. *num. 9*

Sacramenta V. L. etiam antequam deſierunt eſſe neceſſaria, fuerunt infirma, & egena elementa. *n. 10.*

Baptiſmi Materia.

Materia remota Baptiſmi eſt omnis & ſola aqua naturalis. Extra caſum neceſſitatis non licet uti aqua dubia. *VI. d. 2. num. 11*

Quinam humores ſint, vel non ſint aqua naturalis. *n. 12*

Materia proxima Baptiſmi eſt ablutio activa & paſſiva. *n. 13*

Qualis debeat eſſe ablutio. *n. 14*

Triplici modo poteſt ablutio eſſe dubia. Et ſi in neceſſitate talis adhibita eſt, debet Baptiſmus ſub conditione reiterari poſt neceſſitatem ſublatam. *n. 15*

Baptiſmi Forma.

Quæ ſit Forma Baptiſmi. *VI. d. 2 nu. 16*

Quæ objecta à Forma Baptiſmi explicitè ſignificanda ſint. *n. 17*

Ratio cur in Baptiſmi Forma explicitè ſit exprimenda Trinitas perſonarum. *nu 18*

Baptiſmi Miniſter.

Miniſter validè conferens Baptiſmum poteſt eſſe quivis homo Viator à Baptizando diſtinctus, etiamſi ipſe nec dum ſit Baptizatus, & alius pro ipſo haberi poſſet. *VI d. 2. n. 20.*

Ad licitè conferendum Baptiſmum Ordo & Selectio Miniſtrorum obſervari debet ſub gravi obligatione extra caſum neceſſitatis: unde Ordinarius Miniſter præferendus eſt extraordinario, quantumvis vi Ordinis deputato. *n 21*

Multò magis autem vi Ordinis Sacri deputatus præferendus eſt non deputato: quamvis inter non deputatos non ampliùs detur gravis obligatio ſelectus. *n. 22.*

Baptiſmi Cæremoniæ.

Inter Cæremonias Baptiſmi neceſſarius eſt Patrinus, cujus etiam Officium declaratur. *VI. d. 2. n 23*

Quis validè, & quis licitè Officium Patrini ſuſtinere poſſit. Et an peccet, ac pœnā incurrat, qui propriam ſobolē ex S. Fonte levat. *n. 24*

Qualem Cognationem Spiritualem Patrinus contrahat. *n 25*

Quot poſſint eſſe Patrini, & an ſi plures prolem Baptizatam teneant, omnes cognationem ſpiritualem contrahant. *nu. 26*

Tres Conditiones requiruntur ad fungendum munere Patrini. *n. 27*

Immeritò tres aliæ Conditiones requiruntur. *n. 28.*

Inter Cæremonias Baptiſmi etiam eſt, ut non, niſi gaudentibus privilegio, extra Eccleſiam conferatur, & non ſine aqua ſpecialiter benedicta. *num. 29.*

Baptiſmi efficacia.

Baptiſmus præter Characterem, & Gratiam remiſſivam peccati Originalis, & actualium in Adulto, confert etiam remiſſionem pœnæ temporalis. *VI. d. 2 n 30.*

Beneficium Eccleſiaſticum.

Definitur Beneficium, conſiſtens nec in ſolo Jure percipiendi redditus Eccleſiæ, nec in ſolo officio. *V. d. 2 nu. 172.*

Quo Senſu Beneficium ſit Jus perpetuum. *num. 173*

Quid per Bona Eccleſiæ intelligatur. *n. 174*

Quid ſit officium Spirituale. *n 175*

Ad Beneficium requiritur Inſtitutio Canonica. *n. 176*

Beneficii Eccleſiaſtici Varietas ſeu diviſio.

Beneficia alia ſunt ſæcularia, alia Regularia, in dubio præſumuntur ſæcularia. *V. d. 2. n. 177*

Quænam Beneficia dicantur Duplicia, & quæ Simplicia. *n. 178.*

Rurſum dividuntur Beneficia in Titularia & Manualia. *n. 179*

Alia etiam ſunt Præſtimonialia; quamvis non omnia Præſtimonia ſint Beneficia. *n 180*

Aliæ Beneficiorum diviſiones ſunt, in Electiva, Patronata, Libera, Collativa. *n 181*

Beneficii Conferendi Poteſtas Papalis.

Summo Pontifici ſoli competit Jus præventionis, & Jus dandi Expectativam gratiam ad Beneficium Vacaturum. Imperatori Rom. convenit Jus primarum precum ad Beneficium Vacans, vel proximè vacaturum. *V. d. 2. num. 182*

Eidem ſum. Pont. competit etiam Jus Concurſus. In Germania tamen ſecundùm Concordata confert Beneficia alternis menſibus, niſi ſint Patronata. *n. 183*

Quid ſit Reſervatio Beneficiorum, & quænam Beneficia ab illa ſint immunia. *nu.* 184.
Quid ſit Patronatus Laicus, & quid Eccleſiaſticus. *num.* 185.
Qualia Beneficia ſoleant reſervari. *num.* 186.
Quid ſit Jus Devolutionis, & quando id pertineat ad Papam, & quando ad alios. *n.* 187.
Per quanti temporis negligentiam in proviſione Beneficiorum commiſſam, & quibus contingat Jus Devolutionis. *n.*188.

Beneficii Conferendi poteſtas inferior.

Qualis poteſtas conferendi Beneficia competat Epiſcopo diæceſano. *V. d.* 2. *num* 189.
Qualis competat poteſtas Capitulo, ſede vacante. *n.* 190.
Qualis Legatis Apoſtolicis. *nu.* 191.

Beneficii accipiendi Capacitas.

Quomodo requiratur certa ætas ad accipiendum Beneficium. *V. d.* 2. *nu* 192.
Ad accipiendum Beneficium requiritur Clericatus, & Specialis Ordo pro diverſitate Beneficiorum, qui ſaltem intra tempus præſcriptum recipiendus eſt, Juſta Cauſa, vel diſpenſatione non excuſante. *num.* 193.
Quomodo requirantur, vel diſpenſentur legitimi Natales. *n.* 194.
Quomodo Cælibatus ſit neceſſarius. *n.* 195.
Qualis morum probitas exigatur. *nu* 196.
Qualis Scientia. *n.* 197.
Quomodo immunitas à Cenſura & Irregularitate neceſſaria ſit. *n.* 198
Beneficia Regularia & Sæcularia ejuſmodi Perſonis conferenda ſunt. *num.* 199
Quomodo pluralitas Beneficiorum prohibita, vel permiſſa ſit. *n.*200
Quomodo requiratur animus, intra præſcriptum tempus recipiendi Ordinem Sacrum, ad Beneficium neceſſarium. *n.* 201

Beneficia obtinendi Modus.

Quid ſit Electio ad Beneficium, partim latiùs, partim ſtrictiùs accepta. *V. d.* 2. *n* 202
Ad Canonicam Electionem requiritur primò poteſtas eligendi non impedita: hæc quippe impeditur quatuor modis. *n.*203
Requiritur ſecundò, ut, ſi commodè fieri poteſt, omnes Jus eligendi habentes vocentur. *nu* 204
Electio poteſt fieri tribus modis 1. Per ſcrutinium. 2. Per compromiſſum, quod etiam fit duplici modo. 3. Per inſpirationem. *n.*205.
Quid ſit poſtulatio, & in quibus conveniat cum Electione. *nu.* 206
In quibus Poſtulatio Electioni diſconveniat. *n.* 207.
Quomodo, & à quibus conferatur Beneficium per præſentationem, & in quo hæc differat ab Electione. *n* 208.

Beneficium acquirentis obligatio.

Quomodo Beneficiati non Curati ad Reſidentiam obligentur. *V. d.* 2. *n.* 209
Quomodo Curati ad eandem adſtringantur, & ſub quibus pœnis. *num.* 210
Ex Jure poſitivo, ſeclusa locorum conſuetudine tenentur Beneficiati aſſiſtere Choro, ita ut ſaltem frequens abſentia in conſuetudinem deducta, ſit peccatum mortale. *n.* 211
Quo tempore, & ſub qua pæna recipiendus ſit ſacer Ordo, ad Beneficium neceſſarius *n* 212.

Beneficii emolumenta temporalia.

Quales Diſtributiones, & quibus pendendæ ſint propter præſentiam in Choro. *V. d.* 2. *n.* 213
Quinam pro præſentibus habendi, & an etiam ille, qui cùm Sanus eſſet, continuò ſolitus eſt abeſſe. *n.* 214.
Quæ corporalis neceſſitas, vel utilitas, præſentiæ æquiparetur. *n.*215
Qui in eadem Eccleſia duplex habet Beneficium, probabiliter duplicem portionem diſtributionum accipere debet. *n.* 216

Beneficii Vacatio.

Beneficium vacat primò morte naturali perfectè priùs poſſidentis Beneficium *V d.* 2. *nu* 217.
Secundo Juris Diſpoſitione. *nu* 218
Tertiò per ſententiam Judicis. *n* 219.
Quartò per expreſſam Reſignationem. *nu.* 220
Ceſſio Juris ad Beneficium nondum perfectè poſſeſſum non eſt Reſignatio, & poteſt fieri ſine Authoritate Judicis Eccleſiaſtici: neque tale Beneficium de novo vacat. *n.*221
Reſignatio ſimplex ſive abſoluta ab omni Conditione, vel quæ fit causa permutationis, ſuſcipi poteſt ab Ordinario, Conditionata autem à ſolo ſummo Pontifice, niſi conſuetudine præſcripta alius etiam Jus obtinuerit. *nu.*222.
Quænam ſint Juſtæ Cauſæ Reſignationis, vel permutationis Beneficiorum. *n.* 223

Blaſphemia DEI.

Definitio Blaſphemiæ. *V d* 3. *n.*289
Omnis Blaſphemia opponitur confeſſioni Fidei. *n.* 290.
Opponitur tamen etiam Religioni. *n.* 291.
Quomodo contingat implicita Blaſphemia. *n.* 292
Diviſio Blaſphemiæ. *n.* 293.
Quomodo Blaſphemiæ differant, & in Confeſſione explicari debeant. *num.* 294
Quomodo Blaſphemia à peccato mortali ſubinde excuſari poſſit. *n.*295

Bona Communia.

An & quomodo liceat lignari & paſcere in locis communibus, nulli elocatis. *IV. d.* 2. *n.* 247
Quare id non liceat in locis privatis, vel privatæ perſonæ elocatis. *num* 248.

Bona Derelicta.

Quæ Bona cenſeantur derelicta, & quomodo fiant primò occupantis. *IV d.* 2. *à n.* 249.
Vide Theſaurus.

Bona Vacantia & Incerta.

Quæ Bona dicantur Vacantia: & quæ incerta *IV d* 2. *n.* 257.
Quomodo diſponatur de Bonis incertis ex delicto poſſeſſoris *n.*258.
Et de incertis ſine delicto, ſive inventis. *n.* 259.

C

Cambium.

Quid ſit Cambium, & quo titulo lucrum Campſoris ſit juſtum. *IV d.* 2 *n.* 449
Quid ſit Cambium minutum, & quid locale, & quomodo iſtud ſpecialem titulum lucri contineat. *n* 450.
In Cambio locali ſpectatur Valor pecuniæ ſecundùm æſtimationem, quam habet ibi, ubi à Campſore datur. *n.* 451
An, & quomodo liceat ex aliena pecunia lucrum Cambiale facere. *num.* 452.

Charitas DEI.

Quid ſit Charitas DEI, faciens Amicum DEI. *III d. un. n.* 63.
Præcepto diligendi DEUM non ſatisfit per Charitatē Virtualē. *n.*64
Saltem duplex tempus, nempe initium uſus Rationis, & finis Vitæ, oſtenditur determinatè reſpici à præcepto diligendi Deum. *n.*69
Oſtenditur dictam Obligationem oriri ex ipſa Virtute Charitatis. *num.* 74.
Explicatur quo modo accipiatur Initium uſus Rationis. *n.* 78.
Inter tempus primum & ultimum pro obligatione Charitatis aſſignatum, nullum aliud eſt determinatum, cavendum tamen, ne nimis diu differatur actus Charitatis. *n.* 80

Charitas Proximi.

Quid ſit formalis Charitas Proximi, & quanta ejus obligatio. *III. d. un n.* 81. & 82
Proximus ultimatè diligendus eſt propter DEUM. *n.* 96
Non datur obligatio, mediis extraordinariis ſervandi vitam proximi, ſicut nec propriam. *n.* 95.
Salva Charitate non licet deſiderare mortem proximi, vel de ea gaudere, quatenus hæc mors eſt medium obtinendi bonum temporale. *num.* 91.
Licet tamen gaudere de ipſo bono temporali ſecuto. *n.* 92
Licet etiam ſibi vel alteri optare mortem, in quantum iſta eſt medium ad majus bonum ipſa vita. *n* 93.

Charitas Proximi effectiva.

Vide Eleemoſyna. Correctio Fraterna

Charitati Proximi Vitia oppoſita.

Vide Odium. Invidia Scandalum.

Caſtitas.

Quid ſit Caſtitas, & quomodo diſtinguatur à Virginitate. *VI. d.* 1 *num.* 55.
Caſtitati opponitur Fornicatio, & vitium naturæ. *n.* 57
Utrumque peccatum eſt graviter oppoſitum Iuri naturæ. *nu.*63
Graviter etiam contra caſtitatem peccatur per viſum, Auditum & Tactum. *à n* 64.
Quomodo hi actus liceant Conjugibus. *n* 69
Etiam tactus non Venerei proximè tamen diſponentes ad voluptatem Veneream ſunt mortaliter peccaminoſi. *n.*68
Pollutionem directè procurare, vel intendere nunquam licet: neque conjugibus. *n.*71
Præter intentionem evenientem non teneris impedire, neque abſtinere ab actione per ſe non connexa cum tali effectu, modò abſit periculum conſenſus. *n.* 72
Vitium naturæ dividitur in Beſtialitatem, Sodomiam, ſimplicem pollutionem, ſive mollitiem, & in copulam ſive fornicariam, ſive conjugalem, factam modo indebito. *num.*73

Caſtitati oppoſiti actus interni.

Unde deſumatur horum actuum diverſitas ſpecifica malitiæ mortalis. *IV. d* 1. *n.* 74. & 76
Inhoneſtas caſtitati oppoſita nunquam poteſt præſcindi à moroſa delectatione. *nu.*75
Specie differunt Moroſa delectatio, deſiderium Voluptatis Venereæ, & Conſenſus in illam *num.*77
Et hæc neque licent conjugatis comparatione perſonæ alienæ. *nu.* 80
Imò etiam adverſantur Iuſtitiæ Conjugali. *n* 81
Poſſunt dari actus interni Voluntatis, deſiderii vel gaudii circa voluptatem copulæ conjugalis, ex natura ſua non ordinati ad commotionem ſpirituum genitalium, nec peccaminoſi. *n.* 78. & 79.

Cenſualis Contractus.

Proponuntur duæ quæſtiones hic reſolvendæ. *IV. d.* 2. *n.* 443.

Con-

Contractus, vel potiùs Iuris Cenſualis definitio. *num.* 444.
Variæ diviſiones Cenſus. *num.* 445.
Contractus Cenſualis eſt juſtus, etiamſi cenſus ſucceſſu temporis major recipiatur, quàm fuerit ſors, pro ipſo expenſa. *num.* 446.
Idem aſſertum verum eſt, etiamſi ſors ab emptore cenſus ponatur repetibilis, modò cenſus non excedat titulum. *num.* 447.
Probatur aſſertio, & oſtenditur convenientia, ac diſconvenientia inter mutuum, & contractum Cenſualem. *num.* 448

Cenſura Eccleſiaſtica.

Definitio Cenſuræ. *VII. d. un. n.* 1
Quibus competat poteſtas infligendi Cenſuram. *num.* 2.
Quid ad legitimum uſum hujus poteſtatis requiratur. *n.* 3.
Soli Baptizati affici poſſunt Cenſura. *num.* 4
Cenſura primariò privat bonis ſpiritualibus, & ſecundariò temporalibus; *num.* 5.
Cenſura eſt pœna Medicinalis, ad emendandam contumaciam, eaque emendata tolli debet, & per hoc diſtinguitur ab aliis pęnis ſpiritualibus; *num.* 6
Supponit culpam, non merè venialem, nec merè internam, ſed mortalem externam, & conſummatam. *num.* 7
Non extenditur ad Cooperantes moraliter delicto, ſub Cenſura prohibito, niſi id prohibitione exprimatur, vel ab eadem directè & æquè principaliter prohibeatur. *num.* 8
Tres dantur Cenſuræ, eſſentialiter diverſæ. Excommunicatio, Suſpenſio, Interdictum. *num.* 9
Eædem Cenſuræ ratione Modi ſubdividuntur in Cenſuram à Iure, & Cenſuram ab Homine. *num.* 10
Utraque rurſum ſubdividitur in Cenſuram Latæ ſententiæ, & Ferendæ ſententiæ. *num.* 11.
Ab obſervatione Cenſuræ illatæ excuſat ignorantia, & metus gravis damni. *num.* 12
Iſte metus ſæpè etiam excuſat ab incurſione Cenſuræ. *n.* 13

Cenſura Remiſſio.

Poſt incurſionem ab ejus obſervatione non niſi Summus Pontifex eximere poteſt. *VII d un. n.* 14
Neque poteſt aliter tolli, niſi per abſolutionem. *num.* 15
Quinam hanc abſolutionem impertire poſſint, quando Cenſura eſt ſpecialiter lata ab homine. *num.* 16
Et quinam poſſint, quando eſt lata à Iure, vel generaliter ab homine ſine reſervatione. *num.* 17
Et quinam: quando eſt lata cum reſervatione. *num* 18
Ut ſit valida Abſolutio, debet eſſe libera à metu injuſto. *num.* 19
Et ab errore in Cauſa principali. *num.* 20
Qualis requiratur diſpoſitio ex parte abſolvendi à Cenſura, & quomodo requiratur ſtatus viæ, ut ſit capax abſolutionis. *n.* 21
Quomodo Abſolutio à Cenſura conferenda ſit. *num.* 22

Circumſtantia aggravantes.

Quid ſit Circumſtantia intra eandem ſpeciem peccati aggravans, & an ſit explicanda in Confeſſione. *VI d.* 6. *à n.* 74

Clerici Beneficiati.

Habent dominium Bonorum patrimonialium, & quaſi patrimonialium, ſive ſtipendiorum, ac diſtributionum pro aſſiſtentia in Choro, pro miſſis, & Sacramentorum adminiſtratione. *IV. d.* 2. *num.* 162
In bona etiam Eccleſiaſtica, honeſtæ ſuſtentationi neceſſaria, & ſuperflua. *num.* 163. *& ſeq.*
Unde de his omnibus validè diſponunt, eaque expenſa etiam non ad piam cauſam non ſunt obnoxia reſtitutioni. *à n.* 166 *& n.* 176
Peccant tamen Clerici contra Religionem ſuperflua expendentes ad cauſam profanam. *à n.* 171
Quanta ad peccatum grave profanæ expenſionis requiratur quantitas. *à num.* 177
Vnde colligenda ſit menſura congruæ ſuſtentationis, & quid hoc nomine comprehendatur. *n.* 186. & 187
Quid intelligatur nomine piæ cauſæ. *num.* 188

Codicillus.

Vide Teſtamentum in princip.

Commodatum, Precarium, Depoſitum.

Quid ſit Commodatum, & quid Precarium, & quomodo utrumque diſtinguatur ab aliis contractibus. *IV. d.* 2. *n* 388
Quid ſit Depoſitum, & quomodo differat à prioribus, & aliis contractibus. *num.* 389
An, & quando ex conſenſu Domini præſumpto liceat rem commodatò vel precariò conceſſam, aut cuſtodiæ commiſſam ad alium uſum adhibere, vel abſumere. *num.* 390
Qualis ſit obligatio Commodatarii circa conſervandam rem alienam. *num.* 391
Qualis ſit obligatio accipientis Precarium. *num.* 392
Qualis ſit obligatio accipientis depoſitum. *num.* 393
Qualis ſit obligatio, ſine propriæ rei jactura non valentis ſervare alienam. *num.* 394

Compenſatio Occulta.

Occulta Compenſatio poteſt aliquando eſſe licita. *IV. d.* 3. *n.* 154. & 167
Vt autem ſit licita, ſeptem conditiones exiguntur, & ſingulis ſequentibus numeris declarantur. *num.* 168

Conductio.

Vide Locatio.

Confeſſarius.

Quando & quomodo juvare debeat pœnitentem per interrogationes *VI. d.* 6. *à n.* 125.
Quid faciet, quando putat, vel ſcit, pœnitentem reticere aliquod peccatum mortale Sacrilegè. *n.* 127. & 128
Quid faciet, ſi peccatum pœnitentis recordatur à ſe non fuiſſe ſatis perceptum, & neſcit quale id fuerit, & an mortale *num.* 149.
Quid: ſi ſcit fuiſſe tantùm Veniale, & ſi de illo poſſet pœnitentem determinatè interrogare. *num.* 150
An & qualis oblivio peccatorum, in Confeſſione perceptorum ante abſolutionem pœnitentis Confeſſario eveniens obliget ad exigendam & præſtandam repetitionem Confeſſionis. *num.* 152
An, & quando diſtincta Confeſſio omnium peccatorum mortalium non fuit Sacramentalis, ejuſdem coram eodem Confeſſario diſtincta repetitio fieri debeat in ordine ad abſolutionem accipiendam. *num.* 153
Quanta ſit obligatio injungendi Satisfactionem. *num.* 154
Qualia Opera pro Satisfactione injungi poſſint. *num.* 155
Opera Satisfactionis ſunt partim pœnalia, partim impetratoria remiſſionis pœnæ. *num.* 156
Aliæ obligationes Confeſſariorum. *VI. d.* 6. *à n.* 236

Confeſſarii Approbatio & Iuriſdictio.

Vide Pœnitentiæ Sacramenti Miniſter.

Confeſſio Sacramentalis Peccatorum.

Vide Pœnitentiæ Sacramenti neceſſaria Integritas.

S. Confirmationis Materia.

Materia remota Confirmationis non poteſt eſſe oleum ſine Balſamo admixto. *VI. d.* 3 *n.* 31
Confirmatio nunquam ſolo Oleo ſine Balſamo eſt collata: neque defuit unquam copia Balſami. *num.* 33.
Benedictio Epiſcopi eſſentialiter requiritur ad valorem Chriſmatis. *num.* 34
Probabile eſt, per impoſitionem manuum in Actis Apoſt. ſignificari ſimul peractam Chriſmatis Vnctionem, eamque etiam à Concil. Florentino intellectam eſſe. *num.* 35
Quamvis etiam probabiliter dici poſſit, illam impoſitionem manuum loco Chriſmatis adhibitam fuiſſe ab Apoſtolis. *num.* 36
Etiamſi ſimplici Sacerdoti committi poſſit adminiſtratio Confirmationis, nequit tamen committi Benedictio Chriſmatis. *n.* 37
Materia proxima Confirmationis eſt Vnctio Chriſmatis in fronte ad modum Crucis facta. *num.* 38

S. Confirmationis Forma.

Quæ ſit Forma Confirmationis. *VI. d* 3. *n* 39
Explicatio & Ratio ſingulorum Verborum, ſaltem neceſſitate præcepti exprimendorum. *num.* 40
Ex Forma Græcorum oſtenditur, verba expreſſa in Forma Latinorum non eſſe omnia eſſentialia. *num.* 41.

S. Confirmationis Miniſter.

Miniſter Ordinarius Confirmationis eſt ſolus Epiſcopus. *VI. d.* 3. *n.* 42
Extraordinarius per diſpenſationem Pontificis poteſt etiam eſſe ſimplex Sacerdos. *num.* 43
Eſt tamen dicta diſpenſatio neceſſaria etiam ad Valorem adminiſtrationis extraordinariæ. *num.* 44
Quæ Conditiones obſervandæ in Confirmationis adminiſtratione, & in Patrino. *num.* 45

S. Confirmationis Neceſſitas.

Confirmationis recipiendæ omnes & ſoli Baptizati ſunt capaces; expedit tamen non ante uſum rationis conferri. *VI. d.* 3. *n.* 46
Per ſe loquendo nemo tenetur Confirmationis Sacramentum accipere. *num.* 47
Per accidens tamen poteſt dari obligatio, ſaltem ſub veniali culpa, ſub qua pręcipitur, ut recipiatur ante acceptam primam Tonſuram. *num.* 48

Conſcientia Dictamen.

Definitio Conſcientiæ. *I. d.* 1. *num.* 1
Diviſio Dictaminis Conſcientiæ in practicum & Speculativum. *n* 2
Quid ſit Dictamen practicè practicum, & quomodo hoc ſemper ſit certum ac evidens. *num.* 3
Quomodo cum illo ſtare poſſit actus indeliberatus. *num.* 4

Conſcientia Dubia.

Ad deponendum dubium, vel formidinem Formalem ſemper eſt neceſſarium dictamen reflexum. I. d. 1. *num.* 6
Etiam ad deponendam formidinem Radicalem. *num.* 7
Quid ſit dubium: & quid dubium Facti, quid dubium Iuris. *n.* 22
Cum dubio de licentia non licet operari contra legem, niſi priùs deponatur. *num.* 23
In dubio Iuris ſuperveniente Poſſeſſori Bonæ fidei melior eſt conditio poſſidentis. *num.* 24
Etiam circa aliarum virtutum obligationem dubium deponi poteſt per poſſeſſionem libertatis. *num.* 25
Regula Cognoſcendi, an Libertas, vel an Lex ſit in poſſeſſione. *n.* 26
Explicantur SS. Canones, aſſerentes, in dubio partem tutiorem tenendam. *num.* 27

Conſcientia Scrupuloſa.

Quid ſit Scrupulus. *I.d.1.n.28.*

An liceat agere contra Scrupulum. *num* 29.

Varia genera Scrupulorum, & contra illos remedia. *num.* 30.

Conſcientia Erronea.

Error invincibilis poteſt obligare,& deobligare. *I.d.1.n* 14.

Error vincibilis non excuſat ab obligatione præcepti, ante indagatam Veritatem. *num.* 15.

Conſcientia perplexa inter duo mala collectivè apparentia inevitabilia non peccat, niſi eligendo majus malum. *num.* 16.

Conſcientia Probabilis.

Ad probabilitatem Opinionis requiritur Ratio poſitiva magni momenti, non enervata. *I.d.1 n.* 31.

Quando Rationes pro aliqua Opinione cenſeantur enervatæ. *n.* 32.

Nequit eſſe probabilis Opinio,quãdo oppoſita eſt moraliter certa.*n.*33

Quid ſit Ratio magni momenti. *num.* 37.

Quales requirantur Conditiones, ut unus Author poſſit Opinionem aliquam reddere probabilem, ſalva prohibitione Propoſitionis 27. damnatæ ab Alexandro VII. *n* 38.

Poteſt Intellectus ſaltem imprudenter aſſentiri Opinioni apparenti, ut minùs probabili, comparatione Opinionis oppoſitæ, nondum moraliter certæ. *n* 40.

Aſſenſus Opinionis minùs probabili, quàm oppoſitæ, poteſt eſſe prudens: & oſtenditur, unde dicatur prudens. *nu.* 6.

Poteſt conſiſtere aſſenſus honeſtatis Formalis, cum diſſenſu de honeſtate materiali. *num.* 51.

Actus voluntatis ſequens ex prædicto aſſenſu eſt honeſtus. *n.* 53.

Non eſt generaliter vera hæc propoſitio. Licet ſententiam ſimpliciter & abſolutè probabilem præferre probabiliori, neganti licentiam. *num.* 55.

Exponitur, quo ſenſu ſit vera prædicta Propoſitio. *n.* 56.

Ex dicta reſponſione deducuntur plures falſæ ſequelæ. *n.* 61.

Quo ſenſu ex duabus probabilibus ſententiis una dicatur tutior altera. *num.* 66.

Inter duas opiniones quoad licentiam Operationis æquè probabiles licet ſequi utramvis. *num* 67.

Quando non eſt ſpes perveniendi ad certitudinem, licet ſequi opinionem certò probabilem ſine ulteriori examine. *nu.*68.

In aliquo bono ſenſu verum eſt, Opinionem licentiæ ſpeculativè probabilem eſſe etiam practicè probabilem. *nu.* 69.

Opinio certò & comparativè probabilis ſervit ad propriam & alienam conſcientiam regendam. *nu.*70.

Pœnitentialiàs diſpoſito non licet negare abſolutionem, ſi nolit deſiſtere ab Opinione minùs, ſed certò probabili. *nu* 71.

Subditus tenetur obedire Superiori, quando actio præcepta eſt probabiliter licita. *num.* 72.

Conſuetudo.

Vide Lex per Conſuetudinem introducta.

Contractus in Genere.

Quid Nominis,& quid Rei ſit Contractus, vel latè,vel rigoroſè acceptus explicatur per duplicis generis definitiones. *IV.d.2 n.* 339.

Quatuor genera Contractuum ex quadruplici modo manifeſtandi conſenſum internum colliguntur. *n.* 340.

Aliæ diviſiones Contractus. *num* 341.

Contractum qui facere poſſint.

Omnes & ſoli actualis uſus Rationis compotes contrahere poſſunt, niſi poſitivè Lege prohibeantur. *num.* 342.

Lege prohibentur Tutores, Curatores, Negotiorum Geſtores res ſibi commiſſas emere, ſine Judicis, vel alterius, cui eædem res commiſſæ ſunt, authoritate. *nu.* 343.

Qui Curatori ſubſunt, nequeunt inire contractum non lucrativum, naturaliter & civiliter obligantem, ſine Curatoris conſẽſu. *n.* 344.

Minorenes nequeunt res Immobiles, & Mobiles quidem, ſed quæ ſervando ſervari poſſunt, à ſe validè alienare. Cæteras autem res poſſunt, quando pubertatem plenè adepti ſunt, nec Curatorem habent, vel ſi Caſtrenſia, aut quaſi Caſtrenſia. *num.* 345.

Filiusfam. excepto Contractu Mutui & Teſtamenti circa Bona, quorum Pater nec adminiſtrationem nec Uſum fructum habet,poſſunt inire alios contractus. *num.* 346.

Quos contractus Uxores facere poſſint. *num.* 347.

Quos contractus Regulares inire valeant. *num.* 348.

Contractui an obſtet Metus.

Metus gravis non reddit Contractum Jure naturæ invalidum. *IV.d. 2. num.* 349.

Etiamſi metus gravis injuſtè ad extorquendum contractum ſit incuſſus: nec tamen contractus ideo Jure naturæ aut poſitivo eſt irritus, ſed irritandus, exceptis paucis quibusdam, quos poſitiva Lex invalidat. *num.* 351.

Cõtractus ex juſtè incuſſo metu initi,nec irriti,nec irritãdi ſũt.*n.*352

Metus levis ſive juſtè ſive injuſtè injectus nec irritum,nec irritandum reddit contractum. *num.* 353.

Contractui an obſtet Dolus & Error.

Dolus & Error Subſtantialis circa objectum, vel circa finem in contractibus gratuitis, obſtat Valori ex Iure naturæ. *IV.d.2 nu* 354.

Si Contrahens illi conditioni vel qualitati, circa quam erratur, actum ſuum non affigat, valet contractus. *num.* 355.

Per dolum tamen decepto conceditur actio redhibitoria, vel actio quantò minoris. *num* 356.

Idem dicendum, ſi dolus à tertio conſcio tamen altero contrahente ſit commiſſus. *num.* 357.

Si dolus neutro contrahente conſcio, vel cooperante factus eſt, valet contractus, & ſi ſaltem ex alterutra parte eſt executioni datus, tantùm conceditur actio quantò minoris, & contra injuſtum deceptorem actio ad id, quod intereſt, non fuiſſe deceptum. *num.* 358.

Quòd ſi neutra ex parte contractus ad executionem pervenit, poteſt adhuc reſcindi. *ibid.*

Si error aut dolus tantùm fuit cauſa damni propter exceſſum pretij; ſolùm conceditur actio quantò minoris. *num* 359.

Contractus an firmetur Juramento.

Referuntur aliorum ſententiæ. *IV.d. 2.num.* 361.

Statuitur noſtra. *num.* 362

Contractus Obligatio.

Contractus purus, ſeu abſolutus à Conditione, Modo, Cauſa, vel die, ſtatim obligat. *IV.d.2. num.* 363.

Contractus factus cum expreſſione cauſæ obligationi in conſcientia addit pro foro externo majorem firmitatem *nu.*364.

Contractus in diem certum ſtatim obligat, in incertum non obligat ante eventum illius diei. *num.* 365.

Contractus Conditionati quoad formam tantùm, quorum ſcilicet conditio jam eſt impleta, vel neceſſariò implenda, obligant ſtatim. Qui verò ſunt conditionati quoad vim obligandi ſub conditione contingenter futura, non obligant ante eventum conditionis, qua pendente uſque ad mortem promiſſarij tranſmittitur Ius conditionatum ad illius hæredes: quod non fit in ultimis voluntatibus conditionatis. *nu.* 366.

In contractu Conditionato non ſufficit, Conditionem virtualiter vel æquivalenter impletam fuiſſe. Circa tempus verò implendæ Conditionis diſtinguendum eſt inter Conditionem affirmativam, & negativam, & aliter diſcurrendum in veris Contractibus, aliter in ultimis voluntatibus. *num.*367.

Quando Contractus Conditionatus non eſt virtualiter multiplex, & neque eſt initus ſub Conditione poteſtativa, impleta Conditione obligatio retrahitur ad tempus initi Contractus. *num* 368.

Quomodo Contractus ſub modo differat à Contractu ſub conditione. *num.* 369.

Circa Obligationem Contractus ſub modo diſtinguendum eſt inter modum poſſibilem, & impoſſibilem: atque inter modum voluntarium, & Obligatorium *nu.* 370

Contumelia.

Vide Reſtitutio honoris.

Correctio Fraterna.

Datur obligatio Correctionis Fraternæ. *III.d Unica num.* 103.

Quando, quos, & quomodo obliget. *num.* 104.

Decimæ.

Quid ſint Decimæ, & quare meritò ſit impoſita obligatio, eas præſtandi. *V d.2. num.*224.

De quibus Bonis,& an etiã de illicitè acquiſitis ſint præſtãdæ.*n.* 225.

Diviſio Decimarum in Prædiales, Induſtriales, & Mixtas, quod tertium membrum ad primum poteſt revocari, unde in Iure notabile aſſignatur diſcrimen inter fructus Prædiales & Induſtriales. *num.* 226.

Alia diviſio Decimarum in Majores, & Minores. *num.* 227.

Rurſum alia Diviſio ratione tituli Clericalis, & Laicalis, & quomodo iſte poſſit competere Laicis per præſcriptionem, aut privilegium,& à quo poſſit,ac quomodo poſſit conferri *n* 228.

Decimarum Jus.

Miniſtris Eccleſiæ debetur à Fidelibus ſuſtentatio Iure naturali. *V.d 2.n.*229.

Ut autem hæc tali modo per decimas præſtetur, habetur tantùm ex Iure Eccleſiaſtico. *nu.* 230.

Ius enim Divinum V.T. non ampliùs obligat in N. T. *n.* 231.

Decimæ debentur ex obligatione Iuſtitiæ. *nu.*232.

Et ex obligatione Religionis,à quocunque recipiantur. *n.* 233.

Ius ad decimas eſt reale,& dominium utile,fundatque Conditionem ex Lege, & Vindicationem à quocunque poſſeſſore *nu.* 234

Novus tamen poſſeſſor Fundi prædialis non tenetur ad decimas extantes à priori poſſeſſore. *num.* 235.

Proprius Iudex in Cauſa Decimarum tantùm poteſt eſſe Eccleſiaſticus,quando actio,intentata contra Laicum, non verſatur in caſibus legitima præſcriptione,vel conſẽſu ſummi Pont.exceptis. *nu.*236.

Decimarum præſtandarum obligatio.

Obligatio Solvendi decimas alia eſt perſonalis, alia realis, ſive prædialis. *V. d. 2.num.* 237.

Per ſe loquendo ad ſolvendas decimas tenentur omnes & Soli Chriſtiani, alicui in rebus Spiritualibus ſubditi. *num.* 238.

Hinc patet, quid de non Baptizatis, quid de ſummo Pont. quid de Epiſcopis, quid de Parochis ſit dicendum. *nu* 239

Quomodo Clerici non Beneficiati teneantur dare decimas ex obligatione Perſonali. *num.* 240.

Quo-

Quomodo iidem teneantur obligatione Reali. *num.* 241.
Quomodo Religioſi teneantur dare decimas. *num.* 242.
An & quanto tempore poſſit preſcribi exemptio ab obligatione. *n.* 243
Quomodo per compoſitionem, tranſactionem, vel remiſſionem poſſit obtineri exemptio temporalis, vel perpetua. *num.* 244.
Quomodo Pauperes eximantur. *num* 245.
Decimæ præſtari debent Eccleſię parochiali, vel Baptiſmali, ſi hæc eſt eadem. *num.* 246.
Prædiales decimæ Eccleſiæ ejuſdem territorii ſolvendæ ſunt. *n.* 247
Decimæ pecorum proportionaliter diſtribuendæ ſunt pro tempore, quo pluribus in parochiis paſcuntur. *num.* 248.
Clericis, Religioſis, & Laicis; poſſunt deberi decimæ Vario Jure extraordinario, titulo etiam non ſpirituali. *num.* 249.
De Circumſtantia temporis, & loci quoad ſolvendas decimas obſervanda. *num.* 250.

Depoſitum.

Vide. Commodatum.

Dolor de Peccatis.

Vide: Pœnitentiæ Sacramenti neceſſarius dolor.

Dominium Proprietatis.

Quid ſit Dominium perfectum Proprietatis. *IV. d. 2. n.* 54.
An per rei oppignorationem, vel detentionem alienam tollatur; aut imminuatur. *num.* 56. *&* 57.
Non poteſt dari dominium perfectum duorum hominũ in ſolidum: DEI tamen Dominium non impedit hominis dominium. *à n* 58.
Quid ſit Dominium imperfectum, & quàm varium ac multiplex ſit. *à num.* 68.

Dominii ſubiectum.

DEO competit Dominium Excellentiæ in omnes Res: Angeli autem in res corporeas nullum habent dominium. *num.* 91.
Homo Corporum Cœleſtium nullum habet dominium. *n.* 92.
Neque eſt Dominus Vitæ, & membrorum ſuorum, & alterius. *n.* 96.
Quomodo tamen licitum ſit ad Vitæ ſuæ abbreviationem concurrere. *num.* 99. & 100.
Habet verò homo ſecundùm totam ſuam ſpeciem ſumptus dominium omnium rerum ſublunarium; excepto quovis homine in particulari, quem tamen ipſum non repugnat imperfecto Dominio per Servitutem ſubiici quinque modis. *à n.* 93.
Quilibet homo eſt Dominus ſuæ famæ. *num.* 101.
Quomodo dominium acquiratur Nativitate, Alluvione, Specificatione, Acceſſione, Confuſione, Commixtione, Ædificatione, Plantatione, Abſumptione. *à n.* 264.

Donatio.

Quid ſit donatio, & in quibus conveniat, & in quibus differat à promiſſione. *IV. d. 2. n.* 378.
Diviſio donationis in eam, quæ eſt inter Vivos, & quæ eſt mortis cauſa: & qualis in dubio præſumatur: *num.* 379.
Quomodo donatio mortis Cauſa ſit partim Similis, partim diſſimilis donationi inter Vivos, & diſpoſitioni per ultimã Voluntatẽ. *n.* 380

Donationem quis facere poſſit.

Quomodo inter Conjuges, & inter Parentes, ac Liberos donationes fieri poſſint. *IV. d. 2. n.* 381.
Filiusfam. de Bonis adventitiis, etiam de illis, quorum habet administrationem, & uſumfructum, non niſi ex patris conſenſu donare mortis cauſa poteſt; eo vero obtento poteſt ſic donare, etiamſi nequeat teſtari ad Cauſas profanas. *num.* 382.
Minores puberes ſine Conſenſu Curatoris mortis Cauſa valent, ſicut & teſtari. *num.* 383.

Donatio quanti pretii fieri poſſit.

Donatio ſupra 500. Solidos quoad ſuum exceſſum invalida eſt, ſine Inſinuatione facta, ſaltem in foro externo. *IV. d. 2. n.* 384.
Imò etiam in foro interno eſt invalida ſine Inſinuatione apud Judicem: Inſinuationis nomine autem non requiritur etiam Judicis conſenſus. *num.* 385.
Excipiuntur aliquæ donationes, etiam ſine Inſinuatione quoad exceſſum ſupra 500. Solidos validæ. *num.* 386.
Donatio Omnium Bonorum, quamvis ad 500. Solidos non aſcendat, nequit fieri irrevocabiliter, ad cauſas profanas, niſi juramento firmetur. *num.* 387.

Dos Uxoris.

Quid ſit Dos, & quale in eam Dominium habeat Vxor, & quale Maritus. *IV. d. n.* 136.
Dividitur Dos primò in æſtimatam, & inæſtimatam. Æſtimata ſubdividitur in facientem, & non facientem Venditionem. Oſtenditur, quare, & quo effectu hæc æſtimatio fiat. *num.* 137.
Dividitur Dos ſecundò in Profectitiam & Adventitiam: & oſtenditur inter utramque diverſitas Iuris. *n.* 138.
Ex dictis deducitur, quale Vxori cõpetat Dominiũ in dotem. *n.* 139.

Dos à quo Conſtituenda.

Pater ſui Iuris exiſtens tenetur legitimæ Filiæ 25 annum ætatis egreſſæ, & nubere volenti dotem conſtituere, per ſe loquendo. *IV. d. 2. n.* 140.
Si autem Pater non ſit ſui Iuris, probabiliùs tenetur Avus, in cujus poteſtate ille eſt. *num.* 141.
Quanta ſit conſtituenda Dos. *n.* 142.
Filiæ illegitimæ non quidem debetur Dos, debentur tamen alimenta, aliunde non habenti. *num.* 143.
Maritus non tenetur ampliùs ex lege facere donationem propter nuptias: Tempus anni 25. completi pro conſtituenda Dote eſt tantùm aſſignatum pro foro externo: urgente autem periculo incontinentiæ, non eſt illud tempus expectandum. *n.* 144.
Quinam in defectum immediatè obligati dare dotem, teneantur ſupplere vices. *num.* 145.
Probatur priùs de Avo & aſcendentibus paternis: deinde de Matre, & aſcendentibus maternis. *num.* 146.
Probatur in priorem Vicem de Fratribus. *num.* 147.

Dotis Reſtitutio, & Alienatio.

An, & quando dos Marito tradita ante Matrimonii diſſolutionem repeti poſſit. *IV. d. 2. n.* 148.
Quando poſt Matrimonii diſſolutionem dos reſtitui debeat. *n.* 149.
An dos durante Matrimonio poſſit ex utriuſque conjugis conſenſu alienari. *num.* 150.
Exceptiones pro reſponſione negativa. *num.* 151.
Si pro dote ſit data res, conſiſtens in numero, pondere, vel menſura, poteſt illa à Marito alienari. *num.* 152.
Cui dotis invalidè alienatæ vindicatio competat. *num.* 153.
Quo privilegio gaudeant Vxor, & liberi in recipienda æſtimatione dotis ante alios Creditores Mariti defuncti. *IV. d 3. n.* 200. *& ſeqq.*
Dotalis fundus quando, & quomodo poſſit præſcribi. *IV. d. 2. n.* 312

Duellum.

Acceptare duellum, nunquam licet. Aliquando tamen licet non fugere neceſſitatem ſe defendendi. *IV. d. 3. n* 70.

E.

Ebrietas.

Ebrietas eſt Vitium oppoſitum Sobrietati, quæ eſt potiùs de ſe inebriantis ſecundùm dictamen rationis moderatio. Eaque debetur Iure naturæ. *IV. d. 1 num.* 50.
Unde per ebrietatem peccatur, & quidem mortaliter, quanta tamen culpa non eſt immodicus uſus ſomni, & Tabaci. *n* 51. & 52.
Poteſt tamen etiam ebrietas ex potu aliquando eſſe licita. *n.* 54.

Eleemoſyna.

Nomine eleemoſynæ debitæ proximo ex Charitate intelligitur omnis ſublevatio miſeriæ alienæ ſive in temporalibus, ſive in ſpiritualibus bonis. *III. d. unica n* 97.
Quando detur obligatio largiendi eleemoſynam de bonis etiam non ſuperfluis. *n.* 98. *&* 99.
Quando de ſuperfluis. *num.* 100.
Quæ cenſeantur ſuperflua. *num.* 102.

Emptio.

Quid ſit Emptio, & Venditio. *IV. d. 2. n* 395.
Quid ſit pretium, & quomodo ratione illius Emptio diſtinguatur à Permutatione. *n.* 396.

Emptionis Pretium juſtum.

Quid ſit pretium Juſtum, & unde id deſumi debeat. *IV. d. 2. n.* 397.
Quomodo per Conventionem pretium Juſtum conſtitui poſſit. *n.* 398
An & quomodo propter circumſtantiarum mutationem liceat majori vel minori pretio, quàm à Judice taxato emere, vel vendere. *num.* 399.
Licet rem majori pretio vendere propter lucrum ceſſans, vel damnum emergens. *num.* 400
Licet etiam propter incõmoda pretio æſtimabilia, pro re ad creditum vendita plus exigere, quàm quando ſolutio pretii de præſenti ſine illis incommodis reciperetur. *num.* 401.
Quo titulo poſſint emi à tertio Chirographa minori pretio, quàm ſit Jus, quod per illa tranſcribitur. *num.* 402.
An poſſit emi vel vendi res pretio uſitato, quod quis privatim ſcit, proximè mutatum iri. *num.* 403.
An qui alterius rem vendidit majori pretio, quàm is petierit, poſſit exceſſum ſibi retinere. Vel an is, qui alterius pecunia ipſi emit rem pretio minore, quàm quale conceſſum erat, ut expenderetur, poſſit reſiduum ſibi retinere. *num.* 404.

Emptionis Merx.

Quænam res à Domino proprietatis vendi poſſint; & quæ Iure naturali, vel poſitivo vendi prohibeantur. *IV. d. 2. n* 405.
Quem pariat effectum Venditio rei alienæ. Et an Bona Communitatis, præſertim pub. Officia vendi queant. *n.* 406.
An & quando Venditor teneatur, Emptori Occultum Vitium ſuæ mercis indicare, ſi hoc vel eſt in ſubſtantia, vel in quantitate. *n.* 407
Idem quæritur, quando vitium eſt in qualitate. *n* 408.
Cui merx poſt factam Venditionem traditione, vel Solutione nondum completam obligata ſit. *n.* 409
Quis damnum Mercis ferre debeat, ſi ante traditionẽ vitietur. *n.* 410.
Ad quem ſpectent fructus rei venditæ, & nondum traditæ. *n.* 411.
Quo titulo Venditor ante præſtitam ſolutionem fructus, vel eorum æſtimationem percipere poſſit. *n.* 412.
Quis inter emptores ejuſdem rei ſucceſſivè emptæ præferendus ſit, ut ei tradatur. *num.* 413.

Emptionis Reſciſſio.

Venditio poteſt reſcindi, ſive diſſolvi in primis mutuo contrahentium conſenſu. *IV. d. 2 n.* 414.

Secundò ex pacto inito ſecundùm formulam Legis Commiſſoriæ : in qua reſciſſione etiam reſtituendi ſunt fructus, formaliter vel æquivalenter extantes, cùm re empta. *num.* 415.

Tertiò ex pacto Additionis in diem. *num.* 416.

Quando Venditio dicto modo reſcinditur, Fructus rei emptæ Venditori reſtitui debent, quamvis ſi res interea periiſſet, non Venditori, ſed Emptori periiſſet. *num.* 417.

Quid ſit, Venditorem, aut Emptorem lædi ultra dimidium. *n.* 418.

Quando læſio eſt infra dimidium juſti pretii, ordinariè nec ad reſcindendum contractum, nec ad ſupplendum defectum juſti pretii læſæ parti conceditur actio, *num.* 419.

Excipitur tamen læſio infra dimidium juſti pretii lege taxati : & læſio Mariti vel Vxoris in æſtimatione dotis. *num.* 420.

An parti læſæ ultra dimidium concedatur actio vel ad reſcindendum contractum, vel ad ſupplendum defectum Iuſti pretii. *n.* 421.

Re non ampliùs formaliter, aut virtualiter exiſtente apud Emptorem non conceditur actio ad reſcindendum contractum, vel ad juſti pretii reparandum damnum, quamvis lædens in conſcientia ad iſtud teneatur. *num.* 422.

An Venditori læſo ultra dimidium deficiente Emptore immediato, competat actio adversùs tertium, cui res alienata eſt. *n.* 423.

An reſciſſo contractu, vel reſtituto ſupplemento, aut exceſſu pretii ; etiam reſtituendi ſint fructus rei frugiferæ, interea percepti. *n.* 424

Quibus concedatur Reſtitutio in integrum ad reſcindendum contractum. *n.* 425.

Quamdiù duret Ius petendi Reſtitutionem in integrum. n. 426.

Euchariſtia Sacramentum.

Sufficit Corpus, & Sanguinem Chriſti eſſe partes Euchariſtiæ mediatè ſenſibiles per ſuas compartes. IV. d. 4. *num.* 49.

Vnde non in ſolis Speciebus accidentium conſiſtit Sacramentum Euchariſtiæ. *num* 50.

Nec in ſolo Corpore & Sanguine ſine Speciebus; ſed in utriſque ſimul. *num* 51.

Finis & effectus Euchariſtiæ eſt Refectio Animæ, in ordine ad quem eſt neceſſaria ſumptio, tanquam conditio *ſine qua non*, *n.* 52.

Etiamſi Euchariſtia ſit Sacramentum permanens, includit tamen etiam Formam Verborum, quantumvis hæc non ſit pars permanens, ſed tantùm pars totiùs permanentis. *num.* 53.

Sacramentum Euchariſtiæ eſt unum ſpecie Morali ; etiamſi partes differant ſpecie phyſica *num.* 54.

Tota tamen eſſentia Sacramenti continetur tam ſub Speciebus panis quàm ſub ſpeciebus Vini, cùm corpore & Sanguine Chriſti. *n.* 55.

Ideo Laici accipiunt eſſentialiter totum Sacramentum, & adæquatam virtutem cauſandi gratiam. *num.* 56.

Et probabiliùs non cauſatur plus gratiæ, etiamſi Euchariſtia ſub duplici Specie accidentium ſumatur. *num.* 57.

SS. Euchariſtiæ Materia.

Materia proxima S. Euchariſtiæ ſunt Species panis, & Vini ; ſimulque Corpus & Sanguis Chriſti. *VI. d.* 4. *nu.* 61.

Materia remota Euchariſtiæ eſt ſubſtantia panis & Vini : quæ ob plures rationes eſt valdè convenienter aſſumpta. *num.* 62.

Qualis panis ſit materia apta pro Conſecratione Euchariſtiæ. *n.* 63.

Qualis panis ſit materia inepta. *num.* 64.

Panis Azymus, & Fermentatus eſt æquè materia Valida ; ſed licita eſt ſolus Azymus in Eccleſia Latina, & ſolus fermentatus in Eccleſia Græca. *num* 65.

Solum Vinum de Vite eſt materia apta pro valida Conſecratione Euchariſtiæ : hinc excluditur vinum artefactum, & ſubſtantialiter corruptum & ex uvis nondum expreſſum. Muſtum autem nondum defæcatum, & Vinũ congelatum eſt materia illicita. *n* 66

Admixtio aquæ ad Vinum conſecrandum præcipitur ſub gravi peccato *num.* 67

Non tamen requiritur ad Valorem conſecrationis. *num.* 68.

Aqua admiſcenda modica eſſe debet. *num* 69.

Refertur Sententia negans, aquam admixtam Vino converti in Sanguinem Chriſti, niſi priùs fuerit converſa in Vinum. *n.* 70.

Refertur etiam Sententia aſſirmans. *num* 71.

Poſterior Sententia eligitur. *num.* 72.

SS. Euchariſtiæ in locum Panis, & Vini ſucceſſio.

Subſtantia Panis & Vini per Conſecrationem verè convertitur, & transſubſtantiatur in Corpus & Sanguinem Chriſti. *VI. d.* 4. *n.* 86.

Dictaque Subſtantia Panis, & Vini omnino deſtruitur. *n.* 87.

In Euchariſtia Chriſti Præſentia.

Tam ſub Speciebus Panis, quàm Vini ponitur totus Chriſtus: ſub illis quidem Vi verborum ponitur Corpus Chriſti, & cæteræ compartes concomitanter : ſub iſtis verò vi Verborum ponitur Sanguis Chriſti, & reliquæ partes concomitanter. *VI d.* 4. *num* 88.

Nomine *Corpus* non ſignificatur nuda materia prima : neque tamen etiam ſignificatur aliqua forma ſubſtantialis. *num* 89.

Sed ſignificatur materia prima cum Organis partium ſolidarum. *n.* 90

Voce *Sanguis* autem ſignificatur materia prima cum illa forma ſubſtantiali, vel accidentali per quam diſtinguitur à Corpore, & Anima. *num.* 91.

Quidnam cum Corpore, vel Sanguine, vi Verborum poſitis, ponatur concomitanter. *num* 92.

Subſiſtentia Verbi & Vnio Hypoſtatica etiam tantùm ponuntur concomitanter, ſicut ipſa Divinitas. *num.* 93.

Etiam Subſiſtentia Patris & Spiritus Sancti ponuntur concomitanter. *num.* 94.

Quando Corpus & Sanguis Chriſti deſinat exiſtere ſub Speciebus Euchariſticis. *num.* 95.

S. Euchariſtiam accipientis diſpoſitio animi.

Non Baptizatis & peccatoribus notoriis neganda eſt Euchariſtia, ſi ſine gravi incommodo Miniſtri fieri poſſit. *VI. d.* 4. *n.* 98.

Quiſnam cenſeatur peccator notorius ; & qui talis eſt in uno loco, ei etiam in loco alio Euchariſtia neganda. *num.* 99

Etiam laboranti publica ſuſpicione Violenta debet negari Euchariſtia; levior verò ſuſpicio non eſt ſufficiens cauſa negandi. *n.* 100.

Neque coram uno licet peccatorem occultum infamare per denegationem Euchariſtiæ. *num.* 101.

Infantibus & perpetuò amentibus nunquam eſt præbenda Euchariſtia. *num.* 102.

Præbenda tamen eſt in articulo mortis iis, qui uſum rationis amiſerunt, & priùs capaces ac digni fuerunt. *num.* 103.

Semifatuis in Paſchate præbenda eſt. *num.* 104.

Energumenis per quietis ac capacitatis intervalla ſæpiùs eſt danda. *num.* 105.

Surdis ſimul & mutis idem, vel etiam frequentior uſus Euchariſtiæ concedendus eſt, qui Semifatuis. *num.* 106.

Quando Pueri teneantur ſumere Euchariſtiam. *num.* 107.

Et quomodo legibus humanis teneantur. *num.* 108.

S. Euchariſtiam ſumentis diſpoſitio Corporis.

Actualis devotio non eſt neceſſaria ex præcepto in ſumente Euchariſtiam, *VI. d.* 4. *num.* 110.

Non eſt irreverentia mortaliter peccaminoſa, cum actuali peccato Veniali ſumere Euchariſtiam. *num.* 111.

Conſcius ſibi peccati mortalis non tantùm conteri ; ſed etiam priùs directè abſolvi debet ; quam Sacramentum Euchariſticum ſumat, niſi deſit copia Confeſſarii, & neceſſitas urgeat : qua tamen ſublata tenetur Sacerdos quàm primùm confiteri : ideo Alexandre VII. propoſ. 38. & 39. contrarium aſſerentes meritò damnavit *n.* 112.

Quando cenſeatur deeſſe copia Confeſſarii. Et quid faciendum, ſiquidem non deeſt Confeſſarius, ſed ſi Confeſſario deſit Iuriſdictio in peccata reſervata. *num.* 113.

Quando cenſeatur *urgere neceſſitas, ſine præmiſſa* Confeſſione celebrandi : *num.* 114.

Obligatio proximè confitendi eſt ſub culpa mortali, & obſtringit ſolos Sacerdotes, ex neceſſitate cum ſola contritione in peccato mortali, nondum per abſolutionem Sacramentalem remiſſo ; celebrantes *num.* 115.

Actus Venereus inter conjuges licitus, & inter cælibes illicitus, ſed per Confeſſionem expiatus, non impedit ſequentis diei licitam ſumptionem Euchariſtiæ, decet tamen etiam pridie ab illo abſtinere *num.* 116.

Ante Communionem nec minimum cibi vel potiùs extra caſum neceſſitatis eadem die ſumere licet. *num.* 117.

Quando incipiat obligatio jejunii ejuſdem diei. *num.* 118.

An poſt ſumptã ablutionẽ liceat abſumere particulas Euchariſt. *n.* 119

An liceat Euchariſtiam extra *neceſſitatem ſumere cum cibo vel* potu *n.* 120.

Quid per comeſtionem vel potationem intelligatur. *num.* 121.

An dubitanti de ſervato jejunio liceat communicare. *num.* 122.

Quæ ſit urgens neceſsitas non jejunè communicandi. *num.* 123.

An poſt ſumptam Euchariſtiam incidens in periculum mortis poſsit eadem die denuo communicare, vel an etiam debeat. *n.* 124.

An durante eodem morbo lethali liceat ſæpiùs non jejuno communicare. *num.* 125.

An Sacerdoti non jejuno liceat conſecrare propter neceſsitatem moribundi. *num.* 126.

S. Euchariſtiæ Neceſſitas.

Ex præcepto Divino, ab Eccleſia quoad tempus determinando, datur etiam extra articulum mortis obligatio ſumendi Euchariſtiam. *VI. d* 4. *num.* 127.

Ex eodem præcepto Divino datur eadem obligatio pro articulo mortis : *num.* 128

Excipe: Niſi paulò ante articulum mortis illi obligationi eſſet ſatiſfactum : *num.* 129.

Suppoſita determinatione Eccleſiæ ex præcepto Divino tenentur Fideles tempore Paſchali ſumere Euchariſtiam. *num* 130.

Meritò ab Innocentio XI. prohibita eſt propoſitio 55. aſſerens præcepto Communionis Paſchalis ſatisfieri per Sacrilegam Communionem. *num.* 132.

Quomodo computandus ſit annus *Capituli Omnis utriuſque de Pœnit. & remiſſ. num.* 133.

Quis ſit proprius Sacerdos. *num.* 134.

Quinam excuſentur Sacramenta ſuſcipere à proprio Sacerdote. *num.* 135.

Quid nomine Paſchatis intelligatur. *num.* 136.

An obligatio Communionis Paſchalis non expleta proximo tempore ſit ſupplenda. *num.* 137.

Idem

Idem quæritur & reſpondendum eſt quoad obligationem Confeſſionis annuæ. Supplens obligationem prioris anni ſimul ſatisfacit obligationi anni currentis. *num.* 138.

Eucharistia Sacrificium.

Solus Sacerdos poteſt validè ſacrificare. *VI.d.5.num.* 139.

Ex Eccleſiæ conſtitutione poſſunt plures Sacerdotes ſimul idem Sacrificium offerre. *num.* 140.

Omnis Sacerdos poteſt validè conſecrare & ſacrificare. *num.* 143.

Definitio Sacrificii in Genere, & in Specie Sacrificii Euchariſtici. *num.* 144.

Sacrificium objectivum debet eſſe res permanens, Sacrificium formale autem, id eſt, Sacrificatio debet eſſe actio vel productiva, vel deſtructiva. Utraque hæc actio intervenit in Sacrificio Euchariſtico. *num.* 145.

Unum in Eccleſia eſt Sacrificium, nec poſſunt eſſe plura. *num.* 146.

Eſſentia Sacrificii validè, ſed non licitè ponitur per Conſecrationem Unius Speciei. *num.* 147.

Nulla alia actio, quàm conſecratio ad eſſentiam Sacrificii Euchariſtici pertinet. *num.* 148.

Die Paraſceves nullum fit Sacrificium. *num.* 149.

S. Euchariſtiæ Sacrificium offerendi Locus.

Sine diſpenſatione faciens Miſſam in loco, ad talem uſum non ſtabiliter ab Epiſcopo deputato, mortaliter peccat. *VI.d.5.num.* 150.

Limitatur tamen, niſi gravis neceſſitas urgeat, ob quam etiam in navi licet, abſente periculo. *num.* 151.

Nec Epiſcopi poſſunt concedere poteſtatem in loco profano ſtabiliter celebrandi, poſſunt tamen concedere Oratoria privata, ab aliis uſibus profanis libera, ad facienda ibidem Miſſæ Sacrificia. *num.* 152.

Privilegium à Greg. XIII. Societatis noſtræ Provincialibus conceſſum circa Oratoria pro Sacris faciendis. *num.* 153.

Quomodo locus Sacer per pollutionem profanatus reconciliari poſſit. *num.* 154.

S. Euchariſtiæ Sacrificium offerendi apparatus.

Ad Sacrificium ſub peccato gravi requiritur altare lapideum, fixum, vel portatile, ab Epiſcopo, vel à ſimplici Sacerdote ex privilegio ſummi Pontificis conſecratum. *VI. d.5.num.* 154.

Qualis requiratur ornatus Altaris. *num.* 155.

Quanta rerum omnium mundities ſub culpa Sacrilegii exigatur. *num.* 156.

Requiritur etiam Lumen, & Imago Chriſti Crucifixi, *num.* 157.

Liber Miſſalis, Calix & patena conſecrata, quamvis pyxidem conſecratarum hoſtiarum ſufficiat, eſſe benedictam. *num.* 158.

Qualia etiam veſtimenta, ab Epiſcopo, vel habente ex privilegio poteſtatem, benedicta, ſint neceſſaria, & an ſit obligatio illis adjungendi certas preces. *num.* 159.

Quando Altare conſecrationem amittat, & an in eo debeant includi Reliquiæ Sanctorum. *num.* 160.

Quando aliæ res conſecratæ, vel benedictæ eſſe deſinant. *num.* 161.

S. Euchariſtiæ Sacrificium conſequens Fructus.

Sacrificium Euchariſticum non confert Gratiam ſanctificantem immediatè, ſed mediatè. Idem de remiſſione peccatorum Venialium dicendum eſt. *VI d.5.num.* 162.

Immediatè autem impetrat Bona Spiritualia & Temporalia: & ſatisfacit pro pœna temporali. *num.* 163.

Fructus Sacrificii dividitur in tres portiones, quarum ſingularum menſura declaratur. *num.* 164.

S. Euchariſtiæ Sacrificium offerentis Stipendium.

Pro Sacrificio Euchariſtico exigere Stipendium in ſuſtentationem, non eſt Simonia. *VI.d.5.num.*165.

Idem Jus competit Sacerdoti diviti, & pauperi. *num.* 166.

Quantitas ſtipendii ex Lege, vel conſuetudine, vel Judicio prudentum deſumi debet. *num.* 167.

Pro Miſſis alteri debitis, non licet rurſum ab alio ſtipendium accipere: ex quo deducitur obligatio Parochorum, & Beneficiatorum, ne pro Miſſis aliunde debitis, etiamſi de Fundatoris mente non expreſsè conſtet, alteri oblatis, ſtipendium accipiant. *num.* 168.

Qui recepto pinguiori ſtipendio pro Miſſa facienda alium Sacerdotem ſibi ſubſtituit pro ſtipendio minori, agit contra prohibitionem Urbani VIII. & Alexandri VII. *num* 169.

S. Euchariſtiæ Sacrificium offerendi Ritus.

Obligatio ſervandi Cæremonias Miſſæ eſt ex genere ſuo gravis, quoad aliquas tamen datur ſolùm obligatio levis, & quoad aliquas ſeorſim nulla. *VI.d.5.num.*170.

Dictæ Obligationi non ſolùm contravenitur omiſſione Cæremoniarum præſcriptarum, ſed etiam additione non præſcriptarum. *num.* 171.

An & quando ſit ſupplendus defectus. *num.* 172.

Quomodo defectus Formæ ſit ſupplendus. *num.* 173.

Quomodo defectus Panis debeat ſuppleri. *num.* 174.

Quomodo debeat ſuppleri defectus Vini. *num.* 175.

Quale ſit peccatum mutare Miſſam præſcriptam ſine juſta cauſa. *num.* 176.

Quænam ſit juſta cauſa mutandi Miſſam. *num.* 177.

An liceat Miſſam inceptam abrumpere, vel interrumpere, vel de novo incipere. *num.* 178.

S. Euchariſtiæ Sacrificium offerendi Tempus.

Expedit à Sacerdote ritè diſpoſito quotidie ſacrificium Euchariſticum offerri. *VI.d.5.num.*179.

Extra ultimum triduum hebdomadæ Sanctæ: de quo dicitur, quid obſervandum ſit. *num.* 180.

Quibus horis liceat Miſſas celebrare Jure communi. *num.* 181.

Et quibus horis id liceat diverſis Regularibus ex privilegio. *nu.* 182.

Aliæ à conſueta hora exceptiones ſunt privilegium noctis Sanctæ Nativitatis Domini. Tempus hyemale in noſtris Regionibus ſeptentrionalibus. Publica neceſſitas. *num.* 183.

Executor Teſtamenti.

Vide Teſtamenti Executio.

Excommunicatio.

Definitio Excommunicationis. *VII d.Vn.num.*23.

Diviſio ejuſdem in Majorem & Minorem. *num.*24.

Excommunicatio Minor.

Excommunicatio Minor privat uſu paſſivo Sacramentorum. *VII. d.Vn.num.*25.

Non tamen activo, neque ſub Veniali. *num.* 26.

Reſpondetur ad capitulum oppoſitum Gregorii IX. & quare irritanda ſit electio ad Beneficium, cùm quis obſtrictus eſt Minore Excom. *num.* 27.

Incurritur Excom. Minor per communicationem cum excommunicato, non tolerato. *num.* 28.

Quivis Sacerdos, potens abſolvere à Venialibus, poteſt etiam abſolvere à Minore Excom. in foro Conſcientiæ, ſi illa ex Veniali eſt orta: imò etiam ſi ex mortali. *num.* 29.

Reſpondetur ad Authoritatem Innocentii III. oppoſitam. *num.*30.

Excommunicatio Major quibus Bonis privet.

Referuntur Varia Bona Spiritualia, quibus Major Excommunicatio privat. *VII.d.Vn.num.*31.

Excommunicatus eſt inhabilis ad Beneficium Eccleſiaſticum acquirendum: etiamſi vel electio, vel acceptatio fuerit poſita, tempore immunitatis ab Excommunicatione. *num.* 32.

Dicta inhabilitas, etſi Excommunicatio ſit tantùm occulta, vel tolerata, non poteſt tolli, niſi per diſpenſationem, vel abſolutionem pro foro externo datam. *n.* 33.

Excommunicatio non privat Beneficio legitimè poſſeſſo, ſed fructibus ejuſdem propter non præſtitum officium. *num.* 34.

Privat etiam admiſſione ad actionem forenſem, & Iuriſdictionem, quæ tamen ab Excommunicato tolerato validè exercetur. *n.*35.

Privat prætereà Communicatione in Civilibus. *num.* 36.

Quomodo Excommunicatio Iuris Antiqui à Martino V. ſit mitigata. *num.* 37.

Excommunicatio qualem culpam inducat in Communicantes.

Communicare cum excommunicato non tolerato peccatum mortale eſt; ſi Communicatio fiat in bonis Communibus Eccleſiæ, cujuſmodi ſunt publica ſuffragia. *VII.d. Vn.num.*38.

Communicare cum excommunicato tolerato in bonis etiam Spiritualibus, uti etiam eſt Eccleſiaſtica ſepultura, non eſt peccatum, quamvis eum priùs deceat abſolvi, quàm in loco ſacro ſepeliatur, Unde pœna, in ſepelientes Excommunicatum ſtatuta, de non tolerato intelligenda eſt. *num.* 41.

In bonis Spiritualibus privatis, & Communibus merè humanis, tam Spiritualibus, quàm civilibus, communicare cum excommunicato non tolerato, reatum culpæ Venialis, & Excommunicationem Minorem inducit. *num* 42.

Excommunicatio quas ob cauſas non prohibeat Communicationem.

Inter cauſas, licitam reddentes communicationem cum excommunicato vitando, prima eſt ſpecialis Utilitas, etiamſi ipſius excommunicati, quando hæc eſt diſtincta ab ipſo bono, quo Excommunicatio privat. *VII.d Vn num.*43.

Secunda Cauſa excuſans eſt Obligatio Matrimonialis inter Maritum, & Uxorem. *num.* 44. *& VI.d.* 9.

Tertia Cauſa eſt Subjectio excommunicati, vel erga excommunicatum. *num.* 45.

Quarta Cauſa eſt Ignorantia, modò non ſit affectata, vel Incertitudo Excommunicationis. *num.* 46.

Quinta cauſa eſt gravis Neceſſitas temporalis, vel Spiritualis. *num.* 47.

Excommunicatio ob quæ crimina incurratur.

Referuntur Communiora Crimina, gravata Excommunicatione Pontificia, non reſervata. *VII.d.Vn.num.*48.

De Excommunicatione Epiſcopali dicitur remiſſivè ad alibi dicta. *num.* 49.

Referuntur uſitatoria Crimina annexa Excommunicationi Papali, reſervata extra Bullam Cœnæ. *num.* 50

Quis adhuc abſolvere poſſit ab Excommunicatione indignæ tractationis Clerici, vel Religioſi, & quando ea ſit reſervata Papæ. *n.* 51.

Referuntur frequentiores Excommunicationes Bullæ Cœnæ. *n.* 52.

Exhæredatio.

Vide. Teſtamento excludendi Cauſæ.

F.

Famæ detractio.
Quid ſit fama, & quid honor, & quomodo eis opponantur, ac diſtinguantur inter ſe, Detractio, & Contumelia. *IV. d. 3. n.* 101.
Quot modis contingere poſſit detractio. *num.* 102.
Detractio famæ alienæ eſt ex genere ſuo peccatum mortale. *n.* 103.
Quæ ſit gravis detractio, & quales cauſæ excuſent à peccato mortali gravis detractionis. *num.* 104.
Graviter peccat, qui occultum & grave delictum proximi narrat tantùm Uni. *num.* 105.
Aliud, famæ alterius graviter detrahere, & aliud, reddere Infamem. *num.* 106.
An liceat ſalvâ Juſtitia, crimen publicum in una civitate manifeſtare in altera: & an jam oblivioni traditum liceat renovare. *num.* 107.
An & quomodo peccet audiens detrahentem. *nu.* 108.
Feſtorum Obſervatio per Auditionem Miſſæ.
Ad Obligationem audiendi Miſſam, die feſto explendam, requiritur præſentia humana, & moralis. *V. d. 2 num.* 154.
Etiam extra templum exiſtens poteſt eſſe præſens moraliter. *n.* 155.
Parva interruptio præſentiæ propter miniſterium altaris non impedit moralem præſentiam. *num.* 156.
Per Auditionem intelligitur advertentia ad Actiones Miſſæ; quocunque ſenſu perceptas. *num* 157.
Quænam actiones externæ, & quo modo ſint incompoſſibiles cum auditione miſſæ. *num.* 158.
Qualis Attentio ſit neceſſaria ad auditionem Miſſæ. *n.* 159.
Miſſam audiendi Obligatio.
Obligatio audiendi Miſſam eſt gravis ex genere ſuo; poteſt tamen contra illam peccari Venialiter in materia levi. *V. d. 2. nu.* 160.
Partes diverſarum miſſarum nequeunt coaleſcere in unam Miſſam; unde probabiliùs non ſatisfacit præcepto, qui partem neglectam prioris miſſæ compenſat per partem Miſſæ poſterioris. *n.* 161.
Multò minùs ſatisfacit, qui ſimul diverſas miſſarum partes audit: proptcrea Innoc. XI meritò prohibuit propoſitionem. 53. *n.* 162.
Præcepto audiendi Miſſam in quocunque loco publico ſatisfit, ſed non in Oratoriis privatis, niſi ab ijs, qui gaudent privilegio. *num.* 163.
Miſſam audiendi cauſæ excuſantes.
Cauſæ excuſantes ab auditiones Miſſæ. *V. d. 2. num.* 164.
Non hoc ipſo excuſatur à parte Miſſæ, quòd quis nequeat audire totam. *num.* 165.
Feſtorum Obſervatio per Omiſſionem Actionis Servilis.
Quid ſit actio ſervilis, & quænam actiones pro tali habendæ ſint? Et an illas ponens per alios eodem modo peccet. *V. d. 2. n.* 166.
Quænam cauſæ licitam reddant actionem ſervilem. *n.* 167.
Quæ temporis brevitas excuſet à peccato mortali. *n.* 168.
Feſtorum Obſervatio per omiſſionem Actus Judicialis.
Quænam actiones Judiciales die feſto ſint illicitæ. *V. d. 2. n.* 169.
Quæ Cauſæ excuſent, & reddant licitas. *num.* 170.
Qualis Mercatus die feſto ſit illicitus. *n.* 171.
Fides Theologica.
Fides eſt actus Intellectus; Sed ſupponit actum Voluntatis, à quo denominatur libera, & meritoria. *III. d. Un. n.* 1.
Eſt aſſenſus firmiſſimus. Ideo meritò damnata eſt Propoſitio 21. ab Innocentio XI. *n.* 2.
Objectum materiale Fidei eſt Omnis Veritas à DEO revelata. *n.* 3.
Fidei Objectum non eſt evidenter verum, ſed evidenter verum eſt, quòd ſit firmiſſimè credibile. *n.* 4.
Veracitas DEI Infinita eſt Motivum formale Fidei. *n.* 5.
Propter Illuſtrationem ſupernaturalem neceſſariam ad credendum, ſicut Oportet, poteſt elici aſſenſus Fidei magis firmus, quàm mereatur pondus Rationum, ad aſſenſum impellentium, & contraria Propoſitio 19. meritò damnata eſt ab Innocentio XI. *n.* 6.
Illuſtratio Supernaturalis ad aſſenſum Fidei non tantùm concurrit directivè, ſed etiam objectivè. *n.* 11.
Illuſtratio ſupernaturalis eſt Motivum infallibilius, quàm ſenſibilis apparentia Miraculorum. *num.* 14.
Et movet ſufficienter etiam ſine Miraculis. *n.* 15.
Aſſignatur diſparitas inter Illuſtrationem Divinam, & inter Spiritum privatum hæreticorum. *n.* 28.
Fidei Neceſſitas.
Fides Habitualis eſt Infantibus neceſſaria ad Salutem. *III. diſp. Un. num.* 29.
Fides Actualis eſt Adultis neceſſaria neceſſitate Medii. *n.* 30.
Quorum Objectorum Fides actualis dicto modo ſit neceſſaria. *n.* 31.
Quorum Objectorum Fides ſit neceſſaria neceſſitate Præcepti. *num.* 32.
Quorum aliorum Objectorum Cognitio ſit neceſſaria. *n.* 33.
Quinam teneantur ad prædictam Cognitionem, ac fidem in aliis procurandam. *n.* 34.
Ad quid teneatur Acatholicus extra articulum Mortis, quando probabiliter, vel probabiliùs judicat, Catholicam Fidẽ eſſe veram. *n.* 35.
Ad quid prædictus teneatur in articulo Mortis. *num.* 36.
An & quoties ex honeſtate, & obligatione imperandi ſibi actuale Exercitium fidei, homo teneatur elicere fidem. *nu.* 37.
Meritò ab Innoc. XI. prohibita eſt Propoſitio 18. negans obligationem publicè profitendi Fidem coram Tyranno interrogante. *num.* 38.
Licitum eſt tempore perſecutionis fugere, & ſe ac fidem ſuam occultare. *num.* 39.
Non licet ſimulare infidelitatem. *num.* 40.
Quid & quotuplex ſit Infidelitas. *num.* 41.
Qualis pœna in hæreticos, & eorum fautores in Bulla Cœnæ ſit ſtatuta. *num.* 42.
Quomodo ſtatuta pœna extendatur in legentes vel retinentes hæreticorum libros. *num.* 43.
Fidei Commiſſum.
Vide Teſtamentum in prin.
Filiusfamilias.
Quis ſit Filiusfamilias. *IV. d. 2. num.* 102.
Fit nativitate ex legitimo matrimonio, legitimatione, adoptione. *num.* 103 *& ſeqq.*
Qualis in filiumfam. detur patria poteſtas. *num.* 116.
Quomodo quis deſinat eſſe Filiusfamilias. *num.* 121.
Bona Filiifam. in quatuor genera dividuntur. Explicantur ſingula, & quale in hæc illi competat dominium. *num* 127.
Fœtus animati & inanimati Occiſio.
Vide Reſtitutio damni ex injuſta læſione corporis.
Fortitudo.
Quid ſit Fortitudo in genere. *IV. d. 1. n.* 10.
Quid in ſpecie. *num.* 11.
Eſt medium inter Timorem, & Audaciam. *ibid.*
Principalis illius actus eſt Martyrium. *num.* 12.
Vide Martyrium. Metus.
Furtum.
Quid ſit Furtum propriè dictum, & quæ ad illud conditiones requirantur. *IV. d. 3. n.* 127.
Quomodo differat à Rapina. *num.* 128.
Injuſta detentio rei alienæ poteſt dici furtum, minùs propriè dictum. *num.* 129.
In definitione furti, accipitur furtum medio modo, ſcilicet non nimis latè, nec nimis ſtrictè. *n.* 130
Dividitur furtum ratione materiæ, ſeu objecti, in peculatum, abigeatum, & plagiatum. *num.* 131.
Furtum ex genere ſuo eſt peccatum mortale; poteſt tamen eſſe veniale propter parvitatem materiæ. *num.* 132.
Referuntur variæ ſententiæ circa ſtatuendam gravitatem materiæ, ſufficientis ad peccatum mortale furti. *num.* 133.
An ſit aſſignanda materia gravis abſoluta, & univerſalis, ex ipſa æſtimabilitate objecti deſumpta, ſine reſpectu ad perſonam, cui damnum infertur. *num.* 134.
Refertur, & examinatur ſententia P. Laymann, pro furto gravi, vel levi aſſignantis materiam reſpectivam ad perſonam damnificatam. *num.* 142.
Referuntur aliorum ſententiæ, etiam materiam reſpectivam determinantium pro furto gravi, vel levi. *num.* 143.
Proponitur eorum principale fundamentum. *num.* 144.
Reſpondetur ad hoc Fundamentum, & diſtinguitur inter damnum reſpectivum, immediatum ac mediatum. *num.* 145.
Oſtenditur gravitatem damni terminantis furtum mortale non debere deſumi ab indigentia perſonæ læſæ. *num.* 146.
Aſſignatur diſparitas, quare pro Temperantia, & pro Juſtitia circa proximi famam, aſſignanda ſit materia reſpectiva, non autem circa bona temporalia. *num.* 147.
Statuitur noſtra Sententia; ſcilicet divites & pauperes habere æquale Jus circa eandem materiam æqualiter obligandi: ſæpe tamen rationabiliter præſumi, quòd nolint eodem æqualiter uti. *num.* 148.
Aſſignatur materia gravis furti, & Regula illam cognoſcendi. *num.* 151.
In furtis domeſticorum materia gravis colligenda eſt ex præſumpta Voluntate patientis damnum. *num.* 153.
Meritò etiam ab Innoc. XI. prohibita fuiſſe probatur propoſitio. 37. de occulta compenſatione famulorum. *num.* 154.
In furtis minutis Succeſſivis major aſſignanda eſt materia furti gravis, & adhuc major in furtis nemini ſeorſim graviter noxijs. *n.* 155.
Furti levis materia poteſt fieri gravis, præſuppoſitionem præcedentium levium damnorum, coaleſcentium. *num.* 156.
Vide Reſtitutio bonorum temporalium.

H.

Habitatio.
Habitatio eſt dominium imperfectum. Illius definitio. Diſtinguitur à Jure uſufruendi, & utendi domo aliena. *IV. d. 2 n.* 82.
Hæres, & Hæreditas.
Vide Teſtamento non condito, qui & quo ordine ſuccedant.

Hære-

Hæreditatis Acceptatio.

Vide Teſtamenti acceptatio.

Hæreditatis Repudiatio.

Vide Teſtamenti Repudiatio.

Hæres Suus & Jus Suitatis.

Vide ibid.

Hæreſis.

Quale ſit peccatum. *III. d. un num.* 41.

Qualis pœna in hæreticos ſit ſtatuta & in eorum Fautores. *n.* 42.

Et in legentes, vel retinentes libros hæreticos. *num.* 43.

Matrimonium hæreticorum cum impedimento Clandeſtinitatis. *VI. d. 9. num.* 88.

An ſit licitum Matrimonium Catholici cum hæretico. *ibid.*

Homicidium.

Quando licitum ſit injuſtum aggreſſorem occidere. *III. d. un.num.* 94 *IV. d. 3. n.* 67.

Vide Reſtitutio damni ex injuſta læſione corporis. Ubi plura dubia de homicidio reſolvuntur.

Horas Canonicas dicendi Obligatio.

Ex Jure non ſcripto, ſed præſcripto ad Horas Can. quotidie recitandas primò tenentur omnes Clerici, Sacro Ordine poſt pubertatem ſponte ſua initiati. *V. d. 1. num.* 1

Secundò. Omnes Beneficiati ob quodvis Beneficium, ſponte ſuſceptum, & perfectè poſſeſſum, aut ſecluſa propria culpa perfectè poſſidendum, ex quo ſufficientes ad obligationem annui redditus percipiuntur, aut certò percipientur. *num.* 2.

Tertiò. Omnes utriusque ſexus Religioſi Choro deputati, niſi per privilegium Pontificis, vel per Conſuetudinem ſpecialem exempti ſint. *num.* 3.

Clerici Majores & Beneficiati obligantur ſub culpa mortali ad Horas Can. De Religioſis utriusque ſexus variant Opiniones; quiſque conſulat ſuæ Religionis propria ſtatuta, vel Conſuetudinem. *num* 37.

Beneficiati probabiliùs ex ſola virtute Religionis, non autem Juſtitiæ adſtringuntur. *num.* 38.

Pro Omiſſione mortaliter peccaminoſa probabiliùs ſufficit & requiritur una Hora, vel pars æquivalens. *num.* 39.

Sufficit ratio probabilis de impleta obligatione. *num.* 40.

Horarum Canonicarum Mutatio.

Quinam Breviario Romano, & quinam alio uti teneantur. *V. d. 1. num.* 5.

Circa mutationem unius Officii Can. in aliud referuntur quinque ſententiæ. *num.* 6.

Statuitur & probatur noſtra ſententia, negans per mutationem raram mortaliter peccari. *num.* 7.

Quando Officium longius, mutatum eſt in brevius, non eſt neceſſe aliquid ſupplere. *num* 12.

Qui excuſatur à dicendo officio longiore præſcripto, non tenetur ſubſtituere brevius. *num.* 13.

Per frequentem mutationem officii Can. ſine juſta cauſa peccatur mortaliter. *num.* 14.

Qualis cauſa ſit juſta. Et num error præcedens ſit ſufficiens cauſa. *num.* 15.

Qualis Obligatio dicendi Officium B. V. Fidelium defunctorum, præſertim in die Commemorationis, Pſalmorum Pœnitentialium, Gradualium, Lytaniarum in diebus Rogationum. *nu.* 16

Horarum Canonicarum Forma ſtudioſè dicendarum.

Studioſè facta Oratio debet eſſe Integra, Continua, & ordinata: & quomodo contra has conditiones peccetur. *V. d. 1. num.* 17.

Refertur ſententia & Rationes Baldelli, nimis ſeverè aſſerentis, notabili interruptione unius horæ non ſatisfieri præcepto quoad ſubſtantiam, & mortaliter peccari, niſi tota repetatur. *num.* 18.

Rurſum improbatur doctrina Baldelli, aſſerentis etiam per frequentem transpoſitionem, & Ordinis variationem peccari mortaliter. *num.* 20.

Horæ Can. qua Intentione dicendæ.

Ad Officiū Canonicum *devotè* perſolvendum, non requiritur Intentio ſatisfaciendo præcepto, requiritur tamen intentio præſtandi illam actionem, quæ præcepta eſt, nempe Orationem vocalem, eaque debet ſaltem virtualiter perſeverare, dum ponitur Oratio. *V. d. 1. num.* 21.

Præter Intentionem orandi, requiritur etiam Attentio: hæc autem dividitur in Litteralem, Spiritualem & ſuperficialem. Ultima rurſum ſubdividitur in Actualem, & Virtualem, quibus poſſet addi habitualis, ſed hæc non eſt apta, ad orationem humano modo ponendam. *num.* 22.

Intentio Superficialis, virtualiter perſeverans, magis declaratur. *num.* 23.

Declaratur etiam Intentio Litteralis & Spiritualis. *num.* 24.

Horæ Can. qua Attentione dicendæ.

Quomodo intelligendi ſint Authores, qui videntur docere, ab Eccleſia nec præcipi, nec poſſe præcipi Attentionem internam. *V. d. 1. num.* 25.

E contrariò quomodo intelligendi ſint; Ad ſubſtantiam Orationis ab Eccleſia præceptæ, neceſſariam eſſe Attentionem internam, eamque præcipi. *num.* 26.

Exponitur ſententia & mens P. Suarez. *num.* 27.

Pariter exponitur aliorum Doctorum mens. *num.* 28.

In unam ſententiam citati Authores reducuntur. *num.* 29.

Multæ diſtractiones Voluntariæ ſunt compoſſibiles cum attentione ſuperficiali, actualiter, aut virtualiter perſeverante. *num.* 30.

Diſtractiones Voluntariæ, Compoſſibiles cum dicta Attentione, non prohibentur ſub peccato mortali, nec impediunt, quò minùs ſatisfiat præcepto Orationis quoad ſubſtantiam. *num.* 31.

Poſſunt dari diſtractiones, voluntariæ, & involuntariæ incompoſſibiles cum Oratione Vocali: & cum his nequit ſatisfieri præcepto quoad ſubſtantiam; unde neceſſe eſt, repetere illam partem Orationis, cum tali diſtractione recitatæ; aliàs ipſa voluntas non repetendi notabilem partem eſſet peccatum mortale. *num.* 32.

Horas Canonicas dicendi Locus, Situs, & Tempus.

Locus & Situs pro recitando officio ille convenienter adhibetur, qui ſervit devotioni, & qui conformatur rubricis publicæ Orationis. *V. d. 1. num.* 34.

Tempus pro obligatione gravi eſt determinatus dies naturalis, pro obligatione Veniali, horæ ante vel pomeridianæ, reſpondentes Officio, ita ut hæ ſine rationabili cauſa notabiliter mutari non debeant. *num.* 35.

Horas Can. dicendi Cauſæ excuſantes.

Referuntur tres Cauſæ excuſantes à recitatione horarum: quarum prima eſt Impotentia Phyſica, & Moralis. Circa eam reſolvuntur quædam ſpecialia dubia, de non niſi ex memoria potente recitare Officium, aut non niſi partem minorem, aut non ſine ſocio. *V. d. 1. num.* 41.

Explicatur Secunda & Tertia Cauſa excuſans, nempe Occupatio, & Diſpenſatio. *num.* 42.

Horas Can. Omittentium pœna.

Beneficiati redditus quotidianos, toti vel parti Officii reſpondentes, ſecundùm proportionem, pro eo non perſoluto ad pias cauſas dare debent. *V. d. 1. num.* 43.

Et quidem ante ſententiam Judicis; quia redditus non faciunt ſuos: ideo etiam non poſſunt ſervari, etiamſi priùs ex propriis bonis tantundem ad pias cauſas dederint: unde meritò propoſit: 29. & 33. contrarium aſſerentes Alexand. VII. prohibuit. *num.* 44.

I

Jejunium.

Præcepto Jejunii Eccleſiaſtici prohibetur eſus Carnium, & lacticiniorum, ac Ovorum, in locis non exceptis. *IV. d. 1. n.* 36. & 37.

Item lardi, & pinguedinis animalium. *num.* 38.

Licita eſt tantùm unica refectio integra. *num.* 39.

Quanta licita ſit Veſpertina Collatiuncula. *num. n.* 40 & *ſeqq.*

Quinam ad abſtinentiam à carnibus, & quinam ad jejunium obligentur, & ſub quanta culpa. *num* 43.

Quinam excuſentur ratione Infirmitatis, ſenectutis, laboris, opificii, paupertatis. *num.* 44.

Quando petenda, & danda diſpenſatio. *num.* 49.

Per potum, adeòque etiam per potionem Cholaticam non violatur jejunium. *num.* 39.

In Jejunii naturalis ante S. Communionem Violatione non datur parvitas materiæ. *II. d. 2. num.* 12.

Hujus jejunii ſub gravi culpa datur obligatio ex Lege Eccleſiaſtica. *VI. d. 4. num.* 1 7 Ubi usque ad *n.* 126. plura dubia de hac obligatione reſolvuntur.

Ignorantia.

An & quando Ignorantia excuſet à peccato. *I. d. 1. n.* 14.

Vel ſaltem à pœna temporali, aut à Reſervatione peccati. *II. d.* 1. *num.* 23.

Vide Prudentia.

Immunitas Eccleſiaſtica per Privilegium Canonis.

Privilegio Canonis gaudent omnes Clerici, niſi qui ſpeciali Jure excipiuntur. *V. d 2. num.* 266.

Similiter omnes Religioſi utriusque ſexûs, quibus etiam Novitii, & quidam alii comprehenduntur. *num.* 267.

Immunitas Eccleſiaſtica per Privilegium Fori.

Privilegium Fori, ſive Libertas Eccleſiaſtica, multi cenſent, quòd fundetur in Jure merè humano, Civili, & Eccleſiaſtico. *V. d. 2. num* 268.

Multi etiam putant, quòd fundetur in Jure Divino, ſed horum ſententia nobis videtur eſſe minùs probabilis. *num.* 269.

Quomodo Minores Clerici privilegio fori careant ex defectu Beneficij Eccleſiaſtici. *n.* 270.

Vel ex ratione Matrimonij, vel Bigamiæ, vel ex defectu habitus ac Tonſuræ. *num.* 271.

Clerici non Coniugati, & Religioſi Jure communi eximuntur à Gabellis, & Tributis, quæ titulo Juriſdictionis exiguntur. *num.* 273.

Non autem eximuntur ab aliis contributionibus, non titulo Juriſdictionis debitis. Quomodo Clerici & Religioſi à Legibus Civilibus eximantur. *I. d. 2. num.* 28.

Immu-

Immunitas Aſyli Eccleſiaſtici.

Vide Aſyli immunitas.

Indulgentiæ.

Quæ Indulgentiæ Regularium ſint revocatæ à Paulo V. *I. diſp.* 3. *num.* 71.

Quænam ab eodem revocatis ſint ſubſtitutæ. *n.* 72.

An Indulgentiæ pro vivis, mortui applicabiles etiam pro his ſint revocatæ. *num.* 74.

An Sodalitatum Marianarum, Romanæ Principali aggregatarum ſint revocatæ. *num.* 73.

Inceſtus.

Quid ſit Inceſtus, & an ille, qui eſt contra Jus naturale, differat ſpecie ab eo, qui eſt contra Jus poſitivum. *IV. d.* 1. *num.* 59. & *VI. d.* 6. *num.* 83.

Interdictum.

Definitio Interdicti. Et illius diviſio in Locale, Perſonale, ac Mixtum: & tam Localis, quàm Perſonalis Interdicti ſubdiviſio in Generale & Speciale. *VII. d. un. num.* 63.

Interdictum Totale prohibet uſum activum & paſſivum Sacramentorum, excepto Baptiſmo, & probabiliter etiam Confirmatione. *num.* 64.

Excipitur etiam Sacramentum pœnitentiæ, quod etiam in loco Interdicto, perſonæ interdictæ priùs ab interdicto abſolutæ, à Confeſſario non ſpecialiter interdicto ac denunciato, validè & licitè adminiſtrari poteſt: à denunciato autem non poteſt licitè, ſed probabiliter validè, ſi pœnitens bona fide petat. *n.* 65.

Sacramentum SS. Euchariſtiæ non excipitur, niſi in probabili mortis periculo, & quatuor majoribus feſtis Eccleſiæ. *n.* 66.

Extrema Unctio autem neque in mortis periculo excipitur, niſi Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipi non poſſet. *n.* 67.

Excipitur quoque Sacramentum Matrimonii, omiſſis Benedictionibus. *n.* 68.

Excipitur etiam ab Interdicto locali per privilegium Clericis & Religioſis conceſſum privata Celebratio Officiorum Divinorum, quatuor Conditionibus obſervatis. *num* 69.

Denique quicunque gaudent privilegio Canonis & Fori tempore Interdicti localis gaudere poſſunt ſepultura Sacra, privatim exhibita, niſi cauſam Interdicto dederint. *num.* 70.

Interdictum Locale & Perſonale ferre poteſt, quiſquis gaudet Juriſdictione Epiſcopali, & idem etiam auferre poteſt pro foro externo, in foro interno autem, ſi non ſit ſpecialiter reſervatum, à perſonali interdicto ſpeciali, poteſt abſolvere quivis Confeſſarius, qui poteſt abſolvere à mortalibus. *num.* 71.

Quanta culpa requiratur ad ferendum Generale vel Speciale interdictum tam in locum, quàm in perſonas. *num.* 72.

Quomodo Interdictum differat à Ceſſatione Divinorum. *n.* 73.

Inventarium Hæreditatis.

Vide Teſtamenti acceptatio.

Invidia.

Quid & quale peccatum ſit Invidia. *III. d. un. num.* 84.

An etiam ſit, & rectè dicatur Invidia, gaudere de malo proximi, propter augmentum proprii boni emergentis. *n.* 85.

Quatuor modi triſtandi de bono Proximi, & quis eorum ſit proprius Invidiæ. *num.* 86.

Quantum peccatum ſit Invidia. *num.* 87.

Quomodo triſtitia de prælatione aliena non ſit Invidia. *n.* 90.

Irregularitas.

Definitio Irregularitatis. Cujus ſtatutæ Autor eſt ſolus Pontifex. Subiectum illius eſt omnis homo capax Sacramenti Ordinis. Et quando provenit ex delicto, ipſum debet eſſe actus externus, mortaliter peccaminoſus, in ſuo genere perfectus, ſcienter & liberè à metu contra legem comminatoriam Irregularitatis commiſſus. *VII. d. un. num.* 74.

Cauſa Irregularitatis debet eſſe certa, excepta ea, quæ provenit ex homicidio voluntario, quæ ipſa tamen in dubio ſolam facultatem celebrandi miſſam inhibet. *num.* 75.

Irregularitas primariò prohibet ſuſceptionem Ordinis includendo etiam primam tonſuram, ſi totalis eſt: poteſt autem non eſſe totalis, ſed partialis. *num.* 76.

Secundariò etiam uſum percepti Ordinis, ſaltem quoad certas quaſdam actiones, quæ à Laico exerceri non poſſunt, prohibet, non verò quoad alias. Nec privat Beneficio obtento, ſed conſecutione non obtenti, exigentis functiones, ad quas per ſe præſtandas Irregularis inhabilis eſt redditus. Si tamen Irregularitas orta eſt ex delicto, etiam Beneficium poſſeſſum auferendum eſt, niſi diſpenſetur. *num.* 77.

Diviſiones Irregularitatis. *num.* 78.

Ingreſſus in Religionem tollit ſolam Irregularitatem ex defectu natalium ortam, eamque tantùm ad ſuſcipiendos Ordines, non ad Prælaturas. *num.* 79.

Poteſtas diſpenſandi in Irregularitate de Jure Ordinario competit ſoli ſummo Pontifici. Ex privilegio tamen conceſſa eſt Epiſcopis, & Epiſcopali poteſtate fungentibus, reſpectu ſuorum ſubditorum, quoad Irregularitatem, ortam ex alio crimine occulto, quàm homicidio voluntario. Et præterea conceſſa ſunt certa privilegia Prælatis Regularibus in Ordine ad ſuos Religioſos. *n.* 80.

Ex quibus delictis incurratur Irregularitas. *VII. d. un. n.* 81.

Ex quibus defectibus corporis. *num.* 82.

Animæ. *num.* 83.

Famæ. *num.* 84.

Libertatis. *num.* 85.

Sacramenti. *num.* 86.

Lenitatis. *num.* 87.

Referuntur aliqui caſus circa homicidium & mutilationem, non inducentes Irregularitatem. *num.* 88.

Judex in Cauſis Civilibus.

Quid ſit quæſtio Facti, quid quæſtio Juris. *I. d.* 1. *num.* 89. & à *num.* 80.

Judex tenetur ferre Sententiam pro ea parte, quam certum eſt habere rationes probabiliores. *num.* 81.

Si rationes utrinque ſint certò æquales, & Leges utrique parti æqualiter faveant, non licet Judici parti alterutri magis favere. *num.* 82.

Si Leges alterutri parti magis faveant, ſecundùm illas ſententia ferenda eſt. *num.* 83.

Quando utriuſque partis rationes ſe invicem probabiliter vincunt, & neutrarum Victoria eſt certa, aut à Legibus determinata, licet Judici alterutram majorem probabilitatem eligere, ac ſecundùm illam ſententiam ferre. *num.* 84.

Judex in Cauſis Criminalibus.

An teneatur Judex pœnas lege ſtatutas infligere. *I. d.* 2. *n.* 76.

An etiam ex Juſtitia Commutativa exigere mulctas pecuniarias. *num* 77.

Peccat contra Juſtitiam Vindicativam per impunitatem criminum. *IV. d.* 2. *num.* 23.

Non licet tamen illi, ex privata notitia contra Reum procedere. *num.* 27.

Neque etiam licet ſubordinato Iudici, ex privata notitia cognitum innocentem, ſed Iuridicè convictum, abſolvere, ſed debet, ſi poſſit, alio modo illum liberare. *num.* 28. & 29.

Quando liceat Iudici, inquiſitionem ſpecialem inſtituere. *num.* 24.

Et quando adhibere torturam. *num.* 26.

Erga quos Reos non poſſit illam adhibere. *num.* 40.

Qua forma Iuris uti debeat. *num.* 38.

Judicium & Suſpicio temeraria.

Quomodo diſtinguantur inter ſe Iudicium temerarium, Opinio, Suſpicio, Dubium. *IV. d.* 3. *num.* 116.

Iudicium temerarium de delicto proximi eſt ex genere ſuo peccatum mortale. *num.* 117.

Ut autem ſit mortale peccatum, quatuor requiruntur. *n.* 118.

Obligationi reſtitutionis debitæ ſatisfit deſiſtendo à Judicio temerario. *num.* 119.

Aliud eſt dari ſufficiens fundamentum judicandi, dari peccatum proximi, & aliud, poſſe dari. *num.* 120.

Suſpicio & Opinio infirma temeraria, ex genere ſuo non eſt peccatum mortale. *num.* 121.

Probabiliùs eſt, præcedentes actus nunquam formaliter eſſe mortale peccatum, ſæpe tamen tale ſupponere, vel diſponere ad illud. *num.* 122.

An & qualis detur obligatio, actionem proximi in meliorem partem interpretandi. *num.* 123.

Cuſtodire rem ſuam contra proximum, non eſt dubitare de probitate proximi. *num.* 124.

Poſſum judicare, alterum dixiſſe falſum, quin poſſit judicare, mentitum eſſe. *num.* 125

Explicatur Regula 8. Iuris in 6. *num.* 126.

Juramentum.

Definitio Iuramenti, & Definitionis explicatio. *V. d.* 1. *n.* 45.

Diviſiones Iuramenti, earumque declaratio. *num.* 46.

Iuramenti honeſti Conditiones.

Iuramentum eſt actus Religionis. *V. d.* 1. *num.* 47.

Ut autem talis ſit, requiruntur tres conditiones. Prima Conditio eſt, ut fiat cum Iuſtitia, ne ſcilicet adhibeatur, ad actum injuſtum ſive peccaminoſum confirmandum, & ad ejus executionem ſtabiliendam, aliàs, peccatum foret mortale, vel Veniale, pro diverſa gravitate vel levitate actus ponendi. *num.* 48.

Secunda Conditio Iuramenti, ut fiat cum Iudicio, ſive diſcretione debita. *num.* 49.

Tertia Conditio eſt Veritas; perjurium enim aſſertorium eſt ex genere ſuo peccatum mortale, nec datur levitas materiæ: propterea propoſitio 24. ab Innoc. XI. meritò damnata eſt. *n.* 50.

Iuramentum Promiſſorium ſemper eſt etiam aſſertorium, & ſi ut tale falſificetur, eſt peccatum mortale. *n.* 51.

Iuramentum Promiſſorium factum DEO parit obligationem Voti, factum homini parit obligationem Iuſtitiæ; unde ejus Violatione ſemper committitur duplex peccatum mortale, vel Veniale, ſecundùm quantitatem objecti promiſſi. *num* 52.

Iuramentum aſſertorium objecti dubii eſt peccatum mortale. *nu.* 53.

Datur obligatio ſub mortali deponendi conſuetudinem temerè Iurandi. *num.* 54.

Si ſi-

Si fictè juratur falſum in materia gravi, eſt peccatum mortale, in materia levi eſt Veniale: etiamſi hac cum cauſa tunc, quando non licet æquivocatione, vel amphi bologia uti. *n.* 55.

Qui Iuramento ficto promittit rem gravem ſine animo illam præſtandi, peccat mortaliter; ſi autem promittit rem levem, vel gravem quidem, ſed cum animo illam præſtandi, peccat venialiter. Non autem ex Religione, ſed ex Iuſtitia tenetur, illam præſtare, quando Iuramentum fuit doloſum, ſeu injuſtum. *num.* 56.

Iuramenti Promiſſorii Obligatio.

Juramentum promiſſorium de re inhoneſta non obligat. V. *d.* 1. *num.* 57.

Etiam factum de opere merè indifferente non obligat. *n.* 58.

Etiam de opere minus bono, quàm eſt oppoſitum, non in alterius utilitatem facto, non obligat. *num.* 59.

Iuramentum de re vel opere in alterius utilitatem præſtando obligat, modò id ſine peccato præſtari poſſit. *num.* 60

Dicta obligatio vera eſt, etiamſi res Iurata ab altero ſine peccato acceptari non poſſit. *num.* 61.

Hinc tenetur Iurans ſolvere injuſtas uſuras, latroni lytrum, reditum ad captivitatem injuſtam. *num.* 62.

Nec obſtat error accidentalis circa rem, vel cauſam impulſivam. *num.* 63.

Omne Iuramentum ſequitur naturam actus, ſuper quem cadit. Explicatur hæc Regula. *num.* 64.

In omni actu Iurato ſubintelligitur hæc conditio, *ſi potuero licitè*. *num* 65.

Eaſdem Conditiones, quas Votum DEO factum, aut promiſſio homini facta involvit, ut obliget, vel non obliget, etiam involvit Iuramentum adjectum. *num* 66.

Iuramentum non ſe extendit ultra promiſſionem, quæ per ipſum confirmatur, & pari modo interpretandum eſt. *n.* 67.

Sicut notabiliter mutatis circumſtantiis ceſſat obligatio promiſſionis, ita etiam obligatio Iuramenti. *n.* 68.

An actus Iure poſitivo irriti Iuramento firmentur. *IV. d.* 2. *à n.* 360 & *V. d.* 1. *num* 64.

Iuramenti Relaxatio.

Obligatio Iuramenti 4. modis tolli poteſt. Irritatione, Diſpenſatione, Relaxatione, & Commutatione. Explicantur ſinguli: deinde declaratur, quibus & in Ordine ad quæ Iuramenta competat poteſtas irritandi. *V. d.* 1. *num.* 69.

Poteſtas diſpenſandi & commutandi Iuramenta, non edita in utilitatem hominis, vel communitatis, competit omni ei, qui habet poteſtatem Ordinariam, vel delegatam, diſpenſandi & commutandi Vota. *num.* 70.

Iuramenta Promiſſoria edita in utilitatem hominis, vel communitatis, tolli poſſunt ſolùm per Relaxationem, directè & per ſe competentem ei, in cujus utilitatem ſunt edita: Per accidens autem, & propter certas cauſas, etiam Papæ, vel Epiſcopo. *num* 71.

Iuramentum editum quidem in utilitatem alterius, ſed abſque promiſſione, vel cum promiſſione Iure poſitivo invalida, nec per Iuramentum convaleſcente, poteſt ſummus Pontifex vel Epiſcopus relaxare poteſtate ordinaria. *num.* 72.

Iuramentum ſine promiſſione in utilitatem hominis determinati editum non poteſt quidem directè relaxari, poteſt tamen indirectè per non acceptationem rei promiſſæ. *num.* 73.

In propriam autem utilitatem editum Iuramentum non perinde poteſt Iurans ſibi ipſi remittere. *num.* 74.

Ius Proprietatis.

Quid ſit Ius proprietatis propriè dictum. *IV. d.* 2. *n.* 41.

Varia ejus diviſio. *à num.* 45.

Ius ad fidem tori non poteſt à Conjugibus cedi, nec à Clericis Ius ad Immunitatem Eccleſiaſticam. *num.* 44.

Quomodo Ius contra debitorem fundet obligationem ſervandi æqualitatem, ac medium rei. *n.* 48 & *ſeqq.*

Iuſtitia Commutativa.

Quid ſit Iuſtitia Commutativa. *IV. d.* 2. *n.* 1.

Iuſtitia Diſtributiva.

Diſtributiva non eſt propriè Iuſtitia, neque reſpicit propiè dictum Ius. *IV. d.* 2. *num.* 3.

Illius multiplex differentia à Commutativa. *num.* 4.

An vel quomodo contra illam peccetur acceptione perſonarum. *num.* 5.

Nec peccat Communitas contra Iuſtitiam, diſtribuendo bona ſua minùs dignis, quando ſe nemini obligavit. *n.* 7.

An & contra quam Iuſtitiam peccet Executor, cui Communitas bona ſua diſtribuenda commiſit ſecundùm dignitatem accipientium. *num* 8. & 9

Quomodo & contra quam virtutem peccet, qui cooperatur ad Collationem Epiſcopatus, vel Cardinalatus, factam minùs digno. *num.* 10.

Vel ad Collationem alterius Beneficii Curati, factam abſque forma, à Tridentino præſcripta. *n.* 11. 12.

Quæ cauſæ excuſent ab hac forma, præſertim in Germania. *n.* 14.

Quando Collatio Beneficii facienda eſt per concurſum, is, qui præmiſſo examine eſt cauſa, ut promoveatur minùs dignus, facit propiè dictam injuriam illi, cui Beneficium erat conferendum, & promotio eſt irrita, vel certè irritanda. Valent tamen interea actiones, ab injuſtè promoto præſtitæ. *n.* 13.

Unde etiam Promovendo damna temporalia ſunt reſtituenda. *num.* 15.

Promotus verò tenetur cedere Beneficio. *num.* 16.

Quando dignior Beneficio nec per concurſum, nec per promiſſionem, nec alia ratione acquiſivit Ius propriè dictum ad Beneficium, eo prætérito non fit huic injuria, ſed Communitati in bonis Spiritualibus, quæ etiam in bonis temporalibus damnum paſſa eſſet, huic iſtud reſtituendum foret, ſi promotus omnino fuiſſet indignus. *n.* 15 & 17.

Qui pro Collatione Beneficii aliquid accipit, tenetur illud reſtituere. *num.* 18.

Juſtitia Legalis.

Iuſtitia Legalis eſt ſpecialis virtus, diſtincta à cumulo omnium Virtutum: & eſt eadem in Gubernatore & in ſubditis. *IV. d.* 2. *n.* 19 & 20.

Iuſtitia Vindicativa.

Iuſtitia Vindicativa eſt Virtus ſpecialis, quamvis illius executio etiam ex motivis aliarum virtutum procedere poſſit: Unde ipſa habet ſpeciale motivum formale. *IV. d.* 2. *n.* 21. & 22.

De hujus obligatione.

Vide Iudex.

L

Lex.

Lex definitur. Ordinatio rationis ad Bonum Commune, ab eo, qui curam Communitatis habet, promulgata, differt à Præcepto ex fine Boni Communis. *I. d.* 2. *num.* 1.

Debet fieri formulis præceptivis, & quænam illæ ſint. *num* 2.

Ante promulgationem factam Communitati, non obligat. *num.* 3.

An & quomodo requiratur acceptatio Legis tam Eccleſiaſticæ, quàm Civilis. Et an peccet Populus ſine juſta cauſa non acceptans legem. *num.* 4.

Diviſio Legis in Divinam, Naturalem, Humanam, & hujus ſubdiviſio in Civilem, Canonicam, & in Ius Gentium. *num.* 6.

Diviſio Legis in Affirmativam, & Negativam. *n.* 7.

In Odioſam, Favorabilem, & Mixtam. *num.* 8.

Legis objectum materiale.

Actio inhoneſta nequit eſſe objectum Legis. *I. d.* 2 *n.* 9.

Actio merè interna nec Canonica, nec Civili Lege directè & immediatè poteſt præcipi, bene tamen ratione actus Externi præcepti. *n.* 10.

Legis ferendæ Poteſtas.

Nemo poteſt ferre Legem Communitati, niſi qui in illam ſupremam habet Iuriſdictionem, vel cui is ſuam poteſtatem commiſerit. *I. d.* 2. *num.* 13.

Summus Pontifex inconſulto, imò etiam renitente Concilio Generali poteſt ſtatuere, Leges Univerſales per tota Eccleſia. Et Epiſcopus ſpeciales pro ſua diœceſi inconſulto Capitulo. *num.* 14.

Leges perpetuæ à Concilio Generali vel particulari indigent approbatione ſuperioris exiſtentis, aut futuri poſt ſedem vacantem. *num.* 15.

Qualis Prælatis Regularibus poteſtas ferendi legem competat, dependet ex peculiari Ratione ſui inſtituti à Pontifice approbata. *n.* 16.

Legis Obligatio.

Leges etiam humanæ obligant in Conſcientia, ſaltem quando non ſunt merè pœnales. *I. d.* 2. *num.* 30.

An & quomodo Legiſlator ſua Lege teneatur. *nu.* 17.

Rationis incapaces etiam Legis ſubeundæ incapaces ſunt. Quando & quomodo pueri legibus humanis ſubjaceant. *n.* 18.

Qui incapacem Legis naturalis, vel à Lege poſitiva non exemptum ad actionem materialiter inhoneſtam inducit, peccat. *num.* 19.

An peregrini legibus ſpecialibus locorum obligentur. *n.* 20.

Abſentes proprii domicilii Legibus non tenentur, quamdiu verſantur in loco immuni ab obligatione Legis. *n.* 23.

Revertentes ſtatim iterum tenentur, in quantum obſervatio Legis adhuc præſtari poteſt. *num* 24.

Abituri tenentur Legibus negativis, non affirmativis, ſi intra tempus executioni deſtinatum perventuri ſunt ad locum immunem à lege. *num.* 25.

Pœna Violatæ Legis incurritur etiam ab abſente, quando crimen in loco domicilii conſumatur. *n.* 27.

An & quomodo Clerici & Religioſi Legibus Civilibus obligentur. *num.* 28.

Legis Executio.

Pro ſatisfactione Legis non requiritur alia intentio, quàm præ-

præſtandi actionem præceptam. *I. d.* 2. *num.* 34.
Eadem ſolutione non pluribus obligationibus Juſtitiæ, ſed eadem actione pluribus obligationibus vitutum ſatisfieri poteſt. *n.* 35.
Per actionem ſolùm extrinſecè inhoneſtam poteſt ſatisfieri Legi. *n.* 36.
Executioni Legis Naturalis non tam facilè licet impedimentum opponere, quàm executioni Legis poſitivæ. *n.* 37.
Potiſſimùm licentia prædicta ex mente Legislatoris colligenda. *num.* 38.

Legis Interpretatio.

Duplex eſt Interpretatio Legis. Authentica, & Doctrinalis, *I. d.* 2. *num.* 39.
Quænam Declarationes Cardinalium Concilii Tridentini ſint Authenticæ. *n.* 40.
In Legibus Directivis, & non Irritantibus locum habet Epikeia. *num.* 41.
Regulæ in Legis Interpretatione ſervandæ. *num.* 42.

Legis Diſpenſatio.

Obligatio Legis Naturalis non poteſt tolli per Diſpenſationem directam, & propriè dictam: benè tamen per Conditionum & Circumſtantiarum mutationem. *I. d.* 2. *n.* 43.
In Legibus Divinis circa ſubſtantiam Sacramentorum & Sacrificii nullus homo poteſt diſpenſare. *n.* 44.
In Legibus Divinis, non ſtatuentibus aliquid ſpectans ad ſubſtantiam Eccleſiæ, & humanis poteſt diſpenſari. *n.* 45.
Poteſtatem diſpenſandi habet Legislator, & illius Superior, & Succeſſor, & illi, quibus prædicti eam commiſerint: aliàs Inferior non habet poteſtatem diſpenſandi in lege Superioris. *num.* 46.
Referuntur Caſus, in quibus Epiſcopis commiſſa eſt poteſtas diſpenſandi in Legibus Pontificiis directivis. *n.* 47.
An Inferior, quando ex Commiſſione habet poteſtatem Ordinariam diſpenſandi in Lege ſuperioris cum aliis, poſſit etiam ſecum ipſo. *num.* 48.
Quis diſpenſare poſſit cum Vagis, & Peregrinis. *num.* 50.
Quinam diſpenſare poſſint cum Religioſis Exemptis à Juriſdictione Epiſcopali. *n.* 51.
Legislator in propria Lege validè diſpenſat, etiam ſine juſta cauſa, ſine ea tamen peccat venialiter. *num.* 52.
Inferior Legislatore, alioquin habens poteſtatem nec validè, nec licitè ea utitur ſine juſta cauſa ſaltem apparente. *n.* 53.
Quando Cauſa, ſufficiens exiſtimata, agnoſcitur fuiſſe inſufficiens, non invalidatur diſpenſatio. *n.* 54.
Quomodo falſificata cauſa diſpenſatio invalidetur. *n.* 55.
Subſiſtit diſpenſatio, quando ſine dolo cauſa falſa fuit addita veræ & ſufficienti. *num.* 56.
Si cauſa vera ſufficit quoad partem petitæ diſpenſationis, quoad illam valet diſpenſatio. *num.* 57.
Si autem cauſa falſa per dolum eſt addita veræ, irrita vel ſaltem irritanda eſt diſpenſatio etiam quoad partem veram. Error quoad ſubſtantiam in Materia vel Perſona invalidat diſpenſationem. *num.* 58.

Legis Ceſſatio, & Abrogatio.

Lex ceſſat quoad totum vel quoad partem, taliter ceſſante fine. Et tollitur etiam per expreſſam aut tacitam Voluntatem Legislatoris. *num.* 59.
Ad ceſſationem Legis ceſſante fine principaliter intento, non requiritur promulgatio, vel Communis notitia. *n.* 60.
Si finis Legis univerſaliter ceſſet tantùm quoad aliquod tempus, vel tantùm quoad partem Legis, ſuſpenditur etiam vel dimidiatur obligatio legis, ſi verſetur circa materiam diviſibilem. *num.* 61.
Non ſolùm Canonica, ſed etiam Civilis Lex nequit abrogari à ſuperiore ſubordinato Legislatori. *num.* 62.
Lex ſine juſta cauſa validè, ſed non licitè revocatur: abrogatur etiam per Contrariam Legem, quando huic nihil deeſt ad Valorem. *num.* 63.

Lex Pœnalis.

Reiicitur Sententia negans ullam legem pœnalem obligare in conſcientia. *n.* 31.
Reiicitur etiam ſententia affirmans omnem legem pœnalem obligare in Conſcientia. *num.* 32
Noſtra ſententia diſtinguit inter Leges pœnales. *n.* 33.
Lex pœnam ſtatuens non obligat ad eam ſubeundam ante ſententiam, vel ſaltem ante declarationem Judicis, exceptis & enumeratis certis Caſibus. *num.* 72.
Quos effectus habeat Lex, ſtatuens pœnam, *ipſo Facto* incurrendam. *num.* 73.
Lex ipſo facto irritans actum, non ſicut Lex pœnalis ſententiam aut declarationem Judicis exigit. *num.* 74.
Reus pœnas, juſtè ſtatutas, perferre Omnes, ſed non omnes ſibi inferre, cogi poteſt. *num.* 75.
Legislator ita tenetur infligere pœnam, lege à ſe ſtatutam, ſicut tenetur ad aliarum ſuarum legum executionem. Magis autem obligatur ſubordinatus Judex ex Juſtitia Vindicativa. *n.* 76.
Non tenetur Judex ſubordinatus ex Juſtitia Commutativa, ad exigendas mulctas pecuniarias. *n.* 77.

Lex Irritans.

Leges aliquas actiones decernunt irritas, aliquas irritandas. *num.* 78.
Quænam Leges explicitè, & quænam implicitè irritantes cenſeantur. *num.* 79.
Quænam Leges ante ſententiam Judicis actionem irritam reddant, & an in utroque foro. *num.* 80.
Lex irritans actus, ignoranter factos, nondum habet vim ante ſufficientem promulgationem. *n.* 82.
Non omnis Lex prohibens actum, eſt etiam irritans. *num.* 83.
Nec omnis Lex irritans eſt prohibens. *n.* 84.

Lex à Conſuetudine.

Conſuetudo Legalis eſt *Ius Moribus conſtitutum*. Poteſt etiam per illam abrogari Lex: ut tamen habeat vim obligandi, & abrogandi; debet cedere in Bonum Communitatis. *n.* 64.
Referuntur aliorum ſententiæ de tempore, ad præſcriptionem conſuetudinis obligantis, vel abrogantis priorem legem, requiſito. *num.* 65.
Statuitur requiri & ſufficere decennium. *n.* 66.
Ad Conſuetudinem requiritur etiam Actuum frequentia, nulla reclamatione interrupta, & ad inducendam obligationem, aut abrogationem contrariæ legis intenta. *n.* 67.
Debet etiam per ſe ipſam ſatis fuiſſe manifeſtata, & à ſuperiore certo modo ratificata. *n.* 68.
Ad Conſuetudinem ſpectat etiam Stylus Curiæ. *n.* 69.
Conſuetudo, habens Vim Legis, valet vel novam Obligationem inducere, vel inductam Authenticè interpretari; vel abrogare, vel irritare actum. *n.* 70.
Poteſt Conſuetudo etiam habere vim legis merè pœnalis. Antequam conditiones ad rationem legis requiſitæ poſitæ omnes fuerint, etiam nondum habet Vim legis, neque Authenticè interpretandi legem. Ut autem habeat vim irritandi actum, vel abrogandi legem, debet Lex non fuiſſe lata modo derogatorio. *num.* 71.

Locatio & Conductio.

Quid ſit Locatio, & Conductio, & quomodo Locatio rei immobilis differat ab Emphyteuſi. *IV. d.* 2. *n.* 457.
An impeditus ab uſu rei locatæ teneatur ejus pretium ſolvere. *num.* 458.
Quando Locator teneatur de pretio remittere, aut Conductor majus dare, ob extraordinariam Sterilitatem, aut fertilitatem rei locatæ. *num.* 459.
Qualem ultra pretii ſolutionem, at remiſſionem, Conductor & Locator obligationem ſubeant. *num.* 460.

M

Martyrium.

Ad eſſentiam Martyrii requiritur primò Mors, niſi ea miraculosè impediatur. Secundò in adultis, illius mortis voluntaria acceptatio. Tertiò. Cauſa pia, ut mors in Odium fidei vel Virtutis inferatur. *IV. d.* 1. *n.* 13 *& ſeqq.*
Quomodo requiratur ſtatus gratiæ. *n.* 15.
Martyr tenetur elicere actum perfectæ Charitatis DEI. *n.* 16.
Martyrium poteſt facere ex attrito contritum Virtualiter. *num* 17.
Differt à Sacramento. *ibid. & ſeqq.*
Licèt cauſet gratiam ex operè operato, non tantùm in parvulis, ſed etiam in adultis. *n.* 21. *&* 22. *&* 25.
Requiritur verò in his debita diſpoſitio. *n.* 20.
Illam gratiam cauſat in ultimo inſtanti Vitæ. *n.* 24.
Delet etiam omnem reatum pœnæ temporalis. *num.* 26.
An eundem effectum præſtiterit in Veteri Teſtamento, incertùm eſt, & probabiliùs negatur *n.* 23.

Matrimonii futuri Sponſalia.

Definitio Sponſalium: ad quæ pertinet Voluntas ſe obligandi. *VI. d.* 9. *num.* 1.
Sponſalia debent eſſe libera à neceſſitate, & à metù injuſtè incuſſo. *num.* 2.
Ex injuſto metù contracta Sponſalia neque accedente Juramento obligant. *num.* 5.
Sponſalia eſſentialiter ſunt promiſſio Mutua. *n.* 6.
Signo ſenſibili expreſſa, & mutuò acceptata. *num.* 7.
Sponſalia ſunt promiſſio Matrimonii de futurò ineundi: Cui promiſſio Matrimonij de Præſenti inter Impuberes, niſi ſit Clandeſtina, æquivalet. *num.* 8.
Sponſalia cum Impedimento Matrimonii inauferibili, ſunt invalida. *n.* 9
Ad Valorem Sponſalium requiritur, ut Contrahentes ſeptem ætatis annos compleverint. *n.* 10.
Poteſt tamen pleno uſu Rationis compenſari, & ſuppleri ætas. *num.* 11.

Ma-

Matrimonii ineundi obligatio per Sponſalia.

Obligatio Sponſalium eſt gravis, ac implenda tempore præfixo. *VI. d. 9. n. 12.*

Sponſalia Conditionata tranſeunt in abſoluta, ſine novo conſenſu, poſt impletam Conditionem, quam contrahentes tenentur expectare. Illa autem deficiente, nec Jurata tranſeunt in abſoluta. *n. 13.*

De Conditionibus, quæ in Contractu Matrimoniali habentur pro non adiectis, non idem dicendum eſt in Sponſalibus. *n. 14.*

Refertur Sententia aſſerens, hanc Conditionem: *Si Pontifex diſpenſaverit*: habendam eſſe pro civiliter impoſſibili, vel inhoneſta. *num. 15.*

Statuitur Contrarium. *num. 16.*

Sententia noſtra Confirmatur exemplis. *num. 19.*

An ſponſalia, ſub dicta Conditione inita, pariant obligationem procurandi exiſtentiam Conditionis. *n. 20.*

Matrimonii per Sponſalia promiſſi Relaxatio.

Sponſalia diſſolvuntur mutuo Conſenſu contrahentium. *VI. d. 9. n. 21.*

Quòd ſi hi impuberes fuerint, nequeunt diſſolvere ante obtentam pubertatem. *num. 22.*

Impubes obtenta pubertate, ſtatim poteſt reclamare, quamdiu non ratificavit poſt pubertatem: niſi pubertati proximus Sponſalia, Juramento firmaverit. *num. 23.*

Sponſalia ſolvuntur, etiamſi fuerint jurata, per profeſſionem Religionis: non autem per ſolam promiſſionem Caſtitatis perpetuæ, vel Sacri Ordinis ſuſcipiendi, quæ promiſſio probabiliùs eſt invalida, & illicita. *n. 24.*

Sponſalia de præſenti, quando ſunt valida in ratione Contractûs Matrimonialis, prævalent prioribus de futuro: Imò etiam Sponſalia de futuro, accedente Copula fornicaria, cum Sponſa ſecunda, ignara priorum Sponſalium, probabiliùs prævalent. *num. 25.*

Quomodo Sponſalia ſolvantur per mutationem domicilii, vel diuturnum diſceſſum Sponſi. *num. 26.*

Quomodo ſolvantur per culpabilem, vel etiam inculpabilem moram alterius contrahentis ſupra tempus executioni debitum. *num. 27.*

Quomodo ſolvantur per fornicationem, & voluntariè exercitos, aut toleratos turpes tactus cum alia fœmina, vel Viro, ut parti innocenti ſive læſæ reſilire liceat. Imò etiam quomodo ſponſo liceat reſilire à Sponſa, quam credidit eſſe Virginem, cùm non eſſet, vel quæ vi ab alio violata eſt. *n. 28.*

Quomodo ſolvantur per notabilem mutationem, vel detectionem novam, circumſtantiarum, alteri contrahentium valde præjudicioſam. *num. 29.*

An liceat contrahere ſponſalia cum defectu Occulto, ob quem alter non contraxiſſet, vel juſtè reſilire poſſet. *n. 30.*

An ſic contrahens poſſit alterum compellere ad executionem Sponſalium, ignarum dicti defectus. *n. 31.*

Quid ſi defectus Occultus eſſet alteri poſitivè & graviter damnoſus? *num. 32.*

Matrimonii Sacramentum.

Matrimonium dupliciter accipitur, pro Contractu & pro poteſtate, ſive Jure Conjugali. *VI. d. 9. n. 33.*

Dividitur in Legitimum, Ratum, & Conſummatum. *num. 34.*

Quando Matrimonium fuerit inſtitutum in ratione Sacramenti: & quid ad eam requiratur. *num. 35.*

Matrimonium non eſt Sacramentum, ſi per diſpenſationem Pontif. Infidelis coniungitur Fideli. *num. 36.*

Inter Coniuges Fidel. Matrimonium ſemper eſt Sacramentum. *num. 37.*

Inter Infideles nec eſt, nec ſuſcepto Baptiſmo fit Sacramentum. *num. 38.*

Matrimonii Materia Remota & Proxima.

Materia remota Matrimonii ſunt Corpora habilia Contrahentium, alia tamen adhuc aſſignanda eſt Materia proxima. *VI. d. 9. num. 39.*

Hæc verò non rectè conſtituitur in Verbis Contrahentium, ut ſubſtantibus Benedictioni Sacerdotis. *num. 40.*

Neque in Verbis Contrahentium, ut ſub diverſa Conſideratione habentibus rationem Materiæ & Formæ. *num 41.*

Sed rationem materiæ proximæ habet ipſe Contractus internus, per externum tanquam per Formam manifeſtatus, ac determinatus. *num. 42.*

Sufficit enim, ſi materia Sacramenti ſit ſenſibilis mediatè per compartem. *num. 43.*

Sacerdos aſſiſtens Matrimonio non agit perſonam Miniſtri. *num. 44.*

Matrimonii Conſenſus quomodo ſit, aut fiat Abſolutus.

Matrimonium fit per Conſenſum, qui ſit mutua traditio & acceptatio Juris in Corpora Contrahentium. *VI. diſp. 9. num. 45.*

Dictus conſenſus debet eſſe actualis traditio & acceptatio Juris, pro tempore præſente, vel futuro, abſolutè, vel conditionatè. *num. 46.*

Conditionatus Conſenſus pòſita Conditione æquivalet abſoluto, modò factus fuerit in præſentia Parochi & duorum teſtium, ipſaque Conditionis impletio ſit ipſis manifeſtata. *num. 47.*

Contractus Matrimonii completus, debet eſſe Conſenſus Abſolutus, vel formaliter, vel æquivalenter. *nu. 48.*

Conditio impoſſibilis habetur pro non adiecta. *ibid.*

Ita etiam habetur Conditio inhoneſta, ſi Matrimonii ſubſtantiæ non repugnet. *num. 49.*

Quales Conditiones ſubſtantiæ Matrimonii immediatè, vel ſaltem mediatè repugnent. *num. 50.*

Conditio Subſtantiæ Matrimonii immediatè, vel mediatè repugnans irritat contractum, etiamſi tantùm ab uno contrahente appoſita, & etiam impleta ſit. *num. 51.*

Conditio honeſta, ſubſtantiæ Matrimonii tantùm mediatè repugnans, non irritat contractum, ſi tantùm ſit addita ſub modo non revocatorio: & ita validè contraxerunt B. V. Maria & S. Joſeph. *num. 52.*

Conditio de præterito, vel de præſenti, exiſtens, reddit contractum æquivalenter abſolutum, ſive ſit honeſta, ſive inhoneſta. *num. 53.*

Conditio, quæ prævidetur certò futura, æquivalet impletæ. *num. 54.*

Matrimonii Conſenſus quomodo ſit, aut fiat Liber ab Errore, & Metu.

Error in perſona, qua cum contrahitur, irritat Sponſalia. *VI. d. 9. n. 55. & 68.*

Quis ſit metus gravis, irritans Sponſalia. *num. 56.*

Metus irritans Sponſalia debet fuiſſe injuſtè, & in ordine ad contrahendum Matrimonium incuſſus, quo modo etiam à Judice, non quidem ſine actuali incurſione Excommunicationis, & à parentibus incuti poteſt, quanquam aliàs horum promiſſionem exequi deceat. *num. 57.*

An & quomodo metus pœnæ Iudicialis poſſit obſtare Valori Matrimonii. *n. 89. & 90.*

Item an metus amittendi Arrham, vel illius æſtimationem duplam, vel quadruplam. *à num. 91.*

Item an pœna Conventionalis. *à num. 95.*

Matrimonii impedimenta prohibentia.

Septem impedimenta Criminis, olim impedientia licentiam contrahendi Matrimonium, hodie ſunt abrogata. *VI. diſp. 9. num. 58.*

Quatuor alia impedimenta non in crimine conſiſtentia, & etiamnum Vigentia. Primum eſt, Eccleſiæ prohibitio: & quomodo hæc ſit intelligenda. *num. 59.*

Quo tempore, & quomodo Matrimonium celebrare prohibitum ſit. *num 60.*

Reſpondens loco Patrini ad quæſtiones Fidei, non impeditur cum prole Baptizata contrahere Matrimonium. *num. 61.*

Priora Sponſalia valida, reddunt invalida poſteriora. *nu. 62.*

Quomodo Votum ſimplex caſtitatis impediat, nec tamen dirimat Sponſalia. *num 63.*

Ubi Tridentinum non eſt receptum, Clandeſtinum Matrimonium tamen eſt illicitum. *num. 64.*

Quomodo ad licitè contrahendum Matrimonium ſint neceſſariæ tres denunciationes. *num. 65.*

Quæ cauſa excuſet ab obligatione triplicis denunciationis: *num. 66.*

Omiſſio Benedictionum non impedit Matrimonia licitè contrahenda. *num. 67.*

Matrimonii Impedimenta dirimentia, Error, Conditio ſervilis, Votum Caſtitatis.

Error in Perſona, non autem in qualitate perſonæ dirimit Matrimonium. *VI. d 9. num. 68.*

Excipe qualitatem ſervitutis, ſi perſona libera, cum ſerva propriè dicta ignoranter contraxit. *num. 69.*

Votum ſolemne Caſtitatis, & in Societate noſtra etiam Votum ſimplex, quo quis in eam adſcribitur, dirimit Matrimonium. *num. 70.*

Matrimonii impedimentum triplex Cognatio.

Quæ Cognatio ſpiritualis, & inter quas perſonas Matrimonium dirimat. *VI. d. 6. num 71.*

Quæ Cognatio Legalis, ſive qualis Adoptio Matrimonium dirimat. *num. 72.*

Inter quas Perſonas hoc impedimentum dirimens contrahatur. *num. 73.*

Quædam impedimenta ex Jure Civili non ſunt recepta à Iure Canonico. *num. 74.*

Cognatio Legalis ſuperveniens Matrimonium contracto non impedit facultatem coeundi. *num. 75.*

Quomodo diſtinguantur gradus Cognationis Naturalis, & inter quos gradus ipſa Matrimonium dirimat. *num. 76.*

Matri-

Matrimonii Impedimentum Criminis.

Matrimonium contrahere inter ſe nequeunt, qui ejus contrahendi intuitu, communicato Conſilio, & Opera, alterius contrahentis maritum, vel Uxorem occiderunt. *Vl. d. 9. nu.* 77.

Si defuit dicta Matrimonii contrahendi Intentio, & manifeſtatio per ſolum homicidium non contrahitur hoc impedimentum. *num.* 78.

Similiter etiam non contrahitur, ſi defuit alterutrius cooperatio, aut ſi per machinationem mortis, effectus non eſt ſecutus. *num.* 79.

Poteſt tamen ille cooperationis defectus ſuppleri per acceſſionem adulterii. *num.* 80.

Requiritur verò in tali caſu, ut homicida mortem inferat ex intentione determinata cum hac perſona contrahendi Matrimonium, quacum adulterium commiſit. *num.* 81.

Solum etiam adulterium, ſine homicidio, dirimit Matrimonium cum adultera poſt mortem prioris Uxoris contrahendum, ſi ante adulterium ambo inierunt Sponſalia, priùs non revocata, vel ſi inierunt poſt adulterium, etiamſi deinde fuiſſent revocata. *num.* 82.

Sine Sponſalibus autem, ſolum adulterium non dirimit Matrimonium. *num.* 83.

Imò neque cum Sponſalibus, ſi ea tantùm fuerunt ficta. *num.* 84.

Vel ſi ea non fuerunt mutua. *num.* 85.

Utrumque impedimentum Criminis, ſcienter commiſſi dirimit Matrimonium, etiamſi pœna hujuſmodi non fuerit præcognita: quia vis dirimendi non eſt ſtatuta, ut pura pœna. *num.* 86.

Matrimonii impedimentum Cultus diſparitas.

Matrimonium Baptizati cum non Baptizato validè olim, nunc autem invalidè contrahitur. *Vl. d. 9. num.* 87.

Matrimonium Catholici cum hæretico validum quidem, ſed illicitum eſt, niſi quando & ubi abeſt periculum perverſionis, & malæ educationis liberorum in hæreſi. *num.* 88.

Matrimonii impedimentum, Ordo Sacer & Matrimonium actua'e cum alio.

Ordo Sacer ratione Voti Solemnis Caſtitatis dirimit Matrimonium. *Vl. d. 9. num.* 101.

Matrimonium actuale dirimit promiſſionem Matrimonii futuri. Et ad hanc licitè faciendam requiritur Cognitio certa de morte prioris conjugis. *num.* 102.

Matrimonii impedimentum Publica Honeſtas.

Quid ſit impedimentum publicæ Honeſtatis, & quomodo olim diremerit Matrimonii Contractum. *Vl. d. 9. num.* 103.

Quomodo idem Impedimentum Iure Tridentini ſit reſtrictum. *num.* 104.

Sponſalia priora inducunt impedimentum publicæ honeſtatis, vel non inducunt, quatenus fuerunt, vel non fuerunt valida; non quatenus publicè credebantur valida vel invalida. *num.* 105.

Si Contractus non fuit validus in ratione Matrimonii, validus tamen in ratione Sponſalium, adhuc inducit impedimentum dirimens poſteriorem contractum; contractus verò poſterior non dirimit priorem. *num.* 106.

Matrimonii impedimentum Defectus ætatis.

Antequam uterque contrahens omnino compleverit annos pubertatis obtentæ, non valet Matrimonium, niſi malitia ſuppleat ætatem. *Vl. d. 9. num* 107.

Impedimentum Affinitatis reſtrictum eſt Iure novo Tridentini. *num.* 108.

Affinitas hic ſumitur pro ea, quæ naſcitur ex copula carnali, non quæ ex contractu. *num.* 109.

Matrimonii impedimentum Defectus ſolemnitatis.

Clandeſtina Matrimonia ſemper fuerunt illicita, Iure novo Tridentini autem, ubi hoc eſt receptum, etiam ſunt invalida. *Vl. d. 9. num.* 110.

Ubi Tridentinum nunquam fuit, aut non eſt receptum per contrariam conſuetudinem, manet tamen antiqua prohibitio; ubi verò quidem erat receptum; Sed Catholici Parochi fugeruut, adhibitio teſtium requiritur ad valorem. *num.* 111.

Refertur ſententia negans, hæreticos in locis, ubi Tridentinum eſt receptum, validè contrahere Matrimonia ſine præſentia Catholici Parochi. *num.* 112.

Refertur ſententia affirmans. *num.* 113.

Non tamen eſt extendenda diſpenſatio hujus impedimenti, ad alia impedimenta. *nu.* 114.

Illius loci Parochus eſt proprius, ubi vel Sponſus, vel Sponſa magna anni parte fixum domicilium habet. *n.* 115.

Quis nomine proprij Parochi intelligatur, & qualis aſſiſtentia Parochi ac teſtium requiratur. *nu.* 116

Si alteruter contrahentium nullibi ſtabiliter habitet, quivis Parochus proprius cenſetur. *num.* 117.

Contrahentes in loco, ubi Tridentinum non eſt receptum, ſine præſentia Parochi, validè contrahunt, niſi unicè ad huuc finem eò ſe contulerint, neque ibi aliquandiù ſedem fixerint. *num.* 118.

Matrimonia in præſentia Parochi ac teſtium invalidè contracta, ad ea, ſublato impedimento dirimente, revalidanda, non indigent rurſum eadem forma, ſi impedimentum fuit ita occultum, ut coram Judice probari nequeat. *nu.* 119.

Probatur prior aſſertio, & conciliantur oppoſitæ ſententiæ, ac oppoſita Reſponſa Romana. *n.* 120.

Matrimonii impedimentum Impotentia, & Raptus.

Perpetua Impotentia abſoluta, vel reſpectiva, impedit univerſaliter, vel reſpectivè Matrimonium contrahendum, ſive ſit cognita, ſive ignorata. Circa quod explicatur S. Thomas, apparenter contrarius. *Vl. d. 9. n.* 122.

Impotentia, ſuperveniens contractui, non reddit alios actus conjugales, ſecluſa probabiliter præviſa pollutione, illicitos. In dubio autem, an Matrimonium cum tali impotentia contractum fuerit, conceditur triennium pro exploratione. *num.* 123.

Quæ ſit vera Impotentia copulæ Carnalis. *num.* 124.

Aliud eſt Impotentia ad copulam, & aliud Impotentia ad prolem generandam. *num.* 125.

Qualiter Raptus dirimat Matrimonium, & quæ contra eum, ſint pœnæ ſtatutæ. *num.* 126.

Matrimonii Uſus Debitus, aut licitus.

Conjuges ſub mortali peccato obligantur reddere debitum, ſeriò ac rationabiliter petitum. *Vl. d. 9. num.* 127.

Debitum rectè perſolvendum eſt quoad ſubſtantiam ſub mortali, quoad modum ſub Veniali. *num.* 128.

Quænam Actiones liceant Conjugibus. *n.* 129.

Non eſt mortale peccatum, petere debitum tempore Menſtrui Naturalis. *n.* 130.

Neque eſt Veniale, tempore menſtrui fluxus innaturalis; tempore autem fluxus naturalis abſque juſta cauſa petere, vel reddere, eſt veniale. *n.* 131.

Idem dicendum tempore conceptionis proximo, non autem remoto. *num.* 132.

Licet etiam petere debitum tempore lactationis. *n.* 133.

Matrimonii Uſus indebitus aut illicitus.

Perſona Conjugata, quæ ſcienter commiſit inceſtum cum perſona Conſanguinea conjugis ſui aut ſuæ in primo vel ſecundo gradu, prohibetur petere debitum conjugale ante omnem ſententiam Iudicis, tenetur tamen reddere. *Vl. d. 9. n.* 134.

Ab hac pœna tamen excuſat ignorantia non quidem ipſius pœnæ, ſed Conſanguinitatis, & metus gravis injuſtus, dans cauſam inceſtui. Ignorantia verò ipſius pœnæ excuſat, quamdiu ipſa durat. Unde quando ita expedit pœnitenti, relinquendus eſt in ſua ignorantia. *nu* 135.

Voto Caſtitatis obſtrictus non poteſt petere, ſed reddere debitum, niſi aliunde excuſetur à reddendo: & tunc neque licæt reddere. *num.* 136.

Idem dicendum de eo, qui dubius de Valore cum altero, non dubitante, contraxit. *num.* 137.

Impedimentum prætendi debitum poſt ſcienter contractam, durante Matrimonio, cognationem ſpiritualem hodie eſt ſublatum. *num.* 138.

Cauſæ excuſantes à redditione debiti Conjugalis. *n.* 139.

Inter cauſas excuſantes non rectè numeratur Excommunicatio petentis debitum, neque alia ejuſmodi ratio, non ceſſiva Iuris ad petendum debitum, etiamſi petens aliunde prohibeatur petere. *num.* 140.

Matrimonii Obligatio ad cohabitationem.

Prima obligatio Conjugum eſt mutua cohabitatio in eadem domo, menſa, & toro: niſi mutuo conſenſu, iuſta cauſa, vel alterutrius crimine, hæc obligatio impediatur. Poteſt autem dari juſta cauſa ex parte mariti, ratione negotiurum, quin talis prætendi poſſit ab uxore: hæc etiam tenetur ſequi maritum, mutantem domicilium, niſi aliter ſit conventum. *Vl. d. 9. num.* 141.

Penes quem ſit obligatio ſuſtentandæ familiæ. *nu.* 142.

Et penes quem ſit obligatio eiuſdem regendæ. *n.* 143.

Matrimonii Divortium.

Divortium à toro & cohabitatione innocenti conceſſum eſt communi Iure, & non requiſita ſententia Iudicis, ſi alter verum adulterium, Sodomiam, vel Beſtialitatem commiſiſſe, moraliter certò ſciatur, neque ipſi hoc crimen ab innocente conjuge fuerit remiſſum. *Vl. d. 9. n.* 144.

Etiamſi ſecluſo perverſionis periculo Catholicus ab hæretico pertinaci non teneatur ſe ſeparare, id tamen permiſſum eſt ipſi, uſque ad tempus converſionis alterius, quod etiam tenetur exſpectare. Quod ſi tamen hæc ſeparatio facta ſit Authoritate Iudicis, nec tenetur exſpectare, nec etiam poſita Converſione cohabitare. *num.* 145.

Ob quas alias cauſas divortium, Iudicis ſaltem Authoritate inſtituere liceat. *n.* 146.

Quomodo per Ingreſſum Religionis, vel per ſuſceptos Sacros Ordi-

Ordines, ex alterius conjugis conſenſu, divortium poſt Matrimonium conſummatum fieri poſſit. *num.* 147

Matrimonii Simplicitas.

Polygamia repugnat Juri Naturali ob plures rationes *in cap. Gaudemus de Divort.VI.d.*9 *n.*148

Præcipuum fundamentum dictæ repugnantiæ. *num.* 149

Solvitur ratio oppoſita. *num.* 150.

DEUS potuit, polygamiam in V.T. reddere licitam. *num.* 151

In N. T. meritò ſublata eſt prior licentia. *num.* 152

Matrimonii inſolubilitas.

Matrimonium Fidelium & Infidelium per mutuum conſenſum Contrahentium Jure Divino eſt indiſſolubile. *VI. d.* 9. *num.* 153

Matrimonium Fidelium Conſummatum neque Authoritate Pontificis eſt ſolubile. *num.* 154.

Matrimonium Ratum autem, & nondum conſummatum ex gravi cauſa poteſt à Summo Pontifice inter Fideles diſſolvi: & de facto Pontifices uſi ſunt hac poteſtate. *num.* 155

Hinc primo bimeſtri à die contracti Matrimonii, ante ejus conſummationem, licet utrique conjugi Religionem ingredi, nec tenetur alter alteri reddere debitum per illud tempus deliberationis. Diſſolvitur verò Matrimonium primùm per Profeſſionem, hinc alter in ſæculo manens debet tantiſper expectare. *num.* 156.

Matrimonium conſummatum, quamdiù uterque conjux manet in infidelitate, vel ſi uterque convertatur, neque à Summo Pontifice ſolvi valet. *num.* 157

Hæc autem inſolubilitas poſt utriuſque converſionem non fundatur in Ratione Sacramenti, ſed in Ratione ipſius Contractus Matrimonialis. *num.* 158

Nihilominus poteſt per diſpenſationem Divinam etiam ipſius contractus Vinculum ſolvi, ſi alteruter ad fidem convertatur, altero manente in Infidelitate. Illudque actu ſolvitur, ſi ad fidem converſus aliud Matrimonium contrahat. *num.* 159

Medicus.

Medicus quam teneatur præſcribere medicinam. *I. d.*1 *num.* 79

Metus.

An metus cauſet involuntarium. *II. d.*1.*num.* 14

Nullus gravis mali evitandi cauſa licet actionem vel Omiſſionem actionis Iure naturæ abſolutè prohibitam ponere. *IV. d.* 1. *num.* 27

Si autem ſit tantùm conditionatè prohibita, licet illam ponere, conditione deficiente. *num.* 28

Actio indifferens metu gravis mali poteſt reddi licita, etiamſi præter intentionem proximus damnum vel Scandalum patiatur. *num.* 29.

Quando Metus à Lege poſitiva Divina & præcipuè humana deobliget. *num.* 30. & 31

Actio Lege humana irrita per metum non convaleſcit. *num.* 32. & 33

An metus gravis irritet Valorem Contractus. *IV. d.* 2. *num.* 349 & *ſeqq.* & 371

An irritet Votum *V. d.* 1. *à n.*78

An irritet Juramentum. *num.* 81

An irritet Sponſalia de futuro. *VI.d.*9.*n.*2

Et Sponſalia de præſenti. *n.*55.& *n.*89.*ac ſeqq.*

An metus gravis excuſet à Cenſura. *VII.d.unica n.*13

An abſolutio à Cenſura metu injuſto extorta valeat. *n.*19

Miſſæ Auditio.

Vide Feſtorum Obſervatio.

Mohatræ Contractus.

Vide Vſura.

Mutuum.

Quid ſit Contractus Mutui, & in quibus rebus fieri poſſit. *IV. d.* 2. *num.*429.

An Filiusfam. ſive ante ſive poſt annum XXV. completum naturaliter vel civiliter queat ſe obligare per contractum mutuationis juxta S. C. Macedonianum. *num.* 430

Quinam caſus excipiantur à S. C. Macedoniano. 431

Pupilli & Minores, etiam de conſenſu ſuorum Tutorum, vel Curatorum, non obligantur ad reſtitutionem mutui, niſi in eorum utilitatem verſum ſit, quod in foro externo incumbit probare mutuatori. Eodem privilegio gaudent civitates, & pia loca. *num.*432

O.

Oblationes Sacræ.

Vide Primitiæ.

Odium Proximi.

Quid ſit Odium Proximi. *III. d.un.n.*83

Quando & quale peccatum ſint externa ſigna Odii. *n.* 88. & 89.

Opinio Probabilis.

Quæ ſit Opinio probabilis. I. d. 1. num. 31 & 64.

Probabilis non eſt, cujus oppoſita eſt moraliter certa. *n.* 33

Quid requiratur, ut Opinio ſit probabilis ab Authoritate. *n.* 38

Opinioni probabili poteſt intellectus ſaltem imprudenter aſſentiri, quamvis oppoſita illi appareat probabilior. *n.*4.& *ſeqq.*

Imò etiam poteſt prudenter. *n.* 46. & *n.* 60

Opinionem probabilem licet ſequi, etiamſi non judicetur Vera. *à num.* 51

Imò quamvis judicetur minùs probabilis. *à num.* 56.

Non ſufficit tamen probabilitas quælibet. *num.* 55 & 65

Neque ſola probabilitas Juris, facti, valoris, efficaciæ & niſi ipſa licentia Operationis judicetur probabilis. *num.*75

Ordinis Sacramentum.

Ordo variè accipitur. *VI. d.*8.*n.*16

Definitio, & Diviſio Ordinis Sacramentalis in Sacrum, & non Sacrum. *num.* 17

Epiſcopatus, incluſus in Ordine Presbyterii, in rigore loquendo, eſt ſpecialis Ordo, diſtinctus à ſimplici Presbyteratu, non tantùm Ratione Juriſdictionis, per quam in quatuor gradus dividitur; ſed etiam Ratione Sacræ poteſtatis. *n.*18

Communiter tamen in diviſione Ordinis Presbyterii ſumitur per modum Vnius. Vnde tantùm ſeptem Ordines enumerantur, adjunctis ſex aliis. *num.* 19

Diaconatus & Subdiaconatus ſunt diſtincti Ordines ratione diverſi Miniſterii Altaris. *num.* 20

Ob eandem rationem enumerantur quatuor alii inferiores Ordines; excluditurque Prima Tonſura à Ratione Ordinis. *n.*21

Probabiliùs omnes prædicti Ordines ſunt Sacramentum, & referuntur ad idem genus Sacramenti. *num.* 22

Aſſignatur Omnium Ordinum in genere remota ac proxima Materia, & Forma. *num.* 23

Octo Actiones in Adminiſtratione Epiſcopatus potiſſimùm enumerantur. *num.* 24

Oſtenditur, quænam ex illis 8. Actionibus ſit eſſentialis. *num.* 25

Reliquæ ad ſolum Ornatum, ſive ſolemnitatem ſpectant. *num.* 26

Ex diſpenſatione Pontificis, ſaltem impropriè dicta, ſufficit Vnus Epiſcopus ad validè adminiſtrandum Epiſcopatum. *num* 27

Ordinis Sacerdotalis alia eſt materia in Latina, & alia in Græca Eccleſia, phyſicè loquendo. *n.*28

In Latina enim Eccleſia manus impoſitio non eſt materia poteſtatis Conſecrandi Euchariſtiam. *n.*29

Poteſtas verò abſolvendi à peccatis confertur per ſpecialem manus impoſitionem, & per propriam formam: unde etiam participat rationem Sacramenti, integrantis Ordinem Sacerdotalem. *num.* 30

Materia remota Diaconatus eſt Liber Evangeliorum; non autem manus impoſitio in Eccleſia Latina. *num.* 31

Materia remota Subdiaconatus eſt Calix Conſecratus, Vacuus, cum patena: non autem Liber Epiſtolarum. *num.* 32.

Aſſignatur materia quatuor Minorum Ordinum. *n.* 33

Ordinarius Miniſter Omnium Ordinum eſt ſolus Epiſcopus. Extraordinarius tamen Ordinum Minorum ex Conceſſione ſummi Pontificis ſunt etiam Cardinales, & Abbates reſpectu certarum perſonarum ſubditarum. *num.* 34

Etiam Sacrorum Ordinum, ſaltem Presbyteratu inferiorum, extraordinarius Miniſter poteſt eſſe, & ex Privilegio ſummi Pontificis reſpectu certarum Perſonarum admiſſus eſt ſimplex Sacerdos. *num.* 35

Fœminæ ſunt incapaces cujusvis Ordinis, ac primæ etiam Tonſuræ. *num.* 36

Conditiones ad licitè recipiendos Ordines. *num.* 37.

Obligatio habitus Clericalis, & Coronæ geſtandæ.

P.

Paterfamilias.

Vide. Filiusfamilias.

Paupertas Religioſa.

Religioſus particularis tunc ſolùm de rebus temporalibus licitè diſponit, quando à Domino rei & à Prælato obtinuit conſenſum, ſaltem tacitum, qui ſufficit. *IV. d.* 2. *num.* 197. & 198

Sufficit etiam conſenſus præſumptus, & quis iſte ſit, ac quando præſumi poſſit. *à num.* 199

Idem conſenſus, qui ſufficit ad accipiendum, non etiam ſufficit ad retinendum, vel expendendum. *num.* 203

An ſufficiat conſenſus debitus, ſed irrationabiliter negatus. *num.* 204

An vi aut fraude extortus. *num.* 205. & 206

An

An illicitè datus. *num.* 207. *& ſeqq.*
Conſenſus Prælati poteſt aliquando ſufficere ad evitandum peccatum Proprietatis, ſed non ad evitandum peccatum contra paupertatem. *num.* 211
Poteſt Religioſus contra paupertatem peccare, quin peccat contra Juſtitiam: & Viciſſim poteſt etiam eodem actu contra unam Virtutem peccare graviter, & contra alteram leviter. *num.* 212. *& ſeqq.*
Vnde deſumatur gravitas materiæ contra paupertatem Religioſam. *à num.* 216
Lucrum ex luſu Religioſorum cum vel ſine licentia Prælati facto cui acquiratur, & quomodo de illo diſponatur. *à n.* 226
Sine conſenſu Prælati nec dare, nec accipere commodò licet. *num.* 230. & 231
Quomodo peccet Religioſus intra vel extra domum accipiens & ſumens eſculenta ab extero oblata. *à num.* 233
Quomodo peccet per negligentiam res uſui conceſſus deteriorans. *num.* 232
Dans vel accipiens Munuſcula Spiritualia. *num.* 239

Peccatum.

Definitio Peccati Actualis ſumpti pro Actu Interno & Externo. *II. d.* 2. *num.* 1
Definitio Peccati pro ſolo actu Interno accepti. *num.* 2
Diviſio Peccati. *num.* 3.

Peccati Levitas & Gravitas.

Ad peccati malitiam tria concurrunt. *II. d.* 2 *n.* 4
Peccatum ob imperfectionem libertatis fit veniale. *num.* 5
Vnde colligatur imperfectio libertatis. *num.* 6
Quando nihil incidit de gravitate peccati, hoc ipſo non peccatur graviter. *num.* 7
Quænam peccata non poſſint fieri Venialia ob parvitatem materiæ, univerſali Regula oſtenditur. *num.* 9.
Declaratur prædicta Regula exemplis peccatorum directè in DEI contemptum commiſſorum. *num.* 10
In voluptate Venerea non datur parvitas materiæ. *n.* 11
Neque in jejunio Naturali ante Sacram Communionem Violato. *num.* 12
Vnde colligatur Gravitas materiæ. *num.* 13
Quænam peccata non poſſint fieri gravia ratione materiæ. Sive quænam ex genere ſuo ſint Venialia. *num.* 14
Materia levis non poteſt terminare obligationem præcepti gravis. *num.* 16
Materia alioquin capax præcepti gravis poteſt terminare obligationem levem. *num.* 17
Vovens poteſt rem gravem promittere DEO per Voluntatem ſe leviter obligandi. *num.* 18
Vnde deſumatur Gravitas peccati Mortalis. *num.* 24
Finis mortaliter peccaminoſus transfundit ſuam malitiam in media. *num.* 25
Formalis Contemptus Legiſlatoris eſt peccatum mortale. *n.* 26
Peccatum poteſt fieri mortale ratione periculi proximi, quod quis ſubit, vel quod quis alteri præbet, ad peccandum mortaliter. *num.* 29
Poteſt tamen aliquando excuſari à peccato admiſſio periculi, ſi certæ Cautelæ adhibeantur. *num.* 28
Quando materiæ leves coaleſcant in materiam gravem. *n.* 29
Declaratur exemplis. *num.* 30
Diſparitas inter leves materias ſæpiùs violati Voti, & ſæpiùs Violatæ Iuſtitiæ. *num.* 31

Peccatorum differentia Specifica.

Diſtinctio Specifica peccatorum non accipitur in Ordine ad Confeſſionem in ſenſu Philoſophico. *II. d.* 2. *n.* 32
Quænam ſit diſtinctio Specifica peccatorum in ſenſu Theologico, in Ordine ad Confeſſionem. *num* 33
Non deſumenda eſt ultimatè diſtinctio prædicta per oppoſitionem ad virtutes ſpecie diſtinctas. *num.* 34
Neque per Oppoſitionem ad diverſa præcepta, & ad fines eorum extrinſecos, aut accidentales. *num.* 35
Diverſa attingibilitas ejuſdem objecti ſufficit ad inducendam diſtinctionem Specificam; quando actu terminat diverſum talem modum tendendi ipſius actus peccaminoſi. *num.* 36
In omni peccato datur quædam inordinatio, Generica & Specifica: & hæc poteſt conſiderari vel in ſenſu vulgari, vel in ſenſu ſpeciali, prout in Ordine ad confeſſionem conſideratur. *n.* 37
Quænam ſint circumſtantiæ peccati Speciem mutantes; vel multiplicantes. *n.* 38
Declaratur Exemplis, quænam ſint Circumſtantiæ Speciem mutantes, & quænam intra eandem Speciem aggravantes. *num.* 39. & *VI. d. à n.* 81

Peccati Numerica differentia.

Proponitur quæſtio, an loquendo in ſenſu Theologico in Ordine ad Confeſſionem idem realiter actus poſſit eſſe moraliter multiplex, & ut talis in confeſſione ſit explicandus. *II. d.* 2. *n.* 42
Referuntur de hoc Variæ ſententiæ Authorum. *n.* 43
Tum ab Authoritate, tum à Ratione valdè probabile eſt, eundem realiter Actum nunquam Moraliter, & in Ordine ad Confeſſionem eſſe multiplicem ſolo numero. *num.* 44
Plures actus peccaminoſi poſſunt Moraliter, & in ſenſu Theologico in Ordine ad Confeſſionem in unum coaleſcere. *n.* 56
Hujus non poteſt dari Regula univerſalis; ſed ex Variis Principiis & ex prudenti æſtimatione hominis colligendum eſt. *n.* 57
Quomodo actus merè interni moraliter coaleſcant. *num.* 62
Quomodo actus Externi coaleſcant, oſtenditur in peccatis Homicidii, & Luxuriæ. *num.* 63
Quomodo coaleſcant plures continuæ Sacrilegæ Adminiſtrationes ejuſdem Sacramenti in Specie. *num.* 64
Quomodo coaleſcant plures detractiones, Perjuria, Blaſphemiæ. *num.* 65
Quomodo à continua injuſta detentione rei alienæ coaleſcant actus interni nolentis reſtituere. *num.* 66
Quomodo coaleſcat peccatum Omiſſionis in neglecta recitatione Horarum Canonicarum. *num.* 67

Peccata Dubia.

An in Confeſſione explicanda ſint. *VI. d.* 6 *à n.* 108

Peccati Reſervatio.

Reſervatio peccati non incurritur, ſi non incurritur cenſura, cui reſervatio eſt annexa. Hinc ignorantia cenſuræ, non autem ignorantia reſervationis excuſat à reſervatione. *II. d.* 1. *n.* 24 & 25. & *VI. d.* 6. *n.* 223
Reſervatio annexa effectui peccaminoſo non ponitur, ſi ille inimpedibiliter ſequitur ex cauſa voluntaria revocata. *VI. d.* 6. *num.* 72. & 73
Peccata reſervandi poteſtas. *VI. d.* 6. *n.* 205
Quæ peccata ſoleant reſervari, vel actu ſint reſervata. *à n.* 206
Quis poſſit abſolvere à reſervatis. *à n.* 210

Poſſeſſio.

Poſſeſſionis definitio, & diviſio. *IV. d.* 3 *n.* 85
Ejus privilegia. *num.* 86
Quomodo acquiratur, retineatur, amittatur. *n.* 88 *& Seqq.*
De Poſſeſſione ad præſcriptionem rei alienæ idonea & neceſſaria. *Vide* Præſcriptio.

Poſſeſſor.

Quomodo ejus Conditio ſit melior in materia Juſtitiæ. *I. d.* 1. *n.* 24
Quomodo ſit melior in materia aliarum Virtutum. *n.* 25
Quomodo cognoſci poſſit, an libertas ab obligatione, vel an Obligatio ſit in poſſeſſione. *num.* 26

Precarium.

Vide Commodatum.

Pœnitentia Sacramentum.

Referuntur errores hæreticorum circa Sacramentum pœnitentiæ. VI. *d.* 6 *n.* 1
Oſtenditur Sacramentum pœnitentiæ ad modum Judicii eſſe immediatè inſtitutum à Chriſto, & in multis à Baptiſmo differre. *num.* 2
Abſolutio, Contritio, & Confeſſio ſunt partes eſſentiales pœnitentiæ. Impoſitio & Executio Satisfactionis partes Integrales. *num.* 4
Illa omnia requiruntur ad eſſentiam vel Integritatem Sacramenti pœnitentiæ, quia eſt inſtitutum ad modum Iudicii. *n.* 5
Oſtenditur Satisfactionem, & emendationem Vitæ non pertinere ad eſſentiam Sacramenti pœnitentiæ. *num.* 6
Peccata in Confeſſione expoſita complent eſſentiam percepti Sacramenti pœnitentiæ, ſi ea fuerunt poſt receptum Baptiſmum commiſſa. *num.* 9
Ante Baptiſmum tamen commiſſa non ſunt apta materia Confeſſionis. Peccatum originale verò nec Sacramentum, nec Virtutis pœnitentiæ materia, aut objectum materiale eſſe poteſt. *num.* 10

Pœnitentiæ Neceſſitas & Obligatio.

Quilibet homo poſt Baptiſmum in peccatum mortale lapſus, Iure Divino tenetur illud Sacerdoti confiteri. VI. *d.* 6. *n.* 11
Non quidem ex Iure Divino naturali, attamen ex poſitivo, ab Eccleſia quoad tempus determinabili, datur obligatio extra articulum mortis ſæpiùs ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ, quando id ſæpiùs eſt neceſſarium ad delendum relapſum in peccatum mortale. *n.* 13
Hæc autem obligatio non tantùm eſt indirecta, quia ſcilicet Confeſſio eſt neceſſaria diſpoſitio ad S. Euchariſtiam ſæpiùs recipiendam, ſed etiam eſt directa, ac immediata. *num.* 14
Etiamſi finis obligationis poſſet alio modo obtineri à quibuſdam, ii tamen non eximuntur ab obligatione univerſali. *n.* 15
Obligationi Sacramenti pœnitentiæ ſuſcipiendi non ſatisfit per ſuſceptionem invalidam. Et contraria propoſitio 14. damnata eſt ab Alex. VII. *num.* 16
Probabiliùs etiam per talem invalidam ſuſceptionem incurritur Cenſura, ſi qua eſt ſtatuta, ipſo facto ex Omiſſione Confeſſionis incurrenda. *num.* 17

Pœnitentiæ Sacramenti Forma.

Certum eſt, ad eſſentiam Abſolutionis Sacramentalis requiri verba formalia. *VI. d.* 6. *n.* 18
Quænam illa ſint. *n.* 19

Quænam non ſint : ſed ſolùm ex præcepto requirantur . *num.* 20
Abſolutio nequit validè conferri abſenti . *num.* 22
Idem peccatum , quamdiu pro illo non eſt condignè ſatisfactum , poteſt per abſolutionem Sacramentalem ſæpiùs remitti . *num.* 23
Exponitur ſenſus Verborum abſolutionis , tam reſpectu peccatorum priùs jam dimiſſorum , quàm reſpectu nondum dimiſſorum . *num.* 25
Variæ aliorum expoſitiones reiiciuntur . *num.* 26

Pœnitentiæ Sacramenti neceſſarius Dolor de Peccatis .

Refertur triplex genus Attritionis . *VI.d.*6 *n.*28
Meritò damnatæ ſunt à Trid. & Alex. VIII. omnes propoſitiones, negantes, eſſe honeſtam Attritionem, quæ non etiam eſt Contritio perfecta, procedens ex motivo charitatis erga Deum . *num* 29
Ad valorem Sacramenti Penitentiæ non requiritur perfecta contritio, vel Charitas perfecta, ſed ſufficit ſola Attritio. *n.*31
Imò neque requiritur ex neceſſitate præcepti , etiam in articulo mortis , quamvis in hoc articulo aliunde detur ejus præceptum . *num.* 32
Ad Valorem Sacramenti pœnitentiæ requiritur dolor formalis, nec ſufficit Virtualis , quamvis ſufficiat propoſitum Virtuale . *num.* 34
Multò minùs ſufficit dolor , aut propoſitum merè negativum , ſive negatio affectus peccaminoſi, aut ſolus dolor de negatione doloris . *num.* 35
Neque ſufficit dolor exiſtimatus , ſive apparens . *num.* 36
Vnde, quando ex frequenti relapſu colligitur defectus veri doloris, aut propoſiti , nec eredendum eſt pœnitenti affirmanti , ſe dolere, nec ſtatim impertienda abſolutio . *num.* 37
Motivum doloris ſemper debet eſſe cum reſpectu ad Deum offenſum : etiamſi ponatur non eſſe ſupernaturale . *num.* 39
Non eſt neceſſe, ut dolor præcedat ex intentione ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ . *num.* 40
Neque eſt neceſſe, ut præcedat confeſſionem peccatorum, modò præcedat abſolutionem . *num.* 41
Et reddatur ſenſibilis per procurationem abſolutionis, procedentem ex cognitione eliciti doloris . *num.* 42
Idem dolor ſufficere poteſt ad plures Sacramentales abſolutiones eorundem, vel diverſorum peccatorum præcedentium , ſi non ſit retractatus, nec moraliter nimiùm disjunctus. *n.* 43
Requiritur tamen ad novam abſolutionem nova accuſatio, ſive ſit de eodem , ſive de diverſo peccato . *num.* 44
An aliquis dolor ſufficiat ad Valorem , qui non ſufficiat ad fructum . *num.* 45. *& ſeqq.*
Ad Valorem Sacramenti pœnitentiæ requiritur quidem propoſitum ex motivo Vniverſali , excludente omne peccatum mortale, deinceps patrandum , poteſt tamen dari tale motivum , quod tantùm excludat , & deteſtetur omnia mortalia futura, non autem omnia præterita, ita ut neque illa fuiſſent poſita ſtante hoc motivo . *à num.* 49
Non omne motivum ſufficiens ad propoſitum univerſale nullum deinceps committendi peccatum mortale , ſufficit ad dolorem formalem aut Virtualem de præteritis . *num* 54
Forma abſolutionis verificatur , etiamſi gratia Sacramentalis non conferatur abſolutè . *num.* 55
Sacramentum pœnitentiæ non tantùm validè, ſed etiam fructuosè ſuſcipi poteſt ſine dolore & propoſito univerſali , modò ſe extendat ad peccata venialia remittenda . *num.* 59

Pœnitentiæ Sacramenti neceſſaria Confeſſionis Sinceritas .

Quale ſit peccatum , quando factum in Confeſsione falsò negatur . *VI.d* 6.*n.*60
Et quale peccatum , ſi non factum affirmatur . *num.* 61

Confeſſionis Sacramentalis Modus .

An illicita ſit publica Confeſsio peccatorum . *num.* 62
An Confeſsio extra neceſſitatem poſſit fieri per nutus , vel ſcripturam ſine accuſatione vocali . *num.* 63

Confeſſionis Sacramentalis Integritas .

Invalida eſt Confeſſio ſine Integritate formali , ſcil. omnium peccatorum mortalium , memoriæ occurrentium , nec aliunde excuſatorum . *num.* 64
Certum eſt, non ſolos actus internos , ſed etiam externos ratione malitiæ objectivæ, & dependentiæ ab internis habere verè rationem peccati, & eſſe in Confeſſione explicandos . *n.*65
Refertur Sententia negantium , effectum actus externi peccaminoſi in Confeſſione exponendum eſſe . *num.* 66
Præfertur Sententia affirmans, & probatur. *num.* 67
Si autem effectus, antequam poneretur, deſiit eſſe habitualiter Voluntarius, tunc non eſt quidem in Confeſſione exponendus , ſed neque participat rationem peccati . Deſinit verò eſſe habitualiter Voluntarius per retractionem, & per mortem ejus , qui liberè poſuit cauſam . *num.* 68
Effectus poteſt præcedente retractatione deſinere eſſe Voluntarius, ac peccaminoſus, & tamen complere obligationem ſubeundi Cenſuram , ac reſervationem peccati , à quo cauſatus eſt . *num.* 71
Probabile tamen eſt , poſita priùs retractatione non incurri cenſuram , & conſequenter neque reſervationem peccati , à cenſura dependentem . *num.* 72
Quod ſi tamen Reſervatio peccati eſſet per ſe ſtans, ac independens à cenſura , poſſet nihilominus reſervatio præveniri , poſita Confeſſione ante ſubſecutum effectum . *n.*73
Quid ſit Circumſtantia aggravans peccatum . *num.* 74
Circumſtantiæ aggravantes aliquæ addunt novam Speciem peccati , aliquæ non addunt . *num.* 75
An Circumſtantiæ notabiliter intra eandem Speciem peccati mortalis aggravantes ſint explicandæ in Confeſſione . Affirmant multi . *num.* 76
Negat S. Thomas, & demonſtratur ejus Mens , cui plurimi conſentiunt . *num.* 77
Oſtenditur contra Eſparza, exceſſum gravitatis deſumptum ab extenſione objecti , non eſſe diverſum ab aliis Circumſtantiis , merè aggravantibus . *num.* 78
Probatur ſententia probabiliùs negans circumſtantias merè aggravantes neceſſariò explicandas eſſe . *num.* 79
Qualitas perſonæ peccantis, & quacum , vel circa quam peccatum committitur, ſæpè illi addit ſpecialem malitiam . Sic peccato luxuriæ additur malitia ratione Voti Caſtitatis , Iuramenti, Matrimonii , & ratione Voti ſolemnis additur malitia Sacrilegii propriè dicti . *num* 82
Quomodo peccato Luxuriæ addatur differentia Specifica inceſtus, & an omnis inceſtus ſit ejuſdem Speciei . *num.* 83
Circumſtantia Virginitatis non addit diverſam Specie malitiam Voluntariæ Fornicationi puellæ antea Virginis . *num.* 84
Neque Circumſtantia Sponſalium Matrimonii de futuro cum alio ineundi . *num.* 85
Quando injuſta læſio Perſonæ proxima conſanguinitate junctæ contrahat Speciem impietatis . *num.* 86
In peccato Odii probabiliùs non eſt obligatio explicandi differentiam mali , proximo ſpeculativè tantùm optati . *n.*87
In peccato injuſtitiæ explicanda eſt differentia mali quoad diverſum genus Bonorum; in eodem autem genere bonorum fortunæ, vel famæ & honoris probabiliùs non eſt explicanda magis Specifica differentia . *num.* 88
Qui propoſitionem ab aliquo ſummo Pontifice prohibitam docuiſſet , explicare deberet differentiam malitiæ , in illa doctrina prohibita contentæ . *num.* 89. *& ſeqq.*
An in jactantia de peccato commiſſo explicanda ſit differentia peccati . *num.* 96
An vel quomodo in Violatione Voti , Luxuria, Superſtitione , Sacrilegio, Simonia, Tentatione Dei ſit explicandum objectum materiale . *num.* 97
Peccatum commiſſum poteſt ratione loci contrahere differentiam Scandali , vel Sacrilegii . *num.* 98
Aliquæ actiones Iure naturæ, aliquæ Iure poſitivo , aliquæ nullo Iure prohibentur fieri in loco Sacro . *num.* 99
Qualia peccata in loco Sacro commiſſa contineant ſpeciem Sacrilegii . *num.* 100
An omnia peccata mortalia externa in loco Sacro facta contineant ſaltem Venialem irreverentiam . *num.* 101
Quid intelligatur nomine loci Sacri . *num.* 102
Quando actio illicita ponitur per medium ex ſe illicitum , utrinſque ſpecifica malitia eſt explicanda . *num.* 103
Quando medium honeſtum vel indifferens aſſumitur ad finem inhoneſtum , vel è contra medium inhoneſtum ad finem honeſtum , per ſe loquendo, ſufficit explicare inhoneſtatem finis, aut medii : quando tamen ipſum medium , in ſe quidem non inhoneſtum , reddit impoſsibilem executionem alicujus præcepti, id ſine juſta cauſa factum explicandum eſt . *n.*104
Modus peccandi ſæpè addit novam ſpeciem . Quomodo explicandum ſit peccatum ex conſcientia erronea factum . *n.*105
Peccatum mortale die feſto commiſſum non contrahit aliam ſpecificam malitiam , quando non eſt actio ſervilis , aut ſpecialiter prohibita tali die . *num.* 106
Et quando non fit ex formali contemptu Feſti diei : qui contemptus tamen non eſſet propriè dictum Sacrilegium , ſicut eſſet contemptus loci Sacri . *num.* 107
An in Confeſſione explicanda ſint peccata dubia . *num.* 108
Dubium aliud eſt poſitivum , & minùs propriè dictum , aliud negativum , ac propriè dictum . Ex priori dubio non oritur obligatio confitendi , quando probabilitas ſtat pro innocentia . *num.* 109

Quando peccatum probabiliter in Confeſſione jam eſt expoſitum, ſublata eſt obligatio procurandi ſibi majorem certitudinem iterata confeſſione. *num.* 110

Quid ſit dubium negativum ſive propriè dictum. *num.* 111

Qui habet dubium negativum de commiſſo à ſe peccato mortali, nulla ratione probabili enervatum, tenetur illud confiteri. *num* 112

Qui peccatum mortale, cognitum ut certum, confitetur ut dubium, non ſatisfacit obligationi: ſed debet iterum confiteri ut certum. *num.* 114

Peccatum mortale cognitum tantummodo probabiliter & ita expoſitum ſub dubio poſitivo, ſeu ut probabiliter commiſſum, non eſt neceſſe iterum confiteri ut certum, quando poſtea primùm ut tale cognoſcitur. *num.* 115

Expoſitum verò ſub dubio negativo, & poſtea cognitum, ut probabiliter, vel certò commiſſum, neceſſe eſt iterum confiteri. *num.* 116

Non tenetur faciens Confeſſionem Generalem exprimere, quòd peccatum mortale, poſt ultimam Confeſſionem commiſſum, nunquam adhuc confeſſus fuerit. *num.* 118

Peccatores ob Conſuetudinem, ac multitudinem peccatorum, non valentes diſtinctè ſpecies diverſas, & numerum illorum exprimere, confuſiore explicatione ſatisfacere poſſunt. *nu.* 121

Iidem poſt rudem Confeſſionem diſtinctiùs cognoſcentes numerum peccatorum, non tenentur repetere confeſſionem. *n.* 122

Privilegium Scrupuloſorum circa obligationem Confeſſionis. *num.* 123

Poſt adhibitam ſemper ſufficientem diligentiam in Conſcientia examinanda, & manifeſtanda, poteſt pœnitens ſupponere, ſe omnia peccata confeſſum eſſe. *num.* 124

Quando neque per negligentiam, neque per imperitiam pœnitens ſcitur aliquid omiſiſſe, non tenetur Confeſſarius pœnitentem interrogare. *num.* 125

Defectus pœnitentis per interrogationes moderatè ſupplendus eſt, præſertim in materia Luxuriæ, ne Confeſſarius, ſibi vel pœnitenti periculum gravium tentationum creet. *num.* 126

Confeſſarius, quando non certò ſcit, pœnitentem confiteri ſacrilegè, ſcienter reticendo peccatum grave, tenetur pœnitenti dare abſolutionem. *num.* 127

Quid faciendum Confeſſario, ex Confeſſione complicis certò cognoſcenti, à pœnitente ſacrilegè negari peccatum grave. *num.* 128

Quandoque poteſt dari juſta cauſa, aliquod peccatum mortale ſcienter reticendi in Confeſſione: tenetur tamen pœnitens, illa cauſa ceſſante, hujuſmodi peccatum in proxima Confeſſione exponere. *num.* 129

Iuſta Cauſa autem dictæ reticentiæ poteſt eſſe impotentia phyſica, vel moralis, qualis tamen juxta propoſitionem 59. prohibitam ab Innoc. XI. non cenſetur eſſe affluxus magnus pœnitentium. *num.* 130

Iuſta cauſa etiam eſt prudens metus gravis damni, ipſi pœnitenti, vel alteri ex manifeſtatione peccati orituri per accidens. Talis juſta cauſa etiam eſt neceſſitas ſervandi Sigilli Confeſſionis, quando ſine ejus Violatione peccatum explicari non poſſet. *num.* 131

An pœnitens teneatur exponere peccatum mortale, quando pœnitens ſcit, Confeſſarium carere Iuriſdictione in illud. *n.* 132

An ab integritate materiali Confeſſionis excuſet infamia Complicis. Refertur ſententia affirmans. *num* 133

Statuitur & firmatur ſententia negans. *num.* 134

Quænam ſit juſta cauſa peragendi Confeſſionem cum dicta aliqua cauſa, excuſante ab integritate materiali. *num.* 136

An & qualis poſſit dari cauſa juſta, procurandi abſolutionem à peccatis, manente cenſura occulta. *num* 137

Vrgente mortis periculo, pro integritate formali Confeſſionis poteſt ſufficere confeſſio unius peccati. *num* 138

Imò etiam poteſt ſufficere confeſſio generica. *num.* 139

Signa etiam, quantumvis dubia & in abſentia Confeſſarii edita ſufficiunt, ut Confeſſarius poſſit ſaltem ſub conditione abſolvere. *num.* 140

Imò ut etiam teneatur. *num.* 141

Sine omni Signo ſenſibili nec licitè nec validè abſolutio impenditur. *num.* 142

Sola vita, more boni Catholici acta, non poteſt habere rationem Signi, manifeſtantis deſiderium abſolutionis. *num.* 143

Etiamſi vita piè inſtituta non ſit ſignum deſiderii, accipiendi abſolutionem, eſt tamen circumſtantia apta, interpretandi aliud ſignum incertum pro hujuſmodi deſiderio; ita ut propter hoc non tantùm poſſit, ſed etiam debeat moribundus abſolvi, etiamſi immediatè ante articulum mortis peccatum grave perpetratum fuiſſet. *num.* 146

Si Confeſſio fuit valida, propter defectum impletæ pœnitentiæ non eſt repetenda. *num.* 148

Quando inter plura per Confeſſionem expoſita peccata unum vel alterum à Confeſſario non eſt ſatis perceptum, vel à pœnitente non ſatis explicatum, & neſcitur quodnam & an mortale fuerit, ad quid Confeſſarius & pœnitens teneatur. *num.* 149

An Confeſſarius certus, quòd peccatum, à ſe non rectè perceptum, ſit tantùm veniale, teneatur exigere à pœnitente, ut illius confeſſionem repetat. *num.* 150

Pœnitentiæ Sacramentalis injuncta Satisfactio.

Pœnitens tenetur acceptare, & exequi injunctam ſatisfactionem. *VI d.* 6. *n.* 157

Quando præſtanda ſit injuncta Satisfactio. *num.* 158

An poſſit per alium præſtari. *num.* 159

Pœnitens non poteſt injunctam Satisfactionem propria authoritate permutare. *num.* 160

Refertur ſententia, & fundamenta ſententiæ negantis, etiam à Confeſſario eodem vel diverſo mutari poſſe impoſitam Satisfactionem. *num.* 161

Aſſeritur & probatur, tam à diverſo, quàm ab eodem Confeſſario mutari poſſe Satisfactionem, etiamſi propter peccata reſervata ſit impoſita. *num.* 161

Probabiliùs dicta mutatio Satisfactionis non poteſt fieri, niſi intra Sacramentum pœnitentiæ, & non niſi cognita cauſa, propter quam fuit impoſita. *num* 164

An Satisfactio partialiter cauſet gratiam Sacramentalem ex opere operato. *num.* 65

An & quomodo ſatisfactio cauſet Remiſſionem pœnæ temporalis, præſtita in ſtatu peccati mortalis. *num.* 166

An peccet pœnitens, non exequens Satisfactionem in ſtatu gratiæ. *num.* 167

Pœnitentiæ Sacramenti Miniſter.

Miniſter Sacramenti pœnitentiæ non poteſt eſſe, niſi Sacerdos. *VI d* 6. *n.* 168

Explicatur apparenter contrarius textus S. Thomæ. *n.* 169

Ad Miniſtrum idoneum ad validè conferendam abſolutionem à peccato mortali pœnitenti ſæculari, requiritur approbatio. *num.* 170

Valida tamen eſt approbatio, etiamſi approbans erret. *n.* 171

Approbatio Confeſſarii eſt actus Iuriſdictionis Epiſcopalis. *num.* 172

A quonam Epiſcopo debeat concedi Approbatio, non conveniunt Doctores. Repelluntur illi, qui eam poteſtatem tribuunt pluribus Epiſcopis cumulativè. *num.* 173

Improbatur etiam ſententia illorum, qui requirunt approbationem, ab Epiſcopo pœnitentis conferendam *num.* 174

Neque admittitur ſententia, aſſerens conferendam approbationem ab Epiſcopo Confeſſarii, niſi Sacramentum in ejuſdem diœceſi adminiſtretur. *num.* 175

Approbatio conferenda eſt ab Epiſcopo loci, in quo adminiſtratur Sacramentum Pœnitentiæ. Et Contrarium privilegium Regularium revocatum eſt à Clemente X. *num.* 176

Poteſt quidem Epiſcopus extra ſuam diœceſim approbare Confeſſarios pro ſua diœceſi, ſed non pro aliena. *num.* 177

Collatio Beneficii Curati eſt quidem loco approbationis, ſive eſt realis aut Virtualis approbatio, ſed tantùm ad diœceſim eandem, vel ad pœnitentes ejuſdem diœceſis; non autem ad alienos in aliena diœceſi. *num* 178

Praxis parochorum, audientium Confeſſiones in alia Vicina diœceſi, non caret approbatione ſufficiente Ordinarii illius diœceſis. *num.* 179

Idem dicendum de praxi Regularium in noſtra Germania, diœceſium domicilia ſæpè mutantium. *num.* 180

Propter approbationem ad abſolvendum à mortalibus peccatis neceſſaria etiam eſt Iuriſdictio, quæ non confertur cum poteſtate Ordinis Presbyteralis. *num.* 181

In ordine ad Venialia tamen peccata, & ad Mortalia jam aliquando directè remiſſa, nec approbatio eſt neceſſaria, nec ſpecialis Iuriſdictio eſt conferenda; quia ex Conſuetudine Eccleſiæ cum ipſa poteſtate generaliter omnibus ſacerdotibus confertur. *num.* 182

Pœnitentiæ Miniſtro conceſſa Vniverſalis Iuriſdictio in Mortis articulo.

In probabili mortis imminentis periculo quivis Sacerdos ab omnibus peccatis, & Cenſuris abſolvere valet, ſaltem in abſentia alterius ſacerdotis habentis Iuriſdictionem inimpeditam in pœnitentem & in peccata illius. *VI. d.* 6. *n.* 183

Multorum Opinione prædicta limitatio non eſt neceſſaria. *num.* 184

Hæc Opinio ſtabilitur duplici Fundamento. *num.* 185

Sententia pro articulo mortis concedens Iuriſdictionem illimitatam,

tam, & abſolutam ampliùs confirmatur, & redditur moraliter certa. *num.* 193

Ex oppoſita ſententia concedente in articulo mortis Iuriſdictionem ſolùm conditionatam infertur, moribundum non habere electionem Confeſſarii, ſed ſervare debere Ordinem inter Confeſſarios. *num.* 197

Ex noſtra autem ſententia infertur, atque ex Tridentino probatur libera electio Confeſſarii, cui etiam additur Authoritas S. Thomæ, & duplex alia ratio. *num.* 198

Atque hinc, aſſumpto etiam fundamento priùs ſtabilito, quòd Eccleſia ſuppleret defectum Iuriſdictionis, ſi ea non daretur, ulteriùs infertur, poteſtatem eligendi Confeſſarium eſſe moraliter certam. *num.* 199

Prædicta Libertas eligendi Confeſſarium, tum Iure Divino tum Eccleſiaſtico conceſſa, requirit reſpectu Confeſſarii, affecti Cenſura non tolerata, gravem cauſam, illum eligendi. *n.* 200

Talem cauſam tamen non requirit reſpectu Confeſſarii non affecti cenſura, vel alio ſimili impedimento. *num.* 201

Pœnitentiæ Miniſtro neceſſaria Iuriſdictio extra articulum Mortis, Ordinaria vel Delegata.

Quibus extra articulum mortis competat Iuriſdictio Ordinaria, & in quos pœnitentes. *IV. d.* 6. *n.* 206

Quinam poſſint ſuam Iuriſdictionem delegare, vel ſubdelegare. *num.* 203

Delegatio poteſt fieri expreſſo, vel tacito, non autem merè præſumpto conſenſu delegantis. Obtineri etiam poteſt Iuriſdictio, legitimè præſcripta conſuetudine. *num.* 204

Pœnitentiæ Miniſtro Iuriſdictio reſtricta per Reſervationem.

Quibus competat poteſtas reſervandi peccata. *VI. d.* 6. *n.* 205

Etiamſi ſummo Pontifici nulla peccata ſint reſervata, niſi ſint annexa Cenſuræ reſervatæ, reſervatio tamen non ſolùm afficit cenſuram, ſed ipſa etiam peccata. *num.* 207

Quænam peccata Epiſcopis ſint reſervata. *num* 208

Quænam Prælatis Regularibus per Conſtitutionem Clementis VIII. poſsint eſſe, & de facto in Societate noſtra ſint reſervata. *num* 209

Pœnitentiæ Miniſter circa peccata reſervata.

Abſolutio Confeſſarii, habentis Iuriſdictionem abſolutam in peccata & Cenſuras reſervatas, tollit omnes Cenſuras, & Reſervationem quorumvis peccatorum, etiam per Oblivionem graviter inculpabilem Omiſſorum in Confeſſione. *n.* 210

Quomodo & quibus Conditionibus conferenda ſit abſolutio à certis gravioribus Criminibus, Cenſura & Reſervatione affectis. *ib d.*

Quomodo Conferenda ſit abſolutio ad reincidentiam, præſertim in mortis articulo. *num.* 211

Quid agere debeat Confeſſarius, nequiens abſolvere à reſervatis. *num.* 212

Quis habeat poteſtatem Ordinariam abſolvendi à reſervatis peccatis. *num.* 213

Neque Epiſcopi poſſunt Ordinariè abſolvere à peccatis in Bulla Cœnæ reſervatis, quantumvis occultis. *num.* 214

Poſſunt tamen, ſi pœnitens laboret impedimento perpetuo eundi Romam: imò etiam, ſi diuturno, ſed tunc tantùm ad reincidentiam. *num.* 215

Hujuſmodi impedimenta perpetua vel diuturna plura enumerantur, & explicantur. *num.* 216

Dicta impedimenta, ſi etiam acceſſum ad Epiſcopum, & Vicarium ejus impediant, ſufficiunt ad tribuendam Iuriſdictionem ſimplici Sacerdoti. *num.* 217

Neque poteſt huic poteſtati opponi Tridentinum. *n.* 218

Si autem impedimentum neque ſit perpetuum, neque diuturnum, non ſufficit alia neceſſitas. *num.* 219

Qualis poteſtas abſolvendi à reſervatis ſummo Pontifici, ab eodem delegata ſit Religioſis Mendicantibus. *num.* 220

Quomodo per Bullam Cruciatæ, vel per Bullam Iubilæi delegetur poteſtas abſolvendi à reſervatis cuivis Sacerdoti approbato, etiamſi pœnitens deinde nequeat, vel negligat exequi cæteras conditiones priùs propoſitas. *num.* 221

Religioſi Mendicantes à peccatis, quæ Epiſcopi ſibi reſervarunt, ſine horum conſenſu nequeunt abſolvere. Ideo propoſitionem 12. Contrariam prohibuit Alex. VII. Idem dicendum de privilegio Iubilæi, niſi in Bulla Caſus etiam Epiſcopales exprimantur. *num.* 222

An Reſervatio peccati incurratur ab ejus ignaro, dum committeretur peccatum. *n.* 223

An quando peccatum in pœnitentis diœceſi, ubi illud commiſit, eſt reſervatum, poſſit is validè abſolvi in alia diœceſi, ubi non eſt reſervatum. *num.* 224

An is, qui per Ordinariam, vel delegatam poteſtatem poſſet abſolvere à peccato reſervato, ab eodem inculpabiliter omiſſo tollat reſervationem per abſolutionem ſolùm indirectam, directè remittentem peccata expoſita: etiamſi illud peccatum omiſſum non fuerit reſervatum ratione Cenſuræ per univerſalem abſolutionem à Cenſuris ſublatæ. Affirmativa probatur eſſe probabilis, & in praxi tuta. *num* 225

Probabiliùs tamen videtur limitanda. *num.* 226

Imò probabiliùs videtur, quòd is, cui poteſtas eſt delegata non in favorem pœnitentis, neque poſſit abſolvere à peccato Omiſſo, non ratione Cenſuræ Reſervato. *num.* 227

Per abſolutionem à cenſura reſervata tollitur etiam reſervatio peccati, etiamſi peccatum non tolleretur ob Abſolutionis Sacramentalis defectum. *n.* 228

Qui tempore Iubilæi implevit Omnes conditiones in Bulla requiſitas, liberatus eſt à reſervatione peccati, in Confeſsione inculpabiliter Omiſsi *n.* 229

Qui ab habente Iuriſdictionem Ordinariam omnium peccatorum etiam inculpabiliter omiſſorum abſolutionem accepit, liber eſt ab omni reſervatione; hinc poteſt memoriæ recurrentia peccata confiteri Sacerdoti, non habenti Iuriſdictionem in reſervata. *num.* 230

Directè abſolutus à peccatis, non poteſt ulla lege humana obligari ad petendam alteram abſolutionem directam Sacramentalem, ſi prior fuit valida. *n.* 231

Contrariam aſſertionem docuit, & revocavit Vaſquez. *num.* 232

Poteſt tamen pœnitens ex pacto implicito vel explicito ſe obligare, ad manifeſtandum Superiori ſuum peccatum directè jam remiſſum. Et ſic intelligendum eſt ſtatutum Ciſtercienſium ac Societatis noſtræ. *n.* 233

Hujuſmodi pactum implicitum poteſt etiam iniri ab ignorantibus, ex Vi voluntatis cujuſdam generalis, in illud conſentientis. *n.* 234

Compendio aliquot quæſtiones circa peccatorum Reſervationem reſolvuntur. *n.* 235

Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrantis Obligatio.

Triplicis generis obligatio incumbit Confeſſario, ante, in, & poſt Confeſsionem obſervanda, præſertim ut procuret integritatem Confeſsionis, ac valorem abſolutionis, iſtamque etiam neget, vel differat, quando ex Conſuetudine peccandi agnoſcit defectum ſerii doloris, ac propoſiti, ſimulque ad emendationem diſponat. *VI. d.* 6. *n.* 236

Requiritur etiam ad licitam Adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ Status Gratiæ, & ſufficiens ſcientia. *n.* 237

Non tenetur Confeſſarius ſemper ferre judicium de gravitate peccati, modò pœnitens ſatis explicet ſpeciem ſui peccati. *num.* 238

Qualis danda ſit Inſtructio pœnitenti. *n.* 239

Præſertim inſtruendus eſt pœnitens in iis, quæ ad valorem Sacramenti obtinendum ſcitu ſunt neceſſaria, & ideo juxta prohibitionem propoſitionis 64. Innocentii XI. priùs non eſt abſolvendus. *num.* 240

Pœnitentiæ Sacramento annexum Sigillum.

Quæ Confeſſio ſit dicenda Sacramentalis, & quæ non: qualiſque ex non Sacramentali Confeſſione obligatio Sigilli oriatur. *VI. d.* 6. *n.* 241

Qualis & quanta ſit Obligatio Sigilli Confeſſionis Sacramentalis. *num.* 242

Proponitur Caſus, an, ſi ſtruentes necem Confeſſario, colligerent ex ejus fuga, ſe proditos eſſe per Confeſſionem complicis, hujuſmodi fuga foret licita. *n* 243

Refertur, & reprobatur ſententia affirmativa *n.* 244

Nunquàm ſufficit conſenſus pœnitentis merè præſumptus ad manifeſtationem peccati percepti in Confeſſione. *n* 245

Etiamſi peccatum pœnitentis ſit publicum, ac notorium omnibus auditoribus, & ipſe etiam Confeſſarius extra Confeſſionem id ſciat, non licet tamen Confeſſario, ſine expreſſo conſenſu pœnitentis dicere: quòd Iſte ſibi confeſſus fuerit hoc peccatum: benè tamen, quòd confeſſus fuerit omnia ſua peccata, loquendo in genere. *n.* 246

Reſpondetur ad objectionem. *n.* 247

Cavendum eſt Confeſſario, ne uſu licito notitiæ de peccato pœnitentis aliunde acceptæ, vel uſu expreſſi conſenſus pœnitentis, ſuſpicionem præbeat violati Sigilli. *n.* 248

Item cavendum, ne unius pœnitentis laude, alterum in ſuſpicionem peccati trahat omiſsione ſimilis laudis. *n.* 249

Poſt datam abſolutionem per modum continui Iudicii licet Confeſſario loqui cum pœnitente de peracta Confeſsione. *n.* 250

In poſteriori Confeſſione licet etiam loqui de priore. *n.251*
Extra Confeſſionem neque cum pœnitente, ſine expreſſo ejus conſenſu, licet loqui de peccato in Confeſſione percepto. *n.* 252.
Notitia Confeſſionis, etiam advertente, vel ſuſpicante pœnitente, licet uti ad abſtinendum ab actione intrinſecè & abſolutè inhoneſta. *num.* 253
Licet etiam negare Sacramentorum adminiſtrationem, in ſtatu peccati mortalis, ex Confeſſione cognito, occultè petenti. *n.*254
Quando liceat uti notitia propter proprium, vel pœnitentis, vel tertii grave bonum. *num.* 257
Referuntur Caſus, ſive exempla, in quibus non licet uti notitia Confeſſionis. *num.* 258
Propter nullum ſive Commune, ſive privatum Bonum procurandum, aut malum impediendum, licet Indignum ad Officium, aut Beneficium, ab obtinendo impedire, vel ab obtento removere. *n* 259
Oppoſitæ ſententiæ praxis non tantùm eſt a Clemente VIII. Omnibus Regularibus, & noſtræ Societati ab Adm. R. P. Claudio Aquaviva Præpoſ Gen. prohibita, verùm etiam eſt Sæcularibus Confeſſariis Omnibus Jure Divino illicita. *n.* 260
Unde Electio indigni ad Beneficium, etiam Curatum, tunc tantùm eſt intrinſecè illicita, quando fit ſcienter ſcientia humana, & utili ad dirigendam electionem: *num.* 261
Specialis erat ratio, quare Pontifex definierit, & declaraverit prædictum uſum Notitiæ Confeſſionis illicitum Regularibus; ex quo proinde non rectè infertur, eſſe licitum Sæcularibus. *num.* 262

Præſcriptio.

Quid ſit Præſcriptio. Et quam habeat vim ac utilitatem, etiam in foro Conſcientiæ. *IV. d.2. n.* 274
Quæ bona præſcribi, vel non præſcribi poſſint. *n.* 275
Etiamſi Jus accipiendi Decimas Eccleſiaſticas à Laico præſcribi non poſſit, poteſt tamen præſcribi Ius non ſolvendi decimas. *num* 276
Referuntur adhuc alia bona, quæ nequeunt præſcribi. *n.* 277
Non rectè negatur, Majoratus, Feuda, Fideicommiſſa poſſe præſcribi. *num* 278

Præſcriptionis Titulus.

Qualis Titulus ad Præſcriptionem ſit neceſſarius. *IV. d.2.n.* 282
Explicantur Varii Tituli. *num.* 283
Titulus non debet eſſe verus, ſed apparens. *n.* 284
Contingit triplici modo, Titulum eſſe apparentem. *n.* 285
Sine Omni titulo, ſaltem à Iure præſumpto, nequit fieri Præſcriptio. *n.* 286
Ad præſcriptionem Ordinariam longi temporis ſufficit titulus coloratus, non fundatus in ignorantia Iuris liquidi. *n.* 287
Fundatus autem in ignorantia Iuris liquidi non ſufficit, ſi neque perſona talis ſit, in qua hujuſmodi ignorantia à Iure toleratur. *n.* 288
Cur Ignorantia Iuris incerti non obſit. *n.*289
In quibus Perſonis ignorantia Iuris toleretur. *n.* 290
Præſcriptioni Extraordinariæ 30 vel 40 annorum non obſtat ignorantia Iuris, etiam certi. *n* 291
Ad præſcriptionem Ordinariam ſufficit etiam titulus ſolummodò exiſtimatus, modò non ſit titulus *pro emptore*. *n.*293
Quando à Iure præſumatur Titulus. *nu.* 294

Præſcriptionis Bona fides.

Quid ſit Bona Fides, & quomodo ea ad Omnem Præſcriptionem Iuris requiratur. *IV. d, 2. num.* 295
Quomodo bona fides ſtet cum ſcientia Iuris alieni in ordine ad præſcribendam liberationem à ſervitutibus. *n.* 296
Bona fides non poteſt ſtare cum dubitatione ad inchoandam Præſcriptionem. *nu.* 297
Poteſt autem ſtare ad continuandam. *n.*298
Oſtenditur diſparitas, & ratio, quare per ſubſequens dubium bona fides non interrumpatur. *num.* 300
Per errorem tamen poteſt etiam ſubſequens dubium bonam fidem interrumpere. *num.* 301
Ad partialem Præſcriptionem ſufficit Bona Fides de parte præſcribenda. *num.* 302
Bona fide accipiens rem alienam à poſſeſſore malæ fidei, non poteſt illam præſcribere computando tempus anteceſſoris, quando poſtea de mala illius fide conſtat. *n.* 303
Et ſi Poſſeſſor malæ fidei ſit hæres immediatus Univerſalis, ſolo titulo hæreditatis ſuccedens in poſſeſſionem rei alienæ, neque poteſt illam præſcribere tempore Ordinario, prioris poſſeſſoris tempore etiam non computato. *n.*304
Si autem ſucceſſor ſit tantùm hæres particularis, vel Legatarius, poteſt is Præſcriptionem inchoare. *n* 306
Idem dicendum de hærede mediato, univerſali hæredi ſuccedente. *num.* 307
Tempore extraordinario tamen, 30. vel 40. annorum etiam hæres Univerſalis probabiliùs poteſt præſcribere. *n.* 308

Præſcriptioni neceſſaria Poſſeſſio.

Ad Præſcriptionem requiritur & ſufficit Civilis poſſeſſio, legitimo tempore continuata. *IV. d. 2. num.* 309
Probatur contra Vaſquez non requiri inſuper poſſeſſionem Naturalem. *num.* 310
Poſſeſſio ad præſcriptionem Utilis debet bona fide continuari, quod fit, ſi nec ipſa, nec bona fides interrumpatur etiamſi ſubinde ſuſpendatur. *num.* 311
Contra pupillum nec incipere, nec currere poteſt præſcriptio: uti neque contra fundum dotalem Vivente Marito: niſi tempore 30. annorum. *num* 312
Proponitur ratio dubitandi contra requiſitum tempus 30. annorum. *num* 313
Reſpondetur ad rationem dubitandi. *num.* 314
Interruptio Præſcriptionis alia eſt Naturalis, alia Civilis. Explicatur utraque. *n.* 316

Præſcriptionis Tempus.

Res Mobiles contra Dominum privatum, & contra Eccleſiam, Romana ſpecialiter ſupta inferiorem cum Titulo præſcribuntur triennio, niſi furtivæ ſint. *IV. d. 2. n.* 322
Contra Rom. Eccleſiam ſpecialiter ſumptam tam res Mobiles, quàm Immobiles non præſcribuntur, niſi 100. annis. *n.* 323
Sine Titulo expreſſo (adeòque ex Solo Jure præſumpto) res mobiles & immobiles præſcribuntur trecennio; quo tempore etiam opus eſt pro rebus furtivis ignorante domino præſcribendis. *num.* 324
Res Immobiles privatorum cum titulo præſcribuntur decennio inter præſentes, & Vicennio inter abſentes. *n.* 325
Bona tam mobilia, quàm immobilia ex delicto Fiſco ſæculari per ſententiam Judicis incorporata præſcribuntur. 40. annis: nondum incorporata autem quinquennio. *n.* 326
Bona Immobilia Eccleſiarum Romana inferiorum, omniumque locorum, & cauſarum piarum præſcribuntur cum titulo 40. annis: RR. PP Benedictinorum 60. annis. RR. PP. Ciſtercienſium, & *Ordinum Mendicantium* 100. annis. *n.*327
Præſcriptio Bonorum Immobilium Eccleſiæ Rom. exceptis per crimen hæreſis ad eam devolutis, non ante 100 annos abſolvitur. Idem privilegium conceditur Civitatibus, quoad Bona delata, ſed nunquam tradita. *n.*328
Quid ſit tempus immemoriale, & quomodo per illud præſcribatur. *num.* 329
Quid nomine Rerum Incorporalium intelligatur. *n.* 330
Actiones Criminales per præſcriptionem extinguuntur vicennio in foro Civili. *num.* 331
Excipiuntur quædam Actiones. *num.* 332
Actiones Civiles regulariter præſcribuntur trecennio, uti etiam res furtivæ bona fide poſſeſſæ. Excipiuntur Actiones aliquæ. *num.* 333
Servitutes inducuntur, & extinguuntur, cum titulo decennio inter præſentes, & Vicennio inter abſentes. *n.* 334
Excipitur Servitus uſusfructus ex re mobili. *n.* 335
Excipiuntur etiam ſervitutes percipiendæ alternis temporibus. *num.* 336
Servitutes continuum vel quaſi continuum actum habentes, ſine titulo præſcribuntur decennio, non continuum actum habentes, tempore immemoriali. *n.* 337
Quomodo Officia, Beneficia, & Jura Patronatus præſcribantur. *num.* 338

Primitiæ & Oblationes.

Primitiæ nunquam Lege naturali fuerunt debitæ. *V. d.* 2 *n.* 251
Lege poſitiva tamen Divina fuerunt ſtatutæ in V. T. & Lege Eccleſiaſtica in N. T. Nunc autem neutra Lege ampliùs debentur, niſi fortè alicubi eſſent adhuc in uſu, vel neceſſariæ ad ſuſtentationem Miniſtrorum Eccleſiæ. *num.* 252
Quid ſint Oblationes: & qualis ſit earum Obligatio. *n.* 253
Oblationes, in territorio Parochi factæ, ad ipſum pertinent, extra quoſdam caſus exceptos. *num.* 254

Privilegium.

Privilegium definitur. *Lex privata concedens Beneficium.* *I. d.* 3. *num.* 1
Diſtinguitur privilegium à Lege propriè dicta & ab ejus diſpenſatione. *num* 2
Aliud diſcrimen privilegii à diſpenſatione. *n.* 3
Privilegium aliud eſt Reale, aliud Perſonale. *n.* 4

Privilegii Diviſio.

Privilegium variè dividitur. *I. d.* 3.*n.*5
Quid ſit privilegium *Gratuitum* . *Remuneratorium* . *Abſolutum* . *Conditionatum* . *num* 6
Quid ſit privilegium *Odioſum* . *Favorabile* . *num.* 7
Quid ſi privilegium præſcriptum. *num.* 8
Quid ſit privilegium *Commune*, & *Singulare* . *num.* 9
Quid ſit privilegium *ad Inſtantiam Partis* . Quid *ex Motu proprio* *num.* 10
Quæ ſit Vis privilegii *ex Motu proprio* . *num.* 11
Quid ſit privilegium *Ad inſtar* . *num.* 12
Quid ſit privilegium *per Communicationem* & quomodo differat à privilegio *Ad inſtar*. *num.* 13
Quid ſit Extenſio privilegii. *num.* 14
Quomodo intelligenda ſit Communicatio omnium privilegiorum. *num.* 15
Quomodo dicta Communicatio privilegiorum in quibuſdam Familiis Religioſis reſtringatur. *num.* 16
Quid ſit Privilegium *per Ratificationem* vel *Confirmationem* . *num.* 17
Privilegium per Concilium Generale revocatum non comprehenditur in Confirmatione Generali privilegiorum. *num.* 18
Quid efficiat expreſſio privilegii Confirmandi. *num.* 19

Privilegii Collatio & Acceptatio.

Eadem eſt poteſtas concedendi privilegium, & ferendi legem. *I d.* 3.*num.* 20
Ad privilegium propriè dictum ordinariè requiritur acceptatio. *num.* 21
Sufficit acceptatio implicita: & per Alium. *num.* 22
Ad privilegium aliquando, ſed non ordinariè eſt neceſſaria ſcriptura, eaque potiùs ad probationem privilegii deſervit. *n.* 23
Quando requiritur acceptatio, tunc etiam requiritur Manifeſtatio privilegii, publica vel privata. *num.* 24
Ordinariè requiritur ad Privilegium rationabilis Cauſa. *n.* 25

Privilegii Vſus.

Per ſe loquendo nemo tenetur uti privilegio, benè tamen per accidens. I. d. 3. *num.* 1
Privilegio perſonali licet uti etiam extra territorium concedentis, modò non adverſetur ſpeciali Legi illius loci, in quo tunc verſaris. *num.* 26
Privilegio potes uti, non tantùm adversùs gaudentem ſimili privilegio, ſed etiam contrario, ſi hoc non ſpecialiter deroget tuo privilegio. *num.* 27
Privilegium unius non derogat priori alterius, niſi contineat Clauſulam derogatoriam. *num.* 28

Privilegii Interpretatio.

In privilegii Conceſſione mens concedentis potiùs, quàm verba ſpectari debent. *I. d.* 3.*num.* 29
Regulæ interpretandi Privilegium. a *num.* 30
Sub expreſſione certarum perſonarum privilegiatarum implicitè & virtualiter poſſunt contineri aliæ, non expreſſæ. *n.* 36
Similiter ſub expreſſione certorum Caſuum, circa quos datur privilegium, poſſunt contineri alii, non expreſſi. *n.* 37

Privilegii Ceſſatio.

Privilegium pro tempore definito, vel ſub certæ Conditionis perſeverantia conceſſum, ceſſat cum tempore, & cum Conditione. *I. d.* 3.*num.* 38
Fine principali privilegii ante ejus completam exiſtentiam deficientem, deficit privilegium. *num.* 39
Vnde quando finis vel non eſt obtinibilis, quando privilegium conceditur, vel quando Conceſſionis demandata executio ponitur, non valet privilegium. *num.* 40
Quando poſt completam Collationem privilegii ceſſat finis, non proinde ceſſat privilegium. *num.* 41
Vnde differt privilegium à Lege propriè dicta, quòd hæc ceſſet ceſſante fine principali adæquato. *num.* 42
Declaratur præcedens doctrina exemplis. *num.* 43
Privilegium conceſſum ad uſum ſucceſſivum, propter finem ſucceſſivum, ceſſat ceſſante fine. *num.* 44
Privilegium actualiter jam collatum non ceſſat per mortem Privilegiantis. *num.* 45
Privilegium per Delegatum conferendum non exſpirat morte Delegantis, quando ipſa poteſtas delegata eſt privilegium. *num.* 46
Quando poteſtas delegata conferendi privilegium ſit ipſa privilegium. *num.* 47
Quando privilegium, vel Gratia determinata, perſonæ determinatæ, in ejus ſolius bonum facienda, demandata eſt, Ius jam quæſitum ad illam Gratiam non extinguitur morte delegantis. *num.* 48

Privilegii Renunciatio.

Tria ſunt Genera privilegiorum, quibus renunciari non poteſt. *I. d* 3.*n.* 49
Renunciatio privilegii debet privileganti manifeſtari. *n.* 50
Gravatus alieno privilegio poteſt contra illud præſcribere, quando privilegiatus illo non utitur. *num.* 51
Quando autem nemo alieno privilegio gravatur, nemo poteſt contra non utentem præſcribere. *num.* 52
Poteſt etiam privilegium amitti per abuſum. *num* 52

Privilegii Revocatio.

Privilegia alia pariunt Ius in privilegiato adversùs privilegiantem, alia nullum Ius pariunt. Alia ſunt merè Gratuita, alia Remuneratoria. *I. d* 3.*n.* 53
Privilegium pariens Ius ſine juſta Cauſa nec validè, nec licitè revocari poteſt, ex juſta cauſa poteſt validè, & licitè modo compenſetur titulus oneroſus. *num.* 54
Neque Privilegium Remuneratorium ſine juſta cauſa revocabile eſt, niſi cum hac poteſtate reſervata collatum fuerit, vel longè ſit ſuprà merita. *num.* 55
Privilegium merè Gratuitum ſine juſta Cauſa validè quidem, ſed non licitè eſt revocabile. *num* 56
Revocatio privilegii alia eſt explicita, alia implicita. Explicita ſubdividitur in Generalem & Specialem, cum vel ſine præſcripta certa formula, vel etiam Clauſula derogatoria derogatoriarum, in conceſſione privilegii appoſitarum. *num.* 57
Nulla Clauſula privilegio appoſita eſt irrevocabilis. *n.* 58
Nec tamen fruſtra apponitur. *num.* 59
Revocatio implicita privilegii triplex eſt. *num.* 60
Quænam privilegia debeant explicitè revocari. *n.* 61
Quæ privilegia, & quo modo implicitè revocentur. *n.* 62
Privilegium revocatur etiam per reſcriptum privatum illi contrarium, non autem Lex, niſi illius etiam mentio fiat. *n.* 63
Revocatio privilegii debet innoteſcere privilegiato, neceſſe tamen non eſt, illam etiam acceptari. *num.* 64
Poſt prohibitionem Propoſitionis 36. Alexand. VII. nequit ſuſtineri hæc propoſitio. *Nullum privilegium Regularium eſt ſufficienter revocatum.* *num.* 65
Diſtinguendum inter Decreta Concilii Tridentini, quæ cum Clauſula derogatoria, & quæ ſine Clauſula derogatoria revocant Regularium privilegia. *n.* 67
Referuntur privilegia, cum Clauſula derogatoria Regularibus ſublata à Tridentino, præter ea, quæ revocantur Seſſ. 25. per cap. 22. de Regularibus. *num.* 68
Refertur Sententia aſſerens, omnia oracula vivæ vocis priùs fuiſſe Bullata, quàm revocata. *num.* 69
Reiicitur hæc Sententia. Et oſtenditur omnia privilegia vivæ vocis uſque ad Vrbanum VIII. ab eodem fuiſſe revocata. *n.* 70

Promiſſio Gratuita.

Quid ſit promiſſio gratuita: & an obliget injuſto metu extorta. *IV. d.* 2 *n* 371
Obligatio promiſſionis eſt major obligatione veracitatis, & minor Obligatione Iuſtitiæ ſtrictè dictæ. *num.* 372
Vt promiſſio obliget, requiritur voluntas ſe obligandi, ejus manifeſtatio, & acceptatio manifeſtata. *num.* 373
Quis, & quo modo, & qua firmitate, alterius nomine promiſſionem ipſi factam acceptare, ac pro eo ſtipulari poſſit *n.* 374
Qui priùs revocat ſuum actum promiſſionis, vel acceptationis, antequam alteri parti innoteſcat, hoc ipſo impedit effectum Obligationis ſecuturæ. *num.* 375
Datum ob turpem Cauſam, ea nondum præſtita repeti poteſt præſtita verò non poteſt, & nondum datum poteſt exigi. *num.* 376
Quomodo Promiſſionis obligatio tollatur. *num.* 377

Prudentia.

Etſi Prudentia ſit actus Intellectus, non meretur tamen laudem, niſi actus Voluntatis illi conformetur. *IV. d* 1.*n.* 1
Ratione illius actus Voluntatis Prudentia reducitur ad Virtutes Morales. *num.* 2
Actus à Prudentia Regulatus, niſi ſuæ Regulæ ſit conformis, imprudentia dicitur. *num.* 3

Formaliter & ſtrictè loquendo, ſola cognitio rerum appetendarum eſt actus elicitus à Prudentia, eique velut Imprudentiæ Vitium opponitur Ignorantia rerum appetendarum, & Error. *num.* 4

Vtrumque vitium Intellectualem malitiam Moralem contrahit à Voluntaria negligentia mediorum, illud evitandi: quæ ſi fiat vel ex formali illorum contemptu, vel ex neglectu circa neceſſaria ad ſalutem, eſt peccatum mortale. Secus, eſt Veniale. *num.* 5

Iſtud peccatum Voluntariæ Imprudentiæ dividitur in tres ſpecies, Prudentiæ Oppoſitas. *num.* 6

Quando Imprudentia eſt circa objecta, ex ſpecialium Virtutum Obligatione ſcitu neceſſaria, tunc etiam contra has ſpecificam malitiam contrahit, in Confeſſione exprimendam. *n.* 7

Aliæ verò tres differentiæ, in diverſa negligentia conſiſtentes, Gradui Generico non ſuperaddunt malitiam, ſpecialiter & diſtinctè explicandam. *num.* 8

Contra Regulam prudentiæ peccata per exceſſum quinque enumerantur à S. Thoma. *num.* 9

Pupillus.

Contra pupillum nec incipere nec currere poteſt præſcriptio, niſi tempore 30. annorum. *IV.d.*2 *n.*312

R.

Raptus.

Quid ſit Raptus fornicationis cauſa. IV.d.1.*num.*61

Religioſi.

Religioſi in Communi, id eſt, Communitates Religioſorum, exceptis RR. PP. Capucinis, & Minoribus de obſervantia ſunt capaces perfecti Dominii rerum temporalium. *IV.d.* 2. *nu.* 189

Non autem in particulari poſt profeſſionem. *num.* 190

Vnde quando ante profeſſionem de ſuis bonis non diſpoſuerunt, horum Ius transfertur in Cõmunitatem Religioſam (niſi etiam ipſa eidem renuntiarit) & probabiliùs etiam Ius Vſufructuarium, neque excipitur jus Vſusfructus, quod Pater Religionem habuit in bona adventitia Filiifamilias. *n.*191. & ſeqq.

Atque ita etiam quidquid acquirit Religioſus particularis, non ipſi, ſed immediatè Communitati acquiritur. *n.*195. & 196

Quomodo Religioſi particulares tamen ſalva Iuſtitia & Religioſa paupertate de bonis temporalibus diſponere poſſint. *Vide* Paupertas Religioſa.

Reſervatio Peccati.

Vide Peccati reſervatio.

Retractus.

Quid ſit Ius Retractus: & quomodo ac quibus concedatur. *IV.d.*2.*n.*427

Si eadem res eodem anno ſæpiùs vendatur, manet Ius Retractus apud prioris Venditoris proximum conſanguineum. *num.* 428

Reus.

Reus non poteſt licitè Accuſatoris vel teſtis authoritatem elidere objectione criminis falſi, vel veri, ſed occulti, quando id ſibi non eſt neceſſarium. IV.d.2.*num.*33

Quando licitè poſſit negare crimen Verum, utendo amphibologia, & quando non poſſit. *num.* 34. *& ſeqq.*

Licet ante & poſt ſententiam Iudicis fugere. *num.* 39

Non peccat mortaliter, ob evitandam torturam ſibi imponens crimen falſum. *num.* 40. *&* 41

Reſtitutio rei alienæ.

Reſtitutio rei alienæ eſt debita Iure naturali. *IV.d.*3.*n.* 1

Hujus obligationis extra Contractum duæ ſunt Radices, nempè Injuſta acceptio, & Res accepta. *num* 2

Reſtitutio ex injuſta Acceptione.

Culpa alia dicitur Theologica, alia Iuridica. Hæc ſubdividitur in quinque gradus. *IV. d* 3. *n.* 3

Nec ex culpa leviſſima, nec ex levi, ſi tantùm ſit Iuridica, eſt Obligatio reſtitutionis ante ſententiam Iudicis. *num* 4.

Idem dic de culpa lata, merè Iuridica. *num* 5

Poſt ſententiam Iudicis datur obligatio etiam in conſcientia. *n.*8

Grave damnum ex culpa ſolùm Veniali inferri poteſt diverſimodè. *num.* 9

Si materialis gravitas damni nec ſimul nec ſucceſſivè eſt cognita, non datur ex culpa merè veniali obligatio, ad totum damnum reſtituendum. *num.* 10

Si materialis gravitas damni tota vel ſimul, vel ſucceſſivè fuit cognita, totum damnum, etiam ex culpa tantùm Veniali illatum, eſt reſtituendum. *num.* 16

Extenditur noſtra aſſertio Obligationis, reſtitutionis, etiam ad grave damnum, non ſucceſſivè illatum. *num.* 19

Damnum injuſtum, ſive mediatè ſive immediatè illatum, ex culpa mortali, totum reſtituendum eſt, etiamſi non ſit præcognitum, niſi neque prudenter fuiſſet ſuſpicabile. *num.* 22

Reſtitutio ex Contractu.

Diviſio Contractuum in tria genera. *IV.d.*3.*n.*29

Quinam contractus obligent ad reſtituendum damnum, ortum ex culpa merè Iuridica leviſſima. *num.* 30

Quinam Contractus ſolùm ex culpa lata obligent. *num.* 31

Quinam ex culpa levi. *num.* 32

Probabilius eſt, etiam ſecluſa culpa mortifera, dari obligationem reſtitutionis ex dictis contractibus antè ſententiam Iudicis. *num.* 33

Ex quaſi contractu oritur Obligatio reſtituendi damnum per culpam latam partum. *num.* 34

Damnum efficaciter Volenti illatum, non eſt injuſtum, adeòque nec reſtituendum. *num.* 35

Reſtitutio ex re accepta.

Res aliena, titulo Rei acceptæ, eadem numero eſt reſtituenda. *IV. d.* 3. *nu.* 38

Rem alienam, à fure bona fide emptam, pro recuperando pretio aliquando certum eſt reſtitui illi poſſe, & aliquando non poſſe. *num.* 39

Probabilius eſt, etiam mala fide emptam, ſi pretium aliter recuperari nequeat, poſſe venditori reſtitui. *num.* 40

Ad quid teneatur dubitans, an res ſit ſua, vel aliena. *n.*46

Reſtitutio Fructuum.

Fructus ſunt triplicis generis. Naturales, Induſtriales, Mixti. *IV.d.* 3. *n.*47

Fructus merè Induſtriales non ſunt reſtituendi. *num* 48

Fructus Naturales, & Mixtos (detracto pretio Induſtriæ) formaliter extantes, etiam bonæ fidei poſſeſſor reſtituere tenetur, quamvis eorum dominium revocabile ſibi comparaverit. *num.* 49

Idem tamen probabiliùs non tenetur reſtituere fructus, tantùm æquivalenter ſive in lucro extantes, à Iure poſitivo in præmium pro cultura & cura conceſſos. *num.* 50

Excipiuntur tamen fructus, ex aliena hæreditate æquivalenter extantes, qui proinde legitimo hæredi reſtitui debeant. *n* 51

Mota lite, & re evicta, tenetur poſſeſſor Bonæ fidei, non tantùm rem, ſed etiam fructus perceptos, & percipiendos, tempori litis correſpondentes, reſtituere. *num.* 52

Poſſeſſor malæ fidei tenetur omnes fructus, etiam conſumptos, nec æquivalenter extantes, imò ex negligentia ſua non perceptos, quos Dominus tamen percepturus fuiſſet, reſtituere. *num.* 53

Licet verò pro fructibus factas expenſas neceſſarias, & utiles deducere, ſive fueris poſſeſſor bonæ, ſive malæ fidei. *n.* 54

Modò res Domino in tantùm ſit utilior facta. *n.*55

Expenſas voluntarias, in quantum per illas res aliena eſt melior, & pretioſior facta, vel pluris à Domino vendita, Bonæ & malæ fidei poſſeſſor probabiliùs etiam deducere poteſt, ſaltem magna ex parte. *num.* 56

Nomine expenſarum comprehenditur etiam æſtimatio propriæ induſtriæ. *num.* 57

Reſtitutio damni in bonis animi.

Qui in Bonis animi alteri involuntarium damnum intulit, tenetur, quantum poteſt, impedire illius continuationem, & reſtituere damna emergentia. *IV.d.*3.*n.*58

Quando damnum illatum tantùm fuit contra charitatem, & non contra Iuſtitiam, hoc ipſo nihil eſt reſtituendum. *n.*59

Ad quid teneatur ſeductor, qui alterum à profeſſione Religioſa avertit, & Religionem emolumentis privavit. *n.*60

Qui vi, vel fraude alterum ad peccandum induxit, tenetur ad illam tollendam, & ad procuranda media ſalutis, ſi deſint. *n.* 61

Reſtitutio damni ex injuſta læſione Corporis.

Fœtum animatum nunquam licet directè occidere. IV. d. 3. *n.* 62

Imò nec inanimatum; Indirectè tamen occidere, licet. *n.* 63

Verè, & juridicè innocentem nunquam licet occidere. *n.* 64

Etiam nocentem privata Authoritate non licet occidere. *n* 65

Ad

Ad mortem legitimè condemnatus poteſt eſſe executor ſententiæ. *num.* 66
Pro tuenda propria vita licet aggreſſorem, ſi neceſſe ſit, occidere. *num.* 67
Imò etiam pro conſervandis bonis temporalibus magni pretii, ſi ea aliter ſervari, & recuperari non poſſent. *num.* 68
Idem licet pro defenſione ſimili alterius. Meritò tamen ab Innocentio XI. reſtringitur nimia licentia. *num.* 69
Acceptare duellum propriè dictum nunquam licet: aliquando tamen licet non fugere neceſſitatem ſe defendendi. *num* 70
Pro injuſta læſione Corporis nihil poteſt, nec debet reſtitui, quamvis poſſit mulcta à Iudice imponi. *num* 71
Reſtituenda tamen ſunt Omnia damna emergentia Compenſabilia. *num.* 72
Aliqui etiam exiſtimant, Omnia damna mediata, conſecutivè emergentia compenſanda eſſe. *num.* 73
Probabiliùs id aſſeritur non de Omnibus, ſed de aliquibus, patientibus damnum. *num.* 74
Noſtra ſententia de facienda reſtitutione damnorum illis Omnibus, quibus Occiſor vel mutilator cognovit probabilem Spem lucri à ſe auferri. *num.* 78
Liberis etiam, vel ſi occiſus his caruit, parentibus, ſecundùm proportionem Spei ad ampliorem hæreditatem obtinendam, præterea Vxori ac creditoribus, ſecundùm prudentem æſtimationem ſui damni, in rebus ſibi ab occiſo debitis, etiam ſine advertentia ad illud illati, reſtituere tenetur occiſor. *n.* 80
Aſſignatur diſparitas, quare proximè dictis ſit facienda reſtitutio damni, etiam ſine advertentia illati; non autem prioribus. *num.* 81
An pœna Talſonis ſuppleat obligationem reſtitutionis. *n.* 82
Negant aliqui ad reſtitutionem obligari eum, qui ſolùm per exceſſum moderaminis inculpatæ tutelæ invaſorem occid. *num.* 83
Rectiùs alii affirmant. *num.* 84
Reſpondetur ad fundamentum oppoſitum. *num.* 85
Qui moderamen inculpatæ tutelæ non exceſſit, etiamſi fugere potuiſſet, probabiliùs non ten tur ad reſtitutionem. *n.* 86
Occiſum ante ſuam mortem, poſſe remittere obligationem reſtitutionis, alia ſententia affirmat, alia negat. *n.* 87
Rectiùs cum diſtinctione reſpondetur. *num.* 88

Reſtitutio damni ex Fornicatione & Adulterio.

Stuprum Vario ſenſu accipitur. *num.* 89
Deflorator Virginis, ſpontè conſentientis, nec ipſi, nec parentibus aliquid reſtituere tenetur. *num.* 90
Qui per injuriam Virginem defloravit, tenetur omnia damna compenſabilia reſtituere. *num* 91
Exponitur. Cap. 1 de Adulteriis. *num.* 92
Qui promiſſione matrimonii Virginem vel Viduam ſeduxit, tenetur illam ducere, etiamſi fuerit obſtrictus Voto caſtitatis. *num* 93
Imò etiamſi tantùm fictè promiſerit, per ſe loquendo, tenetur. *num* 94
Propter ſolam injuriam adulterii non debetur reſtitutio pecuniaria parti læſæ. *num.* 95
Niſi moraliter certum ſit prolem ex adultera natam, non eſſe ipſius mariti, adulter ad nihil tenetur. *num.* 96
Quando certum quidem eſt, prolem non eſſe mariti, incertum tamen, quinam ex pluribus adulteris ſit verus pater, ſinguli tenentur contribuere ad dimidiam compenſationem damni, filiis legitimis emergentis, ad alteram dimidiam autem tenetur adultera. *num.* 97
Adultera non tenetur legitimæ prolis damna impedire confeſſione adulterii. *num.* 98
Proles ex adulterio genita, non tenetur matri, id aſſerenti, credere. *num.* 100

Reſtitutio Famæ.

Quomodo ad reſtitutionem læſæ famæ coram immediatis, vel etiam mediatis Auditoribus teneatur, quicunque alterum ſive de falſo, ſive de vero crimine Occulto infamavit. *IV. d.* 3. *num.* 109
Non tantùm reſtituenda eſt fama injuſtè ablata, ſed etiam conſequentia damna compenſanda. *num.* 110
Cauſæ excuſantes à reſtitutione famæ. *num.* 111

Reſtitutio Honoris.

Honor poteſt eſſe alicui debitus ex obligatione diverſarum Virtutum *num.* 112
Contumelia eſt peccatum contra Iuſtitiam, & parit obligationem honoris reſtituendi, ſive publicè, ſive privatim læſi. *n.* 113
Referuntur hujus reſtitutionis varii modi. *num.* 114
Per ceſſionem Iuris poteſt impediri malitia Contumeliæ, quin impediri poſſit malitia inobſervantiæ. *num.* 115

Reſtitutio Bonorum Temporalium.

Quid reſtituendum ſit, quando rei furto ablatæ, tempore furti, & tempore reſtitutionis pretium eſt inæquale, & res ipſa reſtitui nequit. Neque enim univerſaliter deſumi poteſt pretium rei à tempore, quo Dominus illam fuiſſet alienaturus. *IV. d.* 3. *num.* 159
Neque etiam à tempore, quo pretium ejus erat maximum. *n.* 160
Quamvis aliquando, ſed non univerſaliter, pretium maximum reſtituendum ſit. *num* 161
Statuitur noſtra ſententia. *num.* 162
Ex illa infertur, quomodo aliquando minus pretium reſtituendum ſit, quàm quo res valeret tempore reſtitutionis. *n.* 163
Et rursũ infertur, quomodo aliquando plus reſtituendum ſit. *n.* 164
Quæſtio reſolvitur, an in dubio pretii reſtituendi, Domino potiùs, quàm furi favendum ſit. *num.* 165
Similiter reſolvitur in alio dubio. *num.* 166

Reſtitutio injuſti damni, per cooperationem illati in bonis temporalibus.

Quando plures communi Opera alteri injuſtum damnum intulerunt, ille tenetur primò, apud quem res formaliter, vel æquivalenter extat. *IV. d.* 3. *n.* 175
Quicunque ad alterius injuſtum damnum phyſicè, vel moraliter ex propria culpa cooperatus eſt, ita ut hoc ſaltem tanquam à partiali cauſa dependeat, tenetur ad reſtitutionem in Solidum, ſaltem deficiente alio, vel aliis, æqualiter vel magis obligatis, *num.* 176
Probatur aſſertio, & inde infertur, quomodo obligetur, qui cum aliis in ſenatu injuſtum ſuffragium tulit. *n.* 177
Ex novem modis, injuſtè ad alterius damnum cooperanti, explicatur primus; qui fit per Iuſſionem. *num.* 178
Secundus modus. Per Conſilium. *num.* 179
Tertius per Conſenſum. *num.* 180
Quartus per Laudationem, vel Vituperationem. *num.* 181
Quintus per Recurſum præſtitum. *num.* 182
Sextus per Participationem, cui additur Septimus per Diſſimulationem, Octavus per Conniventiam, Nonus per Taciturnitatem, *num.* 183
Probatur, quocunque modo injuſtè cooperantem vel ad totum, vel ad partem damni, teneri vel ad illud totum, vel ad illam partem reſtituendam. *num.* 184
Neque obſtat, quòd habuerit, vel etiam indiguerit alia concauſa. *num.* 185
Qui non eſt cauſa damni, ſed tantùm alicujus circumſtantiæ, ſine qua æquè fieret damnum, ad nihil tenetur. *n.* 186
Qui tantùm non impedit alterius damnum, neque illud impedire ex juſtitia tenetur, iterũ non obligatur ad reſtitutionem. *n* 187
Inter cooperantes ad injuſtum alterius damnũ, & ad reſtitutionem obligatos, non omnes æqualiter obligantur; ideò eo, qui priùs obligatur, reſtituente, poſterior ad nihil tenetur, & ſi iſte loco prioris reſtituat, illum poteſt reconvenire. *n.* 188
Quo Ordine cooperantes ad damnum alienum injuſtum obligentur ad reſtitutionem. *num.* 189

Reſtitutionis Ordo inter Creditores Incertos.

Si Bona debitoris non ſufficiant omnibus creditoribus ſolvendis, in primis ea, quorum Dominium ad alium pertinet, illi reddenda ſunt. *IV. d.* 3. *n.* 190
Si autem is determinatè non ſciatur, diſtinguendum eſt, an dubium ſit inter paucos, vel an inter multos: in primo dubio res illis reſtituenda eſt, ut de ea tranſignant. In ſecundo dubio debitor titulo paupertatis rem ſibi applicare, & ex ea debita ſolvere poteſt. *num.* 191
Inter creditores certus præferendus eſt incerto. *num.* 192

Ordo inter Creditores partim Hypothecarios, partim non Hypothecarios.

Quid ſit debitum reale, & quid perſonale. Quid pignus, quid Hypotheca; & quæ ſit Hypotheca generalis, quæ particularis. *IV. d.* 3 *n.* 195
Quomodo expreſſa, & quomodo tacita Hypotheca conſtituatur. *num.* 196
Creditor Hypothecarius præferendus eſt Creditori ſimplici, qui non eſt Hypothecarius. *num.* 197
Excipiuntur tamen aliqua debita; priùs ſolvenda etiam creditoribus non Hypothecariis. *num.* 198

Ordo inter Creditores Hypothecarios.

Inter Creditores Hypothecarios præferendus eſt, qui antiquiorem habet Hypothecam, niſi poſterior habeat privilegiatam. *IV. d.* 3. *n.* 199
Hinc Vxor, liberi, & hæredes neceſſarii præferuntur aliis in recipienda æſtimatione datis aliis Creditoribus, non privilegiatis. *num.* 200
Referuntur alii privilegiati hypothecarii. *num.* 203

Ordo inter Creditores Privilegiatos Hypothecarios.

Inter hypothecarios utrinque privilegiatos præferendus eſt antiquior. *IV. d.* 3. *n.* 210
Hinc habens antiquiorem hypothecam dotis præferendus eſt ha-

habenti hypothecam mutui dati ad conſervationem ipſius rei hypothecatæ . *n.* 211
Et privilegium dotis ex prima Vxore præferendum eſt privilegio dotis ex poſteriore Vxore . Venditor tamen poteſt rem ad creditum venditam ſibi Hypothecare, ut reſervet ſibi Ius regreſſus ad illam ante omnes Hypothecarios. *n.*212

Ordo inter Creditores Privilegiatos non Hypothecarios .

Hi præferendi ſunt non privilegiatis . *Et inter privilegiatos rurſum Ordo tenendus . IV.d.3.n.*213

Ordo inter Creditores nec Hypothecarios, nec Privilegiatos .

Inter Creditores, nec habentes Hypothecam, nec privilegium , non datur Ius prælationis ratione tituli, ſive is fundetur in contractu, ſive in delicto debitoris . *IV.d.3.n.*214
Neque antiquior Creditor præferendus eſt recentiori, prout tamen in Hypothecariis contingit . *num.* 415
Neque indigentior Creditor, niſi in extrema , vel quaſi extrema neceſſitate verſetur, præferendus eſt ditiori . *num.* 416
Præferendi tamen ſunt Creditores, vendentes neceſſaria ad conſervationem vitæ, & ſtatus : & vendentes tales res, quæ non reddunt emptorem minùs habilem ad ſatisfaciendum ex iis ceteris Creditoribus . *num.* 217
Quando plures Creditores æquale Ius, & nullus eorum Ius prælationis habet, debitor cuique ſolvere debet partem proportionalem, quam ſolvere poteſt . *num.* 218
Si tamen alii Creditores neglexiſſent petere ſolutionem debiti , poſſet , & deberet petenti totum debitum , etiam integrum ſolvere . *num.* 219
Vltrò verò oblatum totum debitum , etiamſi offerens peccet, poteſt Creditor acceptare . *num.* 220

Reſtitutio ubi facienda ſit.

Injuſtus poſſeſſor, vel debitor ſuis expenſis, niſi juſto majores faciendæ eſſent, eo in loco rem debitam reſtituere debet , ubi Dominus illius eam habiturus fuiſſet . *IV.d 3.n.*221
Quænam expenſæ forent juſto majores, ut debitor eas facere non teneatur . *num.* 222
Indigentia debitoris poteſt excuſare , ne tantas teneatur facere expenſas . *num.* 223
Reſtitutio titulo rei acceptæ in loco, in quo Dominus voluerit, ejus expenſis facienda eſt . *num.* 224
Res debita ex contractu gratuito, vel ex teſtamento reſtituenda eſt in eo loco, ubi ea exiſtit, quando abſolutè incipit eſſe debita , unde ſi in alium locum eſt transferenda, Domini expenſis id fiet . *num.* 225
Res debita ex contractu non alienativo Dominii , e g. ex Commodato, vel Depoſito reſtitui debet in loco , ex quo tranſivit in utilitatem accipientis , vel in quem tranſiit in utilitatem dantis . *num.* 226
Res debita ex contractu utrinque oneroſo ordinariè reſtitui debet , ubi alia æquivalens eſt accepta . *num.* 227
Vnde non rectè ſine dicto diſcrimine contractuum univerſaliter dicitur, rem ibi reſtituendam eſſe, ubi debitor inter contrahendum cred.batur tempore ſolutionis habiturus domicilium : neque ubi actu habebit . *num.* 228
Quòd ſi tamen de loco expreſsè vel tacitè fuiſſet conventum , res ibi reſtituenda eſſet . *num.* 229
Vbi Cenſus realis aut perſonalis , aut penſio ex Beneficio perſolvenda ſit . Item Vbi debitor conveniri , vel citari poſſit . *num.*230

Reſtitutio quando facienda ſit .

Debitum ex delicto, vel ex re accepta ſine notabili, ac damnoſa mora, reſtituendum , & culpabilis moræ damnum etiam compenſandum eſt. *IV.d 3.n.*231
Debitum ex contractu tempore à contrahentibus determinato præſtandum eſt . Si autem nullum expreſsè vel tacitè determinatum eſt, ſaltem quando petitur, eſt perſolvendum . *n* 232
Quando ex Omiſſione petitionis non poteſt prudenter præſumi conſenſus in dilationem , debitum ſine notabili mora reſtitui debet . *num.* 233
Quando non datur juſta cauſa dilationis , excuſans à culpa, hæc eſt grave vel leve peccatum ſecundùm menſuram lucri ceſſantis vel damni emergentis , & pro hujuſmodi damno etiam facienda eſt reſtitutio . *num* 234
Non ſufficit reſtitutio ſucceſſiva , etiamſi debitum ſucceſſivè eſſet contractum . *num.* 235

Reſtitutionem quæ Cauſæ excuſent .

Impotens reſtituere in uno bonorum genere non tenetur reſtituere in altero . *IV d.3.n.*236.& 237

Reſtitutionem an excuſet extrema neceſſitas Debitoris .

Debitor in extrema , vel quaſi extrema neceſſitate conſtitutus non tenetur ad reſtitutionem ex propriis bonis , etiamſi Creditor in ſimili neceſſitate exiſtat . *IV.d.3.n.*241
Impugnatur aliorum, & aſſeritur propria ratio . *n.* 242
Res aliena non fit poſſeſſoris injuſti, in extrema neceſſitate conſtituti, quando ejus Dominus antecedenter vel ſimul in eandem neceſſitatem incidit . *num.* 243
Videtur tamen probabiliùs, poſſeſſorem nihilominus excuſari ab obligatione reſtitutionis , quamdiu durat extrema , vel quaſi extrema neceſſitas . *num.* 244
Niſi injuſtus poſſeſſor cauſa fuerit , ut dominus per ablationem , vel detentionem rei ſuæ , in eandem neceſſitatem antè , vel cum ipſo inciderit . *num.* 45

Reſtitutionem an excuſet gravis neceſſitas debitoris .

Neceſsitas gravis, etiamſi non pertingat ad quaſi extremam , ordinariè excuſat reſtitutionis dilationem . *IV.d.3.n.*246
Niſi Creditor in eadem neceſsitate verſetur, præſertim ſi res ſit propria ipſius creditoris : vel ſit debita ex delicto. *n.*247
Et niſi debitor ſtatum, vel aliud bonum per reſtitutionem amittendum , injuſtis mediis acquiſiverit , vel illius amittendi culpabilis cauſa fuerit per rerum ſuarum profuſionem . *num.* 248
Quando damnum debitoris in gravi neceſsitate conſtituti notabiliter eſſet majus, quàm damnum Creditoris , licet continuare reſtitutionis dilationem . *n.* 249
Imò quando reſtitutio non immediatè , vel Creditori, ſed pauperibus facienda eſſet, poteſt debitor pecuniam reſtituendam ſibi reſervare, ſeu applicare tanquam re & ſpe pauperi. *n* 250

Reſtitutionem an excuſet damnum grave in eodem genere bonorum.

Reſolvitur quæſtio cum limitatione . *IV.d.3.n.*251. & 252
Declaratur & confirmatur limitatio . *n.* 253
Qui alterum injuſtè infamavit , vel falſum crimen Capitale de altero ſparſit , tenetur damnum alterius cum ſimilis damni proprio periculo avertere . *n.* 254

Reſtitutionem an excuſet damnum in altiore genere Bonorum .

Refertur ſententia negativa . *IV. d.3 n.* 255
Præfertur affirmativa, quando dilatione reſtitutionis ſperatur poſſe, *impediri damnum ſpirituale Creditoris. n.*256
Damnum autem temporale non facilè eſt *impediendum, quandiu* Creditor validè & licitè vult illud ſubire . *n.* 257
Reſpondetur ad fundamentum relatæ ſententiæ negativæ. *n.*258

Reſtitutionem an excuſet damnum tertii grave .

Ad quæſtionem reſpondetur affirmativè . *IV.d.3 n.*259
Oſtenditur, in Caſu poſito per reſtitutionem non tantùm peccari contra Charitatem proximi, ſed probabiliter etiam contra Ius tertii . *n.* 260

Reſtitutionem an excuſet obex poſitus à Creditore .

Quando ipſe creditor erat in mora reſtitutionis , quia ſcilicet in ejus utilitatem, E. G. propter bonum ejus ſpirituale , facta eſt dilatio, vel quia ipſe poſuit aliquod impedimentum , quod potuiſſet & debuiſſet non ponere, nihil pro tempore dilationis eſt reſtituendum . *IV.d.3 n* 261

Reſtitutionis moroſæ an ſit compenſandum damnum.

Reſolvitur quæſtio cum diſtinctione , ſi reſtitutio eſt debita vel ex re accepta, vel ex Contractu , vel ex injuſta acceptione. *IV d.3 n* 262

Reſtitutionem an excuſet Ceſſio Bonorum .

Ceſsio Bonorum non extinguit obligationem reſtitutionis in foro Conſcientiæ ; in foro externo autem debitorem liberat à captivitate carceris & moleſta conventione ulteriori apud Iudicem ; quamvis debitor ex delicto ratione hujus detineri , & plecti poſsit IV.d.3 *n* 265
Quid cedenti bonis à Iudice relinquendum ſit, & quid , ſi ad pinguiorem fortunam perveniat . *num.* 266
Quid cedenti bonis in foro conſcientiæ , & ante ſententiam Iudicis liceat de bonis ſuis occultare , ac retinere . *num.* 267
Quibus debitoribus Ceſsio Bonorum non ſit neceſſaria. *n.* 268
Quibus non ſit permiſſa . *num.* 269

Reſtitutionem an excuſet Ingreſſus debitoris in Religionem .

Proponitur ſtatus quæſtionis . *IV.d.3.n.*270
Referuntur tres ſententiæ . *n.* 271
Poſteriores duæ ſententiæ cum diſtinctione approbantur. *n.* 272
Reſponſio de debitis realibus extenditur ad debita Obſequiorum perſonalium *num.* 274
Quinam Iure poſitivo Sixti V. propter debita prohibeantur Religionem ingredi . *num.* 275

Reſtitutionem an excuſet Excommunicatio Creditoris .

Reſpondetur negativè . *IV.d.3.n.*282

Reſtitutioni quomodo ſatisfiat per Tranſactionem .

Quid ſit Tranſactio, & quid requiratur, ut ſit juſta. *IV.d.3. n.*28
Quid ſit amicabilis Compoſitio; & quomodo differat à Tranſactione . *num.* 284

Re-

Reſtitutioni quomodo ſatisfiat per Novationem.

Quid ſit Novatio, & quænam Conditiones ad eam requirantur, & quibus modis fieri poſſit. IV. d.3.*n*.285
Quid ſit Delegatio, & quo modo fiat. *num*. 286
Novatio non eſt præſumenda, ſed debet vel claris verbis, vel manifeſto indicio conſtare. *num*. 287
Quæritur, an te liberes à tuo debito, ſi illud ſolvas Creditori tui Creditoris. Leſſius affirmat pro foro conſcientiæ, non autem pro foro externo, ſi id facias ſine delegatione, id eſt, ſine conſenſu tui Creditoris. *num*. 288
Rectiùs affirmatur pro utroque foro, ſi debitum mediati Creditoris ſit certum, & ejuſdem rationis, cujus eſt tuum debitum, in rebus functionem recipientibus. *num*. 289

Reſtitutioni quomodo ſatisfiat per Compenſationem.

Quid ſit Compenſatio debiti, & quomodo per illam debita ipſo Jure extinguantur. *IV.d.3.n* 290
Excipiuntur tamen aliqua debita, quæ non compenſari, ſed ſolvi debent. *num* 291
Debitum nec in foro Conſcientiæ poteſt compenſari, niſi mutua Creditoris obligatio ſit debitori certa, nec in foro externo, niſi ſit liquida. *num*. 292
Quomodo Iuridica hæc Compenſatio differat ab occulta Compenſatione. *num*. 293

Reſtitutioni quomodo ſatisfiat per debiti Remiſſionem.

Quæ Conditiones requirantur ad gratuitam debiti remiſſionem. *IV. d*.3.*n*.294
Quomodo pro adeunda hæreditate, inſufficiente debitis diſſolvendis, eorum fiat partialis remiſſio conſenſu Creditorum. *num*. 295
Quando certi Creditoris debitum eſt certum, poteſt ob certas cauſas illud à principe Communitatis remitti, ſine juſta cauſa autem non poteſt, etiam neque à Summo Pontifice. *n*. 296
Debita incerta ex delicto, piis Cauſis applicanda, neque à Principe ſæculari, neque ab Epiſcopo remitti poſſunt. *n*. 297
Eadem tamen, quando poſt diligentem inveſtigationem legitimi Domini manent incerta, ex juſta, & debitis proportionata cauſa poſſunt à Summo Pont. remitti *num*. 298
Oſtenditur huic poteſtati nec obſtare Ius naturale, neque præſumptam Voluntatem Creditoris incerti. *num*. 299
Etſi probabile ſit, Cognito legitimo Domino, applicationem debiti incerti ad piam Cauſam, adhuc formaliter extantis, vel ejus remiſſionem, non tranſiiſſe in abſolutam, & ab illo repeti poſſe; oppoſitum tamen videtur probabiliùs. *num*. 300

Reſtitutioni aliiſ ſatisfaciendi modi.

In foro externo tollitur obligatio, & Ius intentandi actionem Iuramento, ad inſtantiam Creditoris coram Iudice edito. *IV d*.3.*n* 301
Secundò etiam in conſcientia tollitur obligatio, ſi res determinatè, & abſque delicto debita, ſine culpa debitoris interiit. *num*. 302
Tertiò per legitimam Sententiam Iudicis (quæ tamen deinde certò cognita veritate debiti in conſcientia non liberaret ab obligatione abſoluta, ac independenter à Iudicis ratificatione) Huc etiam ſpectat legitima præſcriptio. *num*. 303
Quartò. Si debitor donavit, vel legavit rem æquivalentem, vel pretioſiorem animo ſatisfaciendi debito. *num*.304
Reſtitutione facta ei, qui habuit à Creditore generale, aut ſpeciale non datum accipi ndi: etiamſi res ad Creditorem cum vel ſine iſtius culpa non fuerit perlata. *num*. 305

Reſtitutio in integrum.

Quibus contra factam Præſcriptionem concedatur Reſtitutio in integrum. *IV. d* 2.*a n*.319
Majorennibus ob ignorantiam probabiliùs non conceditur. *n*.321
Quibus concedatur ob læſionem per Contractum Emptionis. *num*. 425
Quamdiu duret Ius petendi reſtitutionem. *num*. 426

S.

Sacramentum.

Definitio Sacramentorum. N. L. *VI.d*.1.*n*.1
Declaratio Definitionis. *num*. 2
Numerus Sacramentorum N. L. *num*.3
An Sacramentum licitè adminiſtretur cum dubio de ejus Valore *I.d*.1.*à n* .76

Sacramenti Materia & Forma.

Omnia Sacramenta conſtant materia & Forma. *VI.d*.1. *n*.4
Materia & Forma Sacramentorum eſt quidem à Chriſto determinata, ſed non quoad ſpeciem infimam. *num*. 5
Ideo quoad materiam, à Chriſto quoad ſpeciem infimam non determinatam, competit Eccleſiæ poteſtas determinandi, & mutandi; ut per Inductionem variorum Sacramentorum patet. *num*. 6
Idem dicendum in quibuſdam Sacramentis quoad Formam & iterum oſtenditur per Inductionem. *num*. 7
Forma Sacramentorum non mutatur ſubſtantialiter, quamdiu retinetur ſenſus verborum à Chriſto intentus, retinetur autem non obſtante aliquali corruptione verborum. *n*.8
Nec obſtante etiam nonnulla additione, vera vel falſa, cum veritate Senſus intenti non incompoſſibili: quamvis hujuſmodi additione facilè graviter peccetur. *num*.9
Idem dicendum de Subtractione Verborum quorundam. *n*. 10
Per Reſtrictionem mentalem poteſt mutari Forma Sacramenti, *num*. 11
Poteſt tamen Reſtrictio particularis corrigi per Intentionem univerſalem prævalentem. *num*. 12

Sacramenti conficiendi Intentio.

Qualis Intentio Miniſtri requiratur, & ſufficiat ad validam adminiſtrationem Sacramenti. *VI d*.1.*n*.13
Intentio Miniſtri debet coexiſtere adminiſtrationi Sacramenti, vel actualiter, vel Virtualiter, nec ſufficit habitualis coexiſtentia. *num*. 14
Intentio Sacramenti extra Matrimonium debet vel eſſe, vel tranſiiſſe in abſolutam, quando ponitur materia & forma. *num*.15
In ſolo Matrimonio dicta Intentio abſoluta non requiritur. *num* 16
Non nunquam neceſſe eſt, ut Intentio Miniſtri ſit quoad modum tendendi conditionata. *num*. 17

Sacramenti recipiendi Intentio.

Qualis Intentio requiratur ex parte ſuſcipientis Sacramentum. *VI d*.1.*n* 18
An & quando infideli adulto adminiſtrari poſſit Baptiſmus in extrema neceſſitate, priùs non petitus. *num*. 19
In infantibus, & perpetuò amentibus, non requiritur Intentio ſuſcipiendi Sacramentum. *num* 20
Explicatur *cap. Majores, de Baptiſmo*. *num*. 21

Sacramenti Miniſter.

Perſona idonea Miniſtri neceſſaria eſt ad Valorem Sacramenti: talis autem non poteſt eſſe, niſi homo *VI.d*.1.*n*,22.
Iſque debet adhuc eſſe Viator. *n*. 23
Nec quilibet homo cujuſcunque ſexus poteſt quodlibet Sacramentum adminiſtrare. *num*. 24
Probitas & Fides Miniſtri non ſpectat ad Valorem Sacramenti. *num*. 25

Sacramenti recipiendi Perſona Capax.

Nemo eſt capax ullius Sacramenti, niſi homo Viator. *VI.d*.1. *n*.26
Sine præcedente Baptiſmo nullum Sacramentum poteſt fructuosè, & extra Euchariſtiam, neque validè recipi. *n*.27
Beatiſſima Virgo ſuſcepit Sacramentum Baptiſmi *n*.28

Sacramenti Vis cauſandi Gratiam.

Diſcrimen inter Virtutem cauſandi gratiam ex opere operantis & ex opere operato. *VI.d*.1.*n*.29
Sacramenta V. L. non cauſabant Gratiam ſanctificantem ex opere operato. *num*. 30
Sacramenta N. L. cauſant Gratiam ex opere operato *n*.31
In quo conſiſtat vis cauſandi Gratiam per Sacramenta N L. *n*.32
Idem ſpecie Sacramentum in diverſis ſuſcipientibus, æqualiter diſpoſitis, æqualem cauſat gratiam. *num*. 33
Inæqualem verò, in diſpoſitis inæqualiter. *num*. 34
Diverſa Sacramenta, per ſe loquendo, cauſant gratiam inæqualem. *num*. 35
Subſtantialiter quidem ſimilem, ſed accidentaliter diſſimilem. *num*. 36

Sacramenti Licita adminiſtratio.

Ad validam adminiſtrationem Sacramentorum non requiritur ſtatus Gratiæ ex parte Miniſtri. VI.d.1.*n* 37
Requiritur tamen ad licitam, ſi Miniſter eſt per Sacramentum Ordinis deputatus, & ut talis adminiſtret Sacramentum. *n*. 38
Laicus Miniſter non peccat mortaliter, ſi non in ſtatu Gratiæ confert Baptiſmum. *num*. 39
Imò neque Sacerdos, ſecundùm multos, ſi more Laico Baptizet. *num*. 40
Probabilior tamen eſt ſententia oppoſita. *num*. 41

Conjuges in ſtatu peccati Mortalis tantùm peccant mortaliter recipiendo , non autem ſibi adminiſtrando Sacramentum Matrimonii . *num.* 42
Probabiliùs eſt, hoſtiam Euchariſticam, jam antè conſecratam , poſſe ſine peccato novo mortali præberi alteri, à Miniſtro non exiſtente in ſtatu Gratiæ . *num.* 43
Probabiliùs ſola Confectio Sacramenti in ſtatu peccati mortalis , eſt peccatum mortale . *num.* 46

Sacramenti licita & fructuoſa Receptio.

Quæ dicantur Sacramenta Mortuorum , & quæ Vivorum . *VI.d.1.num.*48
Qualis requiratur diſpoſitio, ad Sacramenta Mortuorum fructuoſè ſuſcipienda, in recipiente . *num.* 49
Qualis requiratur diſpoſitio in recipiente Sacramentum Vivorum, conſcio ſibi peccati mortalis . *num.* 50
Et qualis in non Conſcio . *num.* 51
An Sacramentum infructuosè, ſed validè ſuſceptum, remoto Obice conferat Gratiam Sanctificantem *num.* 52
Quid in hoc caſu dicendum de Extr. Unctione, & Matrimonio. *num.* 53.
Quid in eodem caſu de Suſceptione Sacræ Euchariſtiæ . *n.*54

Sacramenti Character.

Tria Sacramenta præter Gratiam Sanctificantem pariunt Characterem ſpiritualem in Anima recipientis. *VI.d.*1. *n.* 55
Quid ſit iſte Character, & quare Sacramentum per illum reddatur irreiterabile . *num.* 56

Sacrificium SS. Euchariſtiæ.

Vide Euchariſtiæ Sacrificium .

Sacrilegium.

Sacrilegium eſt Violatio rei Sacræ . *V.* d.3.*n.*296
Dividitur in Perſonale , Locale, Reale . Perſonale eſt Violatio Perſonæ Sacræ ; committitur tribus modis . *num* 297
Quid ſit,& quomodo committatur Sacrilegium Locale *n.* 298
Quid ſit,& quomodo committatur Sacrilegium Reale. *n.*299
Quantum ſit peccatum actus Sacrilegii . *num.* 300

Scandalum.

Scandalo directo inducens alterum, etiam rationis expertem , ad violandam legem naturalem, peccat . *I.d.*2.*n.* 19
Quid ſit Scandalum, & quale ſit peccatum . *num.* 105
Actio de ſe licita, & ex juſta cauſa poſita , ex qua Proximus accipit Occaſionem lapſus, non eſt Scandalum Activum, de quo hîc agimus : Sed vocatur Paſſivum, ſeu Phariſaicum. *n.* 106
Sicut poteſt dari Scandalum Paſſivum ſine Activo, ita poteſt dari Activum ſine Paſſivo . *num.* 107
Scandalum deſumit Gravitatem vel Levitatem Malitiæ à probabiliter prævisa ruina Proximi. *num.* 108
Etiam ſpeciem ſuam accipit à ruina proximi directè intenta . *num.* 109
Regula Univerſalis, quando detur Scandalum Paſſivum ſine Activo . *num* 110
Mulier non tenetur abſtinere à competente ſibi ornatu , vel à progreſſu in publicum , ut audiat miſſam etiam die feriali, prævidens Proximi Scandalum Paſſivum . *num* 111
Res indifferentes ad Bonum & malum uſum, vel tantùm remotè ad malum uſum Servientes licitè venduntur malè utentibus , per ſe loquendo, & ex juſta cauſa . *num.* 112
Filii & Famuli ſuis Patribusfam. licitè obediunt in rebus honeſtis, & remotè tantùm ſervientibus ad illorum peccatum in proximè tamen ſervientibus meritò propoſitionem 51 Innoc. XI. damnavit. *num.* 113
Non agit tamen contra illam prohibitionem ponens actionem indifferentem proximè ſervientem metu mortis, vel alterius graviſſimi mali . *num* 114
Licitè petitur ob juſtam cauſam actio ab alio præſtanda ; quamvis prævidetur ſine peccato poſſe,ſed non velle ponere . *n.* 115
Licet præbere occaſionem famulis peccandi leviter, ad explorandam illorum fidem, & ad impediendo peccata graviora. *n.*116
Licet ponere occaſionem alieni peccati, ſi id ea non poſita æquè committeretur. *num.* 117

Scrupulus.

Vide Conſcientia Scrupuloſa .
Scrupuloſorum privilegium . *VI.d.*6.*n.*123

Servitus.

Servitus, eſt obligatio, qua res aliena alteri ſubiicitur , ut in commodum ipſius aliquid fiat, vel non fiat . Unde ſupponit in altero aliquod dominium imperfectum. *VI.d.*2.*num.*83
Illius Variæ diviſiones . *num.* 84

Servus.

Servi aliqui dicuntur impropriè , qui verè ſunt liberi . *IV. d.* 2. *num.* 132
Propriè dicti ſervi habent quidem dominium bonorum internorum , ſed non externorum, niſi in quinque caſibus , in quibus tamen etiam nequeunt de illis teſtamento diſponere . *n.* 133
Neque verò etiam Dominus, cujus ſunt omnia bona ſervi, cum dicta exceptione, habet perfectum dominium in Servum, & in corpus illius. *num.* 94
Fit homo ſervus quatuor modis . *num.* 95
Nequit Servus, vel Serva contrahere Matrimonium cum homine libero, niſi in caſibus exceptis. *VI.d.*9.*n.*69

Simonia.

Quid ſit Simonia . *V.d.*3.*n* 301
Quid intelligatur per Emptionem, Venditionem & per pretium, in definitione Simoniæ . *nu.* 302
Quomodo etiam titulo Gratitudinis pro re ſpirituali nequeat exigi aliquid temporale juxta propoſit . 45. & 46. ab Innocentio XI. prohibitas . *num.* 303
Pro re ſpirituali poteſt etiam ex pacto dari aliquid temporale titulo ſuſtentationis . *num.* 304
In Emptione & Venditione Simoniaca non eſt neceſſaria intentio æqualitatis inter datum & acceptum . *num.* 305
Res annexa ſpirituali jam eſt materia Simoniæ . 306
Nomine rei Spiritualis non venit Inſtructio in ſcientiis Theologicis: nec Gradus doctorales . *num.* 307
Neque Reſponſa Moralia, neque Inſtructio Catechetica Ludimagiſtrorum . *num.* 308
Quæ actiones ſint Spirituales ac invendibiles . *num* 309
Quomodo poſſit res materialis ſpectari ſecundùm æſtimabilitatem merè materialem, & ſecundùm æſtimabilitatem Spiritualem, & quomodo proinde poſſint vendi Sacra vaſa, & aliquid temporale accipi pro loco ſepulturæ, & pro loco certæ ſtationis in templo . *num.* 310
Diviſio Simoniæ in Naturalem, & Poſitivam . *num.* 311
Et in Mentalem , Conventionalem, ac Realem . *num.* 312
Quantum Simonia ſit peccatum . *num.* 313

De Pœnis Simoniæ.

Ex qua Simonia ipſo facto pœna incurratur. Et an exactio rei temporalis pro ſuſceptione ad Religionem aliquando excuſetur à Simonia . *num.* 314
Ut pœna Simoniæ incurratur, in non Confidentiali requiritur, ut ſit ex utraque parte completa . *num.* 315
Levitas muneris aliquando poteſt excuſari ab affectu Simoniaco . *num.* 316
Pœna pro Simoniaco Ingreſſu in Religionem . *num.* 317
Pœna pro Simoniacè accepto Ordine . *num.* 318
Pœna ſuſpenſionis pro Simoniacè dato Ordine . *num.* 319
Pœna pro Beneficio Simoniacè collato . *num.* 320
Ad quid teneatur Beneficiatus , quando ipſe non eſt complex Simoniaci criminis . *num.* 321
Qualis Pœna Simoniæ per Iudicem inferenda . *num.* 322
Quomodo Simonia Confidentialis pœnam mereatur. *n.*323
Quales pœnæ pro Simonia Confidentiali ſtatutæ ſint . *num.* 324

Sobrietas.

Vide Ebrietas .

Societatis Contractus.

Quid ſit Contractus Societatis & quomodo , ac qualium rerum in eo contributio fiat, plerumque tamen retento a ſingulis earum dominio *IV d* 2.*n* 453
Sicut lucrum Sociis Omnibus Commune, & in partes proportionales dividendum eſt, ita & damnum, ſi quod ſine alterutrius culpa accidat . *num* 454
Quomodo liceat Sociis à contractu recedere . *num.* 455
Qualiter diſſolvatur Societas . *num* 456

Spes Theologica.

Definitio Spei Theologicæ, tanquam Virtutis non Intellectus , ſed Voluntatis. *III d.un.n.*44
Verſatur Spes circa Bonum, ut Arduum . *num.*45.
Proprius Modus tendendi Virtutis Spei . *num.* 46
Fertur Spes in Deum ut Auxiliatorem . *num.* 47
Statuitur Objectum Materiale Spei . *n.*48
Declaratur & confirmatur aſſertio Objecti Materialis. *n.*49
Statuitur Objectum Spei Formale . *num.*50
Diſtinguendum inter Spem,& Fidem præviam ad Spem. *n* 51
Proinde attendendum ad diverſum modum tendendi Fidei ac Spei . *n* 52
Diſtinguendum etiam inter Deſiderium ac Spem . *n.*53
Nec Fidelitas Dei eſt adæquatum Motivum Spei , nec Bonitas Objecti Sperati . *n.* 54
Probatur, Deum ut Auxiliatorem Infallibilem eſſe Motivum Formale Spei . *n.* 55
Quænam Perfectiones Divinæ contineantur formaliter in prædicto Motivo . *n.*56

Spei Neceſſitas

Homo ſub mortali tenetur ſæpiùs elicere actum Spei. *III.d.un.n.*57

Spei Oppoſita Vitia.

Quomodo contingat Deſperatio . *n.*58
Quantum peccatum ſit Deſperatio,vel hæſitatio Spei . *n.*59
Quomodo contingat Præſumptio . *n.*60
Præſumptio in genere ſuo eſt minus peccatum,quàm Deſperatio. *n.*61

Eſt

Eſt tamen peccatum mortale ex Genere ſuo. *n.*62.

Stuprum.

Quid ſit Stuprum. *IV. d.* 1. *n.* 6

Subſtitutio Hæreditaria.

Vide Teſtamentum. In prin.

Superſtitio.

Quid, & quotuplex ſit Superſtitio. *IV. d.* 3. *n.* 278

Quomodo cultus falſus, & quomodo Vanus, ſeu ſuperfluus DEO tribui poſſit. *num* 279

Quid & quale peccatum ſit Divinatio. *num.* 280

Quæ ſint Divinationis diverſæ Species. *n.* 281

Quid & quale peccatum ſit Idololatria. *num* 282

Quid & quotuplex ſit Vana obſervantia. *num.* 283

Suſpenſio.

Definitio Suſpenſionis, ejuſque differentia à Depoſitione & Degradatione, *VII. d. Un. num.* 53

Soli Clerici, propriè loquendo, ſuſpendi poſſunt. *n.* 54

Uſus poteſtatis Eccleſiaſticæ duplex eſt, nempe Officii, & Beneficii. Officii Functiones aliæ ſunt Ordinis, & aliæ Juriſdictionis. Propter harum privationem Electio ſuſpenſi ad Beneficium illicita, probabiliùs tamen non irrita, ſed irritanda eſt. Per privationem Beneficii intelligitur privatio redditunm ex Beneficio. *num.* 55

Differentia Suſpenſionis ab Excommunicatione, & Interdicto. *num.* 56

Suſpenſio alia eſt totalis, alia partialis. Partialis poteſt eſſe quoad functiones unius Ordinis Spiritualis, quin ſit quoad functiones alterius, etjam Superioris. *num.* 57

Similiter Suſpenſio Juriſdictionis, vel Beneficii, poteſt diverſimode reſtringi: ſine particulis reſtringentibus autem abſolutè & univerſaliter accipiendi eſt. Et ſervanda etiam forma præſcripta. *num.* 58

Suſpenſio quoad determinatum tempus non eſt propriè cenſura, æqualiter tamen ejus violatione incurritur Irregularitas, ſi præſtetur functio Ordinis Sacri, cum debita ſolemnitate. *num.* 59

Suſpenſio totalis non incurritur, niſi per peccatum mortale à perſona particulari; qualia ſunt, in malè ſuſcepto, vel malè adminiſtrato Ordine, Commiſſa. *n.* 60

Suſpenſio illata, ut pura pœna, ordinariè ab inferiore, quàm ab inferente remitti non poteſt. *num.* 61

Illata verò, ut propriè dicta cenſura, niſi Papæ ſit reſervata, poteſt remitti ab Epiſcopo, non verò a ſimplici Sacerdote ſine ſpeciali privilegio. Cujuſmodi conceſſum eſt Sacerdotibus noſtræ Societatis. *num.* 62

Suſpicio Temeraria.

Vide Judicium Temerarium.

T

Teſtamentum & ultimæ Voluntates.

Definitio Teſtamenti, & differentia à Codicillo. *IV. diſp.* 2. *num.* 466

Declaratio Codicilli. *num.* 467

Aliæ ultimæ Voluntates, & in primis Subſtitutio, quæ definitur, & dividitur in Vulgarem, Pupillarem, Exemplarem, Compendioſam, Reciprocam. Quid ſit ſubſtitutio Vulgaris, & pupillaris, & utriuſque inter ſe connexio. *num.* 468

Explicatur Subſtitutio Exemplaris, Compendioſa, & Reciproca. *num* 469

Quomodo fiat indirecta ſubſtitutio, & quid ſit Fidei Commiſſum, tam univerſale, quàm Particulare. *num.* 470

Quid ſit, & quale Jus conferat Legatum. *n.* 471

Teſtamenti Forma.

Quomodo Teſtamentum ſit ſcribendum. *IV. d.* 2. *n.* 472

Quot & quales adhibendi teſtes. *num.* 473

In quibus Teſtamentis minor Teſtium numerus ſufficiat. *num.* 474

De aliis neceſſariis Conditionibus. *num.* 475

Quid ſit Teſtamentum Nuncupativum, & quomodo differat à Scripto. *num.* 476

Qualis Forma, & Conditiones requirantur ad Codicillum. *num* 477

In Teſtamento ad pias cauſas non eſt neceſſaria communis Forma Teſtamenti: unde duæ ſequelæ inferuntur. *num.* 478

Non requiritur proinde ullus teſtium numerus, ſi aliunde certò conſtet de Voluntate Teſtatoris. *num.* 479

Alia illata in favorem Cauſæ piæ. *num.* 480

In terris temporali Juriſdictioni Pontificis ſubjectis ſufficit minor Solemnitas Teſtamenti. *num.* 481

In terris utentibus Jure Imperiali præſcripta Solemnis Forma probabiliùs eſt neceſſaria ad Valorem. *num.* 482

Probabilis tamen & in foro conſcientiæ practicabilis eſt Sententia oppoſita. *numer.* 483

Extra Teſtamentum nulla eſt neceſſaria Forma ad Valorem ultimæ diſpoſitionis. *num.* 484

Teſtamenti Annullatio.

Quomodo Teſtamentum infirmetur per Reſciſſionem, vel Irritationem. *IV d.* 2. *n.* 485

Quomodo Teſtamentum rumpatur: præſertim ſi ejuſdem plura ſint Exemplaria. *num.* 486

Ad revocationem Teſtamenti requiritur, ut ab eo condito effluxerit decennium *num.* 486

Niſi revocatum fuerit coram ſeptem teſtibus, ſufficientibus ad contrarii Teſtamenti Nuncupativi confectionem. *n.* 487

Excipiuntur quidam caſus, in quibus neque decennium neque ſeptem teſtes ſunt neceſſarii ad revocationem Teſtamenti. *num.* 488

Quomodo per poſterius Teſtamentum revocetur prius, ſi hoc ſit factum ſine clauſula derogatoria. *num* 489

Quomodo prius Teſtamentum per clauſulam derogatoriam prævaleat poſteriori, & quomodo per poſterius poſſit derogari priori, & ipſius etiam clauſulæ derogatoriæ. *num.* 490

Teſtamenti factio quibus permittatur.

Datur ſæpe gravis obligatio faciendi Teſtamentum. *num. IV. d.* 2. *num* 491

Quinam Jure naturali inhabiles ſint ad Teſtamentum, & quid in dubio habilitatis dicendum. *num* 492

Quinam Jure poſitivo Civili teſtari nequeant. *num.* 493

An Clerici Beneficiati de redditibus ſuſtentationi ſuperfluis teſtari poſſint. *num.* 494

Quomodo Religioſi ante vel poſt emiſſa Vota teſtari, vel non teſtari valeant. *num.* 495

Teſtamento capere qui poſſint.

Hæreditas tota, ſive As, dividitur in 12. Uncias ſive partes. Unde qui eſt ex aſſe hæres dicitur hæres univerſalis, reliqui dicuntur particulares. *IV. d* 2. *num.* 496

Hæredes neceſſarii dicuntur, qui non niſi expreſſa, & probata cauſa in Teſtamento ad cauſas profanas præteriri poſſunt, quibus alioquin competit Querela inofficioſi Teſtamenti. In Teſtamento autem ad Cauſas pias relinquenda ipſis ſaltem eſt portio l gitima. *num.* 497

Quinam ſint hæredes neceſſarii, & qualis portio legitima illis relinquenda ſit. *nu.* 498

Qui Religioſi hæredes inſtitui, vel non inſtitui poſſint. *num.* 499

Quinam ex ſuo, vel parentum delicto nequeant hæredes inſtitui, vel à quibus nequeant inſtitui. *num.* 500

Quinam Filii legitimi, vel illegitimi, & ex his qui Naturales, & qui Spurii dicantur. *num.* 501.

Quomodo Filii illegitimi à Parente hæredes poſſint inſtitui, vel illi ab inteſtato ſuccedere. *num* 502

Quomodo iidem à Matre Inſtitui, vel ab Inteſtato valeant ſuccedere. *num* 503

Quinam propter delictum hæreditate in pœnam per Sententiam Judicis privandi ſint. *num.* 504

Teſtamento non condito, qui & quo Ordine ſuccedant.

Gradus Conſanguinitatis in Succeſſione hæreditatis non ſecundum Formam, in contrahendis Matrimoniis obſervandam, computandi ſunt: ſed ſecundum formam Juris Civilis, etiam ab Eccleſiaſtico receptam. *IV. d.* 2. *n.* 505

Ab inteſtato primi ſuccedunt liberi ſuis parentibus & uno eorum priùs mortuo, in ejus locum ſuccedunt nepotes ab illo relicti, in avi hæreditatem cum liberis: ſed nepotes cum immediato deſcendente, ſi ſaltem unus ſuperſit, ſuccedunt tantùm in ſtirpes, non in capita. *num* 506

Quomodo deficientibus deſcendentibus ſuccedant proximi aſcendentes, & cum his ex eodem Patre & Matre geniti Fratres ac Soror s defuncti. *num.* 507.

Quomodo in defectum deſcendentium & aſcendentium ſuccedant ex linea tranſverſa proximi conſanguinei uſque ad decimum gradum, & quidem primò Fratres ac Sorores ex eodem Patre & Matre, & in horum vicem, ipſorum filii & filiæ antè Fratres & Sorores defuncti, duntaxat ex eodem Patre, vel eadem Matre deſcendentes. *num.* 508

Poſt utrinque conjunctos Fratres & Sorores, eorumque liberos, ſuccedunt ex una tantùm parte conjuncti fratres & Sorores; & in horum defectum eorum liberi. *num.* 509

In locum prædictorum ſuccedunt alii proximi conſanguinei uſque ad decimum gradum ſecundùm computationem Juris Civilis. *num.* 510

Quomodo conjuges ſibi mutuò ſuccedant. *num* 511

Teſtamento excludendi Cauſæ.

Referuntur 14. Cauſæ, quarum ſingulæ ſufficiunt, ſi in teſtamento expreſſæ, & vel à teſtatore, vel ab hærede probatæ fuerint, ut hæres neceſſarius legitimè exhæredetur. *IV. d.* 2. *n.* 512

Præ-

Præter prædictas 14. Cauſas probabiliùs nulla alia ſufficit ad validam exhæredationem. *num.* 513
Cauſa exhæredationis non expreſſa, nequit propter illam hæres neceſſarius à teſtamento vel ab hæreditate excludi. *num.* 514.
Cauſa exhæredationis per pœnitentiam exhæredati vim ſuam non amittit. *num.* 515
Amittit tamen per datam Veniam, & remiſſionem. *ibid.*

Teſtamenti acceptatio & hæreditatis aditio.

Intra quale tempus hæreditas vel adeunda, vel repellenda ſit: & quomodo cum Beneficio inventarii adire poſſit. *IV. diſp. 2. num.* 516
Quos Inventarium pariat effectus. *num.* 517
An qui ſine Inventario adivit hæreditatem, in conſcientia teneatur ad Onera, vires hæreditatis excedentia. *n.* 518

Teſtamenti repudiatio, & hæreditatis tranſmiſſio, ac renunciatio.

Quis ſit hæres *Suus. IV. d. 2. num.* 519
Quomodo hæres Jure Suitatis tranſmittat hæreditatem ad ſuos ſucceſſores. *num.* 520
Quomodo Iure Sanguinis transmittatur hæreditas. *n.* 521
Quomodo Iure deliberandi tranſmittatur hæreditas, & quamdiu illud duret. *num.* 522
An Lex concedens annum deliberationi ſit revocata. *n.* 523
Quomodo Filius aut Filia poſſit vel non poſſit hæreditati renunciare. *num.* 524

Teſtamenti Executio.

Quis, & quibus modis Executor teſtamenti conſtitui poſſit. *IV. diſp. 2. num* 525
Quæ ſit Obligatio ſuſcipiendi Officium Executoris, & ad quem transferantur emolumenta, ſi is Officium recuſet. *n.* 526
Intra quod tempus executio teſtamenti fieri debeat, & quam pœnam Executor negligens incurrat. *num.* 527
Quæ ſit Executorum poteſtas. *num.* 528
Quando res legata à Teſtatore non fuit ſufficienter determinata, à quo & quo modo in actuali executione ſit determinanda. *num.* 529
An, & quando, & à quo Voluntas Teſtatoris mutari poſſit. *num.* 539

Teſtis.

Quando teſtis teneatur jurare, & dicere veritatem coram Iudice. *IV. d. 2. num.* 30. & 31

Theſaurus.

An & quomodo inventus Theſaurus, Iure tum naturali tum poſitivo, fiat Inventoris. *IV. d. 2. num* 251
An in alieno fundo ex conſenſu Domini quæſitus ad Inventorem totus ſpectet. *num* 252
An inventi theſauri in alieno fundo totum Ius acquirat, ſi Inventor fundum emat. Et an æquali pretio emere poſſit. *n.* 253
Reſpondetur ad parabolam Evangelicam. *num.* 254
Fundus ob latentem theſaurum non eſt pluris æſtimabilis. *n.* 255
An Domino proprietatis, vel Domino Utilitatis, portio inventi theſauri cedat. *num.* 256

Temperantia.

Vide Iejunium. Caſtitas. Ebrietas.

Tentatio DEI.

Quid ſit Tentatio DEI Formalis, & in quo conſiſtat ejus malitia. *V. d. 3. n.* 285
Quid ſit Tentatio DEI Interpretativa, & quomodo ea committatur. *num.* 286.
Etiam Interpretativa Tentatio DEI eſt ex genere ſuo peccatum mortale. *num.* 287
Tentatio DEI Formalis oritur ex imperfectione Fidei, Interpretativa ex præſumptione. *num.* 288

V

Venatio.

Vide Animalium Ius.

Venditio.

Vide Emptio.

Virginitas.

Quid ſit Virginitas, & quomodo diſtinguatur à Caſtitate. *IV. d 2. n.* 55.
Conditiones requiſitæ ad Virginitatem. *n.* 56.

Unctio Extrema.

Materia remota Extremæ Unctionis eſt purum Oleum Benedictum. *VI. d 7 n* 1.
Poteſt hujus Benedictio à Summo Pontifice etiam committi ſimplici Sacerdoti: unde differat à Chriſmate; quia hoc continet etiam Balſamum, benedicitur alia formula, & ſolùm ab Epiſcopo. *num* 2.
Materia proxima eſt actualis Unctio, cui non eſt eſſentiale, ut fiat in forma Crucis. *num.* 3
Probabiliùs, Rationem ſpectando, ſufficit Unius ſenſus Unctio. *num.* 4.
Refertur Forma Extremæ Unctionis. *num.* 5
Sententia aſſerentium, Formam eſſe eſſentialiter deprecatoriam. *num.* 6
Sententia idem negantium. *n.* 7
Conciliantur ambæ ſententiæ. *num.* 8
Quis ſit effectus primarius, & ſecundarius Extremæ Unctionis. *num* 9
Miniſter Extremæ Unctionis ſolus Sacerdos eſt. *n.* 10
Solus homo Viator, & Baptizatus eſt capax Extremæ Unctionis. *num.* 11
Iſque ſaltem aliquando debuit habuiſſe uſum Rationis. *n.* 12
Et peccaſſe. Unde B. V. M. omnis peccati expers, non fuit capax Extremæ Unctionis. *num.* 13
Solus etiam periculosè ægrotans, ſaltem probabiliter talis, eſt capax Extremæ Unctionis. *num.* 14
Non eſt gravis obligatio accipiendi Extremam Unctionem, per ſe loquendo, eſt tamen aliunde ex parte Curatoris Animarum gravis obligatio dandi. *num.* 15

Voluntarium.

Formaliter Voluntarium definitur. *II. d. 1. n.* 1
Quid ſit perfectè Voluntarium. Et Involuntarium *ſecundùm quid* Et. Non Voluntarium. *num.* 3
Voluntarium latiùs patet, quàm Liberum. *n.* 4
Formaliter Voluntario correſpondet Voluntarium Objectivum. *num.* 5
Voluntarium objectivum dividitur in Voluntarium Actualiter, ſive Formaliter: & in Voluntarium Interpretativè. *n.* 6.
Quando Voluntarium interpretativè ſufficiat ad honeſtandum Actum, & quando non. *n.* 7
Voluntarium aliud eſt directè, aliud indirectè. *n.* 8
Voluntarium aliud eſt phyſicè aliud moraliter. *num.* 9
Refertur Sententia negans, effectum Cauſæ voluntariæ eſſe moraliter Voluntarium, qui quando actu ponitur, à Voluntate eſt inimpedibilis. *num.* 10
Vera Sententia diſtinguitur, ſi nempe Voluntas, ponens cauſam, ante exiſtentiam effectus eſt retractata, negat effectum eſſe moraliter Voluntarium, ſi non eſt retractata, affirmat. *num.* 11
Ira & concupiſcentia non minuit, *ſed potiùs* auget rationem Voluntarii ex parte Voluntatis. *num.* 12
Metus gravis, cadentis in conſtantem Virum, tres Conditiones. *num.* 14
Actio ex metu poſita præciſè ad evitandum pœnam, eſt ſecundùm quid Involuntaria. *num.* 15
Si metus tollat malitiam actionis, hæc neque ſecundùm quid eſt Involuntaria. *num.* 16
Quando Actio ex metu magis diſplicet, quàm ejus ponendæ neceſſitas placet, eſt Involuntaria ſecundùm quid. *n.* 17
Diviſio Ignorantiæ in Antecedentem, Concomitantem, & Conſequentem. *num.* 18
Ignorantia Antecedens cauſat effectum involuntarium ſecundùm quid, quando is eſt ingratus propter malitiam diſtinctam à Scientia oppoſita. *num.* 19
Ignorantia concomitans non cauſat effectum Involuntarium, ſed non Voluntarium. *num.* 20
Ignorantia Affectata cauſat effectum ſimpliciter Voluntarium. *num.* 21
Ignorantia conſequens non affectata, ſed negligens cauſat moraliter, & imputativè Voluntarium quoad culpam. *n.* 22
Non verò quoad pœnam temporalem, Lege ſtatutam, niſi ſit craſſa. *num.* 23
Etiam Ignorantia ſolius pœnæ ab ea excuſat. Hinc non incurritur Cenſura Eccleſiaſtica. *num.* 24
Reſervatio peccati abſoluta incurritur etiam ab ignorante reſervationem, dependens verò à cenſura non incurritur ab Ignorante cenſuram. *n.* 25

Votum.

Ad votum requiritur voluntas ſe obligandi. Validum tamen, ſed non licitum eſt, ſi deſit voluntas illud exequendi. *V. d. 1. num.* 76
Ad eſſentiam Voti requiritur actus, liberè conſentiens in obligationem, ſaltem virtualiter perſeverans. *n.* 76
Debet autem conſenſus eſſe plenè liber, ea libertate, quæ requiritur, & ſufficit ad peccatum mortale: ſine hac libertate autem nec validè nec licitè editur. *n.* 77

Votum ex Metu.

Metus levis, etiam ad extorquendum votum incuſſus, & gravis non ad extorquendum votum incuſſus, non impedit libertatem, aut valorem voti. *V. d. 1. num.* 78
Aliis ſententiis præferenda eſt, quæ aſſerit, ſolo metu gravi injuſto extorta vota eſſe Jure non naturali, ſed Eccleſiaſtico, irrita. Probatur prior pars de Valore ex Jure naturali. *n.* 79
Idem probatur ſpecialiter de valore ex metu injuſto. *n.* 80

Pro-

Probatur etiam poſterior pars de irritatione Eccleſiæ: & oſtenditur diſparitas inter Juramenta, & Vota, injuſto metu extorta. *num.* 81

Votum ex Errore vel Ignorantia.

Error, vel Ignorantia ejus, quod ſpectat ad ſubſtantiam Voti, & quo cognito, non fuiſſet emiſſum Votum, reddit id ipſum invalidum. *V. d.* 1. *n.* 82

Ad ſubſtantiam Voti ſpectat ipſa ejus obligatio, & Res promiſſa, ejuſque conducentia ad finem intentum. *n.* 83

Error circa cauſam moralem non irritat votum, ſicut tamen irritat error circa cauſam finalem. *num.* 84

Error ſubſtantialis non irritat votum propter defectum abſolutè verificatæ intentionis. *num.* 85

Voti Libertas.

Ad votum non ſufficit, ſi actus promiſſionis non ſit immediatè liber, libertate formaliter, vel virtualiter exiſtente. *V. d.* 1. *n.* 86

Votum cui fiat.

Votum poteſt fieri ſoli DEO. *V. d.* 1. *n.* 88

Promiſſio facta Sanctis non eſt Votum, nec cultus Latriæ, ſed Duliæ. *num.* 89

Voti Materia.

Si principalis materia Voti totaliter, vel quoad partem à cæteris realiter, vel juxta intentionem Voventis inſeparabilem, ſit quoad ſubſtantiam, vel quoad modum non aggravantem, ſed revelantem, reddita impoſſibilis, non datur obligatio Voti. *V. d.* 1. *num.* 90

Circa materiam inhoneſtam, & indifferentem, non ordinatam ad finem honeſtum, votum invalidè emittitur. *n.* 91

Neque valet votum circa materiam honeſtam, ordinatam ad finem inhoneſtum. *num.* 92

Neque circa materiam honeſtam propter finem merè indifferentem, ſi ad hunc non conducat ratione ſuæ honeſtatis. *n.* 93

Voti Obligatio.

Poteſt vovens ad rem de ſe gravem ſe obligare ſub culpa levi. *V. d.* 1. *num.* 101

Quænam materia Voti ſit ex natura ſua levis. *n.* 103

Quænam materia ſit ex natura ſua gravis. *num.* 104

Votum in quacunque materia honeſta non inducit aliam obligationem, quam Religionis. *n.* 105

Unde in Confeſſione voti violati non eſt neceſſariò explicanda materia, niſi ea aliunde independenter à Voto ſit præcepta, vel prohibita. *n.* 106

Voti Interpretatio.

Pro Interpretatione Voti ſtatuuntur tres Regulæ. *V. d.* 1. *n.* 107

Ex his colligitur, quomodo intelligendum ſit Votum, dicendi Roſarium, Virginitatem ſervandi, peregrinandi, jejunandi ſimpliciter, vel in pane & aqua. *num.* 108

Hinc etiam exponitur legitimus ſenſus voti indeterminati quoad durationem, quantitatem objecti, & quoad individuationem. *num.* 109

Votum Conditionatum.

Votum quoad modum tendendi conditionatum, quoad vim obligandi eſt abſolutum, ſi conditio de præſenti, vel de præterito jam eſt impleta, vel phyſica neceſſitate eſt implenda. Si autem conditio eſt impoſſibilis, Votum eſt nullum. Si deniq; eſt editum ſub conditione contingenter futura, ejus obligatio ſuſpenditur uſque ad eventum conditioni. *V. d.* 1 *n.* 110

Quæritur, an in Voto ſub conditione ab altero præſtandi conſenſus, ſufficiat conſenſus negativus, ſive negatio diſſenſus. Et an ſufficiat in Voto Conditionato, ſi conditio non formaliter, ſed æquivalenter impleta fuerit. *num* 111

Ad priorem quæſtionem reſpondetur ſufficere conſenſum negativum, ſive negationem diſſenſus. *num.* 112

Ad poſteriorem quæſtionem reſponſio negativa præfertur. *n.* 113

Quomodo liceat Voventi ſub conditione, eventum conditionis impedire. *n.* 114

Qui impedit eventum Conditionis per actionem aliunde illicitam, ex intentione impediendi obligationem Voti, peccat etiam contra Religionem, & obligatur tollere illud impedimentum, ſi poteſt. *nu* 115

Vovens ſub conditione, ſe hoc ipſo obligat, ad Conditionis eventum exſpectandum. Non tamen ſe obligat ad executionem voti, conditione malitioſè impedita. *n.* 116

Votum Pœnale.

Votum pœnale triplici modo emitti poteſt. *V. d.* 1. *n.* 117

De hoc proponuntur tres quæſtiones. *num.* 118

Diſpenſato Voto vitandi culpam, diſpenſatur etiam votum ſolvendi pœnam, neque hujus poſterioris neceſſariò facienda eſt mentio in petita diſpenſatione prioris. *num.* 119

Inadvertentia ad pœnam excuſat ab obligatione voti pœnalis. *num* 120

In dubio, an promiſſa ſit pœna pro culpæ repetitione repetenda, id colligi poteſt ex gravitate, vel levitate pœnæ. *n.* 121

Voti Irritatio.

Poteſtas irritandi Vota convenit cum poteſtate irritandi Juramenta pro qualitate Dominii, quod quis habet vel in ipſam voluntatem Voventis, vel in res, & actiones illius. *V. d.* 1. *num.* 122.

Pater poteſt Omnia Vota Filij impuberis irritare; & ejus loco Avus paternus: hujus autem vice Tutor: reſpectu quorum ſubjectio filii aut filiæ durat uſque ad obtentam pubertatem: ea deinde obtenta tollitur quidem dominium in Voluntatem, non tamen dominium in Bona, & actiones filiorum, quod Curator retinet uſque ad finem anni XXV. Pater autem retinet ſemper, niſi uno ex ſeptem modis tollatur. *n.* 123

Pater, & in ejus defectu quilibet Curator, vel Mater, ſi curatrix eſt, poteſt omnia & Sola Vota irritare, quæ edita ſunt circa materiam, ejus dominio gubernativo ſubjectam, quamdiu ſubjecta eſt. *n* 124

Superiores Religionum immediati, & mediati uſque ad ſummum Pontificem poſſunt omnia Vota Religioſorum ſuorum irritare, à Votis Religionis, & à Voto ingrediendi Religionem ſtrictiorem diverſa. *num.* 125

Probabiliùs eſt, Marito non competere Dominium in voluntatem Uxoris, ſed tantùm in actiones ad finem Matrimonii ſervientes, & hoc viciſſim eodem contractu Matrimonii acquiri Uxori, reſpectu Mariti, adeòque poſſe tantùm ſibi mutuò irritare Vota circa materiam ſubjectam. *n.* 126

Hinc maritus tantùm poteſt ſuſpendere Vota Uxoris ante Matrimonium edita, & fini Matrimonii præjudicantia. Inter hæc præjudicantia etiam eſt Votum non petendi debitum conjugale. *num.* 127

Domini Vota Servorum propriè dictorum, & famulorum poſſunt eatenus irritare, vel ſuſpendere, quatenus illorum dominio ad exigenda ſervitia præjudicant. *num* 128

Poſſunt etiam merè interna Vota irritari. *num.* 129

Vota ex conſenſu Superioris emiſſa, ab ejus ſuperiore, non tamen ab inferiore, poſſunt irritari. *num.* 130

Superior dans conſenſum poteſt, revocato conſenſu iterum irritare Votum propter retentum Dominium in ſubditi voluntatem. *num.* 131

Hoc tamen non poteſt, habens tantùm dominium in rem Voto ſubjectam, quando datione conſenſus dominio renunciavit; poteſt autem, ſi non renunciavit. *num.* 132

Utrum autem ſine juſta cauſa revocans conſenſum peccet, cum diſtinctione reſpondendum eſt. *num.* 233

Vota emiſſa tempore ſubjectionis, non fundatæ in naturali Intellectus & Voluntatis imbecillitate, nimirum emiſſa poſt pubertatem obtentam, ſublata, aut ſuſpenſa ſubjectione, non poſſunt ampliùs irritari, quamdiu durat exemptio à ſubjectione. *num.* 134

Votum editum tempore ſubjectionis, implendum tempore libertatis non irritari poteſt, niſi ab habente dominium in voluntatem voventis. *num* 135

Vota emiſſa ante ſubjectionem, tempore ſubjectionis non poſſunt directè irritari, ſed tantùm ſuſpendi quoad executionem, niſi vovens fuerit impubes. *num.* 136

Vota valida, executioni data, non poſſunt irritari. *num.* 137

Vota edita cum conſenſu ſuperioris in utilitatem tertii, abſque vera promiſſione homini facta, ante executionem irritari poſſunt. *num.* 138

Vota realia, cum conſenſu ſuperioris edita, & ad hæredem tranſlata, nequeunt irritari. *num.* 139

Quid requiratur ad hoc, ut Irritatio Votorum ſit Valida ac licita. *num.* 140

Habens poteſtatem irritandi Votum certò irritabile, idem poteſt circa Votum probabiliter irritabile. *n.* 141

Voti Diſpenſatio.

Datur in Eccleſia poteſtas diſpenſandi in Votis ex cauſa, ſaltem apparenter Juſta. *V. d.* 1. *n.* 142

Quæ ſit juſta Cauſa diſpenſandi in Votis. *num.* 143

Quibus competat poteſtas diſpenſandi in Votis. *num.* 144

Quinque vota ſunt reſervata ſummo Pontifici, niſi ſint pœnalia, vel Conditionalia. *n.* 145

Probatur exceptio votorum pœnalium & Conditionalium, & additur exceptio votorum disjunctivorum, ac Commutatorum à Pontifice. *num.* 146

In Caſu neceſſitatis poteſt Epiſcopus diſpenſare in votis reſervatis, quantum neceſſe eſt. *n.* 147

Vovens poteſt rem Soli DEO promiſſam, & nulla lege exceptam, mutare in meliorem. *num.* 148

Inter res exceptas illæ ſunt, quarum vota ſunt ſummo Pontifici reſervata. Sic etiam mutari non poſſunt, quarum Jus eſt alteri acquiſitum, & quarum mutatio non eſt in rem probabiliter meliorem, & ad minimum æqualem. *n.* 149

Si autem res ſubſtituta eſt probabiliter melior, valet mutatio. *num.* 150

Pote-

Poteſtatem commutandi vota habent omnes, quotquot poſſunt in illis diſpenſare, & quibus hi ſuas vices commiſerint. *n.* 151
Ad commutandum votum in rem æqualem requiritur juſta Cauſa. *num.* 152
Sufficit rem eſſe moraliter æqualem. *n.* 153

Uſus Juris.

Vſus Juris ſupra merum uſum facti addit differentiam imperfecti Dominii: ejuſque poteſtas utendi declaratur: & quomodo acquiratur ac perdatur. *IV. d.* 2. *n.* 74
Non datur circa res uſu conſumptibiles: Vſus facti autem, ſeparabilis à Dominio, datur circa res uſu conſumptibiles, & inconſumptibiles, ſi ille tantùm concedatur revocabiliter, uti conceditur R.R. P P. Franciſcanis. *num.* 75
Hi proinde nudum uſum facti, Pontifex autem Dominium habet, aliunde tamen etiam prohibetur Vſum dictorum Patrum revocare. *num* 79. *& ſeqq.*
Concedens uſum facti pro ſola abſumptione rei poteſt pretium exigere. *num.* 76. *& ſeqq.*

Vſusfructus.

Quid ſit Vſusfructus, & quomodo ab aliis dominiis imperfectis diſtinguatur. *IV. d.* 2 *num.* 70
Ad quid obligetur Vſufructuarius, & qualium rerum poſſit dari Vſusfructus. *num.* 71
Quomodo acquiratur. *num.* 72
Quomodo amittatur, *num.* 73

Uſura.

Quid ſit Vſura. Et quomodo citra peccatum Vſuræ poſſit aliquid exigi ultra ſortem. *IV, d.* 2. *n.* 433
Probatur, Vſuram non tantùm Jure poſitivo, Divino, & humano, ſed etiam naturali eſſe illicitam. *num* 434
Quomodo contractus Mohatras ſit uſurarius, & meritò prohibitus ab Innocentio XI. in propoſ. 40, *n.* 436
Non valet titulo lucri ceſſantis aliquid petere ultra ſortem, niſi quis illud facere conſtituiſſet, poſito, quòd non mutuaturus fuiſſet. *num.* 438
Quid ſit ſolvendum, quando pretium rei mutuatæ eſt inæquale tempore acceptionis, & redditionis. *n.* 439
Quo Jure poſſit dari mutuum irredimibile. *num.* 440
Quando debitor ex propria culpa ſuo tempore non ſolvit debitum, licitè ab illo exigitur mulcta conventionalis. *num.* 441
An Vſurarius acquirat dominium lucri injuſti. *num.* 442

Uxoris Dominium in Bona Temporalia.

Vide Dos.
Bonorum Paraphernorum dominium directum & utile ad Vxorem ſpectat: niſi voluerit etiam illa Marito ad modum dotis dare. *IV. d.* 3. *n.* 154
Bona durante Matrimonio ab alterutro Conjuge acquiſita, ſpectant ad acquirentem, ſecluſa contraria locorum conſuetudine. *num.* 155
Contractus, ſive donatio propter nuptias quoad dominium naturale directum & utile ſpectat ad Maritum, quoad dominium Civile autem ſpectat ad Vxorem, cui conceditur Vindicatio pro aſſecuranda dote. *num.* 156
Sponſalitia largitas, ſeu donaria propter futuras nuptias, jure novo non acquiruntur abſolutè, niſi ſecutis nuptiis, aut propria donantis culpa non ſecutis. *nu.* 157
Quoad dominium, & titulum donandi Morgengebam, ſeu donum Matutinale, locorum conſuetudo attendenda eſt. *nu.* 158
Quomodo acquirantur Arrhæ altero culpabiliter frangente fidem. *num.* 159
Quas Vxor ex Bonis mariti ſuæ adminiſtrationi permiſſis, vel competentibus, eleemoſynas & donationes præſtare poſſit. *n.* 160
Vtrùm eas non præſtitas ſibi valeat retinere. *num.* 161

F I N I S.

SUPPLEMENTUM

Rerum Memorabilium, & Verborum, quæ in priori Indice vel omiſſa, vel ſub alio Titulo expreſſa ſunt, in quo proinde quærenda hìc annotantur.

Romanus Numerus Tractatum, d. *Diſputationem*, n. *numerum Marginalem denotat illius Tractatus & Diſputationis, quæ ultimò citabantur.*

Abbas.

ABbates poſt Tridentinùm non alis, quàm Regularibus ſibi ſubditis primam Tonſuram, & quatuor Minores Ordines conferre poſſunt. *VI. d. 8. num.* 34

Abbates quatuor primariorum Monaſteriorum Ciſtercienſium ex privilegio Innocentii VIII. ſuis Regularibus Ordinem Subdiaconatus & Diaconatus impertire validè poſſunt. *n.* 35

Loco duorum Epiſcoporum Aſſiſtentium in Conſecratione Epiſcopi validè & licitè aſſiſtere poſſunt duo Abbates. *num.* 27

Abortus.

Abortum Fœtus, ſive animati, ſive inanimati nunquam licet directè procurare, bene tamen indirectè. *IV. diſp.* 3. *num.* 62. & 63

Cooperans ad abortum fœtus animati excommunicatus. *VII. num.* 48

Abſolutio à Cenſura.

Vide Cenſuræ Remiſſio.

Abſolutio à Reſervatis.

Vide Peccati Reſervatio & Pœnitentiæ Miniſter circa peccata Reſervata.

Acceptatio in Contractu.

Vt promiſſio obliget, requiritur acceptatio manifeſtata. *IV. d.* 2 *n.* 373. & *VI. d.* 9 *n.* 7. & 45

Acceptatio Legis.

An & quomodo requiratur acceptatio Legis. Et an Populus peccet, ſine juſta Cauſa non acceptans Legem. *I. diſp.* 2. *num.* 4

Acceptatio Perſonarum.

Quid ſit, & quale peccatum, & cui Virtuti opponatur. *IV. d.* 2. *num.* 5

Acceptatio Privilegii.

Ordinariè ſaltem ex intentione Privilegiantis ad Privilegium requiritur acceptatio explicita, vel implicita, per ſe vel per alium: maximè quando ipſum Privilegium non eſt mera aliqua deobligatio. *I. d.* 3. *num* 21

Non tamen etiam requiritur ad Revocationem Privilegii. *num.* 64

Actio.

Inter Patrem & Filiumfam. non datur Actio, niſi in certis caſibus, & quinam illi ſint. *IV. d.* 2. *num.* 119

Emptori rei alienæ ignaro competit actio adverſus Venditorem, acquirentem ſibi dominium pretii. *IV. d* 2 *n.* 406

Actio Civilis non conceditur ex Contractu, inito ab illis, qui Bonorum ſuorum adminiſtrationem non habent. *IV. diſp.* 2. *num.* 344

Ex ſimplici pactione non naſcitur Actio, ſed Exceptio. *n.* 341

Adverſus Filiosfam. ſive ante ſive poſt annum XXV. completum non oritur Actio ex Mutuo, niſi in Caſibus exceptis. *num.* 340

Quomodo Marito competat Vindicatio dotis, manente dominio proprietatis penes Uxorem. *IV. d.* 2 *num.* 136

Qualis actio competat læſo per Contractum Emptionis.

Vide Emptionis reſciſſio.

Qualis Actio, evicto fundo, concedatur legitimo domino de fructibus conſumptis. *IV. d.* 3. *num.* 50

Actor.

Actori incumbit onus probandi adverſus poſſeſſionem. *I. d.* 1. *num.* 24

Actoris, ſive Accuſatoris munus in Criminalibus ſuſcipere, licitum. & aliquando etiam debitum eſt; etiamſi Reus nondum pub. infamia laboret; modò crimen ejus juridicè & plenè probari poſſit: imò etiam ſine hac conditione in aliquibus caſibus ſaltem neceſſe eſt denunciare. *IV. d.* 2. *n.* 30

Actus humanus.

Vide Voluntarium.

Ædificatio.

Ædificatione acquiritur Dominium à Domino Soli, quando quis ædificat in Solo proprio ex aliena materia, vel in Solo alieno ex propria materia. *IV. d.* 2. *n.* 271

Ætas.

Quæ ſit Ætas Infantilis, Impubertatis, Pubertatis, proxima pubertati, Pupillaris, Minor & Majorennis. *V. d.* 1. *n* 123

In qua ætate homo incipiat ſubjacere Legi Naturali, vel Poſitivæ quoad culpam, vel etiam quoad pœnam. *I. d.* 2. *n.* 18

Impuberes ſaltem Reſervationem Papalem non incurrunt. *VI. d.* 6 *num* 216

Qualis requiratur ætas ad Contractum circa Bona temporalia ineundum. *IV. d.* 2. *à num.* 242

Atque ad contrahenda Sponſalia Matrimonii futuri. *VI. diſp.* 9 *num* 10

Vel de præſenti. *num.* 107

In qua ætate emiſſa Vota irritari poſſint. *V. d.* 1. *n.* 122. & *ſeqq.*

Item Juramenta. *num* 69

In qua ætate incipiat obligatio abſtinentiæ à Carnibus, aut Jejunii Eccleſiaſtici. *IV. d* 1. *n.* 43

Et in qua probabiliter deſinat. *num* 45

Qualis requiratur ætas ad accipiendum Beneficium Eccleſiaſticum. *V. d.* 2. *n* 192

Item ad ſuſcipiendos Ordines. *V. d.* 8. *num.* 37

Alimenta.

Quomodo Pater teneatur præſtare alimenta Liberis. *IV. d.* 2. *num.* 140

Etiam natis extra Matrimonium. *d.* 3. *n.* 96

Quomodo Uxori. *n.* 160. & 161

Altare.

Quale Altare ad Sacrificium requiratur. *VI. d.* 5. *n.* 154

Quando Altare Conſecrationem amittat. *num.* 160

Animalium Jus.

Animalia, quæ carent Domino, fiunt primò occupantis. *IV. d.* 2 *num.* 241

Item quæ Conſuetudinem redeundi ad Dominum amiſerunt. *num.* 242

Principes poſſunt prohibere Venationem Animalium: An verò, & contra quam Virtutem peccent ſubditi agendo contra prohibitionem, deſumendum eſt ex Jure Principum, & ex eorum Intentione. *à n.* 244

Appellatio.

Appellatio contra inferentem Cenſuram non habet Vim ſuſpenſivam, ſed tantùm devolutivam. *VII. d. Un n.* 16

In Beneficiis conferendis per Concurſum, præterito Digniori conceditur Appellatio contra iniquum Collatorem, non tam ad irritandam, quàm ad irritam declarandam Collationem Beneficii; quamvis actiones ab indignè promoto præſtitæ valeant. *IV. d.* 2. *n.* 13

Articulus Mortis.

Vide Mortis Articulus.

Aſtutia.

Eſt oppoſitum Vitium Prudentiæ per exceſſum, quo quis non veras vias, ſed falſas & ſimulatas excogitat ad finem ſive bonum, ſive malum conſequendum. *IV. d.* 1. *num.* 9

Attentio Orationis.

Vide Oratio.

Attritio.

Vide Pœnitentiæ Sacramenti neceſſarius dolor.

Audacia.

Eſt Vitium oppoſitum fortitudini. *IV. d.* 1. *n.* 11

Bannitus.

Intra Territorium proſcribentis licitè occiditur. *IV. d.* 3. *n.* 65

Benedictio.

Benedictio rerum Sacramentalium, etiam Chriſmatis, & Olei Infirmorum in ſtatu peccati mortalis præſtita, non inducit novum peccatum mortale. *VI d.* 1. *n.* 46

Benedictio Epiſcopi requiritur ad Valorem Chriſmatis *VI. d.* 3 *n.* 34

Neque

Neque poteſt hæc committi ſimplici Sacerdoti, etiamſi per diſpenſationem Pontificis poſſit committi adminiſtratio Sacramenti Confirmationis. n. 37
Omiſſio Benedictionum non impedit matrimonia licitè contrahenda. Neque omnia Matrimonia benedici ſolent. *VI. d. 9. num.* 67
Neque licet illa benedicere extra Territorium proprium benedicentis. *num.* 115
Neque tempore, quo prohibentur nuptiæ ſolemnes, quamvis non prohibeatur contractus, & conſummatio Matrimonii. *n.* 60

Bigamia.

Quid ſit Bigamia Vera, quid Interpretativa. *V. d. 2. n.* 266
Privat Clericum privilegio Canonis. *ibid.*
Reddit inhabilem ad Beneficium Eccleſiaſticum. *n.* 195
Neque ſolet cum Bigamis diſpenſari. *n.* 206
Reddit etiam Irregularem. *VII. d. un n.* 86

Capitulum.

Capitulum, ſede Vacante, quam habeat poteſtatem. *I. d. 2. n.* 15
Etiamſi non poſſit conferre Beneficia libera Juris Epiſcopalis, poteſt tamen inſtituere præſentatos, vel ratificare legitimè Electos. *V. d. 2. n.* 190
Nequit, ſede Epiſcopali Vacante, dare dimiſſoriales infra annum à die Vacationis. *VI. d. 8. n.* 37

Cardinalis.

Illicitè promovetur ad Cardinalatum minùs dignus præ digniore. *IV. d. 2. n.* 10
Cardinalium ædes non gaudent privilegio Aſyli. *V. d. 2. n.* 258

Caſus Reſervatus.

Vide Peccati Reſervatio.

Ceſſatio à Divinis.

Quomodo differet ab Interdicto. *VII. d un. n.* 73

Character Sacramentalis.

Tria Sacramenta cauſant Characterem in Anima. *VI. d. 1. n.* 55
Quid ſit, & quare Sacramentum reddatur per illum irreiterabile. *num.* 56

Chocolatica potio.

Non violatur per illam Jejunium Eccleſiaſticum. *IV. d. 1. n.* 39

Ceſſio Bonorum.

Vide Reſtitutionem an excuſet Ceſſio Bonorum.

Clericus.

Clericus ſit, qui accipit primam Tonſuram, qua redditur capax ad accipiendum Beneficium Eccleſiaſticum. *V. diſp. 2. num.* 193
Et gaudet privilegio Canonis, niſi ſpeciali Jure eodem privetur. *num.* 266
Clericus non poteſt cedere Jure Immunitatis Eccleſiaſticæ. *IV. d. 2. n* 44. & *I. d. 3. n.* 49
Clericum enormiter lædens incurrit excommunicationem Papæ Reſervatam. *V. d. 2. n.* 226
Si autem læſio non eſt enormis, Epiſcopus poteſt abſolvere. *ibidem*
Vel ſi eſt occulta. *VII. n.* 18. & 37
Sub eadem diſtinctione læſionis excommunicatus eſt vitandus, vel non vitandus. *num.* 37

Compenſatio debiti.

Vide Reſtitutioni quomodo ſatisfiat per Compenſationem.

Concupiſcentia.

Non minuit, ſed potiùs auget Voluntarium. *II. d. 1. n.* 12

Conjugalis Actus, & Conjugalis Obligatio.

Vide Matrimonii Uſus.
Vide Pœnitentiæ Sacramenti neceſſarius Dolor.
Non ſufficit Conſcio ſibi peccati mortalis ad licentiam recipiendi SS. Euchariſtiam extra caſum neceſſitatis. Sufficit tamen ad alia Sacramenta licitè recipienda. *VI. d. 1. n.* 50
Et ad adminiſtranda. *nu.* 38
Imò ad Baptiſmi inſolemnis adminiſtrationem neque neceſſaria eſt. *num.* 39
Neque ad SS. Euchariſtiæ diſtributionem ſine ejus confeſſione *num.* 43
Ad Valorem Sacramenti ullius neque ex parte Miniſtri, in peccato mortali conſtitui, eſt neceſſaria. *n.* 37
Neque ex parte accipientis Sacramentum, etiamſi ipſum ſit Sacramentum Pœnitentiæ, cujus imperfectior dolor eſt ſufficiens pars. *VI. d. 6. n.* 31
Contritio alia eſt Formalis, alia Virtualis, quæ non ſufficit ad Valorem Sacramenti pœnitentiæ. *num.* 34

Culpa.

Alia eſt Theologica, alia Juridica: hæc ſubdividitur in quinque Gradus. *IV. d. 3. n.* 3
Qualis culpa obliget ad Reſtitutionem damni alteri illati.
Vide Reſtitutio ex injuſta acceptione.

Damnum.

Quomodo damnum alteri illatum obliget ad Reſtitutionem.
Vide Reſtitutio.

Denunciatio.

Quando ſit licita, vel etiam debita denunciatio Rei, ſive Judicialis, ſive Charitativa. *IV. d. 2 à n.* 30 & *VI. d. 6. n.* 268
Ubi de manifeſtatione Confeſſarii, ſolicitantis ad flagitium.
Quomodo ad licitè contrahendum Matrimonium ſint neceſſariæ tres denunciationes. *VI d. 9. n.* 65
Quæ Cauſæ excuſent ab his. *num.* 66

Depoſitio & Degradatio.

Hæ pœnæ Eccleſiaſticæ non ſunt Cenſuræ. *VII. d. un. n.* 6
Quid ſint, & quomodo differant à ſuſpenſione. *n.* 53

Detractio Famæ.

Vide Famæ detractio.

Deſperatio.

Quomodo contingat. *III. d. un. n.* 58
Quantum peccatum ſit. *num.* 59

Dies.

Dies naturalis pro obligatione perſolvendi horas quomodo computetur. *V. d. 1 n.* 35
Quando incipiat pro obligatione Jejunii ante ſumptionem SS. Euchariſtiæ. *VI. d. 4. num.* 118
Contractus in diem ſtatim obligat ante eventum illius diei. *IV. d. 2. num.* 365
Quomodo ex pacto addictionis in diem reſcindatur Venditio. *IV. d. 2. num.* 416

Diſpenſatio.

Diſpenſatio Legis.
Vide Legis Diſpenſatio.
Diſpenſatio Juramenti.
Vide Juramenti Relaxatio.
Diſpenſatio Voti.
Vide Voti diſpenſatio.
Diſpenſatio in Irregularitate.
Vide Irregularitas.
Diſpenſatio diſtinguitur à Privilegio propriè dicto. *I. d 3. n.* 2
Non requiritur ad illius Valorem acceptatio *n.* 21
An diſpenſatio ſit habenda pro Conditione impoſſibili vel inhoneſta, ſi quis contrahat Sponſalia ſub hac Conditione: Si Pontifex in Impedimento diſpenſaverit. *VI. d. 9. n.* 15

Diſtributiones.

Diſtributiones pro aſſiſtentia in Choro.
Vide Beneficii emolumenta temporalia.

Diſtributiva Juſtitia.

Vide Juſtitia Diſtributiva.

Dolor de Peccatis.

Vide Pœnitentiæ Sacramenti neceſſarius dolor.

Divortium Conjugum.

Vide Matrimonii divortium.

Domicilium.

Quid ſit habere in loco ſtabile Domicilium. *I. d. 2. n.* 20
Si quis in diverſis locis diverſis anni temporibus ſtabile Domicilium habet, Parochus ſingulorum locorum eſt proprius Sacerdos ad recipienda ab illo Sacramenta. *VI. d. 9. n.* 115

Dubia Conſcientia.

Vide Conſcientia dubia.

Dubium.

Dividitur in dubium poſitivum, quod eſt minùs propriè dictum, & in negativum: & quomodo utrumque ſit intelligendum. *VI. d. 6. n.* 109. & *ſeq.*

Dubia peccata.

An & quomodo ſint in Confeſſione explicanda. *VI. d 6. a n.* 108

Dubia Materia Sacramentorum.

Extra Caſum Neceſſitatis non licet adminiſtrare Sacramenta cum ſola dubia materia. *VI. d. 2. n.* 11

Eccleſia.

Eccleſiæ nomine intelligitur omnis locus ſacer Epiſcopi authoritate Divino cultui deſtinatus. *V. d. 2. n.* 256
Quomodo gaudeat privilegio Aſyli. *ibid.*
Quomodo profanetur, vel polluatur.
Vide Sacrilegium locale.
Quomodo per pollutionem profanata reconciliari poſſit. *VI. d. 5 num.* 53
Eccleſiæ Baptiſmalis nomine communiter intelligitur Parochialis. *V. d. 2. n.* 246
Cui Eccleſiæ decimæ præſtandæ ſint. *ibid*

Electio Eccleſiaſtica.

Vide Beneficia obtinendi modus.

Emphyteuſis.

Quid ſit Emphyteuſis, *IV. d. 2 n.* 461
Quomodo, & ſub quibus Conditionibus & Obligationibus conſtituatur. *num.* 462
In quibus conveniat, & differat à Feudo. *n.* 464 & *ſeqq.*

Epiſcopatus Ordo.

Epiſcopatus incluſus in Ordine Presbyteratus in rigore loquendo

quendo eſt ſpecialis Ordo. *VI. d. 8. n.* 18
Communiter tamen ſumitur per modum Unius. Unde tantùm ſeptem Ordines enumerantur. *num.* 19
Et tamen ut diſtinctus participat rationem Sacramenti. *num.* 22
In illius collatione octo actiones interveniunt; una tamen duntaxat eſt eſſentialis. *n.* 24
Sufficit unus Epiſcopus, hujus Sacramenti Miniſter. *n.* 27

Epiſcopus.

Quam habeat poteſtatem diſpenſandi in Legibus Univerſalibus Eccleſiæ: & quouſque ſe extendat hæc Regula. Quidquid poteſt Papa in Eccleſia, id poteſt Epiſcopus in ſua diœceſi. *I. d.* 2. *num.* 46
Quisquis cooperatur ad promotionem minùs digni Epiſcopatu præ digniore, graviter peccat. *IV. d.* 2. *n.* 10
Epiſcopi poteſtas conferendi Beneficia Eccleſiaſtica. *V. diſp.* 2 *num.* 189
Epiſcopi poteſtas abſolvendi à peccatis ſummo Pontifici reſervatis quanta ſit. *VI d.* 6. *n.* 214
Ejuſdem poteſtas inferendi & auferendi Cenſuram. *VII. d. un. num* 16
Ejuſdem poteſtas diſpenſandi in irregularitate orta ex crimine occulto, alio, quàm homicidio. *n.* 80

Executio Teſtamenti.

Vide Teſtamenti executio.

Feudum.

Quid ſit, & quomodo differat à Livello, & Emphyteuſi. Quomodo dividatur; quas obligationes pariat in Feudatario. *IV. d* 2. *à n.* 463

Filii illegitimi.

Alii ſunt Naturales, alii ſpurii: & quinam hujuſmodi ſint. Quomodo etiam hæredes eſſe, vel non eſſe poſſint. *IV. d.* 2. *num.* 500
Etiamſi iſti non ſint in Patris poteſtate; conſtituuntur tamen in ea per ſubſequens verum Matrimonium cum Matre, quando ambo parentes ad illud contrahendum fuerunt habiles tempore illo, quo proles concepta vel nata eſt. *n.* 104
Tales quippe Legitimati æquiparantur, Legitimis atque etiam præferuntur poſteriùs genitis ad Jura natu Majorum. *nu.* 105
Eſt etiam alia Legitimatio, quæ fit per Reſcriptum Principis, vel Civilis ad bona Civilia, vel Eccleſiaſtici ad bona Spiritualia. *num.* 106
An hanc verò Legitimationem requiritur conſenſus Patris & Filii legitimandi, quo utroque poſito fit Filiusfam. *n.* 107
Alia de Valore, & Effectu hujus Legitimationis. *num.* 108 & 109
Filius ex adulterio genitus non tenetur credere Matri, id aſſerenti. *IV d* 3. *n* 100
Quomodo ad obtinendum Beneficium Eccleſiaſticum requirantur, vel diſpenſentur legitimi natales. *V. d.* 2. *nu.* 194
Illegitimus, ſi non ſit Spurius, & ſi ad Epiſcopatum ſit idoneus, poſtulari poteſt, quamvis eligi non poſſit. *n* 206.

Gaudium.

Gaudium de morte alterius propter relictam hæreditatem, ſi ſit de ipſa morte, eſt peccatum; ſi autem ſit tantùm de hæreditate, vel de alio effectu bono, poteſt eſſe licitum. *III. d. un. nu.* 90. & 91

Gloriatio.

Gloriatio de peccato, quà tali, contrahit ſpeciem diverſam pro diverſitate peccati, de quo ſit *VI. d* 6. *n.* 96

Gratia Sanctificans.

Quomodo cauſetur ex opere operato, & quomodo ex opere operantis. *VI. d.* 1. *n.* 29
Quomodo cauſetur à Sacramentis Veteris vel Novæ Legis.
Vide Sacramenti vis cauſandi gratiam.
Cauſatur à Martyrio etiam ex opere operato. *IV. d.* 1. *num.* 21. & 22. & 25

Hæreditatis tranſmiſſio.

Vide Teſtamenti repudiatio.

Jactantia.

Vide Gloriatio.

Idololatria.

Quid & quale peccatum ſit. *V. d.* 3. *n.* 282

Illegitimi Filii.

Vide Filii illegitimi.

Imprudentia & Ignorantia.

Vide Prudentia.

Infamis.

Non niſi de perſona infami ordinariè licitum eſt, inquiſitionem ſpecialem inſtituere. *IV. d.* 2. *à n.* 4
Licitum & aliquando etiam debitum eſt, accuſare Reum, etiam nondum infamem, ſi crimen ejus Juridicè & plenè probari poſſit. Imò in aliquibus caſibus ſaltem neceſſe eſt denunciare, etiamſi crimen plenè probari non poſſit. *nu.* 30
Aliud eſt, alteri detrahere, & aliud reddere infamem. *IV. diſp.* 3 *num.* 106
Infamis infamia Juris inhabilis eſt ad Beneficium Eccleſiaſticum, & ob indiſpenſabilitatem hujus defectus nequit poſtulari. *V. d.* 2. *num.* 205
Infamis in uno loco perdidit Ius famæ. Unde non contra Iuſtitiam, ſed tantùm contra Charitatem peccat manifeſtans illius crimen in alio loco, ubi manſurum erat occultum. *IV. diſp.* 3 *num.* 107
Infames ob crimen notorium proprium, vel parentum, ſententia Iudicis, vel ipſo facto, vel propter perſeverantiam in publico crimine, ſunt Irregulares. *VII. d. un. n.* 84

Infans & Impubes.

Vide Ætas.

Infidelis.

Quinam dicantur infideles. *III. d un n.* 41
Probabile eſt, non baptizatos, qui propriè & ſpecialiter Infideles dicuntur, gaudere immunitate Aſyli. *V. d* 2. *nu.* 259
Nullius Sacramenti ante Baptiſmum ſuſceptum ſunt capaces. *VI. d.* 1. *num.* 27
Validè tamen Baptiſmum conferre poſſunt. *VI. d.* 2. *n.* 20
Iidem non tenentur Legibus Eccleſiæ, nec ſubiiciuntur pœnis Eccleſiaſticis. *VII. d. un. n* 4
Fidelis cum Infideli nequit validè contrahere matrimonium. *VI. d.* 9. *n.* 87
Infidelium Matrimonium validum eſt in ratione Contractus, & inſolubile, quamdiu uterque conjux manet in infidelitate, vel ſi poſt conſummationem uterque convertatur: uno autem converſo, & altero converti renuente, poteſt converſus per alterum Matrimonium cum Fideli initum prius Matrimonium reſcindere. *à n.* 151
Quòd ſi uterque convertatur, Matrimonium manet quidem inſolubile, ſed nunquam acquirit rationem Sacramenti. *n.* 35

Intentio Orationis.

Vide Oratio.

Intentio adminiſtrandi Sacramentum.

Vide Sacramenti conficiendi, & recipiendi Intentio.

Jubilæum.

Qui durante privilegio Iubilæi confeſſus eſt Sacerdoti approbato cum intentione illud obtinendi, non tenetur eadem peccata, quantumvis reſervata, alteri confiteri, etiamſi Conditiones Iubilæi non impleverit, imò nec tenetur eas implere. *VI. d* 6 *n.* 221

Iuriſdictio.

De Iuriſdictione in foro interno
Vide Pœnitentiæ Miniſter.
Iuriſdictio Localis non ſe extendit in peregrinos, niſi ratione delicti ſorum nanciſcantur. *I. d.* 2. *n.* 20. & 21
Iudex vel Legislator Civilis non habet Iuriſdictionem in Clericos. *num.* 28
Vide Immunitas Eccleſiaſtica per privilegium Fori.
Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, Ordinariæ, vel delegatæ, incapaces ſunt non initiati ſaltem prima tonſura. *VII. d un. n* 2
Item omnes Conjugati, etiamſi Clerici ſint, vel etiam privilegio Canonis & Fori gaudeant. *ibid.*
Excommunicato non tolerato non tantùm illicitus, ſed etiam invalidus eſt Uſus Iuriſdictionis. *VII d. un. n.* 35
Et colligitur ex. *num.* 55

Legatum.

Quid ſit, & quale Ius conferat Legatum. *IV. d.* 2 *nu* 471
Legata ad pias cauſas debentur nondum adita hæreditate, imò etiam repudiata. *n.* 480
Etiamſi teſtamentum ad cauſas profanas eſſet invalidum, valeret tamen quoad pia legata, ſi ſaltem per duos teſtes conſtaret de mente Teſtatoris. *nu.* 428
Quando res legata à Teſtatore non fuit ſufficienter determinata, à quo & quo modo in actuali executione ſit determinanda. *num.* 529
Legatum ad pias cauſas nunquam fit caducum, ut hæredibus accedat: ſed ſi non poſſit prodeſſe animæ Teſtatoris, modo ab illo ſtatuto, proſit alio. Multò minùs verum eſt, quòd annuum Legatum, pro anima relictum, non duret plùs, quàm per decem annos. *num.* 530
Communis Regula, quòd qui hæres inſtitui nequit, nequeat etiam Legatum capere: patitur exceptionem in noſtra Societate IESV quoad obſtrictos ultimis Votis Religionis. *nu.* 499

Legatus Apoſtolicus.

Qualis competat poteſtas Legato Apoſtolico ad conferenda Beneficia Eccleſiaſtica. *V. d.* 2 *n.* 191

Legitimatio.

Vide Filii illegitimi.

Lex Commiſſoria.

Quomodo ex pacto Legis Commiſſoriæ reſcindi poſſit Contractus Emptionis & Venditionis. *IV. d.* 2. *n.* 415

Libri Hæretici.
Vide Hæreſis.
Luxuria.
Vide Caſtitas.
Maledictio.
Vide Blaſphemia.
Maria Virgo.
Ipſa quoque ſuſcepit Sacramentum Baptiſmi, etiamſi ſine peccato Originali fuerit concepta. *VI. d. 1. num. 28*
Fuit verò incapax Sacramenti extremæ Unctionis. *VI. d. 7. n. 13*
Hæreticum eſt dicere, quòd B. V. indiguerit purificatione: & quòd non ſit laude ac veneratione digna. *VI. d. 6. n. 90*
Blaſphemia in B. Virginem eſt ſpecie diverſa à blaſphemia in DEUM. *V. d. 3. n. 294*
Mendacium.
Mendacium, ſecluſa alia circumſtantia, ſpeciem mutante, ſemper & ex genere ſuo eſt tantùm peccatum veniale. *II. diſp. 2 num 14*
Neque tamen ob ullam cauſam poteſt à DEO reddi licitum, ut ſcienter fiat. *I. d. 2. num. 43*
Minores, & Pupilli.
Vide Ætas.
Quomodo nequeant inire contractum ſine Curatorum conſenſu. *IV. d. 2. num. 344. & ſeq.*
Conceditur ipſis Reſtitutio in integrum contra factam Præſcriptionem. *IV. d. 2. n. 319*
Et ob læſionem per Contractum Emptionis, etiam cum conſenſu Curatorum initum. *num 425*
Quomodo irritari valeant eorum Juramenta. *V. d. 1. n. 69*
Et Vota
Vide Voti irritatio.
Mortis Articulus.
Quid intelligatur per hunc articulum. *VI. d. 6. n. 183*
In hoc articulo datur obligatio perfectæ Charitatis erga DEUM. *III d. un. n. 69. & 76 & 79*
Item Obligatio ſumendi SS. Euchariſtiam. *VI. d. 4. n. 128*
Non verò etiam datur gravis obligatio accipiendi extremam Unctionem. *VI. d 7. n. 15*
Poſt ſumptam SS. Euchariſtiam incidens in articulum Mortis, poteſt eadem die illam iterum ſumere, non tamen tenetur. *VI. d. 4. num. 123*
Qualis in iſto articulo ſufficiat Confeſſio pro accipienda abſolutione. *V. d 6 num 138*
Quomodo quilibet Sacerdos conſtitutum in hoc articulo queat abſolvere. *à n. 183*
Mutilatio.
Etiam proprii corporis mutilatio eſt illicita, quando non ſit proter conſervationem totius. *IV. d 2. num. 98*
Pro mutilatione injuſta alterius non debetur reſtitutio damni immediati. *IV. d 2. n 71*
Benè tamen damni mediati. *n. 72*
Neceſſitas Inopia.
Neceſſitas extrema quomodo liberet ab obligatione reſtituendi debitum *IV. d 3. n 241*
Neceſſitas gravis, non tamen extrema, quomodo liberet. *num. 246. & ſeqq.*
Quomodo homo obligetur ſuccurrere alterius neceſſitati extremæ, vel gravi.
Vide Eleemoſyna.
In extrema quidem, non autem in gravi neceſſitate licet auferre rem alienam. *IV. d 1. n. 28. & d. 3 n. 132. & 241*
Novatio.
Vide Reſtitutioni quomodo ſatisfiat per Novationem.
Novitii Religionum.
Novitiorum Voluntas nondum eſt perfectè ſubdita dominio ac poteſtati Superiorum: unde ab his illorum Juramenta irritari non poſſunt *V. d. 1. n 69*
Poſſunt tamen Superiores in illorum Juramentis & Votis diſpenſare vi Iuriſdictionis *nu. 144*
In privilegiis & favorabilibus veniunt nomine Religioſi. Unde gaudent privilegio Canonis, & fori. *V. d. 2. n. 267*
Oratio.
Ad Orationem neceſſaria eſt Intentio orandi, & Attentio, quæ triplex eſt. Litteralis, Spiritualis, & Superficialis: hæc iterùm ſubdividitur in Actualem, & Virtualem. *V. d. 1. n. 21*
Quælibet harum ſufficit ad ſubſtantiam Orationis. *à n. 30*
Unde diſtractiones, etiam Voluntariæ, aliæ ſunt compoſſibiles, aliæ incompoſſibiles *ibid.*
Voluntariæ tamen diſtractiones ſunt peccatum, ſaltem veniale. *num. 33*
Mortale verò ſunt, quando ſunt incompoſſibiles cum Attentione ſaltem Virtuali ad Orationem, ſub tali culpa debitam, neque admiſſæ fuere animo iritandi Orationem. *n. 32*
Pactum.
Vide. Contractus in genere. Et Promiſſio gratuita.
Pars.
An & quando qui excuſatur à parte rei præceptæ, excuſetur à toto: & quomodo falſum ſit, quòd pars minor trahatur ſemper à majore. *V. d. 1. n. 41. & d. 2. n. 165*
Patria poteſtas.
Vide Filiusfamilias.
Quomodo deſinat patria poteſtas. *IV. d. 2. n. 12. & V. d. 1. n. 12*
Patrinus in Baptiſmo.
Vide Baptiſmi Cæremoniæ.
Qui tantùm reſpondet ad quæſtiones fidei loco Baptizantis, neque per hoc ſit patrinus, neque prohibetur aliquando contrahere Matrimonium cum prole baptizata. *VI. q. 9. n. 61*
Patrinus in Confirmatione.
Non ita eſt neceſſarius, ſicut in Baptiſmo. Poteſt tantùm eſſe unus. Eadem cùm ipſo contrahitur Cognatio Spiritualis, ſicut in Baptiſmo. *VI. d. 3. num. 45*
Patronus ad Beneficium Eccleſiaſticum.
Quid ſit Patronum eſſe Laicum, & quid Eccleſiaſticum, ac quale per utrumque conferatur Ius. *V. d. 2 num. 183. & 208*
Penſio.
Penſionis pro Beneficio Eccleſiaſtico ſolvendo pactum qualis ſit Simonia, & qualis pœnæ reatum inducat *V. d 3. n. 323. & ſeq.*
Peregrinus & Vagus.
Quomodo Legibus obligetur.
Vide Legis obligatio.
Quomodo Matrimonium validè contrahere poſſit coram quolibet Parochu. *VI. q. 9. n. 117 & ſeq.*
Perjurium.
Vide Iuramenti honeſti Conditiones.
Pignus & Hypotheca.
Pignus eſt Ius quoddam imperfectum, quo dominium perfectum Domini proprietatis reſtringitur. *VI. d. 2. nu 56*
Quid ſit pignus, & quid hypotheca; & quæ ſit generalis, quæ particularis. *IV d. 3. num. 195*
Quomodo expreſſa & quomodo tacita hypotheca conſtituatur. *num. 196*
Quomodo pignus vel hypotheca præbeat Ius recipiendi debitum ante alios Creditores. *à n. 197*
Pœna.
Pœna violatæ Legis incurritur etiam ab abſente, quando crimen in loco domicilii conſummatur. *I. d. 2. n. 27*
Si pœna temporalis eſt appoſita Legi, utenti Verbis præceptivis, ſive Civili, ſive Canonicæ, adhuc illa lex obligat in Conſcientia ſub culpa Theologica. *n 33*
An & quando incurratur pœna temporalis ab ignaro pœnæ *II. d. 1. num 23 & ſeq.*
Vide Lex pœnalis.
Polygamia.
Hæc eſt Iure naturæ prohibita. *VI. d. 9. n. 148*
Potuit tamen DEUS diſpenſatione impropria in V. T. reddere licitam *n 151*
Poſſeſſio.
Vide Præſcriptioni neceſſaria poſſeſſio
In dubio ſuperveniente poſſeſſori bonæ fidei melior eſt conditio poſſidentis. *I d. 1 n. 24*
Etiam circa aliarum Virtutum obligationem dubium deponi poteſt per poſſeſſionem Libertatis. *n. 25*
Regula cognoſcendi an Lex vel Libertas ſit in poſſeſſione. *n. 26*
Poſtulatio ad Beneficium Eccleſiaſticum.
Quid ſit hæc poſtulatio, & in quibus conveniat, vel diſconveniat cum Electione. *V. d. 2. n. 206. & ſeq.*
Præſentatio.
Quomodo & à quibus conferatur Beneficium Eccleſiaſticum per præſentationem, & in quo hæc differat ab Electione. *V. d 2. num 208*
Præſumptio temeraria.
Eſt peccatum ex genere ſuo mortale, oppoſitum ſpei. *III. d. un. n. 60. & ſeq.*
Præſumptio Conſenſus Superioris.
Quid ſit conſenſus præſumptus. *IV. d. 2. n. 200. & VI. d 6 n. 204*
Quando conſenſus Prælati pro privata diſpoſitione de re temporali præſumi poſſit. *n 201*
Quomodo iſte conſenſus ſufficiat. *n. 202. & ſeq.*
Ad exercitium Iuriſdictionis ex delegatione non ſufficit conſenſus præſumptus in Sacramento Pœnitentiæ ad abſolvendum, & in Matrimonio ad aſſiſtendum contractui. *n. 204*
Precarium.
Qualis ſit obligatio accipientis precarium. *IV. d. 2. n. 392*
Profeſſor Scientiarum.
Ad quid teneatur, qui falſam doctrinam tradidit. *IV. diſp. 3. num 58*
Quomodo peccaret, & quomodo ſpeciem peccati in Confeſſione explicare deberet, qui qualemcunque propoſitionem à Summo Pontifice prohibitam traderet. *VI. diſp. 6. num. 89*

Per

Per ſe loquendo Profeſſores Scientiarum non excuſantur à Jejunio Eccleſiaſtico propter labores. *IV.d.1.num.46*

Rapina.

Quòmodo differat à furto: *IV.d.3.n.128*

Quomodo & quando liceat contra rapinam ſua tueri, occidendo injuſtum invaſorem. *III.d.Un n.94. & VI.d.3 n 68*

Raptus pœna.

Raptus Mulieris ad habendam Uxorem parit impedimentum dirimens, & alias pœnas jure ſtatutas. *VI.d.9.n 126*

Religionis ingreſſus

Quomodo, & quando liceat per ingreſſum Religionis ſe impotentem reddere ad diſſolvenda debita. *IV.d 3.n 270*

Quomodo per ingreſſum Religionis diſſolvatur Matrimonium ratum. *VI d 9.n.155*

Religionis ingrediendæ Votum quomodo ſit indiſpenſabile ab inferiore, quàm à Summo Pontifice. *V d.1. n.145*

Remiſſio debiti.

Vide Reſtitutioni quomodo ſatisfiat Remiſſione debiti.

Reſcriptum.

Per privatum Reſcriptum Principis revocatur privilegium, non autem Lex, niſi illius etiam mentio fiat. *I.d.3 n.63*

Quomodo per Reſcriptum Principis fiat Legitimatio Natalium. *IV.d.2 n.106. & ſeqq.*

Reſidentia.

Quomodo Beneficiati non Curati ad Reſidentiam obligentur. *V.d.2.n.209*

Quomodo Curati, & ſub quibus pœnis. *n.210*

Reſtrictio Mentalis.

Quando liceat uti Reſtrictione Mentali. *IV.d 2.n.34*

Satisfactio Sacramenti Pœnitentiæ.

Vide Pœnitentiæ Sacramentalis injuncta Satisfactio.

Scientia.

Accipiens Beneficium Eccleſiaſticum debet eſſe inſtructus Scientia proportionata Beneficio. *V.d.2.n.197*

Vnde qui laborat Ignorantia litteraturæ, neque poſtulari poteſt, quia defectus eſt indiſpenſabilis. *num.206*

Qualis Scientia requiratur pro ſingulis Ordinibus recipiendis. *VI.d.8. num.37*

Sepultura Sacra.

Non ſumenti Sacram Euchariſtiam tempore Paſchali ſtatuta eſt privatio Sepulturæ Sacræ. *VI. d.4.n.130*

Quomodo abſque Simonia poſſit aliquid exigi pro loco Sacræ Sepulturæ. *V.d.3.n.110*

Per Sepulturam Excommunicati tolerati in loco ſacro locus non profanatur, bene tamen ſi ſit non toleratus. *VII d.Vn.n.41*

Talem ſepeliens incurrit Excommunicationem. *num.48*

Sigillum Confeſſionis.

Vide Pœnitentiæ Sacramento annexum Sigillum Confeſſionis.

Stipulatio.

Stipulatio quam requirat formam, & quomodo neceſſe ſit fieri Verbis expreſſis per ſe, vel per alium *IV.d.2.n.340*

Subſtitutio hæredis.

Vide Teſtamentum.

Tonſura Prima.

Prima Tonſura non eſt Ordo. *VI.d.8 n.21*

Per illam quis efficitur Clericus, & gaudet privilegio Canonis, niſi per ſpeciale Jus eodem privetur. *V.d.2.n.266*

Tranſactio.

Vide Reſtitutioni quomodo ſatisfiat per Tranſactionem.

Tutor & Curator.

Lege prohibentur Tutores, & Curatores Bona ſibi commiſſa emere, ſine Judicis vel alterius, cui eadem commiſſa ſunt, Authoritate. *IV.d.2.num.343*

Quomodo illorum Conſenſus ad contractus Pupillorum, ac Minorennium neceſſarius ſit. *n.344. & 345*

Vagus.

Vide Peregrinus.

Vanus DEI Cultus: & Vana Obſervantia.

Vide Superſtitio.

Vaſa & Veſtes Sacra.

Quæ & qualia ad Sacrificium Euchariſticum requirantur. *VI.d.5.à n.158*

Vaſallus.

Quas habeat Obligationes erga Dominum Proprietarium, ſive directum. *IV.d.2. n.462 & 464*

Veneficium, ſive Maleficium.

Quid ſit, & quomodo ejus ablatio licitè peti poſſit; etiamſi prævideatur non ſublatum iri ſine novo Veneficio *V.d.3.n.283. & III.d.un.n.115*

Veſtitus Mulierum.

Mulier ob periculum lapſus alieni non tenetur abſtinere à Veſtitu competente: neq; etiam ſub mortali à ſuperfluo. *III d.un.n.111*

Vicarius Generalis.

Vicarii Generalis poteſtas conferendi Beneficia Eccleſiaſtica. *V.d.2.nu. 90*

Ejusdem poteſtas inferendi Cenſuram. *VII.d.un.n.20*

Virginitas.

Quid ſit Virginitas, & quomodo à Caſtitate diſtinguatur, & quæ ad eam requirantur conditiones. *IV d.1.n.55. & 56*

An Circumſtantia Virginitatis propriæ, vel Complicis explicanda ſit in Confeſſione Fornicationis, præſertim ſi illa ſit per Vim violata, vel cum ignominia parentum. *VI.d 6.n.84*

Voti Caſtitatis ſpeciales effectus.

Votum Caſtitatis ante Sponſalia de matrimonio futuro editum prævalet iisdem, niſi ſint firmata per copulam fornicariam. *VI.d.9 nu.25*

Sponſalia verò de præſenti prævalent Voto non ſolemni, nec Religioſo. *ibid.*

Solemne autem vel Religioſum, dirimit ſponſalia etiam de præſenti. *num.70*

An vel quomodo poſſit non ſolùm reddere, ſed etiam petere debitum Conjugale, qui ante Matrimonium, vel in Matrimonio ſine conſenſu alterius Conjugis, ſe ſimplici Voto caſtitatis obſtrinxit. *V.d.1.n 127.*

Uxoris Obligatio.

Vxor Legislatoris non tenetur illius legibus aliter, quàm ipſe Legislator. *I.d.2 n.17*

Obligatio Vxoris erga Maritum. *VI.d.9. à n.141*

FINIS.